UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

urn:nbn:de:hbz:466:1-98275

Visual Library



Th. 1330a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M
V
8

Th.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JUS CANONICUM

NOVA METHODO EXPLICATUM,

OMNIBUS CAPITULIS TITULORUM

promiscuè, & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis.

TOMUS TERTIUS

Respondens Libro tertio Decretalium.

IN QUO DE OBLIGATIONIBUS, BENEFICIIS, ALIISQUE

Juribus Clericorum sæcularium, & Regularium agitur: atque ea, quæ ad contractus, ultimas voluntates, aliásque materias Juri Canonico, & Civili communes, pertinent, secundùm utrumque Jus, plenè, & theoricè proponuntur, & exponuntur.

ADDITUS EST, PRÆTER SYNOPTICUM, ET METHODICUM,

ALIUS INDEX ALPHABETICUS A PLURIBUS DESIDERATUS.

Duo Posteriores Libri IV. & V. (qui adhuc desiderantur) Prioribus Tribus proximè adiungentur.

AUCTORE

R. P. ERNRICO PIRHING

SOCIETATIS JESU THEOLOGO,

SS. CANONUM

IN ALMA, CATHOLICA, ET EPISCOPALI UNIVERSITATE

DILINGANA PROFESSORE EMERITO.

Collegii Soc. Jesu Anno



Paderb. 1678.

Cum Gratia, & Privilegio

Sacræ Cæsareæ Majestatis.

DILINGÆ

Superiorum Permissu.

Typis, & Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per JOANNEM MICHAELEM SPÖRLIN.

ANNO M. DC. LXXVI.



EMINENTISSIMO

ET

REVERENDISSIMO

PRINCIPI

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI

NIDHARDO,

SERENISSIMI REGIS

HISPANIARUM

CONSILIARIO INTIMO,

NEC NON

APUD SANCTAM SEDEM

ORATORI CATHOLICO,

PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.

NAtalis soli dulcedo non tantùm homines, sed meos quoque Canones trahit, Reverendissime & Eminentissime Princeps. *Romæ nati sunt sanctissimis Parentibus, summis Pontificibus: Romam anhelant. Non distulissem iustissima desideria, si occurrisset Patronus, cui diutinos peregrinos commendarem. In mentem quidem primò venerat* Eminentia Tua; *nec enim solus vacuus eram à luce gloriæ Tuæ, Mundum implentis: sed verecundia cum studio Te colendi luctabatur. Invitabat communis Patria, & veteris vitæ ratio: repellebat timor, ne forsan ignotus obturbarem. Tandem ipse Liber litem diremit, tot titulos audendi suggerens, quot ipse continebat, nempe* Tertius Decretalium, *quinquagenis non pauciores.*

Ut

Vt omitterem cæteros, Primus effecit, quia ſolus videbatur ſuffecturus. Is, qui Vitam & Honeſtatem Clericorum *depingens, imago Tuarum Eminentiſſimarum Virtutum eſt, ſed rudis; Neque enim Gregorii, Innocentii, & Honorii, qui ibi fingunt mores ſuorum, præſcribere auſi ſunt eam ſapientiæ menſuram, Prudentiæ cautelam, Modeſtiæ decentiam, Vitæ accuratiſſimam integritatem, erga omnes ſuaviſſimam Humanitatem, cum Maieſtate iunctam, atque in Deum ſummam pietatem, quas in Te Roma cum admiratione prædicat, & Germania de te Glorioſa, cum plauſu, audit. Et meritò minus exigebant illi, quia plebem attonſorum informabant. Tua* Vita *Hierarchas docet* Honeſtatem, *tanto cum exceſſu, quanto* Galeri *oſtrum ſuperat* Lintei *nives. Iſte Muriceus tantorum decorum ſuccus in Te iam olim notatus, Eminentiam Tuam prodidit, ut quamvis Religioſæ demiſſionis, (& quidem illius, quæ ſplendidos Titulos maximè fugit) Teſtâ Te involueres ad latendum, nihilominus, velut pretioſum Conchylium, unâ cum latebrâ, raperêris ad Purpuram exornandam.*

Liceat apertiùs loqui, & veram cauſam dare propoſiti mei, Eminentiſſime Princeps. *Primus es, quem Germana Societas Jeſu Cardinalitiæ Familiæ peperit, ſalva Matris integritate. Hinc ego eiuſdem alumnus minimus* Eminentiæ Tuæ *per hunc meum qualemcúnque Legatum humillimè gratulor, non quia Cardinalis es (ignoſce Theutonico Candori, & ſenſui Loiolæo) ſed quia talis, & ſic creatus, natusque es, illæſis Matris viſceribus, id eſt, nullâ legum ruptură, & nonniſi Summi Capitis authoritate, & peccati intentati minis, ad altiſſimum culmen perpulſus. Vive itaque ſecurus in apice, ad quem cautiſſimè aſcendiſti. Meumque hunc librum clementiſſimâ manu ita accipe, ut ſi Tuo Sapientiſſimo iudicio dignus fuerit viſus, per ipſum velut publicum inſtrumentum Romanæ Sanctiſſimæ Sedi, ac Tuo Eminentiſſimo Patrum Purpuratorum Collegio teſtatum facias, Germanos Pontificiaruum Conſtitutionm Sanctitatem, eo, quo decet, id eſt, ſummo loco habere, atque inter illos Dilingam noſtram pro viribus conari, ut meliore luce reparet, quod olim Vittenberga infami flammâ in eaſdem peccavit. Illuc verò vel maximè conniti (& niſi me fallo, feliciter) ut contrafrendenti licèt hæreſi extorqueat confeſſionem, ex tanto Papalium Sanctionum toti populo Chriſtiano propoſitarum Oceano, ne unam quidem guttam eſſe, quæ erroris convinci poſſit: ingenti argumento, Apoſtolicum Oraculum adeo veri, & ſinceri eſſe ſecurum, ut non tantùm, cùm credenda proponit, errare non poſſit, ſed etiam cùm ſequenda, fugiendáque ſancit, nequeat halucinari. Quâ certitudine legat Purpuratos Senatores, iam non attinet dicere; in* Tua

Emi-

EPISTOLA DEDICATORIA.

Eminentia *erratum non fuisse, speratissimus eventus docet, & secundissima Mundi gratulantis fama. Hanc, contra aliàs consuetæ inconstantiæ suæ genium, Tibi esse constantissimam, &, quod Religiosissimo animo Tuo multò antiquius est, Cœlum Tibi manere faventissimum, ut obstrictissimè, ita enixissimè precor, cum mei, Collegii Dilingani, & Totius Nostri Ordinis demississima commendatione. Dilingæ ipso die festo S. Patriarchæ Nostri Ignatii. Anno 1676.*

EMINENTIÆ TUÆ

Servus obstrictissimus

ERNRICUS PIRHING
SOC. JESU.

INDEX ALPHABETICUS
TITULORUM
LIBRI TERTII DECRETALIVM.

DE	*Titulus*	*Paginâ.*
Baptiſmo, & ejus effectu.	XLII.	680. & 809.
Capellis Monachorum, & aliorum Religioſorum.	XXXVII.	598. & 799.
Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.	XLI.	677. & 808.
Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.	XXIX.	641. & 805.
Clericis Conjugatis.	III.	16. & 738.
Clericis non reſidentibus in Eccleſia, vel Præbenda.	IV.	25. & 739.
Clerico ægrotante, vel debilitato.	VI.	167. & 751.
Cohabitatione Clericorum, & mulierum.	II.	9. & 737.
Commodato.	XV.	251. & 758.
Conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non vacantis.	VIII.	179. & 752.
Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.	XL.	668. & 807.
Converſione Conjugatorum.	XXXII.	540. & 792.
Converſione Infidelium.	XXXIII.	558. & 794.
Cuſtodiâ Euchariſtiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum.	XLIV.	684. & 810.
Decimis, Primitiis, & Oblationibus.	XXX.	433. & 799.
Depoſito.	XVI.	225. & 759.
Donationibus.	XXIV.	337. & 768.
Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.	XLVIII.	690. & 811.
Emptione, & Venditione.	XVII.	260. & 759.
Fide Juſſoribus.	XXII.	322. & 766.
Feudis.	XX.	301. & 764.
His, quæ fiunt à majore parte Capituli.	XI.	209. & 755.
His, quæ fiunt à Prælatis, ſine Conſenſu Capituli.	X.	202. & 755.
Immunitate Eccleſiarum, Cœmiterii, & rerum, ad eas pertinentium.	XLIX.	697. & 811.
Inſtitutionibus.	VII.	137. & 752.
Jure Patronatûs.	XXXVIII.	602. & 800.
Locato, & Conducto.	XVIII.	275. & 761.
Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus negotiis ſe immiſceant.	L.	723. & 815.
Ne Sede vacante, aliquid innovetur.	IX.	197. & 754.
Obſervatione Jejuniorum.	XLVI.	688. & 810.
Parochiis, & alienis Parochianis.	XXIX.	428. & 778.
Peculio Clericorum.	XXV.	351. & 769.
Pignoribus, & aliis Cautionibus.	XXI.	312. & 765.
Præbendis, & Dignitatibus.	V.	48. & 742.
Precariis.	XIV.	246. & 758.
Presbytero non baptizato.	XLIII.	682. & 809.
Purificatione poſt Partum.	XLVII.	689. & 810.
Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non.	XIII.	221. & 756.
Regularibus, & Tranſeuntibus ad Religionem.	XXXI.	479. & 784.
Religioſis Domibus, ut Epiſcopo ſint ſubjectæ.	XXXVI.	587. & 798.
Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.	XLV.	684. & 810.
Rerum Permutatione.	XIX.	290. & 763.
Sepulturis.	XXVIII.	410. & 776.
Solutionibus.	XXIII.	327. & 767.
Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.	XXXV.	573. & 796.
Succeſſionibus ab inteſtato.	XXVII.	399. & 775.
Teſtamentis, & ultimis voluntatibus.	XXVI.	360. & 770.
Vitâ, & Honeſtate Clericorum.	I.	1. & 737.
Voto, & Voti redemptione.	XXXIV.	561. & 795.
Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur.	XII.	214. & 755.

LIBER III.

LIBER III.
DECRETALIUM.

Actum est Libro præcedente de Ecclesiasticis Judiciis, eorúmque processu, & actis probatoriis, sententiâ, appellatione &c. sequitur nunc, ut agatur de rebus, seu causis, quæ in iisdem judiciis tractari solent: & hæ vel civiles sunt, vel criminales. Civiles vel concernunt personas Ecclesiasticas, de quibus agitur in hoc libro III. videlicet de Clericis & Religiosis, eorúmque juribus & obligationibus: vel concernunt personas laicas, de quibus agitur in libro IV. ideóque de sponsalibus & matrimonio, quod laici ineunt, eíque annexis: Denique in Libro V. de causis criminalibus, seu criminibus, eorúmque inquisitione, accusatione, & punitione in foro, seu Tribunali Ecclesiastico.

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

DUO sunt genera Christianorum, unum Clericorum, alterum Laicorum. *Can. Duo sunt; 7. caus. 12. q. 1.* Clerici vocantur, vel quia de sorte sunt Domini; vel quia Dominus ipse sors, id est, pars Clericorum est, Κλῆρος enim græcè, sors latinè, vel hæreditas dicitur. *c. 1. dist. 21. c. Clericus; 5. cit. caus. & q.* Clerici ergo dicuntur, qui electi seu deputati sunt ad servitium DEI, seu Ecclesiæ Christi, *cit. c. Clericus*; in quacúnque sint dignitate constituti, etiam Episcopi; quamvis in materia odiosa nomine Clericorum non comprehendantur Episcopi, aliíque Clerici existentes in dignitate, vel Canonici Ecclesiarum Cathedralium, propter eminentiam, quam habent supra alios Clericos inferiores, ut notat Abb. Panormitanus in proœmio hujus libri *n. 4.* Contrà verò etsi populi, seu laicorum, nomine non veniant Clerici; comprehenduntur tamen in materia favorabili, ut si privilegium concessum sit populo, *Abb. in c. 1. n. 1. h. t.* Porrò honestas Clericorum, de qua in hoc titulo agitur, in tribus præcipuè consistit. Primò, in vitæ, morúmque probitate, & honestâ conversatione: Secundò, in honesto ac decente vestitu & habitu: Tertiò, in officiorum & negotiorum statui convenientium exercitio; de quibus ordine agemus. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis, & & Extravagantibus communibus.

§. I.

Qualis vita probitas, & conversatio requiratur in Clericis?

I. Assertio 1. Clerici, præsertim in sacris constituti, continenter & castè vivere debent, prout statutum habetur in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. quod refertur in *c. Ut Clericorum; 13. h. t.* ubi decernitur, omnes Clerici, præ- » sertim in sacris Ordinibus constituti, continenter » & castè vivere studeant, ut ab omni libidinis vitio » abstinentes, maximè illo, propter quod venit ira » DEI in filios diffidentiæ (scilicet crimine contra » naturam, seu sodomiæ, *c. Clerici; 4. de excessibus. Prælat. Gl. hic V. Ira DEI.*) quatenus in conspe- » ctu DEI, puro corde, ac mundo corpore valeant » ministrare. Quòd, si Clerici in incontinentia de- » prehensi fuerint, secundùm Canonicas sanctiones, » juxta delicti gravitatem, puniendi sunt; ne faci- » litas veniæ incentivum tribuat delinquenti: & ut, » quos DEI timor à malo non revocat, temporalis » saltem pœna à peccato cohibeat. Si quis verò, ob » eam causam, ab officio suspensus celebrare præ- » sumpserit, privandus est Ecclesiasticis beneficiis, » ac perpetuò deponendus, quia duplicis culpæ reus » est. Prælati verò (hoc est, locorum Ordinarij, eo- » rúmque Vicarij & Visitatores) qui Clericos con- » cubinarios incontinentes tolerant, & in suis ini- » quitatibus perseverare sinunt: maximè verò, si ob » pecuniam, vel aliud temporale commodum, eos » punire negligant, eisdem pœnis subjacere de- » bent. Illi autem, qui secundùm Regionis, seu » gentis suæ consuetudinem, non abstinent à copu- » la conjugali (ut sunt Græci Sacerdotes, aliíque in » sacris Ordinibus constituti) si in carnis vitium la- » psi fuerint, (adulterium committentes) graviùs » etiam, quàm alij, puniri debent, cùm legitimo ma- » trimonio uti possint. »

II. Notandum 1. Non tantùm Clerici in sacris Ordinibus, sed etiam in minoribus constituti, tenen-

tur servare continentiam, quamvis illi graviùs peccent, maximè Sacerdotes; quia quasi matrimonium spirituale per votum solemne Castitatis ex ordinatione Ecclesiæ annexum sacris Ordinibus contraxerunt, *Abb. hic num.* 2. De pœnis verò Clericorum incontinentium dicetur *tit. seq.*

Notandum II. Prælati graviter delinquunt, si Clericos concubinarios, vel fornicarios tolerant, eósque non puniunt, & pari pœnâ privationis beneficij & depositionis sunt afficiendi; præsertim, si ob pecuniam, vel alia commoda temporalia, id permittant, ut patet ex *hoc c.*

Notandum III. Orientales Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi uti possunt uxoribus, quas ante susceptum Sacerdotium, vel sacrum Ordinem duxerunt, ut notat *Gl. fin. hic*: idque ipsis etiam à Romanis Pontificibus concessum fuit, quamvis, postquam Sacerdotes facti sunt, vel Diaconi, nunquam, nec in Oriente quidem, matrimonium contrahere, vel illicitè contracto uti potuerint, *Laym. lib. 5. Theol. mor. tract. 9. c. 11. Sanch. lib. 7. de matr. c. 28. n. 6.*

III. Porrò non tantùm Clericis non licet cohabitare fœminis, de quo tit. seq. sed etiam illis, uti & cæteris viris, prohibitus est accessus ad Monasteria » Monialium; adeò, ut, si quispiam Clericus Mona- » steria Sanctimonialium frequentare præsumpse- » rit, sine manifesta & rationabili causa, ab Episcopo » arceri, seu prohiberi debeat: & si non destiterit, ab » officio Ecclesiastico suspendendus; si laicus verò » excommunicandus sit; prout statuitur *in c. Monasteria; 8. h. t.* ubi notat *Gl. V. Rationabili*; quòd non sufficit causa rationabilis, nisi etiam sit manifesta, & V. frequentare ait, quòd frequentia inducatur ex duabus vicibus, si bis adeantur monasteria Monialium. Verùm *Sanch. lib. 6. mor. c. 16. n. 100.* & alij apud ipsum, dicunt, id relinquendum esse prudentis viri arbitrio, ita, ut si quis v. g. semel singulis mensibus, vel ter per tres continuos dies accederet Moniales, censeretur illas frequentare, *Sanch. c. l. num. 101.* Extat verò de hac re nova Constitutio Bonifacij VIII. *in c. 1. de statu regular. in 6.* quam innovavit, & auxit Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 5. de regular.* de quo infrà Tit. 35.

IV. Assertio 2. Præterea in eodem Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato *in c. A crapula*; 14. *h. t.* statutum est, ut omnes Clerici à cra- » pula & ebrietate diligenter abstineant, neque ad » bibendum aliquis incitetur, cùm ebrietas & men- » tis inducat exilium ac obscuritatem, & libidinis sit » incentivum. Ille verò abusus maximè abolendus » est, qui in quibusdam partibus invaluit, ut ad po- » tus æquales se mutuò provocent potatores; & ille » judicio talium plus laudetur, qui plures inebriat, » & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem su- » per his culpabilem se exhibuerit, & à Superiore suo » admonitus non se emendaverit, ab officio & bene- » ficio suspendatur. Ubi nota, quòd crapula dicitur quoad excessum ciborum, & ebrietas quoad excessum potûs, *Gl. hic V. A crapula, & Abb. n. 1.* estque hic textus bene notandus, ad reformandum Cleros in Germania. Porrò cùm pœna hæc suspensionis ab officio vel beneficio alternativè seu disjunctivè feratur, arbitrio Judicis seu Superioris relinquitur, an Clericus à crapula & ebrietate, post monitionem, non abstinens, sit suspendendus ab officio, vel à beneficio; quia in pœnis alternativis est electio Judicis, quando ad ipsum verba diriguntur, vel etiam absolutè & impersonaliter proferuntur, *Gl. fin. hic, & Abb. num.* 4.

V. Assertio 3. Clerici ab omni avaritia maximè alieni sint; oportet: Et hinc Innocentius III. in *c. Cùm ab omni*; 10. *h. t.* statuit, ut Judices à Sede » Apostolica delegati, præter expensas victualium, » non accipiant decimam, vel aliam partem litis, » non obstante contrariâ consuetudine Judicum sæ- » cularium: neque cum litigantibus paciscantur » pro salario, receptis pignoribus: nam cùm Cle- » ricis Ecclesiastici reditus sint assignati, ex quibus » honestè se sustentare possint, ideo ab hujusmodi » exactionibus abstinentes, processum judiciarium » litigantibus gratis impertiri seu exhibere debent, » non obstante, quòd aliqui prætendere solent, eas » postulari à Judicibus non pro se, sed pro assessori- » bus Judicum, cùm Judici ne justum quidem judi- » cium vendere liceat, & sententiæ Judicum vena- » les ab ipsis quoque legibus sæcularibus repro- » bentur. »

VI. Pro explicatione hujus c. Notandum I. Judex ordinarius, sive Ecclesiasticus, v. g. Episcopus, Vicarius, seu Officialis ejus, Decanus, vel alius Ecclesiasticam jurisdictionem exercens: sive etiam Judex sæcularis, non potest licitè accipere sportulas: quo nomine intelliguntur omnia munera, sive victualia sint, seu pecuniæ, quæ intuitu cujusvis muneris exequendi, aut sponte offeruntur, aut exiguntur, desumpto nomine à vase, in quo munera antiquitùs deferri consueverunt: quia hujusmodi munera, utroque Jure, Canonico & Civili, Judicibus accipere prohibitum est; ut constat ex *cit. c. Cùm ab omni; h. t.* quod etsi loquatur solùm de Judice delegato à Papa: tamen ratio decisionis æquè locum habet in Judicibus Ordinarijs, cùm etiam ipsi beneficia habeant, & reditus Ecclesiasticos, ut jus dicant, *Abb. hic num. 9.* Idémque quoad Judices sæculares constat ex *l. Solet; 6. ff. de offic. Proconf. & l. Venales; 7. Cod. Quando provoc. non est necess.* ubi sententia lata ob mercedem irrita esse dicitur. Ratio patet ex dictis; quia Judices Ecclesiastici Ordinarij habent beneficia, aliósque reditus Ecclesiasticos, quibus contenti esse possunt, & onera beneficiis annexa sustinere. Similiter & Judices sæculares ex publico salaria & stipendia sibi assignata habent, ob quæ ex justitia obligati sunt, ad justitiam, partibus, officium eorum implorantibus, ministrandam, ideóque non debent opera justitiæ venalia facere. Porrò hoc est discrimen inter Judicem sæcularem & Ecclesiasticum, quòd ille, si in causis civilibus pro sententia ferenda accipiat munus, tamquam pretium & mercedem, peccet contra justitiam, & ad restituendum obligetur: Judex verò Ecclesiasticus, insuper etiam crimen simoniæ committat, si pro sententia ferenda in causa Ecclesiastica seu spirituali, pecuniam vel aliam rem temporalem, ut pretium accipiat, ut tradit *Gl. in c. Vendentes*; 10. *V. Justitiam; caus.* 1. *q.* 3. *& Abb. hic n.* 7.

VII. Notandum II. Sed neque Judex delegatus à Papa potest pro labore judicandi munus aut salarium accipere à partibus litigantibus, præter esculenta & poculenta, dummodo ea sint modica, quæ

paucis

paucis diebus absumi possint, & liberaliter offerantur, *c. Statutum*; 11. §. *Insuper*; *de Rescript. in 6.* ubi tamen excipitur, nisi necessitate compellente, talis Judex delegatus, extra domicilium suum, ad causam cognoscendam proficisci debeat: tunc enim expensas itineris integras, moderatas tamen à partibus æqualiter (cùm commune earum negotium geratur) exigere potest, nisi notabiliter pauperes sint, quorum causa cognoscenda est. Ratio est, quia beneficia vel stipendia hujusmodi Judicibus delegatis non conferuntur cum hoc onere, ut jus dicant litigantibus, cùm ea beneficia non habeant jurisdictionem ordinariam annexam, ideóque non coguntur tales Clerici proficisci extra domicilium, proprijs eorum sumptibus, nec deducere expensas, quas domi fecissent, cùm indistinctè jure ipsis concessum sit, expensas itineris exigere, & nemo cogatur suis stipendijs militare, *c. Cùm ex officij*; 16. *de præscript. Gl. in cit. §. Insuper*; *V. Moderatas*; *& Gl. in cit. c. Cum ab omni*; *V. Præter expensas*; *h. t. & Abb. ibid. n.* 13. Imò, si hujusmodi Delegati congruam sustentationem non habeant aliunde, ex beneficio, aut reditibus Ecclesiasticis, etiam à partibus salarium accipere possunt, pro suo munere exequendo; quia jura suprà dicta loquuntur de Judicibus delegatis, qui beneficium Ecclesiasticum habent, *Abb. c. l. n.* 11. *h. t. Molin. tr.* 2. *de justit. disp.* 84. *n.* 12. At verò Ordinarij Ecclesiastici nec esculenta & poculenta possunt accipere à partibus litigantibus, imò neque expensas itineris; quia plerúmque habent beneficia aut stipendia sufficientia, ratione quorum obligantur ad judiciarias lites per se, vel per delegatos definiendas. Excipiuntur duo casus, in quibus potest Judex ordinarius, v. g. Episcopus esculenta & poculenta, vel expensas accipere: si nimirum egrediatur domicilium, ad visitandam vel consecrandam Ecclesiam, *c. Cùm Apostolicas*; 6. *c. Sopitæ*; 14. *c. Cum nuper*; 25. *de censib. c. Cùm sit*; 10. *de Simon. Gl. in cit. c. V. eod. & Abb. ibid. n.* 12. *Mol. cit. dis.* 84. *n.* 7. *& dis. seq. n.* 1 *& 2.* Porrò Jure novo in Auth. *Ut Judices sine quoquo suffragio &c. §. Scriptum exemplar*; *coll.* 2. *statutum est*; ut xenia, hoc est, esculenta & poculenta à Judicibus ordinarijs nonnisi sponte oblata, & in modica quantitate accipi possint, si ex publico salarium non habeant. *Mol. cit. dis.* 84. *n.* 1.

VIII. An autem etiam Judex delegatus, non à Papa vel Principe, sed ab inferiore Judice ordinario, v. g. Episcopo, possit accipere à partibus victualia ejusmodi vel expensas, dubitatur? Affirmat *Gl. in cit. c. Statutum*; *§. Insuper. V. Moderatas*; *de rescript. in 6. Abb. in cit. c. Ab omni*; *n.* 13. *h. t.* si non ad universitatem causarum, qui æquiparatur Ordinario, sed ad specialem causam delegatus sit. Verùm negativa sententia, spectato Jure communi, videtur verior, quam tenet *Gl. in c. iam cit. V. Præter expensas*; *& Mol. cit. dis.* 84. nempe non posse, sed ea ab Ordinario delegante præstanda sunt, quippe ad quem ratione officij sui pertinet causas expedire: ideo enim reditus beneficij accipit, ut onus hoc subeat, & cætera muneris sui exequatur. Idque confirmatur; quia in *cit. c. Statutum*; *§. Assessorem*; decernitur, si Delegatus Papæ indigeat assessore ad causam exequendam, & definiendam, is assumi possit, ita ut partes æqualiter ei salarium competens, ac moderatum solvere debeant: & tamen, si Judex ordinarius assessorem assumat, salarium non à partibus, sed ab ipso Ordinario, qui ejus auxilio utitur, ei solvendum sit, ut docet *Abb. c. l. n.* 14. *Mol. c. l. n.* 9. & alij communiter: ergo similiter, si alicui causam deleget, non à partibus, sed ab ipso Ordinario delegante, victualia & expensæ solvenda erunt.

IX. Notandum III. Potest per consuetudinem introduci, ut Judices sæculares, eorúmque assessores à partibus pro labore suo aliquid certum loco salarij exigere, & accipere possint; ut tradit *Abb. in cit. c. Cùm ab omni*; *n.* 4. *h. t.* dummodo id, quod exigitur, & solvitur, sit moderatum: nam, si immoderatum quid exigatur, vel irrationabiliter, ita, ut præbeatur occasio pervertendi justitiam, vel exactio cedat in detrimentum Reipubl: tunc nullâ consuetudine id induci potest: v. g. ut victor causæ notabilem partem rei in Iudicium deductæ Judicibus relinquat, vel, si permittatur, ut Judices sine ullo discrimine munera pro labore judicandi accipere possint. Contrà verò nullâ consuetudine induci posse videtur, ut Judices Ecclesiastici, qui beneficia & alia stipendia sufficientia ad sustentationem habent, munera, aut salaria à partibus exigant. *Arg. cit. c. Cùm ab omni*; ibi: *more sæcularium super decimâ litis, vel parte alia pro diversâ terrarum consuetudine &c.* quæ ibidem reprobatur, *Abb. ibid. n.* 4. *& n.* 10. *Molin. c. l. num.* 8. Idque tum propter periculum perversionis Iustitiæ, imò & simoniæ, si causa sit spiritualis; tum propter speciem mali; Ecclesiastici verò magis, quàm alij, ab omni specie & periculo mali abstinere debent, qui cæteris exemplo esse debent. Neque dicas, pecuniam pro labore judicando non accipi, ut pretium, sed ut stipendium vitæ, quamvis Judex sufficiens salarium habeat pro munere judicandi: quo modo etiam per consuetudinem legitimè præscriptam introduci potest, ut fideles aliquid solvere debeant Parocho, licèt alioquî sufficientes proventus ad sustentationem habeat, pro administratione Baptismi, & aliorum Sacramentorum, vel pro funere, ad quam ex officio tenetur, ut docet *Laym. lib.* 4. *Theol. mor. tract.* 10. *c. ult. n.* 16. Nam disparitas est; quia oblationes prædictæ continent causam pietatis; ideóque facilius per consuetudinem firmari possunt, quàm eæ præstationes, quæ fiunt pro munere judicandi: hæ enim non pietatem, sed potiùs turpitudinem continent, seu præseferunt ex parte exigentium, aut accipientium. Si tamen in aliqua Diœcesi reditus Ecclesiastici assignati non sufficerent pro sustentatione Judicum; tum posset induci talis consuetudo; quia tunc manifestè constaret, quòd munera seu xenia moderata à pattibus exigantur, non ut pretium, sed ut stipendium ad vitam sustentandam. Quod autem dictum est, procedit solùm de Judicibus Ecclesiasticis ordinarijs, non item de Judicibus delegatis à Papa: nam cùm hi salarium vel stipendium non accipiant ob causas speciales, ad quas delegantur; ideo facilius per consuetudinem induci potest, ut à partibus salarium vel stipendium exigant, & accipiant pro munere judicandi, ut notat *Molin. cit. dis.* 84. *n.* 14.

X. Assertio 4. Quod ad conversationem communem & externam Clericorum attinet, olim etiam sæculares Clerici in Collegiis simul sub Præposito & Decanis degebant, & in communi vivebant, ita, ut omnes in uno dormitorio dormirent, & in uno reficerentur refectorio, & quicquid ab Ecclesiis eis com-

petebat, communiter possiderent, ut constat ex *c. Præter hoc* 3 6. *dist.* 32. *c. Necessaria* 3 3. *caus.* 12. *q.* 1. *c. In omnibus* 3 34. *dist.* 5. *de consecr.* Unde, quia omnibus certa vivendi regula præscripta, & constituta fuit, Canonici, id est, Regulares dicti sunt.

XI. Verùmtamen ab hac vivendi ratione posteà Clerici sæculares passim deflexerunt, sciente & tolerante Pontifice, *Gl. in c. Quoniam* 3 9. *V. In una domo* 3 *h. t.* quamvis Episcopi, ex justa causa, Clericos suos in ordinem redigere, & ad pristinam vivendi rationem in communi reducere possint; ut colligitur ex *cit. c. Quoniam* 3 *h. t.* Ubi Gregorius VII. vel, ut in plerisque exemplaribus legitur, Gregorius VIII. decre- » vit: quòd Episcopi Ecclesiarum facultatibus, pro- » ventibus & expensis diligenter perspectis, in ijs » certum numerum Clericorum statuere possint, qui » bona in communi possideant, & in una domo ver- » sentur, ac degant, & sub uno tecto dormiant. » Quòd, si contradictores fuerint, liceat ipsis Epi- » scopis eos per suspensionem, ab officio & benefi- » cio; vel, si opus fuerit, per graviorem etiam pœ- » nam, ad observantiam compellere, non obstante » appellatione: concedit insuper eisdem Episcopis; » ut, si quisquam eorum, qui in communi vivunt, » ob manûs injectionem in sociumClericum excom- » municationem Canonis incurrerit, talem absolve- » re, & impositâ ei pœnitentiâ reconciliare possint, » nisi atrocitas facti graviorem pœnam exposcat: nam si percussio atrox sit, ejus absolutio Papæ est re- servata, *juxta c. Cum illorum* 3 32. *de sentent. excomm.* loquitur autem hoc c. de Clericis sæcularibus, non, quòd hi obligentur de jure ad vivendum in communi; sed quia datur Episcopo facultas Ecclesiam erigendi in Collegiatam, ita ut Clerici in communi vivant, *Abb. hîc n.* 6. in qua numerus Canonicorum in- stitui debet major vel minor, secundùm facultates & reditus Ecclesiæ, & habitâ etiam ratione expensa- rum, ut habetur *in hoc c.* & ibi *Gl. mag. in notatis.*

XII. Prædictis addendum primò, ut Clerici majorem honestatem servent in Choro, statutum est *in c. Ut laici* 3 1. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Moguntino, vel potiùs ex Concilio Turonensi 11. » c. 4. Ut laici, dum sacra mysteria Missæ celebran- » tur, prope Altare stare, vel sedere inter Clericos » non præsumant: sed ea pars Templi, quæ ab Altari » cancellis dividitur (Chorus scilicet) Clericis psal- » lentibus tantùm patere debet. Verùm ad oran- » dum, & communicandum, etiam laicis, ipsisque » fœminis licet intrare in locum, qui dicitur Sancta » Sanctorum. Quod, ut meliùs intelligatur, scien- dum est, tria loca, juxta antiquam consuetudinem, in Templo distingui: primus est propinquus Altari, in quo stant, vel sedent Sacerdotes, & qui Missæ sa- crificio inserviunt; & de hoc est sermo in prima parte hujus cap. Secundus locus est Chorus, qui plerumque cancellis includitur, de quo sermo est in secunda par- te hujus c. & *in c. Sacerdotum* 3 30. *dist.* 2. *de consecr.* ubi dicitur, quòd nulli laicorum liceat in eo loco, ubi sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt, quando Mis- sa celebratur (vel alia officia Divina) consistere, ut liberè ac honorificè possint sacra officia exercere. Ex quo infertur, quòd extra tempus, quo celebrantur officia Divina, laici non prohibentur ingredi Cho- rum, orandi causâ: imò etiam sub Missæ sacrificio, communicandi causâ, vel offerendi ad altare. Sed & per consuetudinem induci potest, ut laici etiam tem- pore, quo celebrantur sacra officia, sint in Choro; ut tradit *Innoc. hîc*, modò Clericos psallentes confabu- lando non impediant. Tertius denique locus est, ex- tra chorum, qui navis, seu corpus Ecclesiæ appellatur, & in hoc laici considere debent, dum sacra ministeria celebrantur.

XIII. Addendum secundò, quilibet Presby- ter habens populum seu Parochus, socium habere » debet Clericum, qui cum ipso cantet, & epistolam » vel lectionem legat, & qui scholas habere, & do- » ctrinam Christianam, seu fidei fundamenta juven- » tuti & rudi populo (videlicet Orationem Domini- » cam, Symbolum Apostolorum, præcepta DEI & » Ecclesiæ) tradere possit; prout statuitur *in c. Ut quis-* » *que* 3 3. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Mati- censi. Hinc infertur, quòd Ecclesia parochialis eos fundationis reditus habere deberet, ut ex ijs, præter Parochum seu Rectorem, alius Clericus seu Coope- rator ali possit, cùm solus Sacerdos congruè ac de- center, sine Ministro, Divina officia celebrare non possit, *c. Proposuit* 3 6. *junct. Gl. V. Solvit de filiis pres- byt. Gl. in hoc c. V. Clericum* 3 & summitur *ex c.* 1. *caus.* 1. *q.* 1. & *c.* 9. *junct. Gl. V. Custodem* 3 *dist.* 1. *de consecrat.* quamvis hoc pluribus locis consuetudine non obser- vetur. Similiter licèt, qui Evangelium, Epistolam, aut lectiones sub Missæ sacrificio solemniter in pulpito cantant, sacris vestibus induti, debeant esse Clerici ad hoc ordinati, *c. Non liceat* 3 3. *dist.* 29. alioquin ir- regularitatem contrahunt, *c.* 1. & 2. *de Cleric. non or- din. minist.* Consuetudo tamen multis in locis jam ob- rinuit, ut etiam laici officium cantandi, & ad altare ministrandi, sine vestibus sacris & propriis ordinato- rum, obeant, quod in necessitate licitè fieri potest, *Abb. hîc n.* 3. Verùmtamen mos ille, ut Sacerdotes sine ministro respondente, Missas dicant, sicut fieri interdum solet in pagis in Germania nostra, difficul- ter excusari potest; quia ex antiquissima traditione requiritur Minister aliquis, qui loco ac vice populi respondeat, & *in c. Proposuit* 3 6. *de fil. presbyt.* in fine dicitur, quòd non potest solus Presbyter Missarum solemnia, & alia Divina officia sine Ministro celebra- re, nihilominùs tamen urgente gravi necessitate, Sa- cerdos etiam sine tali Ministro sacrificare potest. *Azor. p.* 1. *Institut. lib.* 10. *c.* 29. *q.* 3. & alij commu- niter.

XIV. Addendum tertiò, ad honestatem Cle- ricalem etiam pertinet, quod statutum habetur in *Ex- travag. docta unic. Inter communes* 3 *h. t.* ubi prohi- » buit Joan. XXII. ut nullus musicas lascivas in of- » ficijs Divinis, præsertim Horis Canonicis, vel Mis- » sis solemnibus cantare præsumat, sub pœna sus- » pensionis ab officio per octo dies. Per hoc tamen » non intenditur prohibere, quin interdum ultra » cantum Ecclesiasticum, aliquas consonantias, quæ » melodiam faciant, canere liceat. »

§. II.

De habitu & vestitu Clericorum.

XV. Assertio 1. Clerici in sacris Ordinibus constituti, & Beneficiarij, etiamsi minoribus Ordi- nibus tantùm sint initiati, debent vestem Ordini Cle- ricali congruentem deferre, *c. Clerici* 3 15. *h. t. Cle-*

ment. 2.

ment. 2. eod. & Concilium Trident. sess. 14. c. 6. de reform. ubi rationem reddit, ut per decentiam habitûs extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant. Quare in Concilio Generali Lateranensi sub » Innocentio III. relato in *cit. c. Clerici*; 15. *h. t.* præ- » cipitur, ut Clerici Coronam & Tonsuram congruen- » tem (majorem vel minorem, secundùm Ordinem » suum, *Hostiens. hic V. Congruentem*) in capite ge- » rant, & se in officiis Ecclesiasticis, aliisque bonis » studiis diligenter exerceant: clausa desuper vesti- » menta ferant, non nimis brevia, nec nimis longa: » pannis rubris, aut viridibus, manicis item & soccis » consutitiis, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus » deauratis non utantur: cappas manicatas intra Ec- » clesiam non gerant, sed nec alibi, qui Sacerdotes » sunt, aut personatum habent, nisi ob justam cau- » sam timoris necesse sit, habitum transformare. Fi- » bulas etiam non ferant, auro vel argento onustas: » sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio di- » gnitatis. Episcopi autem in publico & in Ecclesia » omnes superindumentis lineis utantur, nisi Mo- » nachi fuerint, quos Monachalem habitum ferre » oportet: palliis verò diffibulatis non utantur in » publico, sed vel ante pectus, aut collum, vel post » collum connexis.

XVI. Præterea in Clement. *Quoniam*; 2. *h. t.* » statutum habetur; ut quicunque Clericus Benefi- » ciatus, sine rationabili causa (videlicet timoris, ut » si transiturus sit per loca Infidelium vel Hæreticorum, » *Gl. hic V. Rationabilis.*) utitur publicè veste virgatâ » vel partitâ (hoc est, habente diversos colores in- » textos, vel artificiosè superinductos ipsi panno, *Gl.* » *hic V. Partita*; *& Barb. in Collect. n. 2.*) per sex men- » ses (inchoandos post talem publicam gestationem, » *Gl. hic V. Sex menses*) eò ipsò, sive ipso jure sit suspen- » sus à perceptione fructuum beneficiorum (omni- » um, *Gl. hic V. Beneficiorum*) si verò non est benefi- » ciatus, sed Diaconus vel Subdiaco[illegible]s, redditur eo » ipso inhabilis ad Ecclesiasticum [illegible]eficium obti- » nendum. Idémque est de aliis Clericis (qui nec be- » neficiati sunt, nec in sacris) talem vestem simul & » tonsuram Clericalem publicè deferentibus. (si er- » go portarent talem vestem sine tonsura, non incur- » rerent hanc pœnam, *Gl. hic V. Et tonsuram.*) Qui » verò dignitatem, personatum, vel aliud beneficium » curatum obtinent, nec non alij Sacerdotes, & Reli- » giosi quilibet, si publicè ferant talem vestem (secus » ergo, si solùm in domo. *Gl. hic V. Publicè in addit.*) » aut Infulam seu pileum lineum in capite: sint eò » ipsò, beneficiati quidem suspensi à fructibus bene- » ficiorum, quos obtinent, per annum: cæteri verò » Sacerdotes & Religiosi per idem tempus inhabiles » sint ad quodcunque beneficium Ecclesiasticum ob- » tinendum (sub quo nomine comprehenduntur » etiam præstimonia, & pensiones perpetuæ, quæ » dantur in titulum, *Gl. hic V. Quodcunque beneficium.*) » Sed & tales, & cæteri utentes talardo foderato us- » que ad oram, ita brevi, ut vestis interior notabiliter » videatur, dare tenentur talardum pauperibus intra » mensem, si sint Clerici sæculares, vel Religiosi ha- » bentes administrationem: Cæteri verò Religiosi » non habentes administrationem, intra idem tem- » pus, tenentur illud consignare suis Superioribus, » in usus pios convertendum: alioquin Beneficiati » suspensionis; cæteri verò prædictas inhabilitatis » pœnas per idem tempus (annale, vel etiam seme- » stre, secundùm diversas qualitates Clericorum, » *Gl. hic V. Per idem tempus*) incurrunt. Denique » Clerici, præsertim beneficiati, publicè uti non de- » bent caligis rubris & viridibus. Porrò hæc Con- » stitutio Clementis V. in Concilio Viennensi innova- ta, & ampliata est in Concilio Tridentino *cit. sess. 14. c. 6.* remotâ etiam appellatione.

XVII. Pro explicatione utriûsque hujus Capituli notandum I. licèt certæ formæ & colores vestium Clericis sint prohibitæ, veluti rubeus, & viridis, *cit. c. pen. & Clement. 2. h. t.* exceptis S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, quibus ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi anno 1240. concessus fuit rubri galeri, & purpuræ usus, ut ex Platina refert Piasecius in praxi Episcop. *p. 2. c. 3. art. 2. n. 29.* de cætero tamen nullus in specie certus & proprius habitus Clericis est præscriptus, ut tradit *Gl. in Clem. 1. de elect. V. Sæcularis*; *& Abb. ibid. num. ult.* nam etsi *in cit. c. pen. h. t. & Clement. 2. eod.* interdicitur Clericis, ne utantur certis quibusdam vestibus, tanquam indecentibus; non tamen præscribitur, quibus uti debeant, *Sanch. lib. 7. matrim. Moral. dis. 46. n. 6.* Porrò honestas vestium Clericalium ponderanda est ex usu, & communi consuetudine cujusque Regionis, *c. Si quis virorum*; 15. *dist. 30. junct. Gl. V. Veste*; *& Gl. in cit. c. pen. V. Deauratis*; nimirum, ut non sint communes cum illis, quibus laici & militares in illa Regione utuntur, sed ut per illas Clerici à laicis à quocunque discernantur, & cognoscantur, *Piasec. c. l. & Sanch. c. l.*

Notandum II. Clerici in sacris constituti, & Beneficiati ab Ordinarijs per censuras Ecclesiasticas compelli debent, ut Tonsuram, & vestem Ordini Clericali congruentem portent: non autem laicalem, & profanam, ut patet ex juribus citatis.

XVIII. Notandum III. Clerici annulos aureos gestare non debent, nisi sint Episcopi, vel in Ecclesiastici officij dignitate constituti, *cit. c. pen. h. t.* Et licèt plerique extendant hoc etiam ad Doctores Clericos, quòd & ipsis concessum sit annulum ferre, eò, quòd hoc unum sit ex Insignibus, quibus inaugurantur Doctores, cùm creantur; idque etiam probari posse videtur *ex Clement. 2. de Magist.* ubi Doctoratus vel Magisterium honor; adeóque dignitas dicitur. Contrarium tamen colligitur *ex cit. c. pen h. t.* ubi prohibetur, ne annuli aurei à Clericis ferantur, nisi eis ex officio dignitatis competat: Doctoratus verò, honor est in Ecclesia, non autem dignitas, nisi latè & impropriè, quo sensu dignitas vocatur *in c. Quanto*; 3. *de Magistr.* propriè autem loquendo, dignitas Ecclesiastica habet adjunctam aliquam superioritatem, aut jurisdictionem, vel saltem officium, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum, qualem non habet Doctor, ut notat *Abb. in cit. c. pen. n. 7. h. t.* Neque refert, quòd annulus sit symbolum inaugurationis Doctoralis: nam etiam cingulum aureum confertur Doctoribus, tanquam symbolum seu Insigne in auguratione sua, quod tamen in publico gestare non possunt Doctores Clerici, ex recepta Ecclesiæ consuetudine. Excipiendi tamen videntur Clerici, qui sunt Professores scientiarum in Academijs, quibus jurisdictio vel superioritas aliqua in Studiosos competit.

XIX. Notandum IV. Præter pœnas *in cit. Clem. 2. h. t.* ſtatuit Concil. Trid. *cit. ſeſſ. 14. c. 6. de reform.* ut omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcúnque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatûs, officia, vel qualiacúnque beneficia Eccleſiaſtica obtinuèrint, ſi poſtquam per Epiſcopum ſuum, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum Ordini & dignitati congruentem, & juxta Epiſcopi ordinationem & mandatum, non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, atque fructibus & reditibus beneficiorum: nec non, ſi ſemel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujuſmodi coërceri poſſint, ac debeant. Hæ autem pœnæ, ſicut & aliæ, quæ in alijs Conſtitutionibus SS. Pontificum ſunt latę in non deferentes habitum Clericalem, & Tonſuram, non habent locum Primò, in Clerico, qui unâ vice tantùm habitũ honeſtum ac decentem non defert: non enim ideo privatur beneficio, & privilegio fori Eccleſiaſtici, ſed requiritur, ut perſeveranter non ferat, ita ut publicè ac communiter exiſtimetur laicus, *Farin. in praxi crim. lib. 1. tit. de inquiſit. q. 8. n. 68. Piaſec. c. l. n. 30.* Secundò, non habent locum in eo, qui ratione paupertatis, habitũ ſuo Ordini congruentem geſtare non poteſt. Tertiò, nec in eo, qui non poteſt propter infirmitatẽ Tonſurâ deferre. Quartò, neq; in eo, qui ob probabile periculum, habitũ Clericalem dimittit, vel quia ſpoliatus eſt ab hoſtibus, non defert. Quintò, qui domi ſuæ, & in occulto non geſtat, *Ugolin. de Offic. Epiſc. c. 12. n. 3. Barb. lib. 1. Jur. Eccleſ. c. 40. n. 32. & ſeqq.* Quòd, licèt veſtes Clericorum debeant eſſe talares, ut pertingant uſque ad talos; in itinere tamen licitum eſt, portare veſtes breviores: imò verò aliàs etiam ſufficit, quòd pallium pertingat uſque ad talos; toga verò tegat genua, *Barb. c. l. n. 30 & 37.*

XX. Porrò quod ſuprà dictum eſt, Clericos debere Tonſuram Clericalem deferre, id extenditur etiam ad Clericos conjugatos, ut patet *ex c. Clericus; 6. h. t.* quod eſt deſumptum ex Concilio Triburienſi, » ubi ſtatuitur: ſi Clericus non in gradu ſeu Ordine » ſacro conſtitutus, nec Religionem profeſſus, di- » miſsâ Tonſurâ uxorem duxerit, eam retinere po- » teſt, imò & debet: iterum tamen tonderi debet, ſi Canonis & fori Clericalis privilegio gaudere velit, *Abb. hîc n. 4.* modò non ſit bigamus, ſed Virginem duxerit, & Eccleſiæ alicui ſerviat, juxta Concil. Trid. *ſeſs. 23. c. 6. de reform.* de quo infrà *tit. 3.* Ex quo infert *Gl. fin. hîc*, quòd Clericus conjugatus debet portare coronam.

» XXI. Aſſertio 2. Clericus neque comam » nutrire debet, neque barbam; prout ſtatutum eſt in Concilio Carthaginenſi IV. *Can. 44. Relato; in c. Si Clericus; 5. h. t.* Nam olim in Occidente Clerici tonſi eſſe debebant, & quidem toto capite ſuperiùs, reſictâ inferiùs ſolùm circulari coronâ, ut Monachi; prout conſtat ex Concilio Toletano 4. *Can. 40.* Quamvis hoc tempore alia ſit conſuetudo, ut notat *Laym. lib. 5. Theol. mor. tract. 9. c. 12. n. 1. & 2.* Ita, ut ad aures uſque, coma ſive capilli licitè ac decenter ferantur. Similiter conſuetudine in multis locis receptum eſt, ut Clerici barbam non radant, ſed nutriant. *Navarr. in manuali confeſs. c. 25. n. 110. Barb. in* » *cit. c. Si Clericus; num. 5.* Poſſunt autem Clerici, qui comam nutriunt & barbam, etiam inviti à ſuis » Archidiaconis tonderi (vel ab alio ex eius mandato.) prout reſcripſit Alexander III. *in c. Clericus; 7. h. t.* Et habetur etiam *in c. Clerici; 22. diſ. 23.* Quin » imò ſi quis ex Clericis comam nutriat, anathema » ſit; prout reſcripſit Gregorius IX. *in c. Si quis 4. h. t.* & conſentit *c. Si quis 23. diſ. 23.* ubi per anathema intelligitur, quòd excommunicandus ſit per ſententiam Judicis, ut notat *Gl. fin. ibid.* Si ſcilicet Clericus admonitus, ut tonſuram ferat, non pareat, *Gl. ibid. in caſu:* Niſi tamen ex juſta causa comam nutriat, *Gl. ibid. V. Relaxaverit.*

Et hinc infert *Abb. in cit. c. Si quis; n. 1.* Quod Clericus in ſacris conſtitutus, vel beneficiatus, ſi Tonſuram vel habitum clericalem non ferat, peccat mortaliter, cùm ſit excommunicandus; excommunicatio autem non incurritur, niſi propter peccatum mortale.

Sed verius eſt, ſeclusâ contumaciâ & contemptu, non eſſe peccatum mortale, niſi ſpectatis circumſtantijs perſonæ, loci, temporis diuturnitate &c. neglectus tonſuræ & habitûs Clericalis notabiliter repugnet honeſtati, & bono exemplo Clericorum, ob quod talis habitus lege Eccleſiaſticâ eſt præceptus, *Laym. c. l. n. 3.*

XXII. Aſſerrio 3. Clerici arma portare non debent, ut conſtat *ex c. Clerici; 2. h. t.* ubi dicitur, Clerici arma portantes, vel uſurarij excommuni- » centur, quod eſt deſumptum ex Concilio Picta- » vienſi: Nam cùm Clericis non ſit permiſſum pugnare, nec arma ferre debent. Eſt autem hæc excommunicatio ſententiæ non latæ, ipſo facto, ſed ferendæ per Judicem, ſi Clerici admoniti non deponant arma, adeóque contumacia acceſſerit, *Abb. hîc n. 8.* Verùm ſi Religioſi, intra ſepta Monaſterij, arma teneant, abſque Prælati ſui licentiâ, ipſo facto ſunt excommunicati; *Clement. 1. §. Quia verò; de ſtatu Monachorum.* Ex juſta tamen causa permiſſum eſt Clericis portare arma, ut ſi per loca periculoſa ſint tranſituri, ad reſiſtendum latronibus, *Gl. hîc V. Clerici arma.* Imò ex recepta jam conſuetudine, Clerici, maximè ſæculares, dum iter faciunt, arma defenſoria deferre poſſunt.

XXIII. Porrò ſuprà dictis de habitu Clericorum addendum, ſi propter diverſos Religioſorum habitus, ſcandalum in aliquo populo generetur, poſſunt Religioſi illi in uno habitu exteriori ſe conformare, ut ſcandalum illud evitetur, prout ſumitur *ex c. DEUS; 11. junct. Gl, in caſu h. t.* Nam, cùm Sino- » nienſes de novo converſi fuiſſent ad fidem, eis da- » tus fuit Epiſcopus, & ad eos miſſi ſunt Monachi, » & Canonici Regulares, ad prædicandum illis E- » vangelium Chriſti; ſed quia ex diſſimili eorum vi- » vendi ratione, & diverſo habitu in populo ſcanda- » lum, & murmurationes ſuſcitabantur, ideo man- » dat Innocentius III. Epiſcopo, ut non obſtante » Ordinis diverſitate, hi Monachi, & Canonici Re- » gulares, vel etiam alij diverſam vitam Regula- » rem profeſſi, unum, eundémque vivendi modum » teneant, & honeſtum habitum Evangelij Prædi- » catoribus convenientem gerant, ne Neophyti » propter obſervationum, & habitûs diverſitatem » ſcandalum accipiant. Hinc colligitur, quòd ex » juſta causa ad fructum animarum majorem refe- » rendum, & ſcandalum vitandum, poſſunt Reli- »

gioſi

gioſi habitum ſuæ Religionis exuere, & deponere, & alium honeſtum, & regulari vitæ congruentem aſſumere, ut tradit *Gl. in c. In nova*; 22. *cauſ.* 16. *q.* 7. Nam habitus non pertinet ad ſubſtantiã ordinis, nec Monachum aut Religioſum facit, multò magis autem poſſunt Religioſi habitum proprium ſui Ordinis occultare, alijs veſtibus ſuperindutis, *Gl. hic V.* profeſſi; quia minùs quid eſt, habitum occultare, quàm omnino mutare ac deponere.

§. III.

De negotiis & exercitiis, quæ Clericis ſunt prohibita.

» XXIV. Aſſertio 1. Clerici officia, & com-
» mercia, ac negotia ſæcularia, maximè inhoneſta,
exercere non debent; prout ſtatuitur *in c. Clerici* 15.
in princ. h. t. juxta illud Apoſtoli 2. *ad Timoth.* 2. nemo
» militans DEO implicat ſe negotijs ſæcularibus. In
» ſpecie verò prohibetur in *cit. c.* ne Clerici mimis,
» joculatoribus & hiſtrionibus intendant, & taber-
» nas omnino evitent, præterquam ob neceſſitatem
» in itinere conſtituti: neque ad aleas & taxillos lu-
» dant, imò neque hujuſmodi ludis interſint.

XXV. Ubi notandum, ludus alearum (quo nomine omnis ille intelligi debet, qui magis fortunâ, quàm arte & induſtriâ ludentium regitur.) prohibitus eſt Clericis, non ſolùm in Concilio Lateranenſi relato in *c. pen. h. t.* ſed etiam in Canonibus Apoſtolorum, *Can.* 41. qui refertur *in c.* 1. *diſ.* 35. ubi decernitur: Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, vel ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut deponatur: qui Canones renovati ſunt, etiam quoad pœnas in Concilio Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. *de reform.* Quare Dd. ex Canonicis illis gravibus pœnis depoſitionis, aut privationis colligunt eſſe peccatum mortale, ſi Clericus in magna quantitate ludat aleis vel chartis. Verùm id intelligendum eſt, ſi frequenter, aut publicè, cum ſcandalo populi, ludant: ſecus, ſi privatim, ac ſine ſcandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam reditibus beneficiorum ſuorum, ſed in quantitate modica, ſpectato ſtatu ſuo, & redituum copiâ, recreationis causâ, ludant: præſertim, cùm hoc tempore rigori antiquotum Canonum per deſuetudinem derogatum videatur, *Leſſ. lib.* 2. *de juſtit. c.* 26. *dub.* 1. *n.* 5. *&* 6. *Laym. lib.* 3. *Theol. Mor. tract.* 4. *c.* 21. *n.* 1. *&* 2. ubi addit, Clericos ludentes rarò & moderatè ob recreationem, omnino excuſari à peccato, ſi lex Diœceſana ipſis non prohibeat tales fortunæ ludos, & conſuetudo loci permittat, ac quodammodò honeſtet. Notat etiam *Abb. in cit. c. penult. n.* 4. *h. t.* ludum ſchaccorum, ſeu latrunculorum non eſſe prohibitum Clericis, ſicut neque omnis ille, qui conſiſtit in ingenio, aut virtute corporis, *Barboſ. in Collect. ibid. num.* 7.

XXVI. Præterea prohibentur etiam in Templis fieri, & exhiberi ludi theatrales & ſcenici, ſi inhoneſti, ſcurriles, aut profani ſint; prout deciditur *in c. Ut decorem*; 12. *h. t.* nam cùm intellexiſſet Inno-
» centius III. quòd interdum in Eccleſiis ludi thea-
» trales fiant, in quibus producuntur monſtra larva-
» rum, ſive perſonæ larvatæ: imò in quibuſdam fe-
» ſtivitatibus etiam Presbyteri, Diaconi, & Subdia-
coni hujuſmodi ludibria exercere præſumunt; »
ideo Papa mandat, ut talis conſuetudo, quæ potiùs »
corruptela eſt, & turpitudo cenſenda, per quam in- »
quinatur Eccleſiæ honeſtas & decor, extirpetur, »
Gl. fin. hic.

Notandum primò. Lege Cæſareâ quoque in *Authent. de ſanctiſſ. Epiſc. c. ult. collat.* 9. prohibitum eſt, ne quis in ſchemate ſeu habitu Monachi aut Monialis, vel alterius Eccleſiaſticæ perſonæ, theatralia exerceat ludibrij causâ: qui contrà facient, corporalia ſupplicia ſuſtinebunt, & exilio tradentur, *Gl. hic V. Monſtra larvarum.* Sed neque Sacerdotes, & alij Clerici hujuſmodi ſpectaculis ludicris, & ſæpe obſcœnis, quæ in nuptijs & ſcenis exhibentur, intereſſe debent; *c. Non oportet*, 37. *diſ.* 5. *de conſecr. c. Presbyteri*; 19. *diſ.* 37.

Notandum ſecundò. Non tamen prohibentur in Templis fieri & exhiberi ludi honeſti, ſive comœdiæ aut tragœdiæ, & ſpectacula pia, quæ ad devotionem excitant, veluti præſepe vel ſepulchrum Domini, *Gl. hic V. Monſtra, & Abb. n.* 2.

XXVII. Aſſertio 2. Si Clerici, prætermiſſis »
Eccleſiaſticis officiis, ſæcularia negotia exerceant, »
& tertiò ab Epiſcopo vel Prælato ſuo moniti, ab »
ijs non abſtinuerint, amittunt privilegium Cleri- »
cale, quod ipſo facto cenſentur abjeciſſe, ita, ut dum »
hujuſmodi ſæcularibus negotiationibus ſe immiſ- »
cent, ſecundùm ſtatuta & conſuetudines patriæ, »
ſeu Regionis, in qua degunt, quoad facultates ſuas, »
perinde ac laici, juriſdictioni ſeu Magiſtratui ſub- »
jaceant ſæculari, nec defendi debent ab Eccleſia; »
prout ſtatuitur *in c. Ex literis*; 16. *& ult. h. t.*

XXVIII. Notandum primò. Si Clerici ſæcularibus negotiationibus ſe immiſceant; & poſt trinam admonitionem non reſipiſcant, ipſo facto, amittunt privilegium Clericale, quoad facultates ſeu bona, quæ ſunt propria ac patrimonialia Clericorum; ut patet ex hoc c. ibi: *de ſuis facultatibus*; quia reddunt ſe indignos ſuo privilegio, & fruſtrà invocat auxilium Eccleſiæ, qui committit in eam, *c. Contingit*; 36. *de ſentent. excomm.* & fruſtrà implorat legis auxilium, qui committit in legem, *c. Quia*; 14. *de uſuris*; *Gl. hic V. Cùm facto*: requiritur tamen, ut præcedat trina admonitio talis Clerici, nec una ſufficit; quia quando agitur de pœna incurrenda, & Jus exigit trinam citationem, una citatio, etiam peremptoria, non habet vim trinæ citationis, quia in pœnalibus verba ſtrictè accipienda ſunt, non largè, *Abb. hic n.* 5. At verò quoad bona ipſius Eccleſiæ, quibus propterea, quòd Prælatus v. g. vel alius Beneficiatus, neglectis Divinis officijs, ſæcularibus negotiationibus ſe immiſceat, & à Superiore ſuo ter monitus deſiſtere non vult, præjudicium non generatur, ſed ea ſubjecta manent juriſdictioni ac poteſtati Eccleſiaſticæ; quia delictum perſonæ non debet in Eccleſiæ detrimentum redundare, juxta *Reg.* 76. *in* 6. *Gl. hic V. Suis facultatibus.* Sed neque tales Clerici amittunt privilegium Clericale, quoad perſonas ſuas; adeóque nec privilegium fori Eccleſiaſtici, neque Canonis; quia lex illa, cùm ſit pœnalis, non debet à facultatibus Clericorum extendi ad perſonas illorum, ad quos pertinet utrumque hoc privilegium, *Suar. diſ.* 22. *de Cenſur. ſect.* 1. *n.* 17. *contra Navarr.*

Ex quo infert *Abb. hic n.* 12. quamvis Clerici administratores, ſi exerceant negotiationem ipſis illicitam

citam, obligentur ad solvendum vectigal, aliáque tributa ex rebus Clericorum proprijs, *juxta c. Quanquam, 4. de censib. in 6.* cùm enim Clerici negotiationibus & lucris sæcularium hominum proprijs inhiant, meritò etiam onera eorum sustinent: non tamen id locum habere, si hujusmodi negotiationem illicitam exerceant ex bonis ad Ecclesiam pertinentibus; quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare. Verùm aliter observari in praxi, si negotiatio sit lucrosa, notat *Laym. lib. 4. tr. 9. c. 6. n. 9. in fine*, neque id colligi ex hoc c.

XXIX. Notandum secundò. Non tantùm bona Ecclesiæ, sed etiam ipsorum Clericorum propria ac patrimonialia sunt exempta à Magistratûs sæcularis jurisdictione, & exactionibus, tributis ac vectigalibus, ut ex communi DD. sententia tradit *Abb. hic num. 4.* ideóque quoad hoc gaudent eodem jure ac privilegio bona propria Clericorum, & bona Ecclesiarum. Quare si Magistratus sæcularis Clericos cogat ad solvendas exactiones & tributa, vectigalia, pedagia &c. adversus immunitatem Ecclesiasticam, Prælati Ecclesiastici ipsos defendere debent, videlicet per censuras, aliósque modos licitos, ut per sensum contrarium colligitur ex fine hujus c. & notat *Gl. fin. ibid.*

Notandnm tertiò. Quamvis Clerici per spontaneam renunciationem, vel conventionem privilegia Clericalia amittere non possint, *c. Si diligenter 5 12. de foro compet. c. Contingit; 36. de sentent. excom.* possunt tamen illa amittere, ipso facto, seu per delictum ex juris dispositione, *Gl. hic V. Cum facto.*

Notandum quartò. Clerici, qui sæculari negotiationi se immiscent, possunt amissum privilegium clericale, quoad bona sua, recuperare, si posteà resipiscant, & emendentur; ut colligitur ex hoc c. ibi: *dum his se implicant, Gl. fin. ibid. & Molin. tr. 2. de Justit. dis. 342. concl. 1. n. 3.*

» XXX. Assertio 3. Si Clerici quicunque Cle-
» ricalis Ordinis dignitati (latè accipiendo hoc no-
» men: nam Clerici ratione Ordinis sui, sunt hono-
» ratiores & eminentiores laicis, *c. ult. dis. 4. junct. Gl.*
» *V. Dignitas.*) adeò detrahunt, ut se faciant jocula-
» tores, galiardos aut bufones (id est, mimos, seu hi-
» striones) & talem artem ignominiosam per annum
» (continuum) publicè exerceant, ipso jure, omni
» privilegio Clericali privati existunt. Idem dicen-
» dum, si tempore breviore, hoc est, infra annum, ta-
» lem artem exerceant, postquam ter ab Episcopo,
» vel Superiore suo moniti non resipuerint; prout sta-
tutum est *in c. Clerici; unic. h. t. in 6.* Ratio hujus Constitutionis est; quia, cùm tales Clerici multùm detrahant dignitati Ordinis Clericalis, & ipso jure sint infames, *juxta l. 2. §. ult. junct. Gl. V. Definit; ff. de his, qui notant. infam.* ubi dicitur, quòd joculatores, qui omnibus faciunt sui spectaculnm, ipso jure sunt infames; ideo meritò privantur omni privilegio Clericali, etiam privilegio Canonis, *si quis suadente*, & tametsi sint constituti in Sacris, *Phil. Franc. hic n. 6. in Gl. fin.* Licèt Io. Monach. hic contrarium teneat. Requiritur tamen ad hujus pœnæ executionem declaratio Judicis Ecclesiastici; ut tradit *Suar. dis. 30. de censur. sec. 2. n. 7. Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 3.*

Porrò Verba significantia exercitium artis, vel officij non verificantur ex unico actu, seu exercitio, sed nonnisi ex repetito, v. g. mercator non dicitur, qui semel tantùm pannos, vel alias merces vendidit; sed, qui sæpiùs ultrò, citróque negotiando, *Anchar. hic not. 4.* idémque in delictis est saltem in ordine ad pœnam incurrendam; ut in proposito, qui semel tantùm joculatorem, vel histrionem egit, non incurrit pœnam privationis omnis privilegij Clericalis, *Franc. hic n. 3.* & colligitur ex hoc c. ibi: *si per annum artem illam ignominiosam exercuerint.*

» XXXI. Assertio 4. Præterea in *Clement. Dio-*
» *cesanis; 1. h. t.* statuitur, ut, si Clerici conjugati car-
» nificum, seu Macellariorum, id est, lanionum, vel
» tabernariorum (in quorum domibus panis, vinum,
» & carnes coctæ venduntur, *Gl. hic V. Tabernario-*
» *rum.*) officium publicè, & personaliter (secus, si
» occultè, & per alium: tunc enim cessat pœna, *Gl.*
» *hic V. Publicè, & personaliter*) exercent, & ab Epi-
» scopis nominatim (propriis eorum nominibus ex-
» pressis) & tertiò moniti, ut intra certum terminum
» ab ipsis præfigendum, desistant, non obtemperave-
» rint: vel ipsa exercendo (post elapsum terminum)
» reassumpserint, ipso jure, omni careant privilegio
» Clericali. Non conjugati verò in rebus (proprijs,
» in quibus aliàs gauderent immunitate, *Gl. hic V. In*
» *rebus*) & si incedant habitu laicali, etiam in perso-
» nis, privilegium Clericale eò ipsò amittunt, quam-
» diu in præmissis perstiterint. Additur in fine hu-
» jus Clement. ut Diœcesani, seu Episcopi adversùs
» alios Clericos, qui alijs negotiationibus, vel com-
» mercijs sæcularibus, vel Officijs non convenientibus
» Clericali proposito, ac Statui, publicè insistunt, vel
» arma portant, sic canonica servare studeant institu-
» ta, ut & illi ab hujusmodi excessibus compescan-
» tur, & ipsi de damnabili circa hæc negligentia ne-
» queant reprehendi.

XXXII. Pro explicatione notandum primò. Appellatione Diœcesanorum intelliguntur hoc loco Episcopi, qui ordinariam jurisdictionem Episcopalem exercent, *juxta Gl. hic V. Diœcesanis*: quin etiam Prælati inferiores Episcopo, si tamen quasi Episcopalem jurisdictionem obtineant in loco, excluso Episcopo: non autem ij Prælati inferiores, qui solùm concurrunt in Episcopalis jurisdictionis exercitio cum Episcopo: eo tamen non excluso; ad hos enim hæc Decretalis Constitutio non extenditur; ut notat *Abb. hic n. 1.* quia aliàs Clerici exercentes officium lanionum, & tabernariorum in loco, in quo inferior Prælatus, v. g. Archidiaconus, obtinet quasi Episcopalem jurisdictionem, excluso Episcopo, impunè possent talia officia publicè exercere; si quidem alij Ordinarij non comprehenduntur nomine Diœcesanorum, & sic debet intelligi *Gl. hic.*

Notandum secundò. Pœnas hujus Clementinæ incurrunt Clerici, etiam exempti, si delinquant, exercendo talia officia in loco non exempto; quia tunc ratione delicti subijciuntur Diœcesano loci: non verò eas incurrunt, si delinquant in loco exempto; quia, quando generaliter à jure datur potestas procedendi contra Clericos, non censetur data etiam in exemptos, nisi specialiter id exprimatur, *Gl. hic V. Clericos; & Abb. n. 2.*

Notandum tertiò. Si Clerici conjugati, post terminum ipsis præfixum, adhuc exerceant officia prohibita, vel reassumant dimissa, amittunt privilegia fori & Canonis: si verò intra terminum, v. g. mensis, intermisissent officia prohibita exercere per aliquot dies, sed posteà illa rursum exercerent, non

non esset locus pœnæ; dummodo posteà ante finem præfixi termini iterum intermittant illa exercere, *Gl. hîc V. Reassumpserint.*

Notandum quartò. Ad pœnas has incurrendas non sufficit una monitio peremptoria, sed requiritur trina per aliquot dierum intervalla distincta monitio, tum enim sine alia sententia Judicis condemnatoria, ipso facto, incurritur privatio privilegij Clericalis; *Gl. hic V. tertiò & V. Eo ipso.*

Notandum Quintò. Si Clerici exercentes officia prohibita desistant ab illis, recuperant privilegium Clericale amissum, ut tradit *Gl. hîc V. Quandiù.* Alij verò requirunt, ut cùm tali Clerico privato omni privilegio Clericali, post emendationem, dispensetsaltem Episcopus. *Franc. in c. un. n. 7. in fine h. t.* Quamvis alij putent solum Papam cum tali dispensare posse; quia regulariter in pœnis Ecclesiasticis, quæ tanquam veræ pœnæ jure communi infliguntur, inferior Papâ dispensare non potest; *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 4. n. 2. & 3. & p. 5. c. 9. n. 1.*

TITVLVS II.

DE COHABITATIONE CLERICORVM, ET MVLIERVM.

Cùm ad vitæ honestatem vel maximè conducat, ut Clerici consortia & familiaritatem mulierum vitent, ideò Titulus iste priori subjungitur. Est autem cohabitatio, personarum in una domo sub eodem tecto commorantium conversatio, ut notat Dan. Venator in Analysi Iuris Pontificij h. t.

§. I.

An & quatenus Clericis cum mulieribus cohabitare liceat, vel non?

I.

» ASSERTIO I. Permitti non debet, ut mulieres cùm Clericis habitent: Exceptis illis personis, in quibus naturale fœdus (hoc est, conjunctio sanguinis) nihil sævi criminis suspicari » permittit, prout respondit Papa Innocent. III. *in t. à nobis 9. h. t.* Nam inter personas valdè cunjunctas non debet esse suspicio de incestuosa carnis copula; quippe à quâ ipsa natura abhorret, *c. pen. de præsump.* Cujusmodi sunt personæ conjunctæ in primo aut secundo gradu consanguinitatis, ut mater, avia, amita, matertera, soror, neptis; sive filia fratris; & sororis, *c. Cum omnibus; 27. junct. Gl. dis. 81.* Et habetur etiam in Nicæno Concilio *can. 3. relato; in c. Interdixit; 16. dis. 32.* Et refertur etiam à Siricio Papa in *c. Fœminas 31. cit. dis. 81.* Additur in *cit. c. Ab omnibus*, quòd Clerici etiam habitare possint cum ancillis & pedissequis, quæ cum eis erant, antequam ordinarentur: item cum uxoribus filiorum, quas hi acceperunt jam ordinatis parentibus; sicut etiam cum filiabus & uxoribus servorum.

» II. Assertio 2. spectato Jure communi Ca- » nonico; omnes fœminæ extraneæ prohibentur co- » habitare cum Clericis, de quibus suspicio sceleris » esse potest: Quin imò neque illas mulieres con- » junctas, quas alioquin Canones permittunt coha- » bitare cum Clericis, Sacerdoti vel alij Clerico in » sacris constituto licet secum retinere, si suspicio » aut periculum criminis subsit: Quia instigante Dia- » bolo, etiam in personis conjunctis scelus, seu in- » cestum perpetratum fuisse, comperitur, & facilius cum pedissequis, seu ancillis, & socijs earum. Quod » si tales personæ ope Presbyteri indigeant, eæ de- » gere poterunt in domo, in qua eis, quæ necessaria » sunt, subministrentur, ita statutum est in *c. Inhibendum*; 1. *h. t.* Quod est desumptum ex Concilio » Moguntinensi, in cujus fine additur, & prohibe- » tur etiam, ne ulla fœmina ad Altare præsumat ac- » cedere, aut Sacerdoti ministrare, aut inter cancel- » los stare, vel sedere.

III. Notandum 1. Hoc est discrimen inter mulieres extraneas & consanguineas, quòd illæ eò ipsò suspectæ esse solent, quia juvenes sunt, ideóque earum cohabitatio prohibita est Clericis, Jure communi Canonico; At verò mulieres consanguineæ seu valdè conjunctæ, tametsi juvenes sint, non sunt suspectæ, ideóque cohabitare possunt Sacerdoti, ordinariè ac per se loquendo, nisi per accidens adsint tales circumstantiæ, & indicia, ut locus sit suspicioni mali seu sceleris, sive propter ipsasmet consanguineas, sive propter famulas, aut socias, quæ cum illis esse solent; ut notat *Gl. in c. Volumus; 24. cit. dis. 81. & Abb. hîc n. 2.* Unde S. Augustinus, teste Possidonio, in vita ejus, nec cum sorore sua habitare voluit, dicens, quæ cum sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt, prout refertur *in c. Legitur; 25. cit. dis.* Sicut etiam socius socij mei socius meus non est *l. nam socii 20. ff. pro Socio.*

Porrò hoc *c. 1.* Non adversatur *c. pen. h. t.* In quo conceditur Clericis habitare cum mulieribus illis, in quas naturalis coniunctio non finit cadere malam suspicionem, prout ordinariè, & plerúmque fieri solet: Si verò mulieres etiam conjunctissimæ suspectæ sint, prout factum fuit in casu, *cit. c. 1.* Tunc neque illis cohabitare licebit Clericis, *Barbos. in Collect. in cit. c. 1. n. 3.*

Notandum 2. quod dictum est mulieres valdè conjunctas habitare posse cum Sacerdote, vel alio Clerico, id intelligi debet, si solus habitet: secùs si

cum alijs Sacerdotibus: præsertim si collegialiter vivant, quia tunc oriri potest suspicio mali, quoad alios Sacerdotes, quibus tales mulieres non sunt ita conjunctæ, *Abb. hîc. n. 2.*

Notandum 3. Clerici beneficiarij possunt ex reditibus suis Ecclesiasticis superfluis subvenire consanguineis egentibus, ut colligitur ex hoc c. Imò juxta legem ch.. tis, his potiùs succurrere debent, quàm extraneis, *c. Non satis* 3 14. *dist.* 86. Secus, si sint divites, & non egeant, *Gl. in cit. c. 1. V. Subministrant h. t. & ibid. Abb. n. 4.*

IV. Assertio 3. Licèt consanguineæ in primo & secundo gradu lineæ transversalis, licitè possint habitare cum Sacerdotibus & Clericis, si non subsit suspicio sceleris seu incestûs, ut constat ex *c. Cum omnibus* 3 27. *dist.* 81. *& tradit. Gl. in cit. c. 1. V. Canones h. t.* Non tamen id extendi debet ad affines in primo & secundo gradu; quia in SS. Canonibus, in quibus prohibetur cohabitatio mulierum cum sacerdotibus, & Clericis, nominatim excipiuntur consanguineæ, non autem affines, constat enim majus esse fœdus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quippe per se immediatè conjunctos, quàm inter affines, qui peraccidens tantùm, sive mediantibus consanguineis junguntur. Excipiendæ sunt mulieres in primo gradu affinitatis junctæ, v. g. Noverca, Nurus, aut Vxor fratris defuncti: vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debeat, v. g. Sacerdos uxori patrui sui defuncti, his enim permittendum videtur, ut cohabitent, si aliunde nulla adsit suspicio incontinentiæ; idque colligitur ex *cit. c. Interdixit in fine*, ubi dicitur, aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. Undè etiam inter tales personas, in veteri Lege prohibita fuit conjunctio carnalis, *Levit. c. 18.*

V. Assertio 4. Sed & Episcopus matri, aliisque mulieribus in primo & secundo gradu junctis (sicut alij Sacerdotes & Clerici) licitè cohabitare potest, intra eandem domum, cum ancillis, & pedisequis; sed in cubiculis seu conclavibus distinctis, ut docet *Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t.* Nam & olim in antiqua Ecclesia Episcopi, aliique Sacerdotes cum uxoribus suis tanquam sororibus, in eadem domo, sed in separatis cubiculorum mansionibus degebant, easque alebant, ut constat ex *c. Episcopus; 6. iunct. Gl. V. Sequestrato* 3 *dist.* 77. Quamvis honestius sit, & magis consultum, ut Episcopus, vel similis Prælatus sæcularis Matrem v. g. vel sororem, non intra domum, seu Palatium suum, sed in alia domo separata habeat, & alat; Idque maximè propter alios Clericos cum Episcopo commorantes. Etsi contrarium teneat *Gl. in cit. c. Legitur* 3 24. *V. Mea dist.* 81. ubi ait, Episcopum nullam mulierem, ne quidem Matrem, aut Sororem, secum habere posse, *juxta Auth. Episcopo. C. de Ep. & Cler.* Verùm Lex Civilis disponens de materia fori Ecclesiastici contra Jus Canonicum; nullam vim obligandi habere potest: nulla autem talis prohibitio facta Episcopis, vel Clericis reperitur in Jure Canonico, sed potiùs permissum esse colligitur, *ex cit. c. Interdixit, Abb. c. l.*

* * *

§. II.

De pœnis, quæ Iure Canonico sunt statutæ in Clericos conversantes cum fœminis suspectis, vel concubinarios.

VI. Assertio 1. Si quis Sacerdotum, videlicet Presb[yter], Diaconus, vel Subdiaconus, (nam » Nomine Sacerdotis latè sumpto comprehenduntur » omnes Clerici in Sacro ordine constituti, quasi » DEO sacrati, *Abb. hîc n. 3.*) de crimine fornicationis cum fœmina suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem, inveniatur confabulari, vel conversari cum eadem, excommunicetur: Fœmina verò canonicè puniatur. Ita statuit Eugenius Papa in *c. Si quisquam*; 2. *h. t.*

Notandum primò. Etiamsi super crimine fornicationis inquisitio non sit facta, nec probationes receptæ sint, ob solam tamen conversationem, seu notoriè scandalosam familiaritatem cum fœmina, excommunicari quis potest, si in ea post admonitionem contumaciter persistat, ut patet ex hoc c.

Notandum secundò. Si fœminæ delinquant cum Clerico, contra decorem Ordinis Ecclesiastici, ea subijcitur Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici; quia committit quasi sacrilegium, *Abb. hîc n. 4. & Gl. recepta in c. Eos qui* 3 10. *dist.* 32. Accedit, quòd si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniendi sunt, ne causæ continentia dividatur, *juxta l. Nulli*; 10. *C. de judic.* Ac proinde si Clericus cum Laico delinquat, utrisque reus coram Judice Ecclesiastico velut digniore forum sortitur ratione delicti, ut docent plures apud Menoch. *de arbitr. judic. casu* 371. *n.* 12. *&* 13. Qui tamè addit, id in praxi non observari, cùm passim Judices sæculares contra Mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis procedere soleant, ut notat etiam *Laym. lib.* 4. *tr.* 9. *c.* 4. *n.* 10. Porrò mulier, quæ cum Clerico fornicata est, vel nimiam familiaritatem habet, olim in Monasterium detrudi debebat, juxta *c. Fraternitatis*; 7. *dist.* 34. *Gl. fin. in cit. c. 2. V. Canonicè*, ubi addit, quòd ipsa concubina, si hoc publicum sit, debeat excommunicari, juxta *c. Si concubinæ* 3 55. *de Sentent. Excomm.*

VII. Assertio 2. Si Clerici in sacris Ordinibus constituti concubinas habeant, & ab Episcopo moniti, ut eas à se removeant, nec iterum recipiant, eas dimittere contempserint, à beneficijs » Ecclesiasticis suspendi debent, donec congruè satisfecerint: Si verò suspensi adhuc illas retinere » præsumpserint, ab ijsdem beneficijs in perpetuum » removeri debent, prout rescripsit Alexander III. in » *c. Sicut*; 4. *h. t.* Nam crescente contumaciâ, crescere debet & pœna, *Gl. fin. hîc*, & habetur in *c. ult. Ut lite non contestata* &c. & *l. Relegati* 3 4. *ff. de pœnis*, ubi dicitur, quòd contumacia cumulat, id est, auget pœnam.

Notandum primò. Clericus concubinarius, etiam in sacris constitutus, non debet statim privari beneficio, sed in primis moneri, juxtà *c. 2. h. t.* deinde suspendi, ac denique privari, ita tamen ut in optio-

tione Judicis sit, quam pœnam velit priùs imponere huiciorem, vel graviorem, consideratis facti circumstantijs, & loci consuetudine, quia Jura seu Canones de Clericorum concubinariorum, vel fornicariorum pœnis, quoad ordinem & modum eas infligendi, variè loquuntur, *Abb. hîc. n.* 2. Quid autem Jure novo Concilij Tridentini de hoc sit statutum, infra dicetur.

Notandum 2. Ex eo, quòd in hoc c. dicitur, Clericos in Sacris constitutos, posse compelli ad dimittendas concubinas, non rectè infertur, Clericos minoribus ordinibus initiatos non posse compelli, sed ideò solùm fit hîc mentio de Clericis in Sacris, quia hi severiùs puniuntur, quàm alij, *Abb. hîc n.* 1.

» VIII. Et hinc in *c. Si autem 6. h. t.* præcipitur, » ut Clerici concubinarij, sive in sacris Ordinibus » constituti, si post secundam, & tertiam commoni- » tionem, concubinas non dimiserint, ita ut ulte- » riorem quoq; monitionem non admissuri videan- » tur, tum Ecclesiis, vel eâtum portionibus (si ni- » mirum partem solùm habeant in præbenda, *Gl.* » *hîc V. portionibus*) priventur, postpositâ apella- » tione, & ab officio etiam suspendantur. Ex quo patet, quòd non solùm in majoribus, de quibus loquitur *cit. c. Sicut h. t.* sed etiam in minoribus Ordinibus constituti, si post monitionem non dimittant concubinas, suspendi possint ab officio, & si se non cortexerint, omninò privari beneficijs, vel portionibus eorum, *Gl. hîc V. Spoliare.*

IX. Porrò quòd dictum est de Clerico concu- » binario suspenso ab Officio, id extenditur, ut si » Presbyter concubinarius ab Episcopo suo suspen- » sus sit ab Officio, ideoq; ad Papam appellet, petens, » ut absolvatur, & Literas Apostolicas testantes de » absolutione ei collata impetret, eæ Literæ non » valent, si facti seriem non contineant, nempe cau- » sam, ob quam appellans, seu conquerens censurâ » constrictus, sive suspensus, vel excommunicatus erat. Ut statuitur in *c. Super eo 5.* Et ibi *Gl.* in casu *h. t.* Ratio est, quia tales literæ sunt impetratæ, veritate tacitâ, seu causâ verâ, quæ si expresa fuisset, Papa eas non concessisset, ideóque non valent, quippe subreptitiæ, *Gl. hîc V. Seriem; & Abb. n.* 1.

» X. Assertio 3. Ordinarij locorum, seu E- » piscopi, non debent cogere Clericos in sacris Or- » dinibus constitutos, qui publicè sunt concubina- » rij, ad jurandum, quòd concubinas deserere ve- » lint, ne Diaboli instinctu, in idem fornicationis » peccatum relapsi, perjurij etiam reatum seu pecca- » tum incurrant: sed per sententiam suspensionis, » aut interdicti cogere debent Clericos, ut eas à se » amoveant, ita ut nulla ampliùs sinistra suspicio » mali de illis haberi possit. Quòd si verò ad eas- » dem concubinas redire, vel alias reassumere præ- » sumpserint, tum in aliquos eorum perpetua ex- » communicationis sententia (id est, donec resipi- » scant) proferenda erit, ut alij horum exemplo per- » territi, à talibus excessibus abstineant, prout sta- » tuitur in *c. Clericos 3. h. t.*

XI. Hinc colligitur primò, quòd juramentum non sit exigendum à peccatoribus, quorum relapsus, ob fragilitatem carnis timeri potest, de abstinendo imposterum à certo peccato: idque propter periculum perjurii, cujus materiam aut occasionem Superior aut Judex subministrare non debet, *c. Illæ 5. caus. 22. q. 5.* ideóque imprudenter agunt illi Confessarij, qui à pœnitentibus recidivis exigunt juramentum de hoc, vel illo peccato deinceps non patrando, vel de tollendâ occasione, ut docet *Suar. tract. 2. de relig. l. 2. de juram. c. 14. n. 18.* cujus ratio est, quia cùm juramentum sit remedium subsidiarium & periculosum, ideò ad illud non est recurrendum, quando adsunt alia remedia æquè aptâ, ad finem [illegible] positum obtinendum; ut in casu hujus c. ubi adsunt alia remedia ad cogendos Clericos, ut à concubinis abstineant, nempe per suspensionis, vel depositionis, vel denique etiam per excommunicationis sententiam. Aliud est, si alia remedia æquivalentia non adsint, tunc enim, non obstante periculo perjurij, potest Judex, vel publica persona ab aliquo juramentum exigere, si ita sit necessarium, *Covarr. in c. Quamvis, de pact. in 6. p. 1. §. 6. n. 2. Suar. c. l. n.* 16. & alij communiter. Et hinc *in c. 2. qui Clerici vel Voventes, &c.* coguntur Clerici in sacris constituti abjurare uxores, cum quibus de facto sacrilegè matrimonium contraxerunt, ut per juramentum constaret de ipsorum dissensu; quia eorum dissensus internus cognosci non poterat aliter exteriùs, ea enim, quæ pendent ab alicujus animo, non possunt probari, nisi per ipsius juramentum. Similiter *in c. Ad abolendam 9. de hæretic.* exigitur juramentum; quia nullum aliud remedium apparet æquè opportunum, quàm ut hæretici, vel qui de hæresi suspecti sunt, abiurent suum errorem, eúmque publicè & solemniter detestentur, *Barb. in Collect. in cit. c. Clericos; n. 3. h. t.* Colligitur secundò, licèt in prædicto c. fiat mentio de Clericis in sacris constitutis, qui publicè concubinas habent, tamen idem quoad hoc dicendum est de Clericis minoribus ordinibus initiatis, & alijs, qui privatim tenent concubinas, à quibus multò minùs exigendum est tale juramentum. Colligitur tertiò, æquum & conveniens est, ut Episcopus Clericos concubinarios aliósque delinquentes non statim excommunicet, sed priùs leviores pœnas & censuras eis infligat, veluti suspensionis aut interdicti, ut patet *ex hoc c. Abb. ibid. n.* 3. nisi sit crimen atrox, vel valdè perniciosum. Colligitur quartò, excommunicatio dicitur hîc perpetua, non quòd perpetuò durare debeat, cùm enim sit pœna medicinalis, non debet inferre mortem perpetuam, *c. 1. de sentent. excomm. in 6.* sed dicitur perpetua aptitudine, quia potest ferri, sine præfinitione certi temporis, & quia potest durare usque ad mortem delinquentis, si ante illam non se corrigat; *Abb. in hoc c. in additione.*

XII. Assertio 4. Tametsi olim Clerici in sacris constituti, si in vitium fornicationis aut incontinentiæ lapsi sint, deponebantur, *c. Presbyter 12. dist. 81. c. Sacerdotes 37. dist. 50. c. à multis 9. de ætat. & qual. &c.* posteriore verò tempore, jubebantur tales Clerici per suspensionis, aut interdicti, ac deinde etiam excommunicationis, ac denique depositionis sententias ab Episcopis suis coerceri, ut patet *ex c. 2. & alijs hoc tit. suprà allatis.* Nunc verò in Concilio Tridentino: quod hodie observari debet. *Sess. 25.* » *c. 14. de reform.* prohibetur inprimis, quibuscún- » que Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de » quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extrà, » detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem habere » audeant

„ audeant: alioquin pœnis à SS. Canonibus vel Sta-
„ tutis Ecclesiarum impositis puniantur. Secundò,
„ si à Superioribus moniti ab ijs se non abstinuerint,
„ tertiâ parte fructuum, obventionum ac proven-
„ tuum beneficiorum suorum quorumcúnque, &
„ pensionum, ipso facto sint privati, quæ Fabricæ
„ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, pro arbitrio Episcopi,
„ applicentur. Tertiò, si verò in delicto eodem
„ cùm eadem vel alia fœmina perseverantes, neque
„ secundæ monitioni paruerint, non tantùm fru-
„ ctus omnes, ac proventus suorum beneficio-
„ rum eò ipsò amittant, qui prædictis locis appli-
„ centur: sed etiam ab administratione ipsorum be-
„ neficiorum suspendantur, quamdiu Ordinario vi-
„ sum fuerit, aut ipse etiam, uti Sedis Apostolicæ
„ delegatus arbitrabitur. Quartò, si ita suspensi
„ nihilominùs eas non expellant, aut cum eis ver-
„ sentur, tunc beneficijs ac portionibus, & officijs
„ ac pensionibus Ecclesiasticis quibuscúnque perpe-
„ tuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibus-
„ cúnque honoribus, beneficiis, & officijs in poste-
„ rum reddantur, donec post manifestam emenda-
„ tionem, eorum Superioribus, ex justa causa, cum
„ ijs visum fuerit dispensandum. Quintò, si post-
„ quàm eas semel dimiserint, sed consortium semel
„ dimissum repetere, aut alias hujusmodi scandalo-
„ sas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter
„ prædictas pœnas, etiam excommunicationis gla-
„ dio plectantur. Nec per quamvis appellationem
„ aut exemptionem prædicta executio impediatur,
„ aut suspendatur, & cognitio de his, non ad Archi-
„ diaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad-
„ ipsos Episcopos pertineat, qui sine strepitu &
„ figurâ judicij, solâ facti veritate inspectâ, proce-
„ dere possint. Alij verò Clerici, qui beneficia Ec-
„ clesiastica aut pensiones non habent, juxta delicti
„ qualitatem, & contumaciæ perseverantiam, pœnâ
„ carceris, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad
„ beneficia obtinenda, aliisque modis, juxta SS.
„ Canones puniantur, propter dictum incontinen-
„ tinentiæ etimen. Episcopi denique, si, quod ab-
„ sit, ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à
„ Synodo Provinciali admoniti, se non emendave-
„ rint, ipso facto sint suspensi: & si perseverant, ad
„ S. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui
„ pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si o-
„ pus fuerit, in eos animadvertat.

XIII. Circa hoc novum Decretum Concilij Tridentini notandum primò, Clericus concubinarius dicitur, non solùm ille, qui concubinam, domi suæ, instar uxoris continuò retinet, sed etiam qui extra domum alibi habet, & assiduam cum ea tenet consuetudinem, *Barbos. in Collect. in c. Sicut* 34. *n.* 3. *h.t.* & alij apud ipsum.

Notandum secundò, hoc decretum non est extendendum ad simplicem incontinentiam, absque qualitate concubinatûs, juxtà declarationes Cardinalium Concil. *apud Io. Gallemart. ibid in princ.* quia Concil. loquitur de eo Clerico, qui consuetudinem habet cum muliere lascivâ, quam non censetur habere, qui cum aliqua semel tantùm fornicatur, sed requiritur, ut saltem bis id fecerit, & pœnæ sunt restringendæ, quamvis contrarium teneat *Navarr. lib. 3. Consil. consil.* 1, *edit.* 2.

Notandum tertiò, sub tertiâ parte fructuum quorumcúnque, quâ privantur ipso jure Clerici concubinarij, comprehenduntur etiam distributiones quotidianæ, ut docent plures, *apud Barb. c. l. n.* 5.

Notandum quartò monitiones, quæ fieri debent, ad incurrendum & infligendum pœnas contra Clericos concubinarios latas, debent esse speciales in personam factæ, nec sufficit monitio generalis in Synodo facta, etsi aliàs trinæ monitionis vim habeat, & trinæ monitiones requirantur, tam secundùm Juris communis dispositionem, quàm etiam Concilij Tridentini; idque procedit quoque in concubinario notorio, qui etiam, sine trina monitione prævia, beneficijs privari non potest, prout plures docent, *apud Barbos. l. c. n.* 6.

§. III.

Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè concubinas habere dicuntur, sed citati & examinati negant, se concubinarios esse?

XIV. De hoc agitur *in c. Tuanos* 3. *h.t.* nam „
cùm ex Papâ Innocentio III. quæsitum fuisset, si „
Clerici, qui publicè concubinas habent, citati & „
examinati ab Episcopo suo, negent se esse concu- „
binarios, quia nullus adest contra eos legitimus „
accusator, credendum sit testimonijs bonorum „
virorum, inter quos habitant? Ad hoc respondet „
Papa Innocentius III. si crimen illorum ita publi- „
cum sit, ut meritò notorium censeri debeat, tunc „
nec testis, nec accusator est necessarius, cùm hu- „
jusmodi crimen nullâ possit tergiversatione seu ex- „
cusatione celari. Si verò crimen Clericorum pu- „
blicum sit, non ex evidentia facti, sed ex fama; „
hoc casu, sola testimonia bonorum virorum (inter „
quos Clerici illi habitant) non sufficiunt ad con- „
demnationem, cùm non testimonijs (simpli- „
citer datis sine juramento, *Gl. hic V. Testimonio*) „
sed testibus credendum, & ita judicandum sit. Cæ- „
terùm si de ipsis Clericis talis orta sit suspicio, ut ex „
ea scandalum generetur in populo, licèt adversùs „
eos nullus accusator compareat, purgatio tamen „
Canonica est eis indicenda, quam si præstare no- „
luerint, vel si in ea præstanda defecerint, tunc se- „
cundùm Canones puniendi sunt. „

XV. Pro explicatione hujus c. Notandum primò, si crimen fornicationis ita sit publicum, ut adsint valdè propinqua & vehementia indicia, & conjecturæ criminis, ut si v. g. Clericus publicè secum in domo detineat suspectam mulierem, quam ut uxorem tractet: maximè si publicè alat filios ex ea susceptos, tum etiam nullo existente accusatore, & sine testibus, aliâve probatione, talis Clericus condemnari potest & puniri; *Gl. hic V. ex evidentia* tunc enim nulli tergiversationi est locus, *Gl. hic V. ex evidentia*, & *Abb. n.* 7. Nam ut dicitur, *in c. Super eo* 3. *de testib. cogend.* si factum est notorium, non eget testium probationibus, cùm talia probationem vel ordinem judiciarium non requirant. Quòd si tamen tali casu reus neget crimen esse notorium, testes producendi sunt,

sunt, qui de notorio testificentur, nisi apertè frivola sit negatio, ut ex infrà dicendis patebit.

Notandum secundò, si crimen Clerici, non ex evidentia facti, sed ex fama solùm sit publicum, tunc probatio per testes est necessaria, ad condemnandum & puniendum reum, quia ut dicitur, *in l. 3. §. idem D. Hadrianus ff. de testib.* Testibus, non testimoniis credendum est, id est, non dictis eorum, qui deponunt sine juramento, vel eorum, qui deponunt de auditu alieno, vel non testimoniis extrajudicialibus in populo, quæ non sufficiunt ad probandum: sed ipsis testibus productis & legitimè examinatis, & sub juramento deponentibus in judicio, est credendum, *Abb. hîc n. 7. in fine:* oritur tamen ex ejusmodi testimoniis seu dictis publica fama de crimine, *Gl. hîc V. Testimoniis*, quæ etsi non sufficiat ad condemnandum reum, sufficit tamen, ut Judex inquirere possit de crimine, & multò magis, ut admittat accusatorem adversùs Clericum ad querelâ, & testes producendos, qui de ipso etiam crimine testentur.

Notandum tertiò, si Clericus sit suspectus de crimine, quod tamen sufficienter de illo probari non potest, tunc indicenda est ei Canonica purgatio, si quidem suspicio sit juncta cum scandalo populi, quia publicè est infamatus de crimine, ut colligitur *ex hoc c.* & tradit *Gl. fin. hîc.* Idque etiam summitur, *ex c. Presbyter 5. junct. Gl. V. Iusjurandum caus. 2. q. 5.*

§ IV.

An, & qualiter Sacerdos aut Clericus concubinarius seu fornicarius vitandus sit in Missis, & aliis Officiis Divinis?

» XVI. Assertio. 1. olim secundùm antiquos » Canones (*c. Nullus 5. & c. Præter hoc 6. dist. 32.*) » prohibitum fuit, ne quisquam Sacerdotis concu- » binarij vel fornicarij Missam audiat, si notorium » sit, illum concubinam habere. Alibi verò dicitur » (*videlicet can. ult. caus. 15. q. ult.*) non potest ali- » quis Sacerdos, quantumcúnque pollutus fuerit, » Divina polluere Sacramenta, quæ purgatoria sunt » cunctarum contagionum; ac proinde qualiscún- » que Sacerdos sit, non potest, quæ sancta sunt, co- » inquinare; quia omnia in Christi fide, id est, per » fidem Christi purgantur. Verùm aliud est cri- » men concubinatûs vel fornicationis notorium, » aliud occultum: notorium est, de quo Presbyter » vel Clericus canonicè est condemnatus; occultum » verò, quod ab Ecclesia toleratur. Si crimen con- » cubinatûs sit notorium, quia illud Presbyter non » negat, sed confitetur, vel quia de illo est canonicè » condemnatus, tunc ab ejus Missis & Officiis Divi- » nis abstinendum est, juxta priores Canones, ut eâ » ratione cæteri à peccandi licentiâ retrahantur, & » ij, qui peccaverunt, ad pœnitentiam & emenda- » tionem perducantur. Si verò crimen concubina- » tûs vel fornicationis sit occultum, & ab Ecclesiâ » toleretur, tunc talium concubinariorum vel for- » nicariorum Missæ licitè audiuntur à fidelibus, & » alia Sacramenta ab ijs percipiuntur, quamdiu ipsi » ab Ecclesia tolerantur, & crimen operis eviden- » tiam non habet: cùm ipsa Mysteria seu Sacra- » menta ab ejusmodi concubinariis administrata, » nequaquam tanquam immunda sint, aut minoris » virtutis respui debeant. Ita rescripsit Papa Lucius » III. *in c. Vestra 7. h. t.* »

Hinc colligitur, quòd ex malitia Sacerdotis non polluitur, nec inquinatur Missæ sacrificium, quia virtutem & efficaciam habet ex opere operato, nempe consecratione Corporis & Sanguinis Christi, in quo essentialiter consistit oblatio, *c. Virum 72 dist. 2. de consecr.* & patet *ex Concilio Tridentino Sess. 22. de Sacrif. Miss. c. 1.* ubi dicitur; Et hæc quidem illa munda oblatio est, *Malach. 1.* quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest, & tenent omnes Theologi. Unde cùm dicitur, omnia oblata pollui, quæ offeruntur à polluto in anima, *c. Sic populus 61. & c. Multi 84. caus. 1. q. 1.* id intelligendum est, quòd quantùm in se est, polluat Sacramenta, vel rectiùs, quòd polluat semetipsũ, *Fagnan. in c. Vestra 7. n. 9. h. t.*

XVII. Assertio 2. Licèt quilibet Clericus » existens in peccato mortali sit suspensus, quoad se- » ipsum, non tamen est suspensus, ob crimen Con- » cubinatûs vel fornicationis, quantùm ad alios, » ac proinde fideles illum in Divinis officiis vita- » re non debent; nisi crimen ejus sit notorium per » sententiam Judicis, vel per confessionem factam » in jure seu judicio, vel per evidentiam facti, seu rei, » quæ nullâ tergiversatione celari possit, prout re- » scripsit Gregorius IX. *in c. Quæsitum 10. & ult. h. t.* »

XVIII. Pro utriùsque hujus c. explicatione notandum primò, Sacerdos jure suspensus propter notoriam fornicationem, illicò post pœnitentiam recuperat officij executionem, quoad alios, ita ut licitè possint fideles audire ejus Missam, & ab eo percipere Sacramenta, ut colligitur *ex cit. c. ult. in princ.* ubi dicitur, *quæsitum est de Clericis in fornicationem prolapsis, an eorum officium, priusquàm pœnituerint, sit audiendum?* Ergo à contrario sensu, post actam pœnitentiam, cessat hæc pœna juris seu suspensio quoad alios, ita ut audiri possit eorum officium, *c. Si qui 15. Gl. V. emendent dist. 8. Abb. hîc n. 2.*

Notandum secundò, quilibet Clericus, non solùm propter fornicationem, sed etiam ob quodvis aliud peccatum mortale, est suspensus quoad se, ita ut non possit licitè in tali statu peccati mortalis Missam dicere, aut Sacramentum aliquod administrare, vel aliud alicujus Ordinis ministerium exercere, *c. fin. de tempor. Ordin. Abb. hîc n. 2. not. 3.*

Notandum tertiò, non quilibet notoriè criminosus est vitandus in Divinis Officijs, sed tantùm notorius Concubinarius seu Fornicarius, qui est vitandus quoad se, & quoad alios, ut colligitur *ex hoc c.* ubi postquàm generaliter dictum est, quemlibet Clericum existentem in peccato mortali esse suspensum quoad se, posteà id ipsum, cùm agitur de suspensione quoad alios, restringitur ad peccatum fornicationis, ut colligitur ex illis verbis: *in casu proposito & V. hujusmodi, Gl. hîc V. in casu proposito, scilicet fornicationis.* Ubi rationé reddens ait; quia in hoc crimine magis est vitandus, cùm in alijs ipso jure non sit suspensus, quamvis crimen sit notorium: excepto crimine Simoniæ, in quo suspensus est ipso jure, etiamsi crimen sit occultũ: in alijs ergo criminibus, notorius Clericus criminosus non est vitandus in Divinis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, *c. Præter hoc 6. §. verùm dist. 32. Abb. hîc n. 3.*

Notandum quartò, hæc suspensio notorij concubinarij, vel fornicatoris Clerici quoad se, non est censura Ecclesiastica propriè dicta, ob cujus violationem Clericus fiat irregularis, & quæ per Ecclesiastici Prælati relaxationem, vel absolutionem tolli debeat, sed ea per pœnitentiam aut confessionem Sacramentalem tollitur, ac proinde Clericus etiam in sacris constitutus non incurrit suspensionem propriè dictam, ob crimen concubinatûs etiam notorium, & consequenter celebrando, vel ministrando in tali suspensione nõ fit irregularis, ut exprobabiliore sententia docet *Suar. dis.* 31. *de Censur. sect.* 4. *n.* 9. *& seqq.* quia talis irregularitas non reperitur in ullo Canone expressa, cùm tamen jure Canonico tantùm omnes irregularitates sint inductæ, *Fagnan. in cit. c. ult. n.* 24. *h.t.*

XIX. Notandum quintò, hodierno jure, juxta Concilij Constantiensis Extravagantem, quæ incipit *Ad evitanda*, non tenentur fideles à Sacerdotis concubinarii vel fornicarij etiam notorij Missâ abstinere, eúmque vitare in Divinis Officiis, etiamsi verè esset suspensus, *Suar. c. l. n.* 16. & plures alij apud *Barbos. in Collect. in cit. c. ult. h. t. n.* 3. Secundùm quam, nunc solùm sunt vitandi excommunicati nominatim, ac publicè denunciati, & notorij percussores Clericorum. Quare cùm suspensio, quoad se, non sit propriè dicta censura inducens irregularitatem; suspensio verò, quoad alios, per Constitutionem Extravag. sit sublata, hinc sequitur, quòd notorius concubinarius celebrando non fiat irregularis, nisi monitus non desistat, & per sententiam Judicis fuerit ab officio suspensus.

Idque probatur etiam *ex Concilio Tridentino Sess.* 25. *c.* 14. *de reform.* ubi inter pœnas impositas Clericis concubinariis, nulla fit mentio de suspensione ipso facto seu jure incurrendâ, sed præcipitur solùm, ut puniantur ab Episcopo pœnâ suspensionis ab Ordine, ergo non sunt suspensi ipso jure, sive à Canone, *Fagnan. c. l. n.* 29. *&* 30.

Notandum sextò, possunt tamen fideles, etiam post Constantiensem Constitutionem, *Ad evitanda*; à notorio concubinario tolerato, & non vitando abstinere, si velint, & nolle ad ejus Missam audiendam venire; quia per prædictam Constitutionem nullus favor factus est ipsis excommunicatis, & ideò possunt fideles illos adhuc vitare; quamvis non teneantur, sicut secundùm jura antiqua poterant, quæ quoad hoc revocata esse nusquam legitur, *Laym. lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. & alij communiter.

Notandum septimò, tres sunt modi, per quos etiam crimen concubinatûs fieri potest notorium. Primò si delinquens sit condemnatus per sententiã Judicis, definitivam scilicet. Secundò per confessionẽ Rei factam in judicio, Tertiò per evidentiã facti, quod tergiversatione aliquâ celari non potest, *cit. c. ult. h. t.* ut si Clericus publicè concubinam habeat, sicut uxorem, alendo filios ex ea procreatos, ita ut sine tergiversatione crimen negari non possit, *cit. c. ult. de quo suprà n.* 15. Prædictis autem tribus modis addi posset alius modus, per quem crimen fieri potest notorium, nempe per legitimam & juridicam probationem in judicio, contra quam nihil opponi potest; quia in causâ conclusum fuit: sed de hac nulla fit mentio, *in cit. c. ult. h. t. ut notat ibid. Abb. n.* 4. quia nimirum populus plerúmque scire non potest, an probationes fuerint plenè convincentes, ideóque ante Judicis sententiam non debet censeri crimen esse notorium, ex eo capite; quia aperiretur via injuriis & infamiæ. Verùm si publicè constet, quòd reus Clericus per legitimas probationes convictus sit in judicio, tum non minùs ex illis censeri debet induci notorium, quàm ex confessione judiciali, cùm reus non minùs per legitimam probationem, quàm per propriam oris confessionem de crimine convinci possit.

§. V.

Proponuntur quæstiones quædam circa notorium, quid, & quotuplex sit, & an probari debeat?

Occasione eorum, quæ hîc dicta sunt de Clericis concubinariis, seu fornicatoribus notoriis, ad illa melùs intelligenda, agunt hoc loco Canonistæ communiter de notorio generatim, quæ materia difficilis est, & aliis locis sæpiùs recurrit, etiam in Jure Canonico.

XX. Quæritur 1. quid & quotuplex sit notorium? Resp. Notorium in genere sic describitur apud *Fagnan. in c. Vestra*; 7. *n.* 68. *h.t.* notorium est jus vel factum transiens in notionem seu notitiam omnium, vel majoris partis eorum, nam per majorem partem totus populus repræsentatur, *l. quod major* 19 *ff. ad munic.* Est autem notorium triplex, ut tradit *Gl. in c. Vestra*; 7. *V. Notorium h.t.* nempe notorium juris, facti, & præsumptionis, & *ex Ant. Butrio tradit Fagn. c. l. n.* 69. licèt *Abb. in cit. c. Vestra*; *n.* 14. dicat, sub notorio juris contineri etiam notorium præsumptionis, neque esse distinctam speciem, de quo infra.

Notorium juris dicitur, quod oritur ex ijs, quæ in judicio aguntur, idque triplex est, sive ex triplici capite oritur. Primò ex spontanea confessione facta in judicio, ut habetur *in cit. c. Vestra*; *junct. Gl. V. non diffitetur, & c. ult. h. t. c. Cùm olim*; 24. *de V. S.* quia confessus pro judicato habetur, *l.* 1. *ff. de confes. & l. unic. C. eodem.* Quòd si is, qui confessus est in judicio crimen, ante sententiam latam revocet confessionem suam, uti potest, ostendendo per errorem vel metum, vel similem causam se confessum esse, per quam debilitatur & dubia redditur talis confessio, juxta *l. error.* 7. *C. de jur. & fact. ignor. Gl. in c. Ex parte*; 23. *V. si verò dubia de V. S. & ibid. Abb. n.* 7. tum per talem confessionem judicialem, cùm ejus fides vacillet, non inducitur notorium, *Mascard. Concl.* 1106. *n.* 9. Secundò, oritur notorium juris, ex probationibus & actis in judicio, quæ nimirum vel à Notario coram Judice in Protocollum relata, vel coram Judice legitimè probata sunt, *cit. c. cum olim, & ibid. Abb. n.* 3. *Mascar. c. l. n.* 13. *&* 17. Sic per Testes legitimè examinatos, item per Instrumentum authenticum in judicio productum inducitur notorium, & efficitur probatio probata, *l. ult. C. de probat. Masc. c. l. n.* 18. *&* 19. Verùm cùm dicitur, quòd probationes inducant notorium juris, id intelligendum est, posteaquàm in causa conclusum est, seu probationibus & exceptionibus in utramque partem renunciatum fuit, ita ut nihil contra eas ampliùs opponi possit, ut docet *Abb. in cit. c. cum olim n.* 3. *& Masc. c. l. n.* 24. *&* 25. Tertiò, inducitur notorium juris per con-

condemnatoriam sententiam definitivam, ut constat ex cit c. *Vestra*; & c. *ult. h. t.* Quæ non potest ampliùs retractari, nam res judicata pro veritate habetur, *l. 1. ff. de re judic.* Imò etiam per sententiam interlocutoriam inducitur notorium, si cum causæ cognitione lata sit, & postquàm transivit in rem judicatam, adeóque indubitata definita, & plenè discussa est; *Masc. c l. n. 31.*

Notorium facti in genere est, quod ita se exhibet conspectui populi, vel majoris ejus partis, ut nullâ tergiversatione, vel negatione celari possit: sive quod ita clarum, & evidens est, ut celari minimè possit, quippe cujus universus populus, aut major ejus pars testis esse possit, ut tradit Menoch. *de arbitr. iudic. casu 166. Masc. de probat. concl. 1105. Clarus in pract. crim. §. fin. q. 9. n. 2. Silvest. in summâ V. Notorium q. 1.* Et hinc infertur, si publicè constat factum esse notorium, illud per negationem non reddi dubium, neq; adversùs illud negationem admittendam esse, *arg. c. Super eo; 3. de testib. cogend. & docet Abb. in c. Tuanos 38. num. 4. h. t. Masc. c. l. nu. 7.* Verùm, quia multa dicuntur, & videntur esse notoria, quæ tamen non sunt: ideò reus, v. g. notorius concubinarius, negare potest delictum, de quo accusatur esse notorium: nam aliud est notoriè constare de delicto, aliud liquidè constare, delictum esse notorium: priore enim casu, si notoriè constet crimen esse commissum per facti evidentiam, vel per confessionem, aut legitimam probationem in Judicio, non opus est ulteriore probatione, quod crimen fuerit à reo commissum: posteriore verò casu, si reus neget delictum notorium esse, sive neget, esse notorium, quòd ipse crimen illud commiserit: tunc Judex ordinariè loquendo, priùsquam contra reum tanquam notorium criminosum procedat, si neget, & ostendere velit notorium non esse, crimen à se commissum esse, audire eum debet: & tunc etiam contra reum negantem produci debent, ac recipi testes idonei, qui deponant esse notorium, sive liquidè constare, quòd Titius v. g. illud crimen commiserit: & tunc Judex juridicè declarare debet, crimen illud esse notorium: quo facto, absque alia probatione, aut processu, Judex progredi potest ad executionem, & punitionem Rei, *juxta cit. c. Super eo de testib. cogend. Et c. Tuanos h. t.* Quandoquidem inquisitiones, ac probationes fieri debent circa rem dubiam, non circa notorium, *Clar. c. l. n. 5. Masc. c. l. n. 10. & 12.*

Ubi præterea notandum, ad hoc, ut delictum alicujus notorium censeatur, non satis est, factum ipsum esse notorium secundùm se, sive de eo publicè constare, v. g. quòd Titius occiderit Cajum: sed insuper requiritur, ut etiam notoriæ sint qualitates seu circumstantiæ ipsius facti, ita, ut ex ijs nulla defensio, aut excusatio culpæ competere possit reo, ut notat *Clarus c. l. n. 3. Masc. c. l. n. 9. Tuschus V. Notorium; concl. 111. n. 4.* v. g. Titius Cajum occidit in foro publico, præsente populo, ita ut factum negari non possit: hoc casu, factum est quidem notorium secundùm se, non tamen quoad omnes circumstantias; fieri enim potuit, quòd Titius Cajum occiderit, ob necessariam sui defensionem, aut subito calore iracundiæ, vel quia mentis inops erat: vel quia Cajus aliàs impunè occidi potuisset, & ideò excusationem prætendere potest, ita ut nullo modo, vel saltem minùs graviter deliquerit, proinde etiam vel nullam pœnam, vel minùs gravem meruerit.

XXI. Porrò notorium facti est triplex, ut tradit *Abb. in cit. c. Vestra; n. 15. h. t. Silvest. c. l. q. 2.* Et alij communiter. Primum est facti permanentis, quòd se continuè exhibet hominum oculis, & notitiæ, ita ut illud videre possint, quando volunt, v. g. palatium in foro. Et hoc notorium non eget probatione, cùm per se ipsum demonstretur, & nullâ possit tergiversatione celari, vel negari, neque in dubium venire, aut vocari: ideóque etiam contra sententiam latam, & rem judicatam, & quamcúnque contrariam præsumptionem Juris, & de Jure admittitur; quia probatio, seu ostensio, quæ fit per facti evidentiam, nunquam exclusa censetur, etsi omnes aliæ exclusæ sint, *Mas. Concl. 1107. nu. 4. & 7. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 67. n. 2. & 3.* Licèt autem notorium facti permanentis probari non debeat, debet tamen allegari à parte, ut tradit, *Gl. communiter recepta in Clem. appellanti 5. V. Alias causas; de appellat. Menoch. c. l. n. 5.* Nam Judex ea, quæ in facto quamvis notorio consistunt, non supplet ex officio, nisi ex actibus resultent, v. g. nisi nota sit, ut Judici, contumacia rei absentis; quia eum peremptoriè citaverat, ut explicat *Tusch. concl. 108. n. 2. & 3. Masc. concluf. 1108. n. 5.* Exemplum facti notorij permanentis est, si Clericus in carcerem patentem oculis hominum detrudatur, vel si domi suæ detineat concubinam publicè, & omnibus scientibus, *Fagnan. in cit. c. Vestra; n. 79. & 80. h. t.*

Secundum notorium facti est transeuntis, si quis v. g. in conspectu populi sit occisus: tale notorium est etiam vox præconis, quæ citò transit; & paucis innotescit, videlicet audientibus tantùm, & quibus hi dixerunt. Edictum verò in publico foro propositum, & affixum per plures continuos dies omnibus liquet, ut notat *Gl. in Auth. qui semel V. Paucis; innotescit. c. Quomodo & quando Iudex* &c. Et ad hoc notorium facti transeuntis requiritur etiam, ut probetur plenè per testes, cùm istud notorium jam non sit, sed fuerit, *Abb. in cit. c. Vestra; n. 19. h. t. Masc. cit. concl. 1107. n 7. Menoch. c. l. n. 3.* ideóq; ejus probatio contra rem judicatam; & præsumptionem juris, & de jure non admittitur.

Tertium est notorium facti interpolati, quod fit publicè quidem, ita ut aliquâ tergiversatione celari non possit, non tamen fit continuò, sed sæpiùs per intervalla iteratur. Sic dicitur aliquis usurarius notorius, vel meretrix notoria, non, quòd ille continuò mutuetur cum usura, vel illa continuò peccet, sed quia usurarius semper est paratus ad mutuandum sub usuris, & meretrix ad peccandum, quoties ab illo, vel ab illa petitur, *Abb. c. l. n. 15.* Et ad hoc notorium, quod veluti medio modo se habet inter notorium facti permanentis, & transeuntis, aliquoties etiam probatio requiritur, sed non tam exacta, ac plena, sicut ad notorium facti transeuntis, secundùm *Gl. in c. Cùm in Diœcesi; V. Manifestos de usuris, Abb. in cit. c. Vestra: n. 19. h. t.*

Denique notorium præsumptionis est, quando ex publicis circumstantijs jus vehementer aliquid præsumit, & pro veritate habendum judicat ita, ut ex tali præsumptione ferri possit sententia definitiva, adeóque æquivaleat plenæ probationi. Sic jus vehemen-

mentet præsumit eum esse filium alicujus, qui publicè habitus est pro filio, *Abb. c. l. n.* 14. Sic si quis publicè detineat fœminam suspectam in domo, à jure præsumitur fornicatio, *Fagnan. c. l. n.* 85. *& 2. seqq.* Ubi addit, ad inducendum notorium præsumptionis, præter violentam præsumptionem, requiri, ut factum, ex quo oritur præsumptio, sit notorium facti vel juris.

XXII. Quæritur 2. Quid sit occultum, prout notorio facti opponitur? R. occultum v. g. crimen in primis dicitur, quòd à nemine alio scitur, & nullâ ratione probari potest in judicio: cui æquiparari debet, quod scitur ex sola Sacramentali confessione; quia perinde est, ac si non sciatur, cùm alijs revelari non possit *Suar. tom. 4. de relig. lib. 6. de profes. c. 10. n. 19.* Secundò. Quod aliquis scit acceptum sub secreto naturali; quia nimirum expressè, vel tacitè promisit, se id non revelaturum: tunc enim quod ita secretò scitur, non potest revelari, nisi id necessarium sit ad avertendum grave damnum injustè inferendum Reipubl. seu Communitati, vel privatæ personæ, sive propriæ, sive alterius tertij, sive etiam ipsius revelantis, *Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 15.* & alij apud ipsum. Hujus occulti, seu secreti, species quædam est, si quis commissum occultum crimen amico, aut alteri viro prudenti, consilij capiendi causâ revelavit, is enim ad illud non revelandum, tam graviter & strictè obligatur, ut ordinariè loquendo, nonnisi in gravissimum damnum Communitatis concessum sit, illud revelare, *Suar. c. l. n.* 29. Quia alioqui miseris, & afflictis hominibus maximum remedium salutis suæ, cum magno etiam ipsius Reipubl. detrimento, adimitur, si viro prudenti arcana sua, consilij capiendi causâ, sincerè, & sine nocendi proposito, tutò credere non possint. Tertiò. Quod uni soli, extra secreti obligationem, cognitum est, si neque id indicijs ostendi possit, censetur simpliciter occultum, ita ut revelare aut denunciare Superiori, non liceat. Quartò. Quod per unum tantùm testem, præter ipsum denunciantem, vel alijs indicijs, semiplenè tantùm probari potest, censetur simpliciter occultum Quintò. Dicitur occultum, quòd publicè v. g. tribus 4. vel 5. testibus notum est, ita ut coram Judice probari possit, licèt publicè notorium non sit, nec censeatur, *Suar. cit. c. 10. n. 19.* Porrò prædictis omnibus factis occultis opponitur publicè notorium facti, sive sciatur à majore parte populi, seu Communitatis, quæ saltem 10. personas habeat, quot censentur facere plebem: sive non à majore parte, tamen à tot personis Communitatis, ut impossibile sit, moraliter loquendo, celari aut occultari, quò minùs paulatim deveniat ad aliorum plurium notitiam, *Abb. in cit. c. Vestra 3 7. n. 16. h. t.* Ubi ait, quòd Judex, seu vir prudens ex varijs circumstantijs loci, temporis, personarum, & qualitate actûs arbitrari debeat, num factum v. g. crimen notorium sit, nec nè?

XXIII. Quæritur tertiò, quot testes requirantur ad probandum notorium? Resp. Sufficere duos vel tres testes, licèt enim non sufficiant duo testes ad inducendum notorium, sufficiunt tamen, ad illud probandum; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; sicut etiam ad infamandum aliquem, non sufficiunt duo vel tres, *c. Inquisitionis; 21. de accus.* sufficiunt tamen ad probandam infamiam. *Abb. in cit. c. Vestra 3 n. 17. h. t.*

TITVLVS III.

DE CLERICIS CONIVGATIS.

Postquàm actum est, præcedente Titulo, de illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus: nunc agitur de licita, videlicet an, & quâ ratione permissum sit Clericis ducere uxores, iisque cohabitare. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

An Clerici coniugati ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica promoveri possint?

I.

„ ASsertio 1. Clerici conjugati ad sacros „ Ordines, & ad Ecclesiastica beneficia, „ aut Administrationes non debent ad- „ mitti; præterquàm si quis perpetuam „ continentiam voverit, & unicam, eam- „ que Virginem (ab alio non corruptam) uxorem „ duxerit, prout statuit Alexander III. *in c. Sanè; 2. h. t. & ibi Gl. V. Virginem.* Ratio decisionis est, quia cùm Clerici obire debeant officia, & ministeria sacra & Divina, quorum pleraque sacros Ordines requirunt, vel saltem propositum illos aliquando suscipiendi: ideò non est conveniens, ut Conjugati promoveantur ad sacros Ordines, quibus annexum est votum continentiæ, quod est incompatibile cum statu conjugali, neque ad Ecclesiastica beneficia admittendi sunt; quia beneficium datur propter officium, officia autem Divina pleráque continentiam requirunt. Excipitur, nisi talis Clericus conjugatus perpetuam continentiam voverit, cum consensu uxoris, tunc enim cessat ratio, ob quam status Conjugalis repugnat statui Clericali: quo casu, tamen insuper requiritur, ut uxor, si in sæculo manere velit, votum quóque perpetuæ continentiæ edat, & eâ ætate sit, ut extra periculum incontinentiæ esse videatur, alióquin verò si juvenis sit, Religionem ingrediatur, juxta *c. Conjugatus; 5. de convers. Conjug. junct. Gl. V. ab uxore*, & habetur etiam in Concilio Agathensi relato *in c. Episcopus; 6. & ibi Gl. V. religione dist. 77. Sanch. lib. 7. de Matr. dis. 42. n. 16. de quo plura infrà tit. 32.*

II. Ubi

II. Ubi præterea notandum primò, nomen sacrorum Ordinum *in hoc c.* generaliter & latè est accipiendum, prout comprehendit omnes Ordines, etiam minores, quia neque ad hos promoveri debet Clericus conjugatus, præter casum suprà exceptum, *Abb. hîc n.* 3. quia Ordines minores ordinariè conferuntur in ordine ad majores suscipiendos. Unde neque prima Tonsura conferri debet conjugato, nisi Religionem intrare, vel ad sacros Ordines promoveri velit, *c. ult. de temp. Ordin. in* 6.

Notandum secundò, Clericus conjugatus est incapax beneficij obtinendi, nam Laicus non est capax beneficij Ecclesiastici, *c. Cùm adeò*; 17. *de rescript.* At Clericus conjugatus habetur in omnibus, ut Laicus, exceptis casibus expressis, *in c. Unic*; *h. t. in* 6. de quibus infrà: imò cùm amittat beneficia priùs habita, multò magis erit incapax ad nova obtinenda, & consequenter collatio beneficij ipsi facta, est ipso jure nulla, *Sanch. cit. dis.* 42. *n.* 16. sed neque Clericus conjugatus juvatur regulâ de triennali pacifica possessione beneficij, ita ut posteà non possit molestari, sicut neq; Laicus; quamvis eâ regulâ juventur alij inhabiles, ut excommunicatus & irregularis; quia hi non sunt omninò incapaces beneficij, licèt enim illud eo tempore obtinere non possint, at priùs obtento non privantur, sed illud tenere possunt: Laicus verò & Clericus conjugatus non possunt ullo modo beneficium acquirere, vel acquisitum, ante matrimonium, retinere, *Sanch. c. l. n.* 15.

Excipitur casus expressus *in c.* 2. *h. t. de quo suprà*, vel nisi vir emisso voto castitatis (sicut uxor emisit) initietur minoribus Ordinibus, animo ad sacros Ordines ascendendi: tunc enim matrimonium solutum est, non quidem quoad vinculum, sed quoad usum & cohabitationem, ideóque est capax beneficij. Idémque dicendum, si vir legitimam divortij causam habens, v. g. ob uxoris adulterium, ad Ordines promoveatur, tunc enim etiam cessat usus conjugij, & nō est recursus ad uxorem, *Sanch. c. l. n.* 16.

Notandum tertiò, quamvis Clericus minoribus Ordinibus initiatus, & conjugatus non possit obtinere beneficium Ecclesiasticum in titulum, potest tamen habere, ratione stipendij, vel pensionis pro officio vel ministerio temporali, ut pro pulsandis campanis templi, vel organis; quia sicut status Laici non est cum his incompatibilis, ita nec status conjugalis, *Sanch. cit. l.* 7. *dis.* 44. *n.* 4. est tamen Clericus conjugatus incapax pensionis, quæ titulo Clericali conferri solet, nisi ex dispensatione Pontificis, *Sanch. c. l. n. ult. Barb. in Collect. hîc n.* 2.

Notandum quartò, Clericus conjugatus est etiam incapax cujuscunque administrationis Ecclesiasticæ, quæ per Ecclesiasticam personam obiri solet, etiamsi non sit beneficium, *cit. c.* 2. *h. t.* Ex quo infertur, quòd Clericus conjugatus non possit esse Vicarius generalis Episcopi in spiritualibus, *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 3. *h. t.*

» III. Assertio 2. similiter Clerici conjugati » ad Ecclesiasticas dignitates admitti non debent, & » si quas obtinent, cogendi sunt, ut eas dimittant, » cùm non possint eas, sine pravo exemplo, & gra- » vi scandalo retinere, prout statuit Innocentius III. *in c. Cùm decorem*; 8 *h. t. ubi Gl. fin. addit*, quòd, ob solum scandalum quandóq; repellitur quis à beneficio. Idémque dicendum est de alijs quibusvis beneficijs etiam simplicibus, quæ Conjugati possidere non possunt, ideóque eis privandi sunt, *Gl. hîc* V. *Dimissis*, multò magis ergo ad ea de novo obtinenda admitti non debent, ut ex dictis patet. Quin imò nec consuetudo valet, ut conjugatus possit habere beneficium Ecclesiasticum; quia non valet consuetudo juncta cum pravo exemplo & gravi scandalo, *arg. hujus c. Abb. ibid. not.* 2. Porrò etsi *in hoc c.* sermo sit de publicè uxoratis, idem tamen procedit in ijs Clericis, de quibus publicè non constat esse uxoratos, dummodò id probari possit, *Abb. hîc in fine.*

§. II.

An Clerici matrimonium contrahere, eóque contracto, beneficia retinere possint?

IV. Assertio 1. Clerici sacro Ordine initiati matrimonium nec licitè, nec validè contrahere possunt, est enim Ordo sacer seu major, impedimentum dirimens matrimonij contrahendi, ita ut post Ordinem sacrum susceptum, matrimonium de facto contractum sit ipso jure irritum, ob votum solenne continentiæ Ordini sacro ex Constitutione Ecclesiæ annexum, *c. Meminimus*; 3. *c. pen. & ult. infr. Qui Clerici vel voventes, &c.* Quòd si Clerici in Subdiaconatu, vel in alio Ordine sacro superiore constituti de- « facto uxores ducere præsumpserint, ad easdem di- « mittendas, & de commisso scelere pœnitentiam a- « gendam, per suspensionis & excommunicationis « sententiam compellendi sunt, prout statuit Alexander III. *in c. Si qui*; 1. § *sed si h. t.* Ratio patet ex dictis, quia matrimonium non tenuit, & beneficiis sunt privandi, *Gl. fin. hîc.* Imò tales Clerici ipso facto excommunicationem incurrunt, juxta *Clement. unic. de consang.*

V. Assertio 2. Etsi Clerici in sacro Ordine non constituti matrimonium licitè & validè contrahere possint, *c. Si quis* 37. *c. Lectores*; 8. *c. Placuit*; 13. *& seq. dis.* 32. Si tamen Clerici, qui infrà Subdia- « conatum, adeóque in minoribus Ordinibus sunt « constituti, de facto matrimonium contraxerint, « per Ecclesiasticam censuram ad beneficia Eccle- « siastica relinquenda, & retinendas uxores compel- » li debent, prout statuitur *in c.* 1. *in princ. h. t.* quia « matrimonium tenet.

VI. Similiter Clericos in minoribus Ordinibus constitutos, si uxorem duxerint, non posse Ecclesiastica beneficia retinere, sed ijs privandos esse statutum habetur *in c. Diversis* 35. *h. t.* Nam cùm intellexisset Innocentius III. quòd aliqui Clerici in- « quadam Diœcesi contrahere matrimonium, & ta- « men beneficia Ecclesiastica retinere, contenderent, « idcirco idē Papa mandavit Episcopo loci, ut hujus- « modi Clericos beneficiis Ecclesiasticis, quæ in sua « Diœcesi sunt adepti, privet, appellatione remotâ. « Tum quia in Clericorum conversatione Cithara « malè concordat cum Psalterio (id est, laicalis con- « versatio cum Clericali ministerio, ut explicat *Gl.* » *hîc V. Cithara*): Tum quia alligatus uxori cogitat, « quomodo placeat uxori, & sic divisus est quasi in « duo, & minùs aptus est ad serviendum Ecclesiæ: « tum

» tum denique, quia per tales rerum Ecclesiasticarum » substantia perire solet: periculum enim est, ne ea, » quæ Ecclesiæ sunt, filiis & nepotibus largiantur, c. » *De Syracusanæ*; 13. *dist.* 28. Quòd si tamen Episco- » pus Clerico conjugato (vel alij inhabili, v. g. irre- » gulari, vel criminoso) beneficium Ecclesiasticum » scienter contulit, nõ ipsemet collator eum privare » debet, sed per Superiorem ejus (videlicet Metro- » politanum vel Papam) privandus est. Ratio est, quia Superior v. g. Episcopus non potest proprio fa- cto suo contradicere, illúdque oppugnare vel rescin- dere, juxta c. *Veniens*; 5. *de filiis Presb. & notat Gl. hîc V. non per te*, dummodò scienter beneficium contule- rit, secus si ignoranter, tum enim ipse Episcopus per se posset eos privare, *Gl. hîc V. scienter.* Si verò tali casu Clericus beneficiatus, qui uxorem duxit, benefi- cium deserere nolit, poterit Episcopus Superiori eum denunciare, videlicet Papæ, licèt accusare eum non possit; quia quem semel aliquis approbavit, accu- sando reprobare non potest, ut docet *Innocent. hîc. n.* 2. *& 3. arg. l. si uxor.* 13. §. *ult. ff. ad leg. Jul. de adult.*

VII. Prætereà *in c. Quod à te*; 3. *h. t.* statuit » Alexad. III. ut Clerici in minoribus Ordinibus » constituti & beneficiati, si ad incontinentiam pro- » ni, accipiant uxores, priventur beneficiis Ecclesia- » sticis; quia simul carnalibus desideriis, ac Divinis » & Ecclesiasticis Officiis vacare non valent, atq; pro- » pter immunditiam suam Sacramentis tractandis » sunt indigni. Verumtamen si hujusmodi Clerici » Ecclesiis, in quibus intitulati fuerunt, seu benefi- » cium nacti sunt, aliqua bona sua contulerunt, illa » ipsis, postquàm ab earundem Ecclesiarum minis- » terio ac beneficio remoti fuerunt, restitui debent.

VIII. Pro explicatione *hujus c.* Notandum primò, usus conjugij non benè congruit cum ministerio Al- taris, à quo abesse debet omnis immunditia, propter ejus sanctitatem: quamvis enim opus conjugale pro- pter rationem Sacramenti sit cohonestatum & san- ctificatum, ideóque etiam concubitus cum propria uxore *in c. Nicæna*; 12. *dist.* 31. castitas vocatur: ma- terialiter tamen, & quoad speciem naturæ, convenit cum opere fœdo & immundo, ut docet *S. Thom.* 3. *p. q.* 49. *n.* 1. ideóque non potest decenter consistere cum ministerio Altaris. Et hinc etiam in Veteri Testa- mento Sacerdotibus interdictus fuit usus conjugij, tempore vicis suæ, seu dum in Templo ministrare, & sacrificare debebant: cùm ergo in nova Lege decens sit, ut Sacerdotes continuò ministrent in Ecclesia, & jugiter DEO Sacrificium longè excellentius & purius offerant, ideo jubentur Ministri Altaris, maximè Sa- cerdotes, ab omni commercio carnali, etiam à pro- pria uxore abstinere, *Laym. lib.* 5. *tract.* 9. *c.* 11. *n.* 9.

IX. Quare etiam Orientales seu Græci Sacer- dotes nunquam poterant uxorem ducere, post susce- ptum Sacerdotium, sed hoc solùm ipsis concessum fuit, si ante Clericatum, vel in minoribus Ordinibus constituti, matrimonium cum Virgine inijssent, pos- sint posteà ad sacros Ordines, etiam Sacerdotium, promoveri, & matrimonio anteà contracto uti; quia Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisit, ideóque etiam conjugati ad Sacerdotium in illa ad- mittuntur, non exacto voto continentiæ, prout su- » mitur *ex c. Cùm olim*; 6. *h. t.* Nam cùm Canonici » Ecclesiæ Anglorienſis Cantorem Tricarienſem in Episcopum elegissent, Archiepiscopus Anche- » rontinus electionem illius examinans, reperit, » quòd pater ejus Græcus & Sacerdos fuerit, & juxta » morem Græcorum, in minoribus Ordinibus con- » stitutus uxorem duxerit, ex qua in Sacerdotio » istum electum suscepit: alioquin & formam ele- » ctionis esse canonicam, & personam idoneam. » Consultus Papa Innocentius III. respondit: Ori- » entalem Ecclesiam votum continentiæ non admi- » sisse, adeóque Orientales in minoribus Ordinibus » constitutos matrimonium contrahere, & post sus- » ceptum sacrum Ordinem, vel etiam Sacerdotium, » matrimonio contracto uti posse. Quare mandat » Archiepiscopo, ut electum Episcopum, si aliud » impedimentum Canonicum non obsistat, confir- » met, & consecret: nisi consuetudo Regionis re- » pugnet, ac vetet, ne Græci inter Latinos conver- » sentur, hoc est, ritu latino ordinentur: *ubi Gl. fin.* » *ait*, quòd consuetudo facit ineligibilem, qui aliàs eligibilis est; & ut, qui de Jure communi habilis est ad matrimonium contrahendum, per consuetudi- nem fiat inhabilis.

Hinc etiam colligitur, quòd in Ecclesia Occi- dentali votum continentiæ sit annexum ex Constitu- tione Ecclesiæ Subdiaconatui, & alijs Ordinibus su- perioribus, ita, ut qui promoventur ad sacrum Ordi- nem, tacitè censeantur vovere continentiam, etiamsi nulla fiat expressa mentio de tali voto, *Gl. hîc V. Vo- tum continentiæ in fine.*

X. Notandum secundò, si Clerici in minori- bus constituti contrahentes matrimonium privati sint beneficiis, debent illis restitui bona, quæ Eccle- siis, in quibus erant intitulati, obtulerunt, *cit. c. Quod à te in fine h. t.* Nam olim non infrequens erat, ut Cle- rici Ecclesiæ sæculari, vel etiam regulari se & posses- siones suas seu bona offerrent alicui Ecclesiæ sæculari, vel etiam regulari: quia tamen regulares non erant, nec votis Religionis in manibus Prælati emissis ob- stricti, ideo poterant liberè recedere, imò etiam uxores ducere, si nullum Ordinem sacrum recepis- sent. Porrò hujusmodi Conversi seu Oblati, vel se principaliter obtulerunt Ecclesiæ; bona verò sua so- lùm accessoriè, sive cum habitudine ad personam suam: & tunc Oblatus, si recedat ab Ecclesia, uti po- test, ei reddenda sunt bona sua; quia accessorium se- quitur principale, adeóque & bona personam, cen- setur enim talis recedendo, tacitè revocare donatio- nem bonorum tanquam factam ob causam, causâ non secutâ. Vel tales Oblati bona sua principaliter & per se donârunt Ecclesiæ: & tunc non poterunt eadem repè- tere, nec recuperat illa Oblatus, si ab Ecclesia recedat, nisi ex gratia fiat restitutio, *Abb. in cit. c.* 3. *in fine h. t.* Si tamen pauper sit, & non habeat, unde vivat, ei re- stituenda sunt bona sua, ut tradit *Hostiens. in summ. n.* 2. §. *& in quo relevantur h. t.* quia donatarius, si donatio in magna quantitate facta sit, debet donatorem ad inopiam redactum alere, ut docet *Laym. lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 12. *n.* 17. *& alij communiter.* An autem in dubio censeri debeat donatio facta principaliter & abso- lutè, an verò solùm accessoriè ad personam: di- stinguendum est, si enim donatio facta sit omnium bonorum, vel majoris partis, vel saltem valdè ma- gnæ & notabilis partis, tunc censetur donatio facta accessoriè ad personam; quia nemo præ- sumi-

sumitur in dubio velle bona sua in notabili quantitate profundere: aliàs verò censeri debet donatio facta principaliter & absolutè, *Abb. in cit. c. 3. n. 5. & 6. h. t. Sanch. lib. 7. mor. c. 1[illegible] n. 6. & seqq.* ubi agit de donatione facta à Novitio seu volente ingredi Religionem, de qua suo loco.

§. III.

Vtrùm Clericus, matrimonium contrahendo, amittat beneficia obtenta ipso iure, an verò solùm per sententiam Iudicis?

XI. Assertio 1. si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium validè contrahat, ipso jure vacant ejus beneficia, quæ obtinuit, etiam ante sententiam Judicis, ut tradit *Gl. in c. 1. V. Relinquenda h. t. & ibid. Abb. n. 4. Sanch. lib. 7. de matr. dis. 42. n. 4. & alij DD. communiter apud eund. & apud Barb. in Collect. in cit. c. 1. n. 2. h. t.* Ratio est, tum quia matrimonium validum est incompatibile cum beneficio Ecclesiastico, ac proinde cùm Clericus sciat, vel scire debeat, quòd simul beneficium retinere, & uxorem habere non possit, hoc ipso, quòd uxorem ducit, censetur tacitè & ipso facto renunciare beneficio, *arg. c. Ex transmissa 3. de renunciat. & c. Cum renunciatur 9. caus. 32. q. 1.* contrario enim facto creditur jure proprio, *arg. l. 1. C. de furtis.* Tum quia sub ea tacita conditione confertur Clerico beneficium, ne statum incompatibilem, eo retento, assumat, cujusmodi est status matrimonij; quia eo assumpto, hoc ipso, tanquam deficiente conditione, statim perdit beneficium. Ex quo patet, Clericum talem incuntem matrimonium validum, non amittere beneficium in pœnam delicti, quæ non incurritur, ante sententiam Judicis, saltem in conscientia, nullum enim delictum est, quòd Clericus sacro Ordine non initiatus matrimonium contrahat: sed amittitur beneficium ex eo; quia sponte assumit statum incompatibilem cum beneficio, ut notat *Sanch. c. l.*

XII. Non obstat primò, quòd *in c. 1. & 3. h. t.* dicitur, si Clerici infrà Subdiaconatum uxores acceperint, compelli debeant ad relinquenda beneficia, & ijs privandi sint, ergo non sunt privati ipso jure seu facto. Nam ibi non dicitur compellendos esse Clericos illos, ad relinquenda beneficia, vel privandos, quasi non vacaverint ipso jure: sed quia ipso jure vacabant, ideò statuitur privandos esse possessione beneficiorum, & ad illam dimittendam compellendos esse, quam injustè adhuc detinebant. Non obstat secundò, quòd, si quis ab initio sit habilis ad beneficium obtinendum, illud non perdat, etiamsi posteà fiat inhabilis, v. g. irregularis; cùm ergo Clericus in minoribus, tempore, quo obtinuit beneficium, fuerit habilis, non perdit illud, ratione conjugij subsequentis, per quod inhabilis fit ad obtinendum. Nam respondetur, id verum esse, quando quis excluditur à beneficio ob inhabilitatem personæ; at hic perdit beneficium, ob tacitam renunciationem, *Sanch. c. l. n. ult.* Non obstat tertiò, quòd *in c. Si qui verò 3. dis. 32.* dicitur, *& in c. Quia tua 8. caus. 12. q. 1.* repetitur: Si Clerici sacro Ordini non initiati continere nequeant, uxores ducere debent, & stipendia accipere. Verùm ibi sermo est de stipendio, quod datur ratione laboris, quem canendo, v. g. vel organa pulsando, in Ecclesiâ præstant, non tamen in titulum, *Sanch. cit. l.*

XIII. Extenditur autem primò, ut per matrimonium contractum per verba de præsenti, etiamsi non sit consummatum, Clericus in minoribus constitutus ipso jure perdat beneficia; quia per sponsalia de præsenti, etiam copulâ non secutâ, verè est assumptus status incompatibilis cum beneficio, *Sanch. c. l. n. 5. Garcias tract. de beneficiis p. 11. c. 8. n. 1.* Imò etsi post matrimonium contractum, uxor nondum cognita moriatur, vel Religionem ingrediatur, & sic matrimonium ratum dissolvatur, non ideò recuperat Clericus beneficia, quæ jam per matrimonium per verba de præsenti contractum vacârunt; quia postquàm semel vacârunt, non possunt recuperari, sine nova collatione, jus enim semel extinctum, non revivisci ampliùs, licèt causa extinguens cessârit, *arg. Clement. Gratiæ 4. de rescript. junct. Gl. V. Resignaveris*, ubi ait, gratia peremptа non revivisci, licèt res revertatur in pristinum statum, ut si Clericus contraxit matrimonium, quod posteà dissolvitur per professionem sponsæ non cognitæ, *Abb. in cit. c. 1. n. 6. h. t. Sanch. c. l. n. 6. Garc. c. l. n. 3.*

Extenditur secundò, per matrimonium validum talis Clerici amittuntur insuper accessus, regressus, ac quælibet alia jura ad beneficium Ecclesiasticum ipsi contrahenti competentia: ut si quis impetravit rescriptum ad beneficium vacaturum, & antequam vacaret, validè contraxit matrimonium, sed posteà defunctâ uxore, vacavit beneficium impetratum, non potest illud petere, vi talis rescripti: ratio est; quia cùm matrimonium sit status incompatibilis cum beneficio, ipso contracto, non sola beneficia: sed etiam omnia jura ad illa, tanquam derelicta habentur; idque probatur *ex cit. Clement. Gratiæ, ubi habetur:* eum gratiæ, ut de dignitate vel beneficio curato sibi provideatur, tacitè renunciare, si ante collationem ejusdem, aliud beneficium incompatibile pacificè assequatur, quamvis illud posteà resignaverit, vel resignare paratus sit. Ratio est, quia cùm per acquisitionem secundi beneficij incompatibilis vacet prius beneficium, multò magis vacabit jus ad illud, fortius enim est jus in re, quàm ad rem, & faciliùs hoc amittitur, *Sanch. c. l. n. 7. Garcias cit. c. 8. n. 2.*

Addit *Sanch. c. l. n. 9.* per matrimonium non extingui dispensationem, v. g. cum illegitimo, ad obtinendum beneficium, quò minùs, soluto matrimonio, possit virtute illius obtinere beneficium; quia per dispensationem nullum jus acquititur, nec in re, nec ad rem: sed tantùm amovetur impedimentum, ob quod aliquis incapax & inhabilis est redditus, ita ut habilis fiat, ac maneat.

Extenditur tertiò, per matrimonium contractum à tali Clerico, non solùm amittuntur beneficia: sed etiam pensiones Ecclesiasticæ titulo Clericali alicui collatæ; quia per assumptionem statûs conjugalis censetur illis renunciari, sicut & beneficiis, quorum loco subrogantur hæ pensiones, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur, ac proinde, qui est incapax beneficij Ecclesiastici, est etiam incapax pensionis Clericalis, *Sanch. lib. 7. de matr. dis. 44. n. 5. & alij apud eundem.* Aliud est de pensione assignata Clerico in minoribus pro ministerio merè temporali,

ut, quia est Advocatus Ecclesiæ, vel Sacrista; quia ea pensio non datur in titulum beneficij, ideóque non vacat per matrimonium contractum, *Sanch. c. l. n. 4.* Excipiuntur etiam milites Lauretani, & alij quidam Ordinum militariū, quibus ex speciali privilegio SS. Pontificum concessū est, ut retinere possint pensiones Ecclesiasticas, etiamsi contrahant matrimonium cum unica & Virgine, prout refert. *Barb. in cit. c. 1. n. 6. h. t.*

XIV. Limitatur autem prædicta assertio, quòd, quando contrahuntur sponsalia per verba de futuro, non amittuntur beneficia Clerici in minoribus, ipso jure; quia sicut per adeptionem secundi beneficij incompatibilis, non vacat primum, dum plena possessio secundi non est obtenta, *c. Commissa; 30. de elect.* ita per sponsalia de futuro non vacant beneficia, quia per illa non assumitur status plenè incompatibilis cum beneficiis: sed sunt tantùm via ad illum statum obtinendum, *Sanch. cit. dis. 42. n. 1. Garc. c. l. n. 19. Barb. in cit. c. 1. n. 11. h. t.*

XV. Ex dictis infertur primò, quòd Clericus contrahens matrimonium validum, non possit retinere priora beneficia, sed tenetur statim ea dimittere, alioquî enim est injustus detentor rei non suæ, ac proinde etiam tenetur ad restituendos omnes fructus à se, post matrimonium initum, perceptos, *Sanch. c. l. n. 10. & 12. Barb. c. l. n. 2. & alij apud ipsos.* Infertur secundò, beneficium talis Clerici conjugati tanquam vacans de jure impetrari potest ab alio Clerico, & ipsi conferri; licèt de facto non vacet, si Clericus conjugatus illud adhuc possideat, inito enim matrimonio, non jure, sed solo facto illud possidet, *Sanch. c. l. n. 11.* Et ideo in isto casu requiritur sententia Judicis, per quam declaret Clericum privatum esse beneficio, & tum eam ita exequi debet, ut à tempore ductæ uxoris beneficium vacâsse intelligatur. Infertur tertiò, cùm Clericus beneficiatus contrahens matrimonium validè, ipso jure privatus sit beneficio, consequens est, quòd illud non possit in favorem tertij resignare, quia nullum jus in illud beneficium ampliùs habet, *Sanch. c. l. n. 12. & 13.*

XVI. Assertio 2. si Clericus Beneficiatus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium invalidè contrahat, ob defectum seu impedimentum aliquod, etsi secundùm communem ferè sententiam, beneficium ipso jure vacet: probabilius tamen est, ita contrahentem, beneficio per sententiam Judicis privandùm esse, nisi cum ipso dispensetur, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. 1. h. t. Sanch. l. 3. de matr. dis. 43. n. 3. Les. l. 2. de justit. c. 34. n. 113. Laym. lib. 4. tr. 2. c. 14. n. 7. Garc. de benef. p. 11. c. 8. n. 17.* Ratio est, quia invalidè contrahens matrimonium non amittit beneficium, ob tacitam renunciationem, quia tacita renunciatio non potest habere majorem vim, quàm expressa: at hæc non inducit vacationem beneficij, nisi facta sit in manibus legitimi Prælati seu Superioris, *c. Nisi; 10. c. Quod in dubiis; 8. de renunc.* Neque etiam amittitur beneficium, ob assumptionem statûs incompatibilis cum illo, quia verè non assumitur status incompatibilis, cùm matrimonium sit irritum, nec voluntas assumendi, quantùm est in se, adeóque etiam dimittendi beneficium, sufficit ad inducendam vacationem beneficij, cùm talis voluntas seu conatus non sortiatur effectum: sicut nec renunciatio expressa non facta in manibus Superioris ad id sufficit. Neque etiam talis Beneficiatus amittit beneficium, ob juris dispositionem; quia Canones ipso facto privantes Beneficiatum, si uxorem accipiat, loquuntur de matrimonio valido, cùm dicatur *in cit. c. 1. h. t.* tales Clericos conjugatos per censuram Ecclesiasticam compellendos esse ut uxores retineant, adeóque hîc supponitur matrimonium fuisse validum. Confirmatur, quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, juxta *Reg. Jur. 52. in 6.* & quod nullum est, nullum potest producere effectum, *l. si se 4. §. condemnatum ff. de re judic.* cùm ergo tale matrimonium nullum sit, non inducit juris effectum. Accedit, quòd nullus textus juris reperiatur disponens, in tali casu solam attentationem facti sufficere; licèt id in alijs quibusdam casibus reperiatur dispositum, quod tamen cùm sit pœnale quid, extendendum non est ad casus non expressos.

XVII. Ex dictis deducitur primò, si Clericus beneficiatus in minoribus contrahat invalidè matrimonium, non vacant beneficia illius ipso jure: sive matrimonium irritum sit, ob impedimentū consanguinitatis, sive ob aliud dirimens: & sive contrahens Clericus noverit illud impedimentum, sive ignorârit, *Sanch. c. l. n. 5. & alij apud ipsum.* Secundò, idem dicendum, si matrimonium sit irritum, ob defectum ætatis, quia utérque contrahens, aut alter est impubes, nec malitia supplet ætatem, nam matrimonium tale habet vim sponsalium, *c. unic. de despons. impub. in 6.* sed per sponsalia de futuro inita non vacant beneficia, ut patet ex suprà dictis, *Sanch. c. l. n. 6.* Tertiò, non vacant etiam beneficia, si matrimonium irritū sit, ob defectū consensûs voluntarij; quia nimirū Clericus non erat sanæ mentis, vel gravi metu coactus fuit ad contrahendum matrimonium, vel fictè consensit, *Sanch. c. l. n. 7. Laym. c. l. Garc. c. l. n. 10. & 11.* hoc enim casu, tacita renunciatio Clerici manifestè cessat. Quartò deniq; non vacant ipso jure beneficia talis Clerici, si matrimonium sit irritū, eò quòd sit clandestinū, nempe celebratum sine præsentiâ Parochi & testium, quæ cùm juxta *Concil. Trident. Sess. 24. c. 1. de reform.* ad formam substantialem matrimonij pertineat, eâ intermissâ, matrimonium est nullum, adeóque non potest inducere vacationem beneficiorum ipso jure, *Sanch. c. l. n. 8. Garc. c. l. n. 14. & 15. Laym. c. l.*

Cæterùm si talis Clericus invalidè contrahat matrimonium, poterit beneficium resignare in favorem alterius, antequàm per Judicis sententiam eo privetur, cùm necdum vacet, *Sanch. c. l. n. 9. & Laym. c. l.*

XVIII. Assertio 3. probabilius est, si Clericus in sacris Ordinibus constitutus matrimonium invalidè contrahat, eum nō privari beneficiis ipso jure, quamvis in pœnam privari possit ab homine seu Judice per sententiam, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. 1. h. t. Jo. Andr. in c. Joannes; 7. n. 29. eod. Sanch. cit. dis. 43. n. 4. Les. c. l. n. 51. Laym. c. l. Garc. cit. c. 8. n. 17. contra Abbat. in cit. c. 1. n. 7. & alios.* Idq; sumitur *ex cit. c. 1. h. t.* ubi discrimen fit inter Clericos minorum Ordinum, & Clericos in sacris constitutos: atque de prioribus dicitur cogendos esse, ut beneficia Ecclesiastica dimittant, uxores verò retineant: de posterioribus verò solùm dicitur, cogendos esse, ut uxores dimittant: quamvis per sententiam Judicis, donec uxores dimiserint, & se emendaverint, ac plenè satisfecerint, ab officio & bene-

& beneficio suspendendi sint, ut colligitur ex c. *S* 5 4. *h. t.* Deinde idem probatur ratione, quia si clericus in sacris Ordinibus existens, & ducens uxorem privatus est ipso jure beneficijs, tum vel ijs privatus est propter assumptionem statûs incompatibilis, adeôque tacitam renuntiationem; vel in pœnam delicti. Non primum, quia cùm matrimonium sit irritum, non potest verè dici eum assumere statum incompossibilem cum beneficio. Non secundum, quia talis constitutio pœnalis in proposito casu non extat.

XIX. Sed contra objcitur Primò. Si quis Ordines sacros suscipiat, & ad secundum matrimonium de facto transeat, censetur bigamus, & ut talis punitur, etsi verè bigamus non sit, quia quantum in ipso fuit, secundam duxit uxorem, *c. Nuper* 3 4. *de big. non ord.* Item si is, qui habet unum beneficium curatum, alterum curatum per vim accipiat, seu se intrudat, licèt adeptio secundi beneficij sit irrita, tamen ipso jure vacat primum, & amittitur, *c. Eum qui* 3 18. *de præben. in 6.* Ubi ratio redditur, quia non decet, ut invasor melioris conditionis sit, quàm is, qui justè accepit alterum beneficium: hæc autem argumentatio similiter locum labet in Clerico in sacris constituto, si matrimonium temerè, & invalidè contrahere præsumat. Rursum in *c. Quanto* 3 3. *de transl. Episc.* similiter decernitur, quòd si Episcopus ad alterum Episcopatum, propriâ auctoritate, se transferat, etiam priore legitimè habito Episcopatu carere debeat: Ergo etiam in præsenti Clericus, qui de facto matrimonium validè contraxit, erit ipso jure privatus beneficio, quod antea possedit. Resp. Leges pœnales, etiam ob paritatem rationis non esse extendendas ad casus diversos: nisi necessitas cogat; quia nimirum alioqui iniquitas, contradictio jurium, vel aliud absurdum sequeretur, præsertim cum obstent hîc omniâ jura, quæ clamant, quod irritum est, nullum producere effectum, *Sanchez cit. disc. 43. n. 3.*

Objcitur secundò. Talis Clericus, assumendo, quantùm est in ipso, statum conjugalem incompatibilem cum beneficio, censetur ei ipso facto renunciare, *arg. c. 3. de renunc.* Respondetur non satis esse, quòd aliquis velit assumere statum incompatibilem, si voluntas effectum non sortiatur, ut suprà dictum, quia voluntas seu conatus inefficax non reputatur pro facto, quando agitur de pœnis, vel impedimentis incurrendis, nisi id jure sit expressum.

§. IV.

An Episcopus possit dispensare cum Clericis coniugatis in minoribus, ut possint obtinere beneficium, vel cum Clericis in sacris constitutis, qui uxores de facto duxerunt, ut officia sacra ordinum iterum exercere possint.

XX. Assertio 1. Episcopus non potest dispensare cum Clerico conjugato, quamvis unicam, eámque virginem duxerit, & Clericalem habitum, ac Tonsuram ferens, Ecclesiæ alicui servire velit, ut Ecclesiasticum beneficium obtineat, sive curatum, sive simplex, sed solus S. Pontifex id potest, ut docet *Gl. fin. in addit. in c. Ioanes* 3 7. *h. t.* ubi ait, Clericus conjugatus, ex dispensatione Papæ, potest beneficium habere, & *Abb. ibid. n.* 7 *Sanch. cit. disc. 42. n.* 18. *Garc. p. 3. de benef. c. 5. n. 41.* contra Innoc. & Imol. Idque sumitur ex *c. Diversis* 3 5. *h. t.* Ubi præcipitur Episcopo, ut Clericos conjugatos beneficijs obtentis privet, & mox additur. *Nisi forte talibus scienter contulerit Ecclesiastica beneficia, quibus eos non per te, sed per Superiorem decernimus spoliandos.* Ergo non potest Episcopus dispensare, nam aliàs si sciens Episcopus contulisset Clerico conjugato beneficium, cum eo tacitè ac ipso facto dispensâsset, adeoque collatio fuisset firma, ac valida, neque Clericus talis privandus esset beneficio ab Episcopo collato, quòd tamen repugnat illi texui. Idem ulteriùs probatur, tum quia Episcopus non potest dispensare contra decreta SS. Canonum, nisi id expressè ei concessum sit, inferior enim legem Superioris tollere non potest: At secundùm SS. Canones, Clerici conjugati in ordine ad res Ecclesiasticas, seu beneficia, censentur ut Laici, adeóque sunt incapaces beneficiorùm Ecclesiasticorum, sicut Laici: ergo non potest contra Canones Episcopus cum illis dispensare, cùm id nullibi expressè concessum sit Episcopis, sed potiùs prohibitum conjugatis conferre beneficia in *c. 1. & 2. seqq. h. t.* Tum quia Clerici conjugati non admittuntur ad Ecclesiasticas administrationes, *cit. c. 2. h. t.* Ergo neque ex dispensatione Episcopi capaces sunt beneficij, quia hoc, etsi simplex, datur solùm ratione administrationis, vel officij Ecclesiastici, *c. Proposuit* 3 6. *de filiis Presb. c. Conquerente* 3 6. *tit. seq.*

Non obstat *cit. c. Ioannes*; ubi supponitur, Clericum conjugatum posse aliquando habere beneficium Ecclesiasticum: nam id intelligi debet, non ex Episcopi, sed Papæ dispensatione. Neque etiam obstat, quòd Episcopus potest dispensare cum homicida &, irregulari ad beneficium simplex obtinendum, *c. ad audientiam* 3 12. *de homic.* Et cum depositio ab Ordine, & Officio, *c. Salonitanæ* 3 24. *disc. 63.* Ergo etiam cum Clerico conjugato. Nam ut benè notavit *Abb. in cit. c. Ioannes* 3 *n.* 8. in materia dispensationis, quippe quæ est exorbitans, non valet argumentum à casibus permissis, ad non permissos, etiamsi hi majores sint, quæ enim exorbitant à Jure communi, non sunt in consequentiam trahenda: præterquam, quòd non sit eadem ratio in Clerico conjugato, quæ in alijs prædictis, ut ostendit *Abb. c. l.*

XXI. Assertio 2. Episcopus potest dispen- » sare cum Sacerdotibus (& alijs Clericis in sa- » cris constitutis) qui matrimonium contrahere » (de facto, non de jure) præsumpserunt, ita ut » post longam pœnitentiam actam, & vitam laudabiliter in continentia ductam, officijs suis resti- » tui, eáque exercere possint, prout statuit Alexander III. *in c. Sanè* 3 4. *h. t.* Imò ut etiam ad Sacerdotium promoveri possint, *iuxta c. 1. junct. Gl. V. Dispensativè*; Qui Clerici, vel voventes, &c.

XXII. Cæterùm dispositio hujus c. intelligi debet de Sacerdotibus, & alijs Clericis in Sacris, qui cùm una, eáque virgine, matrimonium contraxerunt, etsi in textu id non exprimatur, non autem si cum vidua, aut corrupta, vel si cum duabus fœminis contraxerit, etsi virginibus, *Gl. fin. hic in fine.*

quia alioqui adversaretur c. *Nuper.* 3 4. & c. *ult. de bigamis*, in quorum priore dicitur, non posse dispensari cum Clericis, qui in Sacris constituti secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt: in posteriore verò dicitur, non licere dispensare, quando tales Clerici cum vidua contraxerunt, *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 86. n. 20.* Ratio verò, cur cum tali Clerico ducente unicam virginem, post susceptos sacros Ordines, dispensari potest, est; quia talis non veram, neque interpretativam bigamiam incurrit, sed similitudinariam tantùm, ut dictum suprà *l. 1. tit. 21. n. 31.* Imò nec hanc bigamiam, sed solùm irregulariratem quandam incurrit, ut censet *Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 6.* eò quòd in Titulis Decretalium, in quibus de matrimonio à Clericis illegitimè contracto agitur, nulla unquam bigamiæ mentio fiat, de quo etiam dictum suprà *c. l. n. 21.* Illud hîc addendum, quòd, qui in Sacris constituti de facto contrahunt matrimonium sacrilegè, suspecti fiant de hæresi, ut notat *Gl. marginalis in cit. c. Sanè* 3 4. *h. t.*

§. V.

An: & quâ ratione Clerici in minoribus Ordinibus constituti, & coniugati gaudeant privilegiis Clericalibus, vel contrahendo matrimonium, illa perdant.

XXIII. Assertio 1. Si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat, tanquàm Laicus censetur, ita ut privilegia Clericorum non participet, exceptis duobus, de quibus infrà. Et hinc Clericus uxoratus, etiamsi Tonsuram ferat, & habitum Clericalem, non gaudet privilegio Clericali, adeóque ad Tonsuram ferendam, & habitum ab Episcopo compelli non potest, ut constat ex *c. Ioannes* 3 7. *h. t.* Ubi habetur, quòd cùm quidam, Ioannes nomine, in Acolythum ordinatus uxorem duxisset, Episcopus Pictavienſis volebat illum ad Tonsuram Clericalem ferendam compellere, de quo Ioannes conquestus est apud Papam Innocentium III. allegans, quòd ex gestatione Tonsuræ inter ipsum, & uxorem scandalum generetur, & quòd secundùm consuetudinem loci illius, Clerici uxorati non cogantur inviti gestare Tonsuram. Ad hoc respondet Papa, cùm Clericus conjugatus, etiamsi Tonsuram ferat, non possit privilegio Clericali gaudere, ideò dictum Ioannnem non esse cogendum ad Tonsuram ferendam, dummodò nullum Ecclesiasticum beneficium obtineat, ratione cujus Tonsuram Clericalem deferre deberet: aliòquin verò, si beneficiatus non sit, cùm ipsum sæcularia negotia tractare oporteat, Tonsura ipsi (& habitus Clericalis) in Ecclesiastici Ministerii vituperium redundaret.

XXIV. Hinc colligitur primò. Quòd per contractum matrimonium non desinat quis esse Clericus; etiamsi Tonsuram, & habitum Clericalem non deferat, quia character Ordinis est indelebilis, & Tonsura non pertinet ad substantiam Ordinis, sed est solùm externum signum illius, *Abb. hîc n. 2.* Quia tamen Clerici conjugati ab officijs, & beneficijs Ecclesiasticis repelluntur, imò nec privilegijs Clericalibus gaudent, ideò non debet illis hoc onus, seu obligatio imponi, deferendi Tonsuram, & habitum Clericalem: at verò si ex dispensatione Papæ officium, & beneficium Ecclesiasticum habere permittantur, tum jure compelli possunt ad Tonsuram, & habitum Clericalem ferendum, ut patet ex hoc c.

Colligitur tertiò, potest per diuturnam consuetudinem præscribi contra Legem, seu Canonem Ecclesiasticum latum de ferenda Tonsura, & habitu Clericali, v. g. ut Subdiaconi clericaliter non incedant. Ratio est, quia per diuturnum non usum abrogari potest lex positiva, si non usus in se implicitè contineat quasi actum contrarium dispositioni Legis, ut tradit *Abb. in cit. c. Ioannes* 3 *n. 9.* Sed non deferre habitum, & Tonsuram Clericalem, est quasi actus contrarius Legi, seu Canoni præcipienti delationem, nam juxtà *reg. jur. 21. in ff. qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ facit*, ac proindè accedente bonâ fide, si nimirum communis persuasio sit in populo, Subdiaconos in tali loco non esse obligatos ad deferendum habitum, & Tonsuram Clericalem, potest induci, viâ præscriptionis, consuetudo contraria. Verùntamen Ordinarius loci potest per novum Statutum, quod Juri communi Canonico conforme est, v. g. in Synodo Diœcesanâ conditum, talem consuetudinem iterum abrogare, & sic pristinam legem, vel Canonem rursum in observationem reducere.

XXV. Similiter in c. Ut consultationi 10. & » *ult. h. t.* statuit Honorius III. Quòd, si quis in » minore ætate constitutus Tonsuram, & Coronam » Clericalem accepit, & postèa miles factus fuit, » non sit cogendus deferre habitum Clericalem; quia nimirum transeundo ad militiam, qui est status incompatibilis cum Clericatu, huic ipso facto renunciâsse censetur, *Gl. fin. hîc.* ita ut postquàm in Matriculam militarem relatus est, etiamsi statum, vel habitum Clericalem reassumat, non recuperet beneficia priùs obtenta, aut privilegia Clericalia, ut notat *Barb. in, Collect. hîc n. 3.* Idem dicendum est de alijs Clericis tonsuratis, vel in minoribus Ordinibus constitutis, non enim cogi possunt ad Tonsuram, & habitum Clericalem ferendum, etiamsi conjugati non sint, nec militiæ nomen dederint, *Abb. hîc n. 2.* Quia tales ad statum Laicalem redire, non prohibentur: neque cogi possunt ad ferendum habitum, & Tonsuram Clericalem, nisi sub conditione, si gaudere velint privilegijs Clericalibus. Quarè quòd in hoc c. mentio fiat de Clerico, qui miles factus est, solùm exempli loco allatum est, & quia ad casum, seu speciem facti pertinet.

XXVI. Assertio 2. Clerici, qui à minoribus constituti, Clericali habitu, & Tonsurâ relictis, uxores duxerunt, & postèa habitum Clericalem reassumpserunt, ut declinent Jurisdictionem potestatis sæcularis: vel etiam matrimonium contraxerunt, licèt habitum, & Tonsuram nunquam deposuerint, non gaudent privilegijs Clericalibus in bonis, seu rebus suis, adeóque tributa, vectigalia, aliásque exactiones Regibus,

» gibus, & Principibus sæcularibus solvere debent, » & hi à talibus Clericis conjugatis, perindè ac ab » alijs uxoratis, & laicis, debitas justitias, & con- » suetas servitia exigere possunt, prout respondit Ho- norius III. Reginæ Angliæ *in c. Ex parte 5. h. t.* & consentit *c. unic. eod. in 6.* ubi hoc magis clarè est decisum, de quo mox plura.

» XXVII. Assertio 3. Clerici (in minori- » bus constituti) qui cum una, eâque Virgine ma- » trimonium contraxerunt, si habitum, & Tonsu- » ram Clericalem ferant, retinent privilegium Ca- » nonis *c. Si quis suadente 39. caus. 17. q. 4.* ut ni- » mirum violentas manus inijciens in Clericum, ex- » comunicationem latæ sententiæ incurrat) editi » in favorem totius Ordinis Clericalis: sed & pri- » vilegium fori retinent, ita, ut ad judicium sæcu- » lare, propter commissos ab eis excessus vel delicta, » trahi non possint, sive criminaliter agatur, sive ci- » viliter. Sed nec à Judice aliquo sæculari tales Cle- » tici conjugati in persona, vel in pecunia, seu bonis » ullo modo condemnari, aut puniri possunt (juxtà » *c. 2. de foro compet.* quod est desumptum ex Concilio » Parisiensi) ne per unam viam concedatur Judici- » bus sæcularibus, quod per aliam denegatur. A- » lijs autem Clericorum privilegijs (scilicèt quòd » Clerici, qui cum una virgine matrimonium con- » traxerunt, sint exempti à solutione vectigalium, » & aliorum tributorum) non gaudent Clerici con- » jugati: imò neq; ijs privilegijs (videlicet Canonis » & fori) nisi Tonsuram, & habitum Clericalem de- » ferant, prout statuitur *in c. Clerici; unic. h. t. in 6.*

Porrò hæc Constitutio Bonifacij VIII. confirmata est in Concilio Trident. *Sess. 23. c. 6. de reform.* ubi præter duas prædictas conditiones, ut Clericus conjugatus frui possit privilegijs Canonis, & fori, additur tertia, nempè ut alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus eidem Ecclesiæ inserviat, vel ministret, nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine etiam immemoriali suffragante.

XXVIII. Ex dictis infertur primò, Quòd Clericus verè bigamus, quia duplex contraxit matrimonium, & utrumque consumavit, vel quia duxit viduam, aut ab alio priùs corruptam, non gaudeat privilegio Canonis, aut fori: secus si duxit à se solo priùs corruptam, aut, si ab alio, matrimonium cum illa non consumavit: vel si duplex inijt matrimonium, sed alterutrum non consumaverit, vel si duxit unicam, & virginem, eámque post patratum adulterium etiam notorium, carnaliter non cognovit: nam in his casibus, talis Clericus non perdit privilegium Canonis & fori; quia conditiones requisitæ *in cit. c. unic. h. t. in 6.* ut illis privilegijs gaudeant, in illo reperiuntur, utpote qui unicam, & virginem, sive ab alio priùs non cognitam duxit, *Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 36. n. 9. Sanch. l. 7. de matr. disp. 46. num. 3.*

Infertur Secundò. Ut Clericus conjugatus perdat privilegium fori propter bigamiam, requiritur, ut tempore delicti commissi illam contraxerit, si enim post commissum delictum primùm factus est bigamus, iniens aliud matrimonium, primâ uxore virgine defunctâ, adhuc gaudet privilegio fori Ecclesiastici, quoad illud delictum, quia in hac re spectatur semper status, in quo erat tempore delicti commissi, *Clar. c. l. n. 11. Sanch. c. l. n. 4.* v. g. Si Clericus non conjugatus commisit aliquod delictum, de quo fuit accusatus, sed postea fiat bigamus, non debet remitti ad Judicem sæcularem, ut is de illo delicto cognoscat, sed ad Judicem suum Ecclesiasticum, quia attenditur status, in quo reus erat tempore delicti,

Infertur tertio. Clericus conjugatus amittit privilegia Clericalia, contrahendo matrimonium, imò etiam privilegium Canonis, & fori, si non servet conditiones requisitas, sine omni prævia monitione, & sententia declaratoria Judicis, quia privatio hæc non imponitur in pœnam delicti, sed ob defectum conditionis requisitæ ad fruendum privilegijs Clericalibus, ut docet *Sanch. cit. disp. 46. n. 19.* Non obstat, quòd trina monitio requiritur, ut Clericus in minoribus constitutus non deferens Tonsuram, & habitum amittat privilegium Clericale, *c. In audientia 5. de sent. excomm.* Nam ibi sermo est de Clerico non conjugato, qui spectato illo Jure, non perdebat privilegium Clericale per dimissionem habitûs, donec ter moneretur: secus est de jure novo Concilij Trid. *cit. sess. 23. c. 6. juxta declarat. S. Congreg. Concil. apud Ioan. Gallemart. ibid. nu. 5.* ubi declaratur, quòd Clericus conjugatus, qui diu sine habitu, & Tonsurâ incedens, Ecclesiæ alicui, etiam de mandato Episcopi, inservit, ipso facto, sine aliqua monitione præcedente, amittat fori privilegium.

XXIX. Infertur quartò. Clericus conjugatus gaudet privilegio fori, cum prædictis conditionibus, non tantùm in causis criminalibus, sive criminaliter ad vindictam agatur, sive civiliter ad restitutionem damni illati: sed etiam in causis civilibus, quæ ex contractu, vel quasi contractu descendunt, ut colligitur ex *cit. c. un. h. t. in 6.* ubi postquàm dictum est, non posse hujusmodi Clericos trahi ad judicium sæculare, sive criminaliter, sive civiliter: subditur: *vel etiam pecuniariter nullatenùs condemnari*: ne ergo hæc verba frustrà sint posita, sed aliquid operentur, debent intelligi de causis merè civilibus, nam de criminalibus jam ante dictum erat. Secundò. Conc. Parisiense allatum in *c. 2. de foro compet.* absolutè prohibet Iudicibus sæcularibus quemcunque Clericum condemnare, neque distinguit inter causas criminales, & civiles, & habet locum etiam in Clerico conjugato non bigamo, si incedat in habitu, & Tonsurâ, ut tradit *Ioan. Andr. ibid. n. 2.* nec corrigitur per *cit. c. un. h. t. in 6.* imò per illud declaratur, ergo hæc Constitutio declarans debet intelligi, iuxta interpretationes, quas prior Constitutio declarata recipit. Tertiò. Verba illa posita in *cit. c. un. pro commissis ab eis excessibus*, comprehendunt etiam illum, qui contrahendo promisit aliquid, illúdque non implet, is enim verè excessum committit, ob quem convenitur. Quartò aliàs sequeretur meliorem esse conditionem Clerici conjugati delinquentis, & per furtum v. g. acquirentis pecuniam, quàm contrahentis, v. g. qui mutuò accepit: hic enim potest coram Judice sæculari conveniri, non item prior. Et hanc sententiam tenet *Franc. in cit. c. un. §. & cùm n. 4. h. t. in 6.* & alij apud Sanch. *cit. disp. 46. n. 21.* & est sententia valdè probabilis.

Contrarium tamen tenet *Ioan. Andr. in cit. c. un. n. 2. Anchar. ibid. not. 4. Abb. in cit. c. Ioannes; n. 3. Sanch. c. l. num. 22.* & est communior sententia DD. nempè

nempè quòd hujusmodi Clerici conjugati in solis causis criminalibus, sive agatur criminaliter, sive civiliter, gaudeant privilegio fori Ecclesiastici, non autem in merè civilibus, quia text. *in cit. c. un.* expressè tantùm loquitur de causis criminalibus, idque satis apertè videtur colligi ex illis verbis: *ne per unam viam* (scilicèt pecuniariæ condemnationis) *concedatur ejsdem* (punitio Clericorum) quod per aliam (nempe corporalis punitionis) *denegatur*. Neque obstant verba subsequentia generaliora, ibi: *trahi non posse, sive criminaliter, sive civiliter ad judicium sæculare*: quia non est infrequens, verba restringi ad casum præmissum, & solius declarationis causâ addi. Neque etiam obstat Concilium Parisiense in dicto c. 2. nam hoc loquitur de Clericis in genere: at verò *cit. c. unic.* tantùm de restringendis privilegijs Clericorum conjugatorum: neque verò in causa civili propriè committitur excessus, seu delictum, quamvis negari non possit, esse peccatum, si non adimplentur contractus, *Sanch. c. l. n.* 24. Quòd autem tantùm causas criminales excipiat Pontifex *in cit. c. un.* Ratio est, quia decentius est in causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam, Clericum subijci foro sæculari, quàm in causa merè civili, in qua agitur de restitutione debiti. Addit *Sanch. c. l.* Judicem sæcularem posse in causa merè civili Clericum conjugatum etiam capere, & in carcerem conijcere, non obstante privilegio Canonis; quia tunc non injicit manus violentas in illum, sed justas, quippè qui in ea causa est Judex competens Clerici conjugati, secundùm hanc sententiam.

XXX. Restant adhuc duæ quæstiones circa privilegia Clericorum conjugatorum hîc expediendæ. Prima quæstio est, an Clericus in minoribus, qui matrimonium contraxit cum unica, & virgine, si Tonsuram, & vestes Clericales deponat, penitus ac in perpetuum amittat privilegia clericalia, etiam Canonis, & fori: an verò potiùs ea sint suspensa, ita ut recuperentur, si Clericus Tonsuram, & habitum Clericalem reassumat? Resp. Probabilius est, ea non esse penitùs amissa, sed recuperari à Clerico posse, si reassumat habitum, & Tonsuram Clericalem, ut docet *Ioan. Andr. in c. unic. h. t. in 6. n. 2. & n. 4. in fine. Franc. ibid. §. & cùm n. 6. Clar. cit. q. 36. n. 15. Sanch. cit. dis. 46. num. 29.* Idque colligitur *ex cit. c. un.* ubi Pontifex dicit in fine: *eos gaudere nolumus privilegio Clericali*, quæ verba indicant tales Clericos privari privilegijs, solùm quoad eorum usum, & exercitium, non autem quoad proprietatem, ergo reassumpto habitu, & Tonsura, tanquàm sublatâ causâ privationis, ijs iterum fruuntur. Idem probari potest *ex c. Clericus 6. de vit. & honest. Cleric.* ubi de Cletico, qui dimissâ Tonsurâ, uxorem duxit, dicitur, ut iterùm tondatur, cur autem retonderi debet, nisi ut recuperet duo privilegia Clericalia Canonis & fori, *Abb. ibid. n.* 4. Confirmatur ex Clement. I. *eod. titulo.* ubi decernitur: si Clerici macellariorum, aut tabernariorum officium publicè, & personaliter exerceant, atque tertiò moniti ab Episcopo non desistant, si conjugati sint, ut privilegijs Clericorum omninò priventur: sin autem non conjugati, privilegijs ijsdem priventur, quoad bona, nisi in habitu laicali incedant, tunc enim etiam quoad personas privilegia Clericalia amittunt, quamdiù ijsdem officijs institerint, ubi *Gl. V. quamdiù* ait, recuperabunt ergo privilegium, si desistant: nam particula illa *quamdiù* referri debet ad omnia præcedentia in una eadémque oratione posita: clausula enim in fine posita determinat omnia contenta in eadem oratione, *Sanch. c. l.* Accedit, quòd hoc privilegium non cedat in alicujus præjudicium, sed per illud Clericus conjugatus solùm eximitur, quoad personam suam, & quoad forum in causis criminalibus, *Sanch. c. l.* Ad ea, quæ in contrarium afferuntur respondetur, illa procedere, quando privilegia Clericalia sunt omninò extincta, ut si Clericus bigamus fiat: non autem quando solùm sunt suspensa, dum non reassumuntur habitus, & Tonsura, *Sanch. c. l. n.* 31.

XXXI. Hinc infertur, quòd Clericus conjugatus, qui unicam uxorem, eamque virginem duxit, eâ mortuâ, omnia privilegia Clericalia recuperet, quæ Clerici non conjugati, & tonsurati habent, si clericaliter vivere velit, & ad propria Clericorum ministeria redeat, ut docet *Covarr. pr. qq. c.* 31. *n.* 8. *vers.* 5. *in fine, Clar. cit. q.* 36. *n.* 18. *Sanch. c. l. n.* 30. Ratio est, quia privatio ista privilegiorum Clerico in minoribus constituto uxorem virginem ducenti non est imposita in pœnam delicti alicujus, per modum cujusdam depositionis: sed ideo, quòd alium statum assumpserit incompatibilem, & repugnantem statui Clericali, ergo soluto matrimonio, adeóque eo statu, veluti impedimento quodam remoto, privilegia quippe non extincta, sed suspensa tantùm, per se redire possunt, & recuperari à Clerico cùm fundamentum privilegiorum, videlicet Ordo Clericalis, qui ob characterem indelebilis est, semper maneat.

XXXII. Altera quæstio est, an Clericus conjugatus, qui unam uxorem, & virginem duxit, & Tonsuram, ac habitum Clericalem ferens alicui Ecclesiæ servit, juxta Decretum Concilij Tridentini, amittat privilegium Canonis & fori, si sæculares negotiationes exerceat? Affirmant multi DD. apud *Sanch. c. l. n.* 25. idque probari videtur ex *c. Ioannes 7. h. t.* ubi dicitur, quòd Tonsura sæcularia negotia exercentis, videatur in ministerij, sive statûs Clericalis vituperium, seu opprobrium redundare. Sed contrarium est probabilius ac verius, ut docet *Franc. in cit. c. un. §. & cùm n. 5. h. t. in 6. Covarr. c. l. n.* 8. *in fin. Sanch. c. l. n.* 26. & alij apud ipsum. Ratio est, quia Clerici conjugati (præter casus jure expressos) in omnibus reputantur tanquam Laici: atqui in Jure Canonico nullibi reperitur expressum, quòd Clerici conjugati non possint exercere licitè negotiationem honestam, victûs causâ, quamvis alijs Clericis non conjugatis ea sit interdicta *arg. cit. c. Ioannes; in fine*, ubi sermo est de Clericis non conjugatis, qui absolutè statum Clericalem, & conversationem profitentur, ideóque indecens est, si sæculatibus negotijs, etiam alioquin licitis, & honestis, se immisceant. At verò non est indecens, ut Clerici conjugati sæcularia negotia, & negotiationes licitas exerceant; quia cùm conjugati magis accedant ad statum Laicorum, quàm Clericorum, ideóque illis, sicut Laicis, permissum est, sæculares negotiationes exercere.

TITV-

TITVLVS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBVS IN ECCLESIA, VEL PRÆBENDA.

I.

AD vitæ honestatem in Clericis requiritur, non tantùm, ut in victu, vestitu, & conversatione moderatè ac decenter se habeant, fœminarum consortia vitent, castè ac continenter vivant, de quibus in superioribus Titulis actum fuit: sed etiam, ut in Ecclesiis ac Titulis Beneficiorum suorum resideant, & Officium, ratione Beneficij, debitum præstent, ideo hic Titulus prioribus subnectitur, qui etiam extat in Sexto. Dicitur autem hôc locô residere is, qui penè continuò seu assiduè commoratur in loco Beneficij, causâ servitij seu obsequij Ecclesiastici personaliter præstandi: nam si Clericus personaliter quidem moretur, seu versetur in loco Beneficij sui, sed Officium, propter quod datur Beneficium, nunquam præstet, v. g. si Canonicus nunquam ad Chorum, vel ad Capitulum veniat, non censetur residere; quia frustranea est ejus residentia, quippe quæ fine & effectu suo omninò caret, *Silvest. in summa V. Residentia, in princ. Laym. lib. 4. Theol. mor. tract. 2. c. 6. in princ.*

SECTIO I.

DE BENEFICIIS RESIDENTIAM postulantibus, & causis ab illa excusantibus, ac pœnis non residentium.

§. I.

An omnia beneficia personalem residentiam, sive assiduam præsentiam Beneficiarii requirant?

II. Præmittendum primò, duplex est necessitas seu obligatio residendi, ut ex Innocentio *in c. fin. h.t. notat Navarr. lib. 3. consil. 4. n. eodem in 2. edit. Laym. c. l.* Una est solùm ad fructus lucrandos, nam in multis Ecclesiis Canonici, seu Capitulares residere simpliciter non tenentur, sed solùm sub conditione, si fructus percipere velint: interim verò etsi non resideant, suffragium sive vocem activam & passivam in electionibus, & alijs actibus retinent: quod neque à ratione, neque à jure alienum esse videtur. Altera verò strictior, & magis propria necessitas residendi est, ad præstandum servitium Ecclesiæ, expedit enim, ut Beneficiarij officia, ad quæ ratione reditum suorum obligantur, personaliter & per seipsos, non per alios exequantur: & de hac posteriore residendi necessitate seu obligatione ex instituto hôc locô agitur.

Præmittendum secundò, duplex est residentia, una vera, quando Beneficiarius verè & realiter præsens est in loco Beneficij, & per seipsum seu personaliter exercet officium seu ministerium spirituale, propter quod datur Beneficium: altera est residentia ficta, quæ ex juris dispositione est inducta, quando scilicet absens à loco Beneficij pro præsente reputatur, vel absolutè, etiamsi per alium non deserviat, saltem in ordine ad lucrandos fructus grossos, vel etiam distributiones quotidianas; vel quando per Vicarium deservit, *Barb. in Collect. ad rubric. hujus tit. n. 9.*

III. Assertio 1. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Præpositi, Parochi, & omnes alij, qui Beneficia obtinent, quibus cura animarum annexa est, obligantur personaliter residere in suis Ecclesiis & Beneficiis. Idémque dicendum de ijs, qui Ecclesiasticam Dignitatem, seu Personatum, administrationem vel officium obtinent, prout sumitur *ex c. Quia nonnulli; 3. h.t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi celebrato sub Alexandro III. *Can. 15.* ubi ita statuitur: Quia » nonnulli modum avaritiæ non imponentes, di- » versas Ecclesiasticas Dignitates, plurésve Ecclesias » Parochiales, contra SS. Canonum instituta, acci- » pere nituntur: ut cum vix unum officium imple- » re possint, plurium stipendia absumant, ideo ne » id de cæteto fiat, Concilium strictè prohibet. Quòd » si Ecclesia, vel Ecclesiasticum ministerium seu offi- » cium conferri debeat, talis persona quæratur, quæ » residere in loco, & curam ejus per seipsam exerce- » re valeat. Si verò collatio aliter facta sit, & qui » beneficium contra SS. Canones accepit, illud amit- » tat: & qui contulit, conferendi potestate (eâ vice, » *Gl. fin. hîc*) privetur. Ratio decisionis est, quia in » his maximè Beneficiis requiritur residentia personalis, nam si Beneficium est curatum, Pastor diu abesse non debet, sed gregi suo ipsemet invigilare, cúmque pascere & regere, & non alteri tanquàm mercenarius committere debet, juxta *Concil. Trident. Sess. 6. c. 1. de reform. & Sess. 23. c. 1. de reform.* Accedit, quòd in operibus artificialibus, & executionibus, ad quas ingenium, doctrina, & industria requiritur, censetur electa industria personæ, ut operâ vicariâ uti, aut se obligatione liberare non possit, *l. inter 31. & ibi Bartol. & Gl. junct. Gl. marg. ff. de solution. c. ult. §. Is. autem de offic. deleg.* Unde DD. in reg. jur. *Qui facit per alium 72. in 6. apud Joan. Andr. ibid. n. 2.* resolvunt, quòd Doctor obligatus alios docere, non possit, extra casum necessitatis, alium substituere, nisi manifestum sit, eum esse æquè, vel magis idoneum: ergo neque satisfacit suæ obligationi, qui per alium

seu Vicarium, seclusâ necessitate, beneficio curato deservit, cùm regimen animarum sit ars artium, *c. pen. de ætat. & qual. Rebuff. in praxi benefic. tit. dispensatio de non residendo, n.* 20.

Similiter ad Ecclesiæ cujúsque necessitatem ac decorem spectat, ut non destituatur præsentiâ illarum personarum, quibus collatæ sunt Dignitates seu Personatus. Quæ verò de pœnis in fine hujus c. dicuntur, infrà explicabuntur.

IV. Assertio 2. Sed & Canonici, vel qui aliam Præbendam habent in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ad residentiam personalem obligantur, ut constat *ex c. Cùm ad hoc* 5 16. *h. t.* Nam cùm Papa » Gregorius IX. intellexisset, quòd Ecclesia Anti- » ochena multis Canonicis, aliísque Clericis, qui in » illa deservire deberent, absentibus, ferè destituta » esset Ministris: idcircò mandat Patriarchæ, ut » non obstantibus Apostolicis indulgentiis, & licen- » tiâ ab Antecessoribus Pattiarchis datâ, absentes » Canonicos, & Assistos (hoc est, alios Beneficiatos, qui servire debent Ecclesiæ, & non sunt Canonici, sic dicti quasi assidui, qui aliàs etiam mansionarij vocantur, *Gl. hîc V. Assistos*; vel portionarij, quia præter Canonicas portiones habent in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis integras vel dimidias, *Azor. p. 2. lib. 3. c. 9. p.* 1.) revo- » cet ad residendum in Ecclesia: si verò non venerint, » tunc de ipsorum absentium Præbendis, seu Benefi- » ciorum reditibus, dum absentes fuerint, alios tan- » quam Vicarios ad serviendum Ecclesiæ substituat, » datâ eis congruâ portione, & si quid resi- » duum sit ex reditibus, in utilitatem Ecclesiæ con- » vertat.

V. Hinc colligitur, quòd privilegium concessum in favorem alicujus, etiam Ecclesiæ, si noxium esse incipiat Ecclesiæ, vel Reipubl. revocari potest, ac debet ab eo, qui concessit, vel ejusdem successore aut Superiore; imò nec Papa aut alius Princeps supremus solet, & plerúmque non potest concedere privilegium, cum notabili aliorum, præsertim Communitatis, aut Ecclesiæ præjudicio & damno, *Abb. hîc n.* 3. ideóque *in hoc c.* dicitur, privilegium non residendi Canonicis & Beneficiatis alijs concessum, revocandum esse, si Ecclesia patiatur Ministrorum defectum, & absentes ad redeundum cogendi sunt per subtractionem proventuum: non tamen privantur beneficijs omninò, propter privilegium enim absentiæ ipsis concessum à Papa, mitiùs cum eis agitur: quamvis, si diu in contumacia absentiæ persistant, in totum eis privari poterunt, *Gl. fin. hîc & Hostiens. V. Deserviri.*

VI. Confirmatur hæc Constitutio *in Concilio Tridentino Sess. 24. c. 12. de reform.* Ubi statuitur, » ut obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut » Collegiatis, Dignitates, Canonicatûs, Præbendas » aut Portiones, non liceat, vigore cujuslibet statu- » ti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem » Ecclesiis, quodlibet anno, abesse: salvis nihilo- » minùs earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ » longius servitij tempus requirunt. Et infrà: omnes » verò Divina per se, & non per substitutos, com- » pellantur obire officia.

Veruntamen hæc Constitutio in multis Ecclesiis (præsertim Germaniæ nostræ) non est recepta, nam alicubi tantùm medio anno, alibi tribus tantùm mensibus, Canonici residere coguntur, ad lucrandos fructus grossos, teste *Garciâ tract. de benef. p. 3. c. 2. n. 330. & Laym. lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 2.* ubi addit *ex Pet. Navarr.* quòd in quibusdam Ecclesiis, Canonici, qui uno certo die v. g. S. Michaëlis residunt, & Divinis intersunt, totiùs anni reditus luctentur. Imò neque recepta est prædicta Constitutio Tridentina in plerisque Ecclesiis, ut Canonici per seipsos psallant, & Divina officia peragant, sed per Vicarios solùm, eámque consuetudinem approbat *Lessius l. 2. de just. c. 34. dub. 33. n. 185.* ubi Divina officia cantu figurato peragi solent: tunc enim cùm à Vicariis magnificentiùs ea peragantur, sufficit si Canonici, tanquàm majores Clerici, reverenter ijs intersint, atque ob talem præsentiam distributiones jure percipiunt.

VII. Assertio 3. Spectato Jure communi Canonico, omnia etiam Beneficia simplicia ad residentiam personalem obligant, sicut colligunt passim *DD. ex cit. c. Quia*; 3. *h. t.* ubi dicitur: talis ad Ecclesiasticum ministerium seu Beneficium persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus (scilicet Beneficij & officij adjuncti) per seipsum valeat exercere, nam & simplex beneficium datur propter ministerium seu officium Ecclesiasticum. Idem colligitur *ex c. Ad hæc* 5 13. *de præbend.* ubi dicitur; *cùm singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum.* Ratio est, quia beneficium Ecclesiasticum propter officium seu servitium spirituale Ecclesiæ præstandum datur, *c. ult. de rescript. in 6.* sicut pro temporali servitio constituta sunt Feuda; cùm autem alicui officium, seu servitium injungitur, hoc intenditur, ut per seipsum id præstet, sive ut præsens ipsi invigilet, ac curet id fieri, propter quod stipendium vel Præbendam accipit, nullus enim per substitutum servire potest, nisi hoc ei specialiter concessum sit, *l. nullus 60. C. de decurion. lib.* 10. ideóque qui non servit beneficium perdit, *c. unic. de Vasallo milite lib. 2. tit. 21. in Usibus feudor.* Sic etiam beneficia Ecclesiastica sunt stipendia Ministrorum, *c. Pastoralis*; 9. *de his, quæ fiunt à Prælat.* &c. fundata in honorem Dei, ut in eis perpetuò ipsi serviant, adeóque ex se perpetuam residentiam personalem requirunt, *Rebuff. in praxi benef. 1. p. tit. Quare instituta sint beneficia, & tit. Dispensatio de non residendo nu. 2. & 7. Azor. p. 2. lib. 7. c. 3. q. 1. Garc. c. 2. n. 1.*

VIII. Idque extenditur etiam ad Beneficium modicum ac tenue, quòd etiam illud exigat residentiam personalem, sive perpetuam præsentiam, sicut colligitur *ex c. Conquerente*; 6. *h. t.* ubi habetur, quòd Presbyter R. conquestus fuit » Papæ Alexandro III. cùm vix necessaria ad vi- » tam ex Ecclesia seu Parochia sua percipere posset, » nihilominùs Clericus G. XX. solidos annuos ex » eadem Ecclesia exigat, asserens sibi tale Benefi- » cium collatum esse, quamvis idem Clericus alia » sufficientia beneficia habeat, & Ecclesiæ illi non » deserviat. Quare mandat Pontifex, ut si constite- » tit, quòd dictus Clericus G. habeat alia Beneficia » sufficientia ad necessariam vitæ sustentationem, » vel quòd Ecclesiæ Parochiali non deserviat, ipsi su- » per Beneficio illo, appellatione remotâ, silentium » imponatur, adeóque illud ipsi auferatur. »

IX. Nō-

IX. Notandum hîc primò, si Ecclesia v. g. parochialis abundantes reditus habeat, potest auctoritate Episcopi novum beneficium ex illis erigi & constitui, *Abb. hîc, n. 1.*

Notandum secundò, de Jure communi, si quis duo beneficia Ecclesiastica habeat, quorum alterum sufficit ad vitam beneficiati sustentandam, potest altero legitimè privari, ut colligitur *ex hoc c. Gl. fin. hîc, & Abb. n. 2.* de quo plura infrà.

Notandum tertiò, de Jure communi, etiamsi beneficium simplex sit tenue, & modicos reditus habeat, requirit residentiam personalem, aliàs potest quis illo privari, & contra Clericum petentem reditus sui beneficij excipi potest, quòd non resideat, *Gl. hîc V. deserviat, & Abb. n. 3.* Excipi tamen debent illa beneficia, quæ dicuntur portiones sive præstimonia, & quasi stipendij aut cujusdam subsidij locô, Clericis etiam absentibus, secundùm primam suam institutionem, v. g. causâ studiorum, conferuntur: hæc enim quamvis obligationem aliquam, sive Officij Canonici privatim recitandi, sive B. Virginis annexam habeant, quia tamen nullum aliud servitium spirituale postulant, ideo qui ea obtinent, neque per se, neque per alium Ecclesiæ inservire tenentur, *Azor. c. l. q. 2. Garc. cit. c. 2. num. 1. Laym. cit. c. 6. num 2. q. 1.*

Notandum quartò, per solidos hôc locô intelliguntur solidi, non aurei seu legales, sed usuales, qui communiter currunt, adeóque non requiritur, ut 72. faciant unam libram auri, ut putat *Abb. hîc n. 1. not. 2.* unde si accipiantur solidi hîc pro parvis & communiter currentibus, rectè ex hoc c. probatur, beneficium, quantumvis tenue, de Jure communi obligare ad personalem residentiam, *Alex. de Nævo hîc n. 5. Fagnan. ibid. n. 3.*

Notandum quintò, quamvis impetrans beneficium, tempore collationis, possit opponere, illud esse nimis tenue, nec sufficiens ad sustentationem necessariam, non tamen posteà; sed sibi imputare debet, quod sponte acceptavit beneficium tam tenue, *Gl. hîc V. Percipere, Azor. cit. c. 3 q. 3.* Et colligitur ex hoc c. Sicut autem beneficiatus, ob tenuitatem beneficij, non excusatur ab assidua residentia: ita nec à recitatione Officij Divini, *Silvest. V. hora n. 3. dicto 2.*

X. Assertio 4. etiam Episcopi, Abbates, Præpositi vel Priores, qui non in titulum, sed in commendam, vel administrationem Ecclesias obtinent, in eisdem residere, & præsentes adesse debent, sicut illi, qui jure tituli eas possident, dummodò sint Commendatarij perpetui; quia commendationes seu administrationes perpetuæ dantur in titulum, ideóque beneficijs æquivalent: idque præsertim procedit, post decretum Concilij Tridentini super residentia, & Constitutionem Pij IV. quæ incipit: *Suprema*; & habetur apud *Azor. cit. lib. 7. c. 4. q. 8.*

§. II.

Vtrùm Iure Divino, an humano solùm, Episcopi, aliique inferiores Curati teneantur, ad residentiam personalem?

XI. In hac celebri controversia verior & communior est sententia, tam Theologorum, quàm Canonistarum, quòd Episcopi, Parochi, & omnes alij curam animarum habentes, non solùm jure seu præcepto Ecclesiastico, sed etiam Divino obligentur ad residendum per se personaliter in suis Ecclesiis & beneficiis, prout inprimis clarè probatur *ex Concilio Tridentino Sess. 23. c. 1. de reform.* ubi in princ. ait: » Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, » quibus animarum cura commissa est, oves suas » agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique » Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera » munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab ijs præstari & impleri possunt, qui gregi » suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, &c. Ex quibus verbis » Concilij jam formatur tale argumentum: Episcopi, & omnes, quibus cura animarum incumbit, tenentur ex præcepto Divino ad suprà dicta munia pastoralia exercenda, ut expressè dicit *Concil. l. c.* sed hæc omnia ab his præstari non possunt, qui gregi suo non assistunt, sed mercenariorum more deserunt, ut asserit idem Concilium, & habetur etiam *in. c. 1. Sess. 6. de reform.* ubi dicitur, implere autem illud se nequaquam posse sciant (Episcopi) si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, cùm non sit possibile, ut oves pascantur ab eo, qui illas deserit; ergo Episcopi, & omnes Curati ex præcepto Divino obligantur gregi suo assistere, eúmque non deserere, & consequenter ex eodem præcepto Divino in suis Episcopatibus & Parochiis residere, *Fagnan. in c. Ex parte 3. n. 29. h. t.* Confirmatur, quia verbum, *assistere*, vi propriæ significationis, importat, non tantùm vigilantiam, & solicitudinem animi, sed etiam corporalem præsentiam, ut idem sit, quod adesse, *c. Si quem 3 junct. c. Quamvis 2. in fine de procurat. in 6.* Similiter verbum *deserere*, propriè significat subtrahere corporalem præsentiam, & recedere ab Ecclesia, ideóque in Jure Canonico absentes dicuntur deserere Ecclesias, *c. 2. caus. 7. quæst. 1. c. Inter 10. & c. Ex tuæ 11. h. t. Fagnan. c. l. n. 31.*

XII. Atque hoc quidem procedit, per se loquendo, nam quia Episcopi, & alij Ecclesiarum Pastores obligantur ad exequendum Pastorale Officium, & consequenter ad personalem residentiam, propter spiritualem salutem animarum, eorundem curæ commissarum; ideo ubi hæc exigit personalem Pastoris præsentiam, non potest Pastor gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter propriæ animæ periculum declinandum, cùm bonus Pastor animam suam pro ovibus suis ponere debeat, *Joan. 10.* Si verò spirituali saluti ovium sufficienter possit in absentia Pastoris, per alium æquè idoneum Vicarium provideri: tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel etiam propter propriæ personæ periculum, corporaliter abesse à grege suo, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. in corp.* Tali enim casu, consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, cessat obligatio residendi personaliter, sive obligatio præcepti affirmativi de residendo

do, quæ ex Jure Divino aut naturali orta est, ob circumstantias mutatas, & manet tantùm obligatio Juris Ecclesiastici, in qua Papa dispensare potest, & sæpè solet, idque vel in casibus specialibus, vel lege generali, *Laym. lib. 4. tract. 2. c. 6. nu. 3. q. 2.* Vel etiam potest Papa declarare, Jus Divinum de residendo tali casu, propter mutatam materiam vel circumstantiam, non obligare, sicut in votis & juramentis, quæ non est propriè dispensatio, *Covarr. lib. 3. var. resol. c. 13. n. 9.* Potrò ut rectè notavit *Fagnan. c. l. n. 18. & seq.* Conciliũ Tridentinum *in cit. cap. 1.* noluisse declarare residentiam Pastorum esse ex jure vel præcepto Divino, tanquam articulum vel dogma fidei, ideóque decretum de residentia Pastorum non fuit positũ intra Canones ad dogmata fidei pertinentes, sed inter alia decreta de reformatione pertinentia ad mores, neque Ecclesia ullum hactenus condemnavit ideo, quòd docuerit vel affirmaverit, etsi pertinaciter, præceptum de residentia Pastorum esse tantùm de jure positivo Ecclesiastico, quod tamen factum esset, si talis atticulus ab Ecclesia fuisset definitus.

§. III.

Utrùm per consuetudinem induci possit, ut Prælati, aliique Clerici non teneantur personaliter residere in Ecclesiis, vel beneficiis curatis, vel non curatis, aut simplicibus?

XIII. Assertio 1. nullâ consuetudine, ne quidem immemoriali, introduci potest, ut in beneficiis curatis Rector non per se ipsum, nec per alium seu Vicarium resideat, ut ex communi docet *Abb. in c. Extirpandæ 30. in repet. §. qui verò de præbendis.* Ratio est, quia talis consuetudo est irrationabilis, & cedit in damnum Ecclesiarum, & periculum continet animarum, nemo enim gregis curam gerere potest, nisi præsens sit, vel aliquem habeat loco sui præsentem, saltem ita in propinquo, ut commodè & sine periculo advocari possit.

XIV. Assertio 2. per consuetudinem, saltem immemorialem, ex justa causa induci potest, ut Parochi, aliique, qui curam animarum habent non teneantur personaliter residere in Ecclesiis & beneficiis suis curatis, dummodò Pastorale officium per Vicarium perpetuum, vel etiam per temporalem, & ad nutum amovibilem exerceatur, ita ut grex seu populus ex absentia Pastoris seu Rectoris principalis, nullum notabile damnum spirituale patiatur, ut docet *Abb. in cit. c. extirpandæ §. qui verò n. 8. & in repet. §. qui verò nu. 13. limit. 3.* prout etiam resolvit *Navarr. lib. 3. Consil. in consil. 21. h. t. n. 4. & seqq.* quem sequitur *Laym. cit. c. 6. n. 3.* Ratio est, quia consuetudo temporis immemorialis æquipollet privilegio, ita ut quicquid induci potest per privilegium, possit etiam per consuetudinem, *l. Hoc jure 35. §. aquæ ductus ff. de aquâ quotid. & æstiu. c. Super quibusdam 26. §. præterea de V. S.* At per privilegium Papæ induci potest, ut Rector Ecclesiæ Parochialis non teneatur exercere curam animarum per seipsum, sed per alium, sicut de facto jure communi statutum est, ut id fiat per Vicarios perpetuos; ergo etiam id induci potest per consuetudinem, saltem immemorialem.

Contrariam tamen sententiam, quòd nec per consuetudinem immemorialem induci possit, ut quis in beneficiis curatis inserviat per Vicarium, docent plures apud *Fagnan. in c. Ex parte 38. n. 77. h. t. & in c. Cùm omnes; 6. n. 36. supr. de constit.* Quia cùm Beneficiatus curatus sit obligatus ad residendum personaliter, ut per seipsum curam exerceat, ex præcepto juris Divini, & naturalis, non potest per ullam consuetudinem contrarium induci, quæ juri Divino & naturali derogare nõ potest, ideóq; *in Conc. Trident. cit. c. 1. Sess. 23.* dicitur, quòd talis consuetudo, etiam immemorialis, potiùs corruptela censenda sit. Verùm respondetur, Pastorem seu Curatum obligari ex præcepto Divino, ut exerceat curam pastoralem per seipsum, si salus animarum id exigat, ita, ut per alium exerceri non possit, sine gravi detrimento salutis earum, ut *ex S. Thom.* dictum *§. præced.* adeóque non potest etiam per consuetudinem immemorialem induci, ut Pastor per alium exerceat curam populi, si salus animarum ejus præsentiam exigat, cui cura commissa est: alioquin verò, si æquè benè provideri possit saluti animarum per alium, potest absque violatione juris, seu præcepti Divini, per alium Officium pastorale exerceri. Similiter cùm dicitur, in Pastore, cui animarum cura commissa est, electam esse operam & industriam personæ; id ita accipi debet, quòd non possit, sine justa & gravi causa, alterius operâ uti, vel alium substituere, ut ex infrà dicendis de causis excusantibus ab assidua residentia personali Pastorum patebit.

XV. Assertio 3. In dignitatibus non curatis & Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum, potest per consuetudinem introduci, ut nec per Vicarium quidem in ijs resideatur, sed possit Canonicus v. g. in absentia fructus percipere, etiam non constituendo alium, qui locô ipsius Ecclesiæ deserviat, dummodò per talem absentiam, ob paucitatem Ministrorum, cultus Divinus non minuatur, & consequenter talis consuetudo Ecclesiæ noxia non sit, ut docet *Abb. in cit. c. Extirpandæ; 30. in prine. n. 8. de præben.* idque sumitur *ex c. Cùm omnes; 6. junct. Gl. fin. de Constit.* & tenent plures alij apud *Fagnan. ibid. n. 18 & 19.* quia quilibet Clericus, cùm in sortem Domini sit assumptus, inseruit Ecclesiæ universali.

Veruntamen hujusmodi consuetudo inserviendi per substitutum, & percipiendi fructus in absentiâ, in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, sublata est per Concilium Trident. *c. 12. §. præterea Sess. 24. de reform.* ubi dicitur: obtinentibus in Cathedralibus Ecclesijs & Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat, vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, quolibet anno, abesse, *Fagnan. c. l. n. 21.* ubi tamen non videtur excluſa consuetudo immemorialis, dequa ibi nulla fit mentio expressa, & in multis locis hæc Constitutio usu non est recepta, ut suprà dictum.

XVI. Assertio 4. Valida est consuetudo, quæ in omnibus fermè Ecclesijs obtinuit, vi cujus, perso-

sonalis residentia in simplicibus beneficijs non requiritur, etiam in ijs, quæ propriè in titulum dantur, sed Clerici, etiam in absentia, fructus percipere possunt, ut docet *Abb. in repet. cit. §. qui verò n. 31. de præbend.* & est communis sententia DD. nam cùm constet, quòd Clerici simplicia beneficia obtinentes, non jure Divino, & naturali, sed Ecclesiastico tantùm teneantur residere in suis Ecclesijs, per contrariam consuetudinem huic juri derogari potest: dummodò alij substituantur, qui, locò ipsorum Ecclesijs inserviant, *Rebuff. in praxi tit. dispensatio de non residendo n. 8. Azor. p. 2. lib. 7. c. 3. q. 1. §. quæ res itidem* Imò per consuetudinem etiam quorundam locorum inductum est, ut neque per se, neque per Vicarios in quibusdam beneficijs simplicibus residere necesse sit; dummodò tamen Ecclesiæ illæ alijs necessarijs ministris non careant, & diminutio cultûs Divini per hoc non introducatur, atque absentia hujusmodi beneficiatorum eis non præbeat otiosè vagandi libertatem: nam jus naturale solùm requirit, ut Ecclesia necessario sibi ministerio non destituatur: quòd autem beneficiarius quisque per se, vel per alium inservire debeat, etiam cùm aliunde Ecclesiæ commodè inservitur, id solùm Jure Canonico statutum est, cui per consuetudinem derogari potest, *Azor. c. l. q. 2.*

XVII. Notandum hic præterea primò, si consuetudo legitimè præscripta contra Jus Commune, ut simplices beneficiati residere non teneantur, incipiat tendere in notabile alicujus Ecclesiæ detrimentum, quia caret idoneis, & necessarijs Ministris, hoc casu, Episcopus, condendo novum statutũ, talem consuetudinem abrogare potest, requisito priùs consensu Capituli, quem si neget, potest Episcopus nihilominùs procedere, & per statutum consuetudinem tollere, nam consuetudo, quæ incipit esse Ecclesiæ pernicioſa, tolli debet, cùm & privilegium alicui concessum, si noxium esse incipiat Ecclesiæ vel Reipubl. revocari possit, neque verò Capitulum bonum Ecclesiæ impedire potest. Si verò consuetudo illa non residendi non cedat in grave damnum Ecclesiæ, quia hæc abundat Canonicis, vel qnia absentes per Vicarios inserviunt Ecclesiæ, tunc requiritur consensus, saltem majoris partis Capituli, ad tale statutum faciendum, cùm per consuetudinem illam beneficiarijs jus quoddam non residendi sit acquisitum, dummodò non in commodum proprium, sed Ecclesiæ, ab Episcopo, cum majore parte Capituli, id statuatur, *Abb. in c. Ad audientiam 3. 15. n. 4. h. t.*

Notandum secundò, Si per diuturnam consuetudinem sublata sit obligatio residendi, potest ea denuò per contrariam consuetudinem, & quidem breviore tempore, videlicet X. annis, introduci, ut docet *Gl. in c. ult. V. Consuetudo de consuet. in 6.* ubi generaliter ait, si consuetudo non sit contra jus, sive juri non resistat, sufficit ad ejus inductionem tempus longum, scilicet X. annorum.

Notandum tertiò. Si dubitetur, an beneficium aliquod requirat personalem residentiam, necnè, judicandum est pro parte affirmativâ, juxta *c. Cùm dilectus 3 8. de consuet. juncta Gl. V. Iure communi*, idque ob favorem Iuris communis, secundùm quod interpretatio in dubio facienda est, præsertim si etiam in alijs locis ejusdem Diœcesis, vel Provinciæ, talia beneficia residentiam requirant.

§. III.

An ad breve, & modicum tempus Episcopi, vel Parochi ab Ecclesijs suis licitè abesse possint.

XVIII. Assertio 1. Episcopi possunt, quotannis, sive continuè, sive interruptè, à suis Ecclesijs Cathedralibus, ad duos, vel ad summum ad tres menses abesse; quia qui aliquantisper, sive ad modicum tantùm tempus absunt, ex veteri Canonum sententia non videntur abesse, parum enim secundùm Canones, & Leges pro nihilo reputatur: dummodò id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento, scilicet gravi, prout habetur statutum in Concilio Tridentino *Sess. 23. c. 1. §. Quoniam autem de reform.* ubi insuper eosdem admonet, & in Domino hortatur Concilium, ne per illius temporis spatium, Dominicis Adventûs, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, ipsi ab Ecclesia Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent.

XIX. Assertio 2. Parochi quoque, aliique curam animarum habentes, singulis annis, nonnisi tempore bimestri abesse possunt: ultrà duos verò hos menses, nisi ex gravi causa per Episcopum priùs cognitâ, & probatâ, abesse non possunt, debétque discedendi licentia in scriptis, gratisque concedi, ipsique Parochi, qui ultra bimestre absunt, locô sui, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquere debent, ut decernit Concil. Trident. *c. l. §.* Eadem omninò.

XX. An autem etiam ad absentiam duorum mensium, necesse sit, ut à Parochis licentia Episcopi impetretur, ibidem clarè non exprimitur. Negat Navarrus *in Man. c. 25. n. 51.* & probabile censet *Azor. cit. lib. 7. c. 4. q. 10.* quia id jure antiquo licebat, sicut colligi videtur *ex c. præsentium 3. cauſ. 7. qu. 1.* Quod Jure novo expressè correctum esse nuspiam legitur. Idque confirmant etiam ex Concilio Tridentino *c. l.* ubi dicitur, quòd qui aliquantisper tantùm absunt, non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: id verò tempus modicum seu moderatum absentiæ definit Concilium esse duos vel summùm tres menses: posteâ verò subjungit, eadem, quæ de Episcopis dicta sunt, etiam de Parochis, aliisq; inferioribus curatis accipienda esse: quare quòd posteà dicitur, discedendi licentiam Parochis, causâ per Episcopum cognitâ, non ultra duos menses, nisi ex causa gravi concedendum esse, intelligunt DD. isti, de alijs duobus mensibus, præter duos, aut tres ipsorum Parochorum conscientijs relictos. Contrariam verò & affirmativam sententiam tenent *Less. cit. c. 34. n. 159. Garc. p. 3. de benef. c. 2. n. 22. Piasecius in praxi Episc. p. 2. c. 3. art. 3. n. 34.* Idque colligi videtur ex verbis Concilij Trident. *c. l.* ubi ait, *discedendi licentiam in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, sine gravi causa, non obtineant*, ergo videtur Concilium decernere etiam licentiam discedendi ad duos menses dari debere Parochis ab Episcopis, quamvis sine scripto ea concedi possit, & ad eam dan-

dam gravis causa non requiratur, sed sufficiat quævis causa justa, veluti recreationis, vel visitandi propinquos. Porrò in hac re securissimum esse cujusq; Diœcesis statutum vel consuetudinem sequi, ait *Laym. cit. c. 6. n. ult.*

XXI. Illud certum est, quòd Parochus, vel alius inferior Curatus, etiam non petitâ licentiâ ab Episcopo, abesse possit ad modicum tempus, ita ut statim sit reversurus, *arg. l. 3. ff. de divortiis* ibi: *Si brevi reversa est uxor, non divertisse videtur*: dummodò interim Ecclesia, cujus cura ei incumbit, notabile damnum non patiatur. In qua re tamen consideranda est qualitas causæ, præjudicium, seu damnum Ecclesiæ, facilitas, aut difficultas petendi licentiam, ad hoc, ut determinari possit, an Beneficiatus, etiâ curatus, abesse possit, etiam non petitâ licentiâ Superioris sui, ut notat *Abb. in c. Relatum, 4. n. 6. h. t.* Verumtamen si talis necessitas occurrat, quæ dilationem non patitur, ita ut ob distantiam loci parochus Episcopum adire non possit, ad impetrandam facultatem discedendi, licitum est ei abesse, etiam ultra tempus bimestre, & sine consensu Episcopi, ob periculum in mora: debet tamen hoc casu, quamprimùm Ordinarium de discessu suo, & occurente necessitate certiorem facere, ut de causa cognoscat, & det licentiam, *Garc. c. l. nu. 34.*

Ex dictis colligitur, tempus longum, vel breve absentiæ, respectu diversorum locorum, statutorum, ac personarum, diversimodè æstimari. Quare licèt Concil. Trident. absentiam per duos aut tres menses, non censuerit longum esse, tamen in Parochis longa videri potest; quia tanto tempore Vicarium ipsimet sibi constituere non possunt, sicut Episcopus non potest Vicarium in sua Diœcesi relinquere.

Porrò quanto tempore, juxtà Concilium Trident. *Sess. 24. c. 12.* singulis annis abesse possint Canonici, & Præbendarij, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, dictum est suprà *n. 6.*

§ IV.

De causis à continua residentia excusantibus.

XXII. Quænam sint justæ causæ à continua residentia excusantes, expressum habetur in Concilio Trident. *Sess. 25. c. 1. de reform.* ubi quatuor enumerantur, videlicèt Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas, *Azor. p. 2. l. 7. c. 4. q. 4.* Ad primam causam Christianæ charitatis, ob quam Parochus vel alius à sua Ecclesia vel beneficio, cum consensu Papæ, vel Ordinarij, abesse potest, pertinet, si Parochus, vel alius Curatus absit à loco beneficij, causâ succurrendi spirituali saluti proximorum, v. g. ut graves inimicitiæ, aut lites inter aliquos ortæ componantur, *Laym. cit. c. 6. n. 4.* dummodò absentia non cedat in notabile detrimentum commissæ plebis, quippe cùm Curatus ex justitia obligatus sit ad subveniendum suis ovibus, non item alijs, *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 6.*

XXIII. Ad secundam causam urgentis necessitatis spectat bellum, & hostium incursiones, *arg. c. Pastoralis; 42. caus. 7. q. 1.* vel propter aëris intemperiem, aut sævientem pestem, vel corporis infirmitatē, si in loco parochiæ curàri non possit, *c. Præsentium, 3. caus. 7. q. 1. c. Ad audientiam, 15.* ibi: *illis exceptis, quos infirmitas excusat, h. t.* non potest tamen Parochus etiâ tempore grassantis pestis, plebem suam deserere, nisi idoneum substitutum relinquat, & plebis curam etiam absens non omninò negligat, *Rebuff. in prax. benef. cit. tit. dispensatio dè non resid. n. 30. & 31. Laym. l. 2. c. 3. tr. 3. c. 3. n. 3.* Item parochus à loco beneficij abesse potest per aliquod tempus, propter capitales inimicitias, quas ibi habet cū Domino v. g. vel Præfecto loci donec discordia sit composita, *Gl. fin. in c. ult. h. t. Azor cit. l. q. 4. §. ad secundum caput*: potest autem ac debet hoc casu Episcopus interdum Vicarium idoneum constituere, v. g. per annum, si Parochus extra culpam esse videatur, qui locò Parochi inserviat Ecclesiæ, assignatâ ei ex illius fructibus mercede, ut docet *Quaranta in summa Bullar. V. Residentia, 5. §. Quæ verò sint, n. 76.* addūt aliqui, quòd parochus, vel alius Curatus, etiam ob causam piæ peregrinationis, maximè ex voto, abesse possit, impetratâ tamen licentiâ Prælati, *c. Relatum, 4. junct. Gl. V. Prælatura h. t.* & alij apud *Garc. p. 3. de benef. c. 2. n. 393.* Verùm contrarium esse dicendum, monet *Garc. c. l. n. 394.* eò quòd peregrinatio etiâ ex voto susceptа, non sit ex causis jure expressis, excusantibus à residentia, seu præsentia, ultra tempus absentiæ à Concilio Tridentino permissum, ad lucrandos fructus præbendæ, juxta declarationem Congregat. Concil. ibid.

XXIV. Ad tertiam causam excusantem à residentia, videlicet ob debitam obedientiam pertinet, si Beneficiarius mandato Papæ avocetur, ut in ejus servitio sit: Nam Beneficiarii, qui Romæ in servitio Papæ occupantur, pro præsentibus in Ecclesia sua haberi debent, ita ut lucrentur fructus præbendæ: non obstante contrariâ Constitutione Episcopali, vel Capituli, ut statuitur *in c. Cùm dilectus, 14. h. t.* Cùm enim in Ecclesia Metensi à Capitulo statutum factum fuisset, » ut Canonici absentes nihil perciperent, (vel saltem certâ parte fructuum privarentur) M. Otto e- » jusdem Ecclesiæ Canonicus, inter familiares Papæ » existens, fructus beneficij sui petijt, quos ipsi Capitulares Canonici denegârunt. Quare rescribit, » & mandat eisdem Honorius III. ut dum dictus Orto commoratur in suo servitio, fructus præbendæ » suæ ipsi tribuant, nō obstante statuto illo; quia qui » in obsequio Papæ sunt, non minùs censendi sunt » inservire suæ Ecclesiæ, quàm si præsentes essent; quia » per illos, dum in Romanæ Sedis servitio occupantur, non minùs negotia omnium Canonicorum, » (sive particularis suæ Ecclesiæ) sæpè promoventur. » Idem habetur *in c. Ad audientiam, 15. h. t.* ubi à statuto, quo privantur non residentes, excipiuntur etiam ij, qui in Apostolicæ Sedis servitio occupantur. Ratio decisionis est, quia cùm Ecclesia Romana sit universalis, & omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, ideo qui in Ecclesiæ Romanæ obsequio versantur, & ei serviunt, censentur etiam inservire, & prodesse alijs Ecclesijs particularibus, ut notat Imola hic *n. 3.* eò quòd honor & utilitas Ecclesiæ universalis, & matricis quodammodo etiam redundat in alias particulares Ecclesias subjectas, *arg. c. Bonæ, 3. de postul. prælat.* unde dici solet, Clericum Romæ residentem ubique residere.

XXV. Notandum hic primò Clerici Beneficiarij absentes occupati in servitio Papæ pro residentibus

tibus haberi, adeóque & fructus Beneficiorum percipere debent; non obstante statuto contrario loci particularis: tum quia inferior Papâ non potest quippiam statuere contra Jus commune Canonicum, secundùm quod tales pro præsentibus habendi sunt, juxta hoc c. tum quia non valet statutum, per quod Superioris potestas, & jurisdictio impeditur, ut docet *Bart. in l. omnes 9. n. 27. ff. de just. & jure*, nisi Superior scienter tale statutum approbet: per tale autem statutum privans absentes, propter servitium Papæ, fructibus Beneficiorum, impediretur potestas Superioris; videlicet Papæ.

Notandum secundò. Quod dictum est, occupatos in servitio Papæ habêdos esse pro residentibus in propria Ecclesia, cùm serviant Ecclesiæ universali, id non debet extendi ad omnes, qui in Curia Romana comorantur, sed de ijs solùm intelligi debet, qui ex mandato Papæ ibi morantur, & in Divinis Officijs vel Ecclesiasticis negotijs, Papæ obsequium seu auxilium præstant; non item de ijs, qui propriâ voluntate, & principaliter ob suum commodum, & lucrum in Curia Papæ versantur, v.g. *Notarij arg. l. Reipubl. 36.* ubi dicitur, Reipubl. causâ eos solos abesse intelligimus, qui non sui commodi causâ, sed coacti absunt, videlicet propter publicam necessitatem, aut præceptum Principis; & *l. Non verè 41. ff. Ex quibus caus. majores & c. Silvest. V. Residentia 3. q. 7. dicto 2. Rebuff. c. l. num. 32. & 33.* Porrò Cantores Capellæ Pontificiæ sunt veri familiares Papæ, ac proinde illis debentur fructes Canonicatuum, ac Præbendarum suarum in absentia, prout resolutum fuit à S. Congreg. Concil. ut refert *Barb. in Collect. in cit. c. Cùm dilectus; n. 2. h. t.* ubi addit, non obstare, quòd hujusmòdi Cantores recipiant salarium; quia hoc non excludit, quòminùs verè præstent servitium, & obsequium Papæ.

Notandum tertiò. Episcopi, Parochi, & alij Beneficiarij curati non possunt longo tempore in servitio Papæ Romæ detineri absentes à suis Ecclesijs, nisi ex causa gravis necessitatis, vel majoris utilitatis publicæ, cùm enim Curati ad residentiam obligentur ex jure Divino, vel naturali, non potest Papa in eo, sine gravi & justa causa, dispensare, seu potiùs declarare, illud hic & nunc non obligare. Aliud est de Canonicis, & alijs Beneficiarijs non curatis: cùm enim hi Jure tantùm positivo, & Canonico ad residendum teneantur, hoc ipso, quòd Papa sciens mandat, eos sibi inservire, censetur tacitè cum ipsis dispensare; ut absint à suis Ecclesijs, & quamvis Papa sine justa causa dispenset, valida erit dispensatio; cùm tantùm sit relaxatio Juris Canonici, *Azor. cit. c. 4. q. 3. §. Quinta causa est.*

Notandum quartò. Familiares Papæ existentes in servitio Papæ, non percipiunt distributiones quotidianas, sine speciali privilegio Papæ, *Abb. hic n. 5. Garc. cit. c. 2. n. 38. & seq. Bart. c. l. n. 9.*

XXVI. Præterea ad secundam causam excusantem à contiuua residentia etiam pertinet, si aliqui ex Canonicis à proprio Episcopo in auxilium, seu servitium suum ascisçantur, tunc enim, etiamsi absentes sint, pro residentibus, seu præsentibus habentur, & fructus Beneficiorum integrè, & sine subtractione recipere debent, prout habetur in *c. De cætero 3. h. t.* Ubi Papa Alexander III. statuit, ne Canonicis, dum sunt in servitio Episcopi, quicquam subtrahatur, vel auferatur, quod de Communitatis beneficio ipsis debetur: nisi fortè sint victualia, quæ absentibus dari non solent.

Ubi notandum primò, quia Papa in hoc c. tantùm loquitur de Canonicis: sequitur, quòd Episcopus Parochos, vel alios Curatos non possit abstrahere à suis Ecclesiis, & illos occupare in suo, vel Ecclesiæ Cathedralis servitio, saltem sine gravi causa, ut ex *Quaranta c. l. tradit. Barbos. hic n. 3.* de quo plura infrà.

Notandum secundò. Canonici absentes propter servitium Episcopi, lucrantur quidem proventus, seu fructus grossos, ut vocant, Præbendarum suarum, qui scilicet ex communi massa (quæ & Mensa Capitularis dicitur,) ab Oeconomo singulis Canonicis annuatim distribuuntur: non autem lucrantur victualia, sive distributiones quotidianas, quæ interdum in pecunia, interdum in esculentis, & poculentis consistunt, & nonnisi præsentibus in Ecclesia dari solent, *Abb. hic. n. 3.* An autem dispositio hujus c. procedat, non tantùm de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, sed etiam Collegiatarum, cùm indifferenter, seu generaliter loquatur de Canonicis, & utrùm non solùm in Episcopis, sed etiam in alijs Prælatis inferioribus locũ habeat, infrà dicetur.

XXVII. Porrò similis priori Constitutio extat *in c. Ad audientiam 15. h. t.* ubi habetur, quòd in Ecclesia Meldensi Constitutio erat facta, & à Canonicis juramento, ac insuper Auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, ut Canonici, qui in eadem Ecclesia non residerent, fructus præbendarum suarum non reciperent; exceptis illis, qui ob infirmitatem excusantur: vel qui in Apostolicæ Sedis servitio occupantur: (vel quos in legitimam peregrinationem, aut studium literarum abesse contigerit, prout habetur in integra lectione hujus c.) quare Decanus & Capitulum Meldense, vi hujus Constitutionis, Canonicis, qui in servitio Episcopi occupati erant, subtrahebant fructus Præbendarum suarum. Re hac delatâ ad Papam Honorium III. Is respondit, & decrevit, quòd duo Canonici in Episcopi sui servitio existentes Præbendarum suarum fructus integrè percipere debeant, cùm absentes dicendi non sint, sed præsentes, qui in Episcopi, ejusque Ecclesiæ servitio commorantur.

XXVIII. Ratio decisionis est, quia statutum disponens circa materiam Jure communi determinatam, sive de qua disponit Jus commune, recipit omnes conditiones, seu limitationes ejusdem juris, ac proinde debet intelligi secundùm Jus commune, ut ab eo non recedat, ut docet *Abb. in cit. c. Cùm dilectus 5. n. 5. & in cit. c. Ad audientiam 3. n. 2. h. t. & Gail. lib 2. obs. 33. n. 3.* ubi ait, quòd statuta generalia accipiant interpretationem declarativam à Jure communi. Exemplum habetur in eodem hoc c. ubi mentio fit de statuto Diœcesano jurato, quod etiam approbatum fuit à Sede Apostolica, ut Canonici non residentes non percipiant fructus Præbendarum suarum, exceptis quibusdam casibus, videlicet infirmitatis, & si detineatur in servitio Sedis Apostolicæ: in quo statuto tamen non erat exceptus alius casus, qui Jure communi etiam est exceptus, nempè ut Canonici, qui existunt in servitio Episcopi, debeant, etsi absentes, percipere fructus Præbendarum suarum: ideóque iste casus debet intelligi esse exceptus etiam in sta-

in statuto illo, licèt non fuerit in eo expressus, sicut exceptus est Jure communi; nam licèt aliàs casus expressus sive exceptus à Regula, Lege seu statuto, confirmet illud, quoad alios casus non expressos, sive non exceptos, ita ut hi comprehensi censeantur in Regula, Lege vel statuto, ut tradit *Gl. Communiter recepta; in c. Dominus*; 6. *caus.* 32. *q.* 7. Si tamen statutum quosdam casus Juri communi conformes excipiat, qui nimirum etiam Jure communi sunt excepti: tum id exempli causâ factum esse intelligi debet, ita ut etiam ad alios similes casus, qui in statuto non sunt expressi, eodem tamen communi jure sunt excepti, propter identitatem rationis extendi debeat tale statutum, *Abb. in cit. c. Ad audientiam*; *n.* 2. *h. t. & Alex. de Nævo, ibid. n.* 2. 3. *&* 4. Id ipsum confirmatur ex doctrina *Bartoli in cit. l. omnes populi ff. de justit. & jure n.* 61. ubi dicit, quòd argumentum à contrario sensu (quando videlicet uno casu in statuto v. g. expresso, infertur contrarium esse sentiendum de casu non expresso) non habeat locum, si casus ille non expressus sit decisus à Jure communi: tunc enim dicendum est, quòd casus omissus remaneat sub dispositione Juris communis, *juxta Gl. receptam in l. Si cum dotem*; 25. *junct. Gl. marg. ff. solut. matrim. Arg. c. pen. de injurijs.* Similiter si statutum disponat circa materiam Juris communis, tunc à casu vero debet extendi etiam ad casum fictum, seu qui talis est, non secundùm rei veritatem, sed juris interpretationem, quia scilicet à Jure communi pro vero habetur, seu vero æquiparatur, *Bart. c. l. n.* 62. *Abb. in cit. c. Cùm dilectus n.* 5. *& seq. n.* 2. *h. t.* ut in exemplo suprà allato, nam quia statutum erat confirmatum à Papa, ut Canonici absentes, seu non residentes fructibus Beneficiorum privarentur, ea pœna non est extendenda ad duos Canonicos, qui in servitio Episcopi detinentur: quia hi secundùm Iuris communis interpretationem, cui statutum particulare se conformare velle censetur, non pro absentibus, sed præsentibus, seu residentibus reputantur. Aliud verò dicendum est, si sit statutum contra Jus commune, & odiosum, tunc enim dispositio in casu vero non debet extendi ad casum fictum; quia verba propriè plerúmque accipi, neque ultra propriam significationem extendi debent: & sic casus non exceptus censetur inclusus: quod tamen *Alex. de Nævo c. l. n.* 5. intelligendum esse ait, quando aliàs statutum nihil operaretur ultrà Jus commune, nam alioqui interpretari debet, ut quantùm fieri potest, minùs lædat Jus commune.

XXIX. Cæterùm circa id, quod dictum est, duos Canonicos existentes in obsequio sui Episcopi haberi pro præsentibus, & percipere fructus Canonicatuum, præter distributiones quotidianas, juxta *cit. c. De cætero*; & *c. Ad audientiam*; *h. t.* Notandum præterea primò, quòd utrique huic Constitutioni non sit derogatum per Conc. Trid. *Sess.* 24. *c.* 1. *de reform.* §. *Præterea*; ubi decernit, quòd omnes Canonici non possint abesse ultra tres menses ab Ecclesijs suis, quolibet anno, vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, quia sicut Lex generalis prior non tollitur, sed limitatur, & determinatur per Legem posteriorem specialem: ita etiam Lex generalis posterior limitatur, & determinatur per Legem priorem specialem, *l. Sed & 28. ff. de legib.* cùm ergo Constitutio prædicti Concilij sit generalis, & dicta duo capp. sint Leges speciales, eis non derogatur per illam, sed per hæc ea limitatur, ut docet *Navarr. lib.* 3. *consil.* 1. *n.* 2. *h. t. Garc. p.* 3. *c.* 2. *n.* 346. *juxta declaratton. Cardin. ibid. n.* 347.

Notandum secundò, Episcopus non potest ultra duos Canonicos occupare in suo servitio, ob Ecclesiæ bonum; quòd si plures velit, requiritur etiam Capituli consensus, *Abb. in cit. c. De cætero*; *n.* 3. *h. t.* quem tamen negare non debet, si necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, & sine notabili detrimento Ecclesiæ Cathedralis, quia alioquin abundat Canonicis, & sufficientes habet Canonicos pro servitio Ecclesiæ, id fieri possit, *Rebuff. c. l. n.* 37. Adde quòd nec duos Canonicos Episcopus secum habere potest, si idcirco cultus Divinus, & necessarium Ministerium Ecclesiæ impediretur, *Rebuff. c. l. n.* 41.

Notandum tertiò, ut duo Canonici, tanquàm Episcopi familiares, pro residentibus habeantur, & fructus Beneficij etiam absentes percipiant, non debent versari in ejus obsequio, & familia ob suum privatum commodum: sed neque ob privatum commodum, aut solatium ipsius Episcopi, v. g. ut venationibus cum ipso intersint: sed debent ita Episcopo servire, seu assistere, ut eorum servitium in Ecclesiæ Cathedralis commodum cedat, ut clarè colligitur ex *cit. c. Ad audientiam*; *in fine*: hòc ipsò autem quòd aliquis Clericus servit Episcopo, juvando ipsum in negotijs ad Episcopale ejus Officium pertinentibus, ut si v. g. fungatur munere Sacellani, vel Consiliarij apud ipsum, censetur servire ipsi Ecclesiæ Cathedrali, ut docet *Gl. fin. ibid.* propter unionem videlicet, quæ est inter Episcopum ejusque Ecclesiam, veluti inter Caput, & reliqua membra ejusdem Corporis.

XXX. Notandum quartò, quamvis aliqui velint, quòd non solùm Canonici Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam Ecclesiarum Collegiatarum Civitatis, vel Diœcesis, gaudeant privilegio hoc, ut absentes, ob servitium Episcopi, possint fructus Beneficiorum suorum percipere, eò quod *c. de cætero* 5. *h. t.* indistinctè loquatur de Canonicis: *in c. verò Ad audientiam*; sermo sit de Canonicis Cathedralibus; quia casus de illis fuit propositus Pontifici; ut tradit *Barb. in cit. c. De cætero*; *n.* 4. & alij apud ipsum: nihilominùs tamen probabilius est, quòd *in cit. c. De cætero*: sermo sit etiam de solis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, ut patet ex *Gl. In casu.* Et ratio est, quia alij Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, sicut etiam inferiores Beneficiarij, non ita ab Episcopo ad servitium suum assumi possunt, ut occupati in ejus servitio etiam absentes pro residentibus haberi debeant, & fructus suarum Præbendarum percipere. ut docet *Abb. in cit. c. Ad audientiam*; *n.* 8. *Laym. lib.* 4. *tract.* 3. *c.* 6. *n.* 6. quia utrumque c. tantùm loquitur de Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, ac proinde concessio illa seu privilegium Juris, ut absentes habeantur pro præsentibus, quoad fructus percipiendos, cùm sit exorbitans à regula communi, & per juris fictionem contra veritatem inducta, non debet extendi ad alios casus, præsertim disparatos seu non similes. At verò dispar est ratio, in proposito isto casu, inter Canonicos Cathedralis, & alios Beneficiarios nõ Canonicos, vel saltem nõ Cathedrales, quia Episcopi, & Canonici Ecclesiæ Cathedralis arctè inter se uniuntur, tanquam Caput, & proxima membra, non item

item Canonici non Cathedrales cum Episcopo, ut notavit etiam *Abb. in c. Cum dilectus* 3; 14. *n.* 7. *h. t.* idcóque Canonici Cathedrales existentes in servitio Episcopi, juris fictione censentur præsentes, & servire ipsi Ecclesiæ Cathedrali & Capitulo, *Arg. c. Requisivisti* 3; 15. *de testam.* qualis unio non reperitur inter Episcopum, & alios non Canonicos Cathedrales, aliósque Beneficiarios inferiores, & consequenter neque inter illos locum habet fictio juris ex illa unione orta.

Excipi debet, nisi Beneficiarius, qui non est Canonicus Cathedralis, occupetur ab Episcopo, vel aliò mittatur ob urgentem necessitatem; quia ex Cathedralibus Canonicis idoneum habere non potest ad tale obsequium, vel ob communem utilitatem Diœcesis, vel Ecclesiæ Cathedralis; quia præ cæteris ad hoc idoneus & industrius censetur; tum enim etiam absens fructus sui Beneficij percipere debet, cùm nemini officium suum debeat esse damnosum, *c. Cum non deceat* 3; 30. *de elect. in 6. Abb. in cit. c. Ad audientiam* 3; *num.* 8. *Garc. cit. c.* 2. *n.* 370. & alij apud ipsum.

Notandum quintò. Probabile est, quòd non tantùm Episcopi, & Archiepiscopi, quoad Clericos suæ Diœcesis; non autem suorum Suffraganeorum, & Legati Sedis Apostolicæ, quoad suam Provinciam: sed etiam Prælati inferiores, v. g. Ecclesiarum Collegiatarum Rectores Canonicos suæ Ecclesiæ, saltem unum assumere possint, & occupare in suo obsequio; ita, ut etiam absens fructus Beneficij sui percipiat; quia hoc cap. generaliter loquitur, & non apparet, cui loquatur, & eadem videtur esse ratio, ut docet *Abb. in cit. c. De cætero* 3; *num.* 3. *h. t. Navarr. in consil.* 2. *h. t. Garc. cit. c.* 2. *n.* 381. ubi *n.* 384. hoc extendit, quòd idem sit in Legato Sedis Apostolicæ, & Archiepiscopis, quoad Clericos suæ Diœcesis. Verùmtamen rectiùs dicitur, distinguendum esse inter Prælatos exemptos, sive immediatè Sedi Apostolicæ subjectos, & inter non exemptos; quia Prælatus exemptus habet quasi Episcopalem jurisdictionem in suos subditos, & æquiparatur Episcopo, atque absolutè loquendo, est Ordinarius Ecclesiæ suæ; ideóque ob identitatem rationis, talis facultas etiam ipsi concessa esse, censeri potest. Secus verò dicendum esse videtur, de aliis Prælatis inferioribus Episcopo, & non exemptis; nullum enim jus, reperitur vel afferri potest, quo ipsis concessa sit talis licentia assumendi unum, vel plures ex suis Capitularibus, cum privilegio percipiendi fructus Beneficiorum suorum, etiam in absentia. Ex justa tamen causa, si necessitas, vel utilitas Ecclesiæ hoc exigat, poterit etiam Prælatus non exemptus, saltem unicum Canonicum Ecclesiæ suæ in Adjutorem suum, sive pro obsequio suo assumere; ut docet *Navarr. c. l. n.* 1. Ratio est; quia Prælatus quilibet, & Capitulares faciunt unum Corpus, tanquam caput cum membris; ideóque par est, ut membra adjuvent suum caput, si hoc operâ eorum indigeat.

XXXII. Porrò ob eandem rationem valdè etiam probabile est, quòd neque Legatus Papæ Canonicos, sive Cathedralis, sive Collegiatæ Ecclesiæ suæ Provinciæ, possit assumere in servitium suum, cum eo privilegio, ut etiam absentes pro præsentibus habeantur, quoad fructus percipiendos: quia non est eadem ratio in Legato Apostolico, quæ in Episcopo, vel simili Prælato, qui cum Canonicis unum Corpus efficit; ideóque obsequium, quod ipsi præstant, censentur quasi pro-

priæ Ecclesiæ præstare: cujusmodi conjunctio, seu unio non apparet inter Legatum Papæ & Capitulares Cathedralis, vel Collegiatæ Ecclesiæ; ideóque neque ob identitatem rationis, illa juris concessio ad servitium Legati extendi potest, ut docet *Abb. in cit. c. Cum dilectus* 3; *num.* 6. *h. t. Laym. cit. c.* 6. §. *Sed nunquid.*

XXXIII. Denique quarta causa excusans à continua residentia est evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, si nimirum Beneficiarius etiam Curatus, pro magno commodo Diœcesis vel Reipubl. cujus membrum est, abesse debeat: veluti, si absit vocatus ad Synodum Generalem, vel Provincialem, vel Diœcesanam, *Azor cit. c.* 4. *q.* 4. *in fine.* Vel si absit ad prosequendam litem super juribus sui Beneficij vel Ecclesiæ, cui est incorporatus, & ad ea defendenda, ut est casus *in c. Ex parte* 3; 13. *h. t. Navarr. lib.* 3. *consil.* 14. *n.* 1. *h. t.* Huc etiam spectat, si Curatus, vel alius Beneficiarius ad residentiam obligatus, absit studiorum causâ; potest enim interim in absentia fructus Præbendæ suæ percipere, *juxta c. Relatum* 3; 4. ibi: *vel studio literarum, & c. Tuæ* 3; 12. ibi: *quibus studiorum gratiâ est indultum, ut in absentia sua fructus percipiant Præbendarum suarum* 3; *h. t.* de quo plura §. seq.

§. V.

An, & quâ ratione Clerici possint abesse à suis Ecclesiis, vel Beneficiis, ob causam studiorum?

XXXIV. Assertio 1. Beneficiarij, etiam Curati, possunt quinque annis in Universitate aliqua, Theologiæ (vel Juri Canonico; prout DD. omnes communiter extendunt) studere, & quàmdiu voluerint, docere; ita, ut fructus Beneficiorum suorum in absentia integrè percipere possint; prout statutum habetur in *c. ult. inf. de Magistris*; exceptis tamen quotidianis distributionibus; ut notat *Gl. ibid. V. Integrè.* Neque verò ad hoc requiritur licentia Episcopi vel Prælati: cùm enim ea facultas, seu privilegium à Papa Jure communi concessum sit, sine alia licentia ab Episcopo impetrata, tam studentes, quàm docentes uti eo possunt; ut tradit *Gl. in cit. c. ult. V. Licentia*; quamvis hoc idcircò Episcopo intimandum sit; ut idoneum Vicarium substituere possit, si curatus sit Beneficiarius, qui docet vel studet, *Navarr. in man. c.* 25. *num.* 125. Quare si Episcopus impedire velit, quò minùs Curatus, qui non sufficienter in his disciplinis instructus, & ad studia idoneus est, ijs operam dare possit, is poterit tanquam gravatus appellare; quandoquidem indultum à jure Beneficium non est alicui auferendum, *juxta Reg. jur.* 17. *in 6.* Ideo autem absolutè concessum est etiam Clericis curaris docere in scholis; quia docendo plus Ecclesiæ prosunt, quàm serviendo in Ministeriis Ecclesiasticis; quandoquidem facere idoneos Ecclesiæ Ministros, melius est, quàm ministrare, *Laym. cit. c.* 6. *n.* 5.

XXXV. Præterea in *c. Cum ex eo*; 34. *de elect. in 6.* concessum est, ut Episcopi, ac similes Prælati cum obtinentibus Ecclesias parochiales dispensare possint ad septennium, causâ studij literarum; & quidem in quacunque Facultate, etiam Grammatica, *juxta Gl. ibid. V. Literarum.*

Notandum primò. Ut Beneficiarius, ratione ſtudiorum (exceptis ſtudiis Theologiæ & Juris Canonici, de quibus ſuprà) abeſſe, & reditus ſuos interim percipere poſſit, requiritur licentia Epiſcopi; ut ttadit *Gl. in c. Relatum* 3 4. *V. Prælatorum*; *h.t.* & colligitur ex eodem c. ubi dicitur, quòd Clerici abeſſe poſſunt, cum licentia Prælatorum ſuorum, vel ſtudio literarum, vel ob aliam cauſam honeſtam, ubi alternativa *vel* referri debet, non ad licentiam, ſed ad alias honeſtas cauſas; ut notat *Barb. in cit. c. Relatum*; *n.* 7. ubi *Gl. V. Prælatorum*; ait, quòd Clericus, ſine licentia Prælati ſui, abeſſe non poſſit, etiam ex juſta cauſa: & quidem non ſufficit licentiam eſſe petitam, ſed debet eſſe obtenta, *Abb. ibid. n.* 5. Ratio eſt; quia ad Epiſcopum, vel ſimilem Prælatum pertinet examinare; num Beneficiarij ætas, ingenii aptitudo, aliæque qualitates permittant, ut ad ſtudia mittatur: neque enim diſpenſare, vel licentiam dare debet, niſi idoneis ad ſtudia, de quibus ſperari poteſt, quòd poſt abſoluta ſtudia, uberiores Eccleſiæ fructus allaturi ſint, quibus compenſatur jactura, ſi quam Eccleſia, in qua inſtituti fuerunt, patiatur, *Gl. in cit. c. Cum ex eo*; *V. Literarum, & Io. Monach. ibid. n.* 1.

XXXVI. Notandum ſecundò. Facultas diſpenſandi Epiſcopis conceſſa, ut cauſâ ſtudiorum Parochi in abſentia fructus ſuæ Eccleſiæ percipere poſſint; locum etiam habet in obtinentibus Beneficia ſimplicia, v. g. Canonicatum: idque ob maioritatem rationis: nam, ſi poteſt Epiſcopus diſpenſare in graviore caſu, poterit etiam in minore, *Abb. in c. Tuæ*; 12. *n.* 6. *h. t.* & hoc praxis etiam confirmat: neque tamen requiritur, ut Beneficiariis non curatis, ſtudiorum cauſâ, abſentibus ſubſtituatur Vicarius, ſicut Beneficiariis curatis ſubſtitui debet, *juxta cit. c. Cum ex eo*; *Abb. cit. l. n.* 6. *in fine*: Porrò hodie poſt Concil. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* non datur obtinentibus Parochiales Eccleſias licentia ſtudendi, & in abſentia fructus percipiendi: debet autem dari ab Ordinario obtinentibus Beneficia non curata, & Canonicis abſentibus, ſtudiorum cauſâ, dummodò id ſtatus Eccleſiæ patiatur, & ſint minores 30. annis, juxta *declar. Congreg. Concil. decl.* 4. *apud Garziam cit. c.* 2. *n.* 81. *Barb. in cit. c. Relatum*; *n.* 7. *h. t.*

Notandum tertiò. Quòd dictum eſt, abſentes ſtudiorum cauſâ, non lucrari quotidianas diſtributiones, id limitandum eſt, niſi Beneficium conſtet ſolùm ex diſtributionibus quotidianis; quia illæ locò fructuum ſuccedunt, & alioquî Beneficium eſſet inutile his Beneficiatis, *Garc. cit. c.* 2. *n.* 113. *& duobus ſeqq.* plura de hoc infrà *lib.* 5. *tit.* 5.

» XXXVII. Aſſertio 2. Canonici, vel alij Be-
» neficiati, quibus ſtudiorum gratiâ conceſſum eſt (ab
» Epiſcopo ſuo) ut in ſua abſentia percipiant fructus
» Præbendarum ſuarum, ſi ad Villas, vel Caſtella, ſeu
» alia loca, in quibus nullum, vel minùs competens,
» ſeu non congruum eſt ſtudiorum exercitium, ſe con-
» ferant, non debent dicto privilegio percipiendi fru-
» ctus frui; quia fraus & dolus nemini patrocinari de-
» bet; prout reſcribit Innocentius III. in *c. Tuæ*; 12. *h. t.* Ratio eſt; quia verba Legis, ſeu Conſtitutionis debent intelligi cum effectu, ita, ut finem intentum conſequatur, & non fruſtranea atque inutilis fiat, *c. Commiſſa* 3 35. *de elect. in* 6. *h. t.* §. *Hæc autem*; *ff. Quod quiſque juris &c. l. pen.* §. *Docere*; *ff. Ne quis eum, qui in jus &c. l. Nomen*; 164. *in fine ff. de V. S.* ergo etiam indulgentia ſeu gratia hæc percipiendi reditus Beneficiales, quæ ſtudentibus in abſentia competit, debet intelligi de ijs, qui verſantur in loco, ubi exercitia ſtudiorum vigent. Imò non ſufficit, ſi ibi tantùm morentur, & alijs rebus vacent, potando, ſaltando, ludendo, vel, ut linguam peregrinam addiſcant; ſed etiam requiritur, ut ipſi in ſtudiis ſe exerceant; ut ex communi docet *Abb. in cit. c. ult. de Magiſt. n.* 6. Unde Studioſi, qui non frequentant ſcholas, vel non ſtudent, non gaudent privilegiis Studioſorum, *Abb. in c.* 1. *n.* 39. *de judic. Arg. c. Generaliter*; 40. *cauſ.* 16. *q.* 1. ubi omnibus Clericis & Monachis conceditur immunitas à Tutela & Cura; ſed ijs tantùm, qui apud Eccleſias vel Monaſteria permanent, non divagantes, neque circa Divina Miniſteria deſides ſunt; quia ceſſante cauſâ, ceſſat privilegium, *Gl. ibid. V. Divagantes*; & privilegium datum Religioſis, ceſſante Religione, ceſſat. *Gl. margin. ibid.*

XXXVIII. Hinc nonnulli DD. deducunt, quòd ad hoc, ut Beneficiarius lucretur fructus in abſentia, requiratur, ut ſtudeat in Univerſitate, ſeu ſtudio generali & publico, *Io. Andr. in cit. c. Tuæ*; *n.* 1. *h. t. Garc. cit. c.* 2. *n.* 55. *juxta declarat. Cardinal. apud eund n.* 81. Ubi dicitur, quòd verè & actu debeant in famoſa Univerſitate ſtudio S. Theologiæ; vel SS. Canonum operam dare; alioquin fructus ſuos non faciant. Sed contrarium tenent *Hoſtienſ. & Abb. in cit. c. Tuæ*; *n.* 4. idque colligitur ex *eod. c.* ubi ſolùm dicitur, non gaudere indulgentiâ, ſeu privilegio lucrandi fructus in abſentia, qui in fraudem ſe conferunt, prætextu ſtudiorum, ad talia loca, in quibus nullum, vel non competens eſt ſtudiorum exercitium; ergo, ſi in tali loco ſtudia vigeant, adeóque finis & utilitas, ob quem privilegium hoc ſtudentibus Clericis conceſſum eſt, obtineri poſſit, eodem gaudebunt, qui ibi ſtudent, ſive locus ille ſit Civitas, ſive Villa, ſive Caſtellum: non enim Cathedra facit Magiſtrum, ſed Magiſter Cathedram, *Abb. c. l.* Idque verum eſt, ſpectato lure communi Canonico, licèt in praxi oppoſitum in multis locis ſit receptum, eáque ſervanda ſit.

§ VI.

De alijs quibuſdam cauſis, de quibus dubitatur, an excuſent à reſidentia?

XXXIX. Quæritur primò. An juſta cauſa ſit non reſidendi, ſi Epiſcopus verſetur in Curia Romana? Reſp. primò. Papa licitè poteſt Epiſcopum aliquem, ſi alij idonei deſint, conſtituere Curiæ Romanæ Camerarium, vel Vicecancellarium, vel Summum Pœnitentiarium, vel Auditorem Rotæ &c. facultate ei conceſſâ, ut ab Eccleſiâ ſuâ abſit; ut docet *Azor p.* 2. *l.* 7. *c.* 4. *q.* 5. Ratio eſt, quia tunc Eccleſiæ Univerſalis neceſſitas, vel maior utilitas abſentiam cohoneſtat: publicum enim bonum præferendum eſt privato bono; adeóque & bonum Eccleſiæ Univerſalis & Romanæ, quæ eſt omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra, præponi debet bono Eccleſiæ particularis. Eodem modo poteſt Epiſcopus, cum licentia S. Pontificis, abeſſe à ſua Eccleſia, ut fungatur munere v. g. Præſidis Concilij, vel Supremi Cancellarij in Curia Regis, vel Principis ſæcularis, ſi alij ſatis idonei ad huiuſmodi munera non reperiantur; quippe quæ pertinent ad publicam Reipubl. Chriſtianæ ſalutem & utilitatem, ac commune bonum

bonum privato Lege charitatis præponendum est, *Azor. c. l. q. 6.*

Resp. secundò. Etsi Episcopus Cardinalis creatus, vel Cardinalis Episcopus factus, auctoritate Papæ, excusetur ab obligatione residendi in Ecclesia suæ Episcopali, si eius præsentia in Curia Romana, ob commune totius Ecclesiæ bonum sit necessaria, vel valde utilis, ob rationem suprà allatam: Verùmtamen ipsum præcisè Officium Cardinalatûs, si alij non desint, quorum consilio & ope S. Pontifex uti possit, non excusat à residentia personali in propria Ecclesia, *Azor c.l.q.7.* Ratio est; quia Episcopatus & Cardinalatus censentur Jure communi esse incompatibilia Officia: nam cùm Cardinales teneantur in Curia residere apud S. Pontificem: Episcopus verò in sua Diœcesi residere obligetur; hinc sequitur, quòd Cardinalatus incompatibilis sit cum Episcopatu; quia una, eadémque persona non potest simul in pluribus locis existere, *Abb. in c. Bonæ 3. n. 6. de postul. Prælat.*

Excipiuntur tamen Episcopatûs Romæ vicini, quibus annexus est Cardinalatus; quia facilé in Vrbe residentes eos administrare possunt, & non solùm per Vicarios, sed etiam per seipsos illos visitare, & cætera negotia curare possunt, *Azor c. l.* Idque confirmatur ex Concilio Trident. *Sess. 23. c. 1. de reform.* ubi habetur Episcopos, etiamsi S. Ecclesiæ Romanæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia & Diœcesi residentiam.

XL. Cæterùm etiam Cardinales teneri residere in Ecclesia Tituli sui; decernitur in *c. Exgestis 2. h. t.* » ubi habetur, quòd Anastasius Presbyter Cardinalis » Tituli S. Marcelli, qui per quinque annos, contra » Canonum statuta, à parochia sua, sive Ecclesia ti» tulari abfuit, eámque deseruit, in alienis terris mo» ratus, & sæpiùs admonitus redire noluit, in Conci» lio Romano canonicè fuit depositus, id est, à Digni» tate sua remotus. Porrò rationes, ob quas Cardinales tenentur in Ecclesia sui Tituli, & sic in Romana Curia residere, ita, ut sine licentia Papæ inde recedere non possint; plures recensèt *Fagnanus hic n. 11. & seqq.* Tum quia Cardinalis in Ecclesia sui Tituli habet curam animarum, tam in foro pœnitentiali, quàm contentioso, *c. His, quæ; 11. de major. & obed.* Et hinc Cardinalis S. Marcelli, dicitur hîc deseruisse parochiam suam; quia scilicet erat Presbyter, adeóque habebat in Titulum Ecclesiam parochialem; ut notat *Abb. hîc num. 2.* omnes autem, quibus cura animarum commissa est, tenentur in suis Ecclesiis personaliter residere, *c. 3. & 4. h. t.* Tum quia Cardinales sunt Coadjutores & Consiliarij Papæ; quin & membra seu pars Corporis Papæ, & eius Collaterales; ergo ipsi S. Pontifici personaliter assistere debent, nec ab eo discedere, nisi ex gravi causa.

Hinc colligitur etiam, unam legitimam causam deponendi Cardinalem à Dignitate sua esse, si desertâ parochiâ seu Ecclesiâ, in alienis partibus demoretur; scilicet tanquam vagus, spretâ Ecclesiâ suâ, ut explicat *Hostiens. hîc in fine*: priùs tamen legitimè monendus est, ut redeat, alioquin licèt vagabundus discurrat, non est privandus, *Gl. fin. hîc, & Hostiens. V. Canonicè.*

XLI. Quæritur secundò. An sit sufficiens causa, ut Parochus ab Ecclesia sua, ultra duos menses; adeóque etiam ad longum tempus absit, eò, quòd ipsi ab Episcopo Visitatoris, vel Vicarij Generalis, vel aliud Officium in sua Diœcesi sit demandatum. Negat *Garc. cit. c. 2. num. 40. Piasec. in praxi Episc. p. 2. c. 3. art. 3. num. 35.* Sed contrarium tenet *Navarr. l. 3. consil. 15. h. t.* quia etiam Jure antiquo licitè potuit Parochus, ex justa & gravi causa, abesse à sua Ecclesia, etiam ad longum tempus; non est autem recedendum à jure antiquo, nisi ei per novum jus contrarium, & expressum sit derogatum. Atquì Concil. Trident. *cit. c. 1. sess. 23. de ref.* hoc jus antiquum non abrogavit, cùm permittat, ut Episcopus, ex gravi causa, licentiam dare possit Parocho discedendi à propria Ecclesia, ultra duos menses. Cuiusmodi gravis causa occurrere potest, si in aliqua Diœcesi, ad aliquod tempus, non adsint alij idonei, qui munere Visitatoris, vel Vicarij Generalis aut Fiscalis fungantur, & sine detrimento Ecclesiarum, locò Parochorum, Vicarij temporales substitui possint: non enim mens Concilij fuit, velle impedire maius bonum cuiusque Diœcesis: quamvis non facilè, aut ob levem causam, Parochi à suis Ecclesiis avocari, & aliis Diœcesis Officiis applicari debeant, ita, ut parochiæ interim per Vicarios administrentur, si alij Clerici ad ea munera idonei haberi possint; ut colligitur ex Trid. Conc. *cit. c. 1.* Ut autem talis causa absentiæ à propria Ecclesia, censeatur justa, ita, ut excusèt: requiritur, ut sit verè, ac per se causa absentiæ: nam, si per accidens tantùm, & concomitanter incidat, v. g. infirmitas; ut quia alioquin Curatus, vel alius Beneficiarius residere non solebat, etiamsi infirmitas non accidisset; tum non erit excusatus, & in foro etiam externo puniri poterit, *Rebuff. c. l. n. 43.*

Porrò quænam causa gravis & sufficiens ad non residendum censeri debeat, non potest in genere definiri; sed ex variis circumstantiis Episcopi, seu Ordinarij judicio determinandum permittitur; quandoquidem gravitas & levitas, nonnisi prudenti intellectûs discretione, consideratis omnibus adiunctis, judicari potest.

§. VII.

Quis possit dare facultatem non residendi, sive ab Ecclesia, aut loco Beneficij discedendi?

XLII. Ad hanc quæstionem respondetur. Is, in genere loquendo, potest licentiam dare non residendi, qui necessitatem residendi imponit, ut ait *Rebuff. in praxi benef. tit. de dispens. sup. non resid. n. 75.* nam, qui condemnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet, *l. 3. ff. de re judic.* & eiusdem est ligare, cuius est solvere. Quare inprimis, quando Beneficiati ad residendum obligantur ex communi Jure Canonico, v. g. Curati, aut Dignitatem obtinentes, solus Papa potest ijs facultatem dare non residendi, ut ad longum tempus, vel etiam perpetuò absint à suis Ecclesiis, vel Beneficiis. Et quidem Papa, cùm sit supremus Legislator, & Juri Vniversali Canonico præsit, & specialiter in Beneficiis Ecclesiasticis plenissimam potestatem habeat, potest, pro suo arbitratu, obligationem personaliter residendi omninò relaxare, etiam sine justa causa, saltem validè, quamvis non soleat licentias dare absentiæ perpetuæ; ut notat *Gl. in c. Licèt Canon; 14 V. Ad tempus; de elect. in 6.* & colligitur ex *c. ult. de rescript. in 6. Azor p. 2. lib. 7. c. 5. q. 1.* Excipiuntur Beneficia curata, quæ cùm Jure Divino vel naturali obligent ad residentiam, non potest in ijs dispensare Papa, nec validè quidem

quidem, sine justa & legitima causa, *Azor. cit. l. 7. c. 4. q. 3. in 5. causa.* Nam talis dispensatio est in jure Superioris, nempe DEI, ideóque sine justa causa facta irrita est, sicut in juramentis & votis, *Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 11.* quamvis hæc non sit propriè dispensatio, sed potiùs interpretatio, quâ declaratur Legem Divinam hîc & nunc per seipsam cessare, *Suar. l. 10. de legib. c. 6. n. 7. & seqq.* solus etiam Papa potest Episcopos, iisque Superiores liberare ab obligatione residendi, *Azor. cit. c. 5. q. 1.*

II. Episcopi, & similes Prælati licentiam non residendi Parochis, aliisque curam animarum habentibus tantùm dare possunt, ex justa causa, ad tempus, dum ea causa durat: nam Inferior non potest tollere, aut relaxare legem Superioris, nisi quatenus id ipsi concessum est: solet autem Papa, propter necessitatem, & casus frequenter occurrentes, facultatem relaxandi Legem, seu obligationem personalis residentiæ concedere Episcopis, aliisque similibus Prælatis in Beneficiis curatis; nonnisi limitatè, ut videlicet Curati non permittantur abesse à suis Ecclesiis ultra duos menses, nisi ex gravi causa; ut patet *ex suprà dictis.* Tempus autem breve, in quo Episcopus cum Curato super residentia dispensare potest: relinquendum est boni viri arbitrio, cùm in jure non sit expressum, secundum exigentiam necessitatis, seu rationabilis causæ, *Laym. in c. Licèt; 14. n. 2. de elect. in 6.* ubi addit, quòd hoc tempus videatur ad annum restrictum in Concil. Trident. *sess. 7. c. 12. de ref.* ubi excipitur casus expressus *in c. Cum ex eo; 34. de elect. in 6.* in quo conceditur Episcopo, ut ad longius tempus, videlicet ad septennium, causâ studiorum, cum Curatis dispensare possit super absentia, de quo suprà §. 5. n. 35.

XLIII. III. Si statutum Synodale, seu Diœcesanum conditum sit obligans ad personalem residentiam; tum Episcopus in eo dispensare, seu licentiam absentiæ ex justa causa dare potest: imò etiam ipsum Capitulum, seu Collegium Canonicorum, si ab ipso simile statutum sit factum de residendo, ita, ut sine illo nulla esset obligatio residendi, licentiam absentiæ dare potest; quia & punire potest non residentes: multò magis autem talis potestas ad tempus competit Capitulo Cathedrali, Sede vacante; quia in ijs, quæ sunt jurisdictionis necessariæ, in ea succedit Capitulum, *Azor cit. c. 5. q. 3.*

IV. Etiam Prælati inferiores Episcopo, si ordinariam jurisdictionem in Clericos sibi subjectos habeant, possunt dare facultatem Parochis & Beneficiatis curatis, ut ob justam causam absint ab Ecclesijs suis ad aliquod tempus; ut docet *Abb. in c. Relatum; 4. n. 4. h. t. Azor. cit. c. 5. q. 4.* & colligitur *ex cit. c. Licèt; de Elect. in 6. in fine*, ubi dicitur: *super residentia verò facienda possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere; prout causa rationabilis id exposcit.* & ibi *Gl. V. Ordinarius*; ait, quòd ejus nomine intelligatur Superior suus, seu proprius, sive sit Episcopus, sive major, sive inferior Episcopo. At verò, si Prælatus inferior Episcopo non habeat jurisdictionem ordinariam in loco, v. g. Abbas Regularis, aut Prælatus, seu Rector Ecclesiæ Collegiatæ; etsi habeat quidem potestatem conferendi Parochiam, vel aliud Beneficium curatum: Provisus tamen, seu Curatus jurisdictioni Episcopi subsit, ab eóque circa administrationem, & curam parochiæ pendeat: tunc ab eodem licentiam absentiæ petere; & si illegitimè absit, puniri debet, maximè, si agatur ad privationem ipsius Beneficij; quia habens potestatem conferendi, non habet etiam potestatem destituendi, propter delictum non residentiæ, ut ait *Abb. in cit. c. Relatum; num. 4. h. t.* Addit ibidem *Fagnan. n. 9.* quòd Prælati inferiores Episcopo non possunt licentiam dare discedendi ab Ecclesia, vel loco Beneficij, nisi habeant jurisdictionem ordinariam, & quidem excluso Episcopo.

§. VIII.

Quomodo intelligendum sit Iuramentum præstitum de continua, aut perpetua residentia?

XLIV. Is, qui juravit, quod in Ecclesia sua residere velit; sed posteà se absentat, non in fraudem, sed ad jura Ecclesiæ suæ prosequenda & defendenda, non incurrit perjurium, cùm pro residente haberi debeat; ut constat *ex c. Ex parte; 13. h. t.* Nam cùm cui- » dam Præpositura collata fuisset, juravit se residere » velle in eadem (& insuper juramento promisit, se » jura ipsius Præposituræ defensurum; ut habetur *in* » *integra lectione huius c.*) sed quia ob negotia ejus- » dem Præposituræ procuranda, interdum abesse de- » bebat; consuluit Honorium III. an non obstante » juramento suo, licitè abesse possit. Respondet Pa- » pa, si fraudulenter se non absentet, sed Præpositu- » ræ suæ jura fideliter prosequatur, quòd (etiam ab- » sens) pro residente haberi debeat; adeóque jura- » mentum suum non violet, nec perjurium incurrat. » Ratio decisionis est; quia juramentum præstitum circa materiam juris recipit omnes limitationes, seu exceptiones Juris; sive intelligi debet secundùm limites materiæ subjectæ, ita, ut ad plus non obliget, quàm jus requirat. At verò Jus commune non requirit residentiam ita strictè, quin ob plures causas Beneficiarij abesse possint, & non residere, propter negotia & utilitatem Ecclesiæ, vel Beneficij sui: nam etiam secundùm Jus commune habetur pro residente, qui pro serviriis Ecclesiæ suæ est absens; imò etiam propter proprium negotium, seu utilitatem, *juxta Gl. hîc V. Perjurium*; ideo etiam juramentum adjectum, juxtà materiam subjectam, & Jus commune intelligi debet, ita, ut non obliget ad residendum in casibus Jure communi exceptis, *Abb. hîc n. 4. & Alex. de Nævo ibid. n. 4.*

XLV. Notandum hîc primò. Beneficiatus non tenetur præstare juramentum de residentia facienda tempore receptionis suæ, vel collationis, nisi statutum, vel consuetudo Ecclesiæ id exigat, vel ipse sit suspectus de non residendo: alioquin ad id cogi non potest; quia Jure communi non requiritur præstatio juramenti, quod tamen præstitum fuit à Præposito in casu *hujus c.* fortè ex speciali statuto, aut consuetudine, *Abb. hîc n. 2. & Alex. n. 2.*

Notandum secundò. Obligatio continuò, seu perpetuò residendi non debet ita strictè intelligi, ut nunquam possit discedere ab Ecclesia, sed solùm ut resideat, congruis temporibus, aut horis consuetis, *Abb. hîc n. 3.*

Notandum tertiò. Si in juramento, aut promissione speciali aliquid expresè adjiciatur, ultra limites Juris communis; tunc jurans, vel promittens illud implere

plere tenetur. Sic in multis Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ tenentur Canonici, toto primo anno residere, ita, ut nullâ unquam nocte extra Civitatem manere possint; quia ab initio promiserunt secundùm statuta loci.

XLVI. Verùm decisioni *hujus c.* obstare videtur *text. in c. Ad nostram 3. 7. supr. de jurejur.* ubi habetur, quòd juramentum debet impleri in forma specifica, & non in casu ficto tantùm: nam ibi debitor juravit, se non molestaturum creditorem super pignore, donec debitum ipsi solutum fuerit, & deciditur, non esse observatum juramentum per hoc, quòd sit creditori satisfactum ex fructibus pignoris computatis in sortem; sed oportet, ut fiat realis solutio, & non compensatio, quæ est ficta tantùm solutio: ergo similiter in casu *hujus c.* non est impletum juramentum de faciendo residentia per hoc, quòd posteà jurans absit ob Ecclesiæ utilitatem, quia sic absens non verè residet; sed fictè solùm; quia habetur pro residente. Respondent communiter DD. quòd per fictam illam residentiam, quæ fit ab eo, qui ob utilitatem Ecclesiæ abest, non læditur Ecclesia, cui jurata est perpetua residentia; sed potiùs tendit in ejusdem utilitatem: & ideo meritò censetur juramentum per illum impleri in casu *hujus c.* secus est, si juramentum tendat in favorem eius, cui juratum est, qui læderetur, & contra intentionem ipsius esset, si non juramentum in forma specifica impleretur: tunc enim in ea debet impleri, ut in casu *cit. c. Ad nostram*; *Abb. hîc n.* 3. & alij. Aliam responsionem dat *Barb. in Collect. hîc n.* 1. quæ apud ipsum legi potest.

§. IX.

Quæ pœnæ Iure antiquo Canonico decretæ sint in Beneficiarios non residentes?

De his agitur *in pluribus capp. h. t.* quæ hoc §. explicabimus.

XLVII. Et inprimis quidem *in c. Quia*; 3. *in fine h. t.* decernitur, ut si habenti unum Beneficium curatum, vel Dignitatem; alterum collatum fuerit, & qui accepit contra SS. Canones, illud amittat: & qui dederit, seu contulerit, conferendi potestate privetur.

Ubi notandum primò. Recipiens secundum Beneficium curatum, vel Dignitatem, aut Personatum, illud amittit: non quidem ipso jure; sed per sententiam eo est privandus, secundùm tempus Concilii Lateranensis sub Alexandro III. de quo loquitur *hoc c.* quod est desumptum ex eodem Concilio, id verò posteà est correctum; ut dicetur *tit. seq.* & notat *Abb. hîc num.* 4.

Notandum secundò. Conferens Beneficium curatum, vel Dignitatem ei, qui non potest personaliter residere in illo, privandus est pro ea vice potestate conferendi illud Beneficium, vel Dignitatem, per sententiam scilicet: non autem est privatus ipso facto; ut notat *Abb. hîc n.* 8. ubi in fine addit, alium esse casum *huius c.* à casu allato *in c. Cùm in cunctis* 3. 7. §. *fin. de elect.* ubi pœna privationis eligendi, pro una vice, ipso jure infligitur iis, qui personam indignam, seu inhabilem quoad ætatem, scientiam, mores, vel natales ad Prælaturam, vel Dignitatem elegerint: Episcopus quoque privatus est, ipso jure, potestate eligendi pro ea vice, si tali personæ Dignitatem contulerit. At verò *in cit. c. Quia nonnulli*; *h. t.* infertur pœna privationis non ipso facto; sed per sententiam incurrendæ ijs, qui Clerico, etsi alioquin habili, quodcunque Beneficium residentiam postulans contulerint, qui personaliter residere non potest: hoc enim casu alium Clericum, qui residere possit, superior Prælatus constituere debet.

XLVIII. Secundò, quia in Concilio Lateranensi (relato *in cit. c. Quia*; 3. *h. t.*) statutum fuit, ut Ecclesia, vel Beneficium Ecclesiasticum tali personæ conferatur, quæ residere in loco, & curam eius per se valeat exercere, nonnulli ad Ecclesias vel Beneficia præsentati affirmârunt, se id præstare posse; sed posteà id facere omiserunt: ideo Archiepiscopus Eboracensis consuluit Papam Alexandrum III. an posset tales præsentatos repellere, vel institutos removere. Respondit Papa, cùm verba prædicti Decreti accipienda sint cum effectu; ideo tales Clericos, si præsentati fuerint, non debere admitti; admissos verò removeri posse: nisi fortè cum Prælatorum suorum licentia, vel ob studium literarum, vel ob alias honestas causas absint: alioquin verò nec appellatio eis patrocinari debet, si contra illius Decreti intentionem eam interposuerint; ita statutum habetur *in c. Relatum*; 4. *h. t.* Ratio decisionis patet ex textu; quia verba Legis, seu Constitutionis cum effectu sunt accipienda, ita, ut non frustranea, & inutilis fiat; sed finem intentum consequatur; prout etiam habetur *in c. Commissa*; 35. *de Elect. in 6.* ubi dicitur; *ne statutum ipsum fiat ludibrio, debitóque frustretur effectu, & non rebus, sed verbis lex imposita videatur.* Idem quoque habetur *in c.* 1. §. *Hæc autem*; *ff. Quod quisque juris &c. l. pen. §. Docere*; *ff. Ne quis eum, qui in jus &c. l. Nomen*; 164. *in fine ff. de V. S.* At verò in cit. Decreto Concilii Lateranensis præcipiebatur, ut Ecclesia & Beneficia conferantur talibus, qui in loco possint residere, & per se curam illius exercere: quæ verba etsi voce tenus potentiam significare videantur: tamen cum effectu accipienda sunt, sive de actuali residentia & cura intelligi debent; quia alioquin Decretum, seu statutum inane esset, si actu & reipsâ non residerent, vel curam per se non exercerent. Quare omnis Lex, seu Constitutio ita intelligi debet, ut habeat aliquem effectum, cùm sit imposita rebus, & non verbis, *Abb. hîc not.* 3.

XLIX. Hinc colligitur præterea primò, ut Clericus curatus, vel Beneficiatus abesse possit ab Ecclesia vel Beneficio, duo copulativè sunt necessaria, scilicet licentia Prælati, & honesta, seu justa causa, ita, ut unum sine altero non sufficiat, ut patet *ex hoc c.* quia Prælatus non potest, sine justa causa, contra Jus commune dispensare, *Abb. hîc not.* 4. Unde verba illa *de licentia Prælatorum* in hoc *c.* referri debent ad sequentes casus de studio, & aliis honestis causis, & verba posteriora, *vel studio literarum* intelligi debent expositivè, non disjunctivè, ita, ut sensus sit: *nisi fortè, vel studio literarum, aut pro aliis honestis causis eos abesse contigerit, de licentia suorum Prælatorum*, *Fagnan. hîc n.* 10. & 11. & dictum suprà.

Colligitur secundò. Si Clericus appellet, ne residear in Ecclesia vel Beneficio; cùm tamen teneatur residere, ut quia obtinet Beneficium curatum, non

valet appellatio; quia appellatio contra juris dispositionem facta non est admittenda, nec valet, *Gl. hîc in notat. Abb. n. 3. not. ult.* idémque est, si Clericus habens simplex Beneficium expressè promisit residentiam, *Gl. hîc V. Diffugium.*

L. Tertiò. Prælatus, vel alius Clericus, qui ab Ecclesia vel Beneficio residentiam postulante diu abfuit, si vocatus, intra tempus legitimum, non redeat; adeóque contumax appareat, eo privandus est, & alius eligi, vel Beneficium alteri conferri potest; prout sumitur ex c. *Ex parte*; 8. *h. t.* Nam cùm Decanus alicuius » Ecclesiæ se in aliam Regionem contulisset, & ibi per » decem annos moratus fuisset ab Ecclesia sua absens, » Canonici rem hanc ad Cælestinum III. detulerunt, » qui ipsis rescripsit, se nolle ut Ecclesiæ eorum Officio « Decani destituatur: ideóque mandat, ut eidem » scribant, & moneant, ut revertatur, & in Ecclesiâ » sua Officium Decani exerceat: alioquin, si non re- » dierit ad terminum ipsi præfixum, liberam eis Pon- » tifex dat facultatem, alium Decanum eligendi, qui » eorum Ecclesiæ valeat præesse, & prodesse. Ratio decisionis est; quia tametsi quis longo tempore, v. g. per decem annos ab Ecclesia sua vel Beneficio abfuit, dummodò aliud incompatabile Beneficium non accepit, non censetur priori renunciâsse, sive illud pro derelicto habere, ut tanquam vacans alteri conferri possit; ideóque absens priùs moneri debet, seu vocari ut redeat, antequam privetur, quamvis ob culpabilem absentiam; præsertim tam diuturnam, aliter puniri possit, *Gl. hîc V. Per decem annorum, & ibid. Abb n 2. & 3.*

LI. Notandum hîc præterea primò, non requiritur hoc casu solennis, seu trina citatio absentis, neq; etiam privatio per sententiam, sed ipso facto Beneficium illegitimè absenti, postquam monitus est, ut resideat, & non venit, auferri, & alteri conferri potest; sicut colligitur ex *cit. c. Ex parte*; & ibi docet *Innoc. & Io. Andr. n. 2. Abb. n. 4. Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 127. & 130.* Ratio est; quia in facto notorio non requiritur ordo juris, sive processus judiciarius; *c. Ad nostram*; 21. *de jurejur.* atqui notorium est, Beneficiario prohibitam esse absentiam sine causa à Beneficio: ergo, si postquam personaliter monitus est, non veniat, ipso facto, potest contra eum procedi: ita tamen, ut, si postea Beneficiarius redeat, & justam causam absentiæ suæ alleget, ac probet, restituendus sit; ut tradunt DD. *cit. Arg. c. Præsentium*; 3. *cauſ. 3. q. 1. & c. Bertholdus*; 18. *de sent. & re judic.* Licèt autem absolutè necessarium non sit, ut Beneficiarius illegitimè absens, post monitionem, privetur Beneficio per judicialem sententiam, causâ priùs cognitâ; quòd culpabiliter & contumaciter absit; consultius tamen est, ut id fiat, *Abb. in cit. c. Inter*; 10. *n. 2. h. t.* neque tamen sufficit, ut Beneficiarius revertatur, nisi etiam permaneat: si enim rediret, & statim, vel paulò post iterum abiret, non videretur redijsse, *l. Aliud*; 71. *ff. de V. S. Io. Andr. hîc n. 3. Alexand. de Nævo n. 8. & 9.* Quòd, si Beneficiario absenti certus terminus assignatus sit ad redeundum, si ultra illud tempus abfuerit, privari potest, sine alia monitione, nisi justum impedimentum probet; quia dies interpellat pro homine, *Io. Andr. hîc n. 4.* ubi id limitat, dummodo in concessione licentiæ monitus fuerit, & redeat intra terminum.

Notandum secundò. Capitulum Prælatum, vel Decanum ab Ecclesia sua illegitimè absentem revocare quidem potest, & charitativè monere, ut redeat, ita, ut si non veniat, Superiori suo posteà denunciari, & apud eum accusari possit: non tamen potest illum auctoritativè citare, in ordine ad privationem Beneficij, ita, ut citatus non comparens, in contumacia constituatur; sed ea à Superiore fieri debet, qui destituendi eum potestatem habet; cùm inferiores in superiorem jurisdictionem non habeant, *c. Inferior*; 16. *de majorit. & obed.* neque par in parem, *c. Innotuit*; 20. *de elect. Abb. hîc n. 5.* Unde neque Capitulum potest, tali casu, procedere ad eligendum alium Prælatum, vel Decanum; sine auctoritate illius, in cuius manibus ille potest renunciare, vel, qui jurisdictionem habet in eum, ut ipsum amoveat, *Innoc. in c. Qualiter*; 9. *V. Eligatis*; *h. t.* Quòd, si citatio, seu monitio Decani in casu huius c. facta à Capitulo fuit judicialis; tunc fuit facta Papæ auctoritate, sine qua non potuisset procedere ad novam electionem, *Abb. c. l. & Alex. n. 7.*

LII. Quartò similis priori Constitutio habetur in *c. Qualiter*; 9. *h. t.* Nam cùm Archiepiscopus » Ragusinus, propriâ temeritate, ab Ecclesia sua recessisset, & quamvis à Capitulo per literas revocatus, & » ultra quadriennium expectatus, non redijsset, petijt Capitulum ab Innocentio III. facultatem alium » eligendi. Sed Pontifex adhuc expectandum censuit, si fortè resipiscens ad Ecclesiam suam redeat » (*prout habetur in integra lectione hujus c.*) ac tandem mandat Capitulo, ut nisi jam redierit Archiepiscopus, ipsi post mensem à receptione literarum » Apostolicarum numerandum, ne diutiùs Ecclesia » pastorali curâ sit destituta, aliam personam idoneam in Archiepiscopum eligant. »

LIII. Pro explicatione huius c. notandum primò. Archiepiscopus vel Episcopus, qui propriâ auctoritate recessit ab Ecclesia sua, id est, sine licentia Romani Pontificis, si admonitus non redeat, potest privari Archiepiscopatu; ut patet *ex hoc c.* quod autem hîc de quadriennio dicitur, narratur solùm factum; quia de facto fuit tanto tempore expectatus, cùm tamen nec per annum quidem abesse debuisset, sine licentia Superioris sui, scilicet Papæ, & sine justa causa: non autem dicitur, quòd debuerit expectari per quadriennium, *Gl. hîc V. Quadriennium*; & *Abb. num. 4. Alex. n. 1.*

Notandum secundò. Capitulum, cùm sit inferius Episcopo: Canonici enim sunt membra, & Episcopus est Caput, *c. Novit*; 4. *de his, quæ fiunt à Præl. & c.* non potest juridicè citare Episcopum; vel alium Prælatum similem absentem ad residendum; quia citatio est actus jurisdictionis & Superioritatis; quamvis illum requirere & revocare possit ad residendum ipsum Capitulum, propter proprium interesse, *Abb. hîc n. 1.*

Notandum tertiò. Superior non debet statim procedere ad privandum Beneficio, ac deponendum eum, qui abest, seu non residet, sed prudenter facit, si etiam postquam monitus est, ut redeat, adhuc expectet aliquamdiu, donec clarè appareat, quòd Prælatus vel alius Beneficiarius contumaciter & temerariè absit: vel, quòd Beneficium pro derelicto habeat, eique tacitè renunciet; sicut colligitur ex *cit. c. Qualiter*: ubi licèt Archiepiscopus Ragusinus revocatus fuerit à Capitulo: tamen eidem mandat Papa, ut nonnisi post mensem à receptione literarum suarum, alium in Archiepiscopum eligant: dummodò tamen ex eo, quòd

Eccle-

Ecclesia diutiùs Pastore careat, vel Beneficiario, notabile damnum non incurrat.

Notandum quartò. Tres sunt modi, quibus Prælatus, vel alius Clericus Ecclesiæ, vel Beneficio suo renunciare, vel illud pro derelicto habere censetur; ut tradit *Gl. in c. ult. V. Redierint*; *h. t. & in cit. c. Qualiter*; *V. Quadriennium*, *& ibid. Abb. num. 5. & 6. h. t.* Primò, si reipsâ miles factus sit: tunc enim se obligat ad statum incompossibilem cum Clericatu, *Arg. l. pen. ff Ex quibus caus. majores &c.* ubi dicitur: quòd Milites omnes discedere à signis, sine periculo (perjurij, vel mortis, *Gl. ibid. V. Periculo*) non possint. Secundò, si Beneficiatus matrimonium contraxit, *c. 1. de Cleric. conjug. junct. Gl. V. Relinquenda*; ubi ait, vacare tunc Beneficia ipso jure. Tertiò, si admonitus, ut redeat, non pareat; adeóque contumaciter absit, ut in *hoc c. Abb. hic n. 6.* & tunc præsumitur evidenter præsumptione juris, & de jure; quòd Ecclesiam habeat pro derelicta; approbante hoc Papâ in *hoc c. Hostiens. hic in fine.* Et in his casibus nec judicialis citatio, nec sententia requiritur; ut colligitur ex *hoc c.* ubi Papa dedit licentiam Canonicis Ragusinis eligendi alium in Archiepiscopum; tametsi non præcesserit solemnis citatio, nec sententia privationis; ut notat *Abb. hic n. 3. Gl. in c. ult. V. Redierint*; *h. t.*

LIV. Quintò idem Innocentius III. statuit in *c. Inter*; 10. *h. t.* Si Clerici Beneficiarij Ecclesias vel Præbendas sibi concessas, sine justa & necessaria causa, & sine consensu ac licentia sui Prælati, desertant, atque congruo tempore expectati (ad arbitrium Episcopi seu Prælati, consideratis circumstantiis viarum ac distantiæ, *Gl. hic V. Congruo.*) non redeant, eis justè privari possunt, dummodò justo impedimento non sint detenti, quò minùs scilicet post monitionem revertantur, & nisi redierint, intra terminum ijs constitutum post admonitionem, *Gl. hic V. Juste privari*; impedimento verò probato, restituendi sunt, *Gl. fin. hic.*

LV. Hinc colligitur primò. Licèt subsit justa causa discedendi à loco Beneficij; nihilominùs tamen peti debet licentia abeundi à Prælato, *Gl. hic V. Sine justa causa*; nisi ad modicum tempus quis absit. Colligitur secundò, quamvis Beneficiarius, sine justa causa, & absque Prælati sui licentiâ, discedat à Beneficio; si tamen posteà impedimentum incidat, quò minùs redire possit, v. g. ob periculum pestis grassantis in loco Beneficij, vel hostium incursum, non potest privari Beneficio; quia impedimentum superveniens excusat à pœna decreta in eos, qui citati non se sistunt, *Innocent. hic.* ubi rationem reddit; quia absens debet priùs moneri, ut redeat; monitio autem non potest obligare impeditum venire: dummodò non sit impedimentum voluntarium, seu affectatum & procuratum; ut docet *Bart. in l. 2. §. Simili modo*; *ff. Si quis cautionib. in Judicio sistendi &c.* requiritur tamen, ut propter impedimentum superveniens non possit venire: nam, si Beneficiarius citatus ad terminum præfixum comparere amplius non potuisset; etiamsi impedimentum non supervenisset, non erit excusatus; ut docet *Imola hîc in fine.* Porrò per impedimentum excusans hîc intelligi debet, non tantùm absoluta, seu physica impossibilitas; sed etiam non levis difficultas, spectatis personæ, loci, aliisque circumstantiis: nam sicut difficultas excusat à mora, ita & à pœna decreta ob moram, *Bart. in l. Continuus*; 137. §. *Illud*; *n. 7. ff. de V. O.*

LVI. Sextò, si Clerici Beneficiarij fraudulenter & malitiosè se absentent ab Ecclesia sua, ita, ut citatio ad ipsos pervenire non possit; tunc tribus publicis edictis ad valvas Ecclesiæ affixis citari debent: & si posteà expectatis adhuc sex mensibus, non venerint, secundùm Canones, Beneficiis privari debent; prout statuitur *in c. Ex tuæ*; 12. *in princ. h. t.*

LVII. Notandum primò. Si Clericus Beneficiarius ab Ecclesiâ sua absit, licèt ex injusta causa, nunquam citandus est per edictum, sed personaliter citari debet ad residendum per nuncium, aut literas ad ipsum missas, si sciatur ubi sit, & citatio ad ipsum pervenire possit; ut ex communi docet *Abb. hic n. 3. not. 3.* & sufficit unica citatio, si ea ad notitiam eius pervenit; imò etiam sufficit simplex revocatio, seu monitio, *Abb. hic n. 10.* Si citandus latitet, vel ignoretur, ubi sit; vel ita longè distet, ut commodè personaliter citari non possit; tum citandus est per tria publica edicta affixa in valvis Ecclesiæ; ut colligitur ex *hoc c.* ibi: *in eorum Ecclesijs*: Ratio autem, cur priore casu sufficiat una personalis citatio: requiratur autem trina per edictum in casu posteriore, est; quia, si quis personaliter citatus non veniat, etsi venire possit, verè contumax reputatur: constat enim de illius contumacia; quia scitur, quòd nolit venire; ideóque in tali casu, in quo etiam proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu judicij; una citatio personalis sufficit; etiam non peremptoria, juxta *Clem. 2. junct. Gl. V. Citationem*; *& V. Non peremptoriè*; *de V. S.* At verò, si quis citetur per edictum, cùm certò sciri non possit, an citatio reipsâ pervenerit ad notitiam absentis citati; adeóque is fiat tantùm fictè & præsumptivè contumax: idcircò meritò statutum est, ut fiat trina citatio per edictum, & sic defectus personalis citationis suppleatur; *Vivian. in Rat. hîc.*

LVIII. Notandum secundò. Etsi aliàs regulariter una citatio peremptoria per edictum æquivaleat tribus per intervalla distinctis citationibus *juxta l. Contumacia*; 53. *ff. de re judic.* dummodò tantum temporis spatium pro uno assignetur, quantum aliàs pro tribus, ita, ut si pro singulis citationibus ter repetitis dentur decem dies ad comparendum, pro una peremptoria citatione; per unicum edictum affixum, præfigatur terminus triginta dierum: nihilominùs tamen, si Lex requirat trinam citationem in ordine ad pœnam incurrendam à citato, non sufficit unica peremptoria, etsi personalis, & cum termino tribus æquivalente facta; quia faciliùs potest pervenire ad notitiam absentis, edictum per intervalla ter affixum, quàm unicum, licèt peremptorium: fortè enim amicus citati, qui non interfuit primæ citationi, aderit in secunda vel tertia, & poterit hoc citato denunciare, *Gl. in Clem. 1. V. Tertiò*; *de vita & honest. Cleric. Jo. Andr. in cit. c. Ex tuæ*; *n. 4. h. t. & ibid. Abb. n. 4. Felin. in c. Consuluit*; 24. *n. 14. de Offic. jud. deleg.* Verùm hanc doctrinam limitat *Imola in hoc c. n. 4.* ut solùm procedat, si ex consuetudine præmittatur proclamatio per vocem præconis in loco publico, *juxta Clement. 1. de Judic.* quæ, si ter fiat, ei ijs illius rei notitia perveniet ad absentem, quàm si semel tantùm fiat proclamatio. Sin autem absque proclamatione præconis publicatio citationis

tionis tantùm fiat, per affixum edictum ad Ecclesiæ valvas, *juxta c. ult. de dolo & contum.* tunc non citiùs perveniet citatio ad notitiam absentis citati, si tria edicta per decem dierum intervalla affigantur, quàm si unum edictum, adjecto termino peremptorio, continuis triginta diebus affixum prostet; adeóque tunc unum edictum peremptorium tribus per intervalla affixis æquivalebit, *juxta cit. l. Contumacia; ff. de re jud.*

Notandum tertiò. Clericus absens à sua Ecclesia, si ignoretur, ubi sit, post trinam citationem, insuper exspectari debet per sex menses, antequàm privetur Beneficio, ut patet *ex hoc c.* quia tempus semestre est terminus, ultra quem Beneficia regulariter vacare, & Rectore vel Administratore carere non debent, *c. 2. de conceff. præb.* quo elapso, jus præsumit, quòd citationis edicta intra tot menses ad notitiam citati pervenerint, *Abb. hîc n. 5.* & quòd Beneficium, si interim non est reversus, nec legitimum impedimentum suæ absentiæ allegavit, & probavit, pro derelicto habeat, & in contumacia existat, ideò meritò Beneficio est privandus, *Vivian. in Rat. h. c.*

LIX. Præterea alio adhuc modo procedi potest contra Clericos non residentes, & fraudulenter se » absentantes, videlicet per censuram suspensionis & » excommunicationis, ut sic ad obedientiam com- » pellantur. Quòd si nec tunc obediant, & veniant » ad residendum, tum demùm iis à spiritualium (hoc » est, Ecclesiarum, vel Beneficiorum suorum) ad- » ministratione remotis, alii idonei in locum eorum » constituantur: non tamen in eos ferenda & pro- » mulganda erit sententia degradationis, ut si expe- » diat, secundùm indulgentiam & misericordiam » cum iis agi, & citiùs restitui possint, prout statui- » tur in *cit. c. Ex tuæ; 11. §. Contra eos; h. t.*

LX. Porrò in Casu *hujus c.* agitur de quibusdam Prælatis seu Episcopis subjectis Archiepiscopo Panormitano, qui absentârunt se ab Ecclesiis suis, ita ut citari personaliter non possent, nec citati per edictum comparerent: Unde quæsivit Archiepiscopus à Papa, qualiter cum illis procedere debeat, ut refert *Gl. magna hîc*, & respondit Papa, *prout in textu.*

Est autem hîc notandum, quamvis pœna ordinaria Clericorum non residentium sit privatio Beneficii, ut patet ex pluribus *cc. hujus tit.* non tamen incontinenti, postquàm moniti sunt, ut redeant, si non veniant, Beneficiis privari, eáque aliis tanquàm deserta conferri debent, sed post ter repetitas monitiones, præsertim si eorum reditus & reductio ad residendum speretur utilis futura Ecclesiæ, per illatas censuras suspensionis, & excommunicationis ad reditum & obedientiam sunt compellendi, ut notat *Abb. hîc n. 6.* si verò in suspensione & excommunicatione contumaciter persistant, neque redeant, tunc quidem Beneficiis privari possunt, & debent; sed non ita, ut per sententiam omninò degradentur, seu ab officio deponantur, absque ullâ spe restitutionis, sed mitiùs cum illis est agendum: ita ut si à contumacia recesserint, à censura, quâ ligati sunt, absolvantur, & post emendationem officio suo restituantur. An verò Episcopus Clericum Beneficiarium, ob contumaciam in non residendo, depositum ab officio & Beneficio, possit restituere, tradit hîc *Abb. n. 16.* qui videri potest.

Illud hîc addendum, si intelligatur *hoc c.* de Episcopis deserentibus Ecclesias suas, posse Archiepiscopum contra illos procedere, excommunicando, & suspendendo: non autem potest ab Episcopatu vel administratione eos removere, seu deponere, id enim in *hoc c.* specialiter concessum fuit Legato Sedis Apostolicæ à Latere, ut notavit *Innoc. hîc n. 5.* nam depositio Episcoporum reservata est S. Pontifici, *c. 2. De transl. Episcop.*

LXI. Septimò denique in *c. Clericos; 17. & ult. h. t.* statuit Gregorius IX. si Clerici Beneficia » obtinentes, quæ residentiam personalem requi- » runt, absque licentia Ordinarii sui, ad aliam Diœ- » cesin transierint, ibidem commorandi causâ, at- » que moniti reversi non fuerint, potest Episcopus, » vel alius Prælatus ordinariâ jurisdictione (Episco- » pali vel quasi Episcopali) præditus, ipsos Beneficiis » suis ipso facto spoliare, seu privare, nisi rationabi- » lem causam absentiæ suæ ostenderint (v. g. infir- » mitatem) tunc enim restituendi sunt. »

LXII. Hinc infertur primò, quòd Clericus habens Beneficium, requirens personalem residentiam, cum licentiâ Prælati sui, possit transire ad aliam Diœcesin, etiam ibi morandi causâ, ut colligitur à contrario sensu ex *hoc c.* ibi: *absque licentiâ*, scilicet Episcopi, ergo cum licentia ejusdem id potest, ut infert *Abb. hîc n. 2.* Ubi id limitat primò, dummodò licentia fuerit concessa, ex justa causa, prout hoc indicat verbum *licentia*, quæ non nudam voluntatem importat, sed concessionem ex causa rationabili factam, sine qua Episcopus in residentia dispensare non potest. Secundò modò Beneficiarius absens inserviat Ecclesiæ per Vicarium seu Substitutum, quod requiritur in Ecclesia, quæ unicum habet Rectorem, non autem in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.

Infertur secundò, Clericum Beneficiatum posse ad aliam Diœcesin transire, etiam sine Episcopi licentia, si transeat, non morandi causâ, sed ad breve tempus, quia, qui aliquantisper tantùm absunt, & statim reversuri sunt, non videntur abesse, *Fagnan. hîc n. 6.*

Infertur tertiò, Beneficiatus absens, etiam diutiùs, non potest privari Beneficio, propter non residentiam, si justam causam seu excusationem probet, ut colligitur ex fine *hujus c. Imola ibid. n. 4.* & patet ex suprà dictis.

§. X.

De pœnis, quæ Iure novo Concilii Tridentini statutæ sunt in Clericos illegitimè absentes à suis Ecclesiis vel Beneficiis.

LXIII. Quæritur primò quæ pœnæ statutæ sint in scopos, iisque Superiores illegitimè absentes à suis Ecclesiis, tum etiam in Parochos, aliósque Curatos inferiores? Resp. in *c. 1. sess. 6. de reform. SS. Sy-* » nodus inprimis innovat antiquos Canones, qui » temporum atque hominum injuriâ penè in desue- » tudinem abierunt (qui habentur in *c. Pervenit;* » *20. & multis sequentibus cauf. 7. q. 1. & extra tit.* » de

» *de Cleric. non resident.*) adversùs Pastores non resi-
» dentes promulgatos. Et insuper de ijs, qui Patri-
» archali, Primatiali, Metropolitanæ, seu Cathe-
» drali Ecclesiæ præsunt, decernit, si absque justis
» & rationabilibus causis per sex continuos menses
» extra suam Diœcesin morando, abfuerint, quar-
» tæ partis fructuum uniùs anni, Fabricæ Ecclesiæ,
» vel pauperibus loci applicandorum pœnam priva-
» tionis ipso jure incurrant. Quod si per alios sex
» menses abfuerint, aliam quartam partem fru-
» ctuum similiter applicandam eò ipsò amittant:
» crescente verò contumaciâ, qui absentes perma-
» nent, si Suffraganei sint Episcopi, per Metropoli-
» tanum: hic verò si absens sit, per Suffraganeum
» antiquiorem, sub pœna interdicti ingressûs Eccle-
» siæ, eò ipsò incurrendâ, intra tres menses, per
» literas seu nuncium Romano Pontifici denun-
» ciandi sunt, qui in ipsos absentes, prout major
» aut minor contumacia exegerit, animadvertere,
» & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus provide-
» re poterit.

Similiter *Sess. 23. c. 1. de reform. §. Si quis autem*; statuitur: si Cathedrali Ecclesiæ cuicúnque præsidens ultra duos, aut summùm tres menses (exclusâ ne-
» cessitate, sive causâ rationabili) abfuerit, præter
» peccati mortalis reatum, pro rata temporis ab-
» sentiæ, fructus suos non faciat, nec tutâ conscien-
» tiâ, aliâ etiam declaratione non secutâ, illos sibi
» retinere possit, sed ij Fabricæ Ecclesiæ, aut paupe-
» ribus loci applicari, aut ipso cessante, per Superio-
» rem Ecclesiasticum erogari debent: prohibitâ quâ-
» cúnque couventione aut compositione, & non
» obstantibus quibuscúnque privilegiis.

Eadem omninò etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Parochis, aliisque Curatis inferioribus intelligenda esse dicitur *in cit. c. 1.* Quare &
» ipsi, si ultra bimestre tempus abfuerint (nisi ex cau-
» sa gravi longius absentiæ tempus ab Episcopo suo
» impetraverint) fructus restituere renentur, & ad
» id ab Episcopo compelli possunt. Quòd si per edi-
» ctum citati, etiam non personaliter, contumaces
» fuerint, liberum est Ordinariis per censuras Eccle-
» siasticas, sequestrationem & subtractionem fru-
» ctuum, aliáque juris remedia, etiam usque ad pri-
» vationem eos compellere: neque executionem
» hanc quolibet privilegio, licentiâ, familiaritate,
» exemptione, etiam ratione cujuscúnque Beneficij,
» pactione, statuto, etiam juramento, vel quâcún-
» que auctoritate confirmato, consuetudine etiam
» immemoriali, sive appellatione aut inhibitione,
» etiam in Romana Curia, suspendi posse decernitur.

LXXIV. Porrò circa hæc decreta quædam sunt notanda, primò, *in c. 1. Sess. 6. de reform.* innovantur Canones antiqui adversùs Pastores non residentes, quoad culpam videlicet, ut Episcopi residere teneantur, & quoad pœnam privationis Tituli, de qua *in Concil. Trident.* nihil statuitur: quare quod spectat ad privationem tituli, ejúsque modum privationis, servandum est, quod statuitur *in c. ult.* & in alijs Canonibus, præsertim *in c. Extuæ*; 11. *Fagnan. in cit. c. ult. n.* 10. Secundò, quando *in cit. c. 1. Sess. 6.* dicitur, quartam partem fructuum unius anni subtrahendam esse, sermo est de fructibus tempore residentiæ légitimè acquisitis: at verò *in c. 1. Sess. 23.* dicitur, quòd omnes fructus, tempori absentiæ pro rata correspondentes, integrè & in totũ subtrahendi sint, *Castr. Palao tract. 13. de Benef. dis. 5. punc. 3. n. 2.* Verùm *Less. lib. 2. de justit. c. 34. dub. 29. n. 157.* ait, quòd in priore loco dicitur de quarta parte fructuum amittenda, in posteriore loco esse auctum, ut nimirum fructus omnes pro rata absentiæ amittantur. Tertiò, licet ordinariè loquendo, lex pœnalis etiam ipso jure lata non obliget delinquentem ad executionem, sinè sententia Judicis saltem declaratoria: excipi tamen debet, nisi hujusmodi lex humana consistat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum, v. g. ut fructus Beneficij suos non faciat: tunc enim in conscientia, ante omnem Judicis sententiam, aut declarationem, obligatur ad restitutionem fructuum, sicut lex pœnalis requirit, & expressè habetur *in cit. c. 1. Sess. 23. Less. c. l. & Palao c. l. n. 3.* Verùm *Laym. l. 1. tract. 4. c. 6. n. 6.* ait, hoc in eo rigore receptum non esse, si per absentiam culpabilem Clerici, notabile damnum Ecclesiæ illatum non fuit, quia Vicarius interim constitutus erat.

LXXV. Quætitur secundò. Quæ pœnæ in Concilio Trident. decretæ sint in eos, qui Dignitates vel Canonicatus, Præbendas aut portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis obtinentes, sine legitima facultate, absunt? Resp. *Sess. 24. c. 12. de reform. §. Præterea*; statuitur, ut primo anno privetur unus-
» quísq; dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam
» Præbendæ, ac residentiæ facit suos: quòd si iterùm
» eâdem fuerit usus negligentiâ, privetur omnibus
» fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: cre-
» scente verò contumaciâ, contra eos, juxta SS. Ca-
» nonum Constitutiones procedatur, quæ extant
» extrà *in Titul. de Clerit. non resident.* nempe ut si talis Canonicus, vel Beneficiarius perseveraverit in absentia, privandus sit, non modò fructibus, sed etiam Beneficio, ex declarat. Congreg. Concil. apud *Io. Gallemart. in cit. c. 12. n. 35.* Porrò duas novissimas Constitutiones Pij IV. & Urbani VIII. refert. *Fagnan. in cit. c. ult. n. 11. & seqq. h. t.*

§. XI.

An, & qualiter liceat Episcopo transire à suo Episcopatu ad alium, vel Clerico ab una Diœcesi ad aliam?

Restant duo adhuc Capitula hujus Tituli in antiquis Decretalibus Gregorij IX. explicanda, quæ tamen directè ad hunc Titulum non pertinent, sed primum *ad Tit. 7. lib. 1. de translatione Episcopi*: Alterum *ad Tit. 22. de Clericis peregrinis.*

LXXVI. Inprimis igitur *in c. Non liceat*; 1. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Sardicensi, sta-
» tuitur, ut nullus Episcopus, de sua Civitate, vel
» Ecclesia transeat ad alium (sine licentia Papæ, *Gl.*
» *hic V. Transire*) nam manifesta causa, ob quam tran-
» sire attentat, est, ac præsumitur esse ambitio & ava-
» ritia, cùm nullus Episcopus sit inventus, qui à ma-
» jore (seu opulentiore ac digniore) Civitate vel Ec-
» clesia ad minorem seu inferiorem transierit: argu-
» mentum autem, quod sumitur à communiter acci-
» dentibus, est validum, *Abb. hîc. n. 4.*

Porrò Episcopus non potest, propriâ auctoritate, relicto suo Episcopatu, acceptare alium, etiam va-

cantem, tametsi fuerit ad illum electus vel postulatus, *Abb. hîc. n. 2.* alioquin si sine licentia Papæ acceptaverit secundum, utróque privabitur, non ipso facto, sed per sententiam, *Abb. hîc n. 6.*

LXXVII. Præterea *in c. Fraternitati tuæ 5. h.t.* » prohibetur, ne Clericus ex aliena Diœcesi veniens, » absq; commendatitiis literis proprij Episcopi sui, » recipiatur, nisi mandatum Sedis Apostolicæ abeo » exhibeatur. Dicuntur autem hîc litteræ commendatitiæ, quæ dantur Clericis peregrinaturis, ut eis liceat in aliena Diœcesi Missam, vel alia Officia Divina celebrare, vel Sacramenta administrare, in quibus etiam perhibetur testimonium de vita & moribus illorum, *Gl. hîc V. Commendatitiis*: sine quibus literis non debet Clericus alterius Diœcesis admitti, nec ad Ordines promoveri, nec Beneficium eidem conferri, *Abb. hîc n. 1.* plura de hujusmodi literis, & Clericis peregrinis dicta sunt, *lib. 1. tit. 22.*

SECTIO II.

DE DISTRIBUTIONIBUS quotidianis.

§. I.

Quæ sint & dicantur distributiones quotidianæ, & quotuplices, & ex quibus bonis deduci debeant?

LXXVIII. Assertio 1. Distributiones sic dictæ, quia juxta cujusque merita ac laborem distribuuntur, duplicis sunt generis; nam quædam non distinguuntur à Præbendis, sed ipsæmet Præbendarum vice funguntur, ut sunt distributiones illarum Ecclesiarum, in quibus non sunt distinctæ Præbendæ, neq; etiam fructus grossi: sed fructus omnes in communi reponuntur, & Canonicis vel Clericis distribuuntur residentibus in loco Ecclesiæ, quibus dantur singulis diebus, cuique pro victu tot libræ panis, vel tot mensuræ vini, etiam absentibus privilegiatis, etsi non intersint Horis vel Officiis Divinis, de quibus fit mentio *in c. Olim; 16. de V. S.* Et tales potiùs sunt Præbendæ, quàm distributiones, alioquin esset Canonia, sine Præbenda, seu Beneficium sine ullis fructibus, ut tradit *Gl. in c. unic. V. Receperit; Vers. sed quid dicas h.t. in 6. & Franc. ibid. §. Qui verò 3 n. 8. Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 7.* Quædam verò sunt distributiones separatæ, ac distinctæ à Præbendis, quæ sunt portiones Ecclesiasticorum redituum, quotidie distribui solitæ, his tantùm Clericis, qui statutis horis, Divinis officiis intersunt, de quibus fit mentio *in cit. c. unic. h.t. in 6. & in c. Licèt 32. de Præb. & in Extravag. Cum nonnullæ 11. de Præb. inter communes, & in Clem. 2. de ætat. & qualit.* Et hæ sunt propriè dictæ distributiones, quæ præter fructus grossos Præbendæ dantur, & dicuntur quotidianæ, quia quotidie distribuuntur, vel potiùs, quia distribuuntur iis, qui quotidie Divinis Officiis intersunt, quasi quotidianum & diurnum stipendium: appellantur etiam interdum manualia Beneficia, interdum verò victualia; & alicubi dantur in certis mensuris frumenti, vel vini, alibi in pecunia, *Azor cit. c. 7. q. 1.* vulgò autem Præsentiæ vocantur.

LXXIX. Porrò appellatione fructuum, seu redituum Beneficii sive Præbendæ, tum in Jure Communi Canonico, tum in Constitutionibus sive Litteris Apostolicis, ordinariè non comprehenduntur distributiones quotidianæ. Unde si Beneficiario, seu jure Communi, seu per privilegium concedatur, ut fructus seu proventus Beneficii in absentia percipiat, ac si præsens esset, v. g. ob causam studiorum, hâc concessione nõ censentur concessæ distributiones quotidianæ, ut constat *ex c. Licèt 32. de Præbend.* Similiter Canonicus, qui absens est in servitio Episcopi, percipit fructus Beneficij tanquam residens, præter victualia, seu distibutiones quotidianas, *c. De cætero 7. h.t.* Ratio est, quia diverso fine institutæ sunt distributiones ab eo, quo fructus Præbendæ: illæ enim principaliter dantur, ut Clerici tantò libentiùs & studiosiùs intersint Officiis Divinis, si præsentem remunerationem accipiant. Neque verò in eo Simonia committitur, quia distributiones hæ non dantur pro ministeriis spiritualibus, ut pretium ex pacto, sed ut temporale stipendium pro victu & labore, *Barb. lib. 3. Jur. Eccles. c. 18. n. 12. & 13.* Et hinc etsi aliàs in impetratione Beneficij, quæ fit à Papa, valor ejusdem, sive redituum æstimatio sit exprimenda: tamen sufficit exprimere æstimationem redituum, qui absque quotidianis distributionibus ex eodem Beneficio percipiuntur, non enim illæ augent Beneficij valorem, cùm dentur ratione personalis operæ & laboris, *Covarr. l. 3. resol. c. 13. n. 1.* Pari ratione, si quis ob delictum privetur fructibus Beneficij non censetur privatus distributionibus; vel si pensio sit imposita alicui Beneficio, non intelligitur distributionibus imposita, siquidem Beneficium habeat fructus separatos à distributionibus, nisi Papa id expresserit, *Azor. c. l. q. 2.*

LXXX. Assertio 2. Ex quibus bonis distributiones quotidianæ deduci debeant, novum Decretum condidit *Concil. Trid. Sess. 21. c. 3. de reform.* Ubi præ- » cipitur, ut in Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm » Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones » quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negli- » gantur, tertia pars fructuum, & quorumcúnq; pro- » ventuum & obventionum, tam Dignitatum, quàm » Canonicatuum, Personatuum, Portionum, & Of- » ficiorum, separentur, & in distributiones quoti- » dianas convertantur, &c. Quæ tamen Constitutio » non ubique recepta est, & in praxin deducta, ut notat *Laym. l. 4. tract. 2. c. 7. q. 2.* Ex quo patet, quòd pars illa tertia, in distributiones convertenda, non potest deduci, nisi ex Canonicatibus & aliis Beneficiis residentiam postulantibus, & in Cathedralibus seu Collegiatis Ecclesiis existentibus; non autem potest detrahi ex Beneficiis, quæ sunt extra Ecclesiam Cathedralem, aut Collegiatam, nisi ea Beneficia sint perpetuò unita Præbendis talis Ecclesiæ, juxta declarat. S. Congreg. Concil. quam refert *Garc. tract. de Benef. p. 3. c. 2. num. 473. & seq.* Antequam verò ista detractio fiat, deducendæ sunt priùs pensiones, & alia onera legitimè imposita, quamdiu ista duraverint, sed de novo imposita non comprehendunt istam tertiam partem, juxta eandem declarationem apud *Garc. c. l. n. 468.* non autem hæc detractio tertiæ partis habet locum, quando distributiones sunt tolerabiles, ita ut verisimiliter non negligantur, juxta declarat. S. Congr. Concil. apud *Garc. c. l. n. 70. & seq.*

§. II.

§. II.

Quibus distributiones quotidianæ dari debeant, & ex quibus causis etiam absentes illos percipere possint?

LXXXI. Assertio 1. Jus percipiendi distributiones quotidianas competit Cathedralium & Collegiatrum Ecclesiarum Canonicis, ac etiam alijs Clericis beneficiariis earundem, qui in Ecclesiis suis non tantùm residents, sed etiam Divinis Officiis, quibus debent horis, interfunt, ut constat *ex c. Consuetudinem; unic. h. t. in 6.* Ubi Papa Bonifacius VIII. reprobat consuetudinem, quæ in quibusdam Ecclesiis introducta est, ut Canonici, aliique Beneficiati seu Clerici Cathedralium, & aliarum Collegiatarum Ecclesiarum distributiones quotidianas (quæ aliàs manualia Beneficia, seu victualia appellantur, & tantùm residentibus tribuuntur) interim percperent, dummodò præsentes essent in Civitate, in qua Ecclesia sita est, tametsi Divinis Officiis non interessent: atque statuit, ut dictæ distributiones quotidianæ, in quibuscúnque rebus consistant, Canonicis, aliisque Beneficiatis & Clericis earundem Ecclesiarum, qui officiis Divinis in ipsis Ecclesiis interfunt, tribuantur, juxta cujusq; Ecclesiæ rationabilem Ordinationem jam factam aut faciendam, nempe ut tantum detur ei, qui interierit Missæ, & tantum qui in Matutino adfuerit, & sic de alijs singulis horis, *Gl. hîc V. Ordinationem.* Ratio hujus Constitutionis est, quia quid prodest præsentia Clericorum in loco, in quo sita est Ecclesia, si non officiis Divinis interfunt, cùm Beneficia ad Divinum cultum, & Ecclesiastica ministeria obeunda sint instituta, *Gl. hîc V. Præsentes.* Et hanc Constitutionem Concilium Trident. *Sess. 24. c. 12. de reform.* innovat, & in usum revocat, non obstantibus quibuscúnque statutis & consuetudinibus.

LXXXII. Circa hanc Constitutionem Notandum primò, aliud est Beneficiarium residere seu præsentem esse in loco Beneficij, & aliud Divinis Officiis interesse, ut notat *Anchar. hîc not. 4. Covarr. lib. 3. var. resol. c. 13. n. 3. & Navarr. l. 3. consil. 13. h. t. n. 2.* Nam qui in loco, ubi est Beneficium, assiduè commoratur, habetur quidem tanquam residens in sua Ecclesia, non tamen lucratur distributiones quotidianas, si, statutis horis, Officiis Divinis non interfit: quamvis talis lucretur fructus residentiæ, etiamsi culpabiliter à Divinis absit, *Laym. l. 4. tract. 2. c. 6. n. 1.* ubi addit, quòd Canonicus, qui juravit residentiam, non censeatur perjurus, etsi sæpiùs Divina Officia culpabiliter negligat, modò interdum se sistat, tum in Ecclesia, tum in Capitulo, tunc enim residentia non omninò caret fine suo.

LXXXIII. Notandum secundò, ex eò, quòd nullâ consuetudine introduci potest, ut distributiones quotidianæ percipiantur ab ijs, qui à Divinis Officiis absunt. Infertur primò, quòd neque consuetudine induci possit, ut is, qui duos Canonicatûs habet in diversis Ecclesiis, in utraque distributiones percipiat, cùm in una tantùm resideat, *Barb. hîc num. 5.* Secundò, neque ut Canonici, qui unâ hebdomadâ interfunt Divinis officiis, possint lucrari distributiones etiam sequentis hebdomadæ, quamvis illis non interfint, *Azor. cit. c. 7. q. 5. Barb. hîc n. 7.* Tertiò, neque ut, mortuo Canonico, distributiones primi anni proximè sequentis hæredibus illius dentur, licèt talis consuetudo valeat, ut fructus præbendæ primi anni in usus Canonici defuncti expendantur, *Azor. t. l. q. 2. §. quæres.* Quartò, neque consuetudine induci potest, ut Beneficiarij lucrentur quotidianas distributiones, qui ad breve tempus non interfunt Divinis officiis, v. g. tribus mensibus, singulis annis, animi relaxandi gratiâ: vel ut, qui nocte Matutino interfunt, possint lucrari distributiones, quæ dari solent ijs, qui reliquis horis Divinis interfunt, ut tanquam probabilius & ex communiore sententiâ docet *Azor. c. l. q. 6. Garc. cit. c. 2. n. 279. & 2. seqq. juxta declarat. Congreg. concil. apud eund. & in cit. c. unic. h. t. in 6.* Universim reprobatur consuetudo, per quam distributiones dantur Beneficiariis absentibus ab officiis Divinis, nec ibi excipitur hic casus.

LXXXIV. Nihilominùs tamen non desunt plures Dd. qui universim ajunt, validam esse consuetudinem, vel statutum, ut Canonici quotidianas distributiones percipiant, cùm legitimè sive ob causam à jure concessam absentes sunt, v. g. necessariæ recreationis causâ, quinque diebus in quolibet mense, aut duobus vel tribus mensibus quolibet anno: eámque sententiam etiam probabiliorem videri, vel saltem probabilem post decretum Concilij Trident. *Sess. 21. c. 3. censet Laym. l. 4. tract. 2. c. 7. n. 3.* Nam cùm in hoc Decreto permittatur Episcopo, ut, ubi nullæ sunt distributiones, aut tenues, possit tertiam partem fructuum Beneficij detrahere, & convertere in distributiones quotidianas, hoc nimis grave accideret Canonicis, si etiam ob legitimam absentiam cogerentur carere magnâ parte redituum, nempe tertiâ parte, quæ ex illis detracta fuit, & conversa in distributiones, cùm tamen res, quæ culpâ caret, in damnum vocari non debeat *c. 2. de Constit.*

Præterea probabile est, etiam valere consuetudinem, ut Beneficiarius rediens ex via, per duos vel tres dies, distributiones lucretur, etsi ad Divina officia non accedat; quia post laborem pauliſper est quiescendum: & quia *in cit. c. unic. h. t. in 6.* damnatur solùm consuetudo, per quam Canonici absentes continuatè lucrantur distributiones, adeóque ad plures, non ad paucos dies, *Jo. Monach. in cit. c. unic. in princ.* & hanc consuetudinem etiam approbat *Azor. c. l. q. 5. §. Quæres 2.* Si Canonicus absuit, ob negotia Ecclesiæ gerenda, & redeat, secùs si ob res suas & commoda privata. Quòd autem dictum est de reverso ex itinere, etiam extendi potest ad profecturum, ita ut ei concedantur duo vel tres dies pro præparatione ad iter, quibus pro præsente in Choro habeatur, etiam in ordine ad lucrandas distributiones, *Castr. Palaò p. 2. de Relig. pun. 9. §. 12. n. 16.*

Notandum tertiò, non tantùm consuetudo, sed etiam ordinatio seu statutum factum à Capitulo, circa quotidianas distributiones certo modo dividendas inter Canonicos, valet, dummodò non sit contra dispositionem *cit. c. unic. h. t. in 6.* ut colligitur *ex eod. c.* & tradit *Gl. ibid. V. Ordinatione. Anchar. not. 5. Azor. cit. c. 7. q. ult. Franch. n. 2. in princ.* Nam quamvis Capitulum non possit statuere aliquid circa ea, quæ consun-

contingunt Episcopum, vel ejus jura, aut generalem statum Ecclesiæ seu Diœcesis, poterunt tamen Capitulares statuere circa ea, quæ contingunt propria & particularia Capituli negotia, etiam sine consensu Episcopi, ut circa distributionum obventiones, *Gl. in c. 2. § Cæterum; V. Statutum; de V. S. in 6.*

LXXXV. Assertio 2. Sunt tamen plures casus excepti seu causæ, ob quas distributiones quotidianæ absentibus quoque dari, & competere possunt, quarum tres generales causæ afferuntur *in cit. c. un. §. Qui » verò; h. t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita statuit: » Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquàm » acceperit (exceptis ijs, quos infirmitas, seu justa » & rationabilis corporalis necessitas, aut quos evi» dens Ecclesiæ utilitas excusat) rerum sic acceptarum dominium non acquirat, nec eas faciat suas; » Et ideo ad omniũ restitutionem, quæ contra hanc » Constitutionem acceperit, teneatur. Additur in fi» ne, idem observandum esse, etiam in distributioni» bus, quæ in anniversarijs defunctorum dari solent.

LXXXVI. Pro explicatione hujus §. Notandum primò, prima causa, ob quam etiam absentes Clerici, qui non intersunt Divinis Officiis, percipere possunt distributiones quotidianas, est infirmitas, per quam impeditur quis ad Ecclesiam & Divina officia se conferre, etiamsi propriâ culpâ in eam quis incideriț; quia *in cit. c. unic.* non excluduntur infirmi, qui causam infirmitati dederunt, *Covarr. l. 3. res. c. 13. n. 8. Vers. septimo, Azor. p. 2. l. 7. c. 7. q. 11.* Neque obstat, quòd famulo ægrotanti non debeatur salarium, durante infirmitate, juxta magis receptam sententiam: idque sumitur *ex l. ex conducto 15. §. Item cùm quidam 36. ff. Locati,* ubi qui locavit operas suas, non recipit mercedem, pro eo tempore, quo impeditus est eas præstare: imò nec alimenta infirmo debentur, secundùm aliquorum sententiam, licèt oppositum sit probabilius, teste *Covarruvia c. l. Vers. quinto.* Nam aliud est de Canonico infirmo, cui distributiones non dantur, tanquam merces & salarium laboris impensi: sed tum in alimenta, tum propter obligationem ad laborem seu Ministerium, quando per ipsum non stat, quò minùs laboret aut ministret: voluit enim Ecclesia cum suis Ministris mitiùs agi, eósque non ut famulos conductos, sed ut filios tractari, *Covarr. c. l. Palao p. 2. de Relig. dis. 3. pun. 9. §. 1. n. 3.* Limitatur autem tradita doctrina, ut solùm procedat, si Canonicus infirmus, dum sanus erat, solitus sit personaliter præsens esse Divinis officiis, alioquin enim si non consueverat interesse, infirmitas non est causa absentiæ, si quidem eâ etiam cessante, adhuc abesset, *Covarr. c. l. Vers. sextò. Azor. c. l. q. 11. Palao c. l. n. 4.* Qui *n. 5.* ait, contrarium etiam esse probabile.

LXXXVII. Secunda causa, ob quam etiam absentibus à choro distributiones dantur, est justa & rationabilis corporalis necessitas, *cit. c. unic. §. Qui verò.* Ut si Canonicus senio confectus sit; quia licèt senium non sit infirmitas, propriè loquendo, est tamen justa & rationabilis corporis necessitas, *Azor. c. l. q. 12.* Vel si sit valetudinarius, vel medicinam sumpsit, vel sanitatis causâ ad balnea ivit: vel qui abest à choro, vel loco Beneficij, ob metum pestis ibi grassantis: vel quia habet ibi inimicum, à quo grave damnum sibi inferendum timet, *Palao c. l. §. 2. nbi n. 1.* ait, quodlibet grave damnum vitæ, honoris, vel fortunæ censendum esse justam & rationabilem necessitatem, ob quam possit quis abesse à choro, & distributiones percipere.

LXXXVIII. Præterea qui in carcerem injustè conjectus est, vel in exilium pulsus, censetur quoque legitimè impeditus, quòminùs Divinis officiis interfit: aliud est, si causam condemnationi dedit, tunc enim ipse est causa absentiæ, & abest ob suam malitiam, *Covarr. c. l. Vers. undecimò, Azor. c. l. q. 11.* Sed dices, qui culpâ suâ infirmitatem contraxit, ideóque absens est à choro, non perdit distributiones, ut suprà dictum: ergo neque is, qui crimen commisit, ob quod conjicitur in carcerem, debet perdere distributiones, quia non impeditur proximè à præsentia in choro ob culpam, sed ob pœnam ex culpa resultantem, videlicet incarcerationem, quam ipse vitare non potest. Resp. Neg. conseq. disparitas est; quia infirmitas est effectus proximus culpæ, non pœnæ: at verò incarceratio non est proximus effectus culpæ, multi enim delinquunt, & non incarcerantur; quia v. g. fugiunt, sed est effectus pœnæ, sive punitionis, *Palao c. l. n. 3.* Aliter etiam responderi potest, & fortè melius, culpam plerúmque & ordinariè non esse causam moralem; sed solùm physicam infirmitatis, hæc enim non est pœna illius culpæ, sed ex illa velut naturalis effectus sequitur, adeóque neque culpa censetur esse causa moralis absentiæ à choro: sed soli infirmitati ea adscribenda est. At verò qui crimen commisit, ob quod conjicitur in carcerem, est causa moralis illius pœnæ, scilicet incarcerationis, pœna enim infertur propter culpam seu delictum, adeóque etiam illud delictum censetur causa moralis absentiæ à choro, ac proinde ipse reus ob delictum meritò privatur distributionibus quotidianis.

LXXXIX. Similiter injustè excommunicatus non perdit distributiones, quia corporali necessitate impeditur, quòminùs præsens sit in choro, timore scilicet gravioris damni, *Covarr. c. l. Vers. duodecimò, Navarr. l. 3. cons. 11. n. 6. h. t. Garc. p. 7. de benef. c. 13. n. 120.* Si verò justè excommunicatus sit, & ob eam causam absit à choro, distributiones non lucratur; quia non ob necessitatem, sed malitiam suam abest à choro, propter quam in excommunicationem incidit, & in ea persistit, si in mora sit petendæ absolutionis, *Covarr. c. l. Garc. c. l. n. 123. Palao c. l. n. 4. & alij communiter.* Idemque dicendum est de suspenso injustè à Divinis Officiis, vel à Beneficio, & de interdicto injustè, ab ingressu Ecclesiæ, percipere enim debet distributiones, etiamsi absit à Divinis; quia non debet, absque culpa puniri, & timere meritò potest grave damnum, si contemptâ illâ injustâ censurâ, Divinis interesset, *Covarr. c. l. Barb. de offic. Episc. alleg. 53 n. 153. & seq. Palao c. l. n. 9. & 10.* secus est, si justè sit suspensus.

XC. Tertia causa, ob quam Clericus à Divinis Officiis absens percipere potest distributiones quotidianas, est evidens Ecclesiæ utilitas, *cit. §. Qui verò;* & quidem propriæ Ecclesiæ, non alienæ: vel etiam probabiliter utilitas Ecclesiæ universalis, cùm utilitas communis propria sit cujúsque, & commune bonum præferendum sit privato ac particulari: si ergo ob utilitatem propriæ Ecclesiæ licet abesse à choro, & nihilominùs distributiones percipere, multò magis

gis ob utilitatem propriæ & reliquis Ecclesiis communem, *Palao cit. pun. 9. §. 3. n. 1.*

XCI. Hinc infertur primò, quòd Canonicus lucretur etiam absens à choro, distributiones quotidianas, si Romam mittatur, ut negotia Ecclesiæ suæ agat, vel si absit, ut defendat jura suæ Ecclesiæ; seu Capituli vel Beneficij sui, *Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 171. & seq.* Secundò, si quis visitet Ecclesiam, jura, & reditus Præbendæ suæ; v. g. Archidiaconus Archidiaconatum suum; *Azor. cit. c. 7. q. 10. in fine & q. 14. Barb. in Collect. in cit. c. unic. n. 12. & lib. 3. Jur. Eccles. c. 18. n. 40.* Aliud est, si Archidiaconus v. g. etiam habeat Canonicatum; cujus fructus, & distributiones sunt distinctæ à fructibus Dignitatis; quia tunc visitatio non cedit in utilitatem Canonicatûs, ideôque non percipit illius distributiones: nisi Canonicatus sit portio accessoriè annexa, & unita Dignitati; tunc enim censetur unum Beneficium cum Dignitate, *Garc. cit. c. 2. n. 338. Palao c. l. n. 9.* Tertiò, si alicui ex Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, de jure seu consuetudine, jurisdictio, administratio, vel officiũ non competat, sed extra Civitatẽ in Diœcesi cura animarũ immineat; cui is; qui Dignitatem obtinet, incumbere volverit; tunc pro tempore, quô in Ecclesia curata resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit; ac Divinis intersit; in Ecclesiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur, prout decrevit *Concil. Trident Sess. 22. c. 3. de reform.* quod tamen non procedit de Canonicis habentibus Ecclesias Parochiales, non tamen unitas Canonicatibus, juxtà declarat. *S. Congreg. Concil. apud Jo. Gallemart. ibid. n. 8.* Quartò, si Canonicus Vicarius generalis Episcopi constituatur; nõ potest percipere distributiones quotidianas in absentia; tunc enim deservit non tam suæ Ecclesiæ, quàm Episcopo, nec illud officium cedit in specialem utilitatẽ Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, in qua est Canonicus, sed in utilitatem aliarum Ecclesiarum Diocœsis, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Vicario Episc. n. 4. & 5. Garc. cit. c. 2. n. 357.* Ubi tamen addunt, quòd Vicarius Canonicus percipiat fructus Præbendæ suæ, etiam absens; quia est in servitio & obsequio Episcopi. Vicarius tamen Capituli, Sede Episcopali vacante, etiam percipit distributiones; quia censetur esse in servitio Ecclesiæ, cùm magis commodum sit Ecclesiæ, ut jurisdictio Episcopalis exerceatur per unum Vicarium deputatum, & non per totum Capitulum, *Garc. c. l. n. 358.* Quintò; Canonicus; vel alius Beneficiatus, etsi non sit de Capitulo, si mittatur ab Episcopo ad visitanda limina Apostolorum; vel eum in illa causa comitetur, lucratur absens etiam distributiones; tunc enim negotium suæ Ecclesiæ agit; *Garc. c. l. n. 349. & seq. Palao c. l. nu. 4.* Sextò, qui à Capitulo missi ad Concilium Generale, vel etiam Provinciale aut Synodale, ut tanquam Theologi vel Canonistæ ei intersint, *Barb. cit. c. 18. n. 45. & seq.* Septimò, si à Capitulo quis deputetur ad recipiendas rationes redituum & bonorum Ecclesiæ, *Palao c. l. n. 6.* Octavò, Pœnitentiarius Ecclesiæ Cathedralis, dum Confessiones audit in Ecclesia, interim præsens in Choro habetur, juxta decretum *Concil. Trid. Sess. 24. c. 8. de reform.* Nonò, Canonicus, qui habet Præbendam Magistralem vel Lectoralem, cùm in propria Ecclesia concionatur aut legit, lucratur distributiones, & non solùm eo tempore, quò concionatur aut legit, sed etiam totò die reputatur præsens in Choro, *Garc. cit c. 2. n. 119.* Decimò, si Canonicus vel alius Beneficiarius, tempore Divinorum officiorum in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata privatim celebrat, etiam sine obligatione, & solùm ex devotione, habetur pro præsente in choro & lucratur distributiones, ex recepta consuetudine, *Garc. cit. c. 2. n. 40.* Excipitur, nisi Canonicus Beneficium Capellæ in eadem Ecclesia, vel Parochiale in alia Ecclesia obtineat; tunc enim interim, dum absens esse cogitur, inserviendo suo Beneficio, distributiones recipere non debet, juxta declarat. *Cardinal. supr. Sess. 24 c. 12. n. 137. Garc. c. l. n. 97. & seq.*

XCII. Verùm decisioni *cit. c. un. §. Qui verò, h. t. in 6.* obstat c. *Cum non deceat*; 30. *de elect. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. rescribit: Cùm Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debeant residentes, fructus Beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur; & etiam aliorum; quos reciperent, vel possent recipere, in ipsis Ecclesiis residendo, integrè (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) recipiant. Variè respondent ad hoc c. Dd. *Gl. hic V. Utilitas*; hos Canones ita conciliat: Vel distributiones dantur Canonico absenti ab ijs, qui præsentes sunt; & Divinis officiis intersunt: & tunc licitè eas Canonicus absens retinet; nec tenetur restituere; & de hoc sermo est *in cit. c. unic. h. t. in 6.* Vel non dantur: & tunc Canonicus absens à Divinis Officiis non potest eas; tutâ conscientiâ; recipere; quia Canonici non tenentur distributiones absentibus concedere. Aliqui, *teste eadem Glosâ*; sic respondent: vel Beneficiati sunt absentes, extra locum Beneficij, etiam ob utilitatem Ecclesiæ; vel aliam justam causam: & tunc spectato Jure communi, distributiones non accipiunt, juxta *cit. c. Cum non deceat.* Vel commorantur in loco Beneficij; absentes autem tantùm sunt à Choro, ut in eadem Ecclesia Sacramenta ministrent; vel sacrificent, vel alio simili officio occupentur: & tunc pro præsentibus in Choro habentur, & distributiones lucrantur; juxta *cit. c. un. h. t. in 6.* & colligitur *ex Conc. Trid. Sess. 24. c. 8. de ref.* ubi dicitur; quòd is, qui dum in Ecclesia Confessiones audit; interim præsens in Choro censeatur, *Covarr. l. 3. rel. c. 13. Vers. octavò, Garc. cit. c. 2. n. 359. & 361.* Alij apud *Palao dis. 3. de Relig. pun. 9. §. 1. n. 6.* dicunt, in priore c. non ideo negari distributiones; quòd absint à loco Beneficij: sed quia non omninò evidens erat eorum absentiam utilem esse Ecclesiæ. Alij denique prædictos Canones ita conciliant, quòd scilicet Beneficiatis, si propter Ecclesiæ utilitatem, vel corporalem necessitatem, absint à loco Beneficij; de Jure communi, non debeantur distributiones quotidianæ, quippe quæ secundùm propriam institutionem, nonnisi ijs, qui Officiis Divinis intersunt, dari debent, sicut statuitur; *in cit. c. 30. de elect. in 6.* Nihil tamen obstat, quominùs per statutũ decerni, vel per consuetudinem induci possit; ut ob talem justã causam absentes distributiones acquirant: & hanc consuetudinem approbat Bonifac. VIII. *in cit. c. un.* juxta explicationem *Gl. ibid. V. Utilitas*; *in addit. & Jo. Andr. ibid. n. 4. Covarr. c. l. Azor. c. l. q. 14. Navarr. l. 3. consil. 8. n. 4. h. t. Laym. cit. c. 7. n. 3.* Et hæc conciliatio videtur esse probabilior cæteris.

XCIII. Et hinc etiam patet Responsio *ad c. De cætero; 7. h. t.* in quo dicitur, victualia, hoc est, distributiones non cedere existenti in servitio Episcopi, quia absentibus eæ exhiberi non solent, cùm tamen, qui servit Episcopo censeatur servire ipsi Ecclesiæ, & consequenter lucrabitur distributiones, quippe quæ dantur ijs, qui propter Ecclesiæ utilitatem absunt, juxta *cit. c. un.* §. *Qui verò.* Sed respondetur, quòd spectato Jure communi, nemo potest percipere distributiones, nisi interfit Officiis Divinis, etiamsi pro utilitate Ecclesiæ absit, præterquam si consuetudine aliud receptum sit, de quo casu loquitur *cit. c. un. Franc. ibid.* §. *Qui verò; n. 4.* Vel etiam dici potest, quòd ad percipiendas distributiones non sufficiat utilitas totius Diœcesis in genere, sed requiratur utilitas Ecclesiæ in specie, in qua aliquis Beneficium habet, *Jo. Andr. in cit. c. un. n. 3. V. Evidens.*

XCIV. Notandum secundo. Præter tres exceptiones suprà allatas, *& in cit. c. un.* §. *Qui verò*, expressas, addi debet quarta exceptio, si nimirum fructus Beneficij in solis distributionibus consistant; quia Ecclesia non habet distinctas Præbendas, sed diebus singulis dantur cuilibet pro victu certi proventûs in fructibus, vel pecuniâ, quæ cùm potiùs sint Præbendæ, quàm distributiones, ut suprà dictum, ideò hujusmodi reditus dantur etiam absentibus, quibus Jure communi, vel speciali, sive ex privilegio, proventûs Beneficiorum debentur, ut tradit *Gl. in cit. c. un. V. Receperit; h. t, in 6. arg. cit. c. olim de V. S.* Cùm tamen quotidianæ distributiones propriè dictæ non dentur privilegiatis absentibus, juxta *c. Licèt; 32. de præbend.* Imò etiam probabile est, quòd quando ex communibus proventibus Capituli (quæ Mensa Capitularis vocatur, unde Beneficiorum fructus singulis annuatim distribuuntur) aliqua pars deducitur, vel olim deducta fuit pro quotidianis distributionibus, tali casu statutum fieri potest, vel consuetudo induci, ut qui ex justa causa absentes sunt, lucrari possint fructus Beneficiorum in absentia, v. g. Canonici si in anno per tres menses non residеant, sicut possunt, juxta *Concil. Trident. Sess. 24. c. 12. de reform.* etiam distributiones percipiant; quia cùm distributiones hæ in locum Præbendæ succedant, quippe quæ ex Præbendis sunt detractæ, ac ijs veluti substituantur, judicatur de ijs, sicut de Præbendis, & eadem de ijs fit dispositio, & sic subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, ut tradit apud *Joan. Monach.* Probus *in addit. n. 6. & Laym. cit. c. 7. n. 3.* Aliud verò dicendum est, de ijs distributionibus (sicut & de portionibus Anniversariorum) quæ ex prima sua fundatione seu institutione tantùm ijs dari debent, qui Divinis officiis sunt præsentes, nullâ enim particulari consuetudine vel statuto induci potest, ut hæ distributiones, contra naturam primæ fundationis, absentibus dentur, talis enim consuetudo, quippe cedens in diminutionem cultûs Divini, reprobatur *in cit. c. un. & Trid. Concil. cit. c. 12.*

XCV. Addi potest quinta exceptio, si nimirum à Papa Canonicis privilegium, ex causa justa daretur, ut etiam legitimè absentes distributiones quotidianas percipere possint, *Joan. Andr. in cit. c. un. n. 4. Barb. cit. c. 18. nu. 47.* debet tamen id ipsum in concessione exprimi, cùm alioquin nomine fructuum non comprehendantur distributiones quotidianæ, si eæ sint separatæ ac distinctæ à fructibus Præbendæ: neque etiam solet Papa tale privilegium facilè concedere, ut quotidianæ distributiones etiam ab absentibus percipi possint, *Jo. Andr. c. l.* Porrò tale privilegium percipiendi fructus & distributiones in absentia, si detur, strictè est interpretandum, salvâ verborum proprietate, quia cedit in diminutionem Divini cultûs, & in præjudium aliorum Clericorum præsentium, & in derogationem Legis communis obligantis ad residentiam, & præsentiam in Choro, *Palao cit. pun. 9.* §. 10. *n. 4.*

XCVI. Notandum tertiò. Qui præter casus suprà allatos, non intersunt Divinis officiis, dominium distributionum receptarum non acquirunt, nec illas suas faciunt: sed omnes restituere tenentur, ut patet *ex cit.* §. *Si verò.* Ex quo colligitur à contrario sensu, quòd si intersint Divinis, distributionum dominium acquirant, easque faciant suas, ita ut liberè de illis, sicut de patrimonialibus, disponere possint, *Azor. cit. lib. 3. c. 9. q. 10. Barb. in Collect. hîc n. 22.* Porrò distributiones perceptæ ab absentibus à Choro, ante Constitutionem *cit. c. un.* non sunt necessariò restituendæ, secundùm *Gl. hîc V. Receperit*, ita ut non comprehendat præterita, ut colligitur ex illis verbis, *quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit*, nam quamvis jam antè statutum esset, ut quotidianæ distributiones solùm ijs dentur, qui Officiis Divinis intersunt, non tamen erat expressè statutum, consuetudinem contrariam non valere; eaque priùs communi errore licita putabatur, *Barb. hîc n. ult.* Verùm hæc privatio dominij acquirendi in distributionibus, non est propriè pœna Legis; quia ex prima institutione distributionum, Beneficiatus non habet jus ad illas, nisi sub ea conditione, si intersit Divinis, præter casus jure exceptos, adeóque ex rei natura videtur obligatus ad restitutionem earum, si Divinis non intersit.

XCVII. Notandum quartò. Quæ hactenus dicta sunt de distributionibus quotidianis, quæ dantur ijs, qui Divinis officiis personaliter intersunt: eadem omninò intelligenda sunt esse decreta de distributionibus, quæ in anniversariis defunctorum dari solent, prout habetur *in cit. c. un. in fine*, videlicet ut ijs tantùm, qui præsentes sunt funeralibus exequiis, obveniant, & consuetudo contraria non valeat, & si absentes, sine justa causa, eas recipiant, sive extra casus *in cit. c. un.* exceptos, ad restitutionem teneantur, *Gl. fin. ibid. Azor. cit. c. 7. q. 4. Barb. in cit. c. unic. n. 23.* Porrò eadem procedunt, non tantùm in distributionibus, quæ dantur in anniversariis defunctorum, sed etiam quæ in ipso die depositionis, vel septimo, vel tricesimo, vel alio die ab obitu defunctorum dantur, *Franc. in cit. c. un.* §. *fin. n. 1. Azor. cit. q. 4.* Quia portiones funerales etsi non veniant nomine distributionum, ijs tamen æquiparantur, & eodem jure ac privilegio gaudent.

§. III.

Aliæ quædam Quæstiones circa distributiones quotidianas proponuntur & resolvuntur?

XCVIII. Quæ-

XCVIII. Quæritur primò, pro quibus horis debeant assignari distributiones quotidianæ? Resp. Honestius est, ipsique Juri magis consonum, ut pro singulis Horis Canonicis, & Missa Conventuali eæ constituantur, ut docet *Gl. in Clem. 2. V. Certis horis de æt. & qualit. & Gl. in cit. c. un. V. Ordinationem*; *Garc. cit. c. 2. n. 478. & 2. seqq. juxta declarat. S. Congreg. Concil.* Est tamen consuetudo in aliquibus Ecclesiis, ut quibusdam tantùm Horis, v. g. in Matutino & in Vesperis, item in Missæ Sacrificio, distributionum partitio fiat, ut notat *Gl. in cit. c. Clem. 2.* eáque valida est, ut ex communi tradit *Navarr. consil. 9. h. t.* Porrò distributiones hæ faciendæ sunt præsentibus, quantùm fieri potest, æqualiter; cùm enim in omnibus par sit onus, scilicet assiduitas & frequentia in Divinis Officiis, ideo etiam meritò debet esse par lucrum seu commodum: non est tamen inconveniens, quòminùs alicui secundùm Officij & Dignitatis qualitatem constituatur major portio, cùm & majus onus habeat, *Zæsius in Comment. ad Decret. nu. 15. h. t.*

XCIX. Quæritur secundò, Utrùm ad hoc, ut Canonici quotidianas distributiones lucrentur, requiratur, ut non solùm Divinis Officiis intersint, sed etiam ut ipsimet in choro cantent & psallant? Resp. Id spectato Jure communi, requiri: saltem si integras distributiones lucrari velint, nec sufficere, si privatim, vel submissè in Ecclesia Horas Canonicas recitent; idque denuò præcipit *Concil. Trident. Sess. 24. c. 12. de reform.* ubi præcipit, ut omnes per se, & non per substitutos compellantur Divina obire Officia, & docet *Azor. p. 1. lib. 10. c. 11. q. 5. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis c. 12. nu. 10. Less. l. 2. c. 34. dub. 33. nu. 184. Laym. cit. c. 7. nu. 6. Barb. cit. c. 18. n. 80.* Ratio est, quia distributiones non dantur Canonicis, ratione solius præsentiæ, sed præcipuè propter officium psallendi in Ecclesia: at quod datur ob causam, eâ non secutâ, non debetur. Neque refert, quòd Canones dicant, distributiones deberi his, qui Horis Canonicis adfuerint, vel qui in Ecclesiis præsentes fuerint; quia id intelligi debet, qui præsentes fuerint ad præstandum officium, propter quod præsentes esse debent. Verùntamen etsi non psallentes in choro, distributiones integras lucrari non possint, possunt tamen saltem partem illarum, si psallentibus in choro assistant, tametsi ipsi non canant; quia dum præsentiâ suâ officium exornant, aliquid saltem præstant. *Suar. c. l. Laym. c. l.* Addunt tamen *Dd. citt.* quòd ubi consuetudo viget, vel statutum extat, ut Canonici solùm præsentes sint in choro, etsi per se non canant, sed per Clericos ad id sibi substitutos, possint acquirere, & licitè sibi retinere distributiones, dummodò horas privatim recitent; quia in hujusmodi Ecclesiis, Canonicis distributiones dantur, non ob canendi officium, sed ob moralem tantùm præsentiam, *Azor. cit. c. 11. q. 6. Suar. c. l. nu. 11. Less. c. l. n. 185. Laym. c. l.* aliique communiter: idque procedit etiam post Concil. Trident.

C. Quæritur tertiò. An qui in eadem Ecclesia duo Beneficia habet, v. g. Dignitatem Archidiaconi, vel Præpositi, & Canonicatum, simplices tantùm, an verò duplices distributiones quotidianas recipere debeat? Affirmant duplices deberi, *Abb. in c. Cùm olim 12. n. 6. de sent. & re judic. Covarr. cit. c. 13. n. 6. Laym. in c. 1. n. 5. & 6. de consuet. in 6.* idque valde probabiliter: & ratio est, quia potest quis duplici munere fungi, modò exercitium uniûs alteri non repugnet, vel alterius usum non impediat, v. g. Præpositi & Canonici; quia cùm utrique officio per se debeantur distributiones quotidianæ, si quis utroque munere simul fungatur, duplices ei debentur, cùm verè Officiis Divinis præsens sit, non tantùm ut Præpositus, sed etiam ut Canonicus: nihil enim prohibet diversa jura in eandem personam devenire, *l. Tutorem 22. ff. de his, quæ ut indignis, &c.* Idque confirmatur *ex cit. c. Cùm olim*, ex quo colligitur, quòd si quis simul sit Archidiaconus & Canonicus, in eadem Ecclesia, duplicem vocem in Capitulo habere debeat, nisi alia sit Ecclesiæ consuetudo, ut limitat *Io. Andr. ibid. n. 8.* Contrarium tamen tenet *Azor. cit. c. 7. q. 13.* Quia licèt quis præsens sit, ratione duorum officiorum in choro, non tamen magis præsens est, qui simul Archidiaconus & Canonicus est, quàm sit Canonicus tantùm, quod verum est de physica præsentia, sed non de morali. Verùm hac in re cujusque Ecclesiæ consuetudo servanda est, ut monet *Laym. cit. c. 7. num. 4.* Qui addit, ubi juxta *Concil. Trident.* tertia pars redituum, ex omnibus Beneficiis detracta est pro quotidianis distributionibus, æquum omninò esse, ut qui duplicem Præbendam in eadem Ecclesia obtineat, etiam duplices distributiones recipiat.

CI. Quæritur quartò. An distributiones quotidianæ, quas Canonici, ob absentiam à Divinis Officiis, amittunt, aliis præsentibus accrescant? Resp. Affirmativè, cùm *Gl. Communiter recepta; in Clem. 2. V. pars dimidia de æt. & qualit. &c. & in Clem 2. V. Suspensus; de vita & honest. Cleric.* Id verò intelligendum est de distributionibus communibus & ordinariis, quæ vel ex fidelium fundationibus proveniunt, vel ex communibus Beneficiorum reditibus detractæ fuerunt, ut significat *Concil. Trident. Sess. 21. c. 3. de reform.* Si verò ex propriis, & distinctis à Mensa Capitulari fructibus quarundam Dignitatum vel Officiorum pars aliqua, videlicet tertia, detracta sit, ut per modum distributionum dentur ijs, qui illas Dignitates vel Officia obtinent, si præsentes sunt, tunc his absentibus, Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio applicandæ sunt, sicut statuit *Concil. Trident. Sess. 22. c. 3. de reform. Garc. cit. c. 2. n. 446. ubi n. seq.* ex pluribus declarationibus S. Congr. Concil. id probat *Laym. c. l. q. 5.*

Porrò probabilius est, quòd legitimè absentes à choro, etsi recipiant distributiones proprias, acsi personaliter interessent: non tamen lucrantur distributiones, quas amittunt illegitimè absentes, sed solis præsentibus eæ accrescunt; quia id in nullo textu juris exprimitur, *Castr. Palao dis. 3. de Relig. pun. 8. num. 8.*

CII. Quæritur quintò. An Canonici absentes, distributiones quotidianas, quas propter absentiam ab Officiis Divinis non lucrantur, tutâ conscientiâ, accipere, & retinere possint, si eas ipsis reliqui præsentes remittant, & donent, quibus aliàs accrevissent? Affirmat *Gl. in cit. c. un. V. Suas; h. t. in 6.* Sed negativè respondendum est, cum Archidiacono in addit. *Gl. ibid.* Nam illas reciperent contra mentem, & prohibitionem hujus Constitutionis, in qua absolutè decernitur, quòd Canonicus illegitimè absens

sens accipiens distributiones nullo modo suas faciat, quin ad restitutionem teneatur, ergo non potest illas recipere. Idque expressè statutum est in Concilio Tridentino *Sess. 24 c. 12. de reform.* ubi dicitur: *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quâvis collusione aut remissione exclusâ, his careant*: quia alioquî daretur occasio Canonicis se absentandi à choro, sub spe Con-canonicos suos condonaturos sibi distributiones, quas ob absentiam amiserunt, *Barb. lib. 3. Juris Eccl. c. 18. n. 91. & 93.* Verùntamen si Canonici præsentes, distributiones, quas absentes à choro amiserunt, & quæ præsentibus jam datæ sunt, & jure accrescendi acquisitæ, postea nullo præcedente pacto, vi vel metu, liberaliter absentibus donent, tunc possunt absentes eas licitè recipere, quia *Conclil. Trident. c. l.* non dixit, quâvis donatione, *sed quâvis collusione, & remissione exclusâ*: at remissio est, cùm debitum creditori solvendum condonatur, ac proinde debitor à solvendo liberatur, & hoc est prohibitum à Concilio *c. l.* non autem quando jam solutum redonatur, *Azor. cit. c. 7. q. 9. §. Quæres, Barb. cit. c. 18. n. 15.* quamvis contrarium teneat *Palao cit. §. 9. & §. 13.*

TITVLVS V.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBVS.

Cùm æquum & necessarium sit, ut Clerici habeant Præbendas in Titulis Ecclesiarum, in quibus resident, & Officium præstant, unde necessaria ad vitæ sustentationem percipiant, ne in opprobrium Ordinis Clericalis, vel mendicent, vel negotiari cogantur: & ut quidam eorum, videlicet qui aliis præsunt, aut majora Officia in Ecclesia administrant, Dignitates obtineant: ideo subjicitur iste Titulus de Præbendis & Dignitatibus, qui etiam extat in Sexto, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

I.

Cæterùm pro intellectu hujus Rubricæ notandum est: aliud est Canonia, sive Canonicatus, aliud Præbenda, ut notat *Gl. in c. Cùm M. 9. de Constit. V. Recepe-runt*; *Hostiens. in summa nu. 1. h. t.* Canonia est jus quoddam spirituale, quod ex electione, collatione, vel institutione, & receptione alicujus in Canonicum oritur, sive acquiritur, ac tribuit stallum sive sedem in Choro, & vocem seu jus suffragij in Capitulo, si quidem in Sacris sit constitutus: Præbenda verò est jus, percipiendi proventus Ecclesiasticos tanquam uni de Collegio competens, & ex Canonia procedens, sicut descendit actio ex obligatione, & filia ex matre, nam ei, qui obtinuit Canoniam, etiam Præbenda debetur, *c. Relatum 3. 9. & c. Dilectus 3. 19. h. t.* potest autem aliquis Canonicus esse, & nullos adhuc reditus habere, non enim Præbenda Canonicum facit, sed collatio juris spiritualis facta ab eo, qui potestatem conferendi habet, ut ait *Abbas Panormitanus in c. Cùm super 3. 8. de Concess. Præb. n. 2.* quamvis talis Canonicus propriè Beneficium non habeat, nec propriè Beneficiarius dici possit, sine Præbenda. Sic v. g. Religiosus in Monasterio, maximè si sit ex Ordine Mendicantium, jus spirituale obtinet, ut sit unus de Conventu, seu Collegio, absque Præbenda, *Abb. in cit. c. Dilectus 3. n. 7. h. t.* Contra verò fieri potest, ut aliquis, sive Clericus, sive Laicus, Præbendam ex reditibus Ecclesiasticis habeat, pro labore seu officio temporali, v. g. Cantor aut Ædituus, Magister, Advocatus, &c. nullam autem Canoniam, seu jus spiritualis officij, quæ est Præbenda temporalis solùm, neque Beneficium Ecclesiasticum, *Greg. Tholosan. in Institut. novis rei Benefic. c. 11. nu. 15.* Præbenda autem spiritualis, quæ est jus percipiendi proventus Ecclesiasticos, ratione Canoniæ vel spiritualis Officij, dupliciter sumitur, vel specificè & strictè, pro Præbenda Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ, sive Canonicatui annexa, prout accipitur *in cit. c. Cùm M. 9. de Constit. & in cit. c. Dilectus.* Vel genericè & latè, pro omni Beneficio Ecclesiastico saltem inferiore, prout accipitur *in c. pen. de V. S.* Et in hac posteriore significatione sumitur in hoc Titulo, *Barb. in rubr. ad h. t. n. 6. & seqq.* Nam licèt Præbenda Ecclesiastica à Prælatis Ecclesiæ ex officio sit conferenda Clericis, nemini tamen in particulari, stricto jure justitiæ, debetur, sed est gratuita concessio, sive gratia, ideóque Beneficium rectè appellatur. Quæ autem sint, & dicantur hîc Dignitates, infrà explicabitur.

SECTIO I.

DE BENEFICIIS SEV PRÆbendis in communi, & de necessaria sustentatione vitæ Clericorum.

§. I.

Quid sit Præbenda, seu Beneficium Ecclesiasticum?

II. Beneficium Ecclesiasticum communiter sic definitur, prout videre est apud *Lessium l. 2. c. 34. dub. 1. Laym. l. 4. Theol. mor. c. 1.* & alios: *Jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod servitium spirituale, auctoritate Ecclesiæ, constitutum.* Pro cujus explicatione notandum *ex Lessio c. l.* tria in Beneficio Ecclesiastico distinguenda esse; primum

Primum ipsum Officium, seu obligatio ad illud, quâ quis tenetur spiritualem aliquam functionem obire, veluti recitare Horas Canonicas, administrare Sacramenta, prædicare Verbum Dei, & hoc non est Beneficium, sed fundamentum illius, & causa, datur enim Beneficium propter Officium, *c. fin. de rescript. in 6.* Secundum est Jus percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis ob tale Officium: & hoc Jus propriè est Beneficium, quod secundùm se præcisè spectatum, non est spirituale, sed temporale, videlicèt ad percipiendum temporales reditus Ecclesiasticos, quia tamen oritur ex spirituali Officio, in quo fundatur, eique inseparabiliter est annexum, ideò est aliquo modo, scilicet per accidens, & extrinsecè spirituale: quo sensu Beneficium, Jus spirituale dicitur *in c. Dilecto, 25. h. t.* Tertium sunt ipsi fructus, & proventus ex bonis Ecclesiasticis, hoc est, Deo dicatis & Ecclesiæ donatis percipiendi, qui temporales sunt.

III. Itaque in definitione Beneficij dicitur primò *Jus*, quia Beneficiatus, ratione Beneficij sibi collati, habet potestatem exigendi, ac percipiendi proventus ex bonis Deo dicatis. Est autem hoc Jus spirituale, non in se formaliter, sed in radice quia ex Officio, & Ministerio spirituali oritur, cui est annexum, ut jam dictum, sive quia non competit, nisi habenti Officium Clericale, ut inquit S. Thom. 2, 2. *q.* 100. *artic.* 4. *in corp.* adeóque quia Clericatum supponit.

Dicitur secundò. *Perpetuum*, quia Beneficium Ecclesiasticum non datur ad tempus, sed in Titulum perpetuum, *c. 2. dist.* 70. ibi: *in quâ Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseveret*, id est, ut explicat *Gl. ibid. V.* perpetuò, dum vivit: ut colligitur *ex c. pen. de Cleric. ægrot. & c. Si gratiosè, 5. de rescript. in 6.* Ubi notandum, Beneficium dici Jus perpetuum, videlicèt ex institutione sua, vel saltem secundùm aptitudinem, quia potest esse perpetuum, ut sub hac definitione comprehendantur etiam Beneficia manualia, sive ad nutum revocabilia, *Garc. tract. de benef. p. 1. c. 2. §. 1. nu. 79.* ac proinde sufficit, quòd Beneficium ex se sit perpetuum, quia in perpetuum conferri potest, & ordinariè confertur, quamvis non semper, qui illud habet, perpetuò habeat, sed dependenter à voluntate Superioris, quæ dependentia non mutat naturam ipsius Beneficij, cum nihilominùs ob Officium spirituale detur: nam Beneficia sæcularia, quæ suâpte naturâ sunt perpetua, saltem per Papam possunt fieri temporalia, sive ad tempus concedi, & ad nutum revocabilia, *Garc. cit. c. 2. n. 70. & 71.* Quare ad rationem Beneficij non requiritur, ut Beneficiatus perpetuò, quamdiu vivit, irrevocabiliter illud habere debeat; sed sufficit, quòd ipsum Beneficium ex se sit ita perpetuum, ut maneat penes Beneficiatum, donec ei ex legitima causa auferatur, & ut morte Beneficiati, vel amotione ipsius à Beneficio, ipsum Beneficium non extinguatur, sed vacet possessore; ita, ut alteri sit conferendum; adeóque in se perpetuò duret; *Azor. p. 2. l. 3. c. 1. q. 2. Laym. c. l. n. 1.* Addi potest, quòd Beneficia manualia auferri possint ad nutum Superioris, id non habet ex sua institutione, sed ex eo, quòd ea obtinentes subjecti sint Superioribus suis quoad officia, habitationem, totamque vitæ directionem, *Less. c. l. n. 3.* Verùm negari non potest, Beneficia ad nutum revocabilia, quæque in Titulum perpetuum non conceduntur, tametsi in se perpetua sint, aliquo modo deficere à ratione Beneficij strictè accepti, ideóque in Regula Cancellatiæ de reservatione non comprehenduntur, neque sufficiunt pro Titulo ad Ordines sacros suscipiendos, ut docet *Bern. Diaz in pract. Canon. crim. c. 18. n. 8. Garc. cit. c. 1. n. 38. & seqq.* & alij communiter, licèt aliàs juxtà Concil. Trident. Beneficium sit sufficiens Titulus ad Ordines *Castr. Palao p. 2. tract. 13. de benef. dis. 1. punct. 1. n. 6. & 7.*

Porrò per illa verba *Jus perpetuum*, à ratione Beneficij excluditur Primò. Commenda temporalis, quippe quæ non datur in Titulum, neque tribuit jus in Beneficio, sed solam administrationem ad tempus, ut notat *Navarr. lib. 3. Consil. 9. n. 2. h. t.* Secundò. Vicaria temporalis, & non collativa, non est propriè Beneficium, sicut & Capellania, quæ non est perpetua, ob eandem rationem, *Navarr. Consil. 7. n. 1. Less. cit. c. 34. n. 3. Laym. cit. c. 1. n. 1.* Tertiò Pensio Ecclesiastica non est propriè Beneficium, quia per mortem pensionarij extinguitur, & non tantùm vacat *Azor cit. c. 1. q. 2. §. & lis in fine.*

IV. Dicitur tertiò. *Ex bonis Ecclesiasticis*, nam Dominium bonorum immobilium, & aliorum Jurium, ex quibus reditus Beneficiorum percipiuntur, ad particulares quasdam Ecclesias, aut alia pia loca, quibus sunt collata, & applicata, pertinent, nomine Ecclesiæ intelligendo ipsam Communitatem, seu Universitatem Clericorum, cum suo Capite, aut subordinatis Capitibus, quorum bonorum administratio, ac dispensatio, non ad ipsas Ecclesias, sed ad earum Prælatos, videlicèt Episcopos aliósque Ordinarios Rectores Ecclesiarum, tum Sæcularium, tum Regularium, ac præcipuè ad S. Pontificem, tanquam Caput totius Ecclesiæ universalis spectat, sicut habetur in *c. Expedit, 13. & ibi Gl. V. Communes, c. Episcopus, 23. & seqq. caus. 17. q. 1.* Quare quando in *c. Cum secundum, 16. h. t. & in c. Cum ex eo, 34. De elect. in 6.* res & bona Ecclesiastica appellantur Patrimonium Christi, *& in c. 1. & c. Qui abstulerit, 6. cit. caus. 12. q. 2.* pecuniæ Christi, & cum in Concil. Trident. *Sess. 25. c. 1. de reform.* dicitur, res Ecclesiasticas esse Dei, id intelligendum est, quòd à fidelibus Ecclesiæ donata sint, ad cultum & obsequium Dei, & Christi, ita ut non in usus profanos converti, sed in Ministrorum Ecclesiæ, & pauperum sustentationem, aliósque similes pios usus expendi debeant, *Molin. c. l. Layman, c. l. n. 2.*

V. Dicitur quartò. *Propter Officium spirituale*, nam omne Beneficium datur propter Officium, hoc est spirituale, seu Ecclesiasticum servitium *c. ult de rescript. in 6.* potest autem jus percipiendi reditus Ecclesiasticos, seu Præbenda dupliciter constitui, vel prout est annexa Juri Canoniæ, seu spiritualis Officij præstandi, & sic idem est, quod Beneficium Ecclesiasticum, nec in Laicum cadere potest, ut infrà dicetur, vel prout est precisa, seu separata à spirituali Jure, seu Titulo, & sic merè temporale quid est, & Laico etiam conferri potest, propter servitium temporale, quod præstat v. g. Organa vel Campanas pulsando, *Abb. in c. Majoribus, 8. n. 4. h. t.* Et patet ex supra dictis.

VI. Dicitur quintò & ultimò, *Ecclesiasticâ auctoritate constitutum*, videlicet ab Episcopo, vel alio Prælato Ecclesiastico Ordinario legitimè institutum, seu erectum, & collatum, secundùm formam & modum à SS. Canonibus præscriptum, nam Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri, juxtà *reg. jur. 1. in 6.* adeò quidem, ut ante Episcopi ordinationem, non censeatur, Beneficium Ecclesiasticum, ut colligunt DD. ex c. *Nemo* 59. & c. *Nullus* 25. *dist. 1. de consecr.* Quare per hãc particulam excluduntur à ratione Beneficij Capellaniæ, etiam perpetuæ, sed non collativæ: nam si aliquid relictum sit, etiam in perpetuum, pro celebrandis Missis, sine auctoritate Episcopi, id nõ erit Beneficium Ecclesiasticum, sed simpliciter pia donatio, vel pium Legatum, *Rebuff. in praxi tit. quare instituta sint Beneficia, n. 10. Less. cit. c. 34. num. 4.* quia ad potestatem solius Prælati Ecclesiastici spectat Officia in Ecclesia instituere, eisque proventus Ecclesiasticos annectere.

VII. Porrò illud hîc prætereà notandum, postquam cessavit communis Clericorum vita, & cohabitatio, reditus sive proventus bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes divisi sunt, ut constat *ex c. De reditibus*; 8. *caus. 12. q. 2.* Quarum prima pars assignata est pro Mensa, seu sustentatione Episcopi: secunda pro Fabrica Ecclesiæ: tertia pro pauperibus, & peregrinis: quarta pro Canonicis, aliisque, Clericis, ut ea pro singulorum meritis distribueretur: & ex illis postea auctoritate Ecclesiæ erecta, & instituta sunt Beneficia Ecclesiastica, adeóque tum Episcopo, tum alijs Clericis assignata est certa portio redituum, ex prædijs seu bonis immobilibus Ecclesiæ, & jus collatum eos percipiendi, *Less. c. l. n. 1. Laym. l. 4. tr. 2. c. 2. n. 3.*

§. II.

De Divisione, seu distinctione Beneficiorum.

Variæ sunt divisiones Beneficiorum, prout videre est apud Rebuffum in *praxi tit. quotuplex sit Beneficium*, *Azor p. 2. lib. 3. c. 1. q. 4. Gregor. Tholosan. syntagm. jur. universi lib. 17. c. 2. in Instit. novis rei Beneficiariæ c. 10. Garc. tr. de benef. p. 1. c. 6. & alios.*

VIII. Nam primò Beneficia alia sunt sæcularia, alia regularia. Sæcularia sunt, quæ Clericis sæcularibus, id est, qui nullam Religionis Regulam sunt professi, sed in sæculo DEO militant ac serviunt, conferri solent, ac debent. Regularia verò, quæ Regulatibus competunt, sive pro Religiosis sunt instituta, & per eos administrari debent, ita quidem ut non sufficiat, quòd ad Regulares Beneficij alicujus collatio, vel præsentatio pertineat, neque quòd ipsi Religioni v. g. Monasterio unitum sit, cùm hæc omnia etiam seculari Beneficio competere possint, sed necessariò requiritur, ut per Regulares administretur, ut docet *Castr. Palao p. 2. tract. 13. de benef. dist. 1. pun. 2. n. 2.* Porrò Beneficium sæculare, ordinariè non potest conferri Clerico Regulari, neque vice versâ Beneficium regulare Clerico sæculari, ut colligitur ex *c. Cùm de Beneficio*; 5. *& c. Cùm singula*; 32. *h. t. in 6.* In dubio autem omne Beneficium censetur esse sæculare, nisi constet, vel probetur esse regulare: probari autem potest, vel ex literis fundationis, seu erectionis, vel institutionis, in quibus ita cautum reperitur: vel si probetur Beneficium, quòd ante per Clericos sæculares administrabatur, per 40. annos continuos ab uno vel pluribus Regularibus pacificè fuisse possessum, & administratum, ut ex communi docet *Navarr. l. 3. Consil. 3. h. t. Azor. cit. l. 3. c. 26. q. 3. Barb. l. 3. De benef. c. 4. num. 43.* de quo infrâ.

IX. Secundò dividuntur Beneficia, tam sæcularia, quàm regularia, in duplicia, & simplicia. Beneficium duplex est, quod aliquam eminentiam, jurisdictionem, vel administrationem habet. Inter Beneficia duplicia quædam sunt majora, ut Papatus, *juxta c. 1. De maledic.* ubi Clemens III. ait, quòd *Clericus quidam verba quædam in depressionem Officij, & Beneficij nostri protulit*, ideóque & ipse Papa canonicè eligi, & institui debet. Item inter majora Beneficia numeratur Cardinalatus, nam in c. *fundamenta* 17. §. *Decet. de elect. in 6.* Cardinales appellantur Fratres, Consiliarij, & Coadjutores Rom. Pontificis. Prætereà Patriarchatus, vel Primatia, quæ est veluti prima Sedes, seu Major alicujus Regni, nam Primates prærogativam aliquam Dignitatis habent, ante reliquos Archiepiscopos, c. 2. *dist. 99.* Item Archiepiscopatus, cui præest Metropolitanus in præcipua Civitate Provinciæ residens, & habens sub se Suffraganeos Episcopos, c. *unic. dist. 101.* Denique Episcopatus c. *Felicis* 5. §. *Quod si quis*; ubi Pontificalis, seu Episcopalis Dignitas appellatur Beneficium, *de pœn. in 6.* quanquàm sublimes hæ Dignitates communi appellatione Beneficiorum, præsertim in pœnalibus Canonibus, & alijs, quæ strictæ interprerationis sunt, non soleant comprehendi; quippè cùm sint culmina Beneficiorum, & Dignitatum, sicut dicitur *in c. pen. h. t.* & notat *Gl. in c. 2. V. Dignitatum eod. in 6.* ideóque dispensatio impetrata ad omnia Beneficia, non extenditur ad Episcopatum, propter eminentiam Dignitatis, quæ est speciali notâ digna, *Garc. cit. c. 6. n. 66. Barb. cit. c. 4. nu. 50. & 51.*

X. Alia verò ex Beneficijs duplicibus dicuntur media, ut tradit *Abb. in c. Majoribus 8. n. 1. h. t.* ut sunt reliquæ Dignitates, præter illas sublimes, de quibus suprà, item Personatus, & Officia. Dignitas est præeminentia, ad junctam habens administrationem, & jurisdictionem fori interni, seu pœtentialis, teste *Abbate in c. De multa 28. nu. 21. h. t. Rebuff. in praxi tit. Beneficium sæculare quotuplex n. 7.* Cujusmodi Beneficia obtinent Abbates, & Abbatissæ, & alij Prælati, tam Regulares, quàm Sæculares, sive in Ecclesijs Cathedralibus, sive Collegiatis; Item Archidiaconus, qui post Episcopum veluti

ejus

ejus Vicarius, jurisdictionem habet in omnes Clericos Diœcesis, *c. 1. de offic. Archid.* quam potestatem hodie in multis Ecclesijs Vicarius Generalis Episcopi exercet.

Personatus est honor,& præminentia in Ecclesia, sine jurisdictione fori externi,& administratione propriè dicta, sic is, qui obtinet sedem eminentiorem in choro,aliósq; Canonicos,etiam antiquiores præcedit in processionibus, & suffragijs ferendis in Capitulo, alijsque Conventibus, is dicitur habere Personatum, qualem habent Præpositi Cathedralium, & Collegiatarum Insignium Ecclesiarum in Germania. Non est autem propriè Dignitas, ideóque si quis impetret literas, ut ei provideatur de Personatu, non potest illi provideri de Dignitate, cum jurisdictione, *Cockier in precib. primar. sec. 2. V. Personatus*; Quamvis interdum Personatus & Dignitas pro eodem accipiantur, prout videre est in *c. Cùm accessissent*; 8. *De Constit.* Primiceriatus primò appellatur Personatus, & postea Dignitas.

Denique Officium (intellige simplex, nam & Præpositura appellatur Officium in *c. Dudum*; 22. ibi *hujusmodi Officium,de elect.* sed non simplex) est quædã administratio rerum Ecclesiasticarum, sine præeminentia, & jurisdictione fori externi: quale habet Archipresbyter, qui olim velut Decanus Presbyteris præfectus erat, sed sine jurisdictione in foro externo, prout colligitur *ex c. ult. de Offic. Archipresb.* Hodie verò in plerisque Ecclesijs Cathedralibus Archipresbyter,seu Decanus jurisdictionem, vel præeminentiam habet, ideòque inter Dignitates, vel Personatus etiam numeratur, *Laym. l. 4. tr. 2. c. 4. num. 4.* Tale Officium habet etiam Primicerius,qui Diaconis præest, sine jurisdictione in foro externo: ut colligitur *ex c. un. de Offic. Primic.* item Sacrista sive Thesaurarius, Custos &c. qui omnes sunt Archidiacono subjecti de Jure communi, & ratione Officij sui alios Canonicos non præcedunt, de quibus suprà *lib. 1. tit. 25. 26. & 27.* Debet autem in his attendi consuetudo locorum, nam quod in una Ecclesia est Dignitas, vel Personatus, in alia est Officium tantùm, & vice versâ, *Greg. Tholos. in Instit. novis cit. c. 10. n. 18.* in multis locis Dignitas appellatur Personatus, & in quibusdam locis quodlibet Beneficium curatum vocatur Personatus,ut notat *Abb. in cit. c. De multa 28. n. 21. h. t.*

XI. Porrò inter Beneficia duplicia numerantur etiam Beneficia curata, seu animarum curam habentia, eáque sunt duplicis generis, quædam enim curam animarum exercent, sive jurisdictionem spiritualem, seu Ecclesiasticam, in foro externo, & contentioso, ut est visitare, inquirere, excommunicare, &c. Quædam tantùm in foro pœnitentiali, & in ordine ad forum internum conscientiæ, *Abb. in cit. c. De multa*; *n. 24. Garc. cit. c. 6. nu. 5. 6. & 7.* Et hæc sunt Beneficia stricte ac propriè curata: & Beneficia duplicia minora, cujusmodi Beneficium est Parochia, quæ dicitur Beneficium duplex,quasi duplici curâ,seu onere constrictum, quia præter obligationem Divini Officij recitandi omnibus Clericis communem,aliquam administrationem habet, absque ulla tamen jurisdictione fori judicialis, sive contensioso, cùm Parochus solùm habeat in foro externo potestatem sive jurisdictionem administrandi Sacramenta suis Parochianis, ut alibi dictum. Tale Beneficium curatum habet etiã Vicarius perpetuus, *Azor. p. 2. l. 3. c. 1. q. 5.* Item Commendatarius perpetuus,cui Beneficium curã animarum habens,comissum est ad vitam in ejus directè utilitatem. *Azor. p. 2. lib. 6. c. 31. q. 1.* Atque hactenus de Beneficijs duplicibus, & curatis.

XII. Jam verò deveniendo ad alterum membrum divisionis, Beneficium simplex dicitur, quod nullam jurisdictionem, neque in foro externo, neque interno pœnitentiæ, neque specialem præeminentiam, neque administrationem habet, sed solùm obligationem Divina Officia celebrandi, & frequentandi. Talis est inprimis Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ. Secundò Commenda perpetua Beneficij simplicis seu non curati. Tertiò Beneficium Assisij, seu Mansionarij, quales sunt illi, qui præter Canonicos, in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis portiones habent integras, vel dimidias: & quidem integras portiones habere dicuntur, qui habent dimidiam Præbendam Canonicalem, sive dimidiam partem annui proventús, qui singulis annis Canonicis obvenit: dimidias verò, qui quartam partem annui proventús Præbendæ Canonicalis percipiunt, *Azor cit. c. 1. q. 5. & cit. c. 9. q. 1. & c. 10. q. 1. & 2.* Quartò Præstimonia, hoc est, portiones ex Ecclesiasticis reditibus detractæ, quæ Clericis adolescentibus v. g. conferuntur ad studia literarum prosequenda, & dantur in titulum perpetuum, habéntque spirituale Officium annexum, sunt etiam Beneficia simplicia, ut colligitur *ex c. ult De conces. præb. in 6.* Ubi inter cætera Beneficia numerantur Præstimonia: Secùs si dentur solùm, ut vitæ subsidia, *Azor cit. lib. 3. c. 7. q. 1.* Quintò. Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, quibus præest Rector curam animarum non habens, sunt simplicia Beneficia, modò locus ille sit sacer,& religiosus, aliàs non, *Azor cit. l. 3. c. 3. q. 5.* Sextò Capellaniæ in perpetuum auctoritate Episcopi erectæ; item Altaria, & Oratoria, quæ dantur Clericis in titulum perpetuum, *Azor. cit. l. 3. c. 1. q. 5. Barb. cit. c. 4. num. 58. & seqq.* Porrò in dubio non præsumitur Beneficium duplex, vel curatum, sed simplex, & non curatum, quia qualitas non præsumitur, nisi probetur, *Garc. cit. c. 6. n. 8.*

XIII. Quòd verò attinet ad Beneficia regularia, illa quoque dividuntur in duplicia, & simplicia,prout videre est apud *Rebuff. in praxi in proœmio tit. Beneficia regularia.* Duplicia sunt primò Abbatia, vel Præpositura regularis, quia eas obtinentes duplici curâ fungi debent, tam circa personas, quàm res Monasterij. Secundò. Prioratús Conventualis, de quo fit mentio in Clement. 1. *de rescript.* ubi *Gl. V. Conventualem* ait, hunc Prioratum esse Dignitatem. Dicitur autem Prior Conventualis, qui Conventui Religiosorum est præfectus, ut Prior Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, &c. Tertiò Prioratus claustralis, qualem obtinet, qui post Abbatem Religiosis in Claustro, seu Monasterio præest, & curam Regularis disciplinæ gerere debet, de quo est sermò in *c. Cùm ad Monasterium*; *6. de stat. Monach. & Clement. 1. eod.* Quartò. Officium, cujusmodi est Officium Custodis, Procuratoris &c. Multa enim in Religione sunt Officia, de quibus fit mentio *in cit. c. §. Tales autem.*

Simplicia verò Beneficia sunt Canonicatus regula-

gulares, & Monachatus, ut tradit *Gl. in Clem. 2. in princ. V. Beneficijs de Iudic. Rebuff. c. l. n. 6.* Item Capellaniæ fundatæ in Monasterijs, quia præsumuntur Regulares, nisi per Sæculares possideri sint solitæ, *Rebuff. cit. tit. quotuplex sit beneficium; n. 16. Barb. cit. c. 4. n. 69.*

XIV. Tertiò dividuntur Beneficia in manualia, & non manualia. Hæc sunt, quæ in perpetuum titulum conferuntur, & irrevocabiliter, ita, ut Beneficiatis, sine gravi, & justa causa, auferri non possint, neque per Legem, neque per sententiam Judicis. Cujusmodi sunt Beneficia sæcularia, quæ suapte naturâ, & jure ordinario perpetua sunt, & irrevocabilia, nisi ex causis Jure expressis, ut constat ex *c. Præcepta 5. 16. dis. 55. c. Satis 5. 7. dis. 56. & c. 2. dis. 70.* Nihil tamen obstat, quòminùs etiam sæcularia quædam Beneficia per Papam, vel consuetudinem immemorialem, vel in prima fundatione, temporalia, & ad nutum revocabilia instituantur, imò etiam per speciale statutum ad tempus tantùm concedantur, ut docet *Garc. p. 1. §. 1. n. 71. 72. & 73.* ubi tamen excipit Beneficia curata, juxta *c. un. De Capell. in 6.* Manualia Beneficia sunt, quæ in titulum quidem conferuntur, sed revocabiliter, quia ad nutum seu voluntatem Prælati conferentis, vel à Patrono revocari, & Beneficiato auferri possunt, *Azor cit. c. 1. q. 5. Laym. cit. c. 4. n. 5.* Talia Beneficia manualia sunt fermè omnia regularia, quæ nec curata, nec electiva sunt, sed auctoritate Prælatorum regulariter conferuntur, ac proinde ab ijsdem, qui contulerunt, iterum auferri Religiosis sibi subjectis possunt. Hujusmodi Beneficium regulare ad nutum revocabile est, Prioratus Claustralis, nam talis Prior est sub obedientia Abbatis constitutus, ideóque ab eodem ad nutum revocari potest, juxta Clem. *unic. de suppl. neglig. Prælat.* Item Officium Custodis, Procuratoris. At verò illa Beneficia regularia, quæ per electionem factam à Capitulo, seu Collegio Regularium conferuntur, ad nutum Superioris auferri non possunt, quia non sunt ab eo simpliciter, sed à Capitulo collata; cujusmodi est Prioratus Conventualis, qui per electionem Capituli confertur: unde talis Prior à Capitulo electus perpetuam Dignitatem obtinet, ita ut removeri non possit ad nutum Superioris, sed nonnisi ob grave delictum, vel ex alia gravi causa, *c. 2. §. Priores autem de statu Monach.* Item Beneficia regularia, quæ curam animarum annexam habent, non sunt ad nutum Abbatis revocabilia; quia hòc ipsò quòd tales Beneficiarij curam animarum, seu populi habent, nonnisi cum consensu, & auctoritate Episcopi constituuntur, ac proinde, sine ipsius consensu, à Prælatis suis regularibus removeri non possunt. *Azor. cit. l. 3. c. 26. q. 5.*

XV. Similiter Capellaniæ spirituales, & collativæ, quæ auctoritate Episcopi institutæ sunt, sed ad certum tempus conferuntur, vel ad nutum Episcopi, aut Patroni Capellano auferri possunt, Beneficia sunt manualia: secus si in perpetuum alicui sint collatæ, tunc enim revocari non possunt. At verò Capellaniæ temporales, & non collativæ, quæ à Fundatore, ejúsque hæredibus conferuntur, sine ulla Episcopi auctoritate, cui ipsi voluerint, quamvis in perpetuum: non sunt Beneficia Ecclesiastica, sed merè temporalia stipendia Capellanorũ, *Azor. cit. lib. 3. c. 8. q. 3. Laym. cit. c. 4. n. 6. Garc. cit. c. 2. §. 1. n. 81. & 82.* Sic etiam Vicaria temporalis, seu ad nutum revocabilis, non est Beneficium Ecclesiasticum, quia nõ confertur in Titulum, sed est simplex stipendium, seu salarium laboris, *Garc. c. l. n. 93.* Cæteùm in dubio, spectato Jure communi, & ordinario, Beneficia sæcularia præsumuntur esse perpetua; Regularia verò censentur esse manualia, seu revocabilia, quia perpetuitas est qualitas propria Beneficij sæcularis: ideóque in impetratione Beneficiorum non est necessariò exprimendum, num Beneficium sit perpetuum, an verò manuale, quia hæ qualitates insunt Jure communi, quod Papæ cognitum esse præsumitur, juxta *c. 1. de Constit. in 6. Laym. c. l. n. 6.*

XVI. Quartò denique Beneficia alia sunt collativa, sive libera, quæ liberâ voluntate eorum, ad quos collatio spectat, conferuntur ijs, quibus ipsi voluerint, modò sint idonei. Alia electiva, quæ per electionem Capitularium, accedente postea confirmatione Prælati Ecclesiastici, communiter institui solent: Alia denique sunt Beneficia mixta, sive patronata, quæ ad præsentationem Patroni, ab Episcopo, vel alio Prælato Ecclesiastico conferuntur, quomodo plerique Parochi, & Capellani institui solent, *Azor cit. l. 3. c. 1. q. 4. in fine, Garc. cit. c. 6. nu. 14. Laym. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 1.* Porrò in dubio Beneficium nunquam præsumendum est esse electivum, vel patronatum, sed liberè collativum: tum quia esse electivum, aut patronatum, sunt qualitates extrinsecæ, & accidentales, non propriæ Beneficij: tùm quia per eas præjudicatur liberæ provisioni Prælati ordinarij, ad quem collatio spectat, *Cast. Palao cit. dis. 1. pun. 2. n. 5.* Huc etiam revocantur Beneficia patrimonialia, quæ conferenda sunt, sive libera, sive ad præsentationem, aut nominationem Patronorum, ijs qui degunt in tali Patria, Parochia, Civitate, vel Castro, quippe fundata à Parentibus, vel Majoribus eorum, ut conferantur filijs, consanguineis, aut popularibus.

§. III.

De sustentatione necessaria assignanda Clericis, & inprimis, an & qualis Titulus sustentationis requiratur ad suscipiendos Ordines.

XVII. Pro intellectu eorum, quæ dicentur, quatuor tempora distingui debent, ut notat Abbas *in c. Episcopus 4. n. 3. h. t. Laym. lib. 4. tr. 2. c. 2.* Primum tempus est, quò in primitiva Ecclesia Christiani prædia sua, seu bona immobilia vendebant, eorúmque pretia ad Apostolos tanquam Ecclesiæ Prælatos afferebant, ut per manus Diaconorum singulis in communi habitantibus distribuerentur; prout cuique opus erat, ut constat *ex Actis Apostolorum c. 2. & 5.* Secundum tempus est, quò postea magis expedire visum est, ut Ecclesiæ bona immobilia possiderent, ex quorum reditibus Clerici nihil proprium possidentes, & in communi viventes alerentur in sacris ædibus, seu Collegijs, præfixo illis Titulo v. g. S. Cru-

S. Crucis, vel Salvatoris, vel Sancti Apostoli, aut Martyris, tanquam Patroni tutelaris, neque tunc illus in Clericorum numerum, & Ordinem assumebatur, nisi sub titulo alicujus Sacræ Domûs, seu Collegij, ex communibus Ecclesiæ bonis sustentationem aliquam haberet, ut constat ex *c.* 2. *dis.* 70. & *ex pluribus Canonibus relatis caus.* 12. *q.* 1. Tertium tempus est, quò permissum fuit, ut Clerici extra communitatem viverent, & propria, seu patrimonialia bona possiderent, ex quibus sustentabantur, quia licèt Ecclesiæ ministrarent, nihil tamen illis ab Ecclesia dabatur loco Præbendæ, ut colligitur ex *c. certè* 18. & *c. illi* 25. *cit. caus.* 12. & *q.* 1. Quartum denique tempus est, quo posterioribus sæculis Clerici Beneficiarij etiam Canonici, qui Ordinem Religiosum non sunt professi, non tantùm extra communitatem vivere, & propria, seu patrimonialia bona retinere, sed etiam Præbendam, seu reditus sufficientes Beneficij ex bonis Ecclesiæ, in qua intitulati sunt, accipere possunt, & de facto accipiunt. His præmissis sit,

XVIII. Assertio 1. Ad promovendos Clericos, seu Ministros ad Ordines, requiritur Titulus necessariæ sustentationis, videlicèt Beneficij alicujus, vel saltem patrimonij, loquendo de Clericis sæcularibus. Idque probatur primò, ex *c. Non liceat*, 2. *h. t.* quòd est desumptum ex Corpore Canonum, » ubi dicitur, quód non liceat ulli Episcopo ordina- » re Clericos, nisi eis alimenta, & sustentationem » vitæ provideat: sed duorum alterum eligere de- » bet, ut vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det » illis, unde vivere possint. Ratio est, tum quia non decet eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis Clericalis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, *c. Diaconi* 23. §. *Nunc autem* 3 *dis.* 93. *Abb. hîc n.* 1. *not.* 2. Tum quia justum est, ut qui obligantur ad serviendum Altari seu Ecclesiæ, ex proventibus Ecclesiæ alantur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 9. *qui Altari deserviunt, cùm Altari participant.* Sed Clerici in sua ordinatione obligantur ad inserviendum Ecclesiæ, *c.* 1. *dis.* 21. ergo æquum est, ut illis in Ordinatione sua assignetur titulus, ex quo vitæ necessaria percipiant, *Fagnan. hîc n.* 3.

XIX. Idémque extendunt communiter Dd. quòd spectato Jure antiquo, neque minores Ordines alicui conferendi sint, sine titulo necessariæ sustentationis, juxta *c.* 1. *Iuncta*; *Gl. V. Neminem*, & *V. Absolutè*; *id est, sine titulo*, & *c.* 2. *dis.* 70. Idque colligitur etiam *ex hoc c.* ubi generaliter, & indistinctè sermo est de omnibus Clericis: appellatione autem Clericorum omnes, non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus Ordinibus constituti continentur, *c.* 1. *dis.* 21. *Gl. hîc V. Clericos*; præsertim in materia favorabili, qualis est hæc. Verùm Jure noviore, quod consuetudo approbavit, solùm ad sacros Ordines requiritur titulus sustentationis, ut constat ex *c. Episcopus*; 4. & *c. Cùm secundùm* 3 16. *h. t.* per quos antiqui Canones generaliter, & indistinctè loquentes restringunrur ad sacros Ordines, & eos, qui in sacris constituti sunt, de quibus specialiter loquuntur, & declaratur, quòd in his solùm titulus requiratur. Consentit Concilium Trident. *Sess.* 21. *c.* 2. *De reform.* Ratio est, quia Clerici in minoribus constituti ad sæculum redire possunt, deserto statu Clericali, & ideò Ecclesia non tantum eis subvenit, etiamsi mendicare cogantur, quàm alijs constitutis in sacris, quia illi nondum sunt in Ecclesia radicati, imó quotidie ab ea recedunt, *ut ait Hostiens. hîc.* Nec obstat, quòd cuivis Ordini, etiam Minoribus, suum peculiare officium sit assignatum in Ecclesia, *c. Acolythus*; 16. & 3. *seqq. dis.* 23. Nam inde solùm sequitur, quòd stipendium ipsis assignari debeat pro obsequio, ne cogantur militare proprijs stipendijs, *c. Charitatem* 45. *caus.* 12. *q.* 2. non autem quòd illis in ordinatione sua assignandus sit titulus sustentationis, ita ut aliàs Ordinator teneatur de suo illis providere, *Fagn. hîc n.* 14.

XX. Assertio 2. Non licet Episcopo quempiam, ad ullum ex sacris Ordinibus promovere, sine titulo, quamvis talis jam fuerit in sacro Ordine constitutus, prout sumitur ex *c. Episcopus*; 4. *h. t.* ubi A- » lexander III. in Concilio Lateranensi decernit: si » Episcopus aliquem, sine certo titulo, unde ne- » cessaria vitæ percipiat, in Diaconum (idem est de » Subdiacono, *Gl. hîc V. Diaconum*;) vel Presbyte- » rum ordinaverit, ipsemet ei necessariam sustenta » tionem subministrare debet: donec ipsi in aliqua » Ecclesia conveniens Clericale stipendium assi- » gnet: præterquam si ordinatus ex sua, vel paterna » hæreditate vitæ subsidium habere, sive se alere pos- » sit. Ratio est, quia Clerico, qui Ecclesiæ inservit, seu ministrat, non minùs ex justitia debetur stipendium necessarium, ad congruam sustentationem, quàm militanti in militia sæculari, ut significavit Apostolus 1. *Cor.* 9. *quis militat suis stipendijs unquam?* & Christus ipse ait *Luc.* 10. *dignus est operarius mercede suâ.*

XXI. Notandum hîc primò. Episcopus tenetur præstare alimenta ordinato in Diaconum, vel Presbyterum, sine titulo, & sic etiam ei, qui priùs erat saltem Subdiaconus, *ut ex Decio notat Fagn. hîc n.* 2. Nam quamvis *Hostiensis hîc in princ.* putet ideo non fieri mentionem in hoc *c.* de Subdiacono; quia tempore Concilij Lateranensis sub Alexandro III. Subdiaconatus nondum habebatur pro sacro Ordine, adeóque non requirebatur ad illum titulus sustentationis: id tamen dici non potest, cùm multò ante jam cœperit haberi pro Ordine sacro, nempe tempore Gregorij I. ut patet *ex c.* 1. *dis.* 31. & tempore Urbani II. ut ex *c. à multis*; 9. *de ætat. & qual. &c.* Sed ideò in hoc *c.* nulla facta est mentio de Subdiaconatu, quia non erat dubium, quin ad illum recipiendum titulus ordinato assignari debeat; quia cùm per collationem Subdiaconatûs constituatur primò, Ordinatus in tali statu, à quo recedere non possit, absque omni dubio obligatus erat Ordinator ipsi de necessarijs providere, si ordinavit sine titulo: sed majus dubium erat, de ordinato in Diaconum, vel Presbyterum; quia cùm esset jam constitutus in sacro Ordine, non videbatur jure prohiberi, quin ad superiores Ordines sacros promoveri possit, etiam absque titulo, cujus contrarium hîc deciditur, nempe non posse aliquem promoveri ad quemlibet sacrum Ordinem, etiam Diaconatûs, & Presbyteratûs, sine certo titulo, tametsi jam anteâ sit in sacro Ordine Subdiaconatûs constitutus *Fagn. hîc n.* 3.

Notandum secundò. Clericus Beneficiarius,

qui Ecclesiæ servit, potest honestam vitæ sustentationem ex reditibus Beneficij Ecclesiastici accipere, reservatis bonis patrimonialibus, eorúmque reditibus, suis hæredibus, vel in quemvis alium usum, idque generali consuetudine est receptum: quamvis olim, antequam Clerici haberent Beneficia separata, non poterant vivere ex reditibus Ecclesiasticis ij, qui ex proprijs bonis patrimonialibus alere se poterant; quia illi reditus erant deputati solùm pro indigentibus, ut constat ex c. *Videntes*; 1. §. *Ipse verò caus.* 12. *q.* 1. Hodiè verò cùm Beneficia principaliter deputata sint pro Clericis, ijsque dentur, non propter indigentiam, sed tanquam stipendium propter servitium, c. *ult. caus.* 1. *q.* 2. ideo licitè vivunt de reditibus Beneficij, *Abb. hîc n.* 3.

Notandum tertiò, potest quis ordinari sine titulo Ecclesiastico, si habeat de suo, unde honestè vivere possit, ut dicitur *hîc in fine*, & ibi *Gl. V. Subsidium*; neque tamen requiritur, ut habens bona patrimonialia expressè sit ordinatus ad titulum patrimonij, sed sufficit Clericum habere patrimonium, ex quo sustentari possit, licèt non assignetur in titulum; quia censetur tacitè ordinatus ad titulum patrimonij quoad hoc, ut non possit petere ab Ordinario Beneficium, vel necessaria alimenta, *Ioan. Andr. hîc n.* 2. *& Abb. n.* 2. Quid autem post Concil. Trid. de hoc sit statutum, infrà dicetur.

XXII. Assertio 3. Similiter Episcopus conferens alicui Ordinem sacrum, sine titulo, nemine præsentante, compellitur ipse, vel Successor illius, ei de necessarijs providere, donec titulum habuerit, prout » statuitur in c. *Cum secundum*; 16. *h.t.* Nam quia se- » cundùm Apostolum 1. *ad Cor.* 9. Qui Altari servit, » vivere debet de Altari, & qui ad onus admovetur, » non debet repelli à mercede, ideò & Clerici vive- » re debent de patrimonio Christi, cujus obsequio » deputantur: quod etiam ipsum nomen inducit, » dicti enim sunt Clerici à Κλῆρος quia in sortem, » seu hæreditatem Domini sunt assumpti, vel quia » in ipso hæreditatem Domini assequuntur, ut verè » cum Prophera dicere possint: Dominus pars hæ- » reditatis meæ &c. ideò dignum est, ut Ecclesiæ » stipendijs sustententur, per quam Divinis obse- » quijs adscribuntur. Quare licèt secundùm antiquos » Canones (c. 1. *& 2. dist.* 70.) Ordinationes Cleri- » corum, qui sine certo titulo promoventur, prop- » ter odium Ordinantium irritæ sint (scilicèt non quoad valorem Ordinis, qui semel validè collatus amitti non potest, sed quoad executionem, seu suspensionem ab exercitio Ordinis, *Gl. hîc V. Iuribus*;) In- » nocentius III. tamen benigniùs agere volens, sta- » tuit, ut Ordinatores, & Successores eorum, tam- » diù de vitæ necessarijs, Ordinatis provideant, do- » nec Ecclesiastica Beneficia consequantur. Qua- » mobrem cùm Episcopus Zamorensis Clericum G. » quondam in Subdiaconum ordinaverit, nullo præ- » sentante, ideo mandat Papa Episcopo Successori, ut » si ab Examinatoribus ad id constitutis, Ordinatus » idoneus fuerit judicatus, tamdiu Episcopus ei » necessariam vitæ sustentationem subministret, do- » nec per ipsum in Zamorensi, vel alia Ecclesia com- » petens Beneficium Ecclesiasticum fuerit assecutus, » alioquin, si juxta mandatum Pontificis, Episco- » pus Beneficium ei non providerit, per censuram » Ecclesiasticam ad id compellatur.

XXIII. Notandum hîc primò. Quamvis aliàs regulariter Successor non teneatur ex delicto defuncti, vel antecessoris, cum delicta morte delinquentis extinguantur, *l.* 2. *C. Si reus, vel accus. mort. fuer. & l. unic. C. Ex delict. defunct. c. Quorundam*; 14. *junctâ Gl. V. Non potest dist.* 23. attamen in hoc c. etiam Successor Episcopi ordinantis sine titulo tenetur ad alendum Ordinatum, ut constat ex hoc c. ibi: *per Ordinatores, vel Successores eorum*, nam Clericus ordinatus fuit ad Subdiaconatum ab Episcopo Antecessore, & tamen Pontifex mandat Episcopo Successori, ut sic ordinato sine titulo vitæ necessaria ministret: idque specialiter statutum fuit, ne is in Clericalis statûs opprobrium mendicare cogatur, *Gl. hîc V. Successores.* Vel meliùs dici potest, *cum Gl. margin. hîc lit. c. & Abbate n.* 10. quòd hoc casu Successor obligetur, non ex delicto prædecessoris, sed ex eo, quòd si Episcopus aliquem initiet Ordine sacro, qui titulum, seu sustentationem non habet, censetur se obligare, imò ex Decreto hujus Canonis debet se obligare, quòd ex mensa sua eum alere velit, donec Beneficium consequatur, quæ obligatio cùm sit reale onus, quo gravatur mensa Episcopalis, ad Successorem transit. Hoc autem onus, seu obligatio realis alendi Ordinatum sine titulo, etiamsi Episcopus ordinans renunciaverit Episcopatui, vel depositus sit, vel ad aliam Ecclesiam translatus sit, nihilominùs adhuc transit ad Successorem in Episcopatu; at non eo mortuo ad hæredes, qui succedunt Episcopo in bonis patrimonialibus: cùm enim sit obligatio realis, non sequitur personam Ordinantis, adeóque nec ad hæredes ipsius transit, sed sequitur reditus Episcopales, qui sunt hoc onere gravati: præterquam si Episcopales reditus non sufficerent ad alendum Ordinatum, tùm enim dici potest, quòd Episcopus ordinans, si in culpa aliqua fuit, ordinando sine titulo, post mortem ipsius, hæredes ejusdem, in defectum, ex patrimonialibus bonis Episcopi Ordinatum alere cogantur, ita ut hæredes Ordinatoris non obligentur, nisi in subsidium, si Ecclesia non possit alimenta subministrare, *Abb. hîc n.* 11.

Notandum Secundò, si Ordinatus sine titulo fuit ab alio præsentatus, & examinatus, tunc non tenetur Episcopus, qui eum ordinavit, ipsi providere de alimentis necessarijs, sed ille qui præsentavit, & ordinavit, ut colligitur *ex hoc c. ibi: nullo præsentante*, à contrario sensu, *Gl. hîc V. Successores, vers. Et hoc intelligo.*

XXIV. Notandum tertiò. Si Episcopus ordinavit aliquem ad titulum Beneficij, quod erat alteri debitum, illúdque posteà evincatur, & repetatur ab eo, ad quem pertinebat, tum Ordinans non tenetur providere Ordinato de alio Beneficio, si bonâ fide ad talem titulum illum ordinavit, nesciens Beneficium alteri esse debitum, nec poterit tunc Episcopus ordinans conveniri ex obligatione proveniente, ex dispositione speciali *hujus* c. quamvis teneatur, ei providere de necessarijs alimentis, ex generali obligatione, quâ tenetur Episcopus subvenire omnibus indigentibus Clericis suæ Diœcesis; si verò scivit Ordinans Beneficium ad alium pertinere, tunc etiam vi hujus Canonis, tenetur illi de alio providere, & interim illum alere, *Abb. hîc n.* 15. *Fagnan. ibid. n.* 41.

n. 41. & 3. *seqq.* Eodem modo non tenetur Episcopus, qui contulit Ordinato sufficiens Beneficium ad sustentationem, quod posteà effectum est insufficiens, providere de alio, nisi ex prædicta generali obligatione, *Fagnan. c. l. n. 45. & 46.*

Notandum quartò. Ordinati ad Sacros Ordines sine Titulo, non sunt suspensi ab executione Ordinum, nec si in eis ministraverint, irregulares fiunt, post Concilium Trident. *Sess. 21. de reform.* quod innovavit antiquorum Canonum pœnas; quia cùm pœna suspensionis ab executione Ordinum jam fuerit sublata per hanc Decretalem, non censetur innovâsse pœnam illam, quæ per posteriores Canones jam erat abrogata, sed solùm innovavit Concilium pœnam, quâ tenebatur Mensa Episcopalis, ita Ordinato vitæ necessaria suppeditare, juxta hanc Constitutionem: non autem innovavit pœnam, quâ olim Ordinatus sine Titulo suspensus fuit ab executione Ordinis, *c. 1. & 2. dist. 70. ex declarat. Congreg. Concil. apud Fagnan. hîc n. 63. & seqq.* Nisi tamen Ordinatus deceperit Ordinantem, affirmando se habere Titulum Beneficij, vel Patrimonij, cùm non haberet; tunc enim Ordinans non tenetur eum alere; & ipse Ordinatus est suspensus ab exercitio Ordinum, & si exerceat, fit irregularis; quia hæc pœna antiquorum Canonum, quoad hunc casum non est sublata per Conc. Trid. neque enim correctio pœnæ Juris antiqui debet extendi ad casum, in quo Ordinans non est in culpa, sed solus Ordinatus, ut ex tutiore; & probabiliore sententia docet *Navarr. l. 1. tit. 11. consil. ult. & Fagnan. hîc n. 68. & seqq.*

» XXV. Assertio 4. Clerici in minoribus » Ordinibus constituti, tametsi Beneficium Eccle- » siasticum nondum obtinuerint, si tamen ex bonis » patrimonialibus congruam vitæ sustentationem » habeant, ad Sacros Ordines ab Episcopo (dum- » modò aliud Canonicum impedimentum non ob- » stat) promoveri possunt, prout statuit Innocen- » tius III. *in c. Tuis; 23. h. t.* Ratio est, quia cùm tales Clerici habeant, undè possint congruè sustentari, non est periculum, quòd in opprobrium statûs Cleticalis cogantur mendicare, & sic cùm cesset ratio, cur non debeat quis sine titulo ordinari, cessat etiam ipsa prohibitio, nam tale Patrimonium servit locò Tituli, & in locum Beneficij succedit. Et quamvis in Clericis non vituperetur paupertas voluntaria, quam ipsi etiam Apostoli sectati sunt; *Act. c. 2.* reprobatur tamen necessaria, *c. Diaconi; 23. §. Nunc autem dist. 23.* ubi dicitur: *mendicat infelix Clericus in plateis, & servili operi mancipatus, publicam à quolibet deposcit alimoniam.*

XXVI. Notandum primò. Si prædia patrimonialia eorum, qui ad sacros Ordines sunt promoti, inundatione, vel alluvione pereant, debet Episcopus Ordinans de Beneficio Ecclesiastico ipsis providere, ne cùm ad statum sæcularem redire non possint, mendicare cogantur, *Gl. hîc V. De Patrimonialibus;* Idque procedit saltem secundùm obligationem generalem, quam habet Episcopus, ut provideat Clericis nõ habentibus, unde vivant, *Abb. hîc n. 5.*

Notandum secundò. Dispositio *hujus c.* hodie intelligenda est juxta Conc. Trid. *Sess. 12. c. 2. de ref.* ubi decernitur, quòd patrimonium obtinentes post hæc ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos, pro necessitate, & commoditate Ecclesiarum suarum, adeóque non sufficit, ut habeant patrimonium, sed exigitur, ut expressè ad Titulum patrimonij ordinentur dispensativè, ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, ad quam ordinandi non sunt, nisi constet Patrimonium ab illis verè obtinendum, *Fagnan. hîc n. 24. & seqq.*

XXVII. Assertio 5. Præterea statutum habe- » tur *in c. Si Episcopus 5 37. h. t. in 6.* Si Episcopus pro- » prius in sua Diœcesi alteri Episcopo indeterminatè » & generatim, nullis certis personis expressis, li- » centiam concessit, & commisit, vice suâ, Cleri- » cos ordinandi, isque Sacrum Ordinem contulit » Clerico Titulum sustentationis non habenti, tum » ipsemet Ordinans, cùm in culpa fuerit sic ordinan- » do (scilicet sine certo Titulo) debet Ordinato mi- » nistrare vitæ necessaria, donec ei per Episcopum » Ordinantem, vel alium, de competente Beneficio » fuerit provisum. Si verò certas Personas (eâsque » nominatim expressas, *Gl. hîc V. Certas;*) ordinan- » das commisit (quæ carebant Titulo sustentationis) » hoc casu, Episcopus, qui commisit, tenetur eis pro- » videre vitæ necessaria, donec Beneficium ipsis con- » tulerit (vel per alium fuerit collatum, *Gl. hîc V. per te;*) quia hoc casu Episcopus (committens determi- » natè, ut certæ Personæ ordinẽtur) inquirere debuit, » an Titulum sustentationis haberent! Quòd si Epi- » scopus Diœcesanis suis literas dimissorias dedit, seu » licentia, ut à quocũnq; voluerint Episcopo (Catho- » lico, & nõ rebelli Sedi Apostolicæ, *Gl. hîc V. A quo* » *voluerint;*) ad omnes etiam Sacros Ordines promo- » veri possint: tum non Episcopus ordinans, sed is, qui » talem licentiam dedit, vitæ necessaria providere de- » beat Ordinatis, si Titulum non habeant (donec de » competente Beneficio eis sit provisum, *Gl. hîc V. Ad* » *præmissa;* quia talem licentiam non debebat dare iis » qui Titulum sustentationis non habent.

XXVIII. Notandum primò. Si ab Episcopo proprio alteri Episcopo, generalis, & indeterminata commissio facta sit ordinandi suos subditos, tunc ea ita debet intelligi, ut ordinetur, sicut SS. Canones requirunt: adeóque, ut promovendi ad sacros Ordines habeant Titulum sustentationis: quare si Episcopus ordinans conferat Sacrum Ordinem, non habenti Titulum, est in culpa, ideóque meritò alimenta suppedire debet Ordinato, donec Beneficium acquitat, *Anchar. hîc not. 3.* Si verò specificè alicui ab Episcopo proprio commissio facta sit, ordinandi certas Personas nominatim expressas, tunc præsumitur Episcopum proprium, sive mandantem examinâsse Ordinandos, & de necessario Titulo illis providisse, qui ad hoc tenetur, ideóque Episcopus Ordinans non est in culpa, etiamsi non inquirat de Titulo sustentationis, & consequenter non tenetur etiam alere talem Ordinatum sine titulo, *Gl. magna hîc in notat. & Anchar. not. 4.* Monet autem *Gl. magna hîc*, quòd hodie ab Episcopis in literis dimissorijs, ad cautelam, hæc clausula apponi soleat, dummodò vobis constiterit de sufficiente Titulo sustentationis, in quo conscientiam vestram oneramus: sin autem talis Clausula non sit apposita in litteris dimissorijs, tunc Episcopus ordinans non tenetur sollicitè inquirere de Titulo sustentationis, saltem si literæ dimissoriæ specialiter ad certum Episcopum sint destinatæ.

Notan-

Notandum secundò. Necessaria ad vitam debent Ordinato suppeditari, vel per Episcopum mandantem, vel per mandatarium, sive eum, qui vice alterius ordinat, saltem si generalis commissio facta sit: quæ tamen obligatio alendi, quâ Ordinator tenetur, tollitur, & cessat, hòc ipsò, quòd Ordinatus Beneficium est consecutus, sive per ipsum Ordinantem, sive per alium: ut patet ex hoc c. *Anchar. hîc not* 5. & 6.

Porro cætera, quæ hîc adhuc desiderantur, circa Titulum, ad quem ordinandi sunt Clerici, tradita sunt suprà *lib.* 1. §. 9. & §. 11. *n.* 120. & *pluribus seqq.*

§. IV.

An Canonicis debeatur Præbenda seu Beneficium, tanquam congrua sustentatio.

XXIX. Ad hanc quæstionem respondetur, quamvis possit aliquis in Canonicum recipi, ita ut non habeat Præbendam, sive fructus Beneficij percipiat, debet tamen ei conferri Præbenda Canonicalis, quàmprimùm poterit, prout statutum est *in c. Relatum*; 9. *h. t.* Nam cùm Archiepiscopus Cantuarien- » sis in sua Ecclesia M. Iacobum in Canonicum » instituisset, cum promissione Præbendæ, quæ proximè vacaverit, eidem conferendæ: attamen licèt plures Præbendæ successivè vacaverint, nulla tamen » ipsi collata fuisset. Quare mandat Papa Alexand. III. » ut si dictus Iacobus in Ecclesia illa canonicè institutus fuit, & in Choro & Capitulo aliisque, quorum usus communis est, sicut alij Canonici, potestatem accepit, ei Prebenda, si quæ nunc vacat, vel quæ primò vacaverit, secundùm promissionem, liberaliter conferatur; quia non est conveniens, ut qui in » Canonicum est receptus, Præbendâ careat, ex cujus reditibus scilicet alatur.

XXX. Similis Constitutio extat *in c. Cùm dilectus* 19. *h. t.* Nam cùm Episcopus Linconiensis, » ex mandato Papæ Cælestini, Tito quandam Præbendam contulisset in Ecclesia Linconiensi, Capitulum illum recipere noluit, quam causam Innocentius III. qui successit Cælestino, Archiepiscopo Rhemensi commisit, qui simul tunc erat etiam » Episcopus Prænestinus, & Cardinalis Legatus Sedis Apostolicæ: cujus auctoritate talis inter Titum, » & Capitulum simoniaca compositio facta est, ut » prædictus Titus receptus in Canonicum, Stallum » in Choro, & participationem Divinorum Officiorum, (& vocem in Capitulo, *Innoc. hic V. Participatione*;) haberet, sed ipse fructus Præbendæ non » perciperet, donec Præbenda aliqua proximè vacaverit. Hoc cognito, Innocent. III. ad Archiepiscopum, & Archidiaconum Ecclesiæ Senonensis rescripsit, quòd dictus T. in Canonicum sit receptus, » id non adversari Canonicis Sanctionibus, ideóque » se illud tanquam licitum approbare: at verò expectare Præbendam vacaturam, illud esse contrarium Concilio Lateranensi (sub Alexandro III. » relato *in c. 2. de conces. præb.*) ideóq; se tanquam illicitum hoc reprobare. Quia igitur indignum » videtur, ut in Canonicum receptus beneficio » Præbendæ carere cogatur, ideò mandat Pontifex prædictis Judicibus delegatis, ut Episcopum, & Capitulum Lingonienſe ad Præbendam dicto Tito, » cùm se facultas obtulerit, sine dilatione, conferendam, remotâ appellatione, compellant, ei- » démque quotidianas portiones, seu distributiones, quæ in Ecclesia Linconiensi fiunt, sine dimi- » nutione, dari curent. Ratio decisionis est, quia » cùm is, qui in Canonicum receptus est, etiam sine Præbenda, vocem in Capitulo, & in Choro Stallum acquirat, & Præbenda ipsi conferri debeat, quàmprimùm facultas se obtulerit (dummodò habeat qualitates requisitas, videlicet ætatem, & Ordinem sacrum requisitum ad vocem Capitularem, *juxta Clem.* 2. *de ætat. & qual.*) consequenter etiam distributiones quotidianas, si Divinis Officijs interfit, percipere debet, *Abb. hîc n.* 4.

XXXI. Verùm hoc c. adversari videtur priori *c. Relatum*; 6. *h. t.* in quo dicitur, quòd ei, qui receptus est in Canonicum sine Præbenda, debeat assignari Præbenda proximè vacatura, secundùm promissionem ipsi factam. At verò *in cit. c. Dilectus* reprobatur talis promissio, tanquam repugnans Concilio Lateranensi in *c.* 2. *de conces. præb.* Si quis videlicet in Canonicum recipiatur, eo pacto, seu promissione factâ, ut proximè vacaturam Præbendam obtineat. Sed respondetur, disparem esse utriusque c. casum: nam in casu prioris *c. Relatum*, Pontifex mandat assignari Præbendam ei, qui in Canonicum receptus erat, non vi promissionis præcisè, sed ratione Canoniæ, sive Canonicatûs, quia postquam in Canonicum quis receptus est, congruum, seu consentaneum est, & æquitati naturali, & SS. Canonibus, ut ipsi etiam Præbenda, quàmprimùm fieri potest, conferatur, ideóque Pontifex ibidem ait, quòd Archiepiscopus ipsi Præbendam liberaliter conferre debeat, adeòque non ut propriè, & ex justitia debitam, sed quia non est congruum, ut Præbendâ careat, qui in Canonicum actu est receptus: quare promissio illa de conferenda Præbenda proximè vacatura non fuit illicita, cùm per illam id promissum fuerit, quod SS. Canonibus congruum est, & ipsi Canones fieri jubent, ac proinde etiam ad hoc ipsum faciendum Archiepiscopus ex Officio Superioris, videlicet Papæ, compelli poterat. At verò in posteriore casu *cit. c. Dilectus*; promissio illa de conferenda Præbenda proximè vacatura, ita fiebat, ut veniret in pactum compositionis factæ, antequam reciperetur in Canonicum, ita ut recepto verum jus competeret, ex præcedente promissione ad Præbendam proximè vacaturam, determinatè petendam, cum tamen Jure Canonico prohibita, & irrita sit talis promissio, *in cit. c. De conces. præb. & c.* 2. 2. *eod. in* 6. *Innoc. in cit. c. Relatum*; *in princ. & ibid. Imol. n.* 1. & 2. & *Abb. n.* 6. & *in cit. c. Dilectus*; *n.* 5. Quare in priore *c. Relatum*; facta est promissio conferendæ Præbendæ recepto in Canonicum, tali conditione, prout ea de jure Communi inest: non autem in posteriore c. in quo fiebat promissio ea conditione, ac modo, quæ in Jure Canonico est prohibita, ut ex dictis patet.

XXXII. Porrò pro declaratione utriusque hujus c. quæ circa eandem ferè materiam versantur, notandum præterea; licitè potest aliquis in Canonicum recipi, sine Beneficio vel Præbenda, quia Præ-

præbenda non est de substantia Canonicatûs; ut patet *ex cit. c. Relatum*; *& c. Cùm M. 9. ibi:* in Canonicos receperunt, *nullis Præbendis assignatis eisdem*; *sup. de Constit.* Idque maximè procedit, quando in aliqua Ecclesia nullus certus est numerus Canonicorum; certæ autem & distinctæ sunt Præbendæ, ut notat *Abb, in cit. c. Relatum*; *n.* 2. etsi talis Canonicus non diu debeat esse sine Præbendâ, *c. Super*; 8. *de Conceff. Præb.* cùm enim habeat locum in Choro, & vocem in Capitulo, aliisque oneribus Canonicorum subsit; decens est, ut etiam Beneficium habeat, cujus reditibus alatur, quod datur propter officium; requiritur tamen, ut receptio in Canonicum sine Præbenda, fiat ex causa, v. g. ut receptus instruatur in Officiis Ecclesiasticis, & non multi sic recipiantur; nec pactum fiat, ut receptus in Canonicum nihil de Præbendis vel communibus reditibus percipiat, hoc enim Simoniacum foret, *Gl. in cit. c. Cum M. V. nihil perciperent*, *Fagnan. in cit. c. Dilectus*; *num.* 9. *&* 10.

Notandum secundò. Jus stalli seu sedis in Choro, & jus suffragij in Capitulo provenit ex Jure Canoniæ, adeóque competit recepto in Canonicum, etiam sine Præbenda, *Abb. in cit. c. Relatum*; *n.* 3. Ubi tamen distinguendum est, nam vel aliquis à Capitulo est receptus, ultra numerum Canonicorum definitum, simpliciter sine Præbenda, tunc seclusâ consuetudine, quæ hâc in re servanda est, sic receptus habere debet stallum in Choro, vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas; tum quia, cùm sit receptus ad Jus Canoniæ, consequenter habere debet omnia Jura Canonicalia: tum quia per voluntariam receptionem unius, ultrà numerum Canonicorum, jam fractus est numerus, dum Capitulum recessit à definito numero. Vel Capitulum recepit aliquem non simpliciter, ultra numerum, sed eo adjecto, quòd recipiatur tanquam supernumerarius: & tunc non censetur voluisse numerum definitum excedere, sed solùm sic recepto gratiam extraordinariam facere, unde sic receptus non habet jus integrum Canoniæ, sed solùm præparatorium quoddam ad jus integrum aliquando obtinendum, *Abb. in cit. c. Cùm M. n.* 31. *de Constit.* Similiter si quis Superioris, nempe Papæ auctoritate receptus sit in Canonicum supra numerum simpliciter, is debet consequi omnia Jura Canonicalia, & sic vocem in Capitulo, & distributiones quotidianas, ut ex Imola *in cit. c. Cùm M. n.* 28. *de Constit.* tradit *Fagnan. in cit. c. Dilectus*; *n.* 25. idque colligitur *ex eod. c.* ubi ex mandato Papæ, aliquis receptus fuit simpliciter in Canonicum, & tamen deciditur, quòd debeat habere distributiones quotidianas.

XXXIII. Notandum tertiò. Etsi promissio de Præbenda proximè vacatura non teneat, si quis tamen purè & absolutè receptus sit in Canonicum, ea receptio non vitiatur, propter promissionem vacaturæ Præbendæ adjectam; quia aliud est Canonia, aliud Præbenda, & receptio in Canonicum, & promissio Præbendæ, sunt actus separati, & distincti, etiamsi simul fiant; utile autem per inutile non vitiatur, quando unum ab altero separari potest, *Abb. in cit. c. Dilectus*; *n.* 6. *h. t. & Imol. n.* 4. *&* 5. Quòd tamen procedit, si quis recipiatur in Canonicum, ita, ut statim sit Canonicus, sed Præbendam non habeat, nisi cùm ea vacaverit, prout factum est in casu *cit. c. Dilectus*; nam conventum fuit inter partes, ut receptus in Canonicum statim haberet ea, quæ ad Jus Canoniæ pertinent, nempe stallum in choro, vocem in Capitulo, &c. sed Præbendam non haberet, nisi cùm vacaverit, & ideo Pontifex receptionem ad Canoniam approbavit, tanquam actum licitum: promissionem verò Præbendæ vacaturæ reprobavit, tanquam actum illicitum & repugnantem Concilio Lateranensi. Aliud est, si effectus tam receptionis, quàm promissionis differatur in tempus vacaturæ Præbendæ; quia tunc licèt spectato verborum tenore, videantur esse duo actus diversi, receptio scilicet & promissio: tamen in ordine ad effectum, censetur unicus & individuus actus, & neuter actus tenet, quia conventum est, ut simul sortiantur effectum, ita ut quamvis nunc recipiatur in Canonicum, verbo tenus, re ipsâ tamen, & in effectu tunc demum habeatur pro recepto, & Jura Canonica adipiscatur, cùm Præbenda vacabit, & ea ipsi conferatur, tunc autem non solùm est vitiosa promissio Præbendæ non vacantis, sed etiam promissio Canonicatûs non vacantis, & non tenet; quia utile per inutile vitiatur, si separari non possint, *Innoc. in cit. c. Dilectus*; *nu.* 1. *V. proximo & Hostiens. V. nisi loco proximo & Jo. Andr. n.* 10. *Fagnan. num.* 3. *&* 2. *seqq.*

Notandum quartò. Receptus in Canonicum, sine Præbenda, potest, cùm Præbenda Canonicalis vacaverit, implorato Judicis Officio, petere, ut ea sibi conferatur, prout sumitur *ex cit. c. Dilectus*; nam licèt talis Canonicus non habeat determinatè jus ad Præbendam primò vacaturam: habet tamen, ratione Canoniæ, jus in genere ad Præbendam aliquam, ut ipsi provideatur, vel ex reditibus superabundantibus Mensæ Capitularis: vel etiam ut Præbenda proximè vacatura potiùs sibi, quàm alteri, qui non habet Jus Canoniæ, vel post ipsum in Canonicum est receptus, conferatur *Abb. in cit. c. Dilectus*; *n.* 7.

Notandum quintò. In Ecclesia, in qua sunt Præbendæ Canonicales distinctæ, si quis receptus sit in Canonicum, ut supernumerarius, Præbenda proximè vacans morte antiquioris Canonici, qui fuit intra numerum definitum Canonicorum, conferri debet Canonico supernumerario, cujus Canonia tum extinguitur, ipséque in numerum antiquorum Canonicorum ingreditur, & sic juri consentaneum est, ut Præbenda illi conferatur, *Imola in cit. c. Dilectus*; *n.* 16. §. *Sed adverte*, *Fagnan. ibid. n.* 13. *&* 14.

Notandum sextò. Quod dictum est, recepto in Canonicum, quàm primùm fieri potest, conferendam esse Præbendam: id limitari debet. Primò, Si in una Ecclesia sufficientem Præbendam habeat, tunc potest quidem in alia Ecclesia Canonicatum accipere, non tamen Præbendam, nisi ex rationabili causâ, ita, ut possit quidem in pluribus Ecclesiis simul esse Canonicus, non tamen Præbendatus, sed sine præbenda in altera, ut docet *Innocent. in c. ult. n.* 2. *de Cleric. non resid. Imol. ibid. n.* 15. Secundò, si in Ecclesia aliqua sit certus ac determinatus numerus Præbendarum, sed non Canonicorum, & plures actu sint recepti, quam sint Præbendæ, tum unâ Præbendâ vacante, ea non debet conferri ultimò recepto in Canonicum, sed ei, qui priùs est receptus, & sic fieri potest, ut talis diu sit sine Præbenda, & expectare debeat, donec Præbendam obtineat.

§. V.

Qualis sustentatio nececessaria assignari debeat Parochis, aliisque Beneficiatis Curatis?

XXXIV. Præmittendum, generatim loquendo, ad honestam & decentem vitæ sustentationem Clericis debitam, sive obtineant Dignitates aut Beneficia curata, sive simplicia, pertinet inprimis, ut habeat Beneficiatus ea, quæ ad ipsum, ejúsque familiam honestè alendam sunt necessaria, c. *Studeat*; 39. *dist.* 50. Nomine autem alimentorum intelliguntur cibus & potus, vestitus, habitatio, pharmaca necessaria ad morbos curandos, libri item necessarij pro officio. In quibus tamen habenda est ratio dignitatis & statûs personæ, nobilitatis, scientiæ & literaturæ, & qualitatis ac conditionis ipsius Beneficij, an sit Dignitas vel Personatus, an Beneficium curatum, vel non curatum, aut simplex, quin & quantitatis redituum ipsius Beneficij, *Molin tract. 2. de justit. dis.* 145. *n.* 7. & 8. Appellatione autem familiæ veniunt famuli & ancillæ, parentes, fratres & sorores egentes pro statu: item filij suscepti ex legitimo matrimonio, ante Beneficium obtentum, si quod Beneficiarius habeat: imò & spurij, quia & iis ex æquitate Canonica alimenta debentur, *Azor. lib. 6. c.* 10. *q.* 8. & 9. Imò sub honesta & decente sustentatione Clericorum comprehenduntur, etiam ea, quæ ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, & amicos, præsertim egentes & peregrinos, sunt necessaria, *Mol. c. l. n.* 9. tum verò etiam, quæ ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum, quin interdum etiam liberales & non prodigas requiruntur: ac denique ad honestas animi ac corporis relaxationes, spectatâ personæ & officij dignitate, & redituum copiâ ac quantitate, *Mol. c. l. n.* 9. & 10. *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 3. *n.* 2. Et hinc plus requirit ad sustentationem suo statui convenientem Præpositus vel Decanus, quàm simplex Canonicus, plus item Episcopus, quàm Decanus vel Præpositus, plus quoque Episcopus, si etiam Cardinalis sit, vel Illustri aut Regio stemmate ortus, vel Princeps Romani Imperij, quàm alius Episcopus, *Mol. c. l. n.* 7. *Laym. c. l.* jam ergo sit.

XXXV. Assertio 1. Rectoribus Ecclesiarum seu Parochis debet ex reditibus earum congrua ac sufficiens portio assignari, unde vivant, non obstante quâcunque consuetudine contrariâ, prout statutum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. quod refertur *in c. Extirpandæ*; 30. *in princ. h. t.* Ubi » queritur Pontifex, quòd in quibusdam Provin- » ciis vitiosa consuetudo obtinuit, ut Patroni Eccle- » siarum Parochialium, & aliæ quædam personæ » (quibus v. g. Parochiæ sunt incorporatæ) proven- » tus Parochiarum sibi penitus vendicantes, Pres- » byteris ad servitia & curam earum deputatis adeò » exiguam portionem relinquant, ut ex ea se con- » gruè nequeant sustentare: imò quod in quibus- » dam Regionibus Parochi pro sua sustentatione » nonnisi quartam quartæ, id est, decimam sextam » partem decimarum percipiant: Unde fit, ut in his » Regionibus penè nullus reperiatur Parochus, qui » ullam vel modicam habeat scientiam literarum. » Cùm igitur *os bovis triturantis* ligari non debeat, » *Deut. c.* 25. & qui Altari servit, eum de Altari vive- » re deceat, 1. *Cor.* 9. statuit Concilium, ut Presby- » teris Curatis Parochiarum sufficiens portio assigne- » tur, non obstante quâcunque consuetudine, sive » Episcopi, sive Patroni, sive cujuslibet alterius. Ra- » tio patet ex ipso c. quia talis consuetudo repugnat legi Divinæ & naturali justitiæ, cùm operarius sit dignus mercede suâ, *Luc.* 10. imò etiam repugnat primævæ Beneficiorum & Parochialium proventuum institutioni, quippe qui principaliter à fidelibus dantur Parochis & Curatis, ut Divina ab ipsis percipiant. Accedit, quòd si Beneficia, præsertim curata, nimis tenues reditus habeant, non reperiantur, viri docti & idonei, qui ea suscipere velint, quod in magnum Ecclesiæ damnum cedit, ideóque talis consuetudo tanquâ vitiosa & corruptela est extirpanda, ut dicitur *in princ. h. c.*

XXXVI. Ubi notandum primò. Patroni vel Administratores Ecclesiarum Parochialium non possunt prætextu consuetudinis, reditus ipsarum ita sibi vendicare, ut congrua portio Rectoris seu Parochi diminuatur, *Abb. hic num.* 2. Imò hodie ex decreto *Concil. Trident. Sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* generaliter interdictum est omnibus Patronis Beneficiorum, sive Clericis, sive Laicis, ne in perceptione quorumcúnque proventuum Beneficiorum se ullo modo ingerant, sed illos liberè Rectori seu Beneficiato distribuendos dimittant, non obstante quâcunque consuetudine.

Notandum secundò. Nulla, vel modica scientia æquiparantur, *ut colligitur ex hoc c.* imò pejus est interdum habere modicam scientiam, id est, minùs sufficientem, & infrà mediocritatem, quàm nullam; quia modica aliquando in errorem inducit, sed qui prorsus imperitus est, cogitur alios consulere, *Abb. hic n.* 3.

XXXVII. Porrò idem statuitur de Vicario perpetuo *in eod.* §. *Qui verò*; *h. t.* Ubi dicitur, qui » Ecclesiam Parochialem habet, non per Vicarium, » sed per seipsum illam administrare debet, in ordine » requisito ad Curâ talis Ecclesiæ: nisi illla sit annexa » seu unita Dignitati, vel Præbendæ Ecclesiæ Cathe- » dralis vel Collegiatæ, ob quam ipse in majore Eccle- » sia residere debet: hoc enim casu, concessum est ei, » qui talem habet Dignitatem vel Præbendam, in ipsa » Parochiali Ecclesia, Vicarium idoneum ac perpetuũ » canonicè institutum habere, cui ex ejusdem Paro- » chiæ reditibus congruam portionem assignare de- » bet: alioquin illâ Parochiâ (ipso jure) sit privatus, » ita, ut liberè alij possit ac debeat conferri, qui velit, » ac possit, quod dictum est adimplere. Illud verò pe- » nitus prohibetur, ne quis ex proventibus Ecclesiæ » Parochialis pensionem alteri in fraudem loco Be- » neficij, conferre præsumat. »

XXXVIII. Pro delaratione hujus §. Notandum primò. Rectores Ecclesiarum Parochialium tenentur personaliter residere, eisq; non per Vicarios, sed per seipsos deservire, *cit.* §. *Qui verò*; *ut dictum tit. præced.* Ratio est, tum quia electa est industria personæ, *Abb. hic n.* 2. tum quia ij, quibus cura animarum commissa est, tenentur gregem suũ pascere, officiũ autẽ pascendi est personale; adeóq; per alium exerceri non potest, ut suprà etiam dictũ, *Fagnan. hic n.* 2. & 3. ubi tamen *n.* 4. addit, quòd non repugnet SS. Canonibus, si Parochi quædam munia pastoralia alijs in certis casibus committant. Tenetur autem Parochus personaliter residere, & per seipsum Parochialia officia exercere, etiamsi fructus Parochiales sint valdè tenues, & numerus ovium exiguus, juxta declarat. S. Congregat. Concilij apud *Fagnan. hic num.* 6. & 11. & habitare tenetur in ædibus Parochialibus; si verò domum propriam non habeat, debet aliquam conducere, saltem

saltem intra limites Parochiæ, *ex declarat. ejusdem Congreg. apud Fagnan. hîc n.* 12.

Notandum secundò. Qui promovetur ad aliquod Beneficium, debet habere Ordinem ad tale Beneficium requisitum, ut si Curatum sit, debet esse Sacerdos, ut colligitur *ex cit.* §. *Qui verò*; *ibi: In Ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit*, *h.t. Abb. hîc n.* 2. *not.* 2. quod tamen per posteriores Canones est mutatum, *c. Cùm in cunctis*; 7. §. *Inferiora de elect. c. Licèt*; 14. *eod. in* 6. *& c. Præterea*; 5. *de ætat. & qual.* ut alibi dictum.

XXXIX. Notandum tertiò. Si Ecclesia Parochialis accessoriè unita sit Dignitati, vel Præbendæ Canonicali in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, tunc, qui talem Dignitatem vel Canonicatum obtinet, debet residere in Dignitate vel Canonicatu, eíq; per seipsum deservire: in Parochiali verò Ecclesia per Vicarium perpetuum, ut colligitur *ex cit.* §. *Qui verò*; *ibi: Cum oporteat eum in minore Ecclesia deservire, &c.* Quod tamen non ita intelligndum est, quasi Præbenda Canonicalis sive Canonicatus, præsertim Ecclesiæ Collegiatæ, secundùm se sit dignior, quam Beneficium Curatum; cùm sit simplex tantùm Beneficium, adeóque inferius Beneficio Curato secundùm se, & ex objecto suo, cujus officia præstantiora sunt: sed quia, quando Parochia est accessoriè & perpetuò unita Præbendæ Canonicali, tunc induit quasi naturam, & sortitur proprietates etiam Canonicatûs simplicis, cui accessoriè tanquam principali unita est, & ut sic censetur Canonicatus vel Præbenda Canonicalis dignior Beneficio Curato, seu Parochiali: & hoc respectu *in cit.* §. *Qui verò*; Dignitas aut Præbenda dicitur major, seu dignior Parochiali Ecclesiâ, ita ut illam obtinens, debeat residere in Præbenda Canonicali, eámque per seipsum administrare, Parochiam verò, per Vicarium substitutum, licèt ea secundùm se, & absolutè sit dignior. Quòd si verò ex dispensatione obtineat aliquis duo Beneficia incompatibilia, tunc si illa sint æqualia, v. g. duæ Parochiæ æquè principaliter unitæ, & perpetuò: potest is pro arbitrio residere, in qua voluerit, *Garc. p.* 2. *c.* 2. *n.* 45. Si verò sint Beneficia non æqualia, v. g. Dignitas & Parochia, debet residere in Dignitate, quippe majore, & illam per se administrare, juxta *cit.* §. *Qui verò*; *Garc. c. l. Laym. cit. c.* 8. *n.* 8. Quòd si verò habeat quis Dignitatem vel Canonicatum Cathedralem, cui Parochia, non perpetuò, sed ad vitam tantùm ipsius, & æquè principaliter, non accessoriè, est unita: tunc debet residere in Ecclesia Parochiali, licèt non sit Beneficium dignius; quia cura animarum præcipuè spectanda est; juxta declarat. Cardin. Concil. apud *Garc. c. l. n.* 40. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 53. *n.* 83.

Notandum quartò. Qui Ecclesiam Parochialem obtinet, & in ea personaliter non residet; vel qui obtinet Dignitatem, vel Præbendam Canonicalem, cui annexa est Parochia, si in illa Vicarium idoneum, absque justa causa, non instituat, cum congrua & sufficiente portione, Parochiâ privatus existit, & quidem ipso jure, *Gl. hîc V. Privatum*; ita ut alteri conferri debeat, prout sumitur *ex cit.* §. *Qui verò*; & docet *Innocent. hîc nu.* 2. *Imol. nu.* 14. *Abb. in repet.* §. *Qui verò*; *n.* 18. qui ajunt, hanc pœnam privationis ad utrumque casum præcedentem referendum esse; quia Clausula in fine posita, regulariter, quamvis odiosa sit, refertur ad omnia præcedentia. Ratio est, quia cùm omne Beneficium detur propter officium, *c. ult. de rescript. in* 6. ideo si Clericus officium non præstet, sive id, ad quod obligatus est, non faciat, meritò Beneficio privatur, illúdque ab eo repeti potest condictione tanquam dati ob causam, causâ non secutâ, juxta *tit.* 3. *lib.* 12. *ff.* An autem hæc pœna privationis, absque omni monitione, & ante omnem sententiam Judicis etiam declaratoriam, incurratur, alibi dicetur.

Notandum quintò. Illud præterea prohibitum est *in cit.* §. *Qui verò in fine*; ne ex reditibus Ecclesiæ Parochialis pensio alteri, Beneficij loco, conferatur; quia id posset imposterùm esse perniciosum Ecclesiæ, nam Ecclesia videretur esse quasi censualis, & portio debita proprio Parocho diminueretur, *Gl. fin. hîc.* Hoc autem ex causa rationabili ab Ordinario fieri posse, infrà dicetur.

XL. Assertio 2. Non possunt Prælati Regulares vel Monasteria, reditus Capellarum ipsis incorporatarũ dividere, & minuere, ita ut per hoc portiones Capellanis aut Parochis ad necessariam sustentationem assignatæ minuantur, prout sumitur *ex c. Avaritiæ*; 10. *h.t.* Nam cùm quidam Canonici » Regulares & Monachi, qui Parochias quasdam Ec- » clesiis vel Monasteriis suis incorporatas habebant » (quoad temporalia) ex quibus certas pensiones si- » ve reditus annuatim percipiebant: sed ipsi Cano- » nici & Monachi portionem reddituum ex antiquo » tempore Clericis sive Rectoribus, vel Vicariis in » ijsdem Ecclesiis pro sustentatione assignatis, dimi- » nuebant, & Parochias dividebant. Quare Papa » Alexander III. ijsdem mandat, vel si quas portio- » nes, vel antiquos reditus Clericorum, sine con- » sensu Archiepiscopi vel Episcopi sui, diminuere » vel Parochias dividere præsumpserunt, omnia ad » pristinam integritatem revocent. Ratio est, quia » Prælatus Regularis, ut Capitulum, seu Monasterium non exemptum, non potest, absque Episcopi sui consensu, Ecclesiarum, quæ ipsis incorporatæ sunt, quoad temporalia, statum mutare, nec unam Parochiam in duas dividere, vel portiones aut reditus Rectoribus earum debitos auferre, vel minorare; quia hæc omnia ad Officium Episcopi spectant, *Abb. hîc nu.* 2. Consentit *Clement. un.* §. *Eadem quoque*; *de suppl. neglig. Præl.* Ubi id extenditur etiam ad Prælatos regulares exemptos, & statuitur, ut Episcopi non permittant; sed prohibeant (auctoritate Apostolicâ, si Prælati sint exempti) ne dicti Prælati Beneficia quæcunque, regularia aut sæcularia, quorum collatio ad eos spectat, suis Mensis applicent, aut novas pensiones ipsis imponant, aut veteres augeant, vel ita auctas accipiant.

XLI. Notandum hîc primò. Dupliciter possunt Parochiæ alicui Ecclesiæ Collegiatæ, vel Monasterio uniri, seu incorporari; vel ita, ut omnes reditus temporales percipiat Ecclesia Collegiata vel Monasterium, cui sunt incorporatæ Parochiæ, præter certas portiones, quæ Vicariis, aliísque Clericis ministrantibus in ijsdem Parochiis, pro necessaria sustentatione sunt assignatæ, ut notat *Gl. hîc V. Portiones*: Vel ita, ut è contrà Collegium Canonicorum regularium, vel Monasterium, certam partem reddituum percipiant: reliqui verò reditus omnes Parochis

vel Vicariis, & Capellanis in ijsdem Parochiis ministrantibus assignati sint, tanquam in Beneficia eorum: Et utroque casu locum habet hæc Constitutio, nempe quòd non possint Canonici Regulares, vel Monachi portiones seu reditus antiquos Capellanorum vel Vicariorum diminuere, vel Beneficia Parochialia dividere, *Gl. hîc V. Reditus.*

Notandum secundò. Potest tamen Episcopus, vel ipsi Canonici Regulares, cum consensu ejusdem, portiones seu reditus Capellanorum, & Vicariorum in Ecclesiis ipsis incorporatis, ex justa causa diminuere, vel Parochiam in duas dividere, *Gl. hîc V. Reditus*; ubi addit *Gl. Margin. lit. C.* quòd si Episcopus nolit consentire, possit Prælatus, cui incorporata est Parochia, ad Superiorem ejus, videlicet ad Metropolitanum vel Papam recurrere, ut eum cogat consentire, si justa causa exigat, ut talis diminutio vel divisio fiat.

» XLII. Assertio 3. Si Monachi Vicarios, in
» Ecclesiis Monasteriis suis incorporatis, Episcopo
» præsentent, ab eo instituendos, non debet Episco-
» pus illos recipere, nisi tanta eis, coram ipso, ex
» proventibus Ecclesiæ portio fuerit assignata, ut
» jura Episcopalia solvere, & congruam sustentatio-
» nem habere possint, & hospitalitatem exercere,
» prout Alexander III. rescripsit *in c. De Monachis*, 12. *h. t.* Idque procedit, quando Ecclesiæ Parochiales incorporatæ sunt Monasteriis, quoad temporalia tantùm, tunc enim omnes reditus ad Monasterium pertinent, præter honestam sustentationem debitam Parocho, vel Vicario in Ecclesia incorporata, ut colligitur *ex hoc c.* idque multò magis locum habet si Ecclesiæ incorporatæ sint Monasteriis, quoad spiritualia & temporalia, *Gl. hîc V. De proventibus.* An autem & quando in Ecclesiis Monasteriis incorporatis poni debeant Vicarij perpetui, vel temporales, infrà dicetur.

XLIII. Porrò notandum hîc primò. Parochi eorúmque Vicarij sufficientes reditus habere debent, ut præter sustentationem honestam, etiam hospitalitatem & charitatis officia exercere possint: major tamen portio ex reditibus Ecclesiæ pro sustentatione necessaria assignanda est proprio Rectori seu Parocho, cui cura principalis incumbit, & qui omnia onera Parochiæ sustinere debet, quàm Vicario: præsertim si sit Vicarius temporalis tantùm, non investitus, sed ad nutum amovibilis. Secus est, si sit Vicarius intitulatus, & actualem curam Parochiæ solus sustineat, curâ animarum penes Rectorem principalem solùm habitu remanente: tum enim secundùm onerum qualitatem, ei major etiam portio designari debet, juxta *Clement.* 1. §. *Sanè de Jure patronat.*

Notandum secundò. Si reditus Parochiales non sint sufficientes ad sustentationem congruam Parochi vel Vicarij, tum is, qui Parochiales decimas accipit, v. g. Abbas Monasterij, cui Parochia est incorporata, vel Nobilis loci, qui decimas in feudum accepit, ex ijs supplere debet, quod deest competenti portioni Parochi vel Vicarij, ut docet *Gutierez lib. 1. qq. pract. q.* 17. *n.* 12. Nam proventus Parochiales non possunt à Prælato Ecclesiastico, sive per unionem, sive per donationem, aut infeudationem aliter transferri, nisi ut Parocho salva maneat sua competens portio, & necessaria sustentatio; cùm reditus Parochiales à jure ipso principaliter deputati sint ad Ministrorũ sustentationem, sicut & ad Fabricæ Ecclesiæ conservationẽ, juxta *c. De his*; 4, *de Eccl. ædif.* Deinde si reditus Parochiales non sufficiant ad sustentationem necessariam, possunt etiam augeri per unionem alterius Beneficij, aut subtractis ex eo aliquibus fructibus, juxta *c.* 3. *De Eccl. ædif.* Vel deniq; si prioribus modis succurri non possit, ut Parochiani contribuant, quæ ad sustentationem Rectoris vel Parochi sunt necessaria, juxta Concil Trident. *Sess.* 24. *c.* 13. *de ref. Gutier. c. l. n.* 14. *&* 15.

XLIV. Notandum tertiò. Si dubitetur, an portio, quam Monasterium v. g. dare vult Parocho, vel Vicario in Ecclesia incorporata, sit sufficiens & congrua, ad Episcopum pertinet, id determinare, ut colligitur *ex hoc c. & Clem.* 1. *de Iure patron.* Debet autem in ejus assignatione considerari necessitas & honestas sustentationis, secundùm statum, & dignitatem personæ, ejúsque scientiam, nobilitatem, vires corporis, labores, qui sunt sustinendi, & alias circumstantias, ac denique etiam quantitas redituum Parochialium consideranda est, *Repuff. tract. de congrua portione nu.* 62. *Azor. p.* 2. *lib.* 6. *c.* 10. *q.* 8. Quòd si Prælati Monasteriorum, quibus Parochiæ sunt unitæ, congruam portionem, intra terminum ipsis ab Episcopo Diœcesano præfixum, Vicariis perpetuis, qui ab ipsis præsentantur, assignare neglexerint, ea potestas ad Episcopum loci devolvitur, qui Prælatos, etsi exemptos, per censuras Ecclesiasticas ad id compellet, *cit. Clem.* 1. *de Jur. patron.* ubi *Gl. magna in notat.* ait, hunc esse casum, in quo cessat privilegium exemptionis. Potest etiam Vicarius, vel alius Curatus, cui debetur congrua portio ex reditibus Beneficij, si ea non detur, Officium Judicis implorare contra Prælatos, vel alios, qui eam debent, *Barbos. in Collect. in cit. c. De Monachis n.* 6.

Notandum quarto. Reditus incerti, quos vocant pedem Altaris, non computantur in portionem congruam Curatis debitam, ut *ex Rebuff. cit. l. n.* 85. *&* 86. docet *Barbos. c. l. n.* 7. Quia venter non debet pendere ab incerto, cùm non patiatur dilationem; ut ait quidam Jurisconsultus apud eundem *c. l.* per reditus autem incertos intelliguntur oblationes, quæ sponte fiunt; item quæ dantur Stolæ nomine, sive pro administratione Sacramentorum, & pro funeralibus.

XLV. Cæterùm Constitutio *cit. c. de Monachis*; extenditur etiam ad Religiosos exemptos *in c. Suscepti*; 1. *h. t. in* 6. Ubi Papa Clemens III. sic rescribit: cùm per Sedem Apostolicam statutum fuerit, (*in* » *cit. c.* 12. *h. t.*) ut Diœcesani locorum nullum Cle- »
ricum præsentatum à Religiosis ad aliquam Eccle- »
siam Parochialem recipiant, nisi tantum ex redi- »
tibus ejusdem Ecclesiæ ei assignent, unde jura Epi- »
scopalia solvere (hospitalitatem observare, *Gl. hîc* »
V. Solvere) & congruam sustentationem habere »
possit. Verùm quia Religiosi quidam exempti, »
ad quos jus Patronatus, sive Præsentatio ad Eccle- »
sias Parochiales pertinet, tantos reditus annuos ex »
illis percipiunt, ut ex residuo Rectores ipsarum Ec- »
clesiarum commodè sustentari, & jura Episcopa- »
lia, aliáque onera præstare non possint, idcóque »
sæpe contingit, ut personæ idoneæ non reperian- »
tur, qui hujusmodi Ecclesias recipere velint, sic- »
que frequenter minùs idoneis personis eæ con- »
ferri debeant, cum animarum periculo: Papa re- »
médium

» medium afferre volens, statuit & mandat prædictam Constitutionem, tam ab exemptis, quàm non » exemptis Religiosis, aliisq; Ecclesiarum Parochialium Patronis inviolabiliter observari, non obstante contrariâ consuetudine.

XLVI. Ubi notandum primò. Episcopus Diœcesanus non debet aliquem præsentatum ad Parochiam instituere, imò nec recipere præsentationem, nisi priùs à patrono, si is reditus Parochiales percipiat, assignata fuerit congrua portio Clerico præsentato, ex qua sustentari possit, *Gl. Magna hîc in notat.* Quòd si Religiosi, etiam exempti, nolint congruam portionem assignare, ad id ab Episcopo loci compelli possunt: & sic est iste etiam unus casus, in quo exempti subjiciuntur Ordinariis, dummodò Ecclesia Parochialis & populus sint subjecti jurisdictioni Episcopi Ordinarij, *Gl. l. c.* Si enim Ecclesia plenissimo jure ad Religiosos exemptos spectet, ita, ut non tantùm quoad jura Parochialia, sed etiam Episcopalia sit exempta à jurisdictione Ordinarij loci, tunc non posset Episcopus Religiosos compellere ad assignandam portionem Clerico præsentato coram ipso, juxta Concil. Trident. *Sess. 24. De Regular. c. 11. Barb. in cit. c. 1. n. 2. h. t. in 6.*

Notandum secundò. Non potest ullâ consuetudine induci, ut ex reditibus Ecclesiæ Parochialis congrua portio Presbytero Curato non detur, talis enim consuetudo est Ecclesiis noxia, imò etiam Juri naturali & Divino contraria; cùm is, qui Altari servit, de Altari vivere debeat, ideóque illa non observanda, nec toleranda est, *Gl. fin. hîc.*

XLVII. Postremò hôc locô prædictis addendum est primò, quòd Episcopus aliúsq; Prælatus ex præbendis Beneficiorũ, quæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, vel ex ijs, quæ ad Ecclesiæ Fabricam relicta, non possit quippiam ad proprios usus convertere, sive ad suam Mensam derivare, prout » sumitur *ex c. Ratio*; 3. *h. t.* ubi dicitur: Nulla ratio » permittit, ut propriis cujusdam usibus applicetur, » quod pro communi utilitate datum est, id est, ut explicat *Gl. ibid. V. Applicetur*; ut sibi, quod est Ecclesiæ, appropriet, quod est desumptum *ex lib. 11. Registri S. Gregorij I.* Et hinc etiam Beneficiati non possunt de Præbendis suis, sive bonis Ecclesiasticis, ex quibus sustentationem necessariam accipiunt, pro arbitratu suo, disponere, eáque alienare, *Gl. hîc in casu*: quod tamen non obstat divisioni Præbendarum, quòminùs habeant distinctos ac proprios reditus, & sic exponendum est, quod dicitur *in c. Quæ ad perpetuam*; 3. *caus. 25. q. 1. & c. Nulli*; 27. *caus. 12. q. 1.* ut notat *Gl. hîc V. Applicetur.*

XLVIII. Addendum secundò, Appellatione fructuũ Præbendæ, qui spectant ad congruam sustentationem Clerici Beneficiati, non conti[illegible]tur distributiones quotidianæ, prout sumitur *ex c.* [illegible]*t*; 32. *h. t.* » Ubi decernitur, quòd quamvis Beneficiarius, qui » studiorum causâ in sacra Pagina (vel Theologia) ab» est, eique studet, fructus integros Beneficij sui per» cipere debeat, non tamen debent ei dari distribu» tiones quotidianæ, quippe quæ eis tantùm tribuen» dæ sunt, qui in Ecclesia residunt, & horis Canonicis » interfunt. Ratio est, quia fructus seu proventus Præbendæ sunt reditus certi, qui ad ipsũ Corpus Præbendæ spectant, & dantur residentibus, tametsi in Ecclesia quoditianum ministerium seu personale servitium, horis statis, non præstent. Distributiones verò quotidianæ sunt reditus incerti, qui ad Corpus Præbendæ non pertinent, & dividuntur, pro rata servitij, inter eos tantùm, qui Horis Canonicis interfunt, *Fagnan. in cit. c. Licet n. 5. & 17. h. t.*

XLIX. Ubi notandum. Si concessum sit Clerico, sive Jure Communi, sive per privilegium, ut fructus Beneficij, etiam absens, percipere possit, v. g. studiorum causâ, sub tali concessione non censentur comprehensæ distributiones quoditianæ: ratio est, quia privilegium hîc concessum, ut possit quis etiam absens fructus Præbendæ percipere, sed habeatur pro residente, non debet extendi ad quotidianas distributiones; quia hæ ad alium finem sunt institutæ, quàm fructus Præbendæ: dantur enim distributiones ad augendum Divinum cultum, ut Canonici tantò promptiùs & diligentiùs Horis Canonicis interfint, *Abb. hîc n. 3.* Ex quo infert, si privilegium, ex una parte, sit favorabile, latè explicari debere, cujusmodi est, ut absens integros fructus Præbendæ percipiat: si verò ex altera parte sit odiosum, strictè interpretandum esse, quatenus scilicet præjudicat Ecclesiæ, vel cultum Divinum minuit: quale est privilegium percipiendi distributiones quotidianas in absentia. Sed Decisioni hujus c. obstare videtur, quòd *in c. ult. de Magist.* generaliter sit concessũ, ut Clericus absens, Theologici studij causâ, per quinquennium possit integrè percipere fructus sui Beneficij: frustra ergo in casu hujus c. id ipsum Archidiacono Pontifex per speciale velut privilegium denuò concessit. Resp. cum *Abb. hîc n. 4.* id factum esse, vel quia tunc, cùm Archidiacono isti hoc concessum fuit, nondum emanavit dictum *c. fin.* Vel quia Canonici de facto nolebant Archidiacono tribuere proventus suos: vel denique, quia Diaconus impetravit hoc privilegium à Papa ad cautelam, plus enim solet timeri, aut observari, quod specialiter injungitur, quàm quod generaliter imperatur; *c. Si adversus*; 11. *de Hæretic.*

SECTIO II.

DE MODIS ACQVIRENDI Beneficia Ecclesiastica, & modo observando in eorum collatione.

§. I.

Quot & quibus modis acquirantur Beneficia, tum in genere, tum in specie?

L. Assertio 1. Generatim loquendo, duobus modis acquiruntur Beneficia, justè seu legitimè, & injustè seu illegitimè, ut tradit *Rebuff. in praxi Benef. tit. quod modis Beneficia acquirantur.* Justè acquiruntur per Canonicam Institutionem, nam juxta *reg. 1. jur. in 6.* Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica Institutione obtineri. Ubi nomen *Institutionis* latè accipitur, prout comprehendit quamlibet legitimam provisionem, seu modum, quo acquiritur Beneficium: sive sit Electio specialiter sumpta, cùm sequente confirmatione, sive Postulatio, cùm admissione Superioris: sive Institutio facta ad præcedentem præsentationem Patroni;

vel ad nominationem alterius, sive libera electio, ut notat *Rebuff. c. l. & Canis. in cit. reg.* Canonica verò institutio dicitur; quæ est facta secundùm Canones, & ab illis approbata, ut notat *Rebuff. in praxi tit.* Canonica institutio quæ dicatur. Ad quam requiritur, tam legitima potestas ex parte instituentis seu conferentis, quàm ex parte ejus, qui instituitur, sive cui confertur Beneficium decens habilitas, ac denique ut servetur solemnis forma institutionis à jure requisita, *Gl. in cit. reg. 1. V. Obtineri; Dynus ibid. n. 17. Rebuff. cit. loc. n. 5. & 7.* Injustè verò acquiruntur Beneficia, quando obtinentur sine Canonica institutione, vel quia non est servata debita forma institutionis seu provisionis, vel quia facta ab eo, qui potestatem non habuit instituendi vel providendi, vel quia facta est inhabili seu indigno, &c.

LII. Hinc infertur, illum injustè, & non canonicè obtinere Beneficium, qui jure consanguinitatis in illud successit, prout constat *ex c. Ut nullus; 1. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Pictavensi, » ubi decernitur, ut nullus, sive ex Clero, sive ex » populo, Ecclesiastica bona jure consanguinitatis » sibi vendicet, aut postulet habenda. Ratio est, quia cùm bona Ecclesiastica sint à fidelibus DEO oblata, pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, hinc sequitur, quòd Clerici jus Præbendæ seu Beneficij, non à defuncto Beneficiario per successionem (sive per ultimam voluntatem, sive ab intestato) sed ab Ecclesia seu Prælato ejus per Canonicam institutionem seu collationem habere debeant, *Abb. hic n. 3.* Unde neq; Clerico Beneficium dari potest ultra tempus vitæ suæ, cùm enim Officium seu Ministerium Ecclesiæ per mortem cesset, propter quod datur Beneficium, consequenter etiam hoc cum vita Beneficiarij cessat, neque ad hæredes ejus transit. Et hinc etiam, remoto Beneficiario, ob delictum, vel aliam causam, Præbenda ad Ecclesiam devolvitur, *c. Relatum, 12. de testam.*

LII. Cæterùm non solùm Jure Canonico prohibita est successio in Beneficiis Ecclesiasticis, sive ab intestato jure consanguinitatis, sive ex Testamento, sed etiam omne id, quod vel speciem ac similitudinem talis successionis præsefert, Quare pactum de succedendo alteri in Ecclesiastico Beneficio post mortem ejus, reprobatur, *c. 2. de Conces. præb.* quia pactum de futura successione, etiam jure Civili, non valet, *l. ult. C de pact. Gl. in cit. c. 2. V. Condemnare;* Similiter irritum est pactum, si quis in Ecclesia instituatur, eâ conditione, ut post mortem ejus, alius certus succedat, v. g. consanguineus ipsius, *c. Accepimus; 5. de pact.* Unde neque filius, etsi legitimè natus, in eodem Beneficio patri immediatè succedere, sive substitui potest, *c. Veniens; 5. & c. seq. de fil. Presbyt.* Item non potest, vivente Prælato, vel alio Beneficiario, de successore eligendo tractatus institui, etiamsi paulò post moriturus sit, *c. Bonæ; 36. de Elect. & c. Nullus; 7. dis. 79.* neque etiam Episcopo, vel simili Prælato Coadjutor dari potest, cum potestate succedendi, *c. Petitisti; 17. caus. 7. q. 1.* & tradit Concil. Trid. *Sess. 25. c. 7. de reform.* exceptâ plenitudine potestatis Papalis, per quam id fieri potest; quia nimirum, secundùm Canones Ecclesiæ & Beneficia Ecclesiastica, non per successionem veluti hæreditariam, sed per Canonicam electionem aut institutionem obtineri debent, & quidem non antequam illa vacent: ideóque & promissiones de Beneficio nondum vacante prohibitæ sunt, *c. Relatum; 3. de Conces. præb.* Neque obstat, quòd jus Patronatûs sit jus Ecclesiasticum, & tamen in eo locum habet successio jure consanguinitatis, cùm transeat, unâ cum bonis hæreditariis, ad hæredes & proximos agnatos. Nam hoc jus non est merè & intrinsecè spirituale, sed solùm spirituali annexum, & ex sola gratia Laicis conceditur, ut excitentur ad fundandas & dotandas Ecclesias, juxta *c. 3. De jure Patron. Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t.*

LIII. Assertio 2. Tribus potissimùm modis in specie acquiruntur Beneficia Ecclesiastica, videlicet electione, ad quam reduci potest postulatio: præsentatione, & collatione: de electione dictum est suprà *lib. 1. tit. 6.* de præsentatione agetur infrà *tit. 38.* de collatione verò agitur præcipuè *in hoc tit.* quæ est assignatio seu concessio Beneficij vacantis, facta ab habente potestatem, v. g. ab Ordinario. Eáque dividitur in voluntariam seu liberam, quæ liberè fieri solet, unde ea donatio vocatur *in c. fin. de Offic. Vicar. in 6.* & in necessariam seu obligatoriam, quam Collator facere tenetur, quæ propriè institutio dicitur, & fit præcedente præsentatione vel nominatione, ex quadam necessitate, si præsentatus vel nominatus idoneus sit: nam quòd collatio strictè accepta differat ab institutione habetur *in c. Cum in illis; 16. §. Cum autem; h. t. in 6. Rebuff. in praxi Tit. de Collatione nu. 1. & 2. Garc. tract. de Benef. p. 4. c. 1. num. 3. & 2. seqq.*

§. II.

An, & quale Ius per Collationem alicui factam acquiratur in Beneficio, sive post, sive etiam ante acceptationem illius?

LIV. De hoc agitur *in c. Si tibi; 17. h. t. in 6.* Ubi Papa Bonifacius VIII. ita rescribit: si Episcopus tuus tibi absenti (& ignoranti) Beneficium » conferat, licèt per talem collationem, (donec illam ratam habueris seu acceptaveris) jus in Beneficio non acquiras, ita, ut tuum dici possit: ipse » tamen Episcopus, vel quicunque alius Collator » idem Beneficium alteri conferre non potest, nisi » tu acceptare recusaveris: adeo ut si alteri conferatur, aut alius in eo instituatur, collatio, quippe » facta de Beneficio non libero, sit irrita. Sed si Episcopus collationem Beneficij tibi factam notificet, » & competentem tempori terminum præfigat, intra quem consensum seu voluntatem acceptandi » Beneficium, vel non, declarare debeas: eo elapso, » si non consenseris, seu acceptâris, Episcopus Beneficium, cui ipse judicaverit expedire, liberè conferre poterit. Cæterùm priùsquàm illud actu contulerit, potes tu etiam, post elapsum terminum, » consensum præstare, seu acceptare Beneficium tibi » collatum, ita, ut ex eo tempore, postquàm acceptâsti Beneficium, Episcopus illud alteri conferre » amplius nequeat. »

LV. Pro declaratione hujus *c.* Notandum primò. Beneficiarius, cùm primùm Beneficium sibi collatum, vel in quo est instituturus, acceptavit, etiam

ante

ante possessionis apprehensionem, acquirit jus in re & quasi dominium illius, ita, ut illud vendicare ac petere possit à possessore aut detentore, & pro ejus juribus agere, prout sumitur *ex hoc c. & ibid. tradit Franc. n. 3. Garc. cit. p. 4. c. 2. n. 1.* Licèt enim in alijs rebus, solus consensus non sufficiat, ad acquirendum dominium earum, sed insuper requiratur traditio & apprehensio rei, *l. Traditionibus*; 20. *C. de pact.* tamen in provisionibus Beneficiorum, per solam collationem & subsequentem acceptationem (quæ etiam inter absentes fieri potest) seu per consensum expressum voluntatis, acquiritur jus in re, & quasi dominium Beneficij, ante ejus apprehensionem, nam facilius in istis juribus spiritualibus acquiritur jus in re, quàm in rebus corporalibus, ut tradit *Anchar. in hoc c. not. 1. Laym. l. 3. tract. 1. c. 5. nu. 8.* Dicitur autem per collationem & acceptationem Beneficij acquiri quasi dominium Beneficij; quia Beneficiarius propriè non est Dominus Beneficij, nam in spiritualibus rebus non datur propriè dominium, sed quasi dominium, sicut nec propriè possessio, sed quasi, ut alibi dictum: & quia hoc ipsum jus, seu quasi dominium Tituli, ultra vitam, ipsi Beneficiario non est concessum, ideo non est jus proprietatis, quod ad successores transmittitur. Et hinc is, qui habet jus in re, & Canonicum Titulum Beneficij, potest, propriâ auctoritate, vacantem ejusdem possessionem apprehendere, sine alio Superioris vel Judicis decreto; quia non tam suâ, quàm conferentis auctoritate hoc facit; ut ex veriore & communiore sententia docet *Rebuff. in praxi tit. de Missione in possess. n. 5. Covarr. l. 3. resol. c. 16. n. 7. Garc. cit. c. 2. n. 6.* licèt contrarium teneat *Dyn. in reg 1. in 6. n. 26.* & alij apud *Garc. c. l.* Non obstant textus *in c. Ad aures*; 3. *de excess. Præl. c. 3. de instit. c. Quia*; 5. *de concess. præb.* Quia illi loquuntur de his, qui sine prævia institutione seu collatione, adeóque sine justo & Canonico titulo, & propriâ auctoritate, possessionem Beneficij apprehendunt, *Garc. c. l. n. 8.* requiritur tamen, ut possessio sit vacans, ita, ut alius non sit in possessione Beneficij, quia neque violentum aut injustum possessorem, propriâ auctoritate, sine sententia Judicis, possessione suâ spoliare licet, *Rebuff. c. l. n. 3. Covarr. c. l. Garc. c. l. n. 7.* Deinde id non procedit, si is, qui contulit Beneficium, non habeat potestatem tradendi corporalem possessionem; eò quòd investitura ad alium, sive ex consuetudine, sive secundùm Canonicas Sanctiones, spectet, tunc enim non potest possessionem apprehendere is, cui Beneficium collatum est, sine consensu ejus, ad quem investitura spectat, *Covarr. c. l.*

Notandum secundò. Quamvis, si Beneficium Ecclesiasticum ab Episcopo, vel alio collatore absenti & ignoranti collatum sit, non acquiratur jus in Beneficio, reale scilicet, ut suum dici valeat, donec illud acceptet, non tamen potest Episcopus, ante consensum vel dissensum provisi, illud alteri conferre, *cit. c. Si tibi.* Ratio est, quia per solam collationem, quamvis absenti factam, & nondum ab illo acceptatam, acquisitum est ei jus ad Beneficium, non quidem jus in re, sed ad rem, sive obligatio & actio personalis, ideóque non est ampliùs liberum tale Beneficium, sive libera ejus collatio, ut colligitur *ex cit. c. Si tibi ibi: Ordinatio facta, de Beneficio non libero*: quia collatione factâ, Collator functus est officio suo, *Vivian. in Rat. hic.* Non obstat, quòd collatio Beneficij censeatur esse donatio, *c. Consultationibus*; 4. *de donat.* At donatio per expressum consensum donatoris facta obligationem, vel vim aliquam non sortitur, sed revocari potest, donec donatarius sciens eam acceptaverit, *l. 2. §. Sed si quis*; & *l. Absenti*; 10. *ff. de donat. l. Qui absenti*; 38. *ff. de acquir. possess.* Nam hoc non procedit in Beneficiis Ecclesiasticis, dispensationibus, & similibus gratiis, quæ non ex mera liberalitate, sicut donatio, sed ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio, adeóque ex quadam necessitate fiunt, hæ enim semel concessæ, per declaratam voluntatem ejus, ad quem talis potestas concedendi pertinet, non possunt ab illo revocari, sed expectari debet, an is, cui concessio facta est, consentire velit, *Laym. l. 3. tract. 4. c. 1. n. 6. Barb. in cit. c. Si tibi*; *n. 2.* Ratio est, quia licèt collatio Beneficij Ecclesiastici, respectu Beneficiatij, censeatur esse donatio; quia cedit in ejus commodum & lucrum: non est tamen propriè donatio, ex parte conferentis Beneficium, cùm collatio Beneficiorum vacantium, non ex mera liberalitate fiat; sed ex obligatione officij, non enim illa sibi retinere potest, sicut donator, quæ donat; ideóque hic meritò, ante acceptationem donatarij, revocare potest donationem, uti & posteà ex causa ingratitudinis, *c. ult. de donat.* non item Collator Beneficiorum, *Barb. c. l.* Porrò Collator, postquàm Beneficium contulit, v. g. Titio, non potest illud alteri conferre, ne quidem sub conditione, si Titius illud non acceptaverit, *arg. c. 2. de elect. in 6. & reg. jur. 50. in 6.* ubi habetur, quòd actus legitimi conditionem non recipiunt, *Gl. in cit. c. Si tibi V. Personam*; *h. t.* Sicut neque Beneficium non vacans conferri potest sub conditione, si vacabit.

LVI. Notandum tertiò. Si is, cui collatum est Beneficium, intra terminum ipsi præfixum, non declaret voluntatem suam, poterit illud, eo elapso, alteri conferri; quia eo ipso, quòd intra illum terminum non consentiat, censetur dissentire, & collationi sibi factæ renunciare, *Gl. hic V. eo elapso*: potest tamen etiam post elapsum terminum, consensum præstare, ita, ut, ex eo tempore Beneficium alteri conferri non possit; quia quando actus pendet ex alterius voluntate, & lex non assignat certum tempus ad declarandum consensum, vel dissensum (sicuti electo à Jure præfixus est Mensis, sive xxx. dies ad electionem ipsi intimatam acceptandam, vel recusandam, *c. Quàm sit 36 de elect. in 6.* Ita, ut consentire posteà ampliùs non possit) tunc terminus ab homine præfigi potest, ita tamen, ut si res adhuc sit integra, etiam post terminum elapsum, is, cui collatio facta est, adhuc consentire, & Beneficium, vel simile gratiam acceptare possit, ut tradit *Gl. in cit. c. Si tibi V. Terminum*; & *Franc. n. 6. Gl. in Clem. unic. V. Intra mensem de Conces. præb.* quia non prohibetur quis mutare consilium, quando alteri non fit præjudicium, juxta *reg. jur. 33. & ibi Gl. V. Mutare*; *in 6.*

Notandum quartò. Potest Beneficium acceptari, non tantùm ab eo, cui collatum est, sed etiam ab alio, ejus nomine, videlicet Procuratore, aut nuncio à se ad id destinato, modò is speciale mandatum habeat ad acceptandum Beneficium saltem in genere, & indeterminatè, videlicet, cùm aliquod vacaverit, vel se occasio obtulerit; quia acceptatio seu consensus est actus personalis, licèt speciatim aliquod Beneficium

in eo

in eo nominatum non fuerit, *Gl. in cit. c. Si tibi V. habueris; & ibid. Franc. nu. 8. Covarr. lib. 3. resol. c. 16. n. 4. Barb. hîc. n. 11.* Quòd si Beneficium absenti & ignoranti collatum sit, & ab alio, qui speciale mandatum non habuit, v. g. Procuratore generali, negotiorum gestore, vel amico, ejus nomine, acceptatum fuerit, censetur ei, cui collatum est, à tempore acceptationis acquisitum esse: modò ille, intra tempus ad acceptandum præfixum, id ratum habeat: quia etiam in his, quæ speciale mandatum exigunt, ratihabitio locum habet, *c. ult. de jurejur. in 6. Covarr. c. l. nu. 5.* cùm aliud hîc non desit, quàm consensus partis, qui per ratihabitionem suppleri potest, *Laym. in c. Nonnulli; 28. §. sunt & alij. n. 5. de Rescript.*

LVII. Notandum quintò. Quod dictum est per collationem Beneficij alicui factam, non acquiri jus in re, sive quasi dominium, donec illam acceptaverit, vel ratam habuerit, id extenditur primò, quòd idem dicendũ sit de quâcunq; donatione, juxta *l. Absenti; 10. ff. de donat.* Secundò, extenditur etiã ad quãcunq; gratiam seu beneficium, aut privilegiũ Principis, ita, ut non sortiatur suum effectum, neque prosit absenti & ignoranti, donec sciverit & acceptaverit. Idque probatur *ex c. 1. §. ex parte juncto; §. fin. de Conces. præb.* ubi dicitur, quòd privilegium vim suam habeat à tempore scientiæ ejus, cui datum est, & *ex l. Qui absenti; 38. ff. de acq. possess. & ex Auth. quib. modis natural. effic. legit. §. generaliter autem collat. 7.* & docet *Sanch. lib. 3. de matrim. dis. 36. nu. 2. & seqq.* & alij apud ipsum. Ratio est, quia alioquin invito Beneficium daretur, contra *Regulam Juris 69. in ff.* Veruntamen intelligenda est hæc doctrina de privilegio dato per rescriptum particulare, non autem de privilegio concesso per Legem vel statutum generale, tunc enim cùm primùm promulgatur, vim suam accipere censetur, ad instar aliarum legum, ut tradit *Bart. in l. Omnes populi; 9. nu. 37. & 38. ff. de Iustit. & jure*, & alij apud *Sanch. c. l. n. 3.* Aliud est de pœna lege decreta, ad quam incurendam requiritur notitia legis, cujus probabilis ignoratia, sicut excusat à culpa, ita, & à pœna: rem enim, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit, *Sanch. c. l. n. 3. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 20. num. 1.* Tertiò, extendi debet, ut locum habeat etiam in jurisdictione delegata, cujus exercitium nullam vim habere potest, nisi Judex sciverit & consenserit in jurisdictionem sibi demandatam, ut tradit *Bart. in l. Barbarius; 3. in relect. 2. n. 18. ff. de Offic. Præt. & Sanch. l. 2. de Matrim. dis. 36. n. 3.* ubi ex Felino ait: non valere processum, si Judex erret in fundamento jurisdictionis; quia licèt verè eam habeat, ignorat tamen veram habere, *arg. l. Hoc autem; 5. §. Non defendi; ibi: constare Prætori, ff. Ex quib. caus. in poss. eatur.* Quartò, extenditur, quòd etiam licentia ab Ordinario Pastore seu Parocho concessa alteri Sacerdoti assistendi matrimonio, validè exerceri non possit, quamdiu ignorat eam sibi concessam esse; quia hæc licentia est quoddam privilegium, imò & exercitium quasi jurisdictionis: at neque usus privilegij, neque exercitium jurisdictionis valet, donec concessio innotescat ei, cui facta est, *Sanch. c. l. n. 8.*

Notandum sextò. Quòd dictum est Beneficium alicui collatum ei, non acquiri, pleno jure, nisi post acceptationem ejusdem: neque privilegium, vel gratiam, vel licentiam alicui datam ei prodesse, priusquàm sciverit, & acceptaverit: id procedit, si quis, proprio motu Beneficium alicui conferat, vel privilegium, aut licentiam tribuat: secus si ad instantiam seu præcedentem petitionem impetrantis, tunc enim vim habet & effectum, quàmprimùm à Superiore, sive eo, à quo petitur beneficium, vel alia gratia, concessa est, ut ex infrà dicendis patebit.

§. III.

Ad quid teneatur, qui scienter contulit Præbendam alicui ignoranti, quam conferre non poterat?

LVIII. Ad hanc quæstionem Respondetur, si Collator alicui ignoranti, & bonam fidem habenti Beneficium conferat, quod scit, se conferre non posse, tenetur, eo evicto, cùmprimùm potest, aliud Beneficium vacans, vel proximè vacaturum, postquam vacaverit, eidem validè conferre, ita, ut si illud ei non conferat, sed alteri, collatio sit irrita, prout statutum habetur *in c. Inter cætera; 17. h.t.* Nam cùm » duo Canonici H. & G. suas Præbendas permutare » vellent, eas in manus Papæ resignârunt, permutationis causâ. Verùm Episcopus Cardunensis Præ- » bendam, quæ erat Canonici G. contulit Magistro » P. eúmque in illa investivit, quæ tamen juxta for- » mam permutationis, & mandatum S. Pontificis » Canonico H. assignari debuisset, cum quo Cano- » nicus G. suam Præbendã permutaverat, approbante » Papâ. Quare ortâ inter hos duos Canonicos con- » troversiâ, Papa Cœlestinus III. quæ acta fuerunt, » retractavit, & utrique Canonico restituit suum Be- » neficium. Posteà verò Successor ejus Innocentius » III. mandavit dicto Episcopo Cardunensi, ut ipse » deinceps nulli alij Præbendam in illa Ecclesia va- » cantem, vel vacaturam assignare præsumat, donec » M. P. Beneficium præbendale in eadem Ecclesia sit » consecutus, adeò ut irrita sit collatio alteri facta; » decet enim, ut quia Episcopus Præbendam alicui » assignavit, quam de jure non potuit, eam, quam de » jure potest, assignet: ne alioquin Præbendam ei » priùs fraudulenter videatur assignâsse, eúmque de- » ludere voluisse. Similis Constitutio extat *in c. Præsentium; 3. caus. 7. q. 1.* ubi *Gl. V. in alia ait*: Si concedo alicui Ecclesiam (vel Præbendam) quæ ab eo evincitur, teneor ei aliam concedere; quia adjuvari nos beneficio, non decipi oportet, *l. in Commodato; 17. §. Sicut in fine ff. Commodati.*

LIX. Ratio autem, cur post resignationem Præbendarum à duobus Canonicis factam, in manus Papæ, *in casu hujus c.* permutationis causâ, non potuerit tertio una ex Præbendis permutatis conferri ab Episcopo, est; quia collatio Beneficij permutati alteri facta, præter permutantes, non valet, juxta *c. unic. de rer. permut. in 6.* Nam permutantes non absolutè resignant: sed sub certo modo, nempe ut Beneficia resignata permutantibus conferantur. Quare in odium Collatoris, qui alicui Beneficium contulit, quod scivit se conferre non posse, & ut subveniatur Clerico in collatione decepto, statutum est, ut aliud

Bene-

Beneficium, quod potest, eidem conferatur, ne Collator illi fraudulenter assignâsse censeatur, qui est casus *hujus c.* Si verò Episcopus, vel alius Collator ignoravit, se non posse conferre tale Beneficium, sed bonâ fide contulit, tum non debet ei, cui contulit, providere de alio Beneficio; quia tunc cessat fraus, in qua fundatur decisio *hujus c.* si denique non solùm Collator, sed etiam is, cui facta est collatio, scivit, Episcopum non posse conferre tale Beneficium, tum non potest aliud petere ab Episcopo, vel alio Collatore, *Gl. fin. hic*, sed dolus cum dolo compensatur, nec ille tunc fuit deceptus ab alio, sed potiùs à seipso: nisi tamen Episcopus tenebatur ei conferre Beneficium, ratione Ordinis collati, tum enim debet ei providere de alio, etiamsi sciverit Episcopum primum conferre non potuisse, *Abb. hic n. 9.*

Objicit *Gl. hic V. Assignavit*; donator non tenetur de evictione, si rem donatam statim tradidit, & non tantùm promisit, *l. Adres*; 62. *juncl. Gl. ff. De ædil. edict.* ne liberalitatis suæ pœnam patiatur: atqui collatio Beneficij æquipollet donationi factæ, non per nudam promissionem, sed subsecutam traditionem, cùm provisus jus in re, & quasi dominium per eam acquirat, ergo Collator non tenetur de evictione. Resp. cum *Gl. fin. cit.* collationem Beneficij non esse propriè donationem, cùm collator ad eam faciendam obligatus sit, saltem indeterminatè, etsi non teneatur conferre certæ personæ, ut tradit etiam *Gl. fin. in c. Relatum*; 9. *h. t.* præterquàm, quòd etiam liberalis donator de dolo, quem commisit, si sciens rem alienam donavit, obligatus sit donatario, ut tradit *Gl. in cit. l. Adres*; *V. De dolo*; *ff. de ædilit. edicto, arg. l.* 1. *C. de jure dotium.*

§. IV.

Quomodo Beneficia conferri debeant, & an etiam possint sub conditione, vel modo?

LX. Assertio 1. Beneficia Ecclesiastica inprimis conferri debent gratis, hoc est, nullo interveniente pretio, præmio, seu mercede, vel aliquo, quod sit pretio æstimabile, *c. Si quis*; 3. *c. Si quis objecerit*; 7. *& c. Salvator*; 8. §. *Igitur*; *& ibi Gl. V. Ecclesiasticam*; *c.* 1: *q.* 3. alioquin committitur Simonia, & collatio est nulla, de quo *inf. lib.* 5. *tit.* 3. *Azor p.* 2. *lib.* 6. *c.* 26. *q.* 2. *Garc. de Benefic. p.* 8. *c.* 1. *n.* 1. *&* 3. Secundò. Beneficia conferenda sunt liberè, hoc est, non per metum, nec per vim, *c.* 2. *&* 3. *de his, quæ vi &c.* nam collatio Beneficij est veluti liberalis quædam donatio, quæ coactionem excludit, *Azor c. l. q.* 2. Tertiò. Collatio Beneficij non debet esse sub: aut obreptitia, alioquin non tenet, *c. Cùm adeò*; 17. *de Rescript.* quia subreptitio tollit liberum consensum, ac proinde vitiat concessionem gratiæ. Id tamen solùm procedit, si à Papa, vel ejus Legato fiat collatio Beneficij, vel alterius gratiæ: nam collatio Ordinarij, qui non personis, uti Pontifex & Legatus ejus, sed motu proprio, & Ecclesijs providere censetur, non potest de subreptione impugnari, *Clem.* 2. *de Offic. Ordinar.* quia cum Ordinarij existant in loco, & paucioribus sint occupati, præsumuntur bene informati de qualitatibus Beneficiorum & provisorum, *Abb. in c. Cùm Nostris*; 6. *n.* 19. *de concess. Præb. Garc. cit. p.* 8. *c.* 3. *n.* 3. Quartò. Provisio Beneficiorum debet fieri palam, coram aliis, & non clandestinè ac secretè, nam actus clandestini sunt suspecti, propter periculum fraudis, *Gl. in c. Consuluit*; 24. *V. Odit lucem*; *de Offic. deleg.* & colligitur ex *c. unic.* §. *Porrò*; *Ut Ecclesiast. Benef. sine dimin. confer.* ubi dicitur, quòd donatio seu collatio Clerico facta fuerit occulta, ideò suspicione non careat: non tamen propterea, quòd occultè facta sit collatio Beneficij, vel de nocte, est irrita, sed valet, *Gl. ibid. V. Occulta*; cùm nullum Jus extet statuens, quòd collatio Beneficij debeat publicari: in quo differt ab electione ad Cathedrales Ecclesias, vel Regulares Conventuales, quæ si clandestina sit, & non publicata fuerit, non valet, *c. Quia propter*; 42. *de elect. Azor cit. c.* 26. *q.* 2. *&* 4. *Garc. cit. p.* 8. *c.* 4. *n.* 3. *&* 4. Veruntamen ad fidem faciendam de collatione Beneficij, requiruntur duo testes, vel Instrumentum, quibus probetur collatio, *Garc. c. l. n.* 10. Quintò. Beneficium, quod confertur, debet esse vacans, nam antequam vacet, alteri conferri non potest, *c.* 1. *de concess. Præb. de quo ibid. Azor c. l. q.* 2. Sextò. Beneficia conferri debent, sine diminutione, *c. un. infr. Ut Beneficia sine dimin. &c.* de quo ibi. Septimò. Beneficia conferri debent in perpetuum, hoc est, ad vitam ejus, cui conferuntur, non ad certum & determinatum tempus, *Azor c. l. q* 2. quia Beneficium est jus perpetuum ad percipiendos fructus, ut ex suprà dictis patet. Et quamvis aliqua Beneficia sint manualia, quæ videntur ad tempus solùm conferri, eò quòd ad nutum conferentium auferri possunt: non tamen conferuntur ad certum, sed incertum, & indeterminatum tempus, quod quodammodò pro perpetuo habetur, si quidem aliquando Beneficium etiam ad nutum revocabile, Beneficiarius, dum vivit, habere permittitur, *Azor c. l. q.* 7.

LXI. Octavò. Collatio Beneficij non debet fieri alternativè sive disjunctivè, v. g. confero Beneficium Petro vel Paulo, *arg. c.* 2. *juncl. Gl. V. Incerta*; *de elect. in* 6. quia sic voluntas conferentis redditur incerta & dubia, ex cujus tamen voluntate collatio vim habet, *Azor c. l. q.* 6. sed neque unum idémque Beneficium vacans simul & conjunctim duobus conferri potest, v. g. Titio & Cajo, vel ad illud duo simul eligi possunt, juxta *c. Tuæ*; 20. *h. t.* ubi Innocentius III. rescribit: Cùm sæpe contingat, ut duo Clerici ad unam Præbendam, propter importunitatem petentium, eligantur (sive duobus una Præbenda conferatur) idcirco considerans Papa, quòd si duo unam Præbendam simul obtineant, id esset contra Concilium Turonense (*in c. Majoribus*; 8. *h. t.*) quod Præbendarum sectionem seu divisionem prohibet: si verò unus solus ex electis vel receptis Præbendam obtineat, alter verò sub expectatione ejusdé Præbendæ (si fortè posteà iterum vacaverit) exsistat: hoc verò adversetur Concilio Lateranensi (sub Alexandro III. *in c.* 2. *de conces. Præb.*) ideò Papa decernit talem electionem vel receptionem duorum ad unam Præbendam, secundùm juris rigorem (id est, secundùm ordinem juris, ut explicat *Abb. hic in fine*) esse cassandam. Ex quo patet, quòd duobus modis, potest simul duobus conferri una eadémque Præbenda, vel ita, ut uterque percipiat certam portionem fructuum, & unus v. g. dimidiam, alter verò alteram dimidiam partem ejusdem Præbendæ ei annexæ percipiat, & tunc unum idémque Beneficium divideretur in duo, ita ut ex uno fierent duo nova ac distincta Beneficia, quod Jure Canonico regulariter

lariter est prohibitum, *Abb. hîc n.* 1. Vel ita conferretur unum idémque Beneficium vel Præbenda, ut unus ex receptis solus habeat jus in Beneficio, & actu obtineat Præbendam, percipiendo omnes fructus; alter verò solùm sit sub exspectatione obtinendi illam Præbendam, si aliquando vacaverit per mortem, vel resignationem moderni possessoris: & hoc etiam est prohibitum, cùm gratiæ expectativæ ad vacatura Beneficia sint jam sublatæ in *c.* 2. *de conceſſ. Præb.* Idem habetur in *c. Dilecto* 3 25. *h. t.* de quo infrà plura.

LXII. Nonò. Denique si Beneficium conferatur, sine scriptura, valida est collatio, quamvis ea sit necessaria ad probationem, ut de collatione facta, si de ea dubium oriatur, in judicio constare possit, *Azor cit.* 26. *q.* 5. Porrò Constitutio Extravagans 1. *Quæ incipit Injunctæ de elect. inter communes*, in qua ad obtinendum Beneficium, ejúsque possessionem requiritur, ut quis Litteras Apostolicas impetret collationem continentes, alioquin collatio irrita est, habet locum tantùm in collatione Beneficiorum facta à Romano Pontifice, vel ab ejus Legato, non autem ab Ordinarijs locorum inferioribus, de quorum collatione faciliùs constare potest, *Azor c. l. q.* 5. *Zæsius in Comment. ad hunc tit. n.* 53.

LXIII. Assertio secunda. Non potest Beneficium conferri sub conditione propriè dicta, quæ in futurum actum, cui adjicitur, suspendit & conditionalem efficit, v. g. confero tibi Beneficium, si intra annum Sacerdos factus fueris, irrita est enim talis collatio ipso jure, prout sumitur ex *c.* 2. ubi id statutum est de electione & postulatione: idem tamen habere locum in collatione seu alia provisione Beneficii tradit *Gl. Communiter recepta; ibid. V. Incerta; & Franc. n.* 4. Ratio est, quia electiones & collationes Beneficiorum numerantur inter eos actus legitimos, qui secundùm legis præscriptum fieri debent absolutè ac simpliciter, ita ut nec conditionem, nec diem recipiant, juxta *Reg. Juris*; 50. *in* 6.

LXIV. Sed neque collatio Beneficii facta sub conditione de præsente, vel de præterito omninò extrinseca & impertinente ad Beneficium, valet, ut si quis dicat, confero tibi Beneficium, si pater tuus vivit, si nobilis es, si pater tuus tributum solvit Ecclesiæ &c. Quia collatio absolutum & determinatum consensum conferentis requirit. Et licèt talis conditio non suspendat actum, habet tamen adjunctam incertitudinem, ideóque rejicitur. Idémque multò magis obtinet in electione, quòd si fiat sub tali conditione, sit irrita, *cit. c.* 2. *De elect. in* 6. *& ibid. Jo. Monach. n.* 5. *&* 6. *& Franc. n.* 5. Excipe, nisi talis sit conditio adjecta, quæ suâptè naturâ, sive ipso jure tacitè ineſt, tunc enim valet collatio sub tali conditione facta: v. g. confero tibi Beneficium, si vacet, si es idoneus, *Gl. in cit. c.* 2. *V. Incerta*; *Franc. ibid. n.* 5. *Azor cit. c.* 26. *q.* 3. *Garc. cit. p.* 8. *c.* 2. *n.* 4. Ratio est, quia per talem conditionem, quæ de jure tacitè ineſt, nihil additur, vel demitur ipsi actui, cui adjicitur, sed quod implicitè continetur explicatur, *Jo. Monach. in cit. c.* 2. *n.* 8. quare collatio Beneficij facta sub conditione, si jam vacat, valet, licèt ipse conferens ignoret, illud vacare, modò reipsâ vacet, sive per mortem, sive alio quovis modo, illa enim conditio, non est vera conditio, cùm collationem non suspendat, sed absolutam relinquat, quamvis executio fieri non possit, nisi de vacatione constet, *Franc. in cit. c.* 2. *n.* 4. *Covarr. l.* 3. *resol. c.* 16. *n.* 2. Idémque ob paritatem rationis dicendum est de electione, quòd & illa valeat sub conditione, quæ est de præterito vel præsente, & ipso jure ineſt, v. g. eligo Titium, si Dignitas vel Beneficium vacet, si est legitimè natus, si vivit &c. *Garc. cit. c.* 2. *n.* 5. Licèt *Gl. in cit. c.* 2. *& ibid. Franc. n.* 5. *& Covarr. c. l.* contrarium teneant: quibus hoc saltem dandum est, quòd in electionibus, & ferè etiam collationibus Beneficiorum, non satis convenienter talis conditio apponatur, quæ incertitudinem rei in se continet, eò quòd per eam indicetur, debitam causæ cognitionem non præcessisse.

LXV. Assertio tertia. Collatio Beneficij facta quoque sub modo, qui de jure ineſt, valida est, v. g. confero tibi non Sacerdoti Parochiam, ita tamen, ut obligatus sis, intra annum, Sacerdotium suscipere, vel ut curatum priùs obtentum mox dimittas, *Azor c. l. q.* 3. *Garc. c. l. n.* 12. Ratio est, quia talis conditio de jure requiritur, & tacitè ineſt, adeóque subintelligitur, etiamsi non exprimatur, *c. Licèt*; 14. *de elect. in* 6. *c. De multa*; 28. *h. t.* non tamen valeret talis collatio, si modus non exprimeretur, prout ineſt de jure, sed suspensivè & conditionaliter, v. g. confero tibi Beneficium, si intra annum Sacerdos factus fueris, *Garc. cit. l.* idque in rigore juris verum est: possunt tamen in collatione facta hujusmodi verbis, quæ quoad externam speciem videntur conditionem propriè dictam vel suspensivam significare, benignius explicari, ita ut non strictè dictam conditionem contineant, sed modum, quia verba cujuslibet dispositionis in dubio sic intelligi debent, ut actus valeat potiùs, quàm pereat, *c. Abbate*; 25. *de V. S.* Similiter si pactum adjectum sit collationi Beneficij, aut resignationi, continens id præcisè quod jure communi requiritur, & tacitè ineſt, illud non est vitiosum, nec Simoniacum, v. g. resigno tibi Beneficium, eo pacto, ut fructus Beneficij resignati úsque ad acceptationem seu admissionem resignationis ad me pertineant, *Garc. c. l. n.* 15. Porrò Papa, cùm supremam & plenissimam potestatem habeat in Beneficiis, potest ea conferre, sive purè, sive sub conditione, etiam de futuro, & suspensiva, & sub modo, qui de jure non insit, item alternativè, vel copulativè, unum scilicet duobus, & non in perpetuum tantùm, sed etiam ad certum tempus, *Azor cit. l.* 6. *c.* 25. *q.* 1. *&* 26. *q.* 1. *Garc. cit. c.* 2. *n.* 50.

§. V.

An possit Beneficio novum onus imponi, in collatione eiusdem?

LXVI. Assertio prima. Potest Episcopus, cum consensu Capituli sui, ex causa rationabili, onus aliquod spirituale, licitum & honestum imponere Beneficio, dum vacat, antequam alicui conferatur, ita ut tale Beneficium ad quemcunque possessorem, cum eo onere, transeat: v. g. ut Beneficiarius deinceps docere debeat S. Scripturam, vel Catechesin, ut tradit *Gl. in c. Significatum*; 11. *in notandis h. t. & Abb. ibid. n.* 7. *Gl. in c. pen V. Unius Præbendæ de Magistris*, *Azor cit. c.* 26. *q.* 3. *in fine.* Idque sumitur ex *eodem c.* ubi Præpositus, & Capitulum Ecclesiæ Insulanæ, cuidam Sacerdoti Præbendam con-

» contulerunt, cum eo onere, ut Missam de B. Vir-
» gine Maria quotidie celebraret, nisi corporis infir-
» mitate gravatus esset; nec Beneficium illud sine
» Præpositi & Capituli consensu dimittere possit.
» Sed nec alteri Præbendæ illius anniversarium (hoc
» est, officium suum annuum, *Gl. hîc V. Delegare*)
» committere possit; quam institutionem Papa A-
» lexander III. confirmavit, eâ moderatione, ut Sa-
» cerdos ille, nisi infirmitate sit impeditus, assiduè
» debeat suum servitium Ecclesiæ illi impendere, &
» quantò frequentiùs poterit, Missam celebrare, sal-
» vâ tamen honestate, & debitâ devotione ac dispo-
» sitione suâ, neque liceat ipsi voluptatis causâ (se-
» cus est, si Religionis causâ id fiat, *Gl. fin. hîc*)
» se subtrahere, sive ad aliam Ecclesiam se trans-
» ferre.

LXVII. Pro explicatione *hujus c.* notandum primò colligunt ex *hoc c.* plures Dd. posse Prælatum, cum consensu Capituli, vacanti Præbendæ novum onus honestum imponere, ad quod Præbendarius teneatur, *Imola hîc n.* 4. & alii: Verùm Prælati inferiores Episcopo, & Capitula Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum, tametsi habeant potestatem conferendi Beneficia, vel jus præsentandi, ut Patroni etiam Ecclesiastici, non tamen possunt naturam & institutionem Beneficiorum per nova statuta mutare, adeóque neque nova onera eis imponere, sine consensu & auctoritate Episcopi ordinarii, ut notat *Abb. hîc n.* 2. Unde & in casu *hujus c.* Præpositus & Capitulum Insulanum imponentes novum onus Præbendæ vacanti, petierunt confirmationem à Papa, alioquin illa nova institutio, nisi à Papa confirmata fuisset, valida non fuisset, ut notat *Fagnan. hîc n.* 2. quia inferiores Prælati & Capitula non possunt alterare seu mutare statum Ecclesiæ suæ, sine licentiâ Papæ, vel saltem Episcopi sui, *arg. c. Cùm pridem* 3. *de pact.* & sumitur ex *c. Cùm dilectus* 3 *de consuet. Abb. in c. Ad audientiam* 3. *n.* 3. *de Eccles. ædific.*

Notandum secundò. Si Capellanus ex fundatione Capellaniæ obligatus sit, per seipsum quotidie celebrare, id non ita stricte intelligendum est, ut singulis diebus, sine aliqua intermissione sacrificet, sed ut celebret quotidie, quatenus potest, salvâ honestate, & debita devotione, ac Sacramenti reverentiâ, cùm ob humanam fragilitatem Sacerdotes, præsertim sæculares, ad celebrandum omnibus diebus non sint ritè dispositi, *Abb. hîc n.* 4. *Fagnan. n.* 8. Aliud est dicendum, si obligatio quotidie celebrandi annexa, seu imposita sit, non personæ, sed loco, seu certo Altari, tum enim Capellanus illis diebus, quibus ipsemet celebrare non potest, vel non vult, potest ac debet alium substituere ad celebrandum in illo loco, *Laym. l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 6. *Fagn. c. l.*

Notandum tertiò. Capellanus, vi fundationis, non potest obligari, ut quotidie Missam dicat, v. g. de B. Virgine, vel alio Sancto, quin possit aliam Missam, præsertim Festi occurrentis, dicere, ut colligitur ex *hoc c. Abb. hîc n.* 3. quamvis hujusmodi obligatio possit imponi loco, ut quotidie per totum annum in tali Altari vel Capella dicatur Missa de B. Virgine vel pro Defunctis, non ab eodem, sed aliis, *Navarr. l.* 3. *consil.* 9. *de celebr. Miss. n.* 8. *Laym. cit. l.* 5. *tr.* 5. *c.* 3. *n.* 16.

Notandum quartò. Non valet statutum factum communi consensu Præpositi & Capituli, ut Beneficiarius renunciet Præbendæ suæ, nisi accedat consensus Episcopi seu Ordinarii; quia id cederet in præjudicium ipsius, à quo admitti debet renunciatio Beneficii, juxta *c. Admonet* 4. *de renunc.* Neque obstat *hoc c.* quia statutum non valuit, nisi vi confirmationis Apostolicæ, ideóque ea fuit petita, ut suprà dictum. Si verò in tali statuto, præter consensum Episcopi, requiratur etiam consensus Præpositi & Capituli, tum valet statutum, etiamsi non sit confirmatum à Papa, ut colligitur ex *hoc c.* ibi: *nonnisi communi tam Præpositi, quàm Capituli consensu possit dimittere*; quia tale statutum non est contra: sed solùm præter jus commune, nec per illud derogatur juri Episcopi, *ut ex Butrio notat Fagnan. hîc n.* 12.

LXVIII. Assertio secunda. Quamvis tale onus aliquando ex justa causa imponi possit ipsi Beneficio vacanti, non tamen potest imponi personæ, cui confertur Beneficium, per modum adjectæ conditionis, vel modi, vel pacti v. g. onus docendi Theologiam, vel aliud hujusmodi, ut docet *Gl. in cit. c. pen. V. Vniùs*; *Vers. item nunquid de Magistr. Navarr. l.* 3. *in consil. unic. Ut Benef. sine dimin. &c.* contra *Jo. Andr. & Abb. in cit. c. pen. in fine de Magist.* ratio est, tum quia onus impositum rei minuit pretium ejus, adeóque videtur Beneficium conferri cum diminutione: tum quia Beneficia Ecclesiastica debent conferri simpliciter ac purè, sine omni pactione & conventione, *c. ult. de pact. & c.* 2. *cauf.* 1. *q.* 2.

Limitari id tamen debet, nisi consuetudo vel statutum existat in aliqua Ecclesia, quod requirat, ut recepturi Beneficium, ante collationem aut institutionem promittant, vel jurent, quòd Beneficium accipiant, animo illud retinendi, & non dimittendi statim alterius gratiâ, quòd sine collatoris vel successorum ejus consensu, nolint resignare, cum reservatione pensionis. Item quòd si aliud incompatibile Beneficium, etiam simplex, obtineant, priùs obtentum statim dimittere velint &c. Quia ad hæc servanda obligantur, non vi pacti præcisè, sed vi consuetudinis aut statuti, quod ad tale juramentum illos obligat, si Beneficium obtinere velint: Sicut & jurare debent promovendi seu instituendi, quòd statuta Ecclesiæ servare velint; licitè autem ex jure talia juramenta seu pacta jurata, ob utilitatem Ecclesiæ exigi, & præstari à Beneficiatis, docet *Azor p.* 1. *lib.* 11. *c.* 5. *in fine & p.* 2. *lib.* 6. *c.* 9. *q.* 9. dummodò ipsa Beneficia ita conferantur, ut collatores exinde nullum nec directè, nec indirectè commodum temporale percipiant.

LXIX. Assertio tertia. Si duo electi ad aliquam Dignitatem vel Beneficium, uterque simul compromittant in eundem Judicem, potest is pro bono pacis & concordiæ, uni assignare & adjudicare, vel Beneficium cum hoc onere, ut ex proventibus ejusdem alteri parti solvat annuum censum, vel pensionem, ita tamen, ut non sit onus reale impositum ipsi Beneficio, quod ad successores transeat, sed tantùm personale impositum personæ Beneficiati ad certos annos vel ad tempus vitæ ipsius, prout statutum est in *c. Nisi essent* 21. *h. t.* Nam cùm vacante quodam Prioratu, ad illum duo electi essent, Judices delegati ad hanc controversiam, in quos partes litigantes compromiserunt, pro bono pacis statuerunt, ut unus ex electis Prio-

» Prioratum haberet: alter verò viginti libras ex re-
» ditibus Capituli, & quadraginta ex proventibus
» Prioratûs annuatim perciperet. Re delatâ ad Inno-
» centium III. à quo confirmatio petita fuit hujus
» compositionis: Is respondet, quòd illam suspectam
» haberet propter malum exemplum, nisi tam illi,
» qui eam fecerunt, quàm circa quos facta est, essent
» viri providi, & honesti: quod enim ordinatum
» fuit post longam disceptationem, ut unus ex electis
» Prioratum haberet, id ex jurisdictione delegata, se-
cundùm justitiam statutum videtur: quòd verò alteri tot libræ ex Capituli & Prioratûs reditibus fuerint as-
» signatæ: id ex arbitraria potestate emanâsse vide-
» tur, cùm Judices delegati, in quos partes com-
» promiserunt, retentâ jurisdictione delegatâ, pro
» bono pacis & utilitatis, se id fecisse, sint professi.
» Quare Papa ait, se ordinationem istam ab omni-
» bus receptam tolerare, cum hac tamen declaratio-
» ne & moderatione: quòd illa ordinatio, non ex
» partium pactione, sed ex Judicum arbitrorum dis-
» positione subsistat, & ut ad præstationem quadra-
» ginta librarum, non Dignitas Prioratûs obligata
» sit, sed Persona Prioris, ne alioquin circa proven-
» tus Prioratûs aliqua sectio seu divisio fiat, ideóque
» isto Priore defuncto, successor ipsius ad dictam
» præstationem quadraginta librarum non tenebitur.
Ratio est, quia si ipsi Beneficio tale onus imponere-
tur, ita ut ad successorem Beneficiati transiret, id ce-
deret in præjudicium Collatoris ordinarij, videlicet Episcopi, adeóque saltem sine ejus consensu id fieri non potest. Consentit c. *De cetero*; 5. *supr. de transact.*

LXX. Porro pro intellectu *hujus* c. de quo *Abbas in princ.* hîc ait, quòd sit pulcherrima dispositio, cui in toto Corpore Juris non habeatur consimilis; Notandum primò in dubio, an aliquid licitè & justè factum sit, potest, propter honestatem ac prudentiam personæ agentis præsumi actus esse licitus, *Gl. hîc V. honesti*; & *Abb. n.* 3. ubi exempla dat, v. g. etsi citatio videatur injusta, si tamen aliquâ ratione possit justificari, & Judex sit vir providus, ac circumspectus, præsumi potest justa. Sic etiam ob probitatem & peritiam exercentis aliquem actum, potest præsumi solennitatem aliquam extrinsecam, v. g. consensum Capituli, intervenisse.

Notandum secundò. Compositio amicabilis facta super jure Beneficii, ita ut temporales fructus assignentur alteri parti, videtur habere speciem Simoniæ, nisi talis assignatio facta sit, auctoritate Superioris, c. *Cum pridem*; 4. *de pact.* quamvis transactio stricta in spiritualibus non valeat, *Imol. hîc n.* 2. requiritur tamen, ut talis compositio initium sumat ab auctoritate Superioris, & non expactione partium, ut hîc dicitur. Et hinc, qui inter se faciunt compositiones super Beneficiis, & postea eunt ad Judicem, ut suam auctoritatem interponat, non excusantur à Simonia in conscientia, *Imola hîc n.* 10.

Notandum tertiò. Potest compromitti in Judicem delegatum, tanquam in amicabilem Compositorem, retentâ judiciariâ potestate, ita ut utrâque uti possit, ut in casu *hujus* c. quod Judices delegati fecerunt secundùm terminos juris, censentur fecisse judiciariâ potestate, tanquam Delegati, dum uni ex litigantibus assignârunt Prioratum; at verò, dum alteri parti reservârunt pensionem ex proventibus Prioratûs, id fecerunt, non tanquam Judices, & vi delegationis, secundùm quam non poterant contra jus pronunciare, sed tanquam Arbitratores, & amicabiles compositores, qui pronunciando, pro bono pacis & concordiæ possunt limites juris excedere, *Abb. hîc n.* 4. *Imol. n.* 5. *& 6.* nam pro conservanda pace, multa de jure conceduntur, quæ aliàs licita non essent, ut notat *Barb. hîc n.* 3.

Notandum quartò. Sicut Dignitas & Beneficium non potest dividi, quoad jus & substantiam Beneficii, ita nec quoad reditus seu fructus, quando divisio est realis & perpetua; secus quando est temporalis, ut in *hoc c. Gl. fin. hîc & Imol. n.* 11. Porrò Prioratus, de quo in *hoc c.* fit mentio, dicitur Dignitas, quia fuit Prioratus Conventualis, & fortassis regularis, habens Collegium, & per consequens jurisdictionem in illos, qui sunt de Collegio, ut notat *Abb. hîc n.* 6. *in fine.*

Notandum quintò. Pensio auctoritate Superioris imposita super reditibus Beneficii, cum consensu Beneficiati, non transit ad Successorem, sed morte ipsius Beneficiati extinguitur, ut patet ex *hoc c.* Idémque est, si is fuerit depositus, vel ei renunciaverit, modò non in fraudem, quia statim iterum fuit electus, tunc enim adhuc tenetur ad solutionem pensionis, vel si alio modo Beneficium dimiserit, aut illud vacaverit; nam militat eadem ratio, quia persona fuit obligata, non dignitas, adeóque nec Successor, *Imola hîc n.* 17. *Vers. tertiò tangit*, & *Abb. n.* 10. Porrò an Episcopus pensione gravare possit Beneficium in perpetuum, dicetur infrà *tit.* 12.

§. VI.

An ad Collationem Beneficiorum, quorum provisio ad Capitulum spectat, vocandi sint etiam Capitulares absentes?

LXXI. Assertio prima. Quando in Ecclesiis » (Cathedralibus vel Collegiatis) Canonici recipien- »
di sunt, vel Beneficiorum aut Præbendarum colla- »
tio facienda est, absentes Canonici (si id commo- »
dè fieri potest, quia valde remoti non sunt, & com- »
modè accedere possunt) vocandi sunt, nisi, con- »
suetudo sit, ut ad talia non vocentur absentes: alio- »
quin, quod in eorum absentiâ fieri contigerit, ad il- »
lorum instantiam, seu petitionem irritari debebit, »
prout statuitur in c. *Cùm in Ecclesiis*; 33. *h. t. in 6.* »
Idémque locum habet in electione Prælatorum, juxta c. *Coram*; 35. & c. *Quia propter*; 42. *de elect.*

LXXII. Ubi notandum primò. Licèt Canonici, qui de jure vocari debebant, non fuerint vocati, Electio tamen & Collatio valida est, dummodò duæ partes Capitularium ex iis, qui præsentes esse voluerunt & potuerunt, actu interfint, & major pars præsentium consenserit, *Franc. hîc n.* 2. *not. ult.* Verùm absentes non vocati agere possunt de contemptu, & petere, ut collatio ipsis absentibus, & non vocatis facta rescindatur, quamvis etiam collationem ratificare possint, si velint, *Gl. fin. hîc & Franc. cit. l.* Idque procedit, sive Beneficia conferenda sint in Ecclesia Cathedrali vel collegiata, sive extra illam, modò Collatio

latio Beneficii spectet ad Capitulum, *Franc. hîc n. 3.*

Notandum secundò. Per consuetudinem potest induci, ut Capitulares absentes non sint necessariò vocandi ad collationem Beneficii; quia consuetudo, sicut dat jurisdictionem & potestatem judicandi, ita etiam dat, sine absentibus Capitularibus, eligendi vel conferendi Beneficia: neque vocatio absentium pertinet ad substantialem formam Electionis vel Collationis, *Gl. hîc V. Si commodè*; ideóque per consuetudinem tolli potest.

Sed contra id, quod quilibet ex Canonicis absentibus non vocatis rescindere possit Electionem vel Collationem factam à Capitularibus præsentibus, objici potest, quia electio vel collatio Canonicatûs spectat ad Canonicos tanquam ad Collegium, non ut singulos, quia jura Collegii vel Universitatis non sunt singulorum, *l. Sicut* 7. §. *Si quid*; *ff. Quod cujusque univ. nom.* ergo unus solus Canonicus non potest petere, ut irritetur actus gestus à Collegio, vel majore ejus parte. Resp. licèt jus eligendi, vel conferendi spectet ad Collegium vel Capitulum, ipsi tamen actus, scilicet eligere, vel conferre, sunt singularum personarum, & exercentur à singulis Canonicis, jure suo singulari, ut est pars Collegii, ideóque pertinent ad Canonicos, ut ad singulos; secus est, si aliquis actus pertineat ad plures, ut ad Collegium, sive si sit communis, non ut singulis, sed ut universis: tum enim non potest unus solus illum rescindere, *Jo. Monach. hîc n. 2. & 3. Jo. Andr. ibid. in Gl. ult. & n. 2. Anchar. not. 4. §. Opponitur.*

LXXIII. Assertio secunda. Si receptio Canonici, vel collatio Canonicatûs aut alterius Beneficii non sit libera, sed necessaria, quia à Capitulo fieri debet, ad mandatum Superioris; tunc non requiritur, ut vocentur Canonici absentes, cùm necessariò parendum sit illi mandato, sed sufficit, si duæ partes, vel major pars Capituli congregati Canonicatum, vel aliud Beneficium conferant, Lapus in *cit. c. Cùm in Ecclesiis*; *n. 3. h. t. in 6. Anchar. ibid. not. 2. Franc. n. 3.* ubi addunt, quòd si hoc casu aliqui Capitulares non sunt vocati, non possunt quidem agere de contemptu, possunt tamen agere contra Rescriptum beneficiale impetratum, aut contra formam processûs, vel contra personam, cui collatio facta est, ne per subreptionem vel indignus aliquis promoveatur ad Beneficium: nam ex eadem ratione alios actus Capitulares, quòd ipsis absentibus illegitimè facti sint, impugnare possunt, quippe cùm ipsorum interest, sunt enim membra pertinentia ad Capitulum.

Sed hîc præterea distinguendum est, vel Superior, videlicet Episcopus, aut alius Prælatus, mandat Capitulo aliquid quod juris est, v. g. ut Canonicatum, vel aliud Beneficium alicui conferat; & tunc id fieri debet à majore parte Capituli congregati, quia collegialiter perfici debet. Vel mandat aliquid, quod est solùm facti, v. g. si Superior Canonicatûs vel Beneficii collationem fecit, & Capitulo mandet, ut id exequatur, & personam, cui contulit, installet, sive possessionem ei tradat; hoc casu, singuli Capitulares mandatum seu gratiam jam factam, etiam aliis nolentibus, exequi possunt: & quidem etiam extra Capitulum, & qui in excommunicatione existunt, quando non est mandatum de jure aliquo, v. g. eligendi vel conferendi datum, sed de solo facto, ut tradunt Dd. *suprà citt. & Abb. in c. Eam te*; *7. n. 12. de rescript.* ubi tamen id limitat cum *Hostiens.* si Capitulum sit in negligentia, & monitum exequi mandatum Superioris recuset, tunc enim quilibet Capitularis illud exequi potest. Ubi etiam monet hoc notandum esse, eò quòd locum habere possit in omnibus Universitatibus, quibus aliquid à Superiore est mandatum. Consentit *Gl. in cit. c. Eam te*; *V. Deberes.* Portò an ad alios etiam actus Capitulares vocandi sint omnes absentes, v. g. ad alienationem bonorum, dicetur *infr. tit. 11.*

Præter allatos ordinarios modos acquirendi Beneficia Ecclesiastica, sunt & alii duo extraordinarii, scilicet Optatio & Commenda, de priore, actum *suprà lib. 1. tit. 4. n. 77. & pluribus seqq.* de posteriore *tit. 6. n. 88. & aliquot seqq.*

SECTIO III.

QVIBVS JVS, SEV POTESTAS conferendi Beneficia Ecclesiastica competat?

§. I.

Quam potestatem habeat S. Pontifex in conferendis Beneficiis, & quibus modis ea conferre possit?

LXXIV. Assertio prima. Papa est supremus & universalis omnium Beneficiorum Collator, sive ea electiva sint, sive collativa, eáque libera, vel non libera, prout constat ex *c. Licèt*; *2. h. t. in 6. in princ.* Ubi dicitur: *licèt Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorúmque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Rom. noscatur Pontificem pertinere &c.* Idem habetur in *Clement. 1. in fine. Ut lite pendente &c.* Ratio est, quia si Beneficia vacent, nemo in eis jus habet, ideóque dicuntur vacare de jure, & consequenter redeunt ad Ecclesiam, sicut omnia vacantia Ecclesiastica jura ac bona, *arg. l. 1. C. de bonis vacant. lib. 10.* atque eorum provisio ac dispositio ad Ecclesiæ Prælatos pertinet: & in primis ad Romanum Pontificem, tanquam ad Supremum omnium bonorum Ecclesiasticorum Dispensatorem: quippe cùm is sit generalis omnium Ecclesiarum totius orbis Episcopus, *Gl. fin. in c. ult. de pœn. in 6.* & Ordinarius Ordinariorum, cùm ad eum spectet facultas de omnibus judicandi, *c. Cuncta*; *17. caus. 9. q. 3.* à quo etiam alii Episcopi potestatem Beneficia & jura vacantia conferendi & providendi, acceperunt, cum subordinatione ad Apostolicam Sedem, *c. Qui se*; *11. caus. 2. q. 6. Garc. p. 1. de Benef. c. 1. n. 1.* nam ab initio omnium Beneficiorum collatio in toto Orbe ad Romanum Pontificem spectabat, ut tradit *Paris. lib. 1. de resign. Benef. q. 10. n. 47. & 49.* Et hinc potest Papa omnia Beneficia conferre in toto Orbe terrarum, non tantùm vacantia, sed etiam non vacantia, *c. 2. h. t. in 6.* & quidem non tantùm absolutè & in perpetuum, sive ad vitam Collatarii, sed etiam sub conditione, & ad tempus, & pro arbitratu suo potest uni Beneficium

adimere & alteri dare, & quidem validè etiam sine justa causa, ac denique liberè disponere de Beneficiis, quoad ea quæ sunt juris positivi, *Azor p. 2. l. 6. c. 25. q. 1. & c. 26. q. 1. Garc. c. l. n. 2. & seqq.*

LXXV. Assertio secunda. Tribus potissimùm modis Papa conferre potest ac solet Beneficia Ecclesiastica, ut docet *Rebuff. in praxi tit. de devolut. n. 46. Leff. l. 2. c. 34. dub. 10. n. 45. Laym. l. 4. tract. 2. c. 10. n. 2.* Et in primis quidem jure præventionis, cùm certæ personæ Pontifex mandat provideri de Beneficio, quod vacat in Ecclesia, vel proximè vacaturum est, nam cùm tunc Papa præveniat eum, qui ordinariam potestatem habet conferendi Beneficia vacantia: collatio Papæ, quippe prior & potior prævalebit, prout constat ex *c. Dudum 3 14. h. t. in. 6.* » Nam cùm Bonifacius VIII. Episcopum Prænestinum Cardinalem in Gallias Legatum destinâsset, » potestatem ei dedit, resignationes ab obtinentibus » Beneficia Ecclesiastica in ijs partibus, Auctoritate » Apostolicâ recipiendi, qui ea vellent liberè (absque pactione vel conditione, *Gl. hîc V. Liberi*;) resignare, & eadem personis idoneis conferendi. » Postea verò idem Papa Canonicatum Ecclesiæ Lexonensis contulit Nicolao, Camerario Cardinalis Tit. » S. Laurentij in Damaso, nullâ factâ mentione de » concessione Legato priùs factâ: constitutis etiam » executoribus, qui eidem Camerario Præbendam » in dicta Ecclesia nulli alij de jure debitam, si quæ » tunc vacet, assignarent. Si verò nulla talis Præ» benda (scilicet Canonicalis & nulli alij de jure de» bita) ibi vacaret, Papa Præbendam proximè va» caturam suæ dispositioni reservavit, eidem Came» rario conferendam, irritum declarans, si quid con» tra hoc à quopiam fuerit attentatum. Sed post» modùm contigit, ut Nicolaus vasallus Clericus » Canonicatum & Præbendam, quam in eadem Ec» clesia Lexonensi obtinebat, in prædicti Episcopi » Prædestini & Legati Apostolici manus resignaret, » qui eandem (fortè ignorans collationis & reserva» tionis à Papa priùs factæ, in favorem Camerarij) » Guilielmo Presbytero contulit: sed Executores A» postolici eandem Præbendam, non obstante præ» dictâ collatione (ab Episcopo & Legato factâ) au» ctoritate Litterarum Papalium, dicto Camerario as» signârunt tanquam ipsi debitam: quem Guilielmus » possessor illius Præbendæ, vi collationis sibi factæ » ab Episcopo Legato, admittere noluit, ideóque » Camerarius Papæ supplicavit, ut sibi de opportuno » remedio provideret. Quare Bonifacius VIII. re» scripsit, tametsi dicto Episcopo & Legato suo pote» statem illam recipiendi Beneficia, & ea alijs con» ferendi concesserit, majorem tamen penes se, hoc » est, ipsum Papam remansisse: quin imò potestas » Episcopo tanquam Legato suo data censeri debet » Pontificia, & potior esse Pontificis eam præoccu» pantis conditio. Deinde secundùm Canonicas & » & legitimas sanctiones (*c. 1. de rescript. in 6.*) gene» ri per speciem derogatur, quamvis de genere in de» rogante specie mentio nulla fiat. Sed etsi in suppli» catione narratum fuisset Pontifici, de dicta potesta» te (scilicet Episcopo concessa) nihilominùs tamen » hujusmodi gratias in illis partibus feciisset Ponti» fex, nullâ de illâ concessione factâ mentione; quia » absurdum foret, si tam latè patens Pontificis pote» stas impediretur, eò quòd in omnibus literis pro» visionum ad partes Gallicanas missis, specialem de » potestate Legato suo concessâ mentionem facere » deberet. Præterea rescriptum Pontificis, maximè » in hoc casu, in quo Camerarius, ante renunciatio» nem Canonicatûs, quem obtinuit Nicolaus in Ec» clesia Lexonensi, ab eodem factam, jam per provi» sionem Papæ Canonicus ibi effectus fuit, ignoran» tes quoque ligare debuit, cùm non fuerit super in» certo editum (nam certum jam est Canonicatum » Lexionensem proximè vacaturum, Camerario esse » conferendum) neque ex alieno penderet arbitrio, » seu voluntate alicujus, qui acceptandi potestatem » haberet, & ideò Papa hôc ipsô prohibuisse videtur, » ne alius posset conferre, & sic potestatem Episco» po Legato concessam revocâsse (nam Papa non so» lùm retinuit eandem potestatem, scilicet conferen» di Beneficia alijs, sed etiam majorem, nempe revo» candi tacitè potestatem concessam Legato, *Gl. hîc V. revocâsse*) Et verò Papa talem potestatem revocare » poterat à Legato etiam ignorante, quandoquidem » hîc de lucro tantùm agitur ipsius Guilielmi, non » autem de præjudicio dicti Episcopi & Legati: & » consequenter non potuit Episcopus, post revocatio» nem potestatis ipsi concessæ, in alium, licèt igno» rantem, jus aliquod circa rem revocatam transfer» re. Idque confirmat Papa per duo legalia argu» menta. Veluti si servus Calendario (id est nomi» nibus debitorum præpositus) post mortem Domi» ni præponentis, pecunias mutuas det, non facit eas » accipientium (*l. Ejus qui 3 41. ff. de reb. cred.*) tam» etsi mors domini, & revocatio potestatis à contra» hentibus fuerit ignorata. Similiter si dominus pe» culium servo concesserit, statim illud revocare cen» setur, si voluntatem suam mutaverit (*juxta l. Sta» tim 3 8. ff. De pecul.*) Denique mandat Papa alicui » à se delegato, ut Guilielmum Presbyterum, præ» missâ canonicâ monitione, per censuras Ecclesia» sticas compellat: ut non obstante prædictâ collatio» ne Canonicatûs & Præbendæ sibi ab Episcopo fa» ctâ, quippe quæ irrita fuit, Camerario Præbendam » Canonicalem cedat, & super ea ipsi deinceps nul» lam molestiam creet. »

LXXVI. Pro explicatione hujus prolixi c. notandum primò. Si Papa alicui conferat Canonicatum in aliqua Ecclesia, per eam collationem Præbenda, quæ tunc vacat, vel proximè vacatura est, censetur affecta, ita ut si alteri conferatur ab alio Collatore, etiam ignorante collationis Papalis, ea posterior collatio sit irrita, ut tradit *Gl. hîc V. Canonicatum, & Anchar. not. 3.*

Notandum secundò. Plures rationes pro decisione *hujus c.* adducuntur in ipso textu. Veluti primò. Quia licèt Papa alicui concedat potestatem conferendi Beneficia, vel alium actum exercendi, tamen per hoc ipse non se privat eâdem potestate, sed illa penes ipsum, & quidem major ac potior remanet, nam potestas alicui delegata major est, & excellentior in delegante, quàm in delegato: quemadmodum aqua dignior & præstantior est in fonte, quàm in rivulo, ut ait *Gl. hîc V. Eàdem; in addit.* Potestas enim delegata est à delegante derivata & dependens, ideóque quodammodò delegantis, quæ est ordinaria. Accedit, quòd collatio Beneficij facta à Papa in casu *hujus c.*

etiam

etiam tempore fuit prior collatione factâ ab Episcopo Legato, ideóque meritò ei præferenda fuit. Altera ratio allata in *hoc c.* est, quia concessio facta à Papa Episcopo Legato, erat generalis conferendi suo nomine Beneficia vacantia : concessio verò unius Beneficij vacantis, vel proximè vacaturi facta Camerario erat specialis : at verò per speciem generi derogatur, sive per specialem collationem Beneficij vel alterius gratiæ derogatur generali, licèt de hac in speciali derogatione nulla fiat mentio, ut habetur in *hoc c. Consentit*; *c. 1. & c. Pastoralis*; 14. *de Rescript.* ubi habetur, quod rescriptum speciale deroget generali, licèt nullam de eo faciat mentionem. Ratio est, quia in ijs, quæ dependent à voluntate Principis concedentis, non censetur is, concedendo alicui gratiam generalem, sibi auferre potestatem alteri concedendi gratiam specialem, per quam derogatur gratiæ generali. Similiter in *c. 2. De offic. Legat.* dicitur; quòd mandatum speciale deroget generali, ita ut si aliquis generalem commissionem habeat, omnia negotia expediendi, aut omnes causas cognoscendi; alius verò habeat commissionem specialem super certa causa, specialis iste Commissarius superet generalem, ut is immiscere se non debeat, nec impedire specialem. Licèt autem per mandatum vel gratiam specialem derogetur & adimatur aliquid mandato vel gratiæ generali, non tamen, propriè loquendo, est ipsi contraria; nam species extracta de genere non continetur in genere, ut notat *Io. Andr. hic V. Conditio*; sicut exceptio non est contraria ipsi regulæ, quippe sub qua non comprehenditur. Cùm ergo Pontifex conferendo Canonicatum & Præbendam Lexonensem Camerario, illum extraxerit ex potestate generali conferendi Beneficia Legato concessa, ideò non potuit ampliùs illum conferre. Tertia ratio allata in *hoc c.* est, quia etsi in supplicatione expressum fuisset, dictam potestatem conferendi Beneficia Legato à Papa concessam esse, tamen nihilominùs hanc gratiam specialem Pontifex Camerario concessisset: ideóque impetratio Canonicatûs in Ecclesia Lexonensi non fuit subreptitia, quòd in illa non sit facta mentio de generali illa potestate concessa Legato: nam absurdum foret, si Pontifex in omnibus Litteris, quibus specialiter confert Beneficia, semper mentionem facere deberet potestatis Episcopis concessæ, impediretur enim generalis & suprema potestas, quam habet in provisione Beneficiorum, *ut habetur in textu.* Quarta denique ratio allata in *hoc c.* est, quia cùm provisio facta Camerario, sive jus expectativæ ipsi concessum, non sit datum super incerto, veluti si mandatum fuisset, ut alicui provideatur de Beneficio, quod primò vacabit in Civitate vel in Provincia, *Gl. hic V. Incerto* : sed super Beneficio aliquo modo determinato, videlicet quod jam vacat vel proximè vacabit in hac Ecclesia, & quoad Canoniam jam erat certum, *Gl. cit. hîc*, & quia hæc gratia sive Beneficium non pendebat ex alieno arbitrio seu voluntate alicujus, qui acceptare deberet : nam Camerarius illud jam acceptavit: ideò eô ipsô censetur Papa prohibuisse, ne alius conferre posset tale Beneficium alteri, & sic potestatem Legato concessam, quoad eam speciem revocâsse : & quidem etiam ignorante Legato, quia non agitur de ejusdem præjudicio, sed solùm de lucro ejus, cui Legatus Canonicatum resignatum contulerat: consequenter Legatus non potuit, post revocationem Papæ, in alium, licèt ignorantem, jus aliquod circa rem revocatam transferre, ut patet etiam ex textu.

LXXVII. Ex dictis patet, quòd mandatum vel delegatio conferendi Beneficia facta, per speciale rescriptum Papæ revocetur, & tollatur, quamvis revocatio non pervenerit in notitiam ejus, à quo revocatur mandatum, ita ut delegatus ex eo tempore, quo revocatio potestatis facta est, etiam ipso ignorante, non possit ampliùs validè conferre Beneficia; quia in tali revocatione non agitur de vitando damno, sed tantùm de lucro seu commodo non capiendo, cujus ratio haberi non debet, *juxta cit. c. Dudum*; Aliud est si revocatio in notabile damnum seu incommodum alterius cedere possit: tunc enim non est præsumendum, Papam velle (nisi id exprimat) ut revocatio per particularem sententiam aut rescriptum speciale facta effectum sortiatur, antequam illius notitia ad eum, à quo revocatur commissio, pervenerit, aut ei insinuata fuerit, *Anchar. in cit. c. Dudum*; *not.* 12. *& Franc. ibid. n.* 12.

LXXVIII. Assertio 3. Secundus modus, quo Papa conferre potest Beneficia, est jure concursûs, nam Papa in conferendis Beneficiis Ecclesiasticis quibuscúnque, cum aliis inferioribus Collatoribus concurrit, ita ut si Beneficium vacet in quacunque Diœcesi, non tantùm Episcopus, aliúsve Ordinarius Collator illud conferre possit, sed etiam S. Pontifex, estque inter hunc & inferiorem Collatorem, spectato Jure communi, locus præventioni, ut qui prior contulerit, ejus collatio præferatur, *Rebuff. c. l. n.* 47. & alii suprà *citt.* Ratio est, quia sicut Papa cum Episcopis concurrit in jurisdictione, *c. Qui se*; 12. *caus.* 2. *q.* 6. ita etiam in potestate conferendi Beneficia, nam Ecclesiastica jurisdictio, & potestas ordinandi Ecclesias residet in Successoribus S. Petri, tanquam in Capite & origine : in alijs verò Prælatis per communicationem & derivationem tanquam in membris, ac proinde quamvis S. Pontifex potestatem conferendi Ordinariis dederit, sibi tamen majorem reservavit, juxta *cit. c. Dudum*; §. *Nos igitur*; *h. t. in* 6.

LXXIX. Hinc infertur, si à Papa vel ejus » Legato (de Latere) & ab Ordinario alteri idem Be- » neficium, eodem die, collatum sit, nec appareat, » utri ex duobus collatio priùs facta sit, tum potior » debet esse conditio possidentis, isque non possiden- » ti præferendus est in acquisitione Beneficij, si ve- » rò neuter possideat, is, cui Papa vel Legatus ejus » contulit, propter majorem conferentis prærogati- » vam, præferendus erit alteri, cui contulit Ordina- » rius, prout statutum habetur in *c. Si à Sede*; 31. *h. t. in* 6.

LXXX. Notandum primò. Si à diversis idem Beneficium sit collatum duobus, ut à Papa, vel ejus Legato, Titio, ab Ordinario vel Episcopo, Cajo, & non constet, cui priùs collatio facta sit, tum præferendus est is, qui priùs adeptus est possessionem Beneficij, & in ea est, quia, ut hîc dicitur, tunc melior est conditio possidentis, & *c. In pari*; 65. *de R. I. in* 6. *Barb. in Collect. hîc n.* 9. adeóque tunc provisus ab Ordinario, etiam proviso à Papa præferri debet, modò is sit in possessione justa, nam violentus vel injustus possessor non debet gaudere privilegio seu commodo

possess-

possessionis, *Franc. hîc n. 2.* si verò constet de prioritate collationis, neque provisus ab Ordinatio sit in possessione, tunc provisus à Papa, vel etiam à Legato de Latere (quia alij Legati Beneficia conferre non possunt, nisi specialem ad hoc potestatem habeant, *Gl. hîc V. Legati*;) præferri debet, ob prærogativam majoris dignitatis, ut hîc dicitur.

Notandum secundò. Si neuter ex duobus provisis possideat, sed in Literis provisionis factæ ab Ordinatio seu Episcopo, non solùm apposita sit dies, sed etiam hora, quâ Beneficium collatum est, vel illa per testes probari possit, cùm tamen in Litteris Papæ vel Legati non sit apposita hora, tum collatio Ordinarij quamvis inferioris, præferenda erit collationi Superioris, videlicet Papæ vel Legati: nam ob illam expressionem horæ, præsumitur collatio Ordinarij priùs facta, quia est certior probatio, quàm illa, quæ expressione horæ caret, cùm per expressionem horæ tempus magis determinetur, *Gl. hîc V. Nec appareat, & Barb. in Collect. ibid. n. 7.*

Notandum tertiò. Si Vicarius Generalis, ex speciali concessione Episcopi, Beneficium vacans contulit Cajo, & Episcopus eâdem die idem Beneficium contulit Titio, nec sciatur, uter ex illis alterum prævenerit in conferendo, & neuter ex provisis possideat, tum præferenda est collatio Episcopi, tanquam facta à majore ac digniore, major enim est potestas Episcopi, quàm Vicarij. cujus potestas dependet ab Episcopo, quam, cùm is possit ab eo auferre, tam quoad partem, quàm quoad totum, conferendo idem Beneficium alteri, censetur Episcopus illam adimere voluisse, quoad illud Beneficium, *Franc. hîc n. 4.*

LXXXI. Huc pertinet, quod statutum est » in *c. Hi qui* 12. *h. t. in 6.* videlicet quòd hi, qui au- » ctoritate Apostolica in aliqua Ecclesia in Canoni- » cos sunt recepti, sub expectatione Præbendæ pro- » ximè vacaturæ, in assecutione ejusdem præferri de- » beant illis, qui Auctoritate Legatorum, vel alio- » rum quorumcúnque, priùs in Canonicos sunt re- » cepti in eadem Ecclesia. Quòd si Legato (à Late- » re) vel alij specialiter mandetur à Papa, ut aliquem » Auctoritate Sedis Apostolicæ in Canonicum reci- » piat, is ex tali mandato receptus, Auctoritate Apo- » stolicâ receptus censeri debet.

Ratio prioris partis est, quia *Regula Juris* 54. *in 6. Qui prior est tempore, potior est jure*, locum habet in ijs, quorum par est causa, sive æquale utriúsque jus, non item si causa dispar, aut jus inæquale sit; quia gratiæ & privilegia non æstimantur ex tempore, sed potiùs ex causis & personis, ut notat *Gl. hîc V. Antea*; *Anchar. not. 3.* Ubi ait, quòd hæc regula fallit, quando plures concurrunt ex diversis titulis, tunc enim prærogativa tituli præfertur prærogativæ temporis, hoc est, is, qui à digniore & majore promotus est, præferri debet ei, qui à minore seu minùs digno, etsi priùs tempore promotus est. Cùm ergo S. Pontifex majorem, quàm alij, auctoritatem habeat in conferendis Beneficijs, §. *Dudum* 14. §. *Nos igitur*; *h. t. in 6.* ita ut ipse jus expectativæ ad Præbendam proximè vacaturam dare possit, quod alij non possunt; ideò qui Auctoritate Apostolicâ receptus est in Canonicum aliis, qui ante ipsum inferiore Auctoritate recepti sunt, in assecutione Præbendæ præferendus est: quia licèt alii priores sint tempore, non tamen habent jus, per se ac directè, ad Præbendam primò vacaturam, sicut posterior, quia inferior, quia inferiores collatores tale dare non possunt, *Io. Andr. hîc n. 1. & Franc. n. 3.*

Deinde prædicta regula intelligi debet, quando agitur de jure ad rem, sive ad Beneficium, tunc enim habens gratiam, seu provisus à Papa, licèt posterior tempore, prior est jure omnibus habentibus gratiam, sive provisis ab inferiore Collatore, licèt priores sint tempore, sive priùs provisi, *juxta cit. c. Hi qui*; Secus verò est de jure in re, sive in Beneficio, si enim constet alicui collatum esse Beneficium vacans ab inferiore, ab eóque acceptatum, tunc is præferri debet ei, cui posteriùs idem Beneficium etiam à Papa est collatum; quia tunc prior tempore habet jus in re, in Beneficio, & non tantùm jus ad rem, ut colligitur ex *cit. c. Si à Sede*; 31. *h. t. in 6. Gl. magna in cit. c. Hi qui*; *not. 1. & Franc. ibid. n. 3. & 5. not. 3. in fine.*

LXXXII. Ratio autem posterioris partis *cit. c. Hi qui*; est, quia si Legatus Papæ à Latere, vel alius habens ordinariam potestatem conferendi Beneficia, conferat suâ auctoritate, tum procedit ut Ordinarius, non ut delegatus: si autem idem Legatus, vel alius ex speciali commissione Papæ, adeóque auctoritate Papali conferat Beneficium, tunc procedit ut Delegatus, major autem & potior est potestas Legati, si procedat ex potestate sibi specialiter à Papa delegata, quàm si procedat ex potestate Legati ordinariâ, *juxta c. 2. de Offic. Legat. Gl. margin. in cit. c. Hi qui*; *lit. C. & Io. Monach. ibid.* ac proinde sic receptus in assecutione Præbendæ præferri debet omnibus aliis receptis seu provisis etiam priùs tempore ab inferioribus; quia censetur provisus Auctoritate Papæ delegantis, *Gl. hîc V. Specialiter*; imò etiam præfertur priùs provisis à Legato à Latere, quia provisus à Papa, vel potestate à Papa delegata præfertur proviso à Legato etiam de Latere, *Gl. in cit. c. Si à Sede*; *V. Legato*; *Vers. quid dicas h. t. in 6.*

LXXXIII. Porrò si Papa Legato à Latere, vel alteri ordinariam potestatem conferendi Beneficia habenti mandet, ut Beneficium Titio conferat, vel aliud quippiam agat, ad quod agendum ordinariam potestatem habet, non addens, ut id faciat auctoritate Apostolicâ, adeóque ut Delegatus Papæ, tunc censetur excitare officium ejus, & potestatem ordinariam, ut procedat velut Ordinarius. Si verò Papa, vel alius Superior inferiori aliquid committat simpliciter & absolutè, cujus agendi potestatem ordinariam non habet, v. g. si Papa Episcopo mandet, ut contra exemptos procedat, vel Episcopus Vicario suo Generali, ut Beneficia conferat, etiamsi non addat, Auctoritate Apostolicâ vel Episcopali: tum non debet censeri, quòd Papa, vel alius Superior, ejus ordinariam potestatem prorogare velit, sed novam delegare, & concedere, ut ex *Gl. fin. in cit. c. Hi qui*; *tradit Franc. ibid. in fine.*

Superest tertiùs modus, quo à Papa conferri possunt Beneficia, scilicet jure devolutionis, *Rebuff. c. 1. n. 51.* sed de hoc agetur infrà *Tit. 8.*

§. II. *An*

§. II.

An, & qualem potestatem conferendi Beneficia habeant Episcopi, aliique inferiores Collatores?

LXXXIV. Assertio 1. Spectato jure communi, institutio, & collatio dignitatum, Canonicatuum, Parochiarum, & aliorum Beneficiorum in tota Diœcesi ad Episcopum pertinet, *c. 3. de instit. c. Conquerente* 5 16. *de Offic. Iud. Ord. c. Cùm ex injuncto* 12. *de hæret.* ubi dicitur, ad cujus (Episcopi) Officium, tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere, *c. 1. de Capell. Monach.* quia cura Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum Beneficiorum Episcopo est demandata; *c. 2. in princ. h. t. in 6. c. Regenda*; 4. *caus.* 10. *q.* 1. *c. Omnes Basilicæ* 3 10. *& c. Nullus* 3 11. *caus.* 16. *q.* 7. Quare Episcopus fundatam habet intentionem super institutione, & destitutione in Beneficijs suæ Diœcesis, ita ut si quis speciali jure id sibi competere asserat, illud probare debeat *Laym. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 4.* Requiritur tamen ad Beneficiorum collationem, ut fiat cum consilio Capituli, *c. novit.* 3 4. *de his; quæ fiunt à Præl. sine consen. Cap. & c. Unic.* §. *Cùm verò Ne Sede vacante & c.* Imò plerique probabiliter arbitrantur requiri, non tantùm consilium Capituli, sed etiam consensum, alioquin irritam fore collationem, quia interest Capituli, quales Canonici, & fratres illis aggregentur, ita tamè, ut Capitulum consentire debeat, si justam causam contradicendi non alleget, & ostendat, nam cùm Episcopus, & Capitulum sint unum Corpus, *cit. c. novit. in princ.* æquum videtur, ut simul concurrant in provisione Canonicatuum, dignitatum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiæ Cathedralis, *Azor. p. 2. lib. 6. c. 25. q. 9. Garc. tr. de benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 13. *&* 17. Hoc verò procedit, spectato Jure communi; quia ex speciali privilegio, vel statuto: vel consuetudine legitimè præscripta, interdum collatio Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum, ad Episcopum, & Capitulum, simul pertinet, ut videre est *in cit. c. unic. in princ. & in c. pen. de conceß. præb.* vel etiam propter juris, & æquitatis rationem; quia Præbendæ ex communibus Ecclesiæ bonis fundatæ, & institutæ sunt: tunc enim etiam Jure communi collatio earum ad Episcopum, & Capitulum simul spectat; *Azor. c. l.* Interdum collatio ad solum Capitulum, cum consilio Episcopi spectat, ex speciali Ecclesiæ statuto, vel consuetudine, *cit. c. unic.* §. *Ubi verò*, vel etiam sine consilio Episcopi, sive illo irrequisito, ut patet ex *ex c. Cùm Ecclesia* 3 31. *de elect.* ubi approbatur consuetudo, ut in Cathedralibus Ecclesijs solum Capitulum, irrequisito Episcopo, eligendi, sive creandi Canonicos habeat facultatem. Aliquando verò collatio competit singulis Canonicis per Turnum, ut vocant, ita ut per ordinem singuli conferant Beneficia vacantia, vel etiam habeant certas hebdomadas, vel menses, in quibus unus Canonicus, post alterum, secundùm ordinem antiquitatis confert: aliquando denique collatio Beneficiorum ad Episcopum, & Capitulum alternativè, seu per Turnos spectat, *Garc. cit. c. 4. n. 72. Azor. cit. c. 24. q. 20.*

LXXXV. Porrò hîc distinguendum est inter Beneficia, nam potestas conferendi Dignitates, Canonicatus, seu Præbendas Canonicales Ecclesiæ Cathedralis, spectato Jure Communi, simul Episcopo, & Capitulo competit: si quidem fuerint ex communibus bonis erectæ, seu institutæ, quod in dubio præsumendum est, si Præbendæ patronum non habeant; si verò patronatæ sint, tum ad Episcopum pertinet præsentatos à patrono instituere, *Abb. in c. Cùm Ecclesia* 3 31. *nu. 8. de elect. & ibid. Laym. n. 5. Azor cit. c. 25. q. 9. Garc. cit. c.* 4. *n.* 17. ubi *n.* 23. *&* 27. excipit dignitates Ecclesiarum Cathedralium, quæ de Jure communi non sunt electivæ, adeóque earum collatio ad solum Episcopum spectat. Reliqua verò Beneficia minora, seu inferiora Ecclesiæ Cathedralis, ut portiones Capellaniarum, si participant de mensa Capitulari, spectant etiam ad collationem simultaneam Episcopi, & Capituli: si verò sint extranea à Capitulo, & non pertineant ad mensam Capitularem, à solo Episcopo conferri possunt, sine consensu, vel consilio Capituli, *Abb. c. l. & Azor. c. l.* Contrarium tamen, quoad Beneficia minora Ecclesiæ Cathedralis, tenet *Garc. cit. c.* 4. *n.* 237. Si verò sermo sit de dignitatibus, Canonicatibus, & Præbendis Ecclesiæ Collegiatæ, præsentatio, vel electio, juxta communiorem sententiam, spectat ad immediatum Prælatum, si quem habeat, & simul ad Capitulum, sive Collegium earundem: & institutio, seu confirmatio ad Episcopum, *Abb. c. l. & Azor. Garc. cit. c.* 4. *n.* 64. *& seq.* Quia tales Præbendæ censentur ex communibus bonis illius Ecclesiæ constitutæ: neque est tanta communio inter Episcopum, & Ecclesiam collegiatam sibi subjectam, quanta inter Episcopum, & Ecclesiam suam Cathedralem: ideóque non collatio, seu electio, sed solùm confirmatio, aut institutio ad Episcopum pertinet. Jura verò, quæ in contrarium adferuntur, loquuntur de jure, vel consuetudine speciali Ecclesiæ, de qua ibi agebatur, *Garcias c. l. num.* 6. Denique collatio Beneficiorum aliarum Ecclesiarum inferiorum totius Diœcesis, ad solum Episcopum pertinet: etiam sine consensu, & consilio Capituli Cathedralis, saltem ex generali consuetudine, & salvo jure patronatûs, *Garcias c. l. num.* 235. *&* 241. quæ consuetudo valet *arg. c.* 3. *De consuet. in* 6.

LXXXVI. Assertio 2. Non solùm Episcopis, sed etiam alijs Prælatis, sive Sæcularibus, sive Regularibus, similem Episcopali jurisdictionem obtinentibus, qui scilicet pleno jure sunt exempti ab Episcopo, etiam quoad populum, competit potestas conferendi Beneficia, & in ijs instituendi, ac destituendi, independenter ab Ordinarijs locorum, *Abb. in c. Lateranensi* 3 31. *h. t. num.* 4. *Laym. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 10. *num.* 4. Et hinc etiam Cardinales non Episcopi, sed Presbyteri, vel Diaconi Jus habent conferendi Beneficia in Ecclesijs suorum Titulorum, in quibus habent quasi Episcopalem jurisdictionem. *Azor cit. c. 5. qu. 5. &*

alij apud ipsum. Sed & Prælati Episcopo inferiores possunt ex consuetudine legitimè præscripta, vel ex privilegio, seu concessione Papæ, vel Episcopi. Interdum Beneficia conferre, etiamsi aliàs ordinariam jurisdictionem non habeant, ut patet ex *c. Tenore* 13. *de concess. præb. & c. ult. De institut.* ubi collatio Custodiæ spectabat ad quendam Abbatem, ex privilegio scilicet, vel consuetudine, ut tradit *Abb. ibid. n.* 2. *Azor cit. c.* 25. *q. ult. Garc. cit. c.* 4. *n.* 1. *&* 2.

LXXXVII. Cæterùm notandum hîc præterea primò, quando collatio Beneficiorum simul ad Episcopum, & Capitulum pertinet, tunc Capitulum habet unam vocem, & Episcopus alteram dimidiam, hoc est, tantum valet vox, seu suffragium solius Episcopi, quàtum vox totius Capituli, vel majoris partis illius: ac proinde si in discordia contulerint, & Episcopus uni, Capitulum verò, vel major ejus pars alteri contulerit Beneficium, tum neutra collatio valet, etiamsi ad suffragium Episcopi aliqui Canonici accesserint, sed minor pars, *Garc. cit. c.* 4. *nu.* 28. *&* 29 & alij apud ipsum.

Notandum secundò. Potest Episcopus, vel alius ordinarius Collator, etiam cùm versatur extra Diœcesin, vel Territorium suum, Beneficia ad suam collationem spectantia conferre, sicut & eorum resignationes admittere; quia utrumque est voluntariæ jurisdictionis, & causæ cognitionem non requirit; *Azor cit. c.* 25. *q.* 12. *Piasec. in praxi Episc. p.* 2. *c.* 5. *artic.* 3. *n.* 87.

Notandum Tertiò. Episcopus, seu Prælatus electus, & confirmatus, etiam ante consecrationem, imò etiam antequam adeptus est Ecclesiæ possessionem, spectato jure communi antiquo, potest conferre Beneficia; quia ad administrationem solùm requiritur confirmatio, ut ex communiore sententia docet *Azor cit. c.* 25. *q.* 10. *&* 11. *Garc. cit. c.* 4. *n.* 257. Idque procedit, nisi alius adhuc in possessione sit Episcopatûs, vel Prælaturæ: item nisi alicubi consuetudo obtineat, ut Episcopus, vel alius Ordinarius non administret, ante obtentam possessionem, tunc enim ea necessaria est, *Azor. c. l. Garc. c. l. nu.* 244. *&* *nu.* 257. Hodie verò *juxta Extravag.* 1. *de Elect. Inter communes*; Episcopi, & alij Prælati, & Abbates etiam Regulares, qui apud Sedem Romanam promoti sunt, vel confirmationem, consecrationem, aut benedictionem acceperunt, non possunt bonorum Ecclesiasticorum administrationem recipere (& consequenter neque Beneficia conferre) priusquàm Literæ Apostolicæ eorum promotionem, confirmationem &c. continentes, expeditæ, & ostensæ fuerint Capitulo, *Garc. cl. n.* 251. *&* *pluribus seqq.*

Notandum quartò. Episcopus existens in Romana Curia, non potest conferre Beneficia vacantia extra illam, in Ecclesijs suæ Diœcesis, sed exire debet è Curia, ut validè ea conferre possit, prout praxis testatur, ut refert *Covarr. l.* 3. *resolut. c.* 20. *n.* 9. Idque conformiter Juri Cæsareo, quo Proconsul Imperium statim deponit, cùm primùm Romam ingressus est, *l. fin. ff. de Offic. Procons.* nam minoris apud majorem cessat jurisdictio. Neque refert, quòd collatio Beneficiorum sit actus voluntariæ jurisdictionis, qui etiam in alieno Territorio exerceri potest: nam etiam voluntaria jurisdictio in Urbe exerceri non potest, *juxta l.* 2. *ff. eod.* ubi dicitur, quòd Proconsul statim atque Urbe egressus est, habet jurisdictionem voluntariam, non autem contentiosam, quam solùm habet in ea Provincia, quæ ei decreta dst, *l.* 1. *ff. eod.* Ergo intra Urbem nec voluntariam habet.

§. III.

Quinam præterea Beneficia conferre possint, vel non possint?

LXXXVIII. Quæritur primò. An qui est in possessione juris conferendi Beneficia licitè, & validè ea conferre possit? Resp. sufficit, ut is, qui confert Beneficium, sit in quasi possessione juris conferendi, licèt penes eum non sit proprietas, modò sit bonæ fidei possessor; nam collatio, electio, præsentatio &c. sunt veluti fructus juris conferendi, eligendi; vel præsentandi, fructus autem ad bonæ fidei possessorem spectant, non ad Dominum proprietatis, *juxta l. bonæ fidei* 48. *ff. de acquir. rer. dom. &* §. *Si quis à non Domino. Instit. de rer. divis.* ut de electione dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 20. Quare is, cui talis bonæ fidei possessor Beneficium contulit, præferri debet ei, cui à proprietario, sive vero collatore ordinario Beneficium est concessum, *Azor cit. c.* 25. *q.* 16. *Garc. p.* 5. *c.* 5. *n.* 10. *&* 3. *seqq.* Porrò si quis provisus sit ab eo, qui bonâ fide extitit in quasi possessione juris conferendi, non debet removeri à Beneficio, quantumvis posteà constet ad alterum proprietatem conferendi Beneficium pertinere, etiam ante obtentam possessionem Beneficij; quia per collationem acceptatam acquiritur jus in re, sicut per institutionem, *c. Si tali* 3. 17. *h. t. in* 6. Neque obstat, quòd proprietas absorbet causam possessionis, cùm de proprietate clarè constat, *c. Cum Dilectus* 3. 6. *de caus. poss. & propr.* quia id verum est, respectu futurorum eventuum, non autem præteritorum, ac proinde respectu collationum subsequentium, non autem, quæ jam factæ sunt, *Garc. c. l. n.* 57. *& seq. contra Abbatem.*

LXXXIX. Quæritur secundò. An Sequester per Judicem constitutus rei litigiosæ, cui annexa est provisio Beneficij, lite pendente, conferre possit Beneficia? Resp. Probabilius est, quòd possit, modò Clericus sit, ut docet *Azor. cit. c.* 25. *q.* 17. *Garc. cit. p.* 5. *c.* 6. *n.* 1. *&* 2. dicens, esse sententiam magis communem, *Castro Palao tract.* 13. *de benef. Disc.* 2. *punct.* 28. *n.* 5. Ratio est, quia Sequester habet administrationem rei sequestratæ, non tantùm quoad temporalia, sed etiam quoad spiritualia, *Clem. unic. de sequest. poss.* atqui ad rectam illius administrationem requiritur, ut jura illius exequatur, inter quæ est etiam jus conferendi Beneficia. Et quamvis sequester non possideat, neque administret nomine proprio, administrat tamen nomine Judicis, seu Superioris, qui illum administratorem constituit, cùm non possit administrare nomine Domini, ignoratur enim, quis in causa victurus sit. Neque verò sequester fructus rei sequestratæ servare debet, nisi illos, qui servari possunt, & solent, cujusmodi non est conferre Beneficia, cederet enim in grave Ecclesiæ detrimentum, si Beneficiorum provisio differretur usque ad litis decisionem. Aliud

est

est de creditore, respectu pignoris, cui est annexum jus providendi de Beneficio, quia pignus certum dominum habet, qui providere potest, non item sequestrum. Aliud item est de conductore ad certum tempus, qui conducit annuos proventus ad Episcopatum pertinentes, is enim non potest conferre Beneficia, quia sub conductione reddituum annuorum non censentur comprehendi fructus spirituales, inter quos numeratur jus conferendi Beneficia, *Azor. c. l. q. 18. Gare. cit. c. 8. n. 10. & 12.*

XC. Quæritur tertiò. An potestas conferendi Beneficia cadat in Laicum? Respond. Jure Communi in personam Laicam cadere non potest, cùm sit potestas spiritualis, cujus Laicus est incapax, c. 2. *De Judiciis*; adeò ut nec ullâ consuetudine vel præscriptione, etiam temporis immemorialis, acquiri possit Laico, *c. Causam 3. 7. de præscript.* quia sine possessione non procedit præscriptio: at Laicus est incapax possidendi jus spirituale, *cit. c. Causam*; *Abb. in c. Dilectus*; 34. *n. 6. h. t.* Ex speciali tamen privilegio Imperatori, & Regibus aliquando ea potestas concessa reperitur, ut colligitur ex *cit. c. Dilectus*; ibi: *ex donatione Regis Præbendarum ejusdem Ecclesiæ collationem haberet. Abb. ibid. n. 6.* Et *in c. Dilecto* 3 40. legitur, donationem Beneficiorum competisse Comitissæ Flandriæ: ubi tamen plerique per donationem, non collationem, sed præsentationem intelligunt, sicut & in priore *c. Dilectus*; *h. t.* Sed & Regi Galliæ potestatem conferendi Beneficia vacantia, in Ecclesia Pastore destituta, concessam esse à Sede Apostolica, exceptis Parochialibus, refert *Azor. tit. c. 25. q. 19.* Porrò non solùm Beneficia in perpetuum conferre non possunt Laici, sed neque ad tempus, sive ut manualia: cùm etiam illa sint vera Beneficia Ecclesiastica in spirituali jure consistentia, quod Laici dare non possunt, & qui ab ipsis Beneficia accipiunt, excomunicati sunt, *c. Si quis 16. caus. 16. q. 7. c. Generali*; 13. *de elect. in 6. c. Relatum*; 21. *de jure patron.* & collatio irrita est, *c. Quod autem*; 5. *eod.* ubi etiam ratio exprimitur; *quia pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui non potest de jure dare.* Similiter tam institutio, quàm destitutio, Ecclesiastici juris est, & potestatis, quæ in Laicum non cadit, *c. Præterea 4. de jure patron.* Imò etsi Laico per speciale privilegium institutio, vel collatio concessa sit, non tamen ea debet extendi ad depositionem; *Laym. inc. 1. n. 16. & 17. de elect.*

SECTIO IV.

DE IIS, QUIBUS BENEFICIA conferri possunt, vel debent.

§. I.

An, & quâ ratione Beneficia Ecclesiastica nonnisi dignis, & idoneis sint conferenda, & de pœnis illa conferentium indignis?

XCI. De hac re agitur in *c. Grave*; 29. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 30. ubi ita statuitur: Grave nimis » & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, » cùm possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, carnali affectione ducti, non ra- » tionis judicio, non verentur indignos assumere, » quos nec morum honestas, nec literarum scien- » tia commendat: unde gravia damna Ecclesijs pro- » venire constat. Volens igitur Concilium huic » malo mederi, præcipit, ut prætermissis indignis, » idonei, qui DEO, & Ecclesiæ velint, ac possint » gratum servitium impendere, assumantur, de quo » in Concilio Provinciali diligens inquisitio (gene- » ralis, sive semiplena, *Gl. hic V. Inquisitio*) singulis an- » nis fiat. Quòd si Prælatus aliquis in hoc reper- » tus fuerit culpabilis, is post unam, & alteram » correctionem (si se non emendet) in Concilio » Provinciali à collatione Beneficiorum suspendi de- » bet, aliaque persona provida ei substitui, quæ su- » spensi defectum in conferendis Beneficijs sup- » pleat. Idémque circa Capitula, si in his negli- » gentiam commiserint, observari debet. Si verò » ipse Metropolitanus in eo delinquat, Superiori » suo) videlicet Papæ, aut Patriarchæ) à Concilio » denunciandus erit, ejusque arbitrio relinquatur. » Prædicta autem suspensionis sententia à nemine re- » laxari potest, præter Romanum Pontificem, & pro- » prium Patriarcham, ut sic quatuor Sedes Patri- » archales specialiter honorentur. Consentit *c. Cum* » *in cunctis*, 7. §. *inferiora de elect. & Clement. 1. de ætat.* » *& qualit. &c.*

XCII. Est autem hîc notanda differentia quoad pœnam decretam *in cit. c. Cùm in cunctis*; §. *fin. & in præsenti c.* Nam in priore eligens (idémque est de collatore) indignum ad Beneficium curatum, pro eâ tantùm vice, seu quoad ejusdem Beneficij collationem, est suspensus, seu privatus: & si Episcopus indigno contulerit Beneficium, vel electum indignum confirmârit, eâ etiam vice, potestate conferendi, vel confirmandi privatus est, & ea potestas devolvitur ad Capitulum, vel Metropolitanum. At verò in hoc *c. Grave*; si Prælati personis indignis conferant Beneficium quodcumque, & moniti se non corrigant, suspenduntur à collatione omnium Beneficiorum, & ea potestas non devolvitur ad Capitulum, nec ad Archiepiscopum, sed ad Papam; juxta *c. Quia 5. de conces. præbend.* Licèt illud aliter explicet, *Gl. hic V. Persona*; sed non bene: ut notat *Abb. hic n. 12.* Deinde notandum, quòd in hoc c. Concilium Generale Lateranense non suspendit à collatione Beneficiorum Metropolitanum, per cujus negligentiam collatum est Beneficium indigno; sed jubet suspendi à Concilio Provinciali, ut patet ex summa apud Abbatem hic; & notavit *Fagnan. hic n. 2.*

Porrò decretum hoc Generalis Concilij Lateranensis innovatum est per Concilium Tridentinum *Sess. 7. c. 3. de reform.* ubi statutum est, ut inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus conferantur: alioquin si aliter facta sit collatio, seu provisio, ea omnino irritetur, & ordinarius collator pœnas Constitutionis Concilij Generalis, quæ incipit *Grave nimis*, incurrat, quæ irritatio collationis, seu provisionis intelligenda est de collatione facta indi-

gno, non autem de illa, quæ sit digno, prætermisso digniore, *Barb. hîc n. 2. de quo §. seq.*

XCIII. Ex dictis colligitur Primò. Per se loquendo, nunquam licitum est conferre Beneficia indignis, si digni, & idonei haberi possint. Est communis sententia apud *Less. l. 2. c. 34. dub. 12. n. 53. Laym. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 1.* Probatur, tum quia id sub gravibus pœnis prohibitum est in *cit. c. Cum in cunctis. & cit. c. Grave; h. t.* tum quia Beneficium datur propter Officium, ergo qui ineptus est ad præstandum officium, inhabilis est etiam ad Beneficium, & jure naturæ non est ad illud admittendus: tum quia gravissima inde incommoda Ecclesiæ accidere solent, si Beneficia conferantur indignis. Quare non tantùm is, qui confert Beneficium indigno, peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem omnium damnorum, ex mala administratione indigni Ecclesiæ obvenientium, ut docet *Rebuff. in praxi tit. de pœnis contra Collatores indignis, &c. n. 6. & 8. Silvest. in summ. V. Restitutio 3. q. 5. Sanch. lib. 2. Consil. c. 1. dub. 45. n. 2. & 4.* & alij Dd. communiter, quia est causa illorum damnorum per injustitiam, cùm enim Beneficia Ecclesiastica (sicut & Officia publica in Republica sæculari) sint instituta, ut ipsa stipendia habeat, quibus idoneos Ministros alere possit, ideò conferens Beneficia, eáque distribuens tanquam bona communia, tenetur ex justitia commutativa eligere, sive assumere Ministros idoneos, faciendo scilicet æqualitatem inter stipendia, quæ Ecclesia dat, & ministros, quos illi præficit, ergo si indignum assumat, peccat contra justitiam comutativam, sive damnum injustum Ecclesiæ infert, ideóque ad ejus compensationem obligatur: imò tenetur etiam stipendium indigno Ministro datum restituere, nempe suis stipendijs providendo de alio digno Ministro.

XCIV. Colligitur secundò. Si digni & idonei Sacerdotes, vel alij Ministri, reperiri non possint in Regione aliqua, v. g. quæ recenter ad fidem Catholicam conversa est, tum inprimis curandum est, ut aliunde alij idonei advocentur, etiam Regulares, si Sæculares Sacerdotes haberi non possint, pro tempore durantis necessitatis, seu donec Sæculares possint instituì. Deinde consultius erit, ut in tali penuria idoneorum Sacerdotum, uni idoneo plures Parochiæ committantur, quas per se, vel per alium administret, quàm ut non idonei, seu mali Sacerdotes assumantur, *arg. c. 1. caus. 21. q. 1. junct. Gl. V. In villis*; Denique si idonei nullo modo haberi possint, tum necessitate cogente, Ministri etiam indigni, quandóque assumi poterunt ad Beneficia etiam curata, ad majora mala impedienda, si Parochiæ, vel Beneficia omnino vacua relinquantur, prout colligitur ex *cit. c. Grave ibi: Cùm Prælati possunt viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere:* ergo à contrario sensu, in defectum idoneorum poterunt assumi indigni *Abb. ibid. n. 2. Less. c. l. n. 55. Laym. cit. c. 15. n. 1.* nam juxta declarat *Cardin. cit. Sess. 7. c. 4. de ref.* stante penuriâ idoneorum Ministrorum, Episcopus providere debet Beneficijs eâ ratione, qua potest meliore. *Limitat hoc Abb. c. l.* Nisi tanta sit indignitas promovendi, ut sine peccato mortali, & gravi aliorum scandalo assumi non possit: deinde addit *Less. c. l. & Laym* quòd si Beneficium collatum sit indigno, is operam dare debeat, ut se, quantùm commodè potest, dignum & idoneum reddat, ut si v. g. sufficientem scientiam non habeat, alioquin ad fructuum restitutionem tenebitur.

§. II.

An licitum sit Beneficia conferre dignis, & idoneis, prætermissis dignioribus, vel dignissimis?

XCV. Assertio 1. Prælati aliíque, ad quos spectat Beneficiorum collatio, vel alia provisio, ut electio, præsentatio &c. semper tenentur curare, quantùm in ipsis est, ut Beneficia conferantur dignissimis, vel saltem dignioribus; ac proinde illicitum est, & quidem peccatum mortale, liberè conferre Episcopatus, vel alia Beneficia curata, quæ Ecclesiasticam Jurisdictionem, vel non modici momenti administrationem annexam habent, minùs digno, si prætermittatur, qui notabiliter dignior, & aptior est, *Covarr. in in reg peccatum p. 2. §. 7. n. 4. Less. cit. c. 3. dub. 4. n. 62. & 64. Garc. p. 7. de benef. c. 16. n. 16. & 17. Laym. cit. c. 15. n. 6. & 8.* Et *alij communiter cum S. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3.* Idque probatur ex Concilio Tridentino *Sess. 24. c. 1. de reform.* ubi dicitur: » omnes, qui ad promotionem præficiendorum » quodcunque jus habent, monet S. Synodus, ut in- » primis bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ » idoneos promoveri studeant, eósque alienis pecca- » tis communicantes mortaliter peccare, nisi quos » digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicave- » rint, præfici diligenter curaverint. Et quamvis Concilium loquatur de promovendis ad Episcopatus: tamen eâdem *Sess. c. 18.* idem statuit de promovendis ad Ecclesias Parochiales, ubi dicitur: Episcopus » eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicave- » rit, atque illi, & non alteri collatio Ecclesiæ (Pa- » rochialis vacantis) ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Ratio est, quia, qui Beneficium, præsertim Curatum confert minùs digno, omisso digniore, facit contra fidelitatem, quam Ecclesiæ ex officio debet, privando eam magno commodo, quod ipse tenebatur ei procurare, & promovere, assumendo Ministrum magis idoneum, præ altero minùs digno, violare autem fidem debitam in re gravi est peccatum mortale.

XCVI. Assertio 2. Etsi quoque illicitum sit conferre Beneficia non curata, & simplicia, v. g. Canonicatus, Capellanias &c. minùs digno, præterito digniore, non tamen videtur esse peccatum mortale, dummodò ei, qui verè dignus est, & idoneus, conferatur, *Less. c. l. n. 66. & seqq.* ubi tamen id limitat, si id rarò fiat, secùs si passim, & frequenter, tum enim censet esse peccatum mortale. Sed alij absolutè negant esse peccatum mortale, secluso particulari statuto, vel juramento, *Garc. cit. c. 16. n. 16. & 17. Laym. c. l. n. 8.* Prius, quòd sit illicitum, adeóque peccatum saltem veniale, probatur; quia Beneficia sunt instituta saltem secundario fine, & minùs principaliter etiam ob commodum, & favorem Ministrorum ad ea promovendorum, & ut præmia illorum: ergo justitia distributiva nonnihil violatur, si Beneficia conferan-

ferantur minùs dignis, & idoneis, & Ecclesia aliquod idcirco incommodum patitur. Ratio posterioris est, quia Ecclesia plerúmque non magnum idcircò damnum patitur, si digno conferatur, præterito digniore, vel dignissimo. Imò Tamburinus *p. 2. in explic. Decal. lib. 8. tr. 3. c. 4. §. 4. n. 5.* asserit, non esse peccatum mortale, si Beneficia non solùm minora, sed etiam majora, & Curata, ut Cardinalatus, Episcopatus, Abbatia, & Parochia dignis, & idoneis conferantur, etiamsi prætereantur digniores, & aptiores: idque probat ex eo, quia sufficit, quòd Episcopus v. g. in negotijs etiam gravibus gerendis, adhibeat moralem, & humanam diligentiam, quam adhibere potest, qui absolutè dignus, & aptus est ad munus Episcopale, alioquin nec quidem dignus erit ac idoneus: non autem obligatur ad exactissimam diligentiam adhibendam, quam dignissimus posset, quia id onus esset intolerabile, imò etsi dignissimus assumptus sit ad Episcopatum, non obligatur sub mortali ad diligentissimam administrationem, licèt eam possit adhibere, sed sufficit, si humano more, & moralem diligentiam adhibeat. Ex quo sequitur, quòd si promoveatur ad Episcopatum, vel aliud Beneficium Curatum verè dignus, & idoneus, etiam omisso digniore, per hoc non graviter lædatur Ecclesia.

Verùm quamvis hæc sententia, propter allatam rationem sit probabilis, in praxi tamen omnino tenendum est, majora & Curata Beneficia sub gravi peccato conferenda esse dignioribus, juxta Trident. *cit. Sess. 24. c. 1. & c. 18. de ref.* ut fatetur etiam ipse Tambur *c. l. n. 11.* At verò, quoad Beneficia inferiora, & non curata sufficere, si conferantur dignis & habilibus, colligitur ex eodem Trident. *Sess. 7. c. 3. de ref.* ubi dicitur, inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus conferenda esse. Neque obstant antiqui Canones, qui videntur requirere, ut Beneficia conferantur digniori, *c. Metropolitano 19. dist. 63. c. Licèt 15. caus. 8. qu. 1. c. 2. de Offic. Cust. & c. unic. Ut Eccles. benef. sine dimin. conf.* Nam, vel loquuntur solùm de Episcopatibus, aliisque Beneficijs Curatis, non de simplicibus: vel intelligendi sunt, non de obligatione ex necessitate, sed ex honestate, & consilio: vel denique sunt per consuetudinem, vel per Concilium Trident. *c. l.* abrogata, quoad Beneficia inferiora, *Garc. p. 7. de benef. c. 16. n. 20. & 21. Tambur. c. l. n. 7.*

XCVII. Assertio 3. Conferens Beneficium, sive Curatum, sive simplex, præterito digniore, & magis idoneo, vel etiam dignissimo, non tenetur ad restitutionem, neque digniori, neque Ecclesiæ: sicut nec ipse Beneficiarius, qui procuravit tale Beneficium, modò sit verè idoneus, & Beneficium non fuerit per oppositionem, seu concursum conferendum: nam cùm hoc casu pactum ineatur cum ijs, qui in examine concurrunt, ut digniori Beneficium conferatur, magna fieret injuria vincenti, si promisso præmio non potiretur, *Tambur. c. l. n. 14.* At verò extra concursum, nullam esse obligationem restituendi docet *Covarr. c. l. n. 6. Sanch. cit. dub. 15. n. 10. & 15. Less. c. l. n. 72. & seqq. Garc. cit. c. 16. n. 42. & seqq. Laym. cit. 6. 15. num. 8.* Idque probatur. Nam inprimis neque conferens minùs digno, neque ipse provisus, si verè dignus sit, tenetur ad restitutionem ipsi digniori, quia huic non est Beneficium debitum, stricto jure, cùm non habeat jus in re, neque etiam jus ad rem, nempe ad Beneficium digno collatum, quia non potest illud petere in judicio, sicut habet præsentatus, vel electus, sed solùm jus habet, latè loquendo, quod consistit in majore aptitudine, seu proportione, ideòque non fit ei propriè dicta injuria. Sed neque Ecclesiæ obligatur restituere, quia cùm inter Ministrum dignum, & stipendium, ac officium, ad quod assumitur, sit æqualitas, conferens digno omisso digniore, non peccat contra justitiam commutativam, nec aliqua intervenit inæqualitas, quæ per restitutionem sit reparanda.

Dices primò. Collator tenetur ex officio promovere ad Beneficium saltem Curatum, digniorem, ob bonum commune Ecclesiæ, sed officium obligat ex justitia commutativa, ergo &c. Resp. non tenetur ex officio, sub obligatione strictæ justitiæ, adeóque sub onere restitutionis providere Ecclesiæ Ministros digniores, sed tantùm verè dignos, & idoneos: neque enim Collatores censent, se sub tali onere obligari: idque tum ob multas perplexitates conscientiæ, quæ indè oriuntur: tum quia conferens digno Beneficium, omisso digniore, non tàm censetur damnum Ecclesiæ intulisse, quàm majus ejus commodum non procurâsse, ad quod potiùs ex fidelitate, vel charitate, quàm ex justitia obligatur. Idem est de Oeconomo Principis, qui non conduxit optimos operarios, sed mediocres, *Sanchez c. l. n. 10. Less. c. l. n. 74. Laym. c. l.* Dices secundò. Beneficia sunt bona communia, ex Ecclesiæ, & Fundatorum ordinatione distribuenda, pro cujúsque meritis, adeóque dignioribus, ergo talis violat justitiam distributivam in ordine ad digniorem? Resp. Beneficia non sunt bona communia talia, quæ principaliter & immediatè sunt instituta in bonum, & utilitatem Ministrorum Ecclesiæ, ut pro cujúsque dignitate, vel meritis distribuantur, non enim sunt principaliter præmia meritorum, vel dignitatis cujúsque, sed sunt bona communia, ut sint stipendia eorum, qui deserviunt Ecclesiæ: quamvis minùs principaliter sint etiam instituta, ad excitandos homines ad studia, ac virtutes, ut ijs præditi Beneficijs præficiantur, ad quod satis excitantur, si sciant dignos præficiendos. Neque verò violatio justitiæ distributivæ inducit obligationem restitutionis, quando non principaliter ipsius ratio habetur, sed tantùm secundariò; & tunc tantùm, quando intervenit etiam violatio justitiæ commutativæ, restitutio enim est actus justitiæ commutativæ, ut docet S. Thomas *2. 2. q. 62. art. 1. in Corp. Covarr. in reg. peccatum p. 2. §. 7. n. 6. Sanch. c. l. n. 15. Less. c. l. n. 73. Tambur. c. l. n. 12.*

XCVIII. Porrò circa prædicta, quædam adhuc notanda sunt. Primò. Dignior hoc loco, censendus est, non qui absolutè doctior, vel sanctior, seu majore virtute præditus est, sed qui, ad Officium, cui præficiendus est, aptior est; quare interdum, qui minùs sanctus est, vel minùs doctus, præferendus est probiori, & doctiori; quia propter potentiam, nobilitatem, vel agendi industriam, magis idoneus judicatur ad regendam Ecclesiam, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 63. art. 2. in Corp. Covarr. c. l. n. 4. Laym. cit. c. 15. n. 6.* Secundò. Si Beneficium ex fundatione, statuto,

vel consuetudine conferendum sit alicui ex certa familia, vel patria: vel si eligendus sit aliquis ex decreto Canonum in Episcopum, vel Prælatum, ex Clericis ejusdem Ecclesiæ, tunc conferri debet magis digno, & idoneo inter illos, non aliis extraneis & dignioribus, modò aliquis inter eos sit idoneus, *Less. cit. c. 34. n. 59. Laym. c. l Garc. p. 7. c. 15. n. 12.* ubi generatim ait, quando Beneficium debet conferri certæ personæ, vel certo generi personarum, id intelligitur, si illa sit idonea, & non aliàs. Tertiò. Si Patronus præsentet dignum, huic conferri debet Beneficium, etsi adsint alij magis digni: idque procedit etiam in præsentato ad Beneficium curatum à Patrono Laico: secùs à Patrono Ecclesiastico, tunc enim dandum est dignissimo, ut colligitur ex Concil. Trident. *Sess. 24. c. 18. de ref. & docet Less. c. l. n. 58. Laym. c. l. nu. 3. Garc. cit. p. 7. c. 16. nu. 18. & 19.* Similiter & is, qui resignat Beneficium suum in favorem alterius, non tenetur quærere dignissimum, sed sufficit, si resignet digno; quia ipsi non incumbit ex officio præficere Ecclesiæ Ministros, *Less. c. l. n. 61. & Laym. c. l.* Quartò. Non est illicitum, si Episcopus Dignitates, vel Beneficia Ecclesiastica conferat potiùs consanguineis suis, quàm alijs, modò cætera sint paria: tum quia juxta ordinem charitatis, tenetur magis subvenire, & benefacere propinquis suis, quàm extraneis: tum quia, cùm majore charitate ipsis conjunctus sit, tantò faciliùs reget Ecclesiam, *Abb. in c. Dilecto; 25. n. 2. h. t. Laym. cit. c. 15. n 8.* Et hinc etiam expedit, ut Beneficia conferantur potiùs indigenis, quàm extraneis, modò illi sint idonei, ut docet *Abb. in c. Ad decorem 3. 5. num. 4. de institut.* quia præsumuntur utiliores futuri Ecclesiæ, magis enim diligunt Patriam, in qua sunt nati, & educat: ob quam causam ait S. Thom. *cit. artic. 2. ad 4.* eligi in Prælatum aliquem, qui est de gremio Ecclesiæ.

XCIX. Postremò hoc loco addendum est, quod statuit Concilium Trident. *Sess. 24. c. 18. & Sess. 25. c. 9. de ref.* ut in Beneficijs curatis, seu parochialibus, quæ liberæ collationis sunt, aut etiam quæ sunt Patronatûs Ecclesiastici, examen instituatur per concursum à deputatis, & juratis examinatoribus, ita ut unum ex ijs, qui idonei ab examinatoribus judicati fuerunt, digniorem seu magis dignum eligat Episcopus, vel si patronatum sit Beneficium, Patronus Ecclesiasticus: atque huic, & non alteri Beneficium curatum ab eo, cui de jure competit, conferatur; quòd si aliter collatio fiat, ea subreptitia, & irrita erit, & provisio, si ad Episcopum spectabat ad Sedem Apostolicam devolvatur, juxta Bullam Pij V. quæ incipit, *In conferendis Beneficijs* edita anno 1567. Calend. Aprilis, quam etiam allegat *Less. cit. c. 34. n. 81.* Quòd si Patronus laicus sit, debet is dignum seu idoneum præsentare, qui si, præmisso examine, ab Episcopo, talis repertus fuerit, absque concursu instituendus est, *Less. c. l.* Est autem hoc examen per concursum adeò necessarium, ut etiam Doctores Theologiæ ad Parochias examinari debeant ab Episcopo, ut respondit S. Congreg. Concil. Trid. apud *Less. c. l. n. 82.* imò etiam ij, qui notoriè docti & probi, adeòque idonei sunt; quia examen hoc à Concilio requiritur tanquam forma, sine qua collatio est irrita, ut ex communi docet Parisius *lib. 8. de resign. benef. q. 9. num. 83. & seqq. Barb. de offic. Episc. alleg. 60. n. 86.* Verùm forma conferendi Parochias per concursum, in Germania non est usitata, quamvis expediret, ut ea reciperetur, & in usum deduceretur, ut monet *Less. c. l. n. 85.* cùm alioquin multi indigni, aut minùs digni promoveantur ad Ecclesias Parochiales, non sine magno damno spirituali animarum.

§. III.

Quænam qualitates, seu conditiones in particulari requirantur in iis, quibus Beneficia Ecclesiastica conferuntur?

C. Plures requiruntur, quarum præcipuas hîc referemus. Prima est, ut sit ex legitimo matrimonio natus, nam illegitimi inhabiles sunt ad Ecclesiastica Beneficia etiam simplicia obtinenda, nisi à S. Pontifice, vel alio habente Ecclesiasticam ad id potestatem fuerint legitimati, *c. Innotuit 20. de elect. c. fin. de fil. Presb. c. 1. eod. in 6.* de quo actum suprà *lib. 1. partim. tit. 6. n. 71. de elect. partim. tit. 17. de fil. Presb. n. 1. & seqq.*

Secunda qualitas est legitima, & conveniens ætas, nam pueri non sunt idonei ad Ecclesiastica Beneficia obtinenda, ut constat ex c. *Super 3. 35. h. t.* ubi Gregorius IX. rescribit. Cùm illi ad Beneficia censeri debeant idonei, qui in Ecclesijs servire possunt, & volunt, pueri autem, & Beneficiati, qui non possunt in eadem Ecclesia deservire, non debent reputari idonei ad serviendum in ea, & consequenter nec ad obtinendum aliquod Beneficium.

CI. Ubi notandum primò. Etsi *Gl. hîc V. Pueri* dicat; appellatione puerorum intelligi, qui sunt infrà septem annos, post septennium verò eos reputari idoneos ad minores Ordines, & consequenter ad Beneficia simplicia. Verùm *Abb.* ait *hîc n. 4.* quòd puer propriè dicatur quis à septimo anno usque ad XIV. à quo incipit adolescentia, ita ut spectato Jure communi antiquo, non sit quis idoneus ad obtinendum etiam simplex Beneficium, quod requirit maturitatem judicij, ut Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis: quamvis ad alia Beneficia simplicia, quæ maturitatem judicij non requirunt, olim sufficiebat septennium completum, *Abb. hîc nu. 12.* Nec obstat c. *Ex eo; 32. de elect. in 6.* Ubi quidam impubes, adeòq; minor 14. annis, factus est Canonicus: Verùm ibi non quærebatur, an ille impubes esset legitimè promotus ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis, nec nè, sed an haberet vocem in electione, quod ibi negatur, ut dictum suprà *l. 1. tit. 6. n. 26.* Oppositum tamen, quòd etiam impuberes, majores tamen septennio, olim poterât promoveri ad Canonicatus Cathedrales, dictum est c. *l.* quæ autem ætas requiratur ad singula Beneficia dictum est, *l. 1. tit. 14. § 2. n. 7. & pluribus seqq.*

Notandum secundò. Spectato Jure communi antiquo, obtinens etiam simplex Beneficium non potest aliud obtinere, primo retento, si hoc sit sufficiens ad sustentationem, ut colligitur ex hoc c. *junct. Gl. V. Beneficiari*; Nam hîc dicitur, quòd propterea Beneficiati non sint idonei ad Beneficium aliud obtinendum, quia cùm teneantur personaliter, ac per seipsos in Ecclesia, vel Beneficio suo servire, non possunt simul servire alteri Beneficio in alia Ecclesia per seip-

seipsos, nam quòd Beneficiatus, etiam puer, per alium substitutum servire possit in alia Ecclesia, vel Beneficio, per se notum est: ergo de jure communi ad Beneficia etiam simplicia requiritur personalis residentia, ut patet ex illis verbis hujus *c. ibi*: *Cum illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt ipsis*, scilicet per seipsos: nam nemo potest corporaliter, & per se ipsum simul ministrare in duabus Ecclesijs, vel Beneficijs. *Abb. hic n. 5. & Fag. n. 3. 4 & 5.*

CII. Tertia qualitas est Clericatus, seu Ordo, nam Beneficiatus debet esse Clericus, saltem initiatus primâ Tonsurâ, per quam Clericalis Ordo confertur, *c. Cum contingat*; 11. *de ætat. & qualit.* Et Laicus, seu non Tonsuratus non est capax Beneficij, *c. Ex literis*; 6. *de iransact. c. 2. de institut.* & est communis sententia Dd. apud *Garc. p. 7. de benef. c. 1. n. 1. & 2.* Ratio est, quia Beneficium fundatur in officio spirituali, ob quod confertur, cujus Laicus non est capax. Ex quo infertur, quòd Laico possit quidem conferri Præbenda Canonicalis, quia est quid temporale, non autem jus Canoniæ, quæ est jus spirituale, quod non cadit in Laicum, *Abb. in cit. c. 2. de instit. n. 4.* Adeò autem necessariò prærequiritur Clericatus, ante omnè Beneficium obtinendum, ut non sufficiat aliquem esse destinatum ad Clericatum, & habitum Clericalem jam deferre, & v. g. cras susceprurum primam Tonsuram, sed necessarium est, ut ante illam jam receperit, alioquin invalida erit Beneficij impetratio, & collatio; sicut nō valet electio, vel provisio ejus, qui hodie nondum ætatem legitimam attigit, sed cras ad eam pervenit: *non enim firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit Reg. jur. 18. in 6. Et quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, l. 29 ff. eod. Azor. p. 2. lib. 6. c. 2. q. 5. Garc. cit. c. 1. n. 9. & 10.* Addit *Azor c. l.* neque capacem esse Beneficij eum, qui primam Tonsuram accepit ab alieno Episcopo, sine consensu proprij, adeóque vitiosè ordinatus est; cùm pœna sint nullam habere Tonsuram Clericalem, & vitiosam, seu inutilem habere: quare sic Tonsuratus dispensatione S. Pontificis opus habet, ut valeat Ordinatio, & Beneficium obtinere possit.

Præterea non valet collatio Beneficij facta ei, qui communi hominum existimatione reputabatur Clericus, si revera talis non erat; quia licèt gesta per Clericum existimatum sint valida, non tamen hic communis error facit illum habilem ad Beneficium obtinendum: cùm enim hæc communis existimatio nitatur præsumptione veritatis, postquàm constat de contraria veritate, videlicet aliquem non esse Clericum, cessat prior præsumptio, eique veritas præfertur, *Paris. de resign. benef. l. 4. q. 2. n. 19. & seqq. Garc. c. l. n. 11.* Sufficit tamen ad obtinendum Beneficium, quod quis communi opinione existimetur esse Clericus, quamdiu de oppositio non constat, *Garc. c. l. n. 12* Non obstant exempla contraria de quibusdam Sanctis, ut Nicolao, & Ambrosio, qui adhuc Laici assumpti sunt ad Episcopatum, *c. Statuimus*; 8. §. *His omnibus*; *dist.* 61. quia, ut respondet *Gl. V. Eodem*; id factum est Divino instinctu, vel dispensativè; *Garc. c. l. n. 13. & 14.* Porrò, an & qualis Ordo in singulis Beneficijs requiratur, dictum est suprà *lib. 1. Tit. 14. de ætat. & qual. & c. §. 5.*

CIII. Cæterùm illud hìc prædictis addendum, quod statutum habetur in *c. Si pro Clericis*; 8. *h. t. in 6.* Si Papa mandet, ut Clericis pauperibus, vel alijs de » Beneficio provideatur, etiamsi curam animarum » annexam habeat, potest eis conferri Beneficium e- » tiam curatum, licèt in sacris Ordinibus non sint » constituti, nec de defectu illo Ordinum in Literis » Apostolicis mentio fiat. Oportebit tamen, ut ad » Ordines, quos Beneficium collatum requirit, se fa- » ciant in proximis à jure statutis temporibus (vide- » licet in IV. temporibus anni, & in Sabbato Sancto, » & in Sabbato ante Dominicam Passionis, *Gl. hic V. à Iure*) promoveri.

CIV. Notandum Primò. Si alicui conferatur Beneficium curatum, non requiritur, spectato jure cōmuni, ut Ordinem sacrum ad illud requisitum actu habeat, sed satis est, si proximo tempore illum suscipiat, & quidem noviore jure, intra annum ab eo tempore, quo quis possessionem pacificam Beneficij est adeptus: (cessante impedimento, vel si per eū stetit, quōminùs eam acciperet, numerandum) *juxta c. Licet*; 14. *de elect. in 6.* & ibi *Gl. V. Annum*; ubi id statuitur de promotis ad Ecclesias Parochiales. *Et in Clem. 2. de ætat. & qual. & in Conc. Trid. Sess. 22. c. 4.* ubi idem statuitur de Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ut intra annum Ordines requisitos suscipere teneantur: (justo impedimento cessante) alioquin vocem in Capitulo non habeant. Idem statuitur *Sess. 24. c. 12. de reform.* ubi Concilium præcipit, ut nemo deinceps ad dignitatem, Canonicātum, aut portionem recipiatur, nisi qui Ordine facto sit initiatus, quem Beneficium requirit, aut in tali ætate, ut intra tempus à jure, & ab hac Synodo statutum (annum videlicet) initiari valeat, de quo suprà plura *l. 1. Tit. 6. n. 79. & 83. & Tit. 14. n. 43. & pluribus seqq.*

Notandum secundò. Non tantùm, si Jure communi; sed etiam si in aliquo statuto particulari, vel in fundatione alicujus Canonicatus, aut Capellaniæ requiratur simpliciter Sacerdotium v. g. nihilominùs potest conferri ei, qui intra annum ad Sacerdotium promoveri potest, etiamsi adhuc in minotibus sit constitutus, ut docet *Anchar. hic not. 2.* quia in dubio verba statuti intelligenda sunt, secundùm Jus commune, *c. Cum dilectus*; 8. *junct. Gl. V. Iure communi*; *de Consuet. & l. 2. C. de noxal. action.* nisi tamen in statuto exprimatur, quòd Beneficium non debeat conferri, nisi ei, qui Sacerdotium suscepit; tunc enim debet esse actu Sacerdos tempore collationis; quia qualitas juncta verbo, debet determinatè accipi, secundùm tempus verbo expressum, *Anchar. c. l.*

Notandum tertiò. Etsi impetratio Beneficij, etiam curati, non vitietur ob defectum Ordinis sacri ad illud requisiti, vel quia in litteris provisionis non fit mentio de Ordine, ut patet ex *hoc c.* vitiatur tamen impetratio Beneficij, ob defectū ætatis, scientiæ, aut morum: si de illis in Literis nulla fiat mentio, ut tradit *Gl. hic in casu & V. De defectu ordinum*; Rationem diversitatis dat *Anch. hic not. 3.* quia defectus Ordinum potest suppleri ab impetrante Beneficium, si in eo sit statu, ut intra breve tempus possit Ordines requisitos suscipere: non ita verò defectus ætatis, & scientiæ supplere potest ab impetrante Beneficium.

CV. Præterea sunt, & aliæ qualitates, seu conditiones requisitæ ex parte promovendi ad Beneficiū, vide-

videlicet ut nullâ censurâ Ecclesiasticâ sit irretitus, ideóq; non excomunicatus, seu ligatus excommunicatione majore, vel minore: non suspensus ab officio, vel Beneficio, non interdictus personaliter, alioquin collatio Beneficij est ipso jure irrita; cùm tales nõ possint exercere officium spirituale, adeóq; non potest eis etiam conferri Beneficium, quod datur propter Officium. Item requiritur, ut promovendus ad Beneficiũ, non sit irregularis, alioquin collatio est vel ipso jure irrita, vel saltem irritanda, *Azor p.2 l.6.c.7.q.2.* & videri potest *Garc.p.7 de benef. c.11.13.& 14.* Et hinc etiam non sunt capaces Beneficij criminosi, aut infames infamiâ juris, vel facti, *Azor c.l.q.3.* quæ omnia patent ex dictis *sup.lib.1 Tit.14.§.4.n.27.& seq.& Tit.6.§.5. n.103.& 3.seqq.de electione.* Nam, qui non possunt eligi ad Prælaturas, vel Beneficia Ecclesiastica, ijs neque conferri illa possunt. Requiritur etiam in promovendo ad Beneficium Ecclesiasticum, vitæ, ac morum honestas, seu probitas, de qua quà suprà *Tit.1.* item scientia debita, & competens pro qualitate, seu conditione Beneficij, de quo actum suprà *lib.1. Tit.14.§.3.* & cœlibatus, nam conjugati sunt incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum, de quo suprà *Tit.3.§.1.*

CVI. Denique inter conditiones requisitas ad obtinendum Beneficium, numeratur etiam intentio status Ecclesiastici. Unde quæritur, an, & qualis intentio necessaria sit ad acquirendum Beneficium? In qua re dicendum primò. Non est necessarium, ut qui Beneficium simplex, vel etiam curatum accipit, habeat propositum omninò absolutum, ac determinatũ permanendi in statu Clericali, vel sacros Ordines suo tẽpore percipiendi, sed sufficit si habeat voluntatem conditionatam perseverandi in illo, & Ordines recipiẽdi, nisi nova justa causa mutandi propositum superveneri: v.g. si status Clericalis postea minùs convenire ei videatur, vel si primogenitus, aut unicus frater moriatur, aut nullos liberos habeat: vel si opimũ matrimonium ad familiam conservandam, vel ad lites extinguendas opportunum ei oblatum fuerit &c. Ita docet *Sanch.lib.7.de matrim disc.43.n.12.Less.l.2.c.34.dub.26. n.131.Laym.l.4.tr.2.c.140.n.9.* & alij apud ipsum. Ratio est, tum quia talis verè habet propositum permanendi in statu Clericali, etsi non absolutum, sed conditionatum: intentio autem conditionalis est vera, & non ficta tantùm intentio: tum quia Ecclesia non intendit ita firmiter Beneficiatum obligare ad statum Ecclesiasticum, ut ob nullam causam possit illum deserere, hoc enim nimis durum foret, & sæpè majora bona impedirentur. An autem is, qui Beneficium Parochiale accepit, animo non suscipiendi Sacerdotium, intra tempus jure præscriptum, & quando ad restitutionem fructum teneatur, dictum est suprà *lib.1. Tit.6.n.83. & 2. seqq.*

CVII. Dicendum secundò. Qui Beneficium non curatum, cui annexa est obligatio sacri Ordinis suscipiendi, v.g. Capellaniam Sacerdotalem accepit, animo fruendi tantùm fructibus ad tempus, & absq; intentione suscipiendi Ordinem sacrũ, intra tempus requisitum, non obligatur ad fructuum restitutionem, ut ex probabiliore sententia docet *Sanch. c.l.n.13. Less.c. l.n.135. Laym. c. l.n.11. contra Rebuf. in praxi tit. De non promotis intra annum, n.83. Garc.p.3.de benef. c.4.n.37.* Ratio est, quia jure positivo, & Ecclesiastico *in c. Commissa, 35. de elect. in 6.* id solùm statutum est de habentibus Beneficia curata, quare cùm levius delictum sit accipere Beneficia simplicia, fine intentione suscipiendi Ordinis sacri eis annexi, non debet Constitutio illa pœnalis extendi ad Beneficia simplicia. Sed neque jure naturali obligatur talis ad restitutionem fructuum, ante Judicis sententiam; quia cùm collatio Beneficij fuerit valida, & qui cùm tali fraudulenta intentio Beneficium accepit, Beneficij titulum, & fructuum perceptorum dominium acquisierit, eo privandus non est, ante condemnationem Judicis, dummodò officium saltem per Vicarium præstet. Illud tamen indubitatum est, quòd talis mortaliter peccet; quia qui suscipit officium aliquod habens annexam certam obligationem, omni Jure Divino, & humano curare debet, ut se ad id idoneum efficiat, *Sanch.c.l.n.14. Less. & Laym. locis cit.*

CVIII. Dicendum tertiò, qui Beneficium simplex non habens annexam obligationem Ordinis sacri, v.g. Capellaniam, quæ per Vicarium administrari potest, accipit, cũ intentione nullius sacri Ordinis suscipiendi; aut in statu Clericali permanendi, & satisfaciendi oneribus, ad quæ Beneficium obligat, is nullum omninò peccatum committit, *Sanch.c.l.n.17.& Laym.c.l.* Nam cum nullũ jus hunc obliget ad Ordines suscipiendos, nec Beneficium eos exigat, nullum præceptum violat, qui tali intentione caret, acproinde nec veniale peccat. Qui verò Beneficium simplex, cui nullus sacer Ordo annexus est, accipit, aut retinet, eo animo, ut ad tempus fructus percipiat, posteaque, eo deserto, ad sæcularem statum redeat, is non tenetur ad ullam restitutionem, neque etiam peccati mortalis damnari potest, dummodo interim, dum Beneficium retinet, officio suo satisfaciat. Ratio est, quia tali Beneficiato, secundùm Jus Canonicum, permittitur libera facultas transeundi ad statum sæcularem, & ad nuptias, modó Beneficium relinquat, *c. Ioannes 37. c. Diversis 35. supr. de Cleric. conjug.* Ergo si hoc ab initio intendat, nullam fraudem committit, nec injuriam contra Ecclesiam. Verùm, quia talis intentio aliquo modo repugnat Beneficiorum Ecclesiasticorum institutioni, quippe quæ instituta sunt, ut conferantur ijs, qui statum Ecclesiasticum sincerè amplectuntur, animo, divino servitio se perpetuò dedicandi, nisi nova causa justa eum statum mutandi emergat, negari non potest, quin aliquam debibiti Ordinis, ac finis perversionem hoc contineat, ita ut à culpa veniali excusari non possit, *Sanch. c. l. n. 19 Laym. c. l. num. 12. Quamvis Garc. c. l.* putet, talem nullo modo peccare.

§. IV.

De aliis duabus Conditionibus, an eæ necessariò requirantur, vel requiri possint ad obtinenda Beneficia?

CIX. Quæritur primò. An præsentia illius, cui confertur Beneficium, sit conditio necessaria ad obtinendum Beneficium, ejúsque possessionem? Resp. negativè, nam Beneficium Ecclesiasticum etiam Clerico absenti per intermediam personam conferri potest, ísque in eo investiri, ut constat ex *c. Accedens; 24. h.t.* ubi

» ubi Pontifex rescribit, quòd Clericus absens per ali-
» um, vel alius magis pro ipso (id est, nomine & vice
» absentis) potest in Beneficio Ecclesiastico investiri.
Quia ille dicitur investiri, cujus nomine alius investi-
tur, *Gl. in casu hîc*, sicut ille dicitur possidere, cujus no-
mine alius possidet, *l. Quod meo*; 18. *in pr. ff. de acq. poss.*

CX; Ubi notandum primò. Dupliciter potest con-
ferri Beneficium absenti, ut notat *Abb. hîc nu. 3. & 2. seqq.* Primò, nullâ interveniente, seu mediante perso-
nâ, & tunc collatio quidem valida est, ex parte confe-
rentis, ita, ut eam revocare non possit, donec absens
declaraverit, quòd acceptare nolit: non tamen per il-
lam acquiritur proviso jus in Beneficio, donec is sciens
illud acceptâvit, *c. Si tibi*; 17. *h. t. in 6. & dictum supra n.* 52. *& seq.* Idq; procedit etiam in alijs electionibus vel
provisionibus; quibus confertur sæcularis Dignitas,
vel administratio, non ex mera liberalitate, sed ex ne-
cessitate, sive obligatione officij; quia eam vacantem
alicui conferre debet; non enim potest collationem
factam absenti revocare, quia censetur functus officio
suo, *Abb c. l. Covarr. l. 3. resol. c. 16. n. 1. & Sanch. l. 3. de matr. dis. 36. n. 4.* Secundò, potest conferri Beneficium
absenti, mediante personâ, quæ locô illius acceptet: &
tunc, vel ipsa persona intermedia nullum habet man-
datum ad acceptandum loco absentis, vel habet. Prio-
re casu, non acquiritur jus absenti in Beneficio, nisi
postquam, re intellectâ, id quod suo nomine gestum
est, ratum habeat, juxta *l. Si ego*; 24. *junct. Gl. V. Imputa-
re, de negot. gest. & tradit. Gl. in c. Quam sit*; 6. *V. Petere, de elect. in 6. & in cit. c. Si tibi*; *V. habueris, & ibid. Franc.* n. 3. Quia sine animo non acquiritur alicui dominium
vel jus aliquod. Posteriore verò casu, vel persona illa
intermedia habuit generale solùm mandatum; & non
sufficit in istis Beneficialibus, aliisq; actibus spiritua-
libus, ad acquirendum jus absenti; tum propter quali-
tatem rerum, tum propter præjudicium; adeò ut nec
conjuncta persona, v. g. consanguineus pro conjuncto
absente acceptare possit Beneficium, cum mandato so-
lùm generali. Vel habet speciale mandatum ad acce-
ptandum in specie, seu in individuo hoc Beneficium,
vel saltem in genere, ad acceptandum Beneficium, si
quod sibi collatum fuerit: & tunc per talem collatio-
nem acquiritur jus, & quasi dominium in Beneficio
absenti, sive in illo investiatur per Procuratorem, sive
Procurator nomine absentis, juxta dispositionem hu-
jus c. *Abb. hîc n. 4. & 5.* Non tantùm autem jus vel qua-
si dominium Beneficij acquiri potest absenti per inter-
mediam personam, sive Procuratorem habentem spe-
ciale mandatum ad acceptandum Beneficium, sed
etiam possessio actualis, si accedat investitura, non
verbalis solùm, sed realis, nam per Procuratorem
etiam possessio absenti, & ignoranti domino acquiri
potest, ut constat *ex l. 1. §. Per Procuratorem; & l. Posses-
sio*; 49. §. *ult. ff. de acquir. poss. & l. 1. C. eodem.*

Notandum secundò. Duplici etiâ modo, seu formâ
verborũ potest conferri Beneficium absenti, per inter-
mediâ personâ Procuratoris. Primò, si Superior dicat:
conferimus absenti Titio tale Beneficium, vel inves-
timus te de tali Beneficio, sive investimus illũ de tali Be-
neficio, per te Procuratorem ipsius. Secundò, conferi-
mus tibi Beneficiũ, nomine & loco Titij absẽtis; & iste
posterior modus magis probatur Papæ in hoc c. ut col-
ligitur ex vocula *magis*: quo casu se habet Procurator,
ut merus internuncius Domini, seu Principalis, nudũ
ministerium præstans, cujus nomine Beneficium, vel
ejus possessionem acceptat, juxta *l. Quod meo*; 18. *junct.
Gl. V. Præstat; ff. de acquir. posses.* ita, ut nihil juris ex col-
latione tali ipsi Procuratori acquiratur, *Abb. hîc nu. 2.*

Notandum tertiò. Licèt tutius sit, & usitatum, ut
Clericus constituatur, qui locô Beneficiati absentis,
Beneficium acceptet, & in eo investiatur: absolutè ta-
men potest etiam Laicus esse Procurator Clerici in ta-
li causa, *arg. c. 1. de Procur. in 6.* quia jus spirituale Be-
neficij non acquiritur ipsi Laico præsenti: sed per
ipsum velut canalem, seu exhibentem nudum mini-
sterium, transit in ipsum Dominum, seu Principalem,
ut notat *Joan. Andr. hic n. 2. & Abb. n. 6.*

CXI. Quæritur secundò. An per consuetudinem
induci possit, vel per statutum decerni, ut soli Nobiles
& Illustres, exclusis Ignobilibus cæterò quin idoneis,
admittantur ad Dignitates, & Canonicatus in quibus-
dam Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis? Resp.
Talis consuetudo reprobatur *in c. Venerabilis*; 37. *h. t.*
Nam cùm Episcopus Portuensis Legationis Apo- »
stolicæ munere in Germania fungeretur, Præben- »
dam Canonicalem, quæ in Ecclesia Argentinensi »
tanto tempore vacaverat, ut ejus collatio ad Sedem »
Apostolicam esset devoluta, contulit Clerico J. & »
periis à Papa, ut collationem suam faceret obser- »
vari. Sed Capitulum Cathedrale per Procuratorem »
suum se opposuit, allegans antiquam consuetudi- »
nem hucúsq; inviolabiliter obsevatã, juxta quam, »
nullũ nisi Nobilem, Liberum, & ab utroq; paren- »
te Illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis »
scientiæ, in suum Collegiũ recipiant, & ideo ne quid »
contra hanc Ecclesiæ suæ consuetudinem attentare- »
tur, ad Sedem Apostolicam appellavit, maximè cùm »
nulla tunc Præbenda vacaret, antequã monitorias, »
& executorias Literas ex Curia Romana accepisset. »
Ad hoc respondit Gregorius IX. exceptiones illas »
Capituli non esse admittendas, cùm nõ generis, sed »
virtutum nobilitas; vitæq; honestas gratum faciat »
Deo, & idoneum servum Dei ac Ecclesiæ, & ad regi- »
men Ecclesiæ non multos nobiles, secundùm car- »
nem, & potentes elegerit Deus, sed ignobiles ac- »
pauperes: non enim acceptio personarum est apud »
Deum, & cùm insuper vix ad culmina Dignitatum, »
ne dum ad Præbendas, nisi eminentis scientiæ, repe- »
riri possint. Quare mandat Pontifex suis delegatis, »
ut si constiterit, prædictam Præbendam eo tempore »
vacâsse, quando Episcopus Portuensis eam Clerico »
J. contulit, ipsum ad illam recipi faciant. »

CXII. Notandum primò. Per nullam consuetu-
dinem quantumvis diuturnam induci potest, ut soli
Nobiles recipiantur ad Canonicatus Ecclesiæ Cathe-
dralis, vel Collegiatæ; quia talis consuetudo repugnat
primæ institutioni, & fundationi Ecclesiarum Cathe-
dralium, & Collegiatarum, quippe quæ sunt fundatæ
ad sacra ministeria ritè celebranda, & ad cultũ ac ser-
vitium Dei, ad quæ requiritur nobilitas virtutum, &
scientia, non autèm nobilitas generis, ideóque talis
consuetudo, per quam excluduntur ab ijs Ecclesiis
ignobiles, etsi virtute sint præditi ac scientiâ, irratio-
nabilis censenda est, nec observanda.

Notandum secundò. Multò minùs valet statutum,
excludens ignobiles alioquin idoneos à Canonicati-
bus Ecclesiarũ Cathedraliũ, vel Collegiatarũ; nam con-
suetudo majorem vim habet cõtra SS. Canones, quàm
statutũ: per consuetudinẽ enim rationabilẽ & legiti-
mè præscriptã abrogari potest Jus cõmune Canonicũ,

c. *ult. de Consuetud.* non item per statutum, Episcopus enim vel alius Prælatus Papâ inferior nihil contra Canones statuere potest, *c. Quod super his*; 9. *de Major. & obed. Abb. hîc n.* 4. & patet ex alibi dictis.

CXIII. Notandum tertiò. Etsi consuetudo ejusmodi recipiendi in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis solos Nobiles rejiciatur *in hoc c.* tanquam illegitima: de facto tamen ab Ecclesia, ob graves causas toleratur. Quòd si ex prima fundatione alicujus Ecclesiæ sęcularis, vel regularis hæc conditio expressè requiratur, ut ad eâ Ecclesiâ tantùm Nobiles aut Illustres recipiantur, valida erit talis fundatio, seu institutio, *arg. c. Verùm*; 4. *de condit. appos. & ibi Gl. V. conditione donatur*: cùm talis modus, pactum, vel conditio fundationi appositа, ut non nisi Nobiles aut Illustres recipiantur in aliqua Ecclesia, secundùm se & ex objecto suo non sit illicita, dummodò aliàs etiam sint idonei, sive virtute & scientiâ prædíti. Idque confirmatur, quia frequens est, & usu receptum, ut fundationes Beneficiorum fiant pro certa familia, aut ex certâ Civitate oriundis, ita, ut si idonei sint, reliquis sint præferendi, nec admittantur extranei: ergo etiam fieri possunt hujusmodi fundationes pro solis Nobilibus aut Illustribus: Sic etiam in Episcopatu Constantiensi extat consuetudo, vel statutum, ut nullus recipiatur in Canonicum Ecclesiæ Cathedralis, nisi sit oriundus ex Provincia Moguntina, in qua existit ille Episcopatus. Quare probabile est, quòd hujusmodi Capitulares non admittentes ad suum Collegium ignobiles, se etiam tueri possint titulo præscriptionis, seu consuetudinis, per tempus immemoriale, à prima fundatione continuatæ, etiamsi fortè talis conditio in ipsis Literis fundationis non sit expressa; quia adest capacitas, tam in præscribentibus, quàm in illis, qui admittuntur: Accedit, quòd ad Canonicatus illarum Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, in quibus non recipiuntur, nisi Nobiles vel Illustres, etiam in Curia Romana non admittuntur Ignobiles, si v.g. in tali Ecclesia vacet Canonicatus aliquis in mense, in quo juxta Concordata Germaniæ, collatio ad Papam spectat, ergo saltem quoad Germaniam, Papa approbavit talem consuetudinem, & dispositioni hujus c. derogavit.

§. V.

An, & quando Beneficia Sæcularia conferri possint Regularibus, & Regularia Sæcularibus?

CXIV. Regula generalis est, quòd Beneficia sæcularia Clericis sæcularibus, & vicè versâ, regularia nonnisi Regularibus conferri debeant; quia rationi non congruit, ut homines disparis professionis vel habitûs, simul in eisdem Ecclesiis socientur, *Clem. 1. de Elect. c. In novâ*; 22. *caus. 16. q. 7.* Est autem hæc regula desumpta *ex c. Cùm de Beneficio*; 5. *h. t. in 6.* ubi ita statuitur: » Si Papa mandet alicui provideri de Beneficio » Ecclesiastico, quod Clericis sæcularibus consuetum » est assignari, de illo debet intelligi, quod ab uno vel » pluribus sæcularibus Clericis, tanquam Rectoribus » in eo institutis, tanto tempore continuè ac pacificè » fuit gubernatum, quantum ad legitimam præscri- » tionem complendam sufficit: etiamsi ante vel post » illud tempus Religiosi quandòque in eodem Be- » neficio ministraverint. Si verò mandetur à Papa, » ut Clerico sæculari provideatur de aliquo Priora- » tu, non potest ei provideri de Prioratu, qui per Re- » ligiosos, tempore ac modo suprà dicto guberna- » tus fuit, (scilicet per 40. annos continuè & pacificè, » ab uno vel pluribus in illo institutis, *Gl. fin hîc*) nisi » id in mandato fuerit expressum. »

CXV. Notandum primò. Clerici, seu Ministri Ecclesiæ instituendi sunt in Beneficiis seu Præbendis secundùm qualitatem Beneficij: sæculares scilicet in sæcularibus, regulares in regularibus: & hinc Clerici sæculares non possunt esse Præbendarij in Ecclesiis regularibus, nec regulares in sæcularibus, *Anchar. hîc not.* 3. Quare si Papa mandet Titio, v. g. Clerico sæculari conferri Rectoriam, Prioratum, vel aliud Beneficium, tale illi conferendum est, quod per sæculares Clericos solitum fuit gubernari; quamvis in mandato id non fuerit expressum, ut constat *ex hoc c.*

Notandum secundò. Concessio Papæ, vel alterius Principis, licèt verbis generalibus facta sit, restringi debet secundùm qualitatem personæ impetrantis, & materiam subjectam: licèt enim Prioratus sit nomen generale, & commune ad sæcularem & regularem, si tamen impetrans sit Clericus sæcularis, non debet extendi ad Prioratum Regularem, sed restringi ad sæcularem, *Gl. hîc V. Prioratu*; *Jo. Monachus n.* 3. & 4. *Franc. n.* 3. Consentit Text. *in c.* 10. *infr. de reb. Eccles. non alien.* ubi habetur, quòd Episcopus non debeat Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueverunt, Clericis assignare.

CXVI. Potrò prædicta Regula generalis Limitatur primò, quòd per plenitudinem potestatis Papalis potest Beneficium sæculare conferri Clerico regulari, & vicè versâ, regulare sæculari, ut significatur *in hoc c. in fine*, & notat *ibid. Anchar. not.* 3. Limitatur secundò, nisi urgeat necessitas, quando scilicet non inveniuntur idonei Clerici sæculares, tunc enim præsici possunt regulares Beneficiis sæcularibus; & vicè versâ sæculares regularibus, deficientibus idoneis regularibus, ut colligitur *ex c. Inter*; 5. *de Relig. dom. & c. Abbate*; 25. *in fine de V. S.* & tradit *Rebuff. in praxi ben. tit. de Dispens. cum Regular. n.* 40. *Garcias p.* 7. *de Benef. c.* 10. *n.* 16. *Castr. Palao dis.* 1. *pun.* 3. §. 1. *num.* 1. Nam convenientius est Beneficium gubernari per Clericos diversæ professionis, quàm omni gubernatione destitui, vel malè gubernari, & necessitas non habet legem.

CXVII. Limitatur tertiò, ad Dignitatem Episcopalem, sive in regulari, sive in sæculari Ecclesia, promoveri possunt Regulares, etiam Monachi, & quamvis non expressè, sed tacitè solùm in Religione sint professi; quia ad eam etiam Ordinis Novitij, & Clerici sæculares admittuntur, *c. Nullus*; 28. *de Elect. in 6. Clem.* 1. *in fine eodem, Garc. c. l. n.* 30. *& alij.* Ubi nomine Dignitatis Episcopalis communiter comprehendunt Dd. quamlibet aliam Prælaturam sæcularem curam animarum habentem, ita, ut ad illam regularis absque ullâ dispensatione eligi, vel assumi possit; cùm in ijs procedat eadem ratio, quæ in Episcopatu, videlicet favor animarum, quarum cura geritur, *Gl. in cit. Clem. 1. V. Sæcularis*; *Abb. in c. Quod Dei*; 5. *n.* 5. *de Statu Monach. Sanch. lib.* 7. *Mor. c.* 29. *n.* 35. *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 4. *n.* 1. An autem etiam regularis ex non mendi-

cantium

sentium Ordine assumi possit ad Prælaturam Ecclesiæ Collegiatæ sæcularis, dubitatur? In affirmativam sententiam inclinat *Gl. in cit. Clem. 1. V. Sæcularis*; *Abb. c. l.* & docet *Sanch. c. l. n. 73.* quia eadem videtur ratio, quæ de Episcopatu; nam & Præpositus talis habet curam eorum, qui ad Collegium pertinent. Alij verò probabilius negant apud *Abbat. c. l.* & sequitur post *Svar. Tom. 4. de Relig. l. 3. c. 19. n. 27. Pal. c. l. n. 7. & 8.* Nam Canonica Regula est, Beneficia sæcularia Clericis sæcularibus, regularia autem regularibus conferenda esse, juxta *hoc c.* Item Religiosos ad sæculares Ecclesias assumendos non esse, ne à professione sua deficiant, *c. Super eo; 9. de Regul.* à qua regula non est recedendum, nisi exceptio habeatur in jure expressa, cujusmodi nulla habetur, nisi de Ecclesiis Cathedralibus *in cit. Clem. 1. de Elect.* & de Parochialibus *in cit. c. Quod DEI; de Stat. Monach. Laym. in qq. Canon. de Præl. Elect. q. 254.* Illud certum est, Religiosos Mendicantes non posse ad Ecclesias Cathedralibus inferiores, sine licentia S. Pontificis postulari, vel assumi, ut expressè habetur *in Extrav. unic. de Postul. Præl. inter communes, Sanch. c. l. n. 73.*

CXVIII. Limitatur quartò. Spectato Jure communi antiquo, Monachi poterant Beneficiis Curatis seu Parochialibus præfici, si id necessitas Ecclesiæ, vel utilitas postularet, *c. In Parochiâ; 31. c. Cum pro utilitate; 34. c. Ne per cujuslibet; 37. caus. 16. q. 1.* Ratio erat, quòd officium prædicandi, vel Cura animarum esset privilegiata, ut ob eam Monachos à contemplatione ac solitudine sua revocare liceret. Posteà verò id immutatum fuit quoad Monachos, ut absque dispensatione, Parochiis præfici non possint, si illæ à Conventu aut societate Fratrum sejunctæ essent: quamvis quoad Canonicos Regulares, pristinum jus manserit incorrectum, ut constat *ex cit. c. Quod DEI; de Statu Monach.* Porrò ut Regularis eligi possit, vel assumi ad Cathedralem, vel Parochialem Ecclesiam, requiritur proprij Prælati Regularis licentia, *c. Si Religiosus; 27. in princ. de Elect. in 6.* non verò consensus Conventûs, §. *Quia verò; ibid.* Et quamvis ibi solùm mentio fiat de Electione ad Prælaturam, requiritur tamen ea licentia ad quodlibet aliud Beneficium à Religioso obtinendum; cùm ratio Textûs etiam in aliis locum habeat, quia Religiosus liberam voluntatem non habet, sed subjectam suo Superiori, & constat etiam *ex c. 1. dist. 58. Sanch. cit. c. 29. n. 57.* & alij apud ipsum. Neque sufficit licentia generalis concessa ad quodcunque Beneficium, si ad aliquod eligi contigerit, ut constat *ex Clem. fin. de Elect.* sed licentia debet subsequi electionem vel collationem, *Sanch. c. l. n. 59. & 60.* quam Superior tenetur dare, & ad eam dandam compelli potest à suo Superiore, si necessitas vel utilitas Ecclesiæ postulet, *Arg. c. Nullus; 7. de jure Patron. Sanch. c. l. n. 68.* Verùm hodie Jure novo, nulli Religiosi, neque Canonici Regulares, ad Ecclesias Parochiales, aliasve sæculares Curatas, (nisi Monasteriis unitæ sint) absque Papæ dispensatione, promoveri possunt, juxta Responsa Pontificum, & Cardinalium declarationes, quas allegat *Sanch. cit. loc. n. 71. & Garc. cit. c. 10. n. 31. & 2. seqq.*

Simplicia verò Beneficia sæcularia, v. g. Canonicatus, ne quidem spectato Jure antiquo, conferri possunt Regularibus, nullâque est collatio eis facta, *c. Super eo; 9. de Regular. & c. Quod Dei; 5. de Stat. Monach.* Ratio est, quia si conferantur Religiosis Beneficia simplicia sæcularia, daretur eis occasio otij & vitæ mollioris, contra professionem Regularem, nec potest Episcopus in hoc dispensare; quia nullibi reperitur ei talis facultas concessa, *Abb in cit. c. Quod DEI; n. 5. Sanch. c. l. n. 75. & 76. Garc. cit. c. 10. n. 28. Less. l. 2. c. 41. n. 99. infine, & alij Dd. communiter.* Nec obstant Textus, qui in contrarium adferuntur, *c. DEUS; 11. de vita. & honest. Cleric. c. Quorundam; 6. dist. 74.* quia Ecclesiæ, de quibus ibi est sermo, fuerunt Regulares; *Sanch. c. l. n. 75.* Illud certum est, quòd Monachi, aliiq; Religiosi ex dispensatione Papæ possint fieri capaces Beneficiorum sæcularium, ita, ut illa possint obtinere, etiam in Titulum perpetuum: potest enim Papa dispensare in Jure Canonico statuente, ut Beneficia sæcularia Regularibus conferantur, *Garc. c. l. n. 39. & 40.*

CXIX. Limitatur quintò, supra dicta regula generalis: nisi Prælaturæ vel Beneficij qualitas, aut status per continuam & pacificam possessionem sit mutatus, ita, ut ex Regulari Beneficio fiat sæculare, adeóque deinceps conferri possit Sæcularibus: vel è converso, ex sæculari fiat regulare, ita, ut de cætero conferri possit Regularibus: Nam si Prioratus, vel Capellania, vel aliud Beneficium ex prima institutione fuerit regulare, id est, pro Regularibus fundatum: posteà verò collatum sit Clericis sæcularibus, uni vel pluribus, qui in eo tanquam Rectores fuerint instituti, ita, ut continuis 40. annis, quietè, sive sine contradictione, bonâ fide, ab uno vel pluribus Clericis sæcularibus fuerit possessum, & gubernatum, tunc tale Beneficium, quod antè fuit regulare, efficitur sæculare: nihil obstante, quòd posteà (post completam præscriptionem 40 annorum) iterum instituatur in eo Clericus regularis, dummodò non tanto tempore, videlicet continuis 40. annis, is administret tale Beneficium, ut nova præscriptio introducatur, & prior aboleatur; prout habetur *in cit. c. Cum de Beneficio; h. t. in 6. junct. Gl. V. legitimâ, & V. post.* Similiter si Beneficium, quod antè fuit sæculare, annis 40. continuè ac pacificè administretur ab uno vel, pluribus Regularibus, efficitur, & censetur esse regulare, saltem in ordine ad hoc, ut deinceps Sæcularibus Clericis conferri non possit, sed solùm Regularibus, ut colligitur *ex cit. c. §. Quando verò; Sanch. c. l. n. 15.* Et hinc patet, per unum actum, si habeat tractum successivum, ita ut relinquat aliquo modo effectum continuatum, per tempus legitimum jure requisitum ad præscriptionem, sufficere ad illam perficiendam, prout sumitur *ex hoc c. ibi: quod tanto tempore ab uno.* Nam si unus Rector, sive Sæcularis Beneficium regulare, sive Regularis sæculare, per 40. continuos annos possideat, & administret bonâ fide, perficietur præscriptio, ita ut Beneficium, quod fuit regulare, fiat sæculare, & vice versâ.

CXX. Ex dictis infertur, plures conditiones requiri, ut ex Beneficio sæculari fiat regulare, vel vice versâ, ex regulari sæculare, ut notat *Sanch. cit. c. 29. n. 16. & seqq.* Primò, continua & pacifica possessio per 40. annos; quia præscriptio legitima adversùs Ecclesiam, regulariter est quadragenaria, *c. De quarta; 4. & c. Ad aures; 6. de Præscript.* Idque procedit, non solùm si Beneficium, quod anteà sæculare erat, per præscriptionem transeat seu mutetur in regulare; nam talis præscriptio adversatur juri, quod Beneficia sæcularia intendit,

ac præsumit esse Beneficium sæculare, si dubitetur de qualitate Beneficij: sed etiam ut Beneficium regulare transeat in sæculare, in utroque enim casu requiritur præscriptio 40. annorum; quia *cit. c. Cùm de Beneficio; h. t. in 6.* loquitur eodem modo, in utroque eventu, requirens legitimam præscriptionem, ut apertè colligitur ex illis verbis: *de Prioratu, qui per Religiosos, juxta modum præmissum* (scilicet per 40. annos continuè & pacificè, *Gl. fin. ibid.*) est solitus gubernari; *Sanch. c. l. nu.* 17. *Garc. cit. c.* 10. *num.* 34. *&* 35. Quamvis aliqui, hoc posteriore casu, putent sufficere præscriptionem x. annorum, ut Beneficium regulare mutetur in sæculare, eò quòd tunc Beneficium reducatur ad suum primævum statum Juri Communi conformem, *Palao cit. pun.* 3. §. 4. *n.* 4. Verùm dicta intelligi debent, quando de anteriore statu Beneficij constat, vel legitimè probatur, illud priùs fuisse regulare, vel contrà, sæculare: nam si de priore statu & contraria qualitate Beneficii non constat; quia nimirum quandóque fuit administratum per Clericos sæculares, quandóque fuit per Religiosos, non tamen tanto tempore, ut sit legitimè præscriptum, tunc, cùm non sit probatum naturam Beneficij mutatam esse, ultimus Beneficij status attendi debet, maximè si sit sæcularis, qui est magis juri communi conformis, *Franc. in cit. c. Cùm de Beneficio; n.* 3. §. *Et prædicta locum habent; h. t. in 6. Sanch. c. l. n.* 18. *Garc. c. l. n.* 34.

CXXI. An autem ad prædictam præscriptionem requiratur etiam Titulus, dubitatur? Ubi distinguendum est, nam vel præscribitur status Beneficij sæcularis, si dicatur Beneficium hoc solitum esse gubernari per sæculares, tempore ad legitimam præscriptionem requisito, adeóque censendum esse sæculare: & tunc sufficiunt 40. anni sine Titulo, quia talis præscriptio est solùm contrà jus privatum, non autem contrà jus commune, sed ei potiùs conforme, cùm secundùm jus commune, omnia beneficia præsumantur esse sæcularia. Vel præscribitur status sæcularis beneficij; quia dicitur tanto tempore gubernatum fuisse beneficium per Religiosos, adeóque esse censendum beneficium regulare: tunc etiam ad repellendum Clericum sæculârem, sufficit beneficium administratum esse per 40. annos, etiam sine Titulo. At verò ad præscribendum contrà jura Episcopalia, non sufficit, quòd beneficium, v. g. Capella vel Ecclesia Parochialis per 40. annos administrata fuerit per Regulares, sed requiritur insuper Titulus, vel tempus immemoriale sine Titulo, *Arg. c.* 1. *de Præscript. in* 6. quia Jus Canonicum resistit, ut Capellæ vel Ecclesiæ Parochiales à cura Episcopi sive Lege Diœcesana abstrahantur, à qua alioquin loca Religiosa sunt exempta, *Lapus in cit. c. Cùm de Beneficio; nu.* 6. *Ancharan. ibid. not.* 4. *Franc. n.* 9. *Sanch. c. l. n.* 19. Non est autem hîc sermo de Parochiis, quæ Monasteriis sunt unitæ, salvis juribus Episcopalibus, neque de Ecclesiis Parochialibus, in quibus Canonici Regulares sunt instituti, ita, ut maneant Parochiæ sæculares, *c. Quod Dei* 5. *de Statu Monach.* hæ enim per Religiosos administrantur, non ut beneficia regularia, sed ut secularia, *Ancharan. in cit. c. in fine.*

CXXII. Secundò requiritur, ad hoc ut transeat Beneficium regulare in sæculare, vel è converso, ut possidentes tale beneficium sint in eo instituti, ut patet *ex cit. c. ibi: Clericis instituta*, non enim sufficit, ut de facto solùm possideant, *Gl. ibid. V. Institutis*; quia sine Canonica institutione non potest obtineri beneficium, *c.* 1. *de R. I. in* 6. ubi tamen institutio latè accipitur pro collatione, vel quâvis alia provisione, *Rebuff. in Concordatis de Collat.* §. *Volumus; V. regularia in* 1. *Requisito, Sanch. c. l. n.* 21.

Tertiò requiritur, ut sint in eo instituti tanquam Rectores, *cit. c. ibi. Institutis in eo Rectoribus, junct. Gl. V. Institutis*: neque enim suum statum amittere potest, si unus vel plures illud rexissent, solùm ut Vicarij, vel conductitij Clerici, Vicarius enim non suo, ut proprium, sed alieno nomine Beneficium possidet, *Franc. in hoc c. nu.* 3. *in Gl.* 2. *Rebuff. c. l.* §. 3. *Requiritur, Sanch. c. l. n.* 22.

Quartò, ad hoc ut Beneficium sæculare transeat in regulare requiritur, ut possidentes illud administraverint tanquam Regulares, nam si Religiosus præficiatur Ecclesiæ sæculari certæ, non ut Regularis, sed instar Clerici sæcularis, tunc ad mutandum statum Beneficij, non sufficit administratio quadragenaria: & vice versâ, Beneficium Regulare non potest transire in sæculare, nisi per 40. annos administratum sit à sæculari tanquam sæculari, *Franc. in hoc c. n.* 9. *&* §. *Intellige; Sanch. c. l. n.* 23. notat tamen *Felin. in c. In nostra* 31. *nu.* 41. §. 2. *nota de Rescript.* sufficere; si ea qualitas sit expressa in primo instituto, ita, ut ipse fuerit institutus, tanquam in Beneficio Regulari, si prætenditur regulare: vel tanquam in sæculari, si prætenditur sæculare; quia Successoribus præsumitur eodem modo conferri, ipsósque possessionem habitam continuare.

Quintò requiritur, ut Beneficium conferatur animo & intentione velut imprimendi alium statum Beneficio, ideóque conferens in collatione dicere debet Regulari, *confero tibi Beneficium sæculare*, & sæculari, *confero tibi Beneficium regulare*, licèt non sit illius qualitatis, *Rebuff. c. l.* §. 3. *Requiritur; Sanch. c. l. n.* 25. Ex quo sequitur, si Beneficium regulare Clerico sæculari, vel sæculare Regulari conferatur ex dispensatione, etsi possideatur ab ipso spatio 40. annorum, non mutari naturam Beneficij collati; tum quia non confertur ex intentione mutandi statum Beneficij: tum quia ea collatio non fit in Titulum: sed potiùs jure administrationis seu Commendæ, *Rebuff. c. l. in* 4. *Requisito; Sanch. c. l. n.* 24. ubi addit, quòd cùm talis possideat beneficium ex speciali indulto aut privilegio, ea possessio nihil juvat ad præscriptionem. Sextò denique requiritur bona fides in possidente; quia malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit, *Rebuff. c. l.* §. 2. *Requiritur; Sanch. c. l. num.* 26.

CXXIII. Superest hoc loco una adhuc Quæstio, an Novitiis Religionum conferri possint beneficia regularia vel sæcularia? Resp. primò, Novitio non potest conferri Prælatura, vel Beneficium Regulare, quod administrationem habet, *c. Nullus; 28. de Elect. in 6.* exceptâ dignitate Episcopali, ad quam eligi potest, sive secularem, sive regularem, *cit. c. Nullus; in fine.* Sed neque alia beneficia regularia, spectato Jure antiquo, conferri possunt; quia hæc solis Professis sunt conferenda, *Clem. unic. de Suppl. Negl. Præl. & Clem.* 1. §. *Sanè de Stat. Monach. Sanch. lib.* 7. *Mor. c.* 4. *n.* 24. *Garc. cit. c.* 10. *n.* 4. At verò juxta Decretum Concil. Trident, *Sess.* 14. *c.* 10. *de reform.*

form. Regularia Beneficia vacantia nondum Professis, imò & ijs, qui habitum nondum susceperunt, conferri possunt, dummodò habitum illius Religionis, in qua est beneficium, suscipere, & professionem emittere teneantur, & ad id se obligent, alioquin beneficium resignare, aut eo privari debent, *Sanch. c. l. ubi num.* 25. addit, quòd Papa soleat beneficium Regulare concedere Clerico sæculari ad certum tempus, intra quod Religionem profiteri debet, & post professionem illud habeat in Titulum.

Resp. Secundò, Beneficia sæcularia Novitiis conferri possunt, estque collatio valida, quamvis id non deceat, *Sanch. c. l. n.* 22. *Garc. c. l. n.* 5. *& 6. contra Gl. in c.* 4. *de Regul. V. Conferendum.* Ratio est, quia Novitius est adhuc sui juris, & proprij retinendi capax, ac proinde potest acceptare beneficium, & redire ad sæculum, & si capax est retinendi beneficij, ante ingressum Religionis obtenti, usque dum professionem emittat, erit etiam capax illud accipiendi, & nullus Textus juris extat, in quo prohibeatur beneficium conferri Novitio, quamvis id non deceat, ne ipsi ansa detur redeundi ad sæculum: neq; verò acceptando beneficium sæculare simplex, vel curatum censetur Religioni renunciare, cum etiam simplex non sit incompatibile cum Novitiatu, quamvis secutâ professione, vacabit: si verò egrediatur, illud possidere poterit in perpetuum, *Sanch. c. l.* Hinc sequitur primò, quòd Novitius cum altero beneficium suum commutare possit, non minùs, quàm alius sæcularis Clericus, *Sanch. c. l. n.* 22. Secundò, si beneficium vacet, quod in fundatione sua primogenito v. g. ex certa familia debetur, isque sit Novitius, illud non potest conferri alteri, sed expectandum est usque ad illius professionem, vel tempus, quo renunciare bonis suis potest, constituto interim Vicario in beneficio, aliàs collatio alteri facta erit nulla, *Sanch. c. l. n.* 23.

SECTIO V.

DE PLURALITATE BENEficiorum compatibilium & incompatibilium, sæcularium & regularium.

§. I.

An licitum sit plura Beneficia simul obtinere & retinere, ac qualia?

CXXIV. Notandum primò. *Ex S. Thomâ quod lib 9. art.* 15. habere simul plura beneficia Ecclesiastica non est intrinsecè malum, sicut fornicatio vel adulterium, quæ nunquam licitè fieri possunt, alioquin in nullo casu dispensatio locum haberet: neque etiam est aliquid omninò indifferens ad bonum & malum, sicut est comedere, & bibere, ambulare, &c. sed est tale aliquid, quod tametsi speciem mali præseferat, & inordinationem aliquam involvat: potest tamen, concurrentibus certis circumstantiis, ita honestari, ut sit licitum, sicuti est hominem occidere.

Notandum secundò. Plura beneficia simul obtinere ex duplici capite deformitatem continere potest. Primò, si unum beneficium alicui ad honestam vitæ sustentationem sufficiat; tunc enim superfluum & indecens est, adeóque rectæ rationi non congruit, habere alterum. Secundò, si quædam beneficia, ex prima sua institutione, non possint simul ab eodem obtineri, & administrari, ut notat *Laym. lib.* 4. *Theol. Mor. tract.* 2. *c.* 8. *n. not.* 2. Et hinc beneficia alia incompatibilia dicuntur, alia compatibilia. Incompatibilia sunt, quæ vel jure naturali, vel jure communi Ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto, aut fundatione, continuam residentiam personalem requirunt, ideóque simul obtineri & retineri non possunt: cujusmodi sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, duæ perpetuæ Vicariæ, & cætera beneficia curata: item duæ dignitates sive personatus, & beneficia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, v. g. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ. Compatibilia verò beneficia sunt, quæ personalem residentiam non requirunt, ideóque simul obtineri & retineri possunt, qualia sunt duo beneficia simplicia, personalem residentiam non requirentia, *Azor. p.* 2. *Instit. lib.* 6. *c.* 10. *q.* 1. de quo infrà.

Rursum beneficia incompatibilia, alia sunt primi generis, sive simpliciter incompatibilia, ita, ut unum ipso jure excludat alterum, posterius prius, nam obtento secundo, ipso jure, vacat primum: qualia sunt beneficia suprà nominata. Alia sunt secundi generis, sive incompatibilia secundùm quid, quæ scilicet licitè simul retineri non possunt, absque dispensatione, non tamen ita pugnant inter se, ut prius vacet, obtento posteriore, quamvis altero quis privari possit per Superiorem, cujusmodi sunt duo Canonicatus in diversis Ecclesiis, & reliqua, quæ personalem residentiam quidem requirunt, non tamen habent dignitatem, personatum, vel curam animarum annexam, nec sunt uniformia sub eodem tecto, licèt sint simplicia, *Azor. cit. c.* 10. *q.* 1. §. *Alij respondent. Less. l.* 2. *de Just. c.* 34. *dub.* 27. *num.* 140. Dicuntur autem beneficia uniformia, quæ in eadem Ecclesia instituta sunt ad eundem finem, habéntque idem prorsus onus & officium, eodem tempore, explendum, *Piasec. in praxi Episc. p.* 2. *c.* 5. *a.* 3. *n.* 73. Sub eodem autem tecto esse dicuntur, non solùm illa beneficia, quæ sunt sita, vel erecta in ipsa Ecclesia principali, sed etiam in Capella, Cœmiterio, vel ambitu contiguo Ecclesiæ: non item, quæ sunt, ita in Capella vel Cœmiterio non contiguo Ecclesiæ principali, sed extra septa illius, *Garc. p.* 11. *de Benef. c.* 5. *n.* 259. His præmissis, sit

CXXV. Assertio prima. Ordinariè non est licitum Clerico obtinere ac retinere duo aut plura beneficia qualiacúnque, etiam simplicia, & quæ continuam residentiam personalem non postulant, quando unum illorum beneficiorum ad honestam & commodam sustentationem Clerici sufficit. Ita docet *Gl. in c. Dudum*, 5 4. *V. Retinere*; *de Elect. Abb. in c. Extirpandæ*, 30. §. *Qui verò*, *n.* 34. *h. t. Silvest. V. Beneficium*, 4. *q.* 1. *in fine. c. Azor. cit. c.* 10. *q.* 2. *& q.* 7. *Laym. cit. c.* 8. *n.* 2. & alij plerique Theologi & Canonistæ. Idqud probatur *ex c.* 2. *dist.* 70. ubi dicitur: *omninò in duabus* (Ecclesiis) *aliquem intitulari non liceat, sed unùsquisque, in quâ intitulatus est, in eâ tantùm Canonicus habeatur.* Idem decernitur *in c.* 1. *& 2. caus.* 21. *q.* 1. *c.* 1. *caus.* 13. *q.* 1. *c. Episcopi* 3. *junct. Gl. V. Singuli*, 5 *dist.* 80. *c.* 1. *dist.* 89. & sumitur etiam *ex c. Cùm ad eò*, 17. *& c. Postulasti*, 27. *de Rescript.* Idem decretum

cretum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro » III. relato *in c. Quia in tantum*; 5. *h. t.* Ubi cùm re- » latum esset, quod Clerici aliqui, ex nimia ambi- » tione, non tantùm duas, vel tres, sed plures etiam » Ecclesias (sive plures in ijs Præbendas seu Benefi- » cia) haberent, cùm nec duabus possint simul de- » bitè deservire: ideo præcipit Pontifex, cum Con- » cilio, hoc per Episcopos emendari; quia multitu- » do Præbendarum Canonibus inimica est: dissolu- » tionis & evagationis occasionem præbet, certúm- » que continet animarum periculum: Quare caven- » dum est, ne plures Præbendæ uni conferantur, sed » ut indigentibus Clericis subveniatur, qui Eccle- » siis deservire possint. Consentit Concilium Tri- dentinum *Sess. 24. c. 17. de reform.* ubi statuit, ut in- posterum, unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, si quidem ad vitam ejus, cui con- fertur, honestè sustentandam sufficiat.

CXXVI. Porrò multæ causæ, ob quas prohi- betur unum obtinere plura Beneficia seu Præbendas, colliguntur *ex hoc c.* quas refert *Abb. hîc n. 2. not. 2.* Nam primò, id procedit ex radice ambitionis. Secun- dò, quia non potest quis simul pluribus Ecclesiis, sicut par est, servire, cùm vix unum officium dignè implere valeat, *c. 3. supr. de Cleric. non resid.* Tertiò, quia præbet ansam dissolutionis, tam in moribus, quàm in vestibus, & alijs. Quartò, quia dat licen- tiam vagandi ab una Ecclesia ad alias etiam longè dis- sitas. Quintò, quia continet periculum animarum, nam peccatum est plura Beneficia simul obtinere, scilicet sine dispensatione & justa causa, *Gl. fin. hîc.* De- nique multa alia incommoda invehit pluralitas ista Beneficiorum, quæ recensentur *in Extravag. Execra-* » *bilis unic. Joann.* XXII. *in princ. h. t.* Videlicet quòd » interdum unus, qui unicum, quamvis modicum, » officium vix implere sufficeret, plurimorum sibi » vendicet stipendia, id est, arroget, & applicet, quæ » multis & probis viris, qui nunc mendicant, possent » abundè sufficere, æquâ distributione factâ: Divi- » nus cultus minuitur, dum unus, locô plurium, in- » stituitur: hospitalitas debita non servatur: Eccle- » siarum commodis detrahitur, & bonorum (dum » carent Rectorum & defensorum auxilio) ædificia » magnificè extructa patent ruinis, & cura anima- » rum negligitur, & vitia foventur. Videri potest *Re- buff. in praxi benef. tit. de Dispens. ad plura Beneficia n. 2. & seqq.* Verùm quia hujusmodi incommoda & inor- dinationes separari possunt, & abesse, propter alias circumstantias supervenientes, ideo tunc non erit malum, vel illicitum plures Præbendas obtinere, ut ex infrà dicendis patebit.

CXXVII. Ex dictis infertur, quòd per nul- lam consuetudinem induci, nec per privilegium, vel dispensationem etiam S. Pontificis concedi possit, ut Clericus, si unum, vel plura Beneficia ad decentem ejus sustentationem sufficiant, aliud insuper recipiat, & retineat, præterquam si justa & rationabilis causa excusans adsit, ut ex communi docet *Abb. in cit. c. Quia tantùm; n. 3.* idque fusiùs probat *in c. Extirpan- dæ* 30. §. *Qui verò; num. 36. Azor. cit. lib. 6. c. 12. q. 7.* Ratio est, quia consuetudo repugnans juri naturali, adeóque juncta cum peccato non valet, sed potiùs corruptela est & abusus, *c. pen. & ult. de consuet.* & pri- vilegium seu dispensatio concessa contra jus natura- le, aut naturalem æquitatem, secundùm D. Bernar- dum, potiùs dissipatio est, quàm dispensatio: plurali- tas autem Beneficiorum sine rationabili causa, est contra jus Divinum & naturale; adeóque tunc Ponti- fex dispensaret, non in jure positivo, sed Divino, in quo sine justa causa, nec validè, nec licitè dispensare potest, ut si votum, vel juramentum sine justa causa relaxaret: quamvis Clericus sic dispensatus à Papa non incurreret pœnas à jure statutas in eos, qui mul- ta simul obtinent Beneficia, quia in jure positivo di- spensare potest Pontifex, saltem validè, etiam sine o- mni causa, *Azor. c. l.*

CXXVIII. Assertio 2. Nullus Clericus po- test simul habere duas dignitates vel personatus, seu in una, seu in diversis Ecclesiis, prout statuitur *in c. Ad hæc* 3 17. *h. t.* Ubi dicitur, omni rationi contrarium » est, quòd unus Clericus, in una vel diversis Eccle- » siis, plures dignitates vel personatus obtineat, cum » singula officia (earum dignitatum vel personatuũ) » in Ecclesiis assiduitatem personarum exigant. Ex- » cipe, nisi quis dispensationem Sedis Apostolicæ, ex ju- sta causa, obtineat, *c. De multa*; 28. *h. t. Gl fin. hîc.*

Notandum primò. Habere simul plura Benefi- cia, alienum est à recta ratione, ut dicitur *in hoc c.* ad- versatur enim juri naturali, & Divino, quod exigit, ut unus unam habeat conjugem carnalem, ergo etiam unam conjugem spiritualem, *c. Sicut* 3 4. *caus.* 12. *q.* 2. Adversatur rationi Juris Canonici, ex cujus dispo- sitione singula officia singulos ministros requirunt, ut hîc & *c. Cum singula*; 32. *eod. in 6.* Adversatur rationi Ju- ris Civilis, quâ cavetur, ne unus ascribatur in duabus militiis, *l. 1. §. In posterum*; *C. qui milit. non poss. l. 12.* De- niq; hæc pluralitas adversatur etiam rationi congruæ locutionis, si enim Petrus duos Canonicatus habeat, cogimur dicere, Petrus Canonici venit, *Abb. hîc n. 1.*

Notandum secundò. Non tantùm in una, sed etiam in diversis Ecclesiis prohibitum est, habere plu- res dignitates vel Beneficia: magis tamen Canones horrent, ut quis plura Beneficia habeat in una Eccle- sia, ut *ex infrà dicendis patebit.*

Notandum tertiò. Omnes dignitates & perso- natus requirunt continuam residentiam in Ecclesiis, ut colligitur *ex hoc c. ibi*: *Assiduitatem*; & notat *Abb. hîc n. 3. & Imol. n. 2. de quo tit. præced.*

CXXIX. Porrò habens plures dignitates, unâ retentâ, quam maluerit, alteram dimittere compelli- tur, prout sumitur *ex c. Præterea* 3 14. *h. t.* Nam cùm Clericus G. in duabus Ecclesiis, Burdegalensi & » Tolosana, Archidiaconus constitutus esset, Ale- » xander III. mandat, ut uno, quem maluerit, » Archidiaconatu contentus, alterum dimittat. Est » autem probabiliùs hîc sermo, non de Canonico Re- gulari, sed de Sæculari Clerico, secundùm unum in- tellectum hujus c. qui constitutus fuit Archidiaconus in duabus Ecclesiis sæcularibus, & in sua institutio- ne ac investitura, in utraque Ecclesia, obedientiam Episcopo regularitet, id est, canonicè est professus, nam Canon idem est quod regula, *Abb. hîc n. 1.* Alij verò intelligunt hoc c. quòd in illo, utraque Ecclesia fuerit Regularis & Cathedralis, & quòd optio eligen- di Archidiaconatum, quem mallet, ex speciali gratia ei à Papa concessa fuerit; quia aliàs posteriùs collatum retinere debuisset, cùm professus in una Ecclesia vel Monasterio, desinat esse professus in altero, *c. Constitu-*

tis; 47.

tis; 47. de Elect. Innoc. hîc & Abb. n. 2. Procedit autem dispositio hujus c. secundùm tempus antiquum, ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. Nam hodierno jure habenti duas Dignitates non datur optio retinendi, quam maluerit: sed priùs obtenta vacat ipso jure, ita, ut alteri non possit resignari, *c. De multa; 28. h. t.* de quo infrà.

CXXX. Assertio 3. Non solùm autem plures Dignitates Ecclesiasticas, vel personatus, sed etiam plures Ecclesias parochiales simul recipere, contra SS. Canonum instituta, non licet, prout habetur *in c. De multa; 28. in princ. & §. Hoc idem, h. t.* Sed neq; duas Vicarias perpetuas unus simul habere potest: neq; etiam Rectoriam & Vicariam, *Rebuff. in praxi benef. tit. de Dispens. rat. æt. §. Incompatibilia; n. 3 & 9.* Porrò duæ, vel plures Dignitates, & Beneficia curata censentur incompatibilia, ita, ut nullâ ratione duo simul obtineri, & retineri possint, nisi unum eorum conferatur in Titulum, alterum in Commendam temporalem, v. g. ad sex menses, quæ non dat Titulum, nec incompatibilitatem inducit; secus est de Commendâ perpetua, quæ fit ad vitam ejus, cui datur Beneficium, hæc enim confert Titulum Canonicum; *Piasec. in praxi Episcop. p. 2. c. 5. art. 3. n. 75. & 2. seqq.*

CXXXI. Assertio 4. Nemo potest duo Beneficia uniformia seu similia, etiam simplicia, v. g. duos Canonicatus sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia simul obtinere, & retinere, ut ex communi docet *Azor. p. 1. l. 6. c. 11. q 1. Garc. p. 11. c. 5. n. 182. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 5.* & sumitur *ex cit. c. De multa; §. Hoc idem; ibi: in eadem Ecclesia, & c. Literas; 9. de Conces. Præb. & Clem. un. h. t.* Ratio est, quia si aliquis duo Beneficia conformia seu similia in eadem Ecclesia habeat, v. g. duos Canonicatus, minuitur numerus Canonicorum, adeóque etiam cultus Divinus. Et quidem Jure Communi longè difficiliùs conceditur, ut quis simul habeat duo Beneficia uniformia, sive similia, in una eademque Ecclesia, quàm in diversis. Unde cui à Papa concessum est, ut duo Beneficia simul possit obtinere, non intelligitur ei concessum, ut in eadem Ecclesia duo Beneficia similia simul obtineat, etiamsi fuerint simplicia, *Azor. c. l.*

CXXXII. Assertio 5. Non potest quis simul habere duo Beneficia simplicia, etiam in diversis Ecclesiis, si ambo requirant personalem residentiam incompossibilem; cùm unus idémque simul in duobus locis residere non possit, ut ex communi docet *Abb. in c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; n. 30. h. t. Rebuff. in praxi tit. de Dispens. rat. æt. §. Incompatibilia, n. 5. Garc. cit. c. 5. n. 261. Laym. c. l. n. 6. & constat ex Decreto Concil. Trident. Sess. 24. c. 17. de ref.* Talia Beneficia sunt inprimis duo Canonicatus diversarum Ecclesiarum, in quibus observatur Decretum Conc. Trident. *Sess. 24. c. 12. de ref.* juxta quod Canonicis nō licet, ultrà tres menses quolibet anno, ab Ecclesiis suis abesse. Verùntamen in ijs Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ nostræ, in quibus, ex recepta immemoriali consuetudine, non requiritur perpetua totius anni residentia: sed tantùm residentia medij anni, vel 4. aut trium mensium, earum Canonicatus seu Præbendæ non debent computari inter Beneficia incompatibilia; cùm non requirant residentiam incompossibilem, sed illis satisfieri possit, residendo singulis annis per tot menses in singulis Ecclesiis, quot in ijs requiruntur, ut notat *Laym. c. l.* Præterea inter Beneficia, quæ ratione residentiæ personalis incompossibilia sunt, numerandæ etiam sunt duæ Capellaniæ obtentæ in Ecclesiis diversis, & longè dissitis, quarum utraque personale servitium ex prima fundatione requirit, ideóque neutra per Vicarium administrari potest, cùm justæ fundatorum voluntates sint servandæ, *Laym. c. l.*

CXXXIII. Assertio 6. Potest quis simul obtinere, & retinere duo Beneficia curata, unum per se, & alterum accessoriè, absque dispensatione, v. g. Archidiaconatum habentem curam animarum, cui accessoriè annexa, seu unita est Ecclesia Parochialis, ut constat *ex c. Super eo; 6. h. t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. rescribit, » quòd si quidam personatū (quandoq; etiam curam » animarum habentem) in Ecclesia Cathedrali vel » Collegiata obtineant, unâ cum Præbenda, cui ex » antiqua & approbata consuetudine est unita Eccle- » sia Parochialis, simul possit utrumq; Beneficium & » Personatum, & Parochiam ei annexā retinere, abs- » que dispensatione (Papæ, *Gl. fin. hîc*) quia hoc non est » contrarium Concilio Lateranensi (sub Innocentio » III. *in c. De multa; 28. h. t.*) Ratio est, quia in decreto illius Concilij solùm prohibetur, ne quis plures Dignitates curatas, vel plures Ecclesias Parochiales simul obtineat; at, qui Dignitatem habet, seu Personatum, etiam cui per se imminet cura animarum, ut est Archidiaconatus, vel Decanatus, etsi simul accessoriè & per accidens ei annexa sit Ecclesia Parochialis, extra Cathedralem Ecclesiam, non censetur habere duo Beneficia curata: quia Ecclesia Parochialis accessoriè annexa Dignitati, vel etiam Præbendæ Canonicali, dicitur esse suppressa, & extincta, ideóq; censetur simplex Beneficium, ut ait *Gl. hîc in casu*, eiq; æquiparatur; quia nimirum cura animarum actu, & quoad exercitium, est penes Vicarium, quem is, qui Dignitatem vel Canonicatum habet, in Ecclesia Parochiali sibi substituere debet, juxta *c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; & c. Expositi; 33. h. t.* penes principalem verò Rectorem, qui constituit Vicarium, cura solùm est in habitu, loquendo de cura fori pœnitentialis: quamvis cura, sive jurisdictio fori externi & contentiosi maneat penes eum, qui habet Dignitatem, vel Personatum, cui annexa est Parochia, si quidem illi talis jurisdictio competat, *Franc. hîc n. 2.* Quare Dignitas vel Præbenda Canonicalis, cui annexa est Ecclesia Parochialis, non ut duo, sed ut unum Beneficium reputari debet, ut ait *Jo. Monach. hîc n. 3.* Nam Ecclesia Parochialis, propter unionem seu accessionem ad alterum Beneficium, sortitur naturam & conditiones ipsius Beneficij principalis, *arg. c. Accessorium; 42. de R. J. in 6.* ideóque Archidiaconus vel Canonicus non tenetur per seipsum residere in Parochia suæ Præbendæ annexa, *Gl. hîc V. non obviat*; cura enim, quæ venit accessoriè, non est attendenda, sed natura tantùm & qualitas Beneficij principalis, etsi hoc sit minùs dignum, seu simplex, cui Beneficium curatum subjicitur, & accessoriè annectitur, *Anchar. hîc not. 3.* Et hinc etiam non est necessarium, ut in impetratione Beneficij principalis fiat mentio de Beneficio curato, vel Parochiali, cùm per se non vacet, sed accessoriè veniat: secus est, si utrumq; Beneficium, Dignitas, vel Canonicatus essent per se instituta, & neutrū alteri subesset, nec esset accessoriū alteri, tunc enim de utroq; mentio facienda esset, *Anch. c. l. & Franc. n. 3.*

CXXXIV. Porrò licet aliquis simul obtinere possit duo curata Beneficia, unum per se, & alterum accessoriè, ut ex dictis patet: non tamen potest quis simul obtinere duos Canonicatus, v. g. sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, unum per se, & alterum accessoriè, prout

prout ſtatutum habetur *in Clem. ſi juxta 6. & ult. h.t.*
» Ubi decernitur, ſi quis ex mandato Papæ Canoni-
» catum & Præbendam ſit adeptus in una Eccleſia, po-
» terit in eadem Eccleſia acceptare Dignitatem inibi
» poſteà vacantem, v.g. Archidiaconatum, tametſi il-
» li certa Præbenda ſive Canonicatus annexus ſit; ſed
» priorem Præbendam ſeu Canonicatum amittet, eâ-
» que hoc ipſo vacabit, poſt obtentam pacificam poſ-
» ſeſſionem ſecundæ Præbendæ, cum Archidiaconatu. Nam ut inquit *Gl. ibid. V. Vacabit*; jura plus abhorrent ab eo, quòd unus habeat duas Præbendas ſimplices in eadem Eccleſia, quàm ut habeat duo Beneficia curata: prius enim non permittitur etiam jure acceſſionis, quia curatum annexum eſt Præbendæ, juxta *cit. c. Super eo*; Addit *Gl. ibid.* quòd nemo poſſit eſſe triplex in eadem Eccleſia, ſine diſpenſatione Papæ, hoc eſt, præter Dignitatem, vel Perſonatum habere duas Præbendas, etiamſi altera ſit acceſſoriè annexa Dignitati, *Garc. p. 11. c. 5. n. 187.* nec valet conſuetudo contraria, *c. 1. de Conſuet. in 6. n. 7.*

CXXXV. Aſſertio 7. Licitè poteſt quis ſimul obtinere, & retinere plura Beneficia ſæcularia, quæ ratione reſidentiæ perſonalis, ſunt compatibilia, ſi unum ad congruam vitæ ſuſtentationem non ſufficiat. Eſt communis ſententia apud *Laym. cit. c. 8. n. 9.* & colligitur *ex Concil. Trident. cit. Seſs. 24. c. 17. de ref.* ubi ſtatuitur, ut unum tantùm Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem, ſi ad vitam honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominùs aliud ſimplex ſufficiens (dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat) eidem conferre. Uti ex declar. Cardin. apud *Jo. Gallem. ibid. n. 3.* habetur, quòd Epiſcopus poteſt conferre ſecundum Beneficium, ſi primum non ſufficit ad ſuſtentationem, ſed ſi duo non ſufficerent, non poteſt conferre tertium, absque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.

CXXXVI. Hinc infertur primò, quòd poteſt quis licitè ſimul obtinere, non ſolùm duo Beneficia ſimplicia, quæ reſidentiam non requirunt: ſed etiam unum reſidentiam non requirens, cum alio eam requirente, ſi alterum eorum non ſit ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, *Garc. cit. c. 5. n. 262.* & colligitur *ex Concil. Trident. c. l.* quando dicit, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat.

Infertur ſecundò, quòd quis ſimul poteſt obtinere plura Beneficia in diverſis Eccleſiis, ſi id neceſſe ſit ad honeſtam ſuſtentationem, quæ incompoſſibilem reſidentiam non exigunt, ut duos Canonicatus, qui perpetuam reſidentiam totius anni non requirunt, ut ſuprà dictum: item plura Beneficia in eadem Eccleſia, quæ difformia ſunt, v.g. Dignitatem, ut Præpoſituram, vel Decanatum, & ſimplicem Canonicatum; quia per hoc non minuitur numerus Canonicorum, ſi quis plura Beneficia, continuam reſidentiam non poſtulantia in diverſis Eccleſiis, vel difformia in eadem Eccleſia obtineat; cùm poſſit aliquis ſimul ſervire Eccleſiæ, v. g. ut Præpoſitus, & ut Canonicus: & qui eſt Canonicus in diverſis Eccleſiis, poteſt diverſis temporibus in utràque reſidere, & ſuffragium dare in Capitulo: ſecus eſt, ſi habeat duo Beneficia uniformia, v. g. duos Canonicatus in eadem Eccleſia, tunc enim magis minuitur numerus Canonicorum, qui eſt certus ac definitus, v.g. duodenarius, & magis Eccleſia neceſſariis ſibi Miniſtris deſtituitur, dum enim uni duo Canonicatus conferuntur, jam Eccleſia unius Canonici conſilio, operâ, & miniſterio privatur, *Abb. in c. Cùm jam dudùm; 18. n. 9. h.t. Nav. l. 3. Conſil. 21. & 24. n. 4.* Unde neq; jure acceſſionis id licet, ſi enim Præbendatus aut Canonicus dignitatem, vel Perſonatum cum cura, vel ſine cura adeptus ſit in eadem Eccleſia, cui ſimilis Præbenda, ſive Canonicatus, qualem anteà habuit, annexus ſit, prior Canonicatus & Præbenda ipſo jure vacat, *Abb. in c. Literas; 9. de Conceſs. Præb. num. 2.*

Dices, habens unum Beneficium curatum, poteſt habere, & retinere aliud Beneficium ſimplex, cui eſt annexum aliud curatũ, *c. Super eo; 6. h.t. in 6.* ergo multò magis habens unũ Beneficium ſimplex, poteſt obtinere alterum Beneficium curatũ, cui eſt annexum aliud Beneficium ſimplex; tum quia magis incompatibilia ſunt duo Beneficia curata, quàm duo Beneficia ſimplicia, tum quia annexum, ſeu acceſſoriũ ſequitur naturã principalis, & ab eo regulatur: ergo cùm Beneficium curatum, v.g. Rectoria, ſit compatibile cum priore Beneficio ſimplici, etiam Beneficium, quod eſt Rectoriæ annexum, erit compatibile cum priore Beneficio ſimplici. Reſp. *cit. c. Super eo*; loquitur de duobus Beneficiis curam animarum habentibus, ſed non ſub eodem tecto, ſive in eadem Eccleſia: & ſic non licet habere in eadem Eccleſia, duo Beneficia curata, etiamſi alterum habeat per annexionem alicui Beneficio non curato: ſicut non poteſt quis ſimul habere duo Beneficia, etiam ſimplicia, ſi ſint uniformia in eadem Eccleſia, *Navarr. l. 3. Conſil. 23. n. 3. h.t.* ubi addit, quòd hîc non ſit eadem ratio in Beneficio principali, & in acceſſorio, ſimplici unito Dignitati, v. g. Decanatûs; quia Beneficium principale eſt difforme priori Beneficio ſimplici, ideóque cum illo compatibile, poſterius verò ſimplex eſt uniforme, ideóque incompatibile.

CXXXVII. Porrò etſi ſpectato jure antiquo, Dignitas & Canonicatus, & omnia alia Beneficia requirant perſonalem reſidentiam, ideóque ſint incompatibilia ſecundi generis, ita, ut ſine diſpenſatione, ſaltem Epiſcopi, ſimul retineri non poſſint: eſt tamen ei jam per conſuetudinem derogatum, quoad Beneficia ſimplicia, ita, ut attento etiam Concilio Tridentino, ſine ulla diſpenſatione, poſſit quis ſimul habere Dignitatem, v. g. Decanatum & Canonicatum in eadem Eccleſia. Neque obſtat *c. Literas; 9. de Conceſs. Præb. & Clem. ult. h. t.* quia loquuntur de Beneficiis ejuſdem ſpeciei & uniformibus, non autem difformibus in eadem Eccleſia, *Navarr. l. 3. Conſil. 24. nu. 5. Garc. cit. c. 5. n. 235. Leſs. cit. c. 34. n. 144. Laym. c. l. n. 7.*

CXXXVIII. Infertur tertiò. Probabile quoq; eſſe, quod docet *Navarr. in Conſil. 16. h. t.* poſſe aliquem ſimul habere duas Capellanias in duobus Altaribus ejuſdem Eccleſiæ, cum onere, ut in uno Altari bis, v.g. in hebdomada celebret, in altero ter, alijs diebus; quia licèt uno nomine generali Capellaniæ appellentur, reipsâ tamen non ſunt Beneficia uniformia, ſed difformia cenſenda; cùm diſtincta onera ſeu officia in diverſis Altaribus habeant. Idque ſaltem licitum eſt, ſi conſuetudo ſit recepta, ut unus Capellanus duas Capellanias hujuſmodi in eadem Eccleſia habeat, quarum altera non eſt ſufficiens ad ſuſtentationem Capellani, *Garc cit. c. 5. n. 229. Laym. c. l. n. 7.* Unde poteſt etiam Rector, ſeu Parochus alicujus Eccleſiæ, præter Rectoriam, ſeu Beneficium curatum, ſimul retinere Capellaniã in eadem Eccleſia exiſtentem, *Navarr. cit. Conſil. 16. n. 1.* qui etiam addit *in Conſil. 22. n. 2. h.t.*

quòd

quòd vi consuetudinis immemorialis, possit quis etiam duas tales Capellanias in eadem Ecclesia retinere, unâ cum dignitate vel officio, quod obtinet, si dignitas illa vel officium non sit sufficiens ad decentem sustentationem ipsius, quia non sunt Beneficia uniformia.

CXXXIX. An autem possit quis plura Beneficia simplicia non requirentia personalem residentiam simul retinere, etiam quando unum eorum est sufficiens ad honestam sustentationem, dubitatur! Affirmat *Innoc. in c. fin. n. 1. de Cleric. non resid. & in c. Cùm jam dudum; 18. n. 4. h. t. Rebuff. in praxi tit. de dispens. rat. æt. §. In Cathedralibus; Vers. Quod est verum;* Ubi ait, istam sententiam consuetudine invaluisse, eámque Papam scire, & tolerare. Negativa, tamen sententia verior est & communior, quam tenet *Abb. in cit. c. Cùm jam dudum; n. 8. & in c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; n. 34. h. t.* quæ probatur ex *c. Conquerente; 6. de Cleric. non Resid. & Concil. Trid. Sess. 24. c. 17. de ref.* Quia habentes plura Beneficia non necessaria ad vitæ sustentationem, vendicant, & appropriant sibi stipendia plurium, & occupant locum Clericorum pauperum instituendorum in illis Beneficiis. Idque procedit spectato Jure communi, nam an consuetudine contrarium induci possit dicetur §. *seq.*

§. II.

An, & quâ ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura Beneficia obtineat, & retineat, in eadem vel diversis Ecclesiis?

CXL. Assertio 1. Nullâ consuetudine, nec quidem immemoriali, ac juramento firmatâ, introduci potest, ut Canonicus cum Præbenda Canonicali, duas dignitates vel personatus, aut duo officia, aut unam dignitatem & personatum, & officium simul obtineat in eadem Ecclesia, absque dispensatione Sedis Apostolicæ; ut constat ex *c. 1. de consuet. in 6.* & dictum suprà *lib. 1. Tit. 4. n. 97.* Ratio est, quia talis consuetudo, quæ ex radice ambitionis procedere solet, & tendit in diminutionem cultûs Divini, præbet occasionem negligendi administrationem rerum Ecclesiasticarum, adeóque cedit in grave Ecclesiæ detrimentum, ut ex suprà dictis patet. Sed neque per consuetudinem, etiam immemorialem, induci potest, ut quis in eadem Ecclesia simul habeat duos simplices Canonicatus sive Præbendas, ob eandem rationem, *Gl. in cit. c. Literas de concess. Præb.* ubi ait, quòd talis consuetudo potiùs censenda sit corruptela, cùm quot Præbendæ sunt in Ecclesia, tot Canonici debeant constitui, *Abb. ibid. n. 2. & in cit. §. Qui verò; n. 41. Navarr. l. 3. Consil. 24. h. t. n. 5. Garc. cit. c. 5. n. 182. & 184.* Valet tamen consuetudo, ut unus in eadem Ecclesia, cum Præbenda Canonicali obtineat dignitatem & personatum, v. g. ut sit simul Præpositus vel Decanus & Canonicus, ut constat ex *c. Eam te; 7. de Rescript.* & ex *cit. c. 1. de consuet. in 6.* Ubi in fine dicitur, nulli liceat de cætero, nisi unicum, vel dignitatem aut præposituram, vel officium simul cum Præbenda, absq; Sedis Apostolicæ dispensatione, in eadem Ecclesia obtinere, vel jam obtenta retinere, cùm ergo in *cit. c.* dicatur, duas dignitates vel officia in eadem Ecclesia à Canonico obtineri non posse, sine dispensatione Papæ: colligitur per sensum contrarium, unam dignitatem seu personatum, vel unum officiũ cum Canonicali Præbenda, absq; dispensatione Papæ, obtineri posse, videlicet ex dispensatione Episcopi, vel vi statuti, aut consuetudinis Ecclesiæ, *Gl. ibid. V. Nisi unicum.*

CXLI. Assertio 2. Non valet etiam consuetudo simul obtinendi plura Beneficia curata, in diversis Ecclesiis, ut docet *Abb. in c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; n. 36. h. t. Rebuff. in praxi Tit. de dispens. de non residendo n. 66.* quia talis consuetudo nimis etiam est Ecclesiis & animabus damnosa, ideóque in *c. De multa; 28.* reprobatur talis consuetudo, & præsumptio ac cupiditas appellatur. Verùntamen probabile est, quòd per consuetudinem immemorialem induci possit, ut non requiratur residentia personalis, etiam in Beneficiis curatis, sed per idoneum Vicarium ea administrari possint, ut docet *Navarr. l. 3. in Consil. 21. de Cleric. non residen. n. 4. junct. Consil. 24. h. t.* Nam consuetudo immemorialis æquipollet privilegio, ut quicquid per privilegium vel dispensationem S. Pontificis obtineri potest, idem etiam possit per consuetudinem immemorialem: atquì per privilegium vel dispensationem Papæ, ex justa causa, obtineri potest, ut quis non teneatur personaliter residere in dignitate, aut Beneficio curato, etsi præter illud, aliud curatum obtineat, ut constat ex *cit. c. Multa; h. t.* & ex praxi: ergo etiam per consuetudinem immemorialem id obtineri potest: modò alterum Beneficium curatum aut dignitas administretur, seu officium præstetur saltem per Vicarium, ne Ecclesia detrimentum patiatur. Accedit, quod communiter Dd. notant, sublatâ per legem consuetudine, vel præscriptione quâcunque, non censeri sublatam immemorialem, nisi id specialiter exprimatur, dummodò consuetudo Juri naturali vel Divino non repugnet. Adde, quòd consuetudo immemorialis faciat præsumptionem Tituli à S. Pontifice olim impetrati, licèt modò ille exhiberi non possit. Talis consuetudo adhuc hodie viget, in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, ut personatus v. g. Præpositura residentiam non requirat, vel non diuturnam, sicut exigit Concilium Trident. videlicet, ut quis ultra tres menses abesse non possit. Item ex recepta passim consuetudine Germaniæ, Parochiæ solent conferri Præpositis, Decanis, & Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, constituto in iis Vicario perpetuo, & assignatâ ipsi competente sustentatione. Monet tamen *Laym. cit. c. 8. n. 11.* nullâ consuetudine etiam immemoriali excusari posse, si passim, & sine justa causa, hoc fiat, cùm id juri Divino repugnet; secus est, si ex justa causa fiat, quia v. g. Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatæ tenues reditus habet; & ob auctoritatem ac prudentiam Beneficium curatum per Vicarium bene administraturus putatur: tunc enim talis consuetudo immemorialis non residendi in Beneficiis curatis seu parochiis non ita facilè damnari potest; præsertim, cùm inter justas causas excusantes à residentia etiam numerari soleat rationabilis consuetudo, ut videre est apud *Leff. l. 2. c. 34. n. 163. Covarr. l. 3. resol. c. 13. n. 5. & 9. Garc. p. 3. c. 2. n. 197.* quamvis dicant, Concilium Trident. *Sess. 24. c. 12. de ref.* sustulisse talem consuetudinem etiam immemorialem: nam quando per legem consuetudo aliqua reprobatur

& damnatur tanquam iniqua & irrationabilis, tunc censetur damnata consuetudo quælibet, etiam immemorialis. Et tunc dicendum erit, illam Constitutionem Tridentinam in quibusdam Ecclesiis receptam non esse, ut notat *Laym. c. l.* eam tamen non receptionem non excusare putat *Garc. c. l. n.* 199.

CXLII. Assertio 3. Potest per consuetudinem induci, ut quis simul plura Beneficia simplicia habeat, etiamsi spectato Jure communi, personalem residentiam requirant; quia per consuetudinem tolli potest obligatio residendi, ut docet *Navarr. l. 3. in cons. 24. n. 1. not. 4. h. t.* ubi ait, quòd ubique sit hujusmodi consuetudo in Beneficiis simplicibus, saltem sæcularibus; & consequenter potest etiam per consuetudinem induci, ut quis simul plura Beneficia simplicia habeat, & retineat, quod omnes admittunt, si unum vel plura talia Beneficia non sufficiant ad honestam sustentationem Clerici, vel justa causa adsit, ob quam uni plura Beneficia conferri possunt, etiamsi quodlibet ad sustentationem sufficiat ex dispensatione Superioris, *Azor. p. 2. l. 6. c. 11. n. 6.* eò quòd extra hos casus, pluralitas Beneficiorum, & per consequens etiam consuetudo habendi simul plura Beneficia, repugnaret juri naturali, cui consuetudo derogare non potest. Verùm quòd talis consuetudo valeat, probabiliter docet *Garc. cit. c. 5. n. 272. & seqq. post Innoc. & Navarr.* Idque ex contrario fundamento probatur, quia multitudo Beneficiorum non habentium curam animarum lege naturali vel divinâ non est prohibita, modò non nimis multa hujusmodi Beneficia coacerventur.

§. III.

An, si is, qui iam obtinet Beneficium residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, vel aliis Clericis ad aliud Beneficium, quod similiter residentiam requirit, possit utrumque simul retinere?

CXLIII. Respondetur negativè, ut constat ex » *c. Cùm non ignores* 15. *h. t.* ubi habetur, quòd quidam Presbyter in una Ecclesia intitulatus, ad aliam » Ecclesiam ab Archipresbytero, seu Decano, & Clericis ejusdem electus fuerit in Rectorem illius Ecclesiæ, sed cùm Presbyter priorem Ecclesiam desere » rere nollet, Clerici alterius Ecclesiæ causam detulerunt ad Papam Alexandrum III. Qui respondit, quòd » non sit conveniens, sed Canonibus contrarium, ut » unus idemque Presbyter in duabus Ecclesiis locum » habeat, ideóque mandat Archiepiscopo Genuensi, » ut Presbyterum illum Beneficio suo (quod priùs habuit) contentum esse jubeat: Et quamvis Clerici » alterius Ecclesiæ in ipsum priùs consenserint, quia » tamen jam dissentiunt (ideóque ab electione priùs » facta recedunt) non debet, cum illorum scandalo, » in eadem Ecclesia recipi.

CXLIV. Hinc colligitur primò. Quòd de Jure communi non potest quis simul in duabus Ecclesiis esse intitulatus, sive non debet habere duas Ecclesias, quibus præsit, absque dispensatione; quia id est contra Canones, *ut hic dicitur.* Sicut enim una Ecclesia unum tantùm debet habere Rectorem, cùm in uno corpore duo capita esse non debeant, ita nec unus Rector, debet præesse pluribus Ecclesiis, *Gl. magna hic in notat. & Abb. n. 2.* Similiter non potest quis simul, sine dispensatione, habere duas Præbendas, vel Beneficia requirentia personalem residentiam in diversis Ecclesiis, *Abb. hic n. 3.* & patet ex suprà dictis.

Colligitur secundò. Si Clerici ignorantes aliquem Beneficium habere, illum eligant ad aliam Ecclesiam, possunt resilire ab electione, nisi electus prius Beneficium dimittere, vel resignare, vel in eo non residendi dispensationem impetrare velit, ut docet *Innocent. in c. ult. n. 2. circa finem de Cleric. non resid. & Abb. hic n. 8.* Ratio est, quia præsumendum est, quòd eligere voluerint conformiter statuto suo, vel juri Canonico, secundùm quod, non potest aliquis in duabus Ecclesiis esse intitulatus; idque quia ad assiduam residentiam & servitium personale est obligatus. Si autem scientes aliquem esse Beneficiatum, illum eligant ad aliam Ecclesiam, tunc iterum distinguendum est; nam vel eligunt ad Beneficium dignius, aut multò melius eo, quod antè obtinet, ita ut electus censeatur ascendere seu promoveri: & tunc censetur fieri electio sub conditione, vel modo, ut electus prius Beneficium dimittat, & in altero resideat; quod si facere nolit, Clerici electores ab electione resilire possunt: Vel ipsi eligunt ad Beneficium æquale, sive non notabiliter melius: & tunc præsumi potest, Clericos illos velle à statuto suo obligante ad residentiam recedere, eámque obligationem remittere: vel denique si residentia jure communi exigatur, censendum est electores contentos esse, ut electus, impetratâ dispensatione absens prius Beneficium retineat; quia aliàs non possunt Capitulares, sine consensu Episcopi, obligationem residendi remittere; cùm non possint statum Ecclesiæ suæ, sive nova statuta condendo, sive vetera abrogando, sine Episcopi auctoritate mutare, vel tollere, *juxta c. Consuetudinis 9. de consuet.* Ideóque Episcopus tali casu contra electionem se opponere potest, *Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 10. in fine.* Porrò si electus vellet primam Ecclesiam vel Præbendam dimittere, & secundam acceptare, tunc non possent Capitulares Clerici recedere ab electione Presbyteri, postquàm semel in eam consenserunt, *Gl. hic V. Consenserint.*

Colligitur tertiò. Propter scandalum interdum receditur à jure, *Gl. fin. hic*, ut in casu *hujus c.* Clerici, qui priùs consenserunt in Presbyterum, eum eligendo, poterant posteà dissentire, & electionem revocare propter scandalum; quia electus noluit dimittere primam Ecclesiam, vel Præbendam, sed simul retinere, quod licitè non poterat, *Gl. magn. hic in notat.*

§. IV.

De incompatibilitate Beneficiorum, & vacatione unius, per assecutionem alterius.

CXLV. In hac re distinguenda sunt quatuor tempora ante Concilium Tridentinum, ut notat *Abb. in c. Quia nonnulli 3 n. 4. de Cleric. non resid. in Ecc. Azor p. 2. lib. 6. c. 13. q. 1. Garc. de Benef p. 11. c. 5, n. 1 & seqq.* Primum tempus est ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. habitum; quo tempore si quis duas paro-

parochias, vel duas dignitates, vel alia Beneficia incompatibilia simul obtinebat, non vacabat primum, ipso jure, per assecutionem secundi, neque privabatur, ipso facto, secundo, si utrumque retinere præsumeret, sed dabatur ei optio, ut unum retineret, & alterum dimitteret, ut constat ex *c. Referente*; 7. *h. t.* Nam » cùm J. Presbyter duas Ecclesias obtineret, Archi- » diaconus ei unam de facto ademit, & illam alteri » Presbytero G. contulit. Quare dictus J. appella- » vit ad Metropolitanum suum, nempe ad Archiepi- » scopum Rhemensem, qui illi Ecclesiam restituit. » Postea Archidiaconus ille dictum J. quia vocatus » venire contempsit, excommunicavit. Re delatâ ad » Alexandrum III. is Presbyterum J. ab excommu- » nicatione absolvit, & mandavit Episcopo Diœce- » sano, ut eidem, relictâ ex duabus Ecclesiis unâ, » quam voluerit, alteram dicto Clerico G. si Eccle- » siam non habeat, sine mora assignet, alioquin alteri » personæ idoneæ Beneficium non habenti illam con- ferat. Consentit *c. Præterea* 5 14. *h. t.* de quo suprà.

CXLVI. Porrò dispositio *hujus c.* cùm generaliter loquatur de Ecclesiis, adhuc hodie locum habere potest, in Ecclesiis seu Beneficiis non curatis, v.g. in duobus Canonicatibus, vel uno Beneficio curato, & altero simplici residentiam requirente; quæ cùm sint incompatibilia, & utrumque retineri non possit, cogendus est Beneficiarius, ut alterum, quod voluerit, resignet, quamvis neutrum ipso jure vacet, ac proinde *hoc c.* per posteriora jura correctum non est: quippe quæ loquuntur de pluribus dignitatibus seu personatibus, vel de Ecclesiis parochialibus; nam correctio jurium, quoad fieri potest, vitanda est, sed jura juribus potiùs concordanda sunt. *Abb. hîc n.* 3.

Deinde probabile etiam est, quòd hæc Constitutio procedat, ita ut locus sit optioni retinendi beneficium, quod provisus maluerit, quando duæ dignitates, vel duæ Ecclesiæ parochiales alicui collatæ sunt, eodem tempore, ita ut constare non possit, cujus possessionem priùs acquisiverit; quia hic casus non est decisus in posterioribus juribus, quippe quæ loquuntur in illo casu, in quo Clericus priùs obtinuit unam dignitatem, vel unam parochiam, & postea pacificè consecutus est alteram, tunc enim ipso jure vacat prima, ut infrà dicetur: hîc verò est sermo de illo casu, quo eodem tempore assecutus est utrumque Beneficium, ita ut non constet, quòd unius possessionem priùs obtinuerit, quàm alterius, ergo hujusmodi casus tanquam omissus, & jure non expressus remanet sub dispositione juris antiqui, & communis, secundùm quod, proviso optio datur unum retinendi, & alterum dimittendi, prout voluerit, ut habetur in *hoc c.* & docet *Imola in c. Quia nonnulli*; 3. *n.* 12. *de Cleric. non resid. & Alex. de Nævo ibid. q. ult. n.* 22. quos sequitur *Fagnan. hîc n.* 9.

CXLVII. Secundum tempus est Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *c.* 13. quod refertur in *c. Quia nonnulli*; 3. *supr. de Cleric. non resid.* In quo decretum fuit, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias parochiales reciperet, alioquin privaretur dignitate, vel parochia posteriùs acceptâ (non quidem ipso jure, sed per sententiam, sive officio judicis, *Abb. ibid. n.* 4.) & conferens potestate conferendi pro illa vice. Ubi tamen notandum, quòd licèt hæc decretalis sit posita in priore Titulo, non ideò tamen censeri debet priùs esse editam, quàm decretalem *c. Referente*; quæ in hoc Titulo est collocata, & priùs edita; quàm illa, tametsi utraque sit ejusdem Papæ Alexandri III. neque enim ordo scripturæ sive compilationis in hoc est attendendus, *Abb. c. l. n.* 4. *Alex. de Nævo in cit. c. Quia nonnulli*; *n.* 9. quòd autem *hoc c.* sit posterius *c. Referente*; 7. *h. t.* colligitur ex *c. De multa*; 28. *h. t.* ubi *in princ.* refertur dicta Constitutio Concilii Lateranensis posita in *cit. c. Quia nonnulli*; tanquam tunc vigens, *Garc. cit. c.* 5. *n.* 5.

CXLVIII. Tertium tempus est Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *c.* 29. relati *in c. De multa*; 28. *h. t.* Ubi sic statuitur: Etsi jam olim in Concilio Lateranensi (sub Alexandro III. in *c. Quia nonnulli*; 3. *de Cleric. non resid. in Eccles.*) prohibitum erat, ut nullus » plures dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias » parochiales reciperet, contra SS. Canonum institu- » ta: alioquin alterum tale Beneficium recipiens, illud » amitteret, sive ipsi adimeretur, & qui ipsi contulit, » potestate conferendi privaretur. Quia verò pro- » pter quorundam cupiditatem, nulla, vel exigua ex » hoc decreto utilitas provenit, ideo Innocentius » III. *in Concilio Laterannensi c.* 29. statuit, ut qui- » cunque Beneficium curatum jam obtinens, alterum » etiam curam animarum habens receperit, is curato » Beneficio priùs obtento, ipso jure, sit privatus: Sin » autem illud retinere contenderit, etiam secundo » privetur. Is verò, ad quem collatio spectat, prius » Beneficium curatum, post receptionem secundi, li- » berè conferat, cui meritò conferendum judicave- » rit: sin autem ultra sex menses conferre distulerit, » non solùm collatio ad alios devolvatur (*juxta Con- cil. Lateran. in c.* 2. *de conc. Præb.*) sed etiam tantum » de proventibus Ecclesiæ ejus, cujus est beneficium » illud, dare teneatur, quantum à tempore vacationis » ipsius perceptum fuit. Quod autem de curatis Be- » neficiis dictum, similiter de personatibus observan- » dum decernitur, ut scilicet nullus plures dignitates » aut personatus, maximè in eadem Ecclesia, habere » præsumat, etiamsi curam animarum non habeant. » Verùm circa sublimes (Illustres aut nobiles) & Lit- » teratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt ho- » norandæ, si ratio postulaverit, per Sedem Aposto- » licam dispensari poterit. »

CXLIX. Pro explicatione hujus celebris *c.* notandum primò. Quando in *hoc c.* dicitur, per vacationem secundi beneficii vacare primum, ipso jure, dummodò utrumque sit curatum: per sensum contrarium infertur, quòd si obtinens Beneficium curatum recipiat non curatum, vel è converso, obtinens non curatum recipiat secundum curatum, primum non vacat, ipso jure, licèt non curatum personalem residentiam requirat, vel aliàs sit incompatibile; quia in *hoc c.* requiritur, ut primum Beneficium sit curatum, sicut & secundum, ut patet ex illis verbis, *si priùs tale Beneficium habeat*, ut ex veriore & communiore sententiâ docet *Abb. hîc n.* 2. Idque procedit, spectato Jure communi Canonico, ante Concil. Trident. nam hoc *sess. 7. c. 4. de refor.* extendit hanc Constitutionem etiam ad alia quæcunque incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, ubi statuit, ut quicunq; de cætero plura curata, » aut aliàs incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, quo- » cunq; modo & titulo, contra SS. Canones & præser- » tim contra hujus Constitutionis (nempe *c. De multa*;) » dispo-

» dispositionem recipere, ac simul retinere præsum-
» pserit, Beneficiis ipsis, etiam præsentis Canonis
» (sive hujus decreti Concilii) vigore, ipso jure,
» privatus existat, *Garc. p. 11. de Benef. c. 5. n. 83. & 84.* quem sequitur *Barb. hic n. 7.* & plures declarationes Cardinalium adfert, *Garc. c. l.* ubi etiam *n. 86. & seq.* ait, hanc sententiam receptam esse in Cancellaria Apostolica, & à Rota Romana; quia Concilium ibi loquitur generaliter de quibuscunque Beneficiis incompatibilibus, vigore quorumcunque Canonum, necre stringi potest ad dictum *cap. De multa*; quia addit, *præsertim*, quæ dictio est ampliativa, & includit etiam alia, *Garc. c. l. n. 91.* ubi *n. seq.* ait, verba illa, *juxta ipsius Constitutionis* (*c. De multa*;) *dispositionem, etiam præsentis Canonis vigore ipso jure vacent*, ita intelligenda esse, quòd quia dicta Constitutio *De multa*; non loquitur de quibuscunque Beneficiis incompatibilibus, etiam vigore præsentis Canonis seu decreti Concilii illam extendentis ad quæcunque incompatibilia, ipso jure vacant per assecutionem secundi.

Verùm contrarium, secundùm Jus, esse respondendum censet *Navarr. lib. 3. Consil. 17. h. t.* nempe quòd per assecutionem secundi Beneficii incompatibilis, quia utrumque personalem residentiam requirit, ut v. g. duo Canonicatus, vel quia alterum est per se sufficiens ad congruam sustentationem, primum non vacat, ipso jure, quia *Concil. Trident. c. l.* solùm loquitur expresè de Beneficiis curatis, & de aliis incompatibilibus generaliter, & sine correctione juris antiqui & communis, à quo non debet recedi, nisi id per novum jus sit expresè correctum: possunt autem per Beneficia incompatibilia *c. l.* intelligi dignitates & personatus non curati, de quibus loquitur *c. de multa 3. 28 h. t.* & quod ibi à Tridentino Concil. allegatur; vel Beneficia simplicia uniformia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia: si quis enim duo Beneficia, etiam simplicia, in eadem Ecclesia obtineat, ipso jure vacat primum, si similia fuerint. *c. Litteras 39. de concess. Præb.* Deinde particula *etiam* ibid. apposita, videlicet *ipso jure etiam præsentis Canonis vigore privatus existat*, satis indicat, noluisse Concilium vacationem seu privationem novam ipso jure inducere, sed veterem confirmare & innovare, statuendo, ut Beneficia incompatibilia, quæ juxta Jus antiquum ipso jure vacabant, etiam secundùm novum vacant ipso jure. Neq; verò ibid. particula *præsertim* accipienda est ampliativè, ut includat omnia alia Beneficia incompatibilia: ex adjunctis enim patet restrictivè potiùs accipiendam esse. Atque hæc sententia Navarri est valdè probabilis & in praxi tuta, saltem ubi dectetum hoc Concil. Trident. in eo sensu & rigore nõ est receptum.

Porrò *cit.* decreto Concilii Trident. non adversatur aliud decretum ejusdem Concilii, *sess. 24. c. 17. de ref.* ubi statuitur, ut illi, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, aut unam Cathedralem, & alteram Parochialem obtinent, unâ tantùm retentâ, teneantur alteram intra sex menses dimittere; ex quo aliqui inferunt, obtinentem Beneficia incompatibilia, habere sex menses ad dimittendum, quod voluerit: nam illud decretum loquitur solùm de pluribus Parochialibus, aut aliàs incompatibilibus Beneficiis obtentis ante Concil. Trident: non autem de obtentis vel obtinendis post illud, de quibus loquitur idem *Concil. cit. c. 4. sess. 7. Garc. cit. c. 5. n. 77.*

CL. Notandum secundò. Quando in *cit. c. De multa*; dicitur, eum, qui Beneficium aliquod habens curam animarum annexum recepit, cùm priùs tale Beneficium haberet, esse priore, ipso jure, privatum; per Beneficium curatum intelligitur, quod curam animarum habet in foro interno seu pœnitentiali, adeóque strictè curatum est: vel quod curam jurisdictionalem habet in foro tantùm externo, seu contentioso, ut est Archidiaconatus, Decanatus Cathedralis &c. *Abb. hic in addit. n. 24.* quamvis *Barb. in Collect.* hîc dicat, quòd in *hoc c.* per Beneficium curatum non intelligatur, quod curam habet seu jurisdictionem in foro externo, adeóque hoc incompatibilitatem cum altero Beneficio Parochiali non inducere, ita ut hoc per assecutionem alterius v. g. Archidiaconatûs, ipso jure, non vacet. Sed hæc expositio nimis restringit *cit. c. De multa*; sine fundamento solido.

Porrò illud magis certum est, quòd Beneficium actu curatum, ipso jure, non vacet per adeptionem alterius, quod non est actu curatum, sed habitu tantùm, ut si omnes parochiani peste, fame vel bello sublati sint, & perierint, soláque Ecclesia parochialis remanserit: nam Constitutio pœnalis non debet extendi ultra strictam proprietatem verborum, præsertim cùm in tali Beneficio, quod est curatum habitu tantùm, cesset principalis ratio hujus Constitutionis pœnalis; potest enim quis simul deservire uni Beneficio curato actu, & alteri curato habitu tantùm, adeóque utrumque est compatibile, & saltem ex dispensatione Episcopi utrumque simul retineri potest, *Abb. hic in addit. in fine Barb. c. l. n. 4.* Excipi debet, nisi sit spes, quòd parochiani, qui omnes discesserant, proximè sint reversuri: tunc enim censetur actu curatum Beneficium, non habitu tantùm. *Fagnan. hic n. 43.*

Notandum tertiò. Ut recipiens secundum Beneficium curatum, non tantùm primo, quod ipso jure amisit, sed etiam secundo privetur, requiritur, ut idem Beneficium, unâ cum primo, retinuerit usque ad litis contestationem: si enim ante illam destiterit retinere primum Beneficium, illud solùm amittit: sed secundo non est privandus, ut tradit *Gl. V. Contenderit*: quamvis secundùm alios, ob solam retentionem prioris Beneficii sit privandus etiam secundo, licèt quando incipit conveniri in judicio, velit illud dimittere, quia non obedivit Canoni id præcipienti, & furtum committit percipiendo fructus prioris Beneficii, quod jam ipso facto amisit, *Jo. Andr. hîc n. 17.* sed hæc quæstio novo jure cessat, ut infrà dicetur.

Notandum quartò. Beneficium curatum obtinens, & aliud simile recipiens, spectato jure antiquo, non erat secundo privatus, ipso jure, sed privandus per sententiam Judicis, ut colligitur ex *hoc c.* ibi: *etiam alio spolietur*, scilicet per sententiam, *Innoc. hîc n. 2. V. Contenderit*; Hodie tamen etiam secundum Beneficium, si retineatur simul cum primo, vacat ipso jure per Constitutionem; *Execrabilis. Fagnan. hîc n. 8.*

CLI. Notandum quintò. Is, ad quem spectat collatio Beneficii, potest ac debet post obtentam possessionem pacificam secundi Beneficii, primum vacans conferre personæ idoneæ, etiam irrequisito possessore, ut colligitur ex *hoc c.* ibi: *liberè conferat*, id est, illo non monito vel vocato, ut explicat *Jo. Andr. hîc n. 10. V. Liberè Imola ibid. n. 6. Abb. n. 3.* & post sex menses à tempore receptionis secundi Beneficii, & noti-

notitiæ vacationis numerandos, c. *Quia* 5. *de conceſſ. Præb. Jo. Andr. hîc V. Sex menſes*; Idque obtinet etiam in aliis caſibus, in quibus Eccleſia vel Beneficium, ipſo jure, vacat, *Innoc. hîc n. 3. Verſ. quantum ad hoc*: Quòd ſi Epiſcopus, ad quem ſpectat collatio, intra ſex menſes, primum Beneficium vacans per receptionem ſecundi non conferat, jus conferendi devolvitur ad proximum Superiorem, & ipſe tenetur tantundem ex ſuis proventibus aſſignare illi Eccleſiæ, cujus Beneficium diſtulit conferre, quantum ex fructibus ipſius, durante vacatione, conſtiterit eſſe perceptum, ut habetur in *cit. c. De multa*; aliàs ſi collator proprios proventus non habeat, aliter punietur, ad arbitrium judicis, *Gl. hîc V. Proventibus*; *Jo. Andr. ibid. n. 12. V. Conſtiterit.*

Notandum ſextò. Conſtitutio *hujus c.* & pœna illius habet locum etiam in perſonatibus, ut habetur hîc. §. *Hoc idem*; quod dupliciter intelligi poteſt. Primò, ſecundùm *Hoſtienſ. hîc V. Hoc idem*; quòd habeat, locum, non tantùm in Beneficiis curam animarum habentibus, ſed etiam in perſonatibus diverſarum Eccleſiarum non curatis; quia cùm in *princ. hujus c.* generaliter fuerit diſpoſitum de Beneficiis, quibus cura animarum annexa eſt, utique ſub illa diſpoſitione erant comprehenſi etiam Perſonatus Curati: alioquin fruſtra decerneretur poſteà, idem ſervandum eſſe in perſonatibus curatis, ergo id intelligi debet de perſonatibus non curatis, cùm de curatis jam hoc ſtatutum fuerit: idque etiam tenet *Gl. hîc V. In eadem Eccleſia*; ubi ait, idem eſſe judicium de perſonatibus curatis, & non curatis. Secundò *Innocent. hîc n. 4. V. Hoc idem*; & alii ajunt textum in §. *Hoc idem*; intelligendum eſſe etiam de perſonatibus curatis, ita ut ſenſus ſit, quod in *princ. hujus c.* dictum eſt in genere de Beneficiis curam animarum habentibus, quòd primum, recepto ſecundo ſimili, ipſo jure vacet: idem etiam dicendum eſt de perſonatibus diverſarum Eccleſiarum, quæ ſimiliter curam animarum habent: idque colligitur ex eo, quia ſtatim additur, in eadem Eccleſia nullum poſſe habere plures dignitates aut perſonatus, etiamſi curam animarum non habeant: ergo quod priùs ſtatutum eſt, intelligi debet de perſonatibus diverſarum Eccleſiarum, quibus cura animarum eſt annexa, alioquin nihil in hoc §. additum *fuiſſet*; quia cùm prohibitum ſit habere plures perſonatus in diverſis Eccleſiis, multò magis intelligi debet, eſſe prohibitum habere plures perſonatus in eadem Eccleſia: & hinc diſpenſatus ad plures dignitates in diverſis Eccleſiis, non cenſetur diſpenſatus ad plures dignitates in eadē Eccleſia, niſi hoc exprimatur, *Jo. Andr. hîc n. 13. Abb. n. 4.* Et hæc expoſitio magis congruit Litteræ textûs. Verùm hodie, juxta decretū Concilii Trident. *c. l.* pœna hujus Conſtitutionis extenditur ad omnia Beneficia quomodocunque incompatibilia, adeóque etiam ad dignitates vel perſonatus non curatos in eadem Eccleſia, qui ſine dubio ſunt incompatibiles, ut patet ex *hoc c.* §. *Hoc idem*; *V. Addentes*; *& c. Ad hæc*; 13. *h. t. Fagnan. hîc n.* 8. Porrò quæ in fine *hujus c.* adduntur de diſpenſatione, infrà explicabimus.

CLII. Denique quartum tempus eſt Conſtitutionis Extravag. Joan. XXII. quæ incipit: *Execrabilis* » *h. t.* in qua ſtatuitur primò, quòd obtinentes nunc » (ſcilicet tempore publicationis hujus decretalis) » ex legitima diſpenſatione, plures Dignitates, Perſonatus, Officia, Prioratus, aut Beneficia, quæ aliàs, » absque diſpenſatione, obtineri non poterant: unum » tantùm ex Eccleſiis vel Beneficiis hujusmodi, qui- » bus cura imminet animarum, cum dignitate, perſo- » natu, Officio, vel Beneficio, ſine cura, quod habe- » re maluerit, licitè poſſint retinere: quæ tamen (ſci- » licet unum cum cura, & alterum ſine cura) teneantur eligere intra menſem, numerandum à tempore » notitiæ hujus Conſtitutionis. Cetera verò Benefi- » cia (ſcilicet non electa) cum cura, vel ſine cura, quæ » ex diſpenſatione obtinebant, & quæ aliter de jure » licitè retinere non poterant (ut ſunt plures perſona- » tus vel dignitates etiam ſine cura, *Gl. hîc V. Non* » *poterant*;) & ex tunc (ſcilicet lapſo menſe) vacare » cenſentur, coram Ordinario (id eſt, Epiſcopo, vel » Sede vacante, Capitulo) ſub teſtimonio publico » (videlicet vel Inſtrumento publico ſeu Litteris Au- » thentico ſigillo obſignatis, vel fide dignorum te- » ſtium, *Gl. hîc V. Sub teſtimonio*; intra idem tempus, » verbaliter, id eſt, verbis expreſſis, & realiter, id eſt, » ipſo facto, & in effectu dimittere teneantur, nec ad » ea redire, aut eorum adminiſtrationi, ſine nova » collatione, ab eo, qui poterat, facienda, ſe immi- » ſcere, præſumant: alioquin tam his (ſcilicet non di- » miſſis (quàm aliis (nempe uno curato, & altero » non curato, quæ virtute hujus Extravagantis reti- » nere poterant) ipſo jure, ſint privati, & ad ſimilia » Beneficia obtinenda prorſus inhabiles fiant. Tertiò. » Excipiuntur tamen in princ. hujus Conſtitutionis » Cardinales S. Rom. Eccleſiæ, qui univerſali Eccle- » ſiæ inſerviendo, ſingularum Eccleſiarum commo- » ditatibus ſe impendunt: ac Regum filii, qui propter » ſublimitatem eorum, ac generis claritatem, potioris » gratiæ prærogativâ ſunt attollendi. Quartò. Illi ve- » rò, qui duo Beneficia, juxtà moderationem hujus » Conſtitutionis, per electionem à ſe factam obtinent » (unum ſcilicet cum cura, & alterum ſine cura) & » ad alia ſimilia Beneficia, auctoritate Apoſtolicâ, gra- » tiam expectativam habent, poſſunt, cùm vacave- » rint, intra menſem, ea eligere, & dimiſſis aliis, in » forma ſuprà præſcripta recipere, ac licitè retinere, » alioquí, ſi contrà faciant, pœnas ſimiles incurſuri, » prout habetur in §. *Per hoc autem hîc.* Quintò. Qui » plura hujusmodi Beneficia, ſine legitima diſpenſa- » tione, retinere præſumunt, eo tantùm retento, quod » ultimò receperunt, ſi in eo ex Canonica collatione » jus eisdem competat, intra idem tempus (ſcilicet » menſis) verbo & facto, ac ſine fraude, coram Ordi- » nario, ſub teſtimonio ſimiliter publico, omnia illa » dimittere tenentur: alioquin etiam illo (ſcilicet ul- » timo recepto) ipſo jure ſint privati, in quo jus eis » aliàs competebat, & ad quæcunque Beneficia Ec- » cleſiaſtica obtinenda penitus inhabiles cenſeantur. » Sextò. Qui verò deinceps dignitatem, perſonatum, » officium, vel aliud Beneficium curam animarum » habens annexam, receperint, ſi anteà ſimile obti- » nebant, illud (quo ipſo jure poſt habitam poſſeſ- » ſionem ſecundi pacificam, vel ſi per eos ſteterit, » quòminùs haberent, ſunt privati) ſine mora in mani- » bus Ordinariorum, pari modo, dimittere debent: » alioquin & tunc ſint etiam ſecundo ipſo jure priva- » ti: & non tantùm ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, » ſed etiam ad obtinendum quodcunque Beneficium » Eccleſiaſticum ſint inhabiles. Septimò. Omnia »

» etiam & singula Beneficia vacatura, vel dimissa Papæ
» & Sedis Apostolicæ dispositioni sunt reservata, ita,
» ut si quis de illis, quâvis auctoritate, vel quocunque
» modo disponere attentet, id irritum sit. Octavò. Per
» Ordinarios in his casibus intelliguntur Episcopi, in
» quorum Diœcesibus sunt Beneficia sic dimittenda,
» aut ipsi dimittentes, aut vacantibus Sedibus Epi-
» scopalibus, Capitula Ecclesiarum Cathedralium:
» qui de Beneficiis tam dimissis, quàm perditis, Pa-
» pam, quamprimùm commodè poterunt, certio-
» rem facere studeant, ut de illis disponat. Nonò.
» Denique per Beneficia curata, quæ possunt retineri
» cum alio Beneficio, sine cura, hîc intelliguntur illa
» tantùm, quæ parochias habent, in quibus animarum
» cura, non per Vicarios perpetuos, sed per Rectores,
» aut Ministros Beneficiorum, vel per Vicarios illo-
» rum temporales exercetur: & quorum Ministris,
» ratione hujusmodi Beneficiorum, jus competit vi-
» sitandi, inquirendi, censuras ferendi, & ab illis ab-
» solvendi, sive de consuetudine, aliis juribus, quæ
» de cura animarum loquuntur, quoad cætera, in suo
» robore permanentibus.

CLIII. Pro declaratione hujus decretalis notandum primò. Inhabilitas, quæ in hac *Extravag. Execrabilis*, inducitur ad Beneficia quævis obtinenda, non incurritur ad jam obtenta, ut tradit *Garc. p. 11. de Benef. c. 5. n. 17.* Habet autem hæc Constitutio locum, & ejus pœna, non solùm, si quis duo Beneficia curata strictè, vel etiam largè, cum jurisdictione fori contentiosi: sed etiam si quis retineat Beneficium curatum, sive strictè, sive largè, cum dignitate, personatu, vel officio sine cura, etiam fori externi: vel duas dignitates, personatus, aut officia, vel dignitatem, cum personatu aut officio sine cura: ac proinde hæc Extravagans severior est & strictior, quàm Constitutio *c. De multa*; nam in hac Extravag. non requiritur, ut ambo Beneficia sint curata: illa enim verba in §. qui verò deinceps *receperit Beneficium animarum curam habens annexam*, solùm referri debent ad verbum immediatè præcedens, *aut aliud Beneficium*, & non ad dignitatem, personatum, vel officium, ut ex contextu patet; aliàs enim debuisset dici in plurali, *animarum curam habentia annexam*, *Gl. hîc V. Simile*; *Garc. cit. c. 5. n. 24. Azor p. 2. lib. 6. c. 13. q. 1. Barb. hîc n. 4.* Neque verò per hoc pœna ipso jure ibi imposita extenditur, sed comprehenditur in verbis hujus Extravag. ibi: *dignitatem personatum, vel officium*, & ibi: *simile*, *Garc. c. l. n. 29.*

Notandum secundò. Hæc Constitutio, ejúsque pœna non habet locum in eo, cum quo legitimè dispensatum est ad plura Beneficia, etiamsi illa non canonicè receperit, quia etsi malè agat recipiendo, sine Canonico titulo: non tamen incurrit pœnam, quòd plura simul obtineat, cùm habeat dispensationem, *Garc. hîc n. 18. Barb. hîc n. 5.* ubi alias limitationes adfert.

Notandum tertiò. Quamvis *in priore parte hujus Extravag.* ubi agitur de Beneficiis obtentis, dimissio primi Beneficii incompatibilis debeat fieri intra mensem: at verò in sequente §. *Qui verò*; in quo agitur de Beneficiis deinceps obtinendis, dicta dimissio primi Beneficii debet fieri statim & incontinenti (juxta arbitrium boni viri, & subjectam materiam) ut colligitur ex illis verbis, *absque moræ dispendio*: verba autem subjuncta, *pari modo*, non possunt referri ad tempus, de quo ibi jam specialiter fuit dispositum immediatè antè: sed ad modum referenda sunt, ut nimirum dimissio fiat verbo & facto, & sine fraude, & cum effectu, ac sub testimonio publico, *Gl. ibid. V. Pari modo*; *Garc. c. l. n. 36. & 2. seqq. Barb. hîc n. 9.* quamvis contrarium teneant *Rebuff. & Zerola apud Garc. n. 35.*

CLIV. Notandum quartò. Ad evitandas pœnas *hujus Extravag.* saltem ex recepta & approbata jam consuetudine, non requiritur, ut adeptus secundum Beneficium, priùs habitum resignet verbaliter, sub publico testimonio, coram Ordinario, sed sufficit, si realiter & cum effectu primum, ejúsque possessionem dimittat, *Zerola in praxi Episc. V. Beneficia ad 3. propè finem*, *Garc. c. l. n. 40. & seq.* Requiritur tamen, ut si quis pacificam possessionem secundi beneficii sit assecutus, vel per eum steterit, quòminùs assequeretur, dimissio primi Beneficii liberè & absolutè fiat, non in alterius favorem, aut ex causa permutationis, neque cum reservatione pensionis vel fructuum, *Garc. c. l. n. 58. & 2. seqq.* cùm enim tunc prius Beneficium ipso jure vacet, non potest propriè resignari, sed dimissio illa solùm ad factum spectat, ut nimirum à se possessionem illius abdicet, ut tradit *Gl. hîc in cit. §. Qui verò*; *V. Dimittere*; qui enim nullum jus habet in Beneficio, non potest illud resignare, *Paris. l. 3. de resign. Benef. q. 1. n. 80. & 103.* plura de hoc videri possunt apud *Garc. c. l. n. 61. & 3. seqq.*

Notandum quintò. In hac Extravag. §. *Quæ Omnia*; non reservantur Papæ Beneficia priora, quæ per adeptionem posteriorum vacant, vi *c. De multa*; *h. t.* sed solùm posteriora, quæ propter indebitam & illicitam retentionem prioris beneficii vacant virtute hujus Extravag. *Garc. c. l. n. 45. Barbos. hîc n. 10.* sed de reservatione Beneficiorum agetur infrà.

Ex dictis colligitur, quòd, non obstante hac Constitutione, possit quis simul obtinere duos Canonicatus simplices in diversis Ecclesiis; quia hîc solùm prohibetur, ne quis simul habeat duo Beneficia curata, vel unum curatum, cum dignitate vel personatu non curato: simplex autem Canonicatus non est personatus, neque dignitas simpliciter, quia ad hanc requiritur, ut quis habeat præeminentiam, non solùm super alios Clericos inferiores, sed etiam super alios Canonicos, ut alibi dictum.

§. V.

Quanam præterea requirantur, ut primum Beneficium vacet per adeptionem secundi incompatibilis.

CLV. Assertio 1. ut prius Beneficium curatum, dignitas, personatus, vel etiam officium administrationem habens, & non nudum ministerium, (ut est v. g. esse Procuratorem Ecclesiæ) vacet per adeptionem alterius similis: Requiritur primò, ut secundum Beneficium, non tantùm sit collatum, & acceptatum: sed etiam ut Beneficiatus pacificam possessionem secundi Beneficii sit adeptus, vel per eum steterit, quòminùs eam adipisceretur, *Abb. in cit. c. De multa*

multa; *n.* 16. *h.t. Azor p.* 2. *lib.* 7. *c.* 16. *q.* 9. *Garc. cit. c.* 5. *n.* 100. Et quidem ad inducendam vacationem, per assecutionem secundi incompatibilis, non solùm requiritur, ut de facto secundum pacificè possideatur, sed etiam ut de jure, ita ut Beneficium secundum non sit litigiosum, sed absque controversia juris & facti, sive judiciali, & extrajudiciali, pacificè possideatur, *Abb. & Azor locis citt. Garc. c. l. n.* 105. & alii apud ipsum. Ratio est, quia alioquin talis Beneficiatus bis puniretur, scilicet prioris Beneficii amissione, & periculo etiam amittendi posterius, propter litis aut possessionis ambiguæ ancipitem aleam. Non tamen requiritur ad inducendam vacationem primi Beneficii, ut utrumque pacificè possideatur: nam quamvis primum sit litigiosum, per adeptionem tamen secundi pacificè possessi vacabit prius, *Less. l.* 2. *c.* 34. *dub.* 27. *n.* 141. *Garc. c. l. n.* 107. Addit tamen *Less. c. l.* quòd si quis, obtento Titulo unius talis Beneficii, absque possessione, accipiat secundum litigiosum, & posteà antequam incipiat esse pacificus possessor secundi, obtineat pacificam possessionem primi, non ideo amittit secundum litigiosum; quia id jure statutum non est, nam licèt jure cautum sit, quòd prius Beneficium non vacet, ante pacificam possessionem secundi; ex nullo tamen jure probari potest, quòd per adeptionem possessionis pacificæ primi Beneficii subsecutam, post obtentum litigiosum secundum, vacet prius obtentum: & jura pœnalia sunt restringenda, ut docet *Navarr. lib.* 3. *Consil.* 14. *n.* 1. *h.t.* Porrò non censetur quis pacificam possessionem adeptus, si statim & incontinenti, seu in limine legitimæ possessionis fuit turbatus, vel lis ei mota, *juxta Gl. in c. Commissa* 3 35. *V. Pacificam de elect. in* 6. *Abb. c. l. Garc. c. l. n.* 110. Censetur autem turbatio possessionis incontinenti fieri, si intra annum fiat, vel secundùm alios, intra duos menses lis supervenìat, vel alia turbatio, de quo videri potest *Garc. c. l. n.* 111. *& seqq.*

CLVI. Secundò ad hoc, ut vacet ipso jure primum Beneficium incompatibile, per assecutionem secundi similis, requiritur, ut quis habeat pacificam possessionem, non tantùm, quoad titulum & exercitium curæ, vel officii annexi Beneficio, sed etiam bonorum & fructuum Beneficii, vel majoris partis eorum: si enim fructus posterioris Beneficii, vel saltem majorem partem eorum non possit quis percipere, quia ex privilegio, statuto, vel ex alia causa, illi alteri ad tempus reservantur, non vacat interim prius Beneficium, *Abb. cit. loc. n.* 16. *Azor cit. c.* 16. *q* 9. §. *Quærat*; *Garc. c. l. n.* 123. & alii DD. communiter. Idque » probatur ex *c. Si tibi*; 26. *h. t. in* 6. ubi statuitur: Si » Pontifex Episcopo alicui concedat, ut ad debita » Ecclesiæ suæ solvenda, reditus Beneficiorum in dioe- » cesi sua vacantium, usque ad certum tempus perci- » pere possit; Episcopus autem posteà Beneficium » curam animarum annexam habens, quod vacabat, » alicui Clerico conferat, qui simile curatum jam » anteà obtinebat, hoc casu, æquum est, ut prius Be- » neficium, propter adeptionem secundi, non de- » beat reputari vacare, quamdiu Episcopus hujus se- » cundi fructus percipit. Ratio est, quia talis non censetur plenè & perfectè obtinere alterum Beneficium, quandoquidem nullos ex eo fructus percipit, nec per ipsum stat, quòminùs percipiat, *Gl. hìc V. Vacare*; ideóque Jus illud generale & commune (quòd post obtentam possessionem secundi Beneficii curati, prius curatũ, ipso jure, vacare debeat, ita ut alteri mox conferri possit, *juxta c. De multa*; 28. *h. t.*) non debet extendi ad hunc casum, sed is ab eo per epiichiam excipi debet, cùm in jure maximè spectanda sit æquitas, *l. In omnibus*; 90. *ff. de R. I.* ipsáque juri scripto sit præferenda, *l. Placuit*; 8. *C. de Iudic.* quod verborum proprietati tenaciter inhæret.

CLVII. Ubi notandum primò. Si hoc casu provisus ex duplici Beneficio curato fructus percipiat, non est in ipsius electione, utrum ex duobus Beneficiis dimittere velit, cùm ex eo tempore prius Beneficium verè vacet, etiam in effectu, ut docet *Jo. Andr. in cit. c. Si tibi*; *n.* 3. *& ibid. Ancharan. not.* 3. *& Franc. n.* 2. Idque colligitur ex textu; quia Pontifex non absolutè dicit, non vacare prius Beneficium curatum, sed non debere reputari ut vacans, ita ut alteri conferri possit, donec provisus ex posteriore fructus percipiat, adeóque non intendit omninò tollere vacationem prioris Beneficii inductam jure communi in *cit. c. De multa*; sed tantùm suspendere ejus effectum, quàmdiu fructus ex eo non percipit. Contrarium tamen non minùs probabiliter tenet *Garc. p.* 11. *c.* 5. *n.* 131. nimirum, quòd durante tempore, quo alius percipit fructus Beneficii, is qui obtinet secundũ Beneficium, etiam post adeptam ejus possessionẽ, possit illud dimittere, & primum retinere, sicut posset ante adeptam possessionem; quia non videtur adhuc adeptus plenè secundum Beneficium, ut ait *Gl. fin. in cit. c. Si tibi*; adeóque interim nullo modo vacat primum Beneficiũ reipsâ, sed prorogatur tempus vacationis, usq; dum fructus quoq; ex illo secundo provisus perceperit.

Notandum secundo. Qui impetrat Beneficium aliquod, debet facere in petitione etiam mentionem de tali Beneficio, ex quo alius fructus percipit, ut ex probabiliore sententia docet *Barb. in Collect. in cit. c. Si tibi*; *n.* 3. Sicut etiam de Beneficio in habitu, ex quo non potest quis, ob hostium v.g. incursum, fructus percipere, *Barb. c. l. n.* 4.

CLVIII. Tertiò ut inducatur vacatio primi Beneficii per adeptionem alterius incompatibilis, requiritur, ut utrumque Beneficium sit collatum in perpetuum, sive in Titulum, sive, in commendam, ut indicat Conc. Trident. *Sess.* 7. *c.* 4. ibi: *Sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, de ref.* & tradit *Abb. in cit. c. De multa*; *n.* 22. *concl.* 5. ex quo *n.* 23. infert, quòd per acceptationem Vicariatûs Episcopi non perdatur dignitas, vel Beneficium curatum priùs habitum, quia Vicariatus Episcopalis non est dignitas perpetua, cùm Vicarius ad nutum Episcopi amoveri possit, *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4. *advert.* 4. At verò Vicaria perpetua Ecclesiæ parochialis, vel Commenda perpetua, per assecutionem alterius Vicariæ vel Commendæ perpetuæ vacat ipso jure, cùm censeantur esse Beneficia curata, *juxta Clement. unic. de offic. Vicar. & Concil. Trid. c. l.*

CLIX. Assertio 2. Sunt tamen plures casus, in quibus primum Beneficium curatum, vel dignitas seu personatus non vacat, etiam per pacificam adeptionem alterius similis. Nam primò Si quis secundum Beneficium curatum, vel dignitatem seu personatum, cum dispensatione Papæ, obtinuit, tali modo, ut licitè possit utrumque retinere, etiamsi fortè non fuerit

suffi-

sufficiens causa dispensandi, vel licèt dispensatio fuerit subreptitia: nihilominùs tamen non incurrit pœnam statutam in obtinentes secundum incompatibile Beneficium, ut videlicet ipso jure sint privati primo Beneficio, ut docet *Garc. cit. c. 5. n. 22.* ubi id limitat: nisi subreptio & insufficientia causæ dispensandi esset clara & evidens. Ratio est, quia collatio secundi Beneficii ita subreptitiè impetrata, est nulla, ideóq; non potest inducere effectum vacationis, aut reservationis in priore Beneficio, quamvis talis in pœnam criminis per sententiam Judicis privari possit. Si verò Papa nolit dispensare super pluralitate Beneficiorum incompatibilium, tunc secundùm Stylum Curiæ Romanæ, in collatione secundi Beneficii adjici solet Clausula, ut Beneficium priùs obtentum liberè dimittatur, alioquin tam primum, quàm secundum vacat, ut tradit *Flamin. l. 3. de resign. Benef. q. 1. n. 64.* Secundò. Si quis subito iracundiæ calore motus, recepit secundum Beneficium incompatibile, in eóque se instituì petiit, sed mox pœnitentiâ ductus ei renunciet, non vacat primum, *arg. c. Divortium; 21. dist. de pœnit.* quod est desumptum ex *l. 3. ff. de Divort.* ubi dicitur, quicquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseverantiâ apparuit judicium animi fuisse, *Abb. in cit. c. De multa; n. 13. Laym. cit. c. 8. n. 3. advert. 2.* Tertiò. Si is, qui alterum Beneficium curatum obtinuit, expensas fecit in primo ex bonis suis patrimonialibus: tum enim cogi non potest, ut primum illud dimittat, nisi priùs restituantur illi expensæ, *arg. c. 2. caus. 12. q. 3. Abb. c. l. n. 14.* ubi addit, quòd etiam hæres ejus ab intestato tales expensas repetere possit, nisi ex conjecturis appareat, quòd eas fecerit in favorem Ecclesiæ, sine animo repetendi, *Laym. c. l. n. 4. advert. 4* Quartò. Si Episcopus primi Beneficii nolit habere ratam collationem secundi, sed Clericum suum repetat; tunc enim non vacat primum per adeptionem secundi. Ratio est, quia Clericus non potest renunciare Beneficio, neque expressè & directè, neque tacitè & indirectè recipiendo alterum Beneficium, sine consensu Superioris, seu Prælati sui, qui non tenetur renunciationem ratam habere, *juxta c. Admonet; 3. de renunc. Abb. c. l. n. 15. Laym. c. l. in advert. 2.*

CLX. Assertio 3. Huc pertinet, quod statuitur » in *c. Licèt; 28. h. in 6.* Licèt Episcopus (vel alius collator ordinarius) postquam aliquis curatum Bene» ficium obtinens, aliud consimile recepit, ejúsque pa» cificam possessionem consecutus est, vel per eum ste» tit, quòminùs ejus possessionem caperet (nam paria » sunt possidere, vel per aliquem stare, quominùs pos» sideat, *arg. reg. jur. 41. in 6.*) priùs illud Beneficium » (quippe quod ipso jure seu per juris constitutionem » vacat) statim alteri conferri possit (etiam possessore » non vocato, *Franc. hìc in princ.*) non tamen debet » eum, cui contulit, in possessionem corporalem Bene» ficii collati inducere, nisi priùs vocato possessore, si» ve eo, qui priùs Beneficium per adeptionem secundi » amisisse censetur, quia fortasse jus ipsi illud retinendi » competit. Ratio prioris partis *hujus c.* est, quia regulariter is, qui habet jus seu potestatem rem alteri conferendi, vel in alium transferendi, potest hoc jure suo uti, non obstante alterius possessione, seu detentione, *Gl. hìc V. Conferre*; nam *juxta Reg. jur. 26. in ff. Qui potest invitis alienare, multò magis & ignorantibus, & absentibus potest.* Recipiens autem secundum Beneficium curatum, omne jus, quod habebat, amisit in primo curato. Ratio secundæ, partis est, quia nec ex Rescripto Principis, nec Judicis interlocutione debet possessor non citatus turbari in possessione sua, *l. ult. C. si pervim* &c. atquì licèt Beneficium primum, post adeptionem secundi, vacet de jure, non tamen etiam postquam illud alteri collatum est, vacat de facto, quamdiu antiquus possessor adhuc in quasi possessione illius est, quâ non debet privari, nisi priùs audiatur; quia fortè allegare poterit causam illud retinendi, v. g. privilegium vel dispensationem, vel quòd jus habeat Beneficium possidendi, donec sumptus factos in ejus melioratione vel defensione receperit, vel quòd nondum percipiat fructus secundi Beneficii, *Gl. fin. hìc*, & patet ex paulò ante dictis.

CLXI. Limitatur autem hoc primò. Nisi certum sit, & indubitatum, possessorem aut detentorem primi Beneficii, post collationem ejusdem alteri factam, nullum jus habere retinendi illud, ac detinendi, tunc enim absq; illius citatione vel causæ cognitione, novus provisus, cui collatum est illud Beneficium, mitti debet in possessionem ejusdem, ut tradit *Lapus in hoc c. n. 1.* idque colligitur ex *eod. c.* ubi dicitur *ideò possessorem esse vocandum, quia fortè ei jus potest competere retinendi*, ergo si ei nullum jus competat, non debet vocari, neque opus est causæ cognitione. Limitatur secundò, nisi collationem Beneficii alteri factam præcesserit monitio, seu citatio possessoris, & causæ cognitio, tunc enim potest provisus mitti in possessionem, non citato ulteriùs possessore; quia tunc datio possessionis est executio collationis priùs factæ, cum causæ cognitione, ut ait *Jo. Monach. in hoc c. n. 1. & Laym. n. 1.*

Porrò cognitio ista fieri debet summariè, & de plano sine figura ac strepitu judicii, *juxta Clement. 2. de judic. Lapus hìc n. 2.* & sufficit, si is, cui facta est collatio, probet eam factam esse, si negetur ab adversario, nec requiritur, ut eam probet canonicam, quia præsumitur esse canonica & legitima. Neque etiam admittitur contra illam quælibet exceptio impediens collationis effectum, seu immissionem in possessionem Beneficii: nisi opponatur crimen junctum cum infamia, vel opponatur exceptio subreptionis, vel alia, per quam negatur petentem possessionem habere canonicum Titulum in Beneficio, vel nisi talis exceptio sit manifesta, vel incontinenti probari possit, *Lapus hìc n. 4. & 5. Anchar. ibid. not. 7.* Ratio est, quia cùm etiam appellatio interposita à collatione Beneficii non suspendat, nec impediat ejus effectum, quin eâ non obstante, fiat immissio in possessionem, *juxta c. Constitutis; 46. de appellat.* multò minùs id poterit opposita exceptio, *Lap. c. l. n. 6.*

§. VI.

Quanam præterea Beneficia vacant per adeptionem alterius?

CLXII. Quæritur primò. An per promotionem alicujus ad Episcopatũ amittantur & vacent Beneficia promoti? Resp. Postquam in Episcopum electus, vel aliâ ratione promotus confirmationem accepit, & bonorum Ecclesiasticorum pacificam possessionem ac denique consecrationem, vel si tempus à SS. Canonibus defini-

definitum, post acceptam confirmationem, sit elapsum, consecratione per negligentiam intra illud tempus intermissâ, ipso jure vacant omnia ejus Beneficia, ita ut liberè conferri possint ab eo, cui ordinaria conferendi potestas competit *c. Cùm in cunctis*; 7. §. *Cùm verò*; *de elect. & ibi Gl. V. Tempore, & V. Ad quem spectat*, & dictum suprà *lib.* 1. *tit.* 6. *n.* 350. Et quidem vacant omnia Beneficia Episcopi, etiam simplicia, imò & pensiones, nisi promotus ad Episcopatum non percipiat fructus Episcopatûs; quia ij ex causa ad certum tempus alteri reservantur, tunc enim etiam post consecrationem, & obtentam possessionem Beneficia promoti non vacant, *Garc. cit. c.* 5. *n.* 124. multò minùs verò tali Episcopo Beneficia de novo conferri validè possunt, ut colligitur ex *c. Cùm nostris*; 6. *de conces. præb.* nisi vel Papa specialiter dispenset, aut justa, & necessaria causa postulet, ut Episcopo v. g. exulanti, vel reditus sufficientes non habenti Beneficium aliud conferatur, *cit. c. Cùm nostris, & tradit Abbas. ibid. num.* 7. *&* 15. *Garc. cit. p.* 11. *c.* 6. *n.* 44. *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 4.

CLXIII. Excipitur secundò, nisi sit Episcopus tantùm titularis, qui possessionem Ecclesiæ, ad quam est promotus, non est adeptus, nec per eum stat, quòminùs assequi possit, cujusmodi sunt Suffraganei Episcoporum, quibus Episcopatus in terris Infidelium conferuntur, horum enim Beneficia non vacant per assecutionem talis Episcopatûs, *Azor p.* 2. *lib.* 7. *c.* 16. *q.* 12. *Garc. cit. c.* 6. *n.* 24. *Laym. c. l.* Unde talibus Episcopis validè etiam conferri potest Beneficium alioquin compatibile, sicut & ijs, qui Episcopatui renunciârunt, *Garc. c. l. n.* 45. *& Laym. c. l.*

Excipitur tertiò, nisi Episcopatus sit pauper, vel debitis gravatus, tunc ei enim Beneficia saltem simplicia, & compatibilia conferri possunt; quia licèt talis Episcopus amittat priora Beneficia, non tamen extat jus, quo reddatur inhabilis ad Beneficia simplicia deinceps obtinenda, *Leß. l.* 2. *c.* 34 *n.* 139. *Garc. c. l. n.* 44. *Laym. c. l.* Et hinc infertur, quod Episcopo pauperi, qui sufficientes reditus non habet, Beneficia saltem simplicia & compatibilia ante obtenta relinqui possint, imó, & incompatibilia ex dispensatione; Papæ quia si licitè potest Episcopo pauperi conferri Beneficium, multò magis licebit Beneficium ante habitum ipsi relinquere, cùm hoc minùs sit, quàm priùs, *Laym. c. l.* ubi addit, hinc defendi posse factum illud, quo Archiepiscopi Salisburgenses, ad quos collatio aliquorum Episcopatuum ex Papæ indulto spectat; interdum contulerunt eos Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis, vel alijs Beneficiatis, relinquendo illis suos Canonicatus, vel Beneficia.

CLXIV. Porrò licèt per Episcopatum vacent Beneficia priùs obtenta, non tamen per adeptionem dignitatis, v. g. Abbatiæ, vel alterius Beneficij vacat Episcopatus, *Abb. in cit. c. Cùm nostris*; *n.* 4. *Garc. c. l. n.* 43. *Laym. c. l. num.* 3. *vers. quarto.* Ratio est, tum quia in materia odiosa nomine generali dignitatum, vel personatuum in *c. De multa*; 28. *h. t.* non censetur comprehendi Episcopatus, ob specialem prærogativam, & excellentiam: tum quia Episcopatus, propriâ auctoritate, non potest deseri, sine speciali licentia Papæ, *c.* 2. *de trnslation. Episcop.* Imò nec Abbatia per adeptionem alterius Beneficij vacat, *Rebuff. in praxi in reg.* 56. *Cancell.* §. *pen. Garc. c. l. n.* 43.

An autem, sicut per assecutionem Episcopatûs: ita etiam per adeptionem Cardinalitiæ dignitatis, vacet Canonicatus, & alia Beneficia minora priùs habita, dubitari potest: Sed verius est, non vacare, si Cardinalis non sit factus Episcopus: imò etiam de novo conferri ei possunt ejusmodi Beneficia, si residentiam personalem non exigant, *Abbat. in c. Ecclesia*; 53. *num.* 3. *de elect. & ibid. Laym. num.* 1. Sin autem Beneficium residentiam postulet, vel sit curatum, aut personatus, tum opus est dispensatione Papæ, ut unà cum Cardinalatu retineri possit, *Laym. c. l.*

CLXV. Quæritur secundò, an is, qui alterum Beneficium curatum per vim, vel injustè obtinet, priùs habitum ipso jure amittat, item & is, qui Beneficium quodcunque, ad quod jus habet, per vim, aut propriâ auctoritate occupat? Respond. Affirmativè prout deciditur in *c. Eum qui*; 18. *h. t. in* 6. Ubi deciditur, is, qui Beneficium, cui cura animarum incumbit, vi occupat, seu, scienter, & injustè se intrudit, ipso jure est privatus Beneficio cnra-to, si quod priùs obtinebat; quia non decet, ut stultus, id est, delinquens, melioris conditionis existat, quàm peritus (id est, non delinquens, *Franc. hîc num.* 4.) vel ut invasor eo, qui justè ingreditur (possessionem Beneficij) privilegio potiore, seu ampliore gaudeat. Insuper violenti, qui propriâ auctoritate, seu potiùs temeritate, dignitates, personatus, aut alia quæcunque Ecclesiastica Beneficia occupare non verentur, eo ipso jus, si quod in tali modo occupatis dignitatibus, personatibus, aut Beneficijs habent, vel ad ea ipsis competit, amittant, ut, si non virtutis amore, saltem pœnæ formitudine à suæ temeritatis audaciâ refrenentur.

CLXVI. Circa hanc Constitutionem notandũ 1. Quamvis illa quoad priorem partem tantùm loquatur de Beneficijs curatis, quòd ea vacent ipso jure, si alterum curatum acquiratur per vim vel injustam intrusionem: sicut si quis obtinens Beneficium curatum, alterum curatum, sine vi, & intrusione, recipiat, ac possessionem ejus consequatur, prius habitum ipso jure amittit, illúdque vacat, *juxta c. De multa*; 28. *h. t.* Nihilominùs tamen *Gl. magna hîc in notat. & Franc. n.* 2. aliíque Dd. communiter hanc Constitutionem extendunt: ut locum etiam habeat in dignitatibus, & personatibus non curatis, sive quibus cura animarum non est annexa; quia hæc Constitutio est declaratoria Constitutionis *in c. De multa*; *h. t.* At verò Constitutio declaratoria, tametsi sit pœnalis, & strictiùs loquatur, debet extendi ad omnes casus, aut clausulas Constitutionis declaratæ, nisi in hac aliud dicatur, secundùm *Gl. communiter receptam in c. Is qui*; 19. *V. vel electi, junct. Gl. marg. lit. a. de elect. in* 6. Cum ergo Constitutio *c. de multa*, locum habeat, non solùm in Beneficijs curatis, seu Parochialibus, sed etiam in dignitatibus, seu personatibus: ergo etiam hæc Constitutio in ijsdem locum habebit: præsertim cum etiam ratio expressa *in hòc c.* locum habeat in occupante vel injustè se intrudente in dignitatibus, vel personatibus.

Verùm contrarium probabiliter tenent alij apud *Franc. hîc in princip.* Quòd videlicèt pœnalis Constitutio *hujus c.* non habeat locum in dignitatibus, & personatibus non curatis: quippè cùm in priore ejus parte tantùm sermo sit de Beneficijs curatis, & tamen in posteriore ejusdem parte, expressa mentio fit de dignitatibus, & personatibus, adeóque etiam in priore parte Pontifex expressisset dignitates, & personatus, si in illis etiam hanc Constitutionem suam, quoad illam partem, locum habere voluisset. Quare dicendum videtur, quòd prior pars hujus Constitutionis non sit merè declaratoria, sed extensiva; nam regula juris est, quòd Constitutio pœnalis, vel odiosa cum effectu debet intelligi, c. *Relatum*, 4. *de Cleric. non resid. &c. & non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, arg. c. Perpetuæ*, 7. *de elect. in 6.* At, qui per vim, vel injustè, ac sine titulo intrusus, accipit aliquod Beneficium, verè, & reipsâ illud non consequitur, ac proinde sic intrusus in Beneficium Parochiale prioris Beneficij curati privationem decretam in *c. De multa*; non incurreret, nisi declaratio extensiva, ad illum etiam casum violentiæ, & injustæ intrusionis *in hoc c.* facta fuisset. Cùm autem talis extensio sit pœnalis, & odiosa, ea ulteriùs ad dignitates, & personatus non curatos, *in priore parte hujus c.* non expressos, fieri non debet. Accedit, quòd major sit ratio, cur prohibeatur, ne possessio Beneficiorum curatorum illegitimè acquiratur, quàm non curatorum, ob majus damnum, & periculum animarum in curatis.

CLXVII. Notandum secundò. Aliud est per vim occupare aliquod Beneficium: aliud, se injustè intrudere, cùm ponantur *in hoc c.* ut diversa, *Franc. hîc n.* 2. Nam intrusio latiùs patet, quàm violentia, quia non tantùm is, qui sine Titulo Canonico Beneficium assequitur: sed etiam is, qui post collationem sibi factam, illud propriâ auctoritate occupat, & sine legitimi Superioris consensu, possessionem Beneficij apprehendit, dici potest injustè intrusus; quia non Canonicè possessionem occupat, & administrationem exercet, ut testatur *Rebuff. in reg.* 29. *Cancellar.* §. *Dummodò intrusus non fuerit.* Quia licèt Clericus, spectato Jure communi, post legitimam collationem Beneficij, vel verbalem institutionem in eo à Superiore factam, eo ipso facultatem consecutus censeatur, possessionem, si vacet, apprehendendi: nisi alia sit Ecclesiæ consuetudo, videlicet ut provisus, aut verbaliter institutus, non per se possessionem accipiat, sed per alium corporaliter introducatur, quæ installatio vocatur; tamen id locum non habet, si alius quispiam in possessione existat: tunc enim si quis, propriâ auctoritate, possessionem capiat, pristinum possessorem per vim expellendo, eum injustè spoliâsse, & se ipsum injustè intrudere censetur, *arg. l. Si ex stipulatione*, 5. *ff. de acquirend. poss. Laym. in qq. Canon. de Præl. Eccles. elect. quæst.* 113. At verò è contrario non omnis, qui se injustè intrudit, violentiam infert, ut per se constat.

Notandum tertiò. Si is, qui obtinet Ecclesiam, seu Beneficium curatum, posteà violenter occupet, vel injustè se intrudat in Beneficium simplex, hoc non vacat, nec amittit primum, sed perdit jus in re, vel ad rem, si quod habuit in secundo, ut colligitur ex *hoc c. in princ.* quod loquitur de curato, *Gl. hîc V. Cura.*

CLXVIII. Notandum quartò. Qui per vim occupavit, vel injustè se intrusit in Beneficium, inhabilis fit ad id obtinendum, adeò ut in ejus adeptione necessariò mentio fieri debeat intrusionis; quia alioquin præsumitur Papam, si vitium intrusionis sciviſſet, id non concessurum fuisse, ut ex communi tradit *Abb. in c. Cùm jam dudum* 18. *nu.* 3. *h. t.* Qui verò dignitatem, personatum, vel aliud quodcunque Beneficium Ecclesiasticum per vim propriâ auctoritate occupat, illud ipsum, si quod jus in illo, vel ad illud habet, amittit, *juxta hoc c.* §. *Insuper*; Ubi tamen notandum est discrimen, inter eum, qui curatum Beneficium per vim occupat, vel injustè se intrudit, & eum, qui Beneficium non curatum per vim accipit: nam prior illud ipsum, si jus in eo habet, amittit, & alio priùs habito ipso jure privatur, modò scienter id fecerit, non ignoranter, ut patet *ex hoc c. in priore parte ibi: scienter*, alias enim hanc pœnam non incurret, nisi hoc factum sit ex ignorantia, non facti, sed juris, *Gl. hîc V. scienter*; At verò posterior, illud solùm Beneficium, quod per vim pro priâ auctoritate accepit, si in eo jus habet, amittit, non item aliud priùs obtentum, ut *hîc* §. *Insuper*; ubi de amissione prioris Beneficij obtenti nihil dicitur, etsi contrarium teneant plures Dd. ut ex suprà dictis patet.

CLXIX. Quæritur tertiò. An per adeptionem alterius Beneficij simplicis, personalem residentiam requirentis, ipso jure vacet, & amittatur simile Beneficium priùs habitum? Resp. primò. Si Canonicus v. g. in loco unius Beneficij non residеat, ideòque fructus non percipiat, certum est, quod possit in alia Ecclesia alium Canonicatum accipere, & retinere, & in eo residendo fructus lucrari, ac proinde per adeptionem hujus secundi Canonicatus, non vacat, neque amittitur prior Canonicatûs, & vice versâ. Sed satis est, quòd fructibus careat ejus Beneficij, in quo non residet, secundùm consuetudinem, vel statutum, loci *Abb. in c. ult. n.* 4. *de Cleric. non resid.* Sic interdum accidit, ut quis sit Canonicus in pluribus Ecclesijs, sed non Præbendatus in omnibus, *Imol. in cit. c. ult. n.* 15. Resp. secundò, Sed neque per adeptionem alterius Canonicatûs, vel Beneficij simplicis vacat, seu amittitur ipso jure prior Canonicatus, vel aliud Beneficium simplex priùs habitum, si ratione residentiæ personalis, secundùm loci consuetudinem, requisitæ, sint compatibilia, *Abb. c. l. n.* 4. Quia talis utrique deservire potest, cùm neutrum requirat residentiam totius anni, sed ad certum tempus tantùm, v. g. ad novem menses, quomodo secundùm Concil. Trident. *Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* Canonici, aliique Beneficiati in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, quolibet annos abesse possunt tribus mensibus, ut etiam dictum suprà.

CLXX. Resp. tertiò. Probabilius est, quòd neq; per adeptionē alterius Canonicatûs, vel Beneficij simplicis, prior Canonicatus, aliúdve Beneficium simile ipso jure vacet, vel amittatur, etiamsi utrumq; perpetuam residentiam personalem requirat *Imol. in cit. c. ult. n.* 13. *de Cleric. non resid. Azor p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 9.

Na-

Navarr. l. 3. consil. 17. h. t. contra *Gl. in c. Ex parte 3. V. Per decem annorum, Abb. c. l. n. 5.* Sed probatur, quòd non vacet, quia non est recedendum à jure antiquo, nisi quatenus illi per jus novum, seu posterius specialiter derogatum reperitur, *l. Præcipimus 32. in fine C. de appell.* At spectato Jure antiquo, qui plura Beneficia incompatibilia, ob personalem residentiam, vel ob aliam causam accepit, neutrum ipso jure amisit, sed alterum, quod maluerit, dimittere debuit, ut constat ex *c. Referente 7. & c. præterà 14. h. t.* Neque hoc Jus antiquum correctum reperitur, nisi quoad Beneficia curata, dignitates, & personatus, *in c. De multa 28. h. t. & in Extravag. unic.* Io: XXII. *eod.* Ergo quoad Beneficia simplicia incompatibilia, quoad residentiam, adhuc servanda sunt Jura antiqua, ut nimirum per adeptionem alterius similis incompatibilis, non amittatur prius ipso jure, sed Beneficiatus cogi debeat ad resignandum, vel dimittendum alterutrum, quod voluerit. Similiter, si is, qui unum Beneficium simplex obtinet, ad congruam sustentationem sufficiens, acquirat posteà alterum Beneficium simplex, itidem sufficiens, non perdit ipso jure prius; quia licèt omne Beneficium sufficiens ad sustentationem, sit incompatibile cum quolibet alio simplici Beneficio: non tamen omne Beneficium incompatibile vacat ipso jure, per acquisitionem cujuslibet alterius ipsi incompatibilis, sed solùm, si sit Beneficium curatum, vel dignitas, seu personatus, vel Officium, *juxta cit. c. De multa; & cit. Extravag. unic.* in quibus longè major ratio illam pœnam statuendi occurrebat, *Navarr. l. 3. consil. 13. h. t.*

CLXXI. Non obstat primò. Quòd qui acceptat alterum Beneficium incompatibile, post obtentam ejus possessionem, hoc ipso tacitè, & ipso facto priori renunciare videtur. Nam respondetur, quòd hæc tacita renunciatio non sit præsumenda, nisi Beneficiarius assumat statum incompatibilem, cum statu Clericali, videlicet uxorem ducendo, vel militiæ nomen dando, ut docet *Gl. in c. ult. V. Redierint; de Cleric. non resid.* vel nisi talis præsumptio ipso jure introducta sit, cujusmodi tamen jus in hoc nullum extat. Et hinc *Gl. in c. Ex parte 8. V. Per decem annorum eod. tit. & Abb. ibid. n. 2.* & alij communiter docent, quòd per solam absentiam, quamvis longam, seu decem annorum, non censeatur Beneficiarius pro derelicto habere Beneficium, seu ei renunciare: ideóque nec privatus illo sit ipso facto, seu jure, sed opus est, ut priùs citetur, quàm ei id auferatur, & alteri conferatur. Nisi tamen propter nimis longam absentiam, & desertionem, spectatis circumstantijs, censeri possit aliquis Beneficium velle pro derelicto habere.

Non obstat secundò. Quòd Lex, seu Constitutio etiam pœnalis, ob rationis identitatem, ad similem casum extendi potest: cùm ergo *in cit. c. De multa* decretum sit, ut obtinens secundum Beneficium curatum, vel dignitatem, ipso jure privatus sit dignitate, vel Beneficio priùs obtento, illúdque amittat, idque propter incompatibilitatem, quæ eodem modo reperitur in Beneficijs simplicibus, quæ residentiam incompatibilem postulant, ideò hoc ipsum etiam in istis locum habebit. Sed respondetur, falsum esse, quòd Lex pœnalis exorbitans, vel correctiva juris antiqui, ob rationis similitudinem, vel identitatem, extendi debeat ad casus non expressos, nisi necessitas cogat, ut quia alioquin iniquitas, jurium contradictio, vel aliud absurdum sequeretur, *Laym. l. 1. tr. 4. c. 18. n. 9. in fine*, & alij communiter, & sumitur *ex l. Si verò 64. §. De viro & ibi Bart. in summa. ff. solut. matr.* Accedit, quòd non sit eadem ratio in Beneficijs simplicibus, etiam incompatibilem residentiam postulantibus, quæ in Beneficijs curatis, dignitatibus, aliisque Beneficijs duplicibus: nam in his magis requiritur personalis, & continua residentia propter periculum animarum, quod in curatis subest, & quia in dignitatibus absentia Beneficiatorum magis noxia est Ecclesijs, ideóque rectè statuta est major pœna Canonica in eos, qui plura Beneficia curata, vel dignitates simul obtinent, non item qui plura Beneficia simplicia, etiam incompatibilem residentiam postulantia; *Abb. in cit. c. ult. n. 6. de Cleric. non resid.*

Porrò simplex Canonicatus etiam Ecclesiæ Cathedralis, non est talis dignitas, de qua fit sermo *in cit. c. De multa; h. t. & in Extravag. unic.* Io. XXII. *eod.* Etsi enim habeat eminentiam, & dignitatem super reliquos Clericos inferiores, non tamen dicitur, nec reputatur dignitas simpliciter, quæ requirit præeminentiam super reliquos Clericos, non tantùm inferiores, sed etiam supra ipsos Canonicos Cathedrales: quo sensu sumitur dignitas in Canonibus citatis, id quoque potest quis simul habere duos Canonicatus simplices in diversis Ecclesijs, etiam Cathedralibus.

CLXXII. Quæritur quartò. An qui tertium vel quartum Beneficium incompatibile obtinet, amittat ipso jure duo, vel tria priora? Resp. *in Clement. Si plures; 3. h. t.* sic statuitur; Si obtinens (per legitimam dispensationem, *Gl. hìc V. Obtinens*;) plures dignitates (vel personatus, vel Beneficia curata, vel alterum cum altero, v. g. dignitatem cum personatu, vel cum Beneficio curato, cùm sit eadem ratio, *Gl. hìc V. dignitates*;) aliam dignitatem similem, vel Beneficium curam animarum habens acceptet, sine legitima dispensatione, super hoc) (scilicet super illa, vel illo retinendo, unà cum priùs habitis, vel cum altera illarum, *Gl. hìc V. Super hoc*;) obtenta, post adeptam pacificam possessionem ejus (dignitatis, vel Beneficij ultimò collati, & acceptati, *Gl. hìc V. ejus*;) dignitates omnes (vel Beneficia curata) quas priùs habebat, ipso facto vacant: sicut si dignitatem unicam obtineñti, alia similis conferatur, post ejus pacificam possessionem habitam, prima de jure vacaret; *juxta Decretalem de multa 28. h. t. & Extravag. Execrabilis, Gl. fin. hìc.* Idémque est, si per Beneficiarium staret, quòminùs possessionem Beneficij consequatur; *Gl. hìc V. adepta, Azor p. 2. l. 2. c. 13. q. 10.* Quare sicut si obtinenti Beneficium, conferatur aliud incompatibile, post pacificam ejus possessionem, vacat primum: ita si habenti duo, vel plura Beneficia incompatibilia aliud conferatur, post ejus pacificam possessionem obtentam, ipso jure vacant omnia priora, *Garc. p. 11. c. 5. n. 169.*

CLXXIII. Sed huic decisioni obstare videtur *text. in c. Ordinarij 3. §. in conferendis de Offic. jud. ordin. in 6.* ubi dicitur, quod habenti duo Beneficia;

vel plura incompatibilia (cujusmodi sunt Beneficia curata, ac dignitates, seu personatus) aliud simile coferri non debet, nisi priùs ostendat, se super prioribus simul possidendis legitimam dispensationem Papalem obtinuisse: eâ autem ostensâ, tum demum aliud simile dispensato conferri potest, si vel unâ cùm obtenris, vi ejusdem dispensationis, aliud consequi valeat: vel si priùs obtenta dimittere paratus sit, alioquin novi Beneficij collatio irrita erit. Si ergo collatio tertij non valet, non potest inducere vacationem priorum, juxtà *reg. juris*; 52. *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* Verùm respondetur, licèt collatio tertij Beneficij non valeat, tamen, post ejus possessionem pacificam adeptam, vacant priora, ne sit melioris conditionis, qui acceptat collationem tertij illicitam, quàm qui licitam, *arg. c. Eum qui*; 18. *h. t. in 6. Gl. hîc V. vacare in fine, Garc. cit. c. 5. nu.* 171. *& seq.*

Hinc colligitur: Si cum aliquo dispensatum sit super duobus Beneficijs incompatibilibus, & posteà ex dispensatione conferatur tertium, post hujus pacificam possessionem, ipso facto duo priora vacant; quia dispensatio, impetrata ad duo Beneficia incompatibilia non extenditur, nisi ad duo Beneficia, quæ primò obtinebat, *Gl. magn. hîc in notat.* Verùm in casu, quo per adeptionem secundi Beneficij non vacat primum curatum, quia nimirum confertur alicui Beneficium simplex, cui annexa est Ecclesia Parochialis, ut *in c. Super eo*; 6. *h. t. in* 6. tunc etiam non vacant plura Beneficia priora curata, quæ provisus ex dispensatione obtinebat, *Gl. hîc V. Sicut, & Abb. ibid. n.* 2. *in fine.*

CLXXIV. Cæterùm hoc loco addendum est suprà dictis pœnis, quòd obtinens plures dignitates, vel præbendas ineligibilis est, & inhabilis ad Beneficia obtinenda, vel si electus se ingerat administrationi, ante confirmationem, vel post illam cassatam, prout statutum est, *in c. Cùm jam dudum*; 18. *h. t.* » Nam cùm vacante Præpositurâ Siclunensi in Præ» positum illius Ecclesiæ, in discordia electus esset » Ioannes: quidam Canonicus opposuit, multa pro» ponens contra illum, videlicet quòd plures digni» tates, & Beneficia, seu Præbendas obtinebat, non » sine ambitionis, & avaritiæ vitio, & quòd insuper » se ingesserit, & ante confirmationem administrare » præsumpserit, imò etiam post confirmationem » cassatam. Quare mandat Papa Innocentius III. » Episcopo Tornacensi, & ejusdem Ecclesiæ Canto» ri, ut si repererint, Ioannem habere plures digni» tates, aut præbendas, vel aliquid aliud ex prædictis, » (scilicet quòd ante confirmationem administravit, » vel post cassationem confirmationis, *Gl. hîc V. A*» *liud*;) quod ad cassationem ejus sufficiat, verum esse » invenerint, Ioanni super dicta Præpositura silen» lentium imponant, & Ecclesiam Siclunensem ab » illius impetitione absolvant; quia multa per pati» entiam tolerantur, quæ si in judicium deducta fue» rint, exigente justitiâ, tolerari non debent.

CLXXV. Notandum primò. Qui plures dignitates, vel Beneficia, seu Præbendas obtinet, quas dimittere non vult, si eligatur ad alind Beneficium, vel Præbendam, sine dispensatione Apostolica, ejus electio cassari debet, & multò magis si ipsemet se ingerat, & intrudat in Beneficium, vel etiamsi electus sit, ante acceptam confirmationem Superioris, administrare præsumpserit, cùm non habeat legitimum titulum, vel etiamsi post cassatam confirmationem administret, intrusus censetur, & inhabilis est ad idem Beneficium obtinendum, *Abb. hîc n.* 4. quia paria censentur esse, administrationi se ingerere, ante confirmationem, & post cassatam confitmationem, quia tunc perinde est, ac si confirmatio non præcessisset, *Hostiens. hîc V. Cassatam*; ideóque ob utrumque vitium redditur ineligibilis. *Fagnan. hîc nu.* 4. *&* 5. Imò etiamsi talis intrusus posteà Beneficium, in quod se propriâ auctoritate ingessit, impetret à Papa, non factâ mentione intrusionis, impetratio subrepetitia est, & irrita, *Abb. hîc num.* 3. Ex quò à sensu contrario colligitur, quòd priusquam confirmatio cassata fuit, possit electus liberè administrare, nisi fuerit à confirmatione appellatum, quâ pendente, non debet administrare, *Imol. hîc n.* 8.

Notandum secundò. Quando hîc dicitur, quòd non possit quis simul habere plures dignitates, atque præbendas, particula *atque* intelligi debet, non copulativè, sed disjunctivè, ita ut sive quis plures dignitates habeat, sine præbendis, seu Beneficijs simplicibus, sive plures præbendas, sine dignitatibus, non possit eligi ad aliud Beneficium, si utrumque personalem residentiam requirat, vel sufficiens sit ad necessariam sustentationem. *Fagnan. hîc num.* 23. Quomodo autem plura Beneficia simplicia simul habere liceat, vel non dictum est §. *præced. q.* 4.

CLXXVI. Notandum tertiò. Quando hîc in fine dicitur, quòd multa per patientiam tolerentur, quæ tolerari non deberent, occurrit Pontifex tacitæ objectioni: quòd multi ad plures dignitates, aut Beneficia (quorum unum, aut pauciora ad sustentationem vitæ sufficerent) promoveantur, & tamen promotio eorum à Papa non reprobatur, vel cassatur: Nam respondetur, quamvis Papa fortasse hoc sciat, & motu proprio, ac suâ auctoritate non emendet, vel impediat, sed per patientiam toleret: non tamen id approbat, sed exspectat, donec causa per querelam in judicium deducatur, ut ad instantiam partis ex officio teneatur justitiam administrare. Ex quo infertur, quòd non omnis patientia, seu taciturnitas Superioris censenda sit dispensatio, sive relaxatio juris: nam interdum ideo tacet, & dissimulat, ac tolerat; quia facilè impedire non potest, ac proinde talis tolerantia non inducit dispensationem, nec consensum approbativum Superioris, sed est voluntas permissiva tantùm. *Gl. fin. hîc & ibid. Abb. n.* 5. *&* 10. Quare quando Princeps solo facto, seu impunitate dissimulat aliquid, & permittit, non censendus est velle dispensare, *Sanch. l.* 2. *de matrim. dis.* 38. *num.* 12. Cui non obstat *text. in c. Quia circa*; 6. *de consang. & affinit.* Nam ibi conjuges, bonâ fide, existimabant, se esse legitimè conjugatos, & detectâ veritate, sive impedimento occulto consanguinitatis timebatur, ne ex separatione Conjugum grave scandalum oriretur, ideòque Pontifex judicavit,

cavit, illud dissimulandum esse, & tacendum, eósque relinquendos esse in suo matrimonio putativo, cùm ob invincibilem ignorantiam à peccato excusarentur, *Sanch. c. l. Barb. in Collect. hìc n. 3.* de quo suo loco.

§. VII.

De pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum regularium.

CLXXXVII. Supponendum inprimis, quòd sicut in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs sæcularibus, sunt Præposituræ, dignitates, personatus, & Beneficia sæcularia Clericorum: ita, & in Monasterijs, ac Religiosis domibus, & Ecclesijs sunt Prælaturæ, dignitates, & personatus, ac Beneficia regularia Religiosorum: videlicèt Abbatia, Præpositura, Prioratus regularis: sed & Canonicatus Regularis Ecclesiasticum Beneficium simplex est, ut tradit *Gl. recepta in Clement. 2. V. Beneficijs de judic.* Imò, & Monachatus, quatenùs est jus recipiendi victum, aut portionem determinatam Monachalem, *Navarr. in Commentar. 4. de Regular. n. 25. ex Hostiens. & Abbat.*

CLXXVIII. Quæritur nunc primo. An Monachus aliquis, vel Religiosus simul obtinere possit duo, aut plura Beneficia regularia? Respond. *in c. Cum singula; 32. h. t. in 6.* prohibetur, ne » aliqui Monachi, vel alij Religiosi pluribus Prioratibus (etiam non curatis, *Gl. hìc V. Prioratibus*; & consentit *Clement. unic. in fine de suppl. negl. Prælat.*) vel Ecclesijs curam animarum habentibus, etiamsi cura illa non per ipsos, sed per Presbyteros Vicarios, ad illorum præsentationem ab Episcopo institutos, exerceri soleat, absque Sedis Apostolicæ auctoritate, seu dispensatione præesse præsumant: nisi unus Prioratus (vel aliud Beneficium regulare) ab alio dependeat, vel illi sit annexus. Ratio hujus prohibitionis affertur *in princ. hujus c.* ubi dicitur, quia singula officia Ecclesiastica singulis personis sunt conferenda (non autem uni plura, cùm vix unum officium rectè implere quis sufficiat, ut dicitur *in c. 3. de Cleric. non resid.* (consentit c. 1. *dist.* 89.) & quia dissolutionis, & evagationis materia, seu occasio Religiosis, præ cæteris, est auferenda. Præterea *in eod. c. §. statuentes* decernitur, ut si Religiosus Prioratum, vel curatam Ecclesiam obtinens, aliud simile Beneficium recipiat, priore sit ipso jure privatus, & statim dimittere debeat, ut ab eo, ad quem id pertinet, liberè alteri conferri possit. Quòd si non fecerit, ex eo tempore, eo ipso ineligibilis efficiatur, & tanqnam ambitiosus ab utroque Beneficio omninò removeatur. Quòd verò ad eos attinet, qui tempore hujus editæ Constitutionis, plures Prioratus, vel Ecclesias curam animarum habentes obtinebant, statuitur, ut intra mensem (à die, quo notitia illius ad eos pervenerit, numerandum) unum ex ijs, quem retinere voluerint, alijs dimissis, eligere teneantur, alioquin ex tunc, id est, post mensem, eisdem suprà dictis pœnis subjaceant.

Hinc colligitur, quòd Prælatus non potest subditum suum Regularem habilem facere, ad duo Beneficia etiam ejusdem Ordinis, vel Monasterij simul acquirenda: tametsi duo tantùm sint Beneficia simplicia, sine dispensatione Papæ; quia quodlibet Beneficium est incompatibile cum primo, si conferatur utrumque Religioso in Titulum, *ut patet ex hoc c.* Quamvis Papa unum possit conferre in Titulum, & alterum in Commendam *Rebuff. c. l. num. 8. & 9. Sanch. l. 7. mor. c. 29. nu. 8. Navarr. in Commentar. 4. de Regular. num. 23. qu. 7. vers. 5.* Nisi tamen unum Beneficium dependeat ab altero, sive ipsi sit annexum, seu unitum: tunc enim non est necessaria dispensatio, ad illa obtinenda, cùm hujusmodi duo Prioratus, vel Beneficia curata, aut simplicia pro uno reputentur, *Gl. hìc V. Annexi; Navarr. c. l.*

CLXXIX. Quæritur secundò. An Monachus, vel Religiosus possit obtinere duo, vel plura Beneficia regularia, in diversis Monasterijs, vel Ecclesijs? Respond. Negativè, ut constat ex *cit. c. Cùm singula 3 §. Prohibemus; h. t. in 6.* Ubi insuper prohibetur, ne Prioratus, vel Ecclesiæ, vel administrationes, seu officia unius Monasterij, quæ per ejusdem Monachos gubernari consuera sunt, deinceps absque Sedis Apostolicæ auctoritate, alterius Monasterij Monachis committantur gubernanda, & quæ hactenùs eisdem commissa sunt, dimittantur, ut per eos, ad quos pertinent, liberè conferri, & ordinari possint: quippe cùm Monachis non liceat habere locum in diversis Monasterijs, quorum unum ab altero non pendet, sive si ad invicem non sint connexa: neque Prioratus, Ecclesias administrationes, vel officia aliorum Monasteriorum (nisi ad ea canonicè transferantur.) liceat eis gubernare. Qui verò contra præsentem prohibitionem inposterum Prioratum, administrationem, vel aliud ex prædictis, alienis Monachis commiserint, vel commissa reliquerint: ij in pœnam, eâ vice, ordinandi, seu committendi potestate sint privati, eáque ad Diœcesanum (si Monasteria non sint exempta) alioquin ad Sedem Apostolicam (vel Legatum de Latere, si sit in Provincia, *Gl. hìc V. per Sedem;*) devolvatur. Si verò Monachi, qui contra eandem Constitutionem, Prioratus, Ecclesias, administrationes, vel officia alieni Monasterij suscipere, vel jam suscepta detinere præsumpserint, ipso jure ineligibiles redduntur.

CLXXX. Notandum primò. Monachus, vel alius Religiosus agendo contra hanc Constitutionem, non solùm fit inhabilis, ut eligatur; sed etiam, ut ei Beneficium conferatur: collatio enim non valet, ut tradit *Gl. hìc V. Ipso jure, & Rebuff. in praxi tit. de dispensat. cùm Regular. facta; n. 3.* Licet enim appellatione electionis aliàs non veniat ordinarie

collatio: id tamen fallit, nisi sit eadem ratio utriusque, ut in proposito, quia nimirum rationi non convenit, ut homines diversæ professionis, vel habitûs simul in eisdē Monasterijs socientur, ut dicitur *in Clem. 1. de elect.* sive per electionem, sive per collationem: utitur autē Pontifex *in cit. c. Cùm singula*; verbo *Ineligibilis* quia frequentiùs fieri solent electiones ad Prioratus, & officia in Monasteriis, *Rebuff. c. l. n. 4.*

Notandum secundò. Non potest quis simul obtinere duo Beneficia regularia in Titulum, adeóque neque Monachus esse, seu Professus in duobus Monasterijs, etiam ejusdem Ordinis, & Regulæ, ut ex communi docet *Anchar. in cit. c. Cùm singula*; *not. 6. & Franc. ibid. Rebuff. c. l. n. 9. & 10. Navarr. c. l. n. 23.* Ratio est, quia si Religiosus duo Beneficia sui Ordinis in Titulum haberet, in diversis, seu distinctis Monasterijs, esset sub diversa obedientia, & diversis Prælatis subijceretur, *contra c. ult. de Relig. dom.* Et cùm Monachus professior n faciendo, spirituale velut matrimonium cont at erga hoc Monasterium, eique totaliter se tradat. ut ex communi docet *Abb. in c. Non potest 37. de regular.* consequenter non potest jus, ac Titulum habere in duobus, seu distinctis Monasterijs. Excipe, nisi duo sint Monasteria, quorum unum ab altero dependet, sive alteri subjectum est: tunc enim potest Religiosus in utroque simul, sine dispensatione, Jus Collegij, & Beneficij habere, ut in inferiore v. g. sit Prior subjectus alterius Monasterij majoris Abbati, in quo est Professus, quia hoc casu non subest diversis, sed uni tantùm Prælato, *Rebuff. c. l. n. 11. Navarr. c. l. Laym. in qq. de Præl. Eccles. elect. q. 202.* idque sumitur *ex cit. c. Cùm singula*; *junct. Gl. V. Annexi.*

CLXXXI. Notandum tertio. Prædicta dispositio de Monachis, extenditur etiam ad Clericos, seu Canonicos Regulares, quòd neque ipsi possint esse professi, & habere Beneficia, vel Officia regularia in diversis Ecclesijs, etiam ejusdem Ordinis: nam omnia Beneficia regularia videntur in *in cit. c. Cùm singula* adæquari, quoad prohibitionem duorum Beneficiorum, vel Officiorum in diversis locis, seu Monasterijs, ut docet *Navarr. in Comment. 3. de Regular. n. 43. §. Tum quia per prædictum c. Cùm singula*, ubi *n. 41.* Regulam generalem tradit, quòd ea, quæ jure communi statuuntur de Monachis, quamvis alioquin odiosa sint, vel pœnalia, etiam de Regularibus Canonicis, aliisque Religiosis statuta censeantur, si in ijs eadem ratio locum habeat, ut in proposito, quandoquidem Regulares Canonici non minùs, quàm Monachi, professionem edunt ad stabilem locum, & in Monasteriijs suis jus Collegij, atque cujusdam Beneficij obtinent.

Notandum quartò. Abbas, seu Prælatus, spectato jure communi, & ordinario, non potest cogere Monachum, vel Religiosum, ut ad aliud Monasterium etiam ejusdem Ordinis transeat: tum quia, sicut illud Monasterium solum, in quo est professus, tenetur illū alere, ita ipse illi soli tenetur servire: tum quia sicut Beneficiati Sæculares non possunt cogi ad relinquenda sua Beneficia, sine culpa ipsorum: ita nec Regulares possunt cogi ad relinquenda jura Monasteriorum, in quibus sunt professi, & alimenta sibi inde debita, *Navarr. cit. Comment. 4. de Regular. n. 22. Laym. cit. q. 202. de Præl. elect.* Vetùm de hoc plura infrà *Tit. 31.* ubi est proprius agendi locus.

§. VIII.

Quis possit dispensare in pluralitate Beneficiorum? & quæ sint iusta causa in ea dispensandi?

CLXXXII. Assertio 1. Si sint Beneficia incompatibilia de Jure communi, videlicet dignitates, personatus, Beneficia curata, vel Officia, solus Papa, ob justam causam, dispensare potest, ut quis plura simul obtineat in eadem, vel diversis Ecclesijs. Ita docet *Gl. in c. Dudum*; 54. *V. Per Sedem de elect. & in c. De multa*; 28. *Gl. V. Per Sedem*; *h. t.* ex eo quod ibi dicitur, *cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*, ait, patere à contrario sensu, quòd per alios in talibus non potest dispensari; quia quod de uno conceditur, de alio negatur, & quod de uno negatur, de alio conceditur. Idem docet *Gl. in c. 1. V. Absque dispensatione de consuet. in 6. Abb. in c. Extirpandæ*; 30. §. *Qui verò n. 38. h. t. Azor p. 2. lib. 6. c. 12. q. 1. Less. lib. 2. c. 38. nu. 149. Garc. p. 11. c. 5. n. 337. Lnym. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 9. & alij Dd. communiter.* Ratio sumitur ex *Clement. 1. Ut lite pendente &c.* ubi dicitur: *quia ad Rom. Pontificem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorúmque Beneficiorum Ecclesiasticorum plena, & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere.* Idémque habetur in *c. 2. in princ. h. t. in 6. & in c. Proposuit*; 4. ubi dicitur, *qui secundùm plenitudinem potestatis de iure possumus suprà Jus dispensare, de conces. præb.*

CLXXXIII. Dices primò. Si irrationabile est, & bonis moribus repugnat, ut unus duas dignitates in eadem Ecclesia, vel duo Beneficia curata in diversis Ecclesijs obtineat: tum sequitur, neque Papam id permittere posse, vel in eo dispensare. Resp. Licèt statutum, vel consuetudo, ut ordinariè conferantur, & conferri possint uni, duæ dignitates in eadem Ecclesia, vel duo Beneficia curata in diversis Ecclesiijs, meritò damnanda sit, tànquam Ecclesiæ noxia, aut bonis moribus contraria: non tamen ita reprobata est, aut noxia dispensatio S. Pontificis, pro una, aut altera vice, aut in casibus extraordinariè subinde occurrentibus; cùm illa ob peculiares circumstantias cohonestari, & utilis esse possit. Idèmque dicendum est, si unus duo vel plures Episcopatus, aut Prælaturas simul retineat. Simili modo non valet consuetudo, vel statutum, ut injustis homicidis, aut latronibus vita condonetur, si mulctam pecuniariam solvant: quia hoc, si ordinariè fieret, ansam daret delinquendi, & injurias inferendi: attamen Princeps, seu is, qui Reipubl. præest, potest in certo casu vitam reo condonare, aut supplicium mortis in aliam mitiorem pœnam commutare, *Laym. in c. 1. n. 4. de Consuet. in 6.*

Dices secundò. Papa non potest dispensare in jure naturali, & Divino. Resp. non potest dispensare in eo, quod est contra jus naturæ strictè sumptum, & nullâ ratione fieri potest bonum; potest tamen in eo, quod est contra jus Divinum, & naturale latè sumptum, & appositis quibusdam circumstantijs potest fieri bonum, cujusmodi est pluralisas Beneficiorum,

rum, *Sanch. lib. 2. Consil. c. 2. dub. 5.* & alij apud ipsum.

CLXXXIV. Sed quid si Papa sine justa causa dispenset, ut unus duas dignitates, vel duo Beneficia curata simul obtineat, eritne dispensatio valida? Certum est apud omnes esse illicitam, adeóque tam ipsum Pontificem, sine rationabili causa, dispensantem, quàm illum, qui dispensationem petit, vel oblatam acceptat, peccare, nisi ignorantiâ excusetur: tum quia Papa non est Dominus Beneficiorum, sed Dispensator, qui non potest pro arbitrio dispensare bona Ecclesijs relicta, & DEO donata, sed nonnisi in utilitatem earum: tum quia est contra Jus Divinum, & naturale, ut unus habeat plura Beneficia, nisi justa causa id excuset: atqui Pontifex non potest, saltem licitè, dispensare in ijs, quæ sunt Juris Divini naturalis, nisi ex justa causa, quæ difformitatem, seu inordinationem tollat, ut patet in votis, & juramentis, *Leß. c. l. n.* 151. *ubi tamen addit nu.* 152. collationem Beneficij secundi, & cæterorum posteriorum, etiam sine justa causa dispensandi factam, esse validam, & conferre verum Titulum: nam ad nullum eorum provisus est inhabilis jure naturæ: quamvis in conscientia teneatur resignare ea Beneficia, quæ secundùm statum suum ei non sunt necessaria, vel in quibus justa causa dispensandi non intervenit: fructus tamen interim perceptos non tenetur restituere, si obligationibus Beneficiorum, saltem per Vicarium satisfecit. Idem tenet *Laym. c. l. & in cit. c. 1. de consuet. in 6.* ubi *nu. 5.* ait, Dispensationem Papæ super pluralitate dignitatum, vel Beneficiorum curatorum, sine justa causa necessitatis, vel utilitatis factam, esse invalidam, si obreptio aliqua ex parte impetrantis intervenerit: alioqui valida quidem est dispensatio, *arg. c. 2. h. t. in 6.* sed illicita, neque potest sic dispensatus plura hujusmodi Beneficia, tutâ conscientiâ, retinere, maximè si eorum fructus abundantes inutiliter consumere pergat.

Verùm *Sanch. c. l. dub. 6. n. 16.* docet, eum, qui obtinuit plura Beneficia incompatibilia, per dispensationem Papæ, sine justa causa, factam, peccâsse quidem mortaliter, dum actu procuravit, & recepit talia Beneficia: posse tamen licitè retinere illa, si per se, vel substitutos bene ea administret, & consulat damnis inde pullulantibus; quia accepit ab eo, qui poterat legitimè confetre, ac sciens, & prudens contulit illa Beneficia, & cùm talis receptio solùm sit contra justitiam distributivam, non obligat ad restitutionem.

CLXXXV. Assertio 2. Episcopi aliique Prælati Papâ inferiores, quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes, non possunt dispensare in prædictis Beneficijs incompatibilibus de Jure communi, ita ut unus simul plures dignitates, personatus, vel Beneficia curata obtineat, sive in eadem, sive in diversis Ecclesijs; quia non possunt contra Jus Pontificium dispensare, præsertim contra Decreta Concilij Generalis, præterquàm in causa magnæ necessitatis, vel publicæ, & evidentis utilitatis, ut docet *Abb. in cit. c. Extirpandæ; §. Qui verò; num.* 38. *h. t. Rebuff. in praxi tit. de dispensat. ad plura Beneficia num.* 26. 28. 30. *& seqq.* Quod tamen, saltem hodie locum non habet, nisi in casu, quo Papa consuli, & ab eo dispensatio peti non potest, ut notat *Garc. p.* 11. *c.* 5. *num.* 340. quamquàm rarissimè accidere, ut ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, uni eidemque conferenda sint plura Beneficia incompatibilia, ita ut periculum sit in dilatione ad consulendum Pontificem, monet *Leß. c. l. n.* 150. *& Laym. cit. c.* 8. *n.* 9.

CLXXXVI. Assertio 3. Potest Episcopus, spectato Jure communi, dispensare, ut quis simul obtineat duo Beneficia simplicia, v. g. duos Canonicatus, vel duas Capellanias, in diversis Ecclesijs, quin & in eadem Ecclesia duo simplicia Beneficia, si sint difformia, seu dissimilia, v. g. Canonicatum, & Capellaniam, non autem si sint uniformia, seu similia; quia per hæc magis diminuitur cultus Divinus, & Ecclesia magis necessarijs sibi Ministris destituitur, *Azor p.* 2. *l.* 6. *c.* 12. *q.* 6. §. *Quæ res, & dictum suprà, Fagnan. in c. Cum jam dudum* 18. *n.* 47. *h. t.* Verùm hodie post Concilium Tridentinum, Episcopus non potest dispensare, ut quis simul habeat duo Beneficia simplicia, v. g. duos Canonicatus in diversis Ecclesiis: nam si primum Beneficium simplex est insufficiens, ad necessariam sustentationem, tum potest obtineri secundum non requirens residentiam, absque ulla dispensatione, etiamsi hoc per se sit sufficiens ad congruam sustentationem, juxta Concil. Trident. *Sess.* 24. *c.* 17. *de reform.* ubi statuitur, quòd si alicui unum Beneficium, ad vitam ejus honestè sustentandam, collatum sit, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens eidem conferre, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat. Nam quamvis non possit is, qui habet unum Beneficium sufficiens, obtinere secundum etiam insufficiens, *juxta Concil. Trident. c. l.* ubi statuit, ut unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur: ita ut si habens unum sufficiens, obtineat alterum etiam insufficiens, hoc vacet ipso jure: permittit tamen, ut qui habet secundum sufficiens, possit illud retinere cum primo insuffieiente: Ratio diversitatis est, quia qui habet primum sufficiens, cùm jam habeat congruam sustentationem: videtur ad impetrandum secundum moveri ex avaritia, & ambitione, quæ sunt præcipuè causæ, ob quas prohibetur pluralitas Beneficiorum; at, qui habet primum non sufficiens, justè petit secundum ad honestam sui sustentationem, & quamvis ex accidenti contingat, ut secundum per se solum sufficiat, petendo tamen illud non peccat; cùm id faciat, lege permittente, ideóque non debet privari primo insufficiente, quia quod legitimè factum est, pœnam non meretur, *Fagnan. in cit. c. Cùm jam dudum n.* 49. 57. *&* 58. Si verò primum Beneficium est sufficiens, tunc Episcopus non potest dispensare, quia obstat Concil. Trid. *c. l.* contra quod potestatem dispensandi non habet, *Fagnan. c. l. n.* 49.

Quod si verò duo sunt Beneficia simplicia sub eodem tecto, sive in eadem Ecclesia, tum, si quidem sunt uniformia, seu similia, v. g. duo Canonicatus, vel duæ Capellaniæ, Episcopus dispensare non potest, sicut nec Jure communi; quia per talem collationem minuitur numerus Canonicorum. Sin autem Beneficia sint difformia, v. g. digni-

gnitas, vel personatus cum Canonicatu, vel Canonicatus cum Capellania, tum vel primum est sufficiens, & similiter Episcopus dispensare non potest, obstante Concil. Trid. *c. l.* Vel est insufficiens, & hoc casu potest dispensare, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, tunc enim, obstaret Concil. & opus esset dispensatione Sedis Apostolicæ, *Fagnan c. l. n. 50. & in c. literas 9. num. 39. & seqq. de conces. præb.*

CLXXXVII. Præterea non potest Episcopus dispensare, ut quis plura, quàm duo Beneficia, tametsi ambo non sufficiant ad congruam sustentationem, simul obtineat, *juxta declarat. S. Congreg. Concil. in cit. c. 17. Apud Ioannem Gallem: num. 3.* ubi dicitur Episcopus potest conferre secundum Beneficium, si primum non sufficit ad sustentationem: sed si duo non sufficerent, non potest conferre tertium, absque dispensatione Apostolica. Porrò ante Concil. Trident. potuisse Episcopum dispensare in pluribus Beneficijs simplicibus, etiam ultrà duo, si v. g. viro nobili, vel literato duo non sufficiant ad honestam sustentationem, docet *Abb. in c. De multa; 28. n. 19. h. t.* quia id nullibi in Jure communi antiquo reperitur prohibitum: *& c. Quia in tantùm; 5. h. t.* loquitur tantùm de illis, qui ex ambitione, vel avaritia plura Beneficia receperunt, non de ijs, qui ex justa causa necessariæ honestæ sustentationis.

CLXXXVIII. Denique Episcopus potest ex justa causa v. g. ob redituum tenuitatem, dispensare, ut quis plura simul obtineat Beneficia compatibilia difformia, etiam in eadem Ecclesia, videlicet dignitatem, seu personatum, vel Officium, vel Beneficium curatum, simul cum Canonicatu, aut Capella, dummodò tamen unum non sufficiat Clerico ad honestam vitæ sustentationem. *Azor cit. l. 6. c. 11. q. 4. & c. 12. q. 6. § Quæres; Garc. cit. c. 5. n. 369. & 376.* Imò hodiè nullâ opus est dispensatione, etiam Episcopi, ad simul obtinenda, & retinenda duo, vel etiam plura (secundùm quosdam) Beneficia simplicia, dissimilia, vel etiam similia in diversis Ecclesijs, quia Jus, vel consuetudo id permittit, dummodò pluribus ad honestam vitæ sustentationem provisus indigeat, *Rebuff. c. l. nu. 29. Laym. cit. c. 8 n. 9.*

CLXXXIX. Assertio 4. Legatus à Latere S. Pontificis potest dispensare quoad pluritatem Beneficiorum, in Provincia sibi demandata, ex iisdem causis, & in iisdem Beneficijs, in quibus id potest Episcopus in Ecclesijs suæ jurisdictioni subjectis. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, vacante Sede Episcopali, non potest dispensare, ut unus plura simul obtineat. Sed neque Vicarius Generalis Episcopi potest sine speciali commissione ejusdem dispensare, ut uni plura Beneficia conferantur, sicut neque ipse conferre potest plura uni, etsi ipsi concessa sit facultas conferendi Beneficia, *Azor. cit. c. 12. q. 9.* ubi addit, quòd etiam Reges, ac Principes, qui ex Ecclesiæ concessione nonnunquam Beneficia conferre possunt, duo pluráve dare nequeunt, sine speciali Romani Pontificis auctoritate.

CXC. Porrò prædictis addendum primò. Etsi Jure antiquo poterat Episcopus dispensare, ut quis simul obtineret, plura Beneficia, animarum curam habentia, ut patet ex *c. 2. dist. 70.* ibi: *Licet Episcopi dispositione unus diversis possit præesse Ecclesiis:* id tamen per Decretum Concil. Lateran. *in c. De multa; 28. h. t.* posteà correctum fuit, propter indiscretas Episcoporum dispensationes, ut notat *Gl. fin. ibid.*

Addendum secundò. In ijs Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ, in quibus consuetudine immemoriali non requiritur perpetua totius anni residentia, poterunt ex dispensatione Episcopi, saltem duo ejusmodi Canonicatus uni conferri, non obstante Concil. Trid. quia non censentur Beneficia incompatibilia, cùm continuam residentiam non requirant: & quia tales Canonicatus sunt in diversis Diœcesibus, ideò necesse est, ut utriúsque Episcopi dispensatio interveniat, sicut de duobus Beneficijs simplicibus, vel curato, & simplici in diversis Diœcesibus sitis, notat *Abb. in cit. c. De multa; n. 19.*

Addendum tertio. Si habenti duo Beneficia quovis modo incompatibilia de jure cõmuni conferatur tertium, collatio est ipso jure nulla, ut sumitur ex *c. Ordinarius; 3. §. In conferendis de Offic. iud. ord. in 6.* ubi *Franc. in princ. §. In conferendis; not. 2.* ait, quòd habens plura Beneficia incompatibilia, etiam ex dispensatione, censetur in habilis ad aliud Beneficium simile obtinendum, *Fagnan. in cit. c. Cùm jam dudum; n. 64. h. t.* Ioque colligitur etiam ex Decreto Concil. Trid. *Sess. 24. c. 17.* quod dum tribuit facultatem Ordinarijs ad sumum duo Beneficia uni conferendi, consequenter prohibet collationem tertij, & tacitè illam irritat: Nec obstat, quòd Conciliũ ibi similiter prohibet collationem secundi Beneficij, quando primum est sufficiens; & tamen collatio secundi non est irrita, *ex declar. S. Congreg. Concil.* nam ideò obtinenti unum, potest conferri secundum, quia unum obtinere non est contra Jus cõmune, ideóque illud obtinens non censetur inhabilis ad aliud etiam incompatibile consequendum; quare Concilium solùm ibi prohibet collationem secundi Beneficij, ita ut utrumque simul retineri possit: at verò duo simul obtinere est cotra Jus cõmune, ideòq; plura obtinens nõ est habilis ad aliud obtinendum, sine dispensatione S. Pontificis, cùm sit transgressor Canonum, *Gl. fin. in cit. c. 3. §. In conferendis; Fagnan. c. l. n. 69. & 70.*

CXCI. Assertio 5. Tres communiter justæ causæ dispensandi in pluralitate Beneficiorum à Dd. afferri solent, prout videre est apud *Abb. in c. De multa; 28 n. 7. h. t Azor. cit. c. 12. q. 2.* & alios. Videlicèt necessitas Ecclesiæ, magna utilitas ejusdem, & evidens prærogativa meritorum, ut sumitur ex *c. Tali; 17. caus. 1, q. 7.* ob necessitatem Ecclesiæ possunt quandóq; alicui plura Beneficia, supra necessariam vitæ sustentationẽ conferri, si desint idonei Ministri, v. g. in locis, in quibus Hæretici Beneficijs se intrudere conantur. Ob utilitatem verò Ecclesiæ, si quis unus solus magis putetur profuturus Ecclesiæ, etiam absens, suâ auctoritate, & potentiâ, vel doctrinâ, ac prudentiâ, quàm alius præsens, vel alij plures: sic filijs Principum conferuntur interdum plures Episcopatus, etiam ante ætatem, ut Ecclesiæ adversùs Hæreticos defendantur. Denique etiam ob prærogativam meritorum conferuntur uni plura Beneficia, ut constat *ex cit. c. De multa: h. t.* Ubi cum Innocentius III. in Concilio Lateran.

» ran. pluralitatem Beneficiorum curatorum, & di-
» gnitatum ac Personatuum prohibuisset, addit in
» fine: circa sublimes tamen & Litteratas Personas,
» quæ majoribus sunt Beneficiis honorandæ, cùm ra-
» tio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit
» dispensari. Item in Extravag. Execrabilis Joan.
XXII. cùm Pontifex sanxisset, ne quis acciperet plu-
» res dignitates, Personatus, Officia, Prioratus, &
» Beneficia, quibus inest cura animarum, excipit Car-
» dinales S. Rom. Ecclesiæ, qui Universali Ecclesiæ
» serviendo, singularum commoditatibus se impen-
» dunt: Ac Regum filios, qui propter sublimitatem
» eorum, & generis claritatem, sunt potioris prærога-
» tivâ gratiæ attollendi.

CXCII. Ubi notandum primò. Quòd hæc ultima causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum etiam duplicium, & curatorum, reducatur ad secundam; quia non ob generis nobilitatem vel doctrinam secundùm se, ac præcisè spectatam, dispensatur; sed quia tales Personæ plerúmque sunt magis utiles Ecclesiæ, & ideò pluribus Beneficiis honorandæ, & sic hæc ipsa dispensatio principaliter ac ultimatè tendit, & redundat in bonum publicum Ecclesiæ, juxta id, quod tradit *S. Thom.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *ad* 1. *Abb. in cit. c. de multa*; *n.* 7.

Notandum secundò. Personæ litteratæ in *cit. c. De multa*; æquiparantur Sublimibus sive Nobilibus, nam scientia nobilitat hominem, ut ait *Gl. ibid. V. Sublimes.* Idque etiam in Romano Imperio receptum est, saltem si Personæ litteratæ publicum doctrinæ testimonium in Universitate approbata, sive Doctoratum sint assecutæ, ut verè nobiles esse censeantur, iisdémque privilegiis gaudeant, quia eorum scientiâ totus illuminatur Orbis, ut ait Imperator Fridericus in *Auth. Habita, C. Ne filius pro patre &c.*

Notandum tertiò. Non censetur justa causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum, eò quòd aliquis propositum habeat, superfluos reditus in pios usus bene erogandi; quia & alii idem propositum habere possunt, & per hoc non tolluntur deformitates, quæ reperiuntur in pluralitate Beneficiorum, quorum unum vel pauciora ad honestam sustentationem sufficerent, videlicet Divini cultûs diminutio, inæqualitas distributionis reditnum Beneficialium, Ecclesiæ damnum &c. nisi hæc majore, vel æquali utilitate publicâ cohonestentur, *Azor cit. c.* 12. *q.* 3. *Laym. cit. c.* 8. *n.* 2. §. *Illud verò contra Cajet. & Navarr.*

§. IX.

Quomodo intelligi debeat, & explicari dispensatio facta super pluralitate Beneficiorum?

CXCIII. Assertio 1. Si Clericus impetret dispensa-
» tionem, ut scilicet plura Beneficia simul habeat, &
» vel modicum Beneficium in ea petenda reticeat, dis-
» pensatio ei non prodest, & est ipso jure irrita, pro-
ut statuitur in *c. Non Potest*; 21. *in princ. h. t. in* 6. Ratio est, quia taciturnitas qualitatis, cujus expressionem jura vel stylus Curiæ necessariò requirunt, reddit dispensationem, & quodvis gratiæ rescriptum, quod ad petitionem alicujus conceditur, subreptitium, & vitiosum: etsi constet, etiam expressâ qualitate illâ, Papam similiter gratiam illam concessurum fuisse, ut in *hoc c.* quòd Beneficium sit modicum, *Franc. hîc n.* 2. *Covarr. l.* 1. *resol. c.* 20. *n.* 5. §. *Verum*; *Laym. lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 22. *n.* 18. & alii communiter. Idque propterea, quia expressio talis qualitatis requiritur quasi forma legitimæ postulationis: quare non valet dispensatio impetrata super pluralitate Beneficiorum, nisi omnia Beneficia, quantumvis modica, quæ quis obtinet, expressa sint in petitione: nam si non valet impetratio Beneficii secundi, nisi impetrans mentionem faciat de Beneficio etiam modico, quod obtinet, vel ad quod jus habet, *c. Si proponente*; 42. *de rescript. & c. Si motu*; 23. *h. t. in* 6. de quo infrà: multò minùs valebit dispensatio super pluralitate Beneficiorum concessa, si in ea non fiat mentio de Beneficio etiam modico, prius obtento, *Gl. hîc V. Modicum*: nam hujusmodi dispensatio propter ambitionem impetrantis, & quia dispositioni juris communis est contraria, tanquam odiosa strictè intelligenda est, *c. Si gratiose*; 5. *de rescript. in* 6.

CXCIV. Quod autem dictum est, Extenditur primò. Quòd etiam qualitas curæ, si Beneficium, quod quis jam habet, exprimi debeat, quia difficiliùs dispensatur super pluralitate Beneficiorum, si alterum curatum sit, ut constat ex *Clem.* 1. *in princ. junctâ Gl. V. Vel alteri*; *h. t.* ubi rescribit Pontifex: si dignitatem habenti de alia provideri mandamus, di-
» spensantes cum eo, ut simul utramque retinere pos-
» sit, de animarum cura, quæ illi vel alteri illarum im-
» minet, nullâ factâ mentione, gratia hujusmodi
» (dispensationis) velut subreptitia, nullius penitus
» est momenti, etsi Litteris sit insertum, ut cura ani-
» marum nullatenus negligatur. Extenditur secun-
» dò. Quòd etiam de pensione fieri debeat mentio, si in Titulum Beneficii detur; cùm enim in locum Beneficii succedat, perinde est ac si quis Beneficium haberet, *Cochier. in Reg.* 61. *Cantell. Garc. p.* 1. *c.* 5. *n.* 81. Extenditur tertiò. Quòd etiam de Beneficio injustè obtento ac possesso fieri debeat mentio in petitione dispensationis, alioquin invalida erit dispensatio, ne melioris conditionis sit is, qui injustè possidet, quàm qui justè, *Gl. in c. Is cui*; 18. *V. Obtinebat*; *h. t. in* 6. *Franc. hîc n.* 3. *in fine.* Denique etiam debet fieri mentio quantitatis reditnum, sive de valore Beneficii impetrati, *Franc. c. l. & Cochier. c. l.* Verùntamen in Germania & Gallia non solet exprimi verus valor Beneficii, sed tantùm fieri mentio, quòd Beneficii valor, sive reditus annui 24. ducatos, secundùm communem æstimationem, non excedant, *Rebuff. in praxi de forma novæ provis.* §. *Cujus & illi*; Beneficiorum verò jam obtentorum ab impetrante valorem exprimere non est necesse, quia eum Papa jam pro expresso habere solet, *Gl. in ci... Clem.* 1. *V. Vel alteri*; *h. t. Rebuff. c. l.*

CXCV. Assertio 2. Indultum Apostolicum
» sive dispensatio alicui facta, ut possit duo Beneficia
» curam animarum habentia, canonicè ipsi collata re-
» cipere, & simul retinere, intelligi debet, de duo-
» bus primis Beneficiis curatis, sive de duobus, quæ
» proximè, post dictum indultum, ipsi collata fue-
» rint,

» rint, ita ut si unum ex obtentis fortè dimiserit, ter-
» tium recipere non possit, prout statuitur in *cit. c. Non potest*; § *Illud autem*; *h. t. in 6.* Ratio est, quia quàmprimùm talis duo Beneficia curata obtinuit, jam gratia dispensationis est impleta, ideóque ad alia, tertiâ vel quartâ vice vacatura, extendi non debet.

CXCVI. Ubi notandum primò. Si dispensatum sit cum aliquo, ut possit duo Beneficia, quæ continuam personalem, adeóque incompatibilem residentiam exigunt, tum hoc ipso censetur etiam dispensatum super ipsâ residentiâ, ut in uno eorum residere sufficiat, ut tradit *Gl. in c. Quia in tantum*; 5. *V. Plures*; *h. t. & Abb. ibid. n.* 4. Ubi rationem reddit, quia licèt dispensatio sit stricti juris, ideóque etiam strictæ interpretationis, extenditur tamen ad consecutiva seu necessariò connexa, & dependentia ab eo, super quo est dispensatum: quare si sit dispensatum super pluralitate Beneficiorum requirentium personalem residentiam, dispensatum etiam est super ipsa residentia; ut in uno eorum residere sufficiat, plura exempla infrà adferentur. Porrò hoc casu, in arbitrio Beneficiarii est, in quo residere velit, in hoc vel illo Beneficio, constituto in altero, in quo non residet, Vicario perpetuo, vel nunc in una, nunc in altera Præbenda, seu Beneficio, *Gl. hic V. Retinere*; *& Abb. c. l. n.* 4. Idque procedit, quando Beneficia, vel Ecclesiæ sunt æquales, alioquin in digniore personaliter residere debet, & in altera deservire per Vicarium, *arg. c. Extirpandæ*; 30. §. *Qui verò*; *h. t. Franc. hic n.* 5.

Notandum secundò. Quamvis in dispensatione super pluralitate Beneficiorum, adjecta sit clausula, dummodò in Beneficio, in quo non residet, per Vicarium faciat deservire, idque posteà non servetur; valet tamen ipsa dispensatio & provisio; cùm ea absolutè facta sit, non enim clausula illa propriè habuit vim conditionis, sed potiùs cujusdam admonitionis, ac veluti modi servandi, ob quem non servatum provisus puniri, & post monitionem, Beneficio propter omissionem servitii justè privari poterit, *juxta c. Relatum*; 4. *de Cleric. non resid. Gl. hic V. Retinere.*

» CXCVII. Assertio 3. Si alicui de Beneficio
» provideatur, adjectâ clausulâ, *non obstante, quòd*
» *jam anteà aliud Beneficium habeat*: non ideo cum
» ipso super pluralitate Beneficiorum, seu ut duo Be-
» neficia simul retinere possit, dispensatum censetur:
» quandoquidem expressio illa, seu adjecta clausula
» id solùm operatur, ut impetratio Beneficii secundi
» subreptitia censeri non debeat, sed ea valeat, si pro-
» visus petat, & impetret dispensationem, prout statu-
» tum habetur in *cit. c. Non potest*; §. *Cum verò*; *h. t. in 6.* Ratio est, quia in dubio gratia Principis ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat, cùm dispensationes sint odiosæ, *c. 1. de fil. Presb. in 6. Franc. hic n. 1. not. 2.* Qui *n. 2.* ait, prædictam clausulam alium adhuc effectum operari posse, videlicet, ut provisus Beneficium priùs habitum, ad vitandam pluralitatem, vel incompatibilitatem liberè dimittere possit, & secundum acceptare, sine licentia Ordinarii primi Beneficii, quod aliàs non potuisset. Quòd si prædictæ clausulæ, *non obstante, quòd aliud Beneficium habeat*, adjiciatur in Litteris, *super quo retinendo, unâ cum priore Beneficio, dispensamus*, tunc utique inducetur dispensatio, *Franc. hic n. 1. not. 1. & Joan. Andr.* Simili ratione, si Papa plura curata Beneficia obtinenti gratiam concedat, ut præter obtenta, aliud curatum habere possit, non censendus est, velle etiam in prioribus dispensationem facere, si antè obtenta non fuerat, cùm hæ gratiæ sint odiosæ, & restringi debeant, *Innocent. in c. Dudum*; 54. *n.* 17. *&* 18. *de elect. Laym. ibid. n.* 7.

CXCVIII. Ex dictis infertur primò. Quòd dispensatio extenditur ad ea, quæ necessariò consequentia, seu inseparabiliter accessoria, sive connexa sunt, sine quibus scilicet dispensatio nullum sortiretur effectum, ut tradit *Gl. in c. Quia in tantum*; 5. *V. Plures*; *h. t. Abb. ibid. n.* 4. *& Rebuff. in praxi tit. de dispens. ad plura Benef. n.* 70. *& seqq.* cujus unum exemplum suprà allatum est *n.* 96. & plura alia affert *Abb. c. l. & Rebuff.* Veluti primò, minor XXIII. annis dispensatus ad Beneficium curatum recipiendum, censetur etiam dispensatus, ut non teneatur intra annum ad Sacerdotium promoveri, *juxta c. Licèt*; 14. *de elect. in 6. Abb. c. l. Rebuff. c. l. n.* 73. Secundò, si cum illegitimo sit dispensatum, ut possit Sacerdotium suscipere, etiam omnes alios Ordines recipere potest, *Rebuff. c. l.* Tertiò, illegitimus, vel aliter inhabilis, si dispensetur cum eo ad Sacrum Ordinem suscipiendum, consequenter etiam Beneficium simplex obtinere potest, *arg. c. Proposuit*; 6. *de fil. Presb.* Quartò Si cum aliquo sit dispensatum, ut tempore interdicti localis, Divinis officiis interesse possit, is consequenter etiam secum adducere potest tot famulos, quot statum ipsius decent, *c. Licèt*; 11. *de privil. in 6.* Verùm ad accessoria contingenter, seu quæ separari possunt, non extenditur dispensatio, *Rebuff. c. l. n.* 76. Exemplum habetur primò, in *cit. c. Non potest*; *h. t. in 6.* Si cui concessum sit habenti sufficiens Beneficium, ut aliud recipere possit, non ideo cum eo dispensatum censetur, ut utrumque simul retinere possit; quia hæc posterior concessio separari potest à priore, ita ut hæc effectum suum nihilominùs consequi possit, nimirum ut posterioris Beneficii impetratio non sit subreptitia, etsi cum priore retineri non possit. Secundò, si cum minore 24. annis dispensatum sit, ut Sacerdos fieri possit, non ideo cum eo dispensatum censetur, ut Beneficium curatum, ante acquisitam ætatem legitimam, ei conferri possit; quia hoc posterius non consequitur necessariò ex priore, sed est separabile ab illo, *Rebuff. c. l. n.* 76. Tertiò, si cum aliquo nondum habente legitimam ætatem ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis sit dispensatum, non ideo censetur dispensatus, ut habeat vocem in Capitulo, *Rebuff. c. l. n.* 78. Quartò, si dispensatum sit cum illegitimo, vel aliàs inhabili, ut ad Sacrum Ordinem promoveri possit, non ideò censetur dispensatus ad Beneficium curatum, ut ex communi docet *Jo. Andr. in c.* 1. *de fil. Presb. in 6. n.* 5.

Infertur secundò. Quamvis decretum Concilii Trident. *Sess.* 24. *c.* 17. *de ref.* in quo statuitur, ut in posterum unum tantùm Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sit sufficiens, liceat nihilominùs aliud ei conferre simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem residentiam non requirat, quamvis, inquam, in praxi hoc decretum observari non

soleat, ut tradit *Garc. p. 11. c. 5. n. 325. & seq.* frequentissimè enim Clerico habenti unum, aut duo Beneficia simplicia, aliud conferri solet, etiam non adjectâ dispensatione, neque appositâ clausulâ, ut priùs habitum, vel habita dimittere debeat; sicuti talis clausula adjicitur, si Beneficia sint incompatibilia: tamen dictum decretum hunc effectum adhuc habet, ut nec Papa, & multò minùs Episcopus censeatur super pluralitate Beneficiorum dispensare, quorum unum, aut duo sufficientia sunt, ad decentem sustentationem personæ, sed requiritur expressa dispensatio, cum causæ cognitione, quòd provisus ob merita vel labores singulares, ampliores etiam reditus habere debeat.

SECTIO VI.

DE VNIONE ET DIVISIONE seu sectione Beneficiorum Ecclesiasticorum.

§. I.

Quid, & quotuplex sit unio Beneficiorum, & quot modis fieri possit?

CXCIX. Assertio 1. Unio est duorum vel plurium Beneficiorum aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio legitimo Superiore facta annexio. Ita definitur ex *Rebuff. in praxi Benef. Tit. de Unionib. Benef. n. 1.* Ubi nomine Ecclesiarum comprehenduntur Episcopatus, quia regulariter non venit nomine Beneficii Episcopatus, qui est culmen dignitatis: nomine autem Beneficiorum, quæcunque alia Beneficia majora vel minora, sæcularia, vel regularia, & dignitates, personatus ac officia, *Rebuff. c. l. n. 3. & 4. Sanch. lib. 7. Moral. c. 29. n. 145.*

CC. Assertio 2. Hæc unio duplex est, perpetua, & temporalis. Illa est, cùm duæ Ecclesiæ vel Beneficia, auctoritate Prælati Ecclesiastici connectuntur in perpetuum, eâque fit, quando exprimitur, ut perpetuò duret, *juxta c. Exposuisti 33. ibi: de capellis in perpetuum annectendis h. t.* vel quando dicitur, *ad perpetuam rei memoriam: vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; c. Si gratiosè 5. de rescript.* vel si fiat contemplatione Ecclesiæ, *c. 1. Ne Sede vacante &c.* quæ non moritur, *cit. c. Si gratiosè; Rebuff. c. l. n. 7. Sanch. c. l.* ubi dicit, quòd quando est perpetua, solet dici: *in perpetuum unimus.* Temporalis autem unio est, quæ fit ad tempus, & contemplatione personæ, seu in utilitatem Beneficiati; ideóque durat tantùm ad vitam ejus, in cujus favorem fit, eóque mortuo, expirat, *Rebuff. c. l. n. 9. Sanch. c. l.* Hæc autem non est propriè dicta unio, sed potiùs dispensatio seu reservatio, per quam reservatur Beneficium illi, in cujus favorem fit unio, ad ejus vitam, ut notat *Rebuff. c. l. n. 9. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 17.* Quare cùm hæc unio ad vitam odiosa sit, in dubio non præsumitur, sed potiùs facta contemplatione Ecclesiæ, non personæ, *Rebuff. c. l. n. 10. Sanch. c. l. n. 145. in fine.*

CCI. Assertio 3. Unio hæc Beneficiorum tribus modis fieri potest, ut docet *Gl. in c. Et temporis 48. V. Unire; caus. 16. q. 1. Gl. in c. 1. V. Uniendo; Ne Sede vacante &c. Rebuff. c. l. n. 11. Sanch. c. l. n. 146. Azor cit. c. 28. q. 2. Greg. Tholosan. in Institut. rei Beneficiariæ c. 2. n. 7. Garc. p. 12. de Benef. c. 2. n. 7.*

Primus modus est, si ex duobus Beneficiis fiat unum, ita ut ambo in unum veluti corpus tertium & distinctum coalescant: ut si v. g. ex duobus Episcopatibus, quorum reditus sunt tenues, unus Episcopatus fiat, auctoritate Papæ, teste Gratiano ad r. *Decimas 47. caus. 16. q. 1.* Vel si ex duabus Parochiis fiat una, *Rebuff. c. l. & Sanch.* Effectus hujus unionis est, ut consuetudo & privilegia uni Ecclesiæ, vel Beneficio data, etiam alteri competant, & si sint contraria, meliora & favorabiliora conserventur, & Canonici, qui sunt in una Ecclesia, sint quoque Canonici in altera, & faciant unum corpus, *Greg. Tholos. c. l. n. 15. Garc. c. l. n. 10. & 11.* qui tamen modus unionis non est in frequenti usu.

CCII. Secundus modus unionis est, si una Ecclesia, vel Beneficium alteri tanquam Superiori subjiciatur, & velut accessorium principali perpetuò uniatur: & tunc in Ecclesia vel Beneficio inferiore, sive accessoriè unito, Vicarius, qui munus & officium in eo obeat, constitui solet, *juxta c. Extirpandæ 30. §. Qui verò; h. t.* cujus unionis vis & effectus est, ut Beneficium accessoriè unitum quasi extinguatur, neque per se Beneficium censeatur, quia assumit naturam, qualitates, ac privilegia Beneficii principalis, cui adhæret, *Gl. in cit. c. Et temporis; V. Unire; Rebuff. c. l. n. 10. Sanch. c. l. n. 146.* Quare si exempta Ecclesia alteri non exemptæ accessoriè uniatur, jus exemptionis amittit, & è contrario acquirit illud, si non exempta uniatur exemptæ: item si Ecclesia sæcularis regulari uniatur, fit quoque regularis, & vice versâ, *Azor c. l. q. 2.*

Hinc sequitur primò. Quòd Beneficium accessoriè unitum non vacet, mortuo vel remoto principali Rectore; quod enim est extinctum, quoad nomen & titulum, vacare non potest, *Garc. c. l. n. 15. & 16. Rebuff. c. l. n. 12.* ideóque etiam per se permutari non potest, nec resignari, *Castro Palao dis. 6. de Benef. pun. c. 2. §. 1. n. 5.* Et in impetratione Beneficii, solius principalis, mentio fieri debet: non item uniti accessoriè; & factâ collatione Beneficii principalis, acquiritur etiam alterum ipsi unitum, sicut & acceptâ possessione Beneficii principalis, censetur etiam acquisita possessio uniti, *Garc. c. l. n. 20. & 2. seqq.* & universim attenditur solùm qualitas & natura Beneficii principalis, non autem annexi, *Garc. c. l. n. 17.*

Sequitur secundò. Si Ecclesia parochialis accessoriè, & perpetuò unita sit dignitati, vel Canonicatui, non requiritur in recipiente illam ætas viginti quinque annorum, quæ ad parochiæ curam exigitur; cùm institutus non per se ipsum, sed per Vicarium, qui sufficientem ad curam ætatem habeat, eam regere debeat, sed sufficit, ut ætatem habeat aliàs ad dignitatem vel Canonicatum requisitam, *Garc. c. l. n. 26. Laym. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. Coroll. 2. & supra dictum l. 1. Tit. 14.*

Sequitur tertiò. Non potest, nec debet (seclusâ plenitudine Papalis potestatis) Beneficium dignius uniri accessoriè minùs digno, v. g. Ecclesia parochialis Capellaniæ; quia non decet, ut magis dignum fiat accessorium minùs digni, eique subjiciatur: potest autem Beneficium

cium minùs dignum uniri digniori, v. g. Ecclesia parochialis dignitati vel personatui, *juxta c. Super eo 5. h.t. in 6.* Capellania Canonicatui, *Rebuff. c. l. n. 17. & 18. Laym. cit. c. 9. Coroll. 3.*

CCIII. Tertius modus unionis est, si duo Beneficia, videlicet duæ Ecclesiæ Cathedrales, vel parochiales æquè principaliter uniantur, ita ut ambæ propriam naturam, qualitates, & privilegia sua retineant, & neutra Ecclesia alteri subjiciatur, vel adhæreat, sed utraque proprios reditus habeat, & Titulum suum retineat, sub eodem tamen Episcopo vel Rectore, qui utrique Ecclesiæ præficitur, & in utraque intitulatur, *Rebuff. c. l. n. 15. Sanch. cit. c. 29. n. 146. Garc. cit. c. 2. n. 37.* Exemplum hujus unionis habetur in *c. 1. inf. Ne Sede vacante &c.* Ubi Monasterium quoddam unitum fuit alicui Episcopatui, ita tamen, ut Ecclesia regularis non extingueretur, sed permaneret, & idem esset utriusque Ecclesiæ Prælatus, idem videlicet, qui fuit Episcopus Ecclesiæ Cathedralis, simul etiam esset Prælatus Ecclesiæ regularis sive Monasterii, convenienter *c. Et temporis 5. 48. caus. 16 q. 1.*

Hinc sequitur primò. Quòd in impetratione alterius Ecclesiæ vel Beneficii, æquè principaliter uniti, de utroque mentio facienda sit, eò quòd vacante uno, vacat similiter & alterum, *Azor cit. c. 28. q. 20. Garc. c. l. n. 43.* Secundò, utrumque permutari, & resignari potest, sed non unum separatim ab altero, cui est unitum, aliàs dissolveretur unio: & si alterum eorum sit curatum, vel incompatibile, impedit assecutionem alterius similis, sine dispensatione, quamvis ipsa Beneficia aliàs incompatibilia invicem unita, non sint incompatibilia, ratione unionis, *Garc. c. l. n. 41. & 42. Cast. Palao c. l. n. 8.* Tertiò, si hujusmodi Beneficia æquè principaliter unita, diversis Episcopis, aut Metropolitanis subsint, & ad diversos collatores spectent, neuter eorum jus conferendi per unionem amittet, sed utriusque Episcopi consensus requiritur ad collationem, vel confirmationem, sicut etiam in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis sic unitis, quamvis Canonici unius Ecclesiæ non sint Canonici alterius; electio tamen fieri debet ab omnibus communiter, & ab utroque Collegio simul in loco, de quo in unione conventum est, vel in digniore, nempe in Cathedrali, quando una est Cathedralis, alia Conventualis, vel prout aliàs conventum fuit, *Garc. c. l. n. 47. & 48.* Aliud est in unione secundi modi, quando unum Beneficium alteri est unitum accessoriè: tum enim sufficit consensus Episcopi, seu Prælati majoris sive principalis Beneficii: cùm enim Beneficium accessoriè unitum non censeatur vacare, ideò ejus collatio secundùm se cessat, *Garc. c. l. n. 49. Laym. c. l. §. Tertius modus.*

§. II.

Quis potestatem habeat uniendi Beneficia, & ob quas Causas ea fieri possit, ac debeat? & de Conditionibus ad illam requisitis.

CCIV. Assertio 1. Potestas uniendi Beneficia, tum majora, tum minora, & Ecclesias quascunque inprimis spectat ad Papam, quippe qui plenam in Beneficiis potestatem habet, *c. 2. h. t. in 6. Rebuff. in praxi Tit. de union. Benef. n. 23.* & alii communiter. Et quidem solus Papa unire potest Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas, *c. Sicut 3. 8. de excess Prael.* Verùm per unionem etiam auctoritate Papæ factam non aufertur Episcopo potestas visitandi Ecclesiam, vel Beneficium unitum, subditos puniendi &c. quia unio censetur fieri, salvo jure Episcopi, in cujus Diœcesi Ecclesia, vel Beneficium unitum, situm est, *c. 2. de Relig. dom.* Papa enim cuilibet sua jura servare intendit, non derogare, *Gl. fin. ibid. Laym. c. l. n. 2. in fine.*

CCV. Secundò Episcopus ex justa causa potest unire Ecclesias, & Beneficia suæ Diœcesis, *cit. c. Sicut; Rebuff. c. l. n. 22. Sanch. l. 7. Mor. c. 29. n. 147.* sicut etiam potest unum Beneficium in duo dividere, de quo infrà.

Excipitur primò. Nisi Beneficia sint exempta à jurisdictione Episcopi, vel collationi seu provisioni Papæ specialiter ac perpetuò sint reservata: cujusmodi sunt v. g. dignitates majores in Cathedralibus, post Pontificalem, & principales in Collegiatis; nam qui Beneficium non potest conferre, ob defectum potestatis disponendi de illo, multò minùs unire potest; *Azor p. 2. l. 6. c. 28. q. 6. Sanch. c. l. n. 150. Laym. c. l. n. 3.* Excipitur secundò, Dummodò unio sit perpetua, nam ad tempus solùm, sive ad vitam Beneficiati, Episcopus unire non potest Beneficium alteri; tum quia tales uniones temporales sunt odiosæ, quippe contra, vel saltem præter formam juris, per quas non Ecclesiis, sed personis providetur, & in effectu duo Beneficia conceduntur, ita ut is absit ab altera Ecclesia toto vitæ suæ tempore: tum quia unio temporalis nonnisi nomine tenus est unio, reipsâ verò quædam dispensatio, seu juris relaxatio, *Azor c. l. q. 17. Sanch. c. l. n. 152.*

CCVI. Extenditur autem hæc potestas primò, ut Episcopus possit, non tantùm Ecclesiam sæcularem unire sæculari; sed etiam Ecclesiæ vel loco religioso, licèt exempto, Ecclesiam aut Beneficium suæ Diœcesis; ut constat ex *Clem. 2. de reb. Eccles. non alien. & c. Consultationibus 3. 4. de donat. Sanch. c. l. n. 148. Garc. c. l. n. 77. & 78.*

Extenditur secundò, ut Episcopus possit unire Beneficia etiam quorum collatio est devoluta ad Papam, ob negligentiam conferendi, ut docet *Azor c. l. q. 15. Sanch. c. l. n. 149. Garc. c. l. n. 91. Laym. cit. c. 9. n. 3.* Ratio est, quia jus devolutum ad Papam solùm dat ei potestatem conferendi illud, ob negligentiam alterius, non autem adimit Episcopo potestatem uniendi; nam etsi Episcopus Beneficium uniat, non tamen impedit Papam, quòminùs illud tunc conferre possit: devolutio enim concernit Titulum Beneficii, & impedit, ne illud Episcopus in Titulum dare possit: unio autem respicit proprietatem Beneficii, sive jus ordinandi, seu disponendi de Beneficio, quod non semper habet Collator ordinarius: nam inferior Episcopo, etsi quandoque habeat potestatem conferendi Beneficium, non tamen habet potestatem ordinandi, seu de eo disponendi. Id verò limitat *Cast. Palao cit. disp. 6. pun. 2. §. 2. n. 3.* quòd talis unio Beneficii devoluti ad Papam non habeat effectum, nisi post primam vacationem Beneficii; nam si haberet effectum unio, antequam Papa Beneficium ad se devolutum conferret, tolleretur jus per devolutionem ipsi Papæ quæsitum, cùm factâ unione, extinguatur Beneficium, & amplius conferri non possit, ergo unio effectum habere

bere non potest, quousque Beneficium alteri à Papa collatum denuò vacet. Limitatur secundò, ut solùm procedat in Beneficiis devolutis ad Papam, ob negligentiam, vel ignorantiam prædecessorum, non autem si devoluta sint, ob propriam Episcopi negligentiam, tunc enim in pœnam adimitur ipsi etiam potestas uniendi, *Barbos. de offic. Episc. alleg. 66. n. 16. & Palao c. l. n. 4.*

Extenditur tertiò, ut Episcopus possit unire etiam Beneficia generaliter reservata, v. g. ut eorum collatio, alternis mensibus, ad Papam spectet, quâ unione factâ, extinguitur mensis Pontificius, quem Papa sibi reservavit, quia Beneficium cum effectu unitum eo ipso suppressum censetur; ita ut deinceps amplius non vacet, nec conferri debeat; dummodò talis unio non fiat in fraudem, ut si Episcopus talia Beneficia vacantia, non in mense proprio seu Ordinarii, sed Papali unire attentet, vel si Beneficium statim vacaturum existimetur in mense Papali, videlicet instante morte Beneficiati, tunc enim Episcopus non posset unire Beneficia reservata post ipsorum vacationem, *Rebuff. c. l. n. 31. Garc. c. l. n. 105. Laym. c. l.*

Porrò quod dictum est, Episcopum posse unire etiam Beneficia generaliter reservata Papæ, id limitari debet primò, dummodò ex hujusmodi unione non fiat præjudicium expectanti illa Beneficia ex provisione Apostolica: quare talis unio non habebit effectum, nisi post obitum expectantis, vel postquam eo Beneficio fuit privatus, vel illud dimisit: quia sicut potest Episcopus, dum alius possidet Beneficium, illud unire, non ut statim habeat effectum unio, in præjudicium possidentis, sed postquam illud dimiserit, *Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.* ita etiam poterit Episcopus Beneficia hæc reservata unire, sed sine præjudicio expectantis, *Rebuff. c. l. n. 31. Azor p. 2. lib. 5. c. 29. q. 17. Sanch. c. l. n. 150.* Idémque dicendum de Beneficiis familiarium Papæ, quæ per eorum obitum in Curia vacabunt; non enim potest Episcopus ea unire, vel saltem unio effectum non habebit, donec Beneficium iterum vacaverit per mortem, vel depositionem institutii à Papa, *Laym. c. l. n. 4.* Limitatur secundò, si reservatio fiat verbis ita generalibus, ut censeatur S. Pontifex, non tantùm collationem Beneficii, sed quamlibet de illo dispositionem sibi reservare, & aliis interdicere, ut si dicat tale Beneficium nostræ dispositioni reservamus, tunc enim Episcopus illud unire non posset, *Abb. in c. Sicut; 8. n. 7. de excess. Præl. Azor l. 6. c. 28. q. 16. Sanch. c. l. n. 150.*

Tertiò Vicarius Generalis Episcopi non potest unire Beneficia, nisi id specialiter ipsi ab Episcopo sit commissum; quia nec Beneficia conferre potest, sine speciali commissione, quod est minus, *Rebuff. c. l. n. 37. Azor c. l. q. 10. Sanch. c. l. n. 153.*

CCVII. Quartò Capitulum Cathedrale, Sede vacante, potest unire Beneficia, quæ alioquî Episcopus poterat, dummodò per illam unionem juri Episcopali nihil derogetur; quia ea, quæ sunt jurisdictionis, ad Capitulum transeunt, *c. unic. de major. & obed. in 6. Rebuff. c. l. n. 36. Azor c. l. q. 9. Sanch. c. l. n. 155. Garc. c. l. n. 67.* At dices, Capitulum non habet potestatem conferendi Beneficia, ergo nec uniendi, cùm duo Beneficia unire nequeat, nisi conferat unum ei Ecclesiæ, cui conjungit: Resp. Non rectè id sequi; tum quia Episcopus non potest conferre Beneficia spectantia ad collationem inferioris Ordinarii, & tamen potest ea unire: tum quia Beneficium nondum vacans non potest conferri, & tamen potest uniri alteri, *Clem. 2. de reb. Eccl. non alien.* tum denique quia non idem jus est de conferendo, & uniendo, nam conferre est voluntatis, & liberalitatis; at unire est necessitatis, cùm unio fieri non debeat, nisi ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ, *Azor c. l.* Porrò an Capitulum possit unire Beneficium suæ Mensæ Capitulari, cum consensu Episcopi, infrà dicetur *Tit. 13.*

Quintò etsi Archiepiscopus unire possit Ecclesias & Beneficia suæ Diœcesis, sicut Episcopus in sua, non tamen potest ea unire in Diœcesibus suorum Suffraganeorum, ut constat ex *c. Sicut; 8. in fin. de excess. Prælat.* quia in his jurisdictionem non habet; nisi in certis casibus jure expressis, *Rebuff. c. l. n. 29. & 30. Azor c. l. q. 7. Sanch. c. l. n. 156.*

Sextò Legatus à Latere potest unire Beneficia suæ Provinciæ, quæ conferre potest, imò etsi non spectent ad collationem ipsius; ut quia devoluta sunt ad Papam, *Abb. in cit. c. Sicut; n. 5. de excess. Præl. Rebuff. c. l. n. 24. Azor c. l. q. 8. Sanch. c. l. n. 158. Garc. c. l. n. 65.* Idque potest etiam sine consensu Episcopi, cum quo in potestate concurrit, *Garc. c. l. n. 221. & 222.* non tamen per unionem factam à Legato de Latere potest præjudicari in aliis juri Episcopali, ut in potestate excommunicandi, visitandi, corrigendi in iis, quæ ad Ecclesias vel Beneficia curata pertinent, *c. fin. de confirm. util. & notant Dd. citt.* Alii verò Legati Papæ, non à Latere, nequeunt unire Beneficia, quia nequeunt illa conferre, quod minus est, *Sanch. c. l. Garc. c. l. n. 66.*

Septimò Prælati Episcopo inferiores, jure communi, Beneficia unire non possunt, etiamsi ea conferendi jus habeant: nisi ex speciali privilegio, vel legitimâ præscriptione quadragenaria, cum Titulo, vel immemorialis temporis, sine Titulo, id eis competat; non enim, qui Beneficium conferre potest, illic ò etiam unire illa potest, cùm potestas uniendi major esse censeatur, quàm potestas illa conferendi. Vel nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, in Ecclesias plenè sibi subjectas; tunc enim etiam unire poterunt, cùm unio non sit actus consecrationis Episcopalis, sed jurisdictionis, unde etiam Episcopus confirmatus, etsi nondum consecratus, unire potest Beneficia, *Azor c. l. q. 11. Rebuff. c. l. n. 32. & seqq. Sanch. c. l. n. 160 Garc. c. l. n. 71. & seqq.*

CCVIII. Assertio 2. Causæ, ob quas fieri possunt, ac interdum debent uniones Ecclesiarum, vel Beneficiorum, sunt duæ: scilicet evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, prout statuitur in *c. Exposuisti; 33. h. t.* Nam quia decretum fuit in Concil. Lateranensi (sub Innocentio III.) relato in *c. Extirpandæ; 30. §. Qui verò; h. t.* ut habentes Capellam, sive Ecclesiam parochialem, ei per se, non per Vicarium deservire teneantur, unde factum, ut Canonici Ecclesiæ Cathedralis Vesprinensis ex reditibus Præbendarum suarum non possent habere sufficientem sustentationem, siquidem Capellas amplius illis retinere non liceret: quare periit Episcopus à Papa Honorio III. ut huic necessitati provideret. Respondit Pontifex, si evidens necessitas vel utilitas exigat, posse Episcopum Præbendas Ecclesiæ suæ Cathedralis, earúmque reditus augere, annectendo iis in perpe-

» perpetuum Capellas Diœcesis suæ, reservatâ tamen,
» seu relictâ congruâ Capellarum Presbyteris por-
» tione.

CCIX. Notandum primò. Prima causa justa uniendi Ecclesias vel Beneficia, est evidens necessitas Ecclesiæ, si nimirum ob Præbendarum tenuitatem non reperiantur, qui velint Ecclesias, vel Beneficia acceptare, præsertim Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, & ita Ecclesia debito servitio, seu necessariis Ministris destituatur, *Abb. hîc n.* 4. Item talis necessitas est, si duæ Ecclesiæ vicinæ adeò tenues reditus habeant, ut ad sustentationem duorum Rectorum non sufficiant, *c. Unio* 3. *cauſ.* 10. *q.* 3. *Clem.* 1. §. *Ad hæc de ſtat. Monach. Rebuff. c. l. n.* 40. *Azor c. l. q.* 4. Si Ecclesia per hostes devastata sit, *c.* 2. *de Relig. dom.* si populus bello aut peste imminutus, *c. Et temporis* 48. *cauſ.* 16. *q.* 1. *Rebuff. c. l. n.* 40. *Sanch. c. l. n.* 161. si status alicujus Ecclesiæ deformatus sit, & disciplina in ea non servetur, *arg. c. Relatum* 7. *Ne Clerici vel Monachi & c. Laym. cit. c.* 9. *n.* 8. Altera causa justa est magna Ecclesiæ utilitas; quia licèt reperiantur quidem, non tamen idonei, & Ecclesiæ, præsertim Cathedrali utiles Clerici, qui in ea instituti seu servire velint, *Abb. c. l. Rebuff. c. l. n.* 41. *Sanch. c. l.* qui aliam causam justam addit, ut Divinus cultus augeatur.

Porrò licèt propter merita personæ dispensari possit, ut quis simul duo, vel plura Beneficia incompatibilia obtinere queat, *c. De multa* 28. *h. t.* non tamen evidens prærogativa, sive excellentia personæ est sufficiens causa uniendi unam Ecclesiam, vel Beneficium alteri; quia per talem unionem perpetuam, fit præjudicium ipsi Beneficio, quod unitur, & immutatur ejus natura, ita ut fiat accessorium alteri, *Abb. hîc n.* 5. *Laym. c. l.* nam cùm prærogativa meritorum extinguatur cum persona, non potest fieri unio perpetua in præjudicium Beneficii annexi, ideôque in *hoc c.* nulla facta est mentio de prærogativa personæ, *Fagnan. hîc n.* 6. & 7.

Notandum secundò. Si Præbendæ Canonicali unita sit Capella, seu Ecclesia parochialis (nam ea etiam venit sub appellatione Capellæ, ut notat *Abb. hîc n.* 6.) ita ut Vicarius, isque perpetuus in ea constitui debeat, *juxta c. Extirpandæ* 30. §. *Qui verò* 3. *h. t.* tum cura animarum in habitu pertinebit ad Canonicum, tanquam Rectorem principalem: ad Presbyterum verò pertinebit in actu, tanquam ad Vicarium, *Abb. hîc n.* 10. *Laym. in qq. Canon. de Prælat. Eccleſ. elect. q.* 208. Aliud verò dicendum est, si non unio, sed dismembratio Beneficii curati, seu Ecclesiæ parochialis facta sit, ita ut ex Capella, seu parochiali Beneficio certa portio reddituum detracta, & pensionis titulo adjuncta sit Præbendæ Canonicali, tunc enim Canonicus nullam omninò curam habet Capellæ seu parochiæ, sed ea tota est penes Presbyterum, qui est institutus in Capella, *Abb. hîc n.* 10. *in fine.*

Notandum tertiò. Si justa causa, præsertim necessitatis, unionem exigat, tenetur Episcopus eam facere, alioquin si recuset, potest adiri Papa, ut eum cogat, *arg. c. Nullus* 17. *de jure patron. Laym. cit. c.* 9. *n.* 8.

Notandum quartò. Episcopus potest de jure communi Capellas seu Ecclesias parochiales unire Præbendis Canonicalibus & dignitatibus, ob tenuitatem reddituum illarum, & quidem non tantùm auctoritate Papæ, sed etiam propriâ sive Ordinariâ Episcopi, *Hoſtienſ. hîc & Jo. Andr. V. Poteris*; id est, auctoritate tuâ, cum consensu tamen Capituli, *juxta Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* an autem hoc procedat etiam post Conc. Trident. dicetur §. *ſeq.*

§. III.

Quæ forma & ſolennitas ſive quæ conditiones requirantur Iure communi ad unionem Beneficiorum inſtituendam, & quo pacto Iure novo Concilii Tridentini Beneficia uniri poſſint?

CCX. Ad primam Quæstionem respondetur, de jure communi antiquo ad unionem Beneficiorum ritè faciendam requiritur primò, ut præcedat causæ cognitio, ut colligitur ex *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.* alioquî enim subreptitia est, ipsóque jure nulla, nisi justitia causæ probetur, *Rebuff. c. l. n.* 43. *& in reg.* 1. *de unionib. Gl.* 9. imò etsi Papa unionem faciat, requiritur, ut etiam de causa inquiratur in partibus, aliàs non valebit unio, *Rebuff. c. l. n.* 16. *Sanch. cit. c.* 29. *n.* 162. Secundò, requiritur, ut vocentur ij, quorum interest, sive in quorum præjudicium unio cedere potest, *juxta reg. jur.* 29. *in* 6. *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*: idque indicatur in *cit. Clem.* 2. *& Clem.* 1. §. *Ad hæc de ſtatu Monach. Rebuff. in cit. reg.* 2. *Gl.* 11. *n.* 1. & 7. *Sanch. c. l. n.* 163. alioquin similiter irrita est ipso jure talis unio, *Azor c. l. q.* 14. *Sanch. c. l. n.* 173. non tamen necessariò vocari debet plebs, ad unionem faciendam, licèt videatur quodammodò suâ interesse; quia interdum laborat contra propria sua commoda, quamvis si causam justam allegavit impedientem unionem, audiri debeat, *Rebuff. c. l. n.* 11. & 12. *Sanch. c. l. n.* 163. Tertiò, requiritur, ut accedat consensus Capituli Cathedralis, si unio expressè facienda sit, prout habetur in *cit. Clem.* 2. *de reb. Eccleſ. non alien.* Quia unio est veluti alienatio quædam, in qua consensus Capituli intervenire debet; *Rebuff. cit. Gl.* 11. *n.* 2. *Sanch. c. l. n.* 164. *Azor c. l. q.* 12. *Garc. cit. c.* 2. *n.* 145. Non tamen requiritur solennis tractatus, cùm unio non habeat rationem veræ & propriè dictæ alienationis, *Rebuff. c. l. n.* 22. *Sanch. c. l. n.* 172. *Garc. c. l. n.* 146. Et hîc consensus Capituli intervenire potest, etiam post unionem factam, *arg. c. Curæ* 11. *de jur. patron. Rebuff. c. l. n.* 20. *Sanch. c. l. n.* 165. *Garc. c. l. n.* 147. Quòd si Capitulum, aut alii, quorum interest, sine justa causa, consentire nolint, poterunt ad id à Papa compelli: imò etiam, ipsis invitis, potest Episcopus unionem facere, si causa evidens necessitatis adsit; quamvis aliàs, si justa causa contradicendi subsit, etiam unius contradictio sufficiat ad impediendam unionem, *Rebuff. c. l. n.* 3. & 4. *Azor cit. q.* 12. *Sanch. c. l. n.* 164. In unione tamen facienda à Legato à Latere non exigitur consensus Capituli, *Garc. c. l. n.* 150. sed rectiùs distinguit *Sanch. c. l. n.* 164. qui videri potest.

CCXI. Præterea non potest Episcopus unire Ecclesiam vel Beneficium, sine consensu Abbatis, vel alterius Prælati inferioris, ad quem talis Ecclesiæ vel

vel Beneficii administratio, aut collatio aliàs pertinet, sicut colligitur ex *cit. Clem.* 1. §. *Ad hæc de statu Monach.* cùm ipsi per unionem jus administrandi, vel conferendi auferatur: quia etiam requiritur consensus Clericorum constituentium Capitulum, cum illo Prælato inferiore, imò & consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis, *Sanch. c. l. n.* 163. Denique si Ecclesia vel Beneficium uniendum sit juris patronatûs, requiri etiam debet consensus patroni, *juxta c. Pastoralis* 7. *de donat.* non tantùm Laici, sed etiam Ecclesiastici, cùm utrique juri præsentandi per unionem præjudicium fiat, quippe quod patronus amittit, *Sanch. c. l. n.* 168. *Laym. cit. c.* 9. *n.* 9. Licèt aliqui, quoad patronum Ecclesiasticum, dissentiant: sufficit autem si patroni consensus, vel Prælati inferioris unionem subsequatur, sicut de consensu Capituli suprà dictum est, nam universaliter satis est, consensum eorum, quorum interest, subsequi, *Sanch. c. l. n.* 170.

Porrò consensus Beneficiati, seu immediati Rectoris Ecclesiæ, vel Beneficii, ab Episcopo uniendi non requiritur, sicut neque defensoris, si vacet, sed iis etiam non vocatis, potest Episcopus illud unire, ut constat ex *cit. Clem.* 2. *junct. Gl. V. Vocatus de reb. Eccl. &c.* Ratio est, quia etsi Beneficium illud nondum vacans uniatur alteri, nullum per hoc possessori præjudicium infertur; quia unio illa non mandabitur executioni, nec effectum sortietur, donec Beneficium per mortem ipsius vacaverit, vel is alio modo dimiserit. Neque ideò denuncianda est unio Rectori, vel Beneficiario, quia posset fortè illud permutare, vel resignare in favorem alterius: nam hoc præjudicium non est considerandum, cùm permutatio & resignatio Beneficii pendeat à voluntate Superioris, & sint modi extraordinarii acquirendi Beneficia, ideóque non obstante eo qualicunque præjudicio, Episcopus procedere potest ad unionem, ob bonum commune Ecclesiæ, *Rebuff. c. l. n.* 8. 9. *&* 10. *Azor c. l. q.* 12. *Sanch. c. l. n.* 171.

Quartò, requiritur, ut exprimatur verus annus valor, secundùm communem æstimationem Beneficii uniendi, & ejus, cui annectitur, secundùm *Reg.* 21. *aliàs* 22. *Cancellariæ de unionibus*; alioquî enim constare non posset unionem esse necessariam, vel utilem. Verùm hoc procedit solùm, si petatur fieri unio à Papa, vel ejus Legato, qui ignorant valorem Beneficii: secus si ab Ordinario, cui valor Beneficii satis perspectus esse præsumitur, *Rebuff. in cit. Reg. Gl.* 5. *Cast. Palao cit. disp.* 6. *punct.* 10. §. 2. *n.* 28.

CCXII. Ad alteram Quæstionem quod attinet, Concil. Trident. inprimis *Sess.* 7. *c.* 6. *de ref.* statuit, quòd Ordinarii possunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, examinare uniones perpetuas, post quadraginta annos factas, & quæ per sub: vel obreptitionem fuerint obtentæ, irritas declarare: quæ verò à dicto tempore non fuerunt sortitæ effectum, vocatis iis, quorum interest, tanquam per subreptionem obtentæ præsumi debent, nisi ex legitimis probatisque causis factas fuisse, constiterit. Sunt autem quadraginta illi anni computandi à die, quo Concil. Trident. Auctoritate Apostolicâ est promulgatum, *Azor l.* 6. *cit. c.* 28. *q. ult. Sanch. l.* 7. *Moral.* 29. *n.* 178. Secundò, eâdem *Sess.* 7. *c.* 7. *de ref.* statuitur primò, ut Beneficia curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, Collegiis, aut piis locis quibuscúnque perpetuò unita, singulis annis visitentur ab Ordinariis locorum, in quibus per idoneos Vicarios etiam perpetuos, assignatâ illis, tertiæ partis fructuum, majori vel minori, arbitrio Ordinariorum portione; super re certa assignanda, cura animarum exerceatur, nisi ipsis Ordinariis pro bono animarum regimine, aliter expedire videbitur, videlicet ut per Vicarios temporales cura administretur, non obstantibus privilegiis & exemptionibus quibuscúnque, & appellationibus. Ex quo infert *Sanch. cit. c.* 29. *n.* 191. Quòd si Beneficium curatum sit unitum Monasterio Monialium, vel Collegio, aut alii loco pio, etiamsi in temporalibus, & spiritualibus, cum privilegio nominandi Vicarium ad nutum amobilem, potest Episcopus in eo temporalem, vel perpetuum constituere: addit tamen plures casus esse exceptos, in quibus non potest Episcopus in Beneficio unito ponere Vicarium perpetuum, sed solùm temporalem, *quos ibid. refert.* Sed de hoc quoque dictum *supr. lib.* 1. *Tit.* 28. *n.* 6. *& seq.* Tertiò, *Sess.* 14. *c.* 9. *de ref.* statuitur, ne Beneficia unius Diœcesis uniantur perpetuò cum Beneficiis alterius Diœcesis, ex quacunque causa, in quo correctum est jus commune antiquum, secundùm quod id fieri poterat cum consensu Episcopi alterius Diœcesis, *Sanch. c. l. n.* 180. *Garc. c. l. n.* 85. Quartò, *Sess.* 21. *c.* 5. *de ref.* conceditur Episcopis, ut propter paupertatem Ecclesiarum parochialium, & in cæteris casibus, sive causis à jure permissis, iis unire possint in perpetuum alia Beneficia curata, vel non curata, sine præjudicio tamen obtinentium, etsi illa essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercúnque affecta, quæ uniones etiam revocari non possunt. In quo decreto augetur Episcopis potestas ordinaria uniendi Ecclesias & Beneficia suæ Diœcesis, etiamsi illa reservata essent, ut id possint hodie etiam tanquam delegati Sedis Apostolicæ, ut notat *Sanch. c. l. n.* 181. Requiritur tamen consensus Capituli, quia in dicto decreto non absolutè delegatur Episcopis potestas uniendi, sed juxta formam juris, quæ requirit Capituli consensum, *Clement.* 2. *de reb. Eccl. non alien. Sanch. c. l. n.* 183. *Garc. c. l. n.* 183. qui ait, ita decisum esse à S. Congreg. Concilij.

CCXIII. Quintò. Ex decreto Concilii Tridentini *Sess.* 23. *c.* 18. *n.* 27. 28. *&* 29. *de ref.* Beneficia aliquot simplicia (non omnia) cujuscunque qualitatis & dignitatis fuerint, & etiam præstimonia, vel portiones præstimoniales, etiam ante vacationem, sine cultûs divini, & illa obtinentium præjudicio, Episcopus potest alicui Collegio seu Seminario applicare, & incorporare, etiamsi sint reservata, vel affecta: nec per resignationes ipsorum Beneficiorum uniones & applicationes suspendi, nec ullo modo impediri possunt. Porrò vi hujus decreti non possunt uniri Seminario Beneficia residentiam postulantia, ne divinus cultus minuatur, nec simplicia ad inferiorum collationem spectantia, neque Beneficia juris patronatûs, etiam Ecclesiastici, nec reservata Sedi Apostolicæ, post eorum vacationem: neque Beneficia, ante eorum vacationem, si tempore unionis erant affecta, ut quia erant subcollectorum, familiarium, vel Officialium Curiæ, juxta Declarat. S. Congreg. Concil. apud *Garc. cit. c.* 2. *n.* 102. *&* 106. *Barbos. l.* 3. *Jur. Eccles. c.* 16. *n.* 30. *Palao cit. punct.* 12. §. 3. *n.* 14.

Sextò.

Sextò. *Sess. 24. c. 13. de ref.* Prohibetur, ne Ecclesiæ parochiales Monasteriis quibuscúnque, aut Abbatiis seu dignitatibus, aut Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aliisvè Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus militiisve uniantur: quæ tamen anteà unita, erant non infirmantur, sed præcipitur, ut revideantur ab Ordinariis. Imò neque pars fructuum ex parochiis prædictis Ecclesiis, aut Præbendis applicari potest, sine licentia Papæ, ut colligitur ex *c. 16. sess. 25. de reform. & ex Cardinal. declar. notat Garc. p. 12. c. 2. n. 87.* Et in hoc correctum etiam est Jus commune antiquum, juxta quod poterant Episcopi unire Beneficia curata Monasteriis, aut aliis Beneficiis, *Sanch. c. l. n. 184.*

Septimò. *Sess. 24. c. 15. de refor.* Statuitur, ut in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Insignibus, ubi frequentes, adeóque tenues sunt Præbendæ, ut simul cum distributionibus quotidianis, sustinendo Canonicorum gradui, pro loci & Personarum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis, cum consensu Capituli, aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia, iis unite, vel etiam omninò supprimere, cum Patronorum consensu, si sint de jure Patronatûs Laicorum: non obstante quâcunque eorum reservatione, generali, vel speciali, aut affectione. Ex quo à contrario sensu colligitur, posse id Episcopum facere, etiam sine consensu Patroni Ecclesiastici, *Sanch. c. l. n. 185.*

Octavò. Denique *Sess. 25. c. 9. §. Insuper de ref.* Insuper prohibetur, ne quæcúnque Beneficia libera cum Ecclesiis parochialibus, vel aliis quibuscúnque Beneficiis, etiam simplicibus, Dignitatibus, vel Hospitalibus, quæ sunt juris Patronatûs, uniantur: sed hujusmodi uniones, dum plenum sortitæ sunt effectum, per subreptionem obtentæ censeantur: quæ verò à 40. annis citrà factæ, effectum & plenam incorporationem sunt consecutæ, ab Ordinariis tanquam à Sedis Apostolicæ Delegatis revideantur, & examinentur, & quæ per subreptionem obtentæ fuerint, simul cum unionibus irritæ declarentur, ac Beneficia ipsa seperentur, & aliis conferantur: per quod Decretum Jus commune etiam restrictum fuit, ut notat *Garc. c. l. n. 90.*

CCXIV. Ex dictis infertur primò. Per Concilium Tridentinum non esse ablatam Episcopis potestatem uniendi Beneficia Monasterio, vel alteri loco Religioso, sicut Jure communi antiquo idem licebat, modò Beneficium sit intra Diœcesin, in qua est Monasterium, vel locus Religiosus, cui est uniendum, neque sit curatum: quia nullibi Concil. Trident. prohibuit unionem Beneficii loco Religioso, præter duos hos casus, ergo in reliquis manet Jus commune incorrectum, *Sanch. c. l. n. 187.* Ex quo ulteriùs infert *n. 188. & seq.* posse Episcopum præcipere, ut Beneficium à se unitum Religioni regatur per Religiosos ad nutum amobiles; quia per unionem jam Beneficii natura mutata est, & regulare factum. Infertur secundò, si Beneficium à tempore immemoriali, sine propria collatione, tanquam unitum alteri, possessum fuit, id in dubium revocari non debet, quamvis Titulus vel Instrumentum unionis legitimè factæ, exhiberi nequeat, *Garc. c. l. n. 231. Laym. cit. c. 9. n. 5.* imò etiam ad præscribendam unionem sufficit tempus 40. annorum, cum titulo præsumpto, ut colligitur ex *Concil. Trident. Sess. 7. c. 6. de ref.* & docet *Garc. c. l. n. 238.* ubi *n. seq.* id limitat procedere saltem in unione accessoriè factâ, per quam Titulus extinguitur: non item in unione æquè principaliter factâ, cui jus commune non ita resistit, adeóque ad eam sufficere videtur præscriptio 40. annorum, sine titulo, cum bona fide.

§. IV.

Quid iuris, seu potestatis habeat Prælatus, vel eius Monasterium, Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata, cui Ecclesia parochialis, vel aliud Beneficium est incorporatum, seu unitum?

CCXV. Præmittendum, quòd duobus modis potest fieri hujusmodi incorporatio, seu unio, ut notat *Gl. Communiter recepta; in c. 3. V. Pleno jure; de privileg.* Primò, quoad temporalia tantùm, adeóque non pleno jure, quia nimirum relictâ congruâ portione Presbytero, seu Vicario constituto in Ecclesia vel Beneficio unito, reliqui reditus ad Monasterium vel Capitulum pertinent. Secundò, pleno jure, quoad temporalia, & spiritualia simul, cujusmodi unio rursum dupliciter fieri potest: vel enim Ecclesia parochialis Monasterio aut Capitulo, cui est incorporata, plenissimo jure subjecta est, ita, ut etiam populus ab Episcopo Diœcesano sit exemptus, & in spiritualibus etiam subjectus Prælato Monasterii, aut Capitulo; vel parochia incorporata quidem est Monasterio, vel Capitulo, etiam quoad spiritualia, sed non plenissimo jure, quia populus in spiritualibus est subjectus Episcopo Diœcesis. His præmissis sit.

CCXVI. Assertio 1. Si Monasterio, vel Capitulo v. g. incorporatio parochiæ facta sit, quoad temporalia tantùm, tum Monasterium, vel ejus Abbas, vel Capitulum, cui incorporatio redituum parochialium facta est, nihil fermè juris habet, sive circa personam Presbyteri, qui est positus in parochia, sive circa curam populi: ac proinde non potest Monasterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum in Ecclesia unita instituere, vel destituere Presbyterum, sine consensu Episcopi loci, cui populus est subjectus, *Abb. in cit. c. 3. n. 6. de privil. Laym. in c. 2. de suppl. neglig. Prælat. n. 7.* Et hoc casu, non est necesse, ut præsentatio Presbyteri ad Monasterium, vel Capitulum pertineat, quando solùm reditus temporales ei donati fuerunt, & non etiam jus præsentandi Presbyterum, seu Rectorem parochiæ incorporatæ, *Laym. c. l.* Quòd si jus præsentandi habeat Monasterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum, tum potest Presbyterum, seu idoneum Vicarium præsentare Episcopo Diœcesano, ab eodem instituendum, prout constat ex *c. In Lateranensi; 31. h. t.* Nam in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. » *c. 9.* (quod refertur in *c. 3. insr. de privileg.*) prohibitum fuit, ne Religiosi Ecclesias parochiales, & » decimas à Laicis præsumant accipere, sine consen- » su Episcoporum: neque excommunicatos, vel nomi- » natim interdictos ad Divina admittant. At verò In- » nocentius III. in Concilio Lateranensi *c. 61.* dictam » Constitutionem Alexandri III. innovans, & ejus » transgressores punire volens, insuper statuit: ut »

Reli-

» Religiosi in Ecclesiis Parochialibus, quæ ad ipsos
« pleno jure non pertinent (id est, quoad spiritualia
» & temporalia eorum Monasteriis non sunt unitæ)
» Presbyteros, seu Vicarios Episcopis instituendos
» præsentent, qui eisdem Episcopis circa curam ple-
» bis respondere debent: (quia circa hanc & jura Pa-
» rochialia Episcopis sunt subjecti) rationem verò
» administrationis in rebus temporalibus ipsis Reli-
» giosis, sivé Prælato Monasterij reddere debent:
» institutos verò Presbyteros, seu Vicarios (si perpe-
» tui, seu intitulati sint) removere, Episcopis in-
» consultis, non audeant. Idem habetur *in cit. c* 3.
» §. *In Ecclesiis de privil.* Additur *in fine hujus c.* quòd
» Religiosi tales Vicarios Episcopis præsentare de-
» beant, quos, vel ipsa conversatio bona notos, &
» probatos reddit, vel probabile Prælatorum testi-
» monium commendat.

Hinc colligitur, quòd in Ecclesiis, & Beneficiis, quæ pleno jure Religiosis incorporata non sunt, institutio & destitutio Presbyterorum, seu Vicariorum, non ad ipsos, sed ad Episcopum pertinet. Etsi verò Monasterium, vel ejus Abbas, aut Capitulum rationem administrationis rerum temporalium exigere possit à Rectore, seu Vicario Ecclesiæ unitæ, ratione juris Patronatûs Ecclesiastici, si jus præsentadi in ea Ecclesia habeat, ut constat *ex hoc c.* non tamen hoc jus competit Patrono Laico, ut notat *Abb. hîc n.* 3.

CCXVII. Assertio 2. Si Ecclesia Parochialis plenissimo jure incorporata sit Monasterio, aut Capitulo Cathedrali, ita, ut etiam populus, quoad spiritualia, sit Monasterio subjectus, & Abbas Monasterij, vel Capitulum habeat jurisdictionem quasi Episcopalem in Ecclesia incorporata, tunc potest Monasteriũ, vel ejus Abbas, aut Capitulum Presbyteros, aut Vicarios in Ecclesia unita instituere, & destituere, independenter, ab Episcopo loci, *Laym. in cit. c. 2. n. 7. de suppl. negl. Præl.* Adeóque, & visitare, rationem administrationis exigere, & alia facere potest, quæ ad jus Ordinarij spectant, prout constat *ex c. Quoniam*; 21. *de Privil.* ubi *Gl. magna in notat.* ait: Ecclesia Parochialis tunc subjecta est Abbati utroque jure (sive plenissimo jure) quando Episcopus nullum jus Episcopale in ea exercet, *Abb. in c. de Monachis*; 12. *n.* 9. *h. t.* Porrò talem donationem, seu incorporationem Ecclesiæ Parochialis, ita pleno jure, ut etiam populus ab Episcopali jurisdictione sit exemptus, Episcopus, seu Ordinarius nunquam facere potest, sed solus Papa, ut docet *Franc. in c. unic. de Capell. Monach. in 6. num.* 3. Quia Episcopus, vel quicúnque, alius Prælatus officium, sive jurisdictionem sibi commissam, sine consensu Superioris committentis, abdicare non potest, *Arg. l. pen. ff. de Offic. Præsid.* & tradit *Gl. in c. Pastoralis*; 7. *V. Cathedraticum*; *de Donation.* Sed neque Papa Ecclesiam Parochialem ita censetur donare, & incorporare Monasterio, vel Religioni, ut etiam populus sit exemptus à cura, & jurisdictione Episcopi; quia grande periculum esset, si Episcopus populo Sacramenta ministrare non posset, quæ alius Prælatus non potest, sicut est confirmare, Sacros Ordines conferre, Ecclesias & Altaria consecrare, & similia, *Innoc. in cit. c. Pastoralis*; *num.* 6. & 7. & *Joan. Andr. ibid. n.* 5.

CCXVIII. Assertio 3. Si Ecclesia Parochialis unita sit Monasterio, vel Capitulo, quoad temporalia, & spiritualia, adeóque pleno jure, ita tamen, ut ratione populi non sit exempta ab Episcopo: sed ejus spirituali jurisdictioni subjecta, tunc idoneum Vicarium Episcopo præsentare debet, ab ipso examinandum, & instituendum in Ecclesia unita: neque hoc casu refert, utrùm Monasterium secundùm se sit exemptum, vel non exemptum, *Laym. in cit. c. 2. n. 7. in fine de suppl. negl. Prælat.* & quidem jure novo Concilij Trident. *Sess. 7. c. 7. de ref.* datur facultas Episcopis ponendi in Ecclesiis, seu Beneficiis curatis perpetuò unitis, quoad spiritualia, & temporalia, Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, vel Monasteriis, vel alijs piis locis, idoneos Vicarios, etiam perpetuos: nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, & *juxta declarat. Cardinal. apud Joan. Gallemart. ibid. num.* 4. *Garc. p.* 11. *de Benefic. c.* 2. *num.* 4. *Barb. de Offic. Episc. allegat.* 72. *num.* 190. Etiamsi anteà semper Vicarium temporalem, seu secundùm voluntatem Prælati Ecclesiæ, vel Monasterij amobilem habuerit; nisi in Litteris unionis, à Sede Apostolica factæ, post Concil. Trident. expressum sit, quòd Parochia per Vicarium temporalem administrari debeat, *Laym. in cit. c.* 2. *num.* 8. & *in qq. Canon. de Elect. Prælat. q.* 207. An autem Vicarius ponendus in Ecclesia tali modo unita, debeat esse regularis, an sæcularis dubitatur? Resp. Si Rector principalis Ecclesiæ, cui Parochiæ incorporatio facta est, sit sæcularis, v. g. Præpositus, aut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, non potest in ea instituì Vicarius regularis: ubi tamen attendi debet, quidnam in Litteris fundationis, seu unionis contineatur, vel ante hac consuetum fuerit; quia status Ecclesiæ non debet facilè mutari. *Arg. c.* 2. *de suppl. neglig. Prælat.* Si verò Parochia sit unita Monasterio, potest Abbas Vicarium regularem, ad nutum ejusdem revocabilem, seu obedientiarium constituere, *c. Cùm ad Monasterium*; 6. §. *tales de Statu Monach. & Clem. unic. de suppl. neglig. Præl.* Nisi in Litteris unionis expressum sit, ut Parochia per Vicarium sæcularem administretur: vel nisi longissimo tempore per Vicarium sæcularem Parochia sit administrata, præsertim si intitulatus fuerit, *Laym. in cit. c.* 2. *n.* 8. & *de Elect. Prælat. q.* 206. & 207. ita tamen, ut si Vicarius regularis sit deputatus, solus ibi non habiter, sed cum socio sui Ordinis, *Garc. cit. c.* 2. *num.* 13. *Laym. in cit. c.* 2. *num.* 8. & *cit. q.* 206. *in fine.*

CCXIX. Porrò plura adhuc alia circa hujusmodi uniones sunt notanda, & observanda. Nam primò Monasterium, vel Capitulum Cathedrale, cui Ecclesia est unita, quoad spiritualia & temporalia, debet conservare ejus sarta tecta, & paramenta Altaris reparare, in defectum redituum, qui pro Fabrica deputari solent, ut colligitur *ex c.* 1. & *c. De his*; 4. *de Eccl. ædif.* Ratio est, quia cùm Monasterium, vel Capitulum ex Ecclesia unita commoda percipiat, videlicet annuos reditus, etiam onera sustinere debet; juxta *l. un. C. de Caduc. tollend.* §. *Pro secundo*; *in fin. Laym. in cit. c.* 2. *de suppl. neglig. Prælat. num* 9. & *in qq. Canon. q.* 209. Excipitur primò, nisi tenues sint reditus, qui Rectori prin-

ri principali proveniunt: tunc enim aliter succurrendum est, videlicet ut populus contribuat, cùm enim ibi Divina percipiat, tenetur ad reparationem Ecclesiæ, *Abb. in cit. c. 1. num. 4. de Eccles. ædif.* Excipitur secundò, nisi obligatio conservandi Fabricam Vicario perpetuo in investitura sit imposita, propter abundantes reditus, qui ipsi sunt assignati, nam ad eundem etiam spectat jura Episcopalia solvere, *c. 2. de suppl. neglig. Præl. & Clem. unic. de jure Patron.* Id verò intelligi debet secundùm proportionem, quæ ipsi ex reditibus parochialibus relinquitur, *Laym. cit. q. 209.*

Notandum secundò. Vicarius constitutus in Ecclesia parochiali unita Monasterio, etiam in spiritualibus, non tantùm perpetuus, sed etiam temporalis tantùm, seu ad nutum amovibilis, tametsi Religiosus sit Ordinis exempti ab Episcopo seu Ordinario loci, cui populus est subjectus, quoad ea, quæ ad curam animarum & administrationem Sacramentorum pertinent, jurisdictioni Episcopi quoque subest, ita, ut ab eo visitari, & corrigi possit, juxta *Decretum Concilij Trident. Sess. 25. c. 11. de Regular. junctâ declarat. Cardinal. ibid. n. 1.* apud *Jo. Gallem.* Possunt tamen tales Vicarij, non tantùm regulares: sed etiam sæculares, si ad nutum amovibiles sint, visitari in parochialibus, etiam à Prælato Monasterij, dummodò approbati sint ab Ordinariis, juxta *ult. declarat. Cardin. ibid.* quia & ipsi in spiritualibus, tanquam immediato Rectori suo sunt subjecti, à quo & amoveri possunt, *Laym. in cit. c. 2. num. 10. de suppl. negl. Præl. & in qq. Canon. q. 208.* Ratio est, quia exemptus, ratione rei non exemptæ, subjacet jurisdictioni Ordinarij, ut ait *Innoc. in c. Cùm Capella, 16. in fine de privileg.* Si enim Parochia, ipsique Parochiani subjecti sint curæ & jurisdictioni Episcopi: sequitur, quòd etiam Rector Parochiæ, in pertinentibus ad curam animarum, ei subjectus sit; quia accessorium sequi congruit naturam principalis, *Reg. Jur. 42. in 6.* Atqui Parochus est propter Parochianos, & curam eorum, & non vice versâ, Parochia est propter Parochum, *Lapus in c. unic. de Capell. Monach. in 6. n. 7.* Idque confirmatur, tum quia quicúnque officium, & curam ejus accipit, etiam conditiones illius officij suscipit, & subjectionem erga eum, cui officium illud subjicitur; tum quia Episcopus non posset sufficienter habere curam, & inspectionem Parochiæ, nisi etiam haberet erga Parochum. Excipitur autem *in cit. Decreto Trident. c. 11.* Monasterium Cluniacense: deinde etiam omnia illa Monasteria, seu loca, in quibus Abbates, Generales, seu Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent; nam Parochiæ illis incorporatæ, & ibi sitæ, non subjacent visitationi Episcopi. Denique excipiuntur etiam illa Monasteria, seu domus, in quibus Abbates, aut alij Regularium Superiores jurisdictionem quasi Episcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent, ut habetur *in fine cit. c. 11.* Quia tunc etiam populus est exemptus à jurisdictione Ordinarij.

CCXX. Notandum tertiò. Vicarius constitutus in Ecclesia, v. g. Parochiali unitâ Monasterio, si sit temporalis tantùm, seu ad nutum amobilis, nullum jus, seu Titulum habet in Parochia: sed omne jus est penes principalem Rectorem, videlicet Prælatum Monasterij. Si verò sit Vicarius perpetuus, tum Jus ac Titulum in Parochia obtinet, cùm cura Parochiæ ipsi sit attributa, eáque ad ipsum pertinet in actu, ad principalem verò Rectorem solùm in habitu, à quo proinde in spiritualibus parùm dependet, si ab Episcopo sit institutus, & intitulatus, *Laym. in cit. c. 2. num. 10. de suppl. neglig. Præl.* Cùm enim Jus, seu Titulus Beneficij sit indivisibilis, ideo simul actu non possunt esse duo Parochi unius Parochiæ, bene tamen unus, videlicet Vicarius actu, Rector verò solùm in habitu, quæ potestas habitualis etiam in actum exire potest, si Parochia per mortem vel resignationem Vicarij perpetui vacat: tum enim Rector principalis, v. g. Abbas Monasterij, cui incorporata est Parochia, interim eam administrare poterit, *Laym. cit. q. 208.* Porrò de Vicariis, tum perpetuis, tum temporalibus ex instituto actum est *supr. l. 1, Tit. 28. sec. 1. §. 1.*

Notandum quartò. Si Abbas, vel Monasterium, aut Capitulum Collegiatum, Ecclesiam ædificavit, fundavit, vel dotavit, acquirit quidem jus Patronatûs, non tamen curam, vel reditus Ecclesiæ: quare talis Patronus Ecclesiæ curatæ, etiamsi Ecclesiasticus sit, non potest in ea Presbyterum, aut Rectorem instituere, & multò minùs destituere, sive amovere: sed debet Episcopo personam idoneam præsentare, à quo instituatur: neque etiam potest reditus Parochiarum, in quibus jus præsentandi habet, usibus Monasterij, vel Capituli applicare, *cit. c. 2. de suppl. neglig. Præl.* Nisi in Literis fundationis, cum Episcopi consensu, moderata aliqua pensio Patrono fuerit reservata, *c. Præterea 3 23. de jure Patron.* Et licèt permissum sit Patrono, sive Ecclesiastico, sive Laico, ut attendat, num Rector suum Officium rectè administret, an non fortè reditus Parochiales ad alium usum applicet: non tamen potest Patronus etiam Ecclesiasticus circa curam populi, & Sacramentorum administrationem, Rectori ab Episcopo loci instituto quippiam præcipere: sed Episcopo id denunciare potest, si officium malè administret, *Laym. in cit. c. n. 2, de suppl. negl. Præl. & in qq. Canonicis q. 205.*

CCXXI. Restat adhuc una Quæstio hîc expedienda, à quo, & ex quibus causis possit dissolvi, seu revocari unio Ecclesiarum, vel Beneficiorum semel facta? Resp. Primò, ille potest unionem dissolvere, qui potuit illam facere; quia ejusdem potestatis est utrumque oppositorum: ac proinde Episcopus potest unionem, non solùm à se factam: sed etiam à Papa, vel ejus Legato ex justa causa revocare; quia Papa uniendo non censetur voluisse tollere potestatem Ordinarij, nisi ex plenitudine potestatis unio ab eo facta esset, *Rebuff. in praxi Benef. Tit. de Unionis revocat. n. 15. & 16. Azor. p. 2. l. 6. c. 29. q. 21. Garc. p. 12. c. 2. n. 302. & 2. seqq.*

Secundò, Unio Beneficiorum potest revocari, cessante causâ, propter quam facta est, v. g. ob paupertatem, vel bellum: vel ob evidentem necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ, vel quia redundat in ejus damnum, *Rebuff. c. l. n. 1. & seqq. Azor. c. l. q. 4. Garc c. l. n. 305.* Tertiò, sicut ad faciendam ita etiam ad revocandam unionem requiritur causæ cognitio, consensus Capituli, vocatio eorum, quorum interest unionem non dissolvi, *Rebuff. c. l. n. 25. & seqq. Azor. c. l. q. 6. Garc.*

Garc. c. l. n. 307. & 308. Effectus autem hujus revocationis est, quòd Ecclesia unita, post revocationem unionis, maneat in eo statu, in quo erat ante unionem, *Rebuff. c. l. n. 78. Garc. c. l. n. 309.*

§. V.

De dismembratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, & requisitis ad illam?

CCXXII. Præmittendum, discrimen esse inter Beneficij dismembrationem seu diminutionem, & inter Beneficij divisionem seu sectionem: dismembratio, seu diminutio Beneficij, tunc fieri dicitur, quando unitas Beneficij non tollitur, sed pars bonorum vel fructuum, sive redituum Beneficij ab eo separatur, & aufertur, v.g. si in Ecclesia aliqua sint duæ Capellaniæ collativæ, quarum una abundantes reditus habet, altera verò tenues, & ex illa pars redituum demitur, eáque huic applicetur: vel si pars aliqua ex fructibus abundantibus ad Fabricam Ecclesiæ deputetur, tunc dicitur fieri dismembratio, *Garc p. 12. de Benef. c. 3. num. 1. & 2.* At verò divisio, seu sectio Beneficij dicitur, quando ex uno fiunt duo, vel plura Beneficia, & sic ex una Ecclesia Parochiali fiunt duæ, ex uno Canonicatu, duo Canonicatus, ex una Capella duæ, ita, ut divisis fructibus, duo in posterum Parochi, duo Canonici, duo Capellani instituantur, tunc dicitur Beneficij divisio seu sectio, *Garc. cit. p. 12, c. 4. n. 1. Cast. Palao tract. 13. de Benef. dis. 6. pun. 9. §. 10. num. 3. de qua §. seq.*

CCXXIII. Assertio 1. Episcopus, ex justa causa, potest portiones, seu reditus Beneficiorum in Ecclesiis seu Parochijs, quæ Monasteriis aut Collegiis incorporatæ sunt, minuere seu dismembrare, imò & dividere Parochiam, si justa causa postulet, salvâ tamen unione, ut colligitur *ex c. Avaritiæ; 10. h. t.* Nam ex eo, quòd ibi dicitur Religiosos, quibus est incorporata Parochia, non debere portiones, quas relinquunt Vicariis vel Capellanis suis, diminuere, sine consensu Archiepiscopi, vel Episcopi sui: infertur per sensum contrarium, quòd id cum consensu ipsius facere possint, & diminuere, ac Parochias dividere ex justa causa, ut tradit *Gl. Recepta; ibid. V. Reditus.*

CCXXIV. Assertio 2. Si Beneficium non vacet, tum vel dismembratio, seu diminutio Beneficij instituitur, ad petitionem ipsius Rectoris adhuc superstitis, v.g. Parochiæ, quæ reditus abundantes habere videtur: & tunc præter justam causam, si Ecclesia illa Parochialis non sit collegiata, neque incorporata Ecclesiæ Collegiali, vel Conventuali, solùm requiritur auctoritas Episcopi, velut Ordinarij: alioquin verò, si Ecclesia Parochialis habeat Collegium, insuper etiam consensus Collegij, seu Capitul requiritur, ut tradit *Garc. cit. c. 3. num. 12.* Vel ipse Episcopus eam dismembrationem instituit ex officio, seu motu proprio: hoc casu, præter justam causam, requiritur etiam consensus Capituli Cathedralis, tanquam solennitas quædam, juxta *c. 1. de reb. Eccl. non alien. in 6.* ut tradit *Garc. c. l. num. 11.*

Consensus verò Rectoris non requiritur, tanquam necessaria solennitas, sed solùm tanquam ejus, cujus interest: quare si necessitas postulet dismembrationem seu diminutionem, vel etiam divisionem Beneficij fieri, potest ea fieri, etiam invito & contradicente Rectore, saltem in Beneficiis Parochialibus, prout habetur *in c. Ad audientiam; 3. de Eccles. ædif.* ut patet etiam *ex Concil. Trident. Sess. 21. c. 4. de Reform.* Ubi idem statuitur, si divisio Parochiæ necessariò fieri debeat, *Palao cit. l. num. 5.* Si verò Ecclesia vel Beneficium, cujus dismembratio fieri debet, vacat, hoc casu, Curator ei, seu defensor constituendus est, *c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6.* Ratio prædictorum est; quia dismembratio Beneficij censetur esse quædam alienatio perpetua, sicut unio, ideóq; ad illam etiam requiruntur consuetæ juris solennitates, imò etiam vocatio defensoris, vel etiam Rectoris, licèt hæc ad unionem unius Ecclesiæ cum alia, non requiratur, ut tradit *Rota Romana in novis dicision. decis. 1. aliàs 229. de reb. Eccles. non alien. Garc. cit. c. 3. n. 3.*

§. VI.

An, & quo pacto Beneficium Ecclesiasticum dividi possit, seu secari in duo, vel plura?

CCXXV. Assertio 1. Divisio seu sectio Beneficiorum prohibita est in Concilio Turonensi relato *in c. Majoribus; 8. h. t.* Nam cùm quidam » Episcopi aut Prælati, minora Beneficia, seu Præ- » bendas Clericorum dividerent, majora Benefi- » cia in sua integritate relinquentes, Concilium » Turonense id indecorum judicans, statuit, ut sicut » in magnis, ita, & in parvis membris suis, Eccle- » sia firmam servet unitatem, ideóque nec Præben- » darum divisio, neque Dignitatum permutatio fiat, » intellige, sine justa causa, & absque auctoritate Superioris: nam cum hujus auctoritate, & ex justa causa, sicut divisio Præbendarum, ita, & permutatio Dignitatum institui potest, *Gl. hîc V. Divisionem; & Gl. fin.* Ratio autem, cur nec majorum, nec minorum Beneficiorum divisio fieri debeat, est; quia per divisionem alterarur, seu mutatur status Ecclesiæ, ideóque non debet institui, sine justa causa: & cùm æquum sit, ut in Communitate servetur æqualitas, ita, ut nemo abundet, nemo penuriam patiatur, *arg. c. cùm M. 9. in fine de Constit.* idcircò non debent minora Beneficia dividi, & majora relinqui integra, sed idem juris debet esse, & servari in parvis, quod in magnis, & in parte, quod in toto, *Gl. hîc V. in minimis.*

CCXXVI. Notandum primò. Beneficium, quoad jus spirituale Canoniæ, sive spiritualis officij præstandi, dividi non potest, seu secari in duo; cum hujusmodi jus spirituale sit indivisibile, *c. Cùm dilecto; 25. junct. Gl. V. Dividi; h. t.* sed quoad annexam temporalitatem, quatenus est jus percipiendi reditus temporales, potest dividi; quia ut sic præcisè spectatum, est aliquid temporale, & cadit etiam in Laicum, si separetur à Titulo, seu Jure

Canoniæ, *Abb. hîc n.* 4. & patet ex suprà dictis *sec.* 1. *n.* 5. *h. t.*

Notandum secundò. Alium intellectum hujus c. adferunt aliqui apud *Abbat. hîc nu.* 3. nempe per hoc c. prohiberi, ne duo simul accipiantur ad unam Præbendam, sive majorem, sive minorem; quia cùm unius Beneficij jus sit unicum, & indivisibile, non debet esse simul Titulus duorum, licèt ex justa causa unus Titulus possit dividi in duos, seu potiùs mutari in duos, ita, ut pro uno, v. g. Canonicatu de novo constituantur, seu erigantur duo Canonicatus, divisis etiam, secundùm proportionem reditibus, juxta *c. Tuæ* 20. *h. t.* Verùm idem *Abbas hîc n.* 5. notat, quòd si duo recipiantur ad unam Canoniam sive Canonicatum, multiplicetur ipso facto Jus Canoniæ, ita, ut sint duo Canonici, & habeant Jus Canoniæ distinctum, etiam supra numerum determinatum Canonicorum; quia cùm sit jus spirituale, seu incorporale, solâ animi destinatione sive voluntate multiplicari potest. Si verò duo recipiantur ad unam Præbendam, quæ in temporalitate consistit, non valet receptio, nisi etiam de facto fiat divisio Præbendarum & redituum.

CCXXVII. Cæterùm Constitutio Concilij Turonensis, quæ refertur *in cit. c. Majoribus*; prohibens, ne una Præbenda dividatur in duas: Limitatur; nempe quòd Episcopus possit ex rationabili causa unam Præbendam dividere in duas, dummodò quælibet portio sit sufficiens ad honestam sustentationem utriúsque Præbendati, aliàs tenetur Episcopus redintegrare Præbendam divisam, prout habetur *in c. Vacante*; 26. *h. t.* Nam vacante Præbendâ Canonicali in quadam Ecclesia Cathedrali, Episcopus in ea, cum Capituli consensu, duos Canonicos assumpsit, seu instituit, & altero eorum mortuo, Præbenda illius, auctoritate Sedis Apostolicæ collata fuit Clerico Hyppolyti, qui postea Literas Apostolicas contra Episcopum impetravit, ad Præbendam suam integrandam: idémque alter Canonicus petijt ab Episcopo, simile jus prætendens. Ad hoc respondet Innocentius III. cùm Turonense Concilium Præbendarum sectionem prohibuerit (*in c. Majoribus*; 8. *h. t.*) teneri Episcopum ex Beneficiis, quæ vacaverint, integrare Præbendas; nisi ob causam rationabilem, ex vacante Præbenda duæ fuerint constitutæ (ita, ut duo nova jura, seu Beneficia fiant, *Gl. fin. hîc*) & tot sint utriusque Præbendæ proventus, ut utrique Canonico de competente Beneficio sit provisum.

CCXXVIII. Pro declaratione hujus c. notandum primò. Etsi Episcopus ex rationabili causa Beneficium vacans possit dividere, ita, ut ex uno fiant duo, necessarium tamen est, ut Beneficium divisum habeat sufficientes reditus pro duabus Præbendis, sive ad duos Beneficiatos honestè alendos, alioquin divisio fieri non debet: non tamen necesse est, ut Præbendæ de novo erectæ, sint æquales antiquis, sive æquales reditus habeant: sed satis est, si habeant sufficientes reditus pro sustentandis singulis Beneficiatis, *Abb. hîc n.* 2. *not.* 4. non enim jure improbatur inæqualitas Præbendarum, *Arg. c. ult. de Consuet. in* 6. *Jo. Andr. hîc n.* 2. *V. Competenti.*

Notandum secundò. Si post divisionem Beneficij factam, reditus non sufficiant, pro honesta sustentatione utriúsque Beneficiati de novo instituti, tum obligatus est Episcopus ex Beneficijs, quæ vacaverint, integrare Præbendas, ita, ut portio aliqua ex Beneficiis abundantibus, cùm vacaverint, adimatur, eáque tenuioribus adjiciatur, possúntque provisi actionem instituere, contra Episcopum, ad integrandas Præbendas; quia ad hoc is tenetur, *Gl. hîc V. Integrare*; *Abb. n.* 2. *not. ult. & n.* 4. Ubi tamen addit, quòd ex Præbenda pingui non debeant tot reditus detrahi, ut ex residuis non possit Præbendatus congruenter vivere. Si verò nec ex Beneficio aliquo vacante, nec alio simili modo, videlicet ex bonis Ecclesiæ, aut Capituli communibus, integrare possit Præbendas Episcopus, tenebitur interim novis Beneficiatis providere ex suæ Mensæ retidibus, si in culpa fuit, illegitimè dividendo Beneficium, *Jo. Andr. in cit. c. Cùm vacante*; *nu.* 2. *V. Quæ vacare*; *& Abb. ibid. num.* 3.

CCXXIX. Assertio 2. Regulariter una Præbenda, etiam vacans, non est dividenda ad aliam integrandam: sed ea integra conferri debet, prout statuitur *in c. Cùm causam*; 36. *h. t.* Nam ortâ controversiâ » inter Joannem Canonicum S. Crucis, qui integram » Præbendam non habebat, & Episcopum Aurelianensem, is ab eo petijt, ut Præbendam suâ integraret, quam causam Gregor. IX. quibusdam delegavit, qui dubitârunt, num aliam Præbendam dividere deberent, ad integrandam Præbendam Joannis. Respondit Papa, quando mandavit Præbendam dicti Canonici integrandam esse, non fuisse » intentionem suam, ut propterea alia Præbenda divideretur. Ratio est, quia non decet unum Altare denudari ad operiendum alterum, *Abb. hîc n.* 2. nec est uni subveniendum, cum gravi damno alterius. Hoc autem intelligi debet, quando Præbenda aliqua non est sufficiens ad integrandam aliam, & providendum congruè Beneficiato, de novo instituendo, ut notat *Abb. hîc n.* 3. Nam si una Præbenda abundantes reditus habeat, ab illa aliqua pars redituum, quando vacat, auferri potest, eáque alteri Præbendæ indigenti, quæ non est integra, & sufficiens ad sustentationem Beneficiati, applicari, si alio faciliore modo, videlicet ex bonis Ecclesiæ, vel Capituli communibus ei succurri non potest, ut ex suprà dictis patet: dummodò unus Titulus non divisus inter duos censeatur, cùm dividi nequeat: sed cujusque Præbendæ Titulus integer de novo conferatur, juxta *c. Tuæ*; 20. *h. t. & c. unic. Ut Eccles. Benef. sin. dimin. conf.*

CCXXX. Assertio 3. Electionem, seu receptionem duorum ad unum Canonicatum, vel Præbendam vacantem, etiamsi interveniente auctoritate Legati Sedis Apostolicæ facta sit, non valere, habetur etiam statutum *in c. Dilecto*; 25. *h. t.* Nam cùm Archiepiscopus Rhemensis Apostolicæ Sedis » Legatus nepoti suo G. de Beneficio providere desideraret, Cellarius Trecensis Ecclesiæ Canonicatûs sui Præbendam, quam ibi obtinebat, liberaliter (id est purè, sine aliqua conditione, aut modo) in manibus ejus Legati resignavit, qui utrumque (& nepotem suum, & Cellarium) simul in » Ecclesiæ Trecensis Canonicos instituit, atque dictæ Præbendæ fructus, communiter inter se dividendos, ijsdem assignavit, donec G. nepos integram Præbendam assequeretur, Capitulum verò » stallum »

» ſtallum illis in Choro, & locum in Capitulo aſſi-
» gnavit. Inſuper Procurator generalis Epiſcopi
» Trecenſis tunc abſentis, hanc receptionem Cel-
» larij in Canonicum approbavit, dictus verò
» Cellarius poſteà plures actus ſolis Canonicis
» competentes exercuit. Verùm Procurator dicti
» Epiſcopi Trecenſis, coram Auditore à Papa dato,
» ex adverſo propoſuit, quòd ad unum jus ſpiritua-
» le, ſeu Beneficium tunc in Eccleſia Trecenſi vacans,
» Legatus duos ſimul in Canonicos recipere, ſeu in-
» ſtituere non potuerit; nam ut duo eandem Præ-
» bendam obtineant, id repugnat Concilio Turo-
» nenſi (*in c. Majoribus*; 8. *h. t.*) quod ſectionem
» Præbendarum inhibet. Sin autem receptis in Ca-
» nonicos, uni tantùm Præbenda aſſignetur, altero
» manente ſub expectatione Præbendæ vacaturæ, id
» contradicit Concilio Lateranenſi (ſub Alexandro
» III. *in c. 2. de Conceſs. Præb.*) Præterea licèt in Ec-
» cleſia, in qua non eſt certus numerus Canonica-
» tuum, & Præbendarum definitus, nullâ etiam va-
» cante Præbendâ, poſſit quis in Canonicum recipi,
» cùm cenſeatur ad jus quoddam eligi, quod ex ele-
» ctorum conſenſu de novo creatur, & ipſo defun-
» cto, definit: attamen in Eccleſia, quæ determina-
» tum numerum Præbendarum habet (*ut in caſu hu-
» jus Cap.* Eccleſia Trecenſis) uno Canonicatu, tan-
» quam individuo, jure vacante, duo ſimul ad illud
» eligi non poſſunt, propterea quòd tale jus dividi,
» ſeu communicari ſimul pluribus non poſſit. (nam
» ut *Gl. hîc V. Dividi ait*, unitas non recipit diviſio-
» nem, ita ut maneat unitas) Quamvis verò inter-
» dum ij, ad quos electio ſpectat, communi conſen-
» ſu augere poſſint numerum Præbendarum, crean-
» do de novo jus quoddam ſpirituale, ſi ſtatutum
» non obſiſtat, quod juramento ab ipſis firmatum,
» vel à Sede Apoſtolica, cum clauſula irritante ap-
» probatum ſit, ut ſi contra quippiam factum fuerit,
» non valeat. Attamen quia in Trecenſi Eccleſia
» numerus Præbendarum fuit determinatus, & Ca-
» pitulum, vel Legatus Sedis Apoſtolicæ non habuit
» voluntatem, eum numerum augendi, aut jus ali-
» quod de novo creandi: ideo receptio Cellarij Tu-
» ronenſis in Canonicum fuit irrita. Quare Papa
» Innocentius III. illum per ſententiam condemna-
» vit, ad reſtitutionem eorum, quæ ratione illius in-
» ſtitutionis tenebat, ei ſuper Præbenda ipſa, vel
» portione ejus ſilentium imponens, ita tamen ut
» prædicto G. qui cum illo receptus eſt in Canoni-
» cum, nullum præjudicium generetur, cui lis non
» eſt mota, cùm res inter alios acta, regulariter alijs
» non obſit.

CCXXXI. Pro explicatione hujus c. Notandum primò. Poteſt quis licitè reſignare Beneficium ſuum, eâ intentione, ut alteri conferatur, dummodò actum renunciationis expreſsè, vel tacitè non deducat in pactum, ſed purè, & liberaliter reſignet, *Imola hîc n. 1. & Abb. n. 3.*

Notandum ſecundò. Ex actibus, qui activè vel paſſivè non competunt, niſi ſolis Canonicis, rectè probatur quaſi poſſeſſio Juris Canonicalis, ſive illis competant ex diſpoſitione juris, ſive ex conſuetudine, *ut patet ex hoc c.* Ubi Cellarius allegabat, ſe habuiſſe domum Canonicalem, quæ conſueverat ſolis Canonicis aſſignari, & admiſſum eſſe ad oſculum pacis ab Epiſcopo conſecrato, eo tempore, quo ſoli Canonici admittebantur, *Abb. hîc n. 7.*

Notandum tertiò. Unum Beneficium non poteſt ſimul duobus conferri, adeóque duo ad unum Beneficium, ſeu eandem Præbendam recipi, ſed collatio, ſive receptio eſt irrita, ita, ut neutri jus acquiratur, *ut patet ex hoc c. & c. Tuæ*; 20. *h. t.* Excipi tamen debet; niſi collatio, vel receptio eo animo fiat, ut ex uno Beneficio, vel Præbenda deſinente duo alia & diſtincta Beneficia, ſeu Præbendæ fiant, & de novo erigantur, quod ex juſta cauſa ab Epiſcopo fieri poteſt, ut ex dictis patet.

CCXXXII. Notandum quartò. Si Eccleſia aliqua non habeat determinatum numerum Canonicatuum, vel Præbendarum, ſed pro arbitrio Epiſcopi, vel Capituli poſſint plures, vel pauciores Canonici, aut Beneficiati inſtitui, aut Præbendæ conferri, tum mortuo uno Canonico, vel Præbendario, non vacat ejus Canonicatus, vel Præbenda, ſed omninò ceſſat, ſeu extinguitur, quod autem jam extinctum eſt, vacare non poteſt, c. *Ex parte*; 10. *de Conceſs. Præb.* Si verò novus Canonicus recipitur, ſeu inſtituitur, tum novum jus creatur, ipſique confertur, & cum eo defuncto iterum deſinit, ſeu extinguitur, *ut dicitur in hoc c.* Secus eſt, ſi Eccleſia habeat determinatum numerum Canonicorum, vel Beneficiariorum, tunc enim uno mortuo, vacat illius Canonicatus, vel Beneficium, in quo alius ſuccedit, *Abb. hîc n. 9.* Idémque eſt, ſi quis in Canonicum ſit receptus ſupra numerum determinatum, adeóque tanquam ſupernumerarius: talis enim non habet Beneficium ſtabile, & perpetuum, ſed tantùm ad tempus vitæ ſuæ.

Notandum quintò. Si in Eccleſia aliqua ſit determinatus numerus Præbendarum, poſſunt ij, ad quos ſpectat electio, ſeu receptio Canonicorum, augere numerum Canonicorum, & Præbendarum, creando novum quoddam jus ſpirituale, *ut habetur in hoc c.* & docet *Abb. ibid. n.* 10. & quidem non obſtante ſtatuto de certo numero Canonicorum inſtituendo, per Papam confirmato; quia cùm talis confirmatio cenſeatur facta in favorem Capituli, poteſt hoc illi renunciare, ut docet *Gl. hîc V. Hujusmodi clauſula*; & *Abb. n.* 10. ubi ait, quòd ſola confirmatio Superioris non impedit, quòminùs numerus Canonicorum augeri poſſit. Excipitur primò, niſi ſtatutum à Canonicis Capitularibus factum, de non augendo numero Præbendarum, eorum juramento ſit confirmatum, tunc enim numerus augeri non poteſt, propter periculum perjurij, ut habetur in hoc c. *ibi: niſi fortè ſtatutum aliquod obviaret, quod eſſet juramento firmatum.* Quamvis valida eſſet hoc caſu receptio Canonici ultra numerum; quia actus geſtus contra juramentum valet, licèt operans perjurium incurrat: ſicut etiam matrimonium initum contra juramentum contrahentis valet, licèt ipſe fiat perjurus, c. *Sicut*; 22. *de Sponſal.* Unde in hoc c. non dicitur, quòd non valeat receptio Canonici ultra numerum facta, contra ſtatutum juratum, ſed quod fieri non debeat, *Jo. Andr. hîc n. 7. & Abb. n.* 14. Quin imò etiam licita erit talis receptio, ſi ratio, ſeu objectum velut formale juramenti mutatum ſit, aut ceſſavit; quia nimirum reditus Capitulares notabiliter aucti ſunt, ita, ut pro pluribus congruè ſuſtentandis Canonicis ſufficiant, tunc enim etiam licitè poteſt quis recipi ſupra

numerum, non obstante juramento confirmatorio statuti; quia hæc clausula, sive exceptio tacitè subintelligitur in quovis privilegio, vel statuto, quòd tum numerus augeri possit, *Gl. in c. ult. V. Excreviſſe; de V. S. Abb. hîc n.* 18. videri possunt, quæ de hoc dicta sunt *supr. lib.* 1. *tit.* 2. *n.* 107. *& seq.*

Excipitur secundò, nisi statutum à Papa confirmatum sit, adjectâ clausulâ, ut si quicquam contra factum fuerit, non valeat, prout habetur *in hoc c. & ibi: Gl. V. Hujusmodi in fine*; quia talis confirmatio censetur esse facta in favorem Ecclesiæ, cui Capitulares renunciare non possunt, *Abb. hîc nu.* 14. *Garc. p.* 12. *de Benef. c.* 1. *nu.* 10. *&* 12. Vel meliùs, quia Princeps confirmando statutum, adjectâ tali clausulâ irritante, censetur illud velle facere suum, ut proinde ab inferioribus statuentibus tolli, seu abrogari non possit, ut docet *Svar. l.* 6. *de leg. c.* 26. *n.* 22. ubi addit, requiri tamen, ut de tali voluntate Principis revocantis ad se statutum, satis expresè constet: alioquin revocari poterit à propriis statuentibus, etiamsi ob publicum favorem factum videatur.

Notandum sextò. Si Legatus Papæ *in casu hujus Cap.* intendit, idem jus & eandem Præbendam conferre duobus, scilicet nepoti G. & Cellario, non valuit collatio; quia contra Canones est, ut unum Beneficium duobus conferatur, *c. Tuæ*; 20. *h. t.* Si verò intendisset utrumque eligere in Canonicum, sive utrique conferre duos distinctos Canonicatus, sive Præbendas de novo erectas, tum valuisset electio, seu collatio, dummodò reditus pro duobus sufficerent, *Gl. hîc V. Augmentare.* Quamvis verò priore casu etiam collatio Canonicatûs facta nepoti G., stricto jure videatur fuisse irrita, sicut facta Cellario, quia tamen ipsi G. non fuit lis mota, ideo Pontifex collationem Canonicatûs ipsi factam, veluti ex dispensatione approbavit.

CCXXXIII. Ex hactenus dictis colligitur, quænam requirantur, ad divisionem Beneficij validè, & licitè instituendam. Primò, justa & rationabilis causa, videlicet necessitatis, vel utilitatis, *c. Vacante*; 26. *h. t.* Cujusmodi est defectus Canonicorum, & augmentum Divini cultûs. In genere verò loquendo, causa justa censetur, si muneri vel obligationi Beneficij, seclusâ divisione, non possit satisfieri. Secundò, præter justam causam, requiritur etiam consensus Capituli Cathedralis, *Arg. c. Novit*; 4. *de his quæ fiunt à Prælatis, &c. & Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien. & cit. c. Vacante*; *h. t. Gratianus in c. præcipimus* 353. §. *Sicut; caus.* 16. *q.* 1. Cùm per divisionem alteretur status Ecclesiæ, eaque sit species quædam alienationis. Tertiò, ut reditus Præbendæ, quæ in duas dividitur, sufficientes sint ad congruam sustentationem utriusque Præbendati, *cit. c. Vacante*; *in fine.* Quartò, ut Episcopus, vel alius habens potestatem dividendi, intendat eligere, sive promovere duos, ad duo jura, seu Beneficia de novo creata, seu erecta, *cit. c. Dilecto*; 25. §. *Præterea, & ibi Gl. V. Augmentare, Abb. in cit. c. vacante*; *num.* 2. *not.* 1. *h. t.*

SECTIO VII.

DE MANDATIS APOSTOLICIS, sive Literis Beneficialibus, quæ emanant à Sede Apostolica.

§. I.

Quodnam sit, & dicatur Mandatum Apostolicum, & quot sint genera, seu species huiusmodi Mandatorum, seu Literarum Beneficialium?

CCXXXIV. Assertio 1. Mandatum Apostolicum est, & dicitur, hoc loco, omne Rescriptum, quo S. Pontifex concedit alicui facultatem conferendi Beneficia, vel mandat alicui conferri Beneficium in aliqua Ecclesia, *c. Mandatum*; 38. *de Rescript.* Nam cùm quidam Episcopi olim potestate conferendi Beneficia abuterentur, indignos præferendo dignis, & Sacris Ordinibus à se initiatos repellendo à Beneficiis, cœperunt Romani Pontifices per Diplomata Pontificia Ordinariis locorum præcipere, ut his, vel illis Clericis Beneficia vacantia, vel proximè vacatura conferrent: & hujusmodi Literæ Apostolicæ vulgò appellata sunt, Mandata Apostolica de providendo, vel etiam Gratiæ expectativæ, ut notat *Azor. p.* 2. *Instit. lib.* 6. *c.* 32. *q.* 1. Hujusmodi Literæ Apostolicæ olim fuerunt triplicis generis, monitoriæ, præceptoriæ, & executoriæ, *de quibus dictum supra lib.* 1. *Decretal. Tit.* 3.

CCXXXV. Assertio 2. Mandata Apostolica, sive Pontificia Rescripta & Literæ, quæ expediuntur pro Beneficiis vacantibus, & etiamnum in usu sunt, in multiplici sunt differentia, ut notat *Azor. c. l. q.* 5. *Palao dis.* 2. *de Benef. punc.* 31. §. 1. *num.* 1. Aliæ enim dicuntur *in forma pauperum*, seu *in forma communi*, per quas, paupertate allegatâ, alicui de Beneficio providetur: quæ etiam vocantur rescripta justitiæ; quia æquum & justum est, ut pauperi Clerico, & ad Ordines promoto Beneficium conferatur, licèt alioquî gratis & liberaliter conferatur. Aliæ Literæ Apostolicæ vocantur rescriptâ gratiæ, per quæ Beneficia conferuntur, nullâ factâ mentione pauperratis. Et hæ, vel dantur *in forma Dignum*; in quibus rescribitur, ut Beneficium alicui conferatur, si post diligentem examinationem dignus, seu idoneus reperiatur: vel dantur *in forma gratiosa*, quæ provisum dignum, sive idoneum ad Beneficium supponunt.

Præterea alia sunt Rescripta, sive Literæ Apostolicæ, quæ vocantur, *si alteri, si neutri, si nulli*: aliæ vocantur: *si rationi congruit*; quia tale initium habent. Et quidem quando inter duos lite ortâ de Beneficio Ecclesiastico, alter illorum impetrat à Papa Literas, ut sibi Beneficium conferatur, eâ conditione, si alteri litiganti jus in Beneficio quæsitum non sit, dicuntur Literæ *si alteri*. Quòd si duobus litigantibus, tertius à Papa impetret Literas hac lege, ut si neutri litigantium jus conveniat, ipsi Beneficium detur,

detur, dicitur obtinuisse Litteras *si neutri* quando verò tres de Beneficio litigant, & alius Literas impetrat à Papa, ut si nulli litigantium sit jus in Beneficio acquisitum, ipsi Beneficium conferatur, dicuntur Litteræ *si nulli*. Omnes igitur hujusmodi Litteræ Apostolicæ super Beneficio litigioso dantur, quòd si litigiosum non fuerit, nullius sunt momenti, nec effectum habent, quando alteri est jus in Beneficio acquisitum, *Azor. c. l. q. 5. §. Sunt etiam.*

CCXXXVI. Assertio 3. In Mandatis Apostolicis de providendo, comprehenduntur omnia Beneficia, præter illa, quæ nominatim in Jure excepta reperiuntur, *Azor. c. l. q. 6.* Cujusmodi Beneficia excepta sunt, inprimis Personatus, vel Dignitates electivæ, *c. Cùm in illis; 16 §. Illis verò; h. t. in 6. Clem. 1. eod.* Secundò. Beneficia, quibus cura animarum annexa est, post Litteras datas à Papa, *cit. Clem. 1. h. t.* Tertiò. Beneficia, quæ sunt juris Pătronatûs Laici. Quartò. Beneficia, quæ Mensæ Episcopi, vel alterius Prælati sunt unita. Quintò. Beneficia, jam antè suppressa, & extincta, *c. Cùm accessissent; 8. de Constit.* Sextò. Beneficia affecta, seu Papæ reservata. Septimò. Beneficia, ante mandatum à Papa datum, jam alteri unita, ne jus alteri jam quæsitum auferatur. Octavò. Beneficia monocula, vocatur autem Beneficium monoculum, quod unicum in aliqua Ecclesia, vel Civitate, ad potestatem conferendi alicujus Ordinarij pertinet, *Azor. c. l.* & magis patebit ex dicendis infrà.

§. II.

De quibusdam conditionibus, seu qualitatibus Beneficiorum, quæ necessariò exprimi debent, in Mandatis Apostolicis, seu Litteris Beneficialibus obtinendis.

CCXXXVII. Assertio 1. In Mandato Apostolico de providendo, necessariò fieri debet mentio, de Beneficio priùs ab impetrante obtento, prout constat *ex c. Cùm teneamur; 6. h. t.* Ubi Alexander III. ita rescribit: Si Papa mandet Ordinario loci, vel Executori, ut alicui Clerico, qui aliàs Beneficium habet, de quo commodè sustentari possit, provideatur, non tenetur is, cui præcipitur, tale Mandatum exequi, si in Litteris ipsis de hoc mentio non fiat (scilicet quòd impetrans aliud Beneficium ad commodam sustentationem sufficiens jam habeat) aut si non possit ei, sine scandalo provideri. Ratio primæ exceptionis est; quia Papa non solet mandare, ut Clerico habenti sufficiens Beneficium, aliud conferatur, nisi id exprimat, quare si de hoc in Litteris provisionis non fiat mentio, censetur gratia esse subreptitiè impetrata, & irrita, *c. Cùm adeò; 17. de Rescript.* Ratio secundæ exceptionis est; quia non est censendum, Papam velle, ut adimpleatur rescriptum, seu mandatum ipsius, si sine scandalo impleri non possit, *c. Si quando; 5. de Rescript. & arg. c. 2. de Præscript.* Imò propter scandalum & perturbationem in populo vitandam, aliquando recedendum est à jure suo, vel etiam à Regula Juris Communis, ut tradit *Gl. in cit. c. 2. V. Nihil cum scandalo, & in c. 2. V. Pro scandalo tollendo, de novi oper. nunciat.* Dummodò jus illud Commune sit dispensabile, juxta *c. Ut constitueretur; 25. junct. Gl. V. Detrahendum est, dist. 50.* Secus est, si jus illud commune sit indispensabile, adeóque sine peccato ab eo recedi non possit, tunc enim satius, est scandalum permittere, quàm ut veritas relinquatur, secundùm *Gl. in c. 3. V. Veritas de R. J.* Quòd si Papa, seu Princeps absolutè jubeat, suum mandatum executioni mandari, non obstante scandalo, tum ei parendum est, nisi appareat mandatum esse injustum, ita, ut sine peccato impleri non possit, *Abb. hìc num. 2.*

CCXXXVIII. Idque extenditur, quòd etsi Beneficium sit modicum, ac tenue, de eo fieri debet mentio, tam in petitione Beneficij, sive supplicatione, quàm in responsione, seu ipso rescripto, seu mandato Pontificio; quia rescriptum, seu responsio adaptatur petitioni, ex eóque colligi debet, quid fuerit propositum, seu petitum in supplicatione, ut constat *ex c. Si proponente; 42. de Rescript. & c. Si motu; 23. h. t. in 6.* Non obstat, quòd *in c. Is cui; 19. h. t. in 6.* præcipitur, ut fiat mentio de Beneficio sufficiente ad vitam, ergo à contrario sensu, si quis obtineat aliud Beneficium, quod ad vitam non sufficit, de eo mentionem facere non tenetur. Sed respodetur, argumentum à contrario sensu in jure non esse firmum, si contrarium ipso jure sit expressum, sicut expresè statuitur *in c. pen. de Rescript. & c. Si motu; 23. h. t. in 6.* ut mentio fiat de Beneficio etiam modico obtento, ergo cùm *in cit. c. Is cui;* non negetur faciendam esse mentionem de Beneficio non sufficiente ad sustentationem, manet firma decisio posteriorum Canonum, in quibus habetur, quòd cujuslibet Beneficij etiam modici mentio fieri debeat *Azor. cit. l. 6. c. 33. q. 3.*

CCXXXIX. Cæterùm hìc distinguendum est, utrùm Beneficium alicui sit collatum, motu proprio Papæ, an verò ad petitionem illius, vel alterius? Nam si Papa Clerico obtinenti jam Beneficium, » motu proprio, aliud conferat, nullâ factâ mentio- » ne prioris Beneficij, non ideo gratia hujusmodi » Pontificia, quæ ex mera liberalitate processit, in- » valida censenda est. Si verò talis gratia facta sit, ad » petitionem illius Clerici, vel alterius pro eodem ob- » latam, tum quantumcúnque modicum Benefi- » cium taceatur in petitione, gratia, seu collatio Bene- » ficij subreptitia, seu nulla erit. Motu autem pro- » prio, tunc solùm gratia fieri censetur, cùm id in- » Litteris est expressum, prout statuitur *in cit. c. Si mo- » tu; h. t. in 6.* »

CCXL. Consentit *Clement. si Romanus; 4. eod. tit.* ubi declaratur, si Papa alicui de Bene- » ficio, motu proprio, provideat (vel provide- » ri mandet, cùm eadem sit ratio, *Gl. hìc V. Pro- » videat*) de Beneficiis, quæ obtinet, non factâ » mentione, provisio, seu gratia hujusmodi valida » erit (id est, non subreptitia, *Gl. hìc V. Valida*) qua- » liacúnque fuerint Beneficia, Dignitates aut Per- » sonatus, cum cura, vel sine cura, & in quanto- » cúnque numero, quæ is habebat, cùm ipsi pro- » visio facta fuit. Ratio est, quia, cùm hujusmodi » gratia ex mera Papæ, seu Principis liberalitate pro- cedat,

cedat, nec in ea possit Beneficiatus de ambitione, vel subreptione notari, cùm proprio motu Principis facta sit, præsumitur Principem, si veritatis conscius foret, æquè illam concessurum, *Sanch. l. 8. de matr. dis. 21. num. 47.* Neque refert, qualia & quot sint Beneficia à proviso jam antè obtenta; quia Clausula motûs proprij tollit subreptionem collationis, seu provisionis, sive curata Beneficia sint obtenta, sive simplicia, & sive unum, sive plura: quamvis per hoc non censeatur dispensatum, quoad retentionem Beneficiorum, juxta c. *Non potest*; 21. *in fine h. t. in 6. Gl. fin. in hac Clement.* 4.

CCXLI. Circa utramque hanc Constitutionem, Notandum primò. Motus proprius tollit vitium subreptionis, ob tacitam veritatem necessariò exprimendam, sive gratia sit concessa motu proprio Papæ, vel Principis supremi, sive alterius Superioris Ordinarij, ut Legati Apostolici de Latere, vel Episcopi, ut docet *Gl. in c. ult. V. mentio de officio Leg. in 6. Franc. in cit. c. Si motu*; 23. *num.* 1. *h. t. in 6. Sanch. c. l. num.* 48. ubi ex Rebuffo ait: Clausulam, *motu proprio*, magis convenire Ordinarijs locorum, quàm Papæ, quippe qui majorem cognitionem personarum suæ Diœcesis habent, & ideo per illam subreptio, ob taciturnitatem veritatis, faciliùs excludi potest, non tamen per hanc Clausulam tollitur subreptio ob expressionem falsitatis, *Sanch. c. l. num.* 52. Sicut neque per illam tollitur inhabilitas personæ impetrantis, nec dispensatio inducitur super impedimentis illius: neque etiam Clausula motûs proprij supplet defectum, intentionis rescribentis, sive mandantis, de qua si appareat, illi stabitur, *Gl. in cit. Clem. 4. V. Validam in fine, Franc. in cit. c. Si motu; num. 5. Joan. Andr. in cit. c. Si motu; n. 2. Anchar. nu. 2. Franc. ibid. nu. 5. & dictum supra Lib. 1. Tit. 3. Sect. 4. §. 6.*

Notandum secundò. Clausula motûs proprij debet exprimi in Literis Papæ, aliàs nihil operatur, & hic est hic unus casus, in quo necessariò requiritur scriptum, *Franc. in cit. c. Si motu; num. 4. vers. ult.* Nam quia motus proprius negationem includit, videlicet Principem nullius precibus motum esse ad concedendum, aliter aliter probari non potest, quàm per Literas Principis id asserentis, *Franc. initio c. Si motu; n. 4. Sanch. l. 8. de matr. dis. 4. num. 5.*

Notandum tertiò. Si Papa Beneficium, vel aliam gratiam concedit, ad petitionem, seu instantiam alterius, tacitè venitur, & circumstantiæ, quæ in petitione necessariò exprimenda erant, ut si Beneficium etiam modicum non exprimatur, tale scriptum gratiæ sit subrepticium, & irritum ipso jure, sive per se, sive per alio Beneficium, vel alia gratia sit impetrata, ut constat ex cit. c. *Si motu*; & *ibi Franc. num. 3.* Idque procedit, sive per malitiam, sive per ignorantiam inculpabilem ea vitiosa excusetur; quia cùm omittantur secreta, eventus actus, & ignorantia excusat solùm à culpa, *Gl. in cit. c. Si motu; V. Tacuerit, Sanch. cit. dis. 21. num. 14.*

CCXLII. Assertio 2. Exprimi præterea debet in impetratione Beneficij, si illud sit curatum: nam hoc sub communi nomine Beneficij in mandatis Apostolicis non comprehenditur, c. *Cum in illis 16. in princ. h. t. in 6. c. Pro illorum*; 22. *extr. eod. Menoch. de Arbitr. judic. casu* 201. *nu.* 61. *&* 62. *Azor. p. 2. lib. 6. c.* 32. *q.* 6. *&* c. 33. *q.* 11. Secundò, exprimi debet in specie Beneficium impetratum esse juris Patronatûs; quia non præsumitur Papam præjudicare velle Patronis, *Menoch. c. l. num.* 71. *Azor. cit. q.* 11. Tertiò, si sit Beneficium Ecclesiæ Cathedralis, quod non venit nomine Beneficij in rescriptis ambitiosis, c. *Quamvis*; 4. *h. t. in 6. Menoch. c. l. num.* 73. Quartò, quòd sit Beneficium requirens residentiam; quia saltem ex consuetudine Beneficia simplicia non requirunt residentiam, *Menoch. c. l. num.* 74. Quintò, quòd Beneficium sit electivum; quia nunquam censetur Papa velle juri eorum, ad quos electio spectat, derogare, *Menoch. num.* 84. *Azor. cit. q.* 11. Sextò, exprimendum est, quòd Beneficium impetratum sit unitum alteri, etiamsi apposita sit Clausula motûs proprij; quia non præsumitur Papam velle jura unionis dissolvere, nisi tamen unum non per se, & principaliter: sed accessoriè solùm esset unitum alteri, tunc enim sufficit exprimere principale, *Menoch. c. l. n.* 91. *&* 2. *seqq.* Unde etiam exprimi debet, quod Beneficium sit monoculare, hoc est, quod unicum in Ecclesia aliqua ad Ordinarij collationem spectat, *Menoch. c. l. num.* 94. Septimò, modus vacationis est exprimendus, an Beneficium vacaverit per obitum, an per resignationem, c. *Susceptum*; 6. *de Rescript.* Octavò, exprimi debet, quòd sit regulare, si sæcularis impetret; vel sæculare, si regularis: idque procedit, etiamsi adjecta sit Clausula motûs proprij; quia hæc non supplet personæ impetrantis inhabilitatem, *Menoch. num.* 86. *&* 87. Plura de his videri possunt apud *Menoch. & Azor. cit. loc.* Sicut etiam quæ dicta sunt, *supr. lib.* 1. *Decret. Tit.* 3. *de Rescript. Sect.* 3. §. 3. *&* 4. ubi etiam de hac ipsa materia agitur.

§. III.

Quomodo interpretari oporteat, latè, an strictè Mandatum, seu Rescriptum Pontificium? in quo conceditur alicui facultas conferendi Beneficia: vel in quo mandatur alicui conferri Beneficium, aut actu confertur.

CCXLIII. Assertio 1. Mandatum, seu Rescriptum Apostolicum, in quo conceditur alicui à S. Pontifice facultas conferendi Beneficia, non latè, sed strictè interpretari oportet, quatenus derogat juri communi, & dispensationem requirit, vel aliis Ordinariis Collatoribus præjudicat, penes universum de rescriptis enim gratiæ, in quibus scilicet indulgetur Beneficium, sive gratia concedatur; sed quæ in alterius grave præjudicium tendit, tradit *Gl. fin. recepta in c. Olim*; 16. *de V. S.* Ubi ait, Beneficium seu privilegium Principis, ita interpretandum esse, ut non multùm lædat jus tertij. Idque sumitur ex c. *Is cui*; 19. *h. t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: si alicui gratia concedatur, ut auctoritate Apostò-

» Apostolicâ, uni personæ idoneæ (quod subintelli-
» gitur, etiamsi non exprimatur esse idoneam, *Gl.*
» *hic V. Idoneæ*) in sua, vel alia Ecclesia Beneficium
» providere possit, non potest is; vi talis concessio-
» nis, providere jam aliud Beneficium (etiam sim-
» plex) obtinenti; nisi, quod jam obtinet, omni-
» no dimittat: vel nisi in concessione gratiæ, seu
» facultate concessa conferendi Beneficia expres-
» sum sit, quòd personæ etiam jam aliàs Beneficia-
» tæ providere possit: hoc enim casu, poterit pro-
» videre alicui unicum duntaxat Beneficium haben-
» ti, dummodo illud curatum non sit. Quòd si
» verò alicui concessum sit, ut possit providere illi,
» qui alia Beneficia jam habet; ista pluralitas ad duo
» solùm non curata restringi debet; alioquin pro-
» visio contra prædicta facta, est irrita ipso facto,
» ita ut Beneficium aliter collatum, alteri confer-
» ri possit, *Gl. fin. hic.* Constitutio hæc tres partes habet: ratio primæ partis est; quia Beneficiatus, secundùm Jus commune, non est persona idonea, cui Beneficium conferatur, *Gl. hic V. Non potest, junct. addit.* cùm de jure communi habens Beneficium sufficiens, non possit aliud obtinere, primo retentò, *ut patet ex supra dictis*: secus est, si prius Beneficium non sit sufficiens; tunc enim aliud illi dari potest, *Gl. hic V. Sufficiens.* Ratio secundæ partis est, quia nomine Beneficij, in hac materia odiosa & stricti juris, non comprehenditur curatum, *Franc. hic num. 2. not. 3.* Ratio tertiæ partis est, quia pluralis locutio duorum numero contenta est, *Reg. Jur. 40. in 6.* Ideóque si utrumque, vel etiam alterum tantùm sit Beneficium curatum, non potest tali provideri; quia cùm pluralitas Beneficiorum sit odiosa, restringenda est, non autem extendenda ultra duo, *Gl. hic V. Sine cura.*

CCXLIV. Notandum hìc præterea primò, quòd Beneficium Principis, sive gratia ab ipso concessa, ita est interpretanda, ut non extendatur ad id, quod Juris communis dispositioni repugnat; cùm enim Jus commune favorabile sit, ideo quæ ei adversantur odiosa censeri debent, ac proinde strictam interpretationem merentur. Et hinc si concessa sit alicui facultas conferendi Beneficia, ea debet intelligi esse concessa, juxta dispositionem Juris communis: hoc autem non permittit, sed prohibet, ut habenti unum Beneficium sufficiens, aliud etiam simplex, & sufficiens conferatur, ergo concessâ alicui facultate conferendi Beneficium, intelligi debet esse concessa ad conferendum ijs, qui nullum, aut non sufficiens habent Beneficium, nisi aliud exprimatur, nempe ut plura conferri possint. *Anchar. hic not. 2. & 4.*

Notandum secundò. Concessâ alicui potestate conferendi Beneficia, non potest censeri esse etiam ei concessam potestatem dispensandi super pluralitate Beneficiorum, *Franc. hic nu. 2. not. 2.* quippe cùm hæ sint diversæ facultates, à diversis autem non fiat illatio.

Notandum tertiò. Si alicui sit concessa facultas conferendi Beneficium ei, qui aliud Beneficium jam obtinet, tum potest conferri etiam habenti personatum non curatum; quia *in hoc c.* excipitur tantùm Beneficium curatum; & licèt aliàs dignitas, vel personatus non curatus æquiparetur quoad pluralitatem, quæ odiosa est: hìc verò agitur de faculate, & gratia providendi Beneficium, quæ non est odiosa, si juri communi non adversetur, vel alteri tertio non præjudicet, adeóque non est restringenda plus quàm verba sonant: & si Papa, idem voluisset statuere de dignitatibus, vel personatibus non curatis, id expressisset. Accedit, quòd Canones specialiter prohibent, ne Curatis alia Beneficia conferantur, ob specialem residendi obligationem aliorúmque onerum, quam annexam habent, *Anchar. hic not. 4.* ubi ait, quòd in curatis major cura est adhibenda.

CCXLV. Objicitur primò. Facultas concessa conferendi Beneficia, est gratiæ, seu Beneficium Principis, hoc autem largissimè interpretandum est, *c. Cùm olim, 16. de V. O.* propria enim Principum est liberalitas, & magnos viros magna donare decet, ergo etiam facultas conferendi Beneficia, latè est interpretanda, ita, ut etiam curata comprehendat. Resp. Beneficium, seu gratia concessa à Principe, adeóque & potestas conferendi Beneficia, latè est interpretanda, quando agitur solùm de præjudicio ipsius concedentis, quod ex tali concessione ipsi gignitur, v. g. si Papa deleget alicui potestatem conferendi Beneficia in mensibus Papalibus, quorum collatio tunc ad ipsum tantùm spectat, ea potestas latè interpretanda est, ut comprehendat etiam Beneficia curata. Secus est, si concessio gratiæ, vel potestatis conferendi Beneficia vergat in præjudicium tertij, & quidem grave; quia de minimis non curatur, tunc enim tanquam odiosa strictè est interpretanda, ut si præjudicet alijs Ordinariis Collatoribus; quia Princeps non censetur velle, ut Beneficium, seu gratia alicui facta, cedat in grave præjudicium tertij, ut docet *Franc. in cit. c. Is cui; num. 3. §. Sed in contrarium; Sanch. l. 8. de matrim. dis. 2. num. 3.* Idque sumitur etiam *ex l. 2. §. Merito; ff. Ne quid in loco publico, &c.* ubi dicitur, quòd etiam Princeps, ita soleat permittere aliquid fieri in publico, ut sine injuria cujusquam fiat, & *Gl. in c. Tuorum, 5. V. Permittat; de auct. & usu pall.* ait, quòd licèt Papa det alicui privilegium, non vult tamen, ut utatur eo, in præjudicium alicujus.

Objicitur secundò. Quamvis dispensatio super pluralitate Beneficiorum strictæ interpretationis esse debeat, quippe exorbitans à Jure communi & odiosa *c. 1. in fin. de fil. Presb. in 6.* Quia dispensatio principaliter, directè, & immediatè tendit ad relaxandum Jus commune, eximendo quempiam ab ejus obligatione: at verò ipsa facultas dispensandi concessa, latè est interpretanda; quia etsi remotè, & mediatè etiam tendat in præjudicium, & relaxationem Juris communis, tamen directè, & principaliter eò tendit, ut afficiat favore quodam, & beneficio eum, cui conceditur: quare cùm quoad principale intentum, contineat gratiam, & favorem Principis, latè est interpretanda, cùm in omni re principale propositum sit inspiciendum, *l. Si quis; 4. l. Roganti; 11. in princ. ff. de reb. credit.* Resp. Ordinariè quidem verum est, quòd facultas dispensandi latè interpretanda sit, quippe cùm eâ intentione

tione ac proposito à Principe concessa sit, ut Jus commune relaxaret, idque ex gratia, & favore erga personam, cui talis facultas conceditur: excipi tamen debet, nisi facultas dispensandi versetur circa materiam, seu objectum valde præjudiciale tertio: tum enim magis attendi debet odium rei, quæ conceditur, quàm favor personæ, cui gratia est concessa, ideóque strictam interpretationem meretur: ut docet *Felin. in c. Postulâsti*; 23. *num.* 11. *de Rescript. Anchar. in cit. c. Is cui*; *not.* 4. *Sanch. cit. dis.* 2. *num.* 3. Idque maximè procedit, si gratia concessa versetur circa materiam valde præjudicialem, & noxiam Ecclesiis, vel Reipubl. cujusmodi est pluralitas Beneficiorum, quæ valde perniciosa est Ecclesiis; cùm inducat paucitatem Ministrorum, & consequenter etiam Divini cultûs diminutionem, & alia gravia malâ, ut ex suprà dictis patet, ideóque facultas dispensandi in ea pluralitate strictè interpretanda est.

CCXLVI. Assertio 2. Litteræ à Papa impetratæ, super Beneficiis obtinendis, non latè: sed strictè etiam interpretandæ sunt, prout decidit
» *in c. Quamvis*; 4. *h. t. in 6.* ubi dicitur: quamvis
» plenissima sit aliàs in Beneficiis interpretatio fa-
» cienda: tamen Litteræ impetratæ super Benefi-
» ciis obtinendis, debent restringi; quia sunt am-
» bitiosæ: ideò si Papa mandat alicui Clerico, us-
» que ad certam summam (redituum Ecclesiastico-
» rum) provideri, id non de pensione, sed de Be-
» neficiis Ecclesiasticis, cùm vacant, debet intelli-
» gi: præterquàm si de pensione in Litteris Pon-
» tificiis expressa mentio fiat. Ratio prioris partis, cur provisio Beneficiorum strictè interpretanda sit, redditur in textu; quia tales Litteræ sunt ambitiosæ, hoc est, quia Beneficia per ambitionem impetrari solent: sunt enim de genere illorum, quæ honestiùs dantur, & accipiuntur, quàm petuntur, sicut dignitates, & officia publica, *arg. l. Si quemquam*; 31. *C. de Episc. & Cleric.* Ratio secundæ partis est, quia assignatio pensionis odiosa est, & exorbitans à Jure communi, & ordinario, pensionarius enim non intitulatur, nec ad residentiam tenetur; quia etiam Laico concedi potest pensio, ideóque propriè Beneficium Ecclesiasticum non est, nec in Litteris Beneficialibus appellatione Beneficiorum continetur, *Gl. hic V. In pensione; in addit. & Franc. n.* 2.

» CCXLVII. Additur *in. cit. c. Quamvis*; §.
» *Quanquam*; *h. t. in 6.* quòd licèt alioquin nomi-
» ne Ecclesiarum Civitatis, etiam Cathedralis Ec-
» clesia contineatur: si tamen S. Pontifex mandet,
» alicui provideri de Beneficio in aliqua Ecclesia-
» rum Civitatis, vel Diœcesis, tale mandatum ad
» Ecclesiam Cathedralem non extenditur; quia
» propter specialem ejus honorem Pontifex non
» vult eam sub generali Ecclesiarum appellatione
» hoc casu comprehendi. Secus est, si mande-
» tur, ut Clerico in aliqua Ecclesia certæ Provin-
» ciæ (v. g. Moguntinæ, vel Salisburgensis) pro-
» videatur de Beneficio, tunc enim, & Metropo-
» litana, & aliæ ejusdem Provinciæ Ecclesiæ Ca-
» thedrales, sub tali mandato comprehendi censen-
» tur; quia in hoc posteriore casu, ampliorem videtur Pontifex velle facere gratiam impetranti, » quàm in priore.

CCXLVIII. Circa quod Notandum primò. Non esse inusitatum, & infrequens, ut in materia strictæ interpretationis species una, aut pars præcipua, ita usurpetur, ut sub communi nomine, seu generali appellatione totius non comprehendatur: sic enim Episcopus est præcipuus Clericorum, & tamen sub nomine Clericorum is non comprehenditur, nec nomine Diœcesis Civitas, quæ est Sedes Episcopalis, *c. Rodulphus*; 35. *de Rescript. & dictum suprà l.* 1. *eod. Tit. n.* 23. Ex quo infertur, si Papa mandavit alicui conferri Beneficium in Diœcesi, v. g. Augustana, non posse ipsi conferri in Civitate Episcopali Augustana; quia in materia stricta (qualis est hæc circa rescripta Beneficialia) nomine Diœcesis non comprehenditur Civitas Episcopalis, *Gl. in c. accepimus*; 13. *V. In majore Ecclesia*; *de ætat. & qualit. &c. Jo. Andr. in cit. c. Rodulphus*; *n.* 1. *&* 5. *& ibid. Abb. n.* 5. Similiter licèt Ecclesia Cathedralis sit Caput omnium Ecclesiarum Diœcesis: tamen in rescriptis impetratis ad obtinenda Beneficia, quæ est materia odiosa, nomine Ecclesiarum Civitatis, aut Diœcesis, non comprehenditur Ecclesia Cathedralis, propter ipsius honorem, juxta *cit. c. Quamvis*; §. *Quanquam*; Contrà verò, si mandatur alicui provideri in aliqua Ecclesia Provinciæ: tunc eo nomine comprehenduntur omnes Ecclesiæ Cathedrales, & ipsa etiam Metropolitana, quæ nomine Provinciæ principaliter comprehenditur; deinde etiam propria Diœcesis Archiepiscopi, & tandem etiam cæteræ Ecclesiæ Cathedrales Suffraganeorum; quia Papa censetur fecisse pleniorem gratiam, *Gl. magna hic, & Joan. Monah. num.* 6. Verùntamen in his attendi debet stylus Curiæ; cùm alioquî sufficiens ratio diversitatis assignari non possit, cur sub nomine Ecclesiarum Provinciæ comprehendantur omnes Ecclesiæ Cathedrales ejusdem Provinciæ, ipsâque Metropolitana, juxta *posteriorem decisionem, cit. §. Quanquàm*; non item sub nomine Ecclesiarum, Civitatis, aut Diœcesis comprehendatur ipsa Ecclesia Cathedralis, juxta *priorem decisionem ejusdem*; §. Nisi, quia ita per Papam est declaratum, *arg. c. In causis*; 19. *de sent. & re judic.* & stylus Curiæ id habet, *Gl. fin. hic V. Uberiorem.* Unde etiam *Gl. hic V. Non extendit*; ait, si quis à Papa impetret rescriptum, ut ipsi in Ecclesia S. Petri, v. g. Bononiæ, vel Ratisbonæ provideatur de Beneficio, & non sit in Civitate illa alia Ecclesia S. Petri, quàm Cathedralis, videtur gratia subreptitiè impetrata, propter stylum Curiæ Romanæ, secundùm quem Cathedrales Ecclesiæ non solent appellari Titulo Sancti, seu Patroni, sed tantùm inferiores, *Arg. c. Dudum*; 22. *& c. Cùm una*; 50. *& c. seq. de elect.* nisi aliunde ex Litteris appareat, Papam de Ecclesia Cathedrali gratiam concessam intellexisse.

Notandum secundò. Sicut in materia odiosa verba accipi decent strictè, ut jam dictum, & patet etiam *ex c. Si sententia*; 16 *de sentent. excom. in 6.* ubi dicitur, quòd interdicto populo, si aliud non exprimatur, non censetur interdictus Clerus; quia cùm populus sæpe ita accipiatur, ut à Clero distinguatur, ideo in materia pœnali & odiosa, videlicet interdicti, vocabulum

populus

populus in dubio in stricta significatione accipi debet. Ita vice versâ, in materia favorabili, si privilegium, vel alia gratia concedatur populo, verba latè accipi debent, ut etiam Clerici, & Religiosi incolæ comprehendantur, *Arg. §. Plebs autem Instit. de jur. nat. gent. &c.* ubi dicitur, quòd appellatione populi universi cives significantur, connumeratis etiam Patritiis & Senatoribus, *Silvest. V. Clericus* 5 1. *q.* 2. ubi addit, idem dicendum in materia indifferente. Similiter etsi in materia odiosa nomine Clericorum non veniat Episcopus, nec Religiosi: at verò in materia favorabili comprehenduntur, cùm verè ac propriè sint Clerici, imò & Novitij, *Laym. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 4. *num.* 3. *& in cit. c. Rodulphus* 5 *num.* 2. *de Rescript.* Excipitur, nisi aliud ex verbis dispositionis, aut adjunctis circumstantiis appareat, vel nisi fraus, aut elusio statuti, seu dispositionis sequi possit, tunc enim etiam in in materia odiosa amplior interpretatio fieri debet, ut colligitur, *ex c. Si Civitas*; 17. *de Sent. excomm. in 6. Laym. cit. loc. num.* 2.

CCXLIX. Cæterùm quod dictum est, Rescripta Beneficialia strictè interpretanda esse: id limitari debet, nisi gratia, motu proprio Papæ, concessa sit, vel collatio Beneficij facta, tunc enim ampliationem recipit, seu latissimè interpretanda est, cùm illa ex mera Principis liberalitate procedat, & omni ambitione careat, juxta *c. Si motu*; 23. *h. t. in* 6. Sicut contrà gratia, vel provisio ad instantiam, vel petitionem alterius facta, restringenda est, *cit. c. Si motu*; *Abb. in c. Cùm in cunctis* 5 7. §. *Cùm verò*; *num.* 8. *de Elect. & ibid. Joan. Andr. num.* 18. *Felin. in t. Postulasti*; 27. *num.* 13. *de Rescript. Sanch. l.* 8. *de matr. disp.* 1. *n.* 5. Ubi loquitur de dispensatione, ita tamen, ut etiam gratia motu proprio concessa, non extendatur ultra intentionem concedentis probabiliter præsumptam, nec ultra verborum proprietatem, & communem acceptionem, quo sensu *Gl. dixit in Clement.* 2. *V. Directas*; quòd motus proprius non ampliat gratiam, vel vim verborum, extendat tamen, quatenus propria verborum significatio patitur; *Sanch. c. l. Laym. l.* 1. *tract.* 4. *c.* 23. *n.* 7.

CCL. Et hinc *in c. Si pluribus*; 24. *h. t. in* 6. » statuitur, si pluribus Dignitatibus, vel Præbendis in aliqua Ecclesia simul vacantibus, Papa ejus » rei ignarus, Dignitatem, vel Præbendam indeterminatè, & in genere (si qua nulli alij de jure » debita in ipsa vacat) alicui, v. g. Titio conferat, » motu proprio, cùm tunc plenissima ejus interpretatio fieri debeat: gratia hujusmodi ad Dignitatem, vel Præbendam, quæ inter illas majoris » censetur esse valoris, seu dignior, referri debet. » Sin autem sint æquales, ad eam, quam is, cui » gratia facta est, intra X. dies, post notitiam de » ejus vacatione acceptam, elegerit, referenda est, » sive illa ipsi assignanda est. Si verò gratia ad petitionem alterius concessa fuerit: tunc, quia talis » gratia strictam interpretationem meretur, restringi debet ad eam Dignitatem, vel Præbendam, » quæ est minoris valoris, seu dignitatis: vel si æquales sint, ad eam, quam is, ad quem alioquin » ipsarum collatio spectat, intra dictum tempus (scilicet 10. dierum) à nota sibi vacatione elegerit, » referri debet. Quòd si verò alteruter ex prædictis, intra debitum, vel dictum tempus, eligere » negligat, electio ad alium (ejus Superiorem scilicet) ex eo tempore devolvatur. »

CCLI. Pro declaratione *hujus c.* Notandum primò. Si Præbenda aliqua in genere, motu proprio, sit concessa, debetur illa, quæ est majoris valoris, non quoad æstimationem rei secundùm se, sed ratione redituum, qui ex illa re percipiuntur; quia Clericis, quibus conferuntur Beneficia, reditus tantùm debentur; cùm res ipsæ alienari sint prohibitæ, ac proinde frustra fieret earum æstimatio, ut si Clericus ex re magnæ æstimationis haberet nullos, vel paucos reditus, *Anchar. hìc not.* 2. *& Franc. n.* 4. Quamvis aliàs in obligatione generis, quod minus est debeatur.

Notandum secundò. Si Papa motu proprio expresso in Litteris conferat, vel mandet conferri Beneficium, vel mandet provideri alicui usque ad certam summam, v. g. 500: aureos, tunc talis provisio latè interpretanda est, propter exclusam suspicionem obreptionis, juxta *cit. c. Si motu*; 23. Ita, ut si unicum Beneficium tot reditus non habeat, ei duo, vel etiam plura Beneficia, sed non curata, neque de jure incompatibilia conferenda sint; quia de curatis non est facta mentio in Litteris: & motus proprius tollit quidem subreptionem: non tamen extendit gratiæ concessionem, ultra verborum proprietatem, si ea extensio sit contra jus commune, nec inducit dispensationem, *Franc. in cit. c. Quamvis in princ. n.* 4. *h. t. in* 6.

Notandum tertiò. Licèt aliàs sub concessione Beneficij, ad alterius petitionem, facta, non intelligatur pensio; quia hujusmodi concessio restringenda, *cit. c. Quamvis*: si tamen facta sit, motu proprio, virtute illius, etiam de pensione fieri potest provisio, ut docet *Felin. in c. Causam*; 18. *de Rescript. num.* 7. *Barbos. in Collect. in cit. c. Si pluribus* 5 *num.* 3. *h. t. in* 6.

Sed contra hactenus dicta obstare videtur: Quòd gratia motûs proprij strictam interpretationem habere debeat, quatenus tendit in præjudicium tertij; *ut patet ex suprà dictis*: At verò si Papa conferat alicui Beneficium, spectans ad collationem Ordinarij, v. g. Episcopi, ea provisio vergit in præjudicium ejusdem, cujus juri derogât, ergo talis concessio, etiam motu proprio facta, strictè est interpretanda. Resp. cum *Anchar. in cit. c. Si pluribus* 5 *not.* 1. negando, quòd talis concessio Papæ vergat in propriè dictum præjudicium Ordinarij Collatoris; cùm potestas conferendi omnia Beneficia Orbis Christiani Jure communi, & ordinario, seclusis concordatis, pertineat etiam ad Papam, tanquam supremum Collatorem, tum jure concursûs, tum jure prævehtionis; ideóque qui Beneficium recepit à Papa, alijs præferendus est, qui recepti sunt ab alijs Collatoribus, juxta *c. Dudum* 5 14. *& c. Hi qui*; 12. *& c. Si à Sede* 5 31. *h. t. in* 6. Nisi ante provisionem Papæ jam tertio in Beneficio jus in re, vel ad rem acquisitum sit, cui etsi Papa derogare posset, ex plenitudine potestatis, ob causam rationabilem, non tamen secundùm potestatem ordinariam solet, de quo infrà.

§. IV.

Quomodo præterea alia quædam Mandata Apostolica de providendo, sive Rescripta Beneficialia sint interpretanda, seu intelligenda?

CCLII. Assertio 1. Si Papa provideat, vel mandet alicui provideri Beneficium in aliqua Ecclesia, nomine Beneficij non comprehenditur Rectoria, vel aliud Beneficium curatum, nec Dignitas electiva, sive quæ per electionem confertur: sed tantùm de simplici Beneficio conferendo, tale mandatum intelligi debet, prout statuitur *in c. Cùm olim*; » 38. *& ult. h. t.* Ubi cùm Gregorius IX. Priori cui- » dam mandâsset, ut G. Diacono in aliqua Eccle- » sia Civitatis, aut Diœcesis Lucanensis, Apostoli- » câ auctoritate, provideret, isque eum in Eccle- » sia S. Petri Rectorem instituisset, excommunica- » tionem proferens contra se opponentes, cùm ta- » men Rector illius Ecclesiæ Collegiatæ à Clericis » eligi consuevisset: rescripsit Pontifex, quòd man- » datum hujusmodi, & intentio mandantis Papæ » ad talia (scilicet ad Rectoriam, vel Dignitatem) » se non extendat: sed pro simplici Beneficio ema- » nârit, ideóque tam institutionem dicti Diaconi, » quàm excommunicationem promulgâtam non » tenere. Ratio est, tum quia Litteræ Beneficiales, cùm sint ambitiosæ, restringi debent, & strictè interpretandæ sunt, *c. Quamvis*; 4. *h. t. in 6.* Tum quia non omnis, qui censetur dignus ad Beneficium simplex, dignus est etiam, seu idoneus ad dignitatem, seu personatum, vel Rectoriam, aut Beneficium curatum: cùm ergò ad hæc major dignitas, seu habilitas requiratur, non continentur sub generali mandato de providendo, nisi expressè de illis fiat mentio, *Gl. fin. hìc & Abb. n.* 3.

CCLIII. Notandum hìc primò. In Litteris Beneficialibus concessis ad petitionem supplicantis generaliter, sine expressione certæ qualitatis, non intelliguntur Beneficia curata, & dignitates: idque non ideo, quòd hujusmodi Beneficia non contineantur, secundùm propriam significationem, sub communi nomine Beneficij Ecclesiastici: sed ex defectu intentionis, ex parte concedentis; quia Papa non intendit, in hujusmodi generali mandato talia Beneficia comprehendere, mandatum autem omnem suam vim habet ab intentione mandatis, *Abb. hìc num.* 4. *Garc. p.* 1. *de Benef. c.* 6. *nu.* 49. *&* 50. *Barb. hìc. n.* 3.

Notandum secundò. Non tantùm institutio *in casu hujus c.* sed etiam sententia excommunicationis lata à Delegato Papæ, vel executore fuit irrita, ipso jure; quia utraque facta fuit, præter, vel ultra intentionem mandantis Papæ, fines autem mandati extendi non debent, *l. Diligenter*; 5. *ff. Mandati. Gl. fin. hìc*, cùm ergo in hoc casu defuerit jurisdictio, seu potestas in negotio principali institutionis, ex parte Delegati, seu executoris, etiam defuit in accessorio, videlicet in excommunicatione; *Abb. hìc. n.* 5. Verùm decisioni *cit. c. ult.* obstare videtur *Text. in c. Pro illorum*; 22. *h. t.* Ubi Papa mandavit in aliqua Ecclesia Beneficium alicui conferri, & tamen vi illius mandati, collatus est ipsi ab Executore Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, qui longè honoratior est, quàm aliud Beneficium simplex; unde Canonici dicuntur Clerici primi gradûs: ergo non semper quando Papa mandat alicui providere Beneficium, id ita strictè intelligendum est, ut ipsi conferatur simplex tantùm Beneficium, prout statuitur *in cit. c. ult. h. t.* Resp. cum Abbate *in eodem c. n.* 6. Si mandatur à Papa, ut alicui provideatur Beneficium in aliqua Ecclesia, in qua sunt Præbendæ Canonicales, & alia Beneficia simplicia minora, seu inferiora, mandatum strictè interpretandum esse, ut vi illius conferatur ipsi solùm Beneficium simplex minus, juxta *cit. c. ult.* Cui non obstat, quod statuitur *in cit. c. Pro illorum*; *h. t.* Quia in illo mandatum fuit, ut impetranti rescriptum Beneficium competens conferretur: competens autem intelligi debet, secundùm qualitatem personæ, quæ si mereatur Canonicatum, poterit ille, vi talis mandati, ipsi conferri, licèt in eadem Ecclesia sint alia Beneficia simplicia minora.

CCLIV. Porrò *in cit. c. Pro illorum*, talis casus proponitur. Alexander III. mandavit Archi- » episcopo Burdegalensi, ut in aliqua Ecclesiarum » suarum (sub quibus comprehenduntur omnes Ec- » clesiæ totius Diœcesis, etiam Episcopales, *Gl. hìc* » *V. Ecclesiarum suarum*;) Magistro P. competens Be- » neficium conferri curaret, contradictores Ecclesia- » sticâ censurâ compescens. Is Decano, & Capitulo » Xantonensi auctoritate Apostolicâ mandavit, ut » dictum M. P. in Canonicum, & fratrem admitte- » rent. Cùm autem Canonici opponerent privile- » gium de non admittendo, ultra quadragenarium » numerum Canonicorum: Archiepiscopus autem » sciret, illos ad eludendum Mandatum Apostoli- » cum id agere: utpote, qui ab eo numero jam an- » tèà recesserunt, dictum P. in Præbenda & Canonia » Ecclesiæ Xantonensis investivit, contradicentes » vinculo excommunicationis constringens. Quare » Pontifex mandavit Delegatis suis, ut si ipsis consti- » terit, Canonicos Xantonenses privilegium de cer- » to Canonicorum numero concessum non servâsse: » sed ultra eum, aliquem in Canonicum propriâ au- » ctoritate recepisse, sententiam excommunicatio- » nis ab Archiepiscopo in eos latam tamdiu, sublatâ appellatione, servandam denuncient, donec » prædictum P. in Canonicum recipiant, illique ea, » quæ ad Canonicatum pertinent, cum stallo in Cho- » ro, & loco in Capitulo, assignent. Ratio affertur » in Textu; quia non decet, ut Canonici (prætextu » privilegij sibi concessi) veluti legem imponere ve- » lint Pontifici, quam ipsi negligunt observare. »

CCLV. Hinc colligitur primò. Si Capitulares Canonici habeant privilegium, vel statutum speciale à Papa confirmatum, ut *in casu hujus c.* de certo Canonicorum numero, videlicet quadragenario, non augendo, & posteà, vel unâ vice ab eo recedant, aliquem ultra constitutum numerum recipiendo: tum etiam Pontifex justam contraveniendi causam, & aliquem ultra constitutum numerum in Canonicum admittendi, habere censetur; quia non est æquum, ut Papa, seu alius Princeps servare debeat statutum, quod inferiores, seu subditi non

servant:

servant: præterquàm quòd Papa per plenitudinem suæ potestatis possit privilegio à se concesso, vel statuto à se confirmato derogare, vel in totum illud revocare, etsi illud sine gravi, & justa causa, facere non soleat; quia decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum; juxta *reg. 16. in 6.*

Colligitur secundò. Si Canonici isti non propriâ, sed Papæ auctoritate, contra suum privilegium, vel statutum egissent, recipiendo Canonicum ultra numerum constitutum, nihil illis id obfuisset; quia auctoritas Papæ semper censetur excepta, *Gl. hic V. Auctoritate propriâ.*

Colligitur tertiò. Capitulares excommunicati possunt recipere aliquem in Canonicum, ita, ut valeat receptio; quia ea, quæ faciunt excommunicati in suum præjudicium, valent, *ut patet ex hoc c.* ubi Canonici Xantonenses, etsi excommunicati ab Archiepiscopo, jubentur M. P. recipere in Canonicum, *Gl. hic V. in Canonicum*: mandat autem hîc Papa, ut detur Canonico recepto, quæ pertinent ad Canonicatum, non autem ad Præbendam, & sic dabuntur ei quotidianæ distributiones, si interfit Officiis Divinis, donec vacet Præbenda, vel reditus aucti fuerint, *Gl. fin. hic*, ubi addit, si Canonici recipiant aliquem ultra numerum, etiam propriâ auctoritate, non augetur numerus Præbendarum, benè tamen numerus Canonicorum.

» CCLVI. Assertio 2. Cùm Pontifex man-
» dat, ut aliquibus in Ecclesia aliqua provideatur,
» de Personatibus, Dignitatibus, vel alijs Beneficiis
» quibuscúnque (nullâ, de animarum cura, factâ
» mentione) non possunt, vi talis mandati, ipsis pro-
» videri dignitates, vel Beneficia, quibus cura ani-
» marum incumbit, prout statuitur *in c. Cùm in illis*,
» 16. *in princ. h. t. in 6.* Ubi etiam ratio redditur,
» quia in illis, quibus Beneficia curam animarum
» habentia committuntur, major idoneitas requiri-
» tur, quàm in alijs Beneficiariis. Est enim ars ar-
tium, cura animarum, *c. pen. de ætat. & qualit. & c. Gl. hic V. Requiratur*: ideóque nomine Dignitatis, Personatûs, & Beneficij cujuscúnque in materia stricta (cujusmodi est impetratio Beneficiorum, ad petitionem provisi, quippe ambitiosa, *c. Quamvis*, 4. *h. t. in 6.*) non comprehenditur Dignitas, Personatus, aliudvè Beneficium, si curatum sit: sed necessarium est, ut in supplicatione, & impetratione exprimatur, quòd Beneficium curam animarum annexam habeat, alioquin Litteræ erunt subreptitiæ: licèt aliàs in materiâ favorabili, nomine Beneficiorum etiam Beneficia majora, ut dignitates, & personatus, & curata comprehendantur, *Gl. hic not. t. & V. Provideri, & dictum suprà*, idque ob defectum intentionis in concedente, ut indicatur *hîc V. Intentionis*: sicut etiam appellatione dignitatis, non venit dignitas curata, nisi de cura specialis mentio fiat, *Franc. hîc not. 1.*

CCLVII. Id verò declaratur, & extenditur
» etiam, ut procedat: si dignitatem habenti, Papa
» de alia ipsi provideri mandet, dispensando, ut si-
» mul utramque retineat: de animarum cura au-
» tem, quæ vel utrique, & dignitati priùs habitæ,
» & acquirendæ annexa est, vel alteri earum in-
» cumbit, nullam faciat mentionem; est enim im-
petratio talis gratiæ subreptitia, & nullius mo- »
menti; etsi Litteris sit insertum, ut animarum cu- »
ra (si quæ dignitatibus ipsis, vel alteri earum in- »
cumbat) nullatenus negligatur, prout statuitur »
in Clem. Si dignitatem; 1. *in princ. h. t.* ubi *Gl. V. Mandemus ait*, idem dicendum, si Papa ipse provideat, non tamen motu proprio. Ratio est, quia clausulæ executivæ non ampliant, sive augent, nec mutant principalem dispositionem: ut docet *Covarr. in Rubr. de Testam. part. 2. num. 13. in 3. Concl. Barbos. in Collect. hîc num. 3.* Si ergo dispositio, seu provisio Papæ non faciat mentionem, de cura animarum in ipsa concessione, licèt posteà circà executionem inseratur hæc clausula, *ut non negligatur cura animarum*, ea non facit, ut de Beneficio curato, vi illius, possit impetranti provideri: neque enim clausula hæc apposita est, per modum conditionis provisioni adjectæ: sed potiùs monitionis causâ, unde valeret provisio, etiam monitione illâ non servatâ, *Gl. hîc. V. animarum curâ.* Unde dispositio *hujus Clement.* procedit, etiamsi non dispensetur super plurib̃ dignitatibus, vel Beneficiis retinendis: sed simpliciter provideatur de Beneficio obtinendo non factâ tamen de cura ei annexa mentione: prædicta enim Clausula in fine posita non extenditur ad dignitatem vel Beneficium non curatum, *Gl. hic V. Dispensantes*; *& Abb. ibid. num. 3.* Hinc colligitur etiam, quòd Litteræ Beneficiales subreptitiæ; quia v. g. non faciunt mentionem curæ annexæ dignitati, vel Beneficio, sint ipso jure nullæ, *Gl. marg. hic*; ubi ait: quòd hoc meliùs probetur *ex hoc c. quam alibi.*

CCLVIII. Similiter *in cit. c. Cùm in illis*; §. *Illis verò*; *h. t. in 6.* statuitur, si Papa mandet ali- »
quibus provideri de personatibus, vel dignitati- »
bus, etiamsi curam habeant animarum, spectan- »
tibus ad collationem, provisionem, præsentatio- »
nem, vel dispositionem quorumcúnque: non pos- »
se, vi talis mandati, provideri de Prælaturis, per- »
sonatibus, vel dignitatibus electivis, sive ad quas »
per electionem, qui eis præficiuntur, assumun- »
tur. Ratio est, quia cùm talia Rescripta Beneficialia sint odiosa, per quæ adimitur facultas eligendi ijs, ad quos ea spectat: ideò sub generali vocabulo Beneficij, aut dignitatis pertinentis ad quorumcúnque provisionem, aut dispositionem, non comprehenditur Beneficium, aut dignitas electiva, præsertim si Prælaturæ sunt majores dignitates, nisi in rescripto specialiter exprimantur; *Gl. hîc in casu* §. *Illis verò*; *& V. Electionem*; *Franc. ibid. num. 2.* Neque est verisimile, quòd Papa voluerit gravare per suum rescriptum Universitatem, seu Collegium, ad quod jure communi spectat electio, nisi id exprimat. Confirmatur; quia etsi Papa rescribat, ut provideatur alicui de Beneficio spectante ad præsentationem quorumcúnque: non posset tamen provideri de Beneficio, cujus præsentatio spectat ad Patronum Laicum; quia per hujusmodi verbum generale, non censetur derogatum Patronatui Laico, ut docet *Gl. Recepta, in Clem. 2. V. Apostolicis*; *h. t. Franc. cit. loc. n. 4.*

CCLIX. Idem confirmatur *ex cit. Clem. 1. h. t.* §. *Ad hoc*, ubi rescribit Pontifex, si mandet »
alicui »

» alicui provideri de dignitate, ad cujuscúnque vel » quorumcúnque collationem, provisionem, seu » quamvis aliam dispositionem, in certa Ecclesia, » pertinente, quam intra mensem voluerit (à tem- » pore vacationis) acceptare, inhibendo simul, ne » interim (scilicet intra mensem acceptationis) ad » collationem, provisionem, vel electionem (de » qua priùs in ipsa provisione, vel dispositione nul- » la facta fuit mentio, sed solùm in prohibitione) » procedatur: vi talis mandati, non potest impe- » tranti provideri de dignitate electiva; quia in con- » cessione gratiæ, seu provisione (ad quam non au- » gendam, sed exequendam, quæ sequuntur de in- » hibitione, referri debent) nulla de electione fa- » cta fuit mentio.

CCLX. Hinc colligitur primò. Quòd ver- bum generale adjectum speciei, quamvis ampliet speciem illam, cui adjicitur, quoad ejus significa- tionem, tamen illam non includit, maximè in ma- teria strictæ interpretationis; sicut in hoc §. Verbum generale, *Dispositionis*; non includit electionem, cùm sint quasi diversæ species, *Gl. hic V. Quamvis*; *Abb. ibid. num. 7.* Colligitur secundò, si mandetur ali- cui provideri de dignitate, vel Beneficio aliquo in certa Ecclesia, in qua unica tantùm est dignitas principalis, vel Beneficium, de illa, vel illo provi- deri non poterit; quia relativum *aliquo* supponit plura esse Beneficia, non unum tantùm, alioquin non in Ecclesia: sed de Ecclesia illa provideretur, *Gl. hic V. Incerta*; *& Abb. n. ult.*

CCLXI. Præterea *in cit. c. Cùm in illis*; §. » *Cùm autem*, rescribit Pontifex, quia inter libe- » ram collationem, præsentationem, & institutio- » nem in Beneficio magna est differentia, ideò si » mandetur alicui provideri de Beneficio, spectan- » te ad collationem alicujus, v. g. Episcopi, non » potest, vi illius mandati, provideri de Beneficio, » quod ad ejusdem præsentationem, vel institutio- » nem pertinet: nec è converso; cùm enim unus » casus, ac veluti una species expressa fuerit in man- » dato, non debet istud, quia strictæ interpreta- » tionis est, adeóque restringendum, ad alios casus, » seu species extendi.

CCLXII. Notandum hîc primò. Si in Lit- teris Beneficialibus unus modus providendi expri- matur, alij modi censentur excluſi, ut tradit *Franc. in cit. §. Cùm autem*; *num. 1. quò facit c. Susceptum*; *6. de Rescript. in 6.* ubi habetur, quòd rescriptum de conferendo Beneficio per renunciationem vacante, non potest extendi, ad Beneficium vacans per obi- tum, neque vice versâ; quia sunt diversæ vacatio- nes: nam in materia strictæ interpretationis non fit extensio verborum ab uno casu ad alium non ex- pressum, ne quidem propter similitudinem, vel eti- am majoritatem rationis, *Franc. hic nu. 1. Gl. marg. in cit. c. Susceptum*; *V. non potes:* neque propter æqui- parationem juris, præterquàm in casibus jure ex- pressis, *Gl. ibid. V. non morte*, & constat *ex l. ex par- te* 101. §. *in Insulam*; *junct. Gl. V. nonnisi moriente*; *ff. de V. O.* ubi habetur, quòd mors civilis (cujus- modi est depositio, vel renunciatio Beneficij) non æquipatatur morti naturali, nisi in casibus jure ex- pressis.

Notandum secundò. Licèt nomen provisio- nis, vel ordinationis, seu dispositionis sit nomen generale, comprehendens omnem modum, per quem providetur de Beneficiis, adeóque collationem, in- stitutionem, & electionis confirmationem: in ma- teria tamen stricta non comprehendit electionem, ejúsque confirmationem, ut notat *Gl. in cit. c. Cùm illis*; §. *Illis verò*; *V. Electionem*; *& Franc. ibid. num. 7.*

CCLXIII. Denique *in cit. c. Cùm in illis*; §. *Si verò fin.* dicitur, si Papa mandet provideri de Be- » neficio spectante ad aliquorum (id est plurium) » collationem, vel præsentationem, non potest pro- » videri Beneficium spectans ad collationem, vel » præsentationem unius tantùm: nisi adjecta sit » clausula, *communiter, vel divisim.* Et vice versâ, » si Papa mandet provideri de Beneficio spectante » ad collationem unius, v. g. Episcopi, non po- » test provideri de Beneficio, cujus collatio ad eum, » unâ cum alio, pertinet. Ratio prioris partis est, » tum quia quando Papa mandat alicui provideri de Beneficio spectante ad collationem duorum, v. g. Episcopi, & Decani Ecclesiæ Cathedralis, non cen- setur velle singulos gravare seorsim, & in solidum: sed pro parte tantùm, & conjunctim: ergo vi illius mandati, non potest provideri de Beneficio spectante ad collationem alterius tantùm, sive Episcopi, sive Decani, nisi addatur in Litteris, *communiter, & di- visim*: alioquî enim alterum tantùm, sive seorsim gravare non intendit, *Gl. hic V. non adjecta*, *& An- char. not. 6.* Nam si mandatum, vel alia dispo- sitio referatur ad rem spectantem ad plures, non debet intelligi de re spectante ad alterum tantùm: sed de re communi ad eos spectante, ut in propo- sito de collatione Beneficij, pertinente ad duos si- mul, non ad alterum tantùm, *Franc. hic in §. Si ve- rò*; *num. 2.* Tum quia à pluribus conjunctim non licet descendere ad singulos seorsim: v. g. si manda- tum sit duobus Judicibus Delegatis, ut causam co- gnoscant, non possunt singuli seorsim illam co- gnoscere: nisi addatur, ut cognoscant conjunctim; vel divisim, ut colligitur *ex c. ult. h. t. in 6.* Ratio posterioris partis est, tum quia mandatum de pro- videndo, sive rescriptum Beneficiale non debet ex- tendi, ut plures gravet, quàm expressum est in mandato: tum quia, quod ad plures pertinet, non est propriè singulorum, quod enim commune mi- hi, & alteri, propriè non est meum, *l. Illud*; *46. ff. de Ritu nupt.* Quare distinguendum est, *cum Bart. in l. Servi*; §. §. 1. *ff. de Legat. 1.* Quod est commune pluribus, tanquam universis, seu Universitati, id singulorum dici non potest: quod autem commu- ne est pluribus; ut singulis, id singulorum dici po- test: sed non verè, ac propriè; quia etsi de parte; non tamen de re tota, pro libito, singuli dispone- re possunt, *Gl. in l. Id quod nostrum*; 11. *ff. de R. J. Franc. hic n. 3.*

CCLXIV. Assertio 3. Si Papa mandet ali- » cui provideri de Beneficio proximè vacaturo, cu- » jus collatio spectat ad Capitulum alicujus Eccle- » siæ Cathedralis; vel Collegiatæ, in tali mandato » comprehenduntur, non solùm Beneficia, quæ ex » statuto, aut consuetudine à Capitulo in commu- » ni con-

» ni conferri solent: sed etiam ea, quæ à singulis » Canonicis, vice & auctoritate Capituli confe- » runtur. Verùm ad Beneficia, quorum collatio » specialiter annexa est dignitatibus, personatibus, » vel officiis, quæ nonnulli Canonici in illa Ec- » clesia obtinent, mandatum hujusmodi se non » extendit. Idémque dicendum, si collatio Bene- » ficiorum ad Canonicos, ratione Præbendarum » suarum, singulariter pertineat: nisi in mandato » expressum sit, ut alicui provideatur de Beneficio » ad collationem Capituli communiter, vel divi- » sim pertinente: tum enim in tali mandato etiam » ea Beneficia comprehenduntur, & de ijs vi e- » jusdem mandati poterit provideri, quorum col- » collatio ad singulos Canonicos, ratione Præ- » bendarum suarum, pertinet. Ita statuitur *in c. Mandatum*; 41. *& ult. h. t. in 6.* per quod declaratur Decretalis *in c. Cùm in illis*; 16. *in fine eodem in 6.*

CCLXV. Ubi Notandum primò. Collatio Beneficiorum tribus modis pertinere potest ad Canonicos, ut colligitur *ex hoc. c.* Primò conjunctim, seu capitulariter, ita, ut collatio Beneficij spectet ad totum Capitulum, & illi sit conferedum, in quem major pars consenserit, sicut communiter collatio fieri solet à Capitulo. Secundò, ut unus ex Canonicis conferat, sed vice & auctoritate Capituli, idem enim est facere aliquid per alium, ac si id faciat per seipsum, *Gl. hîc V. Capituli.* Cujusmodi mos, seu consuetudo est in multis Ecclesiis Gallicanis, teste *Gl. hîc V. Statuto.* Imò & in multis Germaniæ, ut singuli Canonici, unus post alterum, secundùm ordinem antiquitatis, in certis mensibus (exceptis mensibus Pontificiis) vacantia Beneficia, seu Canonicatus conferant, nomine, & auctoritate Capituli, cujus vicem repræsentant: quem modum conferendi vulgò Turnum vocant, *ut suprà dictum.* Tertiò, si jus conferendi Beneficium sit certo officio, vel dignitati, vel Præbendæ Canonicali annexum: & tunc singuli Canonici singulariter conferunt, & non quasi vice Capituli, *Gl. hîc V. Singulariter*: quòd si jus conferendi pertineret ad aliquos singulares Canonicos propter alia Beneficia, quæ fortè habent in alia Ecclesia, tunc tale mandatum illa non comprehenderet, *Gl. fin. hîc.*

Notandum secundò. *In hoc c.* tres casus, seu species facti circa collationem Beneficiorum decidunter. Ratio primæ decisionis est, quia quando Beneficium confert unus Canonicus, vice & auctoritate Capituli, tum idem est, ac si totum Capitulum conferet, cujus vicem is repræsentat, ac proinde mandatum de providendo factum principali, v. g. Capitulo, etiam includit, & obligat gerentem vices ejus, cui mandatur, *Franc. hîc n. 1. not. 3.* Ratio secundæ, & tertiæ decisionis est, quia sub simplici non comprehenditur mixtum, & è converso, sub mixto non comprehenditur simplex, nisi in materia favorabili & latè interpretanda, *ut ex Mandosa tradit Barb. in Collect. hîc n. 3.* Non ergo mandatum de providendo Beneficio, cujus collatio pertinet ad Capitulum in communi, debet extendi ad Beneficium, cujus collatio pertinet ad unum Canonicum singulariter, vel ratione dignitatis, præbendæ, personatûs, vel officij, cui jure singulari, seu speciali annexa est collatio, sive ratione præbendæ suæ, nisi mandatum habeat adjunctam clausulam *communiter vel divisim*; nam per tale mandatum de providendo Beneficio spectante ad collationem Capituli, Papa non intendit gravare, seu obligare singulos de Capitulo, sed totum Capitulum, seu Collegium, mandatum enim factum in materia pertinente ad Collegium, vel Universitatem, non includit spectantia ad singulos de Universitate, ut notat *Franc. hîc. num. 1. not. 4.* Quare si quis Collegium, vel Universitatem quamcunque, non tantùm in communi, sed etiam divisim, & singulariter obligare velit ad aliquid faciendum, necesse est, ut id exprimat, adjectâ clausulâ, *communiter vel divisim*; quia nomen Capituli, seu Collegij, cùm sit collectivum, seu nomen communitatis, sive multitudinis, non significat singulos seorsim, sed universos, & conjunctos.

CCLXVI. Assertio 4. Si Papa mandet » alicui provideri de non Sacerdotali Præbenda, » non potest ipsi, vi talis mandati, conferri Sacer- » dotalis (cui scilicet annexus est Ordo Sacerdota- » lis, sive obligatio eum suscipiendi) etiamsi ipse » velit habere Sacerdotalem. Similiter, si in Ec- » clesia aliqua sint Præbendæ integræ, & dimidiæ » (ex quibus scilicet percipitur tantùm medietas » redituum, respectu integrorum) & mandetur » alicui conferri integra, non potest ei dimidia con- » ferri, etsi illâ velit esse contentus. Eadem ratio- » ne, cùm mandatur alicui provideri de Præbenda » certi valoris, non potest tale mandatum impleri » in Præbenda minoris valoris, etiam volente eo, » cui jubetur provideri, prout statuitur *in c. Cui de* » *non*; 27. *h. t. in 6.* Ubi etiam in fine ratio red- » ditur: quia hujusmodi mandata (quorum fines di- » ligenter observandi sunt) ad casus alios, quàm » expressos, extendi non debent. »

Porrò adeò mandatum in forma specifica impleri debet, neque ad aliud, quàm mandatum extendi, etiam parte consentiente, juxta *l. Diligenter*; 5. *ff. Mandati, & l. Cùm Mandati*; 12. *C. eod.* ut quamvis forma præscripta in mandato cedat in commodum impetrantis, tamen ipse huic suo commodo renunciare non possit, ita, ut mandatum in alia forma, seu specie mandetur executioni; nam qui mandati formam, seu fines excedit, aliud quid facere videtur, *cit. l. Diligenter.*

CCLXVII. Sed huic decisioni obstat *reg.* 110. *Digest. in eo quod plus est, semper inest & minus. & reg.* 35. *in 6. plus semper in se continet, quod est minus: & reg.* 53. *eodem: cui licet quod plus est, licet utique quod est minus:* ergo si Papa mandet alicui conferri Præbendam integram, vel certi valori, v. g. 200. aureorum annuorum, censetur velle, ut conferatur dimidia, si is, cui providendum est, sit contentus; nam ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur, *c. Ex parte*; 27. *de decimis* Resp. cum Dyno *in cit. reg.* 35. *num. 6. & Decio in reg. non debet* 21. *num.* 5. quod prædictæ regulæ locum habent, quando plus & minus sunt

sunt ejusdem speciei, sive id, quod minus est, continatur ut species, seu ut pars saltem virtualiter sub majore: secus si id, quod minus est, se habet ad majus, non ut pars ad totum, sed ut species distinctæ, & separatæ: tunc enim non habet locum argumentum à majore quantitate ad minorem; sed potiùs tunc locum habet alia regula, quòd in dispensationibus, delegationibus, mandatis, & rescriptis Beneficialibus, & alijs ejusmodi, quæ strictè interpretanda sunt, non debeat, nec possit fieri extensio à casu expresso, ad non expressum, ne quidem ob identitatem, vel etiam majoritatem rationis, sed fines mandati, seu forma actûs diligenter, & specificè observanda est, *Decius in cit. reg. Non debet; num. 7. & in cit. reg. In eo; num. 14.* Exemplum prioris membri distinctionis, quando scilicet, quod minus est, continetur velut species, aut pars in majore, habetur *in cit. c. Exparte*; Nam cùm novalia sint velut species quædam decimarum, ideò si Papa Religiosis concedat, ut ex terris Parochiarum integras decimas percipiant, non detractâ quartâ parte Episcopali, id etiam de Novalibus intelligendum est. Aliud exemplum habetur *in l. Nec in ea; 22. §. Sed qui ff. ad leg. Jul. de adulter*, ubi dicitur, quòd qui potest aliquem occidere. Multò magis potest eum contumeliâ afficere. Item si cum illegitimo sit dispensatum ad Sacerdotium, consequenter censetur etiam dispensatum ad Ordines inferiores, *Sanch. l. 8. de matr. disp. 1. n. 35.* Exemplum verò posterioris, si quod minùs est, sit quasi species diversa, & non contenta in majore, seu potiore habetur, *in l. Solemnis 61. §. ult. ff. de judic.* ubi dicitur, quòd judex constitutus ad causas criminales, non potest cognoscere causas civiles, seu pecuniarias, licèt illæ sint majores istis, ut notat *Decius cit. Reg. non debet, n. 5.*

CCLXVIII. Assertio 5. Sub mandato generali providendi alicui de Beneficio, vel Præbenda proximè vacatura, non comprehenditur Canonicatus, vel Præbenda Episcopalis, prout sumitur *ex c. Cum in Ecclesia; 25. h. t. in 6.* Ubi talis casus proponitur: In quadam Ecclesia erant XII. Canonici, & XII. Præbendæ, Episcopus enim ex longa consuetudine habebat vocem in Capitulo, tanquam Canonicus, licèt Canonicus non esset, & unam ex dictis præbendis obtinebat, sicut Canonici. Cùm ergo Papa mandâsset, ut auctoritate Apostolica alicui provideretur de præbenda, quæ proximè vacaverit in illa Ecclesia, nulli alteri debitâ, accidit, ut per mortem Episcopi proximè vacaret præbenda Canonicalis, quam obtinebat Episcopus. Consultus super hac re Pontifex rescribit, eum, cui ex mandato Papæ providendum erat in illa Ecclesia, non posse, vi illius mandati, habere ejusmodi præbendam morte Episcopi vacantem, sed expectandum ipsi esse, donec alia præbenda vacaret: Papa enim per mandatum suum non intendit derogare antiquæ illius Ecclesiæ consuetudini, neque futurum, sive successorem Episcopum defraudare præbendâ ipsi debitâ, neque augere numerum Canonicorum.

CCLXIX. Hinc colligitur primò, quòd valeat statutum, vel consuetudo, ut in aliqua Ecclesia major sit numerus præbendarum Canonicalium, quàm Canonicorum; quia nimirum una præbenda, vel plures assignantur, v. g. Episcopo, vel Rectori Academiæ, vel Cantori, qui non sunt Canonici: Sicut & è converso, statuto decerni, vel consuetudine induci potest, ut plures sint Canonici, quàm præbendæ; cùm possit quis fieri Canonicus, etsi non habeat præbendam Canonicalem, *Gl. hic V. 13. Præbendarum; junct. addit. Anchar. ibid. in princ.* Colligitur secundò, quòd Papa non censetur velle derogare per sua mandata, & rescripta statutis, consuetudinibus, & juribus particularium Ecclesiarum, nisi id exprimat, prout etiam habetur *in c. Constitutus; 19. de Rescript.* & notat *Franc. hic nu. 2. not. 2.* Idque procedit, etiamsi Papa, proprio motu, mandet alicui provideri, *Franc. in c. Si motu; 23. nn. 6. h. t. in 6. & dictum suprà.* Colligitur tertiò, potest quandóque Episcopus habere Præbendam Canonicalem, & vocem in Capitulo, tametsi verè Canonicus non sit, sed solùm habeatur pro Canonico, sive loco talis, ut patet *ex hoc c. & tradit Anchar. hic not. 2. & 4.* Neque verò si in Ecclesia aliqua sit determinatus numerus Canonicorum, & Præbendarum, in dubio censetur Papa mandando, ut alicui conferatur Præbenda, in tali Ecclesia augere velle numerum Canonicorum, sed impetrans expectare debet, donec præbenda aliqua vacet, ut habetur hîc, *Anchar. hic not. 5. & Franc. num. 2. not. 3.*

CCLXX. Assertio 6. Per Litteras à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius (de Latere) super provisione Clericorum quorumlibet ad aliquem: vel aliquos executores directas, nulli potest provideri de Xenodochis, Leprosariis, Eleemosynariis, seu Hospitalibus, etiamsi Ecclesias vel Capellas, decimas (id est, jus percipiendi decimas) aut alia spiritualia jura (ut Cœmeterium & jus funerandi) annexa habeant: nisi hoc in Litteris Apostolis sit expressum, prout decernitur *in Clement. per Litteras; 2. h. t.* Ratio est; quia istæ loca pia non sunt deputata, ut sint Beneficia Clericis in Titulum conferenda, sed ut in alios pios usus, juxta eorum fundationem, & institutionem, illorum reditus dispensentur, *Clement. 2. infrà de Relig. dom.* Ideò ad alium usum, sine licentia Papæ, converti non debent, *Gl. hic V. Eleemosynariis*; ubi addit, idem esse de Fabricis, ob eandem rationem, *Abbas. ibid. num. 1.* Idque confirmatur, quia regulariter hujusmodi loca pia non veniunt appellatione Beneficij in Mandatis Apostolicis, quæ strictæ interpretationis sunt, quamvis illa auctoritate Episcopi sint erecta, nisi quando dantur in Titulum, & conferuntur in perpetuum, *Barbos. in Collect. hic nu. 2.* Neque verò, ut vi mandati Apostolici hujusmodi loca conferri possint alicui Clerico, sufficit clausula generalis, ut provideatur alicui de Beneficio Ecclesiastico, *cujuscunque conditionis, & qualitatis sint*: sed requiritur, ut de illis fiat expressa mentio, videlicet, sive sint Xenodochia, sive Leprosaria, seu Hospitalia, *Gl. magna hic in notat. & Gl. fin.*

Pœnò

Porrò idem dicendum est, si Litteræ Apostolicæ emanent super reservatione fructuum Beneficiorum: non enim talia includuntur in illis, nisi exprimantur, *Gl. hic V. Provisione, & Abb. ibid. nu.* 1. Habet etiam locum hæc decretalis Constitutio, tametsi motu proprio Litteræ Apostolicæ emanâssent; quia motus proprius non ampliat gratiam, vel vim verborum, licèt excludat subreptionem in Litteris ejus, pro quo scribitur, *Gl. hic V. Directas; & Abb. n.* 2. de quo suprà.

CCLXXI. Illud hoc loco addendum: si Hospitali, vel alij pio loco, & Religioso, Episcopi auctoritate, ædificato, accessoriè tanquam principali sit annexa Ecclesia, vel Capella, tunc non debet talis Ecclesia in Titulum conferri, quia sequitur naturam sui principalis. Secus est, si Hospitale sit accessoriè annexum alicui Ecclesiæ, vel Capellæ, tunc enim Ecclesia est principale, adeóque potest conferri in Titulum, sicut alia Beneficia, quia Hospitale tantùm accessoriè venit. Si verò Hospitale, & Ecclesia aliqua, seu Capella sint quidem conjuncta, seu unita, ita tamen, ut utrumque sit æquè principale, & neutrum alteri accessoriè unitum, tunc quoad hospitale habet locum dispositio *hujus Clement.* neque in Litteris Apostolicis comprehenditur talis Ecclesia, vel Capella. Idémque est, si ignoretur, quodnam ex illis sit principale, quia impetrans debet fundare, & probare suam intentionem, *Gl. hic V. Ecclesias; & Abb. nu.* 5.

» CCLXXII. Assertio 7. Si de Beneficio ad cu» juscúnque Episcopi (exempti, vel non exempti, » vel etiam Episcopo Superioris, ut Archiepiscopi) » collationem spectante, alicui cōferendo Papa scri» bit, non poterit illud conferri, cujus collatio, ob » negligentiam Episcopi ad Capitulum devoluta » est: licèt possit ipsi provideri de illo etiam Bene» ficio, cujus collatio ex negligentia Capituli, » vel alterius cujuscúmque Collatoris ad Episcopum » fuit devoluta: sicut etiam de illo Beneficio, cujus » collatio, propter negligentiam ipsius Episcopi, & » aliorum in hoc ei succedentium, ad Papam fuerit » devoluta, prout deciditur *in Clement. Si de Be*neficio 35. *h. t.* Ratio primæ decisionis est, quia Papa per suum mandatum intendit grávare, sive obligare solum Episcopum, & non Capitulum, quod non intendit jure conferendi, ob negligentiam Episcopi, ad ipsum devoluto privare, adeóque mandatum non debet extendi ab Episcopo ad Capitulum in illo non expressum, *Gl. hic in casu.* Idémque est, si jus conferendi sit devolutum ad alium, quàm Capitulum, cùm sit eadem ratio, *Gl. hic V. Capitulum.* Ratio secundæ decisionis est, quia cùm Papa Episcopum gravare voluerit, conferri debet ab executore, vi mandati, Beneficium el, pro quo scriptum est, quámdiu hoc in manibus Episcopi est, & potestas conferendi ad ipsum spectat, sive jure proprio, sive jure devolutionis: ideóque mandatum comprehendit etiam collationem Beneficij, quæ ex Capituli, vel cujuscúnque alterius negligentia ad Episcopum fuit devoluta, *Gl. hic V. Existit.* Ratio tertiæ decisionis est, quia licèt aliàs in Beneficijs stricta fieri debeat interpretatio, lata tamen facienda est contra ipsum concedentem, *c. Olim.* 5 16. *de V. S.* ideóque potest; vi talis mandati, etiam provideri de Beneficio impetranti, cujus collatio, ob negligentiam Episcopi primi Collatoris, vel aliorum in jure conferendi ei succedentium, ad Papam est devoluta, *Gl. hic V. Sive ad nos propè finem.* Hinc colligitur, quòd Executor, cui mandatur, ut provideat alicui de Beneficio spectante ad collationem certi Episcopi, non potest de illo providere, quod tempore provisionis, ad alterius collationem est devolutum, licèt tempore dati mandati pertineret ad collationem illius Episcopi, nam quamdiù Beneficium pertinet ad collationem Episcopi, confert illud Executor à Papa deputatus, illo verò ad alium inferiorem Collatorem devoluto, non confert illud, donec ad Episcopum collatio devolvatur, quem solum gravare voluit Papa, *Gl. hic V. Existit; & Abb. ibid. n.* 2.

SECTIO VIII.

DE EFFECTV ET VSV, SEV executione, ac revocatione, seu extinctione Mandatorum Apostolicorum, seu Litterarum Beneficialium.

§. I.

Quo tempore Mandata Apostolica, seu Litteræ Pontificiæ de conferendis Beneficiis vacantibus effectum suum consequantur, & quo tempore impetrans debeat esse capax Beneficii?

CCLXXIII. Præmittendum, de triplici tempore potest esse quæstio: num scilicet tempore concessionis Beneficij, vel alterius gratiæ, an expeditionis Litterarum, an verò præsentationis ipsarum, mandata Apostolica, seu Litteræ Beneficiales, vel aliæ gratiosæ suum effectum consequantur? Deinde distinguendum est inter gratiam factam, & faciendam: gratia facta dicitur, quando alicui in favorem ipsius, aliqua facultas, vel gratia à Superiore est concessa, quamvis interdum executio alteri demandetur, ut si Papa Romæ Beneficium conferat Titio, & Episcopum, seu Ordinarium loci, constituat Executorem, ut eum in possessionem Beneficij inducat. Gratia autem facienda dicitur, cùm ipsi, in cujus favorem gratia tendit, nihil directè concessum est à Superiore, sed alteri mandatur, ut talem gratiam illi conferat: tunc enim nondum est gratia facta, sed mera commissio, & mandatum faciendi, ut si Papa mandet Episcopo, ut Titio Beneficium conferat, *Laym. l. 1. tract. 4. c. 23. n.* 18.

CCLXXIV. Assertio 1. Beneficia, & aliæ gratiæ Principis statim, ac concessæ sunt, per verbum *placet, vel fiat, quòd pètitur*, sive subscriptum supplicationi, sive voce prolatum, sine ulla scriptura, jam sunt perfectæ, omnémque vim suam, ac valorem habent secundùm se, & quoad substantiam, adeóque in foro conscientiæ: quamvis in foro externo ad faciendam probationem, intra, vel extra Judicium, requiratur insuper, ut gratiæ, & privilegia, in scripturam sint reda-

redactæ, sive ut Litteræ super ijs sint expeditæ, ut ex communi docet *Molin. tract. 2. de Iustit. disp. 599. num. 1. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 29. n. 2. Garc. p. 4. c. 2. num. 11.* Idque sumitur *ex c. Institutis 3. 6.* ibi: *Sive quæ scripto decernimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse dispositæ, caus. 25. q. 2.* ubi *Gl. V. Præsenti*; ait, quòd sententia Principis facit jus, licèt non redigatur in scriptis, & quòd Princeps, sine scripto, dat privilegium. Idque etiam constat ex *Clem. dudum 2.* ibi: *Universa privilegia, gratias, indulgentias, verbo, seu scripto, sub quacunque forma concessas &c. de Sepultur.* ubi *Gl. in V. Verbo* ait, hîc videtur expressum, quòd valeat privilegium, vel gratia Apostolica, licèt scriptura super ea confecta non sit. Ratio est, quia concessio gratiæ est quædam donatio, donatio autem statim ut fit, in se est perfecta, etiam nullo donationis Instrumento confecto; nam ad hanc plus non requiritur, quàm ex parte donantis, vel concedentis gratiam, ut eam velit concedere, suppositâ potestate donandi; ex parte verò ejus, cui fit donatio, vel concessio gratiæ, ut eam petat, vel accepter.

CCLXXV. Cæterùm suprà tradita doctrina procedit, spectato communi Jure Canonico: at verò secundùm stylum, & praxin Curiæ Romanæ, omnes provisiones, & gratiæ Beneficiales, quæ fiunt à Sede Apostolica, per collationem, vel per confirmationem, vel per unionem, aut dispensationem super retinendis Beneficijs, vel alio modo, requirunt, ut Litteræ sint expeditæ, nec antè sunt validæ, adeò, ut qui absque Litteris Apostolicis possessionem apprehenderit cujuscùnque Beneficij, aut Prælaturæ, pro intruso habendus sit, nec faciat fructus suos, & inhabilis reddatur ad Beneficia obtinenda, prout videre est apud *Azor p. 1. Instit. lib. 5. cap. 2. quæst. 5. Paris. l. 6. de resign. benef. qu. 4. num. 36.* Dicuntur autem Bullæ, seu Litteræ expeditæ, quando sunt plumbatæ, sive quando illis appensum est Sigillum plumbeum Papæ, *Garc. cit. c. 2. n. ult.*

Præterea *secundùm Regulam 53. Cancellariæ Apostolicæ.* Dispensationes Pontificiæ non suffragantur cuiquam, antequam super ijs Litteræ Apostolicæ sint confectæ: quod tamen solùm intelligi debet, quoad forum externum, in quo secundùm dispensationes procedi, & judicari non debet, antequam Litteræ sunt expeditæ: at verò in foro conscientiæ, gratiæ dispensationum valent, etiam Litteris nondum expeditis. Unde *in cit. Regula Cancellariæ*; non dicitur, dispensationem non valere, Litteris non expeditis, sed non suffragari. Imò postquam Litteræ semel sunt expeditæ, etiam in foro externo, gratiæ dispensationum suffragantur à tempore concessionis, & non solùm à tempore expeditionis Litterarum, etiamsi Papa, qui gratiam dispensationis concessit, mortuus sit, & Litteræ expeditæ sint nomine Pontificis succedentis, ut tradit *Molin. c. l. §. ad ea verò, Sanch. cit. disp. 29. nu. 9. Cochier in prædicta reg. 53.* Hinc infertur, quòd in foro conscientiæ possit quis uti gratiâ dispensationis, v. g. in lege jejunij, si sciat eam à Pontifice esse concessam, etiamsi Litteræ nondum sint expeditæ, *Sanch. c. l. num. 4.* & alij apud ipsum: quamvis in foro externo talis puniri possit, si Litteras dispensationis exhibere nequeat. Denique Litteræ concedentes jurisdictionem Judicibus delegatis, vel quæ ad Executores diriguntur, non tantùm ante Judicij initium expeditæ esse debent, sed etiam ipsis intimatæ, seu præsentatæ: alioquin si Judicium inchoetur, post concessam delegationem, nondum tamen expeditis, & præsentatis Litteris, etiamsi posteà in judicij progressu expediantur, & præsententur, Judicium erit nullum: cùm Jurisdictionis exercitium non acquiratur ante Litterarum authenticarum præsentationem, juxtà *reg. Cancellar. 25. de non judicando &c. Molin. c. l. nu. 2. Sanch. c. l. num. 10.* adeò quidem, ut non sufficiat Protocollum Notarij manu scriptum, aut ab eo transsumptum, sed requiratur præsentatio Litterarum originalium, vel aliàs authenticarum, teste *Garcia p. 6. c. 2. n. 16.*

CCLXXVI. Assertio 2. Ad alteram quæstionem, quod attinet, etsi ordinariè Clericus debeat esse habilis, & idoneus ad obtinendum Beneficium, tempore impetrationis, sive datæ Litterarum Apostolicarum, juxta *c. Si eo tempore 3. 9. de rescript. in 6.* Aliquando tamen sufficit, si Clericus impetrans sit capax, & idoneus ad Beneficium tempore vacationis, aut promotionis, quo Beneficium vacans ei confertur, tametsi tempore impetrationis non fuerit capax, prout sumitur ex *c. Ei cui 3. 29. h. t. in 6.* ubi rescribit Pontifex: si mandatur simpliciter, » sive absolutè alicui provideri de præbenda proximè » vacatura, non potest illi conferri præbenda Sa- » cerdotalis, quæ posteà vacat, si tum nondum sit » in ea ætate, in qua ad Sacerdotium possit promo- » veri, sed debet aliam expectare: scilicèt non Sacerdotalem, vel Sacerdotalem, si tunc, cùm vacat alia, habeat ætatem ad Sacerdotium requisitam, ut tradit *Gl. fin. hîc.* Ex quo colligitur, eum, qui tempore impetrationis, seu datæ Litterarum, non erat habilis ad obtinendam Sacerdotalem præbendam, propter defectum ætatis, possit nihilominùs aliam præbendam Sacerdotalem, vi ejusdem mandati, obtinere, si tempore vacationis ipsius, ad legitimam ætatem pervenerit, adeóq; inspiciendum esse, hoc casu, si mandatum detur de Beneficio vacaturo conferendo, non tempus datæ, seu impetrationis, sed vacationis, seu collationis Beneficij, quo fit executio ejusdem mandati, quoad habilitatem personæ, *Gl. hîc V. Nondum; & Franc. nu. 8. Azor p. 2. l. 6. c. 33. q. 10.*

CCLXXVII. Verùm quia *hoc c.* adversari videtur, *c. Si eo tempore 3. 9. de rescript. in 6.* ideò pro eorum conciliatione, & declaratione notandum primò. Quasdam esse inhabilitates, seu defectus, qui de Jure communi, vel secundùm stylum Curiæ, universim impediùt impetrationem Litterarum Apostolicarum, tam ad Beneficia obtinenda, quàm ad lites, ut si v. g. impetrans sit excommunicatus, juxta *c. 1. de rescript. in 6.* alias verò esse inhabilitates, seu defectus, qui non requirunt, nec irritam reddunt impetrationem Litterarum, sed solùm respiciunt collationem Beneficij, & in defectu alicujus conditionis, quæ ante provisionem potest, ac debet impleri, consistunt: cujusmodi est, defectus ætatis requisitæ, vel di-

dimissio prioris Beneficicij sufficientis, quæ prærequiritur, ut alicui possit provideri de alio Beneficio, ut patet *ex hoc c.* Inter has inhabilitates, hoc est discrimen, ut notat *Barbos. in Collect. hic nu.* 5. quòd in prioribus inspiciendum sit, & attendendum ad tempus, quo Litteræ datæ, & impetratæ sunt, nam suppositâ tali inhabilitate, rescriptum non valet: aliud verò dicendum est de posterioribus inhabilitatibus, in quibus inspiciendum est tempus vacationis Beneficij, vel collationis, & executionis mandati, dummodò in Litteris Apostolicis nulla sit subreptio, aliòquin si subreptitiè fuerint impetratæ, non tempus vacationis, vel collationis: sed tempus datæ, seu impetrationis attendendum erit, ut docet *Abb. in c. Dilectus* 27. *n.* 7. *h. t.*

Et hinc jam conciliari possunt prædicta duo capitula, nam in priore *c. Si eo tempore; de rescript. in 6.* supplicans impetravit mandatum, de providendo sibi Beneficio curato, vel non curato, non factâ mentione de defectu ætatis, ideòque erat subreptitia impetratio; quia debebat exprimere, se tunc non habere ætatem requisitam ad Beneficium curatum, Beneficia enim curata, quippe ad quæ obtinenda major habilitas requiritur, speciali indigent expressione. At verò *in casu hujus c.* non fuit commissa subreptio, quia supplicans impetravit mandatum, de providendo sibi Beneficio in genere, & indefinitè, nullâ factâ mentione de præbenda Sacerdotali, vel Diaconali, ideòque ætatis defectum exprimere non debuit. Quare licèt impetrans, tempore datæ Litterarum, non habeat ætatem requisitam, ad obtinendam præbendam Sacerdotalem, si tamen eam habuit tempore, quo vacat, sive eadem, sive alia præbenda Sacerdotalis, ea ipsi conferri debet. Secus est, si alicui ab initio mandatur provideri de Beneficio curato, vel non curato disjunctivè, tum enim si legitimam ætatem non habeat, tempore datæ, seu impetrationis, tametsi eam habeat tempore vacationis Beneficij curati, non potest hoc ipsi conferri, etsi possit Beneficium non curatum, *juxta cit. c. Si eo tempore; de rescript. in 6.* quia rescriptum, quoad Beneficium curatum, fuit ab initio subreptitium, & irritum, ideóque non potest tractu temporis convalescere, *Abb. in cit. c. Dilectus; n.* 8. *h. t. Barb. hic n.* 66. Non obstat prædictis, quòd in impetrationibus Beneficiorum, sub nomine dignitatis, vel Beneficij non venit dignitas, vel Beneficium curatum, *juxta c. Cum in illis;* 16. *in princ. h. t. in 6.* ac proinde, nec sub appellatione præbendæ, seu Beneficij in genere continebitur Sacerdotalis præbenda, seu Beneficium. Nam respondetur neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia major idoneitas, seu habilitas requiritur in curatis, propter majus periculum, quod in illis est, quàm in alijs, *Franc. hic n.* 2. *not.* 3. Sicut autem sub nomine dignitatis, non venit curata, ita neque sub nomine præbendæ Sacerdotalis, comprehenditur præbenda Sacerdotalis non curata, nulla autem *in hoc c.* fit mentio, vel dispositio de præbendis, vel Beneficijs curatis.

CCLXXVIII. Notandum secundò. Quod dicitur in *cit. c. Ei cui; h. t. in 6.* quod ei, cui mandatur provideri simpliciter de præbenda proximè vacatura, non sit conferenda præbenda Sacerdotalis, si nondum sit in tali ætate, in qua possit promoveri ad Sacerdotium, id extendi debet, ut procedat, etiamsi in Litteris Papæ, adjecta sit clausula, *non obstantibus quibuscúnque, per quæ gratiæ effectus posset impediri, vel differri:* ut contra *Gl. hic V. Simpliciter docet Anchar. hic not.* 1. *& Franc. nu.* 4. quia per hujusmodi clausulam generalem, non censerur Papa velle derogare Juri communi, aut particulari statuto Ecclesiæ, sed opus est, ut in specie exprimatur inhabilitas personæ, seu defectus, in quo dispensatur, aut jus, seu statutum, cui derogatur.

§. II.

Quis ex pluribus impetrantibus diversa Mandata, seu Rescripta Apostolica de providendo, in eadem Ecclesia sit præferendus?

CCLXXIX. Assertio 1. Si alicui v. g. Titio à Sede Apostolica Canonicatus collatus sit in quadam Ecclesia, sine præbenda, cum mandato tamen, ut ei recepto in Canonicum, præbenda proximè vacatura conferretur, posteà verò similis gratia, ac provisio, seu collatio Canonicatûs facta sit alteri, v. g. Cajo in eadem Ecclesia, qui tamen priùs Litteras Pontificias præsentavit Decano, & Capitulo, ideóque citiùs in Canonicum est receptus quàm Titius, qui tardiùs illas præsentavit; hoc casu, si præbenda aliqua posteà vacaverit, in assecutione illius præferri debet Titius, illíque ea conferri, cui priùs collatio Canoniæ facta est, licèt posterior impetrans, nempe Cajus, priùs Litteras collationis sibi factæ, præsentaverit Capitulo, & priùs in Canonicum receptus, & in possessionem missus fuerit, prout statuitur in *c. Eum cui; 7. h. t.* Ratio decisionis est, quia per solam collationem, & acceptationem Beneficij acquiritur in eo jus, & quasi dominium, etiamsi quis nondum illius possessionem nactus sit, & apprehenderit, *c. Si tibi; 17. h. t. in 6.* ergo is, cui collatum est à Papa Jus Canoniæ, sive Canonicatûs, post acceptationem illius, etiamsi nondum in Canonicum receptus sit, & præbendam assecutus, habet jus reale in præbenda, quàm primùm vacat, quæ ipsi tanquam connexa cum Jure Canoniæ, sive Canonicatu debetur, & eidem jus tribuit in præbenda, ita ut collatio alteri facta, sit ipso jure irrita, & provisus illam à quolibet detentore vendicare, & petere possit; quia in istis spiritualibus, postquam sunt debita, acquiritur dominium sine traditione, ut docet *Ancharan. hic not.* 3 Ex quo patet, quòd in impetratione, & collatione Beneficiorum inspicitur tempus datæ, & non tempus præsentationis Litterarum, vel receptionis, ob rationem jam allatam, *Gl. hic V. Eum cui;* Accedit, quòd absurdum foret, si is, cui posteriùs collatus est Canonicatus, citiùs præsentando Litteras suas posteriùs impetratas, prævenire posset eum, cui collatio priùs facta est, in jure jam ipsi acquisito, & eodem illum privare, *Gl. fin. hic.*

CCLXXX. Ubi pro majore declaratione *hujus c.* notandum, hæc Constitutio tum demùm

locum habet, quando collatio Canoniæ, sive Canonicatûs à Papa duobus successivè facta fuit, hoc enim casu præferendus est is, qui Litteras collationis priùs expeditas accepit, ita ut collatio posteà alteri facta, non valeat, etiamsi is priùs Litteras collationis suæ posteriùs factæ præsentaverit executori: neque enim unum idémque Beneficium à duobus simul, & eodem tempore in Titulum obtineri potest *c. unic. Ut Eccles. benef. sin. dimin. &ce* & inter eos, qui obtinent gratias similes, eâdem auctoritate, concessas, locus est regulæ juris 54. *in 6. Qui prior est tempore, potior est jure.* Si verò Papa non actu conferat, sed solùm mandet successivè duobus provideri de Canonicatu, vel alio Beneficio in aliqua Ecclesia, v. g. Titio & Cajo, tum si Titius priùs Litteras impetravit, in assecutione præbendæ præferri debet Caio, qui posteà Litteras beneficiales impetravit, sed priùs eas præsentavit: præterquàm si eo tempore, quo Litteræ à Titio priore impetrante sunt præsentatæ, collatio præbendæ jam facta sit Cajo, tum enim ea relinquenda est ipsi Cajo priori Litterarum præsentatori, *juxta c. Tibi* 3 12. *de rescript. in 6.* Ubi tamen certi casus excipiuntur, de quo dictum supra *l.* 1. *Tit.* 3. *n.* 170. Quare *cit. c. Tibi de rescript. in 6.* non adversatur huic c. quia istud loquitur de provisione, seu collatione Canonicatûs in forma: *Dignum*; à Papa facta, per quam jus in re, & quasi dominium Canonicatûs, vel Beneficij acquiritur: in illo verò c. *Tibi*; sermo est de gratia expectativa, seu mandato providendi: longè autem diversa sunt conferre, & mandare conferri, ut ait *Gl. hîc V. Collatus.*

» CCLXXXI. Assertio 2. Si Papa mandet ali-
» cui Clerico provideri de præbenda proximè vaca-
» tura, in certa Ecclesia, & posteà (scilicèt post-
» quam illi provisum est de præbenda) eundem
» recipi in Canonicum: ipse verò Clericus providen-
» dus præbendam primùm vacantem, tanquam sibi
» debitam petere neglexerit: hoc casu, dictus Cle-
» ricus non potest virtute illius mandati Apostolici,
» aliam præbendam, si quæ in eadem Ecclesia va-
» caverit, petere, nec potest executor de ea ipsi provi-
» dere, cum facta ei gratia per negligentiam ipsius
» sit extincta. Si verò idem Clericus priùs aucto-
» ritate Apostolicâ Canonicus sit effectus, (quia Pa-
» pa ei contulit, vel mandavit conferri Canoni-
» catum in certa Ecclesia) cum mandato, ut provi-
» deatur ipsi de præbenda proximè vacatura, tum e-
» tiamsi eam vacantem petere negligat, potest ni-
» hilominùs aliam præbendam, quæ posteà vaca-
» verit, & nulli alij de jure debita est, petere; quia
» ratione Canonicatûs, alijs omnibus in assecutione
» præbendæ præferendus est, dummodò non ad-
» sint alij eadem auctoritate Apostolicâ præ-
» bendas in illa Ecclesia expectantes. Verùm hoc
» ipso casu, non executor constitutus, præbendam
» posteriùs vacantem dicto Clerico conferre debet,
» quia is accepit solùm mandatum, ut ipsi provide-
» ret de præbenda primò vacatura, non autem de
» conferenda ipsi præbenda, quæ posteà vacabit:
» sed Collator Ordinarius, ad quem scilicet collatio
» præbendarum in illa Ecclesia spectat, dicto Clerico
» præbendam illam conferre debebit, ita, ut si alteri
» conferat, in præjudicium ejusdem Clerici, collatio
« sit irrita, ita statuitur n *c. Si Clericus*; 11. *h. t. in 6.*

CCLXXXII. Hinc patet primò. Si mandetur alicui provideri simpliciter de Beneficio: id intelligitur, de primo vacaturo, non de secundo; quia dispositio simpliciter facta intelligitur de primo actu, *Franc. hîc n.* 2. Patet secundò. Si Papa det alicui gratiam exspectativam, ad præbendam proximè vacaturam, isque eam petere negligat, ea gratia est extincta, postquam præbenda alteri collata est, & consequenter etiam extinguitur mandatum executoris, ad illam gratiam exequendam; cùm illa potestas executoris sit accessoria gratiæ, ideóque naturam principalis sequi congruit, *c. Si super* 3 9. *de Offic. deleg. in 6. Gl. Magna* 3 *hîc in notat.* Quòd si expectans neglexit petere præbendam sibi debitam, ea tamen nondum est alij collata, adhuc illam potest petere, quasi re adhuc integrâ, admittatur purgatio moræ, *Gl. hîc V. Aliam, & Ancharan. not.* 2. Notat etiam *Gl. hîc V. Posteà*, hanc esse novam formam, neque multum habere usum in Curia, ut alicui priùs provideatur de præbenda, & posteà primùm de Canonicatu. Patet tertiò. Si Papa alicui dedit Jus Canoniæ, isque in Canonicum sit receptus, sub expectatione præbendæ proximè vacaturæ, potest eam vacantem, quippe sibi jure debitam, petere: quòd si illam petere neglexit, ideóque ea alteri collata fuit, collatio valet, sed potest talis expectans aliam præbendam, quæ post hanc vacaverit, petere; quia Jus Canoniæ retinet, tatione cujus habet jus petendi præbendam, *Gl. magn. hîc in notat.* Excipi debet, nisi in eadem Ecclesia sit alius expectans, eadem auctoritate Apostolicâ, qui ante ipsum in Canonicum sit receptus, tum enim illi expectanti debetur præbenda illa, *Gl. eadem hîc in notat.* quamvis etiam posterior expectans, hoc casu, præferretur receptis auctoritate inferioris Collatoris, v. g. Episcopi, *Gl. hîc V. Eadem auctoritate.*

CCLXXXIII. Assertio 3. Si Papa conferat »
alicui v. g. Titio Canonjcatum in certa Ecclesia, »
cum mandato, ut eidem de præbenda proximè va- »
catura, & nulli alij de jure debita, provideatur: illi »
verò, ad quos in ea Ecclesia collatio præbenda- »
rum spectat, jure ordinario, v. g. ad Capitulum, »
præbendam proximè vacantem, proprio motu, »
(secùs enim est, si conferrent expectanti auctori- »
tate Papali, *c. Dudum* 3 14. *h. t. in 6.*) alteri confe- »
rant, licèt ignorantes gratiam expectativam priùs »
factam fuisse â Papa Titio, ad præbendam proxi- »
mè vacaturam in illa Ecclesia: hoc casu, collatio »
hæc ab ordinarijs Collatoribus facta, in præjudici- »
um Titij, non subsistit: nam hoc ipso, quòd is »
auctoritate Apostolicâ Canonicus effectus fuit, jus »
ad præbendam proximè vacaturam, & nulli alij »
debitam, est consecutus, eámq; proinde, quàmpri- »
mùm vacavit, justè petere potuit, ideóque ea alte- »
ri à prædictis, licèt ignorantibus, validè conferri »
non potuit, prout statuitur in *c. Postquam* 13. *h. t. in 6.* Rationem aliam assignat *Gl. magna hîc in notat.* quia gratia, per quam Papa contulit alicui Canonicatum, sub expectatione præbendæ, ligat manus ordinarij Collatoris, etiam ante scientiam ipsius, ut alteri etiam ignoranti talem gratiam expectativam priùs à Papa factam esse, conferri nequeat, & si alij conferatur, non valet collatio. Et iste est principalis effectus, quem intendit Papa, in hoc *c.* ut notat *Gl. magna hîc.*

CCLXXXIV.

CCLXXXIV. Porrò disposítio hujus c. procedit, non solùm, si Papa conferat alicui Canonicatum, sive jus Canoniæ, sub expectatione præbendæ proximè vacaturæ: sed etiam, & multò magis, si præbenda illa jam vacat; quia difficiliùs Papa mandat alicui provideri de prębenda vacatura, quàm vacante, ut notat *Gl. hîc V. Vacaturam*; utroque enim casu, si præbenda jam tunc vacans, vel quæ posteà vacabit, conferatur alteri, etiam ab ignorantibus gratiam esse priùs factam alicui, irrita est collatio, juxta decisionem hujus c. quamvis is, cui collata est præbenda, quæ ex mandato Papæ conferenda fuisset alteri, Beneficium ab ordinario Collatore contra mandatum Papæ, si dimisit aliquod Beneficium, ut obtineret præbendam, illud recuperet, dummodò sine difficultate illam præbendam dimisit, sive cognovit illam ex collatione Papæ alteri deberi; *juxta c. Si Beneficia*; 20. *h. t. in 6. Gl. fin. hîc*, de quo infrà.

CCLXXXV. Verùm aliud dicendum est, si Papa ipse non conferat Canonicatum, vel aliud Beneficium alicui, sed solùm mandet Collatoribus ordinarijs, ut ipsi conferant Canonicatum, vel aliud Beneficium, alicui, v. g. Titio: tum enim, si hi, ad quos collatio spectat, spreto mandato Papæ, alteri illud conferant, valida est collatio, prout statuitur in » c. *Dilectus*; 27. *h. t.* Nam quidam Clericus G. no» mine impetravit ab Innocentio III. Litteras ad Ca» pitulum Novariense, in quibus ei mandatum fuit, » ut in Canonicum ipsum G. reciperet, & præben» dam, si quæ tunc vacaret, eidem conferret. Sed » Capitulum, neglecto mandato Apostolico, non » solùm, illum in Canonicum non recepit: sed etiam » præbendam tunc vacantem alteri contulit. De » hacre conquestus Clericus G. apud Papam fuit, » sed Procurator Capituli opposuit, quód dictus Cle» ricus per subreptionem Litteras Papales impetrârit, » falsò allegans, in Ecclesia Novariensi præbendam » tunc vacare, cùm tamen nulla vacaret, ideóque » tanquam mendax precator carere debeat impetra» tis (prout habetur in integra lectione *hujus c.*) » Quare Papa rescripsit ad Episcopum Vercellensem, » eique mandavit, ut si ipsi constiterit, quòd eo tem» pore, cùm Canonici ejusdem Ecclesiæ Litteras Pa» pales receperunt, præbenda vacârit, quam ipsi » cum elusione mandati Apostolici conferre præ» sumpserunt, ipsi Canonici dictum Clericum, si suf» ficiens Beneficium Ecclesiasticum non habeat, in » Canonicum recipiant, & de reditibus Ecclesiæ an» nuos proventus ipsi assignent, donec ei de Benefi» cio præbendali sit provisum.

CCLXXXVI. Ex quo patet, differentiam esse inter receptionem in Canonicum, sive collationem Canonicatûs à Papa alicui factam, cum mandato, ut provideatur ei de præbenda primò vacatura: & inter mandatum Papæ Collatori ordinario factum, ut quis recipiatur in Canonicum, vel ut ei Canonicatus conferatur: nam priore casu, afficitur præbenda vacans, vel vacatura, ita ut collatio alteri facta non teneat, juxta *cit. c. Postquam*; *h. t. in 6.* Posteriore verò casu, per tale mandatum Apostolicum de conferendo alicui Canonicatu, vel præbenda, non afficitur præbenda vacans, vel vacatura, quòminùs collatio ejus alteri facta, contra mandatum à Collatore ordinario teneat, ut docet *Gl. hîc V. Duxerint conferendam, & Abb. hîc n. 3. & 4.* Nam per tale mandatum, non tribuitur provisо Jus in re in Beneficio, priùsquàm actu conferatur; unde in casu hujus c. alteri, cui Capitulum contulit Canonicatum, & præbendam vacantem, contra mandatum Papæ, non jubetur removeri à Beneficio, ut notat *Gl. hîc V. recipi*; ideóque collatio fuit valida. Et ratio est, quia per tale mandatum indirectum Papæ, quo præcipit Titio, v. g. conferri Beneficium, & consequenter tacitè prohibet, conferri alteri, non aufertur potestas ordinaria aliàs competens mandatario, & sic collatio alteri facta tenet, quamvis puniendus sit, propter spretum mandatum Apostolicum; secus est, si Papa directè mandaret Collatori ordinario, ne certum Beneficium conferat, tunc enim non teneret collatio; quia censetur ipsi auferre potestatem conferendi, *Abb. hîc n. 13.* Vel nisi Papa mandans ordinario Collatori, ut conferat alicui Beneficium vacans, vel cùm primùm vacaverit, adjiciat clausulam, quód si contra fecerit, id irritum sit, & inane, tunc enim non valeret etiam collatio, *Gl. hîc V. Duxerint* conferendam in fine.

CCLXXXVII. Atque hinc prætereà infertur, si Collator inferior Papâ, v. g. Capitulum, recipiat aliquem in Canonicum v. g. Titium, auctoritate propriâ; sub spe præbendæ proximè vacaturæ, & posteà præbendam, quæ proximè vacat, non Titio, sed alteri conferat, sive extraneo, sive alicui de Collegio posteriùs recepto in Canonicum, talis collatio alteri facta subsistit; quia cùm Capitulum, vel alius Collator ordinarius jus expectativæ dare non possit, ideò si quis auctoritate Capituli in Canonicum recipiatur, non consequitur jus propriè dictum, ad præbendam proximè vacantem, ac proinde validè ea alteri conferri potest: tenetur tamen hoc casu, Capitulum, vel alius Collator ordinarius, Canonico priùs recepto, interim dum præbendam acquirit, providere ex communibus Ecclesiæ reditibus: nam sicut Capitulum ad talem provisionem faciendam obligatur, propter transgressionem mandati Papalis, si contra illud præbendam alteri contulit, *juxta cit. c. Dilectus*; 27. *h. t.* ita etiam obligatur ad illam, propter transgressionem mandati legalis, si præbendam proximè vacantem alteri posteriùs recepto contulit, contra Constitutionem *c. Relatum 9.* ubi in fine dicitur, quód receptus in Canonicum non debeat carere præbendâ *h. t. Abb. in c. Inter cætera*; 17. *nu. 6. h. t.*

CCLXXXVIII. Cæterùm illud hoc loco addendum. Receptus in Canonicum, ultra numerum Canonicorum sine præbenda, sed cum spe præbendæ vacaturæ, sive auctoritate Papæ, sive etiam auctoritate, & consensu Canonicorum Capitularium, qui id facere possunt, si certus numerus Canonicorum à Papa non sit confirmatus, ut docet *Azor p. 2. Instit. lib. 3. c. 11. qu. 3.* talis inquam Canonicus, non habet quidem in rigore Beneficium, neque præbendam; quia nondum habet Jus in illa, sed tantùm ad illam, & quidem solùm indeterminatè, ad aliquam prębēdam, si auctoritate, non Papæ, sed Capituli tantùm, vel alteriùs Collatoris ordinarij in Canonicum sit receptus, juxtà *cit. c. Relatum*; potest tamen dici habere Beneficium, latiùs loquendo, quia cum sit verè Canonicus, jure potest percipere distributiones quo-

tidianas, si sit præsens Divinis Officijs, simúlque habet vocem, seu suffragium in Capitulo, & Stallum, sive Sedem in Choro, *Azor. c. l. qu. 4. & 5.*

» CCLXXXIX. Assertio 4. Si à Papa Cano- »
» nicatus alicujus Ecclesiæ successivè sit collatus »
» duobus, v. g. Titio, & Cajo, cum mandato, ut »
» primo provideatur de præbenda, si quæ tunc va- »
» caret, alioquin de proximè vacatura: secundo ve- »
» rò, sive Cajo provideatur de præbenda, & digni- »
» tate, personatu, vel officio, cùm occasio se ob- »
» tulerit: accidat verò, ut proximè vacarent Præ- »
» benda, & dignitas, vel officium in illa Ecclesia »
» (v. g. per mortem, aut renunciationem Decani, vel »
» Custodis) hoc casu, si præbenda, quæ proximè »
» vacat, separata est à dignitate, vel officio, ea, »
» vi primi mandati Apostolici, debet conferri pri- »
» mo impetranti, scilicèt Titio, quippe cum is sit »
» tempore anterior (ac proinde etiam jure potior, »
» ac prior) neque enim intentio Papæ mandantis »
» fuit, per secundum mandatum præjudicare pri- »
» mo impetranti, vel jus ipsi per primum man- »
» datum acquisitum auferre, nisi de contraria »
» mandantis intentione appareat, seu constet. Sin »
» autem præbenda annexa sit dignitati, vel officio, »
» tunc in assecutione illius præbendæ, secundus im- »
» petrans primo præferri, eáque ipsi, Cajo scilicèt, »
» cõferri debet, prout statutum est in c. *Quia sæpè* 15. *h. t. in 6.* Ratio prioris decisionis habetur expressa in textu, quia collatio secundo facta intelligitur fieri, sine præjudicio alterius, adeóque primi impetrantis: & quia præbenda utriusque impetrantis est separata, & non annexa alteri dignitati, vel officio, consequenter quoad hoc par est causa utriusque, ideò primus impetrans tanquam prior tempore præferri debet in assecutione præbendæ, *Gl. hìc V. Anteriorẽ; & V. præjudicari.* Ratio posterioris partis, & decisionis est, quia præbenda annexa alicui dignitati, vel officio regulatur secundùm dignitatem, vel officium, cui annectitur, juxta *reg. jur.* 40. *in 6.* Constat autem, quòd *in casu hujus c.* Papa non mandavit priori impetranti providere, de dignitate, vel officio, sed de præbenda tantùm vacante, vel proximè vacatura: præbenda verò, quæ jam vacat, vel proximè vacabit, est unita dignitati, vel officio, ideóque sequitur illius naturam, & ei veluti accessoriè concessa intelligitur, cui concessa est principalis gratia, videlicèt dignitas, vel officium: ergo meritò in ejus assecutione præfertur secundus impetrans, non verò primus, qui de principali, nimirum de dignitate, vel officio, cui præbenda est accessoriè annexa, non fuit provisus, *Barb. in Collect. hìc n. 2.*

CCXC. Ubi notandum primò. Sæpe accidit, ut aliquis, ratione annexionis, aliquid accipiat, quod per se, ac separatum accipere non posset, ut patet ex *hoc c.* in quo secundus impetrans acquirit præbendam, quia annexa est dignitati, quam aliàs non obtineret, nam inter connexa, qui unum obtinet, etiam alterum obtinere debet, *Gl. fin. hìc.*

Notandum secundò. Si ille, cui mandatum est, provideri de dignitate, & præbenda, habeat aliam præbendam in illa Ecclesia, licèt possit postea acceptare dignitatem vacantem, cui accessoriè est annexa aliqua præbenda, tamen per adeptionem dignitatis vacabit prima præbenda, quam priùs obtinebat, juxta *Clement. ult. h. t. Franc. hìc. n. 3.*

Notandum tertiò. Ei, cui mandatur provideri de præbenda, & dignitate copulativè, potest provideri de præbenda tantùm, vel de dignitate tantùm, si una sine altera vacet, nisi tamen sit alius, cui priùs mandatum est de præbenda provideri, ut in casu hujus c. *Franc hìc n. 5.*

CCXCI. Assertio 5. Si Legatus Sedis Apo- »
stolicæ (Cardinalis, sive de Latere) det Litteras ad »
Capitulum Cathedrale alicujus Ecclesiæ, eique »
mandet, ut Clericum v. g. Titium in Canoni- »
cum recipiat, sibíque præbendam primò vacatu- »
ram reservet, eidem conferendam: Capitulum »
verò hujusmodi mandato non obtemperet, ideò- »
que Titius Papæ supplicans ab eo petat, ut Lit- »
teras Legati approbet: & Papa mandet Capi- »
tulo, Apostolicâ auctoritate, ut dictum Titium »
in Canonicum recipiat, ipsíque de præbenda »
provideat, juxta continentiam, seu tenorem Lit- »
terarum Legati: hoc casu, Titius auctoritate Pa- »
pæ, & non Legati receptus censetur: ideóque in »
assecutione præbendæ omnibus alijs, post illum, »
eadem Apostolicâ auctoritate, in Ecclesia re- »
ceptis, est præferendus, prout statuitur in *c. Si* »
eum 3. h. t. in 6.

CCXCII. Pro declaratione *hujus c.* notandum primò, Legatus â Latere non potest quidem, spectato communi Jure Canonico, certæ personæ expectativam, sive Jus propriè dictum dare ad Beneficium vacaturum, sed solus Papa; quia per talem gratiam datur ansa procurandi mortem alterius *c. 2. & 3. de conc. præb. c. 2. eod. in 6.* potest tamen talis Legatus certum Beneficium collationi suæ reservare, in favorem certæ personæ, *c. 3. de Offic. Leg. in 6. c. Cum dilectus* 3; 28. *de jure Patron.* & executores, cùm vacabit, ad illud conferendum dare, *Gl. hìc V. Litteras*; quia Legatus potest recedere à reservatione facta in favorem certæ personæ, & Beneficium reservatum alteri conferre, & sic cessat ratio, ob quam Jus ad Beneficium vacaturum per collationem dare non potest, *Gl. hìc in casu not. 1.*

Notandum secundò. Si Papa mandet, aliquem in Canonicum recipi, suâ auctoritate, juxta tenorem Litterarum sui Legati, talis censetur receptus auctoritate Papæ, & non Legati: quia quando Papa dispositionem inferioris, ob defectum potestatis invalidam, Apostolicâ auctoritate, confirmat, tunc dispositionem ad se revocare, seu suæ auctoritatis Papalis facere censetur: Legatus autem non potest dare Jus ad Beneficium vacaturum: adeóque *in casu hujus c.* Clericus ille nullum Jus assecutus est ad Beneficium vacaturum per factum Legati, sed per mandatum Papæ, qui confirmavit mandatum Legati; ideóque post jam impertitam auctoritatem, sive confirmationem Papæ, censetur talis gratia, seu provisio esse Papalis, *Gl. magna hìc in notat. & V. Receptus: & Franc. ibid. n. 4.*

Notandum tertiò. Inter receptos Canonicos, auctoritate Adostolicâ, adeóque qui similes gratias obtinent, locum habet regula Juris, 54. *in 6.* 'Qui prior

prior est tempore, potior est jure: sed illa prioritas attendi debet, secundùm tempus datæ, seu impetrationis Litterarum, & non à tempore præsentationis earundem, *juxta c. Eum cui; 7. h. t. in 6. Gl. magn. hîc in notat.* Quare receptus v. g. in Canonicum auctoritate Papali, sub expectatione præbendæ vacaturæ, præferendus est omnibus alijs, eadem auctoritate, posteriùs receptis, *ut habetur in fine hujus c.* Imò etiam ijs, qui priùs auctoritate ordinariâ minore, videlicèt Legati Apostolici, vel Episcopi, sunt recepti, *juxta c. Hi qui; 12. h. t. in 6.* & tradit *Gl. fin. hîc.* Secus, si priùs actu collatum fuisset alicui Beneficium, v. g. Canonicatus, auctoritate Legati, vel Episcopi: tum enim is præferendus esset posteriùs receptis in Canonicos, etiam auctoritate Papali, *ut dictum suprà nu. 81. h. t.*

CCXCIII. Cæterùm *cum prædicto c. Si eum*; concordat alia Constitutio decretalis in *c. Si Apostolicæ; 22. h. t. in 6.* ubi similis casus proponitur, differens non in jure, sed solùm in facto, ut notat *Gl. ibid. V. Si* » *Apostolicæ*; ubi sic statuitur: Si Apostolicæ Sedis Le- » gatus (scilicèt de Latere; quia alius nec conferre, » nec reservare posset Beneficium vacaturum, *Gl. hîc* » *V. Legatus*;) in Ecclesia aliquâ suæ Provinciæ, au- » ctoritate ordinariâ Legationis suæ, (nam si auctori- » tate specialis delegationis, hoc faceret, non esset » necessaria alia confirmatio Apostolica, *Gl. hîc V.* » *Legationis*;) volens alicui v. g. Titio providere, » reservet collationi suæ Canonicatum, & præben- » dam nulli alij de jure debitam, proximè vacaturam: » & irritum decernat, si quid contra hanc reservatio- » nem fuerit attentatum, deputatis certis executori- » bus, qui Canonicatum, & præbendam, si vacave- » rint, ei conferant: posteà verò Pontifex, re plenè » intellectâ, & cognitâ, id ratum habens, Apostoli- » câ auctoritate confirmet (non in forma communi, » sed ex certa scientia, *Gl. V. Confirmamus*;) atque ijs- » dem, vel alijs executoribus mandet, ut in hoc pro- » visionis negotio auctoritate Apostolicâ procedant, » juxta Litterarum ipsius Legati cõtinentiam, seu te- » norẽ: hoc casu, talis provisio, post impertitam à Pa- » pa auctoritatem, censetur Apostolica effecta, ideòq; » Clericus sic provisus alijs omnibus, quibus posteà » Papa in eâdem Ecclesia provideri mandavit (etiamsi » ipsis Canonicatum actu, & re ipsâ contulerit,) in » assecutione præbendæ posteà vacaturæ, de jure præ- » ferri debet. Ratio decisionis est, quia factum Inferioris confirmatum per Superiorem, v. g. Papam, suâ auctoritate, & ex certa scientia, censetur esse factum ipsius confirmantis, eique principaliter tribuitur, *omnia enim nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur*, ait Imperator *in l. 1. §. Sed neque; Cod. de Vet. jure enuclean. Franc. hîc n. 2. & Anchar. ibid. not. 4.* Cur autem Canonici posteà recepti, auctoritate Papæ, in assecutione præbendæ proximè vacaturæ, præferti debeant ei, cui Legatus præbendam reservavit, vel Canoniam contulit, causa est; quia per talem reservationem, vel collationem Canoniæ, auctoritate ipsius Legati, alicui factam, non est ipsi jus quæsitum, cùm jus expectativæ ad præbendam vacaturam Legatus dare non posset, ut suprà dictum: alioquin si jus quæsitum esset super præbenda vacatura, provisо à Legato, non intenderet Papa ipsius juri derogare, conferendo posteà Canoniam, vel jus expectativæ dando alteri; quia nec collatio, nec confirmatio à Papa facta trahitur retro ad tempus, in quo actus confirmatus fuit factus, cum præjudicio juris jam acquisiti tertio, *Franc. hîc n. 6. in fine.*

CCXCIV. Notandum hîc præterea primò. Quæ Legatus Sedis Apostolicæ agit ex officio ordinario, seu auctoritate Legationis suæ, non censetur agere auctoritate Sedis Apostolicæ, seu Papali, ut colligitur ex *hoc c.* ubi id notat *Dominicus in Gl. marg. lit. A. n. 2.* adeóque factum Legati non censetur factum Papæ, licèt Legatus ejus vices gerat, ut notat *Franc. in c. Si à Sede; 31. h. t. in 6. n. 1.* ubi pononntur, ut diversi.

Notandum secundò. Confirmationis Papalis factæ *in casu hujus c.* plures sunt effectus. Nam primò per talem confirmationem reservatio, vel collatio Beneficij, per inferiorem, scilicèt Legatum factæ, alioquin irrita, fit valida, ut dictum suprà *n. 289. not. 2.* Secundò provisus à Legato, post confirmationem, & auctoritatem Papalem impertitam, in assecutione præbendæ præferendus est alijs, quibus posteà à Papa jus expectativæ datum est, vel etiam Canonia collata; quia collatio censetur facta, sine præjudicio tertij, *tit. c. Si Apostolicæ in fine.* Secus est, si Papa dedisset aliquibus jus expectativæ, vel Canoniam contulisset, medio tempore, scilicet post reservationem, & mandatum Legati, & ante confirmationem Papalem: tunc enim illi præferrentur provisо à Legato, *Gl. fin. hîc.* Tertiò per talem confirmationem Papæ, gratia fit perpetua, nam si ea non intervenisset, finito Legationis officio, vel Legato mortuo, ante collationem Beneficij vacantis factam, gratia reservationis exspirâsset: sed cùm per Papalem confirmationem jus sit acquisitum provisо, ad præbendam vacaturam, illud non amittitur morte concedentis, ut tradit *Gl. hîc V. Præferri.* Quartò Impetrans aliud Beneficium de tali confirmatione Papali, seu jure expectativæ ad præbendam vacaturam, facere debet mentionem; cùm per eam acquiratur novum jus ad rem, *Gl. hîc eod. V. præferri, & Franc. in c. Si motu 23. num. 6. in Gl. V. Taceat. eod. in 6.*

CCXCV. Assertio 6. Accidere potest, ut si Beneficium, v. g. Canonicatus duobus in aliqua Ecclesia sit concessus, cum expectatione præbendæ vacaturæ, ea posteà vacans neutri debeatur; prout sumitur *ex c. quodam; 40. h. t. in 6.* ubi talis casus proponitur: Quidam v. g. Titius per Litteras Papæ » Nicolai IV. obtinuit Canonicatum sub expecta- » tione præbendæ vacaturæ in certa Ecclesia: posteà » verò Cælestinus V. ejus Successor alteri, v. g. Ca- » jo, similem gratiam in eadem Ecclesia concessit, » additâ Clausulâ, seu Decreto irritante, ut is alijs » omnibus, etiam ante ipsum, & priùs, auctoritate » Apostolicâ, vel quâvis aliâ, receptis, in illa Eccle- » sia anteferretur: Accidit autem, ut Executores » ignorantes similem gratiam à Sede Apostolica po- » steà esse factam etiam Cajo, præbendam, quæ pro- » ximè vacabit, Titio priori impetranti conferrent. » Deinde Successor Bonifacius VIII. omnes gratias à » duobus Antecessoribus suis concessas (quibus jus » in re acquisitum non fuit) revocavit (quæ Con- » stitutio revocatoria extat *in c. Si is; 39. h. t. in 6.* » unde dubitatum fuit, cuinam debeatur ea præben- »

da,

» da, Titio nè, an Cajo? Respondit Bonifacius » VIII. neutrum habere jus in prædicta præbenda: » non priorem impetrantem, seu Titium, quia col- » latio Canoniæ ipsi facta fuit, quamvis ignoranti, & » ab ignorantibus, post & contra Decretum Cælesti- » ni, quo voluit Cajum omnibus prioribus receptis » anteferri, adeòque prioribus gratijs derogare. Ne- » que secundum, scilicet Cajum jus habere in illa » præbenda, quia cùm ante Decretum Bonifacij re- » vocatorium gratiarum, quæ à duobus Antecessori- » bus datæ sunt, habuerit solùm jus ad præbendam » illam, non in præbenda; quia ejus collatio non fuit » ipsi facta, ante illud Decretum, adeóque nec jus in » re ei quæsitum in illa, ideò per revocationem Papæ » Bonifacij jus ad rem, quod Cajus habebat in illa » præbenda, penitus fuit sublatum. Aliud ergo dicendum esset, si collatio præbendæ præcessisset revocationem Papæ: tunc enim secundus impetrans Cajus habuisset jus in re, & non tantùm ad rem in illa præbenda, adeóque non fuisset per sequens Decretum revocatorium sublatum, ut notat *Gl. fin. hîc.*

CCXCVI. Hinc colligitur primò. Quòd Decretum Papæ revocatorium gratiarum, vel irritans facultates à se, vel Antecessoribus suis concessas, ligat etiam ignorantes, imò ipsum etiam Papam, ejúsque Executores, nisi aliud exprimatur, *Ioan. Andr. hîc in fine, & Lappus nu. 1. Anchar. not. 3.* adeò ut gestum contra illud, sit ipso jure nullum, *Franc. hîc n. 2.* nam dictio illa *penitus* nullitatem actûs ipso jure importat, *Garc. p. 8. c. 1. n. 5.* & alij apud ipsum.

Colligitur Secundò. Si gratia alicui facta sit, cum Decreto, per quod revocatur, vel irritatur gratia priùs alteri concessa, postmodùm verò gratia posteriùs facta revocetur, ut *in casu hujus c.* non ideò reviviscit, sive convalescit gratia priùs data, quæ per Decretum revocatorium, & irritans jam fuerat cassata; quod enim semel extinctum est, non potest revivíscere, sine nova concessione, *Anchar. hîc not. 5.* Excipe, nisi gratia posteriùs data, fuerit subreptitia, vel ab initio nulla, propter impedimentum, sive inhabilitatem impetrantis, vel vitium aliquod rescripti, tunc enim prior gratia non revocatur per posteriorem, quippe nullam, & invalidam, sicut Testamentum solenne non revocatur per minùs solenne, *Anchar. hîc not. 5. & Franc. n. 6.* quia non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum, *juxta reg. jur. 52. in 6.*

§. III.

Quodnam Beneficium conferri debeat, si Mandatum Apostolicum de providendo plures collationes, ad diversos spectantes, alternativè contineat.

CCXCVII. De hoc agitur *in c. Mandato* 10. » *h. t.* Ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: Si Papa E- » piscopo v. g. mandavit, sub hac forma, ut alicui » provideat de Beneficio ad ipsius Episcopi, vel alte- » rius, v.g. Coëpiscopi collationem pertinente, tum » debet Episcopus providere ei, pro quo scribitur, de Beneficio. quod primò, seu proximè vacabit (sine » fraude, *Gl. hîc V. Primò vacabit*) sive ad suam, sive » ad alterius collationem, pertineat. (Secus ergo, si » Beneficium solùm pertineat ad præsentationem, » vel institutionem Episcopi, tunc enim non posset providere, nec è converso, *juxta c. cùm in illis* 16. §. *Cùm autem* 3 *h. t. in 6. Gl. hîc V. Ad collationem*) Si » verò duo Beneficia ad Episcopi, & alterius collatio- » nem spectantia simul vacent (quia v.g. Clericus, » qui habebat illa duo Beneficia, mortuus est, vel » promotus ad dignitatem, vel aliud Beneficium in- » cõpatibile, vel quia duo Clerici simul mortui sunt, » aut promoti, vel renunciârunt: nec appareat, quis » priùs, *Gl. hîc V. Simul vacant* 3) tunc ordo scripturæ, » seu Bullæ Pontificiæ servari debet, ita ut Episco- » pus provideat de Beneficio ad suam collationem » pertinente; quia in mandato Papali Episcopus præ- » positus est alteri Collatori, v.g. Coëpiscopo. Ratio prioris decisionis est, quia si non provideretur de Beneficio primò, seu proximè vacaturò, adeóque de illo mandatum non intelligeretur, neque de secundo, nec de tertio, & sic deinceps de cæteris: vi talis mandati, deberet providere Episcopus, vel alter Collator; cùm non sit major ratio, quare de reliquis debeat provideri, vi talis mandati, si de primo vacaturo non debeat, & sic gratia concessa posset extingui, & frustratoria reddi, ut *notat Gl. hîc V. Ad illius*; Ubi tamen id limitat: nisi in mandato de providendo addita sit clausula, *ut provideatur de Beneficio, quod duxerit acceptandum*: tunc enim vi talis mandati, non necessariò ei provideri debet de Beneficio primò vacante, si id acceptare nolit provisus, sed expectandum est, donec aliud vacet, *Barbos. hîc in Collectan. nu. 6.* Ratio posterioris decisionis est, quia aliàs esset in potestate Episcopi, cui mandatum est, providere de Beneficio primò vacaturo, se ipsum exonerare, & alterum Collatorem gravare, providendo videlicèt ex pluribus Beneficijs simul vacantibus, non de Beneficio ad suam; sed ad alterius collationem, pertinente, *Gl. fin. hîc junct. Gl. margin. lit. A.* Quòd si in mandato de providendo scriptum sit, ordine inverso, ut Episcopus provideat de Beneficio ad alterius, vel suam collationem pertinente; tunc similiter ordo scripturæ servandus erit, ita ut pluribus Beneficijs simul vacantibus, Episcopus providere debeat de Beneficio, pertinente ad collationem alterius, quia is in mandato primo loco positus, & nominatus est, *Gl. fin. cit. hîc & Barb. n. 3.*

Hinc inferunt Dd. communiter. Quòd interdum attendi debeat ordo scripturæ; ita ut quando agitur de honore, vel commodo conferendo, vel onere imponendo, certis personis nominatim expressis; quod tamen non potest simul & eodem tempore deferri, vel imponi: inspici debeat ordo scripturæ, seu nominationis, & qui primò nominatus, ei censeatur primò onus, vel commodum delatum; *Tusch. V. Ordo Scripturæ; concl. 196. num. 2. & 8. Everhard. in locis argum. legal. loco 1. ab ordine nu. 7.* Ubi exemplum dat, si Testator duos equos habeat, quos leget Titio, & Cajo, ita, ut singulis unus eorum dandus sit; & unus eorum sit longè pretiosior altero: tum electionem inter illos equos spectare ad Titium priùs nominatum; quia ex ordine verborum præsumitur voluntas disponentis, & ordo intellectus

lectûs. Aliud exemplum habetur in *l. Quoties*; 34. *junct. Gl. V. Deinde: ff. de usufr.* Ubi dicitur, si Titio & Mævio ususfructus legatus sit, ita ut alternis annis utantur, priùs Titio, deinde Mævio Legatum esse, ita ut hic secundo anno fructus percipere debeat, ille primo.

Præterea ex ordine scripturæ inducitur ordo prælationis, ut is dignior censeatur, qui priùs nominatus fuit, sicut vice versâ, ubi agitur de vitio, primò nominatus censetur magis vitiosus, *Tusch. c. l. n.* 15. & 16. Sic ex tribus nominatis tanquam idoneis ad dignitatem, is, qui primo loco nominatur, aliis dignior censetur. Ostenditur etiam ex ordine scripturæ major affectus charitatis erga eum, qui priùs à testatore vel donatore est nominatus, *Tusch. c. l n.* 10. & 12. Limitari tamen debet, quòd ordo juris magis attendi debet, quàm ordo scripturæ, adeò ut præposterus ordo juris reducendus sit ad ordinem juris, & intellectûs, ut si quis debitor solvat creditori pro sorte & usuris, censetur primò pro usuris: quàm pro sorte capitali solvisse; quia sic ordo juris requirit, qui præfertur ordini scripturæ, *Tusch. c. l. n.* 30. Porrò tales conjecturæ ex ordine scripturæ desumptæ, procedunt in casu dubio: si verò constet, vel ex aliis vehementioribus conjecturis præsumi possit de voluntate disponentis, tunc non est habenda ratio ordinis scripturæ, *c. Auctoritate; 2. de concess. Præb. Ancharan. hic in fine.*

§. IV.

De executione & Executoribus Mandatorum, seu Litterarum Apostolicarum Beneficialium.

CCXCVIII. De his specialis fit mentio in *c.* » *Dilectus*; 34 *h. t.* Ubi Papa Honorius III. manda- » vit Decano & Capitulo Andegavensi, ut Clericum » G. cùm primùm se facultas obtulerit, in Canonicum » reciperent, constitutis etiam super hoc certis Exe- » cutoribus. Sed coram his procurator Decani & » Capituli excepit, Litteras Apostolicas non valere, » eò quòd in iis nulla mentio fiat, Decanum ex do- » natione Regis, Præbendarum in Ecclesia collatio- » nem habere. Hoc intellecto, Executores à Papa » constituti, interloquendo pronunciârunt, se non » esse executores, sive mandatum Apostolicum exe- » qui non debere, ideóque duæ Præbendæ interim » vacantes aliis Clericis sunt collatæ. Verùm Ponti- » fex mandat dictis Executoribus, ut non obstante eâ » exceptione, (quippe quæ frivola esset) mandatum » Apostolicum executioni mandari curent.

CCXCIX. Pro explicatione hujus *cap.* Notandum primò. Mandata, seu Litteræ Sedis Apostolicæ, circa Beneficiorum collationes, aliæ sunt de providendo, aliæ verò executoriales. Mandata de providendo sunt duplicis generis, alia de Beneficiis proximè vacaturis, ut si Papa scribat ad aliquem, v. g. Episcopum, eique mandet, ut Clerico alicui sibi supplicanti, quàmprimùm Beneficium aliquod in Ecclesia quadam suæ Diœcesis vacaverit, illud ei conferat. Verùm hæc mandata, quæ gratiæ Expectativæ appellantur, sublata sunt per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 19. *de reform.* ita ut nemini ampliùs ea concedere, nec hactenus concessis cuiquam uti liceat, nec quidem Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis, etiamsi illa facta sint de consensu Ordinariorum, juxta declarationem S. Congreg. Concil. apud *Jo. Gallemart. ibid. n.* 1 *Garc. p.* 6. *de Benef. c.* 1. *n.* 4. Excipiuntur illi Canonici Expectantes, qui Titulares dicuntur, & instituuntur Canonici, sine Præbenda, nec super numerum definitum Canonicorum: tales enim expectativæ ad vacaturam Præbendam non sunt sublatæ per Concilium Tridentinum, quippe quod non derogat consuetudini immemoriali hactenus observatæ, juxta declarationem ejusdem S. Congregat. apud *Garc. c. l. n.* 5. & 6. Quales expectantes adhuc hodie sunt in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ.

Alia verò mandata de providendo, seu Litteræ Beneficiales dantur de Beneficiis vacantibus, eáque in duplici forma concedi solent à Sede Apostolica, ut notat *Garc. cit. p.* 6. *c.* 2. *n.* 6. Vel in forma gratiosa, quando scilicet Papa confert alicui Beneficium, v. g. Canonicatum mensis Pontificii, sed cum his Litteris provisionis expediri solet alia Bulla executoria, seu mandatum ad deputatos Executores, ut provisum in possessionem Beneficii inducant. Alia verò mandata de providendo, sive Litteræ Beneficiales dantur in forma *Dignum*, quando Papa non confert Beneficium, sed mandat Ordinario, vel ejus Vicario, ut certæ personæ, præmisso examine, si illam idoneam reperèrit, intra XXX. dies, postquam Litteræ Apostolicæ ipsi sunt præsentatæ, auctoritate Apostolicâ, Canonicatum, vel aliud Beneficium eidem conferat, quibus Litteris principalibus adjungitur alia Bulla executoria, in qua mandatur uni ex vicinis Episcopis, vel Vicario seu Officiali illius, ut si Ordinarius, intra prædictos 30. dies, Beneficium non conferat, ipse executor, si eum, pro quo scribitur, idoneum repererit, eidem Beneficium conferat, & provisum in possessionem ejusdem inducat, *Garcias c. l. n.* 5. apud quem plura de hoc videri possunt.

Notandum secundò. Si oriatur dubium, num executor ad Beneficia datus competentem potestatem habeat? potest de hoc ipso cognoscere, idque dubium decidere, sicut quilibet alius Judex, etiam delegatus, potest in dubio, an sit competens, necnè, id definire, Quòd si Judex delegatus, vel executor pronunciet jurisdictionem sibi non competere, eò quòd v. g. rescriptum vel gratia impetrata sit subreptitia: non ideò amittit jurisdictionem, cùm possit ab eo appellari, & si justificata fuerit appellatio, causa vel executio ad eundem remitti, ut contigit in casu hujus *cap.* in quo ab interlocutoria sententia executorum, se executores non esse, appellatum fuit, ut constat ex antiqua & integra lectione illius, & testatur *Abb. ibid. n.* 1. & 2. & *Imola n.* 4.

CCC. Notandum tertiò. Exceptio opposita in *cit. c. Dilectus*; fuit frivola; quia postquam Rex jus præsentandi, quod ipsi ex fundatione competebat, transtulit in Decanum, adeóque in Clericum, ratione dignitatis suæ, vel in Ecclesiam: jus patronatûs factum fuit Ecclesiasticum, cui proinde Pontifex potuit derogare, sive sine consensu patroni Ecclesiastici, eóque inconsulto, Beneficium alicui con-

conferre, *juxta c. unic. de jure patron. in 6.* & tradit *Gl. hic V. frivolam*: ideòque rescriptum Apostolicum non fuit subreptitium, etsi in eo de donatione Regis non fuit facta mentio. Quare Abb. generalem regulam tradit in *cit. c. Dilectus*; *n.* 3. si res Laici confertur Ecclesiæ, assumit naturam rerum Ecclesiasticarum, earúmque privilegiis gaudet, & ideò non debet ampliùs subjici gabellis, & aliis oneribus. Potest etiam, juxta aliam explicationem *cit. c. Dilectus*; videlicet, quòd Rex Beneficiorum collationem habuerit, ex privilegio Papæ, dici, ideò exceptionem illam fuisse frivolam, quia Papa potest tali gratiæ derogare per concursum: nam sicut cum ordinariis Collatoribus Ecclesiasticis Papa concurrit, ita etiam cum Laicis, & consequenter in proposito etiam cum Rege, cujus juri derogare potuit, *Barb. in cit. c. Dilectus*; *n.* 4. Præterquàm si facta sint specialia concordata, quibus Papa non censetur velle derogare, nisi id exprimat: derogare autem voluisse Papam in *eodem c.* juri præsentandi, vel conferendi, ex privilegio Regi concesso, patet ex eo, quia supplendo defectum prioris mandati per clausulam, *non obstante*, voluit illud executioni mandari, ut habetur *in fine ejusd. c.*

Notandum quartò. Executores in casu *cit. c. Dilectus*, debent exequi prius mandatum, non auferendo aliquam ex prædictis Præbendis, quæ aliis jam sunt collatæ, dando illam Clerico, pro quo scriptum fuit (collatio enim illa, etsi aliis facta contra mandatum Papæ, valida fuit, *Gl. ibid. V. Collatæ*;) sed curando, ut impetrans mandatum statim recipiatur in Canonicum, & quàm primùm se facultas obtulerit, ei Beneficium assignetur, secundùm tenorem prioris mandati, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. Dilectus*; *h. t.*

CCCI. Porrò circa prædictos executores ad Beneficia deputatos restant quædam quæstiones hîc expediendæ. Quæritur igitur primò, utrùm sint meri, an, mixti executores. Resp. Primò, interdum sunt meri executores, interdum mixti. Merus executor tunc censetur, quando deputatus ad exequendum non potest assumere partes Judicis; quia ipsi commissum est, ut Beneficium conferat, vel certam personam in possessionem ejusdem inducat, ab eo, qui ex jure speciali solam collationem habet, v. g. à Capitulo, sine jurisdictione & potestate judicandi: tunc enim talis executor potest quidem cognoscere, & examinare, imò & debet, an persona illa qualitates requisitas habeat, ut narrata in impetratione, quæ ad rem pertinent, verificare possit, *Garc. p. 6. de Benef. c. 2. n. 161.* Non tamen judicialiter, sed extrajudicialiter tantùm; quia cùm talis committens executionem, non habeat jurisdictionem, adeóque potestatem judicandi, non potest illam alteri committere, ut docet *Innoc. in c. ult. de præsumpt. n. 2. Felin. ibid. n.* 19. Item si committens priùs plenè cognovit de juribus partium, etiam quoad executionem faciendam, tunc censetur esse merus executor, sive datus ad meram executionem, ideóque nec ullam exceptionem admittere debet, *Felin. c. l. n. 20 & in c. De cætero*; *5. n. 4. de sent. & re judic.* Idque procedit, etiamsi in commissione adjecta sit clausula, *contradictores, appellatione postpositâ, compescendo*, scilicet per censuras, nam jurisdictio data per talem clausulam, non se extendit ad cognoscendam causam principalem, vel eos, qui de jure contradicunt, sed tantùm qui de facto se opponunt, aut resistunt executioni, *Gl. in c. Præcipimus*; 22. *V. Contradictores*; *h. t. & Abb. ibid. n. 9. Garc. cit. c. 2. §. 1. n.* 115.

CCCII. Resp. Secundò, Executor deputatus ad Beneficia in pluribus casibus censetur esse mixtus, ita ut partes Judicis assumere, & judicialiter procedere, cum causæ cognitione, possit, imò & plerúmque debeat, *Felin. in cit. c. ult. n.* 16. Veluti primò, si in Litteris commissionis adjecta sit clausula, *vocatis vocandis*, tunc enim executor citare, & judicialiter procedere debet, alioquin provisio esset irrita, *Felin. c. l. n. 23. & Abb. in c. Exhibita*; 19. *n. 6. de judic.* ubi addit, quòd ii, quorum interest, specificè & nominatim vocari debent, si verò ignorantur, per generale Edictum. Secundò, si alius sit in possessione Beneficii, adeóque illud de facto non vacet, etsi injustus detentor sit, aut intrusus, nihilominùs priùs vocandus est, & audiendus, *c. Licèt*; 28. *junct. Gl. V. Non vocato*; *h. t. in 6.* quia non censetur esse Principis intentio, ut quis removeatur à possessione, sine causæ cognitione, *l. 2. C. Si per vim, vel alio modo &c.* imò nec injustus possessor & detentor Beneficii removeri debet, non servato juris ordine, *Felin. c. l. n. 24. Garc. cit. c. 2. §. 1. n.* 110. Tertiò, si executor sit datus, cum clausula, *sine conditione*, in qua agitur de præjudicio alterius, tum tacitè videtur mandata cognitio, *Felin. c. l. n. 25.* v. g. si commissio sit facta hac formâ: si Titius Beneficium suum sponte, & nec vi, nec dolo inductus, resignavit Cajo, conferatur huic Beneficium, aut in possessionem inducatur. Quartò, si executor datus sit ad compellendum ordinarium collatorem, ut conferat, debet enim eum priùs monere ac citare, & si legitimas quasdam exceptiones opponere velit, audire, *arg. c. Accepimus*; 13. *de ætat. & qualit. in fine, Felin. c. l. n.* 26. Quintò, generaliter quotiescúnque comparet aliquis, qui prætendit aliquod præjudicium, executor cognoscere potest, debet enim audiri, non tantùm si ratione privati interesse velit contradicere, & se opponere, sed etiam si ratione publici boni, dicendo v. g. impetrantem non esse idoneum, vel dignum ad Beneficium obtinendum, *arg. c. ult. de præsumpt. in fine, Felin. c. l. n.* 27.

CCCIII. Resp. Tertiò, si alicui absolutè commissa sit executio, ut Beneficium vacans conferat Titio v. g. vel eum in possessionem inducat, sive addatur clausula, *si dignus est*, sive ea subintelligatur, quamvis possit, si velit, assumere partes Judicis, citando eos, quorum interest, & judicialiter inquirendo, an impetrans sit idoneus, necnè, quia commissâ alicui provisione, vel executione, videntur etiam commissa ea, sine quibus illa commodè & plenè non potest fieri, ut docet *Innocent. in cit. c. ult. n. 2. de præsumpt. Felin. ibid. n. 16. & 2. seqq.* Ad id tamen non tenetur, sed potest, sine ulla causæ cognitione, sive processu judiciali, statim providere de Beneficio vacante, si nullus contradictor in jure compareat, nec agatur de præjudicio tertii; quia tunc sufficit, si extrajudicialiter cognoscat, & inquirat de personæ qualitate, *Innoc. c. l. Felin. c. l. n. 22.* Præterea quamvis Executor possit citare partes, & eis deferre juramentum, imò & excommunicare sive censuras infligere, nihilominùs censendus est merus executor, ita ut talis executio alteri cuicúnque Clerico etiam simplici subdelegari possit; quia hanc potestatem habet Executor solùm in ordine ad compellendum non parentes, non autem principaliter ad judicandum & cognoscendum inter partes, *Garc. cit. c. 2. §.*

c. 2. §. 1. n. 106. & seq. Verùntamen si adsit intrusus, vel compareat legitimus contradictor, tunc non est merus executor, sed mixtus, & debet assumere partes Judicis, ac judicialiter procedere, cum causæ cognitione, *Garc. c. l. n.* 110.

CCCIV. Quæritur secundò. An, Executor deputatus ad Beneficia possit vices suas alteri committere? Resp. Affirmativè, ita ut etiam examen Personæ providendæ possit alteri subdelegare, seu committere; idque in praxi esse receptum testatur *Garc. cit. p. 6. c. 2. §. 1. n.* 100. Et hoc procedit, etsi clausula sit adjecta, *super quo conscientiam tuam oneramus*, quia per illam non censetur electa industria personæ, nec prohibita subdelegatio, sed potiùs apposita in vim monitionis, quàm in vim formæ delegationis, *Abb. in c. Cùm in veteri; 52. n 4. de elect. Garc. c. l. Sanch. l. 8. de matr. disp. 27. n. 43. in fine.* Et quidem si nudum ministerium, v. g. examen, sine forma judicii seu extrajudicialiter instituendum, vel inductio in corporalem possessionem, quæ sine causæ cognitione fieri possunt, æquè per alium, ac per se, alicui committatur, potest illud à delegato Sedis Apostolicæ, aut Executore cuicúnque Clerico idoneo, etiam in Dignitate Ecclesiastica non constituto committi, ut tradit Rota Romana in *Decisionib. novis decis. 29. aliàs 369. de rescript. & Tuschus concl. 497*

CCCV. Illud postremò hoc loco addendum. Si Ordinarius, sive primus provisor designatus, ad quem directæ sunt Litteræ principales in forma: *Dignum*, intra 30. dies Beneficium non contulerit, sub prætextu, quòd impetrans non sit idoneus repertus, vel quòd Litteræ sint subreptitiæ &c. hoc casu, non potest, ordinariè loquendo, ad Executorem substitutum Collatori Ordinario, in Bulla executoria, quæ rigorosa dicitur, & simul cum alia conceditur, ut is examinet provisi habilitatem, vel valorem Litterarum, prout sumitur exc. *Si Capitulo; 5. de conces. Præb. in 6.* Quia Executor Litterarum Beneficialium non absolutè constituitur ad exequendum, sed sub conditione, si Ordinarius intra 30. dies provisionem non fecerit, sive Beneficium non contulerit, intellige ex mora culpabili, ut tradit *Garc. cit. c. 2. no. 61. & 65.* & constat ex *cit. c. 5.* Nam iste termiuus 30. dierum præfixus est, non in favorem: sed in odium negligentiæ ipsius Ordinarii, seu primi provisoris. Et hinc si adsit contradictor, cum quo lis est, ita ut non possit Ordinarius provisor intra 30. dies conferre Beneficium, adeóque cesset negligentia, non potest adiri Executor, ut ipse conferat, *Garc. c. l. n. 71.* Si verò primus provisor ex negligentia omiserit intra 30. dies conferre, tunc appellari poterit ad Superiorem, videlicet Papam, vel etiam Metropolitanum, *Garc. c. l. n. 74. & 75.* Quòd si tamen notorium esset, Ordinarium seu primum provisorem frivolè rejicere provisum, ut quia v. g. eum, sine prævio examine, pronunciat, non esse idoneum, vel quia non præmissâ causæ cognitione pronunciat, Litteras provisionis esse subreptitias, tunc probabile est, Executorem, post 30. dies elapsos, validè posse conferre Beneficium.

§. V.

Quando: & quibus modis Mandata de providendo, seu Litteræ Beneficiales tollantur, & expirent!

CCCVI. Quæritur primò. Quando, & quo modo hujusmodi mandata de providendo, seu Litteræ Beneficiales tollantur per revocationem? Resp. De hoc agitur in *c. Si is cui; 39. h. t. in 6.* Ubi præmittendum, quòd Bonifacius VIII. statim post promotionem suam ad Papatum, revocavit omnes gratias ab Antecessoribus suis Nicolao IV. & Cælestino V. super quibuscúnque Beneficiis Ecclesiasticis vacaturis, curatis, vel non curatis, concessas, per quas jus tantùm ad rem, non item jus in re iis, qui gratias hujusmodi impetrârunt, quæsitum fuerat, prout videre est in *Gl. hìc V. Si is; & V. Verba.* Hoc ergo suppositò, idem Pontifex ita rescribit: Si quis ex prædictis Antecessoribus suis » Canonicatum contulit v. g. Titio Clerico in aliqua » Ecclesia, cum mandato, ut ipsi Præbenda, & digni- » tas, seu Personatus, vel officium conferatur; Titius » verò, ante revocationem gratiarum (à Bonifacio » VIII. factam) assecutus fuit Præbendam dignitati, » vel officio alicui non annexam (secus ergo de Præ- » bendis annexis, *Gl. hìc V. Non annexam*;) expectans » tamen in futurum dignitatem vel officium in illa » Ecclesia. Hoc casu, Titius, non obstante revocatione, » quæ posteà subsecuta fuit, non est privatus jure, » quod in Canonicatu & Præbenda canonicè est asse- » cutus, per collationem ipsi factam, sed retinere potest » Præbendam: jus tamen, quod ad dignitatem, Perso- » natum vel Officium eidem competebat, per dictam » Constitutionem Bonifacii fuit revocatum (quia non » habuit jus in re quoad illam dignitatem vel offici- » um) Alia verò ratio est, si Titius Canonicatum, cum » dignitate seu Personatu vel officio, Canonico tan- » tùm conferri consuetis, fuerit assecutus sub expecta- » tione Præbendæ: tum enim, si interim fuerint revo- » catæ gratiæ concessæ, & posteà Præbenda vacet, ni- » hilominùs Præbenda ei debetur; quia ob jus digni- » us, quod Titius in dignitate seu Personatu, vel offi- » cio jam habebat, jus minùs dignum Canonicatûs re- » tinet, ratione cujus Canonicatûs etiam jus ad Præ- » bendam nulli alii debitam, eidem salvum remanet. » Sed etsi Titius, qui Canonicatum auctoritate Apo- » stolicâ jam habebat, ex Episcopi vel alterius cujus- » cúnque collatione (ad quem ea pertinet) assecutus » fuerit in eadem Ecclesia dignitatem vel officium, » quæ conferri tantùm solent Canonico, & posteà re- » vocatæ fuerint gratiæ concessæ, idem erit censen- » dum, scilicet quòd Titius Canonicatum retineat, & » ratione Canonicatûs Præbendam, *Gl. fin. hìc.* Ratio prioris dispositionis est, quia Constitutio seu dispositio revocatoria superveniens, tollit quidem ea, quæ sunt in fieri, sive jus ad rem, non autem tollit ea, quæ sunt in esse perfecto, sive jus in re, *Gl. magna hìc in notat.* Sive non tollit jus jam acquisitum alicui, nisi id exprimatur, ut patet ex *hoc c.* ubi statuitur, quòd jus acquisitum Titio in Canonicatu, & Præbenda per subsequentem Constitutionem Bonifacii non fuit revocatum, sed solùm jus, sive gratia expectativa, quam habebat ad dignitatem vel officium obtinendum. Ratio posterioris dispositionis, cur tunc non revocetur gratia, est, quia æquitati magis conveniens est, ut propter jus, quod quis habet in re majore, v. g. dignitate vel officio Canonicatui, quem assecutus est, annexo, retineat jus ad rem minorē, v. g. Præbendā quàm ut propter jus ad rem, quod habet ad Præbendā, amittat jus in re, quod jam assecutus est in dignitate vel officio, *Gl. hìc V. Consuetis*; præsertim cùm ratione Canonicatûs, qui

Titio sub expectatione Præbendæ collatus fuit à Papa, ipsi debeatur Præbenda proximè vacatura, & nulli alii de jure debita, *juxta c. Postquam 13. h. t. in 6.*

CCCVII. Porrò ex iis, quæ dicuntur in *hoc c.* colligitur primò. Quòd per mortem Papæ concedentis gratiam, non extinguitur gratia, etiamsi res sit integra, ideóque opus est, ut revocetur à Successore. Secundò, si in Ecclesia aliqua statutum sit, ut dignitas non conferatur, nisi Canonico, satis est, quòd talis habeat jus Canoniæ, etsi Præbendam non habeat, nisi dicatur in statuto, ut non detur, nisi Canonico Præbendato. Tertiò, quòd consuetudine induci potest, ut quis simul in eadem Ecclesia habeat Dignitatem & Canonicatum, *Gl. magna hîc in notatis.*

Colligitur quartò. Quòd hæc Constitutio habeat locum, si Præbenda acquisita non sit annexa Dignitati, Personatui, vel Officio: nam si annexa foret uni, vel alteri ex illis, tum ratione connexionis reputaretur pro uno Beneficio, & acquisitâ Præbendâ, acquireretur etiam dignitas, vel officium, & vice versâ, dignitate obtentâ, etiam esset obtenta dignitas ei annexa, & hac vacante, vacaret etiam Præbenda, & sic expectatio non haberet locum, si quidem unâ illarum collatâ, & altera collata esset, *Lapus hîc, & Anchar. not. 6.*

CCCVIII. Quæritur secundò. An mandata de providendo, seu Litteræ Beneficiales extinguantur » morte mandantis, sive concedentis? Resp. Si à Papa alicui v. g. Episcopo, generaliter & indeterminatè, nullâ nominatâ, seu expressâ personâ, facultas concedatur, Apostolicâ auctoritate providendi de Beneficiis aliquibus Personis idoneis in certa Ecclesia: vel Beneficia, quorum collatio ad Sedem Apostolicam legitimè est devoluta, conferendi, & contradictores, eâdem auctoritate, per censuram Ecclesiasticam compescendi; talis gratia seu concessio, etiam re integrâ (id est, si is, cui talis gratia seu facultas concessa est, eâ nunquam usus fuerit) non expirat per obitum concedentis; quia cùm sit gratia specialis (sive merum Beneficium) decet, eam esse mansuram. Si verò Episcopo concessa sit à Pontifice potestas providendi de Beneficio certæ Personæ, v. g. Titio, idque in favorem seu gratiam ipsius Personæ, cui mandatur provideri de Beneficio, non autem in gratiam Episcopi, cui mandatur providere, seu conferre Beneficium: tale mandatum seu potestas expirat morte concedentis, tametsi res adhuc integra sit (id est, si mandatum nondum cœptum sit executioni mandari) mandans, seu concedens moriatur, prout statuitur in *c. Si cui; 36. h. t. in 6.* Idemque est, si Papa mandans renunciet Papatui, juxta *c. 1. de renunc. in 6. Gl. hîc V. Moriatur.* Ratio prioris dispositionis est, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *reg. Jur. ib. in 6.* donec scilicet revocetur: nam privilegium subdito concessum omninò gratis & liberaliter revocari potest, nisi transierit in pactum, ut docet *Suar. l. 8. de Legib. c. 37. Laym: l. 1. tract. 4. c. 23. n. 25.* Ratio posterioris dispositionis est, quia mandatum morte mandantis, si res adhuc integra sit, finitur, *§. fin. Instit. de mandato l. Mandatum; 15. C. Eodem.* Quòd si potestas conferendi Beneficium certæ & nominatæ Personæ, non in favorem ipsius, cui jubetur provideri, sed in favorem ipsius providentis, seu conferentis, vel in favorem utriusque, vel in Ecclesiæ, in qua mandatur provideri, favorem, fuerit concessa, tum ea non expirat per mortem concedentis, etiam re integrâ, *Franc. hic n. 3.*

CCCIX. Porrò hinc inferunt Dd. generalem regulam seu doctrinam, si à Papa, vel alio Superiore alicui sit gratia facta absolutè, seu facultas concessa quippiam agendi indeterminatè erga Personas aliquas, v. g. absolvendi à peccatis, vel censuris, dispensandi in voto, juramento &c. ea non expirat morte concedentis, etiam re integrâ: secus, si hujusmodi gratia, vel facultas alicui sit concessa limitatè tolùm, & in ordine ad certam Personam, eam absolvendi, vel cum ea dispensandi, tum enim si talis facultas in favorem ipsius Personæ tantùm, quæ absolvitur, vel cum qua dispensandum est, concessa sit, expirat re integrâ, per mortem concedentis; non autem, si concessa sit in favorem ipsius absolventis, aut dispensantis, vel in favorem utriusque simul, nimirum tam absolventis, quàm absolvendi, dispensantis & dispensandi, conferentis Beneficium, & recipientis, vel in favorem Ecclesiæ, tunc enim talis facultas, etiam re adhuc integrâ, per mortem concedentis non extinguitur, ut colligitur ex *cit. c. Si cui; h. t. in 6.* à sensu contrario: nam ibi dicitur, quòd quando mandatur Beneficium conferri, non in gratiam conferentis, sed ejus, cui provideri mandatur, gratia: expirat per mortem concedentis è contrario non expirat, quando ob suam, nempe conferentis Beneficium vel gratiam, ea datur, *Sanch. l. 8. de matr. disp. 28. n. 80. & 81. & n. 89.*

CCCX. Prædictis non obstat *tex. in c. Si super; 9. de Offic. jud. deleg. in 6.* Ubi dicitur, si à Papa gratia alicui facta sit, aliúsque constitutus sit, qui eam gratiam exequatur, postea verò, re adhuc integrâ, moriatur Papa, qui gratiam concessit, hoc casu executorem nihilominùs posse procedere ad executionem. Verùm respondetur, quòd *illud c.* loquitur de gratia facta, ut si v. g. Papa Titio Romæ Canonicatum, seu Canoniam conferat, & Præbendam, si quæ vacat, vel proximè vacaverit, constituto executore, ei conferri mandet, sed postea moriatur Papa, antequàm gratia sit executioni mandata: hoc casu, non extinguitur gratia, sive collatio Beneficii jam facta, & consequenter neque executio alteri demandata, quippe gratiæ accessoria, expirat, sed adhuc fieri potest. At verò in posteriore casu *hujus c.* agitur non de gratia facta, sed faciendâ alicui ab ipso mandatario, seu executore, ut si Papa non ipse conferat, sed mandet Episcopo v. g. ut Canonicatum, unà cum Præbenda, si quæ vacat, vel proximè vacatura est, conferat Titio: hoc casu, si res adhuc sit integra, seu nondum cœpta executioni mandari, gratia, & consequenter etiam potestas executoris expirat morte mandantis; nam hæc non est gratia facta, sed facienda, quia nullam omnino provisionem seu collationem ex parte Pontificis continet, cùm ad incertum, & nondum vacans Beneficium data sit, sed merum mandatum providendi continet, quod morte mandantis expirat, *Gl. hîc V. Moriatur; Garc. p. 6. c. 2. n. 305. & seq. Laym. in cit. c. Si super in fin. de offic. deleg.* In priore verò casu *hujus c.* si cui jam erat gratia facta, videlicet potestas conferendi Beneficia concessa erat à Papa providenti, nulla autem gratia sive collatio erat facta personis providendis, ideo ea facultas non extinguitur morte concedentis, etiam re integrâ,

tegrâ, *Gl. magna hîc in notat. & Gl. V. Moriatur in fine.* Plura de hoc, an & quando mandata Beneficialia, seu Litteræ gratiæ expirent morte mandantis seu concedentis, re integrâ, vel non, dicta sunt *supr. l. 1. Decret. Tit. 29. Sec. 7. §. 5.*

CCCXI. Quæritur tertiò. An, & quomodo in mandatis seu rescriptis Beneficialibus per gratiam seu concessionem specialem tollatur prior gratia generalis? Resp. De hoc agitur in c. *Quamvis*; 38. *h. t. in* » 6. ubi decernitur: si Papa alicui v. g. Episcopo det » facultatem conferendi, Auctoritate Apostolicâ, sex » Beneficia, quæ vacaverint per obitum, vel renun- » ciationem Clericorum suorum, personis idoneis: » posteà verò mandet specialiter cuidam alteri execu- » tori, ut certæ Personæ de Canonicatu vel Præben- » da in eadem Ecclesia provideatur: hoc casu, non » potest Episcopus Canonicatum, vel Præbendam, » post mortem, vel renunciationem unius ex prædictis » Clericis, vacantem alicui conferre; quia primæ gra- » tiæ generali derogatur per posteriorem gratiam » specialem, quamvis in ea mentio non fiat gratiæ ge- » neralis. Similiter si Pontifex alicui Episcopo con- » cesserit facultatem conferendi Beneficia suæ Dioe- » cesis, quorum collatio ad Sedem Apostolicam de- » voluta est: posteà verò unum ex talibus Beneficiis, » antequàm Episcopus conferat, ipse Papa alicui con- » ferat, vel conferri mandet, nullâ factâ mentione » facultatis priùs Episcopo concessæ, collatio facta, » auctoritate Papæ, canonica est censenda, prout » etiam statuitur in *cit. c. Quamvis*; §. *Simili ratione.* Ratio hujus dispositionis est, tum quia per mandatum seu rescriptum speciale derogatur generali, etiamsi de hoc mentio in illo non fiat, *c. 1. de rescript. & in c. Dudum*; 14. §. *Nos igitur*; *h. t. in 6.* Tum quia Papa per generalem gratiam conferendi Beneficia alicui factam, non censetur sibi velle præjudicare, quòminùs in specie ei derogare, vel ipsemet per se providere, vel alteri in casu particulari licentiam providendi dare possit: nam in Beneficialibus, ac rerum Ecclesiasticarum dispositione, Papa ita aliis gratias & facultates concedit, ut tamen sibi majorem potestatem reservet, *cit. c. Dudum*; §. *Nos igitur*; *& Gl. fin. hîc.*

CCCXII. Porrò ex decisione *hujus c.* infertur per sensum contrarium, si secunda gratia, seu concessio esset generalis, sicut prima, tunc prævaleret prima facta per Papam, seu ab alio, ejus auctoritate, si in secunda de illa non fieret mentio, *Joann. Andr. hîc n. 2. Franc. ibid. n. 2. not. ult.* Idémque est, si utraque gratia esset specialis, tunc enim valeret prima, nisi in secunda de prima fieret mentio, *Gl. hîc V. In genere*; *& Franc. ibid. not. ult.*

Prætereà quod dictum est, Litteras gratiæ speciales posteriores derogare Litteris generalibus prioribus, etiamsi de his in illis mentio non fiat: id solùm procedit, si posteriores speciales non sint propriè ac directè contrariæ prioribus, sed cum iis consistere possint: secus verò est, si directè repugnent; quia nimirum gratia priùs concessa in effectu non est generalis, sed specialis, ut in casu c. *Ex parte*; 12. *de offic. Jud. deleg.* ubi *Abb. n. 6.* hanc regulam tradit: si dispositio generalis in certa specie verificari debet, tum dispositio posterior specialis ei non derogat, nisi de illa faciat mentionem, v. g. si Papa Titio mandet conferri Beneficium primò vacaturum in Diœcesi, posteà verò mandet conferri Cajo primò vacaturum in Civitate Diœcesis, tum si accidat, primò vacare Beneficium in Civitate, illud debetur Titio, non Cajo: nisi appareat, quòd Pontifex voluerit derogare juri Titii; quia prius mandatum de providendo Titio, in effectu & quoad eventum, non est generale, sed speciale, *Laym. in cit. c. Ex parte*; *n. 3.* ut etiam dictum *supr. l. 1. Tit. 29. n. 63.*

CCCXIII. Quæritur quartò. An mandatum de providendo alicui factum, ob causam paupertatis, si causa cesset, etiam ipsum mandatum cesset, & expiret? Resp. Primò, si mandetur à Papa Episcopo, » ut pauperi Clerico v. g. Titio nullum Beneficium » Ecclesiasticum habenti, juxta merita suæ probitatis, » de Beneficio provideat: is verò, antequam eidem » sit provisum, aliunde Beneficium fuerit consecutus, » providere ipsi Episcopus (cùm causa mandati cesset) » de cætero non tenetur. Ita statuitur in *c. Si pauper*; » 30. *h. t.* Ratio redditur in textu, quia cessante causâ mandati, cessat mandatum, etiamsi non fuerit adimpletum, *Gl. magna hîc in notat.* nam finalis & principalis causa mandati de providendo, in forma pauperum, est paupertas seu inopia Clerici: sed si hic obtineat aliud Beneficium sufficiens ad necessariam & congruam illius sustentationem, cessat causa finalis & principalis talis mandati de providendo, ergo etiam ipsum mandatum cessat, nec executioni tradi debet.

CCCXIV. Ubi notandum primò. Quòd rescripta sive Litteræ Beneficiales, quæ dantur in forma pauperum, seu eorum necessitati providenti, censentur esse, & appellantur Litteræ justitiæ, vel quasi; quia non sunt merè gratiosæ, sed aliquo modo debitæ Clericis ordinatis, si nec patrimonium habeant, nec Beneficium sufficiens ad honestam sui sustentationem, *Gl. hîc V. Pauper.* Imò etiamsi Clericus aliquis habeat bona patrimonialia, ex quibus se honestè alere possit, si tamen non sit ordinatus ad Titulum sui patrimonii, adhuc censebitur pauper, si Beneficium Ecclesiasticum non habeat; quia Clericus etsi habeat dives patrimonium proprium, tamen non tenetur de illo vivere, sed potest vivere, ac debet ali ex reditibus Ecclesiæ, *Franc. hîc n. 1. not. 1.*

Notandum secundò. Si Clericus impetret Litteras in forma pauperum, ut illi provideatur de Beneficio, posteà aliunde acquirat Vicariam perpetuam, expirabit mandatum: secus si temporalem solùm; quia talis Vicarius non est Beneficiatus, cùm Beneficia propriè dicta sint perpetua, *Gl. fin. hîc.* Quòd si talis Clericus habeat certam pensionem Ecclesiasticam, datam in titulum, & sufficientem ad necessariam sustentationem, Litteræ impetrationis, si in illis non fiat mentio de pensione, subreptitiæ erunt, *Gl. marg. hîc lit. A. & Franc. n. 3.*

CCCXV. Resp. Secundò, si Papa Clerico pauperi contulit Beneficium, & Episcopo v. g. mandet, ut id exequatur, eúmq; in possessionem mittat: hoc casu, si Clericus provisus tempore collationis, fuit pauper, quia Beneficium non habuit, etiamsi posteà, antequàm investiatur in Beneficio, sive in possessionem mittatur, desinat esse pauper, quia interea aliud Beneficium canonicè est consecutus, adhuc valet collatio priùs facta, ut docet *Dominic. hîc col. 1.* Ratio est, quia quamvis ad mandatum de providendo, sive conferendo Beneficio pauperi, si gratia impetrata à Papa, videlicet collatio nondum sit facta, sed facienda à Commissario,

sive Executore, requiratur, ut causa finalis & principalis mandati, nimirum paupertas verificetur, & subsistat, non tantùm tempore impetrationis mandati, seu Litterarum, sed etiam tempore gratiæ à Commissario seu mandatario faciendæ, videlicet actualis collationis, *juxta cit. c. Si pauper*; prout idem de dispensatione super voto, vel impedimento matrimonii à Papa non facta, sed à Commissario, Auctoritate Papæ, faciendâ, docet *Sanch. lib. 8. de matrim. dis. 30. n. 12. & Laym. l. 1. tract. 4. c. 22. q. 2. n. 14.* Aliud tamen dicendum est de mandato exequendi, si nimirum Beneficium à Papa collatum sit pauperi Clerico, adeóque gratia jam facta, & solùm executio ejusdem demandata sit Commissario sive mandatario: tum enim sufficit, quòd causa conferendi, videlicet paupertas, subsiterit & verè adfuerit tempore collationis à Papa factæ, tametsi non subsistat, sed cessârit tempore executionis, quo provisus investitur in Beneficio, quia interim aliud Beneficium sufficiens obtinuit, non enim ideò corruit collatio Beneficii jam priùs facta, juxta *reg. juris 73. in 6. factum legitimè retractari non debet, licèt postea casus eveniat, à quo non poterat inchoari.*

CCCXVI. Resp. Tertiò, si Papa Clerico paùperi nullum Beneficium habenti mandârit, provideri de Beneficio in forma gratiosa, sive in Litteris gratiosis, isque intereà Beneficium sufficiens consecutus sit, potest nihilominùs Executor seu Commissarius mandatum exequi, & Beneficium illi conferre, dummodò illud Beneficium, quod ex Papæ mandato confertur, non sit incompatibile cum priùs obtento, ut quia v. g. utrumque curatum est, ut docet *Gl. in cit. c. Si pauper*; *V. Pauper*; *h. t. in 6. & ibid. Jo. Monach. n. 1. Ancharan. not. 2. & Franc. n. 2.* Ratio est, quia Litteræ Beneficiales gratiosæ, quæ pro Clericis non indigentibus ex speciali gratia à Sede Apostolica conceduntur, non expirant per adeptionem alterius Beneficii: cùm Papa sæpe mandare soleat, ut habenti Beneficium aliud conferatur, adeóque carentia Beneficii non est causa adæquata talis mandati de providendo, nisi secundum Beneficium esset incompatibile cum primo, tum enim primum per adeptionem secundi vacaret ipso jure, *juxta c. De multa*; 82. *h. t.* Adeóque cùm hoc casu tolleretur jus in re, multò magis tolleretur jus ad rem, *Gl. in cit. c. Si pauper*; *V. Pauper*; *Jo. Monach. ibid. n. 4. & Anchar. not. 2.* Et hæc quidem sententia certa est, si prius Beneficium non sit sufficiens ad necessariam sustentationem Clerici: si verò sit sufficiens, id solùm obstare videtur, quòd Papa mandando, ut alicui provideatur de Beneficio, non videatur velle conferri Beneficium ei, qui jam antè sufficiens habet, nisi id exprimat, *arg. c. Postulâsti*; 27. *de Rescript.* Verùm cùm hujusmodi Litteræ gratiosæ emanent ex favore & mera liberalitate Papæ, & hoc tempore frequenter soleant plura Beneficia simplicia, si compatibilia sint, impetrari & conferri, ideò hæc sententia, saltem secundùm consuetudinem moderni temporis, in praxi tutò servari potest.

SECTIO IX.

DE RESERVATIONIBVS Beneficiorum.

§. I.

De reservatione Beneficiorum in Communi, eiúsque causis & effectu.

CCCXVII. Quæritur primò. Quid & quotuplex sit reservatio Beneficiorum? Resp. Primò, reservatio sic definitur *ex Ænea de Falconibus in Tract. proprio* apud *Azor p. 2. lib. 6. c. 36. q. 1. est alicujus Beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio*: ac proinde ea Beneficia dicuntur reservata, quorum collationem Superior, videlicet S. Pontifex ita sibi proprium vendicat, ut ab aliis inferioribus Collatoribus Ordinariis conferri non possint.

Ubi notandum primò. Olim Romanos Pontifices nulla sibi reservâsse Beneficia, saltem ex Juris communis dispositione, nam in toto Volumine Decretorum, quæ Gratianus collegit, nullæ Beneficiorum reservationes reperiuntur, ut notat *Azor c. l. q. 2.* Quamvis ex antiqua consuetudine multa sibi reservârint, quas reservationes ferè omnes Concilium Basiliense *Sess. 23.* abolere tentavit. Verùm decreta illius Concilii auctoritate Ecclesiæ non fuerunt confirmata, sed reprobata, paucis exceptis, teste *Azor c. l.* Nec dubitari potest, Romanum Pontificem Beneficia sibi reservare posse; cùm amplissimam potestatem habeat de Beneficiis Ecclesiasticis disponendi, ut constat ex *c. 2. h. t. in 6. & Clement. 1. in fine, Ut lite pendente &c.* quam nullum Concilium tollere, vel restringere potest.

Notandum secundò. Propriè ac strictè loquendo, aliud est Beneficium aliquod esse affectum, aliud esse reservatum: nam reservatio fit per actum verbis expressum, quo declarat Pontifex se Beneficium suæ dispositioni reservare: affectio verò fit ipso facto, ex quo tacita reservatio oritur, ut cùm Papa opponit manum super dispositione alicujus Beneficii, *Cochier in reg. 8. Cancellariæ Gl. 19. Barb. l. 3. Jur. Eccles. c. 13. n. 43.* Veluti si Papa contulit alicui Beneficium, sed invalidè ob Canonicum impedimentum Clerici, vel subreptitiam impetrationem, tale Beneficium est affectum, ita ut pro illa vice à solo Papa, & non ab Ordinario inferiore conferri possit, *de quo infrà.* Item si Papa det alicui Beneficium in Commendam, tunc per obitum Commendatarii Beneficium illud manet affectum, ita, tunc cùm vacat, solus Papa, & non inferior Ordinarius conferre illud possit. Præterea si Papa Beneficii renunciationem accepit, vel Electoribus præcepit, ne ad electionem procedant, illa Ecclesia vel Beneficium dicitur affectum. Idémque est, si Papa mandet alicui provideri de Beneficio proximè vacaturo, *Azor. l. q. 5. Barb. c. l. n. 90. & seqq.* Quare Beneficium affectum à reservato in eo distinguitur, quòd reservatum nunquam ampliùs inferior ordinarius conferre possit: affectum verò possit quidem, sed non tunc, cùm jam Papa manum apposuit super provisione illius, ideóque affectio potestatem conferendi non aufert Ordinariis in perpetuum, sed ad tempus tantùm, ita ut cùm primò vacare contigerit, pro illa vice ab alio, quàm à Papa conferri non possit: postquam verò provisio Papæ effectum est consecuta, cessat illius Beneficii

neficii affectio seu reservatio, ita ut de inceps, si iterum vacaverit, ab Ordinario conferri possit, *Azor c. l.*

CCCXVIII. Resp. Secundò, duplex est Beneficiorum reservatio, generalis & specialis, prout tradit *Azor cit. c. 36. q. 3. Garc. p. 5. de Benef. n. 56.* & aliquot *seqq.* Generalis est, quâ reservantur plura Beneficia in communi, sive plura ejusdem rationis, & generis, ut cùm v. g. Papa reservat omnes Ecclesias Metropolitanas, Patriarchales, Cathedrales, Abbatias, Prioratus & Beneficia electiva, vel in Curia Romana vacantia: vel omnia Beneficia familiarium Papæ, & Cardinalium, quandocúnque vacaverint. Specialis reservatio est, quâ reservantur certa Beneficia, vel ratione loci, ut cùm Beneficia certæ Ecclesiæ reservantur: vel ratione Beneficii, ut cùm certa dignitas, v. g. Præpositura reservatur: vel ratione personæ, ut cùm Papa mandat Beneficium certæ Ecclesiæ, cùm vacaverit, Titio vel alteri Clerico conferri.

CCCXIX. Quæritur secundò. Quæ sint causæ, ob quas reservari possunt & solent Beneficia? Resp. Plures justæ causæ solent afferri. Prima est, quia potestas conferendi Ecclesiastica Beneficia vacantia originaliter descendit à S. Pontifice, *juxta c. 1. dist. 22.* Ubi dicitur, quòd omnes Patriarchales, Metropolitanas, Cathedrales Ecclesias, & aliarum Ecclesiarum dignitates instituit Romana Ecclesia, ideóque ab initio ad Romanum Pontificem collatio omnium Beneficiorum in toto Orbe spectabat: qui cùm Episcopis, aliisque inferioribus collatoribus eam potestatem conferendi concessit, censetur majorem penes se retinuisse, *c. Dudum 3 14. §. Nos igitur 5 h. t. in 6.* & cumulativè tantùm, non privativè, eam potestatem illis dedisse, ideo potest conferendi potestatem aliis concessam restringere, & sibi reservare Beneficia, *Paris. lib. 1. de resign. Benef. q. 10. n. 47. 56. & 57.* Secunda causa affertur à *Gl. in Extravag. unic. Io. XXII.* quæ incipit *Execrabilis, §. Quæ omnia; V. Reservamus; h. t.* quia cùm ad Papam pertineat, ut omnes qui de Ecclesia bene meriti sunt, remuneret, & præsertim erga illos, qui Ipsi, vel Antecessoribus suis servierunt: & erga indigentes Clericos, qui undequáque ad Sedem Apostolicam confluunt, se liberalem ac munificum exhibeat, iisque paternâ provisione subveniat: & ut etiam Magnatum, qui vel ipsi, vel quorũ Antecessores multas Ecclesias fundârunt, & dotârunt, aut defensores Ecclesiæ fuerunt, preces interpositas pro aliis ad conferenda ipsis Beneficia admittat: ideò justum & æquũ fuit, ut Papa habeat amplissimam potestatem, Beneficia vacantia tanquam bona communia aliis conferendi, & de multis Beneficiis providendi, & consequenter etiam illa suæ collationi reservandi. Tertia causa est, ut Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum in toto orbe existentium, major sit communicatio cum Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum matre, dum non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus Beneficiorum proventibus ab ea dependent, & influxum accipiunt, *Less. l. 2. de justit. c. 34. n. 48. Cochier in reg. 8. Cancell. n. 9.*

CCCXX. Quæritur tertiò. Quis sit effectus reservationis Beneficiorum? Resp. Effectus reservationis, cui appositum est decretum irritans, est, quòd collatio vel reservatio Beneficii facta per Papam, afficit sive ligat manus inferioris ordinarii Collatoris, ita ut Beneficium à Papa collatum, vel reservatum validè conferri non possit ab ordinario, tametsi ignoret collationem vel reservationem ejusdem à Papa priùs esse factam, prout sumitur ex *c. Si Beneficia; 20. h. t. in 6.* Ubi statutum habetur: si postquàm Papa Beneficia quædam contulit, vel collationi suæ reservavit, decreto interposito (sola enim reservatio sine decreto, sive inhibitione Papæ, non impediret, quominùs Ordinarius inferior validè conferre posset, cùm utrumque copulativè requiratur, *Ancharan. hic not. 2. Verfic. sed hîc quæro, Franc. ibid. n. 1. not. 2.*) & Ordinarii collatores eadem Beneficia (sive sciant, sive ignorent collationem vel reservationem à Papa esse factam, quia ignorantia non requiritur in conferente, sed solùm in eo, cui confertur Beneficium, *Gl. hîc V. Ab iis;*) aliis conferant ignorantibus collationem, vel reservationem eorundem à Papa jam esse factam: hoc casu, si isti provisi ab ordinariis Collatoribus propterea Beneficia sua priùs obtenta (sive ex juris necessitate, propter incompatibilitatem seu pluralitatem, vel ex ignorantia, vel ex sola voluntate, *Gl. hîc V. Dimissa;*) dimiserint, vel resignârint, eáque Beneficia sic dimissa aliis per Ordinarios Collatores fuerint assignata: statuit Bonifacius VIII. ut si ipsi, postquàm certiores facti de prædicta collatione, seu reservatione Papæ facta, Beneficia ita sibi de novo collata, absque difficultate dimiserint, ad priora sua Beneficia, non obstante, quòd jam aliis personis collata fuerint, liberè revertantur, ne scilicet inculpata eorum ignorantia ipsis præjudicet, seu damnosa sit. Si verò difficiles se exhibeant in novis Beneficiis dimittendis, ipsis facultas ad priora revertendi omninò est interdicta. Idémque observandum circa alios, qui ab his Beneficia dimissa acceperunt, & propterea priùs habita Beneficia dimiserunt; nam si sine difficultate dimittant recèns accepta, ad priora dimissa liberè redire possunt, alioquin verò non possunt.

Ratio decisionis desumitur ex prærogativa & plenitudine potestatis Papalis, per quam præveniendo collationem Beneficiorum, vel eadem suæ collationi in futurum reservando, potest impedire à collatione alios inferiores collatores, *arg. c. 2. h. t. in 6.* Ratio autem, cur provisi ab inferioribus collatoribus, si nova Beneficia cum difficultate dimittant, non recuperent priùs dimissa, ratio, inquam, est; quia tunc sunt in culpa, ubi enim est in dimittendo difficultas, præsumitur in obtinendo fuisse pravam cupiditatem: sicut etiam, si scivissent collationem vel reservationem à Papa esse factam, fuissent in culpa, ideóque Beneficia priùs dimissa non recuperarent, *Gl. hîc V. Sine culpa.*

CCCXXI. Pro majore declaratione hujus c. Notandum primò. Beneficia fieri affecta, seu impedita, quòminùs ab Ordinario inferiore conferri possint, non solùm per veram & validam collationem, vel reservationem Papæ, sed etiam per solam appositionem manûs illius, ut si Papa Beneficium contulerit, vel conferri mandârit alicui inhabili, seu incapaci, ita ut collatio seu provisio irrita sit, vel mandatum de providendo executioni non detur, quia subreptitium est, aut ob mortem provisi intervenientem, vel ob alium defectum seu impedimentum; tunc enim Beneficium remanet affectum Papæ, etiamsi aliàs non fuisset reservatum, ut multis citatis tradit *Garc. cit. p. 5. c. 1. n. 138. & seq.* Verùm *Abb. in c. Inter 3 11. n. 10. de excessib.*

cessib. Præl. id limitat dum ait; quamvis si Papa Beneficium sibi reservavit, illúdque alteri contulit, etiam invalidè, non possit Ordinarius inferior de illo disponere: si tamen Papa Beneficium non reservavit, & collatio ab ipso, vel ad mandatum ejus, à delegato vel executore certæ personæ nominatim expressæ facta, irrita fuit, tum potestas conferendi redit ad Collatorem ordinarium; quia cessante causâ, cessat effectus: Papa autem tantùm intendit providere certæ personæ, quæ cùm non fuerit capax Beneficii, collatio iterum devolvitur ad Ordinarium. Sed etsi collatio Papæ effectum sit consecuta, videlicet per acceptationem provisi, si tamen is moriatur, ante obtentam possessionem Beneficii, hoc vacat per mortem istius provisi, ita ut Ordinarius ad collationem ejusdem procedere possit, *Greg. Tholosan. in Institut. rei Benefic. c. 24. n. 18.*

Notandum secundò. Si quis resignet Beneficium ex falsa causa, quam putat esse veram, ut quia in casu *cit. c. Si Beneficia*, ex ignorantia probabili, adeóque bonâ fide existimat collationem alterius Beneficii ab Ordinario sibi factam validâ fuisse, talis resignatio ipsi non præjudicat, quòminùs liberè ad primum Beneficium resignatum redire possit, ut docet *Franc. in c. cit. n. 3. not. 4.* Ratio est, tum quia pœna non imponitur, nisi propter culpam, sed ignorans probabiliter, non potest dici culpabilis, *Gl. marg. apud Franc. ibid. lit. A.* tum quia errantis nullus est consensus, iste autem Beneficiū priùs habitum resignavit ex probabili errore & ignorantia, & nonnisi sub tacita conditione, si posterioris Beneficii collatio sit valida: deficiente autem conditione, etiam tacitâ seu subintellectâ, actus habetur pro non facto, *Paris. l. 1. de resign. Benefic. q. 3. n. 30.*

Notandum tertiò. Quando error, sive ignorantia est causa læsionis plurium successivè, tunc gradatim primo restituto, adversùs secundum, restituitur etiam secundus adversùs tertium, & sic de cæteris, ut notat *Franc. in cit. c. Si Beneficia; n. 4. not. ult. h. t. in 6.* Quia vitium, quod ex una radice nascitur, consequens est, ut unâ lege tollatur, *l. pen. in fin. C. De nuptiis*; si ergo propter erroneam & invalidam collationem ordinarii, Titius v. g. dimisit suum prius Beneficium, illúdque collatum fuit Cajo, poterit ab hoc illud repetere: etsi Cajus quoque, eâdem occasione, dimisit suum Beneficium, quod priùs habebat, illúdque fuit collatum Sempronio, poterit Cajus similiter à Sempronio illud repetere, & sic de cæteris: modò singuli Beneficium sibi posteriùs collatum sine tergiversatione dimiserint, *Gl. fin. in cit. c. Si Beneficia.*

CCCXXII. Porrò reservatio Beneficiorum eum insuper effectum habet, liget manus inferioris Ordinarii Collatoris, adeóque ut collatio ab ipso post illam facta, nec quidem titulum coloratum præbeat provisо, utque si is, qui illud obtinet, eo spolietur, non possit agere de spolio, ut docet *Cochier. in reg. 1. Cancellar. n. 15. & 18.* ubi *n. 19. & 20.* rationem reddit, quia non solùm possessio Beneficii reservati est nulla, sed etiam detentio illius omni adminiculo juris caret, siquidem decretum irritans, quod in omnibus reservationum regulis apponi solet, non modò titulum, sed etiam possessionem vitiat. Adde, tantam esse vim reservationis, ut si alicui generalis, sive à jure, sive ab homine, videlicet Papâ conferendi omnia & quæcúnque Beneficia facultas concessa sit, sub ea nunquam censeantur comprehensa Beneficia generaliter, vel specialiter reservata Sedi Apostolicæ; quia requiritur, ut specialis & expressa mentio eorum fiat, *Franc. in c. 2. n. 4. in 6. arg. ejusdem c.* quod, licèt loquatur tantùm de uno genere reservationis, videlicet de Beneficiis in Curia Romana vacantibus, tamen hoc fuit positum exempli causâ tantùm, & locum habet etiam in omnibus aliis reservationibus, *Cochier. c. l. n. 17. Barb. l. 3. jur. Eccles. n. 40. & 41.*

§. II.

Quanam Beneficia sunt Romano Pontifici reservata, spectato communi Iure Canonico?

CCCXXIII. Assertio 1. Beneficia vacantia in Curia Romana sunt reservata Sedi Apostolicæ, ita ut nullus alius, quàm Papa, illa conferre possit, alioquin collatio est irrita, prout statuit Clemens III. vel (ut habetur in vetustioribus Codicibus) Clemens IV. in *c. Licèt; 2. h. t. in 6.* his verbis: Licèt plena dispositio de Ecclesiis, personatibus, dignitatibus, aliisque Beneficiis Ecclesiasticis, ad Romanum Pontificem pertineat, ita ut non solùm ea, cùm vacant, de jure conferre: sed etiam in vacaturis (quod alius non potest, nec quidem Legatus de Latere *Gl. hìc V. vacaturis*; & patet ex suprà dictis) jus expectativæ tribuere possit: collationem tamen Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, & Beneficiorum apud Sedem Apostolicam vacantium, ex antiqua consuetudine, Romanus Pontifex specialiùs sibi reservavit. Hanc itaque laudabilem consuetudinem approbans Clemens, & volens ipsam inviolabiliter observari, decrevit, ne Ecclesias, dignitates, personatus & Beneficia, quæ in Curia seu apud Sedem Apostolicam deinceps vacaverint, præter Romanum Pontificem, aliquis quâcunque auctoritate seu potestate conferendi præditus, sive ex jure ordinario eligendi providendi, aut conferendi ad eum pertineat: sive ex Litteris Apostolicis super provisione facienda ad ipsum destinatis, iisque seu generalibus, seu etiam specialibus, aut sub quacúnque verborum forma conceptis (præterquam si specialis & expressa facultas de conferendis Beneficiis in Curia Romana vacantibus ab ipso Papa alicui tributa fuerit) conferre alicui, vel aliquibus præsumat. Si secus à quopiam actum, vel attentati fuerit, id irritum & inane erit.

Hinc colligitur primò. Id quod anteà dispositum fuit, vi antiquæ consuetudinis, potest posteà statui etiam Jure communi, ita ut ex consuetudine fiat jus commune, sive ea approbetur per Jus commune, quamvis Papa, etiam seclusâ consuetudine, idem statuere potuisset, & vacantia Beneficia sibi reservare, *Gl. magna hìc in notat. & V. Statuimus.* Colligitur secundò. Sub concessione conferendi Beneficia, quantumvis generalibus verbis facta, non venit potestas conferendi Beneficia vacantia in Curia, nisi de his fiat specialis & expressa mentio, *Franc. hìc n. 3.* Ubi addit, etiam si Papa, proprio motu, det hujusmodi facultatē.

CCCXXIV. Limitatur autem hæc Constitutio, quòd Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam sint reservata dispositioni S. Pontificis: non habeat locum in Episcopatibus, & Abbatiis, quæ non comprehenduntur sub reservatione vacationis in Curia; quia specia-

specialiter exprimi debent, *Gl. hic V. Dignitatum*, *Jo. Monach. n. 1. & Franc. n. 4. & 5.* nam cùm Constitutio hujus *cap.* sit odiosa, quippe per reservationem derogans ordinariæ potestati Collatorum: non comprehendit Episcopatum & Abbatiam, licèt aliàs in materia favorabili, appellatione dignitatis etiam veniat Episcopatus & Abbatia. Contrarium tamen quoad Abbatias tenet post *Dominic. Garc. cit. c. 1. n. 114.* Verùm quicquid sit de jure antiquo, hodie etiam Episcopatus, & Abbatiæ, seu Monasteria sunt reservata Papæ, quia in reservationibus in *Extravag. Ad regimen* 5 13. *Inter communes h. t.* (quæ per omnes SS. Pontifices innovatur) exprimuntur Episcopatus, Monasteria, Prioratus, ut notat *Garc. c. l.*

Limitatur secundò. In Beneficiis vacantibus in Curia, quæ ad jus Patronatûs Laicorum pertinent, ea enim non comprehenduntur sub reservatione facta in *hoc cap.* ut ex communi docet *Gl. hic V. Collatio, Covarr. pract. qq. c. 36. n. 2. Azor cit. c. 36. q. 7. Garc. cit. c. 1. n. 571.* & alii apud eosdem. Ratio est, quia de præsentatione in *cit. c. 2.* nihil dicitur, neque Papa censetur juri Laicorum ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiarum acquisito, derogare, nisi id specialiter exprimat, ne scilicet Laici à fundandis, & dotandis Ecclesiis retrahantur. Imò etsi in Litteris reservationis addatur, *etiam Beneficia, quæ sunt juris Patronatûs Laicorum*, non comprehenditur jus Patronatûs Regum, Principum, vel Marchionum, nisi exprimantur, *Covarr. c. l.* Comprehenduntur tamen, & reservantur illa Beneficia, in quibus jus Patronatûs competit Laicis, non ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ, sed ex privilegio Apostolico, aut præscriptione fundata in privilegio; quia in his cessat prædicta ratio, cùm hi nihil contulerint in Ecclesias, *Covarr. c. l. n. 6. Garc. c. l. n. 575. & seq.* Sicut etiam comprehenduntur sub reservatione illa Beneficia, quæ sunt juris Patronatûs Ecclesiastici, etiamsi illud ab initio originem habuerit ex patrimonio Laici, & postea in Ecclesiam, vel Collegium Ecclesiasticum sit translatum; quia huic juri facilè derogatur, & præsentatio Patroni Ecclesiastici habet vim electionis, unde Beneficia ad eum pertinentia, si vacaverint in Curia, includuntur in hoc c. 2. ibi: *sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio ad eum pertineat, Gl. hic V. Collatio, Azor cit. c. 36. q. 7. §. Quæres, Covarr. c. l. n. 5. §. Secundò illud. Garc. c. l. n. 552. & seq.* Quòd si verò Beneficia sint juris Patronatûs mixti, ita, ut jus præsentandi simul spectet ad Clericum, & Laicum, non comprehenduntur, si vacant in Curia, sub reservatione Papæ; quia non est æquum, ut quis in re individua, quæ illi communis est cum alio, patiatur præjudicium, ratione societatis, v. g. Laicus ex societate Clerici, *Covarr. c. l. n. 5. §. Tertiò, Azor c. l. Garc. c. l. n. 582.* Porrò probabilius est, quòd in Beneficiis minoribus pertinentibus ad Patronos Laicos, non solùm jus nominandi, seu præsentandi ad ipsos Patronos spectet, sed etiam jus instituendi ad locorum Ordinarios; quia cùm hæc Beneficia sint excepta, & exempta à reservationibus, ideò nec quoad institutionem, nec quoad præsentationem sub iis continentur: quamvis aliud dicendum sit in Episcopatibus, Abbatiis, & cæteris dignitatibus Papæ reservatis, in his enim Patroni Laici retinent jus præsentandi, sed potestas instituendi reservatur Papæ; *Covarr. c. l. n. 5. §. Sed quamvis, Azor c. l. q. 9.*

CCCXXV. Limitatur tertiò. Reservationes Papales locum habent tantùm in Beneficiis perpetuis, non autem in manualibus, seu ad nutum revocabilibus, sive ea regularia sint, sive sæcularia, *Garc. c. l. n. 510. Laym. l. 4. tr. 2. c. 11. n. 1. §. Porrò.* Hæc enim inodiosis nomine Beneficii non comprehenduntur, *Barb. de Offic. Episc. alleg. 57. n. 29.*

Limitatur quartò. Non reservantur etiam Beneficia Ecclesiæ non numeratæ, sed receptivæ: hoc est, in qua non est certus numerus Beneficiorum ac Præbendarum; quia à Papa reservantur Beneficia vacantia, vel vacatura: at ista Beneficia nunquam censentur vacare, sed cum defuncto Beneficiato expirant & extinguntur, *Garc. c. l. Laym. c. l.*

Limitatur quintò. Nec sub reservatione Papæ comprehenduntur Beneficia resignata ex causa permutationis, quia non censentur propriè vacare, *Laym. c. l.* Imò neque ea, quæ vacant causâ resignationis in manibus Ordinarii, semper comprehendi sub reservatione, censent aliqui apud *Laym. c. l. & Garc. n. 542.*

Limitatur sextò. Reservatio Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam, non habet locum in Beneficiis, quæ vacant in Urbe, & ad eos pertinent, qui in Urbe degunt, sed Curiam non sequuntur, sive Curiales non existunt, *Barb. in cit. c. 2. n. 14. h. t. & cit. alleg. 57. n. 31. & 32.* quia horum Beneficiorum collatio spectat ad Papam, non jure reservationis, sed jure proprio, tanquam ad proprium Episcopum Urbis, & Ordinarium Collatorem (exceptis Cardinalium Titulis, in quibus quasi Episcopalem jurisdictionem habent) *Castro Palao disc. 2. de Benef. pun. 16. n. 9. in fine.* Similiter Beneficia devoluta ad Papam, ob negligentiam inferiorum Collatorum, propriè non sunt reservata; quia jure devolutionis providentur: sicut neque Beneficia exempta, sive immediatè Papæ subjecta, quorum collatio non jure reservationis, sed ordinario ipsi competit, *Palao c. l. punc. 15. n. 3.*

Limitatur septimò. *Gl. fin. in c. Cum in Ecclesia 25. h. t. in 6.* Ut non comprehendantur in reservationibus, nec in Litteris Apostolicis, quæ Exspectativæ dicuntur, Beneficia, quæ ex consuetudine Magistris Theologis, aut Doctoribus Juris Canonici sunt conferenda, vel etiam secundùm alios, Beneficia patrimonialia vacantia apud Sedem Apostolicam. Verùm *Covarr. c. l. n. 4. §. Similiter* ait, rem esse dubiam, eò quòd in *cit. c. 2. h. t. in 6.* generatim reserventur Papæ quæcúnque Beneficia, quæ apud Sedem Apostolicam vacaverint, ac proinde monet, id observandum, quod fuerit usu receptum, & Christianæ Reipublicæ ac Divino obsequio utilius.

CCCXXVI. Assertio 2. Si Papa Beneficia vacantia non conferat intra mensem, à die vacationis numerandum, ii, ad quos collatio pertinebat, poterunt illa conferre, prout Constitutionem Clementis IV. de dignitatibus & Beneficiis in Curia Romana vacantibus, non per alium, quàm Romanum Pontificem conferendis (quæ refertur in *c. 2. h. t. in 6.*) temperavit, & moderatus est Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunensi (relato in *c. Statutum 3. h. t. in 6.*) Ut scilicet non obstante prædicto statuto Clementis, (in quo reservantur dignitates & Beneficia in Curia vacantia) ij, ad quos eorundem Beneficiorum & dignitatum collatio spectat

» spectat, per seipsos tantùm, vel si in remoto loco
» versentur, per Vicarios suos Generales in eorum
» Diœcesibus existentes, quibus id specialiter commis-
» sum sit, post elapsum mensem à die, quo Beneficia
» ipsa & dignitates vacaverint, numerandum, ea con-
» ferre valeant, si Papa intra illum non contulerit.

CCCXXVII. Pro declaratione notandum primò. Idem est Beneficium vacare in Curia Romana, & vacare apud Sedem Apostolicam, ut tradit *Gl. hìc V. In Curia*; & apertè colligitur ex *hoc c.* & præcedente c. 2. In quo cùm Clemens Papa statuisset, ut Ecclesias & Beneficia, quæ apud Sedem Apostolicam deinceps vacaverint, nullus præter Romanum Pontificem, conferre præsumat: mox inserit exceptionem, *nisi sit ei super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa auctoritas ab ipso Summo Pontifice attributa*: ubi quam priùs vocavit, vacationem apud Sedem Apostolicam, postea vocat vacationem in Curia Romana: ergo utramque vacationem utrobique sumit pro eodem, exceptio enim debet fieri de re diversa ab illa, quæ in generali lege continetur, ut tradunt communiter DD. & in sequente c. *Statutum*; 3. vocatur à Gregorio Papa vacatio in Curia Romana, quæ *in priore c.* 2. appellata fuit vacatio apud Sedem Apostolicam. Verùntamen *Covarr. cit. c.* 36. *n.* 4. § *Cæterùm*, putat, quòd multa Beneficia vacant in Curia tanquam reservata, quæ tamen non dicuntur vacare apud Sedem Apostolicam, v. g. Beneficia familiarium, & Officialium Papæ dicuntur vacare in Curia, quocùnque loco decesserint. Sed hoc adversatur *Extravag. Ex debito*; 4. *de elect. Inter communes*, ubi Beneficia Officialium, & Commensalium Papæ, sive Romæ, sive alibi decesserint, indistinctè dicuntur vacare, & apud Sedem Apostolicam, & in Curia.

CCCXXVIII. Notandum secundò. Tempus hoc mensis seu XXX. dierum, intra quod, si Papa Beneficium in Curia vacans non conferat, Ordinarius postea illud conferre potest, numerandum est à tempore vacationis, & non à tempore scientiæ, seu notitiæ, adeòque etiamsi Papa nesciverit vacare Beneficium, Constitutioni huic locus est, ità, ut post mensem ab Ordinario conferri possit; quia tempus hoc, non in odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre Beneficium vacans (tunc enim nonnisi à tempore scientiæ vacaret, sicut tempus sex mensium ad conferendum Beneficia præfixum, *c.* 2. *de concess. Præb.* principaliter est statutum in odium negligentis conferre, ideòque currit à die scientiæ, non autem currit ignoranti, *c. Quia diversitatem*; 5. *eod. Franc. in cit. c. Statutum*; *h. t. n.* 3.) sed hoc tempus unius mensis fuit in favorem Ecclesiarum præfixum: ne Beneficia, cum detrimento illarum, diu vacare contingeret, ut notat *Gl. in cit. c. Statutum*; 3. *V. Numerandum*; *h. t. in 6.* Ubi aliam rationem affert; quia per moderationem istius mensis reditur ad Jus commune, secundùm quod collatio Beneficii vacantis ad Episcopum, velut Ordinarium, pertinet: ideòque tanquam dispositio favorabilis est extendenda, ut currat etiam contra ignorantem, res enim de facili ad suam naturam primævam redit, ubi eadem *Gl. addit not.* 3. quòd dies vacationis, à quo incipit numerari iste mensis, non computatur in mense.

CCCXXIX. Præterea moderatio ista, sive restrictio ad tempus mensis, de qua loquitur *cit. c. Statutum*; 3. *h. t. in 6.* habet tantùm locum in Beneficiis Papæ reservatis, propter vacationem in Curia, hæc enim si intra mensem non conferantur à Papa, potest illa conferre Collator Ordinarius: non autem habet locum in Beneficiis reservatis Papæ, alio modo, sive ex alia causa: ad hæc enim conferenda Ordinarius nullo tempore se potest intromittere, cùm ipsi Papæ nullum tempus sit definitum ad conferendum, sicut aliis Collatoribus, nisi prout in jure est expressum, ut in *cit. c. Statutum*; *& in c. Si Apostolica*; 35. *h. t. in 6.* de quo posteà, *Franc. in cit. c. Statutum*; *n.* 6. *Garc. c. l. n.* 97. Quare in aliis Beneficiis Papæ reservatis habet locum hæc regula: quæcùnque Beneficia Papali reservatione, aut quâcunque dispositione, seu manûs appositione semel affecta sunt, de iis postea disponere Ordinarius omninò prohibetur, ita ut dispositio, vel collatio illorum ab alio facta, quàm à Romano Pontifice, non valeat *juxta Extravag. Romani*; 14. *& ult. h. t. Inter communes*, *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 11. *n.* 1. §. *Verùntamen.* Porrò per restrictionem hanc ad mensem non omninò excluditur Papa, ut amplius conferre non possit Beneficia vacantia in Curia, post mensem elapsum: sed solùm hoc operatur, ut post mensem manus Ordinarii Collatoris ulteriùs non sint ligatæ ad conferendum, nihilominùs tamen potest etiam Papa Beneficia vacantia in Curia, quæ intra mensem non contulit, postea conferre, & moram purgare, si tamen res adhuc sit integra, & præventus non sit, ita ut Ordinarius ea post mensem nondum contulerit, *Barbos. in Collectan. in cit. c. Statutum*; *n.* 7. *h. t. in 6.*

CCCXXX. Notandum tertiò. Constitutio *cit. c. Statutum*; 3. etiam locum habet in Beneficiis electivis, sive quæ obtinentur per electionem, nam cùm *hoc cap.* moderetur & restringat *cap.* 2. immediatè præcedens, quod habet locum in electivis, ut patet ex illis verbis, *electio, provisio, seu collatio*, ideò etiam *cap.* subsequens prius modificans debet habere locum in omni casu, quo præcedens, adeòque etiam in Beneficiis electivis vacantibus in Curia, *Gl. magna in cit. c. Statutum*; *not.* 2. *Franc. ibid. n.* 1. *not.* 1. Ubi addit, aliud esse in impetrationibus Litterarum Beneficialium, in quibus velut odiosis, sub nomine collationis non comprehenditur electio, *juxta c. Cùm in illis*; 16. §. *Illis verò*; *h. t. in 6.*

CCCXXXI. Notandum quartò. Ne Episcopi, aliique Ordinarii Collatores, per Procuratores, quos fortè habent in Curia Romana, cum mandato, ut statim post mensem elapsum, Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam conferant, & sic Papam præveniant (cum & ipse etiam post mensem elapsum, ea conferre possit, si velit, dummodò ab Ordinariis Collatoribus præventus non sit, ut antè dictum) sicut olim facere solebant, ante Constitutionem Clementis IV. in *cit. c.* 2. *h. t in 6.* Ideò in *cit. c. Statutum*; *eod. in 6.* decernitur, ut Collatores Ordinarii Beneficia vacantia in Curia, post mensem elapsum, nonnisi per seipsos conferre possint: vel si ipsi remotè absint, per Vicarios suos Generales, intra Diœcesin eorum existentes, & speciale ad id mandatum habentes, *Gl. hìc V. per seipsos*, ubi etiam addit, quòd Episcopi, si præsentes sint, per alios conferre non possint. Porrò Beneficia vacantia apud Curiam, quorum collatio, elapso mense, si intra illum non fuerint collata à Papa, devolvitur ad Ordinarium, debent conferri ab eodem, intra legitimum tempus, videlicet semestre, quod est præfinitum in aliis quoque Beneficiis conferendis, *juxta c.* 2. *& c. Quia*; 5. *de*

5. de conceſſ. Præb. Alioquin collatio iterum devolvitur ad Papam, ita ut Ordinarius poſtea conferre non poſſit, *Zerola in praxi Epiſc. p. 2. V. Reſervatio* 5 §. *Præterea pro practica* ; & §. *ult.*

CCCXXXII. Notandum quintò. Etſi plures DD. cenſent, Conſtitutionem *cit. c. Statutum* ; *h. t. in 6.* Ut Epiſcopus, aliúſque Ordinarius Collator conferre poſſit Beneficia vacantia in Curia, v.g. per obitum Beneficiarii, ſi Papa intra menſem conferre neglexerit, revocatam eſſe per *Extravag. Piæ*; 1. *inter communes h. t.* » In qua Bonifacius VIII. Dignitates, Perſonatus, Præ- » bendas, Eccleſias, & alia Eccleſiaſtica Beneficia, quæ » apud Sedem Apoſtolicam, vel hactenus intra unum » menſem à data præſentium computandum vacave- » rant, vel quæ nunc apud eam in futurum vacabunt, » proviſioni ejusdem Sedis reſervat, decernens irri- » tum, ſi ſecus, ſcienter, vel ignoranter, per quemcún- » que, quavis auctoritate fuerit attentatum. Vel ſal- tem revocatam eſſe per *Extravag. Ad regimen* ; 13. *eod. tit.* ibi: *non obſtantibus quibuscúnque Conſtitutionibus à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus editis &c.* ut cenſet *Garc. cit. c.* 1. *n.* 100. & alii apud ipſum. Nihilominùs tamen valde probabile eſt, imò probabilius, dictam Conſtitutionem Gregorii X. per neutram illam Extravag. revocatam eſſe, ſed illam adhuc hodie locum habere, ut tenet *Æneas Falconius apud Barboſ. in cit. c. Statutum* ; 3. *h. t. in 6. n.* 2. *Zerola c. l. V. Reſervatio not.* 7. *& p.* 1. *V. Beneficia* §. *Ad* ; 3. Ratio eſt, quia correctio Juris, præſertim ſi favorabile ſit, aut à Generali Concilio conſtitutum (quorum utrumque reperitur in Conſtitutione *cit. c. Statutum* ;) non debet affirmari, niſi ſufficienter ſit expreſſa, quod in dicta *Extravag. Ad regimen*, non apparet, cùm ſolùm clauſula generalis revocatoria ſit adjecta : & licèt Papa ibi ſibi reſervet Beneficia vacantia in Curia, non tamen negat, neque prohibet, quin poſt menſem conferri poſſint ab Ordinario, ſi Papa illa non contulerit, ac proinde ſecundùm moderationem & declarationem in *cit. c. Statutum*; factam, dicta Conſtitutio *ad regimen* intelligenda eſt, ut notat *Vivian. in ration. ibid.* Sed neq; revocata fuit illa Conſtitutio per dictam *Extravag. Piæ*, cujus Auctor fuit ipſemet Bonifacius VIII. qui Conſtitutionem Anteceſſoris ſui Gregorii X. poſitam in *cit. c. Statutum* ; *h. t. in 6.* nunquam inſeri voluiſſet Sexto Libro Decretalium juſſu ſuo compilato, ſi illam per dictam *Extravag. Piæ*, ante Sextum Decretalium à ſe editum, revocare voluiſſet ; quia jura abrogata non ſolent inſeri in Corpus Juris Canonici, prout ipſemet Bonifacius VIII. in proœmio ejusdem Sexti aſſerit: *Decretales, quæ vel temporales, vel ſibi ipſis, vel aliis contrariæ videbantur, revocatas fuiſſe.*

CCCXXXIII. Aſſertio 3. Prædicta Conſtitutio » Clementis IV. (in *c. 2. h. t. in 6.*) de Beneficiis apud » Sedem Apoſtolicam vacantibus non conferendis » per alium, quàm per Romanum Pontificem, exten- » ditur & declaratur à Bonifacio VIII. in *c. Præſenti* ; » 34. *h. t. in 6.* Non ſolùm habere locum, ſi in ipſo lo- » co, ubi eſt Papa, ejúsque Curia : ſed etiam ſi in locis » Curiæ vicinis decedunt Legati, aut Nuncii Sedis A- » poſtolicæ, vel quivis alii (ſive Curiales, ſive non, *Gl.* » *hic V. Alii* ;) ad Romanam Curiam venientes, vel ab » ea recedentes, perinde ac ſi in loco, ubi eadem Cu- » ria reſidet, morerentur : ſunt enim Beneficia, quæ » obtinent, & propriè in Curia vacare dicuntur, videlicet per obitum Beneficiariorum, Papæ reſervata, etiamſi non in ipſa Curia, ſed in locis vicinis Curiæ moriantur. Ratio eſt, quia vicinia videtur quodammodò pertinere ad, Curiam vel Civitatem. Unde præſens cenſetur, qui eſt in hortis, *l. Præſens* ; 5. *ff. De procurat. l. ult. C. De præſcript. long. temp. Gl. hîc V. Vicinis.* & ex loci vicinitate contrahitur quædam communio, etiam quoad præmium, pœnam, & mores, *arg. c. Sed continuò*; 46. *diſ.* 1. *de pœnit. Gl. margin. hîc in princ. & Anchar. not.* 3.

Extenditur ſecundò, Dicta Conſtitutio Cle- » mentis IV. ad Curiales, qui etiam Eccleſiâ Romanâ » vacante, peregrinationis, infirmitatis, recreationis, » vel ex alia quavis cauſa, ad locum Curiæ vicinum » ſecedentes, ibi decedunt, dummodò ibidem (etſi » ad Curiam erant reverſuri, adeóque animo citò red- » eundi receſſerint) domicilium, vel domum pro- » priam non habeant, *cit. c. Præſenti* ; § *Idem eſt.* Loca » autem vicina Curiæ hîc cenſentur, quæ ultra duas » dietas legales, ſeu duorum dierum iter à loco, ubi » Curia moratur, non diſtant, quæ ſpecialiter hoc ca- » ſu ſic computari debent, *cit. c. Præſenti* ; §. *Loca verò.* » Si quis autem in loco, ubi degit Curia, domum ori- » ginis habeat (vel etiam continuum domicilium ha- » bitationis, licèt inde ſit oriundus, imò etiam domum » non propriam, ſed conductam, cùm eadem ſit ratio, » *Gl. hîc V. Originis.*) ibique moriatur, Beneficia ipſius in dicto ſtatuto Clementis IV. non includuntur, (adeó- » que neque Papæ reſervantur) niſi antea Curialis fue- » rit, & ibidem occaſione Curiæ moratus ſit, *cit. c. Præ-* » *ſenti* ; §. *Sanè.* Ratio eſt, quia aliàs grave præjudicium inferretur Clericis, ſi omnia Beneficia tunc ibi vacantia, v. g. Romæ, reſervata eſſent collarioni ſolius Papæ *Gl. hîc V. moreretur.* Quare ſi accidat, Curiam Romanam aliò transferri, v. g. Pariſios, Beneficia Clericorum ibi decedentium, ſi Curiales non ſunt, non cenſentur vacare apud Sedem, ſeu in Curia, adeóque nec reſervata ſunt Papæ, ſed ſolùm Beneficia Curialium, ſi decedant in loco, ubi eſt Curia, *juxta cit.* §. *Sanè.*

Denique prædicta Conſtitutio, & reſervatio » Beneficiorum vacantium in Curia (*juxta cit. c. 2. h. t.* » *in 6.*) extenditur etiam ad illos Curiales, qui, cùm » Curiam de uno loco ad alium transferri contingit, » eam ſequentes, ſed infirmitate fortè impediti, in iti- » nere, dum Curiam ſequuntur, vel in loco, unde Cu- » ria recedit, cùm eam ſequi non poſſint, remanentes, » ibi moriuntur : talium Beneficia, quantumvis locus, » ubi decedunt, ſit remotus, & à Curia longè diſtet, » apud Sedem, ſeu Curiam vacare cenſentur, adeóque » reſervata ſunt Papæ *juxta cit. c. 2. h. t. in 6.* prout habetur in *cit. c. Præſenti* ; §. *Porrò* ; *in fine h. t. in 6.*

CCCXXXIV. Pro declaratione hujus *cap.* Notandum præterea primò. Etſi plures DD. allegati apud *Garciam p. 5. de Benef. c.* 1. §. 7. *n.* 387. *& ſeq.* Curiam Romanam eſſe dicunt, ubi eſt Papa : alii verò ajunt, ibi etiam eſſe Curiam, ubi eſt cauſarum & Litterarum Apoſtolicarum audientia, ſive ubi tractantur, & audiuntur cauſæ, licèt ibi non ſit Papa, uti colligunt ex *Clementina* 2. §. *Sanè* ; *de elect.* Ubi habetur, quòd ſi in certo loco » cauſarum & Litterarum Apoſtolicarum Audientiâ » remanente, Papa alibi moriatur, non ibi, ſed ubi » prædicta fuerit audientia, electio celebranda ſit: » ſtrictè tamen loquendo, ſicut Curia Regis eſt locus, ubi Rex eſt, cum ſuis Conſiliariis, & aliis, qui ejus Lateri aſſiſtunt, ut ei conſulant in Regimine totius Regni, *teſte*

Covarruia, *pract. qq. c. 4. n. 10.* Ita Curia Romana seu Apostolica est ibi, ubi est Papa, cum Cancellaria, & Tribunalibus, seu Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet; ac proinde tunc Curia Apostolica propriè transfertur, non tantùm quando Papa aliò discedit, sed quando unâ cum Papa, aliò transfertur Cancellaria, cum Tribunalibus & Consiliariis suis, tunc enim, juxtà communem modum loquendi, & concipiendi, transferri Curia dicitur, ut tradit *Garcias c. I. n. 391. & seq.* Ubi ait, quòd quando Papa tantùm aliò proficiscitur, non dicitur transferri Curia, sicut quando Clemens VIII. Româ abiit Ferrariam, ad colloquium habendum cum Carolo V. & Francisco Rege Galliarum. Verùntamen quoad effectum reservationis Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam, sive in Curia, de qua in *c. 2. & cit. c. Præsenti; h. t. in 6.* reservata censentur, tam Beneficia vacantia, ubi est Cancellaria, & audientia causarum, & Litterarum Apostolicarum, licèt ibi non sit Papa; quia ibi quoque est Curia, ut ex dictis patet, quàm vacantia in loco, ubi est Papa, quamvis ibi non sit Cancellaria, & dicta audientia, nam revera vacant apud Sedem Apostolicam, quia ubi est Papa, ibi est Sedes Apostolica, secundùm *Gl. in Clement. Execrabilis un. Jo. 22. V. Romanæ Ecclesiæ h. t.* Nam ut declaravit *Paulus III. in sua Constitutione 36.* si contingat Papam aliò proficisci, relictâ Romæ Cancellariâ, & Tribunalibus, ac Officialibus, tum locus, ubi est Papa, unam eandémque Curiam constituit cum loco, ubi remansit Cancellaria, & utrobique censetur esse Curia: ibi in suo capite, hîc in suo corpore: adeóque Beneficia illorum, qui sive in loco, ubi est Papa: sive ubi remansit Cancellaria, vel in loco intra duas dietas inde distante moriuntur, reservata sunt Papæ per supra dictos canones *n. 3. q. 5. & seq.* nisi constet Constitutionem illam Pauli III. non esse receptam.

Notandum secundò, Curiales ad prædictum effectum reservationis dicuntur illi, qui Papæ aut Cardinalibus, seu Officialibus Romanæ Curiæ inserviunt, aut aliàs occasione Curiæ, propter negotia propria, vel aliena in Urbe commorantur, ut post alios notat *Barb. hîc n. 4. & l. 3. Jur. Eccl. c. 13. n. 24.* Neque verò sufficit, quòd quis aliquando fuerit Curialis, sed requiritur, ut probetur, quòd continuò usque ad mortem talis fuerit, *Barb. in c. Præsenti; n. 4. & cit. c. 13. n. 26.* Ubi etiam *n. 27.* addit, præsumi Curialitatem continuatam usque ad mortem, nisi probetur mutata, etsi adversùs illam præsumptionem admittatur levior probatio, etiá per alias præsumptiones & conjecturas.

CCCXXXV. Notandum tertiò. Tametsi aliàs communiter judicis arbitrio, spectatis negotii circumstantiis, relinquendum sit, quis locus sit vicinus, aut remotus, secundùm *Gl. in c. Felicis 5. §. Præsenti; V. Vicinarum; de pœnis in 6.* in quo etiam consuetudo loci, & Vulgi opinio attendenda est, secundùm quam plerúmque vicini appellantur, qui in una eadémque platea habitant, dummodò non sit valde longa, iique inter se non sint nimis dissiti, ut advertit *Menoch. de arbitr. Judic. casu 222. n. 16.* Verùntamen in proposito, locus vicinus dicitur, qui ultra duas dietas legales non distat, quas hoc casu sic specialiter computari debere, ait Pontifex in *cit. c. Præsenti; §. Loca verò.* Dieta autem legalis continet XX. milliaria Italica, quæ in singulos dies dinumerari Prætor jubet, cùm aliquem in judicium citari oportet *juxta l. 1. ff. Si quis cautionibus &c. Gl. in cit. c. Præsenti; V. Legales*; ac proinde duæ dietæ legales continent 40. milliaria Italica: mille autem passus, quorum quilibet 5. pedes continet, faciunt unum milliare Itali cum, secundùm *Gl. in l. Itinere; 3. V. Millia; & in l. Mille passus 154. ff. de V. S.* Itaque dieta legalis continet circiter 4. vel ut summùm 5. milliaria Germanica: duæ autem dietæ 8. vel 10. quæ peraguntur per biduum. Unde si quis ex suprà dictis in loco distante circiter 8. vel 10. milliaribus Germanicis à Romana Curia decedat, ejus Beneficia censentur vacare in Curia, seu apud Sedem Apostolicam.

Notandum quartò. Sub prædicta reservatione non continentur Beneficia collata quidem, sed non acceptata, nam in *cit. c. Præsenti*; non dicitur Beneficium vacare in Curia, nisi quando moriens illud obtinebat: non dicitur autem quis obtinere Beneficium, nisi ante mortem sibi collatum acceptârit, adeóque nec vacare dicetur in Curia per mortem, nisi ante illam fuerit acceptatum, ut notat *Franc. ibid. n. 1. not. 2.*

CCCXXXVI. Assertio 4. Hoc speciale est in Beneficiis parochialibus, seu Curatis, quòd vacante Sede Apostolicâ, si in Curia vacaverint per obitum Beneficiarii, seu Curati, cesset eorum reservatio, & libera deiis dispositio ad Ordinarios proprios Collatores spectat, prout statuit Bonifacius VIII. in *c. Si Apostolicâ; 35. h. t. in 6.* ubi ita rescribit: Si Apostolicâ Sede vacante, aliquas Ecclesias parochiales vacare contigerit apud ipsam (quia v. g. aliquis Parochus decessit in Curia Romana, vel in locis vicinis Curiæ, *Gl. hîc in casu*) inferiores Collatores, v. g. Episcopus, vel Capitulum, liberè, (etiam ante elapsum mensem à die vacationis, qui aliàs expectandus est, vivente Papâ, *juxta c. Statutum; 3. h. t. in 6. Vivian. in ration. hîc*) de iis disponere, ac providere possunt, non obstante Constitutione Clementis IV. (in *c. Licèt; 2. h. t. in 6.*) de Beneficiis apud Sedem ipsam vacantibus per alium, quàm Romanum Pontificem, non conferendis, vel aliâ quâvis contrariâ Constitutione, ne diuturna vacatio Parochiarum periculum afferat animarum. Quin imò etsi Parochiæ aliquæ, sive ejusmodi Beneficia curata, vivente adhuc Pontifice, in Curia vacaverint: si tamen ante obitum suum, nihil de eis disposuit, poterit Ordinarius Collator inferior statim illa conferre, etiamsi mensis nondum sit elapsus, intra quem Papa decessit: nam post mensem elapsum, etiam vivente adhuc Papâ, posset Ordinarius conferre Beneficium vacans in Curia, *Gl. in casu hîc, & Gl. fin. junct. addit.*

CCCXXXVII. Notandum primò. Dispositio hujus c. solùm habet locũ in Parochiis, & aliis Beneficiis curatis, in Curia Romana vacantibus, in aliis verò Beneficiis, quæ curata non sunt, servatur adhuc Jus commune antiquum, *juxta Gl. hîc in notatis & V. Parochiales*; cùm in his cesset ratio huius specialis dispositionis, quæ est periculum & favor animarum. Quare respectu Beneficiorum, quæ curata non sunt, non currit mensis, vacante Sede Apostolicâ; ideóque Pontifex Successor poterit Beneficium non curatum, quod vacavit in Curia, Sede vacante, post electionem suam adhuc intra mensem integrum illud conferre, ita ut Ordinarius Collator inferior interim de illo disponere non possit, ut tradit *Anchar. in hoc c. not. 4. & Gl. in c. Statutum; 3. h. t. in 6. V. Numerandum*; Ubi ait; licèt tempus istud unius mensis currat ignoranti Papæ, non autem Sedi vacanti, ut probatur ex *hoc c. Si Apostolicâ*; in quo cùm expri-

exprimatur casus specialis, quòd nimirum Parochiæ vacantes in Curia, Sede Apostolicâ vacante, etiam ante elapsum mensem conferri possint ab Ordinario, ergo ipsius contrarium est regulare, quòd nempe in aliis Beneficiis non parochialibus, vacantibus apud Curiam, Sede Apostolicâ vacante, non currat mensis ille, ita ut Ordinarius Collator, dum Sedes vacat, ea conferre non possit, etiam per mensem à vacatione, sicut aliàs potest, Sede non vacante.

Notandum secundò. *Etsi Archidiaconus & Franc. hic n.* 2. tenent, quòd dispositio hujus *cap.* habeat tantùm locum in Ecclesiis parochialibus, non autem in aliis Beneficiis curatis, non parochialibus, neq; in parochialibus Collegiatis: eò quòd Constitutio correctoria juris antiqui non debeat extendi ultra casus in ea expressos; in hac autem Decretali tantùm expressa mentio fit de parochialibus: Contrarium tamen probabiliùs tenet *Gl. hic in casu & V. Parochiales in addit.* quia est eadem ratio in aliis quoque Ecclesiis curatis, videlicet periculum animarum, si diu vacent. Verùntamen hæc Constitutio non debet extendi ad Ecclesias parochiales habitu tantùm, & non actu; cùm cesset tunc ratio in illa expressa, nam talis Parochia nullam plebem habet seu curam animarum actu. Neque etiam extendi debet ad Beneficia devoluta ad Sedem Apostolicam, ob negligentiam inferiorum Collatorum, quia illud statutum est ob culpam ipsorum in Concilio Lateranensi relato in *c.* 2. *de conceff Præb.* quod per hanc Constitutionem non est correctum, in qua nulla reperitur culpa ipsorum Collatorum, *Franc. hic n* 2. Neq; etiam extenditur ad Ecclesias parochiales vacantes extra Curiam, vel reservatas aliâ ratione, *Franc. in cit. c. Statutum*; 3. *n.* 6 *h. t. in* 6. *Garc. p.* 5. *c.* 1. *n.* 103. Quamvis contrarium probabiliter teneat *Zerola V. Beneficia*; §. *Ad*, 3. *dicto* 10. quoad vacantes extra Curiam, in mense Papali, & quocúnq; alio modo sint reservatæ; quia est eadem, imò major ratio, reservatio enim ob vacationem in Curia est omnium potissima, quippe quæ est perpetua, & in Corpore Juris contenta: si ergo in favorem Ecclesiarum parochialium tollitur hæc reservatio, Sede Apostolicâ vacante, multò magis quævis alia reservatio tolli debet, *Castro Palao dis.* 2. *de Benefic. pun.* 16. *n.* 9.

CCCXXXVIII. Cæterùm huic speciali dispositioni de Ecclesiis parochialibus in *cit. c. Si Apostolicâ*; non est derogatum per *Extravag.* 1. *h. t. inter communes*, ubi reservantur dignitates & Beneficia, sive cum cura, sive sine cura, vacantia apud Sedem Apostolicam: nam licèt illa sit edita quoque à Bonifacio VIII. tamen Constitutio hæc in *c. Si Apostolicâ* est illâ Extravag. posterior, & sic quoad Ecclesias parochiales est correcta per hoc *c. Gl. in cit. Extravag. V. Piæ*; *Garc. c. l. n.* 102. Neque etiam prædictæ Constitutioni *c. Si Apostolicâ*; est derogatum *per Extravag. Etsi*; 3. *h. t.* quæ est Clementis V. adeóque illâ posterior, ubi etiam generatim reservantur Ecclesiæ, & Beneficia cum cura, vel sine cura, vacantia apud Sedem Apostolicam; nam illa Constitutio erat solùm temporalis, ideóque cum suo Conditore exspiravit, *Franc. hic n.* 2. *in fine Garc. c. l. n.* 106. Ut patet ex ipso textu, ibi: *quæ apud Sedem Apostolicam ad præsens &c.* Sed neque per *Extravag. Ad regimen*; 13. *h. t.* est derogatum Constitutioni hujus *c. Si Apostolicâ*; quoad Ecclesias parochiales, vivente Papâ, vacantes in Curia, de quibus ante ipsius obitum, non fuit ordinatum; nam in illa Papa illas reservat solùm suæ dispositioni, non autem Sedis Apostolicæ, & sic non repugnat Constitutioni hujus *cap.* quæ mortuo Papâ, solùm permittit provisionem Ordinariis, *Garc. c. l. n.* 108. Nec denique derogatum est *cit. c. Si Apostolica*; *per Extravag. ult. eod. Tit.* quæ est posterior Constitutione dicti *c.* ubi dicitur, quòd omnia Beneficia, etiam curata, semel affecta per reservationem, vel manûs appositionem Papæ, semper manent affecta, ita ut nullus alius, præter Romanum Pontificem, de illis pro ea vice disponere possit. Nam hæ, & aliæ similes Extravagantes generaliter & indistinctè loquentes, debent restringi, & determinari per *cit. c. Si Apostolicâ*; *h. t. in* 6. quoad Ecclesias parochiales in Curia vacantes, mortuo Pontifice, vel etiam eo adhuc vivente, sed de quibus, ante obitum, nihil ordinavit: quippe quod & specialem casum vacationis, & specialem rationem decidendi continet, videlicet propter periculum animarum, *Garc. c. l. n.* 3. & ratio est; quia lex, licèt posterior generaliter & indistinctè loquens, restringenda, & limitanda est per specialem legem priorem, & juxta illam intelligenda, nisi expressis verbis illi contradicat, *juxta l. Novum*; 26. *& l. Sed & posteriores*; 28. *ff. de legib. Sanch. l.* 2. *de Matr. dis.* 24. *n.* 6. Ubi addit, id verum esse, etsi in lege nova sive posteriore addita sit clausula, *non obstante &c.* debet enim intelligi de lege priore contraria, quæ non possit cum posteriore subsistere per aliquam limitationem, vel distinctionem. Verùm hæc magis intelligentur ex dicendis in §. *seq.*

§. III.

De Beneficiis reservatis Papæ per Extravagantes.

De Beneficiis reservatis Papæ in *Extravag. Execrabilis unic.* Joannis XXII. dictum est supra, quæ etiam ponitur quarta inter *Extravag. Communes*; nunc ergo.

CCCXXXIX. Quæritur primò. Quænam Beneficia reserventur Papæ in Extravagantibus communibus? Resp. In primis in *Extravag. Piæ*; 1. *h. t.* Bonifacius VIII. dignitates, personatus, Ecclesias, aliáque Beneficia Ecclesiastica, quæ apud Sedem Apostolicam intra unum mensem à data præsentium Litterarum numerandum, hactenus vacârunt, & quæ ex tunc apud eam in futurum vacabunt, reservat provisioni Sedis Apostolicæ: decernens irritum, si secus per quemcúnque, quâcúnq; auctoritate, fuerit scienter, vel ignoranter attentatum: quæ tamen reservatio intelligi debet, juxta determinationem *c. Statutum*; 3. *& c. Præsenti.* 34. *h. t. in* 6. *Vivian. in Ration. hic.*

CCCXL. Secundò, in *Extravag. Etsi*; 3. *h. t.* Papa Clemens V. sibi specialiter reservat Ecclesiam Burdegalensem, ex qua ad Pontificatum fuit assumptus, & Monasterium S. Crucis ibidem vacans. Deinde generaliter omnia Beneficia, majora & minora, cum cura, & sine cura, apud Sedem Apostolicam vacantia, & vacatura, toto tempore Pontificatûs sui, dispositioni suæ, & Sedis Apostolicæ, hac vice, eâdem auctoritate, reservat, decernens irritum, quicquid in contrarium fuerit attentatum, non obstantibus quibuscúnque Constitutionibus Pontificiis contrariis. Ex quo patet, quòd Constitutio hæc fuerit tantùm temporalis, ad dies vitæ hujus Pontificis, ideóque jam expiravit.

CCCXLI. Tertio, in *Extravag. Execrabilis*; 4. *h. t.* quæ est eadem cum *Extravag. Execrabilis un.* Joan. XXII, nisi quòd diversos Glossatores habeant, reservan-

tur Sedi Apostolicæ omnia & singula Beneficia, quæ vacant per assecutionem alterius, cum primo, seu priùs obtento incompatibilis, ubi dictus Papa Joannes XXII. in §. *Qui verò deinceps* & §. *Quæ omnia ita statuit*: Qui » deinceps receperint dignitatem, vel Personatum, vel » Officium, aut aliud Beneficium curam animarum » habens annexum, si anteà simile Beneficium obti- » nebant, non solùm illo ipso jure privati sint, post ob- » tentam possessionem secundi, vel si per eos stetit, » quòminùs illud possideant, sed etiam tunc statim » primum dimittere debeant coram Ordinario: alio- » quin etiam secundo ipso jure sint privati, & necdum » ad Sacros Ordines suscipiendos: quin etiam ad » quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum obtinen- » dum inhabiles. Quæ omnia & singula Beneficia va- » catura, vel dimissa, idem Papa suæ & Sedis Apostoli- » cæ dispositioni reservat, ita ut nemo, præter Roma- » num Pontificem, quâcunque auctoritate sit muni- » tus, de hujusmodi Beneficiis disponere, vel circa » illa per viam permutationis, vel aliâ ratione quip- » piam innovare quoquo modo præsumat, alioquin irri- » tum erit, si quid secus actum fuerit, vel attentatum.

» Additur in eadem *Extravag.* §. *Cæterùm*; per Or- » dinarios in his casibus intelligi Episcopos, in quo- » rum Diœcesibus Beneficia hujusmodi vel eorum a- » liqua existunt, quæ debent secundùm præmissa di- » mitti, aut ipsi, qui ea debent dimittere, commoran- » tur: vel Ecclesiis Cathedralibus vacantibus, Capi- » tula earundem. Et hi quàm primùm poterunt de Be- » neficiis tam dimissis, juxta hanc Constitutionem, » quàm perditis (quia non dimiserunt, ideóque iis pri- » vati sunt) Sedem Apostolicam certificare debent, » ut de illis disponere possit. Beneficia autem Eccle- » siastica quomodocúnque nuncupata, illa hoc loco » animarum curam habere censentur, quæ Parochias » habent, in quibus animarum cura, non per Vicarios » perpetuos, sed per Rectores aut Ministros ipsorum » Beneficiorum, vel illorum temporales Vicarios exer- » cetur: item quorum Ministris, ratione Beneficiorum » hujusmodi, competit visitare, inquirere, procura- » tiones recipere, censuras infligere, & ab his absolve- » re, sive de jure, sive de consuetudine, remanentibus » aliis juribus, quoad cætera, in suo robore, quæ de » cura animarum loquuntur, ut habetur in *cit. Extra- vag.* §. *Quantum autem ult. h.t.* Videri potest pro explicatione hujus *Extravag. Utráque Glossa.* Porrò de aliis, quæ in illa continentur, dictum est suprà.

CCCXLII. Quartò, in *Extravag. Postulásti*; 10. *h.t.* agitur de reservatione fructuum primi anni ex decimis collectorum, quos Pontifex Joannes XXII. sibi ad cer- » tum tempus, nempe triennium, pro Ecclesiæ Roma- » næ necessitatibus reservavit; & declaratur, quòd » Collector decimarum possit cum obtinentibus Be- » neficia convenire, sive compositionem facere, & » quòd Altaria leviter ditata non comprehendantur » sub hujusmodi reservatione, *Vivian. in Ration. hîc.*

Quintò, in *Extravag. Cùm nonnullæ*; 11. *h.t.* Respon- det idem Papa ad plures quæstiones & ambiguitates ortas circa reservationem, & solutionem fructuum decimalium, qui sunt reservati Papæ in priore *cap.*

Sexto, in *Extravag. Cùm nonnullæ*; 11. *h.t.* declaratur, quòd si obtinenti dignitatem, vel aliud Beneficium Ecclesiasticum curatum, aliud Beneficium conferatur, & ambo Beneficia successivè vacant, fructus eorum primo anno, quo vacant, qui pro Ecclesiæ Romanæ necessitatibus subleyandis sunt deputati, ac reservati, Cameræ Apostolicæ debeant conferri, & ab ea possint exigi, ac percipi.

CCCXLIII. Septimò, in *Extravag Ad regimen*; 13. *h.t. Inter communes*, Papa Benedictus XII. reservat » provisioni Sedis Apostolicæ, in primis omnes Patri- » archales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias: » item Monasteria, Prioratus, dignitates & officia, nec- » non Canonicatus, Præbendas, Ecclesias, cæteráque » Beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, secu- » laria & regularia, quæcúnq; & qualiacúnq; fuerint, » etiam consueta conferri per electionem, vel quem- » vis alium modum nunc apud Sedem Apostolicam » quocúnq; modo vacantia, & imposterum vacatura. » Secundò, reservat itidem vacantia, & vacatura per » depositionem, vel privationem, vel translationem, » aut muneris consecrationis suspensionem à Prædе- » cessore suo Joanne factas, & à se in posterum facien- » das ubilibet: nec non si tempore dicti Joannis, ali- » qui in concordia, vel discordia electi, vel postulati » fuerint, eorúmque electio vel postulatio cassata, sive » repulsa, vel renunciatio per ipsos facta, & per eun- » dem Papam admissa fuerit, aut si hæc in posterum » per ipsum cassari, repelli, aut admitti apud Sedem » Apostolicam prædictam, vel alibi ubicúnque contі- » gerit. Tertiò, similiter reservantur Beneficia per obi- » tum Cardinalium ac Officialium dictæ Sedis, vide- » licet Cameratii, Vicecancellarii, Notariorum &c. » nec non Commensalium, & aliorum quorumlibet » Capellanorum Sedis ejusdem: quorumcúnque iti- » dem Legatorum, sive Nunciorum, ac in terris Ro- » manæ Ecclesiæ Rectorum & Thesauriariorum per » dictum Joannem, vel per se deputatorum, seu ha- » ctenus missorum, vel deputandorum, aut mittendo- » rum, in posterum vacantia, aut vacatura, ubicúnque » eos, antequàm ad Curiam redierint, aut venerint, » mori contigerit. Quartò, reservantur Beneficia quo- » rumcúnque, pro quibuscúnq; negotiis ad Romanam » Curiam venientium, vel inde redeuntium, nec non » Curialium, quacúnque ex causa ad quævis loca sece- » dentium, si ante reditum ad Curiam, intra duas die- » tas legales ab ea distantia, decesserint: dummodò » Curiales ibi non habeant proprium domicilium. » Quintò, rursum Monasteria, Prioratus, Decanatus, » Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, » Canonicatus, Præbendæ, & Ecclesiæ, cæteráque Be- » neficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, cum cura, » vel sine cura, etiam si ad illa Personæ consueverint, & » debuerint per electionem, aut quemvis alium mo- » dum assumi, quæ promoti per Joannem Prædeces- » rem ad Patriarchalium, Archiepiscopalium, Episco- » palium, nec non Monasteriorum regimina, tempo- » re promotionis suæ obtinebant, aut per ipsum Bene- » dictum promovendi, tempore similis promotionis » obtinebant, reservantur. Sextò, denique quæcúnq; » Beneficia per assecutionem pacificam quorumcún- » que Prioratuum, Dignitatum, Personatuum, Officio- » rum, Canonicatuum, & Præbendarum, Ecclesia- » rum, & aliorum Beneficiorum, auctoritate ejusdem » Joannis, vel suâ collatorum aut conferendorum, » nunc vacantia, & in posterum vacatura, reservantur » dispositioni Papæ Benedicti, donec Deus universa- » lis Ecclesiæ regimini præesse concesserit, & decerni- » tur irritum & inane, quicquid secus scienter vel igno- » ranter attentatum fuerit, non obstantibus quibus- »

cúnque

» cúnq; Constitutionibus Prædecessorum. Datum Ave-
» nione 3. Idus Januarii anno M. CCCXXXV. Hæc Constitutio intelligetur ex iis, quæ infrà dicentur in §. 5. quippe quæ est inserta Concordatis Germaniæ.

CCCXLIV. Denique in *Extravag. Ad Romani*; 14. *& ult. h. t. Inter communes*, Papa Paulus II. declarat, Constitutiones Antecessorum suorum Pontificum, qui reservationes Beneficiorum ab eis factas tantùm tem-
» re Pontificatûs sui durare voluerunt, per mortem il-
» lorum non esse revocatas. Quare decernit, omnia &
» singula Beneficia sæcularia, & cujusvis Ordinis regu-
» laria, etiamsi Præposituræ, Dignitates, Personatus,
» Canonicatus, Administrationes, vel Officia, aut Be-
» neficia electiva, vel Curata fuerint, per Romanos
» Pontifices hactenus reservata, vel in posterum reser-
» vanda, ac etiam quovis modo vacantia, vel vacatura,
» per ejusmodi reservationem remansisse, & remane-
» re semper affecta, nullúmq; de illis præter Romanum
» Pontificem, illâ vice, quovis modo disponere posse,
» & quicquid contra attentatum fuerit, decernit irri-
tum. De hac reservatione etiam mentio facta est suprà.

CCCXLV. Quæritur secundò. Quidnam in aliis Extravagantibus Constitutionibus communibus, quæ continentur in hoc titulo, sit statutum? Resp. In *Extravag. Et supernæ*; 2. *h. t.* Papa Clemens V. omnes & singulas provisiones sub titulo Commendæ, Custodiæ, vel Curæ seu administrationis, sive perpetuò ad vitam, sive ad certum tempus, de Ecclesiis Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, Episcopalibus, & Monasteriis, ad petitionem Regum & Magnatum, factas quibuscúnque etiam Cardinalibus, revocat, cassat, & annullat.

In *Extravag. Salvator*; 5. *h. t. Joannes XXII.* contra impedientes erectionem Episcopatûs Toletani in Ecclesiam Metropolitanam, seu Archiepiscopatum, cui pro Ecclesiis Suffraganeis assignantur ex reditibus Ecclesiæ Toletanæ quatuor villæ in Civitate de novo erectæ, proferuntur censuræ Ecclesiasticæ.

In *Extravag. Nuper*; 6. *h. t.* Papa contra impedientes dictam erectionem Episcopatûs Tholosani, ejúsque divisionem in quinque Diœceses, ultra pœnas ex priore c. *Inflictas*, ut perdant feuda, & quæcúnque Beneficia spiritualia, & temporalia, & si sint personæ Ecclesiasticæ, inhabiles fiunt ad quæcúnque Beneficia Ecclesiastica obtinenda.

In *Extravag. Nuper*; 7. *h. t.* deputantur quatuor Executores, qui contra impedientes prædictas pœnas solemniter publicent.

In *Extravag. Nuper*; 8. habetur, cùm Papa Joannes XXII. Ecclesiam alicujus Abbatiæ in Cathedralem erexisset, & Abbatem illius Episcopum constituisset, dispensavit cum eodem in defectu ætatis, & Ordinum, & licèt primùm in ætatis 27. anno esset, & necdum consecratus, nec Litteras Apostolicas promotionis suæ accepisset, Episcopatum in spiritualibus, & temporalibus administrare posset.

In *Extravag. Ad Cujuslibet*; 9. *h. t.* idem Pontifex hortatur quendam Abbatem scientiâ, & vitæ ac morum honestate multùm commendatum, ut Ecclesiæ Monasterii sui, quam in Cathedralem Ecclesiam Papa erexit, cuique eum Episcopum præfecit, ejusdem curam & administrationem in spiritualibus & temporalibus suscipiat.

§. IV.

De Beneficiis reservatis Papæ per Regulas, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ.

De his agunt, *Azor p. 2. lib. VI. c. 36. q. 10. Garc. p. 5. de Benef. c. 1. §. 3. 4. & pluribus seqq. Cochier. in Comment. in Regul. Cancellar.* ab Innocentio VIII. & aliis Pontificibus editas, & publicari jussas, quarum aliquas hîc adferemus.

CCCXLVI. Per primam Regulam Cancellariæ reservantur Papæ omnia Beneficia reservata in *Extravag. Ad regimen*; *& in Extravag. Execrabilis*; vacantia aut vacatura; Et insuper additur, reservationem etiam locum habere in illis Beneficiis, quæ Officiales Sedis Apostolicæ ibi expressi, tempore, quo Officiales erant, obtinebant: licèt ante obitum Officiales esse desierint, imò etiam in iis Beneficiis, quæ Notarii ejusdem Sedis, etiam dimissis ipsis Officiis, & quandocúnque fuerint assecuti. Denique reservantur etiam omnia Beneficia, tam obtenta, quàm obtinenda, de quibus Ordinarii, aliíque Collatores contra Decreta & formam Concilii Tridentini disposuerunt, vel in posterum disponent, prout videre est apud *Cochier. in reg. 1. Cancellariæ n. 8.* Ut si contulerint Beneficia non habentibus ætatem, vel alias qualitates à Concilio, vel non servatâ formâ ab illo præscriptâ. Porrò per hanc regulam primam renovantur omnes reservationes contentæ in *Extravag. Ad regimen*; quia in eâ reservationes factæ fuerunt solùm ad tempus, quæ morte Papæ Conditoris exspirârant: ideòque quilibet Pontifex illas renovat, itáque fiunt perpetuæ, *Azor c. l. §. Quæres.*

CCCXLVII. Per Regulam secundam, reservantur generaliter omnes Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non omnia Monasteria virorum, ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, qui excessus in Litteris exprimi debet: reservantur autem hujusmodi Ecclesiæ, non solùm si apud Sedem Apostolicam vacaverint, ut in *Extravag. Ad regimen*; sed absolutè & simpliciter, quomodocúnque vacaverint. *Azor c. l. in 2. reg.* Ubi addit, hoc loco reservari solùm Monasteria, quæ vel destituta sunt Monachis, vel commendari solita.

Præterea per eandem regulam reservantur dignitates & Beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcúnque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nec non Abbatum, & aliorum quorumcúnque Collatorum sæcularium & regularium (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem) quomodolibet pertinentia, quæ post obitum illorum aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocúnque vacaverint, usque ad provisionem Successorum, ad easdem Ecclesias, aut Monasteria, vel dignitates, auctoritate Apostolicâ faciendam, & adeptam ab eisdem Successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocúnque vacaverint, vel vacabunt in futurum, *Garc. cit. c. 1. §. 4. in reg. 2. in princ.*

Porrò

Porrò hæc regula non habet locum in Germania, nec quoad priorem partem; quia per Concordata permittitur libera electio, nisi in casibus expressis in *Extravag. Ad regimen*; quæ ipsis Concordatis est inserta. Neque etiam quoad posteriorem partem; quia electi Episcopi, aliique Collatores, providentde Beneficiis, quæ Sede vacante contigerint vacare, & ad suam collationem propriè spectant, ut notat *Cochier in reg. 2. n. 9.*

CCCXLVIII. Per III. Regulam reservantur generaliter omnes dignitates majores, post Pontificales, in Cathedralibus, Metropolitanis, Patriarchalibus, nec non principales in Collegiatis Ecclesiis, valorem X. florenorum auri, communi æstimatione, excedentes. Reservantur etiam Prioratus, Præposituræ, ac aliæ dignitates Conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcúnque, sed non militarium. Item quæcúnque Beneficia, quæ familiares & continui Comensales Papæ, etiam dum adhuc Cardinalis esset, aut alioum Cardinalium nunc viventium, & qui erunt suo tempore, Cardinalium familiares, continui Commensales, & quæ obtinuerunt, vel obtinebunt, familiaritate eorum durante, & in quibus, vel ad quæ jus illis competit, vel competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum eorundem Cardinalium, vel aliàs recesserint, *Garc. cit. c. 1. §. 5. de Regul. 3. in princ. Cochier. in reg. 3.*

CCCXLIX. Circa hanc regulam Notandum primò. Per dignitates majores in Ecclesiis Cathedralibus intelliguntur illæ, quæ ex consuetudine Provinciarum & Ecclesiarum tales habentur. Sic enim in Gallia & Hispania Decanatus est major dignitas, post Episcopalem, teste *Azor c. l. in 3. reg.* in Germania verò Præpositura. Sic etiam licèt Archidiaconi major sit dignitas, quàm Archipresbyteri, secundùm Jus commune: secundùm statuta verò & consuetudinem locorum, major est aliquando dignitas Archipresbyteri in Ecclesiis Collegiatis, qui toti Canonicorum Collegio præest, præcipuam habet dignitatem, qui aliquando vocatur Abbas, alibi Prior, apud nos plerumque Præpositus. Notandum secundò. Si in una Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata duæ sunt dignitates majores, post Pontificalem, vel duæ principales æquales, ambæ sunt reservatæ, vel etiam omnes, si sint plures; cùm verba regulæ aptari possint omnibus, & non sit ratio specialis, ob quam magis unam: quàm alteram reservatio afficiat, *Azor c. l. §. Quæres; 2. Garc. c. l. n. 265. Barb. de potestat. Episc. alleg. 57. n. 101.* Notandum tertiò. Per hanc Regulam reservantur Prioratus, Præposituræ, & aliæ dignitates principales, non sæculares, sed regulares Conventuales perpetuæ, quæ non reguntur per Abbates, & quarum Priores ac Præpositi non eliguntur à Religiosis simul congregatis: non tamen reservantur dignitates hujusmodi temporales, quæ ad nutum Superioris auferri possunt, ut Ordinum Mendicantium, *Azor c. l. §. Quæres; 3. Garc. c. l. n. 101. & seq. Barb. c. l.* Ubi sciendum, esse quosdam Ordines, qui ex instituto proprio non militiæ, sed hospitalitati dant operam, ut in Urbe Ordo S. Spiritûs in Saxia, & de his agitur hoc loco, non de militaribus, qui excipiuntur, *Azor c. l. Barb. c. l. n. 103.*

CCCL. Per Regulam IV. reservantur generaliter, omnia Beneficia Ecclesiastica, quæ quicúnque Collectores vel Subcollectores, in quacúnque Civitate vel Diœcesi, fructuum Cameræ Apostolicæ debitorum, durante hoc eorum Officio, obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus tunc eis competebat, de qua videri possunt plura apud *Garc. cit. c. 1. in reg. 4.*

Per Regulam V. reservantur omnia, & singula Beneficia quorumcúnque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit, in quovis loco quantumcúnque etiam à dicta Curia remoto. Quare hæc regula est ampliatio, seu extensio quædam Constitutionis in *c. Præsentium*; 34. §. *Porrò; h. t. in 6.* quia ubicúnque moriarur Curialis, etiam ultra duas dietas à Curia Romana, censentur ejus Beneficia reservata, dummodo illam sequendo moriatur, ut habet Glossator in *reg. 5. apud Cochier. n. 1. Azor c. l. in reg. 5.* Ubi ait, hanc regulam etiam in Germania habere locum, eo modo, qui declaratur in Concordatis Germaniæ, de quo infrà.

Per Regulam VI. reservantur omnia Beneficia Cubiculariorum, & Cursorum S. Pontificis: ea debet intelligi de Cubiculariis extra muros, seu honoris causâ nuncupati: nam cæteri, qui familiares continui & commensales Papæ dicuntur, jam comprehensi erant in tertiâ Reg. *Azor c. l. in reg. Cochier ibid in Gl. n. 1.*

CCCLI. Per Regulam VII. reservantur generatim omnes Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Personatus, & Officia in Basilica Principis Apostolorum, S. Joannis Lateranensis, ac B. Mariæ Majoris de Urbe Ecclesiis: nec non Beneficia quæcúnque ad collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, à Romana Curia absentium, ratione suorum Episcopatuum, Cardinalatûs, ac ipsorum Cardinalium Titulorum, ac Diaconiarum spectantia, quamdiu absentia ipsorum duraverit, sive sint Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Personatus, Administrationes, vel Officia, sive cætera Beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, vacantia, vel vacatura, tam in Urbe, quàm in Ecclesiis dictorum Episcopatuum consistentia, ac decernit irritum &c.

CCCLII. Ubi notandum primò. Licèt Episcopus Urbis Romæ jure ordinario habeat potestatem conferendi Beneficia in Ecclesiis Urbis constituta, specialiter tamen Papa sibi reservavit Beneficia prædictarum trium Ecclesiarum, propter dubium, quod oriri posset in Beneficiis vacantibus in dictis Ecclesiis: quæ cùm suos habeant Archipresbyteros, & Decanos, qui sunt Cardinales, potuisset dubitari, an jus conferendi dicta Beneficia in illis vacantia ad illos pertineret, ideóq; opus fuit declaratione, ne tanquam Cardinales, jus ea conferendi sibi competere arbitrentur, *Azor c. l. in 7. regul. Cochier. ibid. n. 9.*

Notandum secundò. Reservantur hîc Beneficia Cardinalium absentium à Romana Curia, sine legitima causa: secus si absint ob servitium Sedis Apostolicæ, cum licentia Papæ, vel ob residentiam in suis Ecclesiis, *Azor c. l. in reg. 7. §. Quæres.* Imò *Garcias cit. c. 1. in reg. 7. n. 404. & seqq. Barb. cit. alleg. 57. n. 153.* existimant, hîc solùm reservari Beneficia vacantia in Ecclesiis Titularibus Cardinalium de Urbe, sive in Diœcesibus sex Episcoporum Cardinalium, quorum Episcopatus sunt annexi Cardinalatibus, & vicini Romæ, videlicet Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Albanensis, Prænestinus, Tusculanus, quorum Officium est assistere Papæ. Unde in dicta regula verbum *Cardinalatûs* additur, ad restringendum verbum præcedens *Episco-*

Episcopatuum, ut intelligatur de Episcopatibus Cardinalitijs: Alij verò Cardinales, qui accidentaliter obtinent Episcopatus, vel Archiepiscopatus, non ratione Cardinalatûs, & ordinariè absunt à Curia Romana, & in suis Ecclesiis residents, non comprehenduntur sub hac Regula, *Cochier. in reg. 7. n. 12. Barb. cit. alleg. n. 128.* Notandum tertiò. Decretum irritans appositum *in fine cit. reg. 7.* refertur non solùm ad omnia contenta in hac regula, sed etiam ad omnes regulas præcedentes, *Garc. c. l. n. 407. Cochier c. l. num. 13. lit. C. Barb. c. l. n. 138.*

CCCLIII. Per VIII. Regulam, quæ est Clementis VIII. reservantur dispositioni Papæ omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercúnque qualificata, & ubicúnque existentia, in singulis mensibus Januarij, Februarij, Aprilis, Maij, Julij, Augusti, Octobris, & Novembris, usque ad Papæ beneplácitum voluntatis, extra Romanam Curiam, aliàs quàm per resignationem quocúnque modo vacatura, ad collationem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem, quorumcúnque Collatorum & Collatricum sæcularium, & quorumvis Ordinum Regularium (non tamen S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & quoscúnque alios initis comprehensorum) quomodolibet pertinentia. Voluit autem Papa in supplicationibus seu concessionibus gratiarum; quæ de dictis Beneficijs tunc vacantibus, etiam motu proprio, fiunt, de mense, in quo vacaverint, fieri mentionem, alioquî gratias nullas esse. Consuetudines verò etiam immemoriales optandi maiores & pinguiores præbendas, nec non privilegia (etiam in limine erectionis concessa) quibuscúnque & quomodolibet etiam sub quibusvis Clausulis derogatoriis & irritantibus concessa, vult adversùs reservationem huiusmodi minimè suffragari. Insuper Papa Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quamdiu in Ecclesiis aut Diœcesibus suis personaliter residerint, tantùm de omnibus, & quibuscúnque Beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & regularibus, ad liberam ipsorum duntaxat: non autem aliorum cum eis dispositionem, vel præsentationem, vel electionẽ, non etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus mensibus Februarij, Aprilis, Junij, Augusti, Octobris & Decembris; extra Curiam ipsam, vacare contigerit (dummodò aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione Beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarij, Martij, Maij, Julij, Septembris, & Novembris, vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, reservaverit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservatorum, vel affectorum sese intromiserint, aut quò minùs provisiones, & gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo præstiterint, usu & beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant: ac collationes, & aliæ dispositiones de Beneficijs, illius prætextu, deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò, qui gratiam prædictæ alternativæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propriâ subscriptas, suóque sigillo munitas, & in sua quisque Civitate, vel Diœcesi datas declarare, & litteras ipsas huc ad Datariam Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus receptis, & cognitis, tunc demum, & non anteà, uti incipiant gratiâ supra dictâ: decernens sic in prædictis omnibus, per quoscúnque &c. judicari debere, ac irritum &c.

CCCLIV. Porro circa primam partem hujus Regulæ octavæ, in qua reservantur omnia Beneficia vacantia in octo mensibus, curata, & non curata, sæcularia, & regularia, electiva & patronata, sive spectent ad provisionem virorum, sive mulierum, tam sæcularium, quàm regularium; & quomodocúnque vacantia: præterquàm per resignationem, vel in Romana Curia, vel quæ sunt comprehensa sub Concordatis. Notandum primò, sub hac regula comprehendi solùm Beneficia propriè & strictè dicta; non autem manualia, sive ad nutum revocabilia, sive sint sæcularia, sive regularia; quia non sunt, strictè loquendo, Beneficia, neque vacant, si perpetuâ non sint; Papa autem non reservat, nisi Beneficia vacantia, *Garc. cit. c. 1. n. 510. Cochier in reg. 8. Cancellar. in Gl. num. 15. Barb. in cit. alleg. 57. n. 141. Palaú tr. de Benef. disp. 2. punc. 22. §. 1. num. 1.* Neque etiam per hanc regulam reservata censentur Beneficia de mensa Episcopali, aut Capitulari, aut Abbatiali, cui sunt perpetuò incorporata; ita, ut nunquam vacent: in dicta autem regula solùm reservantur Beneficia vacantia, aut vacatura, *Cochier c. l. n. 16.* Neque etiam hac comprehenditur Commenda, sive temporalis, sive etiam perpetua; quia etsi per obitum Commendatarij cesset Commenda; non tamen vacat per eius obitum, sed semper ut priùs, *Cochier c. l. num. 20.* Porrò quamvis in hac regula reserventur Beneficia quorumcúnque Ordinum, non tamen eâ comprehenduntur Prioratus, & Prælaturę regulares Ordinum Mendicantium; quia non sunt perpetui, *Cochier c. l. in Gl. 3. num. 5.* Neque etiam Beneficia regularia Ordinum Militarium, quæ excipiuntur specialiter in 3. *Reg. Cancellar.* adeóque sub generali reservatione non comprehenduntur. Item non comprehenduntur hac regula Canonicatus Doctorales & Magistrales, qui conferendi sunt per concursum, *Cochier in cit. reg. 8. in Gl. 4. n. 3. Barb. c. l. n. 178.* Neque Beneficia consistentia in Ecclesia non numerata, in qua non est certus numerus Canonicorum, vel aliorum Beneficiatorum, sed juxta quantitatem fructuum, Beneficia, sive Præbendæ crescunt, & augentur: non enim talia Beneficia morte Beneficiarij vacant, sed extinguuntur, & supprimuntur, *c. Dilecto 25. §. Præterea h. t. Cochier in cit. reg. 8. in Gl. 4. n. 8.* apud quem plura de hoc videri possunt.

Notandum secundò. In dubio, si non constet, quo mense Beneficium vacaverit, num in Apostolico, an Ordinario, etiam factâ indagatione; pro Ordinario est præsumendum, si hic Papam prævenit, & priùs contulit Beneficiũ: & si non constet, quis prævenerit, & neuter provisus est in possessione, probabilius est pro Ordinario præsumendum, & ab hoc provisum esse præferendum; quia Ordinarius habet suam intentionem fundatam in jure communi, juxta quod provisio omnium Beneficiorum suæ Diœcesis ad eum spectat; dummodò non sint reservata: quo jure privari non debet, quamdiu non constat de reservatione facta.

Aliud est, quando Papa non speciali jure reservationis, sed generali jure ordinario concursûs cum inferioribus Collatoribus ordinarijs, intendit providere, tum enim in dubio, quis prævenerit, provisio Papæ præferenda est provisioni Ordinarij inferioris, propter Pontificiæ auctoritatis prærogativam, *c. Si a Sede 3. h. t. in 6. Garc. c. l. n. 527. & seq. Palao cit. punc. 22. §. 2. num. 3.* Imò probabilius est, etiamsi Papa prævenerit collationem Ordinarij, & provisus Papæ sit in possessione Beneficij collati, adhuc præferendum esse provisum ab Ordinario: nam quando constare non potest, in quo mense Beneficium vacaverit, præsumptio juris stat pro Ordinario, ideóque onus probandi transfertur in adversarium existentem in possessione. Confirmatur, quia hoc casu Pontifex solùm intendit conferre jure reservationis: ergo, si de illa non constet, nullum est jus acquisitum in Beneficium provisio Apostolico, adeóque tanquam provisus sine vero titulo est repellendus, *Garc. c. l. num. 530. & Palao c. l. num. 5.*

Notandum tertiò. Hæc regula VIII. reservatoria (sicut & aliæ) non est perpetua, sed personalis, ac temporalis, & exspirat morte Papæ, illius Conditoris, ut patet ex verbis illis: *usque ad suæ voluntatis beneplacitum*, quod morte disponentis finitur. Unde Sede vacante, cessat omnis reservatio mensium, ita, ut Episcopi liberè possint conferre omnia Beneficia vacantia in omnibus mensibus, idque donec novus Papa fuerit electus, isque Regulas Cancellariæ denuo publicaverit, quod solet facere postridie suæ electionis, *Garc. cit. c. 1. n. 643. Barb. c. l. n. 190. & 192. Cochier. in Comment. in reg. 8. n. 18.*

Notandum quartò. Beneficia existentia in Curia Romana, ibique vacantia non continentur sub hac reservatione, quia jure communi illorum collatio spectat ad Papam, tanquam Romanum Episcopum, in quocúnque mense vacent: neque etiam alibi existentia, sed vacantia in Curia Romana; quia per hanc regulam reservantur solùm Beneficia vacantia, extra Curiam Romanam: quæ enim in illa vacant, non egent reservatione hujus regulæ, quia semper & in quocunque mense vacant, jam sunt reservata jure communi, *c. 2. h. t. in 6.* adeóque fortiori reservatione in Corpore Juris contenta, *Barb. c. l. n. 193. Palao cit. §. 3. num. 2.*

CCCLV. Notandum quintò, per hanc regulam reservantur Beneficia, quocunque modo vacatura, sive de jure & facto simul, sive de jure tantùm, sive de facto tantùm, *Garc. c. l. n. 547. & seq. Barb. c. l. n. 195.* Excipitur, si vacent per resignationem: & quidem generaliter, & indistinctè, sive sit resignatio pura, seu simplex, sive conditionalis, vel in favorem tertij, ut censet *Cochier in reg. 8. Gl. 7. n. 3.* Verùm probabilius videtur, quòd hîc excipiantur tantùm Beneficia, quæ vacant per resignationem puram, seu simplicem, quæ in manibus Ordinarij fieri potest: nam vi hujus Regulæ, reservantur Beneficia quocunque modo vacatura, extra Romanam Curiam aliter, quàm per resignationem: sed extra Curiam, non potest vacare Beneficium per resignationem conditionalem, & in favorem, quæ fit coram Papa, *juxta Constitut. LVIII. Pij V.* sed solùm per resignationem puram & simplicem, quia hoc solùm Ordinarius potest admittere, & Beneficium vi illius vacans conferre; ergo de illa sola regula hæc est intelligenda, *Garc. c. l. n. 542. Palao c. l. §. 3. n. 5. contra Gonzales.* Excipi tamen etiam debent Beneficia vacantia per resignationem ex causa permutationis, tum quia in hac Beneficia verè resignantur purè, & non in favorem, *c. un. de rer. permut. in 6. & Clement. 1. eod.* tum quia Ordinarius potest has permutationes admittere, *Garc. c. l. num. 543.* Hinc fit, quod possit quis in quolibet mense Beneficium aliàs non reservatum resignare in mensibus Ordinarij purè, vel ex causa permutationis; cùm vacans ex hoc titulo non sit reservatum, *Garc. c. l. n. 542. Palao c. l. n. 7.*

Notandum sextò, sub hac regula comprehenduntur, non solùm Ordinarij Collatores, quales sunt Episcopi in suis Diœcesibus; sed etiam Extraordinarij, quibus competit collatio ex privilegio, vel jure speciali: omnia enim ea Beneficia reservantur, nisi sint juris patronatûs, laicalis aut mixti, *Garc. c. l. num. 620. Barb. c. l. num. 258.* Item numero Collatorum comprehenduntur etiam Præsentatores, Electores, & alij Provisores; ut patet ex eo; quia in hac regula præmittitur reservatio Beneficiorum pertinentium ad collationem, præsentationem, electionem, &c. *Garc. c. l. num. 621.* additur, & *collatricum*, quia licèt regulariter masculinum contineat in se fœmininum, majoris tamen explicationis gratiâ, & ut omnis dubitandi occasio tolleretur, additum est verbum *collatricum*: licèt enim fœminæ de jure non possint conferre Beneficia, potest tamen ex privilegio Apostolico hoc jus eis competere, *Garc. c. l. num. 622.*

Notandum septimò. Excipiuntur ab hac regula Cardinales, respectu quorum nulli menses sunt reservati: quæ tamen exceptio intelligenda est, de Cardinalibus Ordinarijs Collatoribus tantùm, ut de Cardinalibus Episcopis residentibus in suis Diœcesibus, non autem de aliis Cardinalibus, etiam Legatis de Latere, in suis Provinciis degentibus; cùm Papæ intentio tantùm fuerit non afferre præjudicium Cardinalibus in sua ordinaria collatione, sive residerant in Curia, sive non, sed in suis Diœcesibus, *Garc. c. l. n. 624. & seq. Cochier in reg. 8. Gl. 10. n. 4. & 5.* Excipiuntur item ab hac regula, Reges, & Principes, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ conferunt Beneficia: hi enim in generalibus reservationibus non comprehenduntur, nisi expressa de illis mentio fiat, idque propter excellentiam illorum, *Garc. c. l. n. 639. & Gonzal.* Denique excipiuntur etiam Beneficia, quæ vigore Concordatorum initorum cum Sede Apostolica, liberè providentur, & reservata non sunt, de quo plura §. *seq.*

Notandum quintò. In impetratione Beneficiorum debet fieri mentio mensis, in quo tale Beneficium vacavit, ut Papa sciat, an vacatio contigerit in mense reservato, vel ordinario: nam Papa non intendit præjudicare Ordinariis Collatoribus in suis mensibus: debet autem exprimi mensis vacationis dispositivè, ut ait regula, id est, affirmativè, & absolutè, non dubitativè, *Garc. c. l. num. 655. & seq.*

CCCLVI. Cæterùm deveniendo nunc ad secundam partem dictæ Regulæ VIII. quæ agit de gratia alternativa, sive alternis mensibus conferendi Beneficia Episcopis concessa. Notandum primò, tam

eàm concessam esse solis Episcopis, non autem aliis Episcopo inferioribus Collatoribus, sub conditione residentiæ in suis Ecclesiis, vel Diœcesibus: cùm enim Ordinarij, seclusâ hac gratiâ, solùm liberè providere possint de Beneficijs aliàs non reservatis vacantibus in IV. mensibus, Martio, Junio, Septembri, & Decembri, per hanc gratiam alternativam conceduntur illis sex menses alterni, ex quibus duo menses, Martius & September, anteà non erant reservati Pontifici: nunc autem sunt reservati per alternativam. Ex quo infertur, quòd sive Ordinarius resideat, sive non, possit providere Beneficia vacantia in mense Junij & Decembris; quia, cùm hi duo menses neque nunc sint, vi alternativæ, neque olim erant reservati Pontifici, Ordinarij in illis provident, non vi alternativæ, sed ex jure communi antiquo, cui per alternativam non est derogatum, quo jure poterat in quatuor mensibus Ordinarius providere; etiamsi non resideret. Quare licèt in alternativa, prædicti duo menses, Junius & December, denuo concedantur Ordinarijs, simul cum aliis quatuor mensibus, ilsque annectatur obligatio residendi, ut alternativæ locus sit: non tamen cogitur advertsarius uti facultate gratiæ alternativæ, sed potest adhuc uti eâ, quæ jure antiquo Ordinarijs concessa fuit, sine obligatione residendi, *Garc. cit. c. 1. n. 506. Palao cit. disp. 2. p. 23. §. 1. n. 3. & 4.*

Notandum secundò. In gratia alternativa illa solùm Beneficia comprehenduntur, quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent: nam Beneficia, quæ Episcopus conferre non potest sine consensu, consilio, vel interventu Capituli, vel non nisi ad præsentationem, vel electionem alterius, non continentur sub alternativa; quia talis collatio non est libera, quippe, quæ non pendet à collatione solius conferentis: quare ea provideri possunt solùm in quatuor mensibus ordinarijs, Martio, Junio, Septembri, & Decembri; perinde, ac si alternativa acceptata non esset, *Garc. c. l. n. 475. Palao c. l. §. 3. n. 1. & 9. Cochier in reg. 8. Gl. 16. n. 2.* Unde gratia ista alternativa concessa Episcopis residentibus, non habet locum in Germania; Episcopi enim Germaniæ, licèt in Ecclesiis suis resideant, passim non habent jus conferendi Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, nec quidem in alternis mensibus; illorum enim collatio in mensibus ordinarijs, seu non Pontificijs, ex consuetudine, vel privilegio, vel statuto, aut alio jure speciali pertinent ad Capitula Cathedralia. Nam quamvis de Jure communi, provisio dignitatum & Canonicatuum in Cathedralibus pertineat simul ad Episcopum, & Capitulum; tamen ex speciali jure vel consuetudine, potest ea pertinere ad solum Episcopum, vel è converso, ad solum Capitulum, *Cochier in cit. Reg. 8. Gl. 16. n. 3. 4. & 5.*

Notandum tertiò. Gratia alternativa acceptata, & recognita à Dataria cessat primò. Si ad alium Episcopatum quis sit translatus; quia acceptatio solùm facta est, quoad Episcopatum priùs obtentum, *Garc. c. l. n. 484.* Secundò, per renunciationem illius, si à Papa acceptetur, quamvis illam non teneatur acceptare, si causæ legitimæ renunciationis non allegentur, *Garc. c. l.* Tertiò, per mortem Pontificis, per quam expirant omnes Regulæ Cancellariæ. Quartò, si Episcopus se intromittat in provisione Beneficiorum, quæ per hanc regulam, vel aliàs Papæ sunt reservata, ut habetur in textu, ubi dicitur, quòd eo ipso usu & Beneficio dictæ facultatis alternativæ privati existant; adeóque sine alia sententia declaratoria, *Garc. c. l. n. 148. & Cochier in reg. 8. Gl. 2. num. 1. & seqq.* Porrò subdiaconatus gratiâ alternativâ, statim iterum habet locum reservatio, quoad menses Februarij, Aprilis, Augusti, & Octobris, qui semper sunt menses Apostolici, seu Pontificij, seclusâ alternativâ, *Cochier c. l. num. 7.* Plures alias Regulas Cancellariæ adfert *Cochier in suo Commentar. in has regulas*, quæ apud ipsum explicatæ legi possunt: nobis sufficiat in præsenti præcipuas attulisse.

§. V.

De provisionibus, & reservationibus factis per Concordata Germaniæ.

CCCLVII. Inter Papam Nicolaum V. per ejusdem Legatum de Latere ex una parte, & Imperatorem Fridericum III. & Principes Germaniæ Ecclesiasticos, ac Sæculares, ex altera, inita sunt Concordata Anno M. CCCCXLVIII. XI. v. Calendas Aprilis, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorúmque Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ etiam per eundem S. Pontificem in Constitutione, quæ incipit *Ad sacram Petri Sedem*, auctoritate Apostolicâ sunt confirmata, & approbata. In hac Constitutione inprimis Pontifex dispositioni suæ reservat Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica, quorum provisio, sive collatio Sedi Apostolicæ per *Extravag. Constitutionem Execrabilis Ioannis XXII. & Extravag. Ad regimen, inter communes*, cujus Auctor est Benedictus XII. quæ jam suprà *n. 340.* est allata, & posita, eáque inserta est Concordatis Germaniæ; adjectis tamen quibusdam modificationibus, seu limitationibus. Et inprimis quidem in dicta *Extravag. Ad regimen*, Beneficia etiam vacantia per muneris consecrationis suspensionem reservantur, non item in Concordatis Germaniæ. Secundò. In his non reservantur illa Beneficia, quibus Joannes XXII. Antecessor Papæ Benedicti XII. manum apposuit, qui plus, quàm centum annis, ante Nicolaum V. erat mortuus; adeóque nullus ampliùs erat superstes ex illis, de quorum Beneficiis Joannes XXII. aliquid disposuerat. Tertiò. In *Extravag. Ad regimen* indistinctè reservantur Beneficia Officialium Sedis Apostolicæ vacantia per illorum obitum. At verò in Concordatis id restringitur ad tempus, quamdiu ipsi Beneficia actualiter tenent, ac proinde non reservantur illa Beneficia, quæ ante susceptum Beneficium, aut post illud depositum, tenebant, cùm morerentur. Quartò. In *Extravag. prædicta* inter Officiales absolutè ponuntur Commensales, & quilibet alij Capellani Pontificis; At verò in Concordatis ponuntur Officiales quidam certo numero, videlicet Officium Vicecancellarij, Camerarij, septem Notariorum, Auditoris litterarum contradicta-

rum, & Apostolici Palatij causarum Auditorum, & XXIV. Pœnitentiariæ ejusdem Sedis, & XXV. Abbreviatorum: nec non verorum Commensalium Papæ, & aliorum XXV. Capellanorum Sedis ejusdem in Epitaphio (hoc est, Syllabo, seu Albo Curialium) descriptorum. Quintò. In Concordatis reservantur Papæ Ecclesiæ, aut Beneficia quæcúnque, & qualiacúnque, auctoritate Litterarum Apostolicarum, immediatè collata, sive conferenda in posterum, præterquàm si virtute gratiæ expectativæ assecutio fiat: in *Extravag.* verò *Ad regimen* non habetur vox *immediatè*, neque sequens illa exceptio: quæ in Concordatis Germaniæ fortè ideò addita fuit, ne Ordinarij Collatores nimiùm gravarentur, si non possent Beneficia vacantia, per assecutionem pacificam alterius Beneficij incompatibilis, virtute gratiæ expectativæ, alicui collati, alijs liberè conferre. Ipsi verò *Extravag. Execrabilis Ioannis XXII.* nulla est adjecta modificatio in Concordatis Germaniæ. Porrò reservatio Ecclesiarum, & Beneficiorum facta in *Extravag. Ad regimen, prout extat in Corpore Iuris inter communes*, solùm est temporalis, & exspiravit per mortèm Papæ Benedicti XII. Auctoris ejusdem, ideóque illa Extravagans renovari solet per regulam Cancellariæ Apostolicæ, quando novus Pontifex eligitur. At verò per Concordata Germaniæ sunt perpetuò reservata Sedi Apostolicæ, sicut ipsa Concordata sunt perpetua, & non exspirant morte Papæ. Additur verò, in dicta Constitutione, Decretum irritans, si secùs à quoquam super præmissis scienter, vel ignoranter attentatum fuerit, id ipso jure irritum esse.

§. *Item placet nobis.*

» CCCLVIII. In hoc §. Papa Nicolaus V. con-
» cedit primò, ut in Metropolitanis, & Cathedrali-
» bus, etiam immediatè non subjectis Sedi Apostolicæ
» Ecclesijs, & in Monasteriis immediatè illi subjectis, fi-
» ant electiones Canonicæ: (*juxta c. Quia propter, 42. de*
» *elect. junct. c. Cum expedit. 29. eod. in 6.*) quæ ad dictam
» Sedem pro obtinenda confirmatione, intra tem-
» pus præfinitum à Nicolao III. *in c. Cupientes; 16. de*
elect. in 6. (ubi electo statuitur mensis, post consensum ipsius, vel habitam de electione notitiam, ad arripiendum iter, & quàm primùm commodè fieri potest, ad comparendum coram Sede Apostolica, *pro-*
» *ut fusiùs ibid. continetur.*) Quòd si dictæ electió-
» nes, post lapsum tempus præfinitum, Pontifici
» præsentatæ non fuerint: vel si præsentatæ, depre-
» hendantur non fuisse Canonicæ, ipse Pontifex Ec-
» clesijs providebit: si autem fuerint Canonicæ, eas-
» dem confirmabit: nisi ex rationabili, & evidenti
» causa, ac de Cardinalium consilio, de digniori, &
» utiliori persona duxerint providendum. Curabit
» autem Pontifex, ut confirmati, vel per ipsum pro-
» visi Metropolitanis suis, & alijs præstent debita ju-
» ramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur. At ve-
» rò in Monasterijs Sedi Apostolicæ immediatè non
» subjectis, & alijs regularibus Beneficijs, pro quo-
» rum confirmatione, seu provisione ad dictam Se-
» dem non solet recurri, electi, sive providendi pro-
» confirmatione, & provisione ad Curiam Roma-
» nam venire non tenebuntur, ipsáque Beneficia re-
» gularia sub expectativis gratijs non cadunt. In il-
» lis autem Monasterijs, pro quibus ad Romanam Curiam recurri, seu veniri solet, Pontifex electos, »
aut providendos, non aliter confirmabit, vel pro- »
videbit, quàm suprà de Ecclesijs Cathedralibus di- »
ctum est. Denique de Monasterijs Monialium non »
disponet Papa, nisi sint exempta, & tunc per com- »
missionem ad partes.

CCCLIX. Pro explicatione eorum, quæ hactenùs dicta sunt. Notandum, per Concordata Germaniæ non omnes Ecclesiarum, vel Beneficiorum reservationes Papales sublatæ sunt, sed eæ tantùm, quibus Concordata specialiter, & expressè derogant, cæteris salvis, & in suo vigore manentibus. Sic v. g. per Regulas Cancellariæ reservantur S. Pontifici omnes Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesiæ, item Monasteria, & Prælaturæ: huic autem reservationi derogatur per Concordata Germaniæ, quatenùs in ijs decernitur §. *Item placet*, ut in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs etiam non immediatè subjectis Sedi Apostolicæ, & in Monasterijs immediatè eidem subjectis, Canonicæ electiones fiant, & confirmatio à Papa petatur, intra tempus constitutum, *in c. Cupientes; 16. de elect. in 6.* in quo discessum fuit à Jure communi antiquo, quo Episcopus, ab Archiepiscopo confirmabatur, *c. Cum dilectus; 32. de elect.* Verùmtamen hoc non obstante, si Episcopatus, vel Prælatura aliqua in Curia Romana vacet per obitum Episcopi, vel alterius Prælati, sive sæcularis, sive regularis, libera provisio ad S. Pontificem spectat, *propter Extravagantem Ad regimen*, cui per Concordata, quoad hoc, non est derogatum, *ut refert Georg. Branden Canonicus Augustanus qu. 6. Super Concordatis Germaniæ; nu. 5. & 6.* Similiter, si Episcopus, vel alius Prælatus sæcularis, vel regularis, Cardinalis factus, etiam extra Curiam Romanam mortuus sit, Capitulum non potest eligere, sed libera provisio novi Episcopi ad Papam pertinet, *vigore dictæ Extravag. Ad regimen*, in qua Papæ reservantur Episcopatus, & Prælaturæ, aliáque Beneficia vacantia per obitum Cardinalis, vel alterius Officialis Sedis Apostolicæ, etiam extra Curiam, ubicúnque decedat. Item Ecclesiæ Cathedrales, Monasteria, dignitates, & Beneficia omnia, quæ vacant per depositionem, privationem, vel translationem, auctoritate Sedis Apostolicæ, factam: sicut, & ea, ad quæ aliqui in concordia, vel discordia electi, seu postulati sunt, si electio eorum cassata, vel postulatio repulsa, aut renunciatio ab ijs facta, & admissa per eandem Apostolicam auctoritatem fuerit, sunt reservata liberæ dispositioni Papæ, *vigore dictæ Extravag. Ad regimen.* Cui etiam, quoad ad hoc, nihil est derogatum per Concordata Germaniæ: imò ea Constitutio etiam inserta fuit ipsis Concordatis, & est pars illorum. Præterea, si Decanus Ecclesiæ Cathedralis, vel Canonicus in Episcopum eligatur, ejus Decanatus, vel Canonicatus, aliáque Beneficia vacant in Curia, seu Papæ sunt reservata, *juxta eandem Extravag. Ad regimen, & Concordata Germaniæ*, quibus illa est inserta *in princ. §. Rursus*; ubi dicitur, quòd» Monasteria, Prioratus, Dignitates, Decanatus, Per-» sonatus, Administrationes, Officia, Canonicat⁹, alia-» que Beneficia Ecclesiastica, sæcularia, & regularia, » cum cura, & sine cura. etiamsi electiva sint, vel a-» lio modo providéantur, quæ tempore promotionis » suæ obtinebant, vacant per promotionem à Papa » factam »

» factam ad Ecclesiarum Cathedralium, & Monaste-
» riorum regimina, seu Prælaturas. Non tamen indu-
» citur vacatio Beneficiorum priùs habitorum, ante-
» quam electus confirmationem à Papa acceperit, &
» possessionem pacificam adeptus sit, ut docet *Garc. p. 11. de Benef. c. 6. n. 5. Laym. l. 4. tract. 2. c. 11. n. 1. §. Secundò reservat*; & satis constat *ex cit. Extravag. Ad regimen.* Quin imò generatim omnia Beneficia vacantia aut imposterùm vacatura per assecutionem alterius incompatibilis, auctoritate Apostolicâ factâ, sunt reservata Papæ, juxta *cit. Extrav. Ad regimen*; §. *Rursus in fine.* & docet *Garc. cit. p. 11. c. 5. n. 51. & 52. & Laym. c. l.*

CCCLX. Porrò ex dictis decidi potest Quæstio non ita pridem in his partibus multùm agitata: an scilicet, si Episcopus Germaniæ Episcopatum in manus Papæ resignet, & resignatio ab eodem sit acceptata, electio novi Episcopi spectet ad Capitulum Cathedrale, vi Concordatorum Germaniæ: an verò hoc casu ad Papam provisio pertineat, eique sit reservata? Prius nonnulli opinati sunt, dicentes per sequentem §. *Item placet*, modificari & limitari immediatè præmissa *in Extravag. Ad regimen*, ibidem inserta. Sed contra est, vel per §. *Item placet*, modificatur *Extravagans Ad Regimen*, quoad omnes casus ibi expressos, vel quoad aliquos tantùm, v. g. quoad resignationem Episcopatûs factam coram Papa, & ab eo admissam, uti isti volunt. Non primum; quia sic nulla omninò esset reservatio facta à Papa in Concordatis; adeóque frustra illis inserta esset illa Constitutio, cùm tamen Papa Nicolaus V. *in princ.* ibi præmittat: *Placet nobis super Ecclesiarum & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcúnque provisionibus, uti Iuris scripti reservationibus, & Execrabilis, & Ad regimen Constitutionibus modificatis, ut sequitur*; ergo non potest dici, quòd nullus casus ibi expressus sit reservatus Papæ, sed omnes excipiantur à reservatione per §. *Item placet*, immediatè sequentem. Sed neque secundum dici potest; quia cùm omnes casus ibi expressi & reservati ponantur eodem verborum contextu, & pari modo, dicantur reservari: non est ulla ratio; cur iste potiùs casus, v. g. resignationis à Papa admissæ, dicatur modificari per *cit.* §. *Item placet*, quàm alij immediatè præcedentes, & sequentes; ergo nec potest dici, quòd quoad aliquos tantùm casus fiat in illo §. *modificatio*; sed necessariò dicendum est in §. *Item placet*, solùm concedi Capitulis Cathredralibus electiones Canonicas, præter casus in *Extravag. Ad regimen* immediatè præcedente exceptos, & expressè ibi reservatos Papæ, cùm quibusdam modificationibus illius Extravagantis; prout continetur in Corpore Juris, de quibus suprà. His addendum, quòd cùm in *cit.* §. *Item placet*, nulla contineatur clausula, nec specialis, nec generalis derogatoria, vel revocatoria præcedentium: gratis & sine omni fundamento asseritur per illum §. modificari, seu à reservatione excipi aliquos casus reservatos, vel aliquem in *Extravag. Ad regimen*; immediatè præcedente.

§. *De Cæteris, in Concordatis ibidem.*

» CCCLXI. In hoc §. concedit idem Pontifex
» Nicolaus V. ut de cæteris dignitatibus & Beneficiis
» quibuscúnque, sæcularibus & regularibus vacaturis (majoribus dignitatibus post Pontificales in
» Cathedralibus, & principales in Collegiatis Ec-
» clesiis exceptis) ultra reservationes prædictas (vi-
» delicet in *Extragantibus Execrabilis, & Ad regimen*,
» quæ Concordatis sunt insertæ) jure ordinario pro-
» videatur per Collatores inferiores, ad quos aliàs
» collatio seu provisio pertinet; ita quidem, ut si di-
» gnitates & Beneficia vacent in mensibus alternis,
» numerum parem ferè habentibus, videlicet in Fe-
» bruario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decem-
» bri, per nullam aliam reservationem, gratiam ex-
» pectativam, aut quamvis aliam dispositionem, au-
» ctoritate Apostolicâ, sub quacúnque verborum for-
» mâ factam, vel faciendam Pontifex impediat,
» quò minùs de illis liberè disponatur per illos, ad
» quos collatio, provisio, præsentatio, electio, vel
» quævis alia dispositio pertinet, non obstantibus
» aliis reservationibus: (præter præmissas, quæ scili-
» cet continentur in Concordatis) aut dispositioni-
» bus contrariis quibuscúnque. Beneficia verò va-
» cantia in Januario, Martio, Majo, Julio, Septem-
» bri, Novembri, speciali dispositioni Sedis Apostо-
» licæ manent reservata. Si autem non apparuerit,
» intra tres menses à die notæ vacationis in loco Be-
» neficij, quòd alicui de illo (vel de illis Beneficijs re-
» servatis Papæ in prædictis mensibus) Apostolicâ
» auctoritate provisum fuerit, ex tunc, & non antè,
» Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio
» pertinet, de illo liberè disponere poterit. Denique,
» ut hæc Ordinatio collationum Beneficiorum non
» reservatorum per alternos menses possit per Ger-
» maniam publicari, & omnes, qui eâ gaudere vo-
» luerint, tempus congruum habeant, eam acceptan-
» di; vult Pontifex, ut ex parte Sedis Apostolicæ à
» Calendis Junij Anno M. CCCCXLVIII. proximè
» futuri, ipsa currere incipiat, nisi in futuro Conci-
» lio, de consensu dictæ Nationis, aliter fuerit ordi-
» natum. »

CCCLXII. Pro intellectu *hujus* §. Notandum primò. Licèt aliàs sub generali concessione, aut mandato Papæ, ut aliquibus provideatur de Beneficijs quibuscúnque, non comprehendantur Beneficia curata, juxta *c. Cùm in illis*; 16. *in princ. h. t. in 6.* Nihilominùs tamen, vi Concordatorum Germaniæ, possunt Ordinarij Collatores in alternis mensibus sibi concessis, & propriis, conferre Beneficia etiam curata, sicut potest ipse Papa in mensibus suis Pontificiis: cùm Ordinariis Collatoribus simili modo concessa sit gratia alternis mensibus conferendi quæcúnque Beneficia in ijs vacant (exceptis illis, quæ in ipsis Concordatis reservantur Papæ) quæ ipse Papa confert, alioquin alternativa illa gratja, ex parte Collatorum Ordinariorum, foret manca, & hi non æquale jus haberent, quod Papa: cùm tamen in Concordatis & compositionibus æqualitas servanda sit inter partes, nisi aliquid specialiter reservetur, vel excipiatur. Quare per Concordata Germaniæ limitatur *cit. c. Cùm in illis*; ut non habeat locum in gratia alternativa, etsi locum habeat, si Papa in Germania, extra alternativam alicui generatim concederet facultatem conferendi quæcúnque Beneficia, vel mandaret provideri alicui de quibuscúnque Beneficiis: non enim in tali concessione, vel mandato censebuntur comprehensa esse Beneficia curata. Porrò etiam in alternis mensi-

bus, tam Papa, quàm Ordinarij, rariùs conferunt Beneficia curata; quia plurima ex illis pertinent ad Jus patronatûs laicorum, cui per generalem concessionem conferendi Beneficia non derogatur.

Notandum secundò. *In dictis Concordatis §. De cæteris*; excipiuntur à gratia alternativa Ordinariis Collatoribus facta, majores dignitates, post Pontificales, seu Episcopales, in Ecclesiis Cathedralibus, & principales, seu præcipuæ in Collegiatis Ecclesiis, quales sunt in Germania Præposituræ, in quibusdam verò Ecclesiis Decanatus Cathedrales, ac proinde alternativa provisio locum non habet in prædictis dignitatibus maioribus, sed eæ semper sunt, & manent reservatæ Sedi Apostolicæ, etiamsi vacent in mensibus Ordinariorum: quamvis aliquæ Ecclesiæ Indultum habeant à Sede Apostolica eligendi Præpositum, ut Ecclesia Metropolitana Salisburgensis, & Augustana Cathedralis, *Laym. in cit. c. 11. n. 1. in princ.*

Notandum tertiò. Si vacante per obitum Beneficio, in mense aliquo Pontificio, illud Papa non conferat, intra tres menses, numerandos à die, in quo vacatio cognita est, in loco Beneficij, tunc devolvitur potestas, seu jus conferendi illud Beneficium ad Collatorem Ordinarium, juxta *Concord. Germ. §. De cæteris*; ita tamen, ut locus sit præventioni, id est, sive Papa, sive Episcopus, aliúsve Collator inferior præveniat, priùs conferendo, eius collatio rata erit, & valida: ac proinde, si Papa priùs conferat, etiam post tres menses Beneficium, quod vacabat in mense aliquo Pontificio, vel etiam in mensibus Ordinariis concessis, eius collatio præferetur collationi Ordinarij: Papa enim cum omnibus Ordinariis concurrit: non obstantibus Concordatis Germaniæ, quæ non impediunt collationes Papæ, etiam in mensibus Ordinariorum per concursum, sed solùm tollunt gratias præventivas, quas olim habebant exspectantes, *Branden. q. 6. super Concordat. Germ. num. 18. Cochier in Reg. Cancellar. 8. in Gl. 11. n. 5. & 16.* Idémque docet de Legatis à Latere *cit. loc. n. 15. & Branden c. l. q. 12. n. 20.* quòd concurrant, sicut Papa, cum quibusvis Ordinariis in sua Provincia; ac proinde possint conferre Beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum, etiam in Germania, quamvis non soleant, sed contenti sint reservationibus mensium Papalium, sicut nec ipse Papa solet.

CCCLXIII. Notandum quartò. Id quod statutum habetur in *cit. §. De cæteris*; videlicet, si vacante aliquo Beneficio in mensibus Pontificiis, non apparuerit intra tres menses à die notæ vacationis in loco Beneficij, quod alicui de illo, Apostolicâ auctoritate, provisum fuerit: id non ita intelligendum est, quasi intra tres menses à die notæ vacationis Beneficij, per obitum v. g. Canonici, vel alterius Beneficiati, in ipso loco Beneficij, v.g. Augustæ apparere, sive constare debeat, esse alicui Romæ de Canonicatu, vel Beneficio tali provisum; ac proinde posse Ordinarium Collatorem, nisi ante finitos tres menses, nuncium de provisione Romæ facta acceperit, eiusmodi Beneficium vigore Concordatorum conferre; quantumvis Pontifex de illo, ante elapsos tres menses, Romæ disposuisset. Sed id ita intelligendum est; prout declaravit Gregorius XIII. in Bulla Anno M. D. LXXVI. quæ incipit: *Quæ in Ecclesiam DEI*, ut verba illa: *in loco Beneficij*, cum verbis: *notæ vncationis*, quæ protinus antecedunt; non autem cum verbo *Apparuerit*, conjungi, & ad illa priora duntaxat: non ad hoc posterius referri debeant: ita, ut sufficiat saltem alicubi, id est, Romæ apparere, sive constare de provisione intra tres menses à Pontifice facta: etsi propter distantiam locorum; quia v. g. provisio Papæ facta est sub finem trimestris, vel propter alia impedimenta, in Germania necdum de illa constare possit; adeóque in loco Beneficij intra trimestre provisio Apostolica publicata non sit, *Branden in Collectan. super Concordat. not. 1. n. 6. & 7. & not. 2. num. 4.* Quare per alternativam Concordatorum Ordinarij Collatores nihil disponere possunt de Beneficiis in mensibus Pontificiis vacantibus, aut vacaturis, de quibus intra tempus trium mensium à die vacationis, in loco Beneficij, per Romanum Pontificem, qualiscúnque gratia, aut dispositio, vel concessio facta fuerit, ut declaravit Gregorius XIII. *in cit. Bulla*: & quamvis ibidem Pontifex subjungat, ut illi, quibus deinceps gratiæ hujusmodi concedentur, earum concessionum fidem & testimonium, intra tres menses à die notæ vacationis, in loco Beneficij huiusmodi vacantis, vel dictis Collatoribus (id est, Episcopo vel Capitulo) vel in ipso Beneficij loco publicare quocunq; modo teneantur: non tamen annullat provisionem à Sede Apostolica obtentam, si hoc omissum fuerit, sed irritas declarat omnes, & quascúnque dispositiones, seu provisiones de dictis Beneficiis ab eisdem Collatoribus factas, post publicationem gratiæ, sive provisionis Apostolicæ, *Branden. c. l. not. 2. n. 5. Cochier. c. l. n. 4.*

Notandum quintò. Exceptio de non receptis Concordatis, vel de non usu eorundem, non potest opponi, nec in judicio, nec extra illud, ut fusè probat *Branden. c. l. q. 3. & 4.* cùm illa sint per Principes Germaniæ acceptata, sícque in pacta abierint, *Cochier in reg. 8. Cancell. Gl. 11. num. 12.* Deinde SS. Pontifices semper declarârunt, & Rota sæpius judicavit, omnes & quascúnque provisiones ab Ordinariis contra Concordata attentatas, fuisse nullas, & irritas, ut refert *Branden cit. q. 4. n. ult.* Adde, quòd ubi Concordata non habent locum, ibi procedunt reservationes Regularum Cancellariæ, quæ sunt ampliores, & Ordinariis duriores, quibúsve nihil opponi potest, nisi specialia Nationum Concordata, ut notat idem *Branden cit. q. 4. n. 43.* Sed neque exceptio præscriptionis Concordatis Germaniæ opponi potest, ut bene probat idem *c. l. q. 2.* quia præscriptio non habet locum, ubi deest titulus, & bona fides, cum possessione: At ij, qui opponere volunt præscriptionem contra Concordata, nec titulum, nec possessionem, nec bonam fidem habere possunt, ut patet tum ex Decreto irritante adjecto Concordatis Germaniæ, ubi in fine Bullæ dicitur, *decernentes irritum & inane: si secus super his à quoquam, quávis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari:* Decretum autem irritans inficit titulum, & possessionem, ut docet *Parisius l. 6. de resign. benef. q. 5. num. 57.* & obligat etiam ignorantes: idque etiam constat ex Constitutione declaratoria super Concordata Germaniæ Clementis VII. editâ Anno M. D. XXXIV. Calendis Julij, quæ incipit: *Admonet nos;*

nos; & habetur annexa Concordatis Germaniæ apud Henricum Canisium, ubi Pontifex ait. De» claramus prætensas collationes, & alias dispositio» nes de quibuscúnq; Beneficiis Ecclesiasticis Nobis, » & Sedi Apostolicæ reservatis, contra tenorem Con» cordatorum quomodolibet factas, & in posterum » faciendas, nisi fuerint nostrâ vel Sedis Apostolicæ » auctoritate approbatæ, nullum titulum, vel colo» rem ipsa Beneficia possidendi tribuisse, aut in futu» rum tribuere, sed & illos, pro malæ fidei possessori» bus, & merè intrusis ab omnibus haberi, & censeri, » ac fructus per eos ex Beneficiis huiusmodi perce» pros, & percipiendos, nullo unquam tempore suos » facere, sed in utroque foro ad illorum restitutio» nem obligatos esse &c. & paulò pòst, & eos nullo » unquam tempore Beneficio regularum de annuali » & triennali pacifico possessore, gaudere potuisse, » aut posse.

§. *Placet similiter nobis; fin. in ijsdem Concordatis.*

CCCLXIV. Denique in hoc §. quædam sub» junguntur de Annatis solvendis. Videlicet pri» mò, ut de Ecclesiis Cathedralibus omnibus, & » Monasteriis virorum duntaxat, vacantibus, & vaca» turis, solvantur pro fructibus primi anni à die va» cationis, pecuniæ in libris Cameræ Apostolicæ ta» xatæ. Secundò, si quæ Ecclesiæ excessivè taxatæ » sint, vult Pontifex eas retaxari, & ut provideatur, » ne nimiùm prægraventur: ad quod spondet se da» turum petentibus Commissarios in partibus, qui di» ligenter inquirant, & retaxent. Tertiò. Taxæ » prædictæ, pro medià parte infrà annum à die habi» tæ possessionis pacificæ, totius, vel majoris partis, » solvantur, & pro alia media parte, intra sequentem » annum: & si intra annum bis, vel pluries vacave» rint, semel tantùm solvantur, nec debitum huius» modi (si illud Antecessor non solvit) in Successorem » in Ecclesia, vel Monasterio transeat. Quartò. De » cæteris dignitatibus, personatibus, officiis, & Be» neficiis, sæcularibus, ac regularibus quibuscúnque, » quæ auctoritate Sedis Apostolicæ conferuntur, vel » de quibus providebitur (præterquàm vigore gratiæ » expectativæ, aut causâ permutationis, quibus nul» lum onus est impositum) solvantur Annatæ, sivè » medij fructus, juxta taxam solitam à tempore pos» sessionis intra annum, & debitum hoc similiter in » Successorem non transeat. Quintò. De Beneficiis, » quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de » Camera non excedunt, nihil solvatur. Sextò. » Duret hæc observantia deinceps, nisi eam similiter » in futuro Concilio, de consensu ipsius Nationis, » contingat immutari. Additur denique, quòd in aliis, » quæ per Eugenium IV. pro Natione Germaniæ us» que ad tempus futuri Concilij Generalis permissa, » concessa, vel decreta sunt, ac per ipsum Papam Ni» colaum V. confirmata, in quantùm Concordatis » non obviant, nihil vult hîc, & nunc immutatum, » & si in his Concordatis, vel alijs Litteris, Alemannia » nominetur, non alia, quam Natio Germanica in» telligi debet.

CCCLXV. Notandum primò. Annatæ vocari solent fructus primi anni, qui ex Archiepiscopatibus, Episcopatibus (etiam non exemptis) & Prælaturis immediatè Sedi Apostolicæ subjectis, eidem solvuntur, postquam novus Prælatus electus est, partim ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Romanæ, & in sustentationem Cardinalium indigentium, & Officialium Curiæ. Et quidem Annata integra solùm solvitur ex Beneficiis Consistorialibus, sive quæ conferuntur consistorialiter, hoc est, in Consistorio Cardinalium, rogatis à S. Pontifice illorum sententiis, qualia sunt Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturæ immediatè subjectæ Sedi Apostolicæ, ut sunt in Germania Fuldensis, Elvacensis, Campidonensis, quorum Prælati sunt Principes Imperij. De aliis verò non Consistorialibus solvitur solùm media Annata, sive media pars fructuum primi anni, quorum valor sive æstimatio non excedit viginti quatuor ducatos, ut tradit *Card. Tuschus, V. Annata, concl.* 328. Porrò hæc Annata solvitur, juxta taxam Cameræ Apostolicæ, quæ tamen ita moderata est, ut pro Annata integra etiam de Beneficiis Consistorialibus, non petantur integri fructus, sive reditus unius annni, sed ferè quinta pars tantùm, ut ex praxi constat: ut si reditus alicujus Episcopatûs ascendant ad centum millia florenorum, taxa integræ annatæ erunt circiter viginti millia florenorum, ad quam solvendam conceduntur duo anni, & si intra unum annum duo, vel plures Episcopi eligantur, in eadem Ecclesia: adeóque Sedes sæpiùs vacet, semel tantùm Annata integra solvitur, quâ non solutâ ab Antecessore, Successor non cogitur ad illam solvendam, ut habetur in *cit.* §. *fin.*

Notandum secundò. Hodie ex generali consuetudine & stylo Curiæ Romanæ, omnes Canonicatus Germaniæ & Hispaniæ non æstimantur in Camera Apostolica, juxta verum Beneficiorum valorem, sed non nisi ad valorem viginti quatuor ducatorum; ideóque de ijs non debent solvi Annatæ, ut notat *Brandenc. l. notat. 2. n. 7. Cochier in reg. Cancellar. 61. n. 21.* v. g. si verus valor redituum annuorum unius Canonicatûs sint mille ducati, in Curia non æstimabitur, nisi viginti quatuor ducatis.

Notandum tertiò. De quibusdam Beneficiis, videlicet unitis alijs Ecclesiis, vel Beneficiis, quæ non vacant, solvuntur quindennia, hoc est, singulis quindecim annis una integra Annata, vel media, secundùm proportionem Beneficiorum, ut refert *Tusch. c. l.* Similiter de illis Beneficiis, quæ sublatâ reservatione Pontificiâ, fiunt electiva, aut collativa, solvi debent ab Ordinariis Collatoribus quindennia, sive quindenæ, v. g. de Præpositura Augustana, quæ cùm vi Concordatorum Germaniæ esset reservata S. Pontifici, per speciale privilegium Alexandri V. facta est electiva.

CCCLXVI. Porrò superest una adhuc Quæstio: an S. Pontifex possit derogare Concordatis Germaniæ? Resp. etsi absolutè loquendo, ex gravi causa ad bonum publicum pertinente, ijs derogare possit, per plenitudinem potestatis suæ: non tamen id soleat: imò nec convenienter facere posset, nisi gravis & extraordinaria causa ad bonum publicum Ecclesiæ pertinens id postulet. *Cochier in cit. reg. 8. in Gl. 11. n. 22. Laym. l. 4. tr. 2. c. 10. num. 3.* Ratio est, quia Concordata habent vim pacti & contractus, & quidem reciproci: nam Nicolaus V. vicissim promisit in Concordatis, quòd

quòd per quamcúnque aliam (præter prædictas) reservationem, gratiam expectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacúnque verborum forma, per se: vel auctoritate suâ factam, vel faciendam, non impediat, quò minùs in sex mensibus alternis, sibi non reservatis, liberè de Beneficiis disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet; ergo non potest talia pacta revocare, sine gravissima causa, in præjudicium eorum, quibus jus ex ijs quæsitum est: nam & Princeps pacta inita servare debet, cùm sint de jure naturali ac gentium, secundùm *Gl. in l. 2. V. Quoties § C. de precib. Imper. offerend.*

§. VI.

De Beneficiis reservatis, ex Indulto Pontificio, Romanorum Imperatori per Preces Primarias.

CCCLXVII. Concessum est Imperatori Romanorum recèns electo, ex Apostolicæ Sedis privilegio, & antiquissima consuetudine, ut in quavis Ecclesia intra Romanum Imperium personam aliquam idoneam per Preces (quæ Primariæ vocantur; quia præferuntur cuivis juri conferendi, præsentandi, vel nominandi aliorum: vel Preces primæ, quia sunt veluti prima Cæsaris electi petitio) offerre possit Collatoribus, cui Beneficium quodcúnque vacans, vel proximè vacaturum conferri debeat, non obstantibus reservationibus Papalibus, ijs exceptis, quæ in *Extravagante Ad regimen* continentur. Cujus Indulti summam referemus ex Cochier in scholijs super preces primarias, juxta tenorem concessionis à Paulo V. factæ Imperatori Ferdinando II.

» In hoc Indulto §. *Hinc est*; conceditur inprimis » suæ Cæsareæ Majestati facultas preces primarias » offerendi, seu personas idoneas nominandi quibus- » vis Collatoribus, seu Collatricibus, quâcúnque » illi, illæve dignitate præfulgeant, ad quæcúnque » Beneficia Ecclesiastica per S. Romanum Imperium » ubilibet constituta, in Cathedralibus, etiam Me- » tropolitanis, Collegiatis, vel quibusvis aliis Ec- » clesiis, sive sint cum cura, sive sine cura, sive sæcu- » laria, sive regularia, etiamsi Beneficia hujusmodi » Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, » administrationes vel officia, etiam majora, & ele- » ctiva fuerint, eásque personas sic nominatas ad » hujusmodi Beneficia, postquam ipsis canonicè » de illis provisum fuerit, prædicti Collatores vel » Collatrices recipere, & admittere teneantur, sive » ad eorundem Collatorum & Collatricum collatio- » nem, provisionem, præsentationem, electionem, » seu quamvis aliam dispositionem, communiter » vel divisim, pertineant. Hæc tamen facultas re- » stringitur primò; dummodò Cathedralibus & Me- » tropolitanis, post Pontificales maiores, aut in Col- » legiatis principales non existant. Secundò, dum- » modò singulæ collationes, & singulæ Ecclesiæ ex » hoc ultra, quàm in uno Beneficio, non graventur. » Tertiò, dummodò & ipsi Collatores aut Collatri- » ces saltem quatuor Beneficia conferendi facultatem habeant. Additur in eodem Indulto §. *Ita* » *quod*, tametsi Cæsar unam & eandem personam su- » pra dictis Collatoribus & Collatricibus simul, vel » successivè nominare possit; ita tamen, ut quàmpri- » mùm persona sic nominata de aliquo Beneficio » provisa fuerit, eius nominatio, quoad alios Col- » latores, vel Collatrices, ipso jure expiret, & quo- » ad eásdem preces, Canonicatum & præbendam, ac » dignitatem, seu personatum, administrationem, vel » officium in una Ecclesia, pro unico duntaxat Bene- » ficio computari debere. »

CCCLXVIII. Pro explicatione hujus Indulti. Notandum primò. Cæsari per hoc Indultum non conceditur jus conferendi Beneficia propriè dictum; sed nominandi tantùm personas idoneas Collatoribus ad Beneficia vacatura, quas ipse facit per Executores suos recipi, ex concessione Precum primariarum; ideóque hæc nominatio Cæsaris Precum nomen habet, *Cochier in proœmio Precum primariarum, fol. 1.* Non solùm autem nominati à Cæsare gaudent hac prærogativâ Precum, sed etiam nominati ab illo, cui jus hoc Cæsar cessit; quia nominatus de mandato alterius, censetur nominatus à mandante; *Cochier in precib. primar. Sec. 2. §. Quòd si per te in scholijs fol. 21.*

Notandum secundò. Imperatoris preces hæ conceduntur tantùm per Romanum Imperium, prout nunc est, secundùm statum præsentem; quia per illud nunc tantùm superioritatem habet, non autem in alijs Regnis & dominijs, etsi olim ad Romanum Imperium spectabant, *Cochier c. l. Verb. Per Sacrum Romanum Imperium fol. 32.* Unde etsi Collator, vel Collatrix, v. g. Episcopus, Abbas, vel Abbatissa in Germania domicilium non habeat: Beneficia tamen saltem quatuor sita sint in Imperio, quorum collatio ad ipsum pertinet, videtur teneri ad recipiendas preces primarias, quia S. Pontifex indistinctè ad eas recipiendas obligat Collatores, qui quatuor Beneficiorum in Imperio sitorum collationem habent, neque tam respexit domicilium Collatoris, quàm locum, ubi Beneficia sita sunt, *Cochier c. l. f. 32.* E contrario verò, etsi Collator sit in Imperio, non tamen preces primariæ extendunt se ad Beneficia extra Imperium sita; quia Indultum ad ea non extenditur, cùm sit limitatum ad Beneficia existentia in Imperio; limitata autem causa limitatum producit effectum, juxta vulgare Juris dogma, neque privilegium egreditur suos terminos, *Cochier c. l. fol. 33.* Ubi etiam ait, si Beneficia principalia sint extra Imperium, aliqua verò illis annexa in Imperio, hæc non comprehenduntur sub precibus primariis: accessorium enim sequitur suum principale, quod in proposito est extra Imperium, juxta *Reg. jur. 42. in 6.*

Notandum tertiò. Sub precibus Imperatoriis non comprehenduntur Beneficia, quæ sunt Patronatûs Laici, de quo plura infra, neque officia, quæ cadunt in Laicos: neque Hospitalia etiam Religiosa; quia non sunt Beneficia Ecclesiastica, nisi dentur in titulum perpetuum: neque Beneficia manualia, sive ad nutum revocabilia: neque Beneficia servitoria, sive ministerialia, quibus annexum est onus canendi in Choro, ut Vicariatus Chori: nec quæ dantur Scholaribus, ratione studij

in alia-

in aliqua Universitate, cùm non sint perpetua: nec Beneficia vacantia, ex causa permutationis, vel resignationis simplicis, in manibus Papæ, secus si in manibus Ordinarij: neque Beneficia erecta post preces Cæsareas, juxta probabiliorem sententiam: nec Beneficia spectantia ad collationem duorum, si ad unum tantùm preces directæ sint: nec Vicariæ temporales; nec Beneficia monocularia, si nimirum alicui competat uniûs tantùm Beneficij collatio: nec pensiones Ecclesiasticæ, nisi sint datæ in Titulum: neque Beneficia incorporata Mensæ Episcopali, Capitulari, Abbatiali, nec Beneficia exempta, nec denique commendata, ut ex communi docet *Cochier c. l. V. Super singulis, fol.* 34. *&* 36.

Notandum quartò. In precibus Cæsareis exprimuntur Beneficia curata, quia alioquin in materia etiam favorabili non venit Beneficium curatum, nisi exprimatur, *c. Cùm in illis* 16. *h. t. in* 6. *Cochier c. l. V. Cum. cura.* Exprimuntur etiam Beneficia regularia; quia illa etiam sub generali reservatione Beneficiorum non comprehenduntur, nisi specialiter exprimantur, *Cochier c. l. V. Sæcularibus, &c.* Porrò ad Beneficia regularia non potest Cæsar dare preces, saltem sæcularibus, cùm illa sint affecta ac debita regularibus, *c. Cùm de Beneficio* 35. *h. t. in* 6. Equidem rarò solet Cæsar nominare aliquem ad Beneficium regulare, ut notat *Cochier c. l. fol.* 38. nam vel sunt Beneficia regularia ex natura rei, quæ scilicet requirunt, imò supponunt statum Religiosum, ut Abbatia, vel Præpositura regularis, Prioratus, aut Decanatus Conventualis, qui habent administrationem, & jurisdictionem: item Canonicatus, & Monachatus simplex; & hæc non cadunt sub precibus Cæsareis, ut patet ex praxi, & consuetudine, neque Imperator electus nominat Abbates, Præpositos, Decanos, vel Prioes in Monasteriis, & multò minùs Canonicos, aut Monachos. Vel sunt Beneficia regularia solùm peraccidens ex fundatione, vel si de ea non constet, ex longæva præscriptione 40. annorum pro regularibus habentur, juxta *cit. c. Cùm de Beneficio*, quæ professionem religiosam per se non requirunt: & neque ad hæc solent Cæsares nominare quempiam, ne turbent disciplinam Religiosam: sed totam dispositionem Prælatis, & Superioribus Ordinum Religiosorum relinquunt.

CCCLXIX. Notandum quintò. Exprimuntur etiam in dictis precibus Cæsareis Ecclesiæ Cathedrales) sic dictæ, quia ibi Cathedra, & Sedes Episcopalis sita est) eò quòd regulariter sub dispositione generali, ob sui dignitatem, non comprehenduntur, nisi de ijs specifica mentio fiat, juxta *c. Quamvis* 34. §. *Quanquam*; *h. t. in* 6. Exprimuntur etiam Ecclesiæ Metropolitanæ; quia in materia odiosa, appellatione Cathedralis, non venit Metropolitana, seu Archiepiscopalis Ecclesia, licèt & ipsa sit Cathedralis. Unde illegitimus obtinens dispensationem, ut possit habere Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, non poterit habere in Metropolitana, nisi exprimatur, *Cochier c. l. V. In singulis*; *fol.* 39.

Notandum sextò. Exprimuntur etiam in Indulto Apostolico precum dignitates, quia in materia odiosa (cujusmodi est faculsas nominandi, vel conferendi, quæ derogat potestati Ordinariorum, ideóque restringenda est) non veniunt nomine Beneficij, nisi exprimantur, *cit. c. Quamvis.* Imò licèt alicui concedatur mandatum ad Beneficia curata, & quæcúnque alia, non continetur dignitas curata, *Clement.* 1. §. *Cæterùm de statu Monach. Cochier c. l. V. Dignitates, fol.* 39. Personatus, strictè loquendo, non est dignitas, nisi ex fundatione, statuto vel consuetudine talis habeatur: hinc statutum loquens de personatu non complectitur dignitatem. *Cochier c. l. V. personatus.* Per administrationes hîc intelliguntur Ecclesiasticæ, quæ erectæ sunt, auctoritate Episcopi, & in Titulos: sicut & officia Ecclesiastica, ut sunt Scholastaria, Cantoria, Custodia, in quibus locum habent preces, *Cochier c. l. V. Administrationes, & V. Officia, fol.* 40. Quanquàm administrationes ab officiis vix differre videntur.

Notandùm septimò. Indultum Precum habet locum etiam in Beneficiis propriè electivis, quæ scilicet conferuntur per electionem Capituli, aut Conventûs, & requirunt confirmationem Superioris, sive Papæ, sive Episcopi, aut alterius, juxta *Gl. in Clement.* 2. *V. Electionem*; *de Relig. domib.* ut est Episcopatus, Præpositura, Decanatus, eaque necessariò exprimi debuerunt, quia aliàs sub nomine collationis, provisionis, præsentationis, institutionis, vel cujuscúnque alterius dispositionis, non includuntur Beneficia electiva, nisi specialiter exprimantur, *Cochier c. l. V. Per electionem, fol.* 40. Alia verò Beneficia, quæ dantur quidem per viam electionis, nec tamen requirunt confirmationem Superioris, sunt potiùs collativa, aut mixta, seu participant de electione, & collatione, ut cùm Capitulum confert alicui Canonicatum, Vicariatum Chori, Capellam, &c. Et quidem Canonicatum conferri posse, vi precum primariarum, etiam in mensibus Capituli, certum est, & patet ex praxi: non item alia Beneficia hujusmodi electiva, quæ ordinantur ad nudum ministerium canendi, vel simile.

Notandum octavò. Etsi S. Pontifex in Indulto precum permittat Cæsari nominationem Beneficiorum ad præsentationem quorumcúnque pertinentium, non tamen per hoc censetur derogâsse juri Patronatûs Laico; quia Papa non præsumitur velle juri quæsito Patronis Laicis ex fundatione, vel dotatione Ecclesiarum derogare, ne ab hujusmodi pijs fundationibus deterreantur, ideóque generalis dispositio ad Beneficia Patronata Laicorum non extenditur, *Cochier c. l. Sec.* 2. *V. Præsentationem, fol.* 42. *&* 43. Idémque dicendum est de Patronatu mixto, qui Laico simul & Ecclesiastico competit; quia in favorabilibus potiùs attendenda est qualitas Laicalis, ne Laicus propter Clericum perdat suum privilegium: nisi duo, vel plures sint Patroni Clerici, Laicus verò tantùm unus, vel pauciores Patroni Laici, talis enim Patronatus magis est Ecclesiasticus, quàm Laicus, *arg. l. Quæritur* 10. *ff. de Statu homin.* Secus est de Beneficiis pertinentibus ad jus Patronatûs Ecclesiasticorum, cui facilè derogatur: vel etiam ad jus Patronatûs Laicorum, quod illis competit, non ex fundatione, vel dotatione Ecclesiæ: sed ex præscriptione, consuetudine, vel privilegio: hæc enim subjacent primariis precibus; quia cessionarius jure cedentis uti debet, *Cochier c. l. V. Præsentationem, fol.* 43. *&* 44. & in simili dictum suprà de reservationibus Papalibus.

Notandum nonò. Preces istæ primariæ, non tantùm comprehendunt Beneficia, quorum collatio commu-

niter spectat ad totum Capitulum, Conventum, Collegium, vel Universitatem: sed etiam divisim ad singulos de Capitulo, vel Collegio, aut aliquos illorum, v. g. ad duos, vel plures Canonicos, ratione Canonicatûs, debent enim admittere Preces Cæsareas, ut constat *ex ipso Indulto Pontificio*; quia ratione Canonicatûs sunt de Capitulo. Secus est, si Canonicus, v. g. habeat jus conferendi Beneficia, ex jure speciali, v. g. ratione dignitatis suæ, vel familiæ, vel aliâ, non tamen vice Capituli, vel ratione Canonicatûs, tum enim non tenetur admittere preces Cæsareas directas ad Capitulum, etiam cùm clausula, *conjunctim vel divisim*. *Cochier c. l. V. eodem fol.* 44. Quòd si collatio communiter spectet ad Episcopum, sive Prælatum, & Capitulum, preces autem Cæsareæ insinuentur soli Prælato, eæ afficiunt etiam Capitulum, licèt ei non sit facta insinuatio, *Cochier c. l.* quia nimirum quod agitur cum capite, censetur agi cum toto corpore.

CCCLXX. Cæterùm hoc Indultum precum primariarum Limitatur primò: Ut se non extendat ad Dignitates majores post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, & Metropolitanis, nec ad principales in Collegiatis. Quæ autem sint dignitates majores, aut principales, id cognosci debet, ex praxi, & consuetudine cujusque loci, aut Provinciæ, ut rectè advertit *Alphonsus Sotto in reg. 3. Cancellar. n. 1. apud Cochier ibid. in Gl.* In Germania nostra Præpositura, & Decanatus videntur esse majores in Cathedralibus: imò & Collegiatis Ecclesiis; nam quamvis Præpositura censeatur major Decanatu, cùm Præpositus Decanum præcedat: quia tamen S. Pontifex in Indulto precum Cæsarearum utitur numero plurali, *post Pontificalem majores, aut principales*, videtur, non unam tantùm dignitatem majorem, vel principalem, sed plures excipere à precibus Cæsareis, si plures sint: Unde sicut Cæsar non potest vi precum aliquem nominare ad Præposituram Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ: ita non videtur posse nominare ad Decanatum, quia ambæ sunt majores, seu principaliores, quamvis in hoc ipso attendi debeat ad usum, & praxin.

Limitatur secundò, quòd preces Cæsareæ locum solùm habeant, & admittendæ sint pro uno Beneficio tantùm: non enim Papa intendit eundem Collatorem ordinarium gravare per preces Cæsareas, ut teneatur à Cæsare nominatum admittere ad plura Beneficia, quorum collatio ad ipsum spectat, sed ad unum tantùm: quare si nominatus à Cæsare ad primum Beneficium vacaturum, negligat illud petere, non potest secundum petere, sed extincta est gratia Cæsaris, sicut in alijs expectativis, extinguitur gratia à Papa concessa, juxta *c. Si Clericus* 3 11. *h. t. in 6. Cochier c. l. V. In uno Beneficio, fol.* 45.

Limitatur tertiò hoc Indultum: Ut per id non graventur, nisi illi Collatores, qui habent jus conferendi, saltem quatuor Beneficia, noluit enim Papa ita gravare Collatores ordinarios, ut fortè toto vitæ suæ tempore nunquam uti possent jure suo conferendi: quod facilè contingere posset, si intra breve tempus plures Cæsares morerentur, & novi succederent: quilibet enim de novo electus habet jus nominandi ad Beneficia aliquam personam idoneam: quare monocularia Beneficia non comprehenduntur sub his precibus; quia generatim ejusmodi Beneficia non cadunt sub generalibus, & indeterminatis gratiis exspectativis, juxta *Gl. Communiter receptam in Clement. 1. V. In certa h. t. Cochier c. l. V. Saltem*; 4. *Beneficia, fol.* 46.

Limitatur quartò. Etsi Cæsar simul (hoc est, incontinenti, & sine temporis intervallo, quamvis unum fiat post aliud, juxta *Gl. in l. Quærebatur*; 19. *V. Simul, ff. de testam. milit.*) uno eodémque contextu, potest aliquem nominare ad plura Beneficia, v. g. Canonicatus, in diversis Ecclesiis constituta, ut in Augustana, Ratisbonensi, Passaviensi, totq; censebuntur esse nominationes, quot sunt Beneficia, ad quæ quis nominatur, licèt uno diplomate comprehensa: vel etiam successivè (hoc est, distinctis & interruptis ex intervallo temporibus) potest quempiam nominare ad diversas Ecclesias, quo casu, quælibet nominatio distinctum solemne diploma requirit. Verùntamen acceptatione unius Beneficij in una Ecclesia, v. g. Canonicatûs in Ecclesia Augustana, cæteræ nominationes in alijs Ecclesijs extinguuntur, prout habetur *in ipso Indulto precum*; §. *Ita quod, & ibid. Cochier Sect. 3. V. Simul, vel successivè, fol.* 48. Neque enim ideo plures nominationes ejusdem personæ ad diversas Ecclesias à Cæsare fiunt, ut plura Beneficia ipsi concedantur: sed ut citiùs, & certiùs pluribus Ecclesiis assignatis, eveniat alicujus Beneficij in aliqua Ecclesia vacatio, quâ eveniente, & collatione subsequente, omnes reliquæ nominationes cessant; ne præter intentionem concedentis, plura Beneficia quis consequatur: quamvis nihilominus Cæsar possit alias preces eidem personæ concedere, post prioris nominationis, seu gratiæ extinctionem; cùm per hoc nec præjudicetur Sedi Apostolicæ, ejus enim non interest, cui fiat collatio: neque Collatoribus ordinariis, qui semel tantùm super uno Beneficio gravari possunt: neque Ecclesiis, quia semel quoque quælibet tantùm gravari potest; nec denique juris dispositioni præjudicium infertur, tatione pluralitatis Beneficiorum; quia per assecutionem alterius Beneficij incompatibilis cum priore, hoc vacat. Et ita hanc clausulam explicat *Rota Romana allegata à Cochier c. l. V. Ita quod, fol.* 49. ubi ait, hanc Rotæ intrepretationem omninò sequendam esse, cùm constet decisionem Rotæ, magnæ esse auctoritatis, & majoris, quàm communem Doctorum opinionem.

Limitatur quintò. In precibus Cæsareis Canonicatus, & Præbenda, dignitas, sive personatus, administratio, vel officium, in una Ecclesia, pro unico duntaxat Beneficio computari debent, prout habetur *in Indulto precum, cit.* §. *ita quod*: ac proinde Cæsar non potest unam personam nominare pro Canonicatu, aliam pro Præbenda: quamvis aliàs per mandatum Apostolicum provideri alicui possit de Canonicatu in præsenti, de Præbenda verò solùm in futurum, vel è converso, juxta *c. Si Clericus* 3 11. *h. t.* Idque statutum est, tum ne Ecclesiæ nimiùm graventur: tum quia Rescripta gratiæ, seu privilegia, in quantùm à Jure communi recedunt, odiosa sunt, & restringenda, *Cochier c. l. Sect. 3. V. Canonicatum & Præbendam, fol.* 49.

CCCLXXI. Restant adhuc aliquæ Quæstiones, circa hactenus dicta, hîc expediendæ. Quæritur primò, an Imperator electus, ante confirmationem à Papa acceptam, possit uti Indulto precum primariarū? Resp. affirmativè, ut patet ex usu, & consuetudine; quia quâvis spectato Jure communi Canonico, electus in Imperatorem ex sola electione nō habeat jus & auctoritatē administrandi Imperium, adeóq; nec concedendi privi-

privilegia, & gratias; aliàque faciendi, quæ sunt potestatis Imperialis, ante confirmationem; quia nondum est absolutè, & simpliciter Imperator, sed tantùm designatus, nemo autem operatur, antequam sit: attamen spectatâ consuetudine, jam diuturno usu receptâ, sicut Imperator electus statim, etiam ante confirmationem, Imperium administrat: ita potest etiam concedere privilegia, & alias grarias Imperatori competentes, ante confirmationem acceptam, ut docet *Azor. p. 2. Instit. lib. 10. c. 6. q. 2.* adeóque & primarias preces conferre, etsi nondum confirmatus sit, Quamvis autem hoc jus nominandi personas idoneas ad Beneficia, quippe non merè temporale, sed spirituali connexum, competat Imperatoribus ex concessione, & privilegio S. Pontificis: nihilominùs etiam ante confirmationem, & actualem concessionem hujus Indulti, eo utuntur Imperatores, ex præsumpta mente & voluntate S. Pontificis, qui id scit, & tolerat, adeóque tacitè approbare censetur: cujus concessio, & Indultum posteà datum retrotrahitur ad tempus electionis, juxta *reg. jur. 10. in 6.* cùm SS. Pontifices ab immemoriali tempore semper consueverint Regibus, & Imperatoribus Romanorum tale Indultum sine tergiversatione concedere: & licèt ipsis illud auferre, vel negare possent, meritò tamen id non faciunt, nec convenienter facere possent; quia si sit scandalum in auferendo, meliusest, id illis relinqui, ut notat *Jo. Monach. in c. 2. h. t. in 6. n. 5.* præsertim in ijs Ecclesiis, quas ipsi, vel progenitores ipsorum fundârunt, & dotârunt, ut ait *Jo. Andr. ibid. n. 7.* ubi loquitur de potestate conferendi Beneficia Ecclesiastica concessa Laicis.

CCCLXXII. Quæritur secundò. An Imperator, postquam unum nominavit ad Beneficium, possit variare, & resilire, nominando alium? Resp. affirmativè, ut tradit *Cochier cit. Sess. 2. in Scholiis q. 2. fol. 22.* Ratio est, tum quia, & Legatus Sedis Apostolicæ de Latere, qui reservavit sibi Beneficiũ pro certa persona, potest id revocare, & alteri cooferre: tum quia per nominationem ad Beneficium conferendum, nominatus non acquirit jus in Beneficio, sed tantùm ad implorandum officium Executoris, ut sibi provideat, vel faciat provideri, juxta *Gl. in c. Veniens 13. V. Renunciásse de Renunciat.* Nec obstat, nominationem habere vim præsentationis: quia hoc solùm verum est, si quis præsentatur ad Beneficium vacans, tunc enim res non est ampliùs integra: secus est de Beneficio vacaturo, ad quod dantur preces primariæ, sunt enim omnes expectativæ odiosæ: ideóque censetur res manere integra, si quis nominatus sit ad Beneficium vacaturum, *Cochier c. l.* Hinc infertur, quòd Cæsar primarias preces alicui concessas possit revocare, si necdum jus quæsitum sit Precistæ, sed tantùm nomen ejus in Albo, seu Rotulo Cæsaris descriptum; nam per talem inscriptionem non acquiritur jus in re, vel ad rem propriè dictum, sed tantùm annotatur nomen alicujus, ad Principis memoriam: secus est, si jus nominato sit quæsitum, tunc enim Princeps non debet sine causa gratiam jam factam ab illo auferre, *Cochier c. l. q. 17. fol. 32.*

CCCLXXIII. Quæritur tertiò. An si preces alicui concessæ non sint sortitæ effectum, ob mortem, v.g. Precistæ, hoc est, ejus, cui preces conferuntur, possit Cæsar alium nominare? Respondet affirmativè *Cochier, c. l. q. 5. fol. 24. & 25.* Ratio est, quia quando actus non habet effectum, secundùm intentionem disponentis, non restringitur ad unum actum, sed de ulteriore actu semper intelligitur, donec res sortiatur effectum, ut docet *Baldus in l. Invitus 3 17. in fine C. de Procurat.* Sic & commissio alicui facta de providendo, intelligi debet cum effectu. Non obstat, quòd omnis facultas disponendi, intelligi debet de unico actu, & primâ vice, *arg. l. Bonus 89. §. Hoc sermone, ff. de V. S.* quia Cæsar non intendit, nisi semel conferre preces, modò nominatio habuerit plenè suum effectum, unde illius, iteratio potiùs est ejusdem jam cœptæ continuatio, & complementum, quàm variatio, *Cochier c. l.* Similiter si Precista non admittat gratiam, seu nominationem ipsi factam, potest Cæsar liberè alteri eam conferre, & si is repudiat, iterum alteri, donec preces plenè sint sortitæ effectum, *Cochier c. l. q. 7. fol. 26.* Plures alias ejusmodi Quæstiones resolvit *Cochier c. l.* quæ tamen rarò in usu sunt, & ex eodem, vel simili fundamento dissolvi possunt.

§. VII.

Continuatur eadem materia de Cæsareis precibus primariis.

CCCLXXIV. Præterea concedit Pontifex *in §. Quodque quicúnque*, ut in quibusvis dignitatibus constituti, & Ecclesiarum Cathedralium Canonici, quos pro singulis personis precum, & nominationum hujusmodi Cæsar Executores constituerit, per se, vel per alium, sive alios, possint eisdem personis prædicta Beneficia, cum omnibus juribus, & pertinentiis conferre, & assignare, in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus per Litteras alternativas, aliàque privilegia concessis, aut concedendis mensibus vacaverint, si intra mensem, postquam vacatio ejusmodi Beneficiorum ipsis innotuerit, duxerint acceptanda. Idq; extenditur primò, etiamsi ipsa Beneficia dispositioni Apostolicæ, aliàs quàm per *Extravagantem Ad regimen*, generaliter fuerint reservata. Secundò, etiamsi ex diversis personis vacaverint. Tertiò, etsi personæ nominatæ, tempore assecutionis Beneficij, ad quod nominatæ sunt, aliud Beneficium in eadem Ecclesia jam antè obtineant. Quartò, etsi secundùm statuta, & consuetudines Ecclesiarum, in quibus Beneficia hujusmodi constituta fuerint, eorum capaces non fuerint, ob defectum legitimæ ætatis, aut legitimorum natalium, dummodò quoad ejusmodi qualitates requisitas, cum illis sit dispensatum, & Beneficia in eadem Ecclesia obtinenda, talia sint, quæ sine dispensatione Papæ simul obtineri possint, ac consueverint: nec dictorum Beneficiorum collatio ad Sedem Apostolicam legitimè fuerit devoluta; neque super illis inter aliquos lis pendeat indecisa. Quintò, etsi personæ ejusmodi duo, vel tria, vel plura cujuscúnque qualitatis, & annui valoris Beneficia (in diversa Ecclesia) obtineant, aut expectent.

Denique super his, ut preces, seu nominationes Cæsareæ effectum habeant, datur à Papa Executoribus plena, & libera, etiam per censuram Ecclesiasticam, exequendi potestas: ipsis verò nominatis conce-

» conceditur, ut unâ cum primariis precibus, alijs » quoq; expectativis, ac nominationibus, seu gratiis » specialium reservationum de quibusvis Beneficiis » aut mandatis de providendo, si ipsis concessa sunt, » uti possint, nec aliquâ gratiarum hujusmodi ex- » tinctâ, reliquæ cassæ, vel irritæ censeantur.

CCCLXXV. Pro declaratione *hujus* §. Notandum primò. Quia Ordinarij non facilè parebant Indulto primariarum precum, quas concedere solent Pontifices Cæsari recèns electo, ideò Papa constituit Delegatos suos pro executione nominationis Cæsareę, qui compellant Ordinarios ad conferendum. Debent autem isti Executores (quos Cæsar ipse elegit) esse in Ecclesiastica dignitate, vel personatu constituti, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici, his enim solis causæ, auctoritate Litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem committi possunt, juxta *c. Statutum* 3 11. *in princ. de Rescript. in 6. Cochier in precib. primar. Sec. 4. in Scholiis V. quodque quicunque fol. 52.* Possunt autem Executores hi constituere Subexecutores, cùm habeant jurisdictionem delegatam à Principe, videlicet à Papa, cujusmodi Delegati subdelegare possunt, ut constat *ex l. à Judice; 5. C. de judic.* dummodò isti Subdelegati, sive Subexecutores habeant qualitates requisitas *in cit. c. Statutum, Cochier cit. loc. V. Per se, vel per alium, fol. 55.* Porrò sicut Cæsar, mortuo Precistâ, potest nominare alium, ut suprà dictum: ita etiam mortuo Executore, vel Subexecutore, antequam hic contulerit, potest alium deputare, si Preces Cæsareæ nondum plenum sortitæ sunt effectum, qui non solùm per mortem Precistæ, sed etiam Executoris vel Subexecutoris impeditur. Aliud verò esset dicendum, si Executores, non à Cæsare ex concessione Papæ, sed ab ipso Papa deputarentur, tum enim ijs mortuis, recurrendum esset ad Papam, à quo tum nulli alij potestas deputandi Executores concessa foret, ut bene quoad hoc ait *Cochier c. l.*

CCCLXXVI. Notandum secundò. Potest Imperator concedere preces primarias ad Beneficia, in quibusvis etiam Ordinariis Collatoribus, per Constitutiones Pontificias, aut Litteras, alternativas (videlicet per Regulam VIII. Cancellariæ, per quam dantur illam acceptantibus, & residentibus sex menses alterni ad conferendum Beneficia in suis Ecclesiis vacantia, sicut & per Concordata Germaniæ) aliàque privilegia quæcúnque quomodolibet concessis, & inposterum concedendis mensibus, *prout habetur in Indulto Pontificio precum Cæsarearum cit. §. quodque quicúnque*, cui non est derogatum per Concordàta Germaniæ: tum quia hoc privilegium primariarum precum est multò antiquius ipsis Concordatis, nec Imperatoribus post Concordata concessum, sed pluribus sæculis antè, eo tempore, quo Papa potuit in omnibus mensibus indistinctè Beneficia conferre: adeóque non est præsumendum, Imperatorem Fridericum III. permissurum fuisse, ut tam antiquo, & insigni privilegio, Imperatoribus recenter electis concesso, per Concordata cum Sede Apostolica ab ipso inita præjudicaretur; renunciatio enim juris proprij non est præsumenda, nisi specialiter exprimatur. Tum quia neque præsumendum est, Pontificem voluisse illi privilegio per Concordata derogare, cùm per generale Rescriptum, seu dispositionem non tollatur speciale privilegium alicui priùs concessum, nisi illius mentio specialis fiat, juxta *Gl. Communiter receptam 3 in l. 3. C. de Silentiariis, lib. 12.* præsertim si sit privilegium remuneratorium, quale est istud, quod conceditur Imperatoribus, ob merita illorum in Ecclesiam, *Cochier c. l. V. Cùm in quibusvis etiam Ordinariis, fol. 59. 60. & 61.* Tum quia in Rota Romana Anno M DC XVIII. die 1v. Maij decisum fuit, quòd Indulum precum Cæsarearum comprehendit etiam Beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum, non obstantibus Concordatis Germaniæ; cùm illis nominatim & expressè, prout requiritur, fuerit derogatum in eodem Indulto posterioribus temporibus concesso, quam decisionem refert *Cochier c. l. fol. 63. & 64.* Tum denique quia id ipsum praxis confirmat, cùm Imperatores in quibusvis mensibus etiam Ordinariorum soleant primarias preces concedere, alioquin nimis angusta foret hæc gratia, si ad solos menses Pontificios restringeretur, *Cochier c. l. fol. 62. & 63.*

CCCXXVII. Notandum tertiò. Nominatus per preces Imperatorias ad Beneficium, debet illud intra mensem, numerandum à tempore, quo ipsi vacatio Beneficij (intellige per obitum) innotuit, acceptare, id est, declarare, per se, vel alium ejus Procuratorem, etiam Laicum) speciale ad hoc mandatum habentem, quòd Beneficium vigore precum Imperatoriarum petat, prout habetur *in eodem Indulto cit. §. Quòdque; Cochier ibid. V. per se, vel per alium, fol. 55. & 56. & V. intra mensem*, idque statutum fuit, quia diutina Ecclesiarum vacatio est ipsis dispendiosa, *c. Quàm sit; 6. de Elect. in 6.* Et hinc debet Precista Rescriptum precum Imperatoriarum, etiam ante elapsum mensem insinuare Collatori Ordinario, v. g. Episcopo, vel ejus Vicario, vel Capitulo (si collatio ad illud spectet) & quidem Capitulariter congregato, cùm singuli Canonici seorsim Capitulum non repræsentent: alioqui enim Ordinarij Collatoris manus non essent ligatæ, possétque, cùm vacat Beneficium illud, alteri conferre, *Cochier c. l. V. Duxerint acceptanda, fol. 73.*

CCCLXXVIII. Sed hîc circa prædicta occurrunt plura dubia. Nam primò dubitatur, à quo tempore mensis iste datus ad acceptandum Beneficium incipiat currere? Resp. à tempore vacationis publicè notæ, in loco, vel Ecclesiâ Beneficij vacantis, *arg. Clement. 1. de Conces. præb.* Nisi tamen Precista alleget, & probet absentiam, vel aliam justam causam ignorantiæ, *Cochier c. l. V. intra mensem, fol. 66.* Imò probabile est, quòd Precista possit acceptare Beneficium, etiam post mensem à tempore vaçationis elapsum, si res adhuc sit integra, hoc est, si Beneficium nondum alteri sit collatum, *Cochier c. l. fol. 67.* Ratio est, quia per Cæsareas preces, non agitur de novo jure acquirendo, sed de acquisito per nominationem conservando, & in effectum deducendo, ideóque per acceptationem invalidam dispositio, sive facultas acceptandi non extinguitur, *l. Matrimonij; 21. ff. qui & à quib. manumis. &c.* Adde, licèt per negligentiam Precista non acceptet Beneficium, quod scit vacare, poterit nihilominùs posteà acceptare, idque propter Clausulam extraordinariam adjectam in ipso Indulto precum §. *fin.* ubi dicitur, quòd non obstent Precistæ, quæ alioquin per Constitutiones Apostolicas requi-

requiruntur de insinuatione, & publicatione gratiarum expectativarum, & diligentiis desuper faciendis, in favorem Ordinariorum Collatorum: quamvis aliàs, si non essent istæ clausulæ derogatoriæ adjectæ, Precista excideret suis precibus, qui intra mensem per se, vel per alium Beneficium non acceptaret; quia non acceptando intra tempus præscriptum, non observaret formam Litterarum Apostolicarum, & per consequens actus esset nullus, & secundus impetrans præferretur primo impetranti, ut notat *Cochier c. l. fol. 68.*

CCCLXXIX. Dubitatur secundò. An si Precista sit negligens in acceptando primum Beneficium vacans, possit posteà petere secundum nulli adhuc debitum, si aliquod vacaverit? Resp. negativè, *Cochier c. l. V. intra mensem, fol. 68.* Ratio est, quia cùm Papa mandat alicui provideri de Beneficio, id intelligitur de primo vacaturo: unde si is negligens fuerit in petendo Beneficio, extincta est ea gratia, ut constat *ex c. Si Clericus*; 11, *in princ. h. t. in 6. & ex c. Gratia*; 7. *junct. Gl. V. Eligas, de Rescript. in 6.* Excipitur primò, ut non procedat, quando primus actus fuit invalidus, tunc enim iterari potest: nam dispositio loquens de actu, intelligi debet de primo actu valido, *arg. l. Qui per salutem*; 33. *ff. de jurejur.* Secundò, nisi acceptans non possit consequi illud, quod acceptavit. Tertiò, nisi acceptans protestetur in sua acceptatione, quòd non intendit acceptare Beneficium, nisi quatenus de jure sibi debetur, & in quantùm potest pacificè obtinere ejus possessionem. Quartò, nisi Precista per errorem elegerit, seu acceptârit Beneficium jam alteri collatum, vel debitum, vel Beneficium simplex pro dignitate: tunc enim poterit aliud eligere, & acceptare, juxta *Gl. Receptam*; *in c. 1. in fine V. Causa*; *de Conces. præb. in 6.* Has Limitationes affert *Cochier c. l. fol. 69. & 71.* Porrò etsi Papa in suo Indulto relinquat in arbitrio Precistæ, acceptare Beneficium vacans, quandocúnque, & quodcúnque maluerit, aut duxerit acceptandum, per hoc tamen aliud non tribuit eidem, quàm ut possit acceptare primum vacans, si velit: vel si nolit, possit expectare secundum, illúdque acceptare, & si nec istud, tertium, & sic de cæteris: quòd si semel unum acceptavit, non datur illi facultas variandi, & eligendi aliud, ut ex dictis patet, *Cochier c. l. n. 70.*

CCCLXXX. Dubitatur tertiò. Si Precista acceptavit Beneficium, & petiit sibi conferri, dicens, vacare per obitum Petri, cùm tamen vacet per obitum Pauli, an valeat acceptatio? Resp. affirmativè, modò constet de Corpore Beneficij, *ut post Rebuffum* docet *Cochier c. l. fol. 71. §. Affinis Quæstio:* Ratio est, tùm quia eligens jus, quod sibi falsâ opinione ductus putat competere, illud, quod sibi verè competit, non amittit, *l. Mater*; 19. *§. Cæterùm*; *ff. de inoffic. testam. l. Legitimum*; 8. *ff. de petit. hæred.* tum quia falsa demonstratio non vitiat actum, si de corpore, sive reconstet, *l. Demonstratio*; 17. *ff. de Condit. & Demonstr.* Non obstat, quòd non valeat impetratio Beneficij vacantis per obitum Petri, si vacet per obitum Pauli, etiamsi apponatur clausula, *aut quocúnque alio modo vacet*, non enim debetur impetranti, si vacet per aliam personam, quàm expressam, cùm expresso uno modo vacandi, non veniat alius, *c. Susceptum*; 6. *de Rescript. in 6.* Nam respondetur, id procedere de provisione Beneficij, quæ non valet facta ei, qui in petitione, seu supplicatione dixit; vacare per obitum Petri, cum vacet per obitum alterius: secus autem est in acceptatione, quæ non est, nisi quædam voluntatis declaratio, acceptandi tale Beneficium, & tendit ad executionem gratiæ, ideóque non impeditur, etiamsi erretur in modo vacationis, dummodò sequatur posteà vera, & actualis provisio, quæ dat jus in Beneficio, *c. Si tibi*; 17. *h. t. in 6. Cochier cit. loc.*

CCCLXXXI. Dubitatur quartò. An tempus istud unius mensis currat contra Minorem xxv. annis, vel legitimè impeditum? Resp. probabile est non currere, durante minore ætate, vel impedimento, *arg. l. 1. C. de annali exceptione, l. Ob commissa*; 21. *C. ad leg. Jul. de adult.* ex quibus, & similibus juribus sumitur illa regula, quòd legitimè impedito non currit tempus, dummodò impedimentum illud non sit affectatum, sicut neque absentibus justa de causa, *l. 1. ff. Ex quib. caus. major. Cochier fol. 72.* Non obstat, quòd in spiritualibus minor censetur major, *c. Ex parte*; 14. *de restit. spoliat. c. ult. de judic. in 6.* censendus enim est sui juris, sicut filiusfam. In Castrensi peculio: Nam hoc solùm verum est in his, quæ sunt merè spiritualia, ut matrimonium, ingressus Religionis, votum &c. secus est in alijs, quæ non sunt merè spiritualia, sed spiritualibus tantùm annexa, ut sunt Beneficialia: in istis enim contra Minorem non currit tempus præscriptionis, vel saltem conceditur illi enormiter læso restitutio in integrum, *Cochier c. l.*

CCCLXXXII. Notandum quartò. Indultum precum primariarum, & potestas illarum Executoribus in ea concessa, extenditur primò, ad Beneficia quævis Sedi Apostolicæ reservata, ut possint conferri Precistis, quos ad illa Cæsar nominavit: exceptis ijs, quæ Papæ reservata sunt *in Extravag. Ad regimen*, videlicet Beneficia Cardinalium, & Officialium Curiæ Romanæ, ubicúnque decedunt: eorum item Beneficiorum, qui aliunde cujusvis negotij causâ ad Curiam veniunt, si in Curia, vel in accessu, & reditu, intra duas dietas à Curia distantes, moriantur: præterea Beneficia, quæ vacant per privationem, depositionem, translationem, promotionem, assecutionem alterius Beneficij incompatibilis, si talis privatio, seu depositio, translatio, promotio, seu collatio Beneficij per Sedem Apostolicam facta sit, &c. hæc enim Beneficia non comprehenduntur sub precibus primariis: alia verò omnia, etsi reservata Papæ, sub ijs continentur: exceptio enim aliquorum casuum firmat regulam in contrarium, quoad casus non exceptos, *Auth. Ut autem lex, & ibi Gl. V. In auxilio*; *junct. Gl. Margin. de non alienandis, &c. Cochier c. l. Sec. 4. V. Aliàs quàm per Constit. Ad regimen*; *fol. 73.* Extenditur secundò, ad Beneficia ex diversis personis vacantia, videlicet quando plures simul, & eodem tempore, vel intra breve tempus moriuntur: vel quando plures de Beneficiis contendunt, & simul, si aliquod habeant, privantur. Non comprehenduntur autem hîc Beneficia, quæ vacant ex causa resignationis; privilegium enim nominandi, vel conferendi Beneficia, non habet locum in ijs, quæ vacant per resignationem in favorem, *Paris. lib. 10. de Resign. Benef. q. 7. n. 22.* Ubi rationem dat; quia re-

signans in favorem, non intendit jus à se abdicare, nisi Beneficium resignatum acquiratur resignatario. *Cochier c. l. V. Vacaverint, fol.* 74.

Extenditur tertiò. Etiamsi Precista jam antè Beneficium habeat in aliqua Ecclesia, potest enim vi precum Cæsarearum aliud in eadem Ecclesia obtinere, dummodo tamen talia sint, ut sine dispensatione Apostolica in eadem Ecclesia simul retineri possint, qualia sunt Beneficia difformia, sive diversi generis, ut dignitas, & Canonicatus, Beneficium curatum, & simplex, Canonicatus, & Capellania: hæc enim de jure sunt compatibilia, etsi residentiam requirant, cùm enim in eadem Ecclesia consistant, potest quis in utroque simul residere, nisi ratione oneris, vel ministerij, sive servitij sibi repugnent, quod utrique eodem tempore incumbit, *Garc. p.* 11. *de Benef. c.* 5. *n.* 235. licèt *ibid. n.* 243. dicat contrarium resolvisse S. Congreg. Concil. quæ tamen declaratio, vel non est authentica, vel non recepta, *Cochier c. l. V. Personæ nominatæ; fol.* 74.

Extenditur quartò. Quòd Executores precum possint nominatis à Cæsare conferre Beneficia, etsi non habeant qualitates, secundùm statuta, & consuetudines Ecclesiarum requisitas, ut si Precista careat nobilitate, quæ requiritur ex statuto, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ: imò etsi non habent qualitates secundùm Jus commune requisitas, v. g. ætatem, aut legitimos natales, modò super inhabilitatibus, quæ ex Jure communi proveniunt, legitimè cùm illis sit dispensatum: nam licèt Pontifex det potestatem Executoribus conferendi Beneficia incapacibus, etiam de Jure communi, vult tamen cum eis esse legitimè dispensatum: non enim concessâ potestate conferendi Beneficia, hoc ipso censeri debet esse, concessa potestas dispensandi, aut conferendi Beneficia inhabilibus, sine dispensatione, cùm hæc potestas specialem concessionem requirat, *arg. c. Auctoritate* 4. *de privil. in* 6. ut bene advertit *Cochier c. l. V. Secundùm statuta, fol.* 75. Quamvis quoad inhabilitates, quæ introductæ sunt per specialia statuta, & consuetudines Ecclesiarum, non requiratur dispensatio, cùm illæ per hoc Indultum, & clausulam appositam, quoad preces Cæsareas sublatæ videantur, *Cochier cit. loc.*

Extenditur quintò. Quòd Executores precum Cæsarearum conferre, & assignare possint, ac debeant Precistis Beneficia, ad quæ à Cæsare sunt nominati, etsi illi habeant duo, vel tria, vel plura Beneficia qualiacúnque in alijs Ecclesiis, & cujuscúnque valoris annui, *Cochier c. l. V. Etiam duo, vel tria, fol.* 78. Neque illis obstant aliæ gratiæ expectativæ, seu nominationes, aut mandata ijs providendi de Beneficiis vacaturis, si præter preces Cæsareas, alias à Sede Apostolica impetrârunt, ut habetur *in fine cit.* §. *Quodque*: imò nec exprimere tenentur Beneficia, quæ alibi habent, *Cochier c. l.*

CCCLXXXIII. Notandum quintò. Sub prebibus Cæsareis non comprehenduntur Beneficia ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, de quo *in c. Cùm ex nostris* 5. *de Conces. præb.* ut habetur *in cit.* §. *Quodque*: Secus autem est dicendum de Beneficiis, quorum collatio devolvitur ad immediatum Superiorem, v. g. à Prælato, seu Abbate non exempto ad Episcopum, talia enim Beneficia subjacent precibus Cæsareis; quia in Indulto solùm excepta sunt Beneficia devoluta ad Papam, ergò secus de devolutis ad alios inferiores Papâ, exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis, *Cochier c. l. V. Ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta, fol.* 76. *&* 77. Ubi id limitat, nisi Papa præveniret immediatum Superiorem in conferendo Beneficio, cùm possit concurrere cum Episcopo, vel alio inferiore Collatore Ordinario. Præterea preces Cæsareæ non comprehendunt Beneficia litigiosa (si illa post litem inceptam concessa sunt, secus si ante) nec tenetur Precista illa acceptare, quamvis si sciens Beneficium litigiosum acceptet, debeat litem prosequi, *ut ex Probo notat Cochier c. l. V. Lis pendeat indecisa, fol.* 77. Imò generatim gratias expectativas non cadere super Beneficia litigiosa, decisum est *in Rota decis.* 28. *de Concess. præb. in antiquis, apud Cochier c. l.* Verùm si lis sit notoriè frivola, preces locum habent, lis enim injusta, vel calumniandi causâ intentata, non inducit vitium litigiosi, *l.* 1. *ff. de litigios.* sicut neque inducitur in Beneficiis, si lis tantùm sit super possessione illorum, *Cochier cit. loc. fol.* 77.

CCCLXXXIV. Notandum sextò. Executores deputati à Cæsare debent ijs, qui ab illo nominati sunt ad Beneficia, conferre, & assignare Beneficia, & postquam ipsis Canonicè provisum est, Collatores eosdem accipere, & admittere debent, prout habetur *in Indulto precum*, §. *Hinc est. in fine*; adeóque collatio semper fit Executoribus, Collatoribus verò nudum receptionis, sive installationis ministerium, quam Canonica provisio præcedere debet; quia Precista habet validum Titulum coloratum ex concessione precum ipsi facta à Cæsare, *Cochier c. l. fol.* 79. Quòd si Collatores nolint Precistas recipere, Executores eos compellant per censuras Ecclesiasticas ad recipiendum, & dandam possessionem, *Cochier c. l. V. Conferre; fol.* 78. ubi addit, quòd sine justa causa contradicentes executioni precum Cæsarearum possunt Executores excommunicare, & tunc eo ipso cadunt jure, si quod in illo Beneficio habeant.

CCCLXXXV. Notandum septimò. Etsi concessio precum primariarum pertineat ad gratias Exspectativas, cùm Cæsar jus habeat nominandi ad Beneficia proximè vacatura, non tamen ea adversatur SS. Canonibus, *c.* 2. *c. Constitutus* 5 11. *de Conc. præb. c.* 2. *eod. in* 6. *& similibus*, in quibus Expectativæ ad Beneficia vacatura, per quas votum captandæ mortis alienæ inducitur, reprobantur, & prohibentur; quia hujusmodi concessio & gratia Cæsaris generalis, est incerta, ut advertit *Andr. Gail. lib.* 2. *obs.* 155. *n.* 7. *in fine*, adeóque non ita inducit periculum captandæ mortis, cùm expectans nesciat, quis proximè sit moriturus, aut cui sit successurus. Sed neque adversatur *Concilio Tridentino Sess.* 24. *c.* 19. *de reform.* Ubi tollit quascúnque gratias expectativas ad Beneficia vacatura, ita, ut neque hactenus concessis uti liceat: imò & reservationes mentales, per quas scilicet Papa reservabat Beneficium aliquod, vel in specie, vel in genere per Bullam, vel per Breve, ut personæ gratæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat, provideret, ideóque dicebatur reservatio mentalis. Nam in dicto Decreto Concilij non comprehendi primarias preces Cæsareæ Majestatis, censuit

censuit, ex sententiâ Congregationis Concilij, ipse Papa Gregorius XIII. in Litteris Apostolicis editis Anno Domini 1575. die 25. Januarij, prout habetur *in Declarationibus Cardinalium ejusdem Decreti, apud Jo. Gallemart ibid. n. 1. & apud Cochier in Proëmio precum primariarum, fol. 2. & 3.* Non enim in illo Decreto Concilij nominatur Imperator: qui cum sit speciali notâ dignus, nominatus fuisset, si Concilium voluisset illum comprehendere, sicut nominavit Cardinales, qui & ipsi sunt speciali notâ, seu expressione digni.

CCCLXXXVI. Postremò *in dicto Indulto Pontificio precum Cæsarearum, §. Non obstantibus*, subjunguntur clausulæ derogatoriæ eorum, quæ eidem obstare possent. Et inprimis derogat Pontifex Constitutionibus Apostolicis de non utendo gratiis Expectativis: item de diligentiis faciendis in favorem ordinariorum Collatorum, de quibus suprà. Secundò, Litteris exspectativis concessis in forma pauperum, juxta *c. Si pauper 30. h. t. in 6.* sive mandatis de providendo pauperibus Clericis, non habentibus Beneficium: item Litteris de providendo personis Illustribus, aut Graduatis, omnes enim hujusmodi Litteræ non obstant precibus Cæsareis, si contingat illas concedi super talibus Beneficiis, quòminùs dictæ preces ijs conferantur. Tertiò, derogat Regulis Cancellariæ Apostolicæ, quandocúnque publicatis, & publicandis, quibus expressè, & speciatim derogari debuit; quia per clausulam derogatoriam generalem, *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis*; non censetur derogatum, nisi Constitutionibus ordinariis, non extraordinariis, quales sunt Extravagantes, & Regulæ Cancellariæ, *Cochier c. l. Sec. 5. §. 1. V. Publicatis, & publicandis, fol. 90.* Quartò, derogat statutis, & consuetudinibus aliarum Ecclesiarum, etiam juramento, & confirmatione Sedis Apostolicæ roboratis; quia similiter per clausulam generalem derogatoriam non tolluntur statuta jurata, vel per Principem confirmata, *Cochier c. l. V. Juramento. & V. Confirmatione Apostolicâ, fol. 91.* Cui etiam Indulto non vult derogari Pontifex, per quascúnque Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, à verbo ad verbum, de eodem mentionem. Quintò derogat etiam ipsis Concordatis Germaniæ, eorúmque confirmationi, quatenus huic Indulto adversantur. Sextò, denique derogat quibusvis aliis privilegiis, Indultis & Litteris Apostolicis Indulto huic quocúnque modo adversantibus, etiam motu proprio Papæ, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum clausulis derogatoriarum derogatoriis, & alijs insolitis concessis, & decernitur quicquid contra, quâcúnque Auctoritate attentatum fuerit, irritum, & inane. Plura videri possunt apud *Cochier Sec. 5. §. 1. & 2.*

TITVLVS VI.

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

Dictum est supra, quòd Beneficia, & Præbendæ nonnisi iis, qui per se residere: & Ecclesiis deservire possint, conferenda sint, cùm Beneficia Ecclesiastica dentur Clericis propter præstandum officium, c. ult. de Rescript. in 6. Sed quia meritò dubitari poterat, quid agendum sit, si Clericus Beneficiarius propter ægritudinem, vel mutilationem officium præstare nequeat: ideo subjicitur hic Titulus, in quo de hac re agitur, qui extat etiam in Sexto Decretalium.

§. I.

An Clericus propter ægritudinem, vel mutilationem amittat Beneficium suum, vel saltem fructus illius, & quando ei dari possit, vel debeat Coadiutor.

I.

ASSERTIO 1. Clericus, qui infirmitate impeditus est, quòminùs Ecclesiæ serviat, & officium præstet, non solùm non amittit Beneficium suum: sed etiam pro serviente, ac residente habetur, ita, ut omnes fructus Beneficij sui integrè percipere debeat, ac si Ecclesiæ inserviret. Ita statutum habetur *in c. Cùm percussio 1. h. t.* Ubi rescribit Papa Gregorius I. Episcopo Candido, quòd propter ægritudinem, per quam Clericus à servitio Ecclesiæ impeditur, non debeant illi subtrahi, aut minui debita stipendia, sed omnia ea ipsi præberi, quæ, si sanus esset, ab ipsa Ecclesia percipere poterat; quia alioquin alij exemplo deterrerentur, ac proinde idonei Ministri non reperirentur, qui Ecclesiæ servire velint. Consentit *c. Cùm percussio; 2. caus. 7. q. 1.* ubi dicitur, quòd afflictio non debeat addi afflictis.

II. Ampliatur autem assertio: Quòd non tantùm fructus Beneficij: sed etiam quotidianas distributiones debeat percipere Clericus infirmus, ut constat *ex c. unic. de Cleric. non resident. in 6.* Limitatur autem, ut solùm procedat, quando infirmitas est causa principalis, & proxima non serviendi Ecclesiæ: Nam si ante infirmitatem, dum sanus erat Clericus, non residebat, nec serviebat Ecclesiæ, tum propter infirmitatem supervenientem, non habebitur pro residente; nam casus superveniens recipit declarationem,

nem, secundùm statum proximè præcedentem, *arg. c. Majores 3. in fin. de Baptis.* ac proinde, sicut ante morbum non debentur illi distributiones quotidianæ, ita, nec post morbum, *Abb. hìc n. 6.*

III. Assertio 2. Sed neque Clericus propter mutilationem amittit Beneficium, quod habet, quin & » fructus ejus nihilominùs percipere potest: Quam- » vis Presbyter mutilatus, cui v.g. duo digiti, cum me- » dietate palmæ, abscissi sunt, non permittatur Mis- » sam celebrare; quia nec securè propter debilita- » tem, nec sine scandalo, propter deformitatem, po- » test celebrare: verùntamen alia officia Sacerdota- » lia (v. g. audire Confessiones) à quibus non est im- » peditus per mutilationem, talis exercere non pro- hibetur, prout rescribit Papa Eugenius *in c. Presbyterum 3. h. t. qui est casus illius c.*

IV. Ex quo colligitur primò. Quòd duæ generatim sint causæ, quæ inducunt irregularitatem ex corporis vitio, sive inhabilem faciunt ad exercendum officium Sacerdotale, vel in totum, vel saltem ex parte, quarum quælibet per se sola sufficit, videlicet propter debilitatem, per quam impeditur congruum exercitium Ordinis, vel propter notabilem deformitatem, quæ parit scandalum, vel horrorem aliquem affert spectantibus, *Abb. hìc n. 2.* Colligitur secundò. Vitium, seu defectus corporis, absque culpa, proveniens (*ut in casu hujus c.* ubi Presbyter mutilatus fuit à prædone) per quod impeditur congruum exercitium Ordinis, propter impotentiam, seu debilitatem, vel notabilem deformitatem, licèt ante susceptos Ordines absolutè irregularitatem inducat: tamen post susceptos Ordines, non facit aliquem irregularem simpliciter: sed solùm inhabilem, & impeditum ad exercendum illum actum, seu officium Ordinis suscepti, quod propter debilitatem, sine periculo, & irreverentia, vel propter notabilem deformitatem, sine scandalo, obire nequit, *Abb. hìc n. 4. Garc. p. 7. de Benefic. c. 12. n. 18.* ubi *n. 19.* addit, quòd in casu *hujus c. 2.* ei, qui duos digitos, & dimidiam palmam amisit, sine sua culpa, possit conferri Beneficium non requirens celebrationem Missæ, non autem requirens illam, & sic posset illi confetri Beneficium simplex.

» V. Assertio 3. Si Rector Ecclesiæ, seu Paro- » chus leprâ infectus sit, ita, ut Altari servire non » possit, nec sine magno scandalo Ecclesiam ingredi, » Coadjutor ei dandus est, qui curam animarum ge- » rat, eique ex reditibus Ecclesiæ ad suam sustenta- » tionem congrua portio assignari debet, ita statuit Lucius III. *in c. De Rectoribus 3. h. t.* Ratio est, quia nihil cum scandalo fieri debet, dummodo sine peccato vitari possit *Gl. hìc V. Scandalo.* Hinc colligitur primò. Leprosos à communi hominum consortio separandos esse, ne sani contagione morbi inficiantur, *c. Resecandæ 16. caus. 24. q. 3.* Ideóque etiam ingressus Ecclesiæ leprosis interdici potest, *Abb. hìc num. 4.* Colligitur secundò. Quòd Rector Ecclesiæ, seu Parochus leprosus, vel aliâ infirmitate diuturnâ, aut perpetuâ, quæ incurabilis videatur, laborans, à sua Ecclesia, vel officio non sit removendus: sed dandus est illi Coadjutor, ita, ut cura animarum habitualis penes Rectorem, vel Parochum infirmum: quoad exercitium verò, sit penes Coadjutorem, *Hostiens. hìc V. Animarum, & Jo. Andr. n. 1.*

VI. Cæterùm decisio *hujus c.* procedit, quando Rector Ecclesiæ, seu Parochus Leprosus, vel alia simili infirmitate laborans, non potest suum officium spirituale exercere, ipsíque Ecclesiæ servire, ita tamen, ut administrationem in temporalibus adhuc retinere, & gerere possit, hocautem casu, ei Coadjutor dari debet in spiritualibus, & cura animarum exercenda, ipse verò Rector Ecclesiæ, seu Parochus infirmus omnes reditus percipiet, congruâ portione ex ijs Coadjutori assignatâ, juxta *cit. c. 3. h. t. Abbas ibidem n. 5.*

Si verò Rector Ecclesiæ, vel Parochus propter lepram (vel alium similem morbum incurabilem) non tantùm officio spirituali præesse non possit: sed neque administrationi rerum temporalium, tum ab officio administrationis (in utrisque) pro- » pter scandalum, & abominationem populi re- » moveri debet, & juxta facultates Ecclesiæ, ei- » dem necessaria ad sustentationem, quàmdiu vi- » xerit, suppeditanda sunt, prout statuit Clemens » III. *in c. Tua nos 4. h. t.* ubi, ut notat *Abbas* » *ibid. num. 2.* Rector Ecclesiæ Parochialis vocatur Prælatus, non strictè, sed latè loquendo; quia saltem in foro pœnitentiali jurisdictionem habet, & exercet.

VII. Porro an hoc casu, si Parochus incidat in lepram, vel alium morbum incurabilem, omnino removendus ab Officio, & Beneficio, ejúsque administratione, congruâ ei ex reditibus Ecclesiæ portione assignatâ, & alius in locum ipsius substituendus, & intitulandus sit, controvertitur inter DD. Affirmat *Gl. Margin. lit. A. in cit. c. De Rectoribus, & Gl. in cit. c. Tua nos; V. Administrationis, h. t. & ibid. Innocent.* Saltem si morbus sit talis, ut quis sine gravi scandalo, & horrore, in communi societate hominum vivere non possit, tunc enim privari potest, non solùm administratione, sed etiam jure Beneficij, propter bonum publicum, adeóque talis privabitur, sine culpa, sed non sine causa; idque satis colligi videtur *ex cit. c. Tua nos*; ubi absolutè dicitur, quòd talis ab administrationis officio debet removeri, & consequenter alius ei substituendus est in officio, qui proinde non erit Coadjutor, sed Rector principalis, & totalis.

Contrarium tamen non minùs probabiliter tenet *Joan. Andr. in cit. c. Tua nos; num. 3.* ubi ait, quòd talis Rector non removetur ab Officio prælationis, sive Rectoriæ: sed ab officio administrationis, *Abb. ibid. n. 4. Suar. dis. 51. de Cens. Sec. 2. n. 18. Garc. p. 4. de Benefic. c. 5. num. 5. & 6 & novissimè Fagnan. in cit. c. De Rectoribus; n. 7. h. t. & alij.* Qui docent, Parochum, vel alium Beneficiarium nunquam posse, etiam propter infirmitatem perpetuam, removeri, aut privari jure, & Titulo Beneficij, nisi is consentiat, seu renunciet: sed solùm posse removeri ab Officio, & Beneficio, quoad actuale exercitium, & administrationem, si neque in spiritualibus, neq; in temporalibus propter infirmitatem ei præesse possit; & sic intelligendũ esse *cit. c. Tua nos.* Et hoc casu, tota administratio in spiritualibus, & temporalibus pertinet ad Coadjutorẽ, qui congruâ portione Parocho, vel Beneficiario datâ, & sibi etiam sufficiente retentâ, reliquos Beneficij fructus, si abundantes habeat, in utilitatem Ecclesiæ expendere debet, *Abb. in cit. c. 3. n. 5. h. t.*

VIII. Illud

VIII. Illud hîc addendum, si reditus Ecclesiæ non sufficiant ad sustentationem utriûsque, Rectoris, seu Parochi, & Coadiutoris, etsi *Gl. fin. in cit. c. De Rectoribus* 3 dicat, providendum esse Coadiutori, qui servit Ecclesiæ, ex reditibus Ecclesiæ, infirmo verò Rectori ab Episcopo, *c. 1. dist. 82.* ubi tamen solùm generaliter disponitur, ut Episcopus pauperibus, & infirmis, qui suis manibus laborare non possunt, victum, & vestitum largiatur. Contrarium verò probabiliùs tenet *Abb. in cit. c. De Rectoribus* 3 *in 6.* inprimis ex reditibus Ecclesiæ providendum esse infirmo Parocho, & deinde si pto utroque reditus Ecclesiæ non sufficiant, Coadiutori providebit Episcopus, vel cogendi sunt Parochiani, ad subveniendum ipsi, si aliunde se sustentare non possit, *Azor. p. 2. lib. 3. c. 2. q. 9. Fagnan. in cit. c. De Rectoribus; n. 12. h. t.* ubi rationem, cur hoc casu, ipse Parochus infirmus præferendus sit Coadiutori, eique priùs subveniendum ex reditibus Ecclesiæ, hanc reddit; quia Parochus æger censetur Ecclesiæ nihilominùs inservire, *c. 1. h. t.* ergo illi priùs subveniendum est ex reditibus Ecclesiæ, qui servit Altari, *c. Cùm secundùm 16. de præb.* Et cùm habeat titulum, & possessionem Beneficij, unâ cum servitio, præferendus est Coadiutori, qui nec jus, nec titulum habet in Beneficio: sed tantùm exercitium, & administrationem: imò nec possessionem, cùm illam habeat ipse Parochus, seu Beneficiatus, possessio autem non possit esse penes plures in solidum, *Fagnan. c. l. n. 35.*

IX. Assertio 4. Si Episcopus, propter morbum gravem, & incurabilem, pastorale officium exercere non possit, ei Coadiutor est adjungendus, pro» ut statuitur *in c. Ex parte 5. h. t.* Nam cùm Epi» scopus Aurasiensis gravi ac incurabili morbo ferè » per quadriennium laborâsset, ita, ut pastorale of» ficium nullatenus posset exercere, Princeps illius » Regionis, & Cives petierunt ab Archiepiscopo » Arelatensi Metropolitano suo, ut alium ipsis Epi» scopum provideret. Verùm Archiepiscopus hoc » significavit Papæ Innocentio III. Qui respondit, » cùm Episcopus iste ad renunciationem compelli » non possit, nec debeat, & afflictio non sit adden» da afflicto: sed potiùs ejus miseriæ condolendum » sit, eò quòd ipse vir bonus extiterit, & Ecclesiam » sibi commissam bene gubernaverit: ideo mandare » se Archiepiscopo, ut illi adjungat virum provi» dum, & honestum, per quem tam Episcopo, » quàm populo utiliter consulatur. Rationem aliam, præter allatas in Textu, dat *Gl. fin. hîc*; quia Beneficia Ecclesiastica (& maximè Episcopatus) non solent conferri ad certum tempus: sed in perpetuum, sive ad vitam eorum, quibus conferuntur.

X. Cæterùm Episcopus nunquam propter infirmitatem incurabilem, vel decrepitam senectutem amoveri potest ab Officio Episcopali, idque speciali etiam ratione; quia inter Episcopum, & Ecclesiam suam veluti indissolubile matrimonium ex spirituale intercedit, *c. 2. de transl. Episc. ut ex Hostiensi notat Ioan. Andr. in cit. c. Tua nos; in fine h. t.* Etsi verò Episcopus, propter morbum etiam perpetuum, & incurabilem, non possit cogi ad cedendum officio suo, potest tamen compelli ad recipiendum Coadjutorem, qui datur etiam invito, *ut patet ex hoc cap.* Si verò sit morbus temporalis, & curabilis, nec Curator ei dandus est, *Abb. hîc nu. 2. not. 1.* quamvis hoc casu possit constituere Vicarium temporalem, *Fagnan. hîc n. 4.*

Utrùm verò, si Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus sine culpa sua, amittat usum linguæ, vel oculorum, vel aliàs inhabilis fiat ad officium Episcopale, debeat omnino amoveri, an non, sed Coadiutor illi dandus sit, dubitatur? Ratio dubitandi est, quia aliud scrutinium adhuc supereſt, juxta *c. 1. De ætat. & qualit.* in quo non debet admitti minùs idoneus. Sed oppositum tenet *Ioan. Andr. in cit. c. Ex parte; num. 1. & Abb. ibid. n. 4.* quia consecratio nihil addit ad Conjugium spirituale Episcopi, & nullus Prælatus, sine culpa sua, removeri debet ab officio.

XI. Assertio 5. Etiam Prælati Episcopo inferiores non sunt removendi ab officio propter supervenientem morbum incurabilem, & perpetuum: sed si ad officium exercendum facti sint inhabiles, dandus est illis Coadiutor, prout sumitur *ex c. Consultationibus 6. & ult. h. t.* Ubi Honorius III. re» scribit, quòd Archidiacono, qui morbo Paraly» tico laborans, officium, seu usum linguæ amisit, » dandus sit Coadiutor. Idémque est, si usum o» culorum amisisset, *Gl. hîc V. Officium linguæ:* Sed & personatum habentibus, vel quodcunque Beneficium certi officij ac ministerij, ob morbum perpetuum impeditis, dari debet Coadiutor. *Hostiens. hîc & Fagnan.*

XII. Prædictis addendum, quòd non solùm propter morbum diuturnum, & incurabilem, senium, furorem, vel amentiam, &c. sed etiam propter imperitiâm dari possint Parochis, aliisque Curatis Coadiutores, prout statuit Concilium Tridentinum *Sess. 21. c. 6. de reform.* ubi dicitur: quòd Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, Rectoribus Ecclesiarum Parochialium illiteratis, & imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partémque fructuum ijsdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quâcunque appellatione, & exemptione remotâ, adeóque etiam in Parochiis exemptis hoc potest Episcopus, *Zerola in praxi Episc. p. 1. V. Parochia in Responſ. ad 7.*

Porrò propter concessionem Coadiutoris, non liberatur is, cui datus est, à residentia, v. g. Parochus, ut tradit *Garc. p. 4. c. 5. num. 8.* & in specie si Parochus sit inhabilis, vel illiteratus; ne alioqui melioris sit conditionis illiteratus, quàm litteratus, *Barbos. lib. 3. Iur. Eccl. c. 10. num. 29. & 30.* juxta declarat. S. Congregat. Concil: *cit. c. 6. apud Io. Gallemart. ibidem n. 2.* Sed neque ex eo, quòd is, cui datus est, liberatur à residendo ipse Coadiutor; quia etiam Coadiutores Rectorum Parochialium auctoritate Apostolicâ institutos ad personalem residentiam teneri, sicut ipsos Rectores, censuit S. Congregatio Concil. apud *Barbos. c. l. n. 31.*

§. II.

Quis assignare, seu dare possit Coadiutorem, & quomodo, ac qualis dari debeat?

XIII. Assertio 1. Episcopis, & Prælatis, ijs Superioribus, videlicet Archiepiscopis, & Patriarchis Coadiutorem dare, ad solum Papam spectat, prout statuit, & declarat Bonifacius VIII. *in c. Pastoralis; unic. h. t. in 6.* ubi inprimis ait, quòd datio » Coadiutorum Episcoporum, & Prælatorum ijs » superiorum numeranda sit inter causas majores, » ideóque ad Sedem Apostolicam referenda, & ab » ea tantùm petenda est, non obstante contrariâ » consuetudine. Ne verò eâ ex re Ecclesiæ, præ» sertim ab Urbe remotæ, detrimentum patiantur: » ideò decernit Pontifex, ut si Episcopus senio, vel » corporali invalitudine gravatus, vel ex alia causa » in perpetuum impeditus, Pastorale officium exer» cere non valeat, ipse Episcopus, cum consilio, & » consensu sui Capituli, vel majoris partis ipsius, » unum, vel duos Coadiutores auctoritate Apostoli» câ sibi assumere possit, ad officium suum exequen» dum. Si verò Episcopus amens factus sit, ita, ut » voluntatem suam exprimere, seu declarare non » possit, tunc Capitulum ejus, vel duæ partes Capi» tuli, eâdem Apostolicâ auctoritate unum, vel duos » Coadiutores idoneos designent, & assumant, qui » illius officium exequantur. Sin autem Episcopus » senio, vel morbo incurabili affectus, vel perpetuo » impedimento detentus, ideóque ad sui officij exe» cutionem inutilis redditus, sed sui compos, nolit » Coadiutorem sibi assumere, licèt à Capitulo suo » de hac re monitus, quia fortè illius auxilio se non » indigere asserit: tunc Capitulum nihil innovet, » sed Episcopi, & Ecclesiæ suæ conditionem, omnés» que circumstantias facti, quàm citò fieri potest, ad » Sedem Apostolicam fideliter, & expressè referat, » ac perscribat, & quod ab eadem Sede ordinatum » fuerit humiliter, & efficaciter implebit.

XIV. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò. Ideo datio Coadiutorum censetur esse inter causas majores, quæ in signum specialis prærogativæ Sedi Apostolicæ sunt reservatæ; quia & mutationes Episcoporum sunt de majoribus causis, *c. Mutationes; 34. caus. 7. q. 1. c. Nisi; 3. De offic. Legati*: per dationem autem Coadiutoris, etsi non fiat mutatio quoad dignitatem, fit tamen quoad administrationem, *Joan. Monach. hic num. 3. & Franc. ibidem num. 3.*

Notandum secundò. Licèt Archiepiscopus sit Superior Episcopo, non tamen potest dare Episcopo Coadiutorem; quia dare Coadiutorem est actus jurisdictionis, non in personam Episcopi, sed in ordine ad Diœcesin: atqui Archiepiscopus, seu Metropolitanus nullam jurisdictionem potest exercere erga Diœceses Coëpiscoporum, nisi id ipsi in jure specialiter concessum sit, *c. Pastoralis; 11. De offic. Ordin.* vel ex antiqua consuetudine introductum, *Gl. hic V. Tantummodò; in addit. & Joan. Andr. ibid.*

Notandum tertiò. Senio affectus censetur Episcopus, si sit major 70. annis, *ut ex Archidiac. tradit hic Franc. §. Verum; n. 2.* Quamvis Gonzal. apud *Barbos. in Collectan. hic n. 7.* putet, quòd ætas 60. annorum sufficiat ad dandum Coadiutorem Episcopo propter senium: alij verò apud *Franc. c. l.* rectiùs dicunt, senium considerandum esse, secundùm Episcopi complexionem, cùm alij citiùs, alij tardiùs senescant.

Notandum quartò. Licèt Capitulum Episcopo consentienti Coadiutorem, seu Curatorem dare possit, vel ipsi petenti, aut desiguanti consensum dare: imò etiamsi Episcopus sit amens, ita, ut consensum dare non possit, ipsum Capitulum unum, aut duos Coadiutores, ex delegata potestate Papæ vihujus Canonis, designare, & assumere possit, sicut patri furioso filius Curatorem bonorum petere potest, *l. 3. C. de Curat. furios.* imò ipsemet filius Curator patri dari potest, si idoneus sit, *l. 1. in fine; & l. 2. ff. eod.* Capitulum autem habet se instar filij erga Episcopum, tanquam patrem: non tamen potest Capitulum Episcopo, si demens non sit, invito Coadiutorem dare, vel ad eum acceptandum ipsum cogere; quia inferior jurisdictionem erga Superiorem exercere non potest, *c. Inferior; 16. de major. & obed.* Capitulum autem est subjectum Episcopo, veluti corpus, seu membra capiti, *Gl. hic V. Demens, & V. Noluerit*, ubi addit, quòd Capitulum in hoc casu, si Episcopus Coadiutorem assumere, vel habere nolit, mandatum, sive potestatem delegatam à Papa, ad quem spectat ejus datio, non habeat, ad Coadiutorem Episcopo invito dandum. Porrò eo casu, quo Capitulum Episcopo amenti Coadiutorem unum, vel duos dare potest, requiritur consensus duarum partium Capituli, nec sufficit consensus majoris partis, ut aliàs regulariter: quod speciale est, sicut etiam in electione S. Pontificis, & postulatione, quæ concurrit cum electione, *Gl. hic V. Duæ illius partes.* Neque verò hoc casu Capitulum plures, quàm duos Coadiutores dare potest; quia quando lex, vel statutum determinatum numerum præfigit, non potest is excedi, & cùm Capitulum non nisi ex delegata potestate Papæ, unum, vel duos Coadiutores dare possit, debet servare limites mandati, *Gl. hic V. Aut duos, Franc. ibid. §. Si verò; nu. 3.* Ideo autem Jus statuit plures, quàm duos, dari non posse; ne nimiùm graventur Ecclesiæ, ex quarum reditibus ali debent Coadiutores, *Gl. hic V. Aut duos.*

Notandum quintò. Coadiutor Episcopo datus ex proventibus Prælaturæ, seu Episcopatûs portionem moderatam accipere debet, ut habetur *in hoc t. §. Præsenti*, non enim cogitur propriis militare: seu servire stipendiis, *Gl. hic V. Moderatos.*

Notandum sextò. Alijs Prælatis Episcopo inferioribus non exemptis, si officio suo præesse nequeant, sicut & Parochis, Coadiutores dare potest proprius eorum Prælatus superior, videlicet Episcopus, qui potest eosdem, & instituere, seu privare, ut ex communi tradit *Io. Andr. in c. ult. n. 7. h. t. Abb. in tit. c. unic. n. 1. not. 2. h. t. in 6.* Quare etsi collatio Beneficij spectet ad Prælatum inferiorem Episcopo, nihilominùs dare Coadiutorem illi Beneficiato, pertinebit ad Episcopum; quia qui habet tantùm potestatem conse-

conferendi, non potest institutum destituere, seu deponere, nec renunciationem ejus admittere, nisi Beneficium illud plenè subjectum sit illi Prælato inferiori: tunc enim ille habet quasi Episcopalem jurisdictionem, respectu illius Beneficij, adeóque etiam datio Coadjutoris ad eundem pertinebit, *Abb. c. l.*

XV. Assertio 2 Si Coadjutor datus sit tantùm ad temporalium rerum administrationem, debet esse prudens, & in ea re exercitatus: si verò ad spiritualia administranda, & animarum curam gerendam datus sit, debet habere scientiam ad illam necessariam, unâ cum vitæ, morúmque honestate, *Abb. in cit. c. ult. n. 1. q. 2. h. t.*

Quòd verò ad ætatem attinet, in ea esse debet Coadjutor, quæ requiritur ad Beneficij administrationem: quare si Parocho datus sit, ad gerendam curam animarum, debet attigisse xxv. ætatis annum. *Si* verò Episcopo detur Coadjutor, vel datur ad spiritualium administrationem, & debet compleviſſe xxx. annum: vel datur solùm ad temporalium administrationem, & sufficit, si compleverit xxv. annum: nam hæc censetur in jure perfecta ætas, ita, ut Tutor, vel Curator, vel Procurator esse possit, *l. Si reliquero; 8. junct. Gl. V. Si perfectæ ætatis; ff. de legit. Tutor. & l. ult. C. eod. c. Qui generaliter; 5. §. fin. de Procurat. in 6. Abb. c. l. q. 3.* Et generatim si datus sit alijs Beneficiarijs, sufficit, si eos ætatis annos attigerit, vel excesserit, quos requirit Beneficium, vel Officium, ad cujus administrationem datur, *Azor. p. 2. l. 2, c. 2. q. 6.*

Prætereà Coadjutor Parocho, vel alij Beneficiario datus, debet esse Clericus, nam Laicus dari non potest ad rerum spiritualium administrationem, nec etiam ad temporalium; quia Laicus generalis Administrator Ecclesiæ esse non potest, *c. Judicatum; 5. dist. 89.* posset tamen à Papa dari Laicus Coadjutor, etiam ad spiritualia quædam gerenda, cùm possit Papa Laico potestatem excommunicandi, & causam spiritualem committere, *Abb. c. l. n. 2. q. 4. Azor. c. l. q. 7.* Religiosus verò potest dari Coadjutor Episcopo, vel Parocho, cum Abbatis sui, seu Superioris regularis consensu; quia cùm necessitate exigente, vel ob utilitatem publicam, possit præfici Ecclesiæ sæculari, esseque Episcopus, vel Parochus, ergo etiam illorum Adiutor, *Abb. c. l. n. 4. q. 6. Azor. c. l. q. 8.* Denique etiam fœmina, v. g. Monialis, sicut potest esse Abbatissa, vel Priorissa, ita etiam dari in Coadjutricem ejusdem, *Abb. c. l. n. 3. q. 5.*

§. III.

Quæ sit potestas, sive Officium Coadiutoris, & quando expiret?

XVI. Assertio 1. Officium Coadiutoris Episcopo, vel alteri Prælato, aut Rectori, seu Parocho propter senium, aut infirmitatem assignati est, ut Episcopi, vel Rectoris curam gerat, & Ecclesiæ, sive populi, ut colligitur *ex c. Ex parte; 5. in fine, ibi; per quem tam Episcopo, quàm populo utiliter consulatur, h. t.* Ubi tamen distinguendum est, nam vel Coadjutor datur, ut locô Prælati, vel Parochi administret bona temporalia tantùm, propter dilapidationem bonorum à Prælato factam, vel suspicionem illius, *ut in casu c. Venerabili; 37. De offic. deleg.* & tunc officium illius tantùm vertatur, & se extêdit ad temporalia, *Jo. Andr. in c. ult. n. 8. h. t.* Vel est datus simpliciter, propter senium, vel amentiam, cum plena potestate administrandi in spiritualibus, & temporalibus: tunc excere potest ferè omnia, quæ poterat Episcopus, vel alius, cui datus est Coadiutor, sive ea pertineant ad legem Diœcesanam, sive jurisdictionis Episcopalis: imò etiam ea, quæ pertinent ad Ordinem & Pontificalem dignitatem, poterit exercere Coadiutor, si sit Episcopus, sicut ipse Episcopus poterat, *Franc. in cit. c. un. §. Si verò; h. t. in 6.* Ubi etiam addit, quòd Coadiutor datus Ecclesiæ vacanti, possit exercere ea, quæ competunt Episcopo, vel alij Prælato ex jure delegato: expresso tamen nomine dignitatis, secus expresso proprio nomine personæ, juxta *c. Quoniam; 14. de offic. deleg.*

XVII. Verùntamen Coadiutori Episcopi, vel Prælati interdicta est alienatio rerum Ecclesiæ, immobilium scilicet: imò & mobilium pretiosarum, ut habetur *in cit. c. unic. § Præsenti; h. t. in 6.* ubi sancitur, ut Coadiutores hujusmodi, ex proventibus » Prælatorum, in quorum auxilium assumuntur, moderatam portionem accipiant, & ab alienatione » qualibet ex bonis Ecclesiasticis, sive ipsorum Prælatorum, sive Ecclesiarum suarum, quomodolibet facienda abstineant. Excipiuntur ea bona » mobilia, quæ servando servari non possunt: ea enim Coadiutores alienare possunt, sicut & Tutores pupillorum, juxta *l. Lex quæ; 22. C. de administrat. Tut. & tradit Gl. fin. in cit. §. Præsenti, & Franc. ibidem num. 3.*

Prætereà *in cit. §. Præsenti;* statuitur, ut Co- » adiutores hujusmodi plenam administrationis suæ » rationem reddere teneantur, tum ipsis Prælatis, si « sanæ mentis fuerint: tum & Capitulis eorundem, » vel etiam Prælatis Successoribus, si anteà rationem » non reddiderunt. Possunt autem rationes etiam » sæpiùs computatæ iteratò peti, ut reddantur, dummodò super rationibus factis non sit transactum, vel super illis judicatum, juxta *l. unic. C. de errore Calculi, Franc. in cit. §. Præsenti; n. 2.* Porrò licèt aliàs Tutor, vel Curator rationes reddere non teneatur, durante officio administrationis, *l. 2. C. de administrat. Tuto.* Coadiutor tamen, etiam ante officium finitum, eas reddere tenetur, *Franc. c. l. num. 3.* Rationem disparitatis affert *Anchar. in cit. c. unico not. 11. h. t. in 6. ex l. Nisi finita; 4. §. Cùm furiosi; ff. de Tutel. & ration. distrah.* quia Tutoris, & Curatoris officium habet tempus determinatum, quo finitur: Coadiutoris verò officium habet tempus indeterminatum, & incertum, cùm nesciatur, quando moriturus sit Prælatus, cui est Coadiutor datus. Et hinc etiam à Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, potest peti ratio administrationis; quia cùm sint perpetui, nescitur quanto tempore vivant: secus est de Officialibus Civitatis, qui constituuntur ad certum tempus: non enim possunt, durante officio, conveniri, vel cogi, ut rationes administrationis reddant, *Anchar. cit. loc.*

» Denique *in cit.* §. *Præsenti*; *in fine*, additur, quæ » *in hoc Cap.* de Episcopis dicta sunt, etiam ad Supe- » riores Prælatos referendum esse.

XVIII. Cæterùm an Coadjutor Episcopi, vel Prælati Beneficia conferre possit, dubitatur? Ubi distinguendum est, vel enim Episcopus est sanæ mentis, itáque constitutus, ut consensum, seu auctoritatem per se ipsum præstare possit: tunc ad eum pertinet conferre Beneficia, cum consilio tamen, & consensu Coadjutoris, si is ipsi, non tantùm ad temporalia: sed etiam ad spiritualia administranda datus sit, ut docet *Io. Andr. in c. ult. n. 9. h. t. Io. Monach. cit. c. unic. eod. in 6. & Franc. ibid. nu. 3.* Ratio est, quia cùm Titulus Dignitatis, & Officium in Episcopo maneat, ipse omnia expedire potest, cum consilio Adjutoris ipsi adjuncti, ita tamen, ut gesta per Episcopum, etiam Coadjutore non adhibito, sint valida: nam ejus consilium, vel consensus non requiritur ad substantiam actûs, cùm officium, & titulus dignitatis, adhuc in Episcopo resideat: Vel Episcopus, cui datus est Coadjutor, est demens, aut, ita affectus, ut ipsemet conferre Beneficia, vel ad ea conferenda consensum, seu auctoritatem præstare non possit, & tunc solus Coadjutor illa conferre potest, *Jo. Andr. c. l. & Franc.* Non obstat, quòd *in cit. c. unic.* prohibetur Coadjutori omnis alienatio, collatio autem Beneficij, præsertim libera, censetur quædam donatio, *c. ult. de Offic. Vicar. in 6.* Nam nomine alienationis, quæ prohibita est administratori, intelligi debet merè voluntaria, non autem necessaria, *arg. l. Alienationes* 3 13. *ff. famil. herciſc.* atqui collatio Beneficij est alienatio, seu donatio quædam necessaria, ne alioqui Beneficia diu vacare debeant, cum periculo salutis animarum, & diminutione cultûs Divini, *Franc. c. l.*

XIX. Assertio 2. Officium Coadjutoris finitur, & expirat, non morte dantis Coadjutorem; sed morte naturali, vel civili, videlicet depositione, aut renunciatione Episcopi, vel alterius Prælati, seu Rectoris, cui datus est Coadjutor, ut ex communi tradit *Io. Andr. in c. ult. n.* 10. *h. t. Anchar. in cit. c. unic. not.* 10. *eod. in 6.* & habetur expressum *in c. Grandi* 3 2. *De suppl. negl. Præl. in 6.* de Coadjutore dato Regi, sicut etiam officium tutoris finitur per mortem naturalem, vel civilem pupilli, §. 2. *& 3. Institut. quib. mod. tutel. finit.* Ratio est, tum quia si superveniat Administrator legitimus, cessat officium tutoris, vel administratoris dativi, *l. Si tutor*; 9. §. 1. *ff. de tutel. & ration. distrah.* Sed Capitulum, vacante Sede Episcopali, est legitimus Administrator, videlicet à Canone datus, *c. His quæ*; 11. *c. Cùm olim*; 14. *de Majorit. & obed.* ergo cessat officium, seu administratio dativa concessa Coadjutori à Superiore: Tum quia Titulus Episcopatûs, & Episcopalis jurisdictionis residebat in Episcopo, à quo velut principali dependebat officium Coadjutoris, tanquam accessorium: ergo sicut mortuo Episcopo, vel eo translato, aut depositio, extinguitur Titulus, & jurisdictio Episcopalis: ita, & exspirat officium Coadjutoris ei accessoriè annexum: idque probatur etiam ex Etymologia nominis: Coadjutor enim dicitur à coadjuvando, sublato autem Episcopo, non est ulteriùs, quem coadjuvet, adeóque jurisdictio, ejúsque exercitium devolvitur ad Capitulum, vel eum, ad quem spectat, Sede vacante, *c. 2. & 3. de suppl. negl. Prælat. Fagnan. in c. Ex parte* 3 5. *num.* 12. *& 13.*

XX. Cæterùm hactenus dicta procedunt in Coadjutore simpliciter dato, seu temporali, videlicet ad tempus vitæ illius, cui datus est: non item in Coadjutore perpetuo, sive dato cum futura successione, hoc est, cum facultate, & jure succedendi in Episcopatu, seu Prælatura, Dignitate, Beneficio, vel Officio, post obitum ejus, cui est Coadjutor datus. Hujusmodi autem Coadjutoriæ non sunt Jure communi introductæ, sed ex usu, more ac stylo Curiæ Romanæ, easque tollendas esse, decernit Concilium Trident. *Sess. 25. c. 7. de reform.* Ubi ait: In Coad- » jutoriis quoque, cum futura successione, idem post » hac observetur, ut nemini in quibuscúnque Bene- » ficiis Ecclesiasticis permittantur. Quòd si quando » Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterij urgens neces- » sitas, aut evidens utilitas postulet, Prælato dari Co- » adjutorem, is non aliàs cum futura successione de- » tur, nisi hæc causa priùs diligenter à sanctissimo Ro- » mano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in » illo concurrere certum sit, quæ à Jure, & decretis » hujus S. Synodi in Episcopis, & Prælatis requiruntur: aliàs concessiones super his factæ, subreptitiæ » esse censeantur. Ratio hujus decreti est, quia succes- » sio in Prælaturis, & Beneficiis Ecclesiasticis Jure communi semper damnatur; quia præbet occasionem captandæ, ac procurandæ: vel saltem optandæ mortis illius Beneficiarij, cui Coadjutor, cum futura successione, datur, *c. 1. de Conceſs. præb. c. 2. & 3. eod. in 6.* Nihilominùs tamen solus Romanus Pontifex dare potest, & interdum solet hujusmodi Coadjutores, pront olim jam factum esse colligi videtur *ex c. Petivisti*; 17. *cauſ. 7. q. 1.* & hodie ex praxi constat; quia id Ecclesiæ aliquando necessarium, vel saltem utile esse potest, ut nimirum sic Coadjutor, majore cum auctoritate, munus suum exerceat: diligentiùs eo fungatur, & magis colatur, plurísque habeatur à subditis, *Azor. p. 2. l. 2. c. 2. q. 2.*

XXI. Præterea circa Coadjutoriam perpetuam, cum futura successione, Notandum primò. Quòd per illam acquiritur Coadjutori jus ad rem in Prælatura, vel Beneficio, quod jus, eveniente vacatione per obitum ejus, cui Adjutor datus est, efficitur jus plenum, sive jus in re, ita, ut non sit opus novâ collatione, ut ex Garcia notat *Fagnan. in cit. c. Ex parte n.* 16. *h. t.*

Notandum secundò. Sicut Coadjutoria temporalis non est Beneficium Ecclesiasticum, quia Adjutor non habet Titulum, seu Jus Beneficij: sed solùm administrationem illius, neque curam animarum, nisi solùm quoad actum, seu exercitium, quæ quoad actum primum, & habitu manet penes Prælatum, vel Parochum: tum quia non vacat Prælatura, vel Beneficium per mortem illus, cui Adjutor datus est, *Azor. cit. c. 2. q. 4.* ita similiter Coadjutoria perpetua non est Beneficium; quia per futuram successionem datur solùm jus ad Prælaturam, vel Beneficium, non autem jus in re, neque per obitum Coadjutoris vacat, sed per mortem Coadjuti, *Azor. c. l.* plures Quæstiones de Coadjutore perpetuo cum successione, videri possunt apud *Garc p. 5. c. 5. n. 53. & seqq.*

TITU-

TITVLVS VII.

DE INSTITUTIONIBUS.

I.

Suprà dictum est de Beneficiis, eorúmque collationibus, nunc sequitur de Institutione, quæ etiam est modus acquirendi Beneficia: Institutio verò accipitur, vel latè, prout etiam collationem includit: vel propriè ac strictè, & ut sic *est juris Beneficij ad præcedentem præsentationem, vel nominationem alicujus, legitimâ auctoritate facta translatio*, per quam scilicet jus ac Titulus Beneficij acquititur instituto. Differt à collatione strictè accepta; quia hæc est juris Beneficij libera translatio, Collator enim non tenetur Beneficium conferre, huic vel illi: sed liberè cui vult, dummodò sit idoneus, *c. Relatum; 9. de Præb.* Institutio verò est translatio non libera, quia Ordinarius superior, velit, nolit, tenetur jus, sive quasi dominium Beneficij conferre præsentato, si idoneus reperiatur, *Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 1.* Accipitur præterea Institutio interdum pro investitura, seu missione in corporalem seu actualem Beneficij possessionem, quæ jure communi ad Archidiaconum spectare dicitur *in c. Ad hæc; 7. & c. Ut nostram; 9. de Offic. Archidiac. & notat Gl. in cit. c. Auctoritate; 4. V. Instituitur. h. t.* Fit autem investitura, sive introductio in possessionem, interdum nullâ præcedente collatione, vel institutione, & tunc habet vim collationis; quia per illam transfertur jus Beneficij in investitum: Aliquando verò præcedente collatione, institutione, vel confirmatione, subsequitur investitura, & tunc per eam transfertur possessio corporalis, sive realis, si in loco Beneficij fiat, *Abb. in cit. c. Auctoritate; nu. 9.* Variis autem modis fit investitura: nam Abbas, v. g. investitur per inductionem in Templum, & collocationem in Sede: Canonicus, per assignationem loci in Choro, & Capitulo: Pastor per ingressum Templi, pulsum campanæ, &c. *Zoës. in Comment. Decretal. h. t. n. 4.* Extat hic Tit. etiam in Sexto.

§. I.

Ad quos spectat ius instituendi Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis?

II. Assertio 1. Jure communi, jus, sive potestas instituendi Clericos à Patronis præsentatos, spectat ad Episcopum, ut docet *Abb. in c. Ex frequentibus; 3. n. 2. h. t. Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 2. & alij communiter.* Idque probatur *ex c. Cùm ex injuncto; 12. in fine infr. de hæretic. & ex cit. c. Ex frequentibus*: Ubi » Alexander III. reprobat quandam pravam consue- » tudinem in quibusdam Ecclesiis Anglicanis intro- » ductam, ut Clerici Ecclesiastica Beneficia, sine » consensu Episcoporum Diœcesanorum (adeóque » etiam sine institutioue eorum) vel Officialium eo- » rum (seu Vicariorum Generalium in spiritualibus) qui hoc de jure possunt, accipiant: eò quòd id à » statutis SS. Patrum alienum, & Ecclesiasticæ ho- » nestati sit contrarium; quamobrem sententiam » excommunicationis ab Archiepiscopo Cantuari- » ensi, tam in eos, qui Ecclesiastica Beneficia tali » modo occupata, retinent: quàm inposterum ita » occupare præsumunt, Pontifex auctoritate Apo- » stolicâ confirmat, ac mandat, ut Clerici, qui » sententiam excommunicationis incurrerunt, nisi » congruè satisfaciant, non absolvantur. »

III. Pro declaratione hujus *Cap.* Notandum primò. Nomen institutionis in hoc c. à DD. latiùs accipitur pro omni provisione non libera, quæ scilicet fit, non solùm ad alicujus præsentationem, aut nominationem, sed etiam electionem: tunc autem semper requiritur examen, & citatio per affixum edictum eorum, quorum interest, juxta *c. ult. de Elect. in 6.* quod licèt tantùm loquatur de Beneficiis electivis, tamen etiam locum habet, in Beneficiis, quæ providentur ad præsentationem Patroni, ut tradit *Gl. in c. ult. V. Electione; de Elect. in 6. & Franc. ibidem num. 5.* eò quod utrûsque provisionis par sit ratio, *arg. c. 2. de jur. Patron.* alioquin non solùm electio: sed etiam institutio facta, sine Edicti citatorij publicatione, erit nulla, *Garc. p. 9. de Benef. c. 4. num. 1. & 6.* quâ in re tamen spectanda est consuetudo Ecclesiarum. Præterea in Concil. Trident. *Sess. 7. c. 13. de reform.* præcipitur, ut præsentati, vel nominati à quibuscúnque Ecclesiasticis personis (multò magis ergo à Laicis) etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia non instituantur, nec confirmentur, nec admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegij, aut consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ: nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti, & nullus appellationis remedio se tueri possit, quòminùs examen subire teneatur, *Garc. c. l. c. 3. n. 5.* Quomodo autem in provisione Beneficiorum curatorum, seu Parochialium examen præmitti debeat, explicat Concil. Trident. *Sess. 24. c. 18. de reform. Garc. c. l. c. 2.*

Notandum secundò. Licèt ordinariè, præter casus in jure exceptos, Archiepiscopus, seu Metropolitanus non possit exercere jurisdictionem erga subditos Coëpiscoporum, eos v. g. excommunicando, *c. Nullus; 7. caus. 9. q. 3. c. Pastoralis; 11. De offic. Iud. ordin.* potest tamen in eos jurisdictionem exercere in casu pertinente ad statum totiûs Provinciæ, tollendo v. g. pravam consuetudinem, quæ in ea viget, & excommunicando eos, qui illam observant, si Episcopi sint negligentes, ut in casu *hujus cap. Abb. hîc n. 4. & Gl. in cit. q. 3. in summa V. Quod autem.*

Notandum tertiò. Clerici, qui à Laico v. g. Patrono institutionem verbalem, per quam jus & Titulus Beneficij confertur: vel realem, per quam fit introductio in possessionem, in Beneficiis Ecclesiasticis accipiunt, pœnas excommunicationis, & depositionis, aliásque inhabilitates incurrunt, prout videre

est *in c. Si quis deinceps* 3 12. *& pluribus seqq. caus.* 16. *q.* 7.

IV. Assertio 2. Officialis, seu Vicarius Generalis in spiritualibus potest ex officio suo Clericos præsentatos instituere in Beneficiis, licèt speciale mandatum ad id non habeat, ut colligunt DD. *ex cit. c. Ex frequentibus; ibi: Officialium suorum, qui hoc de jure possunt, h. t. V. Officialium, & Abb. num.* 7. licèt Textus hic posset intelligi, quòd loquatur solùm de ijs Officialibus, quibus hoc specificè commissum est ab Episcopis. Neque refert, quòd Vicarius ex officio suo non possit conferre Beneficia, nisi id ei fuerit specialiter commissum, ergo nec instituere potest. Nam neg. Conseq. Ratio discriminis est; quia instituere est necessitatis, cùm sit provisio non libera, is enim, qui præsentatus est à Patrono, instituí debet, si sit idoneus: collatio verò est provisio libera, quæ fit, sine præcedente præsentatione alicujus ad Beneficium, ideóque cùm sit quædam donatio, non comprehenditur sub generali concessione Vicatio factâ, *Abb. in cit c. Ex frequentibus; n.* 7. *Azor. cit c.* 22. *q.* 3.

V. Assertio 3. Etsi Capitulum, Sede va- »
» cante, Beneficia, quæ ad collationem Episcopi, »
» (solius) pertinent, conferre non possit: (*c.* 2. *infrà* »
» *Ne Sede vacante*) præsentatos tamen à Patronis, si »
» idonei sint, admittere, eósque in Beneficiis, ad »
» quæ præsentati fuerint, instituere potest: licèt ta- »
» lis admissio, & institutio ad Episcopum pertineret, »
» si in vivis esset, prout statuitur *in c. Etsi; 1. h. t. in 6.* Ratio est, quia institutio non est donatio gratuita, sed ex necessitate debita, si præsentatus sit idoneus: neque per illam præjudicium fit Episcopo successori, cui nulla donationem seu liberalitatem exercendi occasio aufertur. Cùm ergò Capitulum succedat in omni jurisdictione, & administratione Episcopali necessaria, sive in ijs, quæ ratione Episcopalis officij necessariò expedienda sunt, *c. His quæ; 11. & c. Cùm olim; 14. supr. de major. & obed.* ideò potest præsentatos à Patronis instituere, *Abb. in c. 2. num 6. Ne Sede vacante; & c. Azor. c. l. q.* 3. *Barb. in Collect. hîc num.* 4. *Garc. p.* 5. *c.* 7. *num.* 51. 54. *& 55.*

Porrò ex hoc cap. colligitur, quòd aliud sit admittere, aliud instituere, ut tradit *Gl. magna hîc in notatis communiter recepta*, quia ut diversa ponuntur: quamvis DD. hoc diversimodè explicant: nam admittere, est idem, quòd recipere, seu approbare, & in titulum tradere: instituere verò est, mittere, seu introducere in corporalem Beneficij possessionem, ut tenet *Io. Monach. hîc, & Io. Andr. ibid. n.* 1. quo sensu etiam videtur loqui Concil. Trident. *Sess.* 7. *c.* 13. *de refor.* At verò secundùm *Ancharan. hic not.* 2. *& Franc. n.* 2. admittere idem est, quod ad examen recipere: instituere autem est, approbare, sive jus & titulum tribuere.

VI. Assertio 4. Etiam Prælatis Episcopo inferioribus competere potest potestas instituendi ex jure, seu causa speciali, videlicet privilegio, præscriptione, vel consuetudine, ut constat *ex c. Super eo* 3 15. *De offic. Deleg.* ubi dicitur, institutionem ad Archipresbyterum, vel Archidiaconum, vel Episcopum pertinere posse, *Azor. c. l. q.* 3. Et quòd per præscriptionem, seu consuetudinem præscriptam possit Abbati, vel Præposito jus instituendi acquiri, constat *ex c. Cum olim* 3 18. *& c. Auditis* 3 15. *de præscript.* & docet *Abb. in cit. c. Ex frequentibus* 3 *n.* 3. *h. t.* In quo solùm reprobatur consetudo, ut recipiantur Beneficia ab ijs, qui non habent potestatem conferendi, vel instituendi, nec jure communi, nec speciali. Præterea interdum etiam ex fundatione, vel dotatione Prælatus inferior habere potest jus instituendi, ut si Capellania à Laico fundetur, eâ conditione adjectâ, cum consensu Episcopi, ut certæ Ecclesiæ Præpositus, vel Decanus habeat potestatem instituendi Clericos à Patrono præsentatos, vel ut penes certum aliquod Collegium Clericorum, vel Monasterium, vel Universitatem studiorum, sit potestas instituendi, *Azor. cit. q.* 3. *Barb. De offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 184. *& l.* 3. *Jur. Eccl. c.* 10. *n.* 208. quamvis Concil. Trident. *Sess.* 14. *c.* 12. *&* 13. *de reform.* decreverit, ut si Patronatus alicui concedatur, institutio ipsi Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

Porrò ad Prælatos etiam regulares in Ecclesiis, quæ pleno jure ijs subjectæ sunt, jus instituendi pertinere potest, ut colligitur *ex Clement. unic. de excessib. Præl.* Secus est de Ecclesiis, quæ pleno jure ad eas non spectant: in ijs enim institutio, & destitutio ad illos non pertinet, sed Presbyteri, seu Vicarij instituendi sunt ab Episcopo, juxta *c. In Lateranensi* 3 31. *& c. De Monachis* 3 12. *supr. de præbend.* etiamsi fuerint Patroni exempti, *Barb. cit alleg.* 72. *n.* 188.

VII. Cæterùm quod dictum est, institutiones Clericorum in Beneficiis posse etiam pertinere ad Prælatum Episcopo inferiorem, probari etiam potest *ex c. Cùm venissent; 6. h. t.* Nam controversiâ ortâ » inter Archiepiscopum Eboracensem, & Archi- » diaconum Richemundiæ, super institutione per- » sonarum, & custodiâ Ecclesiarum vacantium: » Archiepiscopus dicebat, hæc jura, tam de jure com- » muni: quàm de generali consuetudine, ad se in » Diœcesi sua pertinere: quosdam verò Antecessores » suos Archidiaconis quibusdam Richemundiæ in- » stitutiones, & custodiam Ecclesiarum personaliter, » sive tanquam personale Beneficium concessisse. » E contrario verò Archidiaconus respondit, quòd » prædictus Archiepiscopus non personaliter Archi- » diacono, qui tunc erat, sed in perpetuum ipsi Ar- » chidiaconatui, cum consensu Capituli Cathedra- » lis, tam institutiones, quàm custodias reali con- » cessione donâsset. Cùm autem Archidiaconi An- » tecessores sui in continua possessione istarum, alia- » rúmque libertatum, & exemptionum, longo tem- » pore fuissent, Archiepiscopum posteà ipsi Archi- » diaconatum absolutè, & sine conditione concessis- » se. At verò post factam concessionem asseruisse, » Archidiaconatum se ipsi concessisse, exceptis in- » stitutionibus, & custodiis Ecclesiarum vacan- » tium. Tunc verò Archidiaconus timens, ne id » disertè negaret, cùm nondum esset possessionem » Archidiaconatûs adeptus, vel penitus impediretur, » vel saltem diutiùs ab ejus consecutione differretur, » dixit: quòd non solùm de illo, sed etiam de omni- » bus reditibus suis faceret Archiepiscopus, quod si- » bi placeret. His utrinque propositis, Papa Innocen- » tius III. interlocutoriè pronunciavit, Archidiaco- » num »

» num esse in plena libertatum ejusdem Archidiaco-
» natûs possessione defendendum, donec ex parte ad-
» versa legitimè probetur, ipsas libertates Archidia-
» conis ab Archiepiscopis personaliter concessas
» fuisse: quandoquidem Archiepiscopus tam antè,
» quàm post, & in ipsa concessione, eas libertates, vi-
» delicet institutiones, & custodias, retinere potue-
» rit tanquam suas, & non retinuerit: vel donec le-
» gitimè probatum fuerit, ab eodem Archiepiscopo,
» easdem libertates Archidiaconum abiurâsse, sive
» per juramentum ijs renunciâsse. Quanquàm in
» hoc posteriore casu, posito, quòd concessio illa
» realiter, sive ipsi dignitati Archidiaconatûs con-
» cessa fuerit, Archiepiscopo nihil juris, vel aucto-
» ritatis accederet; quia Pontifex vel ad petitionem
» Ecclesiæ Eboracensis, vel ex officio per seipsum
» Archidiaconatui consulat. Quòd si igitur alteru-
» trum prædictorum fuerit legitimè probatum, Ar-
» chidiacono super ipsis libertatibus: sin neu-
» trum, ipsi Archiepiscopo silentium imponendum
» erit.

VIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Ratio cur *in dicto cap. Cùm venissent*; possessio adjudicata fuit Archidiacono, & onus probandi in petitorio Archiepiscopo impositum, est; quia tametsi jus commune stabat pro Archiepiscopo contra Archidiaconum, nam spectato Jure communi, institutio, & consequenter etiam custodia Ecclesiarum vacantium pertinet ad Ordinarium loci in tota Diœcesi, ita, ut ipse super hac re intentionem fundatam habeat, *c. Omnes* 3. 10. *& c. seq. caus.* 16. *q.* 7. *c. Exinjuncto*; 12. *in fine de hæretic.* ad quem autem spectat institutio alicujus Ecclesiæ, is etiam plerúmque custodiam ejusdem habere censetur, prout colligitur *ex hoc cap.* Verùntamen quia Archiepiscopus in judicio confessus fuit, Archidiaconis quibusdam à suis Antecessoribus jus tam institutionum: quàm custodiæ Ecclesiarum vacantium concessum fuisse, licèt adjecerit in sua confessione, quòd fuerit concessum personaliter solùm, sive tanquam personale jus, quod cum persona extinguitur: & quia Archidiaconi erant in antiquissima, & continuò quieta possessione utriusque prædicti juris: ideo præsumptio erat, quòd ea concessio fuerit realis facta perpetuò ipsi dignitati Archidiaconatûs, ita, ut si Archiepiscopus, vel alius Ordinarius loci proponat, quòd Archidiaconi institutionem, aut custodiam Ecclesiarum vacantium exercuerint, non ex concessione reali, vel jure proprio dignitatis, seu Archidiaconatûs: sed personali solùm, sive precariò, aut nomine, & auctoritate Archiepiscopi concedentis, id probare debeat, propter præsumptiones, quæ stant contra ipsum pro Archidiacono, ut tradit *Gl. hîc V. Probatis, & Abb. ibid. n.* 7. *&* 8. Quamvis aliàs regulariter solâ possessio, si nulla stat præsumptio pro possessore, non possit contra proprietarium in judicio petitorio, seu proprietatis, uti sumitur *ex c. Cùm Ecclesia*; 3. *de caus. poss. & propriet. & notat Abb. hîc n.* 8. Porrò licèt de Jure communi ad Archidiaconum non pertineat jus instituendi Clericos in Beneficijs auctoritativè, conferendo eis jus in re: spectat tamen ad illum investitura, sive jus inducendi in corporalem possessionem Beneficij, *c. Ad hæc*; 7. *De offic. Archidiac. Gl. hîc V. Communi, & Io. Andr. n.* 15.

Notandum secundò. Consuetudo potest simul concurrere cum Jure communi, tametsi idem disponat, quod Jus commune: addit tamen ei confirmationem, seu majorem quandam firmitatem, *Abb. hîc n.* 3.

IX. Notandum tertiò. Potest Episcopus, cum consensu Capituli, concedere inferiori Prælato, ejúsque dignitati, jus spectans ad dignitatem Episcopalem, *ut in casu hujus cap.* Archidiacono jus institutionis, & custodiæ Ecclesiarum vacantium, ita, ut per Successores Episcopos revocari non possit, *Abb. hîc num.* 4.

Notandum quartò. Si quis alteri, præsertim Superiori suo dicat, ut faciat de bonis suis, vel juribus quod placet: hujusmodi verba non inducunt obligationem, sed intelligenda sunt, secundùm arbitrium boni viri, ut faciat, quod rationabile, & æquum est. *Ut in hoc cap.* quando Archidiaconus dixit, ut Archiepiscopus faciat de reditibus suis, quod placet, non ideo obstrictus fuit cedere juribus institutionum, & custodiarum in Ecclesiis vacantibus ab Archiepiscopis concessarum, *Abb. hîc n.* 7.

Notandum quintò, Juramentum præstitum per Prælatum super juribus Ecclesiæ tenet, & servandum est ipsi Prælato: non autem quatenus præjudicat Ecclesiæ, *ut in casu hujus cap.* Archidiaconus, qui abjuravit libertates Archidiaconatûs, scilicet institutiones, & custodias Ecclesiarum vacantium, sive juratus ipsis renunciavit, non potest eisdem uti, & contravenire juramento: nam hîc dicitur, Archidiaconum esse defendendum in quasi possessione libertatum, donec probetur ipsum eas abjurâsse: Ex quo infertur, si constet de abjuratione, non esse audiendum contra juramentum, unde hîc dicitur, silentium ipsi imponendum esse. Non autem per tale juramentum Prælati præjudicatur ipsi Ecclesiæ, ut in proposito dignitati Archidiaconatûs, quòminùs non obstante tali abjuratione, ad petitionem Ecclesiæ, vel etiam ex mero officio Judicis concedatur dignitati Archidiaconatûs, *ut habetur in Textu, Abb. hîc nu.* 14. Quare vel juramentum, aut aliud factum Prælati potest separari â præjudicio Ecclesiæ, & soli Prælato nocet, non autem Ecclesiæ: vel non potest separari, sed cedit in damnum Ecclesiæ, & tunc non tenet, *Abb. hîc n.* 18.

§. II.

De instituendis in Ecclesiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis.

X. Quæritur primò. Quinam: & quales instituendi sint in Beneficiis? Resp. primò, instituendi debent esse Clerici; nam Laici non possunt in Canonicatibus, vel alijs Beneficiis institui, ut constat *ex c. In Ecclesia*; 2. *h. t.* ubi habetur Quòd in quadam » Ecclesia erat certus numerus Canonicorum per sta- »
tutum Capituli juramento firmatum institutus, » *prout habetur in integra lectione hujus cap.* cùm au- »
tem numerus ille imminutus esset, & plures Cano- »
nicatus vacarent, & in eadem Ecclesia quidam Lai- »
ci præbendas obtinerent: quæsitum fuit, an ijs nu- »
merus Canonicorum constitutus impleri possit? »
Respondet Papa Eugenius, cùm Laici non debeant »

in »

» in Canonicorum numero computati (quia non sunt » idonei quippe Laici: neque juris Canoniæ capax » est, nisi Clericus, *Gl. hîc V. Tales*) ideò implendus » est numerus Canonicorum decretus, & determi- » natus, intra tempus præscriptum (videlicet sex » mensium, alioquin devolvitur potestas, instituen- » di ad Superiorem, juxta *c. 2. Tit. seq. Gl. hîc V. Dif-* » *ferre*) ex Clericis tales, qui in Ecclesiasticis Ordini- » bus constituti DEO in Divinis officiis congruè ser- » vire possint. Porrò licèt Monachatus cadat in Lai- cos conversos, qui censentur personæ Ecclesiasticæ, seu Religiosæ, ita, ut gaudeant privilegio fori, & Canonis: non tamen ex ijs impleri potest numerus determinatus Canonicorum; cùm non sint Ordinibus Ecclesiasticis initiati, ac proinde servire non possint DEO in officiis Divinis, ut tradit *Innoc. hîc n. 1.* sed requiritur, ut Laicus tonsuratus, sit ordinatus, antequam fiat Canonicus, *Abb. hîc in fine.*

XI. Resp. secundò, non sunt in Ecclesiis, & Beneficiis instituendi Clerici unius originis, seu Nationis tantùm: sed viri litterati, & aliàs idonei, undecunque originem ducant, in Ecclesiis instituendi debent, prout decernitur *in c. Cum decorem; 5. h. t.* Ubi » improbatur factum Patriarchæ Constantinopoli- » tani, qui aliarum Nationum Clericos spernens, » Venetos tantùm in Ecclesiis Constantinopolitanis » instituere voluit. Rationem reddit Papa Innocen- » tius III. quia in omni Gente, qui facit justitiam, ac- » ceptus est DEO, neque Sanctuarium DEI conve- » nit jure hæreditario possideri. Quare mandat idem » Papa suo Legato, ut Patriarcham moneat, ut viros » litteratos, & aliàs idoneos in prædictis Ecclesiis, » maximè in majore, seu Cathedrali Ecclesia insti- » tuere non prætermittat, alioquin indignum se red- » det, ut aliarum Nationum Clerici ad illius obedi- » entiam compellantur. Multò magis autem id re- probari debet, si certæ Genti, aut Familiæ promissio fiat, quòd ex illa tantùm ad Canonicatus, & alia Beneficia Ecclesiastica sint assumendi, ideóque *in hoc c. in* » *fine*, mandat Papa Legato, ut ad ipsum referat, ve- » rúmne sit, Patriarcham Venetis hac de re promis- » sionem fecisse; quia tale pactum iniquum foret, cùm Beneficia Ecclesiastica, sine pacto sint conferenda, *Gl. fin. hîc*, per quòd impeditur libera Beneficiorum collatio, adeóque fit, ut multi idonei prætereantur, & minùs idonei promoveantur.

Excipiendum est, si aliquod Beneficium primitùs fundatum sit pro personis ex certa Gente, Civitate, vel Familia oriundis: tum enim post acceptatam fundationem, alij in illo instituendi non sunt: sed conditio adjecta impleri debet; cùm non sit inhonesta, dummodò ij, qui præsentantur, sint idonei, idq; praxis Ecclesiarum confirmat. Sed neque ea consuetudo plurium Ecclesiarum improbari potest, secundùm quam in promotione ad Canonicatus aliàque Beneficia, indigenæ, modò idonei sint, alijs exteris præferuntur, *arg. c. Nullus; dist. 61.* Quia indigenæ faciliùs inducuntur ad perpetuò residendum in Patria, quàm extranei, *Abb. hîc n. 4.*

» XII. Resp. tertiò, si Patronus ad Parochia- » lem Ecclesiam vacantem præsentet aliquem, qui » Sacris Ordinibus non est iniatus, sed adhuc in mi- » noribus est constitutus, is non debet repelli: sed ad- » mitti, & instituì, dummodò alioquî sit idoneus, & » intra tempus à jure statutum (videlicet intra an- num, *c. Licèt; 14. de Elect. in 6. c. Præterea; 5. de ætat.* » *& qualit.*) ad Sacerdotium promoveri possit, prout » statuitur *in c. Si is; 2. h. t. in 6.* Nam generatim lo- » quendo, si Beneficium certum Ordinem Sacrum requirat, spectato Jure communi, non est necessarium, instituendum actu habere illum Ordinem: sed satis est, si intra annum illum suscipiat, juxta *Clement. 2. de ætat. & qualit. &c. Laym. l 4. tract. 2. c. 14. n. 2.* Requiritur tamen, ut præsentatus à Patrono in minoribus constitutus sit, & non solùm sit in tali ætate, quòd possit intra annum promoveri ad Sacerdotium: sed etiam, ut tempore præsentationis ad Beneficium parochiale, sit in ætate requisita per Concilium Lateranense *in cit. c. Licèt*; videlicet XXIV. ætatis annum compleverit, & XXV. attigerit, *Franc. hîc n. 1.*

XIII. Quæritur secundò. Quot in Collegiis Clericorum instituendi sunt Canonici, & Ecclesiæ Ministri, & in Monasteriis Monachi, aut Moniales? Resp. tot sunt instituendi, quot ex reditibus Ecclesiæ Collegiatæ, vel Monasterij commodè, & absque penuria ali possunt, nec plures sunt recipiendi, prout inprimis statuitur *in c. Auctoritate; 4. h. t.* Ut nullus » in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, invitis » Canonicis, vel Clericis instituatur, ultra nume- » rum Clericorum, qui juxta facultates Ecclesiarum, » commodè sustentari possint. Idem habetur *in c.* » *Quoniam; 9. de vita & honest. Cleric. & in c. ult.* juxta *Gl. V. Facultates; de V. S.*

Ubi Notandum. Licèt in illis Ecclesiis, in quibus numerus Canonicorum, seu Clericorum non est determinatus, Prælati, & Capitula à Superiore suo compelli possint, ad tot suscipiendos, quot ex reditibus Ecclesiæ decenter, & commodè sustentari possunt, ut docet *Abb. in c. 1. n. 2. h. t.* Attamen ultra facultates Ecclesiæ cogi non possunt, ut aliquem recipiant, juxta *cit. c. Auctoritate; h. t.* Quare si Superior, v. g. Episcopus, vel etiam Papa, alicui Prælato, seu Rectori Ecclesiæ, ejusque Capitulo præsentet Clericum, mandando, ut eum instituat, potest is contra hoc mandatum excipere, quòd Ecclesiæ facultates non sufficiant, ad plures alendos, ut docet *Abb. in c. Ex parte; 10. n. 4. de conces. præb.* Verùm possunt Clerici, si ultrò consentiant, & parciùs vivere velint, etiam ultra facultates Ecclesiæ aliquem suscipere, ob cultum Divinum augendum, ita tamen, ut non egeant, ut notat *Gl. fin. in cit. c. Auctoritate; junct. Gl. marg. lit. A. h. t.*

XIV. Præterea *in c. Non amplius; 1. h. t.* (quod est desumptum ex Concilio Arelatensi) statuitur, » ut in Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, & » Collegiis Clericorum (regularium, de quibus est » sermo in hoc cap. non de sæcularibus Clericis, ut » notat *Fagnan. hîc num. 7.*) non plures recipiantur, » quàm quot ex eorum bonis ac reditibus absque » penuria sustentari possint. »

Similiter in Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 3. de Regularib.* decernitur, ut in Monasteriis, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Ratio hujus prohibitionis est; tum ne Religiosi sæcularibus curis implicentur, gratiâ necessarij victûs comparandi, vel egestas ad indecentia exercenda eos cogat, vel æs alienum contrahatur, cui postea solven-

solvendo non sint, cum injuria creditorum, *Sanch. lib. 7. moral. c. 23. n. 1. qui n. 6.* ait, hoc decretum Concilii Trident. quoad Monasteria virorum, non ita strictè receptum esse.

XV. Porrò circa prædicta Notandum primò, Facultates, seu reditus Ecclesiæ vel Monasterii æstimandi sunt habito respectu, non tantùm ad sustentandos Clericos, vel Religiosos: sed etiam ad alia Ecclesiæ onera & expensas in Fabricam & eleemosynas faciendas, ad hospitalitatem erga peregrinos exercendam, & ad solvendum jura Episcopalia &c. *arg. c. De Monachis; 12. de Præbend. Gl. in cit. c. 1. V. Absque penuria, & Abb. ibid. n. 2. h. t. Laym. l. 4. tract. 2. c. 16. n. 1.* Licèt autem præceptum *cit. c. 1.* negativè sit conceptum, ut non plures recipiantur in Ecclesiis vel Monasteriis, quàm possint ibi sustentari, includit tamen in se præceptum affirmativum, ut tot sint recipiendi, quot ex reditibus Ecclesiæ sine penuria ali possunt, & ad hoc Prælati, vel Conventus à Superioribus suis, v. g. Episcopo compelli possunt, *Abb. c. l.* Ubi ait, hoc non esse oblivioni tradendum, *Fagnan. ibid. n. 5.*

Notandum secundò. Si Ecclesia numerata sit, sive certus in ea Canonicorum, aut Regularium numerus per statutum sit determinatus, tum ob modicum redituum augmentum, numerus is augeri non debet, ut monet *Gl. c. l. & Abb. ibid. n. 5.* Sed reditus excrescentes vel mensæ Capitulari, si bona communia possideantur, accrescunt, & in fine anni inter Canonicos dividuntur: vel propriis Beneficiatis accrescunt, si Præbendæ, sive reditus Beneficiorum sint distincti, *Abb. c. l. & Laym. c. l. n. 3.* Si verò reditus Ecclesiæ notabiliter augeantur, sive in tantùm facultates Ecclesiæ excrescant, ut pluribus Canonicis, vel Clericis competenter sustentandis possint sufficere, tum etiam numerus Præbendarum, & Canonicorum augeri debet, tametsi à Papa definitus sit, & confirmatus, *c. Cùm M. 9. de Constitut.* quia clausula illa, *nisi reditus excrescant*, etsi non sit expressa, tacitè subintelligi debet, cùm id secundùm stylum Curiæ & SS. Canonum sit requisitum, *Laym. in cit. c. Cùm M. de Constitut. n. 7.* Ubi ex Felino & aliis Dd. generalem regulam tradit, quòd clausula secundùm loci consuetudinem, aut instrumenti vel contractûs naturam apponi solita, si non exprimatur, subintellecta censetur: de hoc etiam dictum *supr. l. 1. Tit. 2. n. 107. & seq.*

Notandum tertiò. Si vice versâ reditus Ecclesiæ notabiliter decrescant, ut non sufficiant tanto Canonicorum, vel Monachorum numero sustentando, is imminui poterit: dummodò augmentum, vel decrementum redituum stabile futurum esse existimetur, non obstante confirmatione Papæ, ut docet *Abb. in c. Cùm accessissent; 8. n. 4. de Constitut.* Vel etiam quòd numerus Præbendarum juramento sit confirmatus; quia tam confirmatio Papæ, quàm juramentum de retinendo certo numero Præbendarum, intelligi debet, si res in eodem statu permaneat: non autem, ut etiam in eum casum se extendat, si res notabiliter mutata fuerit, ita ut secundùm æquitatis rationem, & SS. Canonum præscriptum, mutatio facienda sit; nam in Ecclesiæ dedecus tenderet, si Canonici, aliique Clerici se ex reditibus honestè alere non possent, *Azor p. 2. l. 6. c. 30. q. 11. & q. 13. Garc. p. 10. c. 1. n. 2. Laym. cit. c. 16. n. 3. & in cit. c. Cùm M. n. 4.*

XVI. Quæritur tertiò. An is, ad quem spectat jus sive potestas conferendi Beneficium, aut instituendi, possit seipsum instituere? Respondetur negativè, prout constat *ex c. Cùm ad nostram; 7. & ult. h. t.* Nam vacante quâdam Abbatiâ, electus fuit in Abbatem, qui in eadem Ecclesia priùs Custos erat, isque nihilominùs Custodiam sibi retinebat. Unde quærebatur, utrùm de jure posset illam retinere? Consultus Papa Inuocentius III. respondit, quòd idem Abbas Custodiam de jure obtinere non potest; quia cùm ratione Abbatiæ, tam Custodiæ, quàm aliarum dignitatum & Præbendarum illius Ecclesiæ, donatio sive collatio ad ipsum Abbatem pertineat, non potuit illam à seipso recipere: cùm inter dantem, & recipientem debeat esse distinctio personarum: sed neque ab alio recipere potuit, cùm alii jus conferendi non haberent.

XVII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si quis habens dignitatem, Personatum, vel etiam Officium, acquirat aliam dignitatem, eo ipso vacat prima, sive dignitas, sive Officium, *Gl. magna hic in notatis*, ut in casu hujus cap. per adeptionem Abbatiæ ipso jure vacabat Officium Custodis, quod promotus ad Abbatiam priùs obtinebat, ita ut alteri conferri deberet, & quidem ab ipso promoto, si quidem jus conferendi annexum erat dignitati Abbatiæ, cujus possessionem erat assecutus.

Notandum secundò. Sicut nemo potest ligare, aut solvere seipsum; imò nec per se & directè dispensare secum ipse, sic nec dignitatem vel Præbendam Ecclesiasticam sibi ipsi conferre potest; quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personarum, sicut inter vendentem, & ementem, locantem, & conducentem, restituentem, & eum, cui fit restitutio, eligentem, & electum, præsentantem, & præsentatum, quia nemo oritur à seipso. Unde nec eligere seipsum quis potest, *c. Inscripturis; 9. caus. 8 q. 1.* Neque seipsum præsentare, quamvis Clericus & idoneus sit, *c. Per nostras; 26. de jur. patron.* & universim loquendo, nemo potest in facto proprio auctoritatem præstare, *Clement. 2. junct. Gl. V. Mensæ suæ; de reb. Eccl. non alien.* ac proinde etiam nemo potest habens jus conferendi, vel instituendi sibi ipsi conferre Beneficium, vel seipsum instituere, *Abb. hic n. 4. & 5.*

Notandum tertiò. Quando dicitur in fine hujus cap. quòd Prælatus, cui competit jus conferendi, non possit Beneficium accipere ab alio: id intelligi debet de omni eo, qui proprio nomine illud conferre non potest. Et hinc, etsi Prælatus potestatem conferendi alteri deleget, non tamen potest Delegatus conferre Beneficium vel dignitatem ipsi Deleganti; quia Delegatus non confert jure & potestate propriâ, sed jure & auctoritate Delegantis, cùm Delegatus nihil proprium habeat, sed jurisdictione ejus, qui mandavit, utatur, ut dicitur in *l. 1. ff. de eo, cui mandat. est jurisd.* & vices Delegantis gerat, *c. Sanè; 11. de offic. Deleg.* & sic in effectu censebitur Delegans sibi ipsi illud conferre, & eadem persona in proprio facto sibi ipsi auctoritatem præstabit, cùm tamen non possit quis esse auctor in rem suam, *l. 1. ff. de autorit. tutor.* & qui facit per alium, perinde est, ac si faciat perse-

perseipsum, *juxta reg. jur. 72. in 6.* Verùm Collator inferior, cui jus conferendi Beneficium competit, poterit illud accipere à Papa, vel Legato à Latere, quia illi jure communi in Beneficiis conferendis concurrunt cum inferioribus Collatoribus ordinariis, eâque jure proprio conferunt, *Abb. hic n. 6. in fine.* Idémque est, si inferior Collator legitimè transferat in alium absolutè potestatem conferendi Beneficia, eâque se omnino abdicet, tunc enim ab illo poterit recipere Beneficium, quia hic novus Collator proprio nomine confert, *Abb. c. l.*

XVIII. Sed contra obstare videtur: S. Pontifex dat, seu delegat suo Confessario jurisdictionem seu potestatem absolvendi à peccatis seipsum, à quo etiam in foro conscientiæ ligatur, & solvitur, ergo potest aliquis alteri dare, seu delegare jurisdictionem vel potestatem exercendam erga seipsum, ergo multò magis poterit quis dare potestatem alteri conferendi Beneficium sibi, vel investiendi seipsum? Resp. hoc argumento probari contra plures Theologos recentiores, quòd Confessarius Papæ eundem non absolvat per potestatem jurisdictionis propriè delegatam ab ipso Papa; quia sequeretur, quòd Confessarius ipsum absolvat, nomine & auctoritate ejusdem Papæ Delegantis, adeóque quòd per se, directè & principaliter ipse Papa exerceat jurisdictionem in seipsum, & à peccatis (quoad potestatem jurisdictionis, non Ordinis) absolvat seipsum. Nec refert, quòd per alium, nempe per Delegatum id faciat; quia quod quis per alium facit (tanquam principalis mandans) perinde est, ac si faciat per seipsum, *juxta reg. jur. 72. in 6.* ergo si Papa absolvitur à peccatis per alium, tanquam suum Commissarium sive Delegatum, perinde est, ac si absolveretur à seipso; actio enim, quæ fit per aliquem, nomine & vice alterius, non tribuitur ipsi immediatè agenti, sed principali, sive mandanti, ut patet in matrimonio contracto per Procuratorem, Legato Principis, Patrino suscipiente aliquem è Baptismo per alium &c. Sicut ergo Ordinarius Collator, ad quem spectat potestas conferendi Beneficia, non potest alteri delegare potestatem conferendi aliquod Beneficium sibi ipsi, *juxta cit. c. ult. h. t.* Ita neque potest aliquis potestatem jurisdictionis absolvendi à peccatis committere, seu delegare alteri exercendam in seipsum: nam ideò non potest Collator delegare alteri potestatem conferendi Beneficium sibi ipsi; quia Delegatus conferret illud, nomine & auctoritate ipsius Delegantis, cujus vices gerit, & personam repræsentat, *cit. l. 1. §. Qui mandatam; ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd. & c. Sanè; 11. de offic. Deleg.* Sic Delegans in effectu & reipsâ conferret Beneficium sibi ipsi: atqui etiam Delegatus ad absolvendum à peccatis, absolvit per potestatem jurisdictionis sibi delegatæ, nomine vice & auctoritate ipsius Delegantis, ergo cùm vi jurisdictionis delegatæ absolvitur ipse Delegans, censendus est in effectu & reipsâ absolvere à peccatis seipsum, & sibi ipsi auctoritatem præstare, & jurisdictionem fori interni directè & principaliter exercere in seipsum, quod utrumque Jus, Canonicum & Civile: imò etiam ipsa ratio naturalis vetat, & reprobat; nam sicut inter conferentem, & eum, cui confertur Beneficium; ita multò magis inter absolventem à peccatis & absolutum debet esse distinctio personarum, non tantùm physica, sed etiam moralis.

Quare directè respondendo ad objectionem allatam: Dicendum est, cum Abbate in *cit. c. fin. n. ult. h. t.* quòd in isto casu Sacerdos absolvens non sit merus Commissarius, sive Delegatus Papæ: sed potiùs Legatus & Vicarius Dei; quia Deus dedit potestatem absolvendi à peccatis Apostolis, & consequenter etiam Sacerdotibus ritè ordinatis, tanquam eorum Successoribus, *c. Firmiter; 1. de S. Trinit.* Ac proinde ad absolvendum aliud non requiritur, nisi persona subdita: Papa verò voluntariè se subjiciendo Sacerdoti, compler, & velut actuat radicalem ejus potestatem, quam in Ordinatione sua à Deo accepit absolvendi à peccatis: nam cùm S. Pontifex nullius hominis potestati, vel jurisdictioni subjectus sit, non potest ullus homo in illum exercere jurisdictionem, nec quidem fori interni, adeóque neque ipsum absolvere, nisi ipse se alicui Sacerdoti sponte subjiciat, ut in ipsum exerceat potestatem absolvendi à Deo acceptam. Itaque Sacerdos absolvit Pontificem, non potestate ipsi delegatâ ab ipso Papa, sed jure ac potestate propriâ à Deo immediatè acceptâ, supposito, quòd se illi voluntariè subjiciat.

XIX. Postremò illud prædictis addendum, quòd ad institutionem præsentati, sicut & ad confirmationem electi, non sit certum tempus à jure præfinitum, intra quod facienda sit institutio, sicut est præfixum collationi liberæ & voluntariæ, ut communi docet *Abb. in c. 2. n. 12. & 13. de conces. Præb. Garc. p. 11. c. 4. n. 1. Barb. de offic. Epis. alleg. 72. n. 191.* Idque ne Beneficia nimis diu vacent, nam cùm Patronus habeat, si Laicus sit, quatuor menses ad præsentandum, Ecclesiasticus verò sex menses: si Superior haberet alios sex menses ad instituendum, vacaret Beneficium per annum, antequàm potestas instituendi ad Superiorem devolueretur, ut notat *Abb. c. l.* Si tamen habens potestatem instituendi v. g. Episcopus sit negligens, sive recuset, vel differat institutionem, recurrendum erit ad illius Superiorem, nempe Metropolitanum, vel Legatum seu Nuncium Sedis Apostolicæ, qui tempus præfigat, intra quod, si non instituerit, ipse supplebit defectum, vel compellendo illum, vel per seipsum instituendo, *Garc. c. l. n. 5.* quin etiam si habens potestatem instituendi differat instituere, sine legitima causa, poterit appellari ad Superiorem illius, propter gravamen illatum, *Garc. c. l. n. 9. Barbos. n. 193.*

TITV-

TITVLVS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

I.

DIctum est in præcedentibus Titulis de Præbendis & Dignitatibus earúmque collatione & institutione, sed quia illæ sæpe conferuntur, vel promittuntur, antequàm vacent, vel non conferuntur, ita ut diu maneant vacantes, ideò hîc Titulus subjicitur, in quo traditur, quòd Beneficia non sint conferenda, nec quovis modo concedenda, nisi cùm ea vacant: deinde etiam de negligentia in conferendo Beneficia vacantia agitur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus Joannis XXII. Vacans autem tunc dicitur Beneficium, quando caret omni possessore, sicut locus dicitur vacare, qui caret corpore, cùm eo soleat repleri: & bona vacantia, quæ à nemine saltem jure possidentur. Quare per mortem v. g. Beneficiarii vacat Beneficium, quia hoc non extinguitur, sive perit, sed à nemine possidetur: pensio verò Ecclesiastica per mortem pensionarii non vacat, quia finitur ac desinit, adeóque extingui dicitur, sicut ususfructus morte usufructuarii finitur, *Azor p. 2. l. 7. c. 16. q. 1.*

§. I.

Virùm Beneficium non vacans possit conferri, vel promitti?

II. Assertio 1. Beneficium viventis, adeóque non vacans conferri non potest, sed institutio vel collatio Beneficii non vacantis est ipso jure irrita: imò » si quis passus est se institui in loco seu Beneficio viventis Sacerdotis (vel alterius Beneficiarii) ab Ecclesiastica communione (id est, participatione Corporis & Sanguinis Domini) removendus est, prout statuit Gelasius Papa in c. *Qui in vivorum*; 1. *h. t.* & ibi *Gl. V. Communione*, & nihilominùs deponendus est, ut addit *Gl. ibid. V. Pellendi*: Consentit c. *imprimis*; 7. §. *De Episcopi caus.* 2. *q.* 1. *Abb. hîc n.* 3. Similiter in c. *Eum qui*; 40. *caus.* 7. *q.* 1. S. Gregorius » scribit, eum, qui contra justitiæ regulam in Archidiaconatum alteriùs se provehi consensit, ab » ejusdem Archidiaconatûs honore deponimus: qui » si ulteriùs in loco eodem ministrare præsumpserit, » se participatione Communionis Sacræ noverit esse privatum. Ratio autem, cur collatio Beneficii non vacantis sit irrita, est, quia Beneficium uni collatum non potest, eo vivente, alteri conferri, cùm duo simul idem Beneficium habere non possint, c. *Tuæ*; 20. *de Præbend.* Neque debet Beneficiatus, sine justa & gravi causa, suo Beneficio privari, cùm Beneficia concedantur in perpetuum, sive ad vitam Beneficiati, *Abb. hîc n.* 2. Idque certum est, quòd Beneficium viventis non possit conferri alteri ab aliquo, qui est Papâ inferior, tametsi Papa, ex plenitudine potestatis, id facere posset, quod tamen non reperitur unquam fecisse, sine causa, ut notat *Abb. c. l.*

III. Ubi Notandum primò. Prædicta pœna incurritur solùm ab eo, qui scienter se passus est institui in Beneficio viventis, non autem qui ignoranter, ut tradit *Gl. in cit. c. Et inprimis*; *V. Repellatur*, & sumitur ex c. *Præsentium*; 3. *& cit. c. Eum qui*; *caus.* 7. *q.* 1. Neque etiam hæc pœna habet locum, si quis succedat in Beneficio viventi justâ ex causa depositio, *Gl. fin. in cit. c.* 1. *h. t.* Notandum secundò, is, qui scienter occupavit Beneficium viventis nondum vacans, non potest deinceps illud Beneficium obtinere, sine dispensatione Papæ: sicut is, qui vivente marito, contraxit cum aliqua matrimonium de facto, non potest eam, etiam eo mortuo, ducere in uxorem, c. *fin. de eo, qui duxit in matrim. &c.* Quòd si is, qui scienter se institui permisit in Beneficio non vacante, & posteà eodem vacante, illud impetret à Papa, non factâ mentione suæ intrusionis, & illegitimæ institutionis, per quam inhabilis factus est ad illud Beneficium obtinendum, collatio eidem facta non valet, quippe subrepticia; quia si Papa id sciviſſet, ipsi non contuliſſet, vel non ita facilè, arg. c. *Super Litteris*; 20. *& c. Postulásti*; 27. *de rescript. Abb. in cit. c.* 1. *n.* 3. *h. t.*

IV. Assertio 2. Non tantùm Ecclesiastica Beneficia, antequam vacent, nemini conferri: sed nec promitti possunt, prout constat ex c. *Nulla*; 2. *in princ. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. c. 8. Ubi statuitur: nulla Ecclesiastica ministeria (id est, Officia, vel dignitates, *Gl. hîc V. Ministeria*) vel Beneficia Ecclesiæ conferantur alicui, antequam vacent; ne quis » desiderare mortem proximi videatur, in cujus » locum & Beneficium se credit successurum: cùm » enim in ipsis etiam legibus gentilium pactum de futurra successione, vivente eo, cui succedendum, » prohibitum sit: multò magis turpe est, & Divini » plenum animadversione judicii, si in Ecclesia Dei » futuræ successionis expectatio locum habeat. Simi- » liter hujusmodi pactum Jure civili damnatum est, tanquam bonis moribus adversum *in l. Donari*; 29. §. *Donationem*; *ff. De donat. & in l. ult. C. de pact.* Ubi dicitur, quòd omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plena tristissimi & periculosi exitûs, ideóque talia pacta, quæ contra bonos mores sunt inita, observari non debere.

V. Ubi Notandum. Licèt pactum de futura successione valeat (saltem per modum donationis mortis causâ factæ) si is, de cujus hæreditate pactum est, consenserit, & in eadem voluntate usque ad mortem perseveraverit, prout habetur in *cit. l.*

ult. C. de pact. promissio tamen de Præbenda seu Beneficio viventis, adeóque non vacante, non tenet, etiamsi facta sit, cum consensu ejus, qui illud obtinet; cùm non possit Beneficium illud alicui concedere, seu conferre, *Gl. hic V. Condemnare.* Verùntamen promissio facta ab eo, qui conferendi jus habet, de conferendo alicui Beneficio vacante, valet, ut colligitur ex *cit. c. 2. h. t.* ibi: *antequàm vacent*, ergo à sensu contrario postquàm vacant, promitti possunt Beneficia: sed quia per talem promissionem non acquiritur jus in re in Beneficio promisso, ideo non obstante illâ promissione, potest illud Beneficium posteà alteri validè conferri, *arg. l. Quoties*; 15. *C. De rei vindic. & c. Sicut*; 22. *de sponsal.* Ubi habetur, quòd sponsalia de futuro, etiam jurata, solvantur per posteriora sponsalia de præsenti, *Abb. in cit. c. 2. n. 2. h. t.*

Sed hîc objici potest, si collatio vel promissio Beneficii non vacantis, sed vacaturi, involuit votum mortis alienæ, ut dicitur in *cit. c. 2. h. t.* sequitur, id prohibitum esse jure naturali & Divino, ergo nec Papa in ea re dispensare potest, vel id concedere? Resp. Non involuit tale votum causaliter, sed tantùm occasionaliter, potest enim talis promissio alicui fieri, qui non habet tale votum seu desiderium, sed mallet carere Præbendâ, quàm optare mortem proximi, & ideò cùm promissio hæc, nec formaliter, nec causaliter includat votum hujusmodi, potest à Papa dispensativè concedi, vel promitti Beneficium vacaturum, *Jo. Andr. in c. Proposuit*; 4. *n.* 3. *V. Vacaturæ*; *h. t.*

VI. Præterea quod dictum est, promissionem Beneficii vacaturi non valere, confirmatur ex *c. Extenore*; 13. *h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Clericum J. ex una parte, & Abbatem ac Conventum de Bello ex altera, super provisione ipsius Clerici J. hic coram Judicibus delegatis, lite contestatâ scripturam quandam Abbatis & Conventûs de Bello produxit, in qua continebatur, quòd primò vacaturam Ecclesiam ad collationem ipsorum spectantem eidem conferre velint. Sed Abbas & Conventus excipiendo dicebant, promissionem illam non tenere, utpote repugnantem statuto Concilii Lateranensis, decernens irritas hujusmodi expectativas. Consultus Papa Innocentius III. respondit, promissionem prædictam non tenere: ideóque mandavit, ut Abbas, & Conventus ab impetitione Clerici absolverentur, eique super hac re silentium imponeretur.

Ex quo patet, quòd promissio Beneficii vacaturi, etiamsi fuerit per scripturam firmata, non valet; quia actus nullus regulariter per scripturam non fit validus, *Abb. hîc n. 2. qui n. 3.* addit, quòd nec per juramentum confirmatur; quia contra legem emanantem principaliter in commodum publicum non valet juramentum, nec potest quis se obligare.

VII. Ubi præterea Notandùm, licèt allegans propriam turpitudinem, sive agendo, sive excipiendo, audiendus non sit, *c. Inter dilectos*; 8. *de donat.* & sumitur etiam ex *c. Cùm super*; 8. *h. t.* ne quis scilicet ex dolo suo, sive propriâ iniquitate commodum ferat, *l. Ita demum*; 13. *ff. De receptis, qui arbitrium &c.* & docet *Bart. in l. Jusjurandum*; 17. §. *Procurator*; *n.* 5. Id tamen non procedit, si etiam actor turpitudinem propriam alleget, vel fateatur, tunc enim cùm in pari causa vel delicto melior sit conditio possidentis, *juxtà reg. 65. in 6.* exceptio Rei allegantis turpitudinem suam admittitur, *l. 2. C. De condict. ob turp. caus.* Ut in casu hujus *cap.* in quo Clericus actionem suam fundavit super promissione ei factâ de Beneficio proximè vacaturo contra Lateranense Concilium, ideóque tanquam propriam turpitudinem, & in odium illius recipientis turpem promissionem, reus conventus, videlicet Abbas & Conventus ipsum repellere potuit, licèt ejusdem delicti particeps fuerit, *Gl. fin. hic.* Nec obstat, quòd in *c. Cùm super*; 8. *h. t.* dicatur, Capituli exceptio, quòd Clericus sit receptus per gratiam expectativam vacaturi Canonicatûs, contra Concilium Lateranense, nequaquam admittendam esse, utpote allegans propriam turpitudinem: Nam in casu illius *cap.* Clericus non fundabat se super promissione Canonicatûs, sed nec illam confitebatur: ac proinde Capitulum allegans ejusmodi promissionem præcessisse, ideóque factam à se collationem jure repelli debuit: quare in illo *cap.* est casus omninò diversus; tum quia in illo Clericus ille non tantùm promissionem habuit Canonicatûs, sed etiam receptus fuit in Canonicum; tum quia à Capitulo non fuit probatum, quòd Clericus ille contra Concilium Lateranense receptus fuisset, *Gl. in cit. c. Cùm super*; *V. Posse in fine*, & *Gl. fin. in cit. c. Extenore*; *h. t.* Sunt & alii præterea casus, in quibus allegans propriam turpitudinem audiri debet, de quibus videri potest *Abb. in cit. c. Cùm super*; *n. 9. h. t.*

VIII. Cæterùm doctrina suprà tradita, nec conferri, nec promitti posse Beneficium nondum vacans: Extenditur primò, quòd Beneficium postquam vacat, sit conferendum alteri, non obstante appellatione illius, cui promissum fuit, antequàm vacaret, ut constat ex *c. Relatum*; 3. *h. t. junct. Gl. in casu ibid.* Ubi habetur, quòd Clerici quidam recipiebant promissiones de Beneficiis non vacantibus, sive gratias expectativas ad Beneficia proximè vacatura, & posteà cùm vacabant, appellârunt extrajudicialiter ad Sedem Apostolicam, ne aliis conferrentur: quæsitum fuit, an tali appellationi sit deferendum! Ad hoc respondet Papa Alexander III. cùm hujusmodi promissiones in Lateranensi Concilio sint cassatæ (*c. 2. h. t.*) non debet, prætextu appellationis eorum, qui dictis promissionibus innituntur, omitti, quò minùs Ecclesiæ vel Beneficia, cùm vacaverint, personis idoneis conferantur. Ratio est, quia promissio Beneficii vacaturi, cùm ab initio ipso jure sit irrita, non potest per solam subsequentem vacationem ejusdem reddi valida, quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, *l. 29. ff. de R. J.* & cùm ex tali promissione, quippe secundùm Canones irritâ nullum jus acquisitum sit promissario, adeóque illius non interest, ideò contra collationem Beneficii, ne ea, postquam vacavit, fiat alteri personæ idoneæ, appellare non potest, *juxta l. 1. ff. de appellat. recip.* Neque appellatio illegitima impedit jus, seu potestatem liberam conferendi Beneficia, *Gl. fin. hic*, & *ibid. Abb. n. 2. & 3.*

IX. Extenditur secundò. Quòd non possit Episcopus, vel alius, ad quem spectat jus conferendi Beneficia, delegare, vel concedere alicui potestatem conferendi Beneficia proximè vacatura: quamvis possit alteri delegare potestatem conferendi Beneficia, postquam vacant, ut constat ex *c. Constitutus*; 11. *h. t.* Ubi cùm Episcopus Laudunensis Henrico Canonico

» potestatem concessisset, proximè vacaturam Præ-
» bendam in illa Ecclesia conferendi, idque Rhe-
» mensis Archiepiscopus tunc Legatus Sedis Aposto-
» licæ confirmâsset: Henricus de hac potestate sua ad-
» huc dubitans accessit ad Papam, petiitque, ut ean-
» dem confirmaret. Annuit Innocentius III. man-
» dátq; Episcopo & Capitulo Laudunensi, ut personam
» illam, cui prædictus Henricus Præbendam Sacer-
» dotalem, cùm contigerit vacare, Canonicè (id
» est, personæ idoneæ & modo Canonico, *Gl. hìc V. Canonicè*;) conferendam censuerit, eum sine con-
» tradictione admittant, & Episcopus eam alteri
» contra formam concessionis à se factæ, Henrico
» conferre non præsumat. Verùntamen quia ejus-
» modi concessiones, si in exemplum traherentur, in
» SS. Canonum fraudem fieri possent, per quos pro-
» hibentur Ecclesiastica Beneficia concedi, vel pro-
» mitti, antequàm vacent (in c. 2. *& aliis pluribus h. t. & c. 2. eod. in 6.*) ideò declarat Papa, se nolle, ut
» occasione hujus mandati (quo concessio Episcopi,
» quæ nulla erat, facta fuit valida per concessionem
» Papæ, *Gl. hìc V. Contra formam concessionis*) perso-
» nalem sive specialem gratiam continentis, talis licen-
» tia aliis in fraudem abuti volentibus concedatur.
Ratio hujus prohibitionis est, quia posset quispiam tali facultate conferendi Beneficium proximè vacatu-
rum abuti in fraudem Concilii Lateranensis: si enim aliquis certum Beneficium nondum vacans obtinere vellet, posset subornare amicum, ut impetraret ab Episcopo facultatem illud Beneficium, cùm vacaverit, conferendi, & sic spe fretus, quòd amicus ille sibi id Beneficium conferat, posset desiderare, & machinari mortem alicui Beneficiario, cui ipse succedere cuperet, *Abb. hìc n. 3.* Excipitur, quòd Episcopus possit committere Generali suo Vicario facultatem conferendi Beneficia vacatura, in genere & indeterminatè, non autem in specie, & determinatè, sive respectu certi Beneficii, sive respectu certæ personæ, *Abb. hìc n. 5. Laym. in c. 3. n. 3. de offic. Vicar. in 6. & dictum supr. l. 1. Tit. 28. n. 50.* Ex dictis colligitur, quòd Episcopus possit in genere delegare administrationem rerum suarum, non autem in specie; quia id cedere posset in fraudem Constitutionis Concilii Lateranensis in *c. 2. h. t. Gl. hìc V. Contra formam Constitutionis.* Colligitur secundò. Privilegium personale, sive gratia specialis alicui concessa, non debet trahi ad jus commune, nec in consequentiam, ita ut aliis in simili casu idem concessum esse censeatur, *Gl. magn. hìc in notat.*

X. Assertio 3. Spectato Jure antiquo Canonico, valet promissio de conferendo alicui Beneficio in genere, cùm poterit? seu occasio se obtulerit, ut constat ex c. *Accedens*; 14. *h. t.* & ibi *Gl. In casu.* Nam
» cùm quidam Abbas & Conventus cuidam Clerico
» promisissent, se collaturos ipsi Beneficium Eccle-
» siasticum, quando potuerint, sed cùm postea con-
» ferre intermitterent, Clericus ille impetravit Litte-
» ras à Papa ad quosdam Judices delegatos, coram
» quibus petebat, Monachos compelli ad conferen-
» dum sibi Beneficium, sicut promiserant. Verùm
» Monachi excipiebant, se non obligari illâ promis-
» sione, cùm sit facta contra Concilium Lateranense
» (in c. 2. *h. t.*) in quo prohibentur omnes promis-
» siones de Beneficiis vacaturis conferendis. Re de-
» latâ ad Papam Innocentium III. is respondet: a-
» liud esse, si Prælatus (vel alius Collator) promit-
» tat se Beneficium collaturum, cùm potuerit: &
» aliud, cùm vacaverit; siquidem in multis casibus
» facultas conferendi se offerre potest, in quibus col-
» latio non cadit sub expectatione Beneficii vacaturi:
» ideóque mandat Papa, ut Abbas & Monachi dicto
» Clerico, cùm potuerint, Beneficium Ecclesiasticum
» assignent. »

XI. Hinc colligitur, quòd collatio Beneficii, vel ejus promissio facta cum hac clausula, *cum potero*, generalior est, quàm ista, *cùm vacabit*, & prior quidem valet, non autem posterior: quia in priore in pluribus casibus contingere potest, ut non expecterur mors alterius, ut si vacet Beneficium, non per mortem Beneficiarii, sed per ejus renunciationem, vel depositionem: vel si nova Præbenda erigatur, aut divisio fiat Præbendæ, in his enim & similibus casibus per promissionem factam de Beneficio conferendo, cùm facultas se obtulerit, non datur gratia expectativa, per quam desideretur mors alterius, adeóque cessat ratio prohibitionis Concilii Lateranensis, *Gl. hìc V. Casibus, & Gl. in c. 2. V. Indirectè eod. in 6.* & multa sunt permissa in genere & indeterminatè, quæ non permittuntur in specie seu determinatè, *c. 2. de Offic. Ordin.*

XII. Consentit cum priore *cap.* Constitutio »
decretalis in c. *Cùm super*; 8. *h. t.* Nam ortâ contro- »
versiâ inter Clericum C. & Capitulum Cathedrale »
Ecclesiæ Tridentinæ, Clericus sibi assignari pete- »
bat Præbendam in eadem Ecclesia, eò quòd in Ca- »
nonicum fuerit receptus. Sed Capitulum exci »
piendo proposuit, receptionem illam factam esse »
contra decretum Concilii Lateranensis (in *c. 2. h.* »
t.) ideóque illos non obligari ad assignandam Præ- »
bendam. Hoc cognito, Innocentius III. per sen- »
tentiam decrevit, ac definivit, quia hoc à Capitulo »
probatum non fuit, & quia ipsi Canonici fatentur, »
se contra statutum Concilii Lateranensis Clericum »
illum in Canonicum recepisse, adeóque de jure hoc »
opponere non possit, nec audiri debeat (quia fru- »
strà legis auxilium invocat, qui committit in le- »
gem, *c. Quia*; 14. *infr. ff. de usuris*; *Gl. hìc V. Posse*) »
ideò mandat Papa, ut quàm primùm se in eadem Ec- »
clesia Tridentina facultas seu occasio obtulerit, di- »
cto Clerico Præbendale Beneficium conferatur; »
quia receptus in Canonicum Præbendâ carere non »
debet. Ratio autem, cur Episcopus & Capitulum recipere possint Canonicum, cum promissione Præbendæ conferendæ, quando potuerint, vel occasio se obtulerit, est; quia tunc Præbenda ei debetur, non ex vi solius promissionis generalis, vel specialis, sed ex vi receptionis, & juris dispositione, nam hæc conditio & obligatio de jure inest, &, ideò nova non imponitur, *c. Relatum*; 9. *& c. Dilectus*; 19. *Gl. in cit. c. 2. V. Indirectè*; *h. t. in 6. Franc. ibid. n. 4.*

Porro hoc casu receptus in Canonicum à Capitulo potest agere contra illud, & petere, ut sibi provideatur de Præbenda, cùm se occasio obtulerit, *Abb. hìc n. 6.* Ubi addit, quòd licèt ex obligatione contracta sub conditione non competat actio, ante ejus eventum, §. *Ex conditionali Instit. de V. O.* tamen in casu hujus *cap.* obligatio à Capitulo contracta ad confe-

ferendam Præbendam non fuit conditionalis, sed pura & absolnta, licèt ad obligationem exequendi requireretur facultas, seu occasio, quæ fortassis se obtulit, sed neglecta fuit à Capitulo, & ideò Clericus contra illud agere potuit, & petere, ut compellatur ad Præbendam conferendam.

XIII. Assertio 4. Jure novo Decretalium, omnis promissio de Beneficio conferendo, adjectâ clausulâ, *cùm potero*, *vel cùm se facultas seu occasio obtulerit*, vel per quam directè aut indirectè via aperitur ad Beneficia vacatura, est prohibita & invalida, prout statuit Bonifacius VIII. in *c. Detestanda*; » *2. h. t. in 6.* ubi dicitur: Licèt olim Canonicâ Constitutione fuerit decretum (*in cit. c. Accedens extra*; » *h. t.*) ut ii, qui promittunt se provisuros de aliquibus Beneficiis Ecclesiasticis, cùm potuerint, vel » cùm se facultas obtulerit, promissiones suas, facultate se postea offerente, debeant adimplere: » quia tamen per hujusmodi promissiones, teste experientiâ (quæ est rerum magistra, *Gl. hic V. Experientia*) quæ per importunitatem nimiam (per » quam non concedenda sæpe conceduntur) & per » ambitionem improbam ut plurimùm extorquentur, aperitur via sub tali pallio verborum ad promittenda Beneficia vacatura, contra Concilium » Lateranense, & mortis alienæ votum ingeritur, Ecclesiis ac Prælatis & Personis Ecclesiasticis plurima » gravamina inferuntur: ideò tales promissiones, » sub quovis modo aut formâ verborum (ut si in genere promittatur alicui Beneficium Ecclesiasticum, » *Gl. hic V. Forma verborum*) de cætero faciendæ, » per quas directè vel indirectè via aperiri possit ad » Beneficia vacatura, auctoritate Apostolicâ, penitus reprobantur, & cassantur, nullúmque per tales » promissiones obligari deinceps decernitur. Ratio patet ex textu; quia quando prohibitio respicit certum finem, censetur tunc prohibita quælibet via, per quam directè vel indirectè ad illum finem prohibitum pervenitur, *Franc. hic n. 2. not. 4.* Concilium autem Lateranense in *c. 2. h. t.* prohibuit, ne Beneficia vacatura promittantur, ut tollatur occasio desiderandi mortem alicujus, ideóque promissiones hujusmodi, quæ eò tendunt, sub quovis modo aut forma verborum, omninò reprobantur. Non extenditur autem hæc Constitutio ad præterita, tum quia non est juris veteris declaratoria, sed correctoria: tum quia de præteritis in ea non cavetur, *Gl. hic V. Decætero.* Neque etiam per illam corrigitur jus antiquum, si recepto in Canonicum promittatur Præbenda, cùm primùm fieri poterit, vel facultas se obtulerit, *Gl. hic V. Indirectè*, & dictum *supr. n. 12.* secus si promittatur Præbenda simpliciter, cùm vacabit, non enim tenet promissio, *Gl. hic c. l.*

XIV. Præterea quòd dignitas, vel aliud Beneficium non vacans non possit alteri conferri, probatur etiam ex *c. Post electionem*; *7. h. t.* ut notant *Gl. ibid.* » *Jo. Andr. & Abb. in Summa.* Nam cùm Eboracensis Archiepiscopus Archidiaconatum Richemundiæ vacantem M. Honorio contulisset, mandans Capitulo Eboracensi, ut ipsum reciperent; » Capitulares huic mandato parere noluerunt; quia » Antecessor Innocentius III. Decano & Capitulo » Eboracensi privilegium concessit, ut Canonicorum seu Personarum Ordinatio, sive institutio libera esset, ita ut idonea & honesta persona, cui » Archiepiscopus vacantem in Ecclesia Eboracensi » Præbendam, vel dignitatem putaverit conferendam, secundùm antiquam illius Ecclesiæ consuetudinem, dictis Decano & Capitulo præsentare- » tur. Si quis autem contra consuetudinem hujusmodi per aliquem in eadem Ecclesia esset introductus, pro Canonico vel Persona non reputaretur. » Quòd si verò Archiepiscopus intra tempus Lateranensis Concilii, videlicet sex mensium, Præbendam, vel dignitatem non conferret, liceret Decano & Capitulo, auctoritate Apostolicâ, conferre. » Quia igitur in Litteris Archiepiscopi ad Capitulum » directis, nulla de Decano mentio fuit facta (quæ » tamen necessariò fieri non debebat, cùm pars contineatur in toto, Decanus autem est pars, & quidem præcipua Capituli, *Gl. hic V. Mentio*) per » quem in Capitulo investiri debebat: ideò Capitulares hoc mandatum exequi noluerunt: sed existimantes Archidiaconatûs collationem, tum propter Concilii Lateranensis constitutionem: tum » propter Apostolici privilegii tenorem, ad Capitulum esse devolutam, Romano de S. Eadmundo » Archidiaconatum unanimiter contulerunt, cúmque solenniter investiverunt, & installârunt. Progressu verò temporis idem Archiepiscopus, post- » quam Honorius cùm juramento, prout referebatur, Archidiaconatui renunciavit, eandem dignitatem contulit dicto Romano, qui proinde tum ratione hujus posterioris, tum ratione præcedentis » collationis, à Sede Apostolica confirmationem petivit. His ita propositis, Innocentius III. respondit: quandoquidem Archiepiscopus Eboracensis » Honorio primitùs Archidiaconatum contulit; eâ- » que institutio seu collatio reprobata non fuit (quæ » priùs debuit reprobari, antequam transitus fieret » ad secundam, *Gl. hic V. Reprobata*) ideò dignitas » ista, cùm non vacaret, secundùm juris ordinem, » nec debuit, nec potuit in alium transferri. Quare Papa suprà dicto Romano, qui contra justitiæ regulam Archidiaconatum alteri collatum affectavit, » & se ad illum promoveri consensit, silentium in hac » causa imposuit, decernens, ut collatio Honorio facta ab Archiepiscopo effectum sortiatur. Verùntamen si super renunciatione jurata, vel alio quopiam, aliquis adversùs Honorium censuerit quippiam proponendum, is judiciario ordine experiri » poterit. »

XV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si dignitas vel Beneficium uni collatum posteà alteri conferatur, irrita est ea collatio: imò si quis tale Beneficium scienter recipiat, sive in eo institui se permittat, inhabilis fit ad illud posteà sine dispensatione obtinendum, ut patet ex *hoc c.* ubi Romanus se permisit institui in Archidiaconatu, credens Capitulum habere potestatem conferendi jure devolutionis: & tamen Papa perpetuum silentium ipsi indicit, ut notat *Gl. hic V. Resignationem*, *& Abb. n. 5. & 11.* Aliud est, si quis per ignorantiam probabilem à legitimo Collatore Beneficium non vacans accipiat, tum enim potest nihilominùs petere ab eodem, ut sibi quodcunque Beneficium vacans conferat, ut tradit *Gl. in c. Præsentium*; *3. V. In alia*; *caus. 7. q. 1. Gl. marg. hic*, *V. Resignationem*, *lit. C. Abb. ibid. n. 5.*

Notan-

Notandum secundò. Is, cui Beneficium ab habente legitimam potestatem collatum est, potest agere interdicto adipiscendæ possessionis, non obstante exceptione renunciationis ei à possessore Beneficii objectæ; cùm enim per collationem Beneficii non vacantis nullum jus ipsi possessori acquiri possit, repellitur ejus exceptio, tanquam cujus nihil interest: ut in casu hujus cap. non enim Romano competebat jus ad Archidiaconatum, ratione institutionis factæ à Capitulo, quia institutus fuit in dignitate non vacante: neque ratione secundæ institutionis seu collationis factæ ab Archiepiscopo, quia enim scienter acceptavit dignitatem alteri priùs collatam, non fuit eam obtinendi ampliùs capax, *Abb. hic n. 6. & 13. in 3. intellectu.* Verùntamen quia non fuit probatum, Honorium sponte renunciâsse dignitati Archidiaconatûs, ut notat *Gl. hic V. Resignationem*, ideò à Papa fuit ipsi adjudicata possessio ejusdem, reservatâ quæstione proprietatis, si propter factam renunciationem ab eodem, ut referebatur, vel aliam causam legitimè in judicio experiri vellet, *ut habetur in fine hujus cap.*

XVI. Assertio 5. Sicut collatio Beneficii non vacantis non potest promitti, nec facultas alicui concedi, illud conferendi, ut patet ex dictis: ita neque Patronus potest promittere, se præsentaturum aliquem ad Beneficium vacaturum, neque potestatem dare alteriin specie, ut præsentet ad certum Beneficium, cùm vacabit, & si id faciat, præsentatio non valet, prout » decernitur ab Honorio III. in *c. Cùm dilecta*; 16. » *& ult. h. t.* Nam cùm Comitissa Flandrensis pro- » missiones quasdam de Beneficiis Ecclesiarum non » vacantibus, in quibus jus Patronatûs obtinebat, » fecisset, & præsentationem ad illa aliis commisis- » set: ideò mandat Papa Episcopo, & Præposito » Capituli Cameracensis, ut hujusmodi promissio- » nes de Beneficiis nondum vacantibus, & ad illa » præsentationes aliis commissas, seu concessas irritas » declarent, & inhibeant dictæ Comitissæ, ne de cæ- » tero talia attentare præsumat. Ratio decisionis est, quia eadem ratio, quæ est in collatione, etiam militat in præsentatione, idémque subest periculum; nam aliquis sperans se fore præsentandum ad Beneficium (à quo præsentatus, si idoneus sit, repelli non potest) procuraret, ut hæc potestas præsentandi suo amico à Patrono committeretur, & sic daretur ansa desiderandi, & machinandi mortem alicui Beneficiario, spe assequendi Beneficium vacaturum per illius mortem, *Abb. hic n. 6.* Potest tamen Patronus aliquis, præsertim Laicus, generatim alicui, tanquam Procuratori suo committere facultatem præsentandi ad Beneficia, si vacaverint: maximè si causa subsit, ut quia Patronus vult peregrè proficisci, diu abfuturus; nam tunc cessat periculum insidiandi vitæ alicujus propter Beneficium vacaturum. Accedit, quòd jure communi cuilibet sit permissum generalem bonorum Procuratorem constituere, neque uspiam id in jure Patrono prohibitum reperiatur, eò quòd usus Procuratorum valde sit necessarius, cùm dominus rebus suis interesse non potest, *l. 1. ff. De Procurat. Abb. hic num. cit.*

§. II.

Quinam sint generales modi, quibus Beneficia vacant, & qualis vacatio requiratur, ut impetrari, vel conferri aliis possint?

XVII. Assertio 1. Beneficia, in genere loquendo, tripliciter vacare dicuntur, ut notat *Azor p. 2. Instit. lib. 7. c. 16. q. 2. Rebuff. in praxi Benef. Tit. requisita ad collationem bonam &c. n. 56. & seqq. Greg. Tholosan. in Instit. rei Benefic. c. 25. n. 1. Garcias p. 11. de Benef. c. 1. n. 2.* Vel de facto tantùm, vel de jure tantùm, vel de facto simul, & de jure. De facto tantùm vacat Beneficium, quando quis possessionem Beneficii amittit, non autem Titulum, ut si quis vi dejectus fuit possessione Beneficii, vel si legitimè electus coactus fuit renunciare Beneficio per metum injustè incussum, vel si Beneficium absenti collatum sit, & ab eo necdum acceptatum. De jure tantùm tunc vacat Beneficium, quando possessor amittit jus ac Titulum Beneficii, vel ex juris dispositione illo privatur, sine ulla alia monitione, vel citatione privati, aut sententiâ privationis per hominem seu judicem latâ: quamvis is, qui sic ipso jure privatus est, de facto adhuc detineat, vel possideat Beneficium. Denique vacat Beneficium de jure, & de facto simul, quando quis ipso jure illo privatus est, & nec possessionem detinet, sive quando nec jus sive Titulus, nec possessio Beneficii apud aliquem est, ut cùm per obitum Beneficiarii vacat, modò alius in illius possessione etiam coloratâ non existat. *Azor c. l. Tholos. c. l. c. 25. n. 1. c. 27. & 28. n. 1.*

XVIII. Assertio 2. Beneficia vacantia, non tantùm de jure: sed etiam de facto, quoad possessionem, quia nullus est in possessione, eorum, impetrari, & conferri posse non est dubium, ut apertè colligitur ex *c. 2. h. t.* à contrario sensu; nam hoc ipso, quòd ibi dicitur, Ecclesiastica Beneficia non posse conferri, nec promitti, antequàm vacent: sequitur, quòd postquàm vacant, conferri possint, si aliud non obstet, *Abb. in c. Cùm nostris; 6. n. 18. h. t. & alii communiter.*

XIX. Assertio 3. Beneficia vacantia de facto tantùm non possunt impetrari, neque conferri aliis; quia non verè vacant, vel saltem non habentur pro vacantibus, *Abb. c. l.* & sic privatis datur regressus ad Beneficium, ut si quis vi injustè dejectus sit possessione Beneficii, *c. 2. 3. & 4. de his, quæ vi metúsve caus. fiunt, Zæsius in Commen. in h. t. n. 2.* At verò Beneficia, quæ de jure quidem vacant, non tamen de facto, quia alius est in possessione, eâque coloratâ, possunt quidem impetrari, & conferri: requiritur tamen necessariò, ut in rescripto impetrationis aut provisionis mentio fiat possessionis coloratæ, alioquin impetratio & collatio subreptitia erit, & invalida, prout sumitur ex *c. Cùm nostris; 6. h. t.* Ubi cùm Præ- » positura Ecclesiæ Lausanensis (cujus collatio, secun- » dùm statuta Concilii Lateranensis in *c. 2. h. t.* ad Pon- » tificè fuit devoluta, ob elapsum tempus ad conferen- » dum præfixum) ex mandato Papæ conferri deberet » Thesaurario Lausanensi, constitutis ad id Executoribus

sed

» sed Episcopus & Capitulares Canonici opponerent, » dictam Præposituram non vacare, quia licèt is, qui » antea Præpositus erat, in Episcopum Ecclesiæ Sedu- » nensis electus fuisset: tamen post consecrationem » suam, denuo à Canonicis electum fuisse ad eandem » Præposituram, cum assensu Episcopi Laudunensis, » & eam, sicut antea, ab ipso possideri: Executores » tamen, eo non obstante, Præposituram illam, quippe » de jure secundùm Canones vacantem, Thesaurario » contulerunt. His propositis coram Auditore à Pa- » pa dato, is decrevit, ut quicquid factum fuerat ab » Executoribus, censeretur irritum & inane (videlicet » collationem Præposituræ Thesaurario factam) eò » quòd Litteræ per Thesaurarium impetratæ à Sede » Apostolica fuerint subreptitiæ, propter expressio- » nem falsi, & veri suppressionem, siquidem Præpo- » positura illa, etsi de jure, non tamen de facto vaca- » bat, alio adhuc existente in possessione: constat au- » tem possessionem plus facti habere, quàm juris: quam » sententiam Auditoris Innocentius III. approbavit, » mandans Episcopo Basilienſi, & Abbati S. Mariæ, » ut Episcopum Sedunensem ad resignationem Præ- » posituræ, si sponte noluerit, compellant, nisi osten- » derit illam sibi ex speciali indulgentia Sedis Aposto- » licæ, vel ex alia justa & necessaria causa, post conse- » crationem suam, fuisse collatam. Deinde mandat » Pontifex iisdem Delegatis, ut Capitulum Laudu- » nense ad eandem Præposituram Thesaurario confe- » rendam inducant. Ratio decisionis est, quia in im- petratione certi Beneficii vacantis non sufficit simpli- citer facere mentionem, quòd vacet, si alius est in co- lorata possessione facti, cùm verbum *vacare* possit verè intelligi, tam de vacatione de jure, quàm de facto: in Litteris autem Beneficialibus, quippe ambitiosis, verba narrativa verificari debent omni modo, quo possunt, adeóque non tantùm de vacatione de jure, sed etiam de facto, ut in casu hujus cap. Si enim Papa sci- visset Episcopum in pacifica & colorata possessione Præposituræ existere, non ita facilè & absolutè Thesau- rio illam contulisset, ne videretur conferre Beneficium adhuc viventis, sed potiùs inquiri mandâsset, an pri- stinus possessor habeat jus in dignitate illa, & eo non habente, mandâsset illum amoveri, & illam alteri con- ferri, ideóque rescriptum à Thesaurario impetratum fuit subreptitium; quia in eo aliquid non fuit expres- sum, quo cognito, Papa non ita facilè, vel non tali mo- do concessisset, aut contulisset, *juxta c. Litteris* 3; 20. *de rescript. Abb. hîc n.* 7. *&* 17. Qui *ibid. n.* 21. ait, Litteras hujusmodi non facientes mentionem de possessione colorata facti, subreptitias esse, si non merè gratiosæ, sed executoriales sint, sive Executori datæ, etiamsi in iis apposita sit clausula, *quolibet injusto detentore amoto*: quia quæ apponuntur in executione gratiæ, non confir- mant rescriptum adversùs vitium subreptionis. Si ve- rò non sit apposita talis clausula, tunc Litteræ sunt sub- reptitiæ, ut in casu hujus cap.

XX. Notandum hîc præterea primò, Episcopa- tus per adeptionem alterius dignitatis, vel personatûs non vacat ipso facto, prout sumitur ex hoc cap. Ubi Episcopo Sedunensi collata fuit Præpositura, nec col- latio talis dignitatis tenet; tum quia Episcopatus non potest deseri sine licentia Papæ, *c.* 2. *de transl. Episc.* tum quia generali nomine dignitatum seu personatu- um non comprehenditur Episcopatus, propter suam prærogativam & excellentiam, adeóque Constitu- tio *c. De multa*; 28. *de Præb.* in eo non habet locum, quippe pœnalis & odiosa, *Abb. hîc n.* 4. *Laym. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 8. *n.* 3. *&* 4. *in fine.*

Notandum secundò, Tunc dicitur Clericus in possessione colorata Beneficii existere, si Beneficium accepit à legitimo Collatore, & institutio sive collatio notoriè non sit irrita, licèt jus ac Titulus illius non sub- sistat propter occultum defectum, ut in casu hujus cap. Ubi Episcopo Sedunensi collata fuit Præpositura à Capitulo Lausanensi, cum consensu Episcopi, sub colore sive prætextu justæ ac necessariæ causæ. At ve- rò si quis Beneficium, propriâ auctoritate, accepit, sive absque legitimi Collatoris consensu, is pro intruso, & manifestè injusto possessore habendus est: ideóque de tali injusta possessione in rescripto non debet necessa- riò fieri mentio; quia etiamsi illa expressa fuisset, Papa non solùm tardiùs, sed potiùs faciliùs dedisset Litteras, in quibus alteri concessit Beneficium, ne ille notoriè in- trusus diutiùs illud retineret, *Abb. hîc n.* 16. Simili- ter si Beneficium alicui collatum sit, manifestum defectum habenti, ita ut collatio notoriè irrita sit, tunc colorata possessio dici non potest, *Abb. hîc n.* 23. adeóque de illa mentio in rescripto impetrationis fieri non debet.

Notandum tertiò. Si quis existat in colorata pos- sessione alicujus Beneficii, non potest illud alteri con- ferri, nisi priùs possessore citato, & præcedente sum- mariâ cognitione causæ, cassatus sit color possessio- nis, sive ejus injustitia ostensa, prout sumitur ex hoc *c. Hostiens. hîc col.* 3. *Abb. ibid. n.* 19. Secus est, si pos- sessio non sit colorata aliquo titulo: sed evidenter in- justa, tunc enim Beneficium potest alteri conferri, etiam non vocato possessore: quamvis etiam hoc casu possessio non debet illi auferri, eo non vocato, ne si fortè haberet aliquam causam retinendi illam, suo jure inauditus privaretur, *Hostiens. c. l. in fine, & Vivian. in Ration. hîc.*

Notandum quartò In Beneficialibus potest ha- beri possessio, absque justo Titulo, ut patet ex hoc cap. quamvis reipsâ sit injusta possessio, *Abb. hîc n.* 6. ita ut tali Beneficium auferri non possit, nisi sit evidenter injusta.

Notandum quintò. Superior potest, ex justa causa, à Clerico Beneficii possessore, ex officio petere, ut jus ac Titulum sui Beneficii exhibeat, ac ostendat, si minimum jus possessioni illius resistat, ut quia incom- patibilia obtinet; *c.* 3. *de Offic. Ord. in* 6. vel quia Epi- scopatum quis obtinet, cum quo aliud Beneficium, spectato jure communi, consistere non potest, ut in casu hujus *c. Abb. hîc n. ult.*

XXI. Assertio 4. Quamvis si habens Beneficium sive Præbendam, v. g. Canonicatum, in eadem Ecclesia, recipiat aliam similem Præbendam, vel dignitatem, cui annexa est Præbenda Canonicalis, prima Præbenda per pacificam assecutionem alterius, ipso jure vacet: non tamen vacat de facto, quamdiu illius possessio re- tinetur à pristino Beneficiario, prout sumitur *ex c. Lit- teras*; 9. *h. t.* Nam H. Clericus, qui in Ecclesia Col- legiata S. Viscardi simplex Canonicus erat, postea factus est Canonicus Ecclesiæ Majoris, seu Cathe- dralis, ac demum post annum promotus est ad Præ- posituram dictæ Ecclesiæ S. Viscardi, cui annexa erat Præbenda Canonicalis, & utramq; Præbendam, tam priorem Canonicalem, quàm posteriorem ejusdem

Ecclesiæ

» Ecclesiæ Præposituræ annexam retinebat, quam » Clericus D. quia ad Papam, juxta Concilium Lateranense, ejus collatio fuit devoluta, impetravit, » datis super hac re Executoribus. Coram quibus » comparens Præpositus allegavit inprimis generalem consuetudinem, secundùm quam idem plures » Præbendas in eadem Ecclesia possidere possit: & » quod Archiepiscopus Bremensis ipsum Canonicum » H. non solùm in Præpositura, & Præbenda ei annexa solemniter investivit: sed etiam in utraque, » tam Præpositurâ, quàm priore illa præbenda communi consensu Canonicorum illum confirmavit: » Unde quæsitum fuit, utrùm, si quis Clericus ab » una præbenda eligatur ad aliam, eo ipso priùs habita vacet, an verò per sententiam ei abjudicari, seu » auferri debeat: & an fortè, propter confirmationem » Episcopi censendum sit, præbendam illam non vacare? Ad hæc respondet Papa Innocentius III. Si res » ita se habeat, præbendam priorem, etsi non de facto, de jure tamen vacare, ideóque Præpositum, ad » ejus resignationem, appellatione remotâ, cogendum esse, quâ factâ, cùm tunc etiam de facto vacet, Clerico D. qui illam à Papa impetraverat, conferendam esse.

Ratio est, quia non potest quis in eadem Ecclesia simul habere duas præbendas uniformes, etiamsi altera annexa sit dignitati, sed per assecutionem secundæ de jure vacat prima: licèt possit habere simul duas simplices præbendas in diversis Ecclesijs, *Abb. hic. n. 2.* & patet ex suprà dictis: idque non obstante contrariâ consuetudine generali, quæ reprobatur in hoc c. in quo Clericus obtinuit præbendam Canonicalem in una Ecclesia, deinde aliam præbendam in diversa Ecclesia, quam retinuit cum priore, nec ideò hæc vacavit per assecutionem secundæ, saltem vi consuetudinis generalis: postea verò in prima Ecclesia promotus est ad Præposituram, cui annexa erat alia præbenda simplex, & per hoc vacavit ipso jure prima præbenda, quam habuit in eadem Ecclesia; quia quot sunt præbendæ in una Ecclesia, tot debent institui Canonici, seu Beneficiati, & consuetudo contraria est corruptela, & abusus, ut notat *Gl. hic V. Ex consuetudine.*

XXII. Ubi præterea notandum primò. Ad duos Canonicatus, vel Præbendas in eadem Ecclesia Episcopus dispensare non potest, ut clarè colligitur ex *hoc c. Abb. hic n. 3.* quod intelligendum est de Beneficijs uniformibus, seu similibus, de quo suprà dictum *Tit. 5.*

Notandum secundò. Quamvis in casu huius cap. Archiepiscopus Bremensis investiverit Canonicum H. in Præpositura, & Præbenda ei annexa, illúmque in priore etiam Præbenda Canonicali, cùm communi consensu Canonicorum confirmârit: nihilominùs tamen declarat Pontifex, quòd prior præbenda de jure vacavit, ideóque ab alio validè impetrari potuit, ob rationem jam allatam; quia Episcopus dispensare non potest, ut quis simul in eadem Ecclesia habeat plura Beneficia uniformia, *Gl. fin. hîc.*

Notandum tertiò. Litteræ impetrationis Beneficij vacantis de jure, sed non de facto, validæ sunt, etiamsi in illis non sit facta mentio de possessione facti, quæ non est colorata, ut in casu hujus c. Præbenda Canonicalis in Ecclesia S. Viscardi ipso jure vacabat per assumptionem Canonici H. ad Præposituram, cum Præbenda ei annexa, in eadem Ecclesia, sed non vacabat de facto, quia Præpositus possessionem illius retinebat. Nec obstat, quòd de illa priore Præbenda, quæ tanto tempore vacavit de jure, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam devoluta fuerit, quam Clericus D. impetravit, non fuerit facta mentio, illam de facto non vacare, sed adhuc possideri à Præposito H. non enim necesse erat, ut de hoc mentio fieret; quia collatio, vel confirmatio Beneficij, quæ manifestè est contra Canones, adeóque irrita, non facit possessionem coloratam, si quis vi talis collationis institutatur, ideóque impetratio prioris Præbendæ seu Beneficij à Clerico D. fuit valida, etsi in ea non facta sit mentio de possessione facti, in qua erat Præpositus H. cùm Titulus illius prioris Beneficij jam fuerit extinctus, quia de jure vacabat, *Abb. hic n. 5.* & ideò jubentur Executores in fine hujus c. conferre primam præbendam vi talis impetrationis, Clerico *D. Fagnan. hic n. 19. & 2. seqq.*

§. III.

Quibus modis in specie vacent Beneficia?

XXIII. Assertio 1. Beneficia Ecclesiastica inprimis vacant per mortem naturalem Beneficiati, *c. Susceptum 3. de rescript. in 6.* nam mors omnia solvit, *authent. de nuptijs §. Denique. collat. 4.* adeò ut, etiamsi Beneficiatus à morte miraculosè resurgeret, nullum amplius jus haberet ad Beneficium illud recuperandum, *Barb. l. 3. Jur. Eccles. c. 14. n. 2. ex Gonzal.* Requiritur tamen, ut habuerit jus in re in Beneficio, sive quasi dominium, alioquin per mortem ipsius non censebitur Beneficium de novo vacare: ut si provisus ante mortem non sit confirmatus in Beneficio electivo, vel nondum acceptârit Beneficium collativum, *Covarr. lib. 3. resol. c. 16. num. 3. Laym. lib. 4. tract. 2. c. 17. n. 1.*

XXIV. Excipitur primò. Si Beneficium sit suppressum ab habente potestatem, vel unitum accessoriè alteri Beneficio: tunc enim non vacat, sed omnino extinguitur per suppressionem, & per unionem censetur, ut prædium ejus, cui unitur, *Garcias p. 11. de benef. c. 2. nu. 2. & p. 12. c. 12. nn. 12.* & alij apud ipsum. Secundò excipitur. Si Beneficium pertineat ad mensam Prælati, vel Capituli, tunc enim per mortem Clerici ei inservientis non vacat; quia ille non est proprie Rector, seu Beneficiatus: cùm non proprio, sed alieno nomine, videlicet Prælati, vel Capituli ei inserviat, *Garc. cit. p. 11. c. 2. n. 3.* Tertiò. Si Beneficium situm sit in Ecclesia non numerata, in qua scilicet numerus Canonicorum v. g. non est determinatus, sed plures, vel pauciores instituì solent pro arbitrio Episcopi, vel Capituli, adeóque Præbendæ Canonicales non sunt distinctæ, sed reditus omnes ad communem Capituli mensam pertinent: tunc mortuo Canonico, non vacat illius Canonicatus, sed cum defuncto cessat, seu extinguitur, juxta *c. Dilecto 5; 25. de præb. & dictum ibid. nu. 232. &c. Ex parte 5; 10. h. t. Garcias c. l. nu. 17.* Quòd si novus Canonicus instituatur, novum

jus creatur, ipsíque confertur, *cit. c. Dilecto*; Si verò numerus Canonicorum sit determinatus per statutum tunc vacat Canonicatus per mortē Beneficiati, *Laym. cit. tr. 2. c. 16. n. 5.* ut infrà dicetur. Quod si Canonicus super numerum definitū instituatur, ut sit supernumerarius, eo mortuo, non vacat Canonicatus, sed extinguitur; quia Beneficium illius non est stabile, ac perpetuum, sed ad tempus vitæ ejus concessum, ex gratia speciali, & dispensativè, *Laym. c. l.*

XXV. Assertio 2. Vacant, & amittuntur secundò Beneficia ex dispositione Juris statuentis ipso facto Beneficium vacare, aliíque conferri posse. Veluti primò, Si Clericus Beneficiarius professionem expresè, vel tacitè emisit in Religione approbata, *c. Beneficium 4. de regular. in 6.* de quo ibidem. Secundò. Si quis matrimonium validè contraxit, *c. 1. & 3. de Cleric. coniug.* vel si Clericus miles factus sit, *c. ult. eod.* de quo ibid. Tertiò. Si quis Episcopatum, aut aliud Beneficium incompatibile accepit, *c. Cùm in cunctis; 7. §. Cùm verò de elect. c. De multa; 28. De præbend.* Quartò, Si obtinens Parochialem Ecclesiam non suscepit Sacerdotium, infra annum à die adeptæ possessionis, vel quo stetit per ipsum, quò minùs adipisceretur, *c. Licèt; 14. de elect. in 6.* Quintò. Si Episcopus electus, justo impedimento cessante, intra tres menses post cōsensum electioni præstitum, non petijt confirmationem, *c. Quàm sit; 6. eod. in 6.* Sextò. Si obtinens Episcopatum, post pacificam possessionem illius, non petiit consecrationem, intra tempus à jure definitum, *cit. c. Cùm in cunctis; §. Cum verò;* Septimò. Si electus, aut præsentatus ad dignitatem, vel Beneficium, ante confirmationem, vel institutionem se ingessit administrationi, uterque privatur jure sibi acquisito, & Beneficium vacat, ut priùs, *c. Insinuatum; 13. de elect.* Octavò. Si quis legitimam dispensationem super pluralitate Beneficiorum incompatibilium intra tempus exhibitioni ab Ordinario præstitutum non exhibeat, ipso jure vacat Beneficium prius, ita, ut alteri conferri possit, *c. 3. de offic. Iudic. Ordin. in 6.* Nonò. Si quis litigans de Beneficio sequestrationem decretam impedit, vel fructus sequestratos quoquo modo sequestrare præsumit, eo ipso jus in Beneficio amittit, *Clem. unic. de sequestr. poss.* Decimò. Si Prælatus alienet bona Ecclesiæ, vel Monasterij, sine forma jure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice, *Extravag. unic. Inter communes; de reb. Eccl. non alien.* de quo infra, *Tit. 13.* Undecimò. Si quis vi occupavit possessionem Beneficij, perdit eo ipso jus, quod ad illud habet, ídque vacat ipso jure, *c. Eum qui; 18. de præbend. in 6.* Duodecimo. Denique, si quis crimen, seu delictum commisit, ob quod privatio Beneficij, ipso jure, seu facto incurritur: quænam autem sint hujusmodi delicta, dicetur suis locis. Plura de his videri possunt apud *Rebuff. in praxi Benefic. Tit. De modis amittendi Beneficia, Azor. cit. l. 7. c. 17. Garc. p. 11. c. 10. Barb. cit. lib. 3. c. 14.*

Porrò privati ipso jure Beneficijs ob crimen commissum, non tenentur ea dimittere, ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut ex communiore sententia docet *Azor p. 1. lib. 8. c. 13. q. 8. Sanchez lib. 2. moral. c. 26. n. 7. Laym. cit. c. 17. n. 1.* Imò etiam requiritur, ut executio sententiæ privationis fiat per Judicem, ante quam non tenetur se jam condemnatus Beneficijs privare, seu abdicare, nisi Judex in sententia præcipiat, ut condemnatus statim Beneficium dimittat, *Covarr. in Epitome in 4. Decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8. Sanch. c. l. n. 8. Laym. c. l.*

XXVI. Assertio 3. Amittuntur tertiò, & vacant Beneficia per depositionem, seu privationem factam per sententiam Judicis, ob crimen, cui talis pœna inferenda à jure decreta est, ut si Clericus homicidium simplex committat, *c. Clericis; 5. Ne Clerici, vel Monachi & c.* vel perjuriū, ut tradit *Gl. in c. Querelam; 10. V. Necessitate de iureiur.* vel Sacrilegium, *c. Si quis; 22. dis. 50. c. Si quis; 10. caus. 22. q. 1.* vel Sodomiam *c. Clerici; 4. de excess. Prælat.* adulterium, aut publicum concubinatum, vel aliud simile delictum grave, ac depositione dignum, *Rebuff. cit. loc. n. 55. & 61.* apud quem plura de his legi possunt *n. 50. & seqq. Azor cit. lib. 7. c. 18.* Nullum tamen crimen etiam depositione dignum inducit privationem Beneficij ipso jure, nisi sit expressum in jure: sed reus privandus est per sententiam Judicis, & ita in dubio est præsumendum, ut docet *Garc. p. 11. c. 10. n. 5.* & alij apud ipsum.

XXVII. Ubi præterea notandum, magnum esse discrimen inter privationem Beneficij ipso jure decretam, & eam, quæ per judicis sententiam inferenda est. Nam primò committens delictum, ob quod privatur ipso jure, seu facto Beneficijs, ita illorum amittit Titulum, ac dominium, ut post latam sententiam declaratoriam judicis, privetur non solùm Beneficio, sed etiam fructibus, à die cōmissi criminis perceptis, ad quem retrotrahitur sententia lata, ita ut illos restituere debeat: at verò, si quis privandus sit Beneficio per sententiam à Judice ferendam, fructus ante illam perceptos condemnatus non tenetur restituere, *Covarr. c. l. Azor. cit. c. 17. q. 2. Sanch. cit. c. 26. q. 10. Laym. cit. c. 17. n. 2.* Secundò. Beneficium vacans ipso jure ob commissum crimen, non potest permutari, nec resignari in favorem tertij ab eo, qui ante sententiam tenetur illud dimittere, alioquin valida quidem est commutatio, vel resignatio, quippe facta ab eo, qui adhuc jus possidendi, & fruendi Beneficio habet; potest tamen per sententiam posteà latam ea rescindi; quia sententia retrotrahitur ad diem commissi criminis adeóque tunc Beneficium aufertur ei, cui simpliciter, vel causâ permutationis Beneficium resignatum fuit, *Less. l. 2. de iustit. c. 34. n. 90. Sanch. c. l. n. 9.* Aliud est de eo, qui privandus est Beneficio, per sententiam Judicis ferendam: nam permutatio vel resignatio Beneficij ab eodem facta, ante sententiam, rescindi non potest, *Rebuff. cit. loc. n. 53. Azor. cit. c. 17. q. 2. Laym. c. l.* Tertiò Si quis Beneficium ob crimen amittat, ipso jure illud etiam ante sententiam declaratoriam criminis, tanquam jure vacans impetrari, & alteri conferri potest, criminoso non citato; quia is jam amisit Titulum, & jus Beneficij, quo ipso jure privatus est, *Azor c. l.* quamvis possessio alteri conferri non possit, eo non vocato, quia illam adhuc de facto habet, *Sanch. c. l. n. 12.* Si verò Beneficium ob crimen amittatur per sententiam Judicis ferendam, non potest impetrari, nec criminoso auferri, aliíq; conferri, ante sententiam privationis in ipsum latam, *Laym. c. l.* Quartò. Si post vacationem ob crimen vel aliam causam, ipso jure incursam, moriatur privatus, tum Beneficium non vacat per mortem ipsius; cùm ante jam vacaret ex causa delicti, vel alia, adeóque prima vacatio impedit secundam: cùm enim tempore mortis jam pri-

privatus fuerit Beneficio, non potest hoc vacare per mortem ipsius. Contrà verò, si ob crimen non privetur quis Beneficio ipso jure, sed per sententiam ferendam, & reus, ante sententiam latam moriatur, tum Beneficium vacat per mortem ipsius, non ex causa delicti, *Azor c. l.*

Cæterùm præter allatos, sunt, & alij duo modi, quibus vacant Beneficia, videlicet per liberam resignationem factam coram legitimo Superiore eam acceptante, de qua actum *supr. lib. 1. Tit. 9.* & per translationem Prælati ad aliam Ecclesiam, vel Beneficium, de qua dictum *Tit. 7. eod. libro.*

XXVIII. Postremò hoc loco addendum. Licèt si in supplicatione, seu impetratione Beneficij, fiat mentio de vacatione simpliciter, non expresso certo modo vacandi, comprehendatur omnis vacatio, ut docet *Gl. in c. Si propter*; 10. *V. Vacabunt*; *de Rescript. in 6.* regulariter tamen expresso uno modo vacandi, v. g. per resignationem, non venit alius, v. g. per obitum, juxta *c. Susceptum*; 6. *eod. in 6.* quia hi sunt diversi modi, ac veluti species Beneficiorum vacantium, à diversis autem non fit illatio, ideóq; quod de una specie dicitur, non potest de alia diversâ intelligi, *l. Sed tibi*; 17. *ff. de except. l. Maritus*; 12. *C. de donat. inter vir. & uxor.* Idq; procedit etiam in alijs modis, sive speciebus vacationis, ut si mandetur alicui conferri Beneficium, quod vacat per adeptionem alterius incompatibilis, non potest ei conferri, quod vacat per matrimonium contractum, nisi clausula adjecta sit, *vel quovis alio modo*, per quam includitur omnis modus vacandi, *Gl. in cit. c. Susceptum*; *V. Expressè*, *Franc. ibid. nu. 9. & Laym. n. 1.* Imò hoc non tantùm locum habet in rescriptis Beneficialibus, quæ strictè interpretandæ, & in propria specie, ac forma implendæ sunt, *l. Diligenter*; 5. *ff. mandati*; sed etiam in omnibus rescriptis gratiæ, seu Beneficijs Principis, etsi amplam interpretationem mereantur. *Franc. in cit. c. Susceptum, nu. 6.* ubi exemplum dat: si alicui data sit facultas conferendi quinque Beneficia vacantia in Diœcesi per mortem, non potest is, vi hujus privilegij, conferre vacantia per renunciationem; quia nulla gratia, vel dispositio extendi debet, ultra mentem, vel intentionem concedentis, vel disponentis: hujus autem mens, seu intentio ex verbis colligi debet, secundùm propriam, & commmunem eorum acceptionem. *Laym. ibid. n. 2.* ubi addit, hanc doctrinam etiam habere locum in gratia, motu proprio Principis concessa, & in rescriptis, aut concessionibus aliorum Ordinariorum, ob supra dictam rationem, quæ etiam in illis procedit.

§. IV.

Intra quod tempus conferri debeant Beneficia vacantia?

XXIX. Assertio 1. Beneficia vacantia conferenda sunt ab eo, ad quem spectat provisio, intra sex menses, prout statuitur in *c. Nulla*; 2. §. *Cùm autem* » *h. t.* ubi dicitur: cùm Ecclesiasticas præbendas, » & quælibet officia in Ecclesia aliqua vacare con» tigerit, non diu manent in suspenso: sed intra sex » menses personis, quæ dignè administrare valeant, » conferantur. Ratio est, quia diutina vacatio Beneficiorum, & officiorum est damnosa Ecclesijs, & periculosa animabus, *c. Quàm sit*; 6. *de elect. in 6.* Id autem locum habet, non solùm in collatione, sed etiam in electione ad dignitates, & Beneficia in quibuslibet Ecclesijs Cathedralibus, & alijs Ecclesijs, tam Sæcularibus, quàm Regularibus constituta, prout sumitur ex *c. Dilectus*; 12. *h. t.* & docet; *ibid. Abb. n. 2. Garc. p. 10. de Benef. c. 2. n. 2. & 5.* Habet etiam locum hoc tempus semestre vacationis in Hospitalibus, quæ conferuntur in Titulum Beneficij, *Garc. cit. loc. n. 8.* Prædicta autem constitutio non habet locum in Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium: hæ enim ultra tres menses vacare non debent, propter majus periculum imminens animabus ex his Ecclesijs destitutis Pastore, alioquin qui eligere debuerunt, pro ea vice, privati existunt potestate eligendi, & ea ad proximum Superiorem devolvitur, *c. Ne pro defectu*; 41. *de elect. Garc. c. l. n. 3. & 4.* de quo actum *supr. lib. 1. Tit. 6.*

XXX. Assertio 2. Hoc tempus semestre ad conferendum Beneficium à jure præfixum non currit impedito, quòminùs conferat, neque ignoranti vacationem: ac proinde numerari debet, non à tempore, quo Beneficium vacavit, sed à tempore, quo Collator habuit notitiam vacationis, prout utrumque decernitur in *c. Quia diversitatem*; 5. *h. t.* Nam, cùm » Archiepiscopus Eboracensis conquestus esset In» nocentio III. quòd quamvis ad ipsum in Ecclesijs » Diœcesis suæ collatio præbendarum pertineat: ta» men tempore suspensionis suæ, & posteà quidam » intruserint se sine auctoritate ipsius, in præben» das: Idcirco mandavit Pontifex Legato suo à Late» re, ut illos, qui præbendas, vel dignitates ad Ar» chiepiscopi collationem spectantes, sine ejusdem » auctoritate in ijsdem Ecclesijs acceperunt, ad eas » resignandas, præmissâ monitione, per excommu» nicationis sententiam, & aliorum Beneficiorum » subtractionem, appellatione remotâ, compellat: » non obstante confirmatione à Sede Apostolica for» tè obtentâ, in forma communi, per quam Benefi» cia, & præbendæ confirmantur, sicut justè & paci» ficè possidentur: præterquàm, si aliqui, vel ex spe» ciali mandato Sedis Apostolicæ, vel ex decreto » Concilij Lateranensis per devolutionem ad alium » Collatorem (*juxta c. 2. h. t.*) Beneficia sint adepti. » Verùntamen in tempore sex mensium (intra quod » collatio Beneficiorum fieri debet, alioqui potestas » conferendi, pro ea vicè, aliò devolvitur) non de» bet computari tempus suspensionis; cum illa La» teranensis Concilij constitutio contra negligentes » tantùm fuerit promulgata: suspensus autem, etsi » velit, non tamen potest Beneficia conferre: & licèt » ob suam culpam à potestate conferendi Beneficia » suspensus fuerit, non tamen ideò ad ipsum Capitu» lum est devoluta collatio: sed ad illum, tempore » suspensionis, pertinere debet jus conferendi, qui » etiam non existente negligentiâ Collatoris, Præ» bendas conferre potest. Sed neque tempus illud, » quo Archiepiscopus ad Apostolicam Sedem acces» sit, apud eundem remansit, & ab illa recessit, » computari debet in tempore semestri, quod etiam » non à die vacationis præbendarum, sed à die noti» tiæ ejus computari debet.

XXXI. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Intrusus propriè dicitur, qui sine auctoritate Superioris, ad quem pertinet collatio, Beneficium obtinuit, ut patet ex *hoc c.* & notat *Abbat. hic*

n. 2. & cogi potest talis ad resignandum Beneficium, in quod se, propriâ auctoritate, intrusit.

Notandum secundò. Tempus sex mensium jure præfixum ad conferenda Beneficia vacantia non currit justè impedito, sive sit impedimentum juris, sive facti, ut patet ex *hoc c.* ubi ponitur exemplum, & de impedimento juris; quia Archiepiscopus erat suspensus ab officio & jurisdictione; ideóque non poterat conferre Beneficia, *Gl. hic V. A qua*; & de impedimento facti, si suspensus post absolutionem adhuc maneat apud Sedem Apostolicam, vel dum ab illa recedit: interea enim tempus semestre ei non currit, ob impedimentum facti, *Abb. hic n.* 3, *& Imola n.* 4. Ratio habetur in textu; quia hoc tempus semestre ad conferendum statutum fuit contra negligentes: justè autem impeditus non potest dici negligens, & ideò tempus ei non currit. Unde etiam fit, ut tempus hoc sex mensium ad conferendum datum, non currat à tempore vacationis Beneficij: sed à die notitiæ vacationis ipsius computari debet, qui autem ignorat, negligens, aut culpabilis, dici non potest, ut notat *Gl. in c. Statutum* 3. *V. Numerandum*; *de præb. in* 6. Et is, qui nescit, potestatem experiendi non habet, *l. Annus* 3. 6. *in fine. ff. de calumniat. Gl. fin. hic*, ac proinde non debet hoc tempus currere probabiliter ignoranti vacationem, *Abb. hic n.* 8.

Notandum tertiò. Quod dictum est, hoc tempus semestre non currere justè impedito, vel ignoranti: Id intelligi debet, si tempus sit præfixum, in odium negligentiæ: secus verò dicendum, si sit præfixum, ob merum favorem alterius: tum enim currit etiam impedito, & ignoranti, *Abb. hic n.* 3. *& Imola n.* 4. Idque sumitur ex *leg. Genero* 3. 8. *ff. de his, qui not. infam.* Ubi tempus anni (intra quem mulier, post mortem mariti, jure civili nubere prohibetur, alioquî fit infamis) currit etiam uxori ignoranti mortem mariti. Item, si executor testamentum non potuit exequi intra annum, nihilominùs potestas devolvitur ad Episcopum, *Arg. c. Nos*; 3. *de testam.* Ratio est; quia tempus illud fuit præfixum, non in odium executoris, sed potiùs in favorem defuncti, ne diu differatur executio ultimæ voluntatis ipsius, *Abb. hic nuum.* 3. *& Imola n.* 4. ubi tamen addit: quando agitur de præjudicio juris alterius, quod quis habet ad agendum intra certum tempus, non reperiatur jure expressum, quòd ipsi currat tempus, si fuerit impeditus, sed potiùs contrarium, ut colligitur ex *hoc c.*

Notandum quartò. Si in casu *hujus c.* Archiepiscopus fuisset in culpabili mora petendi absolutionem à suspensione; tunc tempus semestre ei cucurrisset, in qua tamen non fuit; cùm protinus ad Apostolicam Sedem se contulerit, ad obtinendam absolutionem, *Innoc. hic n.* 4. *V. Culpa. Hostiens. V. Non valuerit.*

XXXII. Notandum quintò. Tempus hoc semestre non currit impedito, tametsi ob culpam propriam in tale impedimentum v. g. suspensionis censuram inciderit, modò culpa non sit causa proxima, & immediata impedimenti, sed solùm remota & mediata, ut in casu *hujus c.* Nam quòd Archiepiscopus non potuerit intra tempus semestre conferre Beneficia, non provenit immediatè ex culpa præcedente, ob quam suspensus fuit, sed ex pœna, sive ex ipsa sententia suspensionis, quæ fuit causa immediata hujus impedimenti; ideóque hoc non imputatum fuit ipsi ad culpam, quia non debet quis duplici pœnâ affici; secus, si culpa sit causa immediata impedimenti: tunc enim hoc ei imputatur, *Abb. hic n.* 11. *&* 13. quia regulariter non causa mediata, sed immediata inspici debet. *Arg. c. Occidendis* 3. 8. *caus.* 23. *q.* 5.

Notandum sextò. Hinc patet, tempus hoc semestre collationi Beneficiorum præfinitum, non esse continuum, sed utile; quia non currit impedito, & ignoranti; ut tradit *Gl. margin. in c. Bene novit* 3. 18. *lit. B. dist.* 61. quamvis alio respectu, etiam sit continuum, quia currit etiam diebus feriatis, *Abb. in c.* 2. *n.* 11. *h. t.* Quare hi sex menses computantur de momento ad momentum, à tempore scilicet scientiæ, seu vacationis notæ: ita, ut si Beneficium vacavit, ejúsque vacatio fuit nota 1. Maij horâ 9. antemeridianâ, conferri possit usque ad 1. Novembris, horam 9. & non post illam, *Sanch. l.* 2. *de matrim. disp.* 24. *n.* 16. *Garc. p.* 10. *c.* 2. *n.* 43. ipsíque menses computari debent, secundùm quod occurrunt, ita, ut quod ex primo mense deficit, accipiendum sit ex ultimo, v. g. si Beneficium vacat 8. Februarij, semestre finietur 7. Julij, etiamsi annus sit bissextilis; quia in favorabilibus dies duo mensis bissextilis computantur pro uno, *Sanch. c. l. n.* 15. *&* 16. *Garc. c. l. n.* 42. & alij apud ipsum.

An autem, si Collator ordinarius, ultra sex menses à tempore vacationis, differat conferre Beneficia, in dubio præsumi debeat notitia vacationis, dubitatur? Et videtur respondendum affirmativè; ut docet *Garcias cit. c.* 2. *n.* 27. *& duobus seqq. Barb. de offic. Episc. alleg.* 58. *n.* 6. quia Ordinarius, sive Episcopus præsumitur habere certam notitiam Beneficiorum vacantium in sua Diœcesi: cùm eam teneatur visitare, singulis annis, ac proinde prædicti sex menses debent computari ab eo tempore, quo scire potuit, ac debuit Collator, seu Episcopus ea vacate, quod tamen limitat, *Abb. hic n.* 7. ubi videri potest. Porrò ad quem fiat devolutio potestatis conferendi, si Episcopus non possit conferre Beneficia; quia suspensus est, vel excommunicatus, dicetur §. sequenti.

§. V.

Ad quem devolvatur Ius conferendi Beneficia vacantia, propter negligentiam, seu moram culpabilem ordinarij Collatoris?

XXXIII. Assertio 1. Si Episcopus, quando ad eum collatio spectat, intra tempus sex mensium præfixum, Beneficia vacantia conferre intermisit, ad Capitulum collatio, eâ vice, devolvitur: Sin autem ad Capitulum collatio pertineat, & hoc intra tempus semestre conferre negligat, Episcopus, cum Religiosorum virorum, seu Deum timentium consilio, conferre debet. Si denique uterque, & Episcopus, & Capitulum conferre neglexerint, Metropolitanus, sine ipsorum contradictione, conferre debet; prout statuitur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. relato in *cit. c. Nulla*; 2. §. *Si autem*; *h. t.*

XXXIV. Pro explicatione hujus §. Notandum

dum primò. Potestas conferendi Beneficia devolvitur gradatim ab Inferiore ad proximum Superiorem, donec perveniatur ad Papam: nam, si Prælatus inferior habeat jus conferendi Beneficia vacantia, eo negligente, conferendi potestas devolvitur ad Episcopum loci, in quo Beneficium situm est, tanquam ad proximum Superiorem: nisi contraria sit consuetudo, vel privilegium, ut docet *Rebuff. in praxi benefic. Tit. de devolut. n. 25. Azor p. 2. lib. 6. c. 27. q. 4.* Idque procedit etiam in Collatoribus regularibus: horum enim potestas, ob negligentiam in conferendis Beneficijs, devolvitur ad Episcopum, sive Ordinarium loci, in quo sita sunt Beneficia, ita, ut illa conferre possit, tanquam Ordinarius, si Prælati illi non sint exempti; aliàs verò conferet, tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, si illi sint exempti, & Papæ immediatè subjecti, juxta *Clement. unic. de suppl. negl. Præl.* & tradit *Rebuff. c. l, n. 37. & 39. Barb. l. 3. Iuris Eccles. c. 13. n. 109.*

Notandum secundò. A Capitulo Cathedralis Ecclesiæ negligente in conferendis Beneficiis, ad suam collationem tantùm pertinentibus, ad Episcopum, tanquam immediatum Superiorem fit devolutio: Et vice versâ, ab Episcopo negligente, intra debitum tempus, conferre Beneficia ad suam collationem tantùm spectantia, fit devolutio ad Capitulum, *cit. c. 2. §. Cùm autem*; idque jure ita disponente, propter communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam inter Caput, & membra eiusdem corporis, ut meritò unius defectus ab altero suppleatur, *Abb. in cit. c. 2. n. 6. & 8.* Quòd quidem locum tantùm habet in Beneficiis spectantibus ad collationem Episcopi jure proprio, quatenus est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo participat: non verò in ijs, quæ spectant ad Episcopum jure devoluto; quia ordinarius Collator inferior negligens fuit in conferendo: tunc enim etiamsi Episcopus quoque negligens fuerit in conferendo, non devolvitur potestas conferendi, eâ vice ad Capitulum, sed ad proximum Superiorem Episcopi, videlicet Metropolitanum, *Abb. c. l. n, 8. Rebuff. c. l. n. 22. Azor c. l. q. 2. Garc. cit. p. 10. c. 3. n. 34.* Ratio differentiæ est; quia quando Episcopus confert jure devolutionis, non est tanta communio inter Episcopum, & Capitulum, sicut in Beneficiis spectantibus ad illum, jure proprio: nam in devolutis non confert, tanquam Episcopus Ecclesiæ suæ, sed merè per accidens, quatenus est Superior ordinarij Collatoris, cb cujus negligentiam devolutum est jus conferendi ad ipsum; ideóque licèt Episcopus jure ad se devoluto conferre neglexerit, Capitulum non habet jus conferendi, sed illud ad proximum Superiorem Episcopi devolvitur. Quòd si, Episcopo negligente, conferre Beneficia, proprio jure, ad eius collationem spectantia, etiam Capitulum negligat conferre jure devolutionis; tum jus conferendi ad Metropolitanum devolvitur, ac pertinet, cui subjectus est Episcopus, & Metropolitano non conferente, intra tempus præscriptum, ad Patriarcham, cui ille subest, & tandem ad Papam, *Abb. c. l. n. 7.* Si verò Episcopus sit exemptus, tunc illo negligente conferre, potestas conferendi, non ad Capitulum: sed ad solum Romanum Pontificem immediatè devolvitur; quia, qui non est Superior, non potest supplere negligentiam alterius sibi non subjecti, *Abb. c. l, n. 7. Rebuff. c. l. n. 36. Barb. c. l. n. 112.*

Notandum tertiò. Si is, ad quem spectat collatio, non jure proprio, sed devoluto, Beneficium conferat, ante devolutionem factam, non valet collatio, ob defectum potestatis in conferente: nec si ante devolutionem contulerit, postea eâ factâ, convalescit collatio ab initio nulla: sed necesse est, ut postquàm ad ipsum jus conferendi Beneficium devolutum est, illud denuo conferat; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, quod non potest dare, seu donare, *Rebuff. c. l. n. 32. Azor cit. c. 27. q. 6. Garc. cit. c. 3. n. 31.* Idque extenditur, ut procedat, etiamsi is, qui jure devoluto contulit, v. g. Episcopus, antequam ad eum jus illud devolveretur, haberet potestatem conferendi illud jure ordinario, nihilominùs enim collatio facta jure devolutionis non valebit; quod enim potuit, scilicet conferre jure ordinario, noluit: quod autem voluit, scilicet conferre jure devolutionis, adimplere nequivit, *c. Cùm super 23. de offic. Deleg. l. Multùm 6. §. Si verò C Si quis alteri, vel sibi &c. Rebuff. c. l. nu. 52.* quamvis aliqui oppositum teneant apud *Azor. c. l. q. 15.* quia si non fecit, quod voluit, certè fecit, quod potuit.

XXXV. Notandum quartò. Quando jus conferendi Beneficia inferiora, ob negligentiam alicuius in conferendo, devolvitur ad Superiorem, is liberam habet potestatem conferendi, intra alios sex menses, computandos, non à die, quo ad ipsum jus hoc devolutum est: sed à die, quo scivit illud ad se devolutum esse, *Azor cit. c. 27. q. 10.* Imò non solùm proximus Superior, ad quem jus conferendi primò est devolutum, v. g. Episcopus, sed etiam alij Superiores, ad quos gradatim fit devolutio, v. g. Archiepiscopus, vel Patriarcha, singuli alios sex menses habent, intra quos jure ad se devoluto conferre possunt, ac debent Beneficia, *Abb. in cit. c. 2. n. 7. h. t. Azor c. l. q. 12.* & sic contingere potest, ut Ecclesia, vel Beneficium ad unum annum, vel etiam duos vacet.

Notandum quintò. Elapso tempore semestri ad conferendum jure præfixo, non potest Ordinarius Collator, v. g. Episcopus, moram purgando, Beneficium conferre; quia potestas conferendi jam ad alium ipso jure translata est; ideóque etiamsi Ordinarius Beneficium conferat statim post sex menses, collatio non valet; quia tempus certum jure præfixum ad conferendum, vel aliquid aliud agendum, censetur pertinere ad substantiam, sive formam rei; ideóque hoc casu purgatio moræ non habet locum, ut aliàs, *Rebuff. c. l. num. 27. & duobus seqq. Azor cit. c. 27. q. 16.* Veruntamen potest is, ad quem jus conferendi devolutum est, v. g. Archiepiscopus, Collatori inferiori ordinario, v. g. Episcopo, qui intra semestre tempus conferre neglexit, concedere facultatem conferendi, etiam post sex menses; quia tunc Episcopus non conferet jure proprio, quo est pro ea vice privatus, sed jure ad Archiepiscopum devoluto, quod ipsi cedit. *Rebuff. c. l. n. 30. Azor c. l.*

Notandum sextò. Cùm ob negligentiam Collatoris ad alium devolvitur jus conferendi Beneficium, illud transit, cum ijs conditionibus, quæ priùs annexæ erant ipsi juri conferendi, etiam post sex menses; quia res cum sua causa, jure, & onere transit, *l. Alienatio 67. ff. de contrah. empt. l. Traditio 20. ff. de acquir. rer. domin.* Quare, si Episcopus debeat conferre Beneficium, ad nominationem alicuius, etiam

Archiepiscopus, ad quem jus illud devolvitur, hoc modo conferre debet. Item, si quis conferre debet alicui Beneficium ex certa familia, gente, vel loco, is etiam, ad quem jus conferendi devolutum est, eidem conferre debet; quia id, quod in alterius locum subrogatur, subit naturam, & conditionem ejus, cui sufficitur, *l. 1. ff. de solut. Rebuff. c. l. n.* 40. *& 2. seqq. Azor c. l. q.* 8. *Garc. c. l. n.* 42.

XXXVI. Notandum septimò, Si Episcopus non possit conferre Beneficia, ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem: tunc jus conferendi non devolvitur ad Capitulum, nec ad Archiepiscopum, sed ad Papam, ad quem pertinet interim Ecclesijs providere, etiamsi non fuerit negligens in conferendo Collator inferior, prout sumitur *ex c. Quia diversitatem 5. h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopo suspenso, potestas conferendi Beneficia spectantia ad collationem Episcopi, non devolvitur ad Capitulum, vel Metropolitanum, *sed ad illum, tempore durantis suspensionis, Præbendarum donatio pertinebit, qui etiam non existente desidiâ, & negligentiâ, poterat Præbendas donare, seu conferre*, videlicet Papam, *Gl. ibid. V. Præterea*; quia Pontifex potest concurrere in collatione Beneficiorum cum quolibet Ordinario *Abb. ibid. n.* 5. & devolutio non fit, nisi propter negligentiam Episcopi per sex menses, sed Episcopus suspensus non potest dici negligens in conferendo, *Abb. c. l. n.* 4. & dictum §. *Præced.* Quod tamen limitandum est, si collatio spectet ad solum Episcopum: secus si simul ad Episcopum, & Capitulum: tunc enim suspenso, vel excommunicato Episcopo, ad Capitulum collatio pertinet, juxta *c. unic. Ne Sede vacante &c. in 6. Abb. c. l. n.* 4. Consentit *c. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6.* Ubi habetur, quòd si Episcopus fuerit excommunicatus, jurisdictio ipsius non ideò devolvitur ad Superiorem, ut explicat *Gl. ibid. in notand.* ubi tamen excipit, nisi Episcopus excommunicatus, vel suspensus esset negligens in petenda absolutione: tunc enim sex illi menses incipient currere à tempore negligentiæ: alioquin verò, si Papa, durante excommunicatione, vel suspensione Episcopi, non provideat, Metropolitanus debet expectare, donec Episcopus à censura absolvatur, & postquam fuit absolutus, integrum adhuc semestre habere debet ad conferendum, ita, ut antequam illud elapsum sit, non fiat devolutio ad Capitulum, vel Metropolitanum, quia post absolutionem à censura primùm incipiunt currere illi sex menses, *Gl. c. l.*

Notandum octavò, Devolutio hujusmodi ad Superiorem fit, non solùm ob negligentiam Collatorum ordinariorum non conferentium Beneficia, intra tempus jure præfixum: sed etiam si ij conferant indignis, & inhabilibus, juxta *c. Cùm in cunctis 7. §. Clerici sanè de Elect. in fine*, ubi statuitur, si Episcopus contra hæc fecerit (cùm ad eum pertineat collatio Beneficij, conferendo illud indigno, *Gl. ibid. V. Fecerit*;) aut consenserit fieri (confirmando scienter indignum, si ad alios pertineat collatio, seu electio *Gl. ibid. V. In conferendis*; vel instituendo indignum à Patrono præsentatum, *Azor cit. c. 27. q. 3.*) eâ vice, potestatem conferendi, aut confirmandi, aut instituendi amittit, eâque ad Capitulum, vel si id concordare non potest, ad Metropolitanum devolvitur, *Azor c. l. Garc. cit. c. 3. n. 2. Barbos. c. l. n.* 113. *Laym. de Elect. Prælat. q.* 100. Quòd si Prælati exempti, vel etiam Capitula exempta, in conferendo delinquant, scienter conferendo indignis, devolutio statim fit ad S. Pontificem, ut colligitur ex *Clement. unic. iuncti Gl. V. Negligentiam de suppl. neglig. Præl.* Sin autem Collatores non exempti, aut Capitula Ecclesiarum inferiorum conferant Beneficia indignis, potestas conferendi devolvitur ad Episcopum Diœcesis, in qua Beneficia, aut Ecclesiæ ipsi subjectæ existunt, *c. Quanquam 18. in fine de Elect. in 6. Laym. cit. q.* 100.

XXXVII. Assertio 2. Quod dictum est, potestatem conferendi, propter negligentiam non conferentium Beneficia vacantia intra sex menses, pro ea vice devolui ad proximum Superiorem, juxta *c. 2. h. t.* Id non debet extendi ad Archiepiscopatus, vel Episcopatus: sed tantùm intelligendum est de dignitatibus, seu personatibus, & alijs Beneficijs minoribus, prout statuitur *in c. Dilectus 12. h. t.* Nam » cùm mortuo Episcopo cujusdam Ecclesiæ, Archie- » piscopus existimaret, potestatem eligendi ad se de- » volutam esse, eò quòd Canonici per negligentiam » electionem ultrà sex menses distulerant: ideo ipse » Archiepiscopus M. G. in Episcopum elegit ejus- » dem Ecclesiæ. Re delatâ ad Papam Innocentiũ III. » is respondit, quòd Canon Lateranensis Concilij » ab Alexandro III. editus (*in c. 2. h. t.*) ad Archie- » piscopatum, vel Episcopatum se non extendat: sed » solùm ad personatus, & alia Beneficia minora: & » idcircò electionem hujusmodi, exigente justitiâ, » cassavit. Ratio decisionis est, quia in materia odiosa, sub generali nomine dignitatis non comprehenditur Episcopatus; cùm non sit simplex dignitas, sed culmen dignitatum, *Abb. hic n.* 1. Ex quo etiam patet, quòd sicut jus conferendi, propter negligentiam non conferentium intra sex menses, devolvitur ad Superiorem, juxta *c. 2. h. t.* ita jus eligendi: si quidem in hoc c. electio reprobata fuit, tantùm quoad Episcopatus, & dignitates ijs superiores, non autem quoad dignitates, & Beneficia Episcopatu inferiora, ut notat *Abb. hic n.* 2.

XXXVIII. Ubi præterea notandum primò. Licèt tempore Concilij Lateranensis sub Alexandro III. & tempore etiam Innocentij III. devolutio electionis, à Capitulo Cathedrali, propter negligentiam Canonicorum non conferentium, intra trimestre, non fieret ad Archiepiscopum, ut colligitur ex *hoc c.* postea tamen aliter decretum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ut constat ex *c. Ne pro defectu 41. de elect.* videlicèt ut propter negligentiam non eligentium infra tres menses in Ecclesijs Cathedralibus, & Regularibus, potestas eligendi Episcopum devolveretur ad proximum Superiorem, adeóque ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum, ut notat, *Gl. hic V. Extendi*; non item si Capitulares, ob aliam causam, eligendi potestate privati sint, ut quia indignum elegerunt, vel formam electionis vitiârunt, tum enim devolutio fit ad Papam, *juxta c. Quamquàm 18. de elect. in 6.* Nam Canon correctorius Juris antiqui, non debet extendi ultra casum expressum, *l. Præcipimus 32. in fine, C. de appell.* At verò *in cit. c. Ne pro defectu*; contra Jus antiquum fuit constitutum, ut in casu negligentiæ, etiam in Cathedralibus Ecclesijs, devolutio fieret ad immediatum Superiorem, videlicet Metropolitanum,

tanum, ergo id non est extendendum ad alios casus privationis, *Laym. in cit. c. Quamquam n. 2.*

Notandum secundò. Quod dictum est potestatem eligendi in Ecclesijs Cathedralibus devolui ad proximum Superiorem, propter negligentiam non eligentium, tempore jure præscripto: id intelligendum est de eo Superiore, ad quem spectat potestas confirmandi electum, ita ut propter negligentiam non eligentium, unico actu possit exercere electionem, jure devoluto, & simul confirmationem jure proprio, videlicet tanquam Metropolitanus, adeóque talis provisio habeat vim electionis, & confirmationis, *Abb. in cit. c. Dilectus; num. 3. h. t.* Quare cùm hoc tempore, postquam promotio Episcoporum Romano Pontifici est reservata, *juxta Extrav. ad regimen de præbend.* plerumque non Archiepiscopus, sed S. Pontifex electos Episcopos confirmet, ideò jus eligendi propter negligentiam Collegij Canonicorum, non ad Metropolitanum: sed ad Papam devolvitur, etiam in Germania nostra, vi Concordatorum, & multò magis in ijs Regnis, in quibus jus eligendi Episcopum Capitulis Cathedralibus ademptum est, *Laym. de elect. Præl. q. 98.* Nam ex recepta doctrina, quam tradit *Gl. in Clement. un. V. Dispositionem; de suppl. neglig. Prælat. iunct. Gl. margin. lit. B. Abb. in c. 1. n. 18. de Elect. Rebuff. in praxi Tit. de devolut. num. 18.* propter negligentiam Collegij, vel mortem omnium de Collegio, jus providendi devolvitur ad Superiorem, qui habet potestatem confirmandi electum, sive Episcopus sit, sive alius Prælatus, de quo plura dicta sunt supra *lib. 1. Decretal. Tit. 6. Sect. 5. §. 1. q. 3.*

» XXXIX. Assertio 3. Quando Collatio Be-
» neficiorum simul, & communiter pertinet ad Epi-
» scopum, vel Archiepiscopum, & Capitulum, tum
» propter negligentiam conferendi intra tempus se-
» mestre, devolutio fit, neque ab Episcopo, ad Ca-
» pitulum, neque à Capitulo ad Episcopum, vel Ar-
» chiepiscopum: sed ad Superiorem ipsorum juxta
» Lateranensis Concilij Constitutionem sub Alexan-
» dro III. (*in c. 2. h. t.*) præterquam, si Episcopus,
» vel Archiepiscopus conferendi jus habeat, non ut
» Prælatus, sed ut Canonicus: Quamvis etiam in
» isto casu, si dolosè impediêrit, ne collatio fieret,
» intra tempus jure præscriptum, dolus ei suffragari
» non debeat, prout deciditur, *in c. Postulàstis; 15. h. t.* Ratio primæ partis est, cùm enim tam Episcopus, quàm Capitulum sit in culpa, seu negligentia, ut supponitur, neutra pars inde commodum reportare debet, & si in tali casu potestas conferendi devolveretur ad Episcopum, tanquam ad Prælatum, seu Caput, videretur fieri devolutio ab eodem, ad eundem, & ipsemet suppleret negligentiam propriam, quam commisit, ut Prælatus, sive Caput Capituli, *Abb. hic n. 4. & 10.* Idémque est dicendum, si potestas illa conferendi devolveretur ad Capitulum: suppleret enim etiam negligentiam propriam, ob quam debet potiùs puniri. Quòd si Capitulum Beneficia conferre vellet, intra tempus legitimum, sed ab Episcopo impediretur: hoc casu, non currit Capitulo tempus semestre, quòminùs etiam eo elapso conferre posset, vel restitueretur in integrum, ut notat *Ioan. Andr. hîc num. 11. in fine.* Ratio secundæ partis, sive exceptionis est; quia, si Episcopus ex consuetudine, vel concessione speciali, simul etiam sit Canonicus Capitularis suæ Ecclesiæ Cathedralis, tunc duplicem personam repræsentare potest, ita, ut actibus Capitularibus intersit, velut Episcopus, seu Prælatus, vel ut Canonicus: Si interfuit collationi, v. g. Beneficij, tanquam Episcopus, sive Prælatus: hoc casu, cùm ipse collationem fecerit, tanquam Prælatus, quamvis cum Capitulo, non potest fieri devolutio, ob negligentiam ad eundem, ut ex jam dictis patet. Si verò interfuit collationi, tanquam Canonicus, tunc devolutio, ob negligentiam, fit ad eundem, ut Episcopum, sive Caput Capituli; quia tunc non supplet negligentiam propriam, sed Capituli; cùm collationi Beneficij interfuerit, non tanquam Prælatus, sed tanquam Canonicus, adeóque ut Prælatus non fuit negligens, non enim ipse solus potuit conferre Beneficium illud, ut Prælatus, sed ut singularis Canonicus negligens fuit, unâ cum reliquis Capitularibus, *Abb. hic n. 10.* Exemplum habetur *in c. pen. de appellat. in 6.* Si contingat appellari à provisione Capituli, potest appellari ad Episcopum, si ipse interfuit, ut Canonicus: secùs, si interfuit, ut Prælatus. Ratio tertiæ partis est, quia si Superior per dolum impediat, quò minùs inferior collationem faciat intra tempus debitum, tunc non debet fieri devolutio ad ipsum; quia non debet proprius dolus ipsi patrocinari, nec ex propria iniquitate commodum referre, *c. Sedes; 15 de rescript.* Ergo tali casu devolutio non fit ad Episcopum, etiamsi ipse interfuit collationi in Capitulo, non tanquam Episcopus, sed ut Canonicus: sed devolutio fit ad Papam, vel ad proximum Episcopi Superiorem, videlicet Metropolitanum, nisi dolus ille Episcopi Capitulum probabiliter excuset à negligentia, tunc enim Capitulum restituetur in integrum, *Gl. fin. hîc & Abb. n. 6. & 15.*

XL. Notandum hîc præterea primò. Collatio Canonicatuum, & Præbendarum in Ecclesia Cathedrali, de Jure Communi, simul spectat ad Episcopum, & Capitulum, prout sumitur ex *hoc c.* ibi: *Cùm ad vos, & Archiepiscopum vestrum simul collatio præbendarum Ecclesiæ vestræ pertineat*, ubi vocula *cùm* exponi debet non conditionaliter, sed causativè, ita ut sensus sit, quia de jure ad vos (scilicet Capitulares) & Archiepiscopum, simul collatio præbendarum pertinet, ut explicat *Fagnan. in hoc. c. n. 3.* Quamvis *Hostiens. hîc V. Pertineat; c.* hoc intelligat de consuetudine, secundùm quam collatio præbendarum Ecclesiæ Cathedralis pertineat simul ad Episcopum, & Capitulum, non de jure communi.

Notandum secundò. Si dubitetur, an Episcopus intersit in Capitulo, ut Prælatus: an verò solùm, ut Canonicus? prius, quòd tamquam Prælatus, colligi potest ex eo, quia primum locum in Capitulo obtinet, ut tradit *Gl. in c. pen. V. Prælatus; de appellat. in 6. & Abb. hic n. 8.* posterius verò, quòd tanquam simplex Canonicus, si in Capitulo sedeat secundò loco, post Archidiaconum, Præpositum, vel Decanum, vel alium, qui Capitulo præest, *Gl. cit. & Abb. c. l.* In dubio censetur interesse, ut Prælatus, in qua re primùm recurrendū est ad statutum Ecclesiæ, si quòd extat, & deinde ad communem consuetudinem loci, *Abb. hic n. 8. Fagnan. n. 30.*

XLI. As-

XLI. Assertio 4. Si Præbendæ Canonicorum non sint divisæ in quibusdam Ecclesijs Cathedralibus vel Collegiatis, sed reditus omnes ad communem Capituli mensam pertineant, atque numerus Canonicatuum,& annexarum Præbendarum determinatus non sit, tum propriè non vacat Canonicatus, aut Præbenda,per mortem,vel renunciationem Canonici,sed potiùs extinguitur, ac proinde non est locus devolutioni ad Superiorem, propter negligentiam conferendi, intra tempus semestre, prout statuitur in *c. Ex parte* 3 10. *h. t.* Nam cùm in Ecclesia Astensi quædam Præbendæ Canonicales, plus quàm quatuor annis vacâssent, Episcopus Astensis quosdam Clericos in illis instituit, sed instituti existimantes institutionem illam esse contra Concilium Lateranense, adeóque invalidam, ad Archiepiscopum Mediolanensem accesserunt, qui in Præbendis Ecclesiæ Astensis eos instituit, & in corporalem possessionem earum induxit, cum consensu Capituli ejusdem Ecclesiæ: tribus tantùm exceptis, qui se hujusmodi institutioni opponebant, dicentes, quòd nec Episcopi, nec Archiepiscopi institutio valeret, quia & iste intra tempus sex mensium, â Canone indultum, in conferendo fuit negligens : sed altera pars Capituli replicabat quòd tempus indultum â Canone, ei non currebat, nisi à tempore, quo de vacatione Præbendarum cognovit, prout habetur in integra lectione *hujus c.* sed postea utraque pars concorditer confessa fuit, quòd in dicta Ecclesia Astensi non sint distinctæ, seu divisæ Præbendæ, nec certus Canonicorum numerus definitus. Quare Innocentius III. Respondit,Constitutionem de Beneficiorum ultrà sex menses vacantium devolutione, in Præbendis istis locum non habere, etiamsi fortè Ecclesiæ Astensis Canonicorum defectum passa sit, ideóque institutiones,seu collationes, tam ab Episcopo Astensi, quàm Archiepiscopo Mediolanensi factas, quas jure devolutionis ad se pertinere existimârunt, irritas esse declaravit. Veruntamen quia totum Capitulum Astense tribus tantùm exceptis, qui se opponebant, sed nihil rationabile afferebant, institutos recipere desiderabant: Ideò mandat Papa, ut si facultates Ecclesiæ Astensis suppetant, secundùm hactenùs observatam consuetudinem dicti Clerici pro Canonicis habeantur. Ratio hujus decisionis est, quia in Ecclesia non habente certum numerum Canonicorum definitum, cùm recipitur quis in Canonicum, jus quoddam spirituale de novo creatur, *c. Dilecto* 3 25. §. *Præterea de præbend.* quod per mortem Canonici recepti omnino extinguitur, adeòque non vacat : ubi autem non est vacatio Beneficij, ibi nec devolutio ad Superiorem locum habere potest, quippe quæ fit propter negligentiam inferioris Collatoris in conferendo Beneficia vacantia, ergo (cùm in tali casu cesset negligentia, cessare etiam debet devolutio. *Vivian. in ration. hìc.*

XLII. Notandum præterea primò. Superior, ad quem fit devolutio collationis, non solùm potest conferre,sed etiam inducere in possessionem Beneficii,vel saltem præcipere,ut provisus in eam inducatur, *Abb. hìc n.* 2. quia inductio in possessionem accessoriè consequitur ad jus per legitimam collationem acquisitum.

Notandum secundò. Etiam pauci, vel unus solus,è Capitulo,vel Conventu,aut alio Collegio,se opponere potest,ne aliquid contra Canones, vel Ecclesiæ pernicioſum decernatur, & in specie ne aliquis extraneus se immisceat actibus Collegij, v. g. electioni, cui tale jus non competit, juxta *c.* 1. de his, quæ fiunt à majore parte *Cap. Gl. hic V. Ex parte; & Abb. n. 9. Laym. de Elect. Præl. q.* 67. *Resp.* 9.

Notandum tertiò. Si in Ecclesia aliqua sæculari, vel regulari, non sit certus numerus Canonicorum, vel Conventualium definitus, potest Superior v. g. Episcopus Prælatum, & Capitulum, seu Conventum compellere, ut recipiant tantum numerum Canonicorum, vel Conventualium, quantum, secundùm redituum facultates Ecclesiæ commodè alere possunt: & in tali casu potest Superior immediatus terminum præfigere, intra quem institutio, seu receptio fieri debet: cùm enim certus terminus temporis jure non est definitus, terminus ab homine definitus, seu à Superiore censetur succedere termino à jure definito, *Abb. hìc nu.* 15. *Laym. l.* 4. *tract.* 2. *c.* 16. *num.* 5. Porrò licèt, si hoc casu institutio pertineat ad Episcopum, Archiepiscopus non possit supplere negligentiam ipsius, nec eum negligentem compellere, ut instituat; quia Archiepiscopus regulariter non habet jurisdictionem in Diœcesi sui Suffraganei, nisi in casibus jure expressis, inter quos non est casus iste : attamen Episcopo negligente, institutio devolvitur ad Archiepiscopum ; quia terminus hominis succedit in locum termini juris, sive censetur esse instar illius : sed si esset terminus jure definitus, devolutio fieret ad Archiepiscopum, *c.* 2. *h. t.* ergo similiter, si hoc casu terminus Episcopo sit præfixus ab Archiepiscopo, devolvetur institutio ad illum, *Abb. hic n.* 16. *&* 17.

§. VI.

De variis gratiis exspectativis, sive mandatis de providendo Beneficia vacatura.

De his agitur in *c. Proposuit* 3 *h. t. & tot. tit. eod. in* 6. *& in Clement. unic. eod.* Quare nos de ijsdem etiam hoc loco agemus. Ubi præmittendum, quamvis omnes hujusmodi gratiæ expectativæ, ad Beneficia vacatura hodie sint sublatæ per Concil. Trident. *Sess.* 24. *c.* 19. *de reformat.* non tamen ideò quæ de talibus gratijs in Jure Canonico in hoc Titulo, & alibi traduntur, omnino negligenda, vel prætermittenda sunt, ut nonnulli existimant; tum quia per Concil. Trident. non est adempta S. Pontifici potestas adhuc hodie dandi mandata de providendo ad Beneficia vacatura, cùm in Beneficijs plenissimam potestatem habeat. Tum quia in his Capitulis continentur multæ utilissimæ doctrinæ, quæ ad alias materias Canonicas pertinent.

XLIII. Assertio 1. Si Papa mandet alicui, ad quem spectat collatio, ut aliquem recipiat in Canonicum, eique assignet præbendam proximè vacaturam, dato etiam ad id Executore, & præsentet Litteras Papæ Collatori : tum censetur Beneficium, seu Præbenda illa esse affecta, ut si postquam vacat, alteri con-

conferatur, collatio irritari debeat, ac proinde tanquam adhuc vacans, conferenda est nominato à Papa, prout decernitur in *c. Proposuit 5. h. t.* Nam cùm Papa » Cælestinus III. mandâsset Præposito, & Capitulo » Cameracensi, ut Titum Presbyterum reciperent » in Canonicum, & Præbendam proximè vacaturam » eidem assignarent, quæ ad ipsorum collationem » pertineret, constituto ad id Executore, Decano » Rhemensi: Sed Capitulum contumax esset in re» cipiendo Tito, Decanus eundem, Auctoritate » Apostolicâ, in Præbenda proximè vacatura in illa » Ecclesia investivit. Postea verò cùm Præbenda » quædam ad collationem Capituli pertinens in Ec» clesia Cameracensi vacâsset, Capitulum alteri eam » contulit: quod cùm Titus significâsset Cælestino » III. is factum Decani ratum habens, collationem » Capituli alteri factam irritavit, Titum verò per » annulum investivit. Re postea delatâ ad Inno» centium III. Cælestini Successorem: is respondit, » licèt per plenitudinem potestatis Papalis de jure » possit suprà jus dispensare: tamen nolle se ratam » habere investituram de Præbenda vacatura, quæ » à Decano contra Canonum statuta facta est. Ve» rùm cùm dictus Presbyter, non de vacatura, sed » jam vacante Præbenda fuerit investitus, quæ post» quam collatio Capituli irrita declarata fuit, va» cásse censebatur: ideo mandat Papa Capitulo, ut » amoto à Præbenda illa quolibet detentore, eam » Tito, cum honoris Canonici plenitudine, assi» gnet. Ratio hujus decisionis est, quia per hujusmodi præsentationem Litterarum Apostolicarum ab Executore factam, satis constabat, quòd Papa sibi reservárit illam collationem, ablatâ ipsi Ordinario, pro ea vice, potestate eam alteri conferendi, ideóque per solam præsentationem ita erat ligata potestas Ordinarii, ut collatio Beneficii postea ab illo alteri facta non valeret, *Abb. hìc n. 2. & 7.* qui ait, hunc esse verum intellectum hujus cap. Nec obstat *c. Cùm dilectus; 27. de Præbend.* Ubi collatio alteri facta contra mandatum Papæ tenet, nec irritatur: nam ibi soli Collatori ordinario mandatum fuit à Papa de conferendo; in casu verò hujus cap. simul mandatum fuit datum Executori de providendo, in defectum ordinarii Collatoris, si is parere nolit, *Abb. hìc cit. n. 7.*

XLIV. Porrò in casu hujus cap. quod valde intricatum est, Canonici dicuntur contumaces; quia Titum in Canonicum recipere noluerunt, nam quamvis Præbenda non vacans non possit conferri, tamen secundùm mandatum Papæ illum in Canonicum recipere debebant. Neque verò adversantur sibi invicem Papa Cælestinus, & Innocentius, quia prior voluit factum Decani habere ratum in effectu; posterior verò illud reprobavit quoad formam, quia Titus investitus fuit in Præbenda vacatura, sed in effectu approbavit, dum jussit Præbendam, quam Capitulum alteri assignaverat, conferre Tito jam vacanteam, *Abb. hìc n. 7.*

Hinc colligitur primò. Executor datus ad providendum alteri de Beneficio, cùm proximè vacabit, non potest conferre Beneficium non vacans, nec investire aliquem in Præbenda vacatura: sed expectare debet, donec vacat, licèt possit statim conferre Canoniam, *Abb. hìc n. 3. & 8.* Nam conferre Præbendam vacaturam pertinet ad plenitudinem potestatis Papalis, sive ad potestatem ipsius Papæ, non ordinariam, sed absolutam, secundùm quam in dubio Papa, vel alius Princeps non censetur agere, quippe cùm sit contra jura, atque odiosa, *Gail. l. 1. obs. 14. n. 5.* quare solus Papa ad Beneficia vacatura jus tribuere potest, etsi communiter non soleat, nec debeat, *juxta cit. c. Proposuit 5. h. t.* Ubi id tradit *Abb. n. 5. Garc. p. 10. c. 1, n. 3.*

Colligitur secundò. Per investituram, seu institutionem in Beneficio, quæ in absentia rei fit, v. g. per traditionem annuli tribuitur tantùm Titulus seu jus in re: non verò ipsa corporalis possessio, nam in hoc cap. Cælestinus investituit Titum per annulum, & tamen in fine mandatur, ut Capitulum assignet ei Præbendam, dando scilicet possessionem, cùm jus ipsius Præbendæ jam obtinuerit per investituram sive institutionem Cælestini, non tamen possessionem corporalem, *Gl. fin. hìc n. 4. Laym. de Elect. Præl. q. 114.*

XLV. Assertio 2. Si mandetur à Papa alicui » provideri de dignitate vacatura, quam is duxerit » acceptandam, & postea vacet dignitas pertinens » ad collationem Ordinarii eámque Ordinarius con» ferat alteri, antequam is, qui impetravit manda» tum de providendo, illam acceperit: tunc non ob» stante tali mandato, collatio Ordinarii tenet: eá» que per reservationem, inhibitionem, & proces» sum factum ab Executore impetrantis mandatum » super prima Præbenda vacatura, ligantur manus » ordinarii Collatoris, quominùs Præbendam ante » acceptationem vacantem conferre possit, prout » statuitur in *c. Quia in cunctis; 1. h. t. in 6.* Et hæc est summa hujus prolixi cap. Ratio decisionis est, quia per tale mandatum non tollitur Ordinario potestas conferendi, nisi post acceptationem impetrantis: *factum autem legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari, juxta reg. jur. 73. in 6.* ipséque etiam Executor nullam habet potestatem super dignitate vel Beneficio vacante, ante acceptationem illius, cui collatio facta est: nam jurisdictio vel potestas concessa in eventum conditionis, exerceri non potest, antequam ea purificetur, *Franc. hìc §. Ex parte; n. 3. & Vivian. in ration.* Quare Papa Innocentius IV. *in fine hujus cap.* Præposituram, quam Ordinarius contulerat Capellano suo, priusquam alter, cui Papa dignitatem primò vacaturam conferri mandaverat, eandem acceptaret, eidem adjudicavit, quippe quæ ipsi canonicè ab eo, qui illam conferre potuit, collata fuit.

Porrò ex hoc cap. colligunt DD. quòd gratia vel Privilegium non sit perfectum, nec sortiatur effectum, priusquàm is, cui conceditur, de eo certior fiat, illúdque acceptet, *Azor p. 1. l. 5. c. 3. q. 5. Barbos. in Collect. hìc n. 7.* & alii apud ipsum.

XLVI. Assertio 3. Si quis impetravit Litte» ras à Sede Apostolica, ut ei provideatur de Præben» da, dignitate, vel personatu, aut alio Beneficio, in » aliqua Provincia, Diœcesi, vel Ecclesia, quod duxe» rit acceptandum, deputatis etiam ad id certis Exe» cutoribus: licèt i primum Beneficium in eadem » Diœcesi vel Ecclesia vacaturum, aut secundum vel »

» ulterius, si rationabilis causa subsit) acceptare pos-
» sit: certum tamen & expressum acceptare non po-
» test, prout statuitur in *c. Ne captandæ* 3. *h. t. in 6.* Ratio decisionis est, quia per acceptationem Beneficii in genere & indeterminatè, quod primò vacabit, non ita datur occasio captandæ mortis alienæ; cùm impetrans non sciat, cujusnam Beneficium primò sit vacaturum, & sic potest acceptare Beneficium primum, quod vacat, & non secundum, nisi ex justa causa, nempe quia fortè primum debetur alteri, vel dubitatur, an debeatur, tunc enim poterit acceptare secundum, vel tertium, si & hoc ex causa rationabili non videatur ei deberi, sed alteri, & sic de cæteris, *Gl. hìc V. Causa subsit*: nam mandatum Principis intelligi debet de eo, quod sine alterius præjudicio fieri potest, *Franc. hìc n.* 7. At verò certum & determinatum Beneficium, priusquam vacet, acceptare non potest; quia per talem acceptationem daretur occasio desiderandi mortem certæ personæ, ut dicitur *in princ. hujus cap.* & sic hoc cap. est limitatio & declaratio *cit. c.* 1. *h. t. in 6. Gl. hìc in casu.* Ex quo patet, quòd quædam licita sunt in genere, quæ non sunt licita in specie: sic licitum est acceptare Beneficium, quod primò vacabit, vel quod secundò, vel quod tertiò, quando justa causa subest, ut non acceptetur Beneficium, quod primò vacabit: sed non licet acceptare in specie certum Beneficium, v. g. talem Præposituram, vel Præbendam, ob rationem jam allatam.

XLVII. Additur in *cit. c. Captandæ*; §. *Quòd si* » *fuerit*; *h. t. in 6.* quòd acceptatio certi Beneficii, » antequam vacet, vel secundi & tertii Beneficii si- » ne justa causa facta, & secundùm illam, per Exe- » cutores facta reservatio, inhibitio, atque processus, » ac sententiæ promulgatæ non valent, (quia cùm » quid prohibetur unâ viâ, prohibentur etiam omnia, » quæ sequuntur ex illo, *reg. jur.* 39. *in 6.*) adeóque » neque ligantur manus ordinarii Collatoris, quòmi- » nùs possit Beneficium illud (non obstantibus præ- » dictis acceptatione, & Executorum processibus in- » de secutis) cùm vacaverit liberè alii conferre: præ- » terquam si ei, qui dignitatem, Personatum, Præ- » bendam vel Beneficium (scilicet certum est expres- » sum, vel secundum, aut ulterius, sine causa, *Gl. hìc* » *V. Taliter*) acceptavit, sit postmodum collatum, tale » Beneficium vacans, ita, ut ei per talem collationem » vel institutionem jam jus in ipso sit acquisitum: tunc enim illud obtinuit, non vi acceptationis, sed vi collationis post vacationem ipsi factæ, *Gl. magna hìc in not. at.*

» XVLIII. Assertio 4. Si Executor per Litte- » ras generales à Sede Apostolica deputatus sit in ali- » qua Provincia, ut provideat alicui de Beneficio va- » cante, vel proximè vacaturo, non potest ipse Execu- » tor generaliter inhibere Prælatis, & aliis, ad quos » collatio Beneficiorum in eadem Provincia spectat, » ne Beneficia illa vacantia conferant, donec illi, pro » quo scribitur, sit provisum; nisi hujusmodi (gene- » ralis inhibitionis, *Gl. V. Hujusmodi*) facultas in » ipsis Litteris expressè concedatur. Potest tamen ta- » lis Executor reservare, & eisdem inhibere speciali- » ter, ne alteri, quam eidem Clerico, pro quo rescri- » ptum emanavit, primum, vel etiam secundum, vel » ulterius (si id Executori in Litteris concessum sit) » Beneficium ibidem vacaturum conferatur, ita ut » collatio Beneficii contra talem specialem reserva- tionem, inhibitionem Executoris, ab ordinario Col- » latore facta, sit ipso jure invalida, prout statuitur in » *c. Executor* 34. *h. t. in 6.* Ratio decisionis est, quia licèt in mandato generali, videatur id concessum, sine quo non potest mandatum expediri, *c. Præterea* 5. *de offic. deleg. l.* 2. *ff. de Jurisd. omn. judic.* non tamen videtur concessum id, sine quo mandatum potest commodè expediri. At sine generali reservatione ac inhibitione potest tale mandatum commodè expediri, non item sine speciali: ergo hæc permittitur, generalis verò prohibetur: nam valde durum & grave esset, per generalem reservationem & inhibitionem, collationem omnium Beneficiorum unius Provinciæ impediri, ablatâ ordinariis potestate conferendi Beneficia vacantia: ergo rescriptum, quod hoc specialiter non concedit, non est eò usque extendendum, cùm sit odiosum, *Jo. Andr. hìc n.* 2. *V. Inhibere, & Ancharan. ibid. not.* 1.

Porrò nonnulli putant, similiter non posse generalem hujusmodi inhibitionem fieri ab Executore, etiam in aliqua Civitate, Diœcesi, vel Ecclesia, etsi possit specialis, ob eandem rationem: contrarium tamen tenet *hìc Gl. V. Provincia*, quia non est eadem ratio, cùm gravius sit totam Provinciam impediri à collatione Beneficiorum per generalem inhibitionem, quàm aliquam Civitatem, Diœcesin, vel Ecclesiam. Ex dictis patet, quòd aliquando liceat aliquid in genere, quod non licet in specie, *ut in casu hujus cap.* licita est reservatio generalis, non item specialis, & è converso aliquando licet aliquid in genere, quod non licet in specie, *ut in casu cap. præcedentis, de quo suprà, Franc. hìc n.* 1.

XLIX. Assertio 5. Si Capitulo alicujus Eccle- » siæ, ad quod spectat Canonicorum receptio, ac Præ- » bendarum collatio (ex speciali privilegio, vel præsci- » pta consuetudine, *Gl. hìc V. Pertinebit*) mandetur à » Papa, ut Titium v. g. recipiat, & Præbendam, si quæ » tunc vacat, vel si occasio se offerat, quæ proximè va- » catura est, ipsi conferat, dato Executore ad providen- » dum, qui eodem Capitulo negligente, Apostolicum » mandatum exequatur, ipséque provideat: tunc per » solam præsentationem Litterarum Apostolicarum » (quæ ad Capitulum directæ sunt) factam Capitulo, » absque alia etiam Executoris insinuatione, inhibi- » tione, vel reservatione, Beneficium, de quo Titio » conferendo rescriptum, seu mandatum Apostolicum » emanavit, (secus si emanâsset de eo Beneficio, quod » Titius duxerit acceptandum, *juxta c.* 1. *& 3. h. t. in* » *6. Gl. hìc V. Conferendo*) adeò est affectum, ut si vacet, » Capitulum illud alteri conferre non possit, sed colla- » tio sit invalida. Imò si Capitulum, intra terminum » competentem ipsi ab Executore præfixum, manda- » tum Apostolicum pro Titio ad ipsum directum, in » quantùm poterit (videlicet recipiendo ipsum statim » in Canonicum, & cùm occasio se obtulerit, conse- » rendo ei Præbendam, *Gl. hìc V. Poterit*) non adim- » pleat: tunc in ipsum Executorem potestas providen- » di transferatur, ipséque incontinenti poterit Titio » Canonicatum conferre, & Præbendam, postquam » vacat, vel cùm se facultas obtulerit, absque alia Ca- » pituli vocatione, vel monitione, prout statuitur in » *c. Si à Capitulo* 5. *h. t. in 6.*

L. Ratio prioris partis est, quia cùm Papa dat Executorem ad providendum, censetur ad se, vel ad suum

ad suum Executorem revocare potestatem providendi, adeóque ordinario Collatori illam adimere, *arg. c. Ut nostrum*; 56. *de appellat.* ergo per solam præsentationem Litterarum Apostolicarum de providendo, in quibus datur facultas providendi Executori, negligente id Collatore ordinario, ita ligantur manus ejus, ut alteri Beneficium conferre non possit. Secus est, si datus sit Executor ad compellendum tantùm, ut in casu *c. seq. de quo posteà, Gl. hic V. Exequatur.* Ratio posterioris decisionis est, quia cùm Executor habeat potestatem liberè conferendi Beneficium vacans, sicut habebat Capitulum; à quo, ob illius negligentiam, ea translata est in Executorem: ideò non est necesse, ut ad conferendum Canonicatum vel Præbendam Executor vocet, vel moneat Capitulum, sive alia citatione, vel monitione; nam contumax in uno actu, non est citandus ad faciendum alium actum, qui necessariam connexionem habet cum actu præcedente, sicut in proposito, Præbenda necessariam connexionem habet cum Canonicatu, quia Canonico debetur Præbenda: ergo Capitulum, quod fuit contumax in conferendo Canonicatu, vacante posteà Præbendâ, non est necessariò monendum, vel vocandum, ut illam conferat; quia cum fuerit semel contumax in recipiendo ad Canonicatum, ideo præsumitur etiam contumax futurum in assignatione Præbendæ, *Gl. hic in notat. & Gl. fin. Franc. ibid. n. 7.* Est autem differentia inter vocationem, & monitionem: nam vocatio est citatio, monitio autem etiam citra citationem fieri potest, eáque fit à Judice ipsi parti præsenti, & plus operatur quam citatio, cùm habeat vim peremptorii, *Franc. hic n. 3.*

Ubi præterea Notandum, quamvis sufficiat, ut præsententur Capitulo Litteræ Papæ ad ipsum directæ, modò ex illis constet de intentione Papæ, sive dato ab eodem Executore ad providendum: securiùs tamen est, ut præsententur Capitulo Litteræ Apostolicæ ad ipsum Executorem directæ, *Gl. hic V. Illorum.*

» LI. Assertio 6. Si soli Ordinario (ad quem scilicet collatio pertinet) mandetur à Papa, ut provideat alicui de Beneficio, Executore non dato: vel » Ordinario, & Executori simul, ut eum ad faciendum, quod mandatur, compellat (secus si fuisset » datus ad providendum, *juxta cit. c. Si à Capitulo*; *h. t. in 6. Gl. hic V. Compellat*) aut soli Executori mandetur, ut faciat alicui de Canonicatu & Præbenda, » vel alio Beneficio in certa Ecclesia, Diœcesi vel » Provincia provideri: per talis mandati præsentationem Ordinario factam, non aufertur ei potestas » conferendi, quin collatio alteri facta valeat: licèt » si contra faciat, sit puniendus: nisi in mandato Apostolico decretum esset, ut quidquid contra illud fieret, irritum sit, & inane. Vel nisi Executor hujusmodi Ordinario suam insinuans potestatem, eidem interdixisset, præsertim cum interpositione Decreti, » ne alteri conferret Beneficium, quàm ei, cui vi mandati Apostolici est providendum: Vel nisi is, cui vi » dicti mandati est providendum, jam receptus esset » in Canonicum. In his enim tribus casibus, vel uno » eorum, non potest Ordinarius Præbendam talem » vel Beneficium conferre, sed collatio alteri facta » non valet, prout statuitur in *c. Si soli*; *h. t. in 6.*

LII. Ratio decisionis est; quia per tale mandatum Papa non revocat ad se, vel ad Executorem datum solùm ad exequendum, potestatem conferendi, adeóque eam non adimit Ordinario: sed potiùs penes ipsum eam relinquit, dum vult eum ad providendum compelli, *Gl. in c. Si à Capitulo*; 5. *V. Exequatur h. t. in 6.* adeóque non obstante præsentatione illius mandati, Ordinarius adhuc validè conferre potest Beneficium. Ratio exceptionis est, quia in his tribus casibus, scilicet cùm apponitur in mandato Decretum irritans, si quid contra fiat, (& tunc etiam ante præsentationem mandati affecta est Præbenda vel Beneficium, ut alteri conferri non possit ab Ordinario, *Gl. hic V. Contra ipsam*) vel cùm Executor id inhibuit: vel cùm jam facta est receptio Canonici, intervenit directum mandatum, per quod Papa vel ad se, vel ad suum Executorem revocat potestatem conferendi, & Ordinario eam adimit, pro ea vice, ut alteri conferre non possit, *juxta c. 1. §. Ex parte*; *h. t. in 6.* adeóque collatio alteri facta, est invalida, *Vivian. in ration. hic in fine.*

» LIII. Assertio 7. Si Papa præcedens v.g. Martinus det gratiam expectativam Titio, ad Præbendam vacaturam in certa Ecclesia, & posteà ejus Successor Bonifacius det Cajo gratiam ad similem Præbendam in eadem Ecclesia, ac deinde Sempronio, » cum prærogativa gratiæ, ut omnibus Auctoritate » Antecessorum suorum: non autem suâ receptis, in » assecutione Præbendæ proximè vacaturæ præferri » debeat: hoc casu Præbendam, quæ primò vacat in » illa Ecclesia, debet obtinere secundus, videlicet Cajus, secundò vacantem tertius, nempe Sempronius, » & tertiò vacantem primus, nimirum Titius, aliàs forma mandati minimè servaretur (quæ tamen diligenter servanda est *Gl. hic V. Servaretur*) nam ex tenore » gratiæ, à Papa Successore concessæ evidenter apparet, ipsum voluisse primo tertium, & secundum tertio anteferri, sicut contingit in successione ab intestato: ac proinde consequitur quis ex persona alterius, sive per alium, quod aliàs ex sua persona, sive per » se consequi non posset; ut in proposito, secundus » consequitur per alium, scilicet per tertium, quod per » se non potuisset consequi, videlicet Præbendam primò vacantem, secundò vacantem tertius, & tertiam » primus, prout statuitur in *c. Auctoritate*; 7. *h. t. in 6. & ibi Gl. V. Auctoritate.* Ratio est, quia si in eadem Ecclesia sint plures v. g. tres habentes gratiam expectativam ad Præbendam vacaturam, debet attendi voluntas seu intentio Papæ, intentio autem Papæ fuit secundum præferri tertio, quia prior in data fuit, & tertium primo, quia in Litteris tertii posita erat clausula prælationis derogans primo, non secundo, scilicet quòd in Præbenda omnibus anteferri debeat receptis Auctoritate Papæ Martini, & aliorum Antecessorum: non autem receptis auctoritate Bonifacii, cujus auctoritate receptus fuit secundus, non primus, ideóque secundo conferri debet prima Præbenda, tertio secunda, cui Papa voluit præferri secundum, cùm hic illum ordine præcedat, & primo tertia, *Gl. hic in casu & V. Primam secundus, junct. Gl. margin. lit. B. & C.* Dicitur autem in *hoc c.* quod secundus consequatur per alium, scilicet tertium, quod per se non potuisset consequi, videlicet Præbendam primò vacantem, quia secundo non est facta gratia expectativa per se, & immediatè cum prærogativa prælationis, quæ expressa solùm fuit in Litteris tertii.

» LIV. Assertio 8. Si Papa revocet omnes collationes, provisiones, reservationes & concessiones » super Canonicatibus, Dignitatibus, Personatibus, » Præbendis, Officiis, portionibus, præstimoniis, » Ecclesiis parochialibus, ruralibus, & aliis quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis vacaturis: ac etiam » super Canonicatibus, sub expectatione dignitatum, » vel aliorum quorumcunque Beneficiorum (in quibus jus non est quæsitum in re, licèt ad rem) à Præ- » decessoribus suis factas, sive concessas, eâsq; auctoritate Apostolicâ casset, irritet, & nullius firmitatis esse decernat (sicut fecit Bonifacius VIII. in c. *pen. & ult. supr. de Præb. in 6.* Ubi revocavit concessiones factas à Nicolao IV. & Cælestino V.) sub tali » revocatione comprehenduntur ii, qui ultra statutum numerum, per prædictos Antecessores sub expectatione Præbendæ distinctæ, vel portionis in » Canonicos sunt recepti. Si verò hujusmodi recepti, ultra numerum in Canonicos, non expectent » Præbendam distinctam, sed per cessionem vel decessum (vel etiam depositionem, *Gl. hîc V. Decessum*) illorum, qui erant intra numerum, ex vi prioris gratiæ, nihil ampliùs assequi expectent, nisi distributiones, vel portionum suarum augmentum » (quia forsan in illa Ecclesia Canonicatuum, non autem portionum, vel Præbendarum erat distinctio, » quantóque inter pauciores cujusvis Ecclesiæ proventus dividuntur, tantò majores fieri possunt singulorum percipientium portiones) hoc casu, ad illos, qui per Prædecessores sunt recepti in Canonicos, licet Præbendas, vel alia Beneficia expectarent, prædicta Constitutio revocatoria Bonifacii » VIII. Successoris non extenditur, prout ipsemet » declaravit in c. *Quoniam*; 8. *& ult. in princ. & §. Si autem*; *h. t. in 6.*

LV. Ratio prioris partis est; quia qui expectat Præbendam à Canonicatu distinctam, non habet adhuc jus in re, quoad illam Præbendam, sed solùm jus ad rem, licèt habeat jus in re quoad Canonicatum sibi collatum, *c. Si is cui*; 39. *de Præbend. in 6.* Ideóque sub illa revocatione talis expectans comprehenditur, quoad ipsam Præbendam, cùm se illa extendat ad omnes gratias, per quas nondum est acquisitum jus in re, licèt sit acquisitum jus ad rem, *ut patet ex textu.* Ratio posterioris partis est; quia istud augmentum portionis non est jus distinctum à jure Canoniæ, sed est ei accessorium, ideóque sequitur suum principale: nam in tali Ecclesia non sunt Præbendæ distinctæ, sed portiones dividuntur inter Canonicos, secundùm numerum ipsorum: augmentum enim censetur esse ejusdem juris & conditionis, cujus est res principalis, cui adjicitur, *Franc. hîc §. Si autem*; *n.* 1. *not.* 1. Ubi exemplum dat, si quis habeat privilegium transeundi per territorium alicujus, sine solutione gabellæ, is gaudet etiam eodem privilegio, si transeat per territorium illi adjectum, & auctum; quia disposita in principali intelliguntur tacitè repetita in augmento, sive eo, quod illi adjectum est. Quare similiter in proposito, receptus in Canonicum, si expectat solùm pinguiorem portionem, non comprehenditur sub Constitutione revocatoria, quoad illud augmentum portionis, quia nec jus Canoniæ, cujus est accessorium, sub illa comprehenditur.

» LVI. Præterea *in eod. c. §. In illis verò*; statuitur, quòd in illis, qui ultra numerum in Canonicos » recepti, quoad Capitulum & Chorum, ac percep- » tionem etiam distributionum quotidianarum expectant Præbendam, quæ solùm datur iis, qui sunt » de numero, prædicta Constitutio revocatoria non » habet locum, ratione talis expectationis: Ratio » est, quia distributiones quotidianæ, quæ dantur iis Canonicis, qui Divinis officiis intersunt, non pendent à jure Præbendæ, sed à jure Canoniæ, *c. unic. de Cleric. non resid. in 6.* dantur enim Canonicis præsentibus rei Divinæ, etsi Præbendam non habeant; unde licèt tales percipiant quotidianas distributiones, sitamen expectant Præbendam, quoad hanc comprehenduntur sub hac revocatione, *Gl. hîc V. Non existit, & Vivian. in ration.*

Denique prædicta Constitutio revocatoria Bonifacii VIII. habet etiam locum in iis, qui à Præde- » cessoribus ipsius super Canonicatibus, Dignitati- » bus, Præbendis, Ecclesiis parochialibus, vel aliis, » vel Beneficiis quibuscunque Litteras impetrârunt, » adeóque jus ad Beneficia vacatura, etiamsi per Exe- » cutores illorum factæ fuerint reservationes, decreti » interpositiones, aliáque processus: & etiamsi ea- » dem Beneficia tunc vacabant, & impetrantes petierint ab Executoribus, ut eis conferrent: modò » nondum tunc processum sit ad collationem Beneficiorum vacantium; nam per Litteras Beneficiales, » & quoscunque actus præcedentes collationem » (etiamsi intervenerit reservatio & interpositio Decreti) non acquiritur jus in re impetrantibus, sed » tantùm jus ad rem; ideóque hujusmodi gratiæ sive » concessiones Beneficiorum, si collatio nondum facta sit, censentur revocatæ, prout statuitur in *cit. c. ult. §. Sanè*; *h. t. in 6. & tradit Franc. ibid. n.* 2.

LVII. Assertio 9. Mandatum Papæ condi- » tionale de providendo alicui Beneficio Ecclesiasti- » co vacante, vel proximè vacaturo, ut si per inquisi- » tionem Executoris reperius fuerit esse vitæ laudabilis, & honestæ conversationis, non afficit, sive ligat » potestatem Ordinarii, vel alterius Collatoris ante » conditionem impletam, etiamsi additum sit Decretum irritans, si secùs à quopiam fuerit attentatum: » Vel si Papa mandet Ordinario, ut provideat alicui » de Beneficio certi valoris v. g. XX. librarum, vel » minoris, si Clericus voluerit acceptare, potest hoc » casu, Beneficium præfixi valoris: imò etiam minoris, » priùsquam impetrans super hujusmodi valore voluntatem suam declaret, Collator ordinarius, vel » Executor ad providendum datus liberè illud conferre; quia Decretum hujusmodi, ante eventum conditionis, effectum suum non sortitur. Secus est si » Papa mandet alicui provideri de Beneficio, si illud, » intra mensem à notitia vacationis ipsius, duxerit acceptandum, adjecto Decreto irritante: tunc enim » collatio alteri ab Ordinario, vel Executore facta, ante mensem & acceptationem impetrantis, non valet, ut scilicet appositio mensis aliquid afferat impetranti (alioquin frustra adjectum esset tempus, nihilque operaretur.) Porrò acceptare censetur impetrans Beneficium, si petat per suum Executorem illud sibi conferri, vel si præsens recipiat sibi collatum. Notitiam autem prædictæ vacationis, tum » censetur habere impetrans, si vacatio Beneficii in » loco vel Ecclesia, ubi illud situm est sit publicè nota; »

sibi

» sibi enim imputet, si hoc casu, quo de ipsius com-
» modo agitur, ignoravit id, quod per se, vel per
» alium scire potuit inquirendo, ita statuitur in *Clement. Cum ei unic. h. t. in Concilio Viennensi.*

LVIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Decretum conditionale, etiam adjectâ clausulâ irritante, non impedit, quò minùs Collator ordinarius possit conferre Beneficium alteri, ante conditionis eventum, ut in proposito, antequam constiterit de scientia & laudabili vita Clerici impetrantis, *Gl. hîc in casu & in notatis.* Notandum secundò. Si mandetur alicui conferri Beneficium sub conditione, si velit illud acceptare, sed antequam illud acceptâsset, Ordinarius contulit alteri, valet collatio, *Gl. hîc in casu.* Notandum tertiò. Si mandetur Clerico provideri de Beneficio vacante, vel proximè vacaturo: cum Decreto irritante, si intra mensem illud acceptet, sed Ordinarius contulit illud intra mensem, non valet collatio; quia tempus censetur apponi in favorem acceptantis, *Gl. ibid. in casu.*

Notandum quartò. Censetur autem Clericus acceptare Beneficium, sive verbo id exprimat, sive facto ipso declaret voluntatem suam, petendo, ut sibi conferatur, vel sibi collatum recipiendo *Gl. ibid.* Notandum quintò. Currit mensis iste à tempore notitiæ, quo Clericus scit Beneficium vacare: imò etiam ex eo tempore, quo publicè vacat, *Gl. ibid.* Notandum sextò. Mensis iste currit etiam ei, qui non fuit in culpa, quia v. g. tam procul abfuit à loco Beneficii, ut ejus vacationem intra mensem scire non potuerit, *Gl. hîc V. Nota erit:* idque specialiter statutum est in hoc casu; tum ne aliàs Beneficia diutiùs vacent: tum ut occurratur fraudibus & litibus, dum impetrans fraudulenter negaret, se intra mensem de Beneficio vacante notitiam habuisse, *Vivian. in ration. hîc in fine.*

LIX. Restant adhuc duæ Constitutiones Extravagantes Papæ Joannis XXII. *h. t. In Extravag. Sedes*; 1. habetur, quòd quando dentur alicui Litteræ Apostolicæ continentes gratiam vel justitiam pro aliqua Diœcesi, si illa dividatur in duas: vel plures, tum omnes gratiæ super Beneficiis vacaturis concessæ, ante divisionem, etiam post illam, in Diœcesibus divisis per Executores datos ad executionem deduci possunt, ac debent, sicut priùs. Idem dicendum de Litteris Apostolicis, quæ gratiam continent, quòd Judices dati possint procedere, ac si dictæ Diœceses integræ mansissent. Videri potest explicatio *Glossæ ibid.*

LX. In *Extravag. Ad Apostolatus 2. h. t.* statuitur, si Papa dividat Episcopatum in duos, vel plures, per hujusmodi divisionem non intendit quippiam derogare velle juribus Ecclesiarum antiquarum, vel personarum Ecclesiasticarum, quò minùs in Ecclesiis noviter divisis ab aliis antiquis visitare, procurationes recipere, & jurisdictiones ac alia officia exercere possint, nisi quatenus in Litteris Apostolicis hujusmodi divisio expressè continetur. Per quod declaratur Extravag. Præcedens. Hinc colligitur, quòd nullus possit Episcopatus dividere, præter Papam, *Gl. hîc V. Auctoritate Apostolicâ.*

TITULUS IX.

NE SEDE VACANTE, ALIQUID INNOVETUR.

I.

Dictum est in superioribus Titulis de institutionibus & collationibus Beneficiorum, sed quia posset dubitari, an vacante Sede succedat Capitulum in collatione ipsorum: ideò hic Titulus subjicitur, qui extat etiam in Sexto, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

Porrò nomine Sedis, hîc intelligitur Sedes Episcopalis, vel alia Prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi Beneficia competit, ut tradit *Gl. in c. 1. V. Ecclesia 3 de reb. Eccles. non alien. in 6. Hostiens. in Summ. h. t. n. 3. & Barbos. in Collect. hîc in Rubr. n. 2.* Per vacationem intelligitur omnis vacatio Sedis, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, depositionem, vel quemvis similem modum, per quem Titulus amittitur, *Gl. in c. unic. V. Mortuo; h. t. in 6. Barb. ad rubr. h. t. n. 5.* Imò etiam si interpretativè vatet, ut quia Prælatus est hæreticus, excommunicatus, suspensus &c. Adeóque de jure ad agendum inutilis, *Hostiens. in summa. h. t. n. 2.*

§. I.

An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante?

II. Assertio 1. Generalis regula negativa, seu prohibitoria est, quòd Sede vacante, nihil innovari debeat, in præjudicium scilicet ipsius Sedis: nisi id jure expressè cautum sit, nec status Ecclesiæ mutari, ut colligitur *ex rubrica hujus Tituli*, etc. 1. *eod.* ubi dicitur: *Episcopali Sede vacante, non debet aliquid innovari, cùm non sit qui Episcopale jus tueatur*, sive quia tunc Ecclesia defensore caret, *Abb. Ad rubr. hujus Tituli*, ubi ait, valere argumentum à rubro ad nigrum. Quare licèt Sede Episcopali vacante (vel aliâ simili Prælaturâ) jurisdictio & administratio rerum & jurium Episcopalium ad Capitulum devolvatur, *c. His quæ 3 11. c. Cum olim 3 14. de majorit. & obed.* Non tamen potest res Ecclesiæ alienare, vel donare, *c. Si qua 3 42. caus. 12. q. 2.* quia Capitulum res Ecclesiæ vacantis non auferre, vel distrahere, sed usque ad tempus Episcopi substituendi conservare debet, *c. Hæc hujus 3 8. q. cit.* Id verò solùm procedit de rebus, quæ servando servari non possunt: ea enim, quæ servando servari non possunt, potest ex justa causa

Oeconomus seu Administrator, vel ipsum Capitulum administrationem gerens, vacante Sede alienare, sine alterius licentia, sicut & Tutor potest tales res pupilli alienare, *l. Lex quæ*; 22. *C. De administr. Tut. Abb. in cit. c.* 1. *n.* 7. *h. t.*

III. Ubi tamen ulteriùs distinguendum est: nam vel bona, quæ servando servari possunt, ad Ecclesiam Cathedralem seu Episcopatum pertinent: & hæc Capitulum, Sede Episcopali vacante, alienare non potest; quia Ecclesia tunc caret defensore, nisi licentiâ à Papa petitâ & concessâ, *cit. c.* 1. *h. t. Abb. ibid. n.* 7. Vel nisi ab eodem Curator seu defensor specialiter in hunc finem datus sit: Nam Administrator Ecclesiæ Cathedralis vacantis generaliter solùm, etiam cum plena & libera potestate in spiritualibus & temporalibus à Papa constitutus, cui soli id competit, bona immobilia Ecclesiæ alienare nequit, *juxta c. Is cui*; 42. *de Elect. in 6.* quamvis alienatio rerum mobilium, etiam pretiosarum, tali Administratori, ex justa causa concessa videatur, secundùm *Gl. ibid. V. Immobilium, & dictum supr. l.* 1. *Decret. Sec.* 3. §. 6. *n.* 156. Ergo multò minùs potest Capitulum, Sede vacante, bona immobilia Ecclesiæ alienare (imò nec mobilia pretiosa, quæ asservari possunt) nisi Papa suam auctoritatem interponat per se, vel per alium, *Abb. c. l.* Idémque dicendum est de Ecclesia exempta, & immediatè Romano Pontifici subjecta vacante, cui etiam in casu alienationis dandus est à Papa Curator, seu defensor bonorum, *arg. c.* 1. *de reb. Eccles. non alienand. Laym. in disp. Canon. de rer. Eccles. alien. c.* 3. *Thes.* 49. Vel agitur de bonis alienandis, quæ pertinent ad Ecclesiam inferiorem, v.g. Collegiatam, aut Conventualem Episcopo subjectam: tum Capitulum seu Conventus, Sede inferiore seu Prælaturâ vacante, unâ cum Episcopo, qui immediati Prælati vicem subit, præcedente tractatu & causâ cognitâ, alienationem facere potest, *Laym. cit. thes.* 49. dummodò sit valde gravis causa (nam major necessitatis aut utilitatis causa requiritur, ut res Ecclesiæ alienentur, Sede vacante, quàm non vacante, *arg. Rubric. hujus Tit.* & tradit *Gl. in cit. c.* 1. *V. Sede vacante*; *h. t.*) ob quam expectari non possit, dum novus Prælatus constituatur, alioquin ordinariè expectandum est, *Abb. in c.* 3. *n.* 5. *h. t.* At verò vacante etiam Sede Cathedrali, bona Ecclesiæ inferioris vacantis alienari non possunt, nisi licentiâ à Papa petitâ, vel Curator seu defensor in hunc finem datus sit, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 7. *& c. ult. n.* 5. *h. t. Laym. c. l.*

IV. Assertio 2. Si una Ecclesia unita sit alteri Ecclesiæ Cathedrali, non debet, Sede Episcopali vacante, fieri ejus dissolutio, prout sumitur ex *c. Novit*; » 1. *h. t.* Ubi Monasterium quoddam erectum fuit » in Ecclesiam Cathedralem, & alteri Episcopatui » unitum, ita ut idem esset utriúsque Ecclesiæ Epi- » scopus. Sed cùm Monachi quererentur eam unio- » nem in grave Monasterii præjudicium tendere, quia » per eam religiosa observantia pereat, & eleemosy- » næ, ac hospitalitatis officia tollantur: Mandavit » Innocentius III. ut Monasterium sub Prioris regi- » mine gubernaretur, Episcopo verò certa reddituum » portio assignaretur, unione tamen Ecclesiarum » permanente. Mortuo Episcopo, adeóque Sede » vacante, Monachi denuò eidem Innocentio sup- » plicârunt, ut quia tempus advenerat, quo sine scan- » dalo, ruina Monasterii reparari, seu Monasterium restitui posset, Monasterium, dissolutâ unione, ad » pristinum statum à Prælato regulari gubernandum » reduceretur. Verùm Papa id concedere noluit; eò » quod vacante Episcopali Sede, non debeat aliquid » innovari, cùm nemo tunc adsit, qui Episcopalia ju- » ra tueatur. Deinde; quia si unionem, quam viven- » te Episcopo fecerat, eo mortuo, statim dissolveret, » videri posset, eum plus favisse personæ, quàm Ec- » clesiæ (hoc est, eum magis supplicantium po- » tentium favore, quàm publicâ Ecclesiæ utilita- » te motum fuisse ad mutationem, ac dissolutio- » nem illarum Ecclesiarum faciendam. Quare man- » davit, ut Monasterium sub cura Prioris guberne- » tur, donec novus Episcopus ordinatus fuerit, re- » lictâ Priori & Conventui liberâ facultate, posteà jus » suum apud Sedem Apostolicam prosequendi. »

V. Notandum primò. Dupliciter potest Ecclesia regularis seu Monasterium uniri alicui Episcopatui: primò, ut regularis Ecclesia vel Monasterium subjiciatur Ecclesiæ Cathedrali, ita ut Prælatura & Titulus Monasterii omnino extinguatur, & Sedes Episcopalis sit tantùm apud Ecclesiam, cui fit unio. Secundò, ut Ecclesia conventualis seu regularis erigatur in Cathedralem, & alteri Ecclesiæ Cathedrali antiquæ uniatur, ita tamen, ut idem sit Episcopus utriúsque Ecclesiæ, & de hac unione est sermo in hoc *c. Gl. hic V. uniendo*; *Fagnan. hic n.* 2. 4. *&* 10. Et hoc casu, si Episcopus resideat in Ecclesia sæculari, non in Monasterio, in hoc constitui debet Prior seu Præpositus regularis, qui curam gerat disciplinæ regularis, ejúsque officium durat, etiamsi mortuus sit Prælatus seu Superior Monasterii, videlicet Episcopus, adeóque Sedes vacet, *ut colligitur ex hoc c.*

Notandum secundò. Sicut solus Romanus Pontifex potest de novo erigere Ecclesias Cathedrales, & unam alteri unire: ita etiam solus potest illarum uniones dissolvere, *ut colligitur ex hoc cap.* ibi, *Auctoritate Apostolicâ indulgentes &c.* quia eadem auctoritas, quæ requiritur in constitutione actûs, requiritur etiam in ejusdem destructione, *arg. Clement.* 2. *de Elect.* Ubi dicitur, quòd lex Superioris per inferiorem tolli non potest, ergo nonnisi eâdem auctoritate Superioris, quâ constituta est, tolli potest, *Fagnan. hic n.* 34. *&* 37. Porrò præcipuus effectus hujus dissolutionis est, quòd unione dissolutâ, Ecclesia, quæ unita fuit alteri, redeat in primævum statum, in quo erat ante unionem: *Rebuff. in praxi Benef. Tit. de union. revocat. n.* 38. *Garc. p.* 12. *c.* 2. *n.* 309. Unde si Ecclesia, ante unionem, erat curata, vel sine cura, talis etiam manet post revocationem unionis: item si erat sæcularis, vel regularis, manet etiam posteà talis: item si Monasterium unitum erectum sit in Cathedralem, per unionem cum altera, etiam solutâ unione manebit Monasterium, & desinet esse Ecclesia Cathedralis; quia res facilè redit ad primævam suam naturam, *Fagnan. hic n.* 43. *&* 44.

VI. Sed hîc objici potest, vacante Ecclesiâ Episcopali, potest fieri unio Ecclesiarum, *Clement.* 2. *de reb. Eccl. non alienand.* ergo etiam dissolutio, quod negatur in hoc cap. Sed respondetur, neg. conseq. Ratio disparitatis est; quia per unionem neutri Ecclesiæ præjudicium affertur, sicut per dissolutionem, per quam Ecclesia unita reincidit in pristinam paupertatem, quæ per unionem fuerat reparata, vel saltem amittit privilegia digniora, quæ ratione unionis acquisivit; Eccle-

sia

siæ verò alteri, cui unio facta est, affertur præjudicium per dissolutionem; quia minuuntur ejus reditus aucti per unionem, ac proinde non habet hîc locum *reg. jur. 55. in ff. & reg. 1. extra eod.* per quascunque causas res nascitur, per eadem dissolvitur, quia non est eadem ratio in Constitutione unionis, & dissolutione ejusdem, ideóque potest, vacante Sede, unio fieri, non autem dissolvi, *Barb. in Collect. in c. 1. h. t. n. 1.*

VII. Assertio 3. Vacante Sede, sive mortuo Prælato, non tantùm judicium de bonis ac juribus Ecclesiæ inchoari non potest (extra casum magnæ necessitatis) sed neque inchoatum continuari, sive agendo, sive defendendo, potest: nisi defensor Ecclesiæ sit constitutus, ideóque etiam testes, Sede vacante, recipi non possunt, prout sumitur ex c. *Constitutis; 3. & ult. h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Episcopum » Burginensem, & Ecclesiam S. Mariæ de Castro » Forti, Procurator Ecclesiæ petiit ab Episcopo, ipsi » restitui liberratem eligendi liberè Prælatum, & » quasdam terras ac res alias, quibus dictam Eccle» siam spoliatam esse dicebat, prout habetur *in in» tegra lectione hujus cap.* Lite igitur coram Judici» bus Delegatis contestatâ, factæ sunt positiones & » responsiones, ac receptiones testium, ac deinde » causa sic instructa remissa fuit ad Papam Innocen» tium III. Qui pronunciavit, depositiones testium, » quia vacante Ecclesiâ Cathedrali, & carente le» gitimo defensore, sunt receptæ, probandas esse.

VIII. Notandum primò. Sede vacante, judicium, non solùm institui, sed etiam continuari non potest, sive Ecclesia agat, sive conveniatur, sed expectari debet, donec novus Prælatus constituatur, *Abb. hic n. 3.* Excipi debet, nisi testes sint senes, aut valetudinarii, ut propter periculum moræ eorum testimonia recipi debeant, *Jo. Andr. hic n. 2. & Abb. n. 4.* vel quia aliò discessuri, nec reversuri sunt, *arg. c. ult. post princ. Ut lite non contestatâ &c. Laym. cit. disp. de rer. Eccl. alien. Thes. 48.* nam sicut judicium ac sententia lata contra minores indefensos non tenet, *l. acta; 25. in fine ff. de re judic.* ita nec contra Ecclesiam vacantem, & carentem defensore, cùm Ecclesia gaudeat jure minoris, *c. 1. de in integr. restit.*

Notandum secundò. Si quæratur, an judicium, Sede vacante, agitari possit? distinguendum est: vel agitur de bonis ac juribus Ecclesiæ Cathedralis, aut exemptæ, & Romano Pontifici immediatè subjectæ: vel agitur de bonis ac juribus Ecclesiæ inferioris. Si agatur de bonis Ecclesiæ Cathedralis, tum rursùm distinguendum est: nam vel agitur de bonis ac juribus propriis Episcopi, seu Prælati, aut de communibus Prælato & Capitulo: & tunc Capitulum, seu Conventus, etiam de bonis communibus agere non potest in judicio, per Syndicum, vel Procuratorem, vacante Prælaturâ, *Abb. hic n. 5.* Ratio est, quia cùm administratio, & consequenter etiam jus agendi in judicio per se: vel per Syndicum, circa bona & jura communia Ecclesiæ magis ad Prælatum, quàm ad Capitulum, seu Conventum pertineat, ideò dum Prælato seu Pastore Ecclesia destituta est, Capitulum in judicio agere non potest; quia contendere in judicio competeret, qui à lege administrationem habet, Prælatus autem generalem & liberam bonorum Ecclesiæ administrationem obtinet, *Gl. in c. ult. V. Quia Episcopus, in fine caus. 5. q. 3.* Tutius tamen est, imò in causis arduis necessarium, ut consensus etiam Conventûs accedat, *Laym. c. l. Thesi 48.* Vel agitur de bonis propriis Capituli seu Conventûs, iisque divisis, ac separatis à bonis Episcopi, seu Prælati: & tunc Capitulum, Sede vacante, per Syndicum agere potest, ut colligitur ex c. *3. de caus. poss. & propr.* & tradunt omnes. Imò tali casu, si agatur de juribus, aut bonis propriis Capituli, non admittitur Prælatus ad agendum sine mandato, vel nisi caveat de rato, *Laym. c. l.*

Si verò agatur de bonis ac juribus inferioris Ecclesiæ Collegiatæ, aut Conventualis Episcopo subjectæ: tunc Capitulum seu Conventus accedente auctoritate Episcopi, qui immediati Prælati vices subeat, agere poterit in judicio, vel jura Ecclesiæ defendere, præsertim si necessitas id exigat, aut vacatio diu duret, alioquin exspectandum est, donec novus Prælatus constituatur, *arg. c. Ne pro defectu; 41. de Elect.* quia defensio jurium primo loco spectat ad Prælatum Collegii, *Abb. in cit. c. 3. n. 5. in fine h. t. Laym. cit. Thes. 49.* Ubi addit, idem dicendum, si Prælatus in partibus remotis versetur, nec spes sit brevi tempore reversurum, quia in tali casu Ecclesia veluti vacans censetur, *c. 3. de suppl. neglig. Prælat.* Si verò Ecclesia non sit Collegiata, poterit Episcopus agere, & defendere jura Ecclesiæ vacantis, maximè si diu vacet, *Abb. c. l.*

Notandum tertiò. Si cum Capitulo, Sede vacante, nullo constituto Ecclesiæ defensore, extra vel intra judicium, aliquis actus, vel contractus fuerit celebratus: poterit Prælatus postea electus & confirmatus pro arbitrio acta rescindere, vel approbare, *c. Si qua; 42. & c. Precariæ; 44. caus. 12. q. 2. Gl. in c. Edoceri; 21. V. Debeant de rescript. Laym. c. l. Thes. 47.* Excipitur casus magnæ & notoriæ necessitatis, in quo Capitulum, vacante Sede, alienare potest, *Gl. recepta in cit. c. Si quâ; V. Rescisso*, & consequenter in casu gravis necessitatis, potest Capitulum etiam in judicio litigare quia qui alienare potest, is etiam rem in judicium deducere potest, *Gl. in cit. c. Edoceri; V. Debeant. de rescript. Laym c. l.*

§. II.

An Sede vacante Capitulum possit conferre Beneficia?

IX. Assertio 1. Capitulum Cathedrale non succedit Episcopo in collatione Beneficiorum, adeóque non potest Sede vacante conferre Beneficia vacantia, quorum libera collatio ad Episcopum tantùm spectat, prout statuitur in c. *Illa; 2. h. t.* Ubi cùm vacante quadam Ecclesiâ Cathedrali, Capitu- » lum existimans collationem Præbendarum ad se de- » volutam esse, Præbendam vacantem alicui contulis- » set, quam postea Papa alteri contulit, ideóque orta » fuisset controversia inter provisos; consultus Hono- » rius III. respondit, se collationem à se factam confir- » mare (ex certa scilicet scientia, ideóque is, cui collatio facta est, plenum jus consecutus fuit in Beneficio, *Gl. hîc V. Confirmandum*) non obstante priore collatione

» tione alteri factâ à Capitulo : quamvis & ea à Sede
» Apostolica, in forma communi fuerit confirmata.
Quia talis confirmatio non dat valorem actui secun-
dùm se invalido, *Gl. hic V. In forma communi*, & di-
» cta supra *Lib. 2. Tit. 30.* cùm in Jure nusquam cau-
» tum reperiatur, quòd Capitulum, vacante Sede,
» fungatur vice Episcopi, sive is succedat in collatio-
» nibus Præbendatum, sed neque in hoc casu dici
» potest, quòd potestas conferendi Præbendas ad Ca-
» pitulum devoluta fuerit, ob negligentiam Superio-
» ris in conferendo, cùm nullus tunc ibi fuerit Supe-
» rior seu Prælatus, qui eas de jure vel de facto con-
» ferre posset. Ratio decisionis est, quia collatio li-
bera Beneficiorum est gratia & donatio quædam, *c. ult. de offic. Vicar. in 6.* potest enim Episcopus in col-
latione exercere liberalitatem, cui vult, dando Bene-
ficium, dummodò idoneo: donare autem & fructus
distrahere (inter quos etiam computatur collatio, quæ
est quidam veluti fructus juris conferendi) Capitu-
lum non potest, sed fructus & jura Episcopatûs de-
bent, vacante Sede, fideliter custodiri, & Successo-
ri reservari, *c. Cùm vos 4. de offic. jud. ordin. c. Si qua* 42. *caus. 12. q. 2.* ideò cùm per talem liberam col-
lationem fiat præjudicium Episcopo Successori, non
potest Capitulum, vacante Sede, conferre Beneficia
ad Episcopi collationem spectantia, *Garc. p. 5. de Bene-
fic. c. 7. n. 69.*

X. Idque extenditur primò. Quòd Capitulum
non succedat Episcopo, Sede vacante, in potestate
eligendi, vel præsentandi, quæ propriè ad Episco-
pum spectat, *Garc. c. l. n. 52.* quia electio & præsen-
tatio est species quædam donationis seu dationis gra-
tuitæ; cùm fiat ei, qui jus non habet vel dignitatem,
vel Beneficium, ad quod eligitur vel præsentatur. Ex-
tenditur secundò. Quòd Capitulum, Sede vacante,
non possit etiam conferre Beneficia, quorum colla-
tio ad Episcopum spectat jure devoluto, propter ne-
gligentiam aut delictum inferioris Collatoris, ut do-
cet *Abb. in c. Cùm olim; 14. n. 2. de majorit. & obed.*
(Etsi in *c. 2. h. t. n. 3.* oppositum dicat, sibi ipsi con-
trarius) *Garc. c. l. n. 53. Laym. de Elect. Pr l. Ec-
cles. q. 102.* Ratio est eadem, quia collatio Benefi-
ciorum liberorum, quæ ad Sedem Apostolicam de-
voluta sunt, propter negligentiam inferiorum Colla-
torum, non minùs, quàm propriorum Beneficio-
rum, est donatio quædam, *c. ult. de offic. Vicar. in 6.*
& c. Licèt 3. de suppl. neglig. Prælat. ipsáque ea, tum
devolutio, tum collatio inter fructus Episcopatûs re-
censetur, qui Successori reservari debent, ut suprà
dictum. Idque confirmatur ex *cit. c. 2. h. t.* quan-
do dicitur, quòd Capitulum, Sede vacante, non
possit conferre Beneficia, nisi in casibus, in quibus
jure reperitur id ei concessum: cùm ergo versemur in
materia prohibitoria, hoc ipso, quòd aliquid non re-
peritur concessum, intelligitur esse prohibitum, *Gl.
in cit. c. 2. V. Cùm nusquam; h. t.* Sed neque propter
negligentiam Prælati in conferendo, devolvi potest
jus conferendi ad Capitulum, Sede vacante, cùm enim
tunc nullus sit Prælatus, nulla ejus negligentia esse po-
test, ut habetur in textu, *Gl. fin. ibid.*

XI. Cæterùm etsi Capitulum non succedat Epi-
scopo, Sede vacante, in collatione libera Beneficio-
rum: succedit tamen in provisionibus Beneficiorum,
quæ fiunt per præsentationem instituti, & confirma-
tionem electi, ideóque Beneficia non libera, sed pa-
tronata & electiva Capitulum etiam Sede vacante
conferre potest, *c. 1. de Institut. in 6. & c. Cùm olim;*
*de major. & obed. Abb. in cit. c. 2. n. 6. h. t. Rebuff. in
praxi Tit. de devolut. n. 87. & 88. Garc. c. l. n. 54.
& 55. Laym. cit. q. 102.* & dictum etiam supra *Lib.
1. Tit. 33. sec. 2. §. 3. n. 53.* Rationem discriminis
dant DD. citt. quia libera collatio inter meras gra-
tias ac donationes numeratur, *cit. c. ult. de offic. Vi-
car. in 6.* at verò institutio & confirmatio ex quadam
necessitate & debito justitiæ fiunt, si præsentatus, aut
electus reperiatur idoneus; Capitulum autem exer-
cere debet ea, Sede vacante, quæ sunt necessariò ex-
pedienda, ut colligitur ex *cit. c. Cùm olim.* Ex quo con-
stat Capitulum succedere in confirmatione electi,
quia ea est necessaria & debita, *Garc. c. l. n. 59.* Ne-
que dicas: Si potest Capitulum, Sede vacante, con-
firmare Prælatos non exemptos, quod est plus, ergo
etiam conferre potest Beneficia libera, quod est mi-
nus: nam confirmare non est plus, quàm conferre,
tum quia, qui liberè confert, donat, non item qui
confirmat, *Gl. in c. 1. V. Non possit. de Institut.* Tum
quia electus habet jus, ante confirmationem, non
item is, cui confertur Beneficium, ante factam col-
lationem, *Rebuff. c. l. n. 89.* Tum denique quia con-
firmatio est necessitatis, quia est debita velut ex justi-
tia electo, cui jam est jus quæsitum per electionem:
collatio verò est voluntatis, & sapit gratiam. At Ca-
pitulum succedit, Sede vacante, Episcopo in juris-
dictione necessaria tantùm; quia est Administrator
necessarius, & non voluntarius, *Gl. Communiter rece-
pta in Clem. 1. V. Capituli de hæretic.* nec succedit in
his, quæ sapiunt gratiam, *Gl. in c. 1. V. Præsenta-
tos de Institut. in 6. Fagnan. in cit. c. 2. h. t. num. 12.*
& 13.

Et hinc etiam Capitulum, Sede vacante, etsi
non possit libera Beneficia, ad Episcopi collationem
spectantia conferre: potest tamen ea commendare
ad sex menses, & si interea Episcopus non eligatur,
vel confirmetur, tempus hoc prorogare; quia hoc ad
ordinariam: quin & necessariam jurisdictionem, &
Ecclesiæ gubernationem pertinet, ut in Beneficiis
vacantibus interim, dum Beneficiatus instituatur,
Administrator constituatur, sive cura eorum alte-
ri commendetur: Capitulum autem regulariter suc-
cedit in omnibus Episcopo, quæ sunt jurisdictionis
necessariæ, *Abb. in cit. c. 2. n. 4. h. t. Rebuff. c. l. n. 73.*
& 2. seqq. Laym. cit. q. 102. Imò universim loquen-
do, qui habet Custodiam Ecclesiæ, vel Beneficii va-
cantis, potest Administratorem constituere, qui il-
lud gubernet, ut tradit *Abb. c. l.* Quod extendi etiam
potest ad potestatem sæcularem, ut si jus Quardiæ
seu Custodiæ, alicui v. g. Regi, vel Principi tanquam
Advocato competit, ad custodiendam Ecclesiam, vel
Monasterium, *juxta c. Generali; 13. de Elect.* possitin
eo, præsertim cùm vacat, Administratorem in tempo-
ralibus ponere.

XII. Assertio 2. Si collatio Præbendarum si- »
ve Beneficiorum ad Episcopum & Capitulum com- »
muniter pertineat, mortuo Episcopo (idémq; est, si »
quocunq; alio modo vacat Sedes, renunciatione, de- »
positione &c.) vel à Beneficiorum collatione suspen- »
so, potest Capitulum ea conferre: etiamsi collatio »
pertineat ad Episcopum, ut ad Prælatum, & non »
tit ad

» ut ad Canonicum. Similiter potest Episcopus » conferre Beneficia ad collationem ipsius Capitu- » li pertinentia, si Capitulum à collatione Benefi- » ciorum sit suspensum, vel singulariter omnes de » Capitulo fuerint majore excommunicatione li- » gati, prout statuitur *in c. Si ad Episcopum; unic. in princ. h. t. in 6. junct. Gl. V. Mortuo, & V. Singulariter.* Ratio est, quia Episcopus, & Capitulum sunt unum corpus, quoad illa, quæ eis simul, & communiter sunt facienda, & ideo uno illorum facto inhabili ad conferendum, devolvitur jus conferendi ad alterum, *Gl. hìc V. Etiam in addit. Franc. ibid. in princ.*

XIII. Ubi Notandum primò. Sicut mortuus naturaliter non potest conferre Beneficia, ita nec mortuus civiliter; quia v. g. suspensus, vel excommunicatus est, & sic mors naturalis æquiparatur civili, quoad collationes Beneficiorum, *Franc. hìc num. 2.* Secundò, non tantùm si ad Episcopum, ut ad Prælatum, simul cum Capitulo pertineat collatio Beneficiorum: sed multò magis si pertineat tanquam ad Canonicum, eo mortuo conferet Capitulum, *Franc. hìc num. 3.* Tertiò, etsi Capitulum possit suspendi, non tamen totum Capitulum, velut Collegium, seu Universitas, potest excommunicari, *c. Romana 5. de sent. excommun. in 6.* Possunt tamen singulariter omnes de Capitulo excommunicari, & requiritur, ut omnes, & singuli sint excommunicati; nam si vel unus esset, qui non esset singulariter excommunicatus, Episcopus sine illo non posset conferre Beneficia; quia jus Capituli, si omnes cæteri Capitulares fiant inhabiles, remanet etiam in uno solo, *Franc. hìc n. 3.* Id autem intelligendum est de ligatis majore excommunicatione, nam minore irretiti conferre possunt, vel eligere, *c. ult. de Cleric. excommun. Gl. hìc V. Majoris.*

» XIV. Assertio 3. Si collatio Beneficiorum » spectet ad solum Episcopum, ita tamen, ut ea con- » ferre debeat cum consilio, vel consensu Capitu- » li: tunc defuncto, vel suspenso Episcopo (gene- raliter, sive à collatione Beneficiorum, sive etiam » ab officio) Capitulum illa conferre non potest, ni- » si Episcopus in petenda relaxatione suspensionis » in culpabili mora fuerit, prout statuitur *in cit. c. unic. §. Cùm verò; h. t. in 6.* Ratio est, quia etsi Episcopus, seu Prælatus conferre debeat Beneficia, cum consilio, vel consensu Capituli, adhuc collatio censetur spectare ad ipsum Episcopum solum: nam etiam in his, quæ Prælatus agere debet cum consilio vel consensu Capituli sui, administratio & gubernatio ad solum Prælatum pertinet: licèt consensus, vel consilium Capituli, tanquam conditio requiratur, adeóque Capitulum in his se intromittere non potest, *Franc. in cit. §. Cùm verò; num. 4.* Ratio exceptionis est, quia si Episcopus suspensus relaxationem petere intermittat, ex eo tempore censetur negligens esse in conferendo, adeóque post elapsos sex menses ad Capitulum potestas conferendi Beneficia devolvitur, juxta *c. Quia; 5. de concess. preb.* Quod potest Episcopi negligentiam in conferendo supplere, licèt ejus defectum, seu inhabilitatem ad conferendum, ut quia suspensus est, supplere non possit, *ut patet ex cit. §. Cùm verò; Gl. ibid. V. In mora, & Franc. n. 4. in Gl.*

Id autem intelligi debet de Beneficijs, quæ pertinent ad collationem Episcopi jure proprio, etsi cum consilio, vel consensu Capituli: nam si ex jure ad eum devoluto ad ipsum pertineant, quia scilicet inferiores Collatores negligentes fuerunt in conferendo, tunc non ad Capitulum: sed ad proximum Superiorem Episcopi, videlicet ad Archiepiscopum, vel ad Papam, devolvitur talis potestas, *arg. c. Ne pro defectu; 41. de Elect. & dictum Tit. præced.* Ratio diversitatis est, quia major est communicatio inter Episcopum, & Capitulum in his, quæ pertinent ad Episcopum jure proprio, quàm quæ jure devoluto, aut aliunde obveniunt, *Franc. hìc in cit. §. Cùm verò; num. 3.*

XV. Præterea *in tit c. unic. §. Ubi verò; h. t. in 6.* statuitur, ut si ex speciali alicujus Ecclesiæ » consuetudine, vel statuto collatio Beneficiorum » ad aliquem pertineat, ita tamen, ut non debeat ab » eo fieri, nisi cum consilio Episcopi, isque mortuus » sit, vel in loco remoto versetur, ita, ut consilium » ejus intra breve tempus peti non possit: non erit » propterea collatio Beneficiorum vacantium diffe- » renda: idque propter periculum, quod in petendo, » vel exspectando consilio Episcopi, vacanti Benefi- » cio imminere posset. Ratio est, quia periculum » vacationi imminens immutat jus, quod aliàs servandum esset, & difficultas præstationis reddit obligationem inutilem, *Gl. fin. hìc.*

Hinc infertur, si quis aliquid agere debeat, cum consilio alterius ex obligatione legis, seu statuti, vel consuetudinis, tunc etiam, non requisito consilio agere potest, si illud requiri non possit, & periculum sit in mora, prout sumitur *ex hoc c. Ancharn. ibid. not. 8.* Idque procedit, non solùm si mandatum sit à lege, vel statuto: sed etiam si ab homine sub ea forma datum sit, ut quippiam agatur, cum consilio alterius, v. g. si Episcopus mandet alicui Clerico, ut Beneficium conferat, cum consilio alicujus Prælati, quod tamen non debeat necessariò sequi: nam si consilium illud requiri non possit, quia Prælatus ille decessit, vel longè abest, vel si consultus, tempore competente responsum non det, & periculum in mora sit, sive negotium expeditionem postulet, valida est collatio etiam sine consilio Prælati facta, nisi appareat aliam fuisse mentem mandantis, ut docet *Abb. in c. Cùm in veteri; 52. num. 13. de Elect. Laym. ibid. num. 7. licèt Franc. in cit. c. unic. §. Ubi verò n. 3. limitat. 3.* contrarium teneat, quoad mandatum hominis; quia potestas data ab homine, sive mandatum hominis magis stricti juris esse censetur, quàm mandatum datum à lege. Aliud verò dicendum est, si mandetur, sive à lege, sive ab homine aliquid fieri, v. g. collatio Beneficij, cum consensu alterius, tum enim actus, sive collatio irrita erit, si consensus requiri, seu peti non potuit, quia v. g. is, cujus consensus requirendus erat, mortuus fuerat, aut impeditus, quò minùs eum daret; quia potestas conferendi tradita est Executori sub certa forma, quam transgredi non potest, & sub conditione, quâ non existente, cessat ipsius potestas, ut tradit *Gl. in c. Si pro te; 13. V. assensus de rescript. in 6. & ibidem Laym. num. 2. Franc. c. l. num. 3. limit. 4.* idque colligitur *ex cit. c. unic. §. fin. h. t.* Nam licèt in præce-

dente, §. *Cùm verò*; mentio facta sit de consilio, vel assensu Capituli, in sequente tamen, §. *fin.* de solo consilio fit mentio, omisso assensu, videlicet quòd si alicui conferri debeat præbenda, cum consilio alterius, & hoc requiri non possit, nihilominùs conferri possit: ergo aliud dicendum, si requiratur assensus alterius: alioquin Papa si idem voluisset statuere de consensu, quod de consilio, etiam de illo expressisset, ac dixisset, quòd etiamsi consensus non sit petitus, quia peti non potuit, Beneficium conferri possit. Ratio diversitatis est, quia actus non ita necessariò pendet à consilio personæ, quod aliquis requirere tenetur, sicuti pendet à consensu, quandoquidem, si consilium alicujus requirendum sit, non ideo, ordinariè loquendo, persona illud sequi debet *Gl. in cit. c. Si pro te*; *V. Assensus*, *& Laym. ibid. n. 2.*

Cæterùm quam potestatem habeat Capitulum, Sede vacante, & in quibus præterea succedat Episcopo, vel non, dictum est *Lib. 1. Tit. 33. Sec. 2. §. 2. & 3. & tradit Barb. in Collect. c. 2. h. t. num. 3. & seqq.*

XVI. Restant duæ Extravagantes Constitutiones, quarum prior est *Extravag. si Fratrum unic. Joannis* XXII. *h. t.* in qua habetur, quod vacante Sede Imperiali, jurisdictio, seu administratio Imperij devolvitur ad Papam, quæ tamen, vel nunquam usu est recepta, vel jam antiquata. Posterior est *Extravag. Suscepti unic. h. t.* quæ extat inter Communes, in qua deciditur, ad quos pertineant Ecclesiarum, & Beneficiorum vacantium fructus primi anni, vel secundi, vel tertij, aut sequentium annorum, qui in solutione decimæ taxari solent, & quomodo ij dividendi sint. Verùm ea quoque Constitutio usum non habet in his partibus, & propriè ad hunc Titulum non spectat, ideóque illam quoque prætermimus.

TITVLVS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS, SINE CONSENSV CAPITVLI.

Dictum est Titulo præcedente de potestate Capituli, quam habet Sede vacante circa jura Episcopalia: sed quia dubitari poterat, an Sede non vacante, Episcopus, vel alius Prælatus disponere possit de rebus Ecclesiæ sine Capitulo, ideo hoc Titulo explicatur, an: & quatenus in administratione dependeat à Capitulo.

§. I.

Ad quos actus Episcopi, vel alterius Prælati requiratur consensus Capituli, & qualis?

I.

ASSERTIO 1. Ad alienationem rei Ecclesiasticæ, quæ immobilis est, aut mobilis pretiosa, & servando servari potest, requiritur, præter consensum Prælati, etiam consensus Capituli, seu Conventûs, alioquin irrita est alienatio, prout habetur *in c. Sine exceptione*; *§ 2. caus. 12. q. 2. & in c. Irrita*; 1. » *h. t.* ubi statuitur, quòd donatio, venditio, aut » permutatio rei Ecclesiasticæ ab Episcopo facta sit » irrita, absque collaudatione, id est, approbatio» ne, & subscriptione Capituli, seu Clericorum. Ratio est, quia alienatio rerum Ecclesiasticarum facilè potest cedere in grave præjudicium Ecclesiæ, ideóque potestas alienandi Prælatis olim in solidum concessa, quâ fortassis abutebantur, restricta fuit: ut nonnisi cum consensu Capituli fieri possit, nam etsi olim petebatur consilium Capituli, illud tamen non erat decisivum: sed consultivum tantùm, *Suar. Tom. 4. de Relig. l. 2. c. 27. n. 9.* Porrò si Episcopus Capitulum non habeat, propter bellum, vel ex alia causa, debet loco Canonicorum convocare alios Clericos, *arg. c. Si fortè*; *ult. dist. 65.* réque cum illis tractatâ, accedente eorum consensu, res Ecclesiæ alienare, si ita expedire visum fuerit, *Abb. hîc num. 7.* ubi ait, utiliter id observari etiam in alienatione faciendâ à Prælato inferioris Ecclesiæ, *Molin. tract. 2. de justit. disp. 468. n. 6. in fine.*

II. Ubi præterea Notandum primò. Ad alienationm rei Ecclesiasticæ, quæ fit nomine Ecclesiæ, & in perpetuum, vel ad longum tempus, videlicet per locationem, vel similem concessionem, per quam dominium utile transfertur, non sufficit consensus Capituli tacitus, seu præsumptus, videlicet, quòd fiat, sciente, & tacente Capitulo: sed requiritur expressus, *Abb. hîc n. 1. Gl. in c. 2. V. Contradicente*; *h. t. & Gl. in c. 1. V. Perpetuis*; *de reb. Eccles. non alien. in 6.* Idque sumitur etiam *ex hoc c. 1.* ubi requiritur collaudatio, id est, approbatio, & consensus expressus Capituli, ad alienationem rei Ecclesiasticæ. At verò ad locationem, vel concessionem, quæ fit ad tempus breve, videlicet infra decennium, non requiritur consensus expressus Capituli, sed sufficit præsumptus, & ejus

ejus scientia ac patientia, *arg. c. 2. h. t. Abbas ibid. n. 6. Laym. in disp. Canon. de rer. Eccles. alien. c. 2. num. 22.*

Notandum secundò. Consensus requisitus ad alienationem rei Ecclesiasticæ debet fieri à Capitulo legitimè congregato, id enim significat vox *Capituli*, juxta *c. Tertio loco 35. de probat.* quia singuli Canonici seorsim sumpti, sive singulares ac separati non faciunt Capitulum, *arg. c. unic. in princ Ne Sede vacante, &c. in 6.* neque singulorum consensus aut decretum est Capituli consensus aut decretum, *Laym. in cit. disp. Thes. 15.* Non autem requiritur, ut omnes de Capitulo consentiant, sed sufficit, si major pars Capituli congregati, sive Capitularium, qui tunc præsentes sunt, consentiat, *c. Ea 6. h. t. c. 1. de his, quæ fiunt à majore, &c. Molin. cit. disp. n. 6.* Neque requiritur consensus absentium: sed sufficit, si major pars præsentium consentiat, *Abbas in cit. c. 1. num. 5. h. t. Molin. c. l. de quo plura Tit. seq.*

Notandum tertiò. Non sufficit tamen, si major pars Capituli consentiat, nisi etiam sit sanior, juxta *c. Ea noscitur 6. h. t.* ac proinde etiamsi major pars consensum præbeat, nihilominùs minor pars sanior se opponere potest, ostendendo alienationem necessariam non esse, neque utilem Ecclesiæ, sed potiùs inde damnum ei profecturum, juxta *c. 1. Tit. seq.* & ideo rectè etiam legitur in Textu *cit. c. Ea noscitur*; disjunctivè, *majoris, vel sanioris partis*; quia tametsi major pars Capituli alienationi dissentiat, & repugnet: potest tamen altera pars, etsi minor, ostendere alienandi necessitatem, vel utilitatem, & ita contra majorem partem, saltem ad Superiorem provocando, obtinere, *Gl. in cit. c. Ea noscitur; V. Majoris, h. t. Laym. c. l. n. 17.*

III. Notandum quartò. Etsi totum Capitulum in alienationem consentiat, si tamen Prælatus dissentiat, non potest fieri alienatio rei Ecclesiasticæ, ut ex communi, DD. docet *Suar. cit. c. 27. num. 10.* quia utriùsque simul, Prælati scilicet, & Capituli, consensus est necessarius: nam Prælatus non privatur suâ potestate disponendi de rebus Ecclesiasticis: sed solùm ea limitatur, ut non possit illam exercere, sine consensu Capituli, ac proinde semper requiritur, ut in alienatione interveniat auctoritas ac potestas Prælati, quod fieri non potest, sine consensu ejusdem.

Notandum quintò. Quando agitur de alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam Cathedralem, requiritur consensus Canonicorum Capitularium, non item aliorum Clericorum, qui non sunt Canonici Capitulares, etsi sint Beneficiati in eadem Ecclesia. Si verò agatur de alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam inferiorem, tunc requiritur consensus Clericorum illius Ecclesiæ, cujus res alienatur, *Abb. in cit. c. 1. n. 5. h. t.* An autem hoc casu requiratur consensus, vel saltem consilium Capituli Ecclesiæ Cathedralis, infrà dicetur *Tit. 13.*

Notandum sextò. Præter consensum, spectato Jure communi Canonico, insuper requiritur etiam subscriptio Capituli, seu Conventûs ad alienationem rei Ecclesiasticæ, alioquin ea irrita est, *cit. c. 1. & c. Tua 8. h. t.* Ubi similiter dicitur, quòd irrita sit Episcoporum donatio, venditio & commutatio rei Ecclesiasticæ, absque conniventia, sive consensu, & subscriptione Clericorum.

Quare iste est unus casus specialis, in quo ad valorem contractûs, vel actûs requiritur scriptura & subscriptio: cùm alioquî sit universalis regula negativa, ad substantiam pacti, vel contractûs scripturam non requiri, *l. Pactum 17. C. de pact.* nisi id jure sit expressum; quia regulariter in qualibet conventione, spectato jure naturali, requiritur solùm consensus contrahentium, in quo fundatur, *Abb. in cit. c. 1. num. 4. h. t.* Porrò licèt contractus cum Ecclesia initus in scripturam redigi debeat, id tamen in pluribus locis non observatur, ut manu Capitularium, sive sæcularium, sive regularium, subscriptio fiat: sed satis est, si in instrumento manu Notarij publici scripto, de adhibito Capituli consensu, mentio seu contestatio fiat, vel is manu suâ ei subscribat, *Abb. c. l. Molin. c. l. num. 7. Laym. in cit. dis. Thes. 26.*

IV. Assertio 2. Alienatio rei Ecclesiasticæ » ab Episcopo facta (vel alio Prælato) Capitulo re- » clamante, seu contradicente, non tenet, & à Suc- » cessore servari non debet: nisi Capitulum con- » sensu suo etiam postea, sive ex intervallo præstito, » eam approbet, seu ratam habeat, prout sumitur » *ex c. Cum nos 3. h. t. & ibi Gl. Fermè communiter recepta, V. ratam, Innocent. ibid.* ubi tamen addit, requiri etiam tractatum, cognitâ causâ necessitatis, aut utilitatis, nisi alienatio fiat in rebus modicis. Idem Innocentius *in c. 1. num. 3. de reb. Eccles. non alien. in 6. Laym. in cit. disp. num. 23.* quia ratihabitio subsequens est instar mandati, & retrotrahitur ad tempus præcedentis alienationis, modò per illam utilitas Ecclesiæ procuretur, *Hostiens. hic in princ. V. Concessionem & V. Ratam.*

Similiter in alienationibus, aut transactionibus rerum immobilium nomine Minorum factis, satis est, si decretum, vel auctoritas Judicis postea accedat, vel si consensus Domini requisitus ad alienationem feudi ex post facto superveniat, sive adjiciatur, ut docet *Bart. in l. Si quis 25. §. Jussum; num. 5 ff. de acquirend. hæred.* & expressiùs Baldus *in l. Cùm ipsa 5. num. 5. C. de contrah. empt.* Sed alia ratio est de Tutore, qui pupillo contrahenti consensum, seu auctoritatem statim in ipso negotio, aut incontinenti post, & non ex intervallo (id est, antequam ad alia negotia fiat transitus) præstare, aut interponere debet: alioquin contractus non est validus, *l. Obligari 9. junct. Gl. V. debet, ff. de Auctoritat. Tut. §. Tutor. Instit. eod.* Idque specialiter statutum est, eò quòd pupillus spectato Jure Civili, non censeatur habere consensum in contractibus, nisi per consensum Tutoris veluti informatus sit, *Laym. cit. Thes. 23.* ideóque non potest ratificare contractum pupilli, in quo debuit auctoritatem suam præstare, nisi paulò pòst: Capitulum verò non præstat auctoritatem alienationi rei Ecclesiasticæ, sed tantùm consensum: ideóque etiam ex intervallo eum præstare potest, *Gl. margin. in cit. c. Cùm nos lit. C. h. t.* Porrò quod dictum est, auctoritatem, seu consensum Tutoris debere statim inter-

interponi: id intelligi debet, in ordine ad obligandum pupillum, seu firmandum contractum, ex parte ipsius pupilli: At verò ad obligandum alterum contrahentem voluntas, seu consensus Tutoris etiam posteà accedere potest, juxta *l. Julianus* 13. §. *Si quis à pupillo*; *ff. de actionib. empt.* Ideóque contractus interim ex una tantùm parte subsistere, ac veluti claudicare dicitur; quia obligat alterum contrahentem, non item pupillum, donec Tutor consensum adjiciat, idque favore pupillaris ætatis *Gl. in cit.* §. *V. Obligat*; *Laym. c. l.* Pari ratione contractum initum cum Capitulo, Sede vacante, potest Successor, sive novus Episcopus consensu suo ratificare, *juxta c. Si qua*; 42. *caus.* 12. *q.* 2. adeóque contractus etiam ex altera parte claudicat: idque statutum est in favorem Ecclesiæ, quod enim in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *Reg. Iur.* 61. *in 6.*

V. An autem, quando alienatio facta est â Prælato sine consensu Capituli, si is posteà unâ cum tractatu superveniat, ipsa alienatio censeatur ab initio valida fuisse: an verò solùm ex eo tempore, quo præstitus est consensus Capituli? controvertitur inter Dd. Affirmat posterius *Abbas in cit. c. Cùm nos*; *n.* 5. *h. t. Quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. reg.* 18. *in 6.* & consentit *reg.* 29. *in ff. Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere.* Eáque doctrina vera est, si alienatio facta sine extrinsecis juris solemnitatibus, sit omni jure etiam naturali, & in foro conscientiæ irrita, ita, ut per illam dominium non transferatur, ut docet *Suar. Tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 27. *n.* 20. quia impossibile est actum, qui ab initio fuit omni jure irritus, posteà ita convalescere, ut ab initio semper valuerit, nisi fortè secundùm Juris fictionem. Verùm quia contraria sententia valde probabilis est, videlicet quòd si intervenerint ea, quæ ad substantiam alienationis factæ requiruntur, nimirum mutuus consensus, & vera causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, nullâque fraus commissa, neque Laico facta sit, spectato Jure naturali, valeat talis alienatio, ita, ut tutâ conscientiâ retinere rem possit is, cui alienatio facta est, donec Beneficio Juris Civilis, vel per sententiam Judicis ea rescindatur: licèt propter omissam solennitatem illa spectato jure positivo non subsistat, ut docet *Navarr. Tom.* 1. *in Comment. de alienat. rer. Eccl. n.* 17. *& in Commentar. de Spoliis Cleric.* §. 2. *n.* 6. *Silvest. V. Alienatio*; *n.* 12. *&* 13. ubi ait, id generatim procedere in omni actu, in quo servatum est jus naturale, licèt prætermissa sit solemnitas juris positivi: cùm enim hoc jure hujusmodi solemnitates extrinsecæ inductæ sint, ob vitanda scandala, & fraudes, si hæc absint, & interveniat verus consensus, validus est actus, spectato jure naturali, & in foro conscientiæ: adeóque per supervenientem postea solemnitatem jure positivo requisitam, ita actus omnimodè confirmari potest, perinde ac si ab initio etiam jure positivo valuisset, *arg. l. unic. C. de contract. Judic. Laym. in cit. dis. n.* 24. Nam tunc actus non confirmatur per solum tractum temporis, sed per supervenientem consensum, seu voluntatem expressam, vel tacitam, ut tradit *Gl. magn. in cit. reg.* 29. *in ff.* vel per solemnitatem omissam, v. g. consensum Capituli, qui spectato solo jure naturali non pertinet ad substantiam alienationis rei Ecclesiasticæ. Videri possunt, quæ dicta sunt *Lib.* 1. *Tit.* 35. §. 2. *n.* 12.

VI. Assertio 3. Si jus præsentandi ad Beneficium pertineat simul ad Prælatum, & Capitulum, seu Conventum, tum debet Prælatus præsentare, cum consensu majoris, & sanioris partis Capituli: alioqui præsentatio non valet, neque institutio exinde consequens: nisi ex consuetudine, vel privilegio soli Prælato jus præsentandi competere probetur, prout statuitur *in c. Ea noscitur*; 6. *h. t.* Ubi cùm in quadam Provincia jus præsentandi ad Ecclesias Parochiales pertineret ad Collegia Regularium, eorum Abbates per se, vel per missas litteras, personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentârunt: sed Monachi, vel antequam eæ præsentatæ, & receptæ erant: vel posteà, præsentationi contradixerunt. Ad hoc respondet Cœlestinus III. præsentationes factas à Prælatis hoc casu non valere, nisi fiant cum consensu Collegiorum suorum. Quare si constiterit, consensum Conventûs, vel majoris, & sanioris partis illius non interveniisse, institutiones hujusmodi rescindendas esse (cùm non sint factæ secundùm jus: sed contemptis ijs, quorum consensus requiri debet, *Gl. hîc V. Evacuari*) nisi ex antiqua, & approbata consuetudine, vel per privilegium concessâ libertate, Abbates probaverint, in collationibus Ecclesiarum, aut Beneficiorum non debere requiri consensum Conventûs. Idémque pari ratione dicendum, si collatio Beneficiorum simul spectet ad Prælatum, & Capitulum, *arg. c. unic. Ne Sede vacante, &c. in 6.*

VII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Potest aliquis etiam per litteras, vel Procuratorem absens præsentare Clericum ad Beneficium: modò is, qui præsentetur, personaliter sit præsens, ut videri, & cognosci possit ab eo, cui fit præsentatio, nisi illi anteà satis notus sit, prout sumitur *ex hoc c. & ibi Gl. V. Per litteras, & Abb. nu.* 3. *Barb. in Collect. hîc n.* 3.

Notandum secundò. Si præsentatio Clericorum spectet ad Prælatum, & ad Collegium, non potest Prælatus sine Capituli, seu Conventûs consensu præsentare. Sufficit autem hoc casu tacitus consensus Capituli, seu Conventûs; quia nimirum scit præsentationem, aut collationem à Prælato fieri, & non contradicit, cùm tamen possit actum impedire, aut se opponere, *Gl. hîc V. Contradicunt*; *& Abb. n.* 8. nam in alienationibus non perpetuis, & quæ modici præjudicij sunt, sufficit tacitus consensus Capituli, ut docent communiter Dd. *in c.* 2. *h. t.* Idque verum est, si præsentatio, vel collatio spectet ad solum Prælatum, etsi dependenter à consensu Capituli, seu Conventûs, tunc enim sufficit, si Capitulum tacitè consentiat. Secùs verò est, si præsentatio, vel collatio comuniter pertineat ad Prælatum, & Capitulum, seu Conventum, juxta *c. unic. Ne Sede vacante, &c. in 6.* tunc enim tacitus consensus non sufficit; quia in hujusmodi actibus legitimis, quales sunt præsentatio, collatio, electio, &c. qui verbis, aut scripto declarari, aut expediri debent, tacitus consensus non supplet defectum consensûs expressi. *Silvest. in summ. V. Consensus*; *q.* 1. consentit *Abb. hîc in fine*, ubi ait: ubi requiritur consensus expressus, nunquam præsumitur

mitur pro consensu; quia est solemnitas extrinseca, quæ non præsumitur, sed probari debet.

Notandum tertiò. Potest Episcopus, vel alius Prælatus per consuetudinem legitimè præscriptam acquirere, ut illa negotia, quæ secundùm jura cum consensu, vel consilio fieri debent, ipse solus expediat, ut habetur *in fine hujus cap. & c. ult. de consuetud. de quo dictum supr. Lib. 1. Sec. 2. n. 76.*

VIII. Assertio 4. Episcopus non potest sine consensu Capituli concedere, seu unire in perpetuum Ecclesias alijs Ecclesiis, etiamsi habeat jus Patronatûs in Ecclesiis concessis, prout statuitur *in c. Tua nuper; 8. h. t.* Ubi quæsitum fuit ex Innocentio III. utrùm Episcopus, seu electus (nam Episcopus, etsi electus, & confirmatus, antequam consecratus sit, non vocatur absolutè Episcopus, sed cum addito, electus Episcopus, uti sumitur *ex hoc c. & notat Abb. hîc nu. 2.*) cum consensu solius Archidiaconi, sine Capituli Cathedralis assensu, possit vacantem Ecclesiam Baptismalem, seu Parochialem alicui Monasterio, vel Ecclesiæ Conventuali, ad quam in ea Parochia jus Patronatûs pertinet, perpetuò conferre, sive donare & incorporare? Respondet Papa ex decreto Leonis I. (*in c. Sine exceptione, 25 caus. 12. q. 2.*) Quòd nullus Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam donare, vel permutare, vel vendere audeat: nisi fortè horum aliquid faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quòd non sit dubium Ecclesiæ profuturum: irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio erit (nisi fortè sit res, quæ servando servari non potest, *Gl. hîc V. Vendere*) absque conniventia, seu consensu, & subscriptione Clericorum: concessiones autem (seu uniones) Ecclesiarum perpetuas non est dubium, ad alienationes pertinere. Ratio decisionis patet ex Textu; quia cùm ejusmodi perpetua collatio, donatio, & incorporatio Parochiæ facta Monasterio, vel alteri Ecclesiæ, sit quædam alienatio, ideo sine requisitis ordinariis solennitatibus juris, fieri non potest. Porrò illa hoc loco dicitur esse perpetua collatio, seu donatio, aut unio, quæ fit Ecclesiæ, & non personæ; quia Ecclesia non moritur: quamvis aliàs etiam quandoque dicatur perpetua concessio, vel donatio, quæ fit personæ, sine temporis præfinitione, ad vitam ipsius, ut notat *Gl. fin. hîc.* Censetur autem talis concessio, sive donatio, aut unio facta in perpetuum alteri Ecclesiæ, esse species quædam alienationis; quia Ecclesia collata, aut unita non habet ampliùs propriumRectorem, sed alteri subjicitur, & quasi capite diminuitur, & à jure suo ac statu alienatur, ideóque ad illam requiruntur solemnitates, quæ jure adhiberi debent in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, *Abb. hîc num. 4.*

IX. Assertio 5. Episcopus non potest, sine auctoritate Papæ, vel saltem, sine consensu Capituli conferre alicui Monasterio Ecclesias parochiales, vel obventiones, seu fructus ipsarum, etiam cum consensu Patroni, prout decernitur *in c. Pastoralis, 9. h. t.* Ubi quæsitum fuit ex Innocentio III. cùm ex decreto Dionysij Papæ (quod refertur *in Can. Ecclesias 1. caus. 13. q. 1.*) Parochiæ fuerint divisæ, ita, ut singularum proventus in usus cujusque Ecclesiæ necessarios cederent, & in stipendia Ministrorum: utrùm Episcopo liceat, sine auctoritate S. Pontificis, vel saltem sine Capituli sui consensu, Religiosis conferre alicujus Ecclesiæ Parochialis obventiones, id est, fructus, seu reditus, sustentatione sufficienti, & necessariâ Vicarij retervatâ. Prætereà cùm in Concilio Lereranensi sub Alexandro III. c. 7. (quod extat *in c. Prohibemus, 7. infrà de censib.*) prohibitum sit, ne Ecclesiis novæ pensiones imponantur, nec veteres augeantur, an Episcopus possit Religiosis, consentiente Patrono, totam Ecclesiam Parochialem, vel aliquam portionem ejusdem de novo conferre in proprietatem? Ad hæc respondet Papa, quòd neque primum, neque secundum facere possit Episcopus, sine Capituli sui consensu, nisi Romanus Pontifex ei licentiam concedat: salvâ tamen manente Constitutione Canonicâ (quæ habetur *in c. Bonæ rei; 74. caus. 12. q. 2.*) quòd quinquagesimam partem redituum Episcopus locis piis dare, vel ad causas pias applicare possit. Ratio decisionis est, quia talis collatio Parochiarum, vel proventuum ipsarum, est quædam perpetua alienatio, ideóque fieri non potest ab Episcopo sine consensu Capituli, *c. Ea noscitur; 6. h. t.* nec quidem cum consensu Patroni; quia Patronus non potest statum Ecclesiæ mutare, neque res Ecclesiæ, cujus est Patronus, alienare.

X. Ubi Notandum primò. Ex eo, quod hîc dicitur, Episcopum non posse Ecclesiam Parochialem dare Religiosis, nec novam pensionem imponere, aut veterem augere assignandam pijs, seu religiosis locis, præter voluntatem, seu consensum Capituli: videtur per contrarium sensum inferri, quòd cum consensu Capituli id facere possit, cùm tamen hoc sit contra prohibitionem Generalis Concilij Lateranensis *in c. Prohibemus; 7. de censib.* in quo Episcopus dispensare non potest. Verùm Papa hîc non dicit hoc affirmativè, quòd id possit Episcopus cum consensu Capituli, sed solùm negativè, quòd id non possit, præter voluntatem, seu consensum Capituli: ex quo non licet arguere à sensu contrario, ergo cum consensu Capituli hoc potest; quia argumentum à sensu contrario non valet, quando contrarium reperitur in jure expressum, prout est expressum hoc casu *in cit. c. Prohibemus; & notat Fagnan. hîc n. 4.*

Notandum secundò: Ecclesia Parochialis habet fundatam intentionem de Jure communi super omnibus spiritualibus reditibus intra limites ejusdem, ut colligitur *ex hoc c. ibi: singularum Parochiarum proventus. Abb. hîc not. 2.* Ex quo infert, quòd obventiones, seu oblationes, quæ fiunt intra fines Parochiæ, v. g. in Capella aliqua sita intra illam, pertineant non ad Capellam: sed ad Ecclesiam Parochialem, de quo commodiùs agetur *infrà Tit. 30.* ubi agitur de oblationibus.

Notandum tertiò. Episcopus, cum consensu Capituli olim poterat Ecclesiæ, quæ abundantes reditus habet, imponere novam pensionem, vel veterem augere, ut alteri Ecclesiæ pauperi, vel Beneficiariis indigentibus succurratur, ut colligitur *ex cit. c. Pastoralis; h. t. & ibid.* docet *Abb. n. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.* dummodò tali Ecclesiæ per impositionem hujusmodi pensionis non subtrahantur reditus necessarij ad ejus Fabricam, & sustentatio-

nem Ministrorum, non enim oportet discooperire unum Altare, ut aliud cooperiatur. Idque adhuc hodie fieri solet ab Episcopis ex justa causa, vacante Beneficio, & saltem quamdiu necessitas durat, *Laym. in cit. dis. Canon. de reb. Eccles. non alien. Thes. 4. in fine.*

Notandum quartò. Episcopus potest quinquagesimam partem redituum Ecclesiæ pijs locis assignare: non obstante juramento de non alienandis rebus Ecclesiæ, & quidem etiam sine consensu Capituli, ut colligitur *ex hoc cap.* Ubi cùm Pontifex generaliter dixisset, quòd Episcopus non possit Ecclesiam Parochialem, vel portionem redituum ejusdem dare pijs locis, sine consensu Capituli: excipit deinde hanc quinquagesimam partem. Ex quo apparet, quòd ea dari possit cum consensu Capituli, ut tradit *hic Gl. In notatis, & V. Salvâ Constitutione*: Verùm de hoc infra *Tit. 24. de donat.* ubi ex instituto de hac re agitur.

XI. Assertio 6. Etsi Prælatus non possit rem immobilem Ecclesiæ alienare, sive concedere in perpetuum: imò nec ad longum tempus, v. g. 10. annorum, aut ultra, sine expresso consensu Capituli, ut colligitur *ex Clement. 1. de reb. Eccl. non alien.* quia per talem concessionem, seu locationem transfertur saltem utile dominium rei, ejúsque possessio in alium, ideóque alienationis rationem habet, ut ex communi sententia docet *Covarr. lib. 2. var. resol. c. 16. n. 1. & patebit ex infrà dicendis. Tit. 16.* Potest tamen Prælatus rem Ecclesiæ immobilem, v. g. feudum concedere alteri, vel locare ad tempus breve, seu non longum, absque consensu expresso Capituli. Et ita intelligendum esse videtur *Cap. Continebatur; 2. h. t.* videlicet, quòd ibi sermo sit de alienatione rerum Ecclesiasticarum temporali, sive concessione ad tempus non longum facta, ad quam non requiritur consensus Capituli expressus: sed sufficit tacitus; quia taciturnitas Capituli scientis, & non contradicentis in his habetur pro consensu, ut tradit *Gl. Fermè communiter recepta à Canonistis, ibid. V. Contradicente*: » Nam in casu illius cap. Abbatissa quædam cuidam » Clerico concessit decimas (ad tempus, non in » perpetuum, *Gl. fin. hic & Hostiens. V. facta*) non requisito Capituli sui, seu Conventûs Monialium consensu: posteà verò easdem decimas eidem concessit cum Conventûs assensu. Quærebatur, utra concessio valeret? Respondet Alexander III. priorem » concessionem valere, si Conventu sciente, & non » contradicente facta sit: sin verò Conventu ignorante, aut contradicente, decimæ priùs concessæ » sint, valere concessionem secundam, sive posteriorem, quæ cum consensu Capituli, seu Conventûs facta est. Ratio est, quia Abbatissæ, non obstante fæmineo sexu, competit libera administratio rerum ad Monasterium pertinentium, sicut Abbati in Monasterio virorum, ideóque potest de ijs disponere interveniente consensu Capituli expresso, si sit alienatio perpetua, vel concessio ad longum tempus, v. g. ad vitam alicujus, quæ æquiparatur, quoad solemnitatem servandam, alienationi perpetuæ, vel cum consensu tacito Capituli, si fiat concessio ad tempus breve tantùm, seu non longum; quia in alienatione temporali, seu ad breve tempus, non potest Ecclesia ita graviter lædi, sicut in perpetua, vel ad longum tempus, *Abb. hìc nu. 4. & 6.* ubi addit, quòd in concessione rei magnæ etiam ad tempus debeat intervenire consensus expressus Capituli: secus si sit res modica, alioquin necessarius esset non solùm consensus Capituli, sed etiam Superioris, v. g. Episcopi, *Hostiens. hic. V. Præjudicare.* Porrò quod in hoc cap. dicitur, *non post multum temporis*: id non ita intelligendum est, quòd si multum tempus elapsum esset, & Conventus semper tacuisset, videretur consensisse, nam factum solùm narratur, non jus, *Gl. hic V. Non post multum.*

§. II.

Proponitur, & declaratur unus casus specialis, in quo alienatio rei Ecclesiasticæ fieri potest à Prælato, absque consensu Capituli.

XII. Plures sunt actus, quos Episcopus, vel alius Prælatus facere potest sine consensu Capituli, de quibus agemus infrà *Tit. 13. de Reb. Eccles. non alienand.* quorum unus habetur *in c. Cùm Apostolica Sedes; 7. h. t.* Videlicet si Laicus decimas, quas in feudum à Prælato Ecclesiastico ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. accepit, dare velit alteri Ecclesiæ, vel Monasterio, à quo eas in feudum non recognoscit: talis donatio, sive translatio subsistit, si cum Episcopi Diœcesani consensu facta sit, tametsi non requisito consensu Capituli; quia per illam non tam alienatur: sed potiùs revocatur res Ecclesiastica (scilicet jus decimarum) sive redit ex manu, seu potestate Laici ad Ecclesiam, saltem universalem, ad quam principaliter spectat, prout decernitur *in cit. c. Cùm Apostolica*; ubi talis casus proponitur: Cùm controversia quædam orta fuisset » inter quosdam Canonicos, & Monachos super » decimis, Monachi coram arbitris compromissa- » rijs proposuerunt, decimas sibi à quodam milite » donatas, & donationem Archiepiscopi tanquam » Diœcesani consensu confirmatam fuisse, ideóque » ipsos auctoritate S. Hieronymi defendi, qui ad Damasum scripsit (ut refertur *in c. ult. caus. 16. q. 1.*) » Si aliqua fuerint à Laicis malè detenta, quæ Divini juris esse noscuntur, & in usum transierint Mo- » nachorum, Episcopo præbente consensum, con- » stabunt eis omnia perpetuâ firmitate subnixa. Sed » pars adversa, videlicet Capitulum Canonicorum » è contrario allegabat, consensum Episcopi sine » Cleri consensu non sufficere, ex auctoritate Leonis » I. qui *in Can. Sine exceptione; 12. caus. 12. q. 2.* decernit: ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquam » donare, vel commutare, vel vendere audeat, nisi » cum totius Cleri consensu, atque tractatu. His » utrinque allegatis, Papa Innocentius III. ab arbi- » tris consultus, an si Laicus decimas detineat, eas- » que Ecclesiæ conferat, ad confirmandam dona- » tionem auctoritas, sive consensus Episcopi sine » Cleri consensu sufficiat? Respondit, quod Lai- » cus, qui decimas detinet, monendus sit, ut eas Ec- » clesiæ »

» clesiæ restituat, ad quam de jure pertinent, & à » qua ab antiquo illas accepit: sin autem ad hoc in- » duci non possit, & eas alteri Ecclesiæ, cum con- » sensu Diœcesani assignaverit, præsertim Religio- » so Conventui, donatio talis perpetuò firma erit. » Nam auctoritates, seu Canones allegati, licèt di- » versi sint, non tamen adversi sunt, seu contrarij: » cùm enim aliud sit alienare rem, quæ ab Ecclesia » possidetur: aliud verò rem, quæ à Laico detine- » tur, ad usum Ecclesiasticum revocare: ideo in » alienatione illa consensus Episcopi, sine consen- » su Clericorum, non sufficit, juxta Leonis Papæ » decretum: at verò in revocatione, juxta Hiero- » nymi sententiam, sufficit consensus Episcopi, cùm » etiam per hanc revocationem Ecclesiæ consulatur. » Accedit, quòd etiam in Lateranensi Concilio sub » Alexandro III. *cap. 9.* (quod refertur *in c. Cùm* » *& plantare*; 3. §. *Ecclesiis igitur*, *infr. de privileg.*) » inhibitum fuit, ne personæ religiosæ Ecclesias, & » decimas, sine Episcoporum consensu, à Laicis » accipiant, per indirectè indicatur, quòd Episco- » pi consensus sufficit, ut licitè à manibus Laico- » rum accipiantur decimæ. Id verò de ijs decimis in- » telligendum est, quæ Laicis in feudum perpetuum » sunt concessæ. Simile exemplum est, si miles ex Ecclesia aliqua consecratum calicem abstuliset, vel quem non posset vel non vellet eidem restituere, tum posset induci, ut alteri alicui Ecclesiæ illum restitue- ret, cum Episcopi tamen consensu, *Laym. in cit. dis. Can. Thes.* 59. Hinc colligitur ex eo quòd *in hoc cap.* dicitur, necessarium esse, ad translationem decimarum à Laico ad Ecclesiam, vel Monasterium, consensum Episcopi, nullâ factâ mentione Cleri, vel Capituli, per obliquum, sive sensum contrarium inferri, con- sensum Cleri non esse necessarium, *Gl. hîc V. Datur intelligi*, ubi ait, hoc argumentum esse fortissimum: quod tamen limitandum est, nisi ex sensu contrario sequatur absurdum aliquod, vel antiqui juris cor- rectio, ut notat *Gl. in c. De multa*; 28. *V. Per Sedem Apostolicam*; *in fine de præb.* ubi ait, quòd jus vetus non tollitur, nisi expressè revocetur, seu deroge- tur.

XIII. Cæterùm hîc præterea distinguendum est: Vel enim Laicus ab antiquo, ante Concilium Lateranense, justè obtinuit decimas à Prælato Eccle- siastico sibi in feudum concessas: vel injustè eas ac- quisivit, & detinuit. Priore casu, si decimas reddere velit Ecclesiæ proprietariæ, à qua illas Laicus in feu- dum accepit, potest id facere, etiam Episcopo non requisito, *arg. c. 2. §. Sanè de decim. in 6.* ubi *Gl. In casu ait*, certum est, quòd illas decimas possit Laicus donare Ecclesiæ Parochiali, à qua illas accepit, etiam sine consensu Episcopi: sin verò alteri Ecclesiæ, vel Monasterio, à qua decimas non accepit, Laicus tra- dere velit, accedere debet consensus Episcopi Diœce- sani, prout habetur, *in cit. c. 2. §. Sanè*, *& in c. 3. de privileg.* quia Laici nullam habent facultatem dispo- nendi de rebus Ecclesiasticis, (cujusmodi est jus de- cimarum) sine auctoritate, & consensu Prælati Ec- clesiastici, *c. 1. & seqq. c. Decimas*; 39. *caus.* 16. *q.* 7. Posteriore verò casu, si Laicus decimas, ante Con- cilium Lateranense, injustè acquisivit, tunc moneri, & si fieri possit, induci debet, ut eidem Ecclesiæ, ad quam de jure pertinent, eas restituat: sin autem ad- duci non possit, tunc cum consensu Episcopi Loci, possunt illi donari Ecclesiæ, vel Monasterio, juxta *cit. c. Cùm Apostolica*; *h. t.* cùm melius sit, ut jus de- cimarum apud aliquam Ecclesiam permaneat, quàm apud Laicum injustum detentorem: ideóque hoc ca- su altera Ecclesia, ad quam decimæ de jure pertine- rent, ob bonum publicum, & auctoritatem Præ- latorum Ecclesiasticorum rationabiliter contenta esse debet, ut alteri Ecclesiæ conferantur; præsertim cùm omnes Ecclesiæ sint una Ecclesia, & membra Ecclesiæ universalis, cujus favore hoc statutum fuit, ut faciliùs hujusmodi jura spiritualia è manibus Lai- corum eriperentur, *Abb. in cit. c. Cùm Apostolica*; *n.* 10. *h. t. Suar. Tom.* 1. *de Relig. Lib.* 1. *de Divin. cultu*, *c.* 26. *n.* 13. ubi ait, ex pia dispensatione Eccle siæ fieri, ut hoc casu aliter, quam in rigore fieri deberet, restitutio decimarum fiat; quia minùs inconveniens est, decimas transferri ab una Ecclesia ad aliam, quàm à Laico possideri, & injustè detineri. Accedit, quòd de decimis, ante Concilium Lateranense, Laicis con- cessis, vix constare possit, an justè, vel injustè con- cessæ fuerint, & ideo indistinctè concessum est, ut o- mnes illæ restitui possint quibuscunque Ecclesiis, dummodò consensus Episcopi accedat, *Suar. cit. loc.* Quòd si denique constet, post Concilium Lateranen- se, Laicum decimas acquisiviisse; sine consensu Ro- mani Pontificis, tunc certum est, quòd eas restitue- re debeat Ecclesiæ, vel Monasterio, ad quam perti- nent, cùm post Concilium Lateranense non sit con- cessum Prælatis Ecclesiasticis decimas Laicis dare in feudum, sine consensu S. Pontificis, *Abb. in cit. c. cùm Apostolica*; *n.* 11. Veruntamen si hujusmodi de- cimæ non possint restitui illi particulati Ecclesiæ, ob quamcunque causam, etiam propter iniquitatem, & violentiam Laici detentoris, tunc interveniente au- ctoritate Episcopi Diœcesani, possunt transferri in alteram Ecclesiam, vel Monasterium, ut colligitur *ex cit. c. Cùm Apostolica*, *& c. ult. junct. Gl. V. Episco- po*; *caus.* 16. *q.* 1. *Laym. cit. Thes.* 29. *in fine.*

An autem in prædicto casu, quando Laicus induci non potest, ut restituere velit decimas Ec- clesiæ, ad quam de jure pertinent, Episcopus con- sensum præstare possit, ut Mensæ suæ Episcopali con- ferantur, seu applicentur, dubitatur? Sed respon- detur negativè, quia Episcopus in proprio facto au- ctoritatem interponere non potest, *Clement 2. & ibi. Gl. V. Mensæ suæ de reb. Eccl. non alien.* ubi ob eandem rationem dicitur, Episcopum non posse unire Bene- ficium Mensæ suæ. At verò Mensæ Capitulari talis applicatio decimarum, auctoritate Episcopi fieri po- test; quia consensus Capituli ad ejusmodi alienatio- nem de jure non requiritur, juxta *cit. c. Cùm Apo- stolica*; *h. t. Laym. c. l. Thes.* 60.

§. III.

Quinam actus fieri debeant cùm consilio Capituli?

XIV. Assertio 1. Episcopus, vel alius simi- lis Prælatus personas Ecclesiasticas instituere, ac de- stitue-

ſtituere, aliáque negotia Eccleſiæ peragere debet, cum conſilio Capituli ſui, alioquin quicquid agitur, tanquam contra SS. Canones actum irritum cenſeri debet, prout ſtatuitur *in c. Novit. 4. h. t.* ubi Papa » Alexander III. reſcribit: Quia Epiſcopus (vel » alius Prælatus) cum Fratribus, ſeu Canonicis ſuis » unum eſt corpus, cujus ipſe Caput eſt; & illi » membra: ideo non decet, ut Prælatus omiſſis » membris aliorum conſilio in tractandis Eccleſiæ » negotiis utatur, cùm id honeſtati, & SS. Patrum » conſtitutionibus ſit contrarium. Quare auctoritate Apoſtolicâ prohibet Patriarchæ Jeroſolymitano, » ne ſine Fratrum ſuorum, ſive Canonicorum conſilio, Abbates, & Abbatiſſas, aliásque perſonas Eccleſiaſticas inſtituat, & deſtituat: » alioquin tales inſtitutiones, ac deſtitutiones irritas » eſſe decernit. Et quidem ipſo jure, ut tradit *Gl. fin. hîc*; quia factæ contra jura, juxta *l. Non dubium 3. C. de legib.*

XV. Excipitur primò. Niſi contraria conſuetudo in aliqua Eccleſia ſit legitimè præſcripta, & inducta, ut Epiſcopus, vel alius Prælatus negotia Eccleſiæ tractet, & jurisdictionem exerceat, non requiſito Capituli conſilio, juxta *c. Non eſt 3. de conſuet. in 6.* Non obſtat, quòd *in cit. c. Novit* dicitur, id eſſe contrarium honeſtati, contra quam non valet conſuetudo. Nam reſpondet, *Abbas hîc n. 5.* non valere fortè conſuetudinem, ut Prælatus in negotiis tractandis requirat conſilium aliorum prætermiſſis Canonicis: valere tamen conſuetudinem, ut ſolus Prælatus ea tractet. Verùm quia ſuprà dictum eſt, *Lib. 1. Tit. 4. num. 76.* valere conſuetudinem, ut Prælatus ſolus expedire poſſit, etiam negotia ardua, non adlibito conſilio Capituli ſui, ideo dicendum eſt, talem conſuetudinem eſſe contra honeſtatem, & conſequenter non valere, ſi id ſine juſta, & rationabili cauſa fiat, alioquin verò non repugnat id honeſtati, vel rationi, ſi ex juſta cauſa fiat, ut tradit *Hoſtienſ. in cit. c. Novit. V. Aliorum conſilio, & ibi Gl. Margin. lit. A.* Et hinc ſiv. g. agatur de controverſia orta inter Epiſcopum, & conſanguineos Canonicorum Capitularium, non tenetur Epiſcopus requirere conſilium illorum, ob periculum, ne ipſi conſanguineis ſuis ſecreta revelent, *Hoſtienſ. hîc, & Abbas num. 6.* Ex quo generaliter infert, quòd exiſtente causâ rationabili, juxta arbitrium boni viri, non teneatur Prælatus, etiam in cauſis arduis requirere conſilium Capituli. Ergo etiam conſuetudine id induci poteſt, ſi cauſa rationabilis ſubſit, quia v. g. in aliquo loco alij extranei idonei in conſilium adhiberi poſſunt. Excipitur ſecundò, quòd Epiſcopus, ſeu Prælatus poſſit negotia exigua, & minoris momenti ſolus expedire, ſine conſilio Capituli ſui, *Abbas hîc num. 6.* quia ad ſolum Prælatum principaliter ſpectat adminiſtratio, & cura Eccleſiæ: ſicut neque in cauſis notoriis tenetur requirere Prælatus conſilium Capituli, *Abbas hîc nu. 7. in fine.* Excipitur tertiò, quòd Prælatus, videlicet Epiſcopus, vel Archiepiſcopus in ijs, quæ agit jure, ac poteſtate ad ſe devolutâ, v. g. propter negligentiam, aut delictum Prælati inferioris, non ſolùm non tenetur habere conſenſum Capituli: ſed nec conſilium ejuſdem requirere ex neceſſitate: ſed tantùm ex honeſtate, aut quadam æquitate, ut tradit *Gl. in c. Ne pro defectu 41. V. Conſilio; de Elect. & Abbas ibidem num. 6. & Laym. in c. Cum in cunctis 37. §. fin. num. 7. eod.* quia ad ipſum Prælatum ſolùm devolvitur illa poteſtas, & non ad Capitulum.

XVI. Cæterùm aliquando non ſufficit petere conſilium Capituli: ſed inſuper etiam conſenſus requiritur. Veluti primò, in alienationibus rerum Eccleſiaſticarum, de quo infrà. Secundò, in ijs, quæ communiter ad Prælatum, & Capitulum pertinent. Tertiò, in ijs, in quibus Capitulum ſpeciale intereſſe habet, ac denique quotieſcunque Eccleſiæ, vel Succeſſoribus præjudicium generari poteſt, *Abbas in cit. c. Novit, num. 7. Laym. in diſputat. de jurisdict. Ordinar. concluſ. 83.* Quòd ſi in alijs negotijs tractandis Prælatus, & Capitulum inter ſe diſſentiant, magis decet, ut membra Capiti ſe conforment, quàm ut Caput membris adhærere debeat; quia Capitulum ſubeſt Prælato tanquam Capiti, ad quem etiam adminiſtratio rerum Eccleſiæ principaliter ſpectat.

Illud præterea *ex cit. c. Novit 4. h. t.* colligitur, quòd in diſpoſitione favorabili, ſub voce, *ſi quis*, vel *ſi qua*, vel *quicunque* comprehendatur etiam Capitulum, vel aliud Collegium, ſeu Univerſitas, cùm ſit quoddam corpus fictum, ac veluti perſona ficta; ſecus verò ſi diſpoſitio odioſa ſit, tum enim non comprehenditur, niſi ſpecialiter exprimatur, cùm non ſit propriè perſona, nec verum corpus, in odioſis autem verba in ſtricta, & propriâ ſignificatione accipienda ſunt, *Abbas in cit. cap. Novit; num. 2.*

XVII. Aſſertio 2. Præterea quòd Epiſcopus, vel alius ſimilis Prælatus negotia Eccleſiæ ſuæ cum conſilio Capituli ſui tractare debeat, ſtatutum habetur *in c. Quanto 5. h. t.* Nam cùm Alexander III. intellexiſſet, quòd prædictus Patriarcha Jeroſolymitanus in Beneficiorum collationibus & confirmationibus, & alijs negotijs Eccleſiæ ſuæ tractandis, prætermiſſis Canonicis Capitularibus, aliorum extraneorum Clericorum, imò & Laicorum conſilio uteretur: interdum etiam Canonicorum abſentium nomina in inſtrumentis, & privilegiis conceſſis ſubſcribi faceret, *prout habetur in integra lectione hujus cap.* Idcirco mandat eidem Patriarchæ, ut » hujusmodi negotia, cum Fratrum ſuorum, ſeu Canonicorum conſilio, vel ſanioris partis eorum, » peragat, & tractet, & quæ ſtatuenda ſunt, ſtatuat, & errata corrigat, atque evellenda evellat. » Abſentium autem Canonicorum nomina in inſtrumentis ſubſcribi non ſinat; quia talia inſtrumenta irrita ſunt, & falſa, & ipſe Patriarcha de » crimine falſi meritò argui poterit. »

XVIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Dupliciter poteſt intetelligi *hoc cap. 1.* quòd ſufficiat, ſi Epiſcopus in negotiis pertractandis adhibeat conſilium ſanioris partis Capituli, ſive eorum Capitularium, qui magis idonei ſunt ad conſilium dandum, prout videtur colligi *ex hoc c. ibi: cum eorum conſilio, vel ſanioris partis*, Idque indubitatum eſt, ſi conſuetudo talem conſultandi modum confirmet; quia ea eſt optima legum interpres. Secundò, poteſt intelligi, quòd Epiſcopus debeat in tractandis nego-

negotiis Ecclesiæ, adhibere consilium Capituli, vel saltem majoris, & sanioris partis, ita ut sola pars sanior non sufficiat, sit non sit etiam major; quia de Jure communi, quando ad actum aliquem expediendum requiritur consensus Capituli, intelligi debet de majore parte Capituli, juxta c. 1. *Tit. seq. de quo ibid. Abb. hîc n. 3.*

Notandum secundò. Quando Prælatus in expeditione alicujus negotij tenetur adhibere, & requirere consilium Capituli, non tenetur illud sequi, cùm consensus non fuerit requisitus: sed sufficit consilium audivisse, juxta *c. Cùm in veteri* 52. *de Elect. & c. Cùm olim* 57. *de arbitris*, & tradit *Abb. hîc nu.* 5. quia satisfactum est præcepto juris, solâ petitione consilij, & expectatione responsi congruo tempore. Neque tamen propterea frustra requiritur, vel auditur consilium Capituli; quia potest Prælatus, auditis aliorum rationibus, fortè sententiam mutare, & Capituli consilio se conformare, *Hostiens. in summa §. In quibus consilium Versic. Si opponas, h. t.* Quòd si Capitulum nolit dare consilium petitum, sed dissentiat, acta tamen ab Episcopo valent, si Capitulum nihil rationabile contra illa opponat, *Abbas hîc num.* 5.

Notandum tertiò. Qui nomina absentium Canonicorum in instrumentis subscribi finit, ac si præsentes essent, & tanquam præsentes consensum dederint, de crimine falsi tenetur, & argui potest, juxta *l. Qui veluti* 13. *C. ad leg. Cornel. de falsi.* & talia instrumenta sunt irrita, & faciens sic inscribi tanquam falsarius puniri potest, ut habetur *in fine hujus cap. & tradit Gl. ibid. V. Absentium, & Abbas ibidem num.* 7.

XIX. Postremò hactenus dictis addendum, quod statutum est *in c. Etsi membra* 10. *& ult. h. t.* » Ubi rescribit Innocentius III. quòd Capitula Ec» clesiarum Cathedralium invitari ad Concilia Pro» vincialia; & si per se, vel per nuncios, seu procu» ratores suos adveniant, etiam ad tractatus admit» ti debeant, maximè in ijs negotiis, quæ ad ipsa » quoque Capitula pertinent, quod enim omnes » tangit ab omnibus debet approbari, *Reg.* 29. *in 6. Gl. fin. hîc.*

XX. Notandum primò. Capitula Ecclesiarum Cathedralium invitari debent ad Concilium Provinciale: non autem cogi possunt ad veniendum, sicut Episcopi, nisi alia sit Ecclesiarum consuetudo, *Abb. hîc n.* 2. possunt autem comparere in Concilio per Procuratores; quia non ita facilè singuli per se venire possunt, & non sine desertione cultûs Divini in Ecclesiis, *Abb. hîc n.* 3.

Notandum secundò. Aliud est aliquem admitti ad tractandum, aliud ad decidendum, ut colligi *ex c.* 2. *dist.* 63. nam tractatus, sive discussio causæ præcedit, decisio verò, sive sententia sequitur: quare si quis ex statuto, aut mandato admitti debeat in Concilio, non sequitur, quòd etiam in eo habere debeat vocem decisivam, seu suffragium. Sic Capitula Cathedralia debent quidem admitti ad tractandum, & consulendum, non autem ad decidendum; quia spectato Jure communi, vocem decisivam in Conciliis non habent, sed soli Episcopi, *Abb. hîc n.* 2. nisi illorum propriè interfit, ita, ut consensus illorum requiri debeat, ut colligitur *ex hoc c. in fine.* Quin imò Capitula Ecclesiarum Cathedralium debere admitti ad Synodum Provincialem, etiam in negotiis, quæ ipsa Capitula non concernunt, colligunt communiter ex illis verbis hujus cap. *Maximè super illis*, etiamsi non appareat de eorum interesse; quia potest fieri, ut intersit, ita, ut si præsentes essent, contradicerent, & appellarent, *Hostiens. hîc & Jo. Andr. num.* 3. *in fine, & alij apud Fagnan. hîc num.* 13. nisi Episcopi, seu Prælati aliqua secreta haberent, quæ revelare non possent sine violatione juramenti, vel obedientiæ, vel nisi alia justa causa subesset, ea non admittendi, *Fagnan. c. l, n.* 14. *&* 15.

Notandum tertiò. Etsi Laici potestate præditi, vel eorum Procuratores, Conciliis etiam Generalibus interesse possunt, tanquam testes, Patroni ac defensores, si specialiter invitentur, vel si tractetur causa Fidei, vel causa Matrimonialis, cùm tales causæ eos contingant, ut tradit *Gl. fin. hîc*: non tamen possunt ipsas controversias Fidei, aliâque negotia Ecclesiastica tractare, multóque minùs decidere, *arg. cit. c.* 2. *dist.* 63. & notat *Joan. Andr. hîc in fine*, quia Laici Ecclesiastica negotia tractare non debent *c.* 2. *de judic.* putat tamen *Abb. hîc nu.* 5. *in fine*, quòd Laici possint vocari ad Concilium etiam ad consultandum, si sint periti Juris Canonici, vel Civilis, quando agitur de defensione jurium Ecclesiasticorum, ut colligitur *ex c.* 2. *de sent. & re judic. in* 6. Verùm de Conciliis & Synodis alibi redibit sermo.

TITVLVS XI.

DE HIS QUÆ FIUNT A MAIORE PARTE CAPITVLI.

I.

POstquam Titulo præcedente actum fuit de negotiis Ecclesiæ, quæ à Prælato cum consensu vel saltem consilio Capituli expediri debent: nunc hoc Titulo agitur de negotiis, quæ propriè ad Capitulum tantùm pertinent. Nomine autem, seu apppellatione Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sæcularis, aut regularis, comprehenduntur soli Canonici, vel Capitulares collegialiter congregati, & in majoribus, seu Sacris saltem Subdiaconatûs Ordine constituti, juxta *Clement.* 2. *de ætate & qualitate, &c.* Portionarij autem,

& cæteri Beneficiati in eadem Ecclesia, qui non habent vocem in Capitulo, non sunt de Capitulo, seu Collegio, ut docet *Abb. in c. 1. n. 11. de Elect.* Decanus autem continetur nomine Capituli, cùm sit pars præcipua Capituli, pars autem in toto continetur, ut tradit *Gl. in c. Post Electionem; 7. V. Mentio de concess. præb. & ibid. Abb. n. 9.* idque sumitur *ex illo cap.* ubi licèt in Litteris directis ad Capitulum expressa mentio non esset facta Decani, non tamen exclusus videri poterat, cùm sit pars Capituli. At verò Episcopus vel Prælatus, nomine Capituli comprehendi non solet: sed Episcopus & Capitulum, tanquam diversa, & unum in altero non contentum communiter accipiuntur, ut constat *ex Rubrica præcedentis Tituli, De his, quæ fiunt à Prælatis, sine consensu Capituli*, Ubi Prælatus ut à Capitulo distinctus ponitur, ut tradit *Gl. Communiter recepta in cit. Clement. 2. V. In eisdem, & Abb. c. l.* quia jus Prælaturæ est distinctum à jure Capitulari: licèt Prælatus & Capitulum faciant unum Corpus & unam Ecclesiam, tanquam Caput & membra, Caput autem distinguitur à reliquis membris.

§. I.

An, & quâ ratione gesta à maiore parte Capituli valeant?

II. Assertio 1. Ad alienationem rei Ecclesiasticæ, vel alium actum gerendum à Capitulo, non requiritur, ut totum Capitulum, sive Collegium consensum præstet, sive omnes è Capitulo: sed requiritur, & sufficit ordinariè, ut pars major congregatorum, seu præsentium vocem decisivam aliàs in Capitulo habentium consentiat, quandoquidem in minore parte Capitulum non repræsentatur, sed quod ex majoris partis consensu decretum est, id à Capitulo decretum censetur, *l. Quòd major; 19. ff. ad municip.* dummodò duæ partes eorum, qui adesse possunt, debent, ac volunt, sive in loco præsentium, & vocandorum sint congregatæ, *arg. l. Nulli; 3. ff. quod cujusq. universi. nom.* ubi *Gl. V. Duæ partes ait*: duæ partes Ordinis in Urbe positæ totius Curiæ instar exhibent, sive totum Ordinem repræsentant, & *Gl. margin. ibid. lit. G.* inquit: si pars major præsentium consentiat, sufficit, ut Universitas consensisse censeatur, *Abb. in c. Cùm in cunctis; 1. num. 16. h. t. Laym. in disput. Canon. de rer. Eccles. alienat. Thesi 16.* Et hinc regulariter in actibus Universitatum, gesta à majore & saniore parte Capituli, seu Universitatis valent, etiam contradicente parte minore, prout statuitur *in c. Cùm in cunctis; 1. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. ubi dicitur: quòd in quibusdam Ecclesiis interdum pauci, non tam ex ratione, quàm propriâ voluntate ordinationem Ecclesiasticam impediunt, & procedere non permittunt, quod grave & dignum est reprehensione: cùm in cunctis Ecclesiis (ut ipsa ratio dictat) id quod pluribus & sanioribus Fratribus (videlicet Capitularibus) visum fuerit, sine cunctatione, erit observandum: Ideo Concilium Lateranense statuit, ut nisi pauciores & inferiores rationabiliter aliquid objecerint, atque ostenderint contrarium, id quod à majore & saniore parte Capituli statutum fuerit, appellatione remotâ, semper prævaleat, & effectum suum consequatur. Neque Constitutioni isti obstat, si fortè aliquis dicat, se juramento obstrictum ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem; non enim juramenta, sed potiùs perjuria sunt dicenda (sive temeraria jura menta) quæ contra Ecclesiæ utilitatem, & SS. Patrum instituta tendunt. Quòd si quis talem consuetudinem, quæ nec ratione juvatur, nec SS. Canonibus congruit, jurare, seu juramento firmare præsumpserit, à perceptione Dominici Corporis, donec dignam egerit pœnitentiam, sit alienus.

III. Assertio 2. In omnibus dispositionibus seu decretis, quæ fiunt à Capitulo, seu Collegio aliquo aut Universitate, ut firmitatem obtineant, requiritur, ut non solùm pars major numero: sed etiam auctoritate & dignitate, adeóque pars saniorCapituli consentiat, prout statutum habetur *in cit. c. 1. h. t.* ubi expressè dicitur, *ut semper prævaleat, & suum consequatur effectum id, quod à majore & saniore parte Capituli fuerit constitutum*; quamvis in dubio, major pars censeatur etiam sanior; quia præsumitur pro pluralitate, nisi contrarium probetur, ut patet *ex hoc cap.* Quamvis autem minor pars Capituli ex rationabili causa possit impedire decretum majoris partis: non tamen potest aliquid decernere, nomine totius Capituli seu Collegij, nisi pars major numero esset privata potestate disponendi, seu decernendi, ob delictum suum, quia tunc potestas totius Universitatis remanet in alijs non delinquentibus, licèt numero paucioribus, *Abb. hic n. 11.* & patet ex alibi dictis. Quæ autem sit, & dicatur pars major, & quæ pars sanior, dictum est suprà *Lib. 1. Decretal. Tit. 6, Sec. 4. §. 5.* Idque locum habet, non tantùm in electionibus, sed etiam in aliis decretis & actibus, qui fiunt à Capitulo aut Universitate, prout etiam docet *Laym. in c. Cùm Ecclesia; 57. num. 4. de Elect. & alij.*

IV. Porrò pro declaratione *cit. c. 1. h. t.* Notandum præterea primò, si quid à majore parte Capituli irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ sit decretum, possunt alij pauciores, & minores numero, imò etiam unicus, allatâ rationabili causâ, contradicere, & se opponere ad impediendam, & rescindendam ordinationem, seu decretum majoris partis, ut colligitur *ex cit. c. 1. h. t.* & docet *Gl. fin. in c. Nicænâ 12. dist. 31. & Gl. margin. ibidem ait*, quòd unus Canonicus potest se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ: debet tamen pars minor contradicens probare, quod objicit contra majorem partem Capituli, & quidem coram Superiore Capituli, seu Collegij, vel coram electis arbitris; quia pars major non est judex, & suspecta est parti minori ipsi contradicenti, *Gl. in cit. c. 1. V. Ostensum, Abbas ibidem nu. 5. & 12.* Neque verò in hoc casu necessarium est, ut contradicens appellet, sed satis est contradicere, sive agatur de suo præjudicio, sive ter-

tij,

tii, sive ipsius Collegii, seu Universitatis; quia potest contradicens nihilominùs querelam ad Superiorem deferre, & petere, ut quod decretum est, irrationabiliter per partem majorem Capituli retractetur: cùm enim Capitulum non procedat judicialiter, sed extrajudicialiter solùm, ideò ejus decretum non transit in rem judicatam, *Abb. c. l. n. 13. arg. c Concertationi; 8. junct. Gl. V. Gravatum de appell. in 6.* sed etsi appellatum sit à minore parte Capituli, uno aut paucioribus contradicentibus, videlicet extrajudicialiter: potest tamen major pars Capituli, non obstante tali provocatione, ad executionem decreti sui procedere, ut docet *Jo. Andr. in cit. c. 1. n. 2.* valet tamen talis appellatio, ita ut si posteà rationabilis & legitima fuisse cognoscatur, revocetur, & rescindatur, quod actum fuit, vel decretum per majorem partem Capituli, *Innocent. in cit. c. 1. n. 2. h. t. & Abb. n. 6.* Quamobrem expedit parti minori contradicenti, ut appellet, sive ad Superiorem provocet; quia talis provocatio, præter alios effectus, etiam hoc operabitur, ut Prælatus inferior eo, ad quem est appellatum, se immiscere, seu de causa cognoscere non possit, si ad Superiorem illius provocatum sit, *Innocent. in cit. c. 1. n. 1. Jo. Andr. ibid. n. 3. & Abb. n. 13.* Sin autem à contradicente appellatum non sit, tunc Capitulum, si quidem & quatenus jurisdictionem habet in singulos Capitulares, vel Superior immediatus ejusdem potest compellere contradicentem, ut obediat decreto, seu ordinationi factæ à majore parte; cùm pro illa stet præsumptio æquitatis, tanquam facta communi aut plurium consensu, ut docet *Innoc. c. l. n. 3. Laym. in cit. dis. Canon. de rer. Eccles. alienat. Thesi 18.*

Notandum secundò. Licèt gesta à majore parte Capituli valeant, si cedant in utilitatem Ecclesiæ, etiamsi alii Capitulares contradicant: tamen unius contradictio impedire potest, quòminùs valeant gesta à majore parte ad delictum, & damnum Ecclesiæ imputandum, *Laym. in c. Cùm inter; 8. n. 2. de majorit. & obed.*

V. Notandum tertiò. Quilibet Capitularis tenetur expressè contradicere his, quæ malè fiunt, vel decernuntur in Capitulo, sive per ea lædatur Ecclesia aut Collegium, sive ipse contradicens, sive alius tertius, alioquin si taceat, consentire censebitur; quia ex communi & recepta doctrina, tacens consentire censetur, si contradicendo possit impedire, & ratione officii sui debeat, & approbare nolit, quia cùm sit pars & membrum Capituli, ideò quæ à Capitulo fiunt, etiam ad ipsum aliquo modo spectant: & sic si non contradicat, particeps fit ejusdem peccati & pœnæ, cum aliis expressè consentientibus, *Innocent. in cit. c. 1. n. 4. Jo. Andr. ibid. n. 4. & Abb. n. 13.* Addit tamen Innocentius, quòd si aliquid à Capitulo decretum sit in damnum Ecclesiæ, vel singulorum, possit Capitularis non consentiens appellare ad Superiorem: non item, si quid decretum sit in damnum personæ tertiæ privatæ, cùm tunc nihil interfit appellantis: quamvis hoc casu peccatum Capitularium Evangelicè denunciari possit Superiori, ut emendentur, & puniantur. At verò quando ad actûs alicujus valorem necessariò requiritur expressus consensus, ut ad alienationem perpetuam rei Ecclesiasticæ, vel ad electionem, tacens non potest haberi pro consentiente, ut patet ex dictis Tit. præced. Imò neque in omni alienatione ardua & onerosa, taciturnitas, quoad valorem actûs, habenda est pro consensu, *Silvest. V. Electio; 2 q. 2. Laym. in cit. dis. Thes. 19.* & tradunt communiter DD.

Notandum quartò. Non valet statutum vel consuetudo etiam juramento firmata, vi cujus, omnes de Capitulo seu Collegio debeant consentire, alioquin decretum vel actus Capituli non sit validus: vel ut non valeat, nisi duæ saltem partes Capituli consentiant, ut colligitur ex *cit. c. 1. h. t.* nam nullum juramentum tendens contra utilitatem Ecclesiæ obligat, sed potiùs perjurium censetur: at verò tale statutum vel consuetudo, ut actus Capitularis non valeat, nisi omnes consentiant, damnosa est Ecclesiæ, cùm per hoc facultas decernendi, vel statuendi, quæ justa & utilia sunt, impediatur, & quilibet Capitularis commoda Ecclesiæ præpedire posset, sunt enim homines valde proni ad dissentiendum ab aliis, ergo etiam juramento non firmatur, *Abb. in cit. c. 1. n. 8. & 9. h. t.*

Notandum quintò. Potest Capitulum seu Universitas, communi consensu, si justa causa subsit, tollere statutum vel consuetudinem etiam juratam; nam ut ait *Jo. Andr. in cit. c. 1. n. 7.* juramentum, quo singulares è Collegio jurârunt, servare statuta, non impedit, quòminùs illa collegialiter per eos, ad quos pertinet, tolli possint; arctat enim juramentum singulares, quamdiu sunt statuta; & sicut juramentum de obediendo Prælato non obligat, illo remoto: sic nec juramentum de obediendo statuto obligat, illo sublato. Adde, quòd juramentum obliget singulares singulariter contravenientes; non autem si contraveniant collegialiter, tollendo statuta, ut inquit *Abb. in cit. c. 1. n. 7.*

VI. Cæterùm quod suprà dictum est, etiam unum è Capitulo appellare posse contra decretum factum à majore parte Capituli: id fallit in eo, cui non competit jus appellandi, sive qui justam causam contradicendi, seu appellandi non habet; quia per talis contradictionem vel appellationem, non debet impediri communis ordinatio Ecclesiæ seu Capituli totius, vel majoris illius partis, prout sumitur ex *c. Ex ore; 3. h. t.* nam cùm pro Canonico B. impetratum » fuisset mandatum Apostolicum ad Decanum & » Capitulum Ecclesiæ Augustensis, sive ut alii legunt, » Augustanæ, ut in Præpositum ejusdem Ecclesiæ eli- » geretur intra spatium unius mensis, missо etiam » annulo in signum investituræ, & constitutis Execu- » toribus; ipsum tamen Capitulum, postquàm intel- » lexit, quòd suus Præpositus in Episcopum Brixinen- » sem electus, & confirmatus fuisset, licèt dictum man- » datum recepisset, Decanum Augustanum H. in Præ- » positum ejusdem Ecclesiæ elegit, cui dictus B. reve- » rentiam, quæ Præposito debetur, exhibuit: & H. mor- » tuo, statim istum, cui Papa hîc scribit, idem Capitu- » lum in Præpositum elegit: tunc verò dictus B. se con- » tra electionem istam opposuit, & ad Sedem Apostо- » licam appellavit, Verùm Innocentius III. electio- » nem Capituli, auctoritate Apostolicâ, confirmavit, » & ipsi B. super Præpositurâ silentium indixit. Tum » quia legitimè constitit, ipsum in Præpositura nun- » quam investitum fuisse (licèt annulum acceperit » per

» per quem non traditur possessio, quia in possessio-
» nem missus non fuit, *Gl. hîc V. Annulo*;) etsi man-
» datum fuit, ut investiretur: tum quia, quamvis in-
» vestitus fuisset, ea tamen investitura à Cœlestino
» III. ex certa ratione, (fortassis propter defectum
» ætatis, vel quia in minoribus Ordinibus erat con-
» stitutus, *Gl. hîc V. Ratione*;) cassata fuit. Tum
» quia etsi cassata non fuisset, tamen exhibendo re-
» verentiam electo Præposito, dictus B. juri suo (ta-
» citè & ipso facto, *Gl. hîc V. Renunciâsse*;) censetur
» renunciâsse, ideóque non potuit ei jus competere,
» ut per appellationem communem Ecclesiæ Ordi-
» nationem impediret. Tum denique quia jam alius
» à majore, tum dignitate, tum numero parte Ca-
» pituli in Præpositum canonicè electus fuit.

VII. Notandum hîc primò. Papa potest mandare, ut ante tempus jure præfixum ad eligendum, electio Prælati fiat, ut in casu hujus cap. intra unum mensem: & ut certus eligatur, cùm tamen aliàs de jure talis electio sit invalida; quia tollitur libertas eligendi, *c. Cùm terra*; 14. *de Elect. Abb. hîc n.* 3.

Notandum secundò. Si quis prætendat jus in Beneficio, v. g. Præpositurâ, vel Parochiâ, non debet possessorem ejus, vel intrusum, contra quem agit in judicio, absolutè vocare Præpositum, vel Parochum, ne id fateri censeatur: sed qui se asserit, aut nominat Præpositum, vel Parochum, *Abb. hîc n.* 5.

Notandum tertiò. Tacita renunciatio, in præjudicium renunciantis, idem operatur quod expressa, *Gl. hîc V. renunciâsse*, *& ex hoc ipso cap.* id docet *Parisius Lib.* 1. *de resign. Benef. q.* 13. *n.* 11. *&* 12. *Addit Gl. cit.* quòd tacita renunciatio dignitatis, vel Beneficij valeat, etiam sine auctoritate Superioris, non autem expressa: quod verum est, si quis habeat solùm jus ad rem, cui potest renunciari sine consensu Superioris: non autem juri in re, saltem sine tacito consensu Superioris, ut si is sciat renunciationem factam, nec contradicat, videtur tacitè acceptare illam, *Abb. hic num.* 10.

Notandum quartò. Præpositus, vel Decanus electus à Capitulo, cui tale jus eligendi competit, si posteà in Episcopum sit electus, potest resignare Præposituram, vel Decanatum, datâ ei facultate liberâ alium eligendi; cùm Beneficia electi in Episcopum non vacent, ante ejus consecrationem, ideóque vacant per renunciationem; quia in favorem electi tantùm est introductum, ut non vacent ipsius Beneficia, ante consecrationem, *c. Cùm in cunctis*; 7. *de Elect.* cui favori suo potest renunciare, *Abb. hîc in fine.*

§. II.

An maior pars Capituli, seu Collegii possit aliquid decernere, cum præiudicio minoris partis, de bonis, aut iuribus spectantibus ad singulos de Collegio?

VIII. Ad hanc Quæstionem respondetur: major, & sanior pars Capituli, seu Collegij potest, etsi contradicente parte minore, cum Episcopo, seu Prælato, ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ decernere, ac disponere, non solùm de bonis ac juribus communibus Collegij, juxta *c.* 1. *h. t.* sed etiam de bonis, ac juribus spectantibus ad singulos de Collegio, cum præjudicio, seu diminutione juris singulorum, si singuli jure illo non participent, ut proprio ac singulari: sed ut jure ejusdem Collegij decernentis, prout sumitur *ex c. Ex parte*; 4. *& ult. h. t.* Nam cùm Archiepiscopus Rothomagensis Canonicis suis proposuisset, ut ad restaurandam Ecclesiam Cathedralem singuli pariter cum ipso, aliquam redituum suorum portionem tam pio, & necessario operi deputarent, & aliqui ex Canonicis nollent id facere; Archiepiscopus Papæ Innocentio III. id significavit, qui respondit: si aliqui contradixerint statutis ab Archiepiscopo, & majore ac saniore parte Capituli, prævalere debeat, & firmitatem obtinere sententia plurium, sive majoris partis. Ratio est, quia jus percipiendi reditus Ecclesiasticos Beneficiorum principaliter spectat ad Capitulum, seu Ecclesiam, licèt secundùm partes, seu portiones proventuum, divisum, seu attributum sit singulis Canonicis, pro eorum sustentatione: ac proinde singuli percipiunt fructus Beneficiales, non jure proprio ac singulari: sed jure Capituli, seu Ecclesiæ. Cùm ergo inter Ecclesiam materialem, quàm constituit Prælatus cum Capitulo, sit quædam communio: adeo quidem, ut secundùm primævam institutionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, proventus eorum dividendi sint in quatuor partes, quarum prima applicetur Mensæ Episcopali: secunda Mensæ Capitulari: tertia Fabricæ Ecclesiæ: quarta pauperibus, juxta *c. Vulterana*; 25. *& seqq. caus.* 12. *q.* 2. consequenter ex lege charitatis, & communionis, ipsáque primævâ bonorum Ecclesiasticorum institutione, tenetur Episcopus, & Capitulum, si commodè possint, ex suis partibus subsidium afferre, si una pars v. g. Ecclesiæ Fabrica indigeat, *Laym. in cit. dis. de rer. Eccles. alien. Thesi* 20. Imò si evidenter constet, Capitularem Mensam habere abundantes reditus, Ecclesiæ Fabricam verò pati necessitatem, potest solus Episcopus compellere Capitulum, ut ex superfluis reditibus subveniat Fabricæ indigenti; cùm de jure sit ad hoc obligatum, ubi autem est obligatio juris, non requiritur consensus obligati, *Abb. in cit. c. ult. n.* 7. *in fine h. t. Laym. c. l.* & sumitur *ex c.* 1. *& c. de his* 3. *de Eccles. ædific.*

Ubi prætereà Notandum primò. Quod dictum est, posse majorem partem Capituli, etiam contradicente minore, unâ cum Episcopo, seu Prælato, statuere, ut cum diminutione redituum Ecclesiasticorum portio aliqua deputetur ad restaurandam, v. g. Fabricam Ecclesiæ, *cit. c. ult. h. t.* Hoc solùm procedit, & locum habet, quoad reditus pertinentes ad singulos Canonicos jure Collegij, & quidem ob necessitatem, vel utilitatem, (quæ necessitati comparatur) ipsius Ecclesiæ. Sin autem fiat pro opere alioquin pio, sed extraneo, sive tali, quod ad Ecclesiam, aut Capitulum non multùm pertinet, vel sine necessitate: tunc potest pars minor, vel etiam unicus se opponere, & impedire decretum factum à majore parte Capituli, prætendendo proprium, seu singulare suum interesse, juxta *reg. jur.* 29. *in* 6. *Quod omnes tangit, ab omni-*

bus

bus approbari debet; quia *decisio tit. c. ult.* fundatur super opere pio, & necessario, ergo cessante causâ necessariâ, & piâ, sive necessitate, & utilitate Ecclesiæ, non potest pars major Capituli disponere in præjudicium partis minoris, *Abb. in cit. c. ult. n. 4. not. 1. Laym. c. l. Thes. 21.*

Notandum secundò. Pars major, & sanior Capituli potest, cum Episcopo, statuere aliquid, etiam contradicente parte minore, & cum diminutione reditnum Beneficialium singulorum Canonicorum, pro alijs pijs, & necessarijs operibus, ut si v. g. aliquid sit contribuendum pro erigendo Seminario Clericorum, vel pro pauperibus Studiosis, *Abb. in cit. c. ult. n. 2.*

Notandum tertiò. Pars major alicujus Collegij, seu Universitatis, etiam sæcularis, potest decernere, non obstante contradictione partis minoris, cum præjudicio, seu diminutione juris singulorum, si singuli non participent, seu utantur eo jure, ut proprio ac singulari: sed tanquam jure ejusdem Collegij, seu Universitatis, v. g. paciscì, seu transigere circa jus pascendi, aut ligna cædendi, ad eandem Communitatem spectans, ita ut singuli cives, vel oppidani eo jure in proprium commodum utantur, cùm tamen non sit jus singulorum proprium, sed jus Universitatis, licèt usus, seu fruitio sit singulorum, *Laym. cit. Thes. 21.*

Notandum quartò. Major pars Collegij, seu Communitatis, sive Ecclesiasticæ, sive sæcularis, non potest aliquid statuere, contradicente parte minore, & in ejus præjudicium, etiam pro opere pio ac necessario, de bonis, vel reditibus spectantibus ad singulos jure proprio ac singulari, & non jure Collegij, seu Universitatis, *arg. l. Per fundum 3 11. ff. de servitut. prædior. rustic.* ubi habetur, quòd in fundo communi pluribus, jus eundi per illum non fiat meum, nisi omnes cedant. Ratio est, quia pars major Collegij, seu Universitatis non habet jurisdictionem in partem minorem: ideóque non potest aliquid statuere de personis, vel bonis ad singulos pertinentibus jure proprio, ipsis contradicentibus. Secùs est, quando pars major disponit de bonis Collegij, seu Universitatis; quia cùm pars major censeatur tota Universitas, censetur disponere de bonis propriis, cùm bona Universitatis non sint bona singulorum, sed totius Collegij, seu Universitatis, quam pars major repræsentat, *Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t.* ubi *n. 6.* addit, quòd quando Universitas non habet, unde satisfaciat obligationibus, seu debitis suis, possint per Superiorem singuli cogi ad contribuendum Communitati ex bonis suis propriis, & privatis.

§. III.

An possit ferri Interdictum locale ab Episcopo sine consensu Capituli? Et an ad negotia à Capitulo tractanda debeant vocari Canonici absentes?

X. Ad primam Quæstionem respondetur, ut Interdictum locale ab Episcopo ferri possit, præter delictum valde grave, junctum cum Ecclesiæ injuria, seu dehonestatione, & admissum non à privata persona, sed à Communitate, vel à persona publica, seu Capite, aut Gubernatore Communitatis, ut docet *Suar. disputat. 36. de Censuris, Sec. 3. num. 6.* requiritur insuper etiam, ut feratur tum auctoritate Episcopi, & consensu Capituli, prout sumitur *ex c. Quæsivit 32. h. t.* Ubi cùm Cœlestino III. relatum esset, quòd interdum aliqui ex Canonicis, etiam minimis, Ecclesiam (Episcopi jurisdictioni subjectam, *Gl. hìc V. Ecclesiam tuam*, v. g. Parochialem vel aliam) interdicto subjiciant, sine Episcopi & aliorum Canonicorum assensu, eò quòd pensio Ecclesiæ debita non sit soluta, vel Parochianus aliquis deliquerit. Ad hoc respondet Papa: Interdictum tale per aliquem, vel aliquos ex Canonicis, sine Episcopi, & aliorum Canonicorum assensu, latum, observandum non esse, nec etiam permittendum, ut ab alijs observetur: Sed si quis deliquerit, is ipse Ecclesiasticæ correctioni subjiciatur, sive puniatur; cùm peccata auctores suos tenere debeant, nec pœna sit ulteriùs extendenda, quàm delictum fuerit in excedente repertum. Ratio decisionis est, quia talis sententia lata ab eo, qui non habet jurisdictionem, non tenet, *Gl. hìc V. Assensu*, ferre autem censuram interdicti, ad Episcopalem potestatem pertinet, non ad Capitulum, quod vivente Episcopo, jure ordinario, & seclusâ consuetudine, vel privilegio, non habet jurisdictionem fori externi in Territorium, vel Civitatem Episcopalem, ut docet *Suar. cit. disput. 36. Sec. 1. num. 5.* multò minùs talis potestas competit singularibus Canonicis, ut colligitur *ex hoc cap.* ubi dicitur, interdictum à Canonico, vel Canonicis positum, sine consensu Episcopi, non esse servandum.

XI. Ubi Notandum primò. Inter Canonicos alii dicuntur, & censendi sunt majores, qui scilicet ætate, scientiâ, morum gravitate, antiquitate, officiis & dignitate supra alios eminent, quorum proinde suffragia & sententiæ plus æstimari debent, *arg. c. Dudum 3 22. de Elect.* alii verò dicuntur minimi seu minores, ut notat *Abb. hìc n. 2.*

Notandum secundò. Ad ferendum interdictum, præter consensum Episcopi, requiritur etiam consensus Capituli, ut colligitur ex hoc cap. & tradit *Gl. ibid. in notatis*: notat tamen *Suar. cit. dis. 36. sec. 1. n. 6.* ad ferendum interdictum ab Episcopo, non requiri necessariò consensum Capituli, sed hoc esse per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam abrogatum.

Notandum tertiò. Licèt nullus innocens propter culpam alterius nocentis sit puniendus; cùm peccata suos auctores tenere debeant, ut dicitur in hoc cap. potest tamen quis ob justam causam, vel bonum publicum, absque culpa sua, privari jure suo, *juxta Reg. Jur. 23. in 6. sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus*, vel jure suo privandus, *Gl. in c. 2. V. Culpa vacat.; de Constitut.* Sic tempore interdicti localis cessatur à Divinis Officiis, adeóque ijs carere debent etiam insontes.

XII. Ad alteram Quæstionem respondetur, spectato Jure communi, & ordinariè ac generatim loquendo, ad tractatus, vel alios quosvis actus Collegij, seu Universitatis, v.g. si statutum sit faciendum, non sunt necessariò vocandi absentes, vel expectandi, ut docet *Gl. Communiter recepta in c. 2. V. Ipsorum de Testib. in 6. Abb. in c. 1. num. 15. h. t.* Excipitur primò, quòd in Electione Prælati, etiam absentes, si commodè vocari possint, vocandi sunt, *c. Quia propter* 3 42 *de Elect. Gl. jam cit. & Abb. cit. loc.* Secundò, si negotium arduum sit, seu magni momenti, & periculum non sit in mora, *Gl. margin. lit. B. in cit. c. 2. de Testib. in 6. Abb. in cit. c. 1. num. 15. h. t.* licèt quidam contrarium sentiant. Sed hoc saltem securius est, ut nimirum in rebus valde arduis, etiam absentes, quatenus fieri potest, vocentur, ut tradit *Laym. in c. ult. num. 3. de majorit. & obed.* Tertiò, Si quod decernendum est, tendat in singulare præjudicium absentium: tunc enim præsentes nihil statuere possunt, licèt duæ partes sint præsentes, *Gl. in cit. c. 1. V. Constitutum 3 h. t. Abb. ibid. n. 15.* nam ex recepta doctrina Glossæ *in c. Cum omnes 3 6. V. Constitutum 3 de Constitut.* si quid statuendum sit, quod tendat in præjudicium singulorum, sive agatur de juribus non Universitatis, quæ congregata non est, sed singulorum propriis: tum non sufficit consensus majoris partis, sed omnes consentire, est necesse, *arg. l. Per fundum 3 11. ff. de servitut. præd. rustic.* Quartò denique, si ex consuetudine legitimè præscripta etiam absentes vocari debeant, *arg. c. ult. de consuet. Laym. in cit. disc. de rer. Eccles. alien. Thes. 16.*

TITVLVS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA, SINE DIMINVTIONE CONFERANTVR.

Postquàm actum est in præcedentibus Titulis de Beneficiis, eorúmque collationibus, & num conferri, & an ea Prælatus conferre possit sine Capitulo, & quomodo Capitulum ea conferre, vel alia negotia tractare debeat: nunc subjicitur iste Titulus, in quo generalis Regula, seu Doctrina traditur, quòd Beneficia Ecclesiastica integrè, & sine diminutione conferri debeant. Sumitur autem hîc verbum collatio, seu conferre generaliter, prout comprehendit etiam præsentationem, institutionem, & quamlibet aliam provisionem Beneficii, ut notat Garcias p. 1. de Beneficiis c. 6. n. 32.

§. I.

Quomodo Beneficia sine diminutione sint conferenda?

I.

DE hoc agitur *in c. Ut nostrum unico, h. t.* ut explicat *Glossa magna ibidem, junctâ Additione.* Postquàm intellexit Papa Innocentius III. quòd Cancellaria Ecclesiæ Mediolanensis vacaverit, » ultra annum, ideóque potestas illam conferendi » ad Sedem Apostolicam sit devoluta: mandavit, ut » certæ personæ conferretur. Cùm autem Archiepiscopus varia, imò contraria allegaret, quòd nimirum Cancellariam non contulerit alicui, posteà verò assereret contrarium, quòd illam contulerit Clerico H. reservatis sibi fructibus. Papa ipsi Archiepiscopo onus probationis, super tribus articulis imposuit. Primò, quòd Cancellariam personæ idoneæ contulit: Secundò, quòd modo Canonico: Tertiò, quòd tempore competente. Nam cùm Archiepiscopus Cancellariam Clerico H. occultè contulerit, ideóque collatio suspicione non careat, & elapso anno, nullus Cancellarius compareret, justa præsumptio erat, collationem Cancellariæ ad Papam esse devolutam, juxta statuta Concilij Lateranensis (*in c. 2. supr. de Concess. præb.*) ideóque ab ipso statim conferri potuisse, non enim potest Papa de occultis divinare: quare ob hanc præsumptionem, ac præsertim etiam quia Archiepiscopus priùs responderat, se Cancellariam non contulisse (licèt aliàs actore non probante, reus conventus, etsi nihil præstiterit, absolvi debeat) tamen hæc facultas probandi collationem legitimè factam esse, ipsi Archiepiscopo concessa, non debet censeri gravamen injustum, sed potiùs gratia: nec ex malitia, sed benignitate profecta. Item quòd etiam de modo collationis Canonico Papa ab Archiepiscopo probationem exigeret, ipsemet dedit causam; quia sæpe per litteras Papæ significavit, ac demum per testes probavit, quòd Cancellariam contulerit, retentis sibi proventibus: ideóque Papam ex debito officij sui inquisitionem fieri mandâsse. Omnibus igitur diligenter examini-

» examinatis, Archiepiscopus in tribus fuit culpabi-
» lis repertus. Circa contrariatem responsi, quia
» non debuit ulli, præsertim S. Pontifici, ex certa
» scientia contraria respondere: circa carnalitatem
» animi, quia non ex affectu carnali, sed judicio di-
» screto debuisset Officium, & Beneficium Ecclesia-
» sticum personæ magis idoneæ conferre: ac deni-
» que circa inhonestatem facti, quia non est licitum
» ex quacúnque pactione, seu conventione, aut sub
» modo, seu præscripto tenore (quia modus æqui-
» pollet conditioni, ideóque sicut conditio, ita mo-
» dus Simoniam inducit, *Gl. hic V. Sub modo*) nudum
» Officium Ecclesiasticum conferre, & sibi proven-
» tus retinere, cùm in Concilio Lateranensi sub
» Alexandro III. (relato *in c. Prohibemus, 7. de censib.*)
» prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum
» Beneficium, partem aliquam proventuum suis usi-
» bus aut commodis retinere præsumat; & alibi cau-
» tum reperiatur (*c. ult. caus. 1. q. 3. c. Majoribus; 8.*
» *c. Vacante; 26. c. Cùm causam; 36. de præbend.*)
» quòd Ecclesiastica Beneficia sine diminutione con-
» ferri debent. Quamobrem hìc distinguendum est,
» an qui confert spirituale Beneficium, proventus
» tus ipsius ante collationem perceperit, nec ne? Si
» enim ipse eos non percepit: sed alius, & ex colla-
» tione consequatur (appositâ scilicet in illa pactio-
» ne, *Gl. hic V. Consequatur*) ut ipse percipiat pro-
» ventus, non est dubium pravitatem Simoniæ in-
» tervenire. Sin autem ante collationem ipse con-
» ferens perceperit proventus, tum iterum distin-
» guendum est, num Collator priùs, sive ante colla-
» tionem statuerit, seu convenerit, (cum Capitulo
» suo, non cum eo, cui conferendum est Beneficium,
» *Gl. fin. hìc*) ut pro justa & necessaria causa, proven-
» tus ad tempus ipsi retineantur: An verò conveniat
» cum eo, qui Beneficium accepturus est, vel cum
» mediatore aliquo, ut Beneficio illi collato, reti-
» neat ipse Collator, sive percipiat proventus illius:
» prius illud licitum censeri debet, non item poste-
» rius, ne via aperiatur ijs, qui Simoniacam pravi-
tatem satagunt palliare. Hactenus *Innocentius III. in cit. c. unic. h. t.*

II. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Etsi actore non probante, reus absolvendus est, licèt nihil præstiterit, sive innocentiam suam non ostenderit: ratione tamen præsumptionis contra reum transfertur interdum onus probandi in ipsum, ut patet *ex hoc cap.* in quo Archiepiscopo impositum est onus probandi propter præsumptionem, quæ ex collatione Beneficij occultè factâ, orta fuit contra ipsum, ideóque probare debuit, eam canonicè & legimè factam fuisse, *Gl. hic V. Actore non probante*, ubi plures exceptiones adfert, de quibus suo loco.

Notandum secundò. Occulta collatio Beneficij suspecta quidem est, & præsumitur illegitimè facta, quia in his, quæ clandestinè & secretò fiunt, præsumitur fraus, *Barbos. hic nu. ult.* non tamen est irrita talis occulta collatio; quia nullo jure reperitur expressum, quòd collatio Beneficij debeat palam, seu publicè fieri, sicut statutum est de Electione in Ecclesijs Cathedralibus, & Regularibus, quòd debeat publicari, aliàs non tenet, *c. Quia propter 42. h. t. Gl. hic V. Occulta.*

Notandum tertiò. Collator Beneficij non potest, nec debet retinere reditus, vel aliquam partem redituum, & si in collatione de eo paciscatur cum eo, cui confert Beneficium, committit Simoniam; quia ex pacto accipit aliquid temporale pro re spirituali, *Abb. hìc n. 14.* Verùm si Episcopus, cum consensu Capituli, non ex pacto, sed per auctoritatem, & potestatem suam ordinariam, partem aliquam redituum Beneficij vacantis, ob justam & necessariam causam, subtrahat, sibíque ad tempus reservet, etiamsi id in ipsius Episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat, v. g. ad solvenda debita Episcopatûs contracta, nomine Ecclesiæ, & non suo privato nomine, id per se & suâpte naturâ Simoniacum non est, ut tradit *Abb. hìc n. 15. & 20.* Sic Papa solet exigere Annatas, seu fructus primi anni ex Prælaturis, quæ ab ipso Papa confirmari debent.

III. An autem, spectato Jure communi, Episcopus possit ex justa causa reservare sibi ad tempus integros reditus Beneficij vacantis, dubitatur? Affirmat *Gl. fin. hìc Innocent. ibid. num. 6. & 7. Hostiens. in summa eod. §. Quamvis autem Beneficia, & alij apud Barb.* quia Episcopus potest cum Capitulo, ex justa causa Dignitatem vel Beneficium omnino extinguere, ergo multò magis ad tempus retinere sibi reditus illius. Neque obstat *c. penult. de V. S.* ubi per privilegium Papæ concessum fuit, ut fructus Beneficiorum in Diœcesi sua vacantium ad solvenda debita Ecclesiæ, per biennium sibi retinere, ac percipere possit, quod privilegium necessarium non fuisset, si jure communi id Episcopis licitum esset. Nam respondent Dd. citt. Licèt requiratur privilegium Papæ, si omnium Beneficiorum fructus in Diœcesi reserventur Episcopo, quia ea interim vacant, si omnium Beneficiorum reditus retineantur: non tamen tali privilegio opus est, si pars fructuum reservetur ex uno, vel pluribus Beneficiis vacantibus, & Beneficium conferatur. Vel etiam dici potest, privilegium in casu *cit. c. pen.* esse impetratum à Papa solùm ad majorem securitatem, aut quia Capitulum Episcopo contradicebat, ut in simili tradit *Abbas in c. Cùm olim 6. de consuet.* Neque etiam obstat *Clement. 2. de reb. Eccles. non alien.* ubi permittitur Episcopo, ut unire possit Beneficia, cum consensu Capituli, ita tamen, ut suæ vel Capituli Mensæ non uniantur; Nam ibi est sermo de perpetuis unionibus Ecclesiarum vel Beneficiorum, ideóque non debet id extendi ad reservationes fructuum Beneficiorum ab Episcopo ad tempus factas, *Barb c. l.*

IV. Contrarium tamen tenet valde probabiliter *Abb. hìc n. 20.* videlicet spectato jure communi, id non esse licitum Episcopis, sine privilegio, vel licentiâ Papæ, *arg. Rubric. hujus Tit. & c. ult. caus. 1. q. 3. item arg. cit. Clem. 2. de reb. Eccl. &c.* ubi perpetua unio Beneficiorum facta Mensæ Episcopali, vel Capitulari prohibetur Episcopo, etiam cum consensu Capituli; quia Episcopus auctoritatem præstaret in proprio facto, seu in proprium commodum, *Gl. ibidem V. Mensæ suæ*: quæ ratio etiam locum habet in unione temporali, vel in reservatione fructuum Beneficij factâ ab Episcopo ad tempus, alioquin

posset

posset Episcopus fraudem committere, post tempus illud elapsum, renovando temporalem unionem, vel reservationem, & sic indirectè illam facere perpetuam, ut notat *Abb. ibid.* Quare licèt Episcopus, cum Capitulo, possit statuere, ut reditus, vel pars reditnum Beneficiorum vacantium ad tempus reserventur in utilitatem Ecclesiæ Cathedralis, v. g. pro Fabrica, vel ad solvenda debita nomine Ecclesiæ contracta, juxta *cit. c. unic. h. t.* dummodò Beneficium, cui fit detractatio, reditibus abundet, *Laym. l. 4. tract. 2. c. 18. n. 4.* non tamen statuere potest Episcopus, ut reserventur in utilitatem suæ Mensæ, vel Capituli; quia auctoritatem præstaret in proprio facto. Nec refert, quòd in casu *cit. c. unic.* Archiepiscopus reservavit fructus Cancellariæ usibus suis: nam quod postea dicitur *in §. Unde credimus Versic. si verò*, non est referendum ad factum illius Archiepiscopi: sed ibi generalis regula traditur, an: & quando possit Episcopus retinere fructus Ecclesiæ, vel Beneficij vacantis: & dicitur, quòd ob justam, & necessariam causam id possit, non est autem justa causa, ut retineat in utilitatem propriam, ne in proprio facto auctoritatem præstet, licèt alioquin causa secundùm se esset justa, *Abb. hic n. 20.* Neque etiam obstat, quòd Tutor possit emere rem pupilli, dummodò id palam faciat, *l. Pupillus* 5. §. *Sanè, ff. de auctorit. Tut.* ergo potest quis auctoritatem præstare in facto proprio contra *Clem. 2. de reb. Eccles. &c.* Nam id verum est in contractu oneroso, seu non gratuito, ut est venditio, quæ palam fit, tunc enim cessat suspicio contra Tutorem: secùs est in donatione gratuita, cujusmodi est collatio Beneficij, de quo sermo est *in cit. Clement. 2.* ibi enim semper est suspicio fraudis, si fiat in utilitatem propriam, *Abb. c. l.*

Similiter Episcopus, cum Capitulo, statuere potest, ut certa pars fructuum primi anni ex Beneficiis in Diœcesi vacantibus applicetur ad Fabricam Ecclesiæ Cathedralis, si urgeat necessitas ejus reparandæ: non tamen potest, etiam cum Capituli consensu, statuere, ut primi anni proventus suæ Mensæ applicentur; quia auctoritatem præstaret in facto proprio, ideóque in hoc casu ad S. Pontificem recurri debet, ut docet *Joan. Andr. in c. Si propter*; 10. *num. 5. & ibid. Laym. n. 2. de reseript. in 6.* Idque procedit, spectato Jure communi: nam in quibusdam Ecclesiis Germaniæ adhuc hodie consuetudo viget, ut annatæ, seu primi fructus anni, vel potiùs moderata eorum pars reservetur Episcopo, ad ejus proventus augendos, ut refert *Laym. c. l. & l. 4. tract. 10. c. ult. §. 5. num. 46.* qui etiam addit, non satis constare, num per Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 14. de ref.* hujusmodi primorum fructuum subtractio ex vacantibus Beneficiis simpliciter sit ptohibita: an verò tantùm, ne ita accipiantur, ut Simoniæ speciem habeat, quasi pro collatione aut institutione accipiantur.

V. Cæterùm huc pertinet illa Quæstio, quando Beneficia Ecclesiastica diminui, vel etiam omninò extingui possint? Resp. ob tenuitatem reditnum, si illi notabiliter decreverunt, possunt ab Episcopo, cum consensu Capituli Beneficia Ecclesiastica sive numerus præbendarum diminui, vel etiam omnino supprimi, & extinqui, prout sumitur *ex c. Cùm accessissent*; 8. *de Constitut.* sicuti etiam, ob reditnum notabile augmentum, potest Beneficiorum & Præbendarum numerus augeri, *Abb. ibid. num. 2. & 4.* Ratio est, quia tot Canonici, & Ecclesiæ Ministri instituti debent, quot ex reditibus decenter sustentari possunt, ut habetur *in c. 1. de instit. tut. c. ult. junctâ Gl. V. juxta Facultates*; *de V. S.* cum ergo talis Præbendarum diminutio SS. Canonibus sit consentanea, non prohibetur Episcopus cum consensu Capituli, eam facere, ut docet *Gl. in c. Ex parte*; 10. *V. Diminui*; *h. t. Innocent. in cit. c. Cùm accessissent*; *n. 2. Jo. Andr. ibid. n. 2. Imola n. 4. & Abb. nu. 4. Laym. in c. Cùm M. 9. n. 1. de Constit.*

VI. Excipitur primò, ut dignitas in Ecclesia extinguatur, requiritur insuper auctoritas Papæ, juxta *Gl. in cit. c. Cùm accessissent*; *V. Confirmatum*, quod verum est, si secundùm Jus commune Canonicum, talis dignitas in Ecclesia esse debeat, ut colligitur *ex cit. c.* quia inferiores Papâ non possunt statuere contra Jus commune Ecclesiasticum, *Laym. in cit. c Cùm accessissent*; *num. 2.* Quòd si nova dignitas à Papa instituta, vel pro bono alicujus Ecclesiæ confirmata sit, non potest illam deinde tollere Episcopus, sine ejusdem auctoritate: extra hos verò casus, potest Episcopus cum Capituli consensu, etiam dignitatem ex justa causa extinguere, ut post *Gl. in Clement. 2. de reb. Eccles. non alien. V. Vacabat*, docet *Joan. Andr. in cit. c. Cùm accessissent*, *num. 19. & Laym. cit. c. 8. n. 2.*

Excipitur secundò, si Beneficia, seu Præbendæ, non ab Episcopo, vel Capitulo: sed ab alio sint fundata, tunc enim sine talis Patroni consensu, supprimi, aut diminui non possunt: præterquàm si necessitas id exigat, tum enim si Patronus requisitus consentire nolit, etiam eo invito, diminutio Beneficij fieri potest; nam Patronus non potest impedire magnum bonum Ecclesiæ. *Abb. in cit. c. 8. nu. 5. & Laym. in c. Cùm M. 9. n. 2. except. 1. de Constit.*

Excipitur tertiò, quòd nec Beneficia supprimi, vel diminui possint ab Episcopo, cum consensu Capituli, si id cedat in commodum utriûsque, quia bona communia habent, sed tunc ad Superiorem Archiepiscopum, vel Papam recurrendum est, ut is consentiat; quia Episcopus, vel Capitulum in proprio facto auctoritatem præstare non potest, juxta sæpe *cit. Clement. 2.* Sin autem bona Episcopi, & Capituli sint divisa, sicut plerumque esse solent, tunc potest Episcopus ex justa causa Beneficium extinguere, aut præbendas minuere, in commodum Capituli, aut Fabricæ, & si fortè per accidens, & indirectè Episcopus inde commodum ferat, *Abb. in cit. c. Cùm accessissent*; *n. 5. & Laym. in cit. c. Cùm M. 9. nu. 2. in except. 2. de Constit.*

Excipiunt communiter quartò: nisi numerus Præbendarum juramento sit confirmatus, cum clausula irritante: tum enim non potest mutari, vel minui, propter periculum perjurij, *Abb. in cit. c. Cùm accessissent*; *num. 4. & alij.* Verùm juramentum de certo numero præbendarum, vel Canonicorum servando, intelligi debet, si res in eodem statu permaneat: non autem si notabiliter mutata sit, nam tunc, non obstante tali juramento; quia v. gr. reditus notabiliter imminuti sunt, mutatio fieri potest, & numerus Canonicorum, & Præbendarum diminui, sicut

sicut etiam augeri, auctis reditibus, dummodo augmentum vel decrementum existimetur stabile futurum, *Laym. c. l. n. 4. except. 3.*

§. II.

De Pensionibus, per quas diminuuntur reditus Beneficiorum.

De pensionibus nullus extat Titulus in Jure Canonico, in variis tamen locis sparsim hinc inde de illis agitur, & ad Tractatum de Beneficiis propter magnam affinitatem, quam cum illis habent, pertinent; ideò de illis hoc §. agemus.

VII. Quæritur primò, quid sit pensio, & quomodo à Beneficio distinguatur? Resp. pensio, prout hîc accipitur, est jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, prout definit *Less. l. 2. de justit. c. 34. nu. 301.* vel ut explicatiùs alij, est certa portio ex alieno Beneficio Ecclesiastico ad tempus justâ de causa detracta, & separata, *Azor. p. 2. l. 8. c. 5. q. 1. Laym. l. 4. tract. 2. c. 18. n. 1.* Dicitur primò certa portio, quia est pars quædam de reditibus Beneficij detracta, & alteri assignata, adeóque jus quoddam per se distinctum, & separatum à Beneficio, sicut ususfructus à proprietate separatus est, prout colligitur ex c. *Quamvis* 3 4. *ibi: eis non in pensione, sed in Beneficiis Ecclesiasticis tantùm volumus provideri, de præb. in 6. & ex Concilio Trident. Sess. 21. c. 2. de refor.* ubi deciditur, quòd possit quis ordinari ad Titulum Beneficij Ecclesiastici, non item ad Titulum pensionis, nisi necessitas, vel commoditas Ecclesiæ aliud suadeat, prout Episcopus judicaverit. Nec obstat, quòd pensio loco Beneficij subrogatur, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur: non tamen eandem qualitatem habet cum illo, ut patet ex patrimonio, quod subrogatur in locum Beneficij ad Ordines suscipiendos, *cit. c. 2.* & tamen Beneficium non est, *Castro Palao tract. 13. dis. 1. punc. 11. §. 1. num. 5.* Dicitur secundò, ad tempus, quia pensio in hoc à Beneficio distinguitur, quòd Beneficium sit suâpte naturâ perpetuum, nam Beneficiarij morte, aut renunciatione non finitur: sed vacat, ita, ut alteri conferendum sit. At verò pensio ad tempus confertur, videlicet ad vitam pensionarij, per cujus mortem, vel renunciationem (quæ etiam sine superioris auctoritate fieri potest) omnino extinguitur, sicut ususfructus morte usufructuarij. §. *Finitur Instit. de usufructu*: nunquam autem vacat, ita, ut alteri conferri debeat: quamvis ex causa nova pensio Beneficio imponi potest, & denuò alteri assignari, *Azor. c. l. & Laym.* Verùm Papa ex plenitudine potestatis constituere potest, ut pensio sit perpetua, & de uno ad alterum transferatur, *Less. c. l. num. 108. & Laym.* Dicitur tertiò, ex justa causa, tum quia, cùm jure communi statutum sit, ut Beneficia sine diminutione conferantur, c. *un. h. t.* non possunt fructus Beneficij, sine justa causa, diminui, sive alteri assignari loco pensionis: tum quia, cùm pensio sit quædam servitus imposita Beneficio, & onus quoddam, per quod gravatur Beneficiarius, ideò sine justa causa constitui non potest, *Azor. c. l.*

Cæterùm nomine pensionis hîc definitæ non comprehenditur illa, quando ex Beneficio pingui certa portio fructuum detrahitur, & alicui in Titulum Beneficij perpetui conceditur, v. g. perpetuæ Vicariæ aut Commendæ, talis enim portio propriè dicti Beneficij rationem habet, ut notat *Azor. cit. loc. q. 5. Garc. p. 1. de Benefic. c. 5. n. 164. Laym. c. l.* Aliæ autem pensiones, sive dentur in stipendium laboris aliquo officio fungentibus: sive in subsidium vitæ, ob doctrinam alicujus, vel morum honestatem: sive loco Beneficij, quod dimisit, vel simpliciter, vel alterius gratiâ, vel permutavit, vel quo cessit litis finiendæ causâ, appellatione pensionis suprà definitæ comprehenduntur; quia propriè dicta Beneficia non sunt, cùm non conferantur in titulum perpetuum, licèt in multis cum Beneficiis conveniant, si sint pensiones Clericales, & non merè Laicæ, ut ex mox dicendis patebit, *Azor. cit. q. 1. & q. 5. Laym. cit. loc.*

VIII. Quæritur secundò, quotuplex sit pensio? Resp. duplex, Laica seu temporalis, & Clericalis seu spiritualis. Laica dicitur, quæ datur ob ministerium temporale, vel aliam causam temporalem, & Laico etiam conferri potest, v. g. Oeconomo Ecclesiæ, Cantori, Ædituo, vel etiam Ecclesiæ defensori aut Patrono. Pensio verò Clericalis, seu Ecclesiastica dicitur, quæ solis Clericis competere potest. Ea rursum duplex est, una simpliciter spiritualis; quia datur Clerico ob ministerium spirituale, v. g. Coadiutori Episcopi, vel Concionatori, vel Vicario, aut Cooperatori Parochi. Altera est media sive mixta, quæ fundatur quidem in statu Clericali, adeóque non nisi Clericis dari potest: non tamen propter spirituale ministerium confertur: sed ob aliam causam, cujusmodi est ea, quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni in necessariam sustentationem; vel quæ datur ei, qui Beneficium alteri resignavit, reservatâ sibi, cum auctoritate Episcopi, pensione: vel ei, qui Beneficium suum cum altero tenuiore permutavit, vel denique ei, qui lite Beneficiariâ cedit, *Less. c. l. n. 202. Azor. cit. q. 5. Laym. c. l. num. 2.*

Porro inter pensionem Ecclesiasticam, & Laicalem magnum est discrimen: hæc enim nihil ferè commune habet cum Beneficio Ecclesiastico, cùm non requirat statum Clericalem, nec officium spirituale, si sit simpliciter spiritualis, idcóque est jus spirituale, vel potiùs spirituali annexum, & eisdem ferè modis, quibus Beneficium amittitur: imò etiam annexam habet obligationem recitandi Officium B. V. ex Constitutione Pij V. *Laym. c. l.* quamvis ea constitutio non ubique sit recepta, teste *Lessio, cit. loc. num. 208.*

IX. Quæritur tertiò, quis possit pensionem imponere Beneficijs? Resp. primò, potestas imponendi pensiones ob justam causam absolutè competit S. Pontifici, quippe qui plenissimam habet in Beneficiis disponendi potestatem, *c. 2. de præb. in 6.* Dixi, ob justam causam, quia si sine justa causa imponatur pensio etiam à Papa, ea saltem illicitè obtinetur,

tur, adeóque in conscientia retineri non potest; cum Papa non sit absolutus dominus Beneficiorum, neque fructuum illorum; sed solùm Administrator & Dispensator, ut docet *Less. cit. c. 34. num. 204. Vasq. tract. de Benef. c. 2. §. 3. dub. 11. n. 50. Garc. p. 1. c. 5. n. 277. & alij communiter*, quamvis talis impositio sine causa facta sit valida, *Azor. cit. c. 5. q. 8. & Garc. n. 275.* Porrò plures causæ justæ, ob quas imponi potest pensio, suprà sunt allatæ, & generatim loquendo debet esse causa necessitatis, vel concernens utilitatem Ecclesiæ, ut mox dicetur.

X. Resp. secundò, etsi ordinariè loquendo, Episcopus non possit pensionem imponere ipsis Beneficiis, quia hæc sine diminutione conferri debent: idque stylus Curiæ Romanæ confirmat, per quem constituitur pensionum reservatur S. Pontifici, teste *Lessio c. l. n. 206.* In causis tamen specialibus, ex justa & necessaria causa, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem concernente, adhuc hodie talis potestas Episcopo competit. Et inprimis quidem Episcopus potest imponere pensionem Beneficiis, non in perpetuum, nec cum facultate transferendi ad alterum: sed duraturam ad vitam gravati Beneficiarij, cum quo & pensio extinguitur, ut ex receptissima sententia Dd. tradit *Fagnan. in c. Nisi; 21. de Præbend. n. 28. & seqq.* ubi Papa declarat, potuisse decerni, ob bonum pacis & concordiæ, ut unus ex duobus electis ad eandem dignitatem, habeat dignitatem, & alter annexam pensionem ex reditibus illius solvendam, ita tamen, ut talis pensio non debeat solvi, nisi dum vivit Beneficiarius gravatus; quia per talem etiam pensionem personalem, seu ad vitam tantùm eam solventis non dividitur Beneficium. An autem Episcopus possit imponere pensionem Beneficio ad vitam pensionarij, id est, ejus, cui pensio solvitur, ita tamen, ut post mortem Beneficiarij transeat ad Successorem illius in Beneficio, quamdiu pensionarius vivit, major est difficultas? Affirmativam tenent *Suar. l. 4. de Simonia c. 51. n. 18. Laym. l. 4. tract. 2. c. 18. nu. 3. Garc. p. 1. de Benef. c. 5. n. 295. & seq. & n. 333.* videlicet, quòd Episcopus ex causa justa & necessaria, vel utilitatem Ecclesiæ concernente, possit pensiones imponere Beneficiis ad vitam pensionarij, & quæ transeat ad Successorem in Beneficio. Quamvis *Garc. c. l. n. 334.* excipiat, quòd Episcopus ex causa pacis & concordiæ, ut à lite recedatur, non possit imponere pensionem, quæ transeat ad Successorem in Beneficio: sed solùm quæ duret ad vitam Beneficiarij onerati, & cum illo extinguatur, *arg. c. Nisi; 21. de præbend.* ubi hæc ratio datur, quia cùm agatur de jure personali, non potest obligari Successor in Beneficio, quippe de cujus utilitate non agitur, de quo infra: Porrò sententia affirmativa probatur *ex c. De cætero; 5. de transact.* ubi dicitur, quòd census vel pensio imposita ex causa transactionis, sine consensu Episcopi, non excedat vitam ejus, qui pensionem solvit: ergo per sensum contrarium, cum consensu Episcopi, potest excedere vitam Beneficiati solventis, adeóque ipsi Beneficio imponi pensio, quæ transeat ad Successorem. Unde *Gl. fin. ibidem* ait, talem compositionem esse personalem, nec transire ad Successorem illius, qui solvit, nisi facta fuerit auctoritate Episcopi, & *Abb. ibid. num. 2.* Concordat *c. 3. de colluf. detegend.* ubi apertè supponitur, per viam transactionis, quæ arbitrio Episcopi fieri solet, posse ita imponi, ut pensionario sit solvenda, etiamsi Beneficiarius, qui solvit, sit mortuus, ut notat *Suar. c. l.* Nec obstat *cit. c. Nisi essent; de præb.* quia ibi non fuerat pensio imposita auctoritate Episcopi: seu coram Judicibus arbitris aut Delegatis, etiam à Papa, qui non possunt, sine consensu Episcopi, imponere censum vel pensionem Beneficiato, ita, ut excedat vitam illius; quia per hoc præjudicium fieret juri Episcopi, qui non posset Beneficium alteri conferre, sine diminutione fructuum, *Suar. c. l. & Laym.*

Contrariam tamen, & negativam sententiam tenet *Azor. p. 2. l. 8. c. 6. q. 1. Sanch. l. 7. mor. c. 29. n. 99.* & novissimè fusè probat *Fagnan. in cit. c. Nisi essent, de præbend. n. 40. & pluribus seqq.* quæ tamen non plus probare videntur, quàm quòd ordinariè, & regulariter non possit Episcopus ipsis Beneficiis in perpetuum, vel quæ ad Successores in Beneficio transeat, pensionem imponere sine licentiâ Papæ: non autem quòd id non possit ex justa & necessaria causa, vel ob utilitatem Ecclesiæ, in quibusdam casibus specialibus, qui ex jure vel consuetudine sufficienter colliguntur, ut suprà dictum, & quicquid sit de jure stricto, saltem usu videtur esse recepta sententia affirmativa, in quibusdam casibus, *Suar. c. l.* ubi ait, quòd usus videtur ita declarâsse jura suprà allata.

XI. Cæterùm prædictis addendum primò, quòd non possit Episcopus resignanti coram ipso Beneficium in favorem alterius, reservare, seu assignare pensionem solvendam ex Beneficio illo; quia nec potest talem resignationem admittere, sed solus Papa, *Suar. lib. 4. c. 33. n. 3. Garc. c. l. n. 340. & 341. Laym. c. l.* Secundò, Episcopus non potest conferre Beneficium, cum pacto seu conditione solvendi pensionem, hoc enim Simoniacum est, juxta *cit. c. Nisi; 21. ibi: non quidem ex pactione partium, de præb.* sive conveniatur, ut pensio solvatur ipsi Episcopo, sive alteri, *cit. c. Nisi; Fagnan. ibid. n. 18. & 19.*

XII. Quæritur quartò. Quinam pensiones obtinere possint? Resp. etsi pensio temporalis Laico concedi possit, non tamen Ecclesiastica; hæc enim nonnisi Clerico, saltè primâ tonsurâ initiato, constitui potest; cùm sit jus fundatum in statu Clericali, imò ex Constitutione Pij V. etiam officium spirituale annexum habet, ut supr. dictum, *Less. c. l. n. 203. Azor. cit. l. 8. c. 7. q. 3. Garc. cit. c. 5. n. 10.* quin etiam talis pensionarius habitum, & tonsuram Clericalem ferre debet, saltem si pensio excedat summam 60. Ducatorum auri de Camera, juxta *Constitut. 3. Sixti V. apud Garc. c. l. n. 12.* Secundò, non potest pensio Ecclesiastica concedi infanti, qui scilicet est infra septennium; quia hæc ætas requiritur ad primam tonsuram, & ad simplex Beneficium jure antiquo, *Azor. c. l. q. 1. Garc. c. l. n. 177.* Verùm jure novo Concilij Tridentini sicut nullus potest obtinere Beneficium ante annum XIV. ita nec pensionem Ecclesiasticam, *Garc. c. l. num. 129.* Tertiò, universim loquendo, qui non est capax Beneficij, non est etiam capax pensionis Ecclesiasticæ, saltem secundùm stylum Curiæ, qui est servandus, *Garc. c. l. n. 121.* Et hinc sicut excommunicato, suspenso, interdicto, irregulari non potest conferri Beneficium, ita nec pensio, *Azor. l. 8. c. 7. q. 2. Garc. c. l. n. 125. 130. & 135.* nec spurio, seu illegitimo, *Azor. cit. c. 7. q. 6. Garc. cit. c. 5. num. 119.* Item sicut Religiosus est incapax Beneficij sæcularis, ita

ita & pensionis detractæ ex Beneficio sæculari, sine dispensatione Papæ, *Azor. c. l. q. 11. Garc. c. l. n. 139.* Adde, quòd si incapax sit absolutè & generaliter dispensatus ad Beneficium obtinendum, censetur etiam dispensatus ad pensionem; nam inhabilitas ad pensionem fundatur in habilitate ad Beneficium, hac igitur sublatâ per dispensationem, etiam censetur sublata altera, quia pensio succedit loco Beneficij, *Garc. c. l. n. 150.* Secus est in dispensato specialiter tantùm ad certum Beneficium, *Garc. c. l. n. 151.*

XIII. Quæritur quintò, in quibus Beneficiis pensiones constitui possint, & in qua quantitate? Resp. primò; etsi omnibus Beneficiis curatis, & non curatis imponi possit pensio, saltem à S. Pontifice: tamen Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 13. de reform.* statuit, ut inposterum omnes Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam mille ducatorum, & Parochiales, quæ summam centum ducatorum, secundùm verum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fruuctuum graventur: idque ipse usus observat, ne Parochialis Ecclesiæ Rector plus, quàm æquum est, oneretur: In Beneficiis verò simplicibus nulla pensio imponi solet, nisi reditus annui Beneficij 24. Ducatorum summam excedant. Item si Beneficium, quod resignatur, est Canonicatus aut Dignitas, non solet onerari pensione, nisi reditus ejus centum Ducatorum quantitatem excedant, *Azor. p. 2. l. 8. c. 8. q. 7. infine.*

XIV. Resp. secundò pensio, quæ imponitur Beneficiis, debet esse moderata, ut tantum remaneat Beneficiato, præsertim Ecclesiæ Rectori, seu Parocho, ut commodè se sustentare: officium misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere: jura item Episcopalia solvere, & alia onera ipsi incumbentia præstare possit, juxta *c. De Monachis, 12. de præb.* aliàs pensio imposita ad debitam quantitatem reducenda est, *Less. cit. c. 34. num. 206. Azor. cit. c. 8. q. 5. Laym. cit. c. 18. n. 6. Garc. cit. c. 5. n. 366. & seq.* Est autem fermè consuetum, ut nomine pensionis tertia pars reditum ex Beneficio extrahatur, ita, ut si pensio tertiam partem non excedat, justa censeatur, *Azor. c. l. q. 5. & Laym.* Verùm in Beneficiis simplicibus hodie de stylo Curiæ regulariter imponi pensionem usque ad medietatem fructuum, tradit *Parisius l. 6. de resign. Benef. q. 2. n. 26. Garc. c. l. n. 371.* Portò non censetur pensio imposita super reditibus incertis, vel distributionibus quotidianis, nisi id exptimatur, etiamsi adjecta sit clausula generalis, per quam pensio imponitur super reditibus, fructibus & proventibus universis; quia hæ distributiones, & reditus incerti, non sunt fructus Beneficij, sed stipendium & merces laboris, ideóque sub generali nomine fructuum, & reddituum non comprehenduntur, nisi aliunde ex subjecta materia, vel stylo Curiæ contrarium constaret, *Azor. tit. c. 8. q. 17. Garc. cit. c. 5. n. 379 & seq. & n. 388. & seq.*

XV. Quæritur sextò. An ad pensionem imponendam Beneficio requiratur consensus Beneficiarij, vel Patroni, si Beneficium sit Patronatum? Resp. primò, requiritur consensus Beneficiarij, alioquin invalida est constitutio pensionis, sive fiat ab Episcopo, sive à Papa, ut docet *Azor. cit. c. 8. q. 6. Garc. cit. c. 5. n. 320.* Nam etsi Papa possit imponere pensionem, etiam sine consensu Rectoris Beneficij, non tamen id facere solet, ut constat *ex Reg. 43. Cancellariæ Apostolicæ apud Cochier*, ubi habetur, quòd Litteræ resignationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cujusvis pensionis annuæ, super alicujus Beneficij fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc debebit: ergo multò minùs Episcopus poterit pensionem imponere, sine consensu Beneficiarij; cùm non possit derogare Constitutioni S. Pontificis. Imò probabilius est, quòd etiam Beneficio vacanti non possit imponi pensio Ecclesiastica, nisi constituatur defensor aliquis, qui locò Beneficiarij in pensionem consentiat, ut docet *Azor. cit. q. 6. Palao cit. disput. 1. pun. 11. §. 5. num. 2.* Ratio est, tum quia etsi constitutio pensionis Ecclesiasticæ non sit propriè alienatio, est tamen quasi alienatio, ejúsque naturam imitatur, ideóque ad eam defensor requiritur, sicut ad alienationem rerum Ecclesiæ, eâ vacante: tum quia *cit. Reg. Cancellariæ* non distingnit; num pensio imponatur Beneficio vacanti, vel non vacanti.

XVI. Resp. secundò, ad imponendam pensionem Beneficio patronato non requiritur necessariò consensus Patroni: sed solùm ex honestate, spectato jure communi, & seclulo speciali privilegio, aut consuetudine, *Abb. in c. unic. n. 20. h. t. Azor. cit. c. 8. q. 1. Less. c. l. n. 207. Laym. cit. c. 18. n. 4.* Ratio est, tum quia nullo jure cavetur, requiri ad hoc consensum Patroni: tum quia per hoc nullum sit præjudicium Patrono, non enim confertur Beneficium sine consensu ejus; sed postquam collatum est ei, quem præsentavit, pensio sine ejusdem consensu alteri reservatur ab Episcopo, non in perpetuum; sed tantùm ad vitam pensionarij, adeóque nihil Patroni juri derogatur, cùm ipse fructus ex Beneficio percipere non possit, nisi in necessitate, quæ hîc supponitur abesse: dummodò tamen pensio imposita sit moderata, & non nimis onerosa: alioquin Patronus petere potest, ut extinguatur, vel ad debitam quantitatem redigatur; ut notat *Azor. c. l. q. 1. & 2.* Aliud verò est, in permutatione, resignatione factâ in favorem alterius, & in unione Beneficiorum: in his enim ordinariè requiritur consensus Patroni; quia per illas suo jure præsentandi privatur Patronus, *Less. c. l. n. 207.* monet tamen *Laym. c. l. n. 4.* consultum esse, ut consensus Patroni priùs requiratur, nam si Patronus sine justa causa consentire nolit, poterit Episcopus nihilominùs pensionem imponere.

Cæterùm in Litteris pensionis constitutæ à Papa fieri debet mentio de jure, quod in Beneficio habet Patronus, si sit Laicus, cui jus Patronatûs competit ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ; alioquin litteræ erunt subreptitiæ; quia tacetur aliquid, quod si expressum fuisset, difficiliùs impetrata fuisset pensio, non enim solet Papa facilè derogare juri Patronatûs Laicorum. Aliud est, si Patronus sit Ecclesiasticus, vel etiam Laicus jus Patronatûs habens ex præscriptione, consuetudine, vel privilegio, tunc enim non est necesse facere mentionem, quia faciliùs onerat Papa talia Beneficia Patronata, *Azor. cit. c. 8. q. 3. Less. n. 107.*

XVII. Præterea in impetratione pensionis fieri debet mentio prioris pensionis constitutæ in Beneficio; quia non præsumitur Papam velle duplici

onere gravare Ecclesiam, ut ex communi docet *Azor. cit. l. 8. c. 9. q. 3.* Non autem necessariò fieri debet mentio de Beneficiis priùs obtentis, nullus enim Textus juris id requirit, licèt enim in impetratione Beneficij mentio facienda sit cujusvis Beneficij obtenti, juxta supra *dicta Tit. de Præbend.* tamen sub nomine Beneficij non comprehenditur pensio in odiosis & pœnalibus: & sicut in impetratione Beneficij non est opus facere mentionem de pensione obtenta, cùm hæc non sit Beneficium Ecclesiasticum, nisi impetretur Titulo paupertatis, *Azor. cit. l. 8. c. 12. q. 14. Garc. cit. c. 5 n. 75.* ita neque vice versâ, in impetratione pensionis fieri debet mentio de Beneficio obtento, *Palao cit. pun. 11. §. 5. num. 5.* An autem etiam exprimendus sit valor pensionis, aliqui affirmant, alij verò negant apud *Garc. c. l.* de quo videri potest, *idem n. 9. & pluribus seqq.*

XVIII. Quæritur septimo, quando fieri possit designatio seu reservatio pensionis? Resp. fieri posse, tum ante collationem Beneficij, tum etiam postquam collatum est, cum consensu tamen ejus, cui collatum est, quia jus habet in Beneficio, etsi frequentiùs fieri soleat, cùm Beneficium confertur, *Azor. cit. c. 8. q. 4.* monet tamen *Laym. cit. c. 18. nu. 5.* quòd Episcopus debeat reservare pensionem, ante collationem Beneficij, si ex tali reservatione pensionis aliqua utilitas in collatorem directè, vel indirectè redundet, alioquî enim, si ipsam reservet in ipsa collatione, requisito consensu Beneficiati, periculum erit pactionis Simoniacæ, ut patet *ex c. unic. h. t. in fine.* Portò postquam causa reservationis pensionis: seu subtractionis fructuum ex Beneficio alterius cessavit, iterum sine diminutione conferri debent Beneficia, sicut jure communi, & ordinario debent, juxta *cit. c. unic. Laym. cit. loc.*

XIX. Quæritur octavò, an pensionarius obligatus sit ad solvendum onera annexa Beneficio? Resp. per se, & spectato Jure communi, pensionarius pro rata pensionis suæ obligatus est contribuere ad subsidium charitativum Episcopo: item ad solvendas collectas, tum ordinarias, tum extraordinarias, quæ ob necessitatem, vel publicam causam à Clericis interdum exiguntur, & alia similia onera, Beneficiis imposita, *Azor. cit. l. 8. c. 9. q. 2. Laym. cit. c. 18. n. 7. Garc. cit. c. 5. n. 171.* Ratio est, quia qui commodum percipit, debet & onus ei annexum perferre, juxta *Reg. 77. in 6.* At verò pensionarius percipit partem aliquam fructuum, sive redituum ex Beneficio, ergo secundùm proportionem, debet etiam subire onera Beneficio imposita, & annexa. Excipitur, nisi assignata sit alicui pensio libera, & exempta ab omnibus hujusmodi oneribus, tunc enim ea solus Titularis, seu Rector Beneficij præstare debet, quo casu eò minor pensio constitui solet, *Azor. c. l. & Laym. Garc. c. l. n. 172.*

XX. Quæritur nonò, an obligatio Beneficiarij solvendi pensionem transeat ad Successorem ejus in Beneficio? Resp. affirmativè, ratio est, tum quia pensio est onus reale impositum fructibus, seu redditibus Beneficij, quod ad Successorem cum suo onere transit: tum quia Successor hoc ipso, quòd liberè acceptet Beneficium pensione gravatum, videtur quasi contrahere, & se obligare ad illud onus præstandum, *Azor. cit. c. 8. q. 13. & alij communiter.* Et hinc etiam, vacante Beneficio, pensio solvenda est ex redditibus illius ab Oeconomo, seu Administratore, quia est onus reale fructibus Beneficij annexum, *Azor. cit. l. 8. c. 12. q. 10. Garc. cit. c. 5. n. 188.* ubi *n. seq.* addit, quòd etiam sequestrato Beneficio, pensio solvenda sit à sequestro.

Extendunt traditam doctrinam nonnulli, ut Successor in Beneficio pensione onerato solvere teneatur etiam pensiones, quas Beneficiarius mortuus, præteritis annis, non solverat, sive eas in utilitatem Ecclesiæ convertetit (secus si in utilitatem sui hæredis, tunc enim hic eas solvere debet) sive in usus suos privatos, vel malè illas consumpserit Antecessor: nam pensio est onus reale impositum Beneficio, ut supr. dictum, quod cum illo transit ad possessorem, & licèt ad Successorem in Beneficio non pervenerint pensiones præteriti temporis; pervenit tamen ad ipsum Beneficium, quod est obligatum pensionario, cum onere reali, *Azor. cit. c. 8. q. 14.* Verùm alij apud eundem censent, hæredem Beneficiarij, si is pensiones præteriti temporis malè consumpsit, vel in privatos suos usus impendit, debere eas solvere, cùm Successor in Beneficio nihil perceperit ex fructibus præteritis, quos Antecessor ipsius consumpsit. Denique Rota Romana apud *Garc. c. l. n. 199* sæpiùs decidit, Beneficiarium, vel ejus hæredem, pro solutione pensionum præteriti temporis priùs conveniendos esse, quàm Successor in Beneficio conveniatur; quia ipsi sunt directè obligati, maximè si fructus aliquos Beneficij retineant, tunc enim actione hypothecariâ conveniri possent: Successor verò, qui nullos fructus Beneficij adhuc percepit, solùm in subsidium obligatus videtur ad solvendum, ideóque non est æquum, ante excussionem Antecessoris, ejúsque hæredis illum conveniri. Quamvis plures Dd. relati à *Garcia c. l.* dixerint, liberum esse pensionario, contra ipsum Antecessorem Beneficij adhuc viventem, vel defuncti hæredem, contra ejus in Beneficio Successorem agere, at rutius esse, contra Successorem agere.

Illud magis certum est, factâ excussione Beneficiarij, vel ejus hæredis, pensionarium posse petere solutionem pensionum extantium à Successore in Beneficio; quia ad hunc transit Beneficium cum onere annexo, & consequenter contrahit obligationem pensionis solvendæ: nam licèt fructus Beneficij percepti tempore Antecessoris, obligati sint ipso jure pro solutione pensionis: quia verò hi ampliùs non extant, subrogantur in eorum locum fructus reliquorum sequentium annorum ex eodem Beneficio percepti, *Palao cit. pun. 11. §. 6. n. 4.*

XXI. Quæritur decimò, quibus modis pensiones extinguantur? Resp. varij sunt modi, quibus illæ extinguuntur, prout videre est apud *Azor. cit. l. 8. c. 10.* Primò, obitu pensionarij, quia hæc servitus Beneficio imposita solùm ad ejus vitam durat, ex communi apud *Azor. cit. c. 10. in princ.* Secundò, per matrimonium contractum per verba de præsenti vacant pensiones Ecclesiasticæ, sicut & Beneficia; quia talis pensio locò Beneficij succedit, cui æquiparatur, ejúsque naturam imitatur, *Azor. c. l. q. 1. Garc. cit. n. 5. n. 106. & 2. seqq.* Tertiò, per promotionem ad Episcopatum sicut vacant Beneficia, ita etiam extinguuntur pensiones, nisi fuerit per dispensationem, vel privilegium Pontificium concessum, ne pensione promoti

noti priventur, quod aliqui etiam extendunt, ad eum, qui promotus est ad Abbatiam, *Azor. c. l. q. 2. Garc. cit. c. 5. n. 110. & 112.* Quartò, per professionem expressam, vel tacitam Religionis, *Azor. c. l. q. 3.* ubi addit, quòd sicut ante professionem emissam non vacant Beneficia, ita nec pensio extinguitur, *Garc. c. l. n. 114.* Quintò, si pensionarius miles factus sit, & monitus militiam non deserat, tunc sicut Beneficium, ita & pensionem Ecclesiasticam amittit, quia privilegio Clericorum privatur, *Azor. c. l. q. 4. Barb. lib. 3. Jur. Eccles. c. 11. n. 50.* Sextò, si pensionarius in perpetuum pensionem remiserit, etiam absque Papæ consensu, illa extinguitur; quia licèt Clericus Beneficium dimittere nequeat, propriâ auctoritate, sine Superioris consensu, potest tamen pensionem: Ratio disparitatis est, quia cùm Beneficium dimittitur, vacat, quod cedere potest in damnum Ecclesiæ: at verò cùm pensio dimittitur, non vacat: sed extinguitur, quod Beneficio & Ecclesiæ potiùs prodest, quàm nocet, quia Beneficium liberatur ab onere & servitute, quâ tenebatur. Deinde cùm pensio constituatur in commodum pensionarij, potest is suo commodo & juri renunciare, *Azor. cit. c. 10. q. 6.* Septimò, si pensionarius obtineat Beneficium, in quo fuerat ei pensio reservata, tunc cessat jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio, in quo jure sita est pensio, sicut cessat ususfructus acquisitâ rei proprietate. Hoc autem procedit solùm, si jure obtineat Beneficium, in quo sita est est pensio ipsi assignata, tunc enim pensio omnino extinguitur, ita, ut si posteà Beneficium illud dimittat, pensio semel extincta, non reviviscat, nisi per Superiorem denuò conferatur. Si verò pensionarius Beneficium, in quo sita est pensio, obtinuit solùm de facto, non de jure, ideóque illud dimittere cogatur; quia alius, lite ei intentatâ, illud obtinuit, & quasi evicit, tunc potest pensionem exigere ex Beneficio illo ab eo Beneficiario, uti priùs exigebat; quia pensio interea tantùm sopita fuit, non extincta, ac proinde etsi Beneficium illud, in quo erat ei pensio reservata, pensionario ablatum fuit, non tamen aufertur ei jus iterum petendi pensionem à Beneficij possessore, sicuti simile jus habet usufructuarius, ut colligitur *ex l. Dominus* 57. *ff. de usufruct. Azor. cit. c. 10. q. 7. Palao cit. punct. 11. §. 10. num. 13.* Cæterùm pensio alicui reservata in Beneficio non statim extinguitur per assecutionem alterius Beneficij, quia pensio simul cum Beneficio obtineri potest, cùm Canones id non prohibeant, neque enim pensio est Beneficium Ecclesiasticum, *Azor. c. l. q. 8.* Plures quæstiones de pensionibus Ecclesiasticis videri possunt apud *Azor. p. 2. lib. 8. c. 5. & pluribus seqq.*

TITVLVS XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

Dictum est Titulis præcedentibus, num alienatio rerum Ecclesiasticarum fieri possit à Capitulo, Sede vacante, & an à Prælato, cum consensu Capituli, vel sine consensu illius: idcirco nunc subjicitur hic Titulus, in quo universim & exactiùs tractatur de prohibita rerum alienatione. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SECTIO I.

DE RERUM ECCLESIASTICARUM alienatione, & rebus, quæ alienari possunt.

§. I.

Quænam alienatio rerum Ecclesiasticarum Jure Canonico sit prohibita, & quæ hîc intelligantur nomine Ecclesiæ?

1.

PRæmittendum inprimis, quòd nomen alienationis in Jure dupliciter accipitur, ut notat *Molin. tract. 2. de Justit. dis. 465. & Azor. p. 2. Institut. lib. 9. cap. 1. q. 2.* Primò, strictè pro eo tantùm actu, per quem dominium directum rei traditæ in alterum transfertur, cujusmodi est venditio, donatio, permutatio, &c. ut constat *ex l. 1. C. de fund. dotal. & ex l. Alienum* 61. *in princ. ff. de V. S.* ubi dicitur, alienatum non propriè dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet: *& ex l. 1. C. de jure emphyteut.* ubi dicitur, contractum emphyteuticum alienationis nomine non contineri, quia ut *Gl. ibid. ait, V. Alienationis,* dominium directum rei emphyteuticæ remanet penes dominum, cùm tamen alienatio sit actus, per quem dominium in alterum transfertur. Secundò, sumitur alienatio latissimè, pro omni eo actu, per quem dominium directum, vel etiam utile tantùm, retento directo, aut aliud jus in re transfertur, ac proinde qui sic alienare prohibetur rem aliquam, eam nec in feudum concedere potest, nec in emphyteusin, neque locare ad longum tempus, neque etiam tradere in pignus, aut hypothecam, saltem specialem; quia res ita obligata obnoxia manet alienationis periculo, cùm per pignus facilè perveniri possit ad alienationem, ut inde satisfaciat creditori, si aliud non sit aut suppetat, unde debitum solvatur. Imò neque servitutem, sive realem, sive etiam personalem, videlicet usumfructum, constituere quis potest in re alienari prohibita, prout

hæc omnia expresè habentur, *in l. fin. C. de reb. alien. vel non alien.* ubi subjungitur, eum, qui sic alienare prohibetur, sive lege, sive testatoris voluntate, sive pacto, nihil prædictorum facere posse, nisi is, qui alienationem interdixit, aliquid tale fieri permiserit.

II. Assertio 1. In hac materia prohibitæ alienationis rerum Ecclesiasticarum, quippe Ecclesiis valde favorabili, nomen istud latissimè accipitur, ut » constat *ex c. Nulli 5. h. t.* ubi sic statuitur: Nulli » (scilicet Clerico, sive majori, sive minori, seu inferiori, & multò minùs Laico, *Hostiens. hic V. Nulli*) » liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ suæ, sive » agrum, sive rusticum mancipium, neque specialis » hypothecæ titulo obligare: nomine autem alienationis continetur conditio (aliqui legunt conductio) donatio, venditio, permutatio, & emphyteuticus contractus perpetuus. Quare omnes Sacerdotes ab ejusmodi alienatione abstinere debent, » alioquin pœnas timere possunt, quas Leonis » Imperatoris Constitutio comminatur, quæ extat *in l. Jubemus*; 14. §. *Oeconomus C. de SS. Eccles.* & refertur etiam *in Authent. de non alienandis rebus Ecclesiæ Collat. 2. §. Quia verò Leonis, de quibus infrà.* Est autem *hoc c. desumptum ex Concilio apud Sylvanensem.* Ratio Constitutionis est, quia Prælati & Rectores Ecclesiarum, & multò magis inferiores Clerici non sunt domini, sed dispensatores tantùm, seu administratores rerum & bonorum Ecclesiasticorum, *c. 2. de donat.* ideóque potestatem absolutam illas alienandi non habent, nisi in casibus à SS. Canonibus ipsis permissis, de quibus infrà. Occasio autem hujus decreti prohibitorij erat; quia Prælati Ecclesiarum, aliique Clerici frequenter alienabant bona Ecclesiarum in damnum earundem, ut notat *Gl. hic in casu, & Abb.*

III. Ubi pro intellectu hujus cap. Notandum primò. Per mancipium rusticum hîc intelligitur, quod excolendo agro est destinatum, & adscriptum; nam talis servus rusticus deputatus ad culturam agri seu prædij quodammodò illi adhærere, ejúsque pars esse videtur, ideóque inter bona immobilia computatur, *Hostiens. hic V. Rusticum; & Abb. n. 2.*

Notandum secundò. Non tantùm res immobilis Ecclesiæ alienari non potest, ita, ut dominium rei transferatur: sed nec specialis hypothecæ titulo obligari, licèt dominium directum & utile penes Ecclesiam remaneat, ut patet *ex hoc cap.* an autem titulo generalis hypothecæ possit obligari, infrà dicetur.

Notandum tertiò. Nomine alienationis hîc continetur conditio, donatio, venditio, permutatio, & emphyteusis perpetua, ut habetur *in hoc cap.* Quid autem per conditionem hoc loco intelligatur, dubium est? Aliqui per illam intelligunt conditionem Testamenti, nam assignatio seu dispositio, quæ fit in Testamento, dici potest alienatio, ut tradit *Bartol. in Authent. res, quæ subjaceat C. Communia de legat. num. 5.* Alij verò probabiliùs intelligunt concessionem sub conditione, quando res immobilis, videlicet prædium transfertur sub conditione, *Gl. hic V. Alienationes*, vel quando fit tributarium, quia sub conditione tale prædium cadit in commissum, si tributum non solvatur, *Innocent. hic V. Conditionem, Hostiens. V. eod. & Joan. Andr. n. 2.* Alij, sed malè legunt, conductio; non enim omnis conductio est prohibita, imò permissa, ut infrà dicetur. Alij denique legunt condictio, sed omninò vitiosè, nam in auditum est, nomine alienationis contineri condictionem, quippe quæ est actio, per quam aliquis jus suum prosequitur in judicio, *Zæsius in Comment. hîc n. 2.* Per emphyteusin verò perpetuam hoc loco intelligitur, quæ fit ad 30. annos, *Abb. hic n. 4.* vel ad vitam conductoris, seu emphyteutæ, vel quamdiu solvitur pensio seu Canon, *Innocent. hic V. Perpetuum, & Hostiens.* vel si locatio, seu concessio fiat ultra tertiam generationem, *Hostiens. hic. V. Eodem.* sed de hoc infrà Tit. 18.

IV. Assertio 2. Sicut alienationis nomen in materia ista Ecclesiis favorabili latissimè accipitur, ita etiam nomen Ecclesiæ extenditur ad omnem locum pium, auctoritate Episcopi constitutum, ita, ut res ejus alienari non possint, sine requisita juris solennitate; nam Constitutio Imperat. Leonis *in l. Jubemus; C. de SS. Eccles. de non alienandis rebus Ecclesiæ*, postea extensa est ad omnem locum pium *in Authen. Hoc jus porrectum C. eodem* & refertur *int. 2. caus. 10. q. 2.* eaque *in cit. c. Nulli; h. t.* fuit approbata, ac velut canonizata, ut notat *Abb. ibid. nu. ult.* quemadmodum etiam Beneficium restitutionis in integrum Ecclesiis concessum, ratione læsionis, extenditur ad Xenodochia, & alia loca pia, si auctoritate Episcopali constituta sint, quæ in hujusmodi æquiparantur à jure Ecclesiis, *arg. c. Requisisti 15. §. Secus autem; de Testam. Abb. c. l. Laym. lib. 3. tract. 4. c. 10. n. 1.*

V. Ex dictis infertur primò, etsi prohibitum sit, res Ecclesiasticas subjicere hypothecæ speciali, non tamen prohibita est constitutio hypothecæ generalis, ac proinde Prælatus ad firmandum contractum legitimè institutum, bona Ecclesiæ obligare potest sub hypotheca generali, etiam absque consensu Superioris, vel alia solennitate Canonicâ, ut colligitur *ex cit. c. Nulli*; per sensum contrarium, eo ipso enim, quòd ibi prohibetur solùm hypotheca specialis in rebus Ecclesiasticis, permissa censetur hypotheca generalis; *Joan. Andr. ibid. n. 1. & Abb. n. 3. Covarr. l. 2. var. resol. c. 16. n. 7. Molin. tract. 2. dis. 466. n. 1. Redoanus tract. de reb. Eccl. non alien. q. 2. c. 6. n. 11. & 12. Laym. cit. c. 10. n. 2.* Ratio disparitatis est, quia per hypothecam generalem non ita facilè devenitur potest ad alienationem, seu venditionem rei generaliter solùm obligatæ, seu oppignoratæ, quàm per hypothecâ specialem, per quam plus juris in rem transfertur in creditorem; cum periculo eam alienandi. Licèt autem generalis hypotheca non sit prohibita, non tamen est simpliciter permissa, absq; justa causa, *Redoan. cit. n. 12. & 13.* ubi *n. 16.* addit, aliam rationem, cur prohibita sit hypotheca specialis, non autem generalis; quia per illam magis præjudicatur, cùm acquiratur jus in re: per generalem verò minùs, quia acquiritur jus ad rem tantùm. Addit *Covarr. cit. c. 16. n. 7.* quòd in materia stricta, seu odiosa, appellatione alienationis non comprehenditur hypotheca aut pignus; quia per illam non transfertur dominium, ideóque propriè alienatio dici non potest. Excipi debet, nisi pignus sit constitutum pro tanta quantitate, ut non sit spes facilè illud redimendum fore, ideóq; probabili periculo alienationis, seu distractionis exponatur; quia prohibito actu aliquo, censetur etiam prohibitum omne illud, per quod pervenitur ad actum illum

illum, ut *ex Redoano cit. c. 6. n. 3. & 4. nu. 10. & 11.* tradit *Laym. cit. c. 10. n. 2.*

VI. Infertur secundò. Nomine alienationis in hac materia quoque comprehenditur translatio bonorum vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam Ecclesiam. Quare Episcopus, vel alius simili jurisdictione præditus, non potest res & jura unius Ecclesiæ pro suo arbitratu transferre ad aliam Ecclesiam, prout constat *ex c. Ecclesiæ; 43. caus. 16. q. 1. & ex c. Non licet; 1. h. t.* quod est desumptum ex Con» cilio Lugdunensi IV. ubi statuitur: Non licet Epi» scopo, vel Abbati (qui quasi Episcopalem juris» dictionem in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis ob» tinet, *Abb. hic n. 3.*) terram, v. g. agrum vel præ» dium unius Ecclesiæ auferre, & dare alteri, quam» vis ambæ ipsius potestati sint subjectæ: potest ta» men terras, sive bona earum, cum utriusque par» tis consensu, commutare. Ratio est, quia ejusmodi translatio est veræ alienationis species, quæ est interdicta Prælatis Ecclesiæ. Verùm ex justa causa, si videlicet una Ecclesia abundet reditibus & bonis, alia verò indigeat, non prohibetur Episcopus translationem ejusmodi instituere, *arg. c. 3. de Eccles. ædif.* & docet *Gl. in cit. c. 1. V. Ad aliam, h. t. in c. 1. V. Tenues, & ibi Franc. n. 5. eod. in 6. arg. ejusd. c.* Requiritur tamen, ut Capituli consensus interveniat, *arg. c. Tua; 8. de his, quæ fiunt à Prælat. &c.* imò & Patroni, si Ecclesia sit patronata. Ratio est, quia si necessitas talem translationem fieri postulet, nemini fit injuria, quia Ecclesiæ particulares sunt membra unius Ecclesiæ universalis, ideóque sibi invicem subvenire debent, sicut membra unius corporis, *Abb. hic n. 5. & Laym. in dis. Canon. de rer. Eccles. alien. Thesi 4.* Verùntamen priùs provideri debent ex cujusque Ecclesiæ reditibus necessaria Rectori, & Ministris ejus, atque Ecclesiæ Fabricæ, *c. pen. de his, quæ fiunt à Prælat.* quin & eleemosynæ erogandæ in pauperes loci illius, *Abb. c. l. & Laym.* Præterea non potest Episcopus permutare jura, & bona Ecclesiarum sibi subjectarum inter se, sine consensu Clericorum utriusque Ecclesiæ, ut constat *ex cit. c. 1. h. t. & Abb. ibid. n. 4.* ex quo infert, quòd Canonici non possunt commutare domos sibi assignatas, sine licentia sui Superioris sive Episcopi.

VII. Infertur tertiò. Nomine alienationis hic comprehenditur etiam unio perpetua unius Ecclesiæ, vel Beneficij cum alia Ecclesia, vel Beneficio. Quare Episcopus, vel alius Prælatus Ecclesiasticus Papâ inferior ejusmodi unionem facere non potest; quia est species quædam alienationis, *c. Tua; 8. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. c. Pastoralis; 7. de donat.* & ex communi docet *Rebuffus in praxi Benefic. in Reg. Cancell. 21. de unionib. Gl. 11. n. 2. Laym. in cit. dis. Thesi 3.* potest tamen Episcopus, cum consensu Capituli, unire unam Ecclesiam alteri, vel etiam loco Religioso, etiam non vocato Rectore, vel illius Ecclesiæ Defensore: Mensæ tamen suæ, vel Capitulo, etiam cum illius consensu, unire non potest, prout decer» nitur *in Clem. 2. h. t.* ubi dicitur: si una Ecclesia al» teri Ecclesiæ, vel Dignitati alicui aut Præbendæ » per Episcopum, suo consentiente Capitulo, unia» tur, aut Religioso loco donetur, ex eo quòd Re» ctor ipsius ad hoc vocatus non sit: vel si vacabat, » Defensor ei super hoc datus non fuit, nequaquam id poterit impugnari. Quòd si Episcopus (etiam » accedente consensu sui Capituli) Mensæ suæ, vel » ipsi Capitulo aliquam Ecclesiam univerit, hoc ir» ritum erit, & inane, non obstante contrariâ con» suetudine. »

VIII. Pro explicatione hujus *Clement.* Notandum primò. Episcopus potest, cum consensu Capituli, unionem facere, vocandi tamen sunt ij, quorum interest, videlicet Patronus, si Ecclesia vel Beneficium sit Patronatum: cujus etiam consensus requiritur, saltem si Patronus sit Laicus, *c. Pastoralis; 7. de donat. Rebuff. c. l. n. 6. & 7. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12.* non tamen exigitur consensus Rectoris Ecclesiæ, sive Possessoris Beneficij uniendi; nam talis unio, vel donatio fit sine præjudicio Rectoris, *c. Consultationibus; 3. de donat. Gl. in in cit. Clement. V. Vocatus,* quia illius non interest, non obstante enim tali unione, ipse retinet Ecclesiam, vel Beneficium, neque unio effectum suum habitura est, nisi post mortem, aut amotionem Rectoris, *Azor. c. l. Sanch. lib. 7. moral. c. 29. n. 171. Barb. in Collectan. in cit. Clem. 2. n. 3. h. t.*

Notandum secundò. Licèt una Ecclesia per Episcopum possit uniri alteri, etiam Rectore ejus non vocato, ut habetur *in cit. Clement. 2.* non tamen talis unio fieri potest sine consensu illius Prælati, seu Superioris, cui Ecclesia unienda est subjecta, *Gl. in cit. Clement. 2. V. Rector;* Ratio diversitatis est, quia Rectori nullum fit præjudicium, sicut fit Prælato, saltem in potestate providendi, *Abb. in cit. Clement. 2. num. 5.*

Notandum tertiò. Quamvis si vacet Ecclesia non Collegiata, v. g. Parochialis, non possit Episcopus, etiam cum consensu Capituli, rem aliquam Ecclesiæ vacantis, v. g. partem decimarum, aut redituum unire alteri Ecclesiæ, vel Præbendæ, nisi priùs constituatur Ecclesiæ vacanti Curator, vel Defensor, qui vicem Rectoris suppleat, juxta *c. 1. h. t. in 6.* potest tamen Episcopus, cum consensu Capituli, vacante Sede, instituere unionem unius Ecclesiæ, vel Beneficij cum alia Ecclesia, aut Beneficio, etiam non constituto Curatore aut Defensore, prout decernitur *in cit. Clement. 2. h. t.* Ratio autem differentiæ, cur tota aliqua Ecclesia, vel Beneficium vacans possit per Episcopum uniri alteri, etiam Defensore non dato: non possit autem pars bonorum, vel redituum, assignatur à *Gl. in cit. Clement. 2. V. Defensor;* quia priore casu, id permittitur ad augendum Divinum cultum, vel ut pauperes sustententur: diminutio verò partis bonorum, vel redituum cederet in præjudicium futuri Rectoris, vel Beneficiati, cujus necessaria sustentatio minueretur. Quare tamesi regulariter, cui conceditur majus, & minus concessum censetur, adeóque licèt Episcopo permissum sit unire Ecclesiam alteri, non dato Defensore, & ita liceat majus: non tamen licet minus, videlicet partem bonorum concedere, idque ex justa causa; quia per unionem totius Ecclesiæ nullum fit præjudicium Rectori Ecclesiæ, vel Beneficij, cujus reditus augentur, & neutri etiam Ecclesiæ, nec unitæ, nec ei, cui fit unio, præjudicium infertur: at verò per unionem partis bonorum, seu redituum magnum fieret præjudicium futuro Rectori, ut ostendit *Barb. in Collect. in cit. Clem. 2. n. 13. & 14.*

IX. No-

IX. Notandum quartò. S. Pontifex, etsi Ecclesias, aliàque Beneficia unire alijs, non requisito consensu Capituli, possit, cùm plenissimam in Ecclesiasticis Beneficiis potestatem habeat, *c. 2. de præb. in 6.* non tamen solet id facere, nisi priùs requisito consensu Episcopi seu Ordinarij, & Capituli Cathedralis, & vocatis ijs, quibus interest; quia non facilè solet juribus particularium Ecclesiarum derogare, & alienationes facere pro suo libitu, *Laym. cit. dis. Thes. 3.*

Notandum quintò. Etsi Episcopus possit, cum consensu Capituli, Ecclesiam unire Digintati, vel præbendæ Canonicali, etiam Cathedralis Ecclesiæ, non tamen potest unire ipsi Capitulo, seu Mensæ Capitulari; quia in hoc posteriore casu Capitulum auctoritatem præstaret in facto proprio, non autem in priore, *Gl. in cit. Clem. 2. V. Capitulo*; *Abb. ibidem n. 14.* Id verò intelligendum est, si unio fiat Capitulo principaliter ac directè; secus si in consequentiam, & indirectè in utilitatem Capituli, *Garc. p. 12. de Benefic. c. 2. n. 169.* ubi *n. seq.* addit, quòd posset fieri unio omnibus præbendis Canonicatuum, non simul: sed successivè, ac distributivè singulis; quia tunc non fieret ipsi Capitulo, adeóque posset fieri ab Episcopo, cum consensu Capituli, imò etiam omnibus præbendis simul, *ex declarat. Congreg. Concil.* non tamen Mensæ Capitulari, *Garc. c. l. n. 171.*

Notandum sextò. Consuetudo, per quam per Episcopum, cum consensu Capituli, fit unio Ecclesiæ, vel Beneficij ipsi Mensæ Capitulari, non valet, etiamsi sit temporis immemorialis, ut patet *ex cit. Clement. 2. in fine*, ubi reprobatur quævis contraria consuetudo, adeóque etiam immemorialis, juxta *Gl. fin. hîc, & Abb. nu. ult.* Imò generatim loquendo, non valet consuetudo, per quam concessum sit, bona Ecclesiastica à Prælato liberè, & sine solennitatibus à jure requisitis alienare; quia talis consuetudo non potest non cedere in grave detrimentum Ecclesiæ, nec apparet, quomodo hoc damnum aliunde compensari, & res cohonestari possit, ut docet *Abb. in cit. c. Nulli; 5. n. 6. h. t. Franc. in c. Non est; 3. num. 2. de consuetud. in 6. & in c. ult. n. 7. extra eodem.*

X. Infertur quartò. Nomine alienationis hîc comprehenditur etiam transactio, per quam res Ecclesiæ traditur, sive possessio ejus transfertur in alium; ea enim fieri non potest sine requisitis juris solennitatibus: secus est de ea transactione, quæ fit super re, cujus possessio non est penes Ecclesiam, & per quam ea acquiritur Ecclesiæ, ut *ex Rebuffo tradit Quaranta in summa Bullarij V. Alienatio rerum Ecclesiæ n. 19. §. 5. Amplia: & n. 39. §. 12. Limita.*

Infertur quintò. Nomine alienationis comprehenditur hîc etiam constitutio servitutis, sive realis, sive personalis, quam in re Ecclesiastica alienari prohibita non est concessum constituere; juxta *l. ult. C. de reb. alien. vel non alien. Molin. tract. 2. de justit. dis. 464. in fine.* Quare non potest Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius alteri concedere usumfructum fundi Ecclesiastici, *cap. 2. de locat.* Quamvis ipsam fructuum commoditatem ac perceptionem liberè vendere, aut locare possit, sine præjudicio tamen Successoris, *cit. c. 2. de quo infrà Tit. 18.* Similiter etsi Parochus, vel alius Beneficiarius, non possit alienare, sive in alium transferre jus decimarum, *c. ult. de rer. permut.* Fructus tamen decimarum vendere, vel locare alteri etiam Laico non prohibetur, ita tamen ut is eos percipiat, non suo, sed Parochi, seu Beneficiarij nomine, *Laym in cit. dis. Canon. Thesi 8.* Idémque obtinet in quolibet alio usufructuario, qui licèt ipsum jus utendi, fruendi, vendere, vel aliter in alium tranferre non possit, sine consensu domini, alioquin usumfructum amittit, *l. Usufructus; 65. ff. de jur. dot. §. Finitur Institut. de usufr.* potest tamen liberè alteri locare, vel donare ipsam facultatem, seu fructus, suo, id est, usufructuarij nomine percipiendos, etiam inscio, vel invito domino, quamvis non ultra vitam usufructuarij; quia dissoluto jure concedentis, dissolvi etiam debet jus accipientis, *arg. l. 31. ff. de pignorib. Laym. c. l.*

Infertur sextò. Nomine alienationis hîc etiam venit cessio litis motæ super tali re, quam Prælatus solus, sine Capituli consensu, alienare non potest: nam cedens liti, nisi intentionem suam aliam esse clarè exprimat, censeri etiam debet juri, si quod habet, renunciare velle, ut colligitur *ex l. Postquam; 4 C. de pactis, & l. Litis; 36. ff. de V. S.* quia talem renunciationem, seu cessionem Prælatus, qui jus alienandi non habet, solus facere non potest, ne videlicet indirectè faciat, sive alienet, quod directè facere non potest, contra *Reg. Jur. 84. in 6.* cùm quid unâ via prohiberur alicui, ad id aliâ non debet admitti, *Abb. in c. Dudum; 54. n. 17. de Elect. Laym. ibid. n. 8.* Denique infertur, nomine alienationis prohibitæ jure novo *Constitut. Extravag. Ambitiosæ, h. t.* venit locatio non solùm ad longum tempus: sed etiam ultra triennium, de quò infrà. Plures alienationum species proponentur infrà suo loco.

XI. Cæterùm cùm dicitur alienationem rerum Ecclesiasticarum esse prohibitam; id intelligi debet de alienatione, quæ fit sine justa causa, & præter juris formam, alioquî verò regulariter valida est, & licita, adeò quidem, ut etsi Prælatus juraverit se res Ecclesiæ non alienaturum, nihilominus tamen possit alienare, ex causa necessitatis, aut utilitatis, & servatâ formâ jure præscriptâ, ut habetur *in c. Ut super; 8. h. t.* & tradit *ibid. Abb. n. 15. Azor. p. 2. lib. 9. c. 1. q. ult.* Ratio est, quia juramentum circa materiam juris præstitum intelligitur secundùm terminos juris, & ideo restringitur ad illicitam, ac jure prohibitam alienationem.

§. II.

Quænam res Ecclesiasticæ alienari non possunt, nisi ex causis iure permissis, & servatâ iuris formâ ac solennitate?

XII. Assertio 1. Alienari inprimis prohibentur res Ecclesiæ immobiles, seu quæ soli sunt, *c. Nulli; 5. h. t.* ubi dicitur, nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ suæ, & *in l. Jubemus; 14. in princ. ibi: rem immobilem C. de SS. Eccles.* ubi est sermo de rebus Ecclesiasticis immobilibus. His accensentur, & æquiparantur, quoad solennitatem requisitam ad alienationem, res

res mobiles, quæ pretiosæ sunt, & servando servari possunt, ut vasa aurea, & argentea, gemmæ, & vestes pretiosæ, si asservari possint, *arg. l. Lex quæ* 22. *C. de administr. Tut.* ubi mobilia pretiosa prohibentur alienari à Tutoribus, ut constat ex *Extravag. unic. Inter communes*; ibi: *immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata*; *h. t.* modò etiam servando servari possint, *Abb. in cit. c. Nulli*; *n.* 8. *h. t. Redoanus in tract. de reb. Eccles. non alienand. q.* 8. *n.* 1. *&* 2.

Præterea inter bona mobilia Ecclesiæ alienari prohibita numerantur, etiam ea bona mobilia, ex quibus utilitas, & fructus diuturnus percipi potest; cujusmodi est grex ovium, vel caprarum, etsi enim permissum sit vendere singulas seorsim oves, aut capras, non tamen licet alienare totum gregem, ex quo Ecclesia reditus annuos accipere consueverit, ob continuam multiplicationem fructuum, sine solemnitate requisita, *Molin. tr.* 2. *disp.* 465. *n.* 4. *in fine.* Item huc pertinent jumenta ad fundum colendum deputata, eique longo tempore affixa: hæc enim alienari non possunt, nisi superflua esse appareret, *l. ult. C. Quando decreto opus non est, & in Auth. de non alienand. reb. Eccles.* §. *Nos igitur*; *collat.* 2. *Laym: in cit. disp. Thesi* 5. Arbores item, quæ ita prædio necessariæ, vel utiles sunt, ut illis excisis, notabiliter deterius fieret, bonis immobilibus annumerantur, ita ut sine consensu Superioris, & Capituli, seu Conventûs, succidi non possint, & vendi: Secùs est de arboribus non fructiferis, vel quæ opacitate suâ augmentum fructuum impediunt, eæ enim à Prælato, vel Rectore Ecclesiæ, sine consensu Capituli, & Superioris, exscindi possunt, & vendi, *Navarr. l.* 3. *consil.* 6. *&* 7. *h. t.* Denique generatim loquendo, inter res, quæ servando servari possunt, adeóque alienari sunt prohibitæ, numerantur illæ, quæ fructum ferunt, & triennio durant, seu non pereunt, ut tradit *Gl. in l. unic.* §. *Licèt*; *C. si adverss. usucap. Azor. p.* 2. *lib.* 9. *c.* 1. *q.* 5.

XIII. Assertio 2. Sed & jura ac census, seu reditus annui, si rei immobili adhæreant, sive ex re immobili, v. g. prædio, aut fundo proveniant, inter bona immobilia numerantur, ideóque sub prohibitionem alienationis cadunt, *arg. c.* 2. & ibi: *Gl. Communiter recepta*; *V. Iura*; *h. t. in* 6. & expressiùs habetur *in Clement.* 1. ibi: *cúmque annui reditus inter immobilia censeantur à jure; de V. S.* quia ejusmodi jura firma, ac stabilia sunt. Imò etsi ex rebus mobilibus solvendi sint, v. g. ex pecunia in societatem locata, rebus immobilibus annumerantur, *Molin. cit. disp.* 465. *n.* 3. §. *Fit etiam ut jura*; Multò magis verò reditus annui, & stabiles, aut pensiones ex rebus immobilibus provenientes, ut agris, vineis &c. alienare, aut hypothecæ subijcere prohibitum est, ut ex communi tradit *Redoanus cit. tr. q.* 14. *n.* 22. *Laym. c. l. thesi* 6. Verùm teste *Gail. lib.* 2. *obs.* 10. *n.* 6. in quibusdam Germaniæ locis receptum est, ut reditus redimibiles etiam super bona immobilia constituti, inter bona mobilia numerentur. Præterea pecunia, quæ ad bona immobilia emenda, Superioris auctoritate, cum Clericorum Collegij consensu, est destinata, inter res immobiles computatur, ac proinde nequit alienari, *Azor. cit. c.* 1. *q.* 5. Item ea pecunia, quæ comparata est ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosæ pertinentis ad propietatem Ecclesiæ; quia subrogatur in locum ipsius rei venditæ, eámque repræsentat: sicut ergo ipsa res immobilis vendi nequit sine solemnitate jure requisita: ita nec pecunia ex re vendita acquisita, ut tradunt plures apud *Redoan. cit. tr. q.* 16. *n.* 13. *Piasec. in praxi Episc. p.* 2. *t.* 5. *art.* 4. *n.* 19. Quamvis aliàs pecunia, non ad servandum, sed ad expendendum, vel elocandum comparata sit, *c. Ejiciens*; 11. *dist.* 88. ubi dicitur, quòd pecunia non ad alium usum disposita sit, nisi ad emendum: ideóque Tutor, non tantùm licitè potest, sed etiam debet pecuniam in utilitatem sui pupilli expendere, *l. Lex*; 32. *C. de admin. tut.* Idémq; est de Prælato Ecclesiæ, *Abb. in cit. c. Nulli*; 5. *n.* 11. *h. t. Laym. in cit. disp. thesi* 6.

XIV. Assertio 3. Actiones, & nomina atque instrumenta debitorum, propriè, & per se loquendo, nec inter bona mobilia, nec immobilia numeranda sunt: sed tertiam, ac distinctam speciem bonorum constituunt, *juxta l. à D. Pio*; 15. §. *In venditione junct. Gl. V. ad jura ff. de re judic.* quia appellatio bonorum immobilium, & mobilium convenit eis tantùm, quæ certo loco continentur, nam immobile dicitur, quod à loco moveri non potest: mobile, quod à loco ad locum suâpte naturâ moveri potest, vel etiam se movere, ut animalia, *l. Moventium*; 93. *ff. de V. S.* Actiones verò, & jura, cum sint incorporalia, loco non circumscribuntur, *Abb. in cit. c. Nulli*; *n.* 9. *Azor cit. c.* 1. *q.* 6. *Ancharan. in c.* 2. *Notand.* 1. *h. t. in* 6. *& ibid. Franc. n.* 5. Unde si testator alicui omnia bona mobilia legavit, vel Titio bona sua immobilia reliquit, nomina debitorum ex mutuo, vendito &c. neutrâ appellatione bonorum comprehenduntur; quia verba testamenti propriè sunt accipienda, *l. qui hæredi.* 44. *ff. de condition.* Quòd, si testator universaliter de omnibus suis bonis disponere, seu testari volens, de mobilibus tantùm, & immobilibus bonis faciat mentionem, tunc cùm necessarium sit, sub alterutra specie nomina, sive actiones debitorum comprehendi, eæ accessoriè pertinent ad eas res, quarum sunt debita, ita videlicet, ut actiones, quæ tendunt ad res immobiles, inter bona immobilia: at verò actiones, quæ sunt ad pecunias, & alias res mobiles acquirendas, inter mobilia bona numerentur, ut tradit *Gl. Recepta*; *in Auth. de non alien. reb. Eccles. in princ. V. Numeranda, Abb. in cit. c. Nulli*; *nu.* 9. *Azor cit. c.* 1. *q.* 6. §. *Aliquando.* Quare cùm Jure Canonico generatim statutum sit, ut bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ & servari possunt, alienari nequeant: alia verò alienari valeant, in hac generali bonorum distributione, jura etiam actionum, seu nomina, & instrumenta debitorum accessoriè continentur, ita, ut si sint jura, seu debita, & actiones rerum immobilium, vel pretiosarum, quæ servari possunt, alienari nequeant: Si verò aliarum rerum mobilium, v. g. pecuniaria debita, absque solemnitate, alienari possint, *Ancharan. in cit. c.* 2. *not.* 1. *h. t. in* 6. *Silvest. in summa V. Alienatio*; *q.* 9. *Laym. cit. c.* 10. *n.* 2. *&* *in cit. disp. thesi* 7.

XV. Cæterùm ex eo, quod suprà dictum est, res immobiles Ecclesiæ alienari non posse, sine requisitis juris solemnitatibus: Infertur, quòd Episcopus, vel alius Prælatus non potest alienare bona Ecclesiæ, quæ ad mensam ipsius pertinent, vel de quibus dubitatur, an ad mensam Prælati pertineant, prout sumitur ex c. *Ut super*; 8. *h. t.* Nam cùm Archiepiscopus Ravennatensis consuluisset Cælestinum III. » num possessiones, & reditus à Rege, vel ex alijs »

» certis locis in compensationem decimarum subtractarum, seu retentarum provenientes, quos Antecessor ipsius, quoad vixit, in suos usus percepit, neque alij infeudavit, censeri debeant esse de mensa Episcopali, ita, ut ipse, ratione juramenti Sedi Apostolicæ præstiti, de non alienando res Ecclesiæ suæ, contractum alienationis (latè sumpto hoc nomine, sive transferatur dominium, sive non, *Gl. hîc V. Alienationis*) super talibus instituere non possit. Respondet Papa, sive intelligantur esse de mensa, sive non esse: consultius fore, ut non alienentur; quia, ut ait *Gl. ibid. V. Si non*; præsumitur esse de mensa Archiepiscopi, cùm ipse sit in possessione earum possessionum, seu redituum. Porrò quæ habentur hîc §. *Possessiones*; §. *seq.* adferentur.

XVI. Notandum primò. Illæ possessiones, seu bona dicuntur esse de mensa Ecclesiæ, vel Monasterij, quæ pertinent ad sustentationem Prælati, Conventualium, ministrorum, pauperum, & universim eorum, qui de Ecclesiæ reditibus vivere debent, ut tradit *Molin. tr. 2. de iustit. dis. 468. n. 20.* vel ut ait: *Abb. in cit. c. Ut super; h. t. n. 11.* illa bona dicuntur esse de mensa Ecclesiæ, vel Prælati, quorum proprietas, & utilitas ad Ecclesiam pertinet, & quæ antiquis temporibus fuerunt in bonis Ecclesiæ, & aliorum indigentium. Illa verò bona, in quibus Ecclesia habet solum dominium directum, alius verò dominium utile, ut sunt Feuda, & bona emphyteutica, non possunt dici de mensa Ecclesiæ, vel Prælati ipsius, cùm nullos fructus, seu reditus ex ijs percipiat, *Gl. in Clement. unic. V. Ad mensam de Excess. Præl. Abb. hîc n. 9.* Si verò bona & reditus possessionum Ecclesiæ sint divisi, ita ut partem redituum percipiat Episcopus, vel Prælatus, aliam partem Capitulum, tum etiam mensæ censentur esse diversæ, ut alia sit mensa Episcopalis, vel Abbatialis, cujus bona, & reditus deputati sunt ad sustentationem Episcopi, vel Prælati: alia mensa Capitularis, cujus bona, & reditus pertinent ad sustentationem Capitularium, seu Canonicorum Conventualium: à quibus bonis, ac reditibus distincta sunt, quæ pertinent ad Fabricam, *Molin. cit. dis. n. 20. in fine.*

Notandum secundò. Quando fundus aliquis Ecclesiæ feudalis, vel emphyteuticus per mortem Vasalli, vel Coloni sine hæredibus decedentis, vel propter delictum ejusdem, vel quia tempus concessionis finitum fuit, quoad utile dominium revertitur ad Ecclesiam: non censetur esse de mensa Ecclesiæ, seu Prælati, quamdiu mensæ non applicatur per Episcopum, vel Prælatum, cum consensu Capituli; tunc verò censetur esse de mensa, quando Prælatus, vel Conventus declaravit illum esse de mensa, vel si fundus reversus ad Ecclesiam per Officiales ad hoc deputatos inscriptus sit inter possessiones mensæ incorporatas, *l. Si quando; 3. C. de bon. vacant. lib. 10.* & ibi *Bart. in l. ult. n. 8.* In dubio verò, si non constet, an Episcopus, vel Prælatus illum fundum applicaverit mensæ suæ, postquam Prælatus per annum illum retinuit, nec alteri in Feudum, vel Emphyteusin concessit, sed ipsemet coluit, censetur hoc ipso mensæ suæ eum applicâsse, seu incorporâsse, ita ut illum deinceps sine solemnitatibus requisitis, alienare non possit, ut ex Archidiacono tradit *Abb. in cit. c. Ut super n. 10. h. t.* Alioqui verò si fundi, vel agri in Feudum, vel Emphyteusin dati utile dominium ad Ecclesiam sit reversum, is in eodem statu, in quo priùs erat, permanet: ita ut iterum in Feudum, vel Emphyteusin simili modo à Prælato alteri concedi possit, modò eadem alienandi causa, seu utilitas Ecclesiæ perseveret; quia hæc non dicetur nova alienatio, sed ordinationis antiquæ executio, *Innocentius hîc V. Provenientes*; & *Abb. hîc. num. 11.* ubi exemplum dat, si v. g. Ecclesia, seu Prælatus Castrum aliquod in Feudum propter custodiam, sive præsidium militum, quod in illo habere debebat, concessit, & tale Castrum posteà redeat ad Ecclesiam, potest Prælatus illud iterum alteri in Feudum concedere, sine omni solemnitate; quia eadem causa tale Castrum, quoad dominium utile alienandi, perseverat: secùs est, si cesset causa primæ concessionis, ut si ager sterilis in Feudum, vel Emphyteusin alicui sit concessus, cum debita solemnitate, eâ de causa, ut coleretur, & fertilis redderetur: nam si talis fundus, postquam fructuosus est effectus, redeat ad Ecclesiam, non potest iterum in Feudum, vel Emphyteusin concedi, sine debita solemnitate, & novâ justâ causâ, *Abb. cit. l. & Molin. cit. dis. 468. n. 20.* Si verò res aliqua immobilis Ecclesiæ de novo acquiratur per donationem, hæreditatem, vel legatum, vel alium titulum, statim ea Ecclesiæ, vel mensæ Prælati incorporata censetur, hoc ipso quòd dominium Ecclesiæ sit acquisitum, ita ut sine justa causa, & debita solemnitate alienari non possit, *Innocent. in cit. c. Ut super; V. de mensa. Abb. & ibid. num. 12.*

XVII. Similiter in *c. Possessiones; 10. h. t.* statuitur, quòd Episcopus possessiones ad men- » sam suam, vel Capituli, *Gl. ibid. V. Alienare*, & colligitur *ex c. ult. caus. 12. q. 3.* ubi dicitur, quòd Episcopus potest tertiam partem de rebus Parochialium Ecclesiarum sibi debitam, vel ipsi Ecclesiæ conferre, à qua recipiebat, vel alteri Ecclesiæ, cui voluerit, cum consensu tamen Canonicorum, aliàs Successor potest illud revocare, *Gl. ibi. V. Irrevocabili.* Additur in eodem cap. quòd Episcopus Eccle- » sias (& Beneficia regularia) in quibus Monachi » ministrare (sive quæ longissimis temporibus ad- » ministrare) consueverunt, Clericis: vel Laicis as- » signare non debet. Ratio est, quia regularia Beneficia Regularibus conferri debent, *c. Cùm de Beneficio; 5. de præb. in 6.* quamdiu inveniri possunt Regulares, *Gl. hîc V. Clericis*; sicut & vice versâ, Beneficia sæcularia, Sæcularibus, de quo dictum supra; *Tit. 5. sect. 4. §. 5. h. t.* multò minùs debent attribui Beneficia regularia Laicis, ut per se constat: sed neque Superior v. g. Episcopus, ad quem devoluta est potestas providendi, propter negligentiam Prælati Regularis, potest ponere Clericos Sæculares in Ecclesijs Regularibus, juxta *Clement. unic. de suppl. neglig. Præl.* quia succedens in locum negligentis, debet de ijs personis providere, de quibus tenebatur providere ipse negligens, adeóque in Ecclesijs Regularibus nonnisi Regulares instituere, ex generali illa Regula, quòd non est major potestas in eo, qui successit, quàm in eo, qui neglexit, *Abb. hîc in fine.*

§. III.

§. III.

Quæ res Ecclesiæ alienari possunt liberè, & sine iuris solemnitate, & quibus casibus prohibitæ sunt alienationes rerum Ecclesiasticarum, etiam servatâ formâ, ac solemnitate Iuris?

XVIII. Assertio 1. Res mobiles Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt, liberè alienari possunt, sine juris solemnitate aliàs requisita: cujusmodi sunt fermè ea, quæ usu absumuntur, vel brevi tempore inveteràscunt, ut fructus, vinum, oleum, frumentum, pecudes, pleræque vestes: item pecunia quotidiano usui deserviens, quæ servata nullum fructum parit, *Hostiens. in summa; h. t. nu. 2. Abb. in cit. c. Nulli; 5. num. 8. h. t.* quia leges & Canones prohibentes res Ecclesiæ alienari, loqui videntur de rebus immobilibus tantùm, non autem de mobilibus, ut colligitur etiam ex *c. Nulli; §. in princ.* ubi dicitur, nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, ubi nihil habetur prohibitum, de non alienanda re mobili, quod autem non reperitur prohibitum, regulariter intelligitur permissum, *Redoan. in cit. tract. q. 4. n. 1. & seqq.*

Et hinc potest Episcopus, vel Prælatus etiam pecunias ex reditibus Ecclesiæ acquisitas erogare in pias causas, vel in pauperes, vel etiam bene meritis de Ecclesia sua remunerandi causâ donare sine omni juris solemnitate: dummodò donationes, aut largitiones sint moderatæ, & Ecclesiæ non damnosæ, *Authent. Licentiam; C. de Episc. & Cleric. c. Ad hæc; 8. de testam.* Sed & res quasdam mobiles pretiosas, v. g. annulos, torques, vasa aurea, vel argentea emere potest Prælatus, non ut Ecclesiæ, aut Prælaturæ incorporentur, sed ut bene meritis dentur, *Navarr. de reditib. Eccles. monito; 47. Laym. in cit. dis. thes. 43.* Imò etiam non prohibetur Prælatus ex pecunijs, quas remunerandi causâ donare potest, v. g. suo Officiali, emere prædium, eique donare sine consensu Capituli, aliáque solemnitate; quia subrogatum sequi debet naturam ejus, cui subrogatur, *l. Si eum; 10. §. Qui iniuriarum; ff. Si quis cautionibus &c. Laym. c. l.*

» XIX. Assertio 2. Etiam res immobiles, » seu possessiones, quæ Ecclesiæ minùs sunt utiles, » pro alijs utilioribus Episcopus, seu Prælatus, » cum consilio, & consensu tamen Canonicorum, » vel majoris partis Capituli, liberam habet alie- » nandi, vel permutandi facultatem, prout statuitur, *in cit. c. Ut super 8. §. Possessiones; h. t.* ubi tamen *Gl. V. Assensu*; ait, consensum Capituli in his non requiri ex necessitate, sed ex honestate solùm. Ratio est, quia Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere meliorem, non autem deteriorem, *c. 2. De donat.* Quamobrem in locum rei minùs utilis, aut incommodæ, quæ alienata est, alia res magis utilis & commoda, si fieri possit, comparari debet *Suar. tom. 4. de Relig. l. 2. c. 27. num. 3. Laym. in cit. dis. thes. 85.* multò magis verò possunt alienari res, quæ Ecclesiæ damnosæ sunt, sine ullis solemnitatibus, v. g. ædes quibus conservandis plus impendendum est, quàm inde utilitatis capiatur, ita tamen ut pro pretio emantur alia bona utilia, ut colligitur *ex c. Non liceat; 20. & c. Sine exceptione; 52. caus. 12. q. 2.* Ratio est, quia hoc moraliter non tam est donare, quàm bona Ecclesiæ conservare, & rectè administrare.

XX. Pari ratione potest terra Ecclesiæ sterilis à Prælato dari in Emphyteusin ei, cujus labore primùm facta est fertilis, & culta, vel hæredibus illius, ut constat ex *c. Ad aures; 7. h. t.* Ubi cùm Prælatus quidam silvas Ecclesiæ eradicari, & terram arabilem per agricolas fieri curâsset: quæsivit an ea terra ijsdem agricolis pro annuo censu, in Emphyteusin hæreditario jure dari possit. Respondet Alexander III. posse eam dari in Emphiteusin tali » pacto ipsis, vel filijs eorum (adeóque in emphyteusin perpetuam) nisi alijs tunc (scilicet tempore contractûs, *Gl. fin. hîc.*) cum majore Ecclesiæ utilitate, » simili modo, & sub eodem onere possit. Ratio est, » quia talis concessio fit in utilitatem Ecclesiæ, cùm plerumque sit manifesta utilitas, vel necessitas terras incultas in Emphyteusin dandi; ideóque tradi possunt usque ad primam, & secundam generationem, *Authent. de non alienand. reb. Eccles. §. Emphyteusin, collat 2.* requiritur tamen de Jure communi, ut id fiat adhibito consensu Superioris, & Capituli, nisi consuetudo aliud obtineat.

Ubi notandum primò. In casu hujus c. terra illa non potuit alijs in Emphyteusin dari, quàm illis, qui illam labore suo fertilem reddiderunt, vel eorum hæredibus præterquam in casu aliàs permisso, & servatâ juris solemnitate; quia non erat amplius silva, sed terra arabilis, *Abb. hîc n. 5.* Secundò notandum, Episcopus, seu Prælatus fundos Ecclesiæ suæ debet eo modo elocare, vel in Emphyteusin dare, ut majorem inde utilitatem consequi possit, *Gl. hîc in casu, & Abb. n. 4.* idque sumitur ex *c. Sine exceptione; 52. caus. 12.* ubi prohibetur, ne Episcopus alienationem faciat rerum Ecclesiæ, nisi eam magis profuturam Ecclesiæ perspiciat, est enim Administrator, non dominus.

XXI. Assertio 3. quamvis servi, seu mancipia Ecclesiæ inter res mobiles pretiosas computentur, ideóque alienari, vel permutari prohibeantur, *c. Mancipia; 3. & c. seq. de rer. permutat.* nisi sint servi fugitivi; *c. 54. caus. 12. q. 2.* potest tamen Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, si quippiam Ecclesiæ contulit, vel suâ industriâ acquisivit, servum ejusdem Ecclesiæ manumittere, prout definivit Concilium Toletanum IV. *c. 68.* quod refertur *in c. Consensus; 3. h. t.* videlicet, quòd Rectores, qui aliquid Ecclesiis suis relinquunt, vel eisdem prædia, aut familias acquirunt, possint aliquos ex familiâ ejusdem Ecclesiæ suæ (id est, ex numero servorum, & ancillarum) manumittere, sive libertate donare (etiam non bene meritos; nam servos bene meritos potest Prælatus, vel Rector Ecclesiæ manumittere, licèt Ecclesiæ nihil contulerit, nec acquisiverit, *c. Si quos; 57. caus. 10. q. 2. Gl. hîc V. de familia*; juxta rei collatæ modum (id est, secundùm quantitatem, & æstimationem rerum Ecclesiæ adjectarum, ità, ut hæ duplum valeant; quàm servus manumissus, *Gl. hîc V. Modum*; Sicut ân-

» antiqui Canones decreverunt, c. *Episcopus* 5 8. *caus.* » 10. *q.* 2. *& alij.* Ita tamen ut manumissi cum pe- » culio, & posteritate sua, sub patrocinio Ecclesiæ » maneant, & utilitates sibi injunctas (ideſt, ope- » ras obsequiales tempore manumissionis ipsis à » domino impositas, *Gl. fin. hic*) quatenùs poterunt, prosequantur. Idque concessum est Rectoribus Ecclesiæ in præmium, seu remunerationis loco. Requiritur tamen, ut in tali manumissione interveniat consensus Superioris, secundùm *Abb. hic nu.* 4. qui tamen id limitat, ut procedat solùm, si servus manumittatur, non remanente Patronatu apud Ecclesiam: secus si remaneat, tunc enim sine consensu manumissio à Rectore fieri potest.

Hinc colligitur primò, Quòd Prælatus acquirens bona Ecclesiæ liberiùs possit disponere de bonis Ecclesiæ, etiam donando ex justa causa, secundùm quantitatem meritorum, & obsequij, ac utilitatis præstitæ Ecclesiæ, *Abb. c. l.*

Colligitur secundò. Libertus Ecclesiæ, sive ab ea, vel ejus Prælato manumissus, debet tum ipse, tum posteritas ejus operas officiales præstare Ecclesiæ, juxta *cit. c. h. t.* alioquin, si ad Ecclesiam redire noluerint, irrita est manumissio.

XXII. Verùm è contrario in eodem Concilio Toletano, quod refertur in *c. Episcopi* 5 4. *h. t.* » Statuitur, ut Episcopi, qui nihil ex suo contu- » lerunt Ecclesiæ suæ, nulli ex servis ejusdem liber- » tatem dare possint; quia impium, & iniquum est, » ut si quis nihil ex rebus suis Ecclesiæ dedit, dam- » num ei inferat. Quare Successor Episcopus tales » manumissos, seu Libertos, absque ulla opposi- » tione, ad jus Ecclesiæ, sive in servitutem revoca- bit. Non obstat huic c. *text. in c. Si quos* 5 57. *caus.* 12. *q.* 2. ubi dicitur, si quos de servis Ecclesiæ bene meritos Episcopus libertate donaverit, collatam libertatem à Successoribus placuit custodiri; nam ut notat *Gl. hic V. Inferat*; in c. in contrarium allato sermo est, ut hi libertate donentur, in compensationem meritorum, ideóque à Successoribus non potest eorum manumissio revocari, cùm ea Ecclesiæ noxia esse non censeatur. Vel in priore c. Servi Ecclesiæ sunt manumissi, retento jure patronatûs, non item in hoc *c. Gl. marg. hic lit. B.*

Porrò ea, quæ à Prælato Ecclesiæ malè, seu illegitimè alienata sunt, potest Successor in officio revocare, ita, ut illi non possit opponi aliqua exceptio, ne quidem defectus dominij, sed sufficit probare, quòd res illa fuerit in bonis Ecclesiæ, & illegitimè alienata per Prælatum, *l. Iubemus*; 14. §. *Sanè C. de SS. Eccles.* quia sæpè difficile est probare dominium, *c. Sæpè* 5 18. *de restit. spol. Abb. hic num.* 1. & colligitur ex hoc c. ibi: *absque aliqua oppositione.* Neque etiam delictum Prælati debet nocere Ecclesiæ, juxta receptam, *Reg. iur.*

XXIII. Assertio 4. Plures sunt casus, in quibus res Ecclesiasticæ alienari nullo modo possunt, nec quidem adhibitis solemnitatibus Jure Canonico requisitis, quos enumerat *Gl. in authent. Hoc ius porrectum*; *V. Perpetuò*; *C. de SS. Eccles.* quæ auth. est canonizata in *c. Ea enim* 5 2. §. *Hoc Ius*; *caus.* 10. *quæst.* 2. *& Gl. in authenth. de alienat. & Emphyt. c.* 7. §. *Ea verò*; *V. concedimus*; *collat.* 9. Primus est, si ex Imperatoris donatione, vel fundatione res immobilis ad Ecclesiam pervenerit, *cit. auth. hoc Ius porrectum*, & *cit.* §. *Ea verò*; nam hac tacitâ conditione res Ecclesiæ ab Imperatoribus, vel Regibus donatæ censentur, *Rosenthal. Tract. de feudis*; *c.* 4. *conclus.* 19. quare ad alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, si ab Episcopis, & alijs quibusdam Prælatis fiat, etiam consensus Imperatoris requiri solet: tum quia hujusmodi bona quandoque sunt Feuda Imperialia, ideóque sine consensu Domini, videlicet Imperatoris, alienari non possunt; tum quia cum tali conditione Ecclesiæ sunt donata, ut non alienentur, ut jam dictum, *Laym. in cit. disc. de rer. Eccles. alien. Thesi*; 53. Secundus casus est, quòd ipsa Ecclesia, aut Monasterium alienari non potest, ita, ut in usum privatorum transferatur, *cit. auth. de alienat.* §. *Et quoniam.* Tertius quòd ipsemet Episcopus, vel alius Prælatus ex suis propriis bonis rem Ecclesiæ emere non potest, ne quidem per interpositam personam, *cit. auth.* §. *Oeconomis verò*; ne scilicet in proprio facto auctoritatem præstet, seu interponat contra *Clement. 2. h. t.* ob quam causam etiam non videtur Episcopus rem Ecclesiæ emere posse ab inferiore Ecclesia sibi subjecta, *Laym. c. l.* Quartus casus est, si res sub ea conditione sit Ecclesiæ data, ne alienetur, *cit auth. c.* 9. §. *Sanctissimus*; ubi *Gl. V. Alienent*, ait, quòd tale pactum est servandum, & *l. ult. C. de reb. alien. vel non alien.* excipi debet casus magnæ & evidentis necessitatis, *Laym. c. l.* Quintus est, quòd res Ecclesiasticæ, alienari non possunt, sive transferri in hæreticum, vel Judæum, *auth. de Ecclesiasticis Titulis*; §. *Iubemus*; *collat* 9. His casibus prohibetur alienatio rerum Ecclesiasticarum, etiamsi tali modo fieret, in quibus aliàs permitteretur, *Gl. in cit.* §. *Ea verò*; *V. Concedimus.*

SECTIO II.

DE CAVSIS, ET FORMA, seu solemnitate requisita ad rerum Ecclesiasticarum alienationem.

§. I.

Ob quas causas alienari licitè possint res Ecclesiasticæ, etiam mobiles pretiosæ?

Duæ conditiones requiruntur ad legitimam alienationem rerum Ecclesiæ, quæ immobiles sunt, vel mobiles pretiosæ, & quæ servando servari possunt: videlicet justa causa, & debita forma, seu jure requisitæ solemnitates, *c. Sine exceptione*; 12. *causa.* 12. *quæst.* 2. *c.* 2. *h. t. in* 6. *De causis hoc*; §. *Agemus*, de solemnitatibus; *in seqq.*

Ita-

XXIV. Inprimis igitur quòd ad causas attinet, quatuor communiter numerantur, ut tradit *Gl. in summa*; §. *Nova quæritur*; *cauſ.* 12. *q.* 2. *Abb. in c. Nulli*; 5. *n.* 5. *h. t. Silveſt. in ſumma*; *V. Alienatio*; *q.* 1. *Azor. p.* 2. *lib.* 9. *c.* 1, *q.* 3. *Molin. tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 468. *n.* 2. ad quas omnes aliæ reduci poſſunt. Prima eſt neceſſitas, cujuſmodi eſt, ſi debita Eccleſiæ aliter ſolvi non poſſint, *c.* 2. §. *Hoc Ius*; *cauſ.* 10. *q.* 2. vel alia juſta, & evidens neceſſitas, cui aliâ viâ ſubveniri non poſſit *c.* 1. *h. t. in* 6. *Clement.* 1. *eod.* quia ut dici ſolet, neceſſitas non habet legem, *c.* 2. *de obſervat. ieiun.* & quod non eſt licitum, neceſſitas facit licitum, juxta *reg.* 41. *infr. de reg. iur.*

Secunda cauſa eſt evidens utilitas Eccleſiæ, *cit. c. Sine exceptione*, ibi, *Quòd non ſit dubium profuturum Eccleſiæ*, *cauſ.* 12. *q.* 2. *& cit. c.* 1. *h. t. in* 6. *& Clement.* 1. *eod. iunct. Gl. V. Neceſſitas*, *aut utilitas*; ubi ait, quòd hæc duo æquiparentur, & ſufficiat alterutrum. Talis utilitas cenſetur, ſi res aliqua Eccleſiæ alienetur, ut res alia melior, & utilior Eccleſiæ comparetur: & ratiò eſt, quia quòd in favorem, ſive utilitatem Eccleſiæ eſt introductum, non debet retorqueri in ejus incommodum *l. Quod favore* 5. *C. de Legib.* Neque verò ſufficit, ordinariè loquendo, alienationem Eccleſiæ noxiam non eſſe, ſive in damnum ejus non cedere: ſed requiritur, ut ſit utilis, ſive profutura, ut tenent communiter Dd. contra *Gl. in cit. c. Sine Exceptione*: *V. Profuturum*; ubi ait, eo ipſo quòd Eccleſia non eſt facta pauperior, intelligitur locupletior. Quanquàm ſi inſtituto ſuper ea re tractatu, & communi opinione cenſeatur alienatio Eccleſiæ profutura, poſteà verò oppoſitum appareat, valida eſt nihilominùs alienatio, nec revocari poteſt: Eccleſia tamen, ſi læſio probetur, reſtituenda erit in integrum, ut tradit *Gl. Recepta*; *in c. Apoſtolica*; 7. *V. Profuturum*; de his quæ fiunt à Prælatis, &c. *Laym. in cit. diſ. theſ.* 12.

XXV. Tertia cauſa eſt pietatis, cùm nimirum neceſſaria eſt alienatio rerum Eccleſiaſticarum, pro redemptione captivorum: vel ad ſublevandam, non ſolùm extremam, ſed etiam gravem neceſſitatem pauperum, *c. Sacrorum*; 15. *& c. Sicut*; 16. *c. Aurum*; 70. *cauſ.* 12. *q.* 2. *& in authent. de alienat. & Emphyt. c.* 9. §. *Sanctiſſimus*; *collat* 9. Imò tali caſu licitum eſt etiam in valde gravi neceſſitate vaſa ſacra frangere, & pretium erogare, ſi alia ſubſidia deſint in captivos, aut pauperes: nam ut dicitur *in cit. c. Aurum*; melius eſt, ut vaſa viventium ſerventur, quàm metallorum, ſcilicet Eccleſiæ: & in *l. Sancimus*; 21. *C. de SS. Eccleſ.* dicitur: non eſt abſurdum animas hominum quibuſcunque vaſis, vel veſtimentis præferri. Neque tamen licitum eſt, bona Eccleſiæ alienari pro liberandis à juſta pœna malefactoribus, tametſi illa gravis ſit, & valde moleſta; *Mol. c. l.*

Porrò in alienatione bonorum Eccleſiæ hoc caſu, incipiendum eſt ab ijs, quæ non ſunt deſtinata ad Altaris miniſterium, nec cultui Divino dicata, niſi hæc ſuperflua eſſent, nec neceſſaria ad competentem cultum Divinum: & inter illas res, quæ miniſterio, & cultui Divino deſtinatæ ſunt, priùs alienandæ ſunt eæ, quæ non ſunt conſecratæ, ſed tantùm benedictæ, ut caſulæ, & pallia Altaris: eæ autem quæ ſunt conſecratæ, ut ſacra vaſa, & calices, nonniſi ex urgentiſſima cauſa ſunt alienandæ, pignori tradendæ, præſertim Laicis, *Covarruv. lib.* 2. *var. reſolut. c.* 16. *num.* 8. *Molin. in cit. diſ.* 468. *concluſ.* 2. ad hanc cauſam pietatis haud dubiè etiam referri debet, quòd ſacra vaſa, & ſuppellex ſacra vendi, & alienari poſſint, ut Eccleſiæ, & animæ fidelium ab hoſtibus fidei defendantur.

Quarta cauſa eſt incommoditas, ut ſi res alienanda plus damni, vel incommodi, quàm utilitatis Eccleſiæ afferat, quia v. g. longè diſtat, vel ſi res ſint exiguæ, *c. Terrulas* 5 §3. *cauſ.* 10. *quæſt.* 2. Vel ſi plures ſumptus in rei culturam faciendi ſint, quàm ſit utilitas inde proveniens; nam tunc in talis rei alienatione utiliter negotium Eccleſiæ geritur, *Molin. c. l. num.* 2. Verùm hæc quarta cauſa continetur ſub ſecunda, ſicut & tertia ad primam reduci poteſt.

§. II.

Quæ forma ſervanda ſit, ſive quæ iuris ſolemnitates requirantur ad rei Eccleſiaſticæ alienationem?

XXVI. Aſſertio 1. Inter Juris ſolemnitates requiſitas ad alienationem rei Eccleſiaſticæ requiritur inprimis, ut tractatus Capitularis præcedat, *c. Sine exceptione* 5 §2. ibi: *cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu* 5 *cauſ.* 12. *q.* 2. videlicet ut in Capitulo, aut Conventu ſimul congregato deliberetur, an juſta cauſa rem alienandi adſit, & num alienatio neceſſaria, vel utilis Eccleſiæ futura videatur, *Abb. in c. Tuanos* 5 8. *n.* 6. *de his quæ fiunt à Præl. & c. Molin. tract.* 2. *diſ.* 468. *n.* 5. Idque ſumitur etiam *ex c. Dudum*; 1. *h. t. in* 6. ubi deciditur, quòd alienatio perpetua facta de rebus Eccleſiæ vacantis, non præcedente tractatu, & ſine juſta cauſa, non valet; ut habetur *in Summa ibid.* ubi talis caſus proponitur. Vacante aliquâ Eccleſiâ Parochiali, Epiſcopus Dulmenſis, cum conſenſu Capituli ſui, decimas illius Parochiæ donavit, ſeu conceſſit Archidiaconatui Dulmenſi, quia ita tenues reditus habebat, ut non ſufficerent ad commodam ſuſtentationem Archidiaconi: poſtea verò cùm Eccleſia illa Parochialis alteri collata fuiſſet, petijt Parochus decimas ab Archidiacono ſibi reſtitui. Sed Archidiaconus reſpondit, illas decimas non debere reſtitui Parocho, eò quòd illæ ab Epiſcopo Dulmenſi ſibi donatæ; ſeu conceſſæ fuerint, cum conſenſu ſui Capituli, produxitque inſtrumentum, in quo continebatur prædictas decimas eidem Archidiaconatui conceſſas, ſeu donatas eſſe, eò quòd reditus illius tam tenues, & viles eſſent, ut non ſufficerent ad onera annexa ferenda (ſcilicet ad congruam ſuſtentationem, hoſpitalitatem exercendam, & Epiſcopalia jura præſtanda, *Gl. hîc V. Onera*; Re hac delatâ ad Papam Innocentium IV. Is reſpondit; quia Eccleſia Parochialis, dum vacaret, legitimo caruit defenſore, qui ipſi

» ab Episcopo Dulmensi debuerat deputari, ante » factam translationem, seu concessionem deci- » marum: & quia etiam tractatus solemnis, ac di- » ligens, qualis in ejusmodi perpetuis concessioni- » bus, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum » exigitur, & præcedere non debet, non fuit habi- » tus: præsertim cùm dictæ concessionis, aut alie- » nationis nulla evidens necessitas, vel utilitas subes- » set, aut appareret: ideo dictus Pontifex, cum » Consilio Cardinalium, illam irritam declaravit, » & decimas tanquam ad Parochialem Ecclesiam » pertinentes (de jure communi, *c. Cùm contingat*; » 29. *& c. seqq. de decim. Gl. fin. hîc*) eidem per sen- » tentiam adjudicavit.

XXVII. Pro declaratione hujus c. notandum primò. Licèt Ecclesia vacans possit concedi, vel uniri alteri Ecclesiæ, non dato ipsi legitimo defensore, vel Curatore, *Clem. 2. h. t.* tamen bona ipsius Ecclesiæ vacantis alienari non possunt, non dato priùs defensore, ut patet ex hoc c. *Gl. hîc V. in conces.* eo autem dato valeret alienatio, aliàs secus, *Franc. hîc nu. 2.* Et quidem dandus est Ecclesiæ vacanti Curator, seu Defensor à Papa, si sit Ecclesia Cathedralis, vel ab Episcopo, si sit Ecclesia inferior, cum quo tractari debet, ac discuti, num causa sufficiens alienandi adsit, *Abb. inc. 1. num. 7.* Ne Sede vacante &c. *Laym. in cit. dis. thesi 50.*

Notandum secundò. Ad rei Ecclesiasticæ alienationem perpetuam requiritur, ut in Capitulo, vel Conventu congregato tractatus fiat, hoc est, collatio mutua de necessitate, vel utilitate alienationis, an scilicet necessaria, vel utilis Ecclesiæ sit futura, vel saltem probabiliter existimetur, ac judicetur futura. At vero in alienationibus temporalibus, seu ad tempus, vel ad vitam factis, non requiritur tractatus, in quibus tacitus consensus Capituli postea subsequens sufficit, *Gl. hîc V. Perpetuis, & Franc. n. 3. 15. & 16.* quamvis autem utile sit sæpiùs fieri tractatum in rerum alienatione perpetua, non est tamen id necessarium, ut patet ex *hoc c.* quod loquitur in singulari, *tractatus solemnis, & diligens, Gl. hîc V. Tractatus; iunct. Gl. marg. lit. B. Franc. hîc n. 9.*

XXVIII. Notandum tertiò, In dubio non præsumitur tractatum istum antecessisse, sed id probari debet, vel de eo constare, ut ex communi docet *Abb. in c. Ea; 6. n. ult.* de his quæ fiunt a Præl. &c. nam solemnitatem extrinsecam actui in eo interve- nisse non præsumitur, sed probari debet, *l. Quæ- cunque 13. §. fin. ff. de public. in rem act.* & ibi *Gl. V. Tutore auctore*; ubi habetur, quòd auctoritas Tuto- ris, & decretum judicis non præsumitur interve- nisse in contractu pupilli, sed probari id debet, *Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1315.* multóque minùs præsumitur Capituli consensum interveni- sse, *Abb. c. l.* Verùm, si in instrumento alienationis à Prælato, & Capitulo legitimè subscripto, & obsi- gnato, vel Notarij manu confecto, mentio fiat præcedentis tractatûs, vel consensûs Capituli, tunc fides ei habetur, & præsumptio oritur, justam quoque causam necessitatis, vel utilitatis interve- nisse, licèt contra talem præsumptionem admitta- tur probatio in contrarium, *Mascard. c. l. nu. 10. & 11. & Volum. 1. de probat. conclus. 75. num. 11. Laym. in cit. disput. thesi 13.* Neque verò necessa- rium est, spectato Jure Communi, ut de præce- dente tractatu, in quo specialiter discussum est, an alienatio Ecclesiæ sit necessaria, vel utilis, spe- ciale, & separatum instrumentum fiat; cùm id nul- lo jure expressum reperiatur, ut docet *Suarez tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. cap. 27. num. 8. contra Rebuff.* Sed sufficit, si in eodem instrumento alie- nationis mentio de eo fiat. Si verò in illo nulla mentio fiat præcedentis tractatûs, sed tantùm nar- retur, sive dicatur in eodem alienationem factam esse, propter Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, v. g. ad dissolvenda debita Ecclesiæ, quibus aliter satisfieri non poterat, vel quia fundus non erat utilis Ecclesiæ, vel ut prædium utilius Eccle- siæ comparetur &c. talia verba non sufficiunt; cùm per illa quippe merè narrativa non ostendatur præce- sisse tractatum Capitularem, nam in ejusmodi so- lemnitatibus, quibus partes renunciare non pos- sunt, non sufficiunt sola verba assertiva, seu nar- rativa, nisi aliter probentur, vel de ijs constet; *Mascard. 6. l. conclus. 1315. num. 16. Anchar. in cit. c. 1. not. 3. h. t. in 6. & ibid. Franc. n. 4. Laym. in cit. dis. thes. 14.*

Notandum Quartò. Concessio decimarum Eccle- siæ vacantis facta Archidiacono in casu, *cit. c. 1.* invalida fuit, ob triplicem causam: nempè quia caruit defensore, & quia non interve- nit tractatus Prælati cum Capitulo suo, qui priùs fie- ri debet, quàm consensus, juxta *cit. c. Sine excep- tione*; ibi *totius Cleri tractatu atque consensu*, argu- mento deducto ab ordine scripturæ, ut notat *Barb. hîc num. 3.* ac denique, quia non constabat, ne- cessitatem, vel utilitatem alienandi subesse, *Gl. hîc V. Præsertim.*

XXIX. Assertio 2. Altera conditio, seu so- lemnitas necessariò requisita ad alienationem re- rum Ecclesiasticarum est consensus Capituli, seu Collegij, quoad majorem partem tunc præsentium, *cit. c. Sine exceptione; & c. 1. de his quæ fiunt à Prælatis & c.* & quidem Canonicorum Cathedrali- um, si res alienanda sit Ecclesiæ Cathedralis, vel cum consensu Canonicorum, seu Clericorum in- ferioris Ecclesiæ Collegiatæ, si res ad illam per- tineat: vel cum consensu Religiosorum Capitula- rium, si sit Conventus Regularis, vel Clericorum Beneficiatorum, si sit Ecclesia Parochialis, plures habens Beneficiatos: quòd si Ecclesia Collegio ca- reat, sive nullos Beneficiatos habeat, alienare po- terit solus Rector, cum consensu Episcopi, *Abb. in cit. c. 1. num. 5. Silvest. V. Alienatio; num. 4. Mo- lin. cit. dis. 468. num. 14. Concl. 5.* sed de hoc dic- tum suprà *Tit. 10. §. 1. n. 1. & 2. seqq.*

XXX. Cæterùm alienatio rerum Ecclesia- sticarum facta sine legitimo consensu personarum Ecclesiasticarum, non tenet, licèt approbetur per Constitutionem Laicorum, prout statutum habe- tur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, c. 44. quod refertur *in c. Cùm Laicis 12. & ult. h. t.* ubi ita decernitur: cùm Laicis, etiam Religio- » sis, seu pijs, nulla de rebus Ecclesiasticis dispo- » nendi sit attributa potestas, quippe quos obse- » quendi manet necessitas, non auctoritas impe- » randi; ideò dolendum est, quòd quidam Laico- » rum,

» rum, refrigescente charitate, immunitatem Ecclesia-
» sticæ libertatis, quam non tantùm SS. Patres, sed e-
» tiam sæculares Principes multis privilegijs munie-
» runt, constitutionibus suis, vel potiùs destitutioni-
» bus impugnare præsumunt: dum alienationes Feu-
» dorum, & aliarum possessionum Ecclesiasticarum
» facere, jurisdictionem Ecclesiæ usurpare, seu exer-
» cere, mortuaria, & alia, quæ juri spirituali annexa
» sunt, sibi vendicare audent. Quare idem Innocen-
» tius IV. volens consulere indemnitatibus Ecclesia-
» rum, & tantis gravaminibus providere, statuit, sacro
» approbante Concilio, Constitutiones, & venditio-
» nes hujusmodi Feudorum, & aliorum bonorum Ec-
» clesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesia-
» sticarum assensu præsumptas, seu factas, occasione,
» sive prætextu Laicæ potestatis (cùm talis non con-
» stitutio, sed destitutio, seu destructio dici possit, at-
» que usurpatio sit juris dictionis Ecclesiasticæ) non
» tenere, & præsumptores tales per censuram Eccle-
» siasticam ad desistendum compellendos esse. Imò
Jure novo tales violatores sunt ipso jure excommunicati, *c. Noverit; 49. & c. Gravem; de sentent. excomm.* & in Bulla Cœnæ Domini.

Hinc colligitur, quòd Laici nihil statuere possunt, vel disponere de rebus Ecclesiasticis, non solùm de ijs, quæ per se & intrinsecè sunt spirituales: sed neq; de ijs, quæ secundùm se quidem temporales sunt, attamen spirituali juri annexæ, cujusmodi sunt mortuaria sive oblationes funebres, & proventus pecuniarij Ecclesiarum, & Monasteriorum, qui annexi sunt spirituali ministerio, & Titulo Beneficiorum, prout sumitur *ex hoc c.* & tradit *Abb. ibid. n. 5.* quia de annexis idē est judicium, *c. 3. de Constit.* Imò neque de bonis merè temporalibus Ecclesiarum possunt disponere potestates Laicæ; cùm sicut personæ Ecclesiasticorum sunt exemptæ à jurisdictione Laicorum, ita & bona eorum, *Abb. hic n. 4.* Ubi tamen *n. 6.* ait, quòd Laici possint statuta facere circa minuendam mundanam pompam funebrem, ne sumptus excedantur circa vestes lugubres, quod Ecclesia non approbat.

XXXI. Assertio 3. Conditio tertia, seu solemnitas jure requisita est, ut fiat subscriptio à Capitulo, seu Conventu, *cit. c. Sine exceptione; 12. caus. 10. q. 2.* ubi in fine dicitur, quòd irrita sit venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ, absque subscriptione Clericorum, *iunct. Gl. fin. ibid. & in c. 1. de his quæ fiunt à Præl. &c.* Requiritur autem spectato Jure communi, subscriptio Capituli, seu Conventûs, saltem in casibus jure expressis, videlicet in donatione, venditione, & permutatione rei Ecclesiasticæ, *iuxta cit. c. 1. & c. Tua; 8. de his quæ fiunt à Præl. &c.* adeóque in alienatione propriè dicta, per quam rei dominium directum transfertur, cùm aliàs regulariter non requiratur scriptura in qualibet dispositione, nisi jure specificè sit expressum, ut adhibeatur, sed sufficiat consensus, *Abb. in cit. c. 1. n. 4.* ubi addit, quòd in pluribus locis non observetur, ut subscriptio fiat in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, *Molin. cit. disp. 468. n. 7. Less. l. 2. c. 24. n. 63. Azor cit. c. 1. q. 4.* Imò consuetudine jam receptum est, ut sufficiat subscriptio Notarij, ut tradunt Dd. *cit. & dictum supr. Tit. 10. §. 1. n. 3.*

XXXII. Porrò circa instrumentum alienationis manu publici Notarij confectum, notandum primò. Non est necessarium, ut in illo exprimantur nomina singulorum Capitularium: sed satis est, si in illo testetur Notarius de consensu, majoris partis Capitulariū, vel etiam unanimi eorum consensu, alienationem factam esse; nam latè loquendo, consensus majoris partis Capituli unanimis consensus censetur: unde asserenti majorem partem Capituli actui non interfuisse, vel non consensisse, onus probandi incumbit, *Abb. inc. Quanto; 5. n. 2. de his quæ fiunt &c. & in c. Inter dilectos; 8. n. 2. de donat. & ibid. Imol. n. 6. Laym. cit. disp. thesi; 29.* Quòd si in instrumento simpliciter dicatur Capitulum consensisse, præsumi debet, quòd major pars consenserit; quia præsumendū est, Notarium tanquam juris peritum, verba usurpâsse, secundùm veram significationem juris, non potest autem juridicè & propriè loquendo, consensus Capituli dici, nisi major pars saltem præsentium, & legitimè congregatorum Capitularium, consenserit, *Imol. c. l. n. 9. & Laym.*

Notandum secundò. Si Notarius non sit adhibitus, instrumentum factæ alienationis fieri debet, eíq; loco subscriptionis sigillum Capituli apponi; nam sigillum instrumento apponens id videtur ratū habere, ut tradit *Gl. in l. 2. V. Conquisita; iunct. Gl. marg. C. de reb. alien. non alien.* Vel si instrumentum Notarij publici manu confectum sit, sufficit ipsius contestatio de adhibito consensu Capitulari, *Laym. in cit. disp. thesi 26.*

Denique quarta conditio, sive solemnitas jure requisita ad alienationem rei Ecclesiasticæ est, ut interveniat auctoritas, sive consensus Superioris, hoc est, ejus, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, v. g. Episcopus, juxta *c. 1. de his quæ fiunt &c. Abb. in c. Nulli; 5. n. 6. h. t.* de quo agemus infrà.

XXXIII. Sed jam hinc oritur quæstio: an & quando præsumi possit, solemnitates jure requisitas, in alienatione rerum Ecclesiasticarum interveniſſe? In qua re dicendum primò. Quamvis in instrumento alienationis rei Ecclesiasticæ, Prælati sigillo, & subscriptione munito, mentio fiat, sive narretur alienationem factam esse, præcedente tractatu Capitulari, & de Capituli consensu, ex causa legitima: videlicet ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ; tamen id non sufficit ad valorem alienationis, nisi constet, vel aliter probatum sit, prędictas solemnitates interveniſſe; ob regulam receptam, quòd in solemnitatibus jure requisitis, quibus partes liberè renuntiare non possunt, non sufficiunt verba assertiva, sive nuda, & nō probata narratio: nam alioquí facilè esset legis decreta, & requisita eludere, apponendo requisitas juris solemnitates interveniſſe, cùm nō intervenerint, *Anch. in c. 1. not. 3. h. t. in 6. Franc. ibid. n. 4. Masc. vol. 1. de probat. concl. 75. n. 15. Laym. in cit. disp. thesi; 26.* & colligitur *ex cit. c. 1.* ubi verbis Episcopi, & Capituli asserentium tenues esse reditus Archidiaconi fides habita non fuit; quia licèt causa illa justa fuisset transferendi decimas in Archidiaconum, non tamen apparuit vera, seu probata non fuit, ut notat *Gl. ibid. V. Tenues*; Similiter licèt donatio, quæ fit, remunerandi causâ, valeat, etiamsi de meritis donatarij aliter, quàm per assertionem donantis non constet, si quidem fiat donatio ab eo, qui potest liberè donare, etiam citra ulla merita præcedentia: secùs autem est, si fiat à persona, quæ liberè, & merè liberaliter donare prohibetur, v. g. à patre, filiofam. à marito, uxori, à Prælato ex rebus Ecclesiæ: tum enim etiamsi in instrumēto donationis dicatur, eam factam esse ob me-

rita

rita præcedentia, non valebit donatio, sed revocari poterit, nisi constet, vel probatum sit, merita præcessisse; quia aliàs si standum esset nudæ assertioni, facilè eludi posset prohibitio legis, affirmante donatore merita antecessisse, cùm non præcesserint, *Iul. Clar. lib. 4. sent. §. Donatio*; *q. 3. nu. 2. Consentit. Gl. in c. Sicut*; 16. *V. Exprimantur*; *de sent. & re judic.* ubi ait, qui allegat solemnitatem, sive circa sententiam, sive circa instrumentum interveniisse, debet id probare. Si verò constet in alienatione rei Ecclesiasticæ interveniisse tractatum Capitularem, & consensum Capituli, potest ob ejus auctoritatem præsumi, ex justa & legitima causa illam factam esse, *Laym. in cit. dis. thesi 26.* & dictum suprà *n. 28.*

XXXIV. Dicendum secundò. Quamvis in instrumẽto alienationis rei Ecclesiasticæ nudè narretur, seu dicatur, illam factam esse à Prælato, cum Capituli consensu, ex causa legitima, citra aliam probationem, imò etsi in illo nulla omnino mentio fiat de adhibitis solemnitatibus; si tamen talis alienatio diuturno tempore non fuerit impugnata, sive nunquam ei contradictum, præsumi potest, omnia in eo legitimè acta, cum requisitis solemnitatibus, fuisse, ut ex pluriũ doctrina tradit *Mascar. cit. concl. 75. n. 15.* ubi ait, quòd ex tẽporis diuturnitate solemnitates extrinsecæ præsumantur interveniisse; nã potuit peculiare instrumẽtum de tractatu Capitulari facto, & causâ legitimâ alienandi cõfectum fuisse, quod tamen posteà amissum fuit: vel potuit etiam publicè omnibus constare de necessitate alienationis, ita, ut nullus tractatus fuerit necessarius: consensus vero Capituli potuit posteà accessisse, & alienatio facta per publicum instrumentum editum confirmari. Cùm ergo requisitæ solemnitates potuerint interveniisse, ex temporis diuturnitate præsumendum est illas interveniisse, ita tamen ut talis præsumptio probationem in contrarium admittat, *Rosenthal tract. de feudis c. 4. concl. 32. n. 4. & 6. Laym. in cit. dis. thesi 27.* Verùntamen ad hujusmodi præsumptiones faciendas, præter temporis diuturnitatem, seu vetustatem, insuper necessariò requiritur scientia, & patientia eorum, qui alienationem, si illegitimè facta fuisset, revocare, & impugnare poterant, & probabiliter revocâssent, *arg. c. Pervenit*; *4. de empt. & vend.* & ex communi docet *Felin. in c. Sicut*; 16. *n. 33. de sent. & re indic. Rosenthal. c. l. n. 1. & 2. Gail. l. 2. observ. 161. Laym. c. l.* Hinc resolvit *Felin. c. l.* Testamentum Cardinalis antiquum, in quo nulla fit mentio licentiæ à Papa impetratæ, sine qua fieri non potuit, censendum esse validum, si in Curia Romana testatus sit; quia tunc probabile est Papam id sciviisse; non item si testatus sit extra Curiam, quia tunc Pontifex probabiliter præsumitur id ignorâsse.

Ubi notandum, tempus longum, seu diuturnum, quoad faciendam præsumptionem solemnitatis extrinsecæ, censetur esse tempus XXX. annorũ, ex communi apud *Abbat. in cit. c. Pervenit*; *n. 7. & 10. arg. illius text.* saltem si res alienata sit magni præjudicij, seu momenti, vel solùm X. annorum, si sit parvi præjudicij, *Rosenth. cit. c. 4. concl. 31. Gail. cit. obs. n. 7.* Verùm rectiùs dicitur, id Judicis arbitrio committendum esse, ut ex conjecturis determinet, quanti temporis lapsus sit necessarius, ut adhibiti consensûs, aliarũmq; solemnitatum præsumptio induci possit, cùm id tempus à lege nõ sit definitum, *Menoch. de arbitr. iud. cas. 433. n. 29. Laym. c. l. thes. 28.* Illud indubitatum est, ex diuturnitate temporis imemorialis præsumi omnes solemnitates in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitas intervenisse, *Gail. c. l. n. 7.*

§. III.

An alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita alienari, facta sine legitima causa, & forma, sive solemnitate requisita, sit valida, etsi non licita?

XXXV. Assertio 1. Quamvis forma, sive solemnitas jure præscripta servata sit, si tamen causa alienandi rem Ecclesiasticam, videlicet necessitatis, aut utilitatis non adsit, ipso jure irrita est alienatio, *Abb. in c. pen. n. 7. h. t. Covarr. lib. 2. var. resol. c. 17. n. 2. Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 8. Molin. cit. dis. 468. concl. 6. num. 15. contra Gl. in cit. c. Sine* 52. *V. Profuturum in fine.* Sed probatur ex *c. 1. h. t. in 6.* ubi alienatio quædam declaratur nulla, vel maximè, quia defuit legitima causa necessitatis, vel utilitatis: & *in Clement. 1. eod.* locatio ad vitam, vel ad longum tempus, pronunciatur nulla, si facta sit sine necessitate, aut utilitate Ecclesiæ: Idem habetur *in Extravag. unic. eod.* ubi omnis alienatio, nisi in casibus jure permissis, adeòque ex causa justa facta, nullius omnino roboris esse declaratur. Ratio est, quia quando duo copulativè requiruntur ad valorem alicujus actûs, alterutrum solum non sufficit: ut in proposito, ad valorem alienationis rei Ecclesiasticæ non sufficit, quòd solemnitas sit servata: sed requiritur insuper, ut in casu jure permisso, sive ex causa justa sit facta: nam consensus Capituli, & aliæ solemnitates solùm requiruntur, ut provideatur Ecclesiæ utilitati, & res ejus non facilè alienentur, sine causa scilicet justæ necessitatis, vel utilitatis. Sufficit tamen ut alienatio sit valida, causam fuisse probabiliter existimatam, esse validam à contrahentibus, quando facta est alienatio, etsi posteà reperiatur insufficiens, *Molin. c. l. n. 15.*

XXXVI. Assertio 2. Alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium pretiosarum, quæ asservari possunt, si fiat à Prælato ex justa quidem causa, sed sine tractatu, & consensu Capituli, ac proinde sine debita forma, & solemnitate Canonica, est ipso jure, videlicet Ecclesiastico, irrita, saltem in judicio & foro externo, prout constat ex *c. Si quis*; *6. iuncta Gl. V. Ab initio nullas*; Ubi ait, ex hoc manifestè patet, quòd alienatio, quæ fit contra formã juris, nulla est ipso jure; quia sine forma, quę dat esse rei, nõ potest res subsistere, & quòd contra jus factũ est, pro infecto habetur, *l. Non dubium 5. C. de leg. & reg. iur. 64. in 6. Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 8. Mol. cit. dis. concl. 3. n. 3. Henric. Canisius in c. Nulli 35. n. 13. h. t.* Id tamen non ita intelligendum est, quòd ex tali alienatione nulla etiam naturalis obligatio oriatur, si Prælato alienanti administratio competebat: sed quòd talis alienatio ita rescindi possit, ac plerumq; debeat, acsi ab initio omnino irrita fuisset. Et hinc talis alienatio

pos

per accedentem posteà Capituli consensum, si ei aliud non desit, ratificari, seu confirmari potest, ita ut jure etiam positivo convalescat, perinde ac si ab initio semper omni jure valida fuisset, *juxta c. 3. de his, quæ sunt à Prælato &c. Laym. in c. Auditis; 29. n. 1. de Elect.* Quare si hujusmodi alienatio à Prælato (ad quem aliàs jure naturali pertinet potestas alienandi, quippe cui commissa est administratio Ecclesiæ & bonorum illius) facta sit, sine tractatu & consensu Capituli, vel etiam sine auctoritate Superioris, adeóque non servatâ formâ Juris positivi sive Ecclesiastici, spectato Jure naturali, injusta non est; quia substantialia contractûs intervenerunt, videlicet mutuus consensus contrahentium, & justa causa alienandi subest, nec ulla fraus, aut injuria, seu læsio cujusquam intercessit: talis inquam, alienatio valida est in foro conscientiæ, ita ut is, cui alienatio v. g. venditio facta est, tutâ conscientiâ, rem retinere possit, si nemo se ei alienationi opponat, aut rescissionem ejus à judice petat, & reipsâ utilis sit Ecclesiæ ipsa alienatio. ut docet *Abb. in c. 1. n. 19. de restit. in integr. Navarr. in Tract. de alien. rer. Eccles. n. 17. & in Tract. de spoliis Cleric. §. 2. n. 6. Azor cit. q. 8. §. Secundum est, Laym. in cit. c. Auditis, & Lib. 1. tr. 4. c. 16. n. 9. in fine, & in cit. disp. de rer. Eccles. alien. Thesi 24.* Ratio est, quia hujusmodi solemnitates non pertinent ad substantiam intrinsecam alienationis, secundùm naturam & primævam institutionem actûs: Unde cùm rerum Ecclesiæ alienationes aliquando licitè fiant, sine tractatu & reliquis solemnitatibus, ut patet in casibus suprà allatis, ideò potiùs accidentales & extrinsecæ sunt censendæ, quàm substantiales, ut notat etiam *Barbos. in Collectan. in c. 1. h. t. in 6. n. 6. 7. & 8.* & spectato jure naturæ, ac in foro conscientiæ, tales alienationes etiam sine illis sunt validæ. Confirmatur, quia SS. Canones solemnitates adhiberi volunt in alienatione rerum Ecclesiasticarum ad vitandas fraudes, quæ intervenire possent: hæ autem cessant in foro conscientiæ, ut supponitur, & consequenter etiam cessat illa præsumptio juris positivi. Idque generaliter procedit in omni actu, in quo est prætermissa solennitas juris positivi, servato solo jure naturali, *Abb. c. l. Silvest. V. Alienatio; n. 13.*

XXXVII. Contrarium tamen tenet *Suar. tom. 4. de Relig. Lib. 2. c. 77. n. 20. & 21.* & aliqui Dd. Recentiores, videlicet, quòd is, qui etiam justè accepit, v. g. emendo à Prælato bona Ecclesiæ, sine solemnitatibus jure requisitis, non possit illa in conscientia retinere, donec repetantur, nec fructus, imò si in mora sit restituendi, teneatur ad damna Ecclesiæ compensanda, nisi propter bonam fidem à culpâ excusetur. Idque probat primò. Quia effectus legis & obligatio non cessat, etsi finis & ratio legis in casu particulari cesset. Secundò, quia hîc deest potestas alienandi, quippe quæ non aliter est Prælato concessa, nisi adhibitis juris solemnitatibus. Tertiò quia hîc deest forma substantialis alienationis: ubi autem forma deficit, actus est ipso jure nullus, cùm sine forma actus non subsistat. Verùm inprimis falsò supponitur, alienationem rei Ecclesiasticæ sine solemnitatibus jure requisitis, à Prælato factam, ita per leges vel Canones irritari, ut neque naturaliter seu in foro conscientiæ valeat: nam quamvis lex Canonica vel S. Pontifex possit alienationem sive contractum celebratum circa rem Ecclesiasticam ita prohibere, ut omni jure etiam naturali sit irritus, non tamen censetur, id velle facere, nisi id sufficienter exprimat: alioquin verò, si contractus, suâpte naturâ, sive spectato jure naturali sit validus, censetur is per legem sive Canonem solùm esse infirmatus, seu rescissus civiliter, & in ordine ad forum externum, non autem naturaliter, seu quoad forum conscientiæ, ut docet *Laym. cit. c. 16. n. 6. & 3. seqq.*

Porrò ad primum Argumentum contrariæ sententiæ respondetur: distinguendum esse inter forum externum seu contentiosum, & forum internum conscientiæ: nam in foro externo locum habet hæc regula, quando lex fundatur in præsumptione fraudis, tanquam causâ principali & adæquatâ, ita ut Judex debeat secundùm præsumptionem à jure seu lege factam in omnibus casibus occurrentibus procedere, & sententiam ferre: tunc lex præsumens periculum fraudis non cessat obligare, etiamsi cognitâ veritate, præsumptio fraùdis absit, ac cesset in casu aliquo particulari, sed requiritur, ut periculum seu præsumptio fraudis absit & cesset in communi & generaliter, ut docet *Covarr. in c. Cùm esses; n. 9. de Testament. Laym. l. 1. tract. 4. c. 17. n. 4.* sic lex irritans & prohibens matrimonium clandestinum fundatur in præsumptione fraudis, & tamen invalidum est, etiamsi in casu particulari constet, abesse fraudem. Et ratio est, quia leges formantur pro foro externo de iis, quæ communiter, & ut plurimùm accidunt, licèt ergo lex fundata in præsumptione periculi vel fraudis interdum in casu particulari cesset, non tamen desinit obligare, si sæpius & communiter fraus intervenire soleat.

At verò in foro interno conscientiæ hæc regula locum habet, fundata in jure naturæ præsumptio cessat, ubi de veritate constat, & consequenter cessat etiam lex positiva fundata in præsumptione, in foro animæ, si de veritate constet, nam præsumptio cedit veritati, ut docet *Abb. in c. Quia plerique; 8. n. 18. de immunit. Eccles. Laym. l. 1. tr. 4. c. 21. n. 4.* Itaque lex irritans alienationem rei Ecclesiasticæ factam, sine debitis solemnitatibus, ob vitandas fraudes, cessat obligare in foro animæ, si constet de veritate, donec per sententiam judicis rescindatur talis alienatio, vel alius actus factus sine solemnitatibus jure positivo requisitis.

Ad secundum argumentum respondetur: potestatem alienandi non deesse in Prælato, saltem si Capitulum sciat, & non contradicat, adeóque tacitè consentiat in alienationem faciendam, ac proinde alienatio etiam sine solemnitate facta valet, saltem jure naturali, & effectum aliquem producere potest. Ad tertium dicitur, solemnitates jure requisitas pertinere ad formam substantialem alienationis spectatæ, secundùm effectus juris positivi, & fori externi, non item secundùm jus naturale, & forum internum conscientiæ, ut patet ex suprà dictis.

Non obstat, quòd in pluribus Canonibus suprà allatis dicatur, alienationes rerum Ecclesiasticarum esse absolutè irritas, & nullas, nullîus roboris, & momenti, &c. quia ex eo solùm sequitur, esse irritas ipso jure positivo, & in foro externo, non autem jure naturæ, & in foro conscientiæ: nam licèt aliàs regulariter, quòd est licitum, vel illicitum in foro interno, est etiam licitum, vel illicitum, validum,

vel invalidum in foro externo, & è converso, id tamen non procedit, quando forum externum fundatur in præsumptione aliqua, & secundùm illam procedit, præter rei veritatem secretò cognitam, tum enim si constet de veritate contraria, in foro conscientiæ præferenda est veritas præsumptioni falsæ, ut dictum *supr. l. 2. Tit. 2. sec. 1. §. 1. n. 4.* & tunc nullo modo licet argumentari à foro externo ad internum, ut in proposito, invalida est alienatio rei Ecclesiasticæ, sine solemnitatibus jure Canonico requisitis, ergo etiam invalida est talis alienatio in foro interno conscientiæ, quia tunc non idem obtinet in utroque foro.

Confirmatur primò. Quia in effectu per talem alienationem nihil omnino præjudicatur Ecclesiæ, cùm ea rescindi possit per officium, vel sententiam Judicis, perinde ac si ab initio nulla fuisset: & in arbitrio sive optione Ecclesiæ est, an velit agere contra possessorem, ad restituendam rem, cum fructibus, vel contra illegitimè alienantem, ut resarciat damnum Ecclesiæ illatum, ut infra dicetur, & nimis durum est, eum, qui rem ad Ecclesiam pertinentem emit justo pretio, & quæ ex justa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ ipsi vendita fuit, & sine omni fraude ac dolo possidet, obligare ad restituendam rem, cum fructibus, antequam id petatur in judicio.

XXXIX. Confirmatur secundò. Prædicta sententia ex generali illa & receptissima doctrina, quam tradit *Gl. in c. 1. V. Sede Vacante supr. Ne Sede vacante &c. & Sanch. Lib. 7. moral. c. 31. n. 28.* Ubi ait, generale id esse in omni contractu celebrato cum Ecclesia, absque debita licentiâ & solennitate, ut favore Ecclesiæ claudicet contractus, ita ut contrahenti cum illa non liceat resilire: At Ecclesia, si velit, poterit stare illo contractu, aut non stare: sicut accidit etiam in contractu cum pupillo, aut minore XXV. annis, absque Tutoris, vel Curatoris auctoritate, *l. Julianus*; 13. §. *Si quis à pupillo, ff. de action. empt.* vel cum Religioso, sine licentia sui Superioris: quamvis contrahenti cum minore, vel Ecclesiâ, vel Religioso concessum sit agere, ac petere, ut minor, vel Ecclesia, vel Monasterium compellatur declarare, num velit stare contractu, an ab eodem recedere, *juxta cit. l. Julianus*, §. *Si quis colludente*, *Sanch. c. l. n. 31.* Ex quo sequitur, Ecclesiam sic contrahendo, aliquo modo obligari, scilicet naturaliter, etiamsi extrinsecæ juris solemnitates, nempe tractatus, consensus Capituli expressus, licentia, seu auctoritas Superioris non intervenerint; quia id est contra rationem contractûs reciproci v. g. venditionis & emptionis: impossibile enim est, ex contractu reciproco seu ultro citróque obligatorio aliquem ita obligari, ut alter contrahens nullo modo vicissim sit obligatus, *Laym. in cit. dis. Thesi 25.* Similiter in contractu cum infante vel furioso, nulla omnino obligatio ex utraque parte oritur, ut docet *Laym. l. 3. Tr. 4. c. 9. n. 9.* si verò pupillus sit proximus pubertati, ita ut sufficientem consensum præstare possit, & contractum celebret, sine Tutoris auctoritate, naturaliter obligatur, *l. 1. in fine ff. de novation. l. Pupillus*; 21. *ff. ad leg. falcid. Laym. cit. Thesi 25.*

§. IV.

An Prælatus, sine consensu Capituli, aliisque iuris solennitatibus, valide renunciare possit hæreditati, vel Legato rei immobilis, aut mobilis pretiosa relicto Ecclesiæ?

XL. Negat *Molina cit. dis. 408. n. 12. §. Dubium est*; *Azor cit. c. 1. q. 12.* Ubi dicit, hanc opinionem esse probabiliorem. Ratio est, quia licèt ante hæreditatem aditam, jus in re sive dominium non sit acquisitum Ecclesiæ, est tamen ei acquisitum jus ad rem, cui juri Prælatus sine consensu Capituli renunciare non potest; cùm jura ad bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quæ servari possunt, inter res immobiles Ecclesiæ computentur, ut suprà dictum, ideóque ejusmodi juris abdicatio species quædam alienationis censenda est in materia Ecclesiæ favorabili. Idque magis locum habet in legato, cujus dominium à morte testatoris statim acquiritur legatario etiam ignoranti, *l. Cùm Pater*; 77. §. *Surdo, & l. Legatum*; 80. *ff. de legat. 2. l. à Titio*; 64. *in fine ff. de furtis.* Similiter pupillus fundum sibi legatum repudiare non potest, sine Prætoris auctoritate; esse enim & hanc alienationem, cùm res sit pupilli, nemo dubitat, inquit JCtus in *l. Magis*; 5. §. *Fundum autem, ff. de rebus eorum, qui sub tutelâ &c.* Et hæc sententia est valde probabilis.

XLI. Contraria tamen sententia affirmativa est communior, quam tenet *Abb. in c. Tua*; 8. *n. 9. de his, quæ fiunt à Præl.* Licèt addat hanc quæstionem esse dubiam, *Silvest. V. Alienatio*; *q.* 19. *Less. l. 2. de justit. c. 24. n. 65. Sanch. l. 6. de matrim. dis. 4. n. 11. Laym. l. 3. tr. 4. c. 10. n. 7. & alii plures.* Ratio est, quia talis repudiatio seu renunciatio hæreditatis vel Legati non est alienatio rei Ecclesiæ: sed potiùs non acquisitio, cùm ante aditam hæreditatem, vel acceptationem Legati à Prælato factam, nondum sit verèac perfectè acquisitum ejus dominium Ecclesiæ: unde licèt Prælatus non possit alienare rem Ecclesiæ immobilem, vel mobilem pretiosam, quæ servari potest, sine debitis juris solemnitatibus; potest tamen illam non acquirere, sine illis; quia non sunt paria, lucra non capere, & quæsita perdere, ideóque etiam sine illis potest Prælatus repudiare rem Ecclesiæ nondum acquisitam, cùm talis repudiatio non sit alienatio, ut constat ex *l. Si sponsus*; 5. §. *Si maritus hæres, ff. de donat. int. vir. & uxor.* Ubi permittitur Marito repudiare hæreditatem aut Legatum, ut uxori obveniat, nec censetur esse alienatio, seu donatio inter Conjuges. Et ex *l. Qui autem*; 6. §. *Perinde & §. Sed & illud, ff. Quæ in fraud. credit.* Ubi repudiatio hæreditatis vel Legati, non censetur alienatio facta in fraudem creditorum: cujus ratio est, quia talis debitor nihil alienat, cùm nihil acquisierit, jus enim alienandi hæreditatem, antequam ea acceptetur, non censetur esse in bonis nostris, *l. Pretia*; 63. §. *Sed nec hæredem, ff. Ad leg. falcid.* Et quamvis, si res in specie legata sit, ejus dominium statim à morte testato

Testatoris transeat in legatarium, etiam ante aditam hæreditatem, *juxta ll. suprà allegatas*, & ita videatur ejus repudiatio esse imminutio proprii patrimonii, & quædam alienatio: reverâ tamen talis non est, quia ante acceptationem, dominium Legati nonnisi imperfectè & revocabiliter acquiritur Legatario, & sub tacita conditione, nisi repudietur, unde si postea repudietur, juris fictione perinde est, ac si non esset acquisitum dominium, *Gl. in cit. l. Qui autem. § Sed & illud, V. Legatum, Sanch. c. l. n. 8.* Neque etiam obstat, quòd pupillus non possit repudiare hæreditatem, vel legatum, sine Tutoris auctoritate; tum quia is caret omni administratione rerum suarum; non item Prælatus, qui habet administrationem rerum Ecclesiæ, ut respondet *Abbas c. l.* tum quia pupillo & minori prohibita est, non solùm vera alienatio, per quam res jam acquisita transfertur in alium, sed etiam omissio lucri, sive non acquisitio lucri, quæ est quodammodo alienatio. At verò in bonis Ecclesiæ solùm requiruntur solemnitates jure præscriptæ, quando fit vera ac propriè dicta alienatio, cùm scilicet rei acquisitæ dominium, vel jus in re transfertur, *Sanch. c. l. n. 12.* Idque confirmatur ex *c. Cùm Apostolica; 7. de his, quæ fiunt à Prælatis &c.* Ubi habetur, quòd illud solùm non possit alienari à Prælato, sine consensu Capituli, quod ab Ecclesia possidetur, adeóque ei jam acquisitum est. Denique ad primum fundamentum contrariæ sententiæ dici potest, illa jura & actiones computari inter bona immobilia Ecclesiæ, quæ illi competunt, post factam acceptationem hæreditatis vel Legati, vel alterius rei immobilis, aut mobilis pretiosæ: antequam verò Prælatus acceptat rem, non habet propriè dictum jus ad rem, & consequenter neque actionem, quæ non datur, nisi suppositâ acceptatione. Porrò etsi Prælatus solus, sine consensu Capituli validè repudiet hæreditatem, vel Legatum relictum Ecclesiæ, non tamen licitè, sed peccat, si sine justa causa id faciat, *Sanch. c. l. n. 14.* & patebit ex dicendis.

XLII. Ex dictis infertur, licèt Prælatus seu Rector Ecclesiæ solus, sine consensu Capituli, aliisque solemnitatibus, non possit Ecclesiæ suæ obesse, ac præjudicare, agendo & contrahendo, seu jura ac bona acquisita alienando: potest tamen solus obesse ac præjudicare Ecclesiæ in non acquirendo, seu bonis ac juribus Ecclesiæ acquirendis renunciando, ut ex communi docet *Gl. in c. ult. V. Meliorem caus. 16. q. 6. Abb. in c. ult. n. 15. de locat. & in cit. c. Tua; n. 9. de his, quæ fiunt &c.* Ubi ait, quòd Prælatus in acquirendis potest Ecclesiæ conditionem facere deteriorem, *Laym. in cit. c. 10. n. 6. & cit. dis. de alien. rer. Eccl. Thesi 45.* quia aliud est nocere, aliud non prodesse. Quare Prælatus solus validè repudiare potest donationem Ecclesiæ suæ oblatam seu faciendam, & Abbas validè renunciare potest hæreditati, quæ post Novitiisui professionem, & mortem patris, Monasterio esset obventura, cùm enim possit renunciare hæreditati jam delatæ, sed nondum aditæ, ut supra dictum: multò magis potest hæreditati, quæ nondum delata est, nec acquisita, sed deferenda, & acquirenda, *Sanch. Lib. 7. moral. c. 6. n. 4. Laym. cit. c. 10. n. 6.* Item potest Prælatus præjudicare Ecclesiæ, sine consensu Capituli, aliáque solemnitate in judicialibus, si per negligentiam sinat ferri sententiam contra Ecclesiam, & omittat appellare; & in usucapionibus, permittendo res Ecclesiæ ab alio usucapi seu præscribi, *Laym. c. l. & in cit. Thesi 45.* Verùntamen in his casibus, tenetur Prælatus ex propriis bonis resarcire damnum Ecclesiæ, per dolosam vel negligentem administrationem illatum; quia ex officio, adeóque ex justitia tenetur bene administrare, *c. 2. caus. 12. q. 4.* ubi *Gl. V. Neglectum ait:* si Prælatus aliquid negligit acquirere Ecclesiæ suæ: cùm possit, hoc imputatur ei, & de hoc tenetur, instar Tutoris, *juxta l. Quicquid; 7. C. Arbitrium Tutelæ.* Præterea Ecclesiæ in his casibus competit etiam Beneficium restitutionis in integrum, ob negligentiam Prælati in acquirendo lucro Ecclesiæ, ita ut in optione ipsius sit, vel agere contra Prælatum, vel petere restitutionem in integrum, *Sanch. cit. dis. 4. n. 15. Laym. cit. c. 10. n. 7.*

XLIII. Illud hîc addendum, licèt Prælatus in multis comparetur Tutori & Curatori, in aliis tamen quibusdam ab eo differt, ut notat *Gl. Recepta in c. ult. caus. 5. q. 3. in fine casûs.* Nam primò, Tutor est temporalis, seu ad tempus datus: Prælatus verò plerumque est perpetuus. Secundò, Tutor non potest uti, nec frui rebus pupilli: at verò Prælatus potest uti, & frui bonis Ecclesiæ, ex quibus sustentationem accipit, ideóque usufructuario, quia ejus jus morte finitur, sicut usufructuarii, vel saltem usuario comparatur, secundùm *Gl. in c. ult. V. Reservari de offic. Ordin. in 6.* Tertiò, tutela est onus: Prælatura est honor ac dignitas, continet enim præeminentiam inter alios junctam cum jurisdictione externa. Quartò, Prælatus habet liberam & generalem administrationem in bonis Ecclesiæ, adeóque ampliorem, quàm Tutor, aut Curator, nisi quòd donare non possit, *c. 3. de donation, de quo infrà Tit. 24. Laym in cit. disp. Thesi 46.*

SECTIO III.

DE CONSENSV, VEL AVCTORITATE Prælati necessaria ad rerum Ecclesiasticarum alienationem.

§. I.

An, & quando Superioris Prælati consensus vel auctoritas requiratur ad alienationem rerum Ecclesiasticarum?

XLIV. Præmittendum primò. Prælatus v. g. Episcopus duobus modis potest auctoritatem suam præstare alienationi rei Ecclesiasticæ. Primò, ut ipsemet alienet, sitque principalis alienationis auctor: ut si v. g. Episcopus, cui rerum administratio competit, rem immobilem pertinentem ad mensam suam, cum consensu Capituli Cathedralis, alienet qui tanquam quædam solemnitas juris & conditio necessariò requisita accedere debet, ut suprà dictum. Vel si Episcopus rem aliquam immobilem pertinentem ad Ecclesiam inferiorem vacantem alienet, constituto ei defensore, cum consensu Capituli seu Conventûs ejusdem Ecclesiæ inferioris, si collegiata sit, *juxta c. 1. h. t. in 6.* Secundò ut non ipsemet Prælatus Superior, v. g. Episcopus

alienet, sed Collegium, Prælatus, aut Rector seu Parochus Ecclesiæ inferioris: Superior autem Prælatus, videlicet Episcopus, vel alius, cui Ecclesia illa subjecta est, consensum seu potiùs auctoritatem præbeat alienationi: nam qui in minoribus seu inferioribus absolutè vocari solet consensus, is in eo, qui ex officio publico præest, vel legitimam administrationem habet, auctoritas appellatur, *Gl. in c. 1. V. Tractatus; h. t. in 6. Innocent. ibid. n. 3.* Ubi ait, consensus est etiam minorum, sed auctoritas tantùm majorum, seu Superiorum, *Molin. cit. dis. 468. concl. 3. n. 4.* Requiritur autem, ut hic consensus Superioris seu auctoritas expressè adjiciatur actui, c. *Abbatibus* 3 41. *caus. 12. q. 2. Innoc. in cit. c. 1. n. 5.* Imò etiam, ut in scriptis detur, quòd etsi non ad substantiam actûs, ut censet *Innoc. in cit. c. 1. n. 5.* saltem ad probationem actûs faciendam requiritur, *Laym. in cit. dis. th. 30.*

Præmittendum secundò. Plures sunt inter auctoritatem priore modo, & auctoritatem posteriore modo acceptam, differentiæ. Nam primò, quando Prælatus vel Rector Ecclesiæ ipsemet alienat, tanquam Auctor principalis alienationis: tum ipsius consensus sive auctoritas necessariò intervenire debet in ipso contractu, sive negotio; quia iste consensus pertinet ad substantiam contractûs seu actûs, cùm quilibet contractus necessariò includat utriùsque partis contrahentis consensum in idem: at verò auctoritas sive consensus Superioris, posteriore casu, quando non est principalis Auctor, neque ipsemet alienat, potest intervenire ex postfacto, sicut & Capituli consensus, ut ex communiore sententia tradit *Franc. in cit. c. 1. n. 12. h. t. in 6.* Secundò, si Prælatus ipsemet debeat esse principalis Auctor alienationis, & non consentiat, contractus omni jure, etiam naturali, est irritus, ob defectum potestatis effectricis, sive consensûs unius partis principaliter contrahentis. At verò si inferior Prælatus, seu Rector habens potestatem administrandi, res Ecclesiæ alienet, non petito, vel non impetrato consensu Superioris Prælati, probabile est, contractum, si alioquin non cedat in damnum Ecclesiæ, sed in ejus utilitatem, esse validum, donec per legem seu jus positivum rescindatur, ut indicat *Innoc. in cit. c. 1. h. t. in 6.* Ubi ait, quòd contractus alienationis capit substantiam, non à scriptura, sed à consensu contrahentium, *Laym. in cit. dis. Thes. 31.* His præmissis sit.

XLV. Assertio 1. Si bona alienanda spectent ad Ecclesiam sæcularem inferiorem Cathedrali, & subjectam jurisdictioni Episcopi, quæ Collegium Clericorum vel Conventum non habet, v. g. ad Ecclesiam parochialem: tunc si Prælatus Superior, v. g. Episcopus bona illa ita alienet, ut ipse alienationis sit Auctor, necessarius est etiam consensus sui Capituli Cathedralis; nam ita jure statutum est de unione *in Clement. 2. h. t.* videlicet quòd Episcopus Ecclesiam sibi subjectam unire debeat, interveniente consensu Capituli sui, ergo pari ratione, non poterit etiam alias alienationes bonorum talis Ecclesiæ facere, sine tractatu & consensu Capituli sui Cathedralis, ut docet *Gl. in c. 1. V. Tenues & ibid. Franc. n. 24. Vers. Sed in contrarium; h. t. in 6. arg. illius c. Abb. in c. 1. n. 5. de his, quæ fiunt à Præl. &c. Molin. cit. dis. 468. concl. 5. n. 14. Laym. in cit. dis. Thes. 33.* Si verò Prælatus Superior sive Episcopus non sit Auctor talis alienationis, sed ipse Prælatus inferior, aut Rector Ecclesiæ bona Ecclesiæ suæ alienet, tunc si ea Ecclesia inferior Collegiata sit, seu Collegium proprium aut Conventum habeat, præter consensum seu auctoritatem Superioris Prælati, videlicet Episcopi, requiritur consensus Capituli seu Conventûs inferioris illius Ecclesiæ, non autem consensus Capituli Cathedralis; quia hæc conditio seu solennitas, nullibi in jure reperitur expressa, ut tradunt *Franc. Abb. Molin. locis citt. & Laym. Thesi 32.* Ratio autem diversitatis inter hunc posteriorem casum, & priorem, ista communiter assignatur, quia in priore alienatio fit per ipsum Episcopum, ne ergo forte dissipet bona inferioris Ecclesiæ non Collegiatæ, meritò requiritur, ut adhibeatur consensus Capituli Cathedralis. In casu verò posteriore, alienatio fit ab ipso Prælato seu Rectore Ecclesiæ inferioris Collegiatæ, & ideò requiritur quidem, præter intervenientem auctoritatem Prælati Superioris seu Episcopi consensus Capituli seu Collegii inferioris Ecclesiæ, non autem consensus Capituli Cathedralis, sed sufficit adhiberi consensum proprii Capituli inferioris Ecclesiæ, *Abb. c. l. & Molin.* Verùntamen etiam in hoc casu, Episcopus vel alius Prælatus Superior simili potestate prædictus, si consensum seu auctoritatem præstet alienationi, quæ fit à Prælato seu Rectore inferioris Ecclesiæ Collegiatæ, debet spectato jure communi, in hoc quoque negotio adhibere saltem consilium Capituli sui Cathedralis, sicut in aliis negotiis, quæ alicujus momenti sunt, *juxta c. Novit* 3 4. *& c. Quanto* 35. *de his quæ fiunt à Præl. &c. Abb. c. l. & Laym. Thesi 32.* Si denique Ecclesia inferior, v. g. parochialis, Collegium seu Conventum non habeat, solus Rector alienare potest bona suæ Ecclesiæ cum consensu seu auctoritate Prælati Superioris, videlicet Episcopi, qui tunc sufficit, ut tenent Dd. supra citt; quia juxta regulam traditam apud *Abbat. in c. ult. n. 14. de locat. & alios:* Rector Ecclesiæ non Collegiatæ tantam potestatem habet in alienando (cum auctoritate Prælati sui Superioris) quantam Prælatus Ecclesiæ Collegiatæ, unâ cum Capitulo suo. Porrò non solùm in alienationibus: sed etiam in transactionibus super juribus Ecclesiæ inferioris, requiritur consensus Episcopi, cui talis Ecclesia est subjecta, uti sumitur ex *c. 2. de transactionib.* Ubi requiritur consensus Episcopi, ut firma sit compositio inter personam Ecclesiasticam, & Laicos super decimis facta, *Laym. ibid. n. 1.*

XLVI. Assertio 2. Si Prælatus Regularis non sit exemptus, sed subjectus Episcopo, præter consensum Conventus sui, *juxta c. 1. & toto Tit. De his quæ fiunt à Prælat. &c.* etiam consensus & auctoritas Episcopi requiritur in alienationibus rerum Ecclesiæ suæ, prout statuitur in c. *Abbatibus*; 41. Ubi requiritur etiam subscriptio Episcopi, & c. *Placuit* 3 51. *caus. 12. q. 2. c. In venditionibus*; 40. *caus. 17. q. 4.* & tradit *Gl. Communiter recepta in summa. caus. 12. q. 2. & Gl. in Clem. 1. V. Non habeat, & V. Proprii h. t.* Si verò Prælatus sit exemptus & immediatè subjectus S. Pontifici, à quo confirmationem accipit, tunc ejusdem consensum & auctoritatem requirere debet; nam ille est proprius Prælatus, sive immediatus Superior talis Abbatis vel Prioris exempti, ut tradit *Gl. in cit. Clement. 1. V. Proprii, Franc. in cit. c. 1. n. 23. h. t. in 6. Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 2. c. 27. n. 15.* Quòd si verò Prælatus Regularis exemptus Ordinis sui Generalem habeat, tunc ipsemet Generalis, vel ex illius concessione,

sione Provincialis loco Episcopi esse censetur, adeóque illius consensus in alienationibus rerum Ecclesiæ vel Monasterii requiritur, & sufficit; quia cùm sit Prælatus exemptus, consensus Episcopi non est necessarius, ut notat *Turrecremata super cauſ. 12. q. 2. n. 4. & Franc. c. l. Suar. c. l. n. 13.* nam auctoritatem interponere in alienatione rerum Ecclesiasticarum, ad jus Episcopale pertinere censetur, *cit. c. Abbatibus, & c. In venditionibus*, ideóque iis tantùm Prælatis competit, qui Episcopalem vel quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent in Ecclesias sibi subjectas, sive sint Regulares, sive Sæculares, ut excommuni docet *Abb. in c. 1. n. 3. h. t.* In qua re tamen, quod ad Regulares attinet, cujusque Ordinis consuetudo & statuta approbata spectanda sunt, an nimirum consensus Generalis intervenire debeat, an verò sufficiat consensus Provincialis? *Suar. c. l. & Laym. in cit. dis. Thesi 34.*

Cæterùm in Religione Societatis Jesu ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum non requiritur consensus Capituli, nec immediati Superioris: sed solùm tractatus cum Consultoribus, non tamen consensus: sed sufficit consensus, Præpositi Generalis, juxta Bullam Gregorii XIII. anno MDLXXVI. die XVIII. Decembris editam. Neque etiam necessaria est facultas à Papa concessa, nisi in casibus à jure non concessis, ut constat ex Bulla Pii V. editâ anno MDLXVI. *Molin. cit. dis. 468. concl. 4. n. 13.*

XLVII. Verùm juxta decretum Urbani VIII. die 7. Septembris anno MDCXXIV. editum, prohibetur Regularibus omnium bonorum immobilium, vel pretiosarum mobilium alienatio, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetui seu vitalitii, hypotheca, locatio & conductio ultra triennium, concessio in feudum, vel emphyteusin: præterquam in casibus jure permissis, sine expressa licentia S. Congregationis Concilii Tridentini in scriptis allegatâ, & gratis concedendâ, sub pœnâ privationis omnium officiorum, quæ tempore alienationis obtinebant, vocísque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, quam ipso facto incurrent, & refertur etiam à *Tanner. Tom. 3. dis. 4. de justit. q. 7. dub. 7. n. 193.*

XLVIII. Assertio 3. Si alienanda sit res Ecclesiæ inferioris subjectæ Prælato non exempto, v. g. Abbati Episcopo subjecto, tunc non sufficit consensus dicti Abbatis vel Prælati, cui subjecta est illa Ecclesia, v. g. Prioratus aliquis: sed requiritur etiam consensus sive auctoritas ipsius Episcopi, ut ex communi docet *Franc. in cit. c. 1. n. 23. h. t. in 6.* quia auctoritatem præstare in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, est actus ipsis Episcopis reservatus, sive jurisdictionis Episcopalis, *cit. c. Abbatibus, cauſ. 12. q. 2. & c. In venditionibus; 40. cauſ. 17. q. 4.* Excipi debet, nisi Abbates vel Prælati inferiores non Episcopi habeant Ecclesias pleno jure sibi subjectas, & in illis jurisdictionem quasi Episcopalem exerceant; tunc enim possunt præstare auctoritatem in alienationibus bonorum cujuscunque Ecclesiæ sibi subjectæ, cum consensu illius Rectoris; quia tales Prælati vices Episcoporum gerunt in illis Ecclesiis, etsi aliàs non sint exempti, *Gl. in cit. Clem. 1. V. Proprii, & ibid. Abb. n. 7. Franc. in cit. c. 1. n. 23. eod. in 6.*

XLIX. Cæterùm in casu supra dicto, quo Episcopus auctoritatem præstat alienationi Ecclesiæ inferioris factæ à Prælato non exempto, sed Episcopo subjecto, non Episcopus, in cujus Diœcesi sita est Ecclesia, cui facienda est alienatio, neque Episcopus, in cujus Diœcesi situm est prædium alienandum: sed Episcopus illius Diœcesis, in qua posita est ipsa Ecclesia, cujus est res, sive prædium alienandum, consensum seu auctoritatem præstabit, ut tradit Archidiaconus in *cit. c. In venditionibus; n. 3.* Ubi addit, secundùm quosdam, utriúsque Episcopi auctoritatem esse necessariam, nam si v. g. auctoritate S. Pontificis Ecclesia unius Diœcesis non exempta subjiciatur, & incorporetur Ecclesiæ vel Monasterio alterius Diœcesis non exempto, utriúsque Episcopi consensus requiritur, si prædium Ecclesiæ incorporatæ alienandum sit, *arg. l. Jurisperitos; 30. §. Cùm oriundus, ff. de excuſat. Tutor.* quia alienatio in utriúsque Ecclesiæ, tam incorporatæ seu subjectæ: quàm alterius principalis, cui altera subjecta, & incorporata est, damnum cedere potest, consentit *Laym. in cit. dis. n. 35.*

L. Assertio 4. Si bona alicujus Ecclesiæ inferioris, v. g. Prioratûs alicujus, qui à Priore aliquo, sine proprio Conventu administratur, & regitur, sint ita unita, & incorporata alicui Ecclesiæ superiori, v. g. Monasterio, ut censeantur etiam bona illius esse, ideóque talis Prior sit subjectus Prælato, seu Abbati illius Monasterii: hoc casu, bona Prioratûs illius non possunt alienari, nisi tum Prælati Superioris: tum etiam Conventûs ejusdem consensus accedat; quia ipsemet Prælatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona Monasterii, sine consensu Capituli, seu Conventûs sui; illa autem bona Prioratûs sunt etiam talis Monasterii bona, quia ipsi incorporata, ergo præter consensum Prælati, requiritur etiam consensus Capituli seu Conventûs Monasterii; cùm illius etiam propriè interfit, num alienatio bonorum Prioratûs illius fiat, necnè, *Suar. cit. Lib. 2. c. 27. n. 15. Laym. cit. dis. de rer. Eccl. alien. Thesi 33.*

LI. Cæterùm quòd Prælatus Regularis seu Prior non habens Conventum aut Capitulum, in alienatione rerum Ecclesiasticarum debeat adhibere consensum Prælati Superioris, habetur statutum in *Clement. Monaſterium 1. h. t.* Ubi edicto perpetuo prohibetur, » ne quis Religiosus (sæculares ergo hæc constitutio » non comprehendit, *Gl. hic V. Religioſus saltem quoad* » *pœnam*) Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ seu administrationi cuivis præsidens (sive perpetuæ, sive temporali, *Gl. hic V. Cuivis*) jura, reditus, aut possessiones » ejusdem, alicui ad vitam ejus (recipientis, vel concedentis, *Gl. hic V. Ejus*) vel certum tempus, etiam » inde receptâ pecuniâ, quovis modo concedat: nisi » necessitas aut utilitas Monasterii, Prioratûs, Ecclesiæ aut administrationis hujusmodi hoc exposcat: » Conventûs sui, vel si Conventum non habeat, Prælati proprii assensu ad hoc nihilominùs accedente. » Si quis autem hoc fecerit, pœnam suspensionis ab » officio (quæ suâpte naturâ est perpetua, cùm tempus non adjiciatur, *Gl. hic V. Pœnam*) eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius jus aliquod recipienti acquiratur. Verùm præmissa ad locationes, » vel etiam reditiuum aut fructuum venditiones ad » tempus modicum, arbitrio judicis determinandum, » vel infra decennium, *Gl. hic V. Ad tempus modicum,* »

» hodie verò triennium, *Extrav. unic. h. t.*) faciendas » non sunt extendenda.

LII. Ex hoc cap. constat, quòd quando Prælatus, vel Prior aliquis non habet Conventum, requiratur ad alienandum solùm consensus Prælati proprii, videlicet Episcopi, si sit Prælatus non exemptus, ut explicat *Gl. hic V. Proprii*: ex quo per contrarium sensum colligi videtur, quòd quando Prælatus vel Prior aliquis habet Conventum, sufficiat consensus utriusque, videlicet Prælati, & Conventûs, nec requiratur consensus Superioris Prælati, videlicet Episcopi, si Prælatus non sit exemptus, quia iste specialiter requiritur solùm, quando Prælatus vel Prior non habet Conventum, *juxta cit. Clement. 1. h. t.* ergo quando habet Conventum, sufficit ejusdem consensus, sine consensu Superioris Prælati: consequens autem est falsum, quia Prælatus non exemptus non potest alienare bona Ecclesiæ, sine consensu Episcopi, etiamsi Conventus seu Capitulum consentiat, ut constat ex *cit. c. Abbatibus caus. 12. q. 2. & c. In venditionibus caus. 17. q. 4.* sicut etiam Prælatus Conventualis exemptus requirere debet consensum sui Generalis, vel saltem Provincialis, qui est loco Episcopi, ut patet ex suprà dictis.

Sed respondetur cum *Suar. cit. c. 27. n. 13. in dicta Clement. 1.* non requiri consensum Superioris Prælati, quando Prælatus aut Prior alienans habet Conventum, & ita ex vi illius constitutionis non esse necessarium consensum Episcopi: tamen quia in illa non revocatur Jus antiquum, nec positivè aliquid de hoc disponitur, ideo eâ non obstante, standum est Juri antiquo, ita ut etiam hoc casu requiratur consensus Episcopi: nam argumentum à contrario sensu desumptum ex *cit. Clem. 1.* est quidem efficax ad probandum, ex vi illius juris non requiri consensum Superioris Prælati; non tamen per illud efficaciter probatur, non requiri ex vi aliorum jurium, quæ correcta non sunt; argumentum enim à contrario sensu non procedit, si oppositum ejus, quod per tale argumentum inferendum esset, in jure clarè decisum sit, *arg. l. 2.* & ibi *Gl. V. Non exemplum, junct. Gl. margin. C. de conditionib. insert.* & tradit *Gl. recepta in c. Significâsti 3. 18. V. Clerici tamen, de foro compet. & Laym. in c. pen. n. 7. de Elect.* & alibi dictum.

Hinc colligitur præterea primò. Quòd prohibitus alienare, vel vendere, potest nihilominus locare, sed nonnisi ad modicum tempus. Secundò, potest Prælatus locare ad modicum tempus, & fructus vendere, sine Superioris sui vel proprii Capituli auctoritate & consensu, *Abb. hic n. 13.*

§. II.

An in alienationibus rerum Ecclesiasticarum etiam intervenire debeat consensus seu auctoritas Romani Pontificis?

LIII. Ad hanc quæstionem respondetur affirmativè, spectato Jure novo, prout constat ex *Extra-* » *vag. Ambitiosæ unic. h. t. inter communes*, ubi Pa- » pa Paulus II. omnium rerum & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, & omne pactum, per quod » ipsorum dominium transfertur; concessionem, hy- » pothecam, locationem & conductionem, ultra » triennium, nec non infeudationem, vel contra- » ctum emphyteuticum, præterquam in casibus à ju- » re permissis ac de rebus & bonis in emphyteusin ab » antiquo concedi solitis, & cum Ecclesiarum eviden- » ti utilitate: ac de fructibus & bonis, quæ servando » servari non possunt, pro instantis temporis exigen- » tia, & constitutiones ac decreta à Prædecessoribus » super hoc edita non tantùm confirmat: sed etiam in- » novat. Addit præterea Pontifex, si quis contra hanc » prohibitionem de bonis & rebus Ecclesiarum quic- » quam alienare præsumpserit (nisi consulto priùs & » facultatem concedente S. Pontifice) alienatio, hy- » potheca, concessio, locatio, conductio & infeuda- » tio hujusmodi nullius omnino sit roboris, vel mo- » menti. Et tam, qui alienat, quàm is, qui alienatas » res & bona prædicta receperit, sententiam excom- » municationis incurrat. Quòd si Episcopus vel Ab- » bas fuerit, qui bona Ecclesiarum, Monasteriorum, » locorúmque piorum quorumlibet, inconsulto Ro- » mano Pontifice, aut contra præsentis Constitutio- » nis tenorem alienavit, ingressus Ecclesiæ illi penitus » sit interdictus & si in tali interdicto obstinatè per- » severaverit, per sex menses immediatè sequentes eo » ipso ab omni regimine & administratione suæ Ec- » clesiæ vel Monasterii, cui præsidet, in spiritualibus » & temporalibus sit suspensus. Inferiores verò Præ- » lati: Commendatarii, & aliarum Ecclesiarum Re- » ctores, qui Beneficia vel administrationem quomo- » dolibet obtinent, dignitatibus, personatibus, admi- » nistrationibus, officiis, Canonicatibus, aliisque » Ecclesiasticis, cum cura & sine cura Sæcularibus & » Regularibus Beneficiis, quorum res & bona aliená- » runt duntaxat, ipso facto sint privati, ita ut tanquam » vacantia, liberè possint aliis per locorum Ordinarios » conferri (exceptis illis, qui propterea à iisdem priva- » ti fuerunt) nisi Sedi Apostolicæ specialiter aut gene- » raliter sint reservata: res autem & bona hujusmo- » di alienata, ad Ecclesias, Monasteria & locapia, » ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, » liberè revertantur. Nulli ergo hominum &c. »

LIV. Pro declaratione hujus Constitutionis Notandum primò. Omnis alienandi species, per quam non solùm dominium directum, sed etiam utile tantùm transfertur, etiam in casu licito, & servatis juris solemnitatibus, inconsulto Romano Pontifice, prohibetur per hanc Extravag. exceptis tribus casibus in illa expressis. Primus est locationis & conductionis infra triennium: Secundus est infeudationis vel emphyteusis, cum tribus tamen conditionibus, scilicet in casibus à jure permissis, & de bonis ab antiquo solitis dari in feudum vel emphyteusin, & cum evidenti utilitate Ecclesiæ: tertius est alienationis fructuum, qui servando servari non possunt, *Quaranta in summa Bullarii V. alienatio rerum Ecclesiæ n. 5.* Quare antiquis Canonibus duo hæc Constitutio addit, primò, ut non possit fieri locatio ultra triennium, declarando verba illa, *ad modicum tempus*, posita in *Clement. 1. h. t. in fine*, cùm antea fieri potuerit usque ad longum tempus, id est, 10. annos, *Gl. fin. ibid.* Secundò, prohibetur, ne quælibet alienationis species fiat, inconsulto Romano Pontifice, & sic additur nova solemnitas, quæ non requi-

requiritur in prædictis tribus casibus in hac Extravag. exceptis, *Quar. c. l.*

Videtur autem, quòd secundùm hanc Constitutionem Paulinam, permittatur alienatio rerum Ecclesiæ in casibus à jure permissis, videlicet justâ de causa, & servatâ formâ Juris Canonici, ut tradit *Navarr. in Comment. de alien. rer. Eccl. n.* 2. adeóque quòd tunc non requiratur consensus aut licentia Pontificis de necessitate, quia in dicta Extravag. alternativè dicitur, quòd alienatio sit nulla facta, inconsulto Romano Pontifice, aut contra hujus Constitutionis tenorem, ergo si sit facta, servatâ ejus formâ, est valida, absque alia solemnitate vel auctoritate Papæ, ut censet *Redoanus Tract. de reb. Eccl. non alien. q.* 36. *n.* 3. & 4. Cui expositioni obstat stylus & praxis Curiæ Romanæ, ut refert *Quaranta c. l.* Quare verba, illa *præterquam in casibus à jure permissis*, referenda, & restringenda sunt tantùm ad verba immediatè præcedentia, scilicet infeudationem, & contractum emphyteuticum, quæ immediatè ante sunt posita: non autem ad omnes alios contractus in præcedentibus verbis expressos; alioquin si in omnibus casibus jure permissis liceret alienare, dicta Extravagans nihil novi operaretur, quin etiam secundùm antiquos Canones, ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, & in casu licito, ac servatâ juris solemnitate, concessum fuit bona Ecclesiæ alienare, *Fagnan. in c. Nulli*; 5. *n.* 13. & 14. *h. t.*

LV. Notandum secundò. Licentia obtenta à S. Pontifice alienandi res Ecclesiæ, hoc operatur, ut non requirantur aliæ solemnitates; quia plenissimam habet potestatem disponendi de bonis Ecclesiasticis, modò tamen ea non sit subreptitiè impetrata, sed auctoritas legitimè & absolutè, non conditionaliter interposita, & alienatio ex certa scientia ejus confirmata, ita ut Papa habuerit notitiam tenoris rei confirmaræ: deinde licèt auctoritas, & consensus Papæ suppleat solennitates jure requisitas non tamen supplet defectũ causæ, ut si alienatio non fieret ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ, quæ in hac constitutione expressè etiam requiritur, *Quarant c. l. n.* 7. Ubi etiam ait, quòd assensus Apostolicus suppleat quidem tractatum & consensum Superioris, non tamen consensum Capituli, seu majoris ejus partis.

Notandum tertiò. Quòd in hac Constitutione prohibita sit etiam generalis hypotheca, quia simpliciter loquitur de hypotheca, tenent plures apud *Quarant. c. l. n.* 17. alii verò dicunt, prohibitam tantùm esse hypothecam specialem, *juxta c. Nulli*; 5. *h. t.* de qua ibi tantùm fit mentio, non de generali, *Molin. Tract.* 2. *disp.* 466. *n.* 1. *Redoan. in cit. Tract. q.* 51. *c.* 29. Ubi ait Prælatum posse generaliter obligare bona Ecclesiæ, sine licentia Episcopi.

Notandum quartò. Quando locatio rerum Ecclesiasticarum in hac Extravag. prohibetur, id intelligi debet de illis rebus seu fundis, qui quot annis coluntur, & ex quibus fructus quolibet anno colliguntur, alioquin si fundi Ecclesiæ ejus sint conditionis, ut ex eis quolibet triennio semel tantùm fructus percipiantur, poterunt in novem annos locari, sine licentia Papæ; quia primum triennium æquivalet unico anno, vel si alternis annis fructificant, ad sex annos, *Covarr. l.* 2. *resol. c.* 16. *n.* 6. *Navarr. in cit. Tract. n.* 21. *Quar. c. l. n.* 18. Utrùm autem locatio rerum Ecclesiæ facta ultra triennium in totum invalida sit, an verò quoad triennium teneat, infrà dicetur *Tit.* 18.

Notandum quintò. Fructus & bona Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt, quin usu atterantur, vel consumantur, possunt alienari, etiam inconsulto Pontifice, juxta hanc Extravag. quænam autem, sint tales, supra dictum est.

LVI. Notandum sextò. In hac Constitutione Paulina plures pœnæ imponuntur. Prima est nullitas contractûs. Altera quoad personas, excommunicatio universalis lata tam contra alienantes, quàm recipientes, quæ tamen non est reservata, & à qua excusat ignorantia juris, vel facti: modò non sit conjuncta cum ingenti temeritate, *Navarr. consil.* 19. *in novis h. t. Barb. in Collect. hîc n.* 23. Tertia pœna est interdictus ingressus ipso jure Episcopis & Abbatibus, & post sex menses, suspensio eo ipso ab administratione & regimine. Quarta est, ultra excommunicationem Prælati inferiores, & alii Beneficiati ipso facto sunt privati Beneficiis, quorum bona alienârunt, eáque vacant, ac denique bona alienata redeunt ad Ecclesiam, ad quam pertinebant, *Quar. c. l. n.* 49. Excusantur autem à pœnis prædictis, qui bonâ fide alienârunt, ut colligitur ex verbo, *præsumpserit*, item qui alienârunt res Ecclesiæ, absque debita solemnitate, vel inconsulto Pontifice, si pœnitentiâ ducti alienationem revocârunt, ante realem & pacificam traditionem bonorum, *Quar. c. l. n.* 50.

Notandum septimò. Hæc Constitutio Paulina in pluribus locis non est usu recepta, saltem secundùm illum rigorem, & quoad pœnas & censuras suspensionis, ac privationis, & quoad locationem ultra triennium, ut testatur *Navarr. in Manu. c.* 27. *n.* 149. & *lib.* 3. *Consil.* 10. *h. t. Covarr. l.* 2. *resol. c.* 16. *n.* 6. *Less. l.* 2. *c.* 24. & 64. & alii apud *Quarantam c. l. n.* 48.

LVII. Unde dubium hîc occurrit, an Prælatus, qui juravit se non alienaturum bona Ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, eo juramento non obstante, validè & licitè, ex causa justa & à jure concessa, & servatâ formâ ac solemnitate juris ea alienet? Respondetur negativè, ita ut sic alienans, inconsulto Papâ, non tantùm sit perjurus, sed etiam alienatio jure novo dictæ Extravag. Paulinæ, sit invalida, ut docet *Abb. in c. Ut super*; 8. *n.* 16. *h. t. Silv. V. Alienatio*; *q.* 16. *Navarr. in cit. Tract. n.* 12. 13. & 14. *Azor p.* 2. *l.* 9. *c.* 1. *q.* 9. *Laym. cit. c.* 10. *n.* 9. & 10. & *alii communiter*. Ratio est, quia tale juramentum extenditur etiam ad alienationem alioquin licitam, & jure concessam, quia illicitæ alienationes non debent fieri, etiam cum licentia Papæ, & eo consulto: tum quia verba juramenti, debent aliquid operari, nihil autem operarentur, si eo non obstante, alienatio fieri posset in casu licito, & servatâ juris formâ, non requisito consilio Papæ: tum quia omne juramentum, quod potest servari sine peccato, servandum est, hoc autem potest, cùm sit licitum: tum quia actus, qui debet fieri cum consilio alterius, non valet, nisi priùs consilium petatur, & expectetur: tum denique quia multa licita & utilia prohibentur, ne fiant sine consilio Papæ, quò fiant cautiùs & consultiùs. Quare Episcopi, & alii Prælati, qui à Papa confirmantur, non possunt alienare bona Ecclesiastica, etiam in casu aliàs licito, & servatis solemnitatibus, inconsulto Romano Pontifice;

ob

ob juramentum, quod præstare debent in consecratione sua, se non alienatutos quovis modo, etiam cum consensu Capituli sui, inconsulto Romano Pontifice, cujus juramenti formula habetur apud *Less. c. l.*

LVIII. Excipitur primò. Quòd in casu magnæ necessitatis, quæ non patitur dilationem, ut consulatur Papa, non obstante tali juramento, alienatio fieri potest, *Azor cit. c. 1. q. 15. Laym. c. l.* Secundò, licitum etiam est nihilominùs res modicas aut Ecclesiæ parum utiles alienare, *arg. c. Terrulas; 53. caus. 12. q. 2.* quia tales res in hac materia non censentur comprehensæ nomine alienationis, quæ solemnitatem aliquam vel consensum Superioris requirit, *Abb. in cit. c. Ut super 3 n. 15. h. t. Azor c. l. q. 13. Laym. c. l.* Tertiò, hoc juramentum de non alienando, inconsulto Romano Pontifice, non extenditur etiam ad emphyteusin, sive ad res ab antiquo in emphyteusin concedi solitas, quia hic casus in *cit.* Extravag. Paulina expressè excipitur, *Azor cit. c. 1. q. 9.* Ubi licèt excipiantur tantùm bona in emphyteusin dari solita: tamen id locum habet etiam in bonis feudalibus, & quidem non per viam extensionis, sed comprehensionis; quia decisiones loquentes de feudo habent etiam locum in emphyteusi, & è converso, quando est eadem ratio, & contrarium non est in jure expressum: quia etiam, quod statuitur in hac Extravag. de emphyteusi, jure communi statutum quoque est de bonis infeudari solitis, *c. 2. de feudis, Fagnan. in c. Nulli 5. n. 20. & 21. h. t.*

LIX. Cæterùm alius præterea casus prohibitæ alienationis, seu donationis bonorum immobilium & jurium Ecclesiasticorum, absque speciali licentia Papæ, habetur in *c. Consultissimo; 2. h. t. in 6.* quod est » desumptum ex Concilio Generali Lugdunensi sub » Gregorio X. ubi prohibetur omnibus Prælatis, ne » Ecclesias sibi commissas, earúmque bona immobi- » lia, aut jura (quæ inter immobilia numerantur, *Gl. » hìc V. Jura*) Laicis submittant, seu subjiciant, abs- » que Capituli sui consensu (qui aliàs regulariter in » alienationibus requiritur, & secluso etiam hoc de- » creto, jure antiquo requirebatur, *Gl. hìc V. Consen- » su*) ex speciali Sedis Apostolicæ licentia: etiamnon » concedendo talia bona aut jura in emphyteusin, seu » aliàs alienando (v.g. vendendo, vel permutando) » quamvis in forma & casibus alioquin à jure permis- » sis: neque recognoscendo, seu profitendo à Laicis, » tanquam Superioribus, ea se tenere. Sed neque li- » ceat eos Patronos aut Advocatos Ecclesiarum, aut » bonorum earundem, perpetuò, vel ad tempus lon- » gum constituere. Contractus autem omnes (sine » dictæ Sedis licentia, & Capituli consensu) celebra- » ti, etiamsi juramenti (quod non debet esse vincu- » lum iniquitatis, *Gl. hìc V. Eodem*) aut pœnæ, vel » alterius firmitatis adjectione muniti sint, irriti de- » cernantur, & quicquid ex eis secutum fuerit: adeò » ut neque jus ex iis, neque præscribendi facultas ac- » quiri possit. Ipsi autem Prælati taliter contrahen- » tes, ipso facto, ab officio (imò & à Beneficio, *Gl. » hìc V. Officio*) & administratione (rerum tempora- » lium) & Clerici, si scientes contra inhibitionem » hujus Canonis aliquid præsumptum esse, id Supe- » riori denunciare neglexerunt, à perceptione Bene- » ficiorum, quæ in Ecclesia sic gravata obtinent, per » triennium sint suspensi (quod referendum est, tam ad suspensionem Prælatorum, quàm Laicorum, *Gl. » hìc V. Triennio*) Laici verò, qui Prælatos, vel Ca- » pitula Ecclesiarum, vel alias personas Ecclesiasticas » ad hujusmodi submissiones faciendas hactenus com- » pulerunt, nisi post competentem monitionem (sci- » licet trinam, *Gl. hìc V. Competentem* remissâ submis- » sione seu subjectione, quam per vim aut metum exe- » gerant, Ecclesias & bona Ecclesiastica eis taliter » submissa, seu subjecta in sua libertate dimittant. Illi » verò, qui in posterùm Prælatos vel personas Eccle- » siasticas ad talia facienda compulerint, cujuscun- » que conditionis aut status sint, excommunicationis » sententiâ sint obstricti. Sin autem ejusmodi contra- » ctus hactenus iniit, vel in posterum ineundi sint (in- » terveniente dictæ Sedis licentiâ, & Capituli consen- » su) ex iis, vel occasione eorum Laici aliquid non » usurpent: ultra id, quod natura ipsius contractûs, » & adjecta lex seu conventio (ex qua contractus » legem accipiunt, *Gl. hìc V. Lege*) permittit. Qui au- » tem secus egerint (usurpando aliquid contra natu- » ram contractûs, vel pactum appositum, *Gl. hìc V. » Secus*) si legitimè moniti, ab ejusmodi usurpatione » non destiterint, restituendo etiam, quæ ita usur- » pârunt, eo ipso excommunicationem incurrunt: & » ex tempore ad Terram ipsorum, si opus fuerit, Eccle- » siastico interdicto supponendam liberè procedatur. »

LX. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Huic Constitutioni occasionem dedit, ut refert *Ancharanus in c. 2. h. t. in 6. in princ.* quòd quidam Prælati & Rectores Ecclesiarum oppressi invocabant, contra opprimentes, nobiles & potentes ad se defendendos, constituendo eos Advocatos, vel defensores Ecclesiarum suarum, & bonorum ac jurium earundē & propterea illi vendicabant sibi jus quoddam dominii, & advocationes in Ecclesias & earum bona sibi submissa, seu subjecta. Quare in Concilio Lugdunensi prohibitum fuit Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ne Ecclesias vel bona immobilia & jura earum submittant, seu subjiciant Laicis, ita ut ab ipsis de novo tanquam Dominis vel Advocatis ea recognoscant.

Notandum secundò. Licèt regulariter omnis alienatio rei Ecclesiasticæ sit vetita, exceptis casibus in jure expressis, & concessis: tamen in *cit. c. 2.* speciali- ter prohibetur prædicta submissio seu recognitio, ne fiat, non tantùm sine consensu Capituli, sed neque sine speciali, & ut notat *Gl. margin. hìc lit. C.* sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, adeóque non sufficit hoc casu generalis: idque ita statutum est, quia in hujusmodi submissionibus seu subjectionibus majus periculum vertitur, ideóque cautiùs, quàm in alienationibus est agendum, quia talis submissio est quædam servitius, ut tradit *Gl. hìc V. Speciali.* Est etiam talis recognitio species quædam alienationis, sive contractûs, ut colligitur ex *cit. c. 2. §. Contractus*, & donatio quædam, per quam attribuitur Laicis dominium directum bonorum Ecclesiasticorum, ut notat *Ancharanus ibidem not. 2.* nam potest etiam per solam pactionem, sine interveniente traditione, dominium vel jus reale in alterum transferri, si verus dominus constituat se alieno nomine deinceps rem detinere velle, sive si paciscatur, quòd rem velit alterius nomine precariò, vel ut conductor, aut usufructuarius, tenere, *l. Quisquis; 28. C. de donation.* Imò etiam possessio in alium transfertur jurisfictione, si is, qui donat, vel recogni-

cognitionem promittit, dicat, se alterius nomine deinceps possidere velle, is enim possidet, cujus nomine possidetur, *l. Quod meo*; 18. *in princ. ff. de acquirend. possess.* & docet *ibid. Bartol. n. 2. & 3. Anchar. c. l.*

Notandum tertiò. Quamvis tam bona mobilia, quæ asservari possunt: quàm immobilia Ecclesiastica alienari prohibeantur; hîc verò tantùm prohibetur fieri submissio seu recognitio, & donatio rerum immobilium & jurium, non item mobilium, ut tradit *Gl. hic V. Immobilia*, nam de donatione rerum mobilium certa regula tradi non potest, sed attendendum est, ad quantitatem doni, sit nè magnum, an parvum, & ad qualitatem donatarii, sitnè bene meritus de Ecclesia, necnè, & num Ecclesia, ex cujus bonis fit donatio, sit dives, an indigens, *juxta c. 3. de donation. Joan. Monach. in cit. c. 2. h. t. n. 1. & 2. & Ancharan. not. 1.*

Notandum quartò. Prælati Ecclesiarum non possunt Laicos Patronos, sive Advocatos Ecclesiarum suarum constituere in perpetuum, aut ad longum tempus, id enim cedit in detrimentum Ecclesiarum; quia Domini sæculares sub titulo ac prætextu juris advocatiæ sibi competentis Ecclesias & personas Ecclesiasticas solent gravare variis modis, juridictionem sibi in eas arrogando, & usurpando, ut colligitur ex hoc cap. Et hinc in eodem Concilio Generali Lugdunensi c. 12. *relato in c. Generali*; 13. *de Elect. in 6.* excommunicantur omnes, qui jus advocationis seu defensionis in Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis de novo sibi vendicant, & ob eum titulum eorum bona usurpare præsumunt: quamvis possit hoc jus advocationis ex fundatione, vel antiqua & præscripta consuetudine Laicis competere, ita tamen, ut potestate suâ non abutantur, sed Ecclesiam defendant, & curam habeant, ne bona illius dilapidentur, & pereant, ut colligitur ex *cit. c. Generali.* Deinde possunt Prælati & Rectores Ecclesiarum, etiam de novo, sibi ascisccre Laicos in Advocatos seu defensores ad modicum tempus, Judicis arbitrio, spectatis circumstantiis, determinandum; quia cùm tunc jus advocatiæ revocari possit, vel per se finiatur, non adest tantum periculum gravandi Ecclesias, ut tradit *Gl. in tit. c. 2. V. Non modicum*; *h. t. in 6. & Anchar. not. 6.* sicut etiam locatio rei Ecclesiasticæ ad longum tempus prohibita est, *Clement. 1. h. t.*

Notandum quintò. Clerici tenentur denunciare Superiori suo, si videant Ecclesiam, vel ejus bona servituti subjici, vel illegitimè alienari, ut colligitur ex *cit. c. 2. Ancharan. ibid. not. 9.* apud quem plura de hoc videri possunt.

§. III.

An ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiratur auctoritas & consensus Patroni, vel consensus Principis sæcularis loci, in quo eæ sitæ sunt?

LXI. Assertio prima. Etsi Patroni Ecclesiæ consensus quandoque requiri debeat, non tamen potest Patronus, tametsi fundator, vel dotator Ecclesiæ sit, alienationes rerum Ecclesiasticarum, si cum legitima auctoritate Superioris seu Prælati Ecclesiastici, & observatis solennitatibus Jure Canonico requisitis, fiant, impedire, neque iis contradicere, aut se opponere, adeóque tales alienationes, si causa alienandi, videlicet necessitas vel utilitas Ecclesiæ manifesta seu evidens sit, etiam invito Patrono, si consentire nolit, subsistunt; quia Patronus Laicus nullam jurisdictionem aut potestatem habet administrandi, adeóque nec conferendi, nec alienandi res Ecclesiasticas, ut constat ex c. 6. *caus.* 10. *q.* 1. qui est desumptus ex *Concilio Toletano IV. c.* 34. in quo ita decernitur: Noverint conditores Basilicarum in rebus, quas eis- » dem Ecclesiis conferunt, nullam se potestatem ha- » bere, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, » ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertine- » re. Consentit *text. in c. De rebus*; 22. *caus.* 12. *q.* 2. *c. In Canonibus*; 57. *caus.* 16. *q.* 1. *Abb. in c. Cùm accessissent*; 8. *n.* 5. *de constit. & ex Georg. Everhardo vol.* 1. *consil.* 5. *n.* 11. tradit *Laym. in cit. dis. Canon. de rer. Eccl. alien. Thesi* 51. *&* 58.

LXII. Excipitur primò. Si bona Ecclesiæ à Domino sæculari, non absolutè sint donata, sed in feudum tantùm concessa, tunc enim sine consensu ejusdem Domini, ea alienari non possunt; quia Ecclesia & personæ Ecclesiasticæ, quoad bona & jura feudalia, subjiciuntur jurisdictioni Domini directi feudi, sicut Laici, ut constat ex c. *Transmissa*; 6. *&* c. *Verùm*; 7. *de foro compet.*

Excipitur secundò. Nisi fundator seu dotator Ecclesiæ ab initio bona illa Ecclesiæ donaverit, eâ adjectâ conditione, ut non alienentur, eâque conditio acceptata sit, tunc enim, sine ejus consensu, alienari non possunt, etiam servatis aliis juris solennitatibus; quia cùm talis conditio SS. Canonibus non repugnet, ea servari, debet, c. *Cùm dilecti*; 6. *de donation. c. Verùm*; 4. *de condit. apposit. Rosenthal. Tract. de feudo c.* 4. *concl.* 19. *Laym. c. l.* Quin imò si expresè conventum sit, ut si non servata fuerit ea conditio, ne res Ecclesiæ donatæ alienentur, revocari possit donatio, ipso facto, res alienatæ cadunt in commissum, ita ut fundator, ejúsque hæredes, propriâ auctoritate, ingredi possessionem earum possint, quamvis decentius sit, ut eam occupent cum auctoritate Judicis Ecclesiastici, *Imola in c. Cùm dilecti*; 6. *n.* 4. *de donat. Laym. c. l.* Aliud verò dicendum est, si expressum non sit, ut non servatâ eâ conditione, donatio revocari possit, tunc enim ea revocari non potest, sed agi debet ad conditionem observandam, *cit. c. Verùm de condit. appos. Laym. cit. Thesi* 51. Ubi addit, si Dominus Laicus fundavit Ecclesiam, aut Monasterium certi Ordinis Religiosis, hac conditione expresè adjectâ, ut si ii Monasterium deserant, Fundator, aut ejus hæredes aliis Religiosis vel Clericis sæcularibus donare possint, multò magis talem conditionem servandam esse. Verùm contrarium tanquam probabilius tenet *Azor cit. l. 9. c. 2. q. 9.* & alii apud ipsum, videlicet, si Ecclesiæ bona donata sint, sub ea conditione, ne ea alienare possit, non obstante illo pacto, licitum esse, ea alienare, ex causis jure permissis, & servatis debitis solennitatibus; quia talis conditio adjecta velut turpis, & repugnans utilitati Ecclesiæ, pro non adjecta habenda est. Idémque dicendum est, si Ecclesiæ donata sint bona, eâ adjectâ pœnâ, ut si alienet, illa amittat,

nam illa conditio solùm sic intelligi debet, ut non possint alienari bona illa, extra causas legitimas, & sine præscripta forma juris, *Azor c. l.*

LXIII. Assertio 2. Quamvis Princeps, vel Magistratus sæcularis non possit per statutum prohibere, ne res Ecclesiasticæ in territorio suo sitæ alienentur, sine consensu suo requisito, idque nec directè, prohibendo Clericis, ne alienent sine prædicto suo consensu: nec indirectè, prohibendo subditis Laicis, ne rem quampiam ad Ecclesiam pertinentem emant, sine consensu ejusdem Principis aut Magistratûs: potest tamen per consuetudinem diuturnam ac immemorialem introduci, accedente licentiâ & patientiâ Prælatorum Ecclesiasticorum, ut talis consensus in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiri debeat, *Laym. in cit. dis. Thes. 52.* Prior pars sumitur ex *c. ult. de immunit. Eccles. in 6.* Ubi id notat *Gl.* & ratio est, quia tale statutum præsefert usurpationem jurisdictionis in causas & res Ecclesiasticas, per quod impediuntur Prælati Ecclesiæ, aut prohibentur facere ea, quæ ipsis Jure communi Canonico sunt concessa, videlicet potestas alienandi res Ecclesiæ, ex causa necessitatis vel utilitatis, adhibitis præscriptis juris solennitatibus, adeóque tale statutum adversatur libertati Ecclesiasticæ, & non valet, juxta ea, quæ alibi dicta sunt. Ratio posterioris est, quia per talem consuetudinem non derogatur libertati Ecclesiasticæ, cùm sit tacito consensu Prælatorum Ecclesiasticorum inducta, per statutum sæcularis potestatis, at verò derogari non potest Juri Canonico.

Ex dictis infertur, quamvis Constitutiones Imperatoris Justiniani, circa formam observandam in alienationibus rerum Ecclesiasticarum latæ, & in Corpus Juris communis Civilis relatæ, nullam per se & suâptè naturâ vim obligandi habeant, quia Laicis disponendi de rebus Ecclesiæ nulla est attributa potestas, *c. ult. h. t.* cùm res & personæ Ecclesiæ sint extra limites jurisdictionis sæcularis: habent tamen prædictæ Leges & Constitutiones Civiles vim obligandi etiam Clericos, si à Pontificibus in Corpus Juris Canonici redactæ ac veluti canonizatæ, vel per Ecclesiasticam consuetudinem diuturnam approbatæ sint, *Laym. c. l.* & patet ex alibi dictis.

SECTIO IV.

DE REVOCATIONE ALIENationis, & repetitione rerum alienatarum, ac pœnis alienantium res Ecclesiæ contra Canones.

§. I.

Quinam, & quomodo revocare possint alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas, & repetere res Ecclesiæ ita alienatas?

LXIV. Assertio 1. Alienationem rerum Ecclesiasticarum à quocúnque Prælato vel Rectore Ecclesiæ illegitimè factam inprimis potest ac debet revocare ipsemet Prælatus, qui res alienavit, eásque repetere, prout sumitur ex *c. Si quis; 6. h. t.* ubi inprimis dicitur. Si quis ex Presbyteris, Diaconis, vel Defen- » soribus (id est, Advocatis vel Procuratoribus, *Gl.* » *hîc V. Defensurum*) alienanti prædium Ecclesiæ sub- » scripserit, cùm id Deo exosum sit, anathemate fe- » riatur, id est, solenniter excommunicetur, nisi for- » tè is, qui alienavit, & qui accepit, celeriter resti- » tuendo sibi prospexerit: alioquin si id neglexerint, » præter pœnam prædictam, instrumentum aliena- » tionis, quod ab initio infirmum ac invalidum fuit, » rescindatur, sive irritum declaretur. »

LXV. Ubi Notandum primò. Is, qui rem Ecclesiæ malè seu illegitimè alienavit, potest, ac debet alienationem revocare, & rem alienatam repetere, ut colligitur ex hoc cap. ibi: *nisi fortè & alienator* (per repetitionem, ut supplet *Gl. ibid.*) *& qui accepit, celeri restitutione sibi prospexerit*, quia ipsa alienatio ab initio fuit nulla *Gl. ibid. V. Ab initio nulla*, & consequenter etiam instrumentum alienationis, quia quando alienatio non valet, nec instrumentum super illâ confectum valet, *Gl. magn. hîc in notat.* Quòd autem dictum est alienatorem posse revocare alienationem malè factam & repetere res alienatas, id intelligendum est, quamdiu ab administratione non est amotus, sed in ea toleratur, *Gl. hîc V. Prospexerint*, nam quamvis ordinariè loquendo, non liceat alicui contravenire facto proprio, & allegans propriam turpitudinem in judicio non sit audiendus, *c. Cùm super; 8. junct. Gl. V. Posse de conces. Præb. c. Inter; 8.* ibi: *pro se, imò potius contra se turpitudinem allegabant, inf. de donat. l. 2. ff. de condict. ob turp. caus.* Excipi tamen debet primò, nisi vertatur periculum animæ, *c. Consanguinei; 11. de sent. & re judic. & tradit Gl. in cit. c. Inter; V. Turpitudinem de donat.* Secundò, nisi agatur de favore aut jure Ecclesiæ, *c. 3. caus. 35. q. 9.* ubi ait, quòd in illicita alienatione rerum Ecclesiæ, de qua ibi est sermo, potest quis contra factum proprium venire. Tertiò, si exceptio allegantis suam turpitudinem, seu delictum notoriè elidat jus agentis, tunc admitti debet, *Abb. in cit. c. Inter; n. 7.*

Notandum secundò. Contra Prælatum revocantem alienationem illicitam non potest opponi alqua exceptio, nec quidem defectus dominii, sed sufficit probare, quòd res illa, quæ repetitur, fuerit in bonis Ecclesiæ, & illegitimè alienata sit per Prælatum Antecessorem, prout sumitur ex *c. Episcopi; 4. in fine h. t.* ibi: *successor Episcopus, absque aliqua oppositione, ad jus Ecclesiæ revocabit.* Quia cùm sæpe valde difficile sit probare dominium, *c. Sæpe; 18. de restit. spoliat.* Ecclesia damnum incurrere posset, si non deberet ipsi restitui res alienata, nisi ptobato dominio, *Abb. in cit. c. Episcopi; n. 1. Laym. cit. dis. Th. 38.*

Notandum tertiò. Qui alienationi rei Ecclesiasticæ malè & illegitimè factæ subscribit, non alieno, sed suo nomine, & scienter, is eidem consentire censetur, & ejusdem criminis ac pœnæ se reddit consortem, *Gl. hîc V. Subscripserit: & l. Jubemus 34. §. Oeconomus*, ibi: fieri passus: ubi *Gl. V. Imò ait*, quòd agentes & consentientes pari tenentur pœnâ, quia pariter delinquunt. Unde prohibitus alienare, prohibetur etiam alienationi consentire, *Barb. in Collect. hîc n. 7.*

LXVI. Pos-

LXVI. Porrò prædicta assertio & doctrina extenditur primò. Quòd alienans illegitimè res seu bona Ecclesiæ potest ac tenetur res alienatas repetere, & alienationem revocare, etiamsi juraverit, se eas non repetiturum, vel non revocaturum, ut docet *Gl. in cit. c. Si quis*; *V. Alienator*; *h. t. & Abb. ibid. n. 7. & alii communiter*: nam juramentum tendens contra utilitatem Ecclesiæ, perjurium potiùs dicendum est, quàm juramentum, *c. 1. de his, quæ fiunt à Præl. &c.* etiamsi per alium possit indemnitati Ecclesiæ consuli: & cùm talis Prælatus ex justitia sit obligatus ad revocandum, & repetendum, ideo juramentum non fuit obligatorium, cùm non possit esse vinculum iniquitatis & injustitiæ, *c. Quanto*; 18. *de jurejur.* consultius tamen est, & honestius, ut hoc casu alius pro Prælato alienationem factam revocet, qui non juravit, & cujus aliquo modo interest, v. g. Capitulum, vel Prælatus Superior, ut insinuat *Gl. in c. 1. V. Contractum de restit. in integr.* idque ad vitandum scandalum; quia jurans saltem secundùm externam speciem videtur agere contra suum juramentum, illúdque violare, *Laym. c. l. Thes. 39.*

Extenditur secundò. Quamvis Successor vel Superior alienationem illegitimè factam postea confirmârit, nihilominùs eam revocare potest, ac debet, ut ex communi docet *Rosenthal tr. de feudis c. 4. concl. 40.* quia cùm hæc sit confirmatio solùm in forma communi, nullum valorem de novo tribuere potest actui ipso jure invalido, *c. 1. & tot. Tit. de confirm. util. Laym. c. l.*

LXVII. Assertio 2. In defectum eorum, qui ex officio res Ecclesiasticas illegitimè alienatas repetere debent, ipsámque alienationem revocare, videlicet Prælatus, qui alienavit, Capitulum & Superior, qui consensum & auctoritatem alienandi tribuit, & Successor Prælati alienantis: si hi nolint, aut non possint revocare, & repetere, potest quilibet è Clero, sive quælibet persona Ecclesiastica agere ad rei illegitimè alienatæ restitutionem, prout statuitur in *cit. c. Si* » *quis in fine h. t.* Ubi dicitur, quòd quibuscúnque » Ecclesiasticis personis liceat se alienationi oppone- » re, atque res alienatas, cum fructibus, imploratâ » Ecclesiasticâ auctoritate, reposcere; quod intelli- » gendum est de Clericis ejusdem Ecclesiæ, quia eorum interest, *Gl. hic V. Personis.* Quin imò etiam parochiani Laici admittuntur ad repetendum res Ecclesiæ illegitimè alienatas; quia ipsorum quoque interest, ne Ecclesia parochialis illorum vergat ad inopiam, *Gl. cit. loc. & Abb. ibid. n. 8.* ideóque possunt agere pro Ecclesiæ bonis ac juribus, etiam sine Litteris de rato seu mandato, *Gl. in cit. c. Si quis V. Alienata in fine.* præferendi tamen sunt ejusdem Ecclesiæ Clerici parochianis Laicis, sicut etiam extraneis Cleticis: at illis negligentibus, etiam extranei agere possunt, quia jus publicum consistit in sacris sive Ecclesiæ, *c. pen. dist. 1.* Ubi autem agitur de jure publico, quilibet admittitur ad agendum, *c. Inprimis*; 7. *caus. 2. q. 1. Gl. in cit. c. pen. V. Ius publicum*, ubi ait, qui lædit Sacerdotes, & res sacras violat, ab omnibus tanquam de publico crimine potest accusari, *Abb. in cit. c. Si quis*; *n. 9. h. t. Laym. in cit. dis. Thes. 40.*

LXVIII. Cæterùm Notandum hîc primò. Si Prælatus vel Rector Ecclesiæ per malam & illicitam alienationem damnum Ecclesiæ intulit, neque illam revocando sustulit, obligatus est ad resarciendum damnum ex bonis propriis, ideóque hoc nomine conveniri potest in judicio, *c. 3. de pignorib.* quemadmodum etiam hoc casu contra Tutorem pupilli malè alienantem res pupilli agi potest, *l. 1. in princ. ff. de tutel. & ration. distrah.* Verùntamen in electione Ecclesiæ læsæ, aut Prælati Successoris est, num velit directâ viâ agere adversùs illum, qui rem malè à Prælato aut Rectore distractam detinet, ut eam restituat: an verò contra ipsummet Prælatum aut Rectorem, ut Ecclesiam indemnem servet, *Gl. in cit. c. 3. V. Necessitate*; *in 3. Respons. de pignorib. & Gl. in c. Placuit*; 15. *V. Pertineant, caus. 16. q. 3.* idque sumitur ex *l. ult. C. Si Tutor vel Curator interven. &c.* Ubi habetur: si Tutor vel Curator rem minoris natu malè distraxerit, posse minorem, vel petere, ut restituatur: vel contra Tutorem aut Curatorem agere, ut damnum resarciat; Ecclesia autem minori natu æquiparatur, *c. 3. de in integr. restit. Laym. c. l. Thesi 3.* Verùm & vice versâ, si Prælatus aut Rector Ecclesiæ ex propriis quippiam pro utilitate Ecclesiæ expendit, aut damnum passus fuit, idque probavit, integrè id ipsi restitui debet, *Abb. p. 2. Consil. in consil. 10. Laym. c. l. Thes. 45.* quia nemini officium suum debet esse damnosum, *l. Si servus*; 61. §. *Quod verò, ff. de furtis.*

LXIX. Notandum secundò. Ecclesia, in casu illegitimæ alienationis, duas actiones habet, quas instituere potest: unam personalem contra Prælatum, vel Rectorem malè alienantem, ut damnum illatum Ecclesiæ resarciat, eáque ad hæredem quoque transit, ut docet *Abb. in cit. c. 3. n. 3. de pignor.* Alteram verò in rem, seu realem, quæ datur contra possessorem rei alienatæ, ut tradit *Gl. in cit. c. Si quis V. Alienata*; *h. t.* & colligitur ex *l. 3. C. Si Tutor vel Curat. interven.* quia cùm alienatio rei Ecclesiasticæ facta contra Canones sit ipso jure nulla, non censetur dominium per eam translatum in accipientem. Nisi quis malit dicere, hanc actionem esse Interdictum possessorium recuperandæ; quia ad illam non requiritur probatio dominii, sed solùm quòd alienatio illegitimè facta fuerit, *Laym. c. l. Thes. 38.* Porrò si damnum Ecclesiæ illatum per restitutionem rei alienatæ sit resarcitum, non potest ampliùs contra Prælatum illegitimè alienantem prædicta actio personalis intentari, *l. 1 §. Si plures, ff. de eo, per quem fact um fuerit &c.* cùm enim sit actio rei persecutoria tendens ad interesse, & Ecclesia jam suum consecuta sit, & ita ejus interesse desierit, non potest ampliùs agere ad interesse; non enim bona fides patitur, ut idem bis exigatur, *Reg. jur. 52. in ff. Gl. in c. Monemus*; 18. *V. Reddere caus. 12. q. 2.* potest tamen adhuc Ecclesia accusationem instituere contra malè alienantem, sive agere criminaliter ad pœnam seu satisfactionem pro injuria illata, *Gl. c. l. Abb. in cit. c. Si quis*; *n. 10. h. t. Laym. in cit. dis. Thes. 38.*

LXX. Notandum tertiò. Is, qui emit, sive cui alienatio rei Ecclesiasticæ illegitimè facta fuit, compelli potest ad rem ipsam, cum omnibus fructibus exinde perceptis, restituendam, *cit. c. Si quis*; *h. t.* & meliorationes, quas in re accepta fecit, perdit, *l. Iubemus*; 14. § *Sanè*; *1. C de SS. Eccles. c. Non licet*; 20. *caus. 12. q. 2. Abb. in cit. c. Si quis*; *n. 1. & 6. h. t.* poterit tamen tunc emptor contra Prælatum illegitimè alienantem agere

ad recuperandum pretium, si bonâ fide, & sine dolo, emit: non autem contra Ecclesiam, nisi in defectum, si Prælatus non sit solvendo ex propriis, tunc enim ab ipsamet Ecclesia pretium repetere poterit, quatenus inde locupletior facta fuit; cùm æquitas non permittat, aliquem cum altetius damno fieri locupletiorem, *l. Nam hoc*; 14. *ff. de condict. indebit.* Secùs verò est, si emptor malâ fide, sive sciens alienationem illegitimè esse factam emit, tunc enim in pœnam amittit pretium, illúdque Ecclesiæ læsæ acquiritur, *cit. l. Jubemus*; §. *Sanè*; 1. præterquàm si emptor, etiam malæ fidei, priùs convenerit de evictione cum alienante, tunc enim agere poterit contra Prælatum malè alienantem ad recuperandum pretium, *l. Si fundum*; 27. *C. De evict. Abb. in cit. c. Si quis*; *n.* 13. *h. t. Silvest. V. Alienatio*; *q.* 14. *Molin. cit. dis.* 468. *Concl.* 6. *n.* 16. *Laym. l.* 3. *Th. mor. tr.* 4. *c.* 10. *n.* 4. *in fine.*

LXXI. Confirmantur prædicta ex *c. Ad audientiam*; 9. *h. t.* Nam cùm quidam Canonici Cathedralis Ecclesiæ Exonensis, aliis Canonicis inconsultis, quædam prædia in damnum ejusdem Ecclesiæ, in perpetuum locâssent colonis: re hac intellectâ, Papa Cælestinus III. mandavit Episcopo Exonensi, ut si ita esse comperirit, locationes istas tanquam illegitimè factas revocet, & si aliter non possint revocari prædia, nisi pensiones pecuniariæ, quas coloni Canonicis locatoribus solverunt, eisdem restituantur, prædictos locatores Canonicos ad pecunias illas refundendas conductoribus colonis, remotâ appellatione, compellat.

LXXII. Ubi Notandum primò. In Ecclesiis, in quibus distinctæ sunt Præbendæ, & bona seu prædia Ecclesiæ singulis Canonicis in Præbendas sunt assignatæ, ut in casu hujus cap. teste *Abb. hic n.* 2. ea non possunt in perpetuum locari, sine licentia Superioris, & consensu majoris partis Capituli, aliisque juris solennitatibus, alioquin locatio est ipso jure nulla, *Gl. hic V. inconsultis*: ratio est, quia hæc prædia quoad proprietatem, non pertinent ad Beneficiarium: sed ad Ecclesiam; ad Beneficiarium verò v. g. Canonicum tantùm pertinet usufructus, qui per mortem usufructuarii expirat, & consequenter etiam locatio ab eo facta; resoluto enim jure dantis, resolvitur jus accipientis, *l. Lex*; 31. *ff. de pignorib.* Unde Beneficiarius non potest prædium Præbendæ suæ locare, ultra tempus vitæ suæ, adeò ut si locavit etiam ad certum tempus, & ad paucos annos tantùm, v. g. sex, & ipse ante illud tempus finitum moriatur, expiret locatio, ut tradit *Abb. hic n.* 2.

Notandum secundò. Res Ecclesiæ illegitimè sive contra Canones alienatæ, ut in proposito, prædia in perpetuum locata colonis, possunt revocari ab Ecclesia, vel Episcopo (de facto, non de jure, cùm ipso jure non teneat talis locatio, *Gl. hic V. Locationes revocare*) etiam pretio seu pensione non redditâ conductori seu colono; quia hic in pœnam pretium sive pensionem solutam amittit, *arg. hujus cap. & juxta cit. l. Jubemus*; §. *Sanè*; 1. *C. De SS. Eccles.* si tamen emptor aut conductor fuit bonæ fidei, potest agere contra locatorem ad restituendam pensionem solutam, & locator, videlicet Prælatus aut Beneficiarius, ad ejus refusionem compelli debet, *juxta decisionem hujus cap.* quia delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare, *Reg. jur.* 76. *in* 6. Si verò malâ fide, sive sciens conduxit quis prædium Ecclesiasticum, sine jure requisitus solennitatibus, non potest repetere pensionem solutam à Prælato vel Beneficiario locante, nisi de evictione cum eo pactus sit, *juxta cit. l. Si fundum C. De eviction. Gl. hic V. Refundendum & patet ex suprà dictis not.* 3.

§. II.

An, & quando Ecclesia læsa ob alienationem rei Ecclesiasticæ competat Beneficium restitutionis in integrum, & quæ sint pœnæ illegitimè alienantium res Ecclesiasticas, aut malè recipientium?

LXXIII. Assertio 1. Si rei Ecclesiasticæ alienatio facta sit in casu licito, seu ex causa jure permissa, & adhibitis solennitatibus præscriptis, tunc valida quidem est: sed si exinde Ecclesia enormiter læsa reperitur, petere potest restitutionem in integrum, prout sumitur ex *c. Ad nostram*; 11. *h. t.* Ubi cùm Monasterium quoddam maximis debitis gravatum esset, Abbas & Conventus ejusdem, villam quandam cuidam Laico in Feudum concesserunt, tali pacto apposito, ut 80. libras solveret, pro quibus villa illa erat obligata, id quod Laicus statim implevit. Posteà verò cùm Abbas & Conventus adverterent, quòd Monasterium ex tali contractu enormiter læsum esset, supplicârunt Innocentio III. ut prædictum Feudum ad Monasterium revocaretur, allegando Laicum illum primo anno ex reditibus villæ, ultra 80. libras percepisse, & per multos postmodùm annos fructus ex eadem villa lucratum fuisse. Quare Papa mandat cuidam Episcopo & Præposito, ut si prædictum Monasterium tam enorme dispendium seu damnum incurrisse compererint, dictum Laicum compellant Feudum illud liberum & quietum Monasterio, positâ appellatione, dimittere: pecuniâ tamen ab Abbate & Conventu priùs receptâ, quam pro exoneratione debitorum, vel in utilitatem Monasterii. Laicus ille expendit, cùm fructus percepti ipsi debeant sufficere in compensationem laboris.

LXXIV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Licèt *Hostiens. hic V. Revocari*, & *Io. Andr. n.* 2. existiment, alienationem seu contractum in feudationis in casu hujus cap. fuisse ipso jure nullum, ob defectum consensûs Superioris, sive Episcopi Diœcesani, ideòque non per remedium restitutionis in integrum: sed per viam nullitatis, & jure actionis ordinariæ contractum illum sive concessionem Feudi fuisse revocatam: Contrarium tamen verius est, quod tenet *Gl. hic V. Enorme*, *Innocent. in princ. & Abb. n.* 5. & 7. nimirum quòd alienatio illa seu concessio Feudi fuerit valida, quia facta fuit in casu licito, sive ex causa jure permissa, & consensus Capituli, & Episcopi, aliæque debitæ solennitates intervenerunt, sed ob gravem læsionem Ecclesiæ seu Monasterii, per restitutionem in integrum rescindenda fuit: Idque apertè convincitur ex *ipso textu hujus cap.* in quo Papa non se fundat super nullitate contractûs, sed super enormi læsione, ideóque mandat Delegatis, ut, an eam Ecclesia seu Mona-

Monasterium incurrerit, cognoscant, alioquin si contractus non fuisset validus, Papa simpliciter mandâsset, illam villam restitui Monasterio, tanquam quæ invalidè fuerit alienata, & Monasterio competeret rei vindicatio ad illam recuperandam. Si tamen Ecclesia decepta esset ultra dimidiam partem justi pretij, tum ei subveniretur jure communi per remedium *l. 2. C. de rescind. vendit. c. 3. infr. de empt. Gl. hîc V. Enorme.*

Non obstat, quòd *in hoc cap.* dicatur, per multos annos, Laicum villam illam possedisse, adeóque plus quàm per quadriennium, quo elapso, non habet ultra locum restitutio in integrum, *c. 1. de Restit. in integr. in 6.* Nam inprimis per multos annos, *Gl. in hoc c. V. Per multos*, ait, intelligi fortè per duos, vel tres; quia pluralis locutio duorum numero est contenta, & duo dicuntur multi, *Gl. marg. ibid. lit. B.* Deinde ob valde enormem læsionem, etiam post quadriennium succurritur Ecclesiæ per restitutionem in integrum, præsertim si Prælatus, qui alienavit, mortuus fuit, *Abb. hîc n. 5.* Non obstat secundò, quòd si Ecclesia in alienatione rei Ecclesiasticæ damnum passa est, non videatur posse locum habere restitutio in integrum; quia talis alienatio non fuit utilis Ecclesiæ, sed potiùs damnosa, adeóque ea ob defectum causæ irrita censeri debet. Sed respondetur, ut alienatio sit valida, satis est, quòd ea facta sit præcedente tractatu, & cognitione causæ, & cum consensu eorum, qui consentire debent, ob causam, quæ tunc probabiliter existimata fuit justa, & legitima, etsi posteà insufficiens deprehendatur, eò quòd talis alienatio, non in utilitatem, ut putabatur: sed in damnum Ecclesiæ cesserit, talis enim error non impedit, quòminùs alienatio mero jure sit valida, licèt per restitutionem in integrum rescindi possit, si Ecclesia per illam enormiter læsa sit, *Gl. in hoc c. V. Enorme, Molin. cit. disp. 468. concl. 6. nu. 15. §. Observa tamen.*

LXXV. Notandum secundò. Si Ecclesia enormiter læsa sit in alienando, potest, si velit, petere restitutionem in integrum coram Judice Ecclesiastico contra Laicum, si bona non sint feudalia: ac proinde habetur hîc casus specialis, in quo actor non sequitur forum Rei: sed trahit reum ad suum forum; quia in tali alienatione supponitur quædam deceptio saltem materialis, & reipsâ interveniisse, ideóque latè loquendo, potest dici quoddam sacrilegium, quod ad Ecclesiasticum forum pertinet, *c. Cùm sit; 8. de foro compet. Abb. hîc n. 2. & nu. 6.* qui ait, hoc generale esse in omni privilegio concesso Ecclesiæ. Verùm in Imperio Romano coram Judice sæculari restitutio in integrum, tali casu, si reus sit Laicus, peti solet, ut notat *Laym. in cit. disp. Thes. 73.*

LXXVI. Notandum tertiò. Si Ecclesia, ob gravem læsionem in alienando, restituatur in integrum, potest is, cui alienatio facta est, si quippiam in utilitatem Ecclesiæ expendit, v. g. emptor pretium solutum pro re alienata, & meliorationes repetere: item mercedem laboris sui, & industriæ collocatæ in rem alienatam, sibíq; traditam, nisi ex perceptis fructibus compensationem laboris jam acceperit, ut colligitur *ex cit. c. Ad nostram h. t. c. 1. de in integr. restit. & exl. Quòd si; 24. §. Restitutio; ff. de minorib.* ubi dicitur, quòd restitutio ita facienda sit, ut unusquisque integrum jus suum recipiat, adeóque cùm aliquis restituitur, omnia debent restitui in pristinum statum, ut neutra pars sit in damno, vel in lucro, ut ait, *Gl. V. Sufficere; in cit. c. Ad nostram.* Unde in casu istius cap. colonus ille potuisset petere mercedem laboris sui, si voluisset restituere fructus ex villa perceptos: nam posito, quòd expendisset in villam mille florenos, & ex fructibus solùm percepisset centum, iniquum foret, si fructibus perceptis deberet esse contentus: nam sicut Ecclesia restituitur in pristinum statum, ita & illi, qui cum ea contrahunt, restitui debent, *Abb. in cit c. Ad nostram; n. 8. h. t.* Si verò alienatio rei Ecclesiasticæ revocetur, quia nulla est, & invalida, tunc distinguendum est: vel enim is, in quem facta est alienatio, v. g. emptor, bonâ fide rem accepit, videlicet ex probabili ignorantia facti, quia nescivit rem emptam ad Ecclesiam pertinere, vel putavit venditionem ex causa justa & cum debitis solennitatibus, esse factam, vel etiam ex probabili ignorantia juris, si emptor sit talis persona, cui ignorantia juris non nocet, videlicet minor 25. annis, fœmina, miles, vir rusticanus, *l. Regula; 9. ff. de jur. & fact. ignorant.* Et tunc emptor bonæ fidei pretium ac meliorationes repetere potest, *c. Vulteranæ; 25. junct. Gl. V. eod. caus. 12. q. 2.* Imò etiam fructus interim perceptos lucratur, si venditio retractetur, quia ipso jure fuit nulla, *Abb. in c. Ad nostram; 11. h. t.* Idque procedit saltem eatenus, ut emptor bonæ fidei non sit in damno, Ecclesia verò in lucro; non enim æquum est, aliquem, cum alterius detrimento locupletari, *l. Nam hoc; 14. ff. de condict. indeb.* Si verò quis malâ fide rem Ecclesiæ emit, quia sciens venditionem factam esse sine justa causa, aut requisitâ juris solennitate, vel ex ignorantia juris, quia putavit alienationem sine solennitatibus factam esse validam; tunc emptor pretium datum amittit, eóque, sicut & fructibus perceptis, à Judice in pœnam privari potest, *l. jubemus; 14. §. Sanè C. de SS. Eccles. Gl. in cit. c. Vulteranæ V. Emptori, Abb. in cit. c. Ad nostram; n. 9. h. t. Redoan. in tract. de reb. Eccl. non alien. q. 78. c. 5. n. 5. & seqq.*

LXXVII. Assertio 2. Ad pœnas quod attinet, si alienatio rei Ecclesiasticæ contra Canones facta sit, tam alienator: quàm is, in quem alienatio facta est, imò & qui alienationi subscripserunt, ipso facto, excommunicationem incurrunt, prout statuitur *in. c. Si quis; 6. h. t. c. Apostolicos; 13. §. Quisquis; caus. 12. q. 2.* Nisi intra tempus à Superiore Prælato præfixum, contractum alienationis, quantum in ipsis fuerit, rescinderint; nam pœnæ Canonicæ ipso facto, non incurruntur, nisi effectus secutus fuerit, quia verba Constitutionis (præsertim pœnalis) cum effectu accipienda sunt, *c. Relatum; 4. de Cleric. non resident.* non autem censetur effectus secutus, si statim sit reparatus, quia alienatio celeriter revocata, aut res alienata citò restituta est, *cit. c. Si quis;* Sin autem Prælatus, vel Rector Ecclesiæ illegitimè alienans, in revocando alienationem contumax sit, etiam à Prælatura deponi, vel ab administratione, & officio removeri debet, *c. Monemus; 18. junct. Gl. in casu, & c. Quisquis; 19. §. Quòd si calliditate; & c. Diaconi; 35. & ibi Gl. In casu caus. 12. q. 2. Gl. in cit. c. Si quis; V. Pœnam, h. t. Laym. in cit. disp. Thes. 41.* Porrò si Religiosus, qui Ecclesiæ Rector est constitutus, vel administrationi præpositus fuit, jura aut reditus ejus

alicui ad vitam, vel ultra tempus modicum concedat, suspensionem ab officio ipso jure incurrit, *juxta Clement. 1. h. t. de quo sup. n. 52.*

LXXVIII. Præterea in *c. Quires; 2. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lugdunensi IV. *c. 11.* sta» tuitur, ut si aliqui res & bona Ecclesiæ à Regibus pe» tant, & obtineant, acceptio seu acquisitio sit irrita, » & qui acceperunt à communione Ecclesiæ, cujus » facultates auferre cupiunt, excludantur. Ratio est, quia Reges & Principes sæculares non possunt res & bona Ecclesiastica etiam temporalia conferre, vel donare, cùm administratio, & dispositio earum ad Ecclesiasticos Prælatos spectet, Laici autem nullam de his disponendi potestatem habeant, *c. ult. h. t. Abb. hîc n. 2.* ideóque talis donatio est irrita; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, *c. Quod autem; 5. de jure patronat.* Eadem pœna excommunicationis decreta est in *c. de rebus; 22. caus. 12. q. 2. & in c. In Canonibus; 57. caus. 16. q. 1.* ubi dicitur: si quis oblata Deo dederit, vel acceperit, præter Episcopum (id est, sine licentia Episcopi) & qui dat, & qui accipit, anathema sit. Porrò res & bona Ecclesiæ dicuntur hîc esse egentium seu pauperum, quia tam res Ecclesiarum, quàm res Clericorum tempore necessitatis pauperibus erogari debent, *juxta c. ult.* & ibi *Gl. V. Quicquid; cit. caus. 16. q. 1.* Aliæ pœnæ & censuræ decretæ in illegitimè alienantes res Ecclesiasticas habentur in *c. 2. h. t. in 6.* pœna scilicet suspensionis ab officio & administratione, ipso facto, incurrendæ, lata in Prælatos submittentes Ecclesias vel earum bona Laicis: in Clericos verò, qui id negligunt denunciare Superiori, suspensio à Beneficio per tritennium: at verò Laici, qui compellunt Clericos ad faciendam talem suspensionem, sunt excommunicati, & si aliquid accipiant, nisi restituant, & resipiscant, ultra excommunicationem, Terræ eorum interdicto Ecclesiastico supponi possunt, ut dictum supra *n. 60. & seq.* plura de pœnis alienationis illegitimè factæ videri possunt apud *Redoanum in Tract. de reb. Eccles. non alienand. q. 76. c. 1. & 2.*

TITULUS XIV.

DE PRECARIIS.

Postquàm præcedente Titulo actum fuit de alienationibus rerum Ecclesiasticarum in genere, nunc ad species alienationis, sive ad contractus in specie, per quos fit alienatio, descenditur, de quibus tractatur in hoc & pluribus seqq. Titulis usque ad XXIV. inclusivè. Priusquàm verò de contractibus in specie agamus, pauca quædam de contractibus in genere scitu necessaria præmittenda sunt.

§. I.

De contractibus in genere.

I.

QUæritur primò. Quid sit contractus? Resp. contractus in jure, tum latè, tum strictè accipitur: latè sumptus est duorum vel plurium consensus seu conventio in idem, obligationem ex una tantum parte inducens, quomodo non distinguitur à pacto, quod definitur in *l. 1. ff. de pact. Duorum vel plurium in idem placitum & consensus sive conventio.* Talis contractus sive pactum gratuitum est donatio, ante traditionem rei, quæ soli donatori obligationem imponit, ut rem donatam tradat, & non revocet, extra casus jure concessos: item simplex promissio acceptata, *Less. l. 2. de justit. c. 17. dub. 1. n. 4. & 5.* Secundò, accipitur contractus strictè & propriè, pro pacto reciproco sive oneroso, quod ex utráque parte paciscentium seu contrahentium obligationem parit, ideóque definitur in *l. Labeo; 19. §. Contractum; ff. de V. S. ultrò citróque obligatio*, subintellige ex justitia commutativa, nam alioquin etiam ex aliis virtutibus oriri potest mutua seu reciproca obligatio, ut inter parentes & liberos obligatio pietatis reciproca: inter Superiorem & subditum est etiam mutua obligatio, ille enim obligatur ad gubernandum, præcipiendo, prohibendo &c. subditus ad obediendum, quæ tamen obligationes rationem contractûs non habent. Talis contractus strictè sumptus est emptio & venditio, locatio, & conductio &c.

II. Quæritur secundò. Quotuplex sit contractus? Resp. præcipua divisio contractuum est in nominatum, & innominatum. Contractus nominatus est, qui habet speciale & proprium nomen à legeei tributum, quo ab aliis contractibus distinguitur, ut emptio & venditio, locatio & conductio, societas, commodatum, depositum, precarium, mutuum &c. Innominatus contractus dicitur, qui nullo specifico & proprio nomine accepto, in communi commutationis seu permutationis vocabulo persistit, *l. 3. ff. de præscr. verb.* Quorum quatuor recensentur in *l. Naturalis; 5. in princ. ff. eod.* videlicet, *Do ut des*, v. g. do tibi frumentum, ut des mihi vinum, non enim est emptio & venditio; quia non datur pretium pro merce; nec est mutuum, quia non recipitur res ejusdem speciei, post certum tempus: nec locatio aut conductio, quia non datur pretium pro usu vel opera: sed datur una res pro alia, quarum neutra est pretium alterius, qui contractus speciale nomen non habet, sed solùm genericum permutationis, quod etiam convenit emptioni & mutuo, *Less. cit. c. 17. n. 13.* Secundus contractus

tractus innominatus est, *Do ut facias*, v. g. do tibi avenam, ut colas meum agrum, do tibi frumentum, ut desistas à lite, nam sub faciendo continetur etiam negatio, *non facias*. Tertiò, *facio ut des*, ut colo tibi agrum, ut mihi des panem. Quartò, *facio ut facias*, ut colo tibi agrum, ut vehas mihi ligna. Præterea contractus alii sunt bonæ fidei, qui benignam interpretationem admittunt, secundùm æquum & bonum, etiamsi id verbis expressum non fuerit, quales sunt, qui enumerantur in §. *Actionum Instituț. de action.* Alii dicuntur contractus stricti juris, in quibus stricta interpretatio fieri debet, secundùm id, quod expressis verbis conventum fuit, & natura contractûs stricti exigit, ita tamen ut verba non accipiantur contra mentem & intentionem proferentis, quales sunt, qui non recensentur in *cit.* §. *Actionum*; ut stipulatio, donatio, mutuum, feudum, emphyteusis. Alii denique contractus sunt onerosi, in quibus utrique parti contrahentium aliquod onus imponitur dandi vel præstandi: alii lucrativi, qui unam tantùm partem gravant, ut donatio, commodatum, precarium &c.

III. Quæritur tertiò. Quot: & quibus modis perficiantur contractus? Resp. quatuor: re, verbis, scripturâ sive Litteris, & consensu, §. *fin. Instit. de obligat.* Contractus, qui re sive quorum obligatio traditione seu interventu rei perficitur, sunt fermè omnes illi, qui ipso nomine dationem aut factionem significant, ut mutuum seu mutuatio, commodatum, depositum, permutatio: si enim conventum fuerit, ut mutuò detur, non antè censetur contractus firmus, neque civilis obligatio oritur, quàm pecunia numerata fuerit, neque in plus potest quis per hos contractus obligari, quàm accepit. Idémque est in commodato, precario & deposito. Verbis dicuntur perfici contractus, qui certam & determinatam verborum formulam continent, & requirunt, erat enim olim certa interrogandi, & respondendi formula præscripta, per quam promissiones Jure civili firmatæ censerentur, *l. Stipulationem 5. §. 1. ff. de V. O.* ubi dicitur: stipulatio est *verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur daturum factúrumve se, quod interrogatus est, responderit. v. g. spondes mihi dare 50. aureos, spondeo.* At verò secundùm Jus naturale & Canonicum, non attenditur ad hujusmodi verborum solennitatem: sed potiùs ad intentionem promittentis, an & qualiter is obligare se voluerit. Scripturâ seu Litteris tunc contractus perfici censentur, quando non ad probationem tantùm: sed ad substantiam contractûs scriptura requiritur, sive ut cum subscriptione contrahentium fiat, ita ut antequam instrumentum factæ v. g. venditionis, aut donationis, vel permutationis scriptum, & subscriptum sit, contractus firmus non censeatur, sed per alterius partis pœnitentiam recedere liceat, *juxta leg. Contractûs 17. C. de fide instrum. junct. Gl. mag. princ. Instit. de emptione; junct. Gl. V. Scripturâ conficiuntur.* Idque in his Regionibus maximè usitatum est in rerum immobilium alienatione. Interdum verò ex Constitutione Juris Civilis aut Canonici, ad contractûs alicujus substantiam scripturæ solennitas requiritur, ut ad donationem Summæ exigentis insinuationem apud Judicem: ad feudum & emphyteusin, præsertim Ecclesiasticam, qui actus non censentur perfecti & rati, donec instrumentum seu scriptura publica à Notario super iis sit confecta, de quibus infrà suo loco.

Denique consensu solo manifestato per verba, vel alia signa externa, perficiuntur illi contractus, ad quorum substantiam seu naturam, neque certa verborum forma, neque scriptura neque rei traditio requiritur, ut in emptione, & venditione, locatione & conductione, societate, & mandato, *l. 2. in princ. & §. 1. ff. de oblig. & action.*

IV. Quæritur quartò. Quæ obligationes oriantur ex quasi contractu? Resp. quasi contractus dicitur, quando unus obligatur alteri ex legis dispositione, licèt ex alterius parte nulla intercesserit conventio, nisi interpretativa ex juris fictione: nam accidit interdum, ut quis alteri obligetur, sine præcedente ipsius consensu, ad aliquid dandum, vel accipiendum, adeóque non propriè ex contractu, sed neque ex delicto, vel quasi delicto obligatur, cùm nullus præcesserit dolus, vel culpa; itaque obligatio ista oritur ex quasi contractu, perinde ac si mutuo consensu contractum fuisset, Jure ipso plerumque supplente consensum. Ut si quis absentis negotium, absque ejus mandato, vel eo etiam ignorante, utiliter gerendum suscipiat, de quo videri potest, quæ traduntur in *Tit. Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu nascuntur.*

§. II.

De contractu Precarii.

Nomen hujus contractûs reperitur in Jure in triplici genere aceptum, vel in neutro, precarium, vel in fœminino in numero singulari, precaria, vel in plurali, precariæ. Et licèt *Hostiens. in summa in princ. h. t.* velit precariam & precarias distinctos esse contractus: tamen verius est, eos non differre inter se, ut tradit *Gl. fin. in c. ult. h. t. & Abb. in c. 1. n. 3. eod. & alii communiter*, quamvis precaria sive precariæ distinctus contractus sit à precario. Nos de precario in hoc §. de precaria verò sive precariis §. *seq. agemus.*

V. Quæritur primò. Quid sit precarium, & quomodo à commodato differat? Resp. primò, precarium definitur ab *Ulpiano in l. 1. in princ. ff. de precario:* precarium est, *quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur*, id est, non revocat, consentit *c. 3. h. t.* Est autem precarium species quædam liberalitatis, adeóque contractus gratuitus, quamvis differat à donatione, quia qui donat sic dat, ne recipiat: at, qui precariò concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cùm sibi libuerit precarium solvere, *cit. l. 1. §. 1. & 2.* Itáque donatio semel traditione perfectâ revocari nequit, nec repeti quod donatum est, ac per illam dominium transfertur: per precarium verò non dominium, sed usus rei transfertur, & sic datur, ut qui dedit, repetere semper possit, ut ex dicendis patebit.

VI. Resp. secundò, precarium à commodato differt primò, ac præcipuè, quia id, quod commodatur, conceditur utendum ad certum ac specialem usum, & ad certum tempus expressum vel tacitum, ut si alicui commodetur liber ad transcribendum, ad

quod

quod certum tempus requiritur, videlicet quantum ad commodè transcribendum sufficit, & exigitur. *l. Interdum* 73. *in princ. & l. Continuus* 137. §. *Cùm ita, ff. de V. O.* ideóque ante transactum hoc tempus, vel usum finitum, commodatum revocare, vel repetere non licet, ne damno afficiatur, qui commodatum accepit, ut infrà dicetur. Precarium verò non datur ad certum, sed ad indeterminatum usum, & tametsi ad certum etiam tempus concedi possit, v. g. ad Calendas Julias, ut constat ex *l. Cùm precario* 12. *in princ. & l. In rebus* 4. §. *ult. ff. h. t.* sed quamdiu intra illud tempus voluerit, qui dedit, ideò eo pacto datur, ut semper integrum sit danti revocare rem precariò concessam, etiam ante tempus illud finitum, *cit. l. 1. princ. & ex c. Precarium* 3. *& ult. in princ. h. t.* ubi dicitur: » precarium utendum conceditur, quamdiu patitur, » qui concessit. Quòd si aliquando detur ad certum usum, is tamen usus certum tempus, nec expresè, nec tacitè in se includit, aut requirit, ut cùm liber alicui precariò conceditur ad studendum, is non commodatum, sed precariò accepit; quia non habet ad certum tempus, expresè vel tacitè, nam posset quis velle uti illo ad studendum toto vitæ suæ tempore, ideóque potest revocari, & repeti, ante illum usum finitum, ad quem datus est, quandocúnque placuerit ei, qui dedit, *Gl. in cit. c. ult. V. Precarium, & Abb. ibid. n.* 10. *& 2. seqq. Azor p. 3. lib. 7. c. 1. q. 1. & c. 2. q. 5.* Quare precarium non ex eo præcisè à commodato differt, quòd in hoc res concedatur ad certum tempus, in illo ad tempus incertum: sed discrimen in hoc consistit, quòd commodatum semper concedatur ad tempus, sive expresè, sive tacitè determinatum, v. g. si equus commodetur Viennam usque, ita ut ante hoc tempus transactum revocare illud non liceat. At verò precarium etsi aliquando concedatur ad certum ac definitum tempus, tamen etiam ante illud elapsum revocari potest, *cit. l. Cùm precario, Gl. in cit. c. ult. V. Per conventionem; h. t.*

III. Secundò differunt, quòd qui rem commodatam accepit, nec civiliter, nec naturaliter possidet; quia & possessionem, & proprietatem rei commodatæ retinet is, qui commodat, *l. Res* 8. *ff. Commodati*: & commodans retinere potest possessionem etiam corporalem seu naturalem, per eos, quibus res commodavit, §. *Possidere Institut. de Interdict.* is enim possidet, cujus nomine possidetur, *cit.* §. *Possidere, & l. Quod meo* 18. *ff. de acquir. possess.* at verò is, qui precariò rem accepit, naturaliter possidet, remanente possessione solùm civili penes Dominum concedentem, *l. Et habet* 15. §. *Eum qui*, & ibi *Gl. V. Corpore & V. A possessione, ff. h. t. Gl. in cit. c. ult. V. Precarium, h. t. Azor cit. c. 2. q. 4.* adeò ut si is, qui precariò rem possidet, turbetur in possessione (non ab ipso Domino, quem rogavit, sed ab alio) interdictum Uti possidetis possit intentare, *l. Qui precariò* 17. *ff. Eodem*, imò etiam interdictum Unde Vi, *Menoch. remed. is. possess. recup. n.* 56.

IV. Tertiò, differt precarium à commodato, quia is, qui rem precariò accepit, tenetur solùm ex dolo & lata culpa, quæ dolo in jure æquiparatur, *l. Contractus* 23. *ff. de R. I. l. Quæsitum* 38. §. *Eum quoque, ff. h. t.* non tamen tenetur præstare culpam levissimam, vel levem, sicut is, qui commodatum accepit, *cit.* §. *Eum quoque*: ubi etiam ratio affertur; quia precarium totum ex liberalitate procedit, in principio, in medio, & in fine, nunquam enim astringit concedentem ex necessitate, quin illud semper revocare possit, *Gl. ibid. V. Ex liberalitate*, ac proinde is, qui concessit, non censetur accipientem arctè obligare velle. Nec refert, quòd precarium datur in gratiam seu favorem accipientis tantùm, adeóque is, qui accepit, videatur obligari ad præstandam culpam, etiam levissimam, *juxta cit. l. Contractus*. Nam cùm precarium semper dependeat à mera liberalitate concedentis, qui id potest, quandocúnque vult, revocare: commodatum verò revocari non potest ante usum completum, ideò is, qui precariò accepit, non tenetur tantam diligentiam adhibere in custodia rei precariò acceptæ, quàm commodatarius: præsertim quia is, qui precariò rem dedit, sibi imputare debet, si accipiens levem culpam admisit in ejus custodia, siquidem ipse liberè poterat precarium revocare, quandocúnque voluisset, *Gl. in cit.* §. *Eum quoque, V. Ex liberalitate, Abb. in cit. c. ult. n.* 14. *h. t. Azor cit. c. 2. q. 3.*

V. Ex dictis colligitur primò. Quænam ad precarii naturam seu substantiam spectent: nam requiritur primò, consensus tam dantis, quàm accipientis, est enim precarium contractus. Secundò, ut fiat traditione rei, est enim inter contractus, qui re perficiuntur. Tertiò, ut qui precariò dat, possit, quando voluerit, eam revocare, *c. l. 1. ff. eod. & c. ult. h. t.* etiam sine ulla causa, cum pendeat ex libera voluntate ejus, qui dedit, *Azor cit. c. 2. q. 1.* Etsi verò precarium liberè à concedente revocari possit, non tamen statim revocari debet sine urgente necessitate, vel causa rationabili, ita ut prorsus omni usu & commodo careat is, cui precariò res concessa est, alioqui censebitur frustra & illusoriè res concessa fuisse, & accipiens opponere poterit exceptionem de dolo; nam talis concessio est quoddam beneficium, adjuvari autem nos, non decipi, aut lædi beneficio oportet, *l. In commodato* 17. §. *Sicut; ff. Commodati*: quantum autem temporis spatium permitti debeat accipienti, Judicis arbitrio relinquitur, qui ob urgentem necessitatem statim precarium revocari posse, censere poterit, *Abb. in cit. c. ult. n.* 13. *h. t. Covarr. l. 3. resol. c.* 15. *in 6. Molin. Tract. 2. de justit. disp.* 298. *n.* 2. Idémque locum habet in mutuo dato, nullo præfixo certo tempore.

VI. Colligitur secundò. Etsi precarium semper revocari possit, non tamen ideò frustra conceditur ad certum tempus, v. g. ad mensem vel annum; nam cùm per precarium possessio juris, seu facultatis re utendi transfetatur in eum, cui concessio fit, potest is rem retinere usque ad tempus præfixum, nisi intra illud tempus revocetur: quòd si post transactum illud tempus, ad quod precarium concessum est, illud non revocetur, censetur precarium iterum concessum, ac veluti renovatum esse à Domino concedente, *cit. l. In rebus*; §. *ult.* & ibi *Gl. V. Possidere, & V. Rursus. ff. h. t.* Quare majus est beneficium precarii, quàm commodati; nam commodatarius debet post finitum tempus, ad quod res commodata est, eam restituere Domino: qui verò precariò rem accepit, potest illam retinere, etiam post tempus, ad quod res concessa est, donec repetatur à Domino.

VII. Colligitur tertiò. Non posse in pactum deduci, ut is,

ut is, qui rem precariò concessit, non possit illam ab accipiente repetere, ante certum tempus, ad quod concessum est; tale enim pactum est contra naturam, & substantiam contractûs precarij, ideóque irritum est, ut constat ex *l. Cum precario*; 10. *in princ. ff. h. t.* ubi dicitur, nulla vis est hujus conventionis, ut rem alienam, Domino invito (id est eo, qui concessit precariò, licèt non sit rei Dominus, dicitur enim Dominus respectu ejus, qui habet rem precariò, *Gl. ibid. V. Domino invito*;) possidere liceat, *Abb. in cit. c. ult. num.* 3. *&* 4. *Molin. c. l. nu.* 4. *Azor c. l. q.* 2. Quare *Bart. in cit c. l. Cum precario*; generalem regulam tradit, quòd pactum contra substantiam contractûs adjectum sit nullum, unde nec consuetudo contra naturam contractûs valet, *Abb. in cit. c. ult. nu.* 4. Ubi tamen id limitat, nisi contractus, cui pactum adjectum est, ita explicari possit, ut transeat in naturam alterius contractûs, *arg. l. Ubi ita*; 77. *ff. de donat. caus. mort.* Nam natura hujus donationis est, ut possit revocari, *l. ult. c. de donat. caus. mort.* & tamen si pactum adijciatur, ut non possit revocari, valet pactum; quia transit in donationem inter vivos: nam ut ibid. generalem regulam tradit Bartol. conditio adjecta contra naturam contractûs, si possibile est, & significatio id patitur, facit illum transire in alium contractum. Sic in proposito, talis conditio adjecta precario, in dubio explicari potest, ut valeat, eò quòd concedens voluerit commodare, licèt precarij nomine usus sit.

VIII. Quæritur secundò. Quando, & quo» modo precarium finiatur. Resp. Precarium sol» vitur, seu finitur obitu ejus, cui concessum est, » non autem morte concedentis, prout habetur in c. *Precarium*; 3. *& ult. h. t.* Ratio primæ partis est, quia Precarium est Beneficium personale, ac proinde cum persona extinguitur, *juxta Reg. iur.* 7. *in 6.* nec transit ad Successorem, aut hæredem ejus, cui concessio facta est, *l. Cum precario in fine ff. h. t. Abb. in cit. c. ult. n.* 5. Excipe, nisi concessio precarij non simpliciter facta sit personæ: sed dignitati, tunc enim ad Successorem in dignitate, v. g. Prælatura transit, ut indicat *Abb. c. l* Secunda pars, quòd precarium non extinguitur morte concedentis, adeóq; ad hæredem, qui concessit, transit, habetur etiam *in cit. c. Precario in fine, & in c. Quæsitum*; 8. §. *Quod à Titio ff. eod.* ubi dicitur, quod à Titio precariò quis rogavit, id etiam ab hærede ejus precariò habere videtur, & à cæteris successoribus, etiamsi ignoret quis hæredem. Ratio est, quia precarium est quædam species gratiæ, ac veluti privilegium, sicut ergo gratia, seu privilegium concessum tam diu manet, donec fuerit revocatum: ita & precarium datur, ut eo utatur is, qui accipit, donec per voluntatem ejus, qui concessit, revocetur, *l.* 1. *ff. h. t.* at verò per mortem concedentis non censetur revocata gratia facta, seu jam concessa, c. *Si super*; 9. *de offic. deleg. in 6.* ubi dicitur quòd gratia cuiquam ab Apostolica Sede facta (licèt nondum sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis; quia ad revocationem gratiæ alteri factæ, seu facultatis concessæ requiritur actus positivus, & contraria ordinatio, seu voluntas, quæ si à concedente, dum viveret, non fuit facta, manet gratia, seu privilegium, donec ab hærede ejus, vel successore fuerit revocata, *Covarruv. cit. c.* 15. *num.* 1. *&* 3. *Molin. cit. disp.* 298. *n.* 8. *Laym l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *n.* 17.

Aliud verò dicendum est, si gratia, vel res aliqua precariò concessa sit à Principe, vel alio, usque ad placitum voluntatis suæ, seu quamdiu ipse voluerit, ita ut gratia, seu concessio pendeat à positiva voluntate concedentis: tunc enim eo mortuo, ipsa gratia; seu concessio, sine alia revocatione, exspirat, *juxta c. Si gratiosè*; 5. *de rescript. in 6.* Ratio est, quia ex verbis hujusmodi colligitur, gratiam, sive rem non absolutè concedi: sed cum limitatione, quamdiu perseveraverit concedentis voluntas, seu beneplacitum: cùm itaque per mortem hoc omnino extinguatur, sequitur, etiam gratiam, sive rem ita concessam extingui, neque enim necessarius est actus contrarius, quo revocetur. Idque sumitur etiam ex *l. Locatio*; 4. *ff. locati*, ubi dicitur, locatio precariive rogatio ita facta, quoad is, qui eam locâsset, dedisèrve, vellet, morte ejus, qui locavit tollitur. Ubi Bartol. rationem assignans ait, voluntas morte finitur, *Abb. in cit. c. ult. num.* 6. *Covarruv. c. l. num.* 2. *&* 4. *Molin. c. l. num.* 10. *Laym. in cit. c. Si gratiosè num.* 2. & dictum suprà, *l.* 1. *Tit.* 3. *num.* 184. & pluribus sequentibus, ubi plura de hac re dicta sunt.

IX. Respondetur secundò. Si is, qui rem precariò alicui concessit, eam alienavit, tunc emptor eam revocare potest, ac proinde per ejus revocationem finitur, & tollitur precarium, prout statuitur *in cit. c.* 3. *& ult. h. t.* ubi dicitur, solvi» tur item precarium, cum ipsum alienari contin» git, alicui hoc revocare volenti (hoc est, si concedens rem alienârit alicui, isque precarium revocet,) ubi etiam ratio redditur; quia per aliena» tionem hujusmodi non licet rem alienam, in» vito Domino, possidere, vel retinere; nam cùm precariò datum semper sit gratia, & liberalitas, potest à Domino repeti, quando libuerit. Si verò Successor, seu universalis, videlicet hæres, seu particularis, v. g. Emptor, aut Donatarius, precariò datum non revocet, tunc ab eo res precariò haberi, seu possideri incipit, & ipsi eam precariò concedere censetur, *l. Quæsitum*; 8. §. *Quod à Titio, & §. Illud ff. h. t.*

Sed contra obstare videtur, quòd per solam venditionem, absque traditione, adeóque non apprehensâ naturali possessione, non transferatur dominium rei venditæ in emptorem, *l. Traditionibus*; 20. *C. de pact.* cùm igitur non venditor, qui rem precariò dedit, sed is, qui precariò rem accepit, sit in naturali possessione rei, ut suprà dictum, consequenter emptor rei precariò concessæ non potuit fieri Dominus rei venditæ, sine reali traditione rei, & sic ratio expressa, *in cit. c. ult.* quòd non liceat rem alienam, invito Domino, possidere, non procedit, cùm ipse emptor non fuerit Dominus rei precariò concessæ, quippè quæ ipsi à venditore non fuit tradita. Ad hoc respondet *Abb. in cit c. ult. num.* 8. *&* 9. *h. t.* & alij Canonistæ communiter, quòd fortè venditor se constituit possidere nomine emptoris, & sic per viam constituti transferatur dominium in emptorem, juxta *l. Quædam*; 77. *ff. de rei vindic.* nam constituens se possi-

dere nomine alterius, transfert possessionem in illum, non solùm si per se, sed etiam si per alium possidebat, v. g. per colonum, vel qui rem ab eo precariò accepit. Verùm non videtur hac responsione satisfactum difficultati: nam licèt venditor, si naturaliter rem possideat, possit vendendo emptorem dominum efficere, absque reali traditione, constituendo, seu declarando, quòd deinceps rem possidere velit nomine emptoris, sive simpliciter, sive ut Custos, aut Commodatarius, vel ut Conductor, vel ut precariò habens ab illo juxta *cit. l. Quædam.* Attamen in casu proposito, is, qui precariò rem dedit, nonnisi civiliter rem possidebat, naturalis verò possessio rei erat penes alterum, cui res precariò concessa fuit, ut patet ex suprà dictis: quomodo ergo potuit vēditor, rem vendendo, emptorem dominum facere, constituendo se nomine ipsius naturaliter possidere, cùm in naturali possessione ipse non fuerit, sed is, cui res precariò concessa fuit. Itaque melius responderi potest, si dicatur, hunc esse casum specialem, in quo dominium transferri potest, etiamsi naturalis rei possessio non penes alienantem, sed penes alterum existat, ita tamen, ut etiam intervenire debeat quædam traditio rei, dum nimirum is, qui rem precariò habet, ac possidet, constituit, ac declarat, se rem illam ab emptore habere tanquam domino, & sic erit quædam, velut nova precarij concessio. Et hoc quidem procedit in Successore particulari, ut emptore, donatario &c. At verò in Successore universali, sive hærede continuatur precarium, licèt is, qui precariò rem accepit, ignoret illum hæredem esse, nihilominùs enim censetur rem habere precariò ab eodem, *cit.* §. *Quod à Titio*; quia nimirum hæres dominium omnium rerum, ac bonorum defuncti acquirit per solam additionem hæreditatis, ante eorum apprehensionem, ac naturalem possessionem, *juxta l. Cùm hæredes*; 23. *ff. de acquir. possess.* Similis alius casus, in quo dominium alicui acquiritur, etsi possessio apud alium existat, habetur in *l. Qui mihi* 3 13. *ff. de donat. junct. l.* 1. §. *Per procuratorem*; *ff. de acquir. poss.* Si nimirum ex mandato domini res procuratori datur, quam tamen ipse pro se accipiat.

§. III.

De contractu Precariæ, seu Precariarum.

X. Quæritur primò. Quid sit Precaria, sive Precariæ, & quomodo à Precario distinguatur. Respondetur. Est contractus Jure Civili fermè incognitus, in quo res mobilis alicui, ad preces ejusdem, conceditur in perpetuum, vel ad vitam accipientis, vel ad tempus longum, ita ut Beneficij cujusdam loco sit, vel etiam ad tempus breve, sed certum, & determinatum, ita ut ante illud elapsum, revocari non possit, *Gl. in c.* 1. *V. precariæ*; *h. t. Abb. ibid n.* 1. *&* 3. *Molin. cit. disc.* 298. *nu.* 20. *Laym. in cit. dis de rer. Eccles. alien. thes.* 91.

Est autem contractus Precariæ, seu Precariarum longè diversus à contractu Precarij, de quo actum §. *præced.* Nam precariò dari possunt, tam res mobiles, quàm immobiles, item jura, & servitutes, v. g. iter, vel actus per fundum alterius, *l.* 2. §. *fin. & l. In rebus*; 4. *in princ. ff. de precar.* Quamvis nemo rem propriam precariò habere, sive possidere possit; quia receptum est, rei suæ precarium non esse, *cit. l. In rebus*; §. *Item si rem meam*; *ff. eod.* nisi cùm debitor pignus rogat precariò à creditore possidente, *l. Si debitor*; 11. *ff. h. t.* Idq; ratione possessionis, non proprietatis, *l. Certè* 6. §. *fin. ff. eod. Gl. in cit. c. ult. V. Precarium*; *h. t.* at verò Precariæ locum tantùm habent in possessionibus, sive rebus soli, & immobilibus, *c.* 2. §. *Si Oeconomus*, *& c. Si Precarie*; 4. *caus.* 10. *q.* 2. Secundò Precarium ad certum, & determinatum tempus non conceditur: precaria verò ad certum tempus, secundùm quod contrahentes convenerunt, concedi potest, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 1. *& 3. h. t.* Tertiò precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis: at precariæ revocati non possunt, antequam tempus concessionis elapsum sit, *cit. c.* 3. *& ult. in fine h. t.* ubi dicitur: Præcariæ, » quæ quandóque de Ecclesiarum possessionibus » fieri solent, non sunt pro voluntate concedentis » revocandæ, scilicet antequam tempus constitu- » tum concessionis sit elapsum, nisi talis contractus irrationabiliter, & in damnum Ecclesiæ factus sit, *Gl. fin. hic.*

XI. Porrò si concessio precariæ irrationabiliter, seu indebitè facta sit in damnum Ecclesiæ, tunc à Successore revocari potest, etiamsi ab Antecessore pœna sit adjecta tali contractui, prout statutum habetur in *c. De Precariis*; 2. *h. t.* Nam cùm quidam Rectores Ecclesiarum contractus precariarum » irrationabiliter, seu illegitimè, & in damnum Ec- » clesiarum instituissent, obligando se, & suos Successores sub certa, eáque gravi pœnâ ad observatio- » nem: Statuit Concilium Carthaginense, in hoc ca- » su Successores res ita concessas, & irrationabiliter » alienatas, non obstante adjectione pœnæ, quâ non » obligantur, ad Ecclesiam revocare posse. Imò » etiam ab ipso Prælato, sic concedente, & alienan- » te, contractus revocari, & rescindi potest, ac debet, » si is in administratione toleretur *c. Si quis*; 6. *tit. præced. Gl. fin. hic*, ubi addit, & ita Successor potest revocare, quod Prædecessor illicitè fecit.

XII. Hinc infertur, licèt Prælatus, vel alius habens potestatem administrandi res Ecclehæ, aut Communitatis, possit adijcere pœnam conventionalem contractui, quâ obligetur tum ipse, tum Successores ejus, ut colligitur ex *ex cit. c.* 2. *& c. Dilecti*; 4 *& c.* 9. *de arbitr.* Si tamen contractus sit invalidus, vel rescindendus, quia est initus cōtra jus, sive jure ipsi resistente, tum etiam pœna ei adjecta non valet, sed corruit, quia pœna est accessoria contractûs, ideóque sequitur naturam sui principalis, *Reg. iur.* 42. *in* 6. *Gl. in cit. c.* 2. *V. Pœna*; *& Abb. n.* 3. aliud verò dicendum est, si cōtractus non sit contra Jus, sed præter jus, quia jus ei non resistit, sed tantùm non assistit, tunc enim adjectio pœnæ valet, etsi contractus non valeat, *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 4. *h. t.*

XIII. Quæritur secundò. Quomodo contractus precariarum differat â contractu Emphyteutico? Respond. In plerisque convenit cum illo, in duobus tamen distinguitur. Primò quòd Precariæ fermè, ac plerumque fiant gratis, & ad preces alicujus, ut constat ex Etymologia vocabuli, ut si Laico, vel Clerico, bene

bene merito, vel pauperi, aut peregrino detur aliqua possessio, seu fundus Ecclesiæ utendus, ac fruendus ad vitã suam, omnino gratis, *c. Clerici* ; 11. *caus.* 16. *q.* 3. *c. Possessiones*: 6. *ead. caus. q.* 1. & tunc est donatio quædam ususfructûs, à quo differt solùm, quòd certo tempore concessio renovari debeat, ut postea dicetur: Precaria autem dicitur, quia conceditur ad preces alicujus, *Abb. in c.* 1. *num.* 4. *h. t.* Interdum tamen potest, ac solet in Precarijs etiam pensio aliqua constitui, quot annis solvenda, ut si quis petat ab Ecclesia fundum sibi ad vitam suam concedi, in quo molendinum ipse ædificet, promittens certam pensionem annuam se soluturum, v. g. sex scaphas tritici, & tunc talis contractus precariarum non differt ab Emphyteusi, nisi quoad tempus revocationis, ut mox dicetur, *Abb. in cit. c.* 1 *n.* 3. *h. t. Laym. in cit. dis. thes.* 91.

XIV. Differt secundò. Contractus precariarum ab Emphyteusi, quia ille, maximè si pensio annua in signum recognitionis solvi non soleat, singulis quinquennijs renovari debet, juxta *c. Precariæ* ; 1. *h. t.* » ubi dicitur, precariæ de quinquennio in quinquen- » nium secundùm auctoritatem (SS. Canonum) » & antiquam consuetudinem, renovari debent. Idem statuitur in *c. Precariæ*; 5. *caus.* 10. *q.* 2. nam licèt possessores rei precariò concessæ nullo tempore præscribere possint, cum pròprietas rei maneat penes Ecclesiam, *cit. c. Clerici* ; 11. *caus.* 16. *q.* 3. ideò tamen requiritur renovatio contractûs, ne alioquin ob temporis longinquitatem concessionis memoria depereat, atque res ab Ecclesia penitus alienata censeatur, *c. Longinquitate*; 64. *caus.* 12. *q.* 2. ubi dicitur, *Longinquitate sæpe fit temporis, ut non pateat conditio originis, Gl. fin. in cit. c.* 1. *& ibid Abb. n.* 3. ob quam causam etiam præcipitur, ut in hujusmodi precariarum concessionibus scriptura conficiatur, *c. Sæpe* ; 72. *cit. caus. & q.* Quare sicut Vasallus amittit jus suum, si investituram à novo Domino intra tempus legitimum non petat ; ita & is, qui habet precarias, nisi renovationem elapso quinquennio petat, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 5. *contra Gl. ibid. V. Quinquennium*; ubi ait, quòd etiam precariæ istæ, elapso quinquennio, renoventur, si Dominus patiatur eum, qui rogavit, in possessione permanere. Verùm quando ad actum requiritur aliquid ultra patientiam, ut in proposito, renovatio contractûs, non sufficit sola patientia, eáque nihil operatur, *Barb, in Collect. in cit. c.* 1. *n.* 6. Porrò elapso quinquennio, non de novo initur contractus, quasi prior tunc finiatur, alioquin novâ opus foret concessione, & non tantùm renovatione : sed ea fit, ne res per oblivionem Ecclesiæ pereant, & ne accipiens, vel hæres ipsius eas dicat esse suas ac proprias, *Abb. in cit. c.* 1. *nu.* 3. *&* 5. *Molin. cit. dis.* 298. *nu. ult.* Neque verò ad renovationem precarij requiritur consensus Capituli, *arg. c.* 2. *De Feudo* ; sed sufficit solius Prælati auctoritas; cùm non fiat nova concessio, Imola *in cit. c.* 1. *n.* 3. *in fine*, *Laym. c. l.*

XV. Ubi notandum præterea primò. In his ad cujusq; loci consuetudinem est attendendum, *cit. c.* 1. ibi; *secundùm antiquam consuetudinem h. t.* secundùm quam in dubio quilibet contractus intelligi debet, *arg. l. Quod si nolit* ; 31. §. *Qui assidua* ; *ff. de ædil. Edict.* ex generali illa regula tradita à Bartolo ; *in l. Nemo* ; 5. *n.* 5. *in scholiis lit. C. ff. de duob. reis. Abb. in cit. c.* 1. *n.* 2. *h. t. Laym. cit. thes.* 91. si nihil in contractu expressum sit, id tacitè actum videtur, quod est de consuetudine loci. Sic v. g. Si in locatione non sit facta mentio de certa mercede, ea secundùm consuetudinem præteritam solvenda est, *l. Excepto* ; 18. *C. de locato.*

Notandum secundò. Si concessio fundi alicujus titulo precariarum fiat ad longum tempus, tunc censetur jus utilitatis sive ususfructûs translatum in accipientem, non minùs quàm per Emphyteusin, cùm etiam fundus ita concessus revocari non possit, ante tempus elapsum ; idque sumitur ex *c. Precariæ* ; 4. *in princ. caus.* 10. *q.* 2. ubi habetur, si quis det proprietatem sui fundi Ecclesiæ, retento sibi usufructu, potest ab Ecclesia accipere duplum, sive usumfructum duorum fundorum, ijsque frui ad vitam suam. Si verò det Ecclesiæ simul proprietatem, & usumfructum sui fundi, tum potest ab Ecclesia accipere triplum, sive usumfructum trium fundorum, ijs utendo, toto tempore vitæ suæ: & his casibus tales Precariæ sunt quædam concessio usufructûs in compensationem proprietatis, quæ ab accipiente datur Ecclesiæ, vel etiam ususfructûs, *Abb. in cit. c.* 1. *num.* 3. *in fine h. t.* Quare cùm contractus precariarum sit valde affinis, ac similis concessioni ususfructûs, vel etiam contractui Emphyteutico, ideò nomine alienationis rerum Ecclesiasticarum prohibitæ, etiam comprehenditur, *Laym. c. l. in fine.*

TITVLVS XV.

DE COMMODATO.

Quia Commodatum magnam similitudinem habet cum Precario, de quo actum est Titulo præcedente, ideò hic Titulus de Commodato subiungitur.

§. I.

Quid sit commodatum, & quomodo ab aliis contractibus distinguatur: Item quæ res commodari possint, & quis commodare possit?

I.

ASSERTIO 1. Commodatum sic dictum, quasi utentis, sive accipientis commodo datum; definitur à *Glos. in c. unic. V. Commodatum*; *h. t.* & ab Hostiensi *in summa* ; *n.* 1. *eod. Est alicuius rei ad aliquem specialem, seu certum usum gratuitò facta concessio.* Dicitur primò. Ad certum, ac specialem usum; in quo differt à precario, quod datur alteri gratis, sed ad usum incertum, ad eum scilicet, quem voluerit is

is, qui accipit precarium: commodatum verò conceditur ad certum ac præscriptum usum, quem si quis excedat, & re commodatâ aliter utatur, furtum committit *l. Si ut certo* 5. §. *Quin imo*; *ff. commodati*, §. *Furtum autem*; *Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc. Gl. in cit. c. Un. V. Commodatum*; *h. t.*

Dicitur secundò ad usum, quia in commodato proprietas, seu dominium rei non transfertur in accipiẽtem, imò nec possessio: sed tam proprietas, quàm possessio naturalis, & civilis penes commodantem remaner, *l. Rei* 8. *ff. h. t.* adeóq; solus usus transfertur. In quo inprimis differt à mutuo, in hoc enim dominium rei datæ transfertur in accipientem, unde etiam in mutuo res non eadem, sed similis, sive ejusdem generis, seu qualitatis; in commodato verò res eadem numero, non deterior per culpam reddita restituenda est: §. *Item is cui Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* Differt etiam à pignore, ac depósito, quia in his contractibus neque usus transfertur in accipientem, si enim creditor pignore, vel depositarius, re depositâ, invito Domino, utatur, furtum committit, *cit.* §. *Furtum autem*.

Dicitur tertiò. Gratuitò facta concessio, in quo commodatum differt à locatione, quia si res concedatur utenda pro certa mercede, est locatio, gratuitum enim commodatum esse debet, *cit.* §. *Item is cui*; Si verò non pro pecunia, sed pro aliquo alio, tanquam mercede res concedatur ad usum, est contractus innominatus, do, ut des, vel facio, ut facias, *Gl. in cit. c. unic. V. Commodatum*; *h. t. Azor p. 3. l. 7. De Commodato*; *c. 1. q. 2. Molin. tr. 2. disp. 294. n. 2.*

II. Assertio 2. Omnes res tam mobiles, quàm immobiles, v. g. domus, stabulum, commodari possunt, *l. 1. in princ. ff. h. t.* etiam res incorporeæ, sive jura, ut servitutes; reditus annui, *Gl. hìc cit. V. Commodatum*; exceptis; is, quæ usu ipso statim consumuntur, ut vinum, frumentum, pecunia &c. in quibus non cõmodatum, sed mutuum locum habet, quia per cõmodatũ usus rei conceditur, salvâ ejus substantiâ: nisi fortè, quis ad pompam, vel ostentationem pecuniam v. g. commodato accipiat, ut dives appareat, *l. Sed mihi*; 3. §. *ult. & l. seq. ff. h. t.* tunc enim dans pecuniam ejus possessionem, ac dominium retinet, ideóque non mutuum, sed commodatum tantùm est, *l. Rei*; 8. *& l. seq. ff. eod.* Item res sacræ commodari possunt. ab una Ecclesia alteri ad usus sacros: non autem ad usus communes, ac profanos, *Azor cit. l. 7. c. 4. qu. 3.* res aliena etiam commodari potest à bonæ fidei possessore: non autem à malæ fidei possessore, qui illam restituere tenetur Domino, quamvis in foro externo etiam furi, & prædoni, qui rem alienam commodavit, detur actio ad repetendam rem commodatam, *l. Commodare* 15. *& l. seq. ff. h. t.* quia interest ejus rem commodatam recipere, ut eam suo Domino exhibere possit, *Azor cit. c. 4. q. 2.*

Commodare verò potest, non tantùm Dominus rei, vel Prælatus, sed etiam Oeconomus, cui res Ecclesiæ administranda comittitur, *Hostiens. in summ. h. t. num. 4. Silvest. V. Commodatum q. 2.* non autem Religiosus sine licentia sui Superioris, *Azor. cit. l. 7. c. 3.* apud quem plura de hoc videri possunt.

§. II.

Ex qua culpa teneatur Commodatarius, si res commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat, & an teneatur præstare casum fortuitum?

III. Pro intellectu eorum, quæ in hoc & sequentibus Titulis dicentur, notandum primò. Ex contractu potest quis teneri, non solùm ex dolo, sed etiam ex culpa. Dolus malus committittitur, vel mente tacendo, quod quis detegere tenebatur, vel verbis, mentiendo, vel fraude, quæ in factis consistit, secundùm *S. Thomam 2. 2. q. 118. Silvest. V. Culpa*; *n. 1.* Differt dolus à culpa, quia dolus committitur ex formali proposito, seu intentione nocendi, *l. 1 §. Eum*; *ff. De dolo*, non autem culpa; *Silv. c. l. qu. 1.* Est autem culpa Civilis, sive Juridica (non Theologica, quæ est peccatum contra mores, & legem, de qua hìc non agitur) deviatio ab eo, quod bonum est, ac debitum, hominisque diligentiâ prævideri, ac præstari potest, prout definitur à Bartolo *in l. Quod nerva*; *33. in repetit. n. 7. ff. Depositi*; ac proinde est omissio alicujus diligentiæ præstari debitæ, unde sequitur aliquod damnum, vel incommodum: eáque dividitur in culpam latam, levem, ac levissimam, prout videre est apud *Bart. c. l. & Abbat. in c. unic. n. 13. h. t.*

Notandum secundò. Culpa lata, sive crassa est omissio ejus diligentiæ, & circumspectionis, quam passim omnes homines ejusdem conditionis, professionis, ætatis &c. adhibere solent, ut si quis librum commodatum relinquat foris ante ostium domûs, in platea, isque auferatur, censebitur eum amisisse per latam culpam. Culpa levis est omissio ejus diligentiæ, quam solent diligentes ejusdem conditionis, seu professionis, vel ætatis, addhibere: ut si quis librum commodatum in conclavi domûs suæ relinquit, non clauso ostio, censebitur eum amisisse per culpam levem. Levissima culpa est omissio ejus diligentiæ, quam nonnisi diligentissimi, & experientissimi ejusdem artis, professionis, ætatis, homines adhibere solent: ut si quis librum commodatum reliquit in conclavi clauso, sed non obserato, quia manu non tentavit, an sera inducta esset, censebitur amisisse per culpam levissimam, quod tamen limitat, *Molin. tract. 2. disp. 293. n. 4.* nisi fuerit expertus, quòd sera non facilè induceretur, aliàs enim non ad culpam leevissimam, sed ad casum fortuitum pertinere ejus amissionem. Casus verò fortuitus est rei ineopinatæ eventus, qui nullo consilio humano prævideri potest, *l. 1. §. Si eo tempore*; *ff. de admin. rer. ad civ. pertin. c. Ioannes*; *23. de homicid.* & vis, cui resisti non potest, *l. In rebus* 8. *in pr. ff. h. t.* ut incendium, naufragium, hostium incursus &c,

Notandum tertiò. Nemo ex culpa juridica alteri obligatur, nisi verè, & in effectu fuerit causa illati damni: unde si librum commodatum in foro publico relictum nullus abstulit, non obligatur talis ad resarciendum damnum commodanti. *Laym. l. 3. tr. 4. c. 7. n. 2.*

Notandum quartò. Contractus alij instituuntur in gratiam uniûs tantum contrahentium, vel dantis, ut depositum, si nulla merces interveniat; vel accipi-

cipientis, ut donatio commodatum, precarium: alij verò instituuntur in gratiam utriusque contrahentiũ, ut venditio, & emptio, locatio, & conductio, societas, pignus, dos &c. *l. Contractus*; 23. *ff. de R. I.*

IV. Assertio 1. Quando aliquid commodatum fuit in gratiam unius tantùm, videlicet accipientis, sive ejus, cui commodatum est, sicut plerumque fieri solet, tùm is ex levissima etiam culpa obligatur, ut habetur in *c. unic. h. t. in princ.* ubi dicitur, » cùm gratiâ sui tantùm quis commodatum accepit, » de levissima etiam culpa tenetur, *Gl. ibid. V. De levissima, & in l. In rebus*; 18. *ff. eod. & l.* 1. § *Is verò*; *ff. de Oblig. & act.* Ratio est; quia quò majus est Beneficium, eò magis cavendum, ne pro Beneficio injuria, vel damnum rependatur. Idque procedit, non solùm in foro externo, sed etiam interno conscientiæ, ut Commodatarius ad damni etiam culpâ levissimâ dati reparationem, ante omnem sententiam judicis, sub peccato obligetur, quamvis in damno dato nullum peccatum, nec culpa Theologica intervenerit, ut docet *Molin. tr.* 2. *dis.* 795. *n. ult. Covarr. in* 4. *Decret. c.* 6. §. 8. *n.* 10. *Azor. c. l. c.* 7. *q.* 1. *Leß. l.* 2. *de just. c.* 7. *dub.* 8. *n* 40. & alij communiter. Nam quamvis spectato jure naturali, nullus de damno in rebus alterius, nisi dolo, & latâ culpâ dato obligetur, quia hoc jure nemo tenetur majorem diligentiam adhibere, quàm ejusdem conditionis homines adhibere solent in rebus proprijs: nec etiam quispiam obligatur reliquis suæ sortis hominibus: imò etiam ipso rei Domino fortè non tantam custodiam adhibituro, esse diligentior, & circumspectior, ideóque damnum ex culpa levi, aut levissima datum, quodammodo casu fortuito evenisse censetur: quia tamen positâ Legis, tum Civilis, tum Canonicæjustâ dispositione, Commodatarius ex natura ipsius contractûs, etiam ad culpam levissimam præstandam obligatur: nam implicitè se obligat ad eam diligentiam præstandam, quam leges requirunt; ideò si eam nõ adhibet, quamvis ex mera oblivione, & sine peccato, nihilominùs in conscientia obligatur damnum illatum resarcire: nam æquitas postulat, ut is, qui gratis re alterius utitur in suam utilitatem tantùm, summam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat, ad quod etiam ex gratitudine tenetur. Idémque dicendum est de alijs contractibus, in quibus præstari debet ex juris dispositione culpa levis, vel levissima. Neque verò dum lex ad damni, levissimâ culpâ dati, reparationem Commodatarium astringit, pœnam infert; cum damnum tale, ex parte commodantis, sit verùm interesse, & rei propriæ amissio, imò ex vero contractu, adeóque ex justitia commutativa, suppositâ Legis dispositione, debeatur. Nihilominùs tamen opposita sententia in praxi quoque est probabilis, quia non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, usu receptum videtur, ut reparatio damni illati semper, vel plerumque nonnisi ob culpam latam, non autem levem, aut levissimam, à contrahentibus peti soleat, adeóque leges humanas in eo rigore non esse usu receptas, ut tradit *Card. Lug. tr.* 1. *de justit. dis.* 8. *sec.* 8. *n.* 110.

V. Assertio 2. Si contractus commodati instituatur in gratiam, vel utilitatem soliùs dantis, & non accipientis, tunc Commodatarius de dolo, & lata culpa tantùm, quæ dolo æquiparatur, obligatur, *Gl. in cit. c. unic. V. De levissima.* Exemplum affertur *in l. Sicut certò* 5. §. *Interdum*; *ff. h. t.* ut si quis suâ duntaxat causâ v. g. sponsæ suæ, aut uxori commodavit ornamenta, quò honestiùs culta ad se deduceretur: vel si quis populo exhibiturus ludos scenicis, quos ad id assumit, res ad repræsentandum necessarias tradat: quod tamen *Molina cit. dis.* 295. *n.* 1. intelligendum esse ait, si scenicis ad comœdiam exhibendam nullum stipendium sit constitutum, alioquî enim utriúsque causâ commodatum initum censeretur. Ratio est, quia cùm Commodatarius non tam accipiat, quàm præstet Beneficium, non est conveniens, ut ad tam arctam diligentiam obligetur.

VI. Assertio 3. Si contractus commodati in utriúsque gratiam, dantis scilicet, & accipientis, ineatur, ut si aurea, vel argentea supellex commodata fuerit alicui, ad recipiendum hospitio, in ædibus Commodatarij, communem utriúsque dantis, & accipientis amicum, tunc Commodatarius tenetur ex culpa lata, & levi, sed non levissima, *l. In rebus*; 18. §. *Hæc ita*; *iuncta*; *Gl. V. Æstimatio*; *ff. h. t.* & colligitur ex *l. Contractu*; 23. *ff. de R. I. Gl. in cit. c. unic. V. De levissima*, nam cum minus Beneficium accipiat à commodante, non tenetur ad exactissimam diligentiam in re custodienda, *Abb. in cit. c. un. n.* 12. Porrò, si res commodata usu deterior fiat, ad quem data fuit, v. g. si vestis atteratur, sine ulla tamen culpa Commodatarij, id in commodantis damnum cedit, *L. Eum qui*; 10. *h. t.* quia in hoc tacitè consensisse censetur, cùm ipse usus rei aliquam deteriorationem secum trahat, nisi aliter conventum sit, *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 1.

VII. Assertio 4. Si res commodata casu fortuito, v. g. incendio ex fulmine orto, vel naufragio, vel hostium incursu apud ipsum pereat, non tenetur eam præstare, prout deciditur in *cit. c. un. h. t.* ibi: *licèt casus fortuitus ipsi non debeat imputari*: & constat etiam ex *l.* 1. §. *Is verò*; *ff. de obligation. & action.* Idque locum habet in precario, & alijs similibus contractibus dominij non translativis, ut constat ex *l. Contractus*; 23. *in fine ff. de R. I.* ubi dicitur animalium casus, mortes, quæque sine culpa accidunt &c. à nullo præstantur. Nam in his locum habet regula illa tradita *in l. Pignus*; 9. *C. de pignorat. act.* Si res casu fortuito pereat, domino suo perit, ut pignus debitori, in cujus bonis est. Similiter & in commutationibus si res ante traditionem factam, adeóque priusquam contractus sit perfectus, casu pereat, domino suo perit. V. g. si Titius paciscatur cum Cajo, se daturum ipsi duos boves, pro uno equo vicissim ab ipso tradendo, & equus à Cajo missus in via à prædonibus auferatur, vel aliàs casu pereat, id fit damno mittentis Cajj; quia contractus permutationis non censetur impletus, donec res ex utràque parte sint traditæ: alia verò ratio est de contractu emptionis, ut infrà dicetur *Tit.* 17.

VIII. Excipiuntur tres casus, in quibus Commodatarius etiam de casu fortuito tenetur, ut habetur expressè *in cit. c. unic.* videlicet nisi casus fortuitus » acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, vel » si in mora fuerit. Primus igitur casus est, si culpa præcessit, ex qua secutus est infelix casus, seu eventus fortuitus, v. g. Si quis equum tibi commodavit, ut equitares ad villam, tu verò duxisti illum

ad bellum, in quo si equus occisus fuit, debes damnum integrum resarcire commodanti, *l. Si ut certò* ; 5. §. *Sed interdùm* ; *ff. h. t.* Secundò. Si ab initio ita conventum fuit, sive Commodatarius periculum eventûs fortuiti in se susceperit, *l.* 1. *C. h. t.* quia contractus ex conventione legem accipiunt, *l.* 1. §. *Convenit* ; *ff. depositi. cit. l. Contractus ff. de R. I.* Tertiò. Si Comodatarius fuit in culpabili mora restituendi rem commodatam, quia eam tempore constituto non restituit, ideóque posteà casu fortuito perijt, vel deterior facta est, tenetur is hoc damnum resarcire commodanti. Tum quia ex mora illa veluti causa secutus est interitus, vel alius infelix eventus, qui autem est causa damni, damnum dedisse censetur, ideóque illud resarcire tenetur: tum quia mora sua cuilibet est nociva, *Reg. iur.* 25. *in* 6. Id tamen intelligi debet de mora culpabili; nam si Commodatarius justam causam habuit differendi restitutionem rei commodatæ, ut quia legitimè impeditus fuit, quòminùs constituto tempore restitueret, casum fortuitum præstare non tenetur, prout sumitur ex *l. Illud.* ; 40. *ff. de hæred. petit*, *l. Utique* ; 16. *ff. de rei vindic*, *l. De eo* ; 12. §. *Si post ff. ad exhibend.* Ex quibus patet, quòd qui ex justa causa distulit rem restituere, quia v. g. putavit, se non debere, ideóque in judicio contendit, etiamsi post litem contestatam res sine culpa sua perijt, non tenetur ad damnum præstandum ; qui enim sine dolo malo ad judicium provocat, non censetur moram facere, *juxta Reg.* 43. *in ff. Laym. l.* 3. Neque obstat, quòd post litis contestationem omnes incipiunt malæ fidei possessores esse, *l. Sed etsi* ; 25. §. *Si ante* ; *ff. de hæred. petit.* non enim propriè sunt malæ fidei possessores, cum causam dubiam statim actori cedere non teneantur, si antea bonâ fide in possessione fuerunt, *Laym. l.* 3. *tract.* 2. *c.* 4. *num.* 1.

Deinde quòd dictum est, Commodatarium, si in mora culpabili fuit restituendi, teneri ad casum fortuitum præstandum: Id limitari debet, nisi res commodata similiter peritura fuisset apud Dominum, etiamsi suo tempore, & loco restituta fuisset, tunc enim non tenetur ad compensandum damnum morosus debitor ; quia ratione illius moræ, etsi culpabilis, non fuit causa interitûs rei, sive damni illati, si quidem res eodē modo peritura fuisset proprio Domino, *l. Si Plures* ; 14 *in fine ff. Depositi*, *Molin. cit. disp.* 295. *n.* 4. *Azor cit. c. l. c.* 7. *q.* 3. §. *Quæres* ; Quod tamen intelligendum est, si Dominus nō erat rem distracturus, tunc enim nihil ei deest, *Zæsius ff. h. t. nu.* 11. Verùm fur, raptor, vel violentus invasor, apud quem res petijt sine illius culpa, restituere tenetur æstimationem illius, licèt similiter apud Dominum perijsset, *arg. l.* 1. §. *Rectissimè* ; *& l. pen. iunct. Gl. V. Frustrata* ; *ff. de Vi.* Idque statutum est in odium, ac pœnam furti, vel rapinæ. Denique quod dictum est, ob præcedentem moram culpabilem restituendi præstandum esse casum fortuitum, id intelligendum est, quando res certa, seu determinata, ac in specie est debita, tunc enim debitor damnum etiam casu fortuito illatum resarcire debet, *l. Si ea Legati* ; 23. *& seq. ff. de V. O* ; *l. Promissor* ; 23. *ff. de constit. pecun.* ubi dicitur promissor hominis (certi, *Gothofr. ibid. V. Stichi* ;) cùm per eum staret, quòminùs traderetur, tenebitur ut pretium, seu æstimationem ejus solvat. Si verò res in genere, seu indeterminatè sit debita, v. g. Bos ex grege, vel pecuniæ certa quantitas, v. g. mille floreni, tum ipse debitor, etiamsi in mora non fuerit rem dandi, casum fortuitum præstare debet, quia genus perire non potest, *l. In ratione* ; 30. §. *Incertæ* ; *ff. Ad leg. falcid. l. Incendium* ; 11. *C. Si cert. petat. Laym. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 7. *n.* 4.

IX. Addunt aliqui quartum casum, in quo Commodatarius præstare debeat casum fortuitum, si res commodata detur æstimata Commodatario, Gl. *in l. Si ut certi* ; 5. *V. Periculum* ; *ff. h. t. & Bart. ibid.* Verùm hoc ita videtur intelligendum, si eâ lege fiat æstimatio rei, ut in omnem eventum, aut res præstetur, aut ejus æstimatio, adeóque contractus transeat in venditionem, ut si fundus æstimatus detur loco dotis, *l. Quoties* ; 5. *C. De Iure dotium* ; & *l. Plerumque* ; 10. *C. eod.* alioqui verò sola æstimatio rei non videtur aliud operari, quàm ut re perditâ, vel deterioratâ, culpâ Commodatarij, æstimatio præstari debeat, non item casu, *Ioan. Andr. in c. unic. num.* 17. *& Abb. n.* 23. *h. t. Zæsius in Comment. ff. eod. n.* 10.

X. Prædictis addendum primò. Pactum de præstando casu fortuito adjectum commodato, non repugnat substantiæ hujus contractûs ; quia omnia, quæ requiruntur ad commodatum, nihilominùs reperiuntur, & ad casum fortuitum præstandum tenetur Commodatarius, non ex vi, seu natura commodati, sed ex pacto adjecto ; *Azor l.* 7. *c.* 7. *q.* 3. §. *Ex his perspicitur.*

Addendum secundò. Si commodans nuncium misit mandans ei, ut rem commodatam repeteret, & referret, sed res culpâ ipsius nuncij, vel casu fortuito pereat, ad nullum damnum tenetur Commodatarius, perit enim res domino ; Secus est, si famulus missus sit, tantùm commonendi causâ, ut res commodata referretur. Si verò Commodatarius commisit alicui, ut rem referat, damnum culpâ nuncij illatum ipse præstabit ; sibi enim imputare debet, quòd tali hoc commiserit, *l. Eum qui* ; 10. §. *Sed etsi* ; *& 2. ll. seqq.* Quod si Commodatarius remisit per servum, qui communi opinione idoneus, & fidus habebatur, eaque ipsi à prædonibus auferatur, ea damno commodantis perit, *l. argentum* ; 20. *ff. h. t. Azor cit. l.* 7. *c.* 8. *quæst.* 1.

XI. Addendum tertiò. Adversùs Commodatarium non potest agi, sive actio commodati intentari, nisi post usum expletum, cujus causâ res commodata fuit ; cùm non decipi nos Beneficio oporteat, sed adjuvari, prout statuitur *in cit. c. unic. h. t. in fine.* nam etsi commodare liberæ voluntatis sit, non necessitatis, postquam tamen commodatum est, quod principio Beneficij liberæque voluntatis fuerat, convertitur in obligationem, ex qua civilis actio oritur, *l. In commodato* ; 17. §. *Sicut ff. h. t.* Est autem hic sermo de actione commodati directa, quæ datur commodanti adversùs Commodatarium, & ejus hæredem, ut rem restituat eandem in specie, ut Jurisconsulti, vel eandem numero, ut Philosophi loquuntur, vel ad resarciendum damnum, si res dolo, vel culpâ ipsius etiam levissimâ perijt, aut deterior facta est ; *l. Eum qui* ; 10. *in princ. ff. h. t.* nam si res deterior reddatur, reddi non videtur, *l.* 3. §. 1. *ff. eod.*

Huic opponitur actio commodati contraria, quæ vicissim datur Commodatario, ad petendum, quod sua interest, ut si res commodata, ante usum expletum,

tum ei auferatur, ipséque damnum incurrat: v. g. si ad restaurandas ædes quis tigna commodavit vicino, postea verò subtraxit, cùm alia habere non posset: vel si sciens, quis vitiosas res commodavit, tenebitur commodans de damno secuto, *cit. l. in Commodato*, §. *Sicut in fine. & in cit. l. In rebus*; §. *Item qui sciens*; *ff. h. t.*

Porrò quòd dictum est, rem commodatam non posse repeti, ante usum rei expletum, vel tempus finitum, ad quod concessum est; id limitari debet, nisi inopinatè eveniat, ut commodans, vel æquale damnum sit passurus, nisi rem commodatum mox repetat; non enim censetur ad talem eventum se obligare voluisse, cùm quisque magis sibi consulere voluisse præsumendus sit, quàm alteri; licèt aliud sit in donatione, quæ revocari non potest ob necessitatem donantis, quæ posteà emergit; quia dominium jam est absolutè translatum, *Azor cit l. 7. c. 8. q. 2. Molin. tr: 2. dis. 294. n. 121. contra Navarr.*

TITVLVS XVI.

DE DEPOSITO.

Alius contractus, qui non solo consensu, sed rei traditione perficitur, est depositum, qui in eo præcipuè differt à precario, & commodato, quòd hi duo contractus fiant in gratiam accipientis, depositum verò plerumque, & ordinariè in gratiam deponentis, de quo proinde hoc Titulo agitur.

§. I.

Quid sit Depositum, & an Depositarius uti possit re depositâ?

I.

ASSERTIO 1. Depositum definitur ab Ulpiano *in l. 1. ff. h. t.* Depositum est, *quod custodiendum alicui datum est*; ubi tamen Depositum accipitur pro re ipsa, quæ alicui custodienda traditur: prout verò sumitur pro ipso contractu, definiri potest; *Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur*, ut colligitur *ex cit. l. 1, junct. Gl. V. Datum*; *Molin. tract. 2. de justit. disp.* 522. *n.* 1. *Les. l. 2. de just. c. 23. n. 1.* Ex quo patet, quomodo Depositum distinguatur à cæteris contractibus, à mutuo quidem, quia in hoc dominium rei mutuò datæ transfertur in accipientem, *l. Licèt*; 17. §. *Rei*; *ff. h. t.* Non item in Depositō, in quo proprietas, & possessio rei depositæ penes deponentem manet, *l. Licèt*; 17. §. *Rei*; *ff. h. t.* Nam Depositarius (idem est de Commodatario, conductore, creditore, qui rem in pignus accepit) non censetur possidere; cum non suo, sed alieno nomine rem possideat, sive non ut suam: sed ut alienam rem teneat, quare is, qui deposuit, per illum rem depositam possidere censetur, juxta generalem regulam, quisquis nostro nomine sit in possessione, nos possidere videmur, *l. Generaliter*; 9. *ff. De acquirend. possess.* Secundò differt depositum à commodato, & precario, quia in his usus conceditur accipienti: in depositō autem solùm ad custodiam res datur, non ad usum, *l. Sacculum*; 29. *ff. h. t. l. 3. C. eod.* Tertiò differt à locatione, & conductione, quia in depositō res traditur custodienda gratuitò, & sine mercede, *l. 1. §. Si vestimenta*; *ff. h. t.* Denique à pignore distinguitur, quia etsi pignus quoque non detur ad utendum illo: datur tamen creditori in cautionem, & securitatem debiti: depositum autem non in cautionem, sed in custodiam datur, *Azor p. 3. lib. 7. De depositō*; *c.* 1. Porrò ex depositō nulla oritur obligatio, nisi Depositarius, sive is, apud quem res deponitur, ejus curam, seu custodiam in se suscipiat per conventionem expressam, vel saltem tacitam, quia videlicèt ratione officij rerum depositarum curam, vel custodiam gerere debet, ut caupo v. g. stabularius, nauta, auriga &c. tunc enim sufficit eo vidente, ac tacente, res in domo, navi, vel curru ipsius deponi. *Molin. tr. 2. disp.* 522. *n.* 1. *Les. c. l. n. 2. Laym. l. 3. tr. 4. c. 25. n. 1.*

Ex dictis colligitur, ad substantiam depositi requiri primò, ut res sit tradita; quia est contractus, qui re perficitur, non solo consensu, §. *Præterea*; *Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* Secundo. Requiritur consensus utriúsque, deponentis, & ejus qui depositum recipit. Tertiò. Ut res deposita detur alicui ad custodiendum, & quidem gratis, ac sine mercede, est enim gratuitum officium. Quartò. Ut eadem res reddatur, quæ est deposita, *cit.* §. *Præterea*; 1. *l. Lucius*; 24. *ff. h. t. Azor c. l c.* 5.

II. Assertio 2. Depositarius regulariter, & ordinariè non potest uti re depositâ, absque consensu expresso, vel tacito ejus, qui deposuit, alioqui furtum committere censetur, *l.* 29. *ff. h. t. l.* 3. *C. eod.* §. *Furtum autem. Instit. de oblig. quæ ex delicto nasc.* Ratio est, quia usus rei non est ei concessus, sed tantùm res ipsa, ut eam custodiat.

Excipitur primò. Nisi usus rei à deponente ipsi sit concessus, tunc enim in depositū transit, vel in mutuum, hoc ipso, quòd eo uti cœpit, si sit res usu consumptibilis, ut pecunia, triticum, vinum &c. vel in commodatum, si non sit talis res, *Les. c. l. n.* 6. Secundò Excipitur, nisi is, qui depositū accepit, existimet bonâ fide, dominum rei haud invitum fore, etiamsi eâ aliquando utatur, *Azor cit. c.* 7. *q.* 8. Tertiò. Si Dominus pecuniam numeratam, non clausam, non obsig-

gna-

gnatam, apud aliquem deponat, tunc is nihil aliud debet, quam tantundem solvere, *l. In navem*; 31. §. *Idem iuris ff. Locati*; quia tunc censetur interveniſſe contractus mutui, vel quasi mutui, adeóq; dominium transfertur in Depositarium, *Azor cit. c. 7. q. 9.*

§. II.

An, & quando teneatur Depositarius ad præstandum dolum, vel culpam, vel casum fortuitum, si res deposita apud ipsum periit, vel deterior facta est?

III. Assertio 1. Depositarius tenetur de dolo, & latâ culpâ, *l. 1. §. In conducto in fine, & §. ult. ff. h. t.* ubi dicitur, *solus dolus in depositum venit*; quia nimirum in jure lata culpa sub appellatione doli comprehenditur, & præsumptivè dolo æquiparatur, *l. Quod nerva*; 32. *ff. eod. l. Magna*; 226. *ff. de V. S.* ubi dicitur, magna, sive lata culpa dolus est. Præsu- » mitur autem dolus commissus esse, sive bona fides » abesse, si rebus proprijs salvis, eæ quæ apud ipsum » depositæ fuerunt, in eodem loco existentes amissæ » sint, prout dicitur, *in c. bona fides*; 2. *in princ. h. t.* ubi autem bona fides abesse præsumitur, ibi præsumitur dolus adesse, sunt enim contraria, *Gl. ibid. V. Rebus tuis*; nec enim salvâ fide, minorem diligentiam in rebus depositis, quàm in suis Depositarius præstare debet, *cit. l. Quod nerva in fine. ff. h. t.*

Porrò, si Depositarius dicat, depositum casu fortuito amissum esse, ipsi asserenti incumbit probatio, *arg. l. Si creditor*; 5. *C. de pignor.* ubi id habetur de pignore amisso, ut tradit *Gl. pen. in §. fin. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* nisi de facto v. g. incendio domûs, hostium itruptione &c. notoriè constet. Probatur autem per conjecturas, si res deposita dicatur amissa per casum fortuitum occultum, v. g. per furtum nocte commissum, *Abb. in c. cit. 2. nu. 8. h. t.* Si verò constet de facto amissionis, vel illud probatum sit, dubium autem sit, an interveniente dolo, vel culpâ Depositarij (vel Commodatarij) res deposita perierit, vel amissa sit, tunc distinguendum est: aliqui enim casus fortuiti non facilè eveniunt sine culpa, ut incendium, vel furtum in domo propria; & in istis probare debet casum fortuitum is, qui illum allegat; quia præsumitur culpam interveniſſe, nisi probetur casu id accidisse: aliqui verò casus fortuiti regulariter, & ut plurimùm sine culpa evenire solent, ut vis, seu incursus hostium, impetus seu inundatio aquarum, ictus fulminis, mors animalium; & in istis præsumitur culpa abesse, & casu eveniſſe, & ideò alleganti incumbit onus probandi culpam, vel dolum, *Gl. marg. in cit. §. fin. Instit. dicto tit. Abb. in cit. c. 2. num. 9. h. t.* dolus verò nunquam præsumitur, *l. Quoties*; 18. §. *Qui dolo ff. De probation.* nisi adsint conjecturæ, ut in casu *cit. c. 2. & in cit. l. Quod nerva*; Cæterùm adeo Depositarius tenetur de dolo, ut non valeat pactum de dolo non præstando; talis enim conventio est contra bonam fidem, bonósque mores, tribuens peccandi licentiam, *l. 1. §. Illud ff. h. t. Azor cit. l. 7. c. 9. q. 5.* quamvis postquam dolus commissus est, conveniri possit, ne quicquam exigatur, ob dolum commissum, *Laym. lib. 3. tract. 4. c. 25. num. 1.*

IV. Assertio 2. Depositarius non tenetur ad resarciendum damnum, si res apud ipsum deposita ejusdem levi, vel levissimâ culpâ perijt, aut deterior reddita fuit; quia tenetur tantùm de damno ex culpa crassa, seu lata, quæ est dolus præsumptus, *cit. l. Quod Nerva*; *ff. h. t. l. 1. C. eod. & l. 1. §. Is quoque*; 2. *ff. de oblig. & act.* ubi dicitur, magnam negligentiam in doli crimine cadere. Ratio autem, cur non præstetur culpa levis, vel levissima est; quiâ cùm depositum regulariter fiat tantùm gratiâ deponentis, nullâque in illo versetur utilitas ejus, apud quem res deponitur, *l. Si ut certò*; 5. §. *Nunc videndum*; 1. *ff. Commod.* ideò non tenetur ad tam arctam, ac diligentem rei custodiam, *Abb. in cit. c. 2. n. 3. h. t.*

V. Cæterùm duo sunt casus excepti, in quibus Depositarius etiam de culpa, saltem levi, tenetur, videlicet, si se ipsum depositò obtulit, vel si ali- » quid pro custodia recepit, ut habetur *in cit. c. 2. h. t. & ibi Gl. V. De culpa.* Primus itaque casus est, quando Depositarius seipsum ad recipiendum depositum obtulit, *l. 1. §. Sæpe*; *ff. h. t.* tum enim ad majorem, seu diligentiorem custodiam se obligare censetur, Imò *Abb. in cit. c. 2. n. 3.* putat, hoc casu Depositarium teneri etiam de culpa levissima, cùm videatur illius tantùm gratiâ depositum esse factum, ut colligitur ex *l. Si quis*; 4. *in princ. ff. de reb. credit.* Idémque docet, *Bart. in cit. l. 1. §. Sæpe*; *ff. h. t.* Ubi dicitur, si quis se depositò obtulit, periculo se depositi illigavit, ita tamen, ut non solùm dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstet, non tamen casus fortuitos: ubi nomen *custodiam* significare videtur exactissimam diligentiam, quæ opponitur culpæ levissimæ, ut colligi videtur ex *l. Si eum venderet*; 13. *in fine, ff. de pignorat. act.* Alioquin si in *cit. l. 1. §. Sæpe*; custodia solùm significat mediocrem diligentiam, quæ opponitur culpæ levi, dicendum erit, vel ineptè, & superfluè appositum esse nomen *custodiæ*: vel saltem bis idem per tautalogiam inutiliter repetitum fuisse, quòd nempe Depositarius de levi culpa obligetur, si per culpam, & custodiam ibi idem intelligatur, præsertim cùm solus casus fortuitus ibi sit exceptus, unius autem exclusio sit alterius inclusio.

Secundus casus est, si Depositarius mercedem pro custodia accepit, tunc enim cùm contractus celebratus utriusque contrahentis gratiâ in locationem transeat, ideo culpa etiam levis præstari debet, *cit. c. 2. h. t. & cit. l. 1. §. Si vestimenta*; & §. *Si quis servum*; *ff. eod. & l. Si contractus*; 23. *ff. de R. I. Abb. c. l. n. 3.* Porrò quia in duobus prædictis casibus Depositarium de culpa teneri dicitur in *cit. c. 2. h. t.* unde consequens videtur, ut sicut in posteriore casu, quando merces intervenit pro custodia, sola levis culpa præstanda venit, idem quoq; in priore casu similiter dicendum esse, quando se sponte depositò obtulit, eum obligari solùm de levi culpa, non de levissima, neque enim quæ simul ponuntur, diversi juris censeri debent, *arg. l. Quamvis*; 4. *C. de impub. & aliis substitut.* ut argumentatur Decius in *cit. c. 2.* Verùm respondeti potest, *in cit. c. 2.* tantùm dici, quòd in utroque casu culpa in genere præstetur, non tamen

in utroque casu culpa in genere præstetur, non tamen fieri æquiparationem, quoad culpæ species, sed ea distinctio sumitur ex *cit. l.* 1. §. *Sæpe*, *ff. eod.* Addi potest tertius casus exceptus, si nimirum expressè conventum sit, ut in depositо etiam culpa levis præstetur, contractus enim ex conventione legem accipiunt, *l.* 1. §. *Si convenit*, *ff. h. t. Azor cit. c.* 7. *q.* 2.

» VI. Assertio 3. Depositarius non obligatur ad » præstandum casum fortuitum, exceptis tribus ca- » sibus, si videlicet pactum, culpa (crassa) vel mora » culpabilis præcessit casum fortuitum, prout statui- » tur in *cit. c.* 2. *h. t.* De pacto idem statuitur in *l.* 1. *C. h. t.* De dolo vel culpa præcedente casum fortuitum, habetur etiam in *cit. l.* 1. §. *Si rem*; *ff. Eodem*; qui enim dat causam damni, damnum dedisse videtur. Denique etiam de mora culpabili in *l. Si in Asia*; 12. §. *fin. ff. h. t.* saltem si res alioquin non fuisset peritura apud dominum, si suo tempore restituta fuisset, *Gl. ibid. V. Periculo*, *juxta Gl. marg. lit. B.* nam mora sua cuilibet est nociva, *reg.* 25. *in* 6. Illud quoque specialiter statutum est in *l.* 3. §. *At hoc edicto*. *ff. Nautæ*, *caupones*, *stabularii &c.* ad recipiendam improbitatem hoc genus hominum, penes quos itinerantes res suas deponere debent, ut teneantur, etiamsi sine culpa eorum res periit, vel damnum datum est, scilicet sine culpa levi, ita tamen ut levissima intervenerit, ut explicat *Gl. ibid. V. Sine culpa*, nisi quid damno fatali sive casu fortuito perierit, tunc enim non tenentur.

§. III.

An dominus semper possit pro libitu repetere rem depositam, & an in depositо locum habere possit compensatio?

» VII. Assertio 1. Deponens potest statim, » quandocúnque voluerit, depositum revocare, & » depositarius debet illud ei reddere, prout statuitur » in *cit. c.* 2. §. *Sanè*; *h. t.* ubi dicitur, *Depositori licet* » *pro voluntate sua depositum revocare:* & in *l.* 1. §. *Est autem*, *ff. Eodem.* Imò potest etiam depositum repetere ante tempus constitutum, ut sibi redderetur, vel post mortem depositarii; cùm enim deponentis gratiâ contrahatur, non prohibendus est pro arbitrio revocare contractum, & mutare voluntatem, *cit. l.* 1. §. *Si sic*, & §. *Proinde*, *ff. eod.* Unde etiam furi ac prædoni repetenti rem depositam apud aliquem restitui debet; quia interest illius, eò quòd & ipse teneatur, *cit. l.* 1. §. *Si prædo*; *ff. eod.*

Sunt tamen plures casus, in quibus depositarius rem depositam repetenti domino, vel deponenti statim reddere non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Veluti primò, si ex restitutione certè vel probabiliter timeretur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi deponenti, vel alteri inferendum, ut si furiosus repetat gladium depositum, *c. Ne quis*; 14. *caus.* 22. *q.* 2. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 1. Secundò, quando bona ejus, qui deposuit, Fisco sunt addicta, tunc enim Fisco tradenda sunt, *l. Bona fides*; 31. *in princ. ff. h. t.* quia deponens amisit jus repetendi suum depositum. Verùm *Lessius l.* 2. *c.* 28. *n.* 14. putat, hoc casu, posse depositarium rem depositam reddere deponenti; cùm is dominium bonorum, antequam actu occupata sunt à Fisco, nondum amiserit: licèt possit etiam, si velit, depositum deferre ad Fiscum, quia & iste jus habet illud sibi vendicandi. Tertio, si dominus & fur in repetitione rei concurrunt, non est restituenda furi, qui deposuit; sed domino, *cit. l. Bona fides*; §. *Incurrit hîc:* quæ lex sic intelligenda est, ut furi priùs repetenti res deposita reddatur, non comparente domino, ut colligitur ex *cit. l. Bona fides*; *Versic. quòd si ego*: illo verò repetente, sive priùs, sive posteà etiam fur repetat, domino restituenda est, *Azor cit. Lib.* 7. *c.* 8. *q.* 4. *circa finem.* Idem dicendum, si furi sine detrimento domini restitui non possit, tunc enim æquitas postulat, ut domino potiùs restituatur, quippe majus jus habenti, *cit.* §. *Incurrit*, *Laym. l.* 3. *Tr.* 4. *c.* 25. *n.* 2. Quartò, quando fur deposuit rem apud dominum, cui illam furripuit, ignorantem esse rem suam, quam postea comperit esse suam, idcirco non tenetur illam reddere deponenti, sed retinere potest: imò etsi à domino ignorante tradita sit furi, quasi ex causa depositi, potest ab illo per condictionem indebiti repeti, *cit. l. Bona fides in fine*, *Azor cit. q.* 4. *in fine*, *Silvest. V. Depositum*; *q.* 10.

VIII. Assertio 2. Non potest depositarius rem depositam velle compensare cum alio debito deponentis, vel penes se retinere, etiamsi à deponente repetatur, donec illi satisfiat, & solvatur id, quod ipsi ex alia causa v. g. venditionis deponens debet, prout statuitur in *cit. c.* 2. §. *Sanè*; *h. t.* Ubi dicitur, » contra quod (scilicet depositum) compensationi » vel deductioni locus esse non potest (propter aliud » debitum) ne alioquin contractus, qui ex bona fi- » de oritur, ad perfidiam referatur, sive trahatur: li- » cèt in aliis contractibus compensatio admittatur, si » causa, ex qua postulatur, liquida sit, & facilè ad » exitum perduci posse credatur. Idem habetur sta- » tutum in *l. Si quis*; 11. *C. h. t. & l* 1. *C. De compens.* Ratio patet ex textu, nam cùm is, qui rem apud aliquem deponit, illam fidei ipsius committat, & tradat, ut fideliter & diligenter illam sibi custodiat, & depositarius rei custodiam in se suscipiat, contra fidem datam facere videtur, si rem depositam postea non restituat repetenti, sed sibi retineat. Idque extenditur, quòd neque si ex utraque parte aliquid depositum fuerit, compensatio unius depositi cum altero depositо locum habet: sed res depositæ ab utraque parte, sine omni oppositа exceptione, restitui debent ei primùm, qui primus hoc voluerit, sive priùs repetit, *cit. l. Si quis*; §. *Sed etsi*; *C. h. t. Gl. in cit. c.* 2. *V. Contra quod.*

IX. Sicut autem in depositо non est locus compensationi, per quam scilicet aliquid in totum retinetur pro alio debito: ita neque deductioni, per quam pars depositi retinetur, *cit.* §. *Sanè*; *h. t. & Gl. ibid. V. Contra quod.* Quare neque directa compensatio, quæ est debiti cum debito contributio, *l.* 1. *ff. de compens.* quâ vult depositarius reddere rem depositam deponenti pro eo, quod ipsi aliunde debet: neque indirecta, quâ res retinetur, donec à deponente aliud debitum solvatur, locum habet in depositо, *Molin. tr.* 2. *de just. dis.* 526. *n.* 4.

Verùm in aliis contractibus (vel in actionibus sive realibus, sive personalibus) compensatio admittitur, si causa, ex qua postulatur aliquid, sit liquida, sive non sit disputabilis, *Gl. in cit.* §. *Sanè*, *V. In aliis, & l. ult. C. de compensat.* Ratio est, quia in aliis contractibus res datur ad aliquem usum, ac proinde is, qui rem accipit, non tam propriè ac specialiter contra fidem facere videtur, si eam rem locò compensationis, pro alio debito retineat, *Azor cit. c. 8. q. 3.* Admittitur autem compensatio in omnibus, saltem quæ in suo genere functionem recipiunt, id est, quando una res ex toto potest fungi vice alterius, cujusmodi communiter sunt, quæ in pondere, numero & mensura consistunt, ut pecunia, frumentum, vinum &c. In aliis verò non ita locum habet, ut in pecunia, v.g. & equo, *Abb. in cit. c. 2. n. 12. h. t.*

X. An autem etiam in commodato locum habeat compensatio, dubitatur! Negant aliqui per *text. in l. ult. C. de commodat.* Ubi dicitur prætextu debiti (à commodante commodatario solvendi, *Gl. ibid. V. Debiti*) restitutio commodati non probabiliter recusatur. Sed probabilius est, in illo compensationi locum esse, ut docet *Abb. in cit. c. 2. n. 12. h. t. & alii communiter*, idque probatur ex *cit. c. 2.* & aliis juribus supra citatis, in quibus velut speciale & proprium depositi esse dicitur, ut retineri nequeat locò compensationis: ergo secus est in commodato, quia exceptio firmat regulam in aliis non exceptis. Ratio disparitatis est, nam qui depositum accipit, si non restituat repetenti, videtur facere contra fidem, cùm tamen ad rem fideliter custodiendam, & consequenter etiam reddendam deponenti se obligârit: at verò qui accipit commodatum, id accipit, non ut custodiat diligenter & fideliter, sed ut eo utatur ad tempus, *Azor p. 3. l. 7. de commodato, c. 7. q. 7.* Ad leg. ult. cit. respondet, *Gl. ibid. V. Debiti*, quòd loquatur de debito non liquido, cum hoc enim compensari non potest commodatum, alioquî verò quòd compensationi locus sit in commodato, sicut & in aliis contractibus, patet ex aliis juribus suprà citt. sed quia hoc videri posset sine fundamento dici, ideò aliam responsionem dat *Gl. fin. ibid.* quòd in illa lege non sit sermo de commodato, sed de depositio, ita ut perperam legatur *commodati* pro *commendati*, ut etiam notat *Gothofr. ibid.* nam depositum appellari commendatum, constat ex *l. Lucius*, 24. *ff. h. t.* Ubi dicitur, quid est enim aliud commendare, quàm deponere, *juxta l. 186. ff. de V. S.* in depositio autem utique non habet locum compensatio, & probabiliter non recusatur illius restitutio, prætextu debiti, ut dicitur in *cit. l. fin. C. De commodat.*

XI. Cæterùm in foro conscientiæ, si quis debitum liquidum alio modo consequi non possit, etiam depositarius potest licitè compensatione uti, & rem depositam interìm retinere, donec ipsi satisfiat; quia jure naturali & gentium id permissum videtur, ut possit quis sibi ex qualibet re alterius satisfacere, si aliter solutionem obtinere non possit, *Silvest. V. Compensatio; q. 2. Less. c. l. n. 16. Laym. l. 3. tr. 2. c. 9. n. 10.* Ubi tamen excipit, nisi vel scandalum timeatur, vel legitimus judex aliud præcipiat, vel beneficio compensationis sponte quis renunciârit.

§. IV.

An, si res aliqua penes Clericum, v.g. Canonicum, aut Religiosum sit depositа, & dolo vel latâ culpâ eius sit perdita, Ecclesia, vel Monasterium obligetur ad resarciendum damnum?

XII. Ad hanc quæstionem respondetur, non obligari, nisi quatenus ad Ecclesiam vel Monasterium aliquid pervenit, seu in rem utilitatémque ipsius versum fuit: prout rescribit Alexander III. *in c. Gravis, 1. h. t.* Nam cùm Episcopus Londonensis summam » quandam pecuniæ penes Canonicum quendam (qui » ob iniquitatem Belial hic appellatur) depositet, is- » que illam surripuisset: hoc in casu, respondet Papa, » quia non constat pecuniam illam in Ecclesiæ utilita- » tem conversam fuisse, neque pecunia illa Ecclesiæ » fuit commendata, sed personæ, sive penes Canoni- » cum, non penes Ecclesiam depositа fuit, ideo contra » Canonicos agi non posse ad restitutionem pecuniæ, » sed contra ipsum furem instituì debet actio. Quare » mandat Papa quibusdam Judicibus, ut furem illum » quæstionibus subjiciant, sive torturæ, & si opus fue- » rit, etiam vinculis alligent, ut pecuniam ablatam » restituere compellatur. Sin autem Episcopus cum » Canonicis amicabiliter convenire possit, circa re- » ditus aliquos percipiendos, id gratum sibi fore ait » Pontifex. Ratio decisionis est, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, *juxta Reg. jur. 76. in 6.* depositarius autem non obligatur ex depositio, nisi ratione delicti: videlicet ex dolo vel latâ culpâ, quæ dicitur dolus præsumptus, & dolo æquiparatur, ut suprà dictum. Ratio verò exceptionis est, quia nemo debet locupletari cum alterius jactura *l. Nam hoc*; 14. *ff. De condict. indeb.* si autem Ecclesia vel Monasterium non teneretur restituere res apud ipsius Clericum vel Religiosum depositas, quæ in ejus utilitatem versæ sunt, lucrum cum alterius jacturâ indebitè reportaret. Quare licèt ex contractu personæ in potestate constitutæ, v.g. Religiosi, vel filifamilias, aut servi non obligetur Prælatus, aut Monasterium, nec Pater vel Dominus, si sine ejus mandato expresso vel tacito contraxit: obligantur tamen Prælatus, vel Pater, aut Dominus ex contractu Religiosi, filii, vel servi, quatenus ex illo aliquid ad Prælatum vel Monasterium, Patrem vel Dominum pervenit, vel in rem ac utilitatem ejus versum fuit, *l. 1. & l. 3. §. In rem autem, ff. De in rem verso, Laym. lib. 3. Tract. 4. c. 27. n. 3.*

XIII. Extenditur autem tradita assertio, ut procedat, licèt Clericus vel Religiosus, cum consensu Prælati sui, vel etiam ipsemet Prælatus, absque consensu tamen Capituli sui, depositum acceperit; non enim obligatur Ecclesia vel Monasterium, si dolo vel culpâ Clerici vel Religiosi, etiam ipsius Prælati, perierit, vel deterior facta sit, nisi aliquid in rem Ecclesiæ vel Monasterii versum fuerit; quia neque, delictum Prælati debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, adeóque etiam ex delicto ipsius non obligatur, *Molin.*

Molin. tr. 2. de Juſtit. diſ. 525. n. 3. Leſſ. l. 2. c. 27. n. 12. Laym. lib. 3. Tract. 4. c. 25. n. 6. & in diſ. Canon. de rer. Eccleſ. alien. Theſi 108. ſi verò Prælatus, unâ cum Capitulo aut Conventu, rem depoſitam in ſuam fidem & cuſtodiam receperit, obligatur Eccleſia aut Monaſterium, ſicut alii depoſitarii, ut colligitur ex *cit. c. 1. h. t.* & docet *Gl. communiter recepta ibid. V. Perſonæ in fine*, nam Prælatus & Capitulum repræſentant Eccleſiam, *juxta c. Requiſiviſti*; 15. *de Teſtam. junct. c. Scire*; 7. *cauſ. 7. q. 1.* Quare quando Prælatus, unâ cum Capitulo, voluntariè ac liberè contraxit cum aliquo, æquum eſt, ac decens, ut inde etiam obligetur juxta naturam contractûs, ne Eccleſia alterum decipere voluiſſe videatur, contra *c. Per tuas*; 5. *de donation.* ubi dicitur: *Eccleſia in actibus non debet fraudem aliquam adhibere.* Neque verò in hoc caſu deponens probare debet, pecuniam vel aliam rem à ſe depoſitam penes Eccleſiam, in rem ac utilitatem ejusdem verſam fuiſſe; cùm id jure ſtatutum non reperiatur, ſicut in contractu mutui, de quo infra. *Innoc. in cit. c. 1. n. 1. h. t. Molin. cit. diſ. 525. n. 4. Laym. cit. Theſ.* 108. In caſu autem *hujus c. 1.* erat neceſſarium probare, pecuniam eſſe verſam in utilitatem Eccleſiæ; quia illa non erat Eccleſiæ commendata, ſive apud ipſam depoſita, ſed apud particularem Canonicum, ergo à contrario ſenſu aliud dicendum foret, ſi ea fuiſſet commendata Eccleſiæ, *Abb. hîc n. 9. in fine.*

XIV. Hinc colligitur primò. Quòd Clericus, etiam in cauſa depoſiti contrectati ſive ſurrepti, adeóque in cauſa civili habente delictum annexum, incarcerari poteſt, imò & torturæ ſubjici, ut tradit hîc *Abb. n. 6.* de quo plura ſuo loco. Colligitur ſecundò, licèt aliàs transactio fieri non debeat, niſi ſuper re dubiâ ſeu lite incertâ, tamen in caſu *cit. c. 1.* ſuaſit Pontifex fieri amicabilem compoſitionem inter partes, licèt conſtaret pecuniam non fuiſſe commiſſam Eccleſiæ, ſive depoſitam apud illam, adeóque Eccleſiam ad reſtitutionem illius non teneri. Nam, ut poſt *Innocent.* reſpondet *Abb. ibid. n. 8.* hoc factum fuit, vel ex ſpeciali conceſſione Papæ, tametſi aliàs Prælatus non poſſit renunciare exceptioni competenti Eccleſiæ: vel quia Epiſcopus Londonenſis dicebat, Eccleſiam illam conſenſiſſe in depoſitum pecuniæ apud Canonicum: vel illam converſam eſſe in utilitatem Eccleſiæ, ideóque propter dubium litis eventum locum habuit compoſitio,

XV. Prædictis addendum primò. Si contra Eccleſiam vel Monaſterium, in cauſa depoſiti ſententia lata ſit, vel executio facta, eò quòd non quidem per dolum, ſed per culpam latam, quæ ſecundùm juris præſumptionem dolo æquiparatur, rem depoſitam deſtruxit, aut perdidit, poteſt illa petere reſtitutionem in integrum, *Laym. cit. c. 25. n. 6.* Secundò, in Societate Jeſu prohibitum eſt Præpoſitis & Rectoribus locorum, ne depoſita, præſertim pecuniaria ſuſcipiant; quia illi negotia non peragunt, cum conſenſu Capituli, ſive Collegii. Tertiò, Religioſus malè facit, ſi ſine conſenſu Prælati ſaltem rationabiliter præſumpto, munus depoſitarii ſuſcipiat. *Molin. cit. diſ. n. 3. Laym. c. l.*

§. V.

An Depoſitarius Commodatarius, vel Conductor poſſit in periculo naufragii, hoſtilis incurſus, vel incendii, præferre res ſuas, ſi utraſque periculo eripere non poſſit?

XVI. Aſſertio 1. Res, ſive propriæ, ſive alienæ, quæ pretioſiores ſunt, tali caſu, præ aliis periculo liberari poſſunt, ac debent, *Abb. in c. 2. n. 2. h. t. Leſſ. cit. c. 27. n. 23. & 27. Laym. l. 3. Tract. 4. c. 7. n. 7.* De propriis, quòd præferri poſſint, ſi pretioſiores ſint, alienis vilioribus, probatur; quia nemo tenetur pati majus damnum proprium, ad evitandum minus alterius, tenetur enim quisque priùs ſibi proſpicere, deinde proximo. De rebus alienis pretioſioribus etiam probatur, quia in depoſito, commodato &c. quisque tenetur adhibere ſaltem eam diligentiam, quam quisque prudens in rebus propriis adhibere ſolet, quisque autem res ſuas pretioſiores præ vilioribus ſuis periculo eriperet, ergo etiam debet res alienas præferre ſuis vilioribus. Excipe, niſi præferendo rem alienam pretioſiorem ſuæ viliori, notabile damnum incurreret, ſi non ſit moraliter certus ſe poſſe ejus pretium recuperare à domino rei alterius, quia nemo in his contractibus intendit ſe obligare ad expenſas faciendas pro re aliena, cum notabili & gravi ſuo detrimento, vel probabili periculo ejus, *Tamburinus in Decal. p. 2. l. 8. tr. 3. c. 5. §. 7. n. 4.*

XVII. Aſſertio 2. Si res propriæ & alienæ ſint æqualis pretii, tunc poteſt quis in periculo præferre res proprias, ſi res alienæ ſint acceptæ in utilitatem dantis tantùm, ut in depoſito, vel in utilitatem utriûsque, ut in conductione & pignore. Si verò res alienæ ſint penes accipientem in commodum ipſius tantùm, tenetur præferre res alienas in communi periculo propriis æqualibus: eſt communis ſententia apud *Leſſ. cit. c. 27. n. 29. Mol. tr. 2. diſ. 296. n. 7.* Ratio primæ partis eſt, quia rem acceptam in commodum dantis tantùm, v. g. deponentis, non tenetur accipiens, v. g. depoſitarius, cum proprio damno ſalvare, ſi utræque æquales ſint. Idémque dicendum, ſi res in utriûsque commodum conceſſa ſit, ut res conducta vel oppignorata; quia in communi periculo poteſt quisque ſibi proſpicere præ aliis, quare tunc quæque res domino ſuo perit, *Leſſ. c. l. n. 26.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia cùm hoc caſu in utilitatem accipientis tantùm ſint res conceſſæ, v. g. commodatarii, adeóque occaſione illius res alterius in periculum inciderint, tenetur cum jactura rerum propriarum, quæ minoris vel æqualis ſunt pretii, conſervare res alterius, quæ majoris ſunt vel æqualis pretii, adeóque in pari alioquin cauſa, damnum ex fortuito caſu alienis rebus illatum ſuſtinere, cùm in ipſius ſolius commodum contractus fuit inſtitutus, *Leſſ. c. l. n. 28. Laym. c. l.*

XVIII. Prædictis addendum primò. Si res alienas pretioſiores, propriis etſi minûs pretioſis præferendo, earum jacturam paſſus ſit depoſitarius, vel conductor, compenſationem damni exigere poteſt; quia utiliter negotium domini geſſit, adeóque officium ſuum ipſi damnoſum eſſe non debet, & quia nemo tenetur

cum suo damno conservare rem alterius, etsi pretiosiore m, quando contractus est initus in gratiam utriûsque, & multò minùs si in gratiam alterius tantùm: nam licèt tunc teneatur salvare rem alterius pretiosiorem, cum damno rei propriæ vilioris, potest tamen id facere animo exigendi compensationem jacturæ, quam ideò passus est in re propria, *Molin. cit. dis.* 296. *n.* 4. *Less. c. l. n.* 28. Aliud verò dicendum est de commodatario, is enim non potest exigere compensationem damni, quod incurrit in re propria, dum pretiosiorem rem sibi commodatam salvavit præ sua viliore: tum quia quilibet vir prudens ac diligens, quæ pretiosiora sunt, præponit minùs pretiosis: commodatarius autem ex natura hujus contractûs se tacitè obligat ad exactam rei commodatæ custodiam, qualem quisque prudentissimus paterfamilias rebus suis adhibet, *l. In rebus*; 18. *ff. Commodati*: tum quia æquitas non patitur, ut is, qui commodavit, occasione illius contractûs, quem iniit in gratiam solùm commodatarii, damnum patiatur, ipse verò commodatarius nullum, *Mol. c. l. n.* 3. *Less. c. l. n.* 28. *Laym. c. l.* Imò neque potest exigere compensationem damni commodatarius, si relictâ re suâ, salvavit rem commodatam æqualis pretii, uti debuit, quia tenetur ad diligentissimam custodiam, *Molin. c. l.* ad quam illa jactura rei propriæ æqualis fuit necessaria, *Less. c. l. n.* 29. Verùm si commodatarius res suas pretiosiores salvavit, relictis alienis minùs pretiosis sibi commodatis, quia illas simul cum suis servare non potuit, ad nullam restitutionem damni commodanti obligatur; quia tunc nullam omninò culpam commisit, cùm diligentissimus quisque pretiosa præferre soleat minùs pretiosis, *Silvest. V. Commodatum, q.* 12. *Azor l.* 3. *de commod. c.* 7. *q.* 6. *Laym. c. l. Contra Molin.*

TITVLVS XVII.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

Postquàm in superioribus Titulis actum est de contractibus, qui in gratiam vel accipientis tantùm, vel dantis tantùm instituuntur: sequitur, ut etiam agatur de contractibus, qui in gratiam utriùsque contrahentis celebrari solent, inter quos præcipuus est Emptio & Venditio. Idem Titulus habetur in Extravagantibus communibus.

§. I.

Quid sit emptio & venditio, & quæ ad substantiam illius requirantur?

1.

EMptio & venditio est contractus bonæ fidei ultro citróque obligatorius, qui consensu, re & pretio perficitur; sive in quo venditor cum emptore de re sive merce pro pretio paciscitur. Ita ferè definitur apud *Molin. Tract.* 2. *de Justit. dis.* 336. *n.* 5. *Azor p.* 3. *Instit. mor. lib.* 8. *c.* 1. *q.* 1. *Castro Palao pun.* 7. *dis.* 5. *de justit. Commut. pun.* 1. *Tamburin. lib.* 8 *in Decalog. Tract.* 3. *c.* 7. §. 1. *n.* 1. Et quidem quatenus res sive merx pro pretio promittitur, est venditio: quatenus pretium pro re offertur, est emptio. Dicitur primò *contractus*, quì ponitur locò generis, in quo differt ab ultimis voluntatibus, quæ nomine contractûs non continentur, *l. Verba*; 20. *ff. de V. S.* Dicitur secundò *bonæ fidei*; ut distinguatur à contractibus, qui sunt stricti juris, quia in eo multa ex æquitate præstantur, de quibus expressè conventum non est, §. *Actionum autem, Instit. de Actionib. & l.* 2. *fine ff. de oblig. & act.* Dicitur tertiò, *ultro citróque obligatorius*, quia emptor obligatur ad solvendum pretium venditori, venditor verò ad rem tradendam emptori, *l. Ex empto*; 11. *in princ. ff. de action. empt. cit. l.* 2. §. *fin.* & in hoc emptio distinguitur ab ijs contractibus, vel quasi contractibus, qui tantùm ex una parte obligant, ut donatio, *l. Arist.*; 18. §. *fin. ff. de donation. l. Ad res*; 62. *ff. de ædilit. edict.* Dicitur quartò, *qui consensu perficitur l.* 2. *ff. de oblig. & act.* hic enim contractus quoad substantiam perficitur per solum mutuum consensum voluntatis, non quidem merè internum, sed verbis vel nutibus expressum; contractus enim cùm inter homines fiant, signum aliquod externum requirunt, quo consensus internus exprimatur. Dicitur autem per consensum mutuum perfici emptio & venditio; quia non indiget rei traditione, ut mutuum, commodatum, depositum, pignus, qui contractus, præter consensum, postulant rei traditionem, ante quam resilire licet à contractu: neque requirit certam verborum formulam, sicut stipulatio, neque litteras sive scripturam, ut Emphyteusis: ideóque etiam inter absentes per Procuratorem seu Nuncium, & cum muto ac surdo celebrari potest emptio & venditio, *l.* 1. §. *fin. ff. de contrah. empt. l.* 2. *ff. de oblig. & act.* Et in hoc distinguitur à prædictis contractibus, qui vel re, vel verbis, vel litteris perficiuntur, *Azor cit. c.* 1. *q.* 1. porrò hic contractus perficitur solo consensu, quoad substantiam sive essentiam, ita ut post consensum mutuò præstitum neutra pars pœnitere possit: non autem perficitur quoad integritatem completam, seu quoad complementum: ad hoc enim requiritur etiam solutio pretii, ex parte emptoris, & traditio rei ex parte venditoris: per venditionem

tionem enim non est necesse, ut actu transferatur dominium, sed satis est, quòd sit translativa dominii, ita ut venditor, ex vi factæ & acceptæ venditionis maneat obligatus ad transferendum dominium, ipsum autem dominium rei venditæ transfertur in emptorem, non quidem quando fit contractus venditionis per mutuum consensum, sed quando res traditur à venditore, & solvitur ab emptore pretium, vel pro soluto habetur, seu locò ejus datur æquivalens, quale est pignus, vel arrha, vel fidejussor, *Less. c. l. Tambur. c. l. §. 1. n. 2.* licèt per accidens impediri possit, ut non transferatur dominium per traditionem, quia res aliena vendita fuit, & ita dominium non translatum per traditionem.

Dicitur quintò, *re & pretio*, ubi per rem intelligitur merx, id est, aliquid pecuniâ æstimabile, sic enim latè accipi debet merx, ut sit correlativum pretii, si enim nomen mercis accipiatur strictè ac propriè, pro sola re mobili, prout accipitur in *l. Mercis; 66. ff. de V.S.* non comprehenditur eo nomine omnis venditionis materia, si quidem etiam res immobiles vendi, & emi possunt, ut fundus, item jura, nomina debitorum, servitutes, *Less. c. l. n. 1: Laym. lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 2.* per pretium hîc intelligitur nummus, sive pecunia, quæ inventa est, ut sit publica mensura seu æstimatio omnium rerum sive mercium, quæ in commutationem sive contractus humanos venire possunt, prout habetur in *cit. l. 1. ff. de contrah. empt.* & ut sic appellatur pretium: nummus verò sive pecunia, quia lege & auctoritate publicâ omnia numerat, & adæquat, & æstimationis suæ quantitatem est consecutus. Quare res sive merx, & pretium sunt partes materiales, & consequenter substantiales hujus contractûs, nam nec sine merce, nec sine pretio potest esse emptio & venditio: consensus verò contrahentium est veluti forma, per quam contractus hic in esse suo constituitur, *l. 2. §. 1. & l. Nec pretio; 8. & l seq. ff. de contrah. empt.* Et per pretium quidem distinguitur venditio & emptio, tum à permutatione, in qua res datur pro re, sive merx pro merce: tum à cambio, in quo datur pretium, sive pecunia pro pecunia, & tunc habet pecunia, non tam rationem pretii, quàm mercis, ratione materiæ vel circumstantiæ alicujus, ut si moneta nova commutetur cum veteri, vel argentea cum aurea, quia commodior est ad transferendum. Distinguitur etiam à locatione, in qua non propriè pretium, sed merces sive pensio pecuniaria intervenit, *Gl. in l. 1. §. 1. V. Agendo, ff. de superficieb. Azor cit. c. 1. q. 1.*

II. Notandum primò. In hoc contractu debet certum & determinatum pretium constitui, alioquin invalidus est, §. *Pretium Instit. h. t.* Ut si quis dicat, vendo tibi ædes meas pro justo pretio, non valet venditio, nisi quodnam sit justum pretium, arbitrio boni viri, sive officio Judicis fuerit determinatum. Valida autem est venditio, in qua determinatio pretii relinquitur arbitrio certæ personæ, v.g. vendo rem hanc, quanti Titius eam æstimabit, modò is postea pretium definiverit; secus si non possit, vel non velit illud definire, *cit. §. Pretium Instit. h. t. & l. ult. C. eod.* non autem valet venditio, in qua pretii definitio in voluntatem emptoris remittitur, *l. Quod sæpe; 35. §. Illud, ff. h. t. l. In vendentis; 13. C. eod.* sed neque sufficit pretium esse certum, sed etiam constitui debet in pecunia numerata, §. *Item pretium, Instit. eod.*

Notandum secundò. Sicut de pretio certo, ita & de re certa debet institui venditio, unde si vendatur æs pro auro, nulla est venditio, *l. In venditionib. 99. ff. h. t.* quia tunc consensus contrahentium non versatur circa eandem rem; requiritur etiam ut res, quæ venditur, vel actu in rerum natura existat, vel saltem speretur extitura, ut fructus agri, fœtus animalium, & sic intelligi debet, quod dicitur in *l. 8. ff. h. t.* nec emptio, nec venditio, sine re, quæ veneat, intelligi potest. Similiter quando dicitur sine pretio nullam esse venditionem, *l. 2. in fine*, & quòd emptionis substantia consistit in pretio, *l. Pacta; 72. ff. h. t.* id non ita accipiendum est, quòd pretium statim solvendum sit, sed quòd necesse sit, vel statim solvi, vel fidem dari, & haberi de eo solvendo, *Azor cit. c. 1. q. 1.*

Notandum tertiò. Aliquando tamen etiam sine traditione rei venditæ transfertur dominium in emptorem, in illis scilicet casibus, in quibus juris fictione res tradita censetur, absque reali apprehensione possessionis, exempla habentur in *l. Quâ ratione; 9. §. Interdum Instit. de rer. divis. & l. Quod uno; 18. ff. de acquirend. poss.*

§. II.

De emptione & venditione rerum sacrarum.

III. Præmittendum inprimis, quamvis contractus venditionis & emptionis solo consensu utriûsq; contrahentis perficiatur, *Instit. de oblig. princ. & dictum supr.* alienatio tamen propriè dicinon potest, antequam res vendita sit etiam tradita emptori, quia nec antè dominium transfertur in emptorem, *l. Nunquam; 31. ff. de acquir. rer. domin. l. Traditionibus; 20. C. de pact.* ideóque nec pœnæ juris statutæ in Clericos alienantes bona Ecclesiarum incurruntur, nisi traditio sit secuta; quia leges, præsertim pœnales, cum effectu intelligi debent, *c. Relatum; 4.* & ibi *DD. communiter de Cleric. non resid. l. 1. §. Hæc autem verba, ff. Quod quisque juris &c. Laym. in disput. Canon. de rer. Eccles. alienat. c. 5. §. 1. Thesi 46.*

Præmittendum secundò. Sicut specialiter statutum est de procuratore fisci, ut si rem ad fiscum pertinentem vendiderit, ac tradiderit emptori, res vendita non fiat illius, sed in dominio fisci permaneat, donec pretium fuerit solutum, *l. Si procurator; 5. in fine junct. Gl. fin. ff. de jure fisci*: ita similiter dicendum est de procuratore, vel alio mandatario Ecclesiæ, si vendiderit, ac tradiderit rem Ecclesiæ, non soluto pretio ab emptore, sed fide solùm de eo habitâ, illam non acquiri emptori: sed dominium rei venditæ manere penes Ecclesiam, donec pretium numeratum sit, ut docet *Accursius in fine ibid. & in l. A D. Pio; 15. §. Sed si emptor, n. 3. ff. de re judic.* quia Ecclesia gaudet privilegiis fisci. Rationem dat *Bart. c. l.* quia procurator fisci, minoris, vel Ecclesiæ, non potest vendere, nisi ex causa, ut creditoribus satisfiat, quam causam non implet, habendo fidem de pretio, ideóque non potest vendere, nisi præsente & numeratâ pecuniâ. Imò *Abb. in c. 2. n. 6. de precar.* ait, idem dicendum esse de Prælato rem Ecclesiæ legitimè vendente,

quòd non possit habere fidem emptori de pretio solvendo. Verùm contrarium probabilius tenet *Laym. cit. Thes. 64.* quia Prælato major ac liberior potestas administrandi res Ecclesiæ competit, quàm Procuratori aut Mandatario, eáque exigere videtur, ut in casu, quo jus alienandi habet, etiam fidem habere possit emptori ad tempus aliquod de pretio solvendo: præterquàm si ratio seu causa alienandi cesset, si non pretium ab emptore statim numeretur, videlicet ut debita Ecclesiæ solvantur.

Jam ergo an & quatenus res sacræ, v. g. vasa aut sacræ vestes Ecclesiæ, vendi possint, in sequentibus explicabimus.

IV. Assertio 1. Res sacræ, id est, quæ ad cultum divinum specialiter deputatæ, & ritè consecratæ sunt, vendi non possunt ad usum privatum sive profanum, §. *Sacræ res, Instit. de rer. divis.* Ratio est, quia non sunt humani, sed divini juris, adeóque neque in commercio hominum, §. *Idem juris Institut. de inutil. stipulat. §. fin. Instit. h. t. quod autem semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum, Reg. jur. 51. in 6.*

V. Assertio 2. Si res sacræ sive consecratæ ita comparatæ sint, ut earum materia non possit tali modo separari, ut inter res profanas habeantur, tunc neque ad usum sacrum, seu divinum ministerium vendi possunt, prout sumitur ex *c. Si quis objecerit; 7. caus. 1. q. 3.* ubi generaliter statuitur: non tantùm consecrationes: sed nec res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, emi posse: *nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas* (id est, dignitas Episcopalis aut Abbatialis) *aut tale aliquid, sine rebus corporalibus in nullo proficiat: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit*; quia nimirum idem juris est in uno connexorum, quod in altero, *juxta Gl. ibid. V. Neutrum:* quod intelligendum est, si inseparabiliter connexæ sint, videlicet si materia non possit separari à consecratione, *Laym. cit. dis. Th. 66.* nam tunc sicut consecratio non potest consistere sine tali re materiali: ita neque res illa semel consecrata potest consistere sine consecratione, quia manente re, manet consecratio, ergo non potest vendi unum sine alio, quin etiam alterum vendatur, adeóque neque ipsa res materialis sive materia tunc vendi potest: exemplum unum vel alterum infrà adferetur. Aliter tamen legendum putat textum *cit. can. si quis objecerit Deus dedit*, quem sequitur *Suar. Tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 14. n. 13.* videlicet, *nam cùm corporalis Ecclesiæ Episcopus vel Abbas &c.* videlicet in genitivo, cùm corporalis Ecclesiæ Episcopus: adeóque quòd ibi non agatur de materiali Ecclesia, sed de dignitate Episcopi vel Abbatis, vel similibus beneficiis spiritualibus & Ecclesiasticis: & de hoc verum sit, quòd qui vendit corporale annexum, nihil invenditum relinquit. Verùm alii Collectores ac Interpretes, & vetusti Codices concordant cum vulgata lectione Gratiani, ut notatur ibid. quæ sic habet, *cùm corporalis Ecclesia, Episcopus &c.*

VI. Excipiuntur ab hac regula, vasa sacra, aurea, & argentea, quæ ob necessitatem redimendi captivos, vel simile opus pium exercendi, vendi possunt, *c. Sacrorum; 14. & c. seq. c. Aurum; 70. caus. 10. q. 2. l. Sancimus 3 21. C. de SS. Eccles.* & quidem integra, si vendantur Ecclesiæ, aut loco sacro: conflata autem sive confracta, ut calices sacri, vel dissuta, ut casulæ & vestes sacræ, si vendantur Laico aut privatæ personæ, *Auth. præterea C. eod. & cit. l. Sancimus Suar. cit. c. 14. n. 15. Laym. c. l. Th. 65. & 71.* Ratio, cur integra vendi possunt Ecclesiæ est, quia tunc non venditur consecratio, cùm ratione illius vas tale cariùs non vendatur: nec venditur usus sacer, quia qui calicem emit, ex vi emptionis, non obligatur ad usum illum: solùm ergo venditur illud, quod est materiale in calice, vel re simili, & pretio æstimabile, nec amittit valorem ratione consecrationis, licèt novum non acquirat. Quamvis *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 2.* & Canonistæ communiter apud *Suar. c. l. n. 5.* existiment, hujusmodi vasa sacra non posse vendi etiam Ecclesiis integra, & quamdiu consecrationem retinent: sed nonnisi confracta, aut conflata, tunc enim consecrationem amittunt, & postea illa materia sive purum metallum vendi potest.

VII. Addit *Suar. c. l. n. 15. in fine*, quòd etiam calix integer & non confractus vendi possit Laico, si absit periculum sacrilegii, sive abusus calicis ad actus profanos: quia emit illum, ut per Sacerdotem in Oratorio vel Capella sua eo utatur. Quod tamen limitat *Laym. c. l.* id solùm verum esse, si Capella sit publica, & auctoritate Episcopi erecta: quo casu per venditionem non acquiritur dominium calicis emptori Laico, vel personæ privatæ: sed Ecclesiæ, seu Capellæ consecratæ, ac proinde si dominus, vendito v. g. Castro, juxta quod Capella constructa est, aliò migret, non poterit sacrum calicem à se emptum secum auferre. Si verò Oratorium sit privatum, in quo ex licentia Ordinarii Missæ Sacrificium celebrari potest: tunc non potest sacer calix ita vendi Laico, cujus est Oratorium, ut dominium ejus in ipsum transferatur, prout sumitur ex *c. Ex multis 3 9. c. Vendentes; 10. c. Res Ecclesiæ 3 12. caus. 1. q. 3.* nam Laicus rem sacram, sicuti & locum sacrum possidere non potest, *l. Qui universas 3 30. §. Possessionem ff. de acquir. possess.* Addit *Laym. c. l.* quòd possit Laicus pecuniâ datâ redimere calicem sacrum, quem emit, à jure Ecclesiæ particularis, ad quam pertinebat, ita ut postea pertineat ad Ecclesiam universalem: ad nullam autem in particulari, ita tamen ut in hoc casu Laico licentia concessa videatur, illum sacrum calicem applicandi pro libito, ad certam Ecclesiam, Capellam, vel Oratorium.

VIII. Cæterùm ex tradita doctrina infertur primò. Quòd calix consecratus non possit vendi, ita ut non solùm materiæ, v. g. auri & argenti pondus æstimetur, sed etiam artificium dato pretio compensetur: nam cùm artificium materiale nunquam possit à sacra consecratione separari, non potest calix sacer, ratione artificii sui, si integer maneat & artificiatus, moralem seu profanum usum habere, adeóque nec inde æstimationem seu pretium consequi; quia res illæ materiales non æstimantur pretio temporali, nisi propter temporalem & communem usum, & ideò locum habet supra dicta regula, quòd qui unum vendit, alterum invenditum non relinquat, *Laym. c. l. Th. 69.* Contraria tamen sententia etiam ob Dd. auctoritatem est probabilis, quam sequitur *Suar. cit. c. 14. n. 16.* quia figura seu artificium solet communiter conferre ad valorem rei, & distinguitur à consecratione, & ad illam præsupponitur: & licèt res consecrata, quam-

quamdiu sacra manet, non possit adhiberi ad usum profanum, hoc tamè accidentarium est ad valorem rei materialis secundùm se spectatæ: etsi negari non possit, cùm ex eo, quòd non possit applicari ad usus humanos, minùs æstimetur, quoad valorem suum materialem, *Suar. c. l.*

IX. Infertur secundò. Quòd Templum, seu Ecclesia materialis ad usum divinum deputata vendi non possit; nam de hujusmodi venditione facta, etiam ob necessitatem, nulla in jure fit mentio, ideóque cùm in materia prohibitoria versemur, quod non reperitur concessum, prohibitum censeri debet, *c. 2. junct. Gl. V. Non invenitur de translat. Episc.* Imò contrarium potiùs in utroque Jure expressum reperitur, nempe quòd Ecclesia corporalis seu locus sacer vendi non possit, *§. ult. Instit. h. t. l. Ædes sacræ; 73. ff. Eodem, Auth. de Alienat. & Emphyteus. c. 2. §. Et quoniam cognovimus; collat. 9. & cit. c. Si quis objecerit, caus. 1. q. 3.* Ubi dicitur, si quis objecerit non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur: & tradit *Gl. in c. Ad quæstiones; 6. V. Per se queat*, & ibi *Dd. de rer. permut.* Ubi rationem reddit, quia nulla emptio est sine pretio, quod in pecunia numerata consistit. Contrarium tamen tenet *Suar. c. l. n. 23.* qui calices & Ecclesias æquiparat, & ad *cit. can. si quis objecerit*, respondet, vel mendosè illum allegari à Gratiano, vel certè intelligendum esse de Ecclesia, quatenus consecrata est, seu benedictionem includit, ut sic enim vendi non potest.

Verùm cùm Ecclesiæ dirutæ materia, scilicet ligna & lapides, ad usus profanos applicare non liceat, *c. Ligna 38. dist. 1. de consecrat, c. Ad hæc 4. de Relig. domib.* consequens est, quòd Ecclesia, etiam respectu materiæ non possit esse vendibilis, seu pretio æstimabilis; quod enim Deo dicatum est, non est ad usus profanos ulteriùs transferendum. Aliud est de vasis sacris, quæ si conflata sint, aut confracta, ad usum profanum adhiberi possunt, adeóque respectu materiæ sunt pretio æstimabilia, *Laym. cit. Thes. 66.* quamvis probabile sit, quòd ob causam justam, cum consensu S. Pontificis, vel etiam Episcopi, lapides & ligna Ecclesiæ dirutæ ad profanos usus applicari, adeóque vendi possint; quia enim talis materia desiit esse sacra, nec jure divino, nec naturali prohibitum est, illam applicare ad usus profanos, *Laym, c. l. & lib. 5. Theol. mor. tr. 9. c. 13. n. 6.*

X. Porrò illud hîc Notandum, posse Clericos v. g. vel Religiosos suam Ecclesiam deserere, eámque alis tradere, & ab iis pecunias accipere, non ut pretium, sed ut alibi Ecclesiam ædificare possint, dummodò id cum legitima Superioris Ecclesiastici auctoritate fiat: quemadmodum etiam licèt area seu fundus Ecclesiæ dirutæ, si restauranda non sit, ordinariè vendi, & ad usus profanos applicari non debeat, quia non est locus profanus, sive non desinit esse sacer, *l. Ædes; 73. ff. h. t.* ex causa tamen necessaria id fieri potest, ut docet *S. Thom. cit. q. 100. art. 4. ad 3.* ubi ait: *licet etiam nunc terram, ubi quondam fuit Ecclesia, vendere, aut emere, in casu necessitatis*, *Laym. c. l. Th. 68.* præterea potest Ecclesia, quæ habet calicem consecratum, vel vestem benedictam, seu Casulam minùs ei conveniente, illam alteri Ecclesiæ, vel loco pio tradere, & ab ea pecuniam accipere, non ut pretium seu æstimationem calicis illius, aut vestis: sed ut per pecuniam illam alia similis res sacra Ecclesiæ magis utilis comparetur. Ratio est, tum quia talis contractus in effectu habet vim permutationis, quæ in tali casu licitè fieri potest, quia spirituale cum spirituali commutari potest, *c. Ad quæstiones; 6. de rer. permut.* tum quia, cùm Ecclesiæ, quæ calicem suum alteri tradidit, interest habere pecuniam ad alium similem calicem comparandum, ideo potest hujus interesse compensationem justè petere ab altera Ecclesia, *Laym. c. l.*

XI. Infertur tertiò. Quòd oleum benedictum, sive simplex, sive mixtum balsamo, quod Chrisma vocatur, panis, aqua, & similes res benedictæ, non possunt ampliùs vendi, etiam ratione materiæ, ut docent communiter Canonistæ apud *Suar. cit. c. 14. n. 5.* quia in his consecratio inest in separabiliter materiæ, ita ut ampliùs converti non possint, sive applicari ad usus humanos, ideóque nec vendi, quia talis venditio simoniam continet, *juxta c. Ea quæ; 16. & c. In tantùm; 36. de Simon.* Aliud verò secundùm prædictos Auctores, est dicendum de vasis sacris, quæ consecrationem recipiunt dependenter à certa formâ artificiali, tanquam à necessaria dispositione subjecti. Et hæc etiam ratione materiæ vendi non possunt, quamdiu formam artificialem & consecrationem retinent; secus, si illam amittant per confractionem, vel alium similem modum.

Contrarium tamen tenet *Suar. c. l. n. 7. & plures ab eo citati*, ob generalem regulam, quòd omnia, quæ sunt antecedenter annexa spiritualibus, id est, quæ secundùm se præcedunt spiritualitatem, sive spiritualem consecrationem, vendi possunt, secundùm se spectata, cujusmodi etiam est oleum, balsamum, aqua, & alii hujusmodi liquores benedicti. Ratio autem est, quia tales res, ratione substantiæ suæ & naturalis conditionis, sunt pretio æstimabiles, & non amittunt valorem ratione consecrationis, licèt novum non acquirant: quòd autem, postquàm semel consecratæ sunt, non possint converti, sive applicari ampliùs ad usus profanos, id est merè accidentarium, ob reverentiam rei sacræ, non tamen propterea res ipsæ amittunt valorem suum. Deinde Chrisma jam consecratum solet ab Episcopo distribui pro Parochiis & Monasteriis, pro quo expensas factas exigere, non esset Simonia ex natura rei, quamvis sit Simonia juris positivi, quia id specialiter prohibetur in *c. Placuit; 102, & c. Dictum; 105. caus. 1. q. 1.* idque intuitu Religionis, *Suar. c. l. n. 23.* Et hæc sententia etiam ob auctoritatem Dd. est probabilis.

§. III.

An, & quatenus alia res & iura Ecclesiarum vendi possint, vel non possint?

XII. Præmittendum, res & bona ac jura Ecclesiarum, quædam sunt merè spiritualia, ut v. g. potestas absolvendi à peccatis, Ordo sacer, & actus Ordinum: alia sunt temporalia secundùm se, annexa tamen rei spirituali, idque dupliciter fieri potest: vel enim temporale annectitur rei spirituali tanquam causæ suæ consequenter, ut fructus & proventus temporales

rales juri spirituali beneficii vel decimarum. Vel temporale spirituali annexum antecedenter, quia veluti subjectum præsupponitur spirituali, ut Ecclesia materialis vel Coemeterium, calix vel vestes sacerdotales præsupponuntur tanquam subjectum, cui consecratio vel benedictio supervenit. Item prædium aut Castrum antecedenter connexum est cum jure spirituali, vel quasi Patronatûs, ad quod præsupponitur illud velut subjectum, cui tanquam potestas quædam ipsum jus Patronatûs inest. Idque rursum duobus modis accidere potest: vel ut temporale cum spirituali sit connexum per se & inseparabiliter, vel separabiliter & merè accidentaliter, ut mox magis declarabitur: vel denique quædam res & jura Ecclesiastica sacra sunt seu spiritualia tantùm, quoad extrinsecam habitudinem seu relationem, quatenus jure dominii ad Ecclesiam pertinent, cui à fidelibus eo fine donata, ac dedicata sunt, ut non aliter, quàm ad Dei cultum & honorem applicentur. Et hæc bona Ecclesiæ, sive immobilia, sive mobilia, quæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ deputata sunt, pertinent ad ultimum gradum rerum sacrarum, per quarum violationem, vel injustam ablationem, aut occupationem Sacrilegium committitur, pertinens ad tertiam speciem Sacrilegii ut docet *S. Thom. 2. 2 q. 99. art. 3. in corp, & alii Theologi communiter.*

XIII. Assertio 1. Res Ecclesiæ merè spirituales, cujusmodi sunt omnes actus procedentes à potestate Ordinis, v.g. sacrificare, absolvere à peccatis, consecrare Ecclesias, solenniter benedicere &c. nullo modo vendi, aut emi possunt; quia talium actuum venditio continet Simoniam contra Jus divinum & naturale, *c. ult. caus. 1. q. 3.* cùm sint actus propriè spirituales, nam & à potestate propriè spirituali ac supernaturali procedunt, & ad spiritualem finem ordinantur; spiritualia autem non possunt pecuniâ æstimari, *Actor. c. 8.* & ex communi docet *Suar. Tom. 2. l. 4. de Simon. c. 14. n. 2. Laym. cit. Thes. 71.*

XIV. Assertio 2. Quando temporale annexum est consequenter rei spirituali tanquam causæ suæ, uti sit in beneficiis Ecclesiasticis, sive jure percipiendi proventus beneficiales, vel decimas Clericales, tale jus vendi non potest; quia venditio illius Simoniaca est, *c. pen. & ult. caus. 1. q. 3. c. Presbyter; 3. cit. caus. q. 1.* Ratio est, quia licèt ipsi proventus beneficiales vel decimales secundùm se sint temporales, & pretio æstimabiles, attamen fundantur in jure spirituali, & ex institutione sua ad jus spirituale consequuntur, eique accessorii sunt, ita ut à nullo percipi possint, nisi qui jus spiritualis Officii seu Ministerii habet: quare reipsâ & de facto non sunt duo jura, quorum unum versetur circa Officium seu Ministerium spirituale, alterum circa reditus temporales percipiendos, sed est unum idémque jus, quod ad unum terminatur, mediante altero, sive ratione alterius; nam proximum fundamentum juris ad reditus temporales, est ipsum officium, seu ministerium spirituale, ratione cujus stipendium sustentationis debetur Clerico, ergo jus beneficiale totum illud includit, scilicet, quòd sit jus percipiendi reditus temporales, propter officium spirituale; ergo immediatè ac primariò versatur circa spirituale, nempe officiũ spirituale, & mediatè solùm circa temporale, tanquam accessorium, quod ex illo sequitur, videlicet circa fructus temporales, ac proinde non potest vendi jus proventuum Clericalium, nisi unâ etiam vendatur, & transferatur jus spiritualis tituli seu officii: hoc autem cùm sit spirituale & invendibile, sequitur neque jus beneficii sive proventuum beneficialium vendi posse, præsertim cùm utrumque sit unum idemque jus, ut dictum. Itaque non possunt fructus temporales vendi, ut percipiendi titulo spiritualis beneficii; quia ut sic venderentur, prout subsant juri spirituali, adeóque jus spirituale venderetur: licèt aliàs ipsi proventus Ecclesiastici secundùm se, ut separati sunt à Titulo beneficii, vendi possint, absque omni Simoniâ, *Suar. l. 4. de Simon. c. 24. n. 8. & 10. Laym. cit. dis. Thes. 69. & 70.* Cæterum S. Pontifex potest jus decimarum aut proventuum beneficialium, sive præbendam, ut temporale quid est, separare à spirituali Titulo officii, & ex publico velut privatum, & ex spirituali annexo facere merè temporale, & sic temporale factum pretio æstimabile, poterit etiam vendi sine Simonia: imò etiam donari ex justa causa Lajco: sed antequam separatio fiat, venditio locum habere non potest, *Suar. cit. c. 24. n. 3. Laym. c. l.*

XV. Assertio 3. Quando temporale spirituali est annexum antecedenter, velut subjectum præsuppositum spirituali, & quidem per se, ac inseparabiliter, videlicet Ecclesia, Cœmeterium, seu locus sepulturæ; tunc etsi hæc, quatenus temporalia sunt, absolutè loquendo, & ex natura rei vendi possint: nec venditio illorum sit Simoniaca, modò non vendantur ratione consecrationis, sive ut consecrata, & benedicta sunt; cùm secundùm se sint res temporales ac pretio æstimabiles: non tamen possunt vendi, ob constitutionem seu prohibitionem Ecclesiæ, *c. Querelam; 15. de Simon.* quæ prohibitio cùm sit facta intuitu Religionis, ideo talis venditio continet Simoniam juris positivi sive Ecclesiastici, *Suar. cit. c. 14. n. 18. & 19 Laym. cit Thes. 71.* Excipiuntur vasa sacra, quæ vel integra Ecclesiis, vel saltem confracta etiam Laicis vendi possunt, ut supra dictum.

XVI. Assertio 4. Quando temporale annexum est spirituali antecedenter, & separabiliter, tunc temporale vendi potest, v. g. Castrum vel prædium, cui jus Patronatûs inest ac competit: nulla enim Constitutio Ecclesiæ id prohibet: nam quamvis jus Patronatûs, secundùm se, vendi non possit, *c. Quia Clerici; 6. de jure patron.* quia est spirituale vel quasi: vendito tamen Castro vel prædio, unâ cum omnibus pertinentiis, etiam jus Patronatûs ipsi adhærens accessoriè transfertur in emptorem, *de quo infr. Tit. 38.* Neque verò hinc sequitur, quòd etiam jus percipiendi decimas, vel reditus beneficiales vendi possit, sed potiùs oppositum; Nam sicut vendito castro, vel prædio, sive in alium etiam Laicum translato, simul transfertur jus Patronatûs spirituale, quia consequenter adhæret juri temporali, sive dominio prædii, cui accessoriè est annexum. Ita ob contrariam & oppositam rationem, jus percipiendi proventus Ecclesiasticos temporales vendi non potest; quia jus spirituale Tituli beneficialis, cui consequenter adhæret, & in quo fundatur, vendi non potest, *Laym. cit. Thes. 70.* & patet ex dictis.

XVII. Assertio 5. Bona Ecclesiæ etsi, absolutè loquendo, vendi possint, non tamen debent, si sint immobilia, & mobilia pretiosa, ac permanentia, nisi ex justa causa, & cum requisitis juris solennitatibus: aliquî enim prohibita est, secundùm SS. Canones, eorum alienatio, & consequenter etiam venditio, ut patet ex

suprà dictis *Tit.* 13. Nam & de his bonis dici potest, quòd quæ semel DEO dicata sunt, & ut sic quodammodo consecrata, & sacra effecta, ac Divini juris, ad humanos, seu profanos usus iterum transferri non decet *c. Mancipia*; 3. *in fine de rer. permut.* præsertim, si sint mancipia Ecclesiæ, hæc enim intrinsecè sunt capacia servitij Divini, ut ad cultum DEI dedicari possint, *cit. c. 3. & 4. de rer. permut. Laym. in cit. dis. thes.* 72.

§. IV.

An exteris, & peregrinis cariùs liceat vendere merces, quàm indigenis: & quæ sit pœna falsantium iustas mensuras, ac pondera?

XVIII. Ad priorem quæstionem respondetur negativè; quia merces, quæ ad vitæ sustentationem, videlicèt ad victum, vestitum, & habitationem necessariæ sunt, justo pretio vendi debent, non tantùm incolis, sed etiam extraneis, prout sumitur ex *c. Placuit*; 1. *h. t.* ubi ita decernitur. Presbyteri, sive Plebani plebes suas admoneant, ut se hospitales exhibeant erga transeuntes peregrinos, & non cariùs vendant ipsis ea, quibus indigent, quàm in mercato, sive publico foro vendere possunt, alioquin ad Presbyterum (id est, Episcopum, *Gl. fin. hìc*) id referant, ut ad id jussu ipsius compellantur. Ratio est, quia Episcopus habet jurisdictionem etiam in Laicos, ubi agitur de evitando peccato, & de exercendo opere pietatis, *c. 1. de offic. Jud. Ordin. & c. Novit.* 13. *de Iudic.* At verò cariùs vendere rem, quàm valeat, est secundùm se injustum, & illicitum, ut docet *S. Thom. 2. 2. q.* 77. *art.* 1. *in corp.* & causa pietatis est, ut peregrini humaniter tractentur: ergo Episcopus potest vendentes compellere, etiam per excommunicationem, ut ultra justum pretium victualia ad victum necessaria peregrinis non vendant, *Gl. hìc V. Hospitales*, *Abb. ibid. n.* 5.

XIX. Hinc infertur Primò. Quòd Magistratus in ijs, quæ ad vitam hominis sustendandam sunt necessaria, possit statuere, ac definire justum pretium; quia pertinet ad Superiorem providere necessitatibus subditorum, & Reipublicæ, & quia ad vitæ sustentationem spectat etiam vestitus, & habitatio, ideo potest Superior etiam taxare pretium in domibus aptis ad locandum, & in pannis, ac similibus, *Abb. hìc n.* 6. & docet etiam *Bart. in l.* 1. *C. de Episcop. audient.* Infertur secundò. Justum rerum pretium censetur esse illud, pro quo venduntur in foro publico, *Barb. in Collectan. hìc n.* 7. & alij apud ipsum. Infertur tertiò. Quòd tempore gravis necessitatis, & inopiæ, ij, qui abundant victualibus ad vitam necessarijs, non tantùm cogi possunt ad vendendum: sed etiam implorato judicis officio, cogi possunt ad succurrendum pauperibus graviter indigentibus, juxta proportionem facultatum suarum, ut sumitur ex *c. Sicut*; 8. *iunct. Gl. V. Esurientium*; *dist.* 47. ubi ait, licèt pauperes actionem directam non possint instituere ad necessaria sibi suppeditanda, possunt tamen Ecclesiæ illos denunciare, ut ab ipsa ad id compellantur; quia tunc Eleemosyna est in præcepto, & obligantur divites ex lege charitatis ad subveniendum valde graviter indigentibus, *Abb. hìc n.* 7. & 8.

Cæterùm quod dictum est, non posse merces cariùs vendi exteris, quam indigenis: id limitari debet, nisi per adventum multorum exterorum crescat multitudo emptorum, adeóque etiam augeantur pretia rerum, tunc enim exteris vendi possunt merces pretio illo aucto: civibus verò pretio minore, quod antea vigebat in illo loco, liberaliter illis remisso augmento novo pretij, *Molin. tr.* 2. *disp.* 346. *num.* 2. *Tambur. in Decal. l.* 8. *tr.* 3. *c.* 4. §. 3. *n.* 8.

XX. Ad alteram quæstionem respondetur: Olim statutum erat, ut si quis justas mensuras, & justa pondera, lucri causâ, mutare præsumpserit, per xxx. dies in pane, & aqua pœniteat, prout refertur in *c. Ut mensuræ*; 2. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Moguntinensi, quæ est pœnitentia imposita in foro animæ. Hodiè verò Canones pœnitentiales antiqui non sunt ampliùs in usu, & pœnitentiæ à SS. Canonibus impositæ sunt arbitrariæ, seu relinquuntur judicio Confessarij, ut notat *Ioan. Andr. hìc n.* 1. *& Abb. n.* 1. *Barb. in Collect. hìc n.* 5. Jure verò Cæsareo, & in foro externo Civili falsatio in mēsuris, & ponderibus inter species criminis falsi numeratur, & falsarius condemnatur in duplum, & relegatur, ut constat ex *l. pen. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* Porrò pœna, seu pœnitentia imposita in foro animæ, seu interno conscientiæ, non tollit pœnam imponendam in foro externo, seu judiciali, nec vice versâ; quia prior imponitur ob læsionem DEI, posterior ob lesionem Reipublicæ, *Abb. hìc n.* 2.

§ V.

An venditio, vel emptio ob lasionem ultra, vel infra dimidium iusti pretii, sit invalida, vel saltem rescindi possit?

XXI. Assertio 1. Si venditor in venditione ultra dimidium justi pretij læsus sit, id est, nec dimidiam partem ejus, quod justum mercis pretium tempore cōtractus fuit, accepit: ut si v. g. res, cujus justum pretiū infimum tempore venditionis erat 100. florenorum, vendita sit minus 50. florenis: tunc valet quidem venditio, sed venditor agere potest adversùs emptorem, & petere, ut vel rescissâ venditione rem venditam sibi restituat, pretiúmque suum recipiat, vel justi pretij defectum suppleat, prout ipse emptor maluerit. Ita statutum habetur in *l.* 2. *C. de rescind. vendit. & in c. Cùm dilecti*; 3. *h. t.* ubi cum quidam Canonici Beluacenses, ignorante Captiulo, silvam quandam ad ejusdem mensam pertinentem Abbati, & Monachis vendidissent pro x. libris, cùm xl. Marchas tunc valeret, Capitulum Beluacense querelam detulit ad Alexandrum III. qui causam delegavit Episcopo Morinensi, & Decano Rhemensi, cum clausula, ut si uterque causæ cognitioni interesse non posset, alter solus procederet, & definiret. Quare unus ex Delegatis Decanus Rhemensis, Episcopo impedito, solus processit, & cùm per testes deprehendisset, Abbatem, & Monachos nec dimidiam quidem partem justi pretij pro silva ipsis vendita solvisse, venditionem invalidam esse pronunciavit, & silvam Canonicis Beluacensibus adjudicavit, eósque in possessionem induxit. Quam sententiam

„ Alexander III. quippe juri contrariam càssavit, se-
„ cundùm quod, si res infra dimidium justi pretij sit
„ vendita, in arbitrio emptoris est, vel supplere, si
„ velit, quòd deest justo pretio, vel venditionem re-
„ scindere, ideóque possessionem silvæ Abbati, &
„ Monachis restituendam esse mandavit: salvâ ta-
„ men manente quæstione Canonicis Belvacensibus,
„ si quam contra Monachos proponendam existima-
„ verint, sive super deceptione justi pretij infra dimi-
„ dium: sive super eo, quòd non intervenerit con-
„ sensus Capituli ad alienationem requisitus, sive
„ quavis aliâ causâ rationabili.

XXII. Pro explicatione hujus c. Notandum primò. Licèt venditio ignorante Capitulo facta, fuerit nulla, & de eo in libello mentio facta sit, quia tamen in progressu judicij ad hoc non fuit actum, neque id ab actore probatum: sed solùm allegatum, ideò Papa non pronunciavit, venditionem fuisse nullam ob defectum consensûs Capituli; ut notat *Gl. hîc V. Reddendam*, & *Abb. n.* 4. Sed si ad hoc actum fuisset, Papa non mandâsset silvam restitui Monachis. At verò secundùm id, quod actum fuit, & quâ ratione petitum fuit à Capitulo Belvacensi, ut rescinderetur contractus, malè processum, & judicatum fuit; quia non poterat Capitulum absolutè, & determinatè petere rescissionem contractûs ex *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* sed solùm alternativè, sive disjunctivè, ut vel rescindatur venditio, vel suppleatur justum pretium ab emptore, prout ipse maluerit: ideò sententia, per quam fuit à Delegato venditio irrita pronunciata, à Papa fuit retractata, & consequenter, quia per illam Monachi injustè fuerunt spoliati possessione rei emptæ, illa ipsis fuit adjudicata, *Gl. cit.*

Notandum secundò. Etsi in casu hujus c. Canonici Belvacenses ideò succubuerunt in judicio, quia determinatè petiverunt rescindi venditionem, propter læsionem ultra dimidium justi pretij, cùm tamen disjunctivè id petere debuissent: nihilominùs tamen adhuc postea agere potuerunt contra Monachos, ad rescindendum contractum, propter non adhibitum consensum Capituli, vel petere restitutionem in integrum, propter enormem læsionem; quia qui in uno judicio succubuit, sive quia causam, aut titulum probare non potuit, sive quia ineptè libellum formavit, ut in casu proposito, is non prohibetur in alio judicio, ex alia causa, aut titulo eandem rem petere, sive personali, sive reali actione, prout sumitur ex hoc c. & habetur in *l. Et an eadem*; 14. *ff. de except. rei judic.* & expressiùs in *c. ult. junct. Gl. V. Jure de caus. poss. & propr. Gl. hîc V. Quæstione.*

XXIII. Confirmatur supra posita assertio ex
„ c. *Cùm causa*; 6. *h. t.* Ubi cùm Monachi S. Martini
„ de monte Civibus Viterbiensibus quædam casa-
„ menta, sive casas vendidissent, & constaret Mona-
„ sterium, ultra dimidium justi pretij, deceptum fu-
„ isse: Ideò Innocentius III. per sententiam decrevit,
„ ut prædicti Cives, vel recepto pretio, possessiones il-
„ las restituerent, vel supplerent, quantum tempore
„ venditionis celebratæ de pretio justo defuisse con-
staret. Porrò electio quoad hoc est emptoris, nam emptor, qui decepit, solvendo minus ultra dimidium, quàm res valebat, est debitor; electio autem in alternativis est debitoris, & sufficit alterutrum adimplere, *Reg. jur.* 70. *in* 6. sicut è converso, electio est venditoris, si deceptus sit emptor, *l.* 2. *junct. Gl. V. Elegerit*; *C. de rescind. vendit.* & dicetur infrà.

XXIV. Sed hîc objici potest, si quis vendat rem suam minore pretio, quàm valeat, animo donandi, non auditur, si petat rescissionem venditionis, *l. Si quis*; 38. *junct. Gl. marg. ff. de contrah. empt.* At qui sine necessitate cogente, & sine vi, ac metu, vendit rem suam infra pretium justum, censendus est voluisse donare, quod deest pretio justo, quia quilibet præsumitur scire valorem rei suæ, *l. Quisquis*; 15. *C. de rescind. vindit.* ergo non vendidisset infra pretium justum, nisi defectum donare vellet. Respond. Non præsumitur quis animo donandi vendidisse minore pretio, nisi talis animus ex adjunctis circumstantijs colligi possit, ut quia v. g. emptor est consanguineus, vel amicus, erga quem venditor optimè est affectus; tunc enim censetur donare voluisse defectum pretij, vendendo rem minore pretio: nec rescindi potest venditio, juxta *cit. l. Si quis*, Alioquì verò non debet præsumi animus donandi in dubio, cùm nemo censeatur facilè jactare suum, *l. Cùm de indebito*; 25. *ff. de probat.* quare hoc ipso, quòd venditor dicat, se vendere velle, debet præsumi, quòd donare nolit, licèt infrà pretium justum vendat, nisi id exprimat, & hæc ipsa præsumptio, veluti fortior elidit alteram, quòd quisque rei suæ pretium scire censeatur, *Abb. in cit. c. pen. h. t. num.* 4. His adde, quòd non præsumitur donatio, quando, vel ignorantia justi pretij, vel necessitas emendi, aut vendendi intervenit: sed requiritur, ut contrahentes sciant rerum pretia, & omninò liberè, sine vi, metu, ac fraude, emant, vel vendant, tunc enim si quis sciens se non debere aliquid, solvat, donare præsumitur, *l. Indebitum*; 9. *C. de condict. in deb. Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. §. 1. *n.* 6.

XXV. Assertiò 2. Non solùm venditor: sed etiam emptor, si supra dimidium justi pretij summi læsus sit, restitui debet, ita ut vel rescindendus sit contractus, vel justum pretium sit supplendum, pro arbitrio venditoris, qui læsus est, ut est communis sententia Dd. apud *Molin. disp.* 349. *n.* 1. Ratio est, quia licèt remedium ex *l.* 2. *C. de rescind. vendit.* ob læsionem ultra dimidium justi pretij, soli venditori expressè concessum reperiatur in jure: tamen æquitas postulat, ut propter æquiparationem, sive æqualitatem, sicui venditori enormiter læso succurritur, ita & emptori enormiter læso succurratur, ne contractus ex una parte claudicet.

Verùm gravis hîc controversia oritur; quomodo dimidium justi pretij in emptore læso sit computandum? Omnes Dd. conveniunt, læsionem ultra dimidium justi pretij, ex parte venditoris contingere, si rem valentem v. g. 100. flor. vendat 48. vel minoris, non autem si 50. vel pluris: at verò in emptore non conveniunt, nam *Abb. in cit. c. Cùm dilecti*; *n.* 2. *h. t. Mynsing. centur.* 4. *observ.* 73. *Fachin. p.* 1. *l.* 2. *controv. c.* 16. & alij apud ipsos censent, ut emptor dicatur læsus ultra dimidium, requiri, ut duplo plus solverit, quàm solvere debuerat, v. g. pro re valente 100. flor. solverit plus, quàm 200. Ratio eorum est, quia sicut venditor tunc enormiter læsus censetur, si nec dimidiam partem justi pretij pro re vendita est consecutus: ita vicissim emptor enormiter læsus censeri debet, si nec dimidiam partem

tem mercis æstimatæ est consecutus; vel clariùs, tunc solùm læso succurritur, si plus quàm duplum dedit, minus autem quàm dimidium accepit: id autem in venditore contingit, si mercem valentem 100. vendat infra 50. In emptore verò, si rem quæ valet 100. emat plus quàm 200. florenis. Confirmatur, quia computatio fieri debet ex eo, quod quilibet dedit, & ex parte venditoris fieri debet computatio mercis traditæ cum pretio: ex parte verò emptoris ex pretio dato cum re accepta: sicut ergo ad hoc, ut venditor lædatur, ultra dimidium justi pretij, necessarium est, ut res ab ipso tradita duplo magis æstimetur, quàm pretium acceptum, quod fit, si pro re valente 100. accipiat minus, quàm 50. Ita vicissim ad hoc ut emptor sit læsus ultra dimidium justi pretij, necessarium est, ut pretium duplo excedat valorem rei emptæ, quod non fit, nisi pro re valente 100. solverit plus quam 200. flor. quia res ipsa, quam emptor accepit, supplet 100.

Contraria tamen sententia est communis, & verior, ac æquior, quam tenet *Gl. in l. 2. C. de rescind. vendit. & in cit. c. pen. V. Dimidiam; h. t. Covarruvias l. 2. resol. c. 3. n. 8. Molin. cit. dis. 389. n. 2. Less. l. 2. c. 21. n. 20. Laym. cit. c. 17. n. 7. Castr. Pal. cit. dis. 5. pun. 17. §. 1. nu. 3.* videlicet quòd etiam in emptore læsio ultra dimidium spectanda sit, in ordine ad justitiam pretij, ita ut si v. g. res vendita ad summum valuit 50. flor. & emptor solvit supra 100. contractus sit rescindendus; vel excessus pretij justi emptori restituendus, prout venditor voluerit. Ratio est, quia in contractu reciproco æqualitas servanda est, & quidem arithmetica, seu absoluta inter contrahentes: ac proinde æquum non est, ut jura permittant majorem læsionem in emptore, quàm in venditore: at verò secundùm priorem sententiam, duplo plus lædi posset emptor, quàm venditor; nam si venditor rem valentem 100. flor. vendiderit minùs 50. flor. ipse restituitur, quia dimidium pretium rei venditæ non accepit: emptor verò licèt pro re valente 100. solverit 100. & 60. adeòque plus, quàm dimidium justi pretij, non restituitur, nisi solverit pro ea duplo plus, videlicet plus quàm 200. flor. quod est contra jura, quæ læsionem ex parte pretij considerant, non ex eo, quod utrinque datur, sicut in permutatione; quia venditio vera non est permutatio pecuniæ cum re, tanquam mercis cum merce: sed æstimatio valoris rei, per pecuniam tanquam pretium, ut bene advertit *Covarruv. c. l.*

Et hinc patet Responsio ad fundamentum oppositæ sententiæ, non enim læsio consideranda est ex eo, quod emptor accepit, sed ex pretio, quod dedit: unde si emptor dedit plus, quàm dimidium pretij justi pro re empta, quàm dare debuit, læsus fuit ultra dimidium, adeòque restituendus est: sicut si venditor accepit minus dimidio justi pretij, quod accipere debuit, læsus censetur ultra dimidium, adeòque etiam restituendus est; aliàs non servaretur æqualitas inter utrumque, quod admittendum non est; cum venditio, & emptio sint correlativa, ac proinde dispositum de uno censeri debet etiam dispositum esse de altero, *Castr. Palao c. l. n. 4.*

XXVI. Cæterùm circa læsionem ultra dimidium justi pretij in emptione, & venditione notandum præterea primò. Tripliciter potest quis lædi, vel decipi ex contractu, ut tradit *Gl. in cit. c. Cùm dilecti; V. Deceptione h. t.* Primò. Si deceptio det causam contractui, ut si quis dolo inductus sit à venditore ad emendum, aliàs non empturus, vel ab emptore ad vendendum, & tunc contractus est ipso jure nullus, sicut & cæteri contractus bonæ fidei, *l. Et eleganter; 7. in princ. ff. de dolo, l. Si dolo; 5. C. de rescind. vendit.* In contractibus verò stricti juris, etsi dolus det causam contractui, tenet contractus ipso jure, sed agens per exceptionem doli repelli potest, *l. Si quis; 36. ff. de V. O.* Secundò. Si dolus incidat in contractum, ut si quis rem quidem vendidisset, & emisset, sed dolo ab altero contrahente inductus minoris vendidit, vel pluris emit, tunc tenet contractus, sed agi potest ad supplementum ejus, quod deest, vel ad restituendum id, quantò pluris emit, *l. Julianus; 13. §. Si venditor; ff. de action. empt.* Tertiò. Si dolus neque dat causam contractui, neque incidit in contractum: sed error committitur circa pretium, propter ignorantiam justæ æstimationis, & tunc ait IC.tus *in l. In causæ; 16. §. Idem Pomponius; ff. de minorib.* in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire: quod intelligi debet, dummodò ea deceptio intra latitudinem justi pretij fiat, ut ait *Covarr. cit. c. 3. n. 2.* vel potiùs, quòd naturaliter, jure gentium scilicet, quod est jus naturale secundarium, liceat, id est, permissum sit, & impunitũ maneat, si in emptione, & venditione pretij justi limites excedantur, ut explicat *Molin. disp. 350. n. 8. juxta Reg. iur. 144. in ff.* ubi dicitur, non omne quod licet (hoc est, per leges permissum est, sive impunitum) honestum est: dummodò absit animus fraudandi, & deceptio, sive læsio non sit nimis magna, sive notabilis: nam si dimidium justi pretij excedatur, tum læso competit actio ex *l. 2. C. de rescind. vend.* ne quis nimiùm locupletetur cum alterius jactura. At verò si deceptio, seu læsio contingat infra dimidium justi pretij, vel usque ad dimidium, non ultra, tum in foro externo, Civili, & Ecclesiastico, læso non succurritur; idque ne propter læsionem qualemcùnque impediantur rerum commercia, & ob litium multitudiuem vitandam, quarum nullus finis foret, si ob quamlibet læsionem agi in judicio posset, *Laym. cit. c. 17. n. 5. & 6.* & alij communiter. Porrò tametsi etiam Jure Canonico deceptis infra dimidium justi pretij non detur actio judicialis, ut colligitur ex *c. Cum dilecti; 3. & c. pen. h. t.* ubi solùm conceditur actio læsis ultra dimidium: neque ullus extat Canon, qui concedat actionem læsis infra dimidium: conceditur tamen illis denunciatio Evangelica; per quam deceptores, si admoniti de damno resarciendo, id non faciant, denunciari possunt Prælato Ecclesiastico, ut ad id compellantur, ad quod sub peccato mortali sunt obligati, ut colligitur ex *cit. c. Novit. 13. de judic. Laym. cit. c. 17. n. 8. §. Tertium; Palao cit. pun. 17. §. 2. n. 7.* & alij.

Notandum secundò. In foro tamen conscientiæ, sive vendatur res ultra limites justi pretij: sive ematur infra latitudinem justi pretij, etiamsi non sit ultra dimidium, nec infra dimidium, talis venditio, & emptio est iniqua, & adversatur legi, & æqualitati justitiæ commutativæ, adeóque tam venditor, quàm emptor sub peccato mortali (si sit quantitas notabilis, & sufficiens ad mortale) obligatus est restituere excessum, vel defectum

pretij, ut docet S. Thomas *cit. q. 77. artic. 1. ad 1.* & alij communiter, tam Theologi, quàm Jurisperiti, apud *Molin. cit. dis. 350. nu. 5.* nisi adsint conjecturæ, ex quibus probabiliter præsumi possit, quòd deceptus liberaliter condonârit, vel remiserit id, quod minùs accepit, vel plus dedit, quod tamen non præsumitur, si notabilis sit læsio, & inæqualitas, *Laym. c. l. n. 5. & 6. Pal. c. l. n. 4.*

XXVII. Notandum tertiò. Justum pretium rei venditæ in læsione ultra, vel infra dimidium attendi debet, secundùm tempus, quo celebratus fuit contractus, quanti videlicet res eo tempore valuit, & non quanti postea valuit, *c. pen. ibi: Venditionis tempore, h. t. & l. Si voluntate; 8. ff. de rescind. vend. Molin. cit. dis. 349. n. 3.* & alij communiter. Neque verò, si emptor, qui læsit, eligat supplere pretium, satisfacit, si solùm velit restituere, quantum defuit medietati justi pretij, ut si v. g. rem valentem centum emit 40. adeóque infra dimidium justi pretij, non satis est, ad excludendam læsionem justi pretij, quòd velit adijcere 10. quæ defuerunt ad 50. quod erat dimidium justi pretij: sed necesse est, ut integrum pretium, sive totum illud, in quo venditor fuit læsus, restituat, videlicet in allato exemplo 60. vel ut rem emptam restituat, ut colligitur *ex cit. c. Cùm dilecti; & c. pen. h. t. & l. 2.* ibi: *Quod deest justo pretio C. de rescind. vend.* Similiter si venditor rem valentem 50. vendidit centum & 5. flor. non satis est, si reddat 5. florenos, quibus redditis, cessaret læsio ultra dimidium justi pretij: sed reddere debet omnem pecuniam, in qua deceptio facta est, videlicet 55. flor. vel rescindere debet contractum, & refuso omni prerio, quod accepit, videlicet 155. floren. recipere rem venditam, *Canis. in cit. c. Cùm dilecti; 10. h. t. Palao cit. pun. 17. §. 13. n. 1.*

Porrò cùm pretium justum naturale, seu vulgare non consistat in indivisibili, sed latitudinem habeat, & sit infimum, medium, & summum, sive rigorosum, ut venditor censeatur læsus ultra dimidium, necesse est, ut vendiderit infra dimidium justi pretij infimi, quo æstimata fuit res tempore venditionis; non enim emptor tenebatur emere pretio summo, vel medio, sed satis erat, si infimo emit. Similiter ut emptor dicatur læsus ultra dimidium, necesse est, ut rem emerit ultra dimidium justi pretij, quo res empta tempore contractûs æstimata fuit, secundùm summum ejus valorem, seu pretium; nam nec venditor ex venditione secundùm infimum pretium, nec emptor ex emptione secundùm pretium summum, læditur, cùm pretia illa sint justa, *Covarr. 2. resol. c. 3. n. 3. Mol. c. l. Palao cit. pun. 17. §. 1. n. 5.*

Notandum quartò. Si contractus emptionis, ac venditionis propter enormem læsionem postea rescindatur, sive venditor sit læsus, vendendo rem infra dimidium justi pretij, sive emptor, emendo ultra dimidium justi pretij, non debet emptor fructus interim ex re empta perceptos, unâ cum re restituere, ut ex communiore sententia docet, *Molin. cit. disp. 349. n. 12. Les. cit. c. 21. n. 122. Laym. cit. c. 17. n. 8. Palao cit. pun. 17. §. 13. n. 3. contra Covarruv. c. l. n. 9.* Idque colligitur ex c. *Ad nostram; 11. de reb. Eccles. alien.* ubi res Ecclesiæ fuit alienata, infra dimidium justi pretij, ideóque restitutio fuit concessa, cùm tamen fructus non fuerint restituti, sed possessori relicti: & jura, quæ concedunt læso, ut petat contractum rescindi, vel pretium suppleri, nullam de fructibus restituendis mentionem faciunt. Ratio est, quia fructus temporis intermedij ad emptorem tanquam dominum rei venditæ spectant, cùm venditio fuerit valida, etsi pretium justum non fuerit solutum, & sic emptor percipit fructus ex re sua, & periculum rei ad eundem spectat, & venditor toto eo tempore potitus est pretio. Idémque dicendum, si emptor læsus agat adversùs venditorem, isque rescissionem contractûs eligat; non enim tenetur emptor cum re restituere fructus: alioquin facta restitutione rei, & fructuum, etiam emptori restituendum esset lucrum, quod ex pretio comparare potetat, quod ordinariè excedit fructus ex eo perceptos, *Palao c. l. n. 7.*

§. VI.

Quibus casibus cesset remedium rescindendæ venditionis, ob læsionem etiam ultra, vel infra dimidium: & an locum habeat etiam in aliis contractibus?

XXVIII. Assertio 1. Inprimis quando res casu fortuito perijt, sive fuerit empta infra dimidium, sive vendita ultra dimidium justi pretij, in foro externo, neque emptori, neque venditori læso datur actio ad rescindendum contractum, vel supplendum defectum pretij, vel restituendum excessum; nam re peremptâ casu fortuito, cessat optio rescindendi contractum, cùm res reddi non possit: vel supplendi pretium, quam is habet, qui læsit, & consequenter cessat actio, quæ ex *cit. l. 2. C. rescind. vendit.* oritur, sibíque læsus imputare debet, quòd non convenienter tempore egerit, *Covarr. l. 2. resol. c. 4. n. 14. Mol. cit. dis. 49. n. 6.* ubi addit, quòd in foro conscientiæ & venditor excessum pretij justi, quia rem pluris, quàm valebat, vendidit, & emptor defectum justi pretij, quia rem minoris emit, quàm valebat, restituere tenetur, etiamsi res perierit casu fortuito, quia nemo debet cum alterius jactura locupletari. Idque procedit, saltem si venditor, vel emptor conscius fuit injustæ læsionis, tunc enim illa obligatio oritur, non ratione rei empræ, quæ perijt: sed ratione injustæ venditionis, vel emptionis. Quòd si verò res sit vendita, ultra dimidium justi pretij, bonâ fide, neuter restituere tenetur, etiam in foro conscientiæ, excessum, vel defectum pretij justi; quia venditor obligatus est restituere excessum, solùm ratione injustæ acceptionis, quæ tunc abest, sicut & emptor: cùm enim res apud ipsum non ampliùs extet, etiam æquivalenter, sed sine culpa ipsius perierit, non obligatur etiam ratione rei acceptæ, *Cast. Palao cit. pun. 17. §. 10. n. 19.* nisi quatenùs inde uterque, vel venditor, vel emptor locupletior factus est, *Palao c. l. n. 20.*

Secundò cessat beneficium dictæ *l. 2. C. de rescind. vend.* Si quis non generaliter tantùm, sed specialiter, & expressè illi renunciavit, præsertim accedente juramento, ut docet *Covarr. l. 2. resol. c. 4. n. 15 & Mo*

& *Molin. cit. dis.* 349. *n.* 16. & 17. tum quia quilibet potest renunciare favori pro se introducto, *l. pen. C. de pact.* & remittentibus actiones suas, non est regressus dandus, *l. Quæritur* 5 14. §. *Si venditor*; *ff. de ædil. edict.* tum quia omne juramentum servandum est, quod sine dispendio salutis æternæ servari potest. Excipitur tamen, si læsio ultra dimidium justi pretij fuerit gravissima, seu valde enormis; ea enim sub renunciatione etiam speciali, & juratâ non comprehenditur. *Covarr. c. l. n.* 5.

Tertiò non potest hoc remedium rescissionis intentari contra tertium rei possessorem, quando is acquisivit eam titulo oneroso, ac justo pretio, & bonâ fide, sive ignarus injustæ læsionis: secus est, si tertius ille acquisivit titulo lucrativo, vel sciens, quòd infra dimidium justi pretij fuerit empta, acquisivit: tum enim etiam adversùs tertium possessorem agi potest, in defectum primi emptoris, ut vel rem emptam restituat, vel defectum pretij suppleat, de quo videri potest, *Covarr. cit. c.* 3. *n.* 10. & *Molin. cit. disp. n.* 4. & 5.

XXIX. Assertio 2. Non solùm in contractu venditionis, & emptionis: sed etiam in alijs contractibus locum habet remedium, *c. l.* 2. & *c.* 3. & *pen h. t.* sive sint bonæ fidei, sive stricti juris, onerosis tamen, & reciprocis, in quibus scilicet utrinque aliquid datur, vel promittitur, ut in locatione, permutatione. emphyteusi &c. in his enim propter inæqualitatem. in foro externo actio non conceditur, nisi læsis ultra dimidium justi, *Abb. in c. pen. n.* 8. *h. t. Molin. cit. disp. n.* 14. *Laym. cit. c.* 17. *n.* 8. In alijs verò contractibus lucrativis, vel non reciprocis, ut in depósito, mandato, commodato, & precario, ac donatione non habet locum rescissio, *ex l.* 2. sed aliunde infirmandi sunt, *Palao cit. pun.* 17. §. 8. *n.* 1.

§. VII.

An Emptioni, & venditioni licitè apponi possit pactum retrovendendi, vel redimendi?

XXX. Notandum, pactum hoc tribus modis apponi posse. Primò. In favorem venditoris, ut si Titius vendat fundum Cajo, eo pacto, ut intra certum tempus, vel quandocúnque venditor voluerit, reddito pretio, emptor fundum restituat, sive revendat eo pretio, quo Titius ipsi priùs vendidit. Secundò. in favorem emptoris, si nimirum emptor cum venditore conveniat, ut si intra certum tempus, vel quandocúnque voluerit emptor, restituere rem emptam, v. g. fundum, venditor teneatur illam reemere, restituto pretio, quo priùs res est empta. Tertiò. In favorem utriusque, ita ut si intra certum tempus, vel quandocúnq; venditor voluerit reddere pretium, emptor teneatur reddere fundum emptum: & vice versâ, si emptor voluerit reddere fundum emptum, venditor debeat reddere pretium, ita ut tam venditori, quàm emptori liberum sit, intra certum tempus, vel quandocúnque placuerit, contractum dissolvere.

XXXI. Assertio 1. Venditio, cum pacto redimendi, in gratiam solius venditoris appositio, factâ ei potestate, oblato pretio, redimendi rem venditam, quandocúnque voluerit, vel intra certum tempus, est licita, ut patet ex *l.* 1. *C. de pact. inter empt. & vend. compos.* modò in ea minuatur pretium rei venditæ, ita ut minoris vendatur, quàm si absolutè esset vendita. Est communis sententia apud *Less. l.* 2. *c.* 21. *dub.* 14. *n.* 13. Ratio est, quia tale pactum non cedit in ullius injuriam, ut patet ex *Levit. c.* 25. ubi filijs Israel à Deo concessa est potestas redimendi possessiones venditas: modò, ut dictum, minore pretio vendatur; quia cùm emptori in gratiam venditoris novum onus pretio æstimabile imponatur, quod non venit ex naturâ contractûs; ita ut ipsi volenti teneatur rem revendere, sive restituere intra certum tempus, vel quando voluerit: ideò illud compensari debet diminutione pretij, quanti illud onus æstimabitur, & res onerata minùs valet, quàm libera.

XXXII. Ubi notandum primò. Non convenire inter Dd. quantum de pretio rei cum tali pacto venditæ sit detrahendum, ut censeatur justum. Aliqui censent pretium justè posse diminui usque ad tertiam partem, ut si v. g. res absolutè vendita valeat 30. flor. cum tali pacto, valeat 10. Aliqui usque ad quartam partem, ita ut res, quæ valet secundùm se 20. flor. si cum tali pacto vendatur, valeat solùm 5. *Azor l.* 8. *c.* 12. *q.* 3. Alij denique dicunt, id esse prudentis arbitrio, sive Judicis officio æstimandum, & definiendum, spectatis circumstantijs, nempe expensis in rem faciendis, longitudine, & brevitate temporis, & cujusque Regionis consuetudine, *Covarruv. l.* 3. *resol. c.* 10. *n.* 1. *Molin. tr.* 2. *dis.* 375. *n.* 8. *Tambur. cit. c.* 7. §. 8. *n.* 19.

Notandum secundò. Si res vendita sit cum pacto, ut eodem pretio possit venditor eam redimere, licitum est tale pactum; non enim tunc in redemptione initur novus contractus, qui requirit pretium currens tempore contractûs, ac proinde postea dissolvitur prior emptio, ex vi pacti eidem appositi, & tunc eodem pretio potest, ac debet redimi, quo res fuit ab initio empta (nisi esset notabiliter deterior facta) & non, quo valet tempore redemptionis, ut patet etiam in censibus, qui eodem pretio redimuntur, quo priùs sunt venditi. Aliud est, si res primò fuit vendita, vel empta cum pacto de retrovendendo eo pretio, sive majore, sive minore, quo res valebit tempore revenditionis: tunc enim permittitur, ut postea celebretur novus contractus, qui requirit, ut fiat pretio tunc currente. *Less. c. l. nu.* 115. *Tambur. c. l. n.* 20.

XXXIII. Assertio 2. Venditio cum pacto redimendi in favorem emptoris tantùm appositio, ita ut venditor redimere rem à se venditam, restituto pretio, teneatur intra certum tempus, v. g. duos annos, vel indeterminatè, quandocúnque placuerit, est licita, modò in ea augeatur pretium, ita ut emptor pluris rem emat, quàm ipsa per se valeat, & consequenter majore pretio, quàm possit illam revendere primo venditori, *Less. c. l. n.* 117. *Laym. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 16. *n.* 18. Ratio est, quia ejusmodi contractus nullam continet injuriam, si gravamen impositum venditori redimendi ad arbitrium primi emptoris

compensetur augmento pretij, quanti gravamen illud æstimabitur.

XXXIV. Assertio 3. In venditione facta cum pacto retrovendendi, ita ut tam venditor possit redimere rem, quàm emptor, revendere, eo tempore, quo uterque voluerit, res vendi debet minore pretio, quàm per se valeat, & quàm venderetur, si cum pacto in favorem solius emptoris venderetur: pluris tamen vendenda est, quàm si venderetur cum pacto redimendi in gratiam solius venditoris. V. g. si res per se valeat centum aureos, addito verò pacto, in gratiam solius venditoris, valeat 80. poterit propter pactum appositum, etiam in gratiam emptoris, vendi circiter 88. vel 90. aureis, juxta prudentis arbitrium, *Less. c. l. n.* 120. *Tambur. cit. c.* 7. §. 8. *n.* 25. Ratio est, quia tunc res minus valet, quàm si pactum redimendi apponeretur in gratiam emptoris tantùm, & plus valet, quàm si apponeretur in gratiam venditoris tantùm, sicut ergo pactum est appositum in utriusque gratiam, ita congruum est, ut ex parte utriusque pretium aliquantùm diminuatur. Porrò in posterioribus duobus casibus, si fiat venditio in gratiam emptoris tantùm, vel utriûsque, potest etiam apponi pactum de revendenda re pretio majore, vel minore, quod habebit res tempore retractûs, sive dissolutionis, si tunc res pluris, vel minoris valitura putetur, *Less. c. l. n.* 115. & patet ex suprà dictis.

XXXV. Verùm hactenùs dictis obstare videtur, quòd venditio, & emptio facta modico pretio, cum pacto redimendi, post elapsos certos annos, præsumatur contractus usurarius, sive usura palliata, ob quam pœnæ juris in usurarios decretæ æquè incurruntur, ac si expressa usura esset, prout constat ex » *c. Add nostram* 5. *h. t.* ubi cum Laicus quidam à » Marco pecunias accipere voluisset, Marcus credi- » tor, ne usuras accipiendo incurreret pœnas Con- » cilij Lateranensis, decretas (*in c. Quia* 3. *de usu-* » *ris*) contra usurarios, & secundùm Canonem il- » lum conveniri posset, recepit à Laico mutuum pe- » tente domos, & olivas titulo, sive specie emptionis, » cùm tamen re ipsâ esset contractus usurarius, quod » ex eo patebat; quia creditor debitori promisit, quòd » quandocúmque, post exactum septennium, usq; ad » novennium, venditor laicus, seu potiùs debitor » pretium venditionis solveret, videlicet 40. uncias » argenti (vel 60. v. g. flor.) quæ vix dimidiam justi » pretij partem attingebant, creditor Marcus domos, » & olivas restituere deberet debitori laico. Interim » ante tempus redemptioni præstitutum, mortuus est » debitor laicus, cujus hæres repetijt domos, & olivas. » Consultus super hac re Pontifex Innocentius III. » respondet, ut si res ita se habeat, non obstante in- » strumento sub titulo venditionis, & emptionis in » fraudem Canonis confecto, simulatus emptor » Marcus, ad domos, & olivas restituendas hæredi » defuncti laici, per pœnam in Lateranensi Concilio » sub Alexandro III. c. 20. latam appellatione re- » motâ, compellatur; quia fraus, & dolus nemini » patrocinari debet.

XXXVI. Hinc patet, quòd hic contractus ideo à Papa reprobatus fuit in hoc c. quia simulatè tantùm fuit celebrata venditio, & emptio, cùm tamen reipsâ esset contractus pignoratitius, & usurarius, idque ex eo liquet, quia Laicus R. à Marco petebat, ut mutuum ipsi daret, is verò negavit se mutuũ daturum, ne incurreret pœnas statutas in eos, qui in mutuo ultra sortem aliquid accipiunt, vel lucrantur: ideo dixit se empturum bona ejus, scilicet R. Laici, qui mutuum petebat, ac proinde instrumentum confici curavit, in quo domus, & olivę ipsi vendebantur, vel potiùs vendi dicebantur à mutuum petente, modico pretio, & infra dimidium iusti, adjecto pacto, ut venditor, seu potiùs mutuatarius, ac debitor posset res illas redimere, eodem pretio, & intra biennium tantùm, ut nimirum interim ipse emptor, seu creditor Marcus fructus, & pensiones inde per 7. annos lucraretur sub titulo, & specie emptionis, & sic reipsâ tantundem consecutus fuit Marcus, ac si pecunias mutuas dedisset, & pro ijs in pignus accepisset domos, & olivas R. Laici, ut inde per 7. annos fructus, & pensiones lucraretur: ijs verò elapsis, nihilominùs integrum mutuum ei restitueretur: quòd si post septem annos usq; ad nonum, adeóq; intra duos annos, domus, & olivæ non redimerentur, tunc locò debiti retineri possent in perpetuum à creditore, qui est contractus pignoratitius, & usurarius reprobatus in *c. Significante*; 7. *de pignor. & in Tit. C. de pact. pignor.* Neque refert quòd contractus ille sub titulo venditionis, & emptionis sit institutus, instrumento desuper confecto: nam in cõtractibus rei veritas potiùs, quàm scriptura inspici debet, *l.* 1. *C.* plus valere quod agitur, quàm quòd simulatè concipitur; *& in l.* 3. *C. eod.* dicitur: *emptione pignoris causâ factâ* (id est simulatè titulo, & specie instrumenti emptionis, quia emptor fructus lucrari volebat, ne teneretur cõputare in sortem, quos sub titulo pignoris lucrari non potuisset, *Gl. ibid. V. Emptione*;) *non quod scriptum sed quod gestum est, inspicitur*, adeó ut talis contractus simulatus, nec juramento firmetur, ut addit *Gl. ibi. cit. Gl. marg. Abb. in cit. c. Ad nostram*; *num.* 4. *& 5. h. t.* & ideò talis fictus emptor incurrit pœnas jure statutas in apertos usurarios, cùm reipsâ verè sit usurarius, *arg. l. Non dubium* 5. *C. de legib. & Reg. ult. in* 6. ubi dicitur, *quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem*, *Abb. hîc n.* 2.

XXXVII. Notandum hîc prætereà primò. Ex eo quòd venditio fiat cum pacto de retrovendendo, sive redimendo, intra certum tempus, vel quandocúq; venditor voluerit, justo tamen pretio, non potest præsumi contractus usurarius, & pignoratitius; cùm tale pactum approbatum sit *in l.* 2. *C. de pact. inter emp. & vendit. & c. Abb. in cit. c. Ad nostram n.* 8. *h. t.* Sed neque censeri potest contractus usurarius, quòd res vendita sit modico pretio, sive pretio minore, quàm per se valeat; tum quia cùm per pactum redimendi appositum, emptori onus aliquod sit impositum in favorem venditoris, ideo in compensationem illius potest res minore pretio emi, quia propter onus illud minus valet, *arg. l. Fundi* 79. *ff. de contrah. empt.* præsertim si venditor eodem pretio, & non majore possit redimere, *Abb. c. l. n.* 9. Tum quia etsi res cum tali pacto vendita sit pretio minùs justo, & nimis diminuto, ac modico, non tamen ideò invalida est venditio; sed solùm est injusta, & inæqualis, adeóque agi potest ad supplendum defectum pretij justi, & compensandum damnum, vel lucrum propterea cessans venditori, quod pretium ab initio justum constitutum non fuerit, nam per talem venditionem injustam emptor acquirit dominium rei emptæ, eáque ipsius peri-

periculo perit, & non venditoris, ac proinde solùm ad æqualitatem reducenda est talis venditio: ita ut solvi debeant damna, & lucrum cessans inde venditori secuta, quòd pretium ab initio justum non fuerit, *Molin. cit. disp. 375. n. 10.* Neque tertiò talis contractus debet præsumi usurarius, ex eo præcisè, quòd rogatus, ut mutuum daret, constituto pignore, ipse id renuat, volens eam non in pignus accipere, sed emere cum pacto, ut liceat venditori rem intra certum tempus, vel quandocúnque voluerit, reemere, sive redimere, ut notat *Abb. in cit. c. Ad nostram; n. 12.* Ratio est, tum quia cum consensu contrahentium, unus contractus potest mutari in alium, ut depositum in mutuum, *l. Certi: 9. §. ult. & l. seq. ff. de reb. credit.* modò id sincerè, & bonâ fide fiat, non simulatè, & in fraudem alterius contrahentis: tum quia usura non habet locum, nisi in mutuo: atquî talis contractus, bonâ fide, & sine fraude initus, non est mutuum: sed mera emptio, ac venditio, cui pactum de retrovendendo, seu redimendo non repugnat, juxta *cit. l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. &c.* Nec denique præsumi debet cotractus usurarius, ex eo præcisè, quòd emptor consueverit usuras exercere, nisi aliæ præsumptiones concurrant, ut in casu *c. Illo; 4. in fine de pignorib.* Alioquin verò etiam usurarij solent quandóque actus licitos exercere, & etiam malus potest non esse in omnibus malus, *c. Quid ergo; 48. dist. 3. de pœnit.*

Notandum secundò. Licèt prædictæ circumstantiæ per se singulæ, & seorsim non sufficiant ad præsumptionem contractûs usurarij: si tamen hæ, vel aliæ hujusmodi circumstantiæ simul concurrant in aliquo contractu, potest ex ijs simul junctis meritò fieri gravis præsumptio latentis fraudis, & intentionis usurariæ, ac simulatæ venditionis, & emptionis, uti factum est in casu *cit. c. Ad nostram; h. t.* Nam Laicus ille volebat pecunias mutuas accipere à Marco, & non nisi necessitate coactus in emptionem consensit, quia aliter pecunias ab ipso consequi non potuit. Secundò. Præter modicum pretium, intervenit etiam pactum, per quòd poterat venditor reemere, sive redimere res venditas, non absolutè, quando ipsi placuerit: sed nonnisi post 7. annos elapsos, ut nimirum medio illo tempore, fictus emptor, seu fœnerator Marcus posset titulo, ac specie emptionis fructus, & lucrum, cum damno venditoris percipere, quos alioquin si in pignus accepisset, tanquam ex re aliena percipere non potuisset, sed in sortem computare debuisset: & sic gravis præsumptio est, quòd fuerit simulata emptio, & reipsâ cõtractus pignoratitius usurarius. Tertiò. Quia vi pacti adjecti, venditor post elapsos 7. annos, usque ad novennium tantùm res venditas redimere potuit, ita ut si intra duos illos annos non redimeret, emptor simulatus res illas, etsi vix dimidio pretio emptas, retinere posset, & non restituere teneretur, quòd utique usuram sapit. Quartò. Quia valde verisimile erat, quòd Marcus ille jam ante sæpiùs usuras exercere solitus fuerit, adeóque suspectus fuerit de usuræ vitio. *Abb. in cit. c. Ad nostram; n. 10. & 12. Molin. cit. disp. 375. n. 7. Azor p. 2. l. 8. c. 12. q. 1. Fachin. l. 2. controv. c. 12. in fine, Palao cit. disp. 5. pun. 31. §. 1. n. 4.*

XXXVIII. Ex dictis infertur, quòd propter solas præsumptiones, & cõjecturas urgentes, quæ in aliquo contractu simul concurrunt, possit, ac debeat judex illum pronunciare, & judicare usurarium, ut docet *Abb. in cit. c. Ad nostram; n. 7.* nam hęc est præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium. Imò si hæc tria cõcurrunt, mutatio tituli, quia scilicet, qui petijt mutuum, compulsus fuit ad venden dum: pretium modicum, & minus justò, pactum de retrovendendo restrictum ad certum tempus, ita ut intra illud non liceat venditori reemere, sive redimere rem venditam, vi cujus pacti simulatus emptor certus redditur de lucro percipiendo ex re empta: his inquam, tribus cõcurrentibus, probabiliter præsumi potest, quod sit contractus simulatus, & usurarius, *Abb. in cit. c. Ad nostram n. ult.* alioquin verò si prædictæ circumstantiæ simul omnes non concutrant: sed una, vel altera solùm illarum, vel aliæ similes, ex quibus colligitur intentio usuraria, tunc prudentis Judicis arbitrio definiẽdum relinquitur, an sint tam urgentes, ut ex ijs fieri possit præsumptio tam evidens, ut sufficiat ad condemnandum aliquem de crimine usuræ, *Molin. cit. disp. n. 7.*

XXXIX. Cæterùm hoc loco addendum est, quòd emptio, & venditio annui censûs, cum conditione, seu pacto revendendi, seu redimendi, in totum, vel ex parte: ita tamen, ut non possit cogi ad redimendum, non est usurarius, sed licitus, prout declaratur in *Extrav. Regimini 1. h. t. Inter communes.* Ubi inprimis Clerus, Nobiles, & incolæ Civitatis, & Diœcesis Vratislavienſis proposuerunt, quòd à centum annis, citra, & supra, per tempus immemoriale, rationabilis cõsuetudo in eadem Civitate, & Diœcesi, ac partibus vicinis observata fuit, ut Principes, Barones, milites, cives, pro cõmuni sua utilitate, vel necessitate, alicui personæ Ecclesiasticæ, vel Sęculari, vel Collegio, aut universitati annuos census unius, aut plurium marcarum, aut grossorum monetæ consuetæ per decem, undecim, tredecim, aut quatuordecim, plus, aut minùs vendere solerent, secundùm temporis qualitatem, prout inter se convenerunt. Secundò. Sũma hujusmodi in pecunia numerata integrè solvi cõsuevit venditori, bonis in ipso cõtractu expressis in perpetuũ obligatis pro ipsius censûs exolutione. Tertiò. Interim ipsis venditoribus in ipso contractu data est facultas, ut ipsum annuum censum in toto, vel in parte, pro eadem sũma pecuniæ, quam ab ipsis emptoribus acceperunt, quandocúnque vellent, liberè possint extinguere, & redimere. Quartò, Vẽditores ad hujusmodi census redimendos, vel extinguendos inviti per emptores astringi non possunt, etiamsi ipsæ possessiones, & bona obligata penitus fuerint perempta, & destructa. Quintò. Hujusmodi contractus emptionis, & venditionis censuum per Episcopos Vratislavienses, & Dominos temporales locorum, tanquam licitus, & communi utilitati deserviens sæpiùs fuit cõfirmatus, & approbatus. Sextò. Super hujusmodi censibus plurima Beneficia Ecclesiastica, Collegia, Canonicatus, prębendæ, dignitates, & officia &c. cum expresso consensu dominorum temporalium, sunt dotata, & fundata. Septimò. Venditores eorundem censuum interdũ pœnis, & censuris Ecclesiasticis, quibus se sponte submiserũt, ad eorum solutionem sunt compulsi: quamvis nunc nonnulli ex emptoribus contradicant, & hujusmodi census solvere recusent, & an ejusmodi contractus emptionis, & venditionis liciti sint, dubitent:

ideo

» ideo supplicatum fuit Papæ Martino V. ut declaret,
» an hujusmodi contractus liciti sint, vel illiciti?
» Quare Pontifex, te diligenter examinata, prædictos
» contractus licitos, & juri communi conformes, ac
» ipsorum censuum venditores ad illorũ solutionem
» obligari, remoto contradictionis obstaculo, aucto-
» ritate Apostolicâ, ex certa scientia declaravit, non
» obstantibus contrarijs quibuscúnque. Alia Constitutio habetur in *Extravag. Regimini*; 2. *h.t. Inter communes.* in qua contractus quidam emptionis præcedenti similis à Papa Calixtò III. declaratur esse juri cõsonus, & ab usuris alienus. Verùm quia hujusmodi contractuum censualium cognitio, num liciti sint, an illiciti, ac usurarij, pendet ab ijs, quæ dicentur infra. *Lib. 5. Tit. 19. de usuris*, ideò plura nunc hoc loco non addimus.

§. VIII.

De venditione rei donatæ propter nuptias à Viro uxori, eâdem consentiente, alteri factâ.

XL. Dehac re agitur in c. *Pervenit*; 4. *h. t.* ubi
» habetur, quòd quidam miles domum quandam,
» tanquam donationem propter nuptias, uxori suæ
» assignaverat, quam postea, cum consensu ejusdem,
» vendidit alteri mulieri B. Milite defuncto, uxor
» relicta, sive vidua voluit repetere domum venditã,
» allegans, quòd cùm illa titulo donationis propter
» nuptias sibi assignata fuerit, nec quidem accedente
» suo consensu, eam alienari potuisse. Sed mulier
» emptrix opposuit, quòd 30. annis, constante, seu
» durante matrimonio, domum illam, bonâ fide,
» & justo titulo possederit, ejúsque pretium in com-
» munes usus utriúsque Conjugis versum fuerit, ac
» tempore factæ venditionis maritus sufficientes fa-
» cultates habuerit, ex quibus dicta mulier sibi con-
» sulere potuisset. Consultus super hac controversiâ
» Papa Cælestinus III. respondit, si ea, quæ allegan-
» tur, vera sunt, mulierem emptricem super domo,
» ex causis contra illam allatis, ulteriùs molestari
» non debere.

XLI. Pro intellectu hujus c. notandum primò. Non potest maritus rem donatam uxori, propter nuptias, alienare, nec hypothecæ nomine obligare, etiam cum consensu uxoris: quòd si alienatio facta sit, mulieri in rem actio, seu utilis rei vindicatio datur, non obstante ejus consensu: præterquàm si post exactum biennium, uxor secundâ vice consentiat, & quidem consensu in scriptis dato, atque in bonis mariti aliæ res sint, ex quibus indemnitati mulieris sufficienter cautum sit, & prospectum, prout statutum habetur in *Authent. Sive à me C. ad SC. Velleian. & in Auth. Ut immobilia antenuptialis donationis &c. §. Et sancimus*; *Collat. 5.*

Notandum secundò. Si uxor in alienationem rei propter nuptias donatæ à viro consensit, modò is alias sufficientes facultates habeat pro dotis securitate, & postea 30. anni sint elapsi, in quibus mulier non contradixit, neque rem propter nuptias donatam repetijt: tunc præsumi potest, ipsam secundum consensum jure requisitum, post biennium, in alienationem præstitisse, prout sumitur ex hoc c. ubi mulier emptrix domûs, quæ uxori propter nuptias donata fuit à viro suo, allegavit solùm quietam possessionem domûs illius per 30. annos, & Pontifex mandavit, ne deinceps super domo illa molestaretur, quæ præsumptio etiam ex eo adjuvabatur, tum quia pretium emptionis in communes utriusque conjugis usus versum fuit: tum quia marito sufficientes facultates eo tempore non deerant, ad assecurandam dotem uxoris, quia ex temporis diuturnitate præsumitur extrinsecas necessarias solemnitates ad alienationem intervenisse, *Abb. hic nn. 7.* & dictum supra, *Tit. 13. nu. 34.* & quod ex spatio 30. annorum, & non minore, in alienatione factâ per maritum in re dotali præsumatur solemnitatem interveniſſe, ex hoc ipso c. probari asserit *Mascard. de probat. concl. 371. n. 92.*

§. IX.

An, & quando venditor teneatur emptori de evictione, & in quibus casibus non obligetur?

Evictio nihil aliud est, quàm rei suæ, quam alius legitimo titulo acquisierat, per Judicem recuperatio, *Wesenb. in parat. ff. de Eviction. n. 1.* Nam quia etiam alienæ rei venditio valet, *l. Rem alienam*; 28. *ff. h. t.* & fieri potest, ut à verò domino res emptori auferatur, idcirco venditor emptori evictionem præstare debet, ut ex dicendis patebit.

XLII. Assertio 1. Venditor regulariter, ex natura ipsius cõtractus, etiamsi nihil super eâ cõvenerit, obligatus est emptori de evictione rei vẽditæ, ita ut si quis illam ab emptore repetat, & evincat, ostendens se esse rei dominum, vel eam sibi realiter obligatam esse, teneatur venditor emptori restituere pretium, juxta æstimationem rei, eo tempore, quo evincitur; & præterea quanti ejus interest rem evictam non esse, atq; ad dammna inde secuta: modò tempore contractûs emptor ignoraverit, rem alienam esse, & lite posteà intentatâ, denunciaverit venditori, ut se defendat, ut cõstat ex *l. 1. l. Venditor*; 8. *l. Evictâ re*; 16. *ff. de evictionib.* Ratio est; quia ut dicitur in *l. Ex empto*; 11. *ff. de act. empt.* cùm emptionis & venditionis sit bonæ fidei judicium, nihil magis bonæ fidei congruit, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est: quòd si nihil convenit, tunc ea præstabuntur, quæ naturaliter insunt (huic scilicet contractui) & inprimis vi cõtractûs venditionis ipsam rem venditor præstare, id est, tradere tenetur emptori, cujus rei, si quidem dominus venditor fuit, etiam emptor fit dominus: si non fuit, tantùm evictionis nomine venditor obligetur, si modò pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum: emptor autem nummos venditoris facere cogitur.

Porrò tenetur venditor de evictione, sive tota res evincatur, sive pars, *l. 1. in princ. ff. de evict.* Unde etiamsi ususfructus rei alicujus evincatur, tenetur venditor de evictione, quanti is æstimabitur, *l. Sed si quid*; 14. *l. Vaccæ*; 43. *l. Si ab emptore*; 89. *ff. eod.* quia ususfructus velut pars rei, v. g. prædij censetur, *l. 4. ff. de usufr.* Item si servitus, sive rustica, sive urbana evincatur, tenetur venditor de evictione, si quidem sciens rem esse servituti subjectam, tanquam liberam vendidit, vel liberam esse affirmavit, *l. pen. ff. de evict. l. 1. §. Venditor*; *l. Julianus*; 13. *in princ. l.* Quæ-

Quæro, 39. *ff. de action. empt.* si verò ignorans vendidit, non tenetur quidem ad interesse & damna indè secuta: sed quantò minùs res illa valet, quæ servitute est gravata, quàm si libera esset, *cit. l. pen. junct. Gl. V. Si tacitæ, Molin. tr. 2. de justit. dis.* 380. *n.* 4.

XLIII. Asserrio 2. Plures sunt casus, in quibus venditor non obligatur emptori de evictione, quorum » tres referuntur in *c. Si venditori* 57. *& ult h.t.* Ubi di- » citur, si emptor, post institutum contra se judicium, » venditori id non denunciaverit, ut rem sibi vendi- » tam defendat: vel si emptor, tempore sententiæ pro- » mulgatæ, contumaciter abfuit à judicio: vel si per » injuriam Judicis sententia lata fuit contra ipsum em- » ptorem: in his tribus casibus, secundùm leges Cæsa- » reas, emptor contra venditorem de evictione agere » non potest, prout etiam habetur statutum in *l. Emptor*; 8. *C. de evict.* ex qua hoc cap. est desumptum.

XLIV. Primus itaque casus exceptus, in quo venditor non tenetur emptori de evictione, est, si emptor, post judicium sive actionem contra se intentatam, saltem post litem contestatam, ante testium publicationem, vel conclusionem in causa, ut docet *Covarr. l. 3. resol. c.* 19. *n.* 8. non denunciet id venditori, ut causam defendat, *l. Emptor*; 3. *l. Empti*; 21. *C. de Evict.* Ratio est, quia venditoris maximè interest, & ipse meliùs scire, & producere potest documenta juris & tituli, si quæ pro causa faciant, ideóq; si emptor causam perdat, non ob defectum juris, sed propter ignorantiam juris competentis venditori, eam perdidisse præsumitur, ac proinde si res evincatur, culpa non venditori, sed emptori imputatur, qui litem motam venditori non denunciavit, ut eam defenderet, *Abb. in cit. c. ult. n.* 5. *h.t.* Sed etsi venditor sciverit, litem esse motam, nihilominùs denunciatio necessariò ei fieri debet ab emptore, *l. Si parentes*; 20. *in fine C. de evict.* Ubi requiritur, ut denunciatio venditori facta sit, non simpliciter, sed ad hoc, ut rem seu negotium defendat. Nec obstat, quòd certioratus non sit certiorandus, *c. Eum qui*; 31. *de R. J. in 6.* nam hoc verum est, quando certioratio fit in eum finem tantùm, ut habeatur notitia rei, non item ut ultrà assumatur rei defensio, *Covarr. c. l. n.* 3. Quòd si verò per venditorem steterit, quò minùs lis ei mota denuncietur, nempe quia latitat, vel quia impedit, quò minùs denunciatio ad eum pervenire possit, nihilominùs de evictione tenebitur, *l. Si ideo*; 55. *in fine ff. Eodem, Gl. in cit. c. ult. V. Institutum*; *h.t.* Idemque est, si citra factum venditoris emptor cognoscere non potuit, ubi venditor esset, ut ei denunciaret, nam etiam tunc tenetur venditor de evictione emptori, *l. Si dictum*; 56. §. *Sed etsi*; *ff. Eodem.* Item si venditor hanc obligationem denunciandi litem per pactum expressè remisit emptori, tenebitur de evictione, etiamsi emptor litem ei non denunciaverit, *l. Herennius*; 63. *in princ. ff. de evict.* quia cùm in favorem venditoris hæc obligatio sit imposita emptori, potest venditor ei renunciare. Quòd si generaliter conventum sit inter venditorem & emptorem, ut quocúnque modo res vendita evinceretur, tencatur venditor de evictione, non tenetur emptor ei denunciare litem esse motam, si id scivit venditor: secus si ignoravit, tunc enim tenetur emptor admonere venditorem de lite mota, alioquin hic ad evictionem præstandam non erit obligatus, *Covarr. cit. c.* 17. *n.* 7. *Molin. cit. dis. n.* 17. Porrò etiam Ecclesia, si rem emit, debet litem motam denunciare venditori, alioquin contra illum agere non poterit de evictione, ut tradit *Abb. in cit. c. ult. n.* 4. *h.t.* Alii tamen Dd. communiter contrarium tenent, quia minor non tenetur ad hujusmodi denunciationē faciendam, *l. In minorum* 3. *C. In quib. caus. restit. in integ. necess. &c.* ergo nec Ecclesia, quæ gaudet privilegio minorū, *Covarr. c l. n.* 4. *Mol. c. l. n.* 13. §. *Quando emptor.*

XLV. Secundus casus, in quo venditor non tenetur de evictione, est, si contra emptorem sententia condemnatoria lata fuit; quia tempore sententiæ se contumaciter à judicio absentavit, *cit. c. ult. h.t. & l. Si ideo*; 55. *ff. de evict.* Ubi etiam ratio adjungitur: magis enim propter absentiam victus videtur emptor, quàm quòd malam causam habuit, ideóq; ipsi imputatur, quòd res fuerit per sententiam Judicis evicta, *l. Emptor*; 8. *C. eod.* dummodo absentia seu contumacia emptoris fuerit causa, cur condemnatus sit, quod etiam in hoc casu præsumitur, ut notat *Gl. in cit. l. Si ideò*; *V. Habuit*, & quidem præsumptione juris, & de jure. Aliud verò dicendum est, si certum sit, quòd etsi emptor præsens fuisset, causâ cecidisset, vel illam amittere debuisset, quia constat rem esse evincentis, seu vindicantis.

XLVI. Tertius casus est, si per Judicis injuriam vel imperitiam, aut errorem, contra emptorem sententia lata, sive per injustam ejus sententiam res empta evicta fuit, non tenetur venditor de evictione, *cit. c. ult. & l. Emptor*; 8. *C de Evict. l. Si per imprudentiam*; 51. *ff. Eodem.* Ubi dicitur, *injuria enim, quæ fit emptori, auctorem, id est, venditorem non debet contingere.* Ratio est, quia evictio facta per injuriam judicis censetur veluti infortunium quoddam, casus autem fortuitus non imputatur venditori, sed post perfectam venditionem res vendita perit emptori, & ad ipsum tanquam dominum rei traditione factâ, pertinet damnū per injuriam Judicis illatum, quod ipse ferre debet, si ab eo, qui illud intulit, compensationem damni acquirere non possit, *Abb. in cit. c. ult. n.* 5. *Mol. cit. dis.* 380. *n.* 20. Verùm hoc casu emptor agere potest adversùs Judicē, qui fecit litem suam, *princ. Instit. de oblig. quæ ex quasi delicto & c. l.* 2. *C. de pœna Judic. qui malè judic. Gl. fin. in c. ult. h. t. Gl. in cit. l. Si per imprudentiam, V. Auctorem. Mol. c. l.* Sed neq; venditor tenetur de evictione, si emptor, extra judicium, perdat rem emptam, ut quia per vim illâ spoliatur; quia injuria, quæ fit emptori, non nocet venditori, culpa enim aut factum alterius non debet nocere tertio innocenti, *Abb. in cit. c. ult. n.* 7. *Azor cit. l.* 8. *c.* 30. *q.* 2.

XLVII. Præter prædictos tres casus, sunt adhuc plures alii, in quibus venditor non tenetur ad præstandam evictionem emptori. Veluti primò, si sciens rem emit alienam, tunc enim sibi imputet, quòd rem, quam sciebat esse alienam, evinci posse non adverterit: nisi tamen expressè convenerit de evictione, tunc enim agere poterit contra venditorem ad pretium recuperandum, non autem ad interesse, *l. Si fundum*; 27. *C. de evict. Mol. cit. dis. n.* 22. Secundò, si emptor, motâ ei lite, circa rem emptam, compromisit in voluntarium arbitrum sine jussu venditoris, isq; contra emptorem sententiam tulit, *l. Si dictum*; 56. §. *Si compromisero*; 20. *ff. eod.* Idemque dicendum, si emptor in Judicem ordinarium extraneum sive non suum consensit, ejus jurisdictioni se voluntariè subjiciendo, *Gl. in cit. l. Si fundum, V. Feci.* Tertiò, si emptor potuit rem emptam usucapere, & non fecit, imputatur ei, & venditor non tenetur, si res evincatur ab alio, *cit. l. Si dictum*, §. *Si cùm posset.*

Quartò, si emptor à sententia lata, venditore à judicio absente, non appellavit, vel si appellavit quidem, sed appellationem deseruit: *c. Herennius*; 63. §. *Gaja, junct. Gl. V. Venditore, & §. fin. ff. eod.* secus, si eo præsente non appellavit emptor, *cit. l. Herennius*; §. *Gaja.* Quintò, si emptor, suâ culpa, possessionem rei emptæ amisit, indéque factum, ut ex reo fieret actor, ideóque etiam fortè litem amisit, *l. Si rem*; 29. §. *Simplæ*; *ff. eod.* Sextò, quando venditor, bonâ fide, ignorans rem venditam esse alienam, cum emptore expressè convenit, ut non teneretur de evictione, tunc re evictâ non tenetur quidem ad interesse, & damna emptori secuta: tenetur tamen ad pretium reddendum, nisi expressè fuerit conventum, ut neque ad pretium reddendum teneretur; quia æquum non est, ut ipse cum emptoris jactura locupletetur, *l. Ex empto*; 11. §. *Qui autem*; *ff. de actionib. empt.* Septimò, si emptor rem emptam pro derelicta habuit, amittit actionem pro evictione, *l fin. ff. eod.* Octavò, non habet locum evictio, si res vendita periit ante evictionem, *l. Si quis*; 26. *C. de evict.* quia post emptionem contractam, sicut commoda rei venditæ ad emptorem spectant, ita & incommoda ac pericula. Plures alios casus, in quibus non habet locum evictio, videri possunt apud *Mol. cit. dis.* 380.

Cæterùm evictio locum habet etiam in aliis contractibus onerosis, non autem lucrativis, ut in donatione, de quo videri possunt Legistæ.

§. X.

Ad quem pertineat periculum rei venditæ, ad venditorem, an ad emptorem?

XLVIII. Assertio 1. Si res vendita pereat, vel deterior fiat post traditionem, id sit damno emptoris, etsi pretium nondum sit solutum, modò fides de eo habita fuerit, ut constat ex *l. Lector*; 12. Ubi additur idem esse, si per emptorem stetit, quòminùs res traderetur, & *l. Quod si*; 14. *ff. de pericul. & comm. rei vend. Less. l. 2. c. 21. dub. 12. n. 95.* Ratio est, quia per traditionem translatum est dominium in emptorem, res autem domino perit, *l. Pignus*; 9. *C. de pignor. act.*

XLIX. Assertio 2. Si res vendita sit absolutè & purè, eáque fuerit res certa, ac determinata in individuo, v.g. hic equus, hæc domus &c. tunc si res illa, sine culpa vel mora culpabili venditoris, casu fortuito omninò pereat, vel deterior fiat ante traditionem, etiamsi dominium illius non sit translatū, damno emptoris id accidit, ita ut non obstante deterioratione, vel interitu rei, emptor teneatur totum pretiū solvere, si fortè nondum solvit, ut constat ex §. *Cum autem, junct. Gl. Instit. h. t. l. Quod sæpe*; 35. §. *Si res*; *ff. de contr. empt. l. Necessario*; 8. *in princ. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 1. & seqq. C. eod. Mol. l. 2 dis. 366. n. 11. Less. c. l. n. 96. & alii communiter.* Ratio à priori est, quia licèt alioqui casus fortuitus, qui prævideri non potest, ad dominum rei regulariter pertineat, *l. 9. C. De pignor. act.* emptor verò, ante traditionem factam, verum & reale dominium de jure gentium non consequatur: simul atque tamen emptio mutuo consensu fuit perfecta, actionem personalem ad rem venditam petendam habet, adeóque ex tunc censetur juris fictione ejusdem rei dominus, *juxta Reg. jur. 15. in ff. Is qui actionem habet, rem ipsam habere videtur, & l. 143. ff. de V. S.* Ubi dicitur, id apud se habere quis videtur, de quo habet actionem, habetur enim quod peti potest, *& l. Si quis*; 28. *in fine ff. de negot. gest.* Ubi id, quod debetur, debitori abesse dicitur, & consequenter creditori adesse censetur: unde & ipsi tanquam jurisfictione jam domino, res ipsa etiam ante traditionem perit, & fructificat, & tam commodum rei venditæ, quàm incommodum ad ipsum emptorem pertinet, *juxta l. Secundùm naturam*; 10. *ff. de R. J.* & habetur etiam in *l. Id quod*; 7. *ff. de peric. & comm. rei vend.* Confirmatur ex generali illa regula, quòd debitor certæ speciei, ejusdem interitu, liberetur, *l. Quod te*; 5. *ff. de reb. cred. l. Si ex legatis*; 23. *ff. de V. O.*

L. Aliud verò dicendum est, si res non absolutè & purè: sed sub conditione de futuro sit vendita, tunc enim si res vendita, pendente conditione, pereat, id accidit damno venditoris, adeóque & pretium acceptum venditori restituendum est, *l. Necessario*; 8. §. *Quod si pendente, ff. de peric. rei vend. & l. pen. junct. Gl. V. Suspenderat, C. eod.* quia ante impletam conditionem, non est perfecta venditio, & interitu rei venditæ contractus dissolvitur. Quòd si res vendita adhuc extet, sed deterior facta sit sine culpa venditoris, & postea conditio impleatur, adeóq; venditio perficiatur, tunc id damno emptoris accidit, sicut & melioratio commodo ipsius, quia impletâ conditione, contractus ad tempus, quo fuit initus, retrotrahitur, ac perinde est, ac si tempore contractûs initi res vendita fuisset deterior facta adeóque non tenetur venditor de pretio aliquid remittere, sicut colligitur ex *cit. l. Necessario*, ut tradit *Gl. in cit. l. pen. C. de peric. rei vend. V. Suspenderat, Molin. cit. dis. 366. n. 18.* Si verò certa dies adjecta sit traditioni rei venditæ & solutioni pretii, ante illam diem periculum ad emptorem spectat, quia debita est certa species, *Zasius in Comment. ff. de peric. & comm. rei vend. n. 1.*

Præterea, si venditio contrahatur in scriptis, & res casu fortuito pereat, vel deterior fiat, antequam venditio in scriptum redacta fuit, id sit damno venditoris, tunc enim ante confectam & absolutam scripturam, necdum perfecta est venditio, *l. Cùm inter*; 4. *C. de peric. rei vend. l. Contractus*; 17. *C. de fide instrum.* Aliud est, si scriptura non ad substantiam; sed solùm ad probationem contractûs requiratur, *juxta l. Contrahitur*; 3. *ff. de pignorib. Azor cit. l. 8. c. 26. q. 1.*

LI. Cæterùm plures sunt exceptiones & casus, in quibus periculum rei venditæ, etiam certæ, ac determinatæ, ante traditionem pertinet ad venditorem, quos recensent *Gl. in cit. §. Cùm autem Institut. h. t. Molin. cit. dis. n. 12. & seqq.* Veluti primò, si res dolo, vel culpâ latâ, vel levi venditoris pereat, aut deterior fiat, *cit. §. Cùm autem Instit. h. t. & l. Quod sæpe*; 35. §. *Si res*; *ff. eod. l. Si vendita*; 11. *ff. de peric. rei vend. l. Venditor*; 36. *ff. de act. empt.* In quibus legibus habetur, quòd venditor debet in re nondum tradita, eam diligentiam adhibere, qualem diligens paterfamilias suis rebus adhibet, ideóque tenetur etiam de culpa levi, non autem levissimâ; eò quòd contractus in utriûsque, tam emptoris, quàm venditoris commodum sit celebratus, *l. Contractus*; 23. *ff. de R. I.* Secundò si venditor in culpabili mora fuit tradendi rem venditam, eáq; casu fortuito interim perit, vel deterior facta est, ad venditorem damnum pertinet, *l. Illud*; 17. *ff. de peric. rei vend.* nisi constaret rem eodem modo perituram fuisse, vel deteriorē reddendam apud emptorem, si ei tradita fuisset. In quo tamen variant auctores. Quòd si post morā venditoris, emptor in mora

fuit

fuit recipiendi rem emptam à venditore ipsi oblatam, tunc ipsi peribit; quia semper res ei perit, qui ultimò est in morâ culpabili, *cit. l. Illud; & l. Si & per emptorem*; 11. §. *Quòd si fundum*; *ff. de act. empt. Gl. in cit.* §. *Cùm autem*; *V. Statim*; *Molin. c. l. n.* 13. Tertiò, si in contractu expressè conventum fuit, ut periculum ad venditorem spectaret, pactum valebit, *cit.* §. *Cùm autem*; *l. Si in venditione*; 10. *in princ. ff. de peric. rei vend.* Idémque est, si periculum, quod alioquin ad venditorem spectaret, emptor in se suscepit, tunc enim ipsi res pereret, juxta jura citata, *Mol. c. l.* Quartò, si res vendita ante traditionem publicetur, sive confiscetur ob delictum venditoris, tunc non perit emptori: sed restituendum est illi pretium, si illud jam solverat, *l. Si fundus*; 33. *ff. Locati*; *Gl. in cit.* §. *Cùm autem*; *V. Statim, Mol. c. l. n.* 15.

LII. Assertio 3. Si vendatur res determinata; sed alternativè, sive sub disjunctione, v.g. Stichus aut Pamphilus, & unus eorum mortuus sit ante traditionem, venditori perit: si verò alter quoque superstes postea moriatur, emptori perit; quia jam determinatè & in specie debebatur emptori, qui antea solùm indeterminatè & disjunctivè erat debitus propter sublatam alterius interitu electionem. Idémque est, si uterque simul periit, nam alter perit emptori, qui pretium solvere debet venditori, unus enim periculo emptoris vixit, *c. Si in emptione*; 34. §. *Si emptio*; *ff. De contrah. empt.* Idémque est in quibuscúnque aliis rebus sub disjunctione venditis, sola enim ultima perit emptori, priores verò venditori, *Mol. cit. dis. n.* 10. Similiter res venditæ in genere damno venditoris pereunt, quia genus perire non potest: quomodo & rerum fungibilium, quæ in numero, pondere & mensura consistunt, ut frumentum, vinum, oleum &c. interitus non ad emptorem, sed ad venditorem pertinet; quia censentur in genere venditæ, nec antè earum venditio habetur perfecta, quàm si appensæ, admensæ, vel adnumeratæ fuerint, *l. Quòd sæpè*; 35. §. *In his*; *ff. de contrah. empt. Zæsius in comment. ff. de peric. rei vend. n.* 2. *&* 3. plura de hoc videri possunt apud *Mol. cit. dis. n.* 5. *& seqq.*

TITULUS XVIII.

DE LOCATO ET CONDUCTO.

Quia contractus locationis & conductionis valde affinis est venditioni, & emptioni, iisdémque fermè juris regulis consistit, sive regitur, Instit. h. t. in princ. & l. 2. ff. eod. ideò hic Titulus præcedenti subjungitur.

SECTIO I.

DE CONTRACTU LOCATIONIS & Conductionis.

§. I.

Quid sit locatio & conductio?

I.

LOcatio & conductio est contractus, quo persona, vel res aliqua alteri utenda vel fruenda pro certo pretio sive mercede conceditur, & ab eodem accipitur: sicut enim unus idémque contractus, ex parte unius est, & dicitur venditio, ex parte alterius emptio: ita etiam unus idémque contractus, ex parte concedentis, est locatio, quæ est similis emptioni: ex parte accipientis est conductio, quæ est similis venditioni, conductor enim emit fructus rei, vel operas personæ, & locator vendit. Unde Locator dicitur, qui rem utendam tradit, & mercedem accipit: Conductor verò, qui rem utendam accipit, & mercedem solvit, *Azor p.* 2. *Instit. lib.* 8. *de locat. & conduct. c.* 1. *q.* 1. *&* 2. Et quidem is, qui in civitate domum conducit, inquilinus: qui verò prædium rurii, colonus appellatur, *l. Res pignoris*; 37. *ff. de acquir. possess.*

Dicitur primò. *Persona vel res*, quia non solùm res locari potest, sive mobilis, ut equus ad equitandum, sive immobilis, ut domus ad habitandum, ager, vel vinea ad fructus percipiendos; sed etiam seipsum; aut servum suum potest quis locare alteri ad operandum, & varia ministeria exercenda. Dicitur secundò, *utenda vel fruenda*, quia quædam conceduntur conductori solùm ad usum, ut domus, vel equus, & similia, quorum fructus consistit in usu ipsorum: quædam conceduntur etiam ad fructum, ut vacca, agri, pascua. Et per hoc distinguitur locatio & conductio ab iis contractibus, per quos dominium transfertur in accipientem, ut est venditio, donatio, mutuum; nam per locationem non transfertur dominium rei locatæ in conductorem: sed usus tantùm, *l. Non solet*; 39. *ff. h. t.* item distinguitur à depósito, & pignore, in quibus res traditur accipienti custodienda, vel servanda, non autem ut illâ utatur.

II. Dicitur tertiò. *Pro pretio vel mercede*, & quidem in pecunia: nam si pro pretio detur alia res, vel obsequium, non erit propriè ac strictè locatio, sed contractus innominatus, do, ut des, vel do, ut facias, v.g. do tibi equum ad usum, ut des mihi scapham frumenti: vel do tibi tot urnas vini, ut colas vineam meam. Idque sumitur ex §. *Præterea Instit. h. t. & l. Naturalis* 35. §. *At cum do*; *ff. de præscript. Verb.* Ubi habetur, cùm do ut facias, si tale sit factum, quod locari soleat, pecuniâ dat â; locatio erit, si res (quæ non est pecunia,) non erit locatio: ideóq; etiam ex tali contractu, non actio locati, sed in factum, seu præscriptis verbis conceditur ad interesse, vel ad repetendum, quod datum est. Et hæc est communis sententia apud *Azor cit. loc. c.* 5 *q.* 4. *Molin. tr.* 2. *de just. disp.* 486. *n.* 2. Et per hanc ultimam particulam locatio distinguitur tum à comodato & precario, in quibus res quidem conceditur ad usum, sed gratis & liberaliter: locatio autem non fit, nisi interveniente mercede; *l. Si convenit*; 23. *ff. Communi dividund.* tum à contractibus innominatis, in quibus usus tantùm transfertur in accipientem, non pro mercede pecuniaria, sed aliâ re, ut si fundus locetur pro certa mensurâ

frumenti: vel potiùs societatis contractus censeri debet, si colono pensio fructuaria sit solvenda. Item distinguitur ab emphyteusi & contractu censuali, in quibus merces non necessariò in pecunia numerata: sed in quavis re potest consistere, §. *Adeò autem. junct. Gl. V. Neque ad locationem Instit. h. t.* quamvis nonnulli Dd. velint, quòd in locatione merces possit constitui, etiam in rebus fungibilibus, id est, quæ in pondere, numero vel mensurâ consistunt, vel etiam in quota parte fructuum, idque probant ex *l. Et hæc* 35. *in fine* ibi: *ut fructus mercedis nomine pensarentur*, sive compensarentur & *c. Si olei* 21. *C. eod.* Ubi locatio agri certâ olei ponderatione fieri dicitur. Sed dici potest, ibi non agi de locatione propriè dicta: vel regulariter quidem requiri mercedem in pecunia numerata, exceptâ tamen locatione, quæ fit, non ad solum usum rei, sed etiam ad rem fruendam, in ea enim pars fructuum rectè solvitur, *Zæsius in Comment. ff. h. t. n.* 4.

§. II.

An Locator rei frugiferæ teneatur remittere de pensione seu mercede constituta, ob sterilitatem, hostium incursum, vel alium casum fortuitum, sine culpa Conductoris obvenientem?

III. Assertio 1. Si damnum casu fortuito illatum modicum sit, nihil colono vel conductori de pensione remittendum est, ut constat ex *l. Si merces* 25. §. *Vis major* ff. *h. t.* Ubi dicitur, modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur, nempe quia pensio ab ipso debita non augetur, si ob unius vel alterius anni fertilitatem majus lucrum & commodum capiat.

IV. Assertio 2. Si sterilitas, vel alia clades extrinsecùs illata tanta sit, ut conductor anno aliquo nihil ex re conducta percipiat, totam pensionem locator ei remittere debet: quòd si sterilitas tanta non sit, reverâ tamen magna, tunc remittenda est pensio pro rata, secundùm proportionem damni illati. Est communis sententia Dd. apud *Less. l. 2. c. 24 dub. 3. n. 15. & 16.* & constat ex *cit. l. Si merces* 5. §. *Vis major* 5 *& l. Ex conducto* 5. 15. §. *Si vis* ff. *h. t. & l. Licèt* 8. *C. Eodem.*

Idem habetur statutum de conductoribus rerum Ecclesiasticarum in *c. Propter sterilitatem* 3. *in princ. h. t.* Ubi rescribi Papa Gregorius IX. quòd ob magnam sterilitatem, quæ magno incommodo conductores afficit, & sine culpa ipsorum, vel casu fortuito, evenit, ipsis colonis pensio ab Ecclesiæ Prælatis remittenda est pro ratâ (id est, secundùm proportionem damni, quod passi sunt) nisi præcedentis, vel subsequentis anni ubertate damnum compensetur. Ratio est, quia pensio sive merces locationis promittitur, aut constituitur in compensationem fructuum, ex re vel fundo conducto percipiendorum, ergo si nulli ex illo fructus percipiantur, vel modica solùm pars, tunc vel tota remitti debet pensio, vel saltem pro rata seu pro parte, secundùm proportionem damni illati; id enim bona fides exigit, & æquitas dictat, ne conductor semper ferat periculum damnorum, locator verò sit securus. Aliud est quoad hoc, in emptione & venditione, nam postquam illa mutuo consensu perfecta est, statim etiam ante ipsam traditionem, periculum rei, si casu fortuito pereat, ad ipsum emptorem pertinet, *l. Necessariò* 8. *ff. de peric. & comm. rei vend.* & dictum supra, nec ideò debet quippiam remitti de pretio, si venditor non fuit in culpabili mora rem tradendi, *Abb. in cit. c. Propter, n.* 3.

V. Verùm illud est hîc controversum, quænam censenda sit sterilitas aut clades magna, ob quam fieri debeat mercedis seu pensionis remissio? Nonnulli tunc censent esse sterilitatem aut cladem magnam, quando ex fundo, non tantum fructuum colligitur, quantum seminis fuit jactum in terram, *Gl. hic V. Magno incommodo.* Sed hæc opinio nimis rigida est, ut notat *Abb. hic n.* 12. nam licèt certum sit, tunc remitti debere totam pensionem, *juxta l. Ex conducto* 15. §. *Si vis* 5 *ff. h. t.* Ubi hæc ratio redditur, *ne cogatur conductor supra damnum seminis amissi mercedem agri præstare* adhuc tamen quæstio manet, quænam sterilitas, sive læsio censeatur esse magna, quando collectâ aliquâ parte fructuum, pensio remittenda est pro rata, ut dicitur in *cit. c. Propter* 5 *h. t.* hoc est, secundùm proportionem damni contingentis, sive pro ratione illius partis, quæ à solita fructuum collectione ob sterilitatem, vel aliam calamitatem defecit. Itaque aliqui censent immodicam cladem esse illam, si colonus non dimidiam partem, aut vix tertiam, aut duas tantùm tertias fructuum, quos res conducta proferre consuevit, colligat, prout videre est apud *Abbat. hic n.* 13. *Covarr. pract. qq. c.* 30. *n.* 1. *Azor cit. l.* 8. *c.* 10. *q.* 1. *Molin. tr.* 2. *disp.* 49. *n.* 2. *& seqq.* Plerique verò Dd. existimant, si detracto semine, & expensis in colendum agrum, & colligendos fructus factis (nam fructus esse constat, qui deductis impensis supersunt, *l. Fructus* 7. *ff. solut. matr.*) tam exigui fructus supersint, ut nec dimidiam partem solvendæ pensionis, sive mercedis constitutæ adæquent, tunc remittenda erit pensio, pro rata fructuum perceptorum, ita ut pars pensionis, quæ respondet fructibus non perceptis, remitti debeat, v. g. pensio solvenda consistit in 12. modiis tritici, fructus autem tam pauci sunt percepti, ut deducto semine & expensis, non faciant 6. modios; tunc reliqui usque ad 12. sunt remittendi de solvenda pensione: si verò 6. modii vel plures remaneant, nihil erit de pensione remittendum, *Covarr. c. l. Mol. c. l. n.* 5. Ratio est, quia in jure læsio magna seu immodica censetur, quæ est ultra dimidium justi pretii, non autem si sit infrà, ut patet ex dictis *Tit. præced.* Alii denique dicunt, vulgi judicio, & communi vicinorum opinione definiendum esse, num immodica sterilitas vel clades coloni, vel alterius conductoris censeri debeat, necnè, ex loco enim & tempore rerum pretia variantur, *Gail. l. 2. obs. 23. n.* 1. *Laym. l. 3. tr. 4. c. 22. n.* 7. vel etiam relinquendum hoc erit prudentis Judicis arbitrio, ut ex Baldo tradit. *Covarr. c. l.* Ex his opinionibus duæ posteriores sunt probabiliores cæteris.

VI. Limitatur autem tradita doctrina primò. Quòd non remitti debeat pensio ob sterilitatem, si ob præcedentium, vel etiam sequentium annorum fertilitatem præsens damnum illatum conductori compensetur, *cit. l. Ex conducto* 5. §. *Papinianus, & cit. c. Pro-*

Propter; h. t. Quòd si non quidem annis præcedentibus, sed sequentibus sterilitas præsens compensetur, tunc si quid remissum sit de pensione, annis præcedentibus, locator à conductore id repetere potest, ut ex communi docet *Less. cit. c. 24. n. 19.* quia æquum est, ut si ob sterilitatem facta sit remissio, id ob fertilitatem sequentem compensetur. Porrò tunc censetur sterilitas compensari fertilitate annorum præcedentium, & sequentium, si his annis simul collatis, tantum commodi colonus perceperit, quantum damni anno sterilitatis accepit, ita ut omnibus inter se collatis, non censeatur esse in notabili damno conductor, *Less. c. l. n. 20.* Compensatio autem sterilitatis facienda est, non tantùm cum ubertate anni proximi præcedentis, vel subsequentis, sed etiam interpolati, *Barbos. in Collect. in cit. c. Propter; n. 18.*

Limitatur secundò. Si fructus à colono jam sint collecti, & à solo separati, etiamsi nondum in horreum sint reconditi, tunc enim cùm colonus dominus fructuum factus sit, si fructus postea casu fortuito pereunt, remissionem pensionis petere non potest, res enim suo domino perit, *l. Pignus; 9. C. De pignor. act.* Aliud est, si fructus nondum sunt percepti, sed adhuc pendentes, seu in solo existentes, tunc enim sunt pars fundi, *l. Fructus; 44. ff. De rei vindic.* proprietas autem fundi ad locatorem spectat, ideòque ob sterilitatem, colono, qui ex re aliena nullum fructum percepit, pensio est remittenda, *Gail. cit. obs. 23. n. 13. Canisius in cit. c. Propter; n. 8. h. t.* Quanquam *Mol. cit. dis. 495. n. 15. Less. cit. c. 24. n. 18. Azor l. 8. c. 10. q. 2.* putent, quando fructus in fundo seu area, casu fortuito pereunt, priusquàm in horreum sint illatæ, faciendam esse remissionem pensionis; quia nondum censentur esse plenè collecti, etsi à solo separati sint. Imò Lessius putat idem dicendum, si fruges in horreo reconditæ, fulmine; vel hostium incursu pereant. Sed contrarium verius est, *arg. l. Damnum; 12. C. h. t.* Ubi dicitur, quòd damnum illatum per latrones rebus coloni existentibus in prædiis conductis, non debet à domino seu locatore resarciri, sed illud ad colonum pertinet, ut si v. g. equi & pecora ex prædio conducto à prædonibus sint ablata.

Limitatur tertiò. Si à principio expressè sit conventum, seu in pactum deductum, ut ob casum fortuitum nihil locatori de pensione ipsi solvenda à conductore detrahatur, *juxta l. Si quis domum; 9. §. Julianus; ff. h. t.* valet enim regulariter pactum, quo quis casum fortuitum in se recipit, saltem in contractibus, qui ex conventione legem accipiunt, *Gl. ibid. V. Præstaretur*, & constat ex *l. Juris gentium. 7. §. Item si quis; ff. De pact. & l. Negotium; 22. C. De negot. gest.* non tamen tali pacto censetur comprehensus casus insolitus, & planè extraordinarius, qui nonnisi rarissimè contingit, nisi id exprimatur, *arg. l. Fistulas; 78. §. Frumenta; ff. De contrah. empt.* & ex communi docet *Mol. cit. dis. n. 20.* Idq; procedit, etiamsi juramento renunciatum esset casibus fortuitis; quia juramentum non extenditur ad incognita & insolita, neque obligationem pacti, cui accedit, auget, sed tantùm magis firmat, *Gail. c. l. n. 20.* porrò hoc casu res locari debet pro minore pensione, quanti scilicet æstimatur illud onus, seu renunciatio casûs fortuiti, *Less. c. l. n. 13.*

VII. Limitatur quartò. Si non certa & stabilis pensio conductori sit imposita, sed pars fructuum aliquota, v. g. tertia, aut quarta pendenda sit: tunc enim etiam ob sterilitatem nihil de pensione conductori remittitur, *l. Si merces; 25. §. Vis major in fine ff. h. t.* Ubi etiam ratio redditur, quia partionarius colonus, quasi societatis jure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur, *Mol. c. l. n. 22. & alii communiter.*

Limitatur quinrò. Si culpâ conductoris sterilitas, vel aliud damnum acciderit, ut quia in colendo agro, vel colligendis fructibus negligentior fuit, sive propriâ, sive servorum culpâ id factum sit, *l. Videamus; 11. in princ. ff. h. t. Azor cit. c. 10. q. 2. Molin. cit. dis. n. 13. Gail. c. l. n. 21.* quia damnum, quod quis suâ culpâ sentit, sibi, non aliis imputare debet, *Reg jur. 86. in 6.* Idémque dicendum, si sterilitas vel damnum, non casu fortuito, sed vitio rei locatæ proveniat, *cit. l. Ex conducto; 15. §. Si vis; ff. h. t.* quod tamen intelligendum videtur, si culpa conductoris vel coloni intervenerit, quia debitam diligentiam in curandis vitibus, vel colendo agro non adhibuit, *Gl. in cit. c. Si Propter; V. Vitio rei; h. t. Canis. ibid. n. 3.* quamvis *Molin. c. l. n. 15.* id intelligat de fructibus corruptis sine culpa conductoris, antequam integrè collecti sunt, & in domum illati.

Limitant nonnulli sextò. Si sterilitas, vel alia calamitas in aliquo loco sæpe contingere solita sit: tunc enim non est remittenda pensio, ut si quis conduxit prædium juxta flumen, quod sæpius exundat; quia in damnum, quod prævidisse creditur, tacitè consensisse videtur: ac proinde id non ascribitur casui fortuito, sed ipsi conductori scienti, & volenti imputatur. quod etiam aliqui extendunt, si quis conduxit fundum tempore belli, *Azor c. l. Gail. c. l. n. 21.*

Limitatur septimò. Quòd pensio ob sterilitatem remitti non debeat Emphyteutæ: is enim principaliter, non propter usum rei, sive ratione perceptorum fructuum, sicut colonus conductitius: sed in recognitionem dominii tantùm canonem seu pensionem solvit, non habitâ ratione fructuum, & quidem ordinariè modicam tantùm, ideòque ob sterilitatem ab ejus solutione non liberatur, neque in totum, neque pro parte; sterilitas enim non aufert substantiam fundi, cujus nomine pensio debetur domino, per quam tantùm diminuuntur fructus, fundo manente integro, quorum periculum ad Emphyteutam spectat, *41. C. de jur. emphyt.*

Veruntamen si Emphyteuta magnum canonem, sive pensionem solvere cogatur, ita ut ea correspondeat, & adæquet æstimationem fructuum (prout hoc tempore passim fieri solet:) tum æquitas postulat, ut ob magnam sterilitatem incidentem etiam ipsi fiat remissio canonis, seu pensionis; quia tali casu censetur pensionem solvere magis propter usum rei, & in recompensationem fructuum, qui inde percipiuntur, sicut colonus conductitius: quàm in recognitionem dominii: fructibus ergo non percepris, non potest exigi pensio eorum nomine solvenda, quippe cessante causâ, ob quam ea solvitur, *Gail. cit. obs. 23. n. 24. & 25. Laym. lib. 3. tr. 4. c. 22. n. 7.*

VIII. Illud hoc loco præterea quæri potest, an sicut, ob immodicam sterilitatem pensio solvenda à Conductore Locatori pro rata remittenda est: ita è diverso, ob multò majorem & extraordinariam fructuum ubertatem, qui uno, vel pluribus annis ex fundo conducto uberes proveniunt, pensio possit à Locatore augeri? Resp. affirmativè, si illa fertilitas ex cœli clementia, vel alio fortuito casu ob rerum mutationem proveniat. Ut si v. g. conduxit quis molendinum,

ex quo percipere solebat, quòt annis, lucrum 50 florenorum, nunc autem, quia impetu aquarum alia vicina molendina casu fortuito destructa sunt, percipit 100. fl. potest augeri pensio, ut majorem conductor locatori solvere teneatur: nam sicut æquitas dictat, ut ob insolitam sterilitatem aliquid detrahatur de pensione: ita etiam dictat, ut ob insolitam ubertatem aliquid addatur, quia contrariorum eadem est ratio, *Abb. in c. Si propter*; 3. *n. ult. h. t. Azor cit. c.* 10. *q.* 3. *Mol. cit. dis. n. ult. Less. c. l. n.* 21. *& alii communiter.* Dixi, casu fortuito, ita ut propter talem fertilitatem ex casu fortuito provenientem Conductor multò majus lucrum percipiat: si enim propter copiam & abundantiam fructuum, hi non multò pluris valeant, quàm fructus consuetæ messis, quia fructuum abundantia facit decrescere valorem eorum, tunc non est augenda pensio, quia conductor non multò plus lucri percipit ex tali abundantia, *Less. c. l. n.* 22. & alii Dd. citt. Quòd si verò ubertas fructuum proveniat ex industria & opera conductoris, non est augenda pensio, neque enim ei sua industria damnosa esse debet. Nec denique si ex bonitate fundi proveniat ubertas, pensio augeri debet; hanc enim dominus censetur locâsse, majore mercede, quàm potuit, ut tradunt Dd. citt. Quare quod dicitur in *cit. l. Si merces*; §. *Vis major.* quòd colono immodicum lucrum non auferatur, ac proinde nec propter lucrum, ac uberes fructus augeri possit pensio: id intelligendum est, quando lucrum & ubertas illa non provenit ex casu fortuito, alioquì verò augeri potest pensio, *Mol. c. l. & Azor.*

§. III.

An Locator possit ante vel saltem post finitum tempus locationis, Conductorem expellere ex fundo, vel domo conducta?

IX. Ad hanc quæstionem respondetur, sicut, durante adhuc tempore locationis, non potest Locator Conductorem expellere ex fundo, vel domo locata, etiamsi alius majorem pensionem offerat, *l. Ædes & l. Si olei* 21. *ff. h. t.* ita post tempus locationis finitum, potest, propriâ auctoritate, vel intentatâ actione locati, expellere Conductorem, etiamsi ipse eandem, quam novus conductor, vel etiam majorem mercedem seu pensionem vellet solvere, *l. Ne cui*; 32. *C. eod.* Ubi prohibetur, ne conductor, finito conductionis tempore, impediat dominum uti, frui re suâ, vel alteri locare, aut molestiâ inferre novo conductori. Ubi tamen excipitur, nisi per speciale pactum in scriptis factum, aliud fuerit conventũ, nempe ut non liceat locare alteri, quamdiu primus conductor rem conductam habere vellet, & tantum dare, quantum alius daturus esset, *Gl. ibid. V. Pacta.* Vel nisi consuetudine alicubi hoc inductum sit; nam quod potest fieri per pactum, potest etiam consuetudine induci, *l. ult.* & ibi Dd. *C. de fide jussf. Mynsing. cent.* 4. *obs.* 23.

X. Cæterùm alius casus specialis circa hanc rem habetur in *c. Ex scripto*; 1. *h. t.* Ubi sub pœna excommunicationis (latæ sententiæ sive ipso facto incurrendæ, *Gl. ibid. V. Sub excommunicatione*) prohibetur, ut nullus ex Magistris (quo nomine comprehenduntur etiam Doctores cujuscúnque facultatis, *Abb. hìc n.* 5.) vel Scholaribus Bononiensibus, super conducendis hospitiis seu domibus, in quibus Magistri vel Scholares habitant, cum hospite vel patrono conveniat, vel contrahat, nisi priùs constiterit tempus conductionis finitum esse, & absq; eorundem inquilinorum consensu: quam Constitutionem à Legato Sedis Apostolicæ latam Papa Clemens III. auctoritate Apostolicâ confirmat, & mandat insuper Ordinario loci, ut eadem Constitutio singulis annis coram Magistris & Scholaribus promulgando renovetur.

XI. Circa hanc Constitutionem Notandum primò. Quòd ea, quatenus est pœnalis, excommunicationem inferens iis, qui conducunt, ante tempus conductionis finitum, hospitia aliorum Professorum vel Studiosorum, absque consensu eorum, solùm est localis, quippe tantùm lata & promulgata contra Magistros & Scholares Bononienses, in præjudicium aliorum conducentes, adeóque ad alios non est extendenda quoad pœnam, quia ut sic est odiosa, ut notat *Abb. hìc n.* 10. at verò quamvis, quatenus est dispositiva, à principio edita fuerit solùm in favorem Magistrorum & Scholarium Bononiæ commorantium, & sic tantùm fuerit localis, postquam tamen à Papa simpliciter approbata & confirmata fuit, atque redacta in Corpus Juris communis, facta est generalis, ita ut locum habeat in aliis etiam Universitatibus, in quibus eadem æquitatis ratio idem statuendum suadet, ut tenet *Hostiens. hic col.* 2. §. *Nec obstat*; *& Vivian. in Ration.*

Verùm alii censent dictam Constitutionem, etiam quatenus dispositiva est, esse tantùm localem, ut docet *Innoc. Io. Andr. n.* 5. *Silvest. V. Excommunicatio*; 9. *n.* 11. *Clar. l.* 5. *sent. q.* 77. *n.* 26. continet enim jus speciale derogans Juri communi, in *cit. l. Ne cui*; *C. h. t.* quatenus in *cit. c.* 1. prohibetur, ne ædes conductas à Professoribus & Studiosis Bononiensibus, in eorum præjudicium, & alii Magistri & Studiosi conducant, si, qui priùs conduxerunt, pro eodem pretio illas ædes velint reconducere: ac proinde cùm hæc Constitutio lata sit tantùm in ordine ad Universitatem Bononiensem, non videtur ad aliarum Universitatum Doctores & Scholares extendenda; quia causa ferendi illam non videtur fuisse favor publicus studiorum, sed speciales æmulationes & contentiones ei occasionem dedisse, quæ inter Doctores & Studiosos Bononiæ erant exortæ.

Verùm de reconductione in *cit. c.* 1. nulla fit mentio, sed neque per Constitutionem hujus *c.* 1. derogatur juri Civili in *cit. l. Ne cui*; *ff. h. t.* Ubi dicitur, secluso pacto speciali, post finitum tempus locationis rem alteri, cui dominus voluerit, posse locari. Ex quo colligitur etiam, quòd ante finitum tempus locationis potest res alteri locari, ita tamen ut talis locatio seu conventio referatur ad tempus finitæ locationis, & antea effectum & executionem non consequatur.

§. IV.

In quibus casibus Locator potest inquilinum etiam invitum, ante tempus locationis finitum expellere, & vicissim Conductor ex justa causa recedere?

XII. Assertio 1. Plures sunt casus, in quibus Locator potest inquilinum invitum è domo locata, etiam ante tempus locationis finitum, expellere, vel amovere, qui

qui recenſentur in *l. Ædes* 33. *C. de locat. & condu. & c. Propter* 33. §. *Verùm, h. t.* Videlicet ſi neceſſitas domum inhabitandi, vel reficiendi, quæ tamen tempore locationis non erat, id expoſcat, ita tamen ut penſio pro reſiduo temporis remittatur: poterit etiam conductor rationabiliter inde amoveri, ſi malè converſatus fuerit in re conducta, vel ſi canonem per biennium non ſolverit, niſi celeriter ſatisfecerit.

XIII. Primus igitur caſus eſt, ſi locator domum à ſe locatam propriis uſibus eſſe neceſſariam probet, quia v. g. domus, quam inhabitabat, corruit, vel incendio abſumpta eſt, vel quia uxorem duxit, ideóque familiam habere incipit, *Gl. in cit.* §. *Verùm*; *V. Non imminebat*: quod etiam extenditur ad filios, ut ſi pater filio uxorem ducenti domum dare debeat: vel viciſſim filius locans patri habitatione carenti &c. quia hi jure naturali conductori extraneo præferuntur: *Azor cit. l. 8. c. 8. q. 2.* quo tamen caſu penſio pro rata ſeu proportione temporis conductori expulſo, ſeu amoto remittenda eſt, *cit.* §. *Verùm*, ibi: *quæ non imminebat locationis tempore*: alioquin dominus ſibi imputare debet, quòd tempore contractûs ſibi non proſpexerit, ſed ædes ſibi neceſſarias futuras temerè elocaverit, *arg. l. Si is* 3. §. *fin. ff. Ut in poſſeſſ. Legat. &c.* Quòd ſi neceſſitas poſt locationem ſuperveniat, meritò locatori ſuccurritur, eò quòd contrahendo cum inquilino non cenſeatur conſenſiſſe in caſum neceſſitatis, quæ fortuitò & præter opinionem accidit, *Caniſ. in cit.* §. *Verùm*; *n.* 10. *h. t.* Idque procedit, etſi pactum præceſſerit de conductore non expellendo, quia pactum illud non extenditur ad caſus jure exceptos, *l. Quæro* 54. §. *Inter locatorem*; *ff. h. t.* niſi ex circumſtantiis colligi poſſit, locatorem voluiſſe huic ſuo privilegio renunciare, *Molin. diſ.* 479. *n.* 8. Porrò licèt aliàs regulariter contractus ab initio ſint voluntarii, ex poſt facto verò neceſſarii, *l. Sicut*; 5 *C. de oblig. & act.* poteſt tamen contractus interdum propter ſupervenientem cauſam neceſſariam etiam invito altero contrahente, diſſolvi, ut notat *Abb. in cit. c. Propter*; *h. t. n.* 6.

XIV. Alter caſus ejiciendi inquilinum eſt. Si domus locata neceſſariò reficienda ſit, quæ tamen tempore locationis non indigebat refectione, *cit.* §. *Verùm & l.* 3. § *Cùm inquilinus*; *ff. Uti poſſidetis*: nam ſi dominus tempore locationis ſcivit domum indigere refectione, & nihilominùs illam locavit, non excuſat illum neceſſitas reficiendi, quin teneatur conductori ad intereſſe; neminem enim excuſat neceſſitas, in quam volens ſe conjicit, *l.* 2. §. *Si qui tamen*; *ff. Si quis cautionib. &c.* monet tamen *Gl. margin. in cit. l.* §. *Cùm inquilinus*; *ff. Uti poſſid. lit. C.* quòd refectâ domo, conductor locatorem cogere poteſt, ad locationem repetendam, ita ut rurſus in ea habitare poſſit. Item in hoc etiã caſu debet locator mercedem remittere, pro rata portione temporis, *cit.* §. *Verùm*, *Azor c. l.* §. *Intertia cauſa*.

XV. Tertius caſus eſt. Si conductor in re conducta malè ſeu perverſè verſatus ſit, *cit.* §. *Verùm*, *& cit. l.* 3. *C. h. t.* Id quod dupliciter contingere poteſt: vel quia conductor rem conductam deteriorem facit, tunc enim (ſicut & emphyteuta) expelli poteſt, *juxta Auth. quibus C. de SS. Eccleſiis*, ubi *Gl. margin. V. Deteriorem* ait, in illa deterioratione tria concurrere debere. Primò, ut ſit notabilis, non modica, arbitrio ſcilicet judicis æſtimanda. Secundò, ut ſit perpetua ſeu durabilis deterioratio, ſive deſtructio, ac proinde facta non in fructibus: ſed in proprietate, ac ſubſtantia rei locatæ, v. g. in exciſione magnarum arborum in prædio, ita ut damnum ad dominum fundi, non ad colonum vel emphyteutam tantùm ob fructus deſtructos pertineat. Tertiò, ut hujusmodi deterioratio proveniat ex dolo vel culpa conductoris. Vel conductor malè in re conducta verſatur, quia in eam recipit meretrices, fures, uſurarios &c. & tunc ſimiliter expelli poteſt. Ratio eſt, quia priore caſu conductor damno afficit locatorem: poſteriore domum ejus efficit infamem, *Azor c. l. In 4. cauſa*. An autem in hoc tertio caſu locator debeat penſionem remittere pro rata temporis, vel etiam ſolutam reddere, dubitatur! Aliqui apud *Gl. in cit. c. Propter*; *V. Perversè, & in cit. l.* 3. *V. Verſata es*, volunt, nihil remittendum eſſe de penſione, ad eam compenſandam, cum damno. Sed rectiùs diſtinguit *Abb. in cit. c. Propter n.* 16. Vel inquilinus malè verſatur in domo, ita ut damno locatorem afficiat, & tunc fit remiſſio penſionis pro reſiduo temporis; quia eo caſu poſſet locator conductorẽ convenire, vel actione locati, vel ex lege aquilia, ad damnum reſarciendum. Vel perversè, id eſt, inhoneſtè verſatur in domo locata, ſine damno illato, v. g. inducendo ſcorta in domum; & tunc locator nihil tenetur remittere de penſione, quia dominus non debet ſentire damnum ex culpa inquilini.

XVI. Quartus caſus eſt. Si conductor penſionem ſolvere intermittat, *l. Ædem* 3. *C. h. t.* & quidem in ſolidum, ut dicitur ibid. hoc eſt, integram: neque enim ſufficit ſolvere per partes & intervalla, talis enim particularis ſolutio cùm magna habeat incommoda, *l. Plenè* 3. *ff. famil. herciſc.* conductorem non excuſat, quòminus expelli poſſit. *Gl. in cit. l. Ædem*; *V. In ſolidum*. At verò in *cit. c. Propter*; §. *Verùm*, ad hoc ut conductor expelli poſſit, durante tempore locationis, requiritur, ut per biennium canonem non ſolverit, niſi moram celeri ſatisfactione purget. Id autem intelligendum eſt, ſecundùm *Gl. ib. V. Canonem*, *& Abbat. n.* 10. de locatione facta ad tempus longum, videlicet ad 10. annos, vel ſaltem ad 5. vel 6. annos. Sin autem res ad breve tempus locata ſit, duos, vel tres annos, poteſt conductor ſtatim debito tempore non ſolvens penſionem, expelli, *arg. cit. l. Ædem*; 3 à contrario ſenſu. Sed rectiùs *Molin cit. diſ.* 499. *n.* 3. & 4. ait, ſpectato Jure communi Cæſareo, non requiri certum tempus ad expellendum conductorem: ſed ſufficere, ſi tempore conſtituto penſionem contumaciter ſolvere negligat: quod ſecundùm jura præſumitur, ſi per biennium ceſſaverit: qui videtur eſſe ſenſus *l. Quæro* 54. §. *Inter locatorem*, *& l. Cùm domini* 56. *ff. h. t.* cui conſentit textus in *cit. c. Propter*; §. *Verùm*.

XVII. Aſſertio 2. Sicut locator conductorem, etiam invitum, ex prædictis cauſis, poteſt expellere: ita è contrario colonus, vel conductor, ante tempus locationis finitum, etiam invito locatore, ex juſta cauſa recedere poteſt. Veluti ſi impedimentum inhabitandi incidat, vel quò minùs re conductâ uti poſſit, quia v. g. domus ſpectris nocturnis infeſtatur, vel etiam ob incurſionem hoſtium, aut graſſantem luem per non modicum anni tempus inhabitare non potuit ædes conductas: tunc enim liberè poteſt conductor emigrare è domo conducta, & remittendum eſt ei de penſione, ſecundùm proportionem temporis, quo inhabitare, aut re conductâ uti non licuit, ut conſtat ex *l. Sed addat* 19. §. *Si quis cùm in annum*, *& l. Habitatores* 27. §. *fin. ff. h. t.* Ubi dicitur, quòd ſufficiat juſtus timor periculi, etſi verè periculum non fuerit, ut fieri debeat remiſſio mercedis, *Azor p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. §. *Quanti nequit*. Verùm ſine juſta

& pro

& probabili causâ colonus vel conductor, ante finitum tempus locationis, rem locatam deserere non potest, alioqui debet integram pensionem solvere, & id quod locatoris interest. *l. Dominus* 55. §. *Qui contra legem ff. h. t.* Porrò finito locationis tempore, utrique parti locatori & conductori recedere licet, *l. Invitos* 11. *& l. Ne cui* 32. *C. h. t.*

§. V.

Ex qua culpa teneatur tum conductor, tum locator?

XVIII. Assertio 1. Si res conducta periit apud conductorem, vel deterior facta est dolo, vel culpâ latâ, vel etiam levi conductoris, debet ab hoc resarciri damnum: non item si casu fortuito, vel culpâ levissimâ conductoris damnum evenerit, ut constat ex *l. Si ut certò* 5. §. *Nunc videndum, ff. Commodat. & l. Contractus* 23. *ff. de R. I.* cùm hic contractus utriûsque contrahentis gratiâ ineatur, & locatoris, qui mercedem pro re locata accipit, & conductoris, qui usum rei consequitur, *Azor cit. l.* 8. *c.* 7. *q.* 1. *Molin. dis.* 494. *n.* 1. *& alii communiter.*

Excipitur primò. Nisi conductor, culpâ suâ, causam dedit casui fortuito, ut quia in mora restituendi fuit: vel si v.g. convenit, ne ignem haberet, & habuit: tenebitur, etiam si fortuito casu acciderit incendium, quia ignem habere non debuit, *l. Videamus* 11. §. *Si hoc, ff. h. t.* Idemque est, si inter locatorem & conductorem convenit, ne in villa urbana fœnum componeretur, tenetur conductor, sive servus ejus, sive extraneus ignem incenderit; quia causam præbuit inferendo fœnum, contra pactum in conductione appositum, *cit. l. Videamus,* §. *fin. & l. seq.* Excipitur secundò, nisi expressè conventum sit, ut conductor teneatur de minore culpa, vel casu fortuito: vel etiam ut non teneatur de tanta culpa, standum enim est pacto, nisi id adversetur æquitati, vel bonis moribus, veluti si conveniatur, ne conductor, vel alius de dolo teneatur, *l. Si unus* 27. §. *Illud, ff. de pact. l. Pacta* 6. *C. eod.*

XIX. Excipiunt tertiò Nonnulli, nisi res valde pretiosæ locatæ sint, quæ suâpte naturâ exactissimam diligentiam in custodiendo requirunt, ideóque conductor culpam etiam levissimam præstare tenetur, *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 22. *q.* 4. Idque probari videtur ex §. *pen. Instit. h. t.* Ubi dicitur: qui pro usu vestimentorum, aut argenti, aut jumenti mercedem aut dedit, aut accepit, ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet, quibus verbis culpam levissimam significari ex suprà dictis constat, Sed contra est, quod in *l. Inre* 18. *ff. Commod.* respondet JCtus: si argentum utriusque causâ commodatum sit, tantùm culpam levem præstari: idem ergo in ejusdem locatione & conductione, quæ utriûsque gratiâ est inita, erit dicendum: quare rectiùs respondetur cum *Azor cit. l. c.* 7. *q.* 3. *Mynsing in cit.* §. *Qui pro usu Instit. h. t.* quòd pro subjecti contractûs materia, superlativus pro positivo, & è contra hic pro illo aliquando accipiatur; verba enim secundùm subjectam materiam sumunt interpretationem: unde sicut diligentia in materia commodati, quod regulariter accipientis tantùm gratiâ celebratur, custodiam exactissimi hominis significat, *cit. l. Si ut certò* 5. §. *Videndum, & in l. In rebus* 18. *ff. Commod.* ita & in contractu locationis, aut aliis, qui utriûsque gratiâ ineuntur, custodia diligentissimi patrisfamilias non summum diligentiæ gradum designat, sed diligentiam tantùm mediocrem & exactiorem, quam neque socors, neque diligentissimus, sed sedulus & diligens quisque rebus suis adhibet, *arg. l. Ea* 14. *ff. de pignor. act.* Similis responsio est ad *l. Si merces* 25. §. *Qui columnam, ff. h. t.*

Cæterùm idem est dicendum de rebus, quæ ex natura sua facilè franguntur, aut corrumpuntur, ut columnæ marmoreæ elaboratæ, vel vasa vitrea, quòd nimirum conductor in his custodiendis nonnisi levem culpam præstare teneatur, si fine peritiæ & artis professione eas conduxerit (alioquí si tanquam peritus & artifex operas suas locavit, obligatur etiam de culpa levissima) ut colligitur ex *cit.* §. *Qui pro usu Instit. h. t.* Ubi eadem à conductore diligentia requiritur vestimenti, argenti & jumenti, nemo autem dixerit, conductorem jumenti teneri ad exactissimam diligentiam, adeóque de culpa levissima, ad custodiendum jumentum: imò neque pro usu vel custodia argenti, si utrisque gratiâ sit commodatum, *cit. l. In rebus,* ergo neque pro custodia vel usu vestimentorum conductor tenebitur ad præstandum culpam levissimam: sed solùm levem, & consequenter etiam aliarum rerum, quæ facilè corrumpuntur, *Mol. cit. dis* 494. *n.* 2. *ff. Si quis.*

XX. Assertio 2. Similiter & locator si vitiosam rem locavit, indéque damnum patiatur conductor, tenetur ad illud resarciendum, si dolo vel culpâ latâ, vel levi locatoris illatum sit: non item si casu fortuito, vel ex culpa levissima. Ratio patet ex dictis, quia contractus locationis in usriûsque commodum initur, *Azor cit. c.* 7. *q.* 6. *Less. cit. c.* 24. *n.* 30.

§. VI.

De permissa, vel prohibita locatione & conductione rerum Ecclesiasticarum.

XXI. Assertio 1. Non potest Prælatus, aut Rector Ecclesiæ rem alienari prohibitam, sine cognita justa causa necessitatis, vel utilitatis, & juris solennitatibus, locare ad longum tempus, videlicet ad decennium, si locatio sit realis, sive nomine Ecclesiæ fiat. Potest autem Prælatus rem Ecclesiæ alienari prohibitam, sine expresso consensu Capituli, & non adhibitâ etiam auctoritate Superioris, locare ad breve tempus, sive infra decennium!

Prima pars sumitur ex *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alien.* Ubi prohibetur locatio seu concessio rerum Ecclesiasticarum ad vitam sive recipientis, sive concedentis, *Gl. ibid. V. Ejus,* & ad certum tempus, longum scilicet: nam quamvis aliàs arbitrio judicis definiendum relinquatur, quodnam sit longum tempus, in hac re tamen locatio ad decennium censetur ad longum tempus facta, *juxta Gl. receptam in l. ult. ff. Si ager vectigalis vel Emphyteut. &c. Gl. marg. in l. Sicut certo* 5. §. *Si duobus; ff. Commod.* ideóque talis locatio prohibita est Jure Canonico, si fine solennitatibus requisitis fiat; quia per eam jus utilitatis, sive dominium utile rei, ejúsque possessio translata censetur, ut ex communi docet *Covarr. l.* 2. *resol. c.* 16. *n.* 1. Nam

quòd

quòd locatio longi temporis censenda sit, quæ fit ad decennium, vel ultra, eâque prohibita sit, tradit etiam *Azor. p. 2. l. 7. c. 10. q. 3. Sanch. l. 7. mor. c. 26. num. 34.*

Secunda pars sumitur etiam *ex cit. Clement. 1. in fine*, ubi habetur, quòd locationes ad modicum tempus fieri possunt: modicum autem tempus dicitur, quod est infra decennium, *Gl. fin. ibid.* & constat *ex c. ult. Ne Prælati vices suas, &c.* ubi de locatione ad septennium fit mentio, *Azor. c. l. & Sanch.* Si ergo infra tempus decennij locatio fiat, ea licita est, & valida; quia non censetur propriè dicta alienatio, cùm per illam nec dominium utile transferatur: neque colonus suo nomine possidet, sed nomine domini locantis, §. *Possidere, Institut. de interdict. l. Si id quod; 25. §. 1. ff. de acquir. possess. Laym. in disp. de rer. Eccles. alien. Thes 78. & 79.* Verùntamen jure novo *in Extravag. Ambitiosæ unic. de reb. Eccles. non alien. inter communes*, omnis rerum Ecclesiasticarum locatio sub censuris est prohibita, si fiat ultra triennium, perinde ac si ad longum tempus facta esset. Quæ Constitutio observari debet in ijs locis, in quibus est recepta, & quatenus est recepta, de qua actum supra *Tit. 13. n. 54. & seqq.*

XXII. Assertio 2. Locatio rei locati prohibitæ ultra triennium, vel ad longum tempus, non potest fieri ad sex, vel novem annos, vel etiam ad quatuor triennia, vel tria quinquennia, addito pacto, ut finito uno triennio, vel quinquennio, renovata censeri debeat locatio in aliud triennium, vel quinquennium; nam talis contractus locationis non valet, saltem quoad excessum, sive annos jure non permissos, ut ex communiore sententia docet *Covarr. cit. c. 16. n. 4.* & colligitur *ex Auth. de non alien. reb. Eccles. c. 3. §. Quod autem, Versic. Neque illud collat. 2.* quia tale pactum adjectum locationi fit in fraudem legis, perinde enim est, ac si locatio reverâ fiat ultra triennium, vel longum tempus. Verùntamen probabile est, talem locationem, etsi non valeat quoad excessum, seu annos jure non permissos, valere tamen quoad tempus jure permissum, v. g. triennium, ut plures docent apud *Covarr. c. l. n. 5. Laym. in cit. disp. Thes. 80.* Ratio est, quia in ijs, quæ separari possunt, utile per inutile vitiari non debet, *Reg. 37. in 6.* at in proposito, tempus quoad excessum commodè separari potest à tempore jure permisso: sicut ergo donatio facta, absque insinuatione, ultra 500. solidos, sive aureos invalida solùm est quoad excessum, valida autem quoad summam jure permissam, *l. Sancimus 34. in princ. & l. pen. C. de donat.* ita idem dicendum est de locatione facta ultra tempus jure permissum, *Covarr. c. l. & Laym.*

XXIII. Assertio 3. Licèt Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius non possit jus decimarum alienare, vel transferre in alium incapacem, v. g. Laicum, imò neque in Clericum, sine justa causa, & solennitatibus jure requisitis: potest tamen ipsos proventus decimarum, vel aliorum Ecclesiasticorum fructuum perceptionem, sine præjudicio Ecclesiæ & Successoris, locare alteri, etiam Laico, prout sumitur *ex c. » Vestra; 2. h. t.* Ubi cùm cùm quidam Episcopi sta- » tutum fecissent, ut subjecti ipsis Clerici, vel Re- » ligiosi fructus decimarum non dent ad firmam, » sive pro censu annuo non locent alijs, quàm Pres- byteris Parochialibus, seu Parochis: contra hoc » statutum questi sunt Abbas & Conventus S. Petri » Diœcesis Londonensis. Quibus respondet Inno- » centius III. quòd non obstante contrario statuto » Episcopi Diœcesani, proventus, seu fructus deci- » marum suarum liberè (id est, sine consensu alterius, » *Abb. hîc n. 4.*) possint locare ijs, cum quibus Eccle- » siæ suæ conditionem poterunt meliorem facere, » ita tamen, ut ejusmodi locatio non extendatur ad » Feudum, vel alienationem perpetuam scilicet, » per quam dominium directum, vel utile rei trans- » feratur. *Gl. fin. hîc & Innocent. V. Alienationem*, seu ad locationem ad longum tempus, *Abb. hîc num. 5.* Ratio est, quia quamvis Episcopus, cum Capitulo suo Cathedrali, possit condere statuta in ijs, quæ pertinent ad jurisdictionem suam: non tamen potest statuere quidquam in præjudicium jurium Ecclesiarum sibi subjectarum, sine consensu, vel saltem præsentiâ eorum, quorum interest, qui si præsentes sint & taceant, pro præsentibus habentur, *Innoc. hîc V. Statuto, & Abb. nu. 6.* atquî spectato Jure communi, possunt Prælati, & Rectores Ecclesiarum, aliíque Beneficiarij proventus decimarum, ac Beneficiorum suorum ad tempus modicum locare, quibus ipsi voluerint, etiam sine consensu Superioris, ut patet *ex hoc c. V. Liberè*: ergo non potest Episcopus hanc facultatem à jure communi ipsis concessam restringere, vel tollere in præjudicium, aut damnum Ecclesiarum, & ipsorum Beneficiariorum; cùm indultum à jure beneficium non sit alicui auferendum, juxta *Reg. Jur. 17. in 6.* Excipi debet, nisi causa aliqua cedens in bonum publicum aliud exigat, tunc enim poterit Episcopus Clericos, & Religiosos sibi subjectos cogere, ut v. g. ædes suas locent scholaribus, vel militibus ante alios, vel, ut quamdiu illi inhabitare volent, alijs non locent, etsi majorem pensionem offerant, *arg. c. 1. h. t. Imola hîc in fine.*

Portò possunt fructus decimarum, aliíque reditus Beneficiorum etiam Laicis locari pro pensione annua, ut docet *Abb. in cit. c. 2. num. 3. h. t. Covarr. l. 1. resol. c. 17. num. 5.* quia conductor Laicus non percipit fructus nomine suo: sed nomine Clerici locantis.

§. VII.

An locationi factæ per Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ, Successor eius stare teneatur?

XXIV. Assertio 1. Si Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, Capitulo sciente, & patiente, vel saltem non contradicente rationabiliter, fundum pertinentem ad ipsam Ecclesiam, cujus scilicet reditus ad eandem pertinent, non ad ipsum Prælatum, vel Rectorem, ipsius Ecclesiæ nomine, pro annua pensione concessit, seu locavit ad tempus breve, videlicet infra decennium, vel non ultra triennium, ubi supra dicta Constitutio Paulina est recepta, & observatur, Successor in dignitate, vel officio tali locationi stare tenetur, ut docet *Abb. in c. ult. n. 5. Ne Prælati vices suas, &c. Covarr. l. 2. resol. c. 15. n. 6. §. Primum.* Ratio est, quia

quia talis locator est legitimus Administrator Ecclesiæ, & rerum ad Ecclesiam pertinentium, ergo si res Ecclesiæ locavit nomine Ecclesiæ, ad tempus jure permissum, contractus locationis est validus, adeóque Successor illi stare tenetur, sicut Tutor, qui alteri Tutori in administratione tutelæ successit, tenetur stare, vel etiam ipse pupillus, cujus tutela administrata est, *l. Si tutelæ; 8. ff. de administ. tut.* Si verò locatio sit facta ad tempus longum, videlicet decennium, vel ultra (vel etiam ultra triennium, ubi Paulinæ Constitutionis obligatio viget) neque successor, neque ipsemet locator tenetur stare locationi: nisi in casu jure permisso, & servatâ solennitate requisitâ ad perpetuas alienationes, tunc enim illi stare tenetur etiam successor, *Abb. in cit. c. ult. num. 5.* Verùntamen si Ecclesia se læsam esse ex tali contractu probare possit, restitutionem in integrum petere potest intra tempus quadriennij à jure definitum, *c. 1. de integr. restit. c. 1. eod. in 6. Abbas c. l. Covarr. c. l. §. Tertium; Laym. cit. dis. Canon. de rer. Eccles. alien. num. 80.*

XXV. Hinc patet, locationem, mortuo Prælato vel Rectore, non finiri, nec ab ejus successore retractari posse, si ea facta fuit nomine Ecclesiæ, & ad tempus jure permissum, ab eo, qui eam rem locare potuit, ut legitimus Administrator rerum Ecclesiæ, & ipsius rei locatæ reditus ad Ecclesiam, non ad Prælatum, vel Rectorem pertineant. Idque procedit, etiamsi Prælatus, vel Rector, qui locavit, tantùm ad triennium sit constitutus, & in officio maneat, juxta Ordinis alicujus statuta, vel consuetudinem; vel etiam ad annum duntaxat, v. g. Rector alicujus Hospitalis Episcopi auctoritate locati, qui fundum ejus ad triennium, vel aliud tempus jure permissum locavit, successor enim obligatus est ad servandum contractum locationis nomine Monasterij, vel Hospitalis initum, alioquin Prælatus, vel Rector non haberet sufficientem, & legitimam potestatem administrandi, & deciperentur cum ipso contrahentes, *Covarr. c. l. §. Ex hoc apparet, Laym. c. l.*

XXVI. Assertio 2. Quamvis Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, cujus reditus non ad Ecclesiam, sed ad ipsum Prælatum, seu Mensam ejus pertinent: adeóque non Ecclesiæ, sed nomine proprio, & ad utilitatem propriam; possit facere concessionem, seu locationem personalem, sive in persona sua fundatam, etiam non requisito Capituli consensu, & sine alijs juris solennitatibus, ita, ut etiam ultra decennium, & pro toto vitæ suæ tempore rem Ecclesiæ locare possit; quia tunc agitur tantùm de suo præjudicio, ut docet *Abb. in c. 2. num. 7. supr. de his, quæ fiunt à Prælat. &c. Laym. in cit. dis. Thes. 81.* non tamen tenetur tali locationi stare Successor illius: imò talis locatio morte Prælati locantis expirat: ideóque præjudicium nullum Ecclesiæ, vel Successori in Prælatura affertur, ut docet *Gl. Communiter recepta, in cit. c. ult. V. Statutum terminum, ne Prælati vices suas, &c. Covarr. cit. c. 15. num. 6. §. Secundum. Laym. cit. Thesi 81.* Ratio est, quia Prælatus, aut Rector Ecclesiæ non potuit rem talem locare ultra tempus vitæ, vel administrationis suæ, & mortuo Prælato, seu Rectore, qui locavit, fructus & reditus ad Successorem pertinent, eique reservari debeat, *c. ult. de Offic. Jud Ordin. in 6. & c. Relatum, 12. de Testam. Abb. in cit. c. ult. num. 8. Ne Prælati vices suas, &c.* ideóque locatio ejus morte extinguitur. Idémque est, si Rector Ecclesiæ, qui locavit, Beneficio renunciaverit, ante finitam locationem; non enim tenetur ejus Successor stare locationi, imò etsi Successor stare velit locationi factæ ab Antecessore, non tamen conductor tenebitur stare conductioni, si nolit, cùm contractus sit finitus, *Covarr. c. l.*

XXVII. Assertio 3. Si Prælatus seu Rector Ecclesiæ, v. g. Parochus fundum Mensæ suæ incorporatum, sive cujus reditus non ad Ecclesiam, sed ad Prælatum, vel Rectorem pertinent, nomine Ecclesiæ elocet ad tempus longum, sine requisitis solennitatibus; tunc conditionalis censeri debet ea locatio, videlicet si tam diu vivat Prælatus, seu Rector Ecclesiæ; nam censetur illum voluisse elocare, quamdiu jus habet percipiendi illos reditus, *Covarr. c. l. n. 6. in fine, Laym. c. l. n. 82.*

XXVIII. Assertio 4. Si Beneficiarius aliquis non habens administrationem rerum Ecclesiæ, v. g. Canonicus vel alius Beneficiarius simplex, & non curatus, fundum ratione Beneficij sibi assignatum, pro certa pensione annua elocaverit ad certum tempus, non longum, sive infra decennium, sine consensu, & auctoritate Ordinarij, isque moritur ante tempus locationis finitum, non tenetur Successor stare contractui; quia simplex Beneficiarius non potest, imò nec Parochus, nomine Ecclesiæ fundum elocare ad longum tempus, nisi ex causa rationabili, & interveniente auctoritate Episcopi: aliàs verò non potest fundum Ecclesiæ concedere, seu locare alteri, ultra tempus vitæ suæ, nam conceditur ei præbenda solùm ad dies vitæ suæ, *Abb. in cit. c. ult. num. 7. Ne Prælati vices suas, &c. & in c. Ad audientiam 3. 9. n. 2. de reb. Eccles. non alien.* Quòd si in instrumento locationis nulla fiat mentio de consensu & auctoritate Ordinarij, licèt in ijsdem contineatur, elocationem nomine Ecclesiæ esse factam, censeri debet, concessionem seu locationem non realem, sed personalem esse factam, ita, ut effectum ulteriùs habere non possit, nisi dum Beneficiarius vivit; nam in dubio convenit actum quemliber, seu contractum ita explicare, ut valeat potiùs, quàm ut pereat, *c. Abbate 25. §. Contra de V. S.* Beneficiatus autem non habens administrationem rerum Ecclesiæ, non potest, nomine Ecclesiæ, fundum elocare, ut jam dictum, ergo debet intelligi, quòd rem seu fundum Ecclesiæ nomine proprio concesserit, seu locaverit, adeóque tantùm ad vitam suam, *Laym. cit. Thes. 82.*

XXIX. Sed quid si coloni, eorúmque majores prædia ad Parochiam spectantia per continuos 60. 70. vel 80. vel plures annos, tanquam emphyteutica possederunt, etsi nihil constet ex instrumento contractûs, seu concessionis consensum Episcopi seu Ordinarij interveniſſe: possúntne Parochi de novo investiti ea prædia sibi vendicare; quandoquidem Parochi Antecessores, qui prædia elocarunt, non potuerunt suo jure, seu nomine, & auctoritate propriâ Successoribus præjudicium afferre? Adhoc respondetur cum *Laym. cit. dis. Thesi 83.* inspiciendas esse litteras concessionis, si enim prædia illa sint in Emphyteusin concessa, vel locata ultra

ultra decennium, vel ad vitam conducentis, vel ad duas plurésve generationes, atque hoc titulo coloni possederint illa prædia, cum bona fide (uti præsumitur) & laudemium novis Parochis solverint, non debent, nec possunt è prædiis expelli: tum quia iniquum foret, si veluti decepti ab Ecclesia tot annorum possessione privarentur: tum quia posito etiam, quòd alienationes, sive concessiones illæ factæ sint sine Ordinarij consensu, aliísque juris solennitatibus: potuerunt tamé per tanti temporis possessionem, imò etiam 40. annis, cum bona fide, adversùs Ecclesiam præscripsisse, juxta *c. Illud, 8. de præscript.* tum denique ob diurnitatem temporis præsumi potest, ac debet, consensum Ordinarij interveniſſe; ob temporis enim diuturnitatem omnia præsumuntur ritè ac solenniter acta, ut docet *Gail. l. 2. obs. ult. n. 6.* præsertim cùm hîc adfuerit scientia, & patientia Ordinariorum, cùm ipsi, vel eorum Vicarij in visitatione utique inspexerint rationes Inventarij. Si verò ex litteris concessionis, vel si eæ sint perditæ, ex communi fama, seu persuasione appareat, dicta prædia fuisse elocata jure, & auctoritate solius Parochi, vel alterius Beneficiarij: tunc illa possunt colonis auferri, ob titulum concessionis manifestè vitiosum; cùm simplices Beneficiarij, vel etiam Curati, seu Parochi non possint in perpetuum, adeóque nec ultra vitam Beneficiarij, vel etiam ad longum tempus prædia suorum Beneficiorum elocare, sine consensu sui Ordinarij, & aliorum Capitularium, vel Clericorum, si Ecclesia sit Collegiata, *c. Adaudientiam; 9. de reb. Eccles. non alien.* Ubi autem deficit possessio bonæ fidei, ob titulum concessionis notoriè vitiosum, ibi præscriptio procedere non potest.

XXX. Prædictis addendum, quod habetur *in Concilio Tridentino Sess. 25. c. 11. de reform.* ubi decernitur, ut omnes locationes bonorum Ecclesiæ, quæ (ad plures annos) repræsentatâ pecuniâ, sive anticipatis solutionibus fiunt in præjudicium Successorum, pro non validis habeantur, non obstante quocúnque indulto aut privilegio, nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra illam, confirmentur.

SECTIO II.

DE CONTRACTU EMPHYTEUTICO.

Quia Emphyteusis maximam affinitatem habet cum locatione, & conductione, ideò de illa sub eadem Rubrica agitur *in c. Potuit; 4. & ult. h. t.*

§. I.

Quid sit Emphyteusis, & quotuplex: & an ad illam necessariò requiratur scriptura?

XXXI. Assertio 1. Emphyteusis, (latinè idem quod implantatio, seu insitio) est contractus nominatus, quo res soli seu immobilis, cum translatione utilis dominij, retento directo, seu proprietate, alicui colenda, & fruenda conceditur, vel in perpetuum: aut ad vitam ejus, cui conceditur: vel ad unam, aut plures generationes, sub onere certæ pensionis realis domino proprietatis solvendæ, *Molin. tract. 2. de justit. dis. 445. in princ. Less. l. 2. de justit. c. 24. num. 1. Azor. p. 3. l. 10. de Emphyt. c. 1. q. 1. Laym. l. 3. tract. 4. c. 23. n. 1. & 2. & alij communiter.* Qui vendit, sive concedit rem, seu fundum, dominus directus, seu proprietarius: qui autem emit, seu accipit, Emphyteuta dicitur.

Porrò Emphyteusis est contractus distinctus à locatione, ut patet *ex §. Adeo, Instit. h. t. & l. 1. C. de Jur. Emphyt.* à qua distinguitur primò: quia Emphyteusis solùm in rebus immobilibus, quæ culturâ meliores effici possunt, constitui potest; locatio etiam in rebus mobilibus. Secundò, quia per Emphyteusin transfertur utile dominium rei, *l. 1. & 2. ff. Si ager vectigalis, vel emphyteuticus, &c.* secutâ traditione rei, prout regulariter fit in omnibus contractibus, *l. traditionibus; 20. C. de pact.* at verò in locatione ne quidem utile, seu jus reale transfertur in conductorem, sed usus tantùm, seu commoditas fructuum, *l. Non solet; 39. ff. h. t.* saltem in illa locatione, quæ non fit ad longum tempus, nempe ad decennium vel ultra. *Covarr. l. 2. var. resol. c. 16. nu. 1. Zæsius in Comment. ff. h. t. n. 14.*

Differt 2. Emphyteusis à contractu censuali reservativo: quia in hoc non tantùm dominium utile: sed etiam directum, adeóque plenum, & perfectum transfertur in censualistam, reservato censu, sive annuâ pensione solvendâ: ita tamen, ut tametsi pensio, sive census biennio, vel triennio non sit solutus, non tamen res censualis cadat in commissum, sicut fit in Emphyteusi, quippe per quam jus, sive dominium utile non ita absolutè translatum esse censetur: sed sub conditione, si canon, sive pensio solvatur, *Jul. Clarus lib. 4. sent. §. Emphyteusis q. 1. n. 2.* ubi etiam aliam differentiam adfert; quia censum solvimus ex re nostra, Canonem verò, sive portionem Emphyteuticam ex re aliena, cùm dominium directum, seu proprietas maneat penes concedentem.

Distinguitur tertiò, Emphyteusis à Feudo: quia in illa annua realis pensio solvitur: in Feudo verò personale tantùm servitium ac fidelitas à vasallo Domino exhibetur, & præstatur, si sit Feudum merum, *Molin. cit. dis. 445. de quo infra.*

Distinguitur quartò Emphyteusis à contractu Libellario, qui tunc fit, quando Vasallus, & Emphyteuta concedit alteri prædium pro annua pensione, quod ipse habuerat ab alio in Feudum, vel Emphyteusin, ac proinde in contractu Libellario concedens non est dominus directus rei, seu proprietarius: sed qui illam in Emphyteusin accepit, ideóque vulgò appellatur Emphyteusis subalterna: quando verò verus dominus proprietatis dat rem utendam, & fruendam alteri, tunc propriè est contractus emphyteuticus, *Jul. Clar. cit. §. Emphyteusis; q. 1. num. 1. Azor. c. l. c. 1. q. 5.* ubi plures differentias inter hunc utrumque contractum adfert.

XXXII. Assertio. 2. Emphyteusis est duplex, alia Ecclesiastica, quæ est constituta in re, cujus dominium directum, seu proprietas spectat ad Ecclesiam, vel Collegium Canonicorum, vel Monasterium, vel alium locũ pium, seu Religiosum, sive utile dominium sit penes Clericum, sive Laicum. Alia est Emphyteusis profana, sive secularis, cujus dominiũ directũ est penes Laicum,

Laicum, sive quoad dominium utile res sit concessa Laico, sive Clerico: inspicitur enim persona, ad quam spectat dominium directum rei emphyteuticæ, non illa, ad quam spectat dominium utile, *Azor. cit. loc. cap.* 4.

XXXIII. Assertio 3. Ad substantiam, & valorem contractûs emphyteutici, spectato Jure communi, requiritur scriptura, sive Instrumentum scriptum, ut ex communi docet *Clar. c. l. q.* 4. *Mol. dis.* 447. *n.* 4. *Azor. c. l. c.* 5. *q.* 3. *Laym. cit. c.* 23. *n.* 6. idque colligitur *ex l.* 1. *C. de Jure emphyteut. ibi: pactionibus, scripturâ interveniente, habitis.* Quod multò expressiùs habetur de Emphyteusi Ecclesiastica *in Auth. de non alien. reb. Eccles. §. Sinimus, junct. Gl. V. Pragmatica, & §. Quod autem dictum est collat.* 2. ubi tamen consuetudo viget, ut contractus Emphyteuticus sine scriptura fiat, ea servanda est, *Molin. cit. loc. nu.* 5. *Azor. c. l.* quia consuetudo præscripta derogat Juri communi utrique. Sunt tamen plures Dd. qui censent etiam de jure communi scripturam non requiri ad substantiam hujus contractûs: sed solùm ad faciliorem probationem pactorum, quæ adjici solent, propter diuturnitatem temporis, in quod emphyteusis extendi solet, & ut evitetur falsitas, ac proinde *in cit. l.* 1. *C. de jure emphyt.* scripturam non requiri tanquam conditionem necessariam ad ipsum contractum, *Gl. ibid. V. Scriptura, Zœsius in Comment. ff. h. t. §. De Jure Emphyteutico, n.* 55.

§. II.

An ad substantiam, ac valorem contractûs Emphyteutici requiratur, ut Canon, seu pensio annua solvatur Domino, & quam pœnam incurrat Emphyteuta, si non solvat?

XXXIV. Assertio 1. Emphyteuta in recognitionem dominij directi penes proprietarium remanentis, & in compensationem dominij utilis sibi concessi debet solvere annuum canonem, sive pensionem, sicut statuitur *in §. Adeo Instit. de locat. & conduct.* Neque refert, magna sit, an modica pensio; quia absolutè loquendo, potest esse adæquata fructibus, detractis expensis, & habitâ ratione laudemij, communiter tamen, & ex consuetudine solet esse minor, & modica, ut ex communi tradit *Azor. cit. l.* 10. *c.* 7. *q.* 1. Neque etiam interest, utrùm in pecunia, an in fructibus pensio annua sit constituta: neutrum enim determinatè requiritur ex natura contractûs: sed id servandum est, quod conventio, vel statutum speciale loci, vel consuetudo hac in re præscribit, *Azor. cit. c.* 7. *q.* 4. solet autem communiter canon sive pensio solvi ad finem anni, nisi aliud pacto sit conventum, vel consuetudine loci inductum, *Clar. c. l. q.* 12. *n.* 1. *Azor. c. l. q.* 2.

XXXV. Assertio 2. Si Emphyteuta canonem sive pensionem tribus annis continuis in emphyteusi laica seu civili, vel duobus annis, si sit Ecclesiastica, solvere domino negligat, emphyteusis in commissum cadit, id est, rem in emphyteusin acceptam is amittit, eáque ad dominum redit, ita, ut utile dominium consolidetur cum directo, & dominus illum expellere possit, ut constat *ex l.* 2. *C. de jure emphyt. & exc. Potuit; 4. & ult. §. Emphyteuta quoque, h. t.* ubi Gregorius IX. ait: si Emphyteuta aliter (quàm præ- » scriptum est) vendiderit, vel in solutione canonis » per biennium cessârit: nisi celeri satisfactione mo- » ram purget, justè expelli potest: tametsi de solu- » tione facienda à domino monitus non fuerit; quia » in hoc casu dies statuta pro domino interpellat. » Quòd autem minus tempus requiratur in emphyteusi Ecclesiastica, quàm Civili, ad incurrendam hanc pœnam caducitatis, seu commissi: id statutum est in favorem Ecclesiæ, & piorum locorum, ut rebus eorum tantò magis consulatur, *Zœs. ff. h. t. §. De emphyteut. num.* 76.

XXXVI. Idque extenditur primò, ut procedat, etiamsi res emphyteutica sit magni valoris, canon verò, sive pensio modica, nihilominùs tamen ob omissionem solutionis, intra tempus statutum, emphyteusis tota in commissum cadit; quia pensio solvitur ab Emphyteuta potiùs in recognitionem dominij directi, quàm ratione rei in emphyteusin datæ, in qua longior cessatio inducere posset oblivionem emphyteuseos, ideòque non attenditur quantitas pensionis, *Clar. cit. §. Emphyteusis; q.* 8. *n.* 3. *Zœsius c. l.* Extenditur secundò, quòd Emphyteuta amittat totam emphyteusin, si integram pensionem culpabiliter negligat solvere, etsi partem solverit; quia nonnisi integra, & tota pensio datur in recognitionem dominij: neque dominus partem pensionis ex re emphyteutica, & locata recipere cogitur, *l. Ædem; 3. junct. Gl. V. in solidum, C. h. t.* quia solutio partium non minima incommoda habet, ut dicitur *in l.* 3. *ff. famil. herciscund.* Extenditur tertiò, si ex pluribus hæredibus, ad quos res emphyteutica pervenit, unus non solvit partem pensionis, quam debet, cæteris suas pensiones solventibus, nihilominùs tota res in commissum cadit, quia defunctus erat in solidum obligatus ad totam pensionem solvendam, quæ obligatio non potest mutari facto hæredum: sed in solidum ad omnes, & singulos hæredes transit, *l.* 2. *§. Ex his igitur ff. de V. O.* ac proinde hæc obligatio solvendi canonem est aliquatenus individua, ita, ut ab omnibus hæredibus pœna committatur, juxta *l. Eadem; 4. §. Caio, ff. eod. Silvest. V. Emphyteusis q.* 4. *n.* 10. *Clar. cit. q.* 8. *n.* 13. *Zœsius c. l. n.* 78. quia licèt ad singulos hæredes pertineat portio canonis, non tamen satisfit à singulis hæredibus, nisi totus sit solutus. Quamvis contrarium teneat *Fachin. l.* 1. *Controv. c.* 97. quia putat hæredes defuncti Emphyteutæ non esse obligatos ex persona defuncti tanquam hæredes, sed tanquam novos Emphyteutas ex propria persona.

Extenditur quartò, ad pœnam caducitatis incurrendam non requiritur sententia judicis, vel declaratio: sed Emphyteuta ipso jure privatus existit re emphyteuticâ, modò manifestum sit, quòd per triennium, vel biennium solutionem canonis culpabiliter intermiserit, & dominus declaraverit, se velle, ut pœna privationis locum habeat, ut colligitur *ex l.* 2. *ibi: Si dominus solverit, C. de jure emphyt. Silvest. V. Emphyteusis, q.* 2. *n.* 7. *Clar. cit. §. Emphyteusis, q.* 9. *Molin. dis.* 453. *nn.* 21. *Laym. cit. c.* 32. *num.* 2.

Mynsing.

Mynsing. cent. 3. obs. 65. Zæs. c. l. n. 91. & 92. ubi tamen addit, id esse dubium. Sed & probabile est, posse dominum directum, post declaratam caducitatem, propriâ auctoritate rem emphyteuticam occupare, eúmque resistentem vi expellere: quamvis tutius sit, ut id fiat auctoritate Judicis, ad vitandum scandalum, *Gl. in cit. l. 2. V. Repellere, Abb. in cit. c. ult. n. 13. h. t. Mynsing. cit. obs. 65. n. 4. Laym. c. l.* Extenditur quintò, Emphyteuta ob non solutum canonem à domino expelli potest, etiamsi priùs monitus non fuerit, ut solvat, *cit. c. ult. h. t. in fine, & l. 2. C. de jure emphyt.* Nam si dies, sive tempus solvendi à lege, vel ab homine partium conventione definitum sit, non est opus, ut debitor admoneatur: sed post diem, sive tempus transactum is in mora constituitur, ita, ut pœnæ sit obnoxius, *l. Magnam; 12. C. de contrah. stipul.* Extenditur sextò, quòd pœnæ commissi, ob non solutum canonem, sit locus, non solùm si privatus accepit rem Ecclesiæ in emphyteusin: sed etiam si una Ecclesia ab alia, non enim natura contractûs mutatur ex eo, quòd Ecclesia habeat rem emphyteuticam, *Zæsius c. l. n. 76.*

XXXVII. Cæterùm quod dictum est, Emphyteutam non solventem intra tempus statutum Canonem sive pensionem annuam, cadere jure suo, id Limitatur communiter primò: nisi dominus sit debitor Emphyteutæ, ita, ut tantum debeat, quanta est pensio, quæ ipsi debetur; tunc enim Emphyteuta potest uti compensatione, retinendo pensiones, quas aliàs solvere deberet, nec ideo cadit jure suo; quia saltem in materia odiosa, & ad evadendum pœnam habet locum hujusmodi compensatio, ut docet *Abb. in c. 2. n. 11. de depos. Silvest. V. Emphyteusis, q. 2. n. 8. Mol. cit. dis. 453. num. 10. Azor. cit. l. 10. c. 6. q. 4. Laym. c. l.* & quamvis non fuerit opposita ab homine, tamen odio pœnæ ipso jure fit compensatio, *Silvest. c. l. & Mol.* Limitatur secundò, si ob probabilem ignorantiam, vel aliam justam causam pensio non solvatur; quia v. g. hæres nescivit, rem esse emphyteuticam: tunc enim etsi stricto jure res habeatur pro commissa, quia emphyteuta sibi imputare debet, quòd ignoraverit rei conditionem: tamen ex æquitate restituetur in integrum, ob justum errorem, vel ex clausula generali, *si qua mihi justa causa videbitur, l. 1. in fine ff. ex quib. caus. majores, &c.* nam ubi culpa non est, nec pœna commissi locum habere debet, *Gl. in l. 2. V. Secundùm legem, C. de jur. emphyt. Clarus cit. q. 8. n. 9. Laym. c. l.*

Limitatur tertiò, si Emphyteuta reipsâ obtulit pensionem domino, loco, & tempore congruo, sed per dominum stetit, quòminùs reciperetur, tunc enim evitat pœnam caducitatis, secundùm *Gl. in cit. l. 2. V. Eod.* quamvis ad hoc, ut Emphyteuta omnino liberetur ab obligatione pensionis, requiratur, ut pensio oblata obsignetur, & deponatur, *Clar. cit. q. 8. num. 10.*

Limitatur quartò, nisi Emphyteuta celeriter postmodùm satisfecerit, sive post elapsum biennium moram purgaverit, statim offerendo canonem nondum solutum, tunc enim liberatur pœnâ commissi, prout de emphyteusi Ecclesiastica expressum est *in cit. c. ult. h. t.* Porrò tempus, intra quod potest mora purgari, vel est decem dierum, secundùm *Gl. in cit. c. ult. V. Celeri*; quia id tempus modicum reputatur, *l. Pro-*

missor; 21. §. 1. ff. de constit. pecun. vel potiùs illud arbitrio judicis relinqui debet, cùm in jure determinatum non sit, *Gl. c. l. Abb. ibid. n. 12. Azor. cit. c. 7. q. 7. Clar. cit. q. 8. num. 15. & alij communiter:* idque commune est etiam alijs debitis; quia paria sunt solvere tempore constituto, & intra paucos dies, juxta *l. Si duo; 16. & l. seq. junct. Gl. marg. ff. de constit. pecun.* dummodo notabile damnum ex tali dilatione creditori non inferatur. Verùm in emphyteusi Civili, seu Laica non admittitur illa purgatio moræ; quia cùm in hac non incurratur pœna commissi, nisi post triennium elapsum, adeóque post longius tempus, quàm in emphyteusi Ecclesiastica, meritò in sæculari non admittitur purgario moræ: idque procedit de rigore juris Civilis, ut bene probat *Fachin. l. 1. Controv. 198.* quamvis secundùm æquitatem possit purgatio moræ admitti, etiam in emphyteusi Laica, & in foro sæculari, *Clar. c. l.*

Limitatur quintò, licèt Emphyteuta ob sterilitatem, vel incursum hostilem, non excusetur, quin teneatur solvere integrum canonem, modò aliquos, etsi modicos fructus perceperit ex re emphyteutica, & pensio sit parva, ut dictum supra *n. 7. Limit. 7.* excusandus tamen est tunc Emphyteuta à caducitate, ob non solutum canonem, *Clar. cit. q. 8. n. 6. & 7. Zæsius ff. h. t. num. 88. & 89.* Plures Limitationes videri possunt apud Auctores citt.

XXXVIII. Cæterùm non tantùm, ob non solutum canonem Emphyteuta cadit jure suo, ita, ut expelli possit: sed etiam si res, seu fundus emphyteuticus notabiliter per dolum, culpam latam, vel levem Emphyteutæ in seipso sit deterior factus, tunc enim potest privari jure suo, & expelli, ut si v. g. arbores fructiferas succidit, vel si omisit culturam fundi, vel necessarias reparationes; quia legi contractûs non satisfecit. Idque procedit, non solùm in emphyteusi Ecclesiastica, juxta *Auth. Qui rem, C. de SS. Eccles.* sed etiam in Civili, seu Laica, *arg. l. Item quæritur; 13. ff. h. t.* ubi conductor re abutens expelli potest, *Clar. cit. §. Emphyteusis, q 26. Azor. cit. l. 10. c. 9. q. 1.* requiritur tamen, ut deterioratio sit perpetua, & quoad ipsius rei proprietatem ac substantiam: nam si fundus deterior sit redditus solùm quoad perceptionem fructuum, & ad tempus, quo colonus est fruiturus, non potest expelli; cùm sit dominus fructuum, & ad eum damnum spectet, *Mynsing. cent. 6. obs. 86. Laym. c. l. n. 7.*

§. III.

De alienatione rei emphyteuticæ & laudemio.

XXXIX. Quæritur primò. An, & quâ ratione liceat Emphyteutæ fundum emphyteuticum alienare per venditionem? Resp. Emphyteuta non potest jus, quod obtinet in re emphyteutica, sive dominium utile rei alteri vendere, nisi servato modo præscripto *in c. Potuit; 4. & ult. in princ. h. t.* videlicet » ut priùs requirat Ecclesiam, eique denuncier, » quantum pretium ab alio sibi offeratur: quòd si » Ecclesia se emere nolle, dixerit: vel si post ela- » psum spatium duorum mensium, non declarave- »

» rit, se emere velle, tunc potest Emphyteuta jus sibi » competens, & meliorationes vendere ijs, qui ab » hujusmodi emptione non prohibentur. Consentit » *Lex ult. C. de jure Emphyt.*

Ex quo patet, quòd tres conditiones requirantur ad venditionem juris emphyteutici. Primò, ut Emphyteuta significet domino directo, quòd velit rem vendere, eidémque denunciet, quantum pretium ab alio accipere possit, idque ideo, ut deliberare possit dominus, num ipsemet, oblato eodem pretio, rem emphyteuticam emere velit: quòd si dominus nolle se emere dixerit, potest Emphyteuta statim vendere. Secunda conditio est, ut si dominus, post denunciationem venditionis, non declaravit se empturum, aut non emturum, per duos menses expectetur, antequam venditio fiat. Tertia est, ut non vendatur ijs, qui emere prohibentur. Quòd si Emphyteuta aliter, quàm dictum est, Emphyteusin vendiderit, expelli potest, & jure suo privari, *cit. c. ult.* Porrò ratio, cur permittatur Emphyteutæ vendere sub dictis conditionibus jus suum, est tum necessitas, quâ premi potest Emphyteuta, tum amissio lucri, quod percipere posset ex venditione, *cit. l. 3. Zæs. in ff. h. t.* §. *De jure emphyteutico*, *n.* 100. Requiritur autem consensus domini, & ut ei denuncietur pretium ab alio oblatum; quia is dominium directum sive proprietatis sibi reservavit, ideóque præferri debet, si velit dominium utile rei tanto pretio, quantum alius offert, emere, *Azor. cit. l.* 10. *c.* 8. *q.* 1.

XL. Extenditur autem tradita doctrina, quòd alienans rem emphyteuticam sine prædictis conditionibus, cadat jure suo, etiam sine sententia condemnatoria, vel declaratoria Judicis, *Clar. cit.* §. *Emphyteusis*, *q.* 13. *n.* 2.

Extenditur secundò, etiamsi in alienatione protestetur, se alienare, salvo, & reservato consensu domini, sive jure directi dominij, adhuc enim cadit jure suo; quia talis protestatio est facto contraria, nisi sit geminata protestatio; ut si dicat, salvo & reservato consensu domini, & non alio modo, *Clar. ibidem n.* 5. Extenditur tertiò, etiamsi Emphyteuta, post alienationem, & venditionem factam, rem recuperet, non ideo evadit pœnam privationis; quia jus jam est quæsitum domino directo per privationem ipso jure incursam, quod ipsi sine consensu suo, & facto alterius, auferri non potest, *Clar. ibid. n.* 6. Extenditur quartò, quòd Emphyteuta neque melioramenta, sive emolumenta, quæ suo labore fecit in re emphyteutica, vendere possit, sine consensu domini, *cit. c. ult. & l. ult. C. de jure Emphyt.* quia in his etiam præferri debet dominus, si ea emere velit, quippe quæ facta sunt in re, cujus ipse directum dominium, sive proprietatem habet, *Azor. cit. c.* 8. *q.* 2.

XLI. Limitatur autem primò, si in ipsa investitura, sive concessione Emphyteuseos, conventum sit, quòd liceat Emphyteutæ vendere rem emphyteuticam: tunc enim potest vendere, etiam domino non requisito, ut ex communi ttadit *Clar. cit. q.* 13. *nu.* 9. Secundò, si concessa sit alicui Emphyteusis pro se, & alijs, quibus ipse dederit; intelligenda enim est talis clausula, ut consensus domini non requiratur, alioquí enim ultra jus commune nihil operaretur. *Clar. c. l. n.* 7. Tertiò, si dominus à novo Emphyteuta, cui res est vendita, quamvis sine consensu domini directi, canonem seu pensionem accipiat: tunc enim censetur consentire in alienarionem, & pœnam caducitatis ab Emphyteuta incursam remittere, *Laym. cit. c.* 23. *n.* 9. *Limit.* 6.

XLII. Notandum hîc præterea primò. Non sufficit ad incurrendam pœnam caducitatis, ut contractus alienationis sit initus: sed requiritur etiam, ut secuta sit traditio rei emphyteuticæ, vera, vel ficta; quia ante illam non dicitur res perfectè alienata, cùm adhuc maneat in dominio venditoris Emphyteutæ, *l. Alienatum* 67. *ff. de V. S. Clar. cit. q.* 13. *n.* 3. ubi *n.* 4. addit, quòd secundùm æquitatem requiratur etiam actualis, & realis traditio. Secnndò, requiritur, ut alienatio sit vera, non ficta, seu simulata; quia per talem non transfertur dominium, & consequenter causa pœnæ commissi non ponitur. Item ut sit alienatio valida; nam quæ invalida est, non venit nomine alienationis, *arg. l. Si se* 4. §. *Condemnatum*, *ff. de re judic.* nec meretur pœnam commissi, cùm dominium utile maneat penes Emphyteutam; dummodò alienatio sit invalida ex alia causa, quàm quòd inconsulto domino sit facta, quippe cui hæc pœna decreta est, juxta *l.* 3. *C. de jure Emphyt. Zæsius ff. h. t. num.* 97. Denique etiam, ut alienatio sit pura, non conditionalis, si v. g. dominus directus emere nolit, hæc enim ante eventum conditionis non est perfecta, *Less. cit. c.* 24. *n.* 53. *Zæs. c. l.*

Notandum secundò. Emphyteusis etiam in casibus, in quibus alioquí alienari potest ab Emphyteuta, non potest vendi personis emere prohibitis, *cit. c. ult. h. t. & l.* 3. §. *Sin autem C. de jure Emphyteut. juncti, Gl. V. Vetari:* cujusmodi sunt curiales & milites, *l. Curialis*; 30. *& l. Milites*; 31. *& l. ult. C. h. t.* Item in Ecclesiam, Communitatem, vel aliam potentiorem, aut magis privilegiatam personam venditio, aut translatio Emphyteuseos fieri non potest, ut ex communi docet *Clar. in cit.* §. *q.* 22. *Molin. tract.* 2. *de just. dis.* 459. *num.* 4. *Laym. cit. c.* 23. *num.* 14. Ratio est, quia per talem alienationem conditio domini directi, seu proprietarij deterior redderetur; quia ratiùs laudemium consequeretur, & difficiliùs ad ipsum Emphyteusis reversura esset.

Notandum tertiò. Emphyteuta alienans, sine consensu domini, partem rei emphyteuticæ, partem tantùm, non totam amittit, *arg. cap. unic. De vasall. qui contra Constit. Lotharij, &c. Tit.* 38. *Lib.* 2. *Feudor.* ubi partem fundi alienans, tantùm parte privatur, ne quis puniatur ultra, quàm deliquit, *Clar. cit. q.* 13. *num.* 10. ubi ait: hanc sententiam esse communiorem, & æquiorem, *Zæs. in ff. h. t. n.* 98.

Notandum quartò. Licèt Emphyteuta non possit vendere jus suum, sive dominium utile rei, irrequisito domino: non tamen contrà dominus prohibetur jus suum, id est, directum dominium, sine consensu Emphyteutæ, transferre in alium, nisi aliter conventum fuerit, vel consuetudine inductum: neque ideò contractus claudicat; quia domini interest, ne invitus alium sibi habeat obligatum, qui forte non sit æquè industrius: at verò Emphyteutæ nihil interest, cui canonem solvat, ut *ex Durand. in spec.* tradit *Zæsius c. l. num.* 59. Plura de his videri possunt apud *Barb. in Collect. in c. ult. h. t. n.* 46. *& multis seqq.*

XLIII. Quæritur secundò. An, & quibus modis, præter venditionem, alienari possit Emphy-

teusis.

teusis, irrequisito domino? Resp. potest inprimis Emphyteuta jus suum, videlicet utile dominium alteri etiam extraneæ personæ donare, sine consensu domini, eóque non requisito, salvo tamen per omnia jure domini, seu proprietarij, ut docet *Gl. in cit. l. 3. V. Aliis vendere*; *junct. Gl. marg. lit. C. C. de jur. Emphyt. Abb. in c. ult. num. 9. h. t. Clar. cit. §. Emphyteusis q. 15. num. 1. Azor. cit. l. 10. c. 8. q. 3. & alij communiter contra Bartolum.* Ratio est, quia *in cit. l. 3.* prohibetur venditio, irrequisito domino, factâ mentione pretij: ergo illa prohibitio debet intelligi de venditione strictè sumpta, adeóque non extendi ad donationem, vel aliam speciem alienationis, quæ fit sine pretio, *Abb. c. l.* Neque obstat, quòd *in cit. l. 3.* dicitur, minimè licere Emphyteutæ, sine consensu domini, meliorationes suas alijs vendere, vel jus Emphyteuticum transferre; quia verbum *transferre* non includit donationem: sed idem est, quod vendere, *Gl. Ibidem V. Aliis vendere*: sicut etiam verbum *alienare* accipitur strictè *pro vendere*, uti *in §. Adeo, Instit. h. t.* ubi pro verbo *alienare*, est positum *vendere*: *Gl. in cit. l. 3. V. Emptorem in addit.* Porrò ad hoc, ut donatio ab Emphyteuta facta irrequisito domino valeat, requiritur, ut non fiat tali personæ, in quam res emphyteutica de jure communi, vel ex conventione alienari prohibetur: & ut nulla fraus subsit, quâ res vendatur sub specie, ac titulo donationis: ac denique, ut donatarius non statim ab ipso Emphyteuta in possessionem mittatur; sed domino priùs significetur, ut declaret, an ipsum tanquam idoneum ad Emphyteusin admittere velit, & investire, ideóque etiam duobus mensibus exspectandum est domini responsum; quia dominus non solùm habet jus exigendi à donatario promissionem de solvendo canone annuo: sed etiam accipiendi ab ipso laudemium, si sit persona extranea, alioquin Emphyteuta donando cadet jure suo, *Clar. cit. q. 15. num. 2. Azor. cit. q. 3. Laym. cit. c. 23. n. 11.* potest autem prædicto modo res emphyteutica donari, non tantùm à privato Emphyteuta: sed etiam ab eo, cui ab Ecclesia res est concessa in Emphyteusin: non enim hoc casu alienatur jus proprium Ecclesiæ, scilicet dominium directum: sed jus competens ipsi Emphyteutæ, ideóque exprimi debet, quòd donetur, salvo jure Ecclesiæ, *Abb. in cit. c. ult. n. 8. h. t. Azor. c. l.*

Secundò quod dictum est de donatione, idem etiam dicendum est de legato rei Emphyteuticæ, *Clar. c. l. Azor. cit. c. 8. q. 4.* quod tamen procedit, nisi alicubi contraria sit consuetudo, ut non possit res emphyteutica donari, aut legari, domino irrequisito, *Clar. c. l. n. 3.* potest etiam res emphyteutica in dotem dari, sine consensu domini, si detur non æstimata, *Azor. cit. q. 4. Silvest. V. Dos, q. 8.*

Tertiò potest Emphyteuta, etiam sine consensu domini rem emphyteuticam cum alia permutare, cùm solùm venditio strictè accepta sit prohibita *in cit. l. 3. Abb. c. l. n. 9. Silvest. V. Emphyteusis, q. 17. Azor. c. l. q. 5. Clar. c. l. q. 17.* licèt contrarium teneat, *post Durand. in Spec. & alios*, *Zæsius c. l. n. 103.* quia permutatio videtur esse species alienationis, & hoc nomine venit omnis actus, quo res dominum mutat. Verùm si res emphyteutica permutetur cum ejusmodi rebus, quas civiliter etiam proprietarius solvere potest, tum de tali permutatione priùs admonendus est dominus, utrùm ipse acceptare velit, & servatis alijs, quæ de venditione rei emphyteuticæ supra dicta sunt, *Molin. dis. 461. num. 1. Azor. cit. c. 8. q. 5. Laym. cit. c. 23. n. 9.*

XLIV. Quartò potest Emphyteuta rem emphyteuticam oppignorare, seu hypothecæ subjicere, etiam irrequisito domino: idque eò magis, quia res oppignorata manet in dominio Emphyteutæ, qui canonem domino solvit, ideóque etiam sub generali hypotheca omnium bonorum comprehenduntur bona emphyteutica, salvo tamen semper jure domini directi, *Clar. in cit. §. q. 18. Azor. cit. c. 8. q. 7.* ubi addit, id non habere locum in Emphyteusi Ecclesiastica; res enim Ecclesiæ sub speciali hypotheca obligari non possunt, nisi in casibus jure permissis, & servatis juris solennitatibus.

Similiter potest Emphyteuta censum, usumfructum, vel aliam servitutem imponere rei Emphyteuticæ, sine consensu domini; cùm habeat jus reale in fundo emphyteutico: non tamen in præjudicium domini directi, ideóque finitâ Emphyteusi, etiam servitus ei imposita finitur, *Clar. c. l. q. 21. Laym. c. l. n. 10.* non enim potest rem onerare ultrà, quàm penes ipsum manet, cùm resoluto jure dantis, resolvatur jus accipientis, *Zæsius c. l. n. 109.*

Quintò non potest tamen Emphyteuta, irrequisito domino, rem emphyteuticam alteri in Emphyteusin concedere, qui dicitur contractus subemphyteuticus, & est species quædam alienationis, per quam utile dominium in alium transfertur, *Clar. c. l. q. 20. Azor. cit. c. 8. q. 8. Zæsius ff. h. t. num. 104.* imò nec ad longum tempus locare, quamvis possit ad breve, *Clar. c. l. q. 19. & Azor. c. l. §. Quæres*, quin etiam ad longum tempus, dummodò locatio non fiat ipsius rei emphyteuticæ simpliciter: sed solùm commoditatis ex ea percipiendæ nomine ipsius Emphyteutæ, dum vivit, *Molin. cit. dis. 461. nu. 4. & 5. Laym. c. l. num. 10.*

Sextò possunt plures Emphyteutæ, irrequisito domino, rem emphyteuticam inter se dividere: imò etiam unus in alterum alienando quocunque titulo jus suum transferre; cùm enim omnes sint Emphyteutæ, per divisionem, vel alienationem non transfertur res emphyteutica in personam, quæ debeat de novo recognoscere dominium directum, neque domini interest, apud quem eorum res ipsa existat; nam qui alienant manent adhuc in solidum obligati ipsi domino, ad solvendum canonem, ratione rei emphyteuticæ, sicut erant ante divisionem, vel alienationem, adeóque non cedit id in præjudicium domini directi, *Clar. in cit. §. Emphyteusis, q. 14.*

Porrò plures sunt casus, in quibus laudemium non debetur, veluti primò. Quando hæres necessarius accipit rem emphyteuticam titulo hæreditatis: secus est in hærede extraneo. Secundò, si alienatio sit necessaria, ut si pater dotet filiam non habens alia bona. Tertiò, quando resoluto contractu, & pacto de redimendo, res redit ad venditorem. Quartò, quando plures hæredes eam inter se dividunt, *Silvest. c. l, n. 28. Leff. c. l. Barb. in Collect. in c. ult. h. t. n. 31. & seqq.* ubi plures adfert.

§. IV.

§. IV.

An, & quâ ratione Prælatus bona Ecclesiæ, cui præest, possit in Emphyteusin dare?

XLV. Assertio 1. Spectato Jure communi, & seclusâ consuetudine, non potest Prælatus bona Ecclesiæ, quæ pleno jure ad illum spectant, dare in Emphyteusin perpetuam, aut in generationes aliquas, sine justa causa necessitatis, aut utilitatis, (cujusmodi plerúmque adest, si terræ sint incultæ, & quæ sine labore excoli non possunt) & sine requisitis juris solennitatibus, videlicet consensu Capituli, & Superioris auctoritate; nam cùm in Emphyteusi jus utilitatis tranferatur in alium, ideo alienationis nomine in rebus Ecclesiasticis prohibitæ comprehenditur, ut constat *ex c. Nulli*; 5. *junct. Gl. V. Alienationes de reb. Eccles. non alien. & Auth. de non alienand. reb. Eccles.* §. *Vos igitur, collat.* 2. *& l. ult. C. de reb. alien. non alien.* Cùm nec locare ad longum tempus Prælatus res Ecclesiæ possit, *Clarus in cit.* §. *Emphyteusis, q.* 6. *num.* 1. *Azor. l.* 10. *De Emphyt. c.* 2. *q.* 8. *Laym. in disp. Can. Thes.* 84. Porrò etsi Prælatus Ecclesiæ eo modo, & ijs personis in Emphyteusin dare debeat, sicut Ecclesiæ magis profuturum putatur, ut constat *ex c. Aures*; 7. *& ibi Gl. in notat. & Abb. n.* 4. *de reb. Eccl. non alienand.* & sumitur etiam *ex c. Sine exceptione*; 52. *caus.* 12. *q.* 2. ideóque locô rei minùs utilis, aut incommodæ, quæ alienata est, res magis utilis, & commoda comparari debet, ut docet *Suar. Tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 27. *nu.* 3. si tamen ratio pietatis, ac misericordiæ exigere videatur, ut Emphyteusis concedatur ad subveniendum indigentibus, id omittendum non erit, modò id sine notabili damno, aut periculo Ecclesiæ fieri possit, *Laym. c. l. n.* 85.

XLVI. Assertio 2. Si fundi, qui antea in Emphyteusin dati fuerunt, per mortem Emphyteutæ sine hæredibus decedentis, vel propter delictum ejusdem, vel quia finitum est tempus concessionis, vel ex alia causa, quoad utile dominium ad Ecclesiam reversi fuerunt, possunt ij à Prælato, sine consensu Capituli, & alijs juris solennitatibus, simili modo iterum in Emphyteusin alteri concedi, etiam non obstante juramento de non alienando res Ecclesiæ: dummodò eadem alienandi, sive in Emphyteusin concedendi, cum Ecclesiæ utilitate, causa subsit, quæ olim erat, ut colligitur *ex c.* 2. *De Feudis*, ubi dicitur, posse Episcopum rem Ecclesiæ, quæ in Feudum antea data fuit, iterum in Feudum concedere: ergo etiam potest dare in Emphyteusin, si antea data fuit: idque expressè etiam habetur, *in Extravag. Ambitiosæ un. inter communes de reb. Eccles. nonalien.* ubi à prohibita alienatione rerum, & bonorum Ecclesiasticorum excipiuntur res, & bona ab antiquo in Emphyteusin concedi solita, *Abb. in c, Ut super*; 8. *n.* 11. *de reb. Eccles. alien. & c. Clar. in cit.* §. *q.* 6. *nu.* 1. *Azor. cit. c.* 2. *q.* 8. *& alij communiter.* Ratio est, quia hæc non censetur nova alienatio: sed potiùs executio ordinationis antiquæ, illius scilicet, quâ olim decretum fuit, ut fundus ob utilitatem Ecclesiæ in Emphyteusin, vel Feudum daretur, *Abb. c. l. & alij*, quò pertinet, quòd dici solet: ex origine cujuslibet contractûs & causæ, quid sit statuendum, distinguitur, *Gl. pen. in l. unic. C. de imponenda lucrativa descript. lib.* 10.

Porrò sufficere videtur, si res semel in Feudum, vel Emphyteusin concessa fuerit, atque ad Ecclesiam reversa, eique non incorporata sit, *arg. cit. c.* 2. *de Feudis*, in quo plus non requiritur, ut docet *Abb. cit. loc.* ubi exemplum dat, si Ecclesia semel cum debita solennitate Feudum concessit, propter custodiam, sive præsidium militum, quod in illo habere debebat: vel quia aliàs magis damnosum fuit Ecclesiæ, quàm utile: si tale Castrum posteà redeat ad Ecclesiam, potest Prælatus illud iterum in Feudum concedere, sine omni solennitate; quia eadem causa tale Castrum quoad dominium utile alienandi perseverat. Idem est de Emphyteusi. Alij verò, præter unum actum, vel etiam duos infeudationis, seu concessionis, tempus legitimum ad inducendam consuetudinem necessarium requirunt, quo talis infeudatio, vel concessio in Emphyteusin duraverit, nempe tempus 40. annorum, quod requiritur, quoties juri Ecclesiæ derogatur, prout videre est apud *Rosenth. tract. de Feud. c.* 4. *concl.* 29. Illud magis certum est, quòd si Ecclesia velit penes se retinere rem Feudalem, vel Emphyteuticam ad se reversam, hoc ei licere, neque cogi posse, ut de novo illam concedat alteri, v.g. propinquiori hæredi, aut cognato, ut ex communi tradit *Mynsing. cent.* 5. *obs.* 47. *n. ult. Rosenth. cit. c.* 4. *concl.* 26. *Laym. cit. disp. Thes.* 86.

XLVII. Assertio 3. Si mutato rerum statu, causa primæ concessionis in Emphyteusin, vel infeudationis cessavit, non potest Prælatus rem ad Ecclesiam reversam de novo in Emphyteusin concedere, vel infeudare. Ut si v.g. Castrum in Feudum Laico potenti olim concessum sit, quia tunc Ecclesia indigebat defensore contra hostes, nunc autem ea causa cessavit: vel si Ecclesia nunc ipsamet fundum utilius colat, ob inopiam, quâ laborat, cùm olim fructibus abundaret: vel quia jam coloni apti haberi non possunt, quibus securè fundus ad culturam concedi possit, &c. *arg. c. Cùm cessante* 3 60. *de appellat.* & sumitur *ex cit. c.* 2. *De Feudis*; *ibi Liberè, si videris expedire, concedas. Abb. in cit. c. Ut super*; 8. *n.* 11. *de reb. Eccl. alien. & alij Canonistæ communiter.* Addit *ibid. Abb.* si fundus sterilis, & incultus olim in Feudum, vel Emphytensin sit concessus cum debitis solennitatibus, eâ de causa, ut coloretur, & fertilis redderetur, isque posteà fructuosus effectus redeat ad Ecclesiam, non posse illum in Feudum, vel Emphyteusin alij licitè iterum concedi sine debita solennitate, & novâ justâ causâ; quia causa primæ concessionis sublata est. Verùm id nimis rigidum esse arbitratur, *Laym. in cit. disp. Thes.* 87. quia possunt ex fundo, qui fertilis est redditus, pensiones jam exigi, & laudemia, atque Vasallis investituræ augeri, ut non minorem utilitatem Ecclesia jam inde percipiat, quàm antea. Ad hæc mutatio rerum modica non impedit, quòminùs Prælatus res Ecclesiæ de novo, & sine solennitatibus concedere possit, ut docet *Rosenthal cit. c.* 4. *concl.* 39. maximè si nova jam concedendi causa adsit, *Laym. c. l.*

XLVIII. Cæterùm concessio rei in Emphyteusin, vel Feudum dari solitæ, debet denuò fieri eodem modo, & non minùs Ecclesiæ utili, quàm olim facta erat, alioquin irrita est concessio, nisi tractatus

& consensus Capituli, atque Superioris auctoritas interveniat, ita tamen, ut non tota, sed quoad excessum tantùm sit irrita, ut ex probabiliore sententia docet *Clarus §. Emphyteusis, q. 6. num. 2. Rosenth. cit. c. 4. concl. 37. Laym. c. l.* quia utile per inutile non vitiatur, quando commodè separari possunt, nisi apertè constet, aliam fuisse mentem contrahentium, ut scilicet vel in totum valeat contractus, vel non valeat. Quare si v. g. antea Feudum, vel Emphyteusis concessa fuit pro masculis tantùm, nunc autem de novo concedatur etiam pro fœminis, irrita est concessio, saltem quoad fœminas. Item si antea concessa fuit Emphyteusis ad vitam Emphyteutæ tantùm, nunc autem ad plures generationes concedatur, vel antea ad duas, nunc ad tres generationes, valida erit quoad vitam concedentis: invalida autem quoad generationes, vel quoad tertiam generationem tantùm. Similiter non potest res emphyteutica reversa ad Ecclesiam denuò concedi pro minore utilitate: sed potiùs pro majore, si haberi possit, *Abb. in c. Ad aures; 7. num. 4. de reb. Eccl. alien. Piasec. p. 2. in praxi c. 5. art. 2. c. 20.* Et hinc etiam res solita infeudari non potest concedi in Emphyteusin; quia non solito modo conceditur, nisi evidenter appareat, id factum esse in Ecclesiæ utilitatem, *Rosenth. cit. c. . 4 concl. 38. n. 1. & 2.*

XLIX. Assertio 4. Si fundus Emphyteuticus, aut Feudalis, postquàm ad Ecclesiam est reversus, Mensæ Episcopi, vel Prælati sit applicatus, & incorporatus, non potest ille posteà, sine consensu Capituli, aliisque solennitatibus, simili modo alteri concedi, vel alienari, ut ex communi sententia docet *Abb. in cit. c. Ut super, 8. nu. 10. de reb. Eccles. alien. Azor. cit. lib. 12. c. 3. q. 2.* Censetur autem tunc facta unio, seu incorporatio, quando Episcopus, vel Prælatus declaravit, se velle illum fundum esse de Mensa sua, ipsique incorporatum: vel si fundus reversus ad Ecclesiam per Officiales ad hoc deputatos, seu potestatem habentes inscriptus sit inter possessiones ad Mensam pertinentes, *l. Si quando; 3. C. de bonis vacant, l. 10. & ibi Bartol. in l. ult. num. 8.* In dubio autem si non constet, an fundus ille reversus ad Ecclesiam sit incorporatus Ecclesiæ, necnè, postquàm Episcopus per annum illum retinuit, nec alteri in Feudum vel Emphyteusin concessit, hoc ipso censetur Mensæ ipsius esse incorporatus, ita, ut illum deinceps sine solennitatibus requisitis alienare, sive alteri concedere in Emphyteusin, vel in Feudum non possit, *Abb. c. l. num. 10.* Verùm rectiùs ait *Menochius de arbitr. Judic. casu; 433. num. 29.* quem sequitur *Laym. in cit. dis. Thesi 88.* nullum tempus esse quoad hoc jure definitum: sed id Judicis arbitrio relinquendum esse, ut spectatis circumstantiis declaret, an ex lapsu temporis, quo Prælatus fundum de novo concedere in Emphyteusin, vel Feudum intermisit, colligi possit, quòd suæ Mensæ, vel Ecclesiæ Fabricæ illum incorporatum esse voluerit.

L. Porro quod dictum est de Prælato, qui possessiones olim in Feudum, vel Emphyteusin concedi solitas aliquo tempore retinuit, nec alteri concessit, id solùm locum habet quoad Prælatum, ad cujus manus res iterum pervenerunt: non autem per hoc præjudicatur ejus Successori, quòminùs is res illas concedere possit, sicut antiquitus solitæ sunt concedi, dummodò eadem concessionis causa subesse videatur, *arg. cit. c. Ut super; de reb. Eccles. alien.* Ubi S. Pontifex non negat, quòd Prælatus Successor potuerit rem illam ad suum Antecessorem reversam, & ab eo possessam alijs infeudare: sed quòd tutius sit, non alienare, sed consulere Sedem Apostolicam, *Menoch. c. l. num. 31. & 32. Rosenthal cit. c. 4. concl. 24.* Quare consultius est, ut Successor in hoc casu id faciat cum Capituli ac Superioris consensu: imò id est necessarium, si longo tempore Prælatus Antecessor intermisit rem reversam ad Ecclesiam alteri concedere, quia tunc censeri potest incorporationem factam, & firmatam esse, *Laym. in cit. dis. num. 89.*

LI. Assertio 5. Si res aliqua immobilis Ecclesiæ de novo acquiratur per donationem, hæreditatem, legatum, vel alium acquirendi titulum, statim Ecclesiæ, vel Prælati Mensæ ea incorporata esse censetur, hoc ipso, quòd dominium pleno jure Ecclesiæ est acquisitum, ita, ut sine causa justa, & requisitis solennitatibus alienari non possit, ut docet *Innoc. in cit. c. Ut super; V. Provenientes, de reb. Eccles. alien. & ibid. Abb. n. 12.* cùm enim talia bona data sint Ecclesiæ in ejusdem utilitatem, non apparet ratio, cur alia bona dicantur esse de Mensa, & non ista quoque.

§ V.

Ad quem transeat, ac spectet Emphyteusis, si Emphyteuta Religionem profiteatur?

LII. Assertio 1. Si Religiosus ante Professionem nihil de Emphyteusi disposuit, & Religionem profiteatur, quæ non est capax stabilium bonorum ac redituum, ut est Ordo Minorum de observantia, & Cappucinorum, & Societas Jesu quoad Domos Professas, in Emphyteusi non succedit Monasterium, vel Religio, si ea sit hæreditaria, quæ ad hæredes, non solùm necessarios, sed etiam extraneos transit, sed tunc ea devolvitur ad proximum consanguineum, qui aliàs succedit ab intestato. Si verò Emphyteusis non sit hæreditaria: sed ex pacto & providentia, pertinet ad eos, qui secundùm investituram vocantur, seu vi primæ concessionis, seu institutionis eam accipiunt, etiamsi hæredes non sint. Si verò nullus talis adsit, exspirat Emphyteusis, & revertitur ad proprietarium, sive dominum directum, *Molin. tract. de just. dis. 482. num. 3. Sanch. l. 7. Mor. c. 15. nu. 52. Laym cit. c. 23. nu. 14. q. 2.* Ratio est, quia Professio talis Religiosi æquiparatur mortinaturali.

LIII. Assertio 2. Si Emphyteuta profiteatur Religionem, quæ est capax bonorum immobilium, tum distinguendum est, utrùm sit Emphyteusis hæreditaria, quæ ad extraneos transire potest, necne? Si est hæreditaria, transit quidem ad Monasterium, seu Religionem, sicut & cætera bona talis Religiosi: debet tamen Monasterium, seu Ordo Religiosus (saltem post mortem sui Professi) eam vendere, vel alio modo alienare; quia alioquin redderetur deterior conditio domini

mini directi, quippe qui omnem spem amitteret laudemium unquam accipiendi, & redeundi ad se utilis dominij. Ratio est, quia cùm persona religiosa omnia illius jura ac bona transeunt in Monasterium, si capax sit, adeóque etiam Emphyteusis, & quilibet ususfructus, cùm nullo jure excipiatur. Si verò Emphyteusis non sit hæreditaria: sed ex pacto, & providentia, tum ea non transit ad Monasterium, seu Religionem: sed in illa succedunt, post mortem Religiosi, qui ex investitura ad illam vocantur: commoditas tamen, seu utilitas Emphyteuseos, interim dum Religiosus professus vivit, ad Monasterium pertinet: & si post mortem illius nulli adsint, qui vocantur ex investitura, Emphyteusis revertitur ad dominium directum, seu proprietarium, *Mol. cit. dis. n. 2. & 3. Sanch. c. l. n. 59. Laym. c. l. n. 15.*

Porro etsi in concessione, vel investitura Emphyteuseos expressum sit, vel pactum initum, ne illa transferatur in Ecclesiam, vel personam potentiorem: nihilominùs tamen eo non obstante, succedit Monasterium, vel Religio in illa Emphyteusi: tum quia non est alienatio propriè, cùm Monasterium possideat, & fruatur locô Professi, cum quo una veluti persona censetur: tum quia illa prohibitio alienationis intelligenda est de voluntaria alienatione, quæ provenit ex facto hominis: non vero de illa, quæ fit necessariò ex legis dispositione, qualis est illa, ut bona Professi in Monasterium transeant, & quæ est accessoria ad personam ingredientis Religionem, ut loquitur *Abb. in c. In præsentia; 8. nu. 73. de probat. Sanch. c. l. num. 65. Laym. c. l. num. 15.*

TITVLVS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.

Quia non solùm locatio & conductio: sed etiam contractus permutationis magnam cum venditione, & emptione affinitatem habet, ideò hic Titulus duobus præcedentibus subjungitur, qui etiam extat in Sexto & Clementinis.

§. I.

Quid sit permutatio, & quomodo à venditione distinguatur?

I.

PRæmittendum, permutatio dupliciter accipitur: Primò, generaliter ac latè, Secundò, specialiter & strictè, ut tradit *Molin. tract. 2. dis. 396. n. 1. Barb. in Collect. ad rubr. h. t.* Priore modo sumpta complectitur omnes contractus, non quidem gratuitos: sed respectivos, seu reciprocos, tam nominatos, quàm innominatos, in quibus aliquid vicissim, seu ultro citróque datur, fit, aut promittitur in compensationem, seu commutationem pro alio: & in hoc sensu permutatio comprehendit etiam venditionem, in qua pecunia pro re, & locationem, in qua res, sive usus rei, aut operarum alicujus pro certa mercede commutatur: & societatem, item mutuum, in quo pecunia, vel alia res functionem recipiens, ut triticum, vinum, &c. pro alia ejusdem generis, & qualitatis commutatur, & cambium, in quo pecunia pro pecunia, v. g. aurea pro argentea, vel pecunia in uno loco pro alia solvenda in alio loco commutatur, & sic de cæteris contractibus reciprocis. Secundò, accipitur permutatio specialiter ac strictè, pro eo contractu, in quo una res pro alia commutatur, prout res contra distinguitur à pretio, & facto, ut equus pro bove, vel equus pro equo, triticum pro vino: & ut sic permutatio est contractus distinctus à contractibus nominatis, & innominatis, prout ex dicendis magis patebit, *Mol. c. l. n. 2.* Et de permutatione in hac posteriore acceptione agitur, *hoc Tit.*

II. Assertio 1. Permutatio specificè, & strictè sumpta est certa rei pro altera, vicaria, seu mutua præstatio, ut describit *Hostiens. in summ. h. t. n. 2.* sive clariùs sic: est contractus innominatus juris gentium, & bonæ fidei, re & consensu constans, in quo certa res in specie, seu individuo cum alia re certæ speciei, & individuâ commutatur, ut quando certus fundus pro certa domo datur, *Wesenbec. in paratit. ff. de rer. permut. n. 10.* Dicitur primò, *contractus innominatus*, quia licèt videatur habere proprium, & speciale nomen: hoc tamen nomen permutationis non tam est specificum, quàm genericum nomen, cùm contractus ferè omnes permutatione quadam constent. Dicitur secundò, *juris gentium, & bonæ fidei, §. Actionum, Instit. de Actionib.* ubi actio, quæ ex permutatione competit, inter actiones bonæ fidei numeratur à jure gentium originem trahens. Dicitur tertiò, *re & consensu constans*, quia solo consensu non perficitur: sed demum re tradita initium obligationi præbetur, *l. 1. §. Item emptio, ff. h. t.* Dicitur quartò, *in quo certa res in specie, &c.* Nam si res incerta, sive in genere commutetur pro alia re in genere, seu incerta, v. g. equus aliquis indeterminatè pro equo, vel bove indefinitè, tum non videtur esse propriè permutatio: sed magis esse contractus innominatus, do, ut des; quia ex permutatione oritur actio bonæ fidei, ex contractu verò, *do, ut des*, actio stricti juris, ut docent *Wesenbec. c. l. Hostiens. in summ. h. t. n. 2.* quamvis plures Dd. sint, qui negant esse differentiam inter permutationem, & contractum *do, ut des*, ut notat. *Zæsius in ff. h. t. n. 4.*

III. Assertio 2. Licèt permutatio in multis conveniat cum venditione, & emptione: in pluribus tamen differt, ut patet *ex l. 1. ff. h. t.* Nam primò, in venditione alius est venditor, alius emptor, aliud merx, aliud pretium: non item in permutatione; quia in hac datur res pro re, *cit. l. 1. in princ.* Secundò, permutatio non

non solo consensu contrahentium: sed rei traditæ interventu perficitur, *cit. l.* 1. §. *Item emptio*, ideóque ex hoc contractu non oritur obligatio, nec actio, nullâ re secutâ, nisi stipulatio intervenerit, *l. Ex placito* 3. *C. de rer. permut.* Tertiò, in venditione non transit dominium, nisi pretium sit solutum, vel fides de eo habita: in permutatione per traditionem rei transfertur dominium, etiamsi ab altera parte contractus non sit impletus, *cit. l.* 1. *in fine*, ubi dicitur, competere condictionem illi, qui ex sua parte satisfecit, quasi re non secutâ, *Gl. fin. ibid.* condictio autem non datur, nisi non domino, idque etiam colligitur *ex l. Cùm precibus*; 4. *C. eod. Mol. cit. dis. n.* 6. Quartò, in permutatione locus est pœnitentiæ, re adhuc integrâ, sive si contractus ab altera parte necdum sit impletus, *l. Naturalis* 5. §. *Etsi quidem, ff. de præscript. verb. Azor. p.* 3. *Institit. l.* 7. *de permutat. c.* 2. *in fine*, *Zæsius ff. h. t. nu.* 3. Quintò, differt permutatio à venditione, quia hæc valida est, etsi res aliena emptori ignoranti vendita sit; quia venditor pro dato sibi pretio de evictione obligatur, *l. Venditori* 18. *ff. de evict.* at res aliena permutari non potest, *l.* 1. §. *Ideóque Prædius, ff. h. t.* ubi dicitur, alienam rem dantem nullam contrahere permutationem, idque etiam constat *ex c. Cùm venerabilis*; 6. *de except.* ubi dicitur, quòd cùm permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quàm cum domino, vel cum eo, qui habetur locô domini, legitimè valeat celebrari. Ratio discriminis est, quia permutatio non perficitur consensu: sed traditione, seu mutuâ rerum translatione: quare si hæc traslatio dominij ex una parte non impleatur, ex altera parte locum habet revocatio, seu condictio dati ob causam, causâ non secutâ, *l.* 1. *C. h. t.*

§. II.

An, & quatenus prohibita, vel permissa sit rerum Ecclesiasticarum permutatio?

IV. Assertio 1. Res Ecclesiasticæ, immobiles, vel mobiles, quæ servari possunt, juxta SS. Canones, permutari non possunt, absque causa utilitatis, & sine requisitis juris solennitatibus: ideóque commutationes hujusmodi, quæ ab Antecessoribus Prælatis inconsultè, seu illegitimè factæ sunt, à Successore emendandæ, seu revocandæ sunt, prout statuitur *in c. Ut commutationes*; 2. *h. t. & in c. Sine exceptione*; 52. *caus.* 12. *q.* 2. Imò etiam ipse Prælatus Antecessor, qui illegitimè, & in damnum Ecclesiæ res commutavit, revocare eas potest, ac debet, dum in administratione toleratur, *c. Si quis* 3. 6. *de reb. Eccles. alien. Gl. in cit. c.* 2. *V. Inconsultè, h. t.*

V. Ubi Notandum primò. Minor causa sufficit ad permutandum, quàm ad vendendum; quia permutatio rei Ecclesiasticæ cum alia re simili minùs obest Ecclesiæ, & sæpe eidem est utilis, *Laym. in dis. Can. rer. Eccles. alienat. Thesi* 74.

Notandum secundò. Pœnæ juris dectetæ in malè alienantes non incurruntur à permutantibns illegitimè res Ecclesiasticas, nisi permutatio per traditionem rerum ex utraque parte sit completa; quia antea non censetur contractus esse absolutus, cum non consensu, sed rei utrinque datæ traditione perficiatur, *Laym. c. l.* & dictum §. *Præced.* sicut idem obtinet in venditione Simoniaca, prout videre est apud eundem *Laym. l.* 4. *Theol. moral. tract.* 12. *c. ult. num.* 68.

VI. Assertio 2. Potest res immobilis Ecclesiæ cum alia re immobili, quæ majoris, vel æqualis sit pretij, seu valoris, licitè commutari, si Princeps ex rationabili causa id petat: modò talis commutatio communi consensu utriusque partis (Principis & Ecclesiæ) fiat, & pragmatica sanctio promulgata sit, prout statuitur *in c. Si Princeps*; 1. *h. t.* quod est desumptum, *ex Auth. de non alienand. aut permutan. reb. Eccl.* §. *Ut autem Lex, Vers. Si non*; *Collat.* 2. Exemplum dat *Joan. Andr. hic n.* 2. Si Princeps velit ampliare suum Palatium, vel hortum construere, & Ecclesia habeat vicinum prædium, vel Castrum munitioni opportunum adversùs hostium incursus, potest illud prædium, vel Castrum commutari, pro alio prædio, vel Castro majoris, vel saltem æqualis valoris, propter necessitatem, aut commoditatem Principis: tametsi ex illa commutatione Ecclesia non majorem utilitatem percipiat, modò nullum damnum inde incurrat. Ratio est, quia merita Principis erga Ecclesias, & honor ipsi debitus exigere videntur, ut justæ ipsius petitioni satisfiat, si absq; Ecclesiæ incommodo, seu damno fieri possit. Verùntamen necessarium est, ut in hac commutatione interveniant etiam aliæ juris solennitates, videlicet tractatus Capituli, consensus, & auctoritas Superioris, ut tradit *Joan. Andr. hîc n.* 3. *contra Hostiens.*

VII. Notandum præterea primò. Licèt aliàs in Jure, nomine Principis solus Imperator, vel Rex, aut alius, qui nullum Superiorem recognoscit, intelligi debeat: potest tamen hoc extendi etiam ad alios magnos Ecclesiæ Patronos, ac Fundatores; quia cùm talis permutatio non sit coacta, sed petita ex rationabili causa, nec in damnum cedat Ecclesiæ, hoc ipso censeri debet eam utilem esse, quia sit propter honorem Patroni valde potentis, & de Ecclesia multùm meriti, & ad majorem ejus benevolentiam conciliandam, *Laym. in cit. dis. Thesi* 75. Quare tali casu sufficiens adest causa permutandi, non item vendendi; quia venditio magis noxia est Ecclesiæ, quàm petmutatio cum re majore, vel etiam æquali: nisi Princeps, cui fit venditio, se obliget, quòd pretio constituto aliam rem Ecclesiæ utiliorem, vel saltem æquè commodam comparare velit, juxta *cit. c. Sine exceptione*; *caus.* 12. *q.* 2 *Laym. cit. Thesi* 44.

Notandum secundò. Pragmatica sanctio est decretum Principis super causâ publicâ, cùm consilio procerum facta, juxta *l. ult.* §. *ult. ff. de diversi. rescript.* hîc autem accipitur pro confirmatione Imperatoris, vel alterius Principis scripto facta, cum causæ cognitione, super quadam permutatione, *Gl. hîc V. Pragmatica.*

VIII. Assertio 3. Mancipia, seu servi Ecclesiæ non debent pro aliis mancipiis commutari, nisi in ordine ad libertatem, ita videlicet, ut mancipia, quæ erant Ecclesiæ, fiant libera, seu perpetuam libertatem consequantur: alia verò mancipia

» (Laicorum) quæ pro illis commutantur, subjician-
» tur servituti Ecclesiæ; quia quod semel DEO con-
» secratum est, ad humanos (id est, sæculares) usus
» transferri non decet, prout statuitur *in c. Mancipia; 3. & ibi Gl. V. Ad humanos, h. t.* Mancipia autem, seu servi Ecclesiæ Divinis servitiis deputari censentur, & hinc non possunt etiam Laicis, seu privatis personis donari, vel aliâ ratione in earum dominium transferri, nisi ex licentia Papæ, juxta *c. Ecclesiasticis; 67. caus. 12. q. 2.*

» IX. Similiter *in c. Injustum; 4. h. t.* statuitur,
» quòd mancipia, quæ fideles DEO & Sanctis ejus
» pro remedio animarum suarum obtulerunt, &
» consecrârunt, non debeant per donationem, vel
» commutationem iterum in servitutem sæcularem
» redigi, cùm SS. Canones servos tantùm fugitivos
» distrahi permittant. (*c. Fugitivi; 54. caus. 12. q. 2.*)
» Et ideo Ecclesiarum Rectores, seu Prælati caveant,
» ne unius eleemosyna fiat peccatum alterius (quod
» tunc fit, quando piæ fundationes, & donationes
» majorum à posteris diripiuntur, vel minuuntur,
» *Abb. hîc n. 1.*) Imò etiam absurdum est, ut servus
» ab Ecclesiastica dignitate (seu servitio Ecclesiæ)
» discedens humanæ fiat obnoxius servituti.

X. Assertio 4. Licèt Ecclesiæ, & Beneficia non possint vendi, seu pro pretio dari: possunt tamen Ecclesiæ, & Beneficia, non tantùm si teneantur, seu possideantur in titulum, *de quo §. seq.* sed etiam si teneantur jure proprietatis, seu incorporationis, ex justa causa utilitatis, & accedente Superioris auctoritate, aliisque juris solennitatibus, permutari, tum per se, tum quoad possessiones eis annexas. Est communis sententia Dd. apud *Abbat. in c. Ad Quæstiones 6. n. 2. h. t.* Prima pars, quòd non possint vendi, probatur; quia Beneficia quippe spiritualia non possunt pretio æstimari, adeóque neque pro pretio, aût aliâ re temporali pretio æstimabili dari, vel comparari, *c. Cùm pridem; 4. de pact. c. Super eo; 57. & c. Præterea; 9. de transact.* nulla autem emptio, & venditio est sine pretio, §. *Item pretium, Instit. de empt. Gl. in cit. c. Ad Quæstiones; V. Per se queat, h. t.* Secunda Pars, quòd possint permutari, sumitur *ex eodem c.* Nam cùm duæ
» Ecclesiæ Conventuales, sive duo Monasteria in
» quadam Diœcesi haberent sibi unitas duas Paro-
» chias, unâ cum possessionibus, seu reditibus suis,
(quæ proinde à Monasteriis illis possidebantur, non in titulum Beneficij: sed in proprietatem, ad suorum Conventuum, seu Religiosorum sustentationem, ut notat *Abb. hîc n. 2. & Suar. lib. 4. de Simon c. 34. n. 13.*)
» utrumque Monasterium volebat duas illas Paro-
» chias permutare propter majorem vicinitatem,
» quia utraque Parochia erat magis vicina alteri Mo-
» nasterio, quàm illi, cui erat subjecta. Sed quia
» una ex illis Parochiis uberiores proventus tempo-
» rales habebat, quàm altera: ideo Ecclesia Con-
» ventualis, seu Monasterium, cui ditior Parochia
» erat subjecta, & incorporata, petijt certam aliquam
» pecuniæ summam superaddi, ut sic permutatio ad
» æqualitatem redigeretur: Quæsitum fuit, an id li-
» citè possit fieri? Respondet Clemens III. permuta-
» tionem ipsarum Ecclesiarum Parochialium per se
» & seorsim esse instituendam (quia spirituale cum
» spirituali potest permutari, *Gl. hîc V. Per se*) &
» permutationem possessionum, cum refusione cer-
» tæ quantitatis pecuniæ, eò quòd possessiones unius
» Parochiæ, majoris sunt valoris propter abundan-
» tiores proventus annuos, itidem per se ac seorsim
» faciendam esse (quia possessiones illæ sunt merè temporales, ideóque inter se permutari possunt) ita tamen, ut hi contractus permutationum inter se non
» misceantur.

XI. Circa prædictum Cap. Notandum primò, Potest una Ecclesia cum altera permutari, si ad Prælatos spectent jure proprietatis, sive incorporationis, consentientibus ijs, quorum interest, de qua permutatione loquitur *cit. c. Ad Quæstiones*; idque etiam sumitur *ex c. Cùm venerabilis; 6. de except.* ubi Ecclesia S. Viti, unâ cum possessionibus, & pertinentiis, cum alijs quibusdam Ecclesiis ab Episcopo cum consensu Canonicorum permutata fuisse asseritur. Quòd si possessiones, & reditus Ecclesiarum æquales sint, tunc unâ cum Ecclesiis, tanquam accessoria, sive pertinentia transire possunt: & tunc sufficit unicus contractus permutationis. Si verò sint inæquales, tunc ad vitandam Simoniæ suspicionem, ne fortè jus spirituale unius Ecclesiæ æstimari, & in ejus compensationem ejusdem reditus majores tribui videantur; consultum est, ac tutius, ut duo distincti contractus sub diversa verborum formâ instituantur, quorum unus sit permutationis Ecclesiarum secundùm se, in quo scilicet jus spirituale Ecclesiæ cum jure spirituali alterius Ecclesiæ seorsim permutatur: posteà verò alter permutationis, aut venditionis possessionum, quæ sunt annexæ Ecclesiis permutandis, in quo reditus utrinque collati secundùm æqualitatem compensantur, prout tradit *Alex de Nævo in cit. c. Cùm venerabilis, n. 8.* absolutè tamen loquendo, id non est necessarium: sed sufficiè videtur, si fiat permutatio, per modum, seu formam unius contractûs duobus æquivalentis, hoc modo: Parochiam N. unâ cum prædiis, & juribus adhærentibus, permutamus cum Parochia N. ita tamen, ut uberiores proventus alterius Parochiæ compensentur, solutis mille aureis: nam cùm possessiones Ecclesiis annexæ secundùm se temporales sint, & pretio æstimabiles, ideo seorsim ac separatæ à jure spirituali Ecclesiarum, pecuniâ æstimari, vendi, & permutari possunt: & quatenus ex una parte possessiones, & reditus unius Ecclesiæ superant possessiones, & reditus alterius Ecclesiæ, excessus ille pecuniâ compensari potest, sine vitio Simoniæ, & sub unâ formâ contractûs, qui tamen virtualiter duos partiales in se contineat: tunc enim propriè non miscentur contractus permutationum, quod prohibetur *in cit. c. Ad Quæstiones; h. t.* licèt simul & concomitanter fiant, quia compensatio pecuniaria non fit pro jure spirituali Ecclesiæ: sed pro re temporali solùm, nec etiam amplius aliquid temporale datur pro re spirituali, quod esset propriè miscere contractus, ut advertit *Suar. cit. c. 34. n. 13. Laym in cit. dis. Thesi 77.*

Porrò in hoc ipso casu censeri debet institutus contractus permutationis, quamvis ex altera parte unâ cum specie sit datum, seu numeratum pretium; quia principalis intentio contrahentium fuit permutare, quæ in contractibus spectanda est, *arg. l. Tenetur; 6. §. Si vendidi, ff. de act. empt.* In dubio autem, si non constet de intentione, inspiciendùm est, an species, seu merx sit majoris valoris: an verò pretium præponderet; quia à potiori res accipit denomina-

minationem, *l. Si quis*; 38. *ff. de contrah. empt. l. Quæritur*; 10. *ff. de stat. hom. l. Quicquid*; 27. §. *Partes*, *ff. de acquir. rer. dom. c. 3. de consecr. Eccles. Abb. in cit. c. Ad Quæstiones*; *num.* 4. *h. t. Laym. c. l. Barb. in Collect. hîc num.* 2.

XII. Notandum secundò. Beneficia perpetuò unita alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, non censentur ampliùs Beneficia: sed potiùs quasi extincta, quoad titulum, & velut prædia subjecta temporali dominio ejus Ecclesiæ, cui sunt unita, ex communi Regula Canonistarum apud *Suar. c. l. & Laym. l.* 4. *tract.* 10. *c. ult.* §. 5. *q.* 6. ideòque permutari possunt, etiam adjectâ pecuniâ, quoad bona annexa, quæ sunt simpliciter temporalia; neque per se annexa titulo, seu juri spirituali Ecclesiæ, cui sunt unita ipsa Beneficia.

Notandum tertiò. Aliter requiritur consensus, seu auctoritas Superioris, quando Beneficium aliquod permutatur cum alio, quod possidetur in titulum: & aliter, si permutetur Beneficium, quod possidetur in proprietatem. Nam priore casu, requiritur auctoritas Superioris; quia Beneficium sine Canonica institutione obtineri non potest, *c.* 1. *de R. J. in* 6. posteriore verò casu, si permutentur Beneficia, quæ possidentur jure proprietatis, consensus seu auctoritas Superioris requiritur propter alienationem rei Ecclesiasticæ, quæ in permutatione intervenit, *c. Nulli*; 5. *de reb. Eccles. alien. c. Sine exceptione*; 52. *caus.* 12. *q.* 2. *Abb. in cit. c. Ad Quæstiones*; *nu.* 5. *h. t. Laym. in cit. dis. Thes.* 76.

§. III.

De permutatione Beneficiorum, & conditionibus ad illam requisitis.

XIII. Permutatio Beneficij est mutua, seu reciproca duorum Beneficiorum resignatio, per quam duo Clerici sua Beneficia dimittunt, ut quisque Beneficium alterius obtineat, v. g. si Titius suum Beneficium dimittat, sive illi renunciet, in favorem Sempronij, ut ipsi illud conferatur: & vicissim Sempronius suum Beneficium dimittat, sive ei renunciet in favorem Titij, ut ipsi conferatur, dicitur Titius & Sempronius sua Beneficia invicem permutare, quare in omni permutatione continetur mutua renunciatio Beneficij, non simpliciter, sed ex causa permutationis facta, *Azor. p.* 2. *Instit. l.* 7. *c.* 29. *q.* 1.

XIV. Quæritur jam primò, quæ conditiones necessariò requirantur ad validam, & licitam permutationem Beneficiorum? Resp. requiritur primò, ut uterque permutans habeat jus in Beneficio permutato, *Rebuff. in praxi Benef. Tit. de permutatione, nu.* 9. *Garc. tract. de Benef. p.* 11. *c.* 4. *n.* 19. Nam si unus eorum nihil habeat juris in Beneficio, quod permutat, ut quia per Simoniam, vel aliàs sine vero titulo illud obtinuit, irrita est permutatio; nemo enim potest permutare cum alio, nisi rem suam, vel in qua jus habet, *c. Venerabilis*; 6. *de except. & l.* 1. *ff. de rer. permut.* ac proinde alter permutans redire potest ad Beneficium, cùm non absolutè renunciârit: sed ob causam permutationis, quæ secuta non est, *arg. c. Si Beneficia*; 20. *de præb. in* 6. *Abb. in cit. c. Venerabilis*; *num.* 23. Idque procedit, etiamsi is, qui jus non habet in Beneficio, illud permutet cum legitima Superioris auctoritate; nam Superior non simpliciter, & liberè confert tale Beneficium: sed causâ permutationis, ergo cùm hæc sit irrita, Superior non habet voluntatem Beneficium permutandi, *Azor. cit. c.* 29. *q.* 19. Et hinc, qui obtinuit secundum Beneficium incompatibile cum primo, non potest permutare primum cum alio simili; quia illud ipso jure vacat, ita, ut non sit ampliùs ipsius, *Less. l.* 2. *de just. c.* 34. *n.* 195.

XV. Requiritur secundò, ut uterque permutantium Beneficium suum resignet in manu Superioris Ordinarij, cui Beneficium est subjectum, sive is sit unus idémque, sive alius, *Rebuff. c. l. n.* 4. *Less. c. l. n.* 196. ut colligitur *ex c. unic. ibi*: *In manibus tuis ipsa resignant*, *h. t. in* 6. Sed hîc jam dubitatur, an resignatione ab uno factâ, si aliter permutantium nolit, vel non possit vicissim Beneficium suum resignare, adeóque permutationem complere, possit is, qui resignavit, suum Beneficium repetere? Respondetur affirmativè, ut tenet *Azor. c. l. q.* 21. *Zœsius in Comment. h. t. num.* 31. Nam qui resignavit, non absolutè, & simpliciter ei renunciavit: sed sub conditione, si non suspensivâ, saltem resolutivâ, ut cum alterius Beneficio commutetur, ergo conditione, seu modo non servato, potest Beneficium prius repetere per condictionem causâ datâ, causâ non secutâ. Idque colligitur *ex c. Cùm universorum*; 8. *h. t.* Ubi cùm Canonicus G. & Clericus L. cœpissent inter se tractare de permutatione præbendarum suarum; quia utrique parti ita expedire putabant, & G. præbendam suam resignâsset, illa consanguineo dicti L. assignata fuit: ipse tamen L. suam præbendam, sicut promiserat, vicissim resignare noluit. Re delatâ ad S. Pontificem Clementem III. is respondit: licèt hi Clerici, per seipsos (sive propriâ auctoritate) de jure non potuerint Ecclesiastica Beneficia permutare: quia tamen deceptis, & non decipientibus jura subveniunt, & simplicitati venia danda est: ideò mandare se, ut si constiterit, prædictum G. ita deceptum fuisse: amoto à præbenda consanguineo ipsius G. vel quolibet alio injusto detentore, ea supradicto Canonico G. restituatur.

Ex decisione hujus cap. colligitur, licèt dictus Canonicus G. qui propriâ auctoritate Beneficium suum, causâ permutandi resignavit, & tradidit, de jure potuerit hac præbendâ, quam resignavit, privari, tametsi vicissim nihil receperit, ut notat *Gl. hîc V. Simplicitati*, ideóque ex gratia solùm fuit illi præbenda sua restituta, tum ne alter, qui resignare noluit, ex malitia sua commodum reportaret, tum *ut simplicitati venia tribuatur*, ut habetur in Textu; quia jura deceptis ex simplicitate subvenire solent, eisque parere: præsertim si sint tales personæ, quibus juris ignorantia non obest, ut sunt rustici, minores natu, fœminæ, & milites, *l. Regula*; 8. *ff. de juris & facti ignor. Abb. hîc n.* 7. Verùntamen si omnia legitimè acta fuissent, potuisset Canonicus G. de jure, effectu permutationis non secuto, sive non receptâ vicissim præbendâ alterius, suam, quam resignavit, repetere, tanquam

tanquam datam ob causam, causâ non secutâ, *Gl. hic V. Simplicitati, in fine, & Abb. n. 8.*

XVI. Porrò utrùm hoc casu opus sit novâ collatione Superioris. an verò propriâ auctoritate possit resignans redire ad suum Beneficium, non consentiunt DD. Posterius tenent *Gl. in cit. c. Cùm universorum; V. Simplicitati, Less. c. l. num. 195. Azor. cit. c. 29. q. 21. §. Altera est, Paris. l. 1. de resignat. q. 14. n. 12. & seqq.* qui tamen requirunt sententiam Superioris declarantis permutantem posse redire ad suum Beneficium; quia Beneficium ab alio jam possessum non potest quis propriâ auctoritate occupare. Ratio illorum est, quia renunciatio Beneficij non fuit absolutè, & simpliciter facta: sed limitatè, ac dependenter ab effectu permutationis, ergo eo non secuto sine culpa resignantis, idem censetur, ac si resignatio facta non esset, eáque nihil operatur, defectu necessariæ conditionis. Sed prius & oppositum, quòd opus sit novâ collatione Beneficij, etiamsi permutatio effectum non habuerit, docet *Abb. in cit. c. pen. num. 8. h. t. Rebuff. c. l. num. 11. & 16. Barb. l. 3. Jur. Eccles. c. 15. §. 5. num. 169. Zœsius in Comment. h. t. num. 2. & alij plures.* Ratio est, quia per resignationem factam, licèt ex causa permutationis, Beneficium resignatum verè vacat, cùm possit post resignationem alteri conferri, ut colligitur *ex Clement. unic. h. t.* ergo cùm resignans titulum Beneficij resignati ex causa permutationis amiserit, non potest, propriâ auctoritate, illud denuò occupare, citra vitium intrusionis, alioquî incurreret pœnam decretam *in c. Eum qui, 18. de præbend. in 6.* Non obstat, quòd videatur facta resignatio sub conditione, si & alter permutans resignet suum Beneficium: nam ea conditio, non tam est suspensiva, quàm devolutiva, & tacitè inest, quæ non facit actum simpliciter conditionalem, neque ejus effectum suspendit, *l. Conditiones; 99. ff. de condit. & demonst.* adeóque non impedit, quòminùs resignatio habeat suum effectum, ita ut jus, seu quasi dominium transferatur in alterum, quamvis decepto jus suum sit restituendum per Judicem. Idque confirmatur *ex l. 1. §. fin. ff. h. t.* ubi habetur, quòd si unus permutationis causâ tradidit rem suam alteri, alter verò nolit vicissim rem suam tradere, non vindicationi rei sit locus, quia per traditionem dominium est translatum: sed condictioni, quasi re non secutâ, quæ supponit dominium rei traditæ esse translatum in accipientem, cùm nemo rem suam possit condicere, §. *Sic itaque, Instit. de action.* Neque etiam obstat *Tex. in c. Si Beneficia; 20. de præb. in 6. ibi: Ad Beneficia sua priora liberè revertantur:* nam id ita accipiendum, non quasi propriâ, sed cum Superioris auctoritate, ad illa reverti possint, juxta *c. 1. de R. J. in 6.* atque hæc posterior sententia videtur probabilior.

XVII. Requiritur tertiò, ut post permutationem Beneficiorum ex utraque parte factam, & à Superiore admissam, fiat collatio ipsorum Beneficiorum sic vacantium, *Less. cit. c. 34. nu. 197. Gart. cit. c. 4. num. 85.* ita tamen, ut Beneficia, ex causa permutationis ab aliquibus resignata coram Superiore, non alijs, quàm ipsis permutantibus, conferantur (ab illis, in quorum manibus facta est resignatio, vel ab alijs collatoribus) alioqui si alteri alicui præter permutantes, conferantur, collatio est irrita; idque ne concessione juris utentibus, præsertim circa spiritualia, illudatur, prout statutum habetur *in Clement. Ne concessione, unic. h. t. & ibi: Gl. V. Conferantur.* Ratio est, quia permutantes non omnino absolutè resignant: sed adjecto modo, ut permutantibus Beneficia resignata conferantur.

XVIII. Ubi Notandum primò. Ante decisionem hujus Clement. Prælatus, coram quo facta est renunciatio Beneficij ex causa permutationis, summo juris rigore, seclusâ æquitate, ita liberè potest conferre Beneficium, cui renunciatum fuerat, ac si ex pura renunciatione vacaret, ut tradit *Covarr. l. 1. resol. c. 5. num. 5.* quia Beneficia permutationis causâ resignata verè vacant, eò quòd Titulus & possessio per talem renunciationem sint abdicata, sicut per renunciationem simplicem, juxta *c. unic. h. t. in 6.* & ex communi docet *Paris. l. 11. de resignat. Benefic. q. 5. num. 20.*

Notandum secundò. Non est necessarium, ut resignationes ab utroque permutante, vel collationes ipsis simul, & eodem tempore fiant: sed possunt fieri ex intervallo, præsertim quando Beneficia sunt in diversis Diœcesibus, adeóque resignati debent coram diversis Episcopis, & ab illis posteà conferri, *Rebuff. c. l. num. 36. Azor. cit. c. 29. q. 28. Less. c. l. num. 197.*

XIX. Requiritur quartò, ad licitam permutationem Beneficiorum faciendam, ut fiat interveniente auctoritate Superioris Ecclesiastici, ut colligitur *ex c. Quæsitum; 5. h. t.* in quo rescribit Urbanus III. quòd non tantùm commutatio dignitatum in Concilio Turonensi (*relato in c. Majoribus, 8. de præbend.*) sit prohibita: sed etiàm generaliter commutationes præbendarum de jure fieri non possint (subintellige, sine auctoritate Superioris, ut notat *Gl. hic V. Non possent*) præsertim præmissâ pactione, seu conventione partium, quippe quæ circa jura spiritualia, vel spiritualibus connexa Simoniam continet. Additur *in fine ibidem*, quòd si Episcopus ita necessarium esse perspexerit, licitè potest personas de uno loco ad alium transferre, ut quæ in uno loco minùs utiles videntur, alibi seu liùs exercere valeant.

XX. Pro intellectu hujus cap. Notandum primò. Quòd Beneficia Ecclesiastica, quæ conferuntur in titulum, non possunt propriâ, seu privatâ auctoritate possidentium permutari, *Abb. hic num. 2.* prout etiam statutum est *in c. pen. h. t.* ubi dicitur, quòd ipsi Clerici per se, (sive propriâ auctoritate) de jure non possint Ecclesiastica Beneficia permutare. Ratio est, tum quia Beneficia Ecclesiastica sine Canonica institutione (adeóque absque auctoritate Superioris habentis potestatem instituendi, vel conferendi) licitè obtineri non possunt, *c. 1. de R. I. in 6.* Tum ne Clerici de Beneficiis, tanquam de rebus suis, in quibus idem jus & dominium habeant, quod in bonis patrimonialibus, liberè disponere videantur: tum quia nemo potest Beneficium suum dimittere, & aliud obtinere, quod fit permutatione, sine consensu Superioris, *Azor. cit. c. 29. q. 2.*

XXI. Notandum secundò. Etsi Clerici non possint permutare inter se sua Beneficia & Præbendas, præmissâ conventione, seu pactione mutuâ, sine consensu

sensu Superioris, imò tales pactiones tanquam Simoniacæ prohibitæ sunt *in hoc c. & c. ult. de pact.* possunt tamen licitè priùs inter se tractare, & convenire de permutatione facienda, non quidem absolutè, ita, ut illam statim pro rata, ac firma habeant: sed illam dirigendo in consensum, & auctoritatem Superioris, in cujus manu Beneficia resignare velint, permutationis faciendæ causâ, ut tradit *Gl. in Clement. unic. V. Volentibus, h. t. Abb. ibid. num. 5. & in cit. c. Quæsitum; num.* 10. *Garc. cit. c. 4. n. 56. & alij.* Ratio est, quia hoc est medium moraliter necessarium ad finem permutationis obtinendum, ut partes priùs inter se agant, & conferant de hoc negotio: concessâ autem re aliquâ, concessa etiam censentur omnia, sine quibus illa commodè expediri, vel obtineri non potest, *c. Prætereà; 5. de offic. deleg. Suar. l. 4. de Simon. c. 23. num. 7.* Imò non tantùm possunt permutantes inter se convenire, & se obligare ad permutationem sub conditione, si Prælatus consenserit: sed etiam possunt se obligare, quòd non velint illam revocare: sed stare conventione initâ, nisi Superior eam ratam non habeat, seu consensum neget, talis enim conventio nullibi reperitur prohibita, *Suar. c. l. num. 8.* Neque obstat *cit. c. pen. h. t.* quia in illis non improbatur præcisè tractatus de permutando: sed permutatio ab utraque parte completa propriâ auctoritate.

XXII. Notandum tertiò. Dupliciter fieri potest permutatio Beneficiorum. Primò, motu proprio Episcopi, vel alterius Superioris, etiam sine consensu eorum, qui permutantur, *Abb. in cit. c. Quæsitum; n. 7.* Sic potest Episcopus, v. g. Parochum Dilinganum transferre ad Parochiam Lavinganam, & Lavinganum ad Parochiam Dilinganam, hæc enim translatio respicit immediatè personas, quæ ab una Ecclesia, vel Beneficio ad aliam Ecclesiam, vel Beneficium transferuntur, ut patet *ex Tit. de transl. Episc.* nec fit per modum contractûs: sed solius Superioris, seu Prælati auctoritate, & per se, ac directè, non in utilitatem translatorum, sed Ecclesiæ, *Suar. cit. c. 32. n. 4.* Unde ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, quia v. g. Parochus ob odium apud plebem, etiam sine culpa sua, contractum, minùs utilis in tali loco futurus putetur, auctoritate Episcopi, Parochiâ illâ privari potest, & ad aliam transferri, *Abb. in cit. c. Quæsitum; num. 8.* Secundò, etiam ipsa Beneficia inter se mutuo consensu & conventione permutantium commutari possunt, cum Superioris auctoritate, ut patet *ex Rubrica hujus Tituli, de rerum permutatione;* nam jus spirituale cum alio simili jure spirituali secundùm se permutari potest, sine Simonia etiam juris positivi, si accedat Superioris auctoritas, quæ ideo requiritur in Beneficiorum permutatione, ne alioquin jus spirituale Beneficij videatur dari, non pro alio jure spirituali Beneficij: sed pro temporali commodo annexo Titulis Beneficiorum, sive pro proventibus Beneficialibus.

XXIII. Notandum quarto. Non tantùm prohibita est permutatio Beneficiorum inter se, quoad titulos, si privatâ auctoritate fiat: sed etiam quoad præbendas eis annexas, *Suar. cit. c. 32. n. 16. & 17.* Ratio est, quia prohibitio juris est generalis, & sine ulla exceptione. Et quidem permutari non posse quoad titulos, propriâ auctoritate, certum est; quia nullus Beneficiatus potest se abdicare suo titulo, nec renunciare, nisi Prælatus conferat, ut patet *ex Tit. de renunc. & Reg. 1. in 6.* Sed neque præbendæ titulis Beneficiorum annexæ, privatâ auctoritate, permutari possunt; quia nequeunt à titulis separari propriâ auctoritate permutantium; nam Canonicus, vel alius Beneficiatus non habet jus percipiendi fructus temporales præbendæ, nisi propter spirituale officium, ad quod tenetur ratione sui tituli, ergo quamdiu retinet eundem titulum, tenetur ad idem officium, ac proinde non potest ratione illius consequi aliam præbendam, quippe quæ inseparabiliter annexa est tali titulo Beneficij, & non alteri: quamvis possint Beneficiati, propriâ auctoritate, commutare ipsos fructus præsentes, vel futuros præbendarum suarum, cùm etiam vendere illos possint; quia ut sic merè temporales sunt, *Suar. c. l. num.* 17. Ex quo sequitur, quòd non tantùm præbendæ, quæ sunt in diversis Ecclesiis, vel in eadem; sed quæ diverso jure censentur, quia habent diversa onera annexa, vel munera, privatâ auctoritate permutari non possunt: sed neque illæ præbendæ, quæ sunt in eadem Ecclesia, & ejusdem rationis; cùm generaliter omnis permutatio præbendarum indistinctè jure Canonico sit probibita, sine Superioris auctoritate, *Suar. c. l. n. 17.*

XXIV. Cæterùm permutatio Beneficiorum, sine auctoritate Superioris, adeò est prohibita Clericis, ut si illa propriâ auctoritate inter se permutent, ea amittant, iisque per sententiam Judicis sunt privandi, prout decernitur *in c. Cùm olim; 7. h. t.* Ubi cùm duo S. & B. Archidiaconatum, & Præpositu- » turam interse commutâssent: Archidiaconus coram Papa Innocentio III. in Curia Romana sponte confessus fuit, permutationem dignitatum inter » ipsos peractam esse: Præpositus verò B. idem- » negavit, asserens quòd Præposituram purè, & si- » ne conditione resignavit, & Archidiaconatum, » post resignationem ipsius S. sibi factam, assecutus » fuerit. Quare Pontifex cùm noviset, Præpositum B. permutationi consensum dedisse, S. verò » publicè errorem suum confessum fuisse, utrumque hunc Præposituram, illum verò Archidiaconatu per sententiam definitivam privari mandavit. Hinc patet, qui dignitates & Beneficia, propriâ auctoritate, commutant, illis privandi sunt per sententiam, *Gl. Magna hìc in notatis, Garc. p. 11. c. 4. num. 58.* Hodierno verò jure permutantes Beneficia incurrere excommunicationem, iisque privatos esse ipso jure per *Extravag. 2. de Simon. inter communes*, tradit *Suar. l. 4. de Simon. c. 57. num. 41. Garc. c. l. num. 59.* Contrarium tamen tenet, *Less. l. 2. c. 35. num. 100. & Laym. l. 4. tract. 10. c. ult. §. 5. q. 4.* nempe ipso jure non amitti Beneficia; cùm permutatio sine Superioris auctoritate facta sit irrita, adeóque nullum effectum producere possit, ac proinde sicut propriâ auctoritate resignârunt sua Beneficia: ita suâ auctoritate ad eadem redire posse, saltem in foro conscientiæ, & quamdiu per sententiam judicis in pœnam ijs non privantur, juxta *cit. c. Cùm olim. h. t.*

XXV. Por-

XXV. Porrò præter conditiones hactenus allatas, requiritur etiam ad legitimam permutationem Beneficiorum, ut fiat ex justa causa, quam Episcopus cognoscere, & de ea judicare debet, *Rebuff. c. l. num. 19. Garc. cit. c. 44.* eaque generatim duplex est, videlicet necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, *Azor. p. 2. l. 7. c. 30. q. 4.* Imò probabile est, quòd etiam fieri possit in utilitatem, & commodum ipsarum personarum permutantium, dummodo illud commodum saltem indirectè & consecutivè redundet etiam in ipsius Ecclesiæ utilitatem, & ea aliud inde incommodum non sit passura, *Gl. in cit. c. pen. V. Utilitati, & ibid. Abb. nu 7. & in cit. q. Quæsitum; num 6. h. t. Azor. c. l. Garc. c. l. num. 47.* ut si v. g. Parochus nequeat in loco commorari, propter aëris intemperiem, vel quia propter linguæ imperitiam non potest ibi bene fungi munere suo, &c. sufficit autem causam subesse ex parte uniùs ex permutantibus, etsi nulla sit ex parte alterius, *Garc. c. l. num. 49.*

Præterea necessarium est, ut permutatio fiat, requisito consensu eorum, qui jus eligendi, vel conferendi, vel præsentandi ad Beneficium commutatum habent, *Gl. in cit. c. unic. V. Collationem, h. t. in 6. & in Clement. unic. V. Conferantur eodem, Abb. in cit. c. Quæsitum; num. 9. Garc. c. l. num. 72. & alij.* nam in actibus, qui aliorum juribus præjudicare possunt, jure communi requiri debet eorum consensus, quorum ea res interest, *Azor. cit. l. 7. c. 29. q. 32.* alioquî permutatio facta sine consensu illorum, invalida est ipso jure, vel saltem ad ipsorum petitionem rescidenda erit, *Azor. c. l.* Quòd si permutatio fuerit Ecclesiæ necessaria, vel utilis, Patronus vel alius interesse habens consentire debet, si verò sine justa causa, consentire recuset, nihilominùs poterit Episcopus permutationem approbare, & admittere, *Abb. c. l. & Azor.*

Denique requiritur, ut antequam possessio Beneficij accipiatur, publicatio fiat permutationis in Ecclesiis permutatis, juxta formam Constitutionis Gregorij XIII. quæ incipit: Humano vix judicio: edita Anno 1573. 5. Januar. *Ugolin. de offic. Episc. c. 50. §. 20. num. 3.* quamvis eam, quoad permutationes coram Ordinario factas, non esse receptam in pluribus locis refert *Garc. p. 11. c. 3. n. 289.*

XXVI. Quæritur secundò, cujus Superioris auctoritate Beneficia permutari debeant? Resp. non solùm Papa: sed etiam Episcopus proprius loci, in quo Beneficium situm est, permutationes Beneficiorum ex causa utilitatis, vel necessitatis instituere potest, ut constat *ex c. Quæsitum 5. h. t.* ubi generaliter prohibetur commutatio Beneficiorum, & soli Episcopo datur facultas permutandi personas, seu transferendi ab uno Beneficio ad aliud, & *ex c. unic. ibi: In manibus tuis ipsa resignent. eod. in 6.* Ratio est, tum quia nemo potest se abdicare suo Beneficio, eique renunciare, nisi coram suo Superiore Ordinario: tum quia ad Episcopum spectat jure communi Beneficiorum collatio, & institutio, *c. 1. Cùm ex injuncto; 12. in fin. de hæretic.* ac proinde ad illum etiam spectat providere, ne indignis Beneficia conferantur etiam ex causa permutationis. Nomine autem Superioris Ordinarij intelligitur hîc, non solùm Episcopus, eóque Superior, ut Archiepiscopus: sed etiam quilibet alius Prælatus, quiex consuetudine, vel privilegio quasi Episcopalem jurisdictionem habet, nullique Episcopo est immediatè subjectus, etsi Episcopus non sit, sive dignitatem Episcopalem non habeat, ut docet *Abb. in cit. cap. Quæsitum; num. 4. h. t. Azor. cit. c. 29. q. 4. Suar. cit. c. 32. n. 14. Garc. cit. c. 4. num. 70. & alij.* quia potestas interponendi auctoritatem in permutatione Beneficiorum competit Superiori, ratione jurisdictionis Episcopalis: non ratione dignitatis, vel Ordinis Episcopalis.

Verùm *Silvest. V. Permutatio; 2. & alij,* nonnulli putant, quód auctoritatem possint præstare permutationi, etiam alij inferiores Episcopo, ad quos spectat collatio talium Beneficiorum, vel institutio, etiamsi fortè nec dignitatem, nec jurisdictionem Episcopalem, vel quasi habeant: idque præcipuè colligi videtur *ex c. unic. h. t. in 6.* ex illis verbis: *Illos tamen, qui secundùm juris formam, sua Beneficia in eadem Diœcesi ad tuam collationem spectantia permutare volentes, liberè ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant.* Per quæ verba indicatur, permutationes Beneficiorum non pertinentium ad collationem Episcopi, non posse ipsum Episcopum instituere: sed requiri consensum Collatoris Ordinarij, qualis cùm possit esse Prælatus inferior carens jurisdictione Episcopali, videtur ejus approbatio sufficere ad permutationem. Quæ sententia etsi non omni probabilitate careat: in praxi tamen prior, quæ communior, & tutior, servanda est, nisi inferior Collator Ordinarius, qui Episcopali jurisdictione non est præditus, ex consuetudine legitimè præscripta acquisierit potestatem approbandi permutationes Beneficiorum; cùm talis jurisdictio, ac potestas, secundùm omnes, præscribi possit. Aliàs verò seclusâ consuetudine, & spectato jure communi, approbatio permutationis Beneficiorum spectat ad Episcopum: & non ad inferiorem Collatorem, nisi jurisdictionem Episcopalem, vel quasi habeat: collatio verò Beneficiorum permutatorum, si ad Episcopum non spectet, fieri debet ab ijs, ad quos ea de jure, vel consuetudine pertinet, neque fieri potest ab Episcopo, sine consensu illorum, *Suar. cit. c. 34. num. 14.* Et ratio est, quia cùm permutatio Beneficiorum regulariter non fiat sine translatione personarum, quoad munera, seu officia, vel etiam quoad loca: ad Episcopum, vel simílem Prælatum pertinet, ei auctoritatem præstare; quia interest Ecclesiæ & Diœcesis, ut cum ejusdem utilitate, vel saltem sine illius incommodo fiat: executio verò remittenda est ad eum, ad quem spectat collatio; quia non debet, cum illius præjudicio, permutatio fieri, *Suar. c. l.*

XXVII. Ubi Notandum primò. Si Episcopus habeat jus conferendi Beneficium situm in aliena Diœcesi, ex consuetudine, vel alio jure speciali, non potest admittere resignationem illius, etiam, ex causa permutationis, sive præstare auctoritatem permutationi: sed id spectat ad Episcopum loci, in quo Beneficium est situm, *Garc. cit. c. 4. num. 72.*

Notandum secundò. Si Episcopi permutare velint Beneficia, quæ ipsi ex dispensatione Apostolica possident in sua Diœcesi, debent permutationem insti-

instituere coram Metropolitano, qui quoad hoc est Superior ipsorum, & loco Episcopi Ordinarij, *Suar. cit. c. 32. num. 9. Barbos. l. 3. Jur. Eccles. c. 15. §. 5. num. 177.* Item si Episcopus permutare velit cum Capitulo suo Beneficium, quod possidet, requiritur auctoritas Archiepiscopi: sed si permutet cum alijs, sufficit consensus Capituli sui, *Silvest. V. Permutatio 2. n. 2.*

Notandum tertiò. Si quis Beneficium in una Diœcesi situm permutare velit cum alio, ad aliam Diœcesin pertinente, requiritur, ut intercedat utriusque Episcopi, cujus jurisdictioni subjecta sunt illa Beneficia, auctoritas, *Azor. cit. c. 29. q. 8.* Si verò Ecclesiæ vel Beneficia permutata sint exempta, ad Papam, non ad Episcopum pertinet approbatio, *Rebuff. Tit. de permutat. n. 20.*

Notandum quartò. Vicarius generalis Episcopi non potest præstare auctoritatem permutationibus Beneficiorum, nisi ex speciali mandato Episcopi, *Azor. cit. c. 29. q. 4. §. Dubitatur.* Neque etiam sufficit, quòd habeat speciale mandatum ad conferendum, *Garc. c. 1, n. 74.*

Notandum quintò. Collegium Canonicorum, sede vacante, non habet jus admittendi permutationes Beneficiorum, quorum collatio ad solum Episcopum spectat; quia licèt ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, mortuo Episcopo, transeant ad Capitulum Cathedrale: non tamen potest conferre Beneficia, quorum jus conferendi soli Episcopo competit: & solus Episcopus potest Clericum ad Beneficium promovere, & amovere: & permutare Beneficia, & permutationem approbare, non est actus necessitatis, sicut confirmare, vel instituere: sed jurisdictionis voluntariæ, in qua Capitulum non succedit, *Azor. cit. c. 29. q. 4. §. Deinde dubitatur, Garc. cit. c. 4. num. 80.*

Portò licèt certum tempus jure non non sit præfixum, intra quod Superior, in cujus manibus facta est renunciatio, ex causa permutationis, illud conferre teneatur: potest tamen, si Ordinarius Collator sit negligens, per suum Superiorem compelli, ad conferendum intra certum tempus ipsi præfixum, alioquì ipse permutationem exequatur, *Franc. in c. unic. h. t. in 6. n. 11. Azor. l. 7. c. 30.*

§. IV.

Quænam Beneficia permutari possint cum aliis, vel non possint?

XXVIII. Assertio 1. Ordinariè omnia Beneficia inter se liberè permutari possunt in manibus Superioris, ut ex communi docet *Suar. l. 4. de Simon. c. 34. num. 1. Garc. cit. c. 4. num. 11.* quia jura in hoc nihil distinguunt, ideóque nec nos distinguere debemus, & quod non reperitur prohibitum, censeri debet esse permissum. Imò etiam unum Beneficium cum pluribus, & plura cum uno licet permutare; quia pluralitas non vitiat permutationem, dummodo ea plura Beneficia sint compatibilia, vel saltem ex concessione Ordinarij, coram quo fit permutatio, simul obtineri possint. Secus est, si Beneficia plura, quæ permutantur, sint jure incompatibilia; ita, ut sine Papæ dispensatione simul, obtineri nequeant: tum enim permutari non possunt cum Beneficio alterius; quia dispensatio non transit de persona ad personam: sed tunc opus est novâ dispensatione Papæ, sine qua plura simul haberi nequeunt, *Azor. cit. c. 29. q. 11.*

XXIX. Quod autem dictum est, Beneficia posse permutari ad invicem: Id extenditur primò, quòd etiam Beneficia inæqualia licitè inter se permutentur, sive sint inæqualia in temporalibus, ut quia unum est pingue uberes habens reditus, alterum tenues: sive quoad spiritualia, quia unum habet adjunctam dignitatem, vel administrationem, aut officium; alterum non item: vel quia unum est curatum, alterum simplex; nam omnium eadem est ratio, quia permutatio solùm fit, quoad spiritualem Titulum Beneficij, non attentâ dignitate, vel præbenda ei annexâ, aut reditibus temporalibus, ideóque inæqualitas ista non impedit, quòminùs, accedente Superioris auctoritate, commutari possint, *Rebuff. c. 1. num. 40. Azor. cit. c. 29. q. 15.* Extenditur secundò, possunt Clerici permutare sua Beneficia, etiamsi non eorum possessionem sint adepti; quia sufficit quòd quis habeat jus in re in Beneficio, licèt non habeat ejus possessionem, ut teneat permutatio, *Franc. in c. unic. n. 16, h. t. in 6. not. 6. Garc. cit. c. 4. n. 15.* at verò, qui habet tantùm jus ad rem, v. g. præsentationis, seu nominationis ad Beneficium, non potest hoc jus suum commutare cum alio simili jure, vel cum Beneficio; tum quia non habet jus in re, sed tantùm in spe: tum quia hujusmodi gratiæ sunt personales, seu personis certis tantùm concessæ, quæ ad alios transferri non possunt privatâ auctoritate, *Abb. in c. Cùm olim; 7. n. 4. h. t.* ubi id docet, de habente gratiam expectativam ad Beneficium vacaturum, *Rebuff. c. 1. n. 23. Azor. cit. c. 29. q. 23. Garc. c. 1. n. 17.* Quare talis permutatio non tam fieri nequit, quòd sit Simoniaca, cùm utrinque commutentur tantùm jura spiritualia: quàm quia ista jura sunt personalia, quæ non excedunt casum expressum, adeóque neq; personam ejus, cui concessa sunt, *c. Cui 27. de præb. in 6.* Et hinc hujusmodi permutationes non sunt irritæ, si intervenientè Superioris auctoritate, objustam causam fiant, *Less. cit. c. 34. n. 199.*

Extenditur tertiò, etiam Beneficia manualia, sive ad nutum revocabilia permutari possunt, dummodò unum manuale cum alio manuali permutetur; nam qui illa obtinent, jus habent in istis Beneficiis, quamdiu illis non privantur, & possunt illa in perpetuum retinere, adeóque nihil est, quod impediat permutationem, *Azor. cit. c. 29. q. 9.*

Extenditur quartò, etiam Beneficium commendatum commutari potest, si datum sit in Commendam perpetuam, quæ vim, & effectum tituli habet, ac proinde perinde habetur; ac si collatum esset in titulum. At verò commendatum ad tempus permutari non potest; quia Commendatarius temporalis jus, & titulum non habet in Beneficio, ideóque illud transferre nequit in alterum, cùm nemo, nisi rem suam permuter, *Abb. in cit. c. Cùm olim 7. num. 3. h. t. Azor. cit. c. 29. q. 11.* Qui tamen addunt, posse Beneficia commendata etiam ad tempus permutari, auctoritate ejus, qui illa commendavit, & non alterius; quia censetur alteri idem jus conferre, seu concedere.

Extenditur quintò, si pensio sit erecta in Titulum Beneficij; potest hoc cum illa permutari, etiam in manibus Episcopi, vel alterius Prælati Papâ inferioris; quia talis pensio verè est Beneficium *Suar. l. 4. de Simon. c. 33. n. 2.* Non autem potest Beneficium permutari auctoritate Episcopi, pro pensione Ecclesiastica, seu spirituali, ut ex probabiliore sententia docet *Suar. cit. c. 33. n. 4. & seqq.* quia jure tantùm permissum est Episcopo, ut approbet, ac permittat permutationes Beneficiorum, ergo cùm versemur in materia potiùs odiosa, quàm favorabili, quippe quæ est contra antiquos Canones, quibus generaliter prohibetur omnis pactio in Beneficiis, & juribus spiritualibus; ideo non debet ea concessio juris extendi à permutatione Beneficiorum, ad permutationem pensionum, cùm pensio propriè non sit Beneficium, non enim est jus perpetuum: sed morte pensionarij extinguitur, *Suar. c. l. n. 8.* At verò auctoritate Papæ talis permutatio fieri potest; quia cùm in illa permutetur spirituale pro spirituali, non est prohibita jure Divino, adeóq; si auctoritate Papæ fiat, nulla Simonia committitur, nec quidem juris positivi, quia Papa est supra jus positivũ, *Suar. c. l. n. 3.* Multò minùs verò potest Beneficium permutari cum pensione merè temporali, nec quidem auctoritate S. Pontificis; quia tunc venditur Beneficium pro re merè temporali, quæ est Simonia contra jus Divinum, ut ex communi docet *Suar cit. c. 33. n. 9.* Id tamen cum Papæ auctoritate licitè fieri posset, ut pensio temporalis, non in compensationem Beneficij detur: sed in congruam sustentationem resignantis Beneficium in manibus Papæ ipsi assignetur, *Suar. c. l. n 10.*

XXX. Assertio 2. Sunt & quædam Beneficia Ecclesiastica, quæ cum alijs permutari non possunt. Veluti primò, Beneficia unita alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, vel alteri Beneficio; permutari non possunt, *Azor. cit. c. 29. q. 7. Garc. cit. c. 4. n. 23.* Idque procedit primò, de Beneficiis unitis, postquam unio sortita est effectum; tum quia, cùm per unionem extinctus sit Titulus, & nomen Beneficij, ita ut non censeatur Beneficium per se separatum, sed membrum ejus, cui est unitum, ideo sicut non potest resignari, ita nec permutari, *Garc. c. l. n. 24.* ubi tamen *n. 26.* addit, quòd Beneficia unita, etsi non cum aliis, inter se tamen videntur posse permutari. Deinde idem dicendum de Beneficiis unitis, antequàm unio sortita est effectum; quia permutatio subsequens unionem, impediret ejus effectum, nam Beneficium sic permutatum transiret ad alium, videlicet ad alterum ex permutantibus, & sic permutatio cederet in præjudicium ejus Ecclesiæ, vel Monasterij, cui Beneficium permutatum est unitũ, *Azor. cit. c. 29. q. 7. Garc. c. l. n. 27.*

Secundò, Beneficia reservata S. Pontifici non possunt permutari auctoritate Ordinariorum, vel etiam Legatorum Sedis Apostolicæ; quia Beneficia permutata debent conferri permutantibus: sed Beneficia reservata Papæ vacantia non potest conferre Ordinarius loci, vel Legatus Pontificius, *Azor. c. l. q. 10.* Tertiò, Beneficium litigiosum non potest permutari cum alio non litigioso; quia res litigiosa, quamdiu lis pendet, nequit alienari, nec pignori dari, & propriè non est sua, ac propria, *Azor. c. l. q. 4.* Quartò, non potest Beneficium permutari cum alio jure spirituali, v. gr. jure Patronatûs, aut decimarum, ut ex communi docet *Azor. cit. c. 29. q. 22. Suar. l. 4. de Simon. c. 31. n. 14. & seqq.* quia permutatio jure Canonico solùm permissa est inter Beneficia: non autem cum rebus diversi ordinis, quæ non sunt Beneficia.

XXXI. Sed jam occurrit Quæstio hîc decidenda, an, & quâ ratione, quando Beneficia sunt inæqualia, licitum sit inæqualitatem supplere, & compensare, datâ pecuniâ, vel aliâ re æquivalente, ac pretio æstimabili? Resp. primò, si Beneficia sint inæqualia in dignitate, & Titulo, sive officio spirituali, & pecunia vel alia res temporalis detur ad supplendum excessum, sive inæqualitatem in re spirituali, intuitu juris spiritualis, in quo unum Beneficium alterum excedit; tum id illicitum est, & Simoniam continet, non tantùm contra jus positivum: sed etiam contra jus Divinum, quia tunc venderetur spirituale pro temporali, saltem ex parte, ideóque fieri non potest, etiam accedente auctoritate Superioris, quæ vitium Simoniæ contra jus naturale, & Divinum tollere non potest, ut docet *Abb. in c. Ad Quæstiones; 6. n. 3. h. t. Silvest. V. Permutatio, 2. q. 6. Suar. l. 4 de Simon. c. 34. n. 3.* quare si Beneficium dignius, & tenuius commutetur cum Beneficio pinguiore, sed minùs digno, eâ intentione, ut compensetur excessus dignitatis in uno, per excessum fructuum in altero, Simonia committitur: quæ tamen nec in foro externo præsumi poterit, si purè, ac nudè fiat talis permutatio in manibus Superioris, adeóque rectâ intentione, quæ in dubio præsumenda est, quamdiu non constat de mala intentione, ut notat *Suar. c. l.*

XXXII. Resp. secundò, si Beneficia sint inæqualia in reditibus temporalibus, non potest excessus fructuum Beneficij pinguioris compensari per pecuniam, vel aliam rem temporalem, solvendam ex parte Beneficij tenuis, etiamsi talis permutatio fiat, accedente auctoritate Prælati Superioris, nihilominùs enim Simoniam continet, contra jus positivum, & Divinum, ut docet *Covarr. l. 1. resol. c. 5. n. 8. & 9. Suar. cit. c. 34. n. 4. 6. & 9. contra Silvest. c. l.* Idque probatur primò, à priori, quia talis compensatio non potest fieri per pecuniam, quin vendatur id, quod in Beneficio est spirituale, ergo non potest fieri sine Simonia contra jus Divinum. Ant. probatur, quia licèt talis contractus sit permutatio, quatenus spirituale pro spirituali jure, & integri reditus Beneficij tenuioris pro parte æquali redituum Beneficij pinguioris dantur: quatenus tamen certa pecunia datur pro reliquo excessu reditnum, est emptio illius partis redituum Beneficij pinguioris, per quam emitur pro illa parte Titulus spiritualis: nam illa pars redituum non emitur, nisi quatenus annexa est spirituali Titulo Beneficij, & acquirenda per spirituale officium, propter quod datur Beneficium, ergo illâ parte venditâ, sequitur necessariò etiam vendi ipsum spiritualem Titulum, cui est annexa, juxta c. *Si quis objecerit; 7. caus. 1. q. 6.* ubi Paschalis Papa ait: *qui connexorum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit, Suar. c. l. n. 7.* Nec quippiam juvat, quòd intentio contrahentium sit, pecuniam non dare pro Beneficio, quatenus quid spirituale est, sed solùm, quatenus habet reditus temporales: nam permutantes suâ intentione non possunt separare fructus annexos spirituali Titulo Beneficij ab ipso, ac proinde non possunt facere, quòminùs pars illa redituum vendatur, & ematur, quatenus annexa est spirituali Titulo, &

consequenter, ut illâ venditâ, non censeatur venditus Titulus spiritualis.

XXXIII. Probatur secundò à posteriori, quia alioquì etiam licitum esset, simpliciter alicui resignare Beneficium, non ex causa permutationis, dando illi gratìs titulum spiritualem: sed vicissim recipiendo ab illo pecuniam in compensationem reditùum Beneficialium, saltem quatenus excederent reditus necessarios ad congruam sustentationem: at hoc Simoniacum est, & illicitum, ut omnes concedunt; quia reditus illi venderentur ut annexi titulo spirituali, adeóque ipse etiam Titulus spiritualis Beneficij, cui reditus consequenter sunt annexi: ergo idem dicendum est in permutatione, quæ habet admixtam partialem venditionem, & emptionem, ut jam declaratum, *Suar. c. l. n.* 8. Neque verò talis permutatio licita redditur per auctoritatem Superioris Papâ inferioris, v. g. Episcopi; quia permutatio rei spiritualis pro pecunia, vel alia re temporali ita jure est prohibita, ut nullius Superioris auctoritate possit cohonestari, *c. ult. & c. Cum pridem, 4. de pact. Suar. c. l. num.* 10. Imò non tantùm jure positivo: sed etiam Divino, quia Episcopus non potest separare fructus annexos Beneficio à titulo Beneficij, adeóque facere, quin pecunia detur pro illis, ut annexis spirituali titulo, & per consequens pro ipso titulo, quod est prohibitum jure Divino, *Suar. c. l. num.* 11. Non obstat *c. Quæsitum 5. h.* quia in illo non est sermo de permutatione rei spiritualis pro temporali: sed de pura Beneficiorum inter se permutatione, quòd ea non debeat fieri sine auctoritate Episcopi. Neque etiam obstat *cap. Ad Quæstiones 6. h. t.* quia ibi tantùm agitur de commutandis Ecclesiis quoad proprietatem, & quoad possessiones, seu bona patrimonialia Ecclesiarum, quorum reditus non sunt annexi spirituali juri, officio, aut titulo, sicut reditus Beneficiales, aut decimarum: sed sunt bona merè temporalia Ecclesiæ ad sustentanda ejus onera, ideóque seorsim ab Ecclesiis permutari possunt, *Suar. c. l. n.* 13. & patet ex suprà dictis.

XXXIV. An autem auctoritate Papæ possit fieri talis permutatio sine Simoniæ vitio, dubitari potest? Probabile est posse, ut docet *Suar. c. l. n.* 12. non quidem per modum propriæ permutationis, nec propriè dispensando, cùm nec S. Pontifex dispensare possit in jure Divino: sed mutando materiam, potest enim Papa separare à pinguioris Beneficij titulo partem reditùum, & applicare illos ei, qui tenue Beneficium recipit, & pingue dimittit, in sustentationem ejusdem, adeóque permittere, ut fructus sic separati pecuniâ compensentur ab eo, qui pingue Beneficium recipit, & pro tenui commutat, vel etiam ut is, qui pingue Beneficium recipit, det aliquid alteri, non in compensationem fructuum Beneficialium: sed in congruam sustentationem ejus, qui pro pingui tenue Beneficium recipit. Addit tamen *Suar. c. l.* quòd Papa non soleat hoc ordinariè permittere; quia periculum est, & mali speciem habet.

§. V.

An permutatio Beneficiorum fieri possit, non obstantibus gratiis expectativis?

XXXV. Sensus Quæstionis est, an gratiæ expectativæ aliquibus concessæ à Papa ad Beneficia, si quæ jam vacant, vel proximè vacatura sunt, impediant permutationem Beneficiorum? Respondetur, tales gratiæ expectativæ non se extendunt ad Beneficia resignata ex causa permutationis, adeóque valida est permutatio Beneficiorum, non obstantibus gratiis expectativis, prout statuitur *in c. Licèt; unic. h. t. in 6.* Ubi Bonifacius VIII. ita rescribit, „ licèt aliqui in Diœcesi (sub quâ comprehenditur „ etiam Civitas Episcopalis, *Gl. hic V. Diœcesi*) auctoritate Apostolicâ Beneficia proximè vacatura expectent: illi tamen, qui secundùm formam juris „ (*c. Quæsitum; 5. h. t.*) Beneficia ad collationem Episcopi in eadem Diœcesi spectantia permutare volunt, liberè ac sine fraude ea in manibus Episcopi resignare possunt: neque enim spectatâ æquitate, quæ rigori juris præferenda est (*l. Placuit; 8. C. de judic.*) per tales gratias expectativas permutationes Beneficiorum hujusmodi, quæ aliàs minimè resignàssent, ullo modo impediri debent. V. g. „ si Titio à Papa concessa sit gratia expectativa, ita, ut ipsi Beneficium, quod jam vacat, vel proximè vacaturum est, conferendum sit ex mandato Papæ, sive sit Beneficium curatum, vel simplex: sive etiam dignitas, aut personatus, dato certo executore ad compellendum: postea verò duo Clerici, in eadem Diœcesi sua Beneficia in manibus Ordinarij resignent, permutationis causâ, & Titius petat unum ex Beneficiis resignatis sibi, vi gratiæ expectativæ conferri: hoc casu, licèt secundùm juris rigorem unum ex Beneficiis resignaris ipsi conferri deberet; quia dicta Beneficia per resignationem verè vacant, ideóque sub gratiis expectativis, quibus generatim alicui mandatur conferri Beneficium proximè vacaturum, comprehenduntur: nihilominùs tamen ex æquitate hujusmodi gratiæ expectativæ resignationes Beneficiorum ex causa permutationis factas impedire non debent, neque in ijs locum habent; cùm eorum resignatio non sit facta, nisi causa permutandi, sive eâ conditione, ut permutatio sequatur, *Gl. hìc in casu.* Neque verò per hoc gratiam expectativam habenti aliquid decedit, vel in ejus præjudicium fit; ut notat *Gl. fin. hìc* nam isti resignantes non erant resignaturi, nisi causâ permutationis, cùm ergo resignatio ista Beneficiorum non sit facta, nisi animo permutandi, non debet actus agentium extendi ultra intentionem eorum, ut tradit *Gl. hìc in notatis.* Quòd si permutatio secuta non fuisset, Beneficia illa restitui debuissent ipsis permutantibus, ita, ut si alicui alteri, præter permutantes, collata fuissent, collatio fuisset irrita, juxta *Clement. unic. h. t.*

XXXVI. Excipiendum tamen est, nisi resignatio, & permutatio Beneficiorum in fraudem facta sit, ut præcludatur via habenti gratiam expectativam, tunc enim probatâ fraude, expectans posset petere unum ex Beneficiis permutatis, non obstante hujusmodi permutatione, perinde ac si vacâsset per mortem, vel resignationem, non ex causa permutationis: sed simpliciter, ut colligitur *ex hoc cap.* & tradit *Gl. receptâ hìc in casu, & V. Sine fraude, arg. c. 2. de renunciat. in 6.* An autem in fraudem facta sit permutatio, colligi debet ex qualitate, & circumstantiis facti, juxta *cit. c. 2.*

non autem ex eo præcisè, quòd habens Beneficium tenue, illud permutet cum habente pingue, vel Clericus juvenis cum sene, sufficiens adest indicium ad præsumendam fraudulentam permutationem, *Arg. l. Dolus* 3 12. *C. de rescind. vendit. junct. Gl. marg.* & docet *Franc. in cit. c. un. num.* 12. *h. t. in* 6. quia auctoritas Superioris, à qua permutatio sumit robur, tollit præsumptionem fraudis, nisi aliæ concurrant conjecturæ fraudis, ut si permutetur Beneficium tenue cum pingui proximè vocaturo, quia v. g. alter permutans est morti vicinus, vel si permutatio fiat inter consanguineos, &c. *Rebuff. in prax. Tit. de permut. num.* 42. *& seqq. Azor. cit. c.* 29. *q.* 30.

§. VI.

An res, sive ius spirituale possit permutari pro re temporali, & è converso: Item an res spiritualis pro re spirituali?

XXXVII. Assertio 1. Jus spirituale, v. gr. jus percipiendi decimas Clericales non potest commutari pro re temporali, sive pretio æstimabili 3 cùm sit jus spirituale, & in spirituali titulo fundatum, prout sumitur *ex c. Exhibita*; 9. *& ult. h. t.* Ubi cùm » lis orta esset inter Abbatem & Conventum S. Mar- » tini in Pannonia ex una parte, & Præpositum Al- » banensem ex altera, super quibusdam decimis: ea » delegata fuit Capellanio Papæ tunc in Hungaria » commoranti, in quem, & Magistrum M. tanquam » in Arbitros partes compromiserunt: qui pronun- » ciârunt, si dictus Præpositus à Rege Hungariæ de- » cem millia solidorum impetravit concedenda, seu » solvenda Monasterio, tunc ipsi Monachi desistere » debeant à petitione decimarum. Super hoc arbi- » trio consultus Papa Gregorius IX. mandavit qui- » busdam Abbatibus 3 cùm permutatio spiritualium » cum temporalibus sit reprobata, ideo si rem ita » gestam esse, ipsis constiterit, prædictum arbitrium, » & quicquid ex eo secutum est, irritum esse, de- » cernant.

XXXVIII. Pro explicatione hujus Cap. Notandum primò. Si Arbitri causam dubiam super jure spirituali uni litigantium adjudicent, ita tamen, ut is propterea obligatus sit, ad solvendam alteri parti pecuniam, vel aliud quid pretio æstimabile, tale laudum, seu arbitrium non valet, *cit. c. ult. h. t. & c. Super eo* 7. *de transact. & c.* 2. *de arbitris.* Ratio est, quia id Simoniacam pravitatem continet, cùm pro jure spirituali accepto, vel retento datur aliquid temporale. Non obstat, quòd Arbitri, sicut etiam Judices in lite Beneficiaria possint uni litigantium adjudicare Beneficium, eúmque gravare, ut pro bono pacis pecuniam parti alteri persolvat, juxta *c. Nisi essent* 3 21. *de præbend.* Nam respondetur, cum *Gl. in c.* 2. *V. Ut super decimis, de transact.* quòd transactio propriè dicta non possit fieri super re spirituali, ita, ut pro illa vicissim detur aliquid temporale, tale enim pactum esset Simoniacum: sive ipsæ partes litigantes ita inter se paciscantur, *c. Cùm pridem*; 4. *de pact. & c. Constitutus* 3 4. *de transact.* sive ipsi Arbitri, vel Arbitratores ita pronuncient, ut patet *ex cit. c. ult. h. t. & cit. c.* 2. *junct. Gl. V. Quinque Marchas, de arbitr.* nam si super jure spirituali, v. g. jure decimandi, propriè dicta transactio fiat (hoc est talis, per quam super re dubia, seu lite incerta fit pactio, non gratuita, ut colligitur *ex l.* 1. *ff. de transact. & l. Transactio* 3 38. *C. eod.*) ita ut pro illo vicissim detur aliquid temporale: tunc pro jure spirituali, saltem dubio alteri parti competente datur aliquid temporale, seu pretio æstimabile, adeóque est Simoniaca transactio.

XXXIX. Aliud verò dicendum est, si fiat transactio impropriè dicta, sive compositio amicabilis inter partes litigantes, interveniente auctoritate Judicis ordinarij, vel Delegati, vel etiam Arbitrorum compromissariorum: si enim duo litigent super Beneficio, v. g. coram Judice, potest is ex partium consensu, aut compromisso, non in compensationem dubij juris (quod Simoniacum foret, ut dictum) sed ob aliam causam, & nominatim ob bonum pacis, & concordiæ, & ut à lite recedatur, partem, cui Beneficium adjudicatur, pensione pecuniariâ gravare solvendâ alteri parti: ita tamen, ut tale onus pensionis personale solùm sit, & non reale impositum ipsi Beneficio, prout habetur *in cit. c. Nisi essent; de præbend. & dictum suprà Tit.* 5. *num.* 69. *& seq.* quamvis talis amicabilis compositio non possit fieri privatâ auctoritate, seu pactione ipsarum partium, ut notavit *Gl. Ibid. V. Ex jussione*: ideòque si inter partes litigantes conventum sit, ut una pars lite, & jure Beneficiario cedat; altera verò pars temporale quippiam det, seu offerat, v. g. expensas factas restituat, talis transactio illicita est, & Simoniaca, prout sumitur *ex cit. c. Cùm pridem, de pactis* 3 & *ex Imola* docet *ibid. Laym. n.* 1. neque à Superiore, seu Judice approbari, seu confirmari debet. Ratio autem disparitatis inter amicabilem compositionem, quæ à partibus initium habet, & inter illam, quæ fit auctoritate judicis, hæc affertur à *Suar. Tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de Simon. c.* 51. *nu.* 21. quia in priore conventione à partibus factâ periculum est, ne spirituale pro temporali detur, ob utilitatem propriam, quam privati quærere solent, præsertim temporalem: Judex verò ratione officij præsumitur habere intentionem rectam, videlicet pacis, & concordiæ.

XL. Porrò aliter explicat, & concordat *cit. c. Nisi essent; de præbend* cum *c. ult. h. t. Barbos. in Collect. ibid. num.* 7. nam dupliciter potest quis dare temporale pro re, seu jure spirituali, & notat etiam *Suar. cit. l.* 4. *c.* 50. *n.* 2. *& n.* 18. vel post jus acquisitum in re, seu jure spirituali, v. g. Beneficio: & tunc pro bono pacis, vel ob aliam justam causam licitum est, pro eo dare temporale; & de eo loquitur *cit. c. Nisi essent*; ubi Arbitri Beneficium adjudicabant illi, qui in eo jus habebat, ut videtur colligi *ex verbis Textus ibi: habent Prioratum: & ibi: secundùm justitiam videtur esse statutum.* Vel datur temporale pro spirituali ab eo, cui nullum in eo est adhuc jus acquisitum; tunc neque interveniente auctoritate judicis inferioris, id est licitum, ut *in cit. c. ult.* in quo non constabat jus decimandi ad Præpositum pertinere: sed dubium erat, & tamen per arbitrium ipsi illud adjudicatum fuit, si impetravit à Rege certam pecuniam Monasterio, & sic temporale pro spirituali fuit commuta-

mutatum, quod est Simoniacum. Ratio discriminis est, quia priore casu, quando quis dat temporale pro bono pacis, vel ex alia justa causa, non censetur spirituale emere pro temporali, quippè cùm jam ipsi in illo jus quæsitum sit: sed solùm redimere vel-le vexationem, seu gravamen ipsi in jure spirituali postea illatum, quod jam suum erat: at verò posteriore casu, censetur quis jus ipsum spirituale emere pro temporali; quia nullum jus in ipso habuit: sed de novo illud consequitur. Et hæc expositio est quoque probabilis.

XLI. Notandum secundò. *In cit. c. ult. h. t.* per arbitrium non tam facta est transactio: quàm potiùs venditio perpetua juris decimandi, unde verisimile est, illud arbitrium ortum fuisse ex conventione partium, & fundatum fuisse non in bono pacis, & concordiæ: sed in permutatione unius rei pro alia, scilicet rei spiritualis, cum temporali, ideóque à Papa arbitrium irritum fuit declaratum, *Suar. cit. loc. n. 23.* & consequenter etiam id, quod ex eo secutum est; quia quando principale non tenet, nec accessorium tenet, *Gl. hic in notat.*

Notandum tertiò. Cùm jus percipiendi decimas Clericales non possit commutari pro re temporali, multò minùs potest vendi, *Gl. hic V. Temporalia*, quamvis ipsi fructus temporales possint vendi: imò etiam licitum est facultatem, illos percipiendi ad certum tempus concedere, seu locare, *c. 2. de locat.* Quòd si jus decimarum legitimâ auctoritate Superioris absolutè, & in perpetuum sit separatum à titulo spirituali, tum non est prohibitum illud vendere, cùm tunc sit jus merè temporale, ut patet ex suprà dictis.

XLII. Assertio 2. Res spiritualis (exceptis Beneficiis, de quibus supr.) potest permutari pro alia re spirituali, dummodo utraque sit res merè spiritualis, cui scilicet nihil pretio æstimabile sit annexum, ut docet *Gl. in c. Quàm pio; 2. V. Pactio, caus. 1. q. 2.* ubi ait, per verba illa generalia, *dummodo omnis pactio, vel conventio cesset*, prohiberi inhonestas pactiones, non autem honestas: per inhonestas autem intelliguntur illæ, per quas spirituale promittitur pro re temporali obtinenda: & per honestas, quando spirituale pro spirituali promittitur, vel datur, talia enim pacta nullibi in jure reperiuntur prohibita, *Suar. Tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simon. c. 31. num. 20.*

TITVLVS XX.

DE FEUDIS.

Actum est in præcedentibus Titulis de contractibus, quibus dominium rerum directum transfertur, videlicet de emptione ac venditione, & de permutatione, nunc subjicitur Titulus de Feudo; quia per contractum feudalem utile dominium, seu jus utilitatis transfertur, ideóque etiam inter species alienationis prohibitæ numeratur, sicut & Emphyteusis. Porrò Feudum vel à fœdere, vel potiùs à fide, seu fidelitate dictum, quam Vasallus singulariter Domino præstare debet: interdum accipitur pro ipsa re feudali, quæ in Feudum conceditur, in præsenti verò potissimùm sumitur pro ipso Contractu feudali.

§. I.

Quid sit Feudum, & quotuplex?

I.

ASSERTIO 1. Feudum sic describitur apud *Jul. Clarum lib. 4. sent. §. Feudum, q. 4. Zasium in Epitome Feudali, par. 1. num. 3. Rosenthal tract. de Feud. c. 1. concl. 3. Less. l. 2. de justit. c. 24. n. 5.* Est benevola, libera ac perpetua concessio rei immobilis, vel æquipollentis, cum translatione utilis dominij, proprietate retentâ, sub fidelitate, & exhibitione servitiorum, sive sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi. Dicitur primò, *Benevola & libera concessio*, per quod distinguitur potissimùm Feudum ab Emphyteusi, in qua annua pensio realis, seu canon solvitur: in puro Feudo verò solùm obsequium personale domino exhibetur. Quamvis etiam in Feudo interdum aliquid solvatur in recognitionem dominij directi: sed tunc ex parte deficit à natura Feudi, & accedit ad conditionem Emphyteusis, ut notat *Less. c. l.* Additur *perpetua concessio*; quia quædam sunt Feuda, quæ non perpetuò: sed ad certum tantùm tempus conceduntur, & propriè dicta Feuda non sunt: sed à natura Feudi degenerant, *Zas. in Epit. Feud. par. 12. n. 4. & seqq.* Dicitur secundò, *Rei immobilis, vel æquivalentis*, nam res mobilis, v. g. pecunia separata, ac per se in Feudum dari non potest, *Lib. 2. Feudor. Tit. 1. §. Sciendum*; à sensu contrario. Ratio est, tum quia in rebus mobilibus dominium directum ab utili separari non potest, nec remanere penes dantem; nam res mobiles, vel usu consumuntur, & ita proprietas rei in Feudum datæ extingueretur, quæ tamen penes dominum remanere debet: vel si servarentur, nullam præstarent utilitatem, *Zasius c. l. p. 4 n. 21.* Nomine autem rei immobilis veniunt, non solùm res soli, seu fundi, veludi prædium, ager, Castrum: sed etiam quicquid solo, vel fundo cohæ-

ret, ut vineæ, arbores, *cit.* §. *Sciendum.*: imò & fructus pendentes, *Gl. ibid. V. Cohærentibus*, quia pars fundi censentur, *l. Fructus*, 44. *ff. de rei vindic.* Item in Feudum dari possunt, quæ inter res immobiles computantur, ut servitutes debitæ fundo, jurisdictio, quæ Castro, vel oppido in Feudum concesso cohæret, & alia jura incorporalia inhærentia fundo in Feudum dato, ut jus pascendi, venandi, piscandi, &c. *Rosenth. de Feudis c. 4. concl. 3. 4. & 5.* Imò etiam annui reditus in Feudum dari possunt; quia inter immobilia recensentur, *Clem. unic. §. Cumque annui reditus, de V. S.* sive ex re immobili, sive ex negotiatione aliqua proveniant, modò sint reditus perpetui, aut diu duraturi, *Zas. c. l. n. 9.* Dicitur tertiò, *Cum translatione utilis dominij, proprietate retentâ*, quia in Feudo proprietas, seu dominium directum fundi manet penes dominum Feudi, sive eum, qui rem in Feudum concedit, qui & Senior dicitur, der Lehenherr. Ususfructus verò, hoc est dominium utile rei transfertur in eum, qui Feudum accipit, qui, & Feudatarius, seu Vasallus appellatur, vulgò der Lehenmann/ ut constat *ex lib. 2. Feud. Tit. 23. in fine*: ubi ususfructus non accipitur strictè pro servitute personali, quæ morte usufructuarij extinguitur, §. *Finitur*, *Instit. de usufruct.* sed pro jure utilitatis, quod etiam ad hæredes accipientis masculos: imò etiam ad fœminas (si de his nominatim sit dictum) in perpetuum pertinet, prout habetur *ibid.* Dicitur ultimò, *Sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi*, nam in eum finem Feudum conceditur alicui, ut fidem, & obsequium, quasi compensationis vice domino retribuat, ut ex infrà dicendis patebit.

II. Hinc colligitur primò. Quomodo differat Feudum à locatione, & Emphyteusi, à priore quidem differt, quia locatio fit ad tempus, Feudum conceditur in perpetuum: Feudum tribuit quasi dominium, utile scilicet: locatio non item, nec possessionem quidem saltem civilem: ab Emphyteusi verò distinguitur Feudum; quia in hoc debetur domino obsequium personale: in Emphyteusi verò pensio realis, sicut, & in locatione. Secundò, Feudum alienari non potest, sine consensu domini, Emphyteuta jus suum alteri donare, vel legare: imò, & vendere potest, requisito tamen priùs domino. Tertiò, Feudatarius non cogitur domino obsequium præstare, nisi dominus exigat: Emphyteuta debet pensionem solvere tempore constituto, etiamsi dominus non petat. Quartò, Feudatarius potest Feudum dimittere, sine domini voluntate, cùm sit Beneficium: non item Emphyteuta, quia accepit, ut reddat rem meliorem. Quintò, in Feudo fœmina nequit succedere, nisi sit Feudum fœmineum, vel nisi id expressè pactum fuerit: in Emphyteusi potest succedere, *Azor. p. 3. lib. 10. c. 3. q. 3.*

Colligitur secundò. Quænam sint qualitates, seu proprietates de jure, vel consuetudine requisitæ ad Feudum propriè dictum, quæ ipso jure ei insunt: videlicet ut sit res immobilis, vel æquipollens: ut ejus dominium utile transeat in accipientem, directum verò maneat penes concedentem: ut ad masculos descendentes transeat, idque in perpetuum: ut fidelitas jurata præstetur domino: ut ex illo servitium personale, & indeterminatum debeatur: ut gratis concedatur: ut sine consensu domini alienari non possit: nec sine culpa Vasalli ei auferri, & similia, quæ plerâque ex definitione, seu descriptione Feudi elici possunt. *Rosenth. tract. de Feud. c. 2. concl. 52.* Porro ex prædictis conditionibus requisitis ad proprium Feudum, duæ tantùm pertinent ad substantiam Feudi, videlicet, ut in Feudum detur res immobilis, vel quæ talis habeatur, & ut is, qui rem in Feudum accipit, fidelitatem, & obsequium domino promittat, ac præstet, sive cum juramento: sive sine illo, & consequenter, ut dominium directum maneat penes dominum, & utile in Feudatarium transeat. Reliqua verò in Feudo sunt præternaturalia, ac veluti accidentalia, quæ salvâ Feudi substantiâ, per pactiones mutari possunt, *Azor. c. l. q. 2. Rosenth. c. l. c. 53.*

Colligitur tertiò, Feudum per emptionem acquisitum, sive à Vasallo, cum domini consensu, sive etiam ab ipso domino à principio sit emptum, degenerat quidem à natura Feudorum; quæ regulariter, & connaturaliter sunt gratuita, sive liberaliter concessa, adeóque hujusmodi Feudum non est proprium, seu strictè acceptum Feudum: in cæteris tamen propriam naturam Feudi retinet; quia non est de substantia Feudi, ut gratis concedatur, *Zasius in Epitome p. 12. num. 2. Rosenthal cit. c. 2. concl. 61.* Nec obstat, quòd Feudum, interveniente pecuniâ, concessum non videatur esse Beneficium, & consequenter neque Feudum: Nam quia res in Feudum data, etiam pro pecunia, solet plerumque pretio multum præponderare, ideo à potiore meritò sumitur denominatio, ita, ut adhuc Beneficium dici possit, *Rosenth. tract. de Feud. c. 1. concl. 2. n. 7. & 8.*

III. Assertio 2. Prima, ac præcipua divisio Feudi est; quòd aliud sit antiquum, aliud novum; antiquum est, quod ab uno ex ascendentibus, qui caput fuerat, ac parens communis agnationis, est acquisitum: & hoc etiam interdum Feudum paternum dicitur, si à patre, vel aliquo ascendentium intra quartum gradum inclusivè, sit acquisitum, quamvis antiquum, & paternum sæpe pro eodem sumantur, *Jul. Clar. §. Feudum, q. 8. num. 1.* Feudum novum est, quòd primò alicui acquisitum est, beneficio solius domini conferentis, & ab eo de novo ipsi conceditur, adeóq; initium habet in persona investiti, nec ad eum ex alicujus successione pervenit, *Zasius in Epitom. p. 2. n. 7. Clar. c. l.*

Dividitur secundò. Feudum in hæreditarium, vulgò Erblehen/ & gentilitium, sive ex pacto, & providentia, Stammenlehen/ & in mixtum ex utroque. Feudum hæreditarium propriè dicitur, quòd alicui simpliciter & absolutè concessum est pro se, & quibuscùnque hæredibus: ad quod sufficit, ut quis sit hæres, ideóque tale Feudum transit ad quoscùnque hæredes Vasalli, etiam extraneos. *Clar. c. l. nu. 2.* Feudum ex pacto, & providentia dicitur, quod est concessum alicui pro se, & filiis suis, seu liberis: nullâ factâ mentione hæredum: & ad hoc ut aliquis succedat in tali Feudo, sufficit, quòd sit filius, vel descendens à primo acquirente, etiamsi non sit hæres illius, *Clar. cit. q. 9. n. 3. & alij communiter.* Feudum mixtum est quod neque simpliciter hæreditarium est, neque simpliciter ex pacto, & providentia: sed participat de utroque, ut si alicui concessum sit Feudum pro se, & filiis, ac hæredibus suis, ad quod requiritur, ut is, qui in tali Feudo succedit, simul sit filius, & hæres, adeóque

que ut in eo jus sanguinis, sive agnationis, & jus hæreditatis simul concurrant, *Clar. cit. q. 9. n. 4.* quamvis *Rosenth. cit. c. 2. concl. 49.* nullum Feudum mixtum agnoscat.

Dividitur tertiò, Feudum in Ecclesiasticum, & Sæculare: Ecclesiasticum est, quod Ecclesia dat alteri, vel ipsa accipit ab alio: vel quod Clericus, ut Clericus, concedit. Feudum sæculare est, quod à sæcularibus datur, & accipitur, *Azor. cit. l. 10. c. 2. Rosenth. cit. c. 2. concl. 5.* Verùm *Fagnan. in c. Verùm 37. n. 29. de foro compet.* ex Abbate ait, quòd ad cognoscendum, utrùm Feudum sit Ecclesiasticum, an Sæculare, attendenda sit prima causa concessionis Feudi: si enim Ecclesia teneat aliquid in Feudum à Principe sæculari, tale Feudum dicitur sæculare, & si ipsa Ecclesia hujusmodi Feudum concedat alteri, non ideo ille dicetur Vasallus Ecclesiasticus, sed Sæcularis: & jurisdictio, quam habet Ecclesia in ipsum, vel in subditos Vasalli, non dicitur Ecclesiastica, sed sæcularis; quia tunc cognoscit de Feudo, non tanquam Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ sed tanquam dominus Feudi: si autem Feudum, quod ab Ecclesia in alium etiam Laicum est translatum, originaliter & primò ab Ecclesia processit, nec ipsa Ecclesia in eo Feudo alium Superiorem cognoscat: tale Feudum si concedat Ecclesia alteri, censetur Feudum Ecclesiasticum, & jurisdictio etiam erit Ecclesiastica, & si appellandum sit, appellari debet ad Superiorem Ecclesiasticum, *c. 3. §. Debet de appell. in 6.*

Dividitur quartò. Feudum in masculinum, quod ad mares tantùm transit, & fœmininum, quod ex speciali pacto, etiam fœminis conceditur, saltem in defectum masculorum, quod vulgò **Weiber oder Kungelehen** appellatur, ut constat *ex Lib. 1. Feud. Tit. 8. §. Filia, Azor. cit. l. 10. de Feud. c. 4. Zas. c. l. p. 2. n. 7.* plures divisiones Feudi videri possunt apud *Auctores citt.*

§. II.

Quænam res Ecclesiæ in Feudum dari possunt, vel non possunt?

IV. Assertio 1. Res sacræ, Religiosæ & spirituales, sicut alienari non possunt, ita nec in Feudum dari; quia hominum commercio sunt exempta, & in nullius bonis existunt, *arg. l. Pacta; 72. §. fin. & l. seq. ff. de contrah. empt.* Verùntamen si totum Castrum, cum omibus pertinentiis, alicui in Feudum sit concessum, etiam jus Patronatûs, quod dominus Feudi in Ecclesia illius Castri habuit, accessoriè unâ cum illo, transibit; *c. Ex Litteris; 3. de jure Patron.* quia multa in consequentiam permittuntur, quæ aliàs prohibentur, *Rosenth. tract. de Feud. c. 4. concl. 13.* quare Ecclesia, vel Monasterium per se in Feudum dari non potest, quamvis cum Universitate, v. g. Civitate, Oppido vel Castro in Feudum dato, accessoriè transire possit, *Rosenth. c. l. c. 14. n. 1. & in Scholiis lit. A.*

V. Assertio 2. Res, seu bona Ecclesiæ, etsi non sacra, neque religiosa sint: sed bona temporalia; sive communia, ad Ecclesiæ Fabricam, vel ad Mensam Prælati spectantia, etiamsi ab ipso Prælato de novo ex Ecclesiasticis reditibus ipsi Ecclesiæ sint acquisita, in Feudum de novo concedi non possunt à Prælato, sine consensu Capituli, auctoritate Superioris, & aliis requisitis solennitatibus, ut patet *ex Lib. 1. Feud. Tit. 6. Episcopum, Abbatem, &c. Feudum dare non posse; in princ.* & ex communi docet *Zas. cit. p. 5. n. 13. Rosenth. cit. c. 4. concl. 15. n. 2. Laym. in dis. Can. de alien. rer. Eccl. §. 5. de Feudo Th. 92.* Ratio est, quia Feudum, sive Feudi concessio habet rationem alienationis, & quidem magis, quàm Emphyteusis, ideóque difficiliùs in rebus Ecclesiasticis Prælato permittitur: partim quia Feudum magis ad naturam beneficij, ac donationis accedit, ut patet *ex Lib. 2. Feud. Tit. 23. Beneficium quid sit, & §. Inprimis*: donatio autem specialiter prohibita est Prælato, quippe non domino, sed administratori tantùm rerum Ecclesiæ, *c. 2. de donat.* partim quia Feudum fermè difficiliùs, aut tardiùs ad Ecclesiam revertitur, quàm Emphyteusis: nam Feudum est jus alieno prædio in perpetuum fruendi, quod pro beneficio dominus dat, eâ lege, ut qui accipit, sibi fidem, & militiæ munus, aliúdve servitium exhibeat, ut colligitur *ex Lib. 2. Feud. c. l. Laym. c. l.* Extenditur autem hoc etiam ad subinfeudationem, quod scilicet res, quas Ecclesia ab aliis in Feudum habet, sine adhibitis juris solennitatibus, subinfeudari non possint: quamvis Ecclesia in casibus licitis Feudum sibi concessum, non minùs, quàm Laici, subinfeudare, sive illud alteri in Feudum dare possit, *Rosenth. cit. concl. 15. n. 5. Laym. c. l.*

VI. Cæterùm quod dictum est, bona Ecclesiæ in Feudum concessa, non posse alienari, vel de novo concedi in Feudum, sine requisitis solennitatibus; id Limitari debet primò, quia potest Prælatus res jam ante in Feudum concedi solitas renovare, sive iterum in Feudum concedere sine consensu Capituli, & aliis juris solennitatibus, ut patet *ex Lib. 1. Feudor. Tit. 1. de his, qui Feudum dare possunt in princ.* ubi dicitur, Feudum dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, &c. si antiquitus consuetudo eorum fuerit Feudum dare, *Jul. Clar. §. Feudum, q. 13. nu. 6.* ubi ait; hanc esse communem sententiam, *Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. de quo plura infra.* Ratio est, quia talis infeudatio non censetur nova infeudatio, vel alienatio propriè dicta: sed potiùs antiquæ alienationis, & infeudationis quædam executio, dum jam olim decretum fuit tanquam Ecclesiæ utile, ut talia bona in Feudum concederentur, prout etiam supra dictum de Emphyteusi, *Tit. 18. n. 47.*

Limitatur secundò, quòd bona Ecclesiæ, & quæ in Feudum concedi non solent, denuò infeudari possint, sine solennitatibus aliàs requisitis, si res sit modica, ut prædiolum; nam res parvæ etiam alienari possunt à Prælato, *Rosenth. cit. c. 4. conclus. 20.* aliquando tamen res Ecclesiasticæ, etiam servatis debitis solennitatibus, infeudari de novo non possunt, si eâ conditione Ecclesiæ datæ sint, ut non alienentur; *Rosenthal. cit. c. 4. concl. 19.*

§. III.

In quibus casibus, Feudum antiquum ad Ecclesiam reversum denuò in Feudum concedi potest, non obstante iuramento de non infeudando de novo res Ecclesiæ?

VII. De

» VII. De his agitur *in c. Ex parte, 2. h. t.* in » quo Archiepiscopus Mediolanensis tria quæsivit ex » Papa Innocentio III. Primò utrùm, si contingat » Vasallum suæ Ecclesiæ decedere, ita, ut Feudum » redeat ad Ecclesiam, & Archiepiscopum, liceat » ipsi Feudum alij dare, sive de novo infeudare, non » obstante juramento, quo est obstrictus, non infeu- » dare de novo, inconsulto Romano Pontifice? Se- » cundò, an si Vasallus Feudum alienavit (quod ab » Ecclesia tenebat) ipsius filius, vel consanguineus » ejusdem Feudi consors possit in illo investiri? » Tertiò, si Feudum alienatum sit, ita, ut Ecclesia, » vel Archiepiscopus illud facilè recuperare non pos- » sit, an licitum sit alicui Laico de novo in Feudum » concedere: hac conditione, ut illud recuperet, & » ab Ecclesia in Feudum recognoscat? Ad hæc tria » quæsita respondet Pontifex, in primo casu, Feudum » decedentis liberè, si videatur expedire, ac licitè » posse concedi alteri. In secundò casu, filium vel » consanguineum alienantis investiendum esse. In » tertio, posse Feudum alienatum licitè illi concedi, » per quem ipsa Ecclesia illud valeat recuperare.

VIII. Pro intellectu hujus Cap. Notandum primò. Prælatus potest Feudum reversum ad Ecclesiam morte Vasalli decedentis sine masculis hæredibus, iterum liberè (id est, suo arbitratu) & sine requisitis solennitatibus alteri concedere, & reinfeudare, si ita expedire ipsi visum fuerit, ut constat *ex hoc cap. in primo Responsò*, & quidē non obstante juramento præstito de non alienando, vel non infeudando de novo, inconsulto Romano Pontifice; quia tale juramentum intelligitur, & refertur tantùm ad bona pertinentia ad Mensam Ecclesiæ, seu Prælati, id est, ad eas res, quarum dominium directum, & utile est penes Ecclesiam, & quæ nunquam fuerunt infeudatæ: non autem ad res, vel bona feudataria, quę ab antiquo solita sunt dari in Feudum; hæc enim, si revertantur ad Ecclesiam, etiam quoad dominium utile, potest Prælatus de novo infeudare, non obstante prædicto juramento, *Abb. in cit. c. 2. n. 3. h. t. Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. & 22.*

IX. Porrò quod dictum est, res infeudati solitas, & ad Ecclesiam reversas, sine solennitatibus adhibitis, reinfeudari posse: id Limitatur primò. Nisi bona illa infeudari solita, & reversa, Mensæ Ecclesiæ fuerint incorporata, tunc enim cessant esse feudalia; quia utile dominium consolidatur cum directo, adeóque sine consensu Capituli, & Superioris: imò & S. Pontificis, si Prælatus juravit, se, illo inconsulto, non alienaturum res Ecclesiæ, reinfeudari non possunt, ut ex communi docet *Rosenthal cit. c. 4. concluſ. 33.*

Limitatur secundò. Nisi mutato rerum statu, appareat jam non expedire Ecclesiæ, ut res olim in Feudum dari solitæ, de novo concedantur; quia v. g. Ecclesia, quæ olim erat locuples, nunc valde inops facta est; tunc enim Prælatus Feudum apertum non potest alteri concedere: sed in Ecclesiæ ad inopiam redactæ usum illud servare, ejúsque Mensæ applicari debet, ut colligitur *ex cit. c. 2. ibi: Si viderit expedire, h. t.* ergo si non expediret, contrarium faciendum, *Rosenthal cit. c. 4. concluſ. 35.* sed de hoc videri potest, quod dictum supra *Tit. 18. n. 48.*

Limitatur tertiò. Nisi sit specialis consuetudo alicujus Ecclesiæ, aut conventio inter Prælatum, & Capitulum, ut renovatio, seu reinfeudatio bonorum feudalium ad Ecclesiam reversorum non debeat fieri à Prælato, sine consensu Capituli; tum enim ea observanda foret, *Rosenth. cit. c. 4. concl. 22. num. 4.* Similiter si res feudalis reversa ad Ecclesiam communiter pertineat ad Prælatum, & Capitulum, reinfeudari non potest sine consensu Capituli, *Rosenth. cit. c. 4. concl. 21. num. 2.* Quando autem res Ecclesiæ dicantur solitæ in Feudum dari, ad hoc ut possint etiam sine solennitate iterum infeudari, & an ad hoc cogi possint, dictum est suprà *cit. Tit. 18. num. 47.*

X. Notandum secundò. Potest Prælatus, si Vasallus Ecclesiæ Feudum alienavit sine consensu Domini, ideóque illud apertum, & reversum est ad Ecclesiam, ejusdem Vasalli filio, vel consanguineo, vel ipsius consorti, id est, socio ejusdem Feudi de novo concedere, eúmque in eo investire, prout respondit *Innocent. III. in cit. c. 2. ad 2. Quæsitum, h. t.* idque non obstante juramento de non infeudando, & sine requisitis aliàs solennitatibus; quia non tam novum, quàm antiquum Feudum, sive jam antea concessum confertur filio, vel agnato; *Gl. in cit. c. 2. V. Investire.* Verùm quia propter alienationem Feudi à Patre, vel agnato sine licentia domini factam, filius, vel agnatus ipso facto amisit Feudum, illóque privatus fuit, ideo opus fuit novâ concessione, sive investiturâ in ipso filio, vel agnato, ut tradit *Abb. in cit. c. 2. n. 5. h. t.* Sicut autem Prælatus hoc casu posset illud Feudum apertum conferre alteri extraneo: ita etiam potest conferre denuò filio, vel consanguineo, non obstante delicto patris, vel agnati, quod non nocet filio, vel consanguineo in Feudo rursùs consequendo, licèt nocuerit in Feudo perdendo, *Abb. c. l.*

XI. Notandum tertiò. Si Feudum Ecclesiæ, ob delictum Vasalli: quia v. g. illud alienavit, sine consensu domini directi, ad Ecclesiam sit reversum, ita tamen, ut ab ipso Vasallo, vel altero, in quem ipse alienavit, facilè recuperari non possit: hoc casu, Prælatus, etiam sine consensu Capituli, aliísque solennitatibus, & non obstante juramento de non infeudando, potest illud Feudum alicui potentiori Laico concedere, ut mediante illo Ecclesia Feudum alienatum recuperare possit, isque ab Ecclesia rem alienatam in Feudum recognoscat, prout respondit Pontifex *in cit. c. 2. Ad casum seu Quæsitum 3. & Abb. ibid. num. 5. vers. ult. Rosenth. cit. c. 4. concl. 16. num. 2.* Idque specialiter in favorem Ecclesiæ constitutum fuit, nam alioquin aliam rem non feudalem Ecclesiæ non potest Prælatus concedere in Feudum alicui potentiori, eò quòd ab eo, qui illam occupavit, & possidet, recuperari non possit, nisi requisitæ juris solennitates interveniant, ut docet *Abb. in cit. c. 2. n. 5. Rosenth. cit. concl. 16. n. 1. & alij communiter.* Ratio est, quia aliquin via aperiretur fraudibus, posset enim Prælatus permittere, ut res Ecclesiæ occuparetur ab alio, & postea sub hoc prætextu illam concedere in Feudum huic consanguineo, vel amico, ut illam à possessore recuperet, *Abb. c. l.* Sed neque Feudum ad Ecclesiam reversum Prælatus potest alicui potentiori in Feudum concedere, ita ut Ecclesiæ conditio deterior efficiatur, nisi necessitas urgeat, ut in casu supra allato, *Leyman cit. disc. thes. 93.*

Sed

XII. Sed jam hîc quæri potest, an Capitulum Feuda, quæ aperta sunt, Sede vacante, reinfeudare, sive denuò in Feudum concedere possit: Respond. Si res Ecclesiæ infeudari solita communiter spectet ad Episcopum, seu Prælatum, & Capitulum: tunc si reversa sit ad Ecclesiam, Capitulum, Sede vacante, illam denuò infeudere poterit, *arg. c. un. Ne Sede vacante &c. in 6.* sicut etiam Capitulum, vacante Sede, de controversiis circa Feudum ortis cognoscere potest, ut docet *Io. Andr. & Abb. in c. Verum; 7. n. 9. de foro compet. & Laym. in cit. disp. de reb. Eccles. alien. thes. 94.* Respon. secundò. Si Capitulum bona habeat separata, ac divisa à mensa Prælati, & si solita fuerunt infeudari, postquam reversa sunt ad Capitulum, potest sive Sede vacante, sive non vacante, Capitulum, sine consensu Prælati, aliisque solemnitatibus, ea iterum in Feudum concedere, ut docet *Rèdoan. tract. de reb. Eccles. non alien. q. 60. n. 5. Rosenth. cit. c. 4. concl. 26. n. 2.* non tamen potest Capitulum, spectato Jure communi, res feudales, postquam apertæ sunt, & mensæ Capitulari incorporatæ, sine solemnitatibus jure requisitis, ea de novo infeudare, velaliter alienare, *Laym. c. l.* Respond. tertiò, non potest Capitulum Feuda, quæ ad solius Episcopi, sive Prælati mensam propriè spectant, si aperta ad Ecclesiam redeant, eique incorporentur, vacante Sede, iterum infeudare; tum quia in ijs juribus, quæ Episcopo, seu Prælato jure speciali, & extraordinario competunt, non succedit Capitulum, Sede vacante: sed succedit tantùm in administratione, & jurisdictione necessaria: non autem in voluntaria, & in ijs, quæ sunt liberalitatis, & gratiæ, cujusmodi est Feudum ad Ecclesiam reversum de novo in Feudum concedere. Quare expectandum est, usque ad novi Episcopi, seu Prælati electionem, & confirmationem, *Laym. c. l.* quemadmodum etiam, si vacante Ecclesia lis in judicio mota sit circa Feudum ad solum Prælatum, spectans, ejus cognitio differri debet, donec Ecclesia novum Prælatum habuerit, ut tradit *Gl. recepta in cit. c. Verum; V. Quæstio mota de foro comp.*

§. IV.

An ob delictum Prælati, vel alterius Clerici beneficiarii, cui secundùm leges Feudorum pœna privationis est decreta, Feudum amittat Ecclesia?

XIII. Assertio 1. Si sit Feudum patrimoniale, aut paternum, seu privatum, tunc Prælatus, vel Clericus delinquens, v. g. committens crimen parricidij, vel proditionis eo privari potest, ac debet, perinde ut Laicus, ut docet *Innocent. in c. Verum; 7. nu. 2. de foro compet. Rosenth. c. 10. de feud. concl. 3. n. 1.* & sumitur ex *lib. 2. feud. tit. 40. de Capitulis, Corradi §. Item si Clericus*, ibi, *non solummodo personæ, sed Ecclesiæ*, nam Clericus in Feudis æstimatur, ut Laicus, *Laym. in cit. disp. de rer. Eccl. alien. thes. 95.*

XIV. Assertio 2. Si Prælatus, seu Rector Ecclesiæ Feudum habeat Ecclesiasticum, ratione Sedis ac dignitatis suæ, idque ad mensam solius Prælati pertineat, tunc ob delictum Prælati privatione dignum non amittit Feudum absolutè Ecclesia; *quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare, juxta Reg. jur. 76. in 6.* eo tamen vivente, & quamdiu in administratione est Prælatus, quoad omnium fructuum perceptionem, Feudum redit ad dominum directum, etiam Laicum, iisque privatur Prælatus: Eo verò mortuo, vel depositio, dominium utile, sive fructus revertuntur ad Successorem in Prælatura, ut expressè habetur in *cit. §. Item, si Clericus*, & docet *Rosenth. cit. concl. 3. n. 3.* Quòd si Feudum pertineat ad solum Capitulum, delictum Prælati ipsi non nocet: si verò pertineat communiter ad Prælatum, & Capitulum, tunc vel solus Prælatus deliquit, & hoc casu fructus amittuntur tantùm secundùm partem, quæ Prælato competit, ut ex communi docet *Alexand. de Nævo in c. Verùm; 7. num. 16. de foro comp. Rosenth. cit. concl. 3. nu. 2.* Nam quamvis, si causa seu jus commune pluribus sit indivisibile propter socium, qui damnari non potest, quia est innocens, etiam alter socius reus non sit damnandus: sed per accidens commodum referat, & immunitate gaudeat propter socium, *arg. l. Si is qui, 29. ff. de liberat. legat.* ubi *Bart. n. 1.* ait, quòd socius incapax legati, vel hæreditatis, si cum alio bonorum societatem habeat, capax fiat, propter socium capacem: & Laicus in causa individua cum Clerico conveniri debet coram Judice Ecclesiastico, non Laico, ut docet *Gail. 1. observ. 37. n. 2.* Secus tamen est, si causa, vel res communis pluribus sit dividua, seu separabilis, ut in casu proposito, in quo fructus Feudi pertinentis communiter ad Prælatum, & Capitulum, dividi, ac separari possunt, ita ut Episcopus, sive Prælatus reus, aut delinquens, parte fructuum sibi competente privetur: Capitulo verò innocenti sua pars fructuum salva maneat, *Laym. in cit. disput. thes. 95.* Vel non solus Prælatus (quod est alterum membrum distinctionis) delictum commisit: sed etiam Capitulum ejusdem delicti fuit particeps. Et tunc probabilius est, & æquius, ut Ecclesia Feudum non amittat, sed tantùm delinquentes: tam Prælatus, quam Capitulares, dum vivunt, fructibus priventur, ita tamen, ut ijs amotis vel mortuis, Feudum, sive ejus fructus, & commoditates ad Ecclesiam, & Successores Prælatos, & Capitulares revertantur, ut docet *Alexand. de Nævo, c. l. Abb. in c. 1. num. 14. & 18. De dolo, & contum.* ubi id tradit de Emphyteusi pertinente ad Ecclesiam, quòd illa non amittat dominium utile, ob non solutum Canonem, *Rosenth. cit. conclus. 3. num. 4. & 5. Laym. c. l.* Ratio est, Tum quia licèt ab initio Feuda tali conditione & pacto potuerint concedi Ecclesijs, ut ob delictum Prælati, si illius etiam Capitulum fuerit particeps, Feudum omninò amittatur, id tamen nullibi jure expressum est: sed contrarium potiùs indicatum *in cit. Tit. 40. §. Item, si Clericus.* Tum quia Prælatus, & Capitulum non possunt communi consensu rem Ecclesiæ alienare expressè, nisi subsit justa, & necessaria causa; ergo nec tacitè scilicet delinquendo; nam prohibitus alienare in favorem tertij, ut in proposito, Ecclesiæ, nec delinquendo alienare potest, *Abb. c. l. n. 14. Rosenth. c. l.* Tum denique, quia per se durum est, ac nimis rigidum, & æquitati contrarium, ut Ecclesia privetur in perpetuum bonis suis feudalibus propter delictum personarum: cui bona

Ecclesiæ non tantùm ad usum & commodum Prælati, & Capituli: sed inprimis etiam ad DEI honorem, Ministrorum perpetuam sustentationem, ad reparandam Ecclesiæ fabricam, ornatum Altarium, & alimoniam pauperum sint donata: ideóque iniquum foret, si delictum Administratorum in præjudicium omnium prædictorum redundaret, *Abb. in cit. c. 1. n. 16. de dol. & cont. Rosenth. c. l.*

§ V.

De prohibita, & illicita, vel licita Feudi alienatione.

XV. Assertio 1. Generalis regula est in materia Feudorum, quòd vasallus Feudum, sive novum, sive antiquum non potest alienare, sine consensu domini, alioquin alienatio invalida est, & ipse alienans Feudum perdit, prout statutum habetur in *Cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Lotharium lib. 2. tit. 52. & Cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55. Zasius in Epit. p. 9. n. 3 Clarus §. feudum, qu. 31. nu. 1. Rosenth. tr. de feud. c. 9. concl. 1.* Idque sumitur etiam ex *c. 2. h. t.* quando dicitur, Feudum ad Ecclesiam reversum filio, vel consanguineo ejusdem Feudi consorti concedi posse, ergo supponitur ibi, filium fuisse ipso jure privatum Feudo propter alienationem patris, sine consensu domini, factam, & dubium tantùm erat, utrùm illud, non obstante delicto patris, filio possit de novo concedi, *Gl. ibid. V. Investire, & Abb. n. 5. & 9.* Ratio hujus prohibitionis est, quia vasallus alienando Feudum, sine consensu domini, videtur eum contemnere, *cap. un. § fin.* quæ fuit prima causa benefic. amitt. &c. *lib. 2. tit. 24.* ideóque Feudum ad dominum proprietatis revertitur, exclusis filijs, & agnatis: dummodo alienatio à vasallo scienter sit facta, *§. Si vasallus Feudum, si de feud. defunct. content. l. 2. tit. 26. Clar. c. Rosenth. cit. c. 9. concl. 60.*

XVI. Assertio 2. nomine alienationis in materia feudali comprehenditur, & prohibetur, non tantùm venditio; sed omnis contractus, & actus, per quem dominium, vel jus aliquod reale sive in re constitutum transfertur in alium, sine consensu domini, prout sumitur ex *cap. un. qualit. poter. olim feud. alien. l. 2. tit. 9. & cap. un. §. Similiter de lege Corradi, l. 2. tit. 34. & cap. un. §. Præterà, de Capitulis Corradi l. 2. tit. 40. & cap. 1. de prohib. feud. alien. per Lothar. lib. 2. tit. 52. & cap. un. de prohib. feud. alien. per Frideric. l. 2. tit. 55. Mynsing. cent. 6. obs. 30.*

Hinc infertur, quòd vasallus non potest Feudum, sine consensu domini, alicui in testamento relinquere, hæredem in eo instituendo; nec legare, nec donare inter vivos, vel mortis causâ, nec per mutare: nec dare Feudum in Emphyteusin, nec locare ad longum tempus, vel ulterius. Sed neque Feudum à vasallo in dotem dari potest fœminæ, adeò ut nec pater quidem vasallus filiæ Feudum in dotem dare possit, quia in *cap. un. §. Donare lib. 2. tit. 9. qualiter olim poter. feud. alien.* absolutè negatur Feudum filiæ in dotem dari posse, *Clar. §. Feudum; q. 36. Rosenth. c. 9. concl. 8.* quia talis datio est quædam alienatio, cùm dos apud patrem non maneat: sed ejus dominium, vel saltem possessio naturalis in maritum transfertur. Aliud est, si ipsa mulier habeat proprium Feudum, id enim marito in dotem dare potest, sine consensu domini, & sic se ipsam dotare; licet tutius sit, requirere consensum domini; nam in hoc casu uxor non censetur Feudum alienare, quia dominium utile, & civilem possessionem fundi dotalis ipsa retinet, isque soluto matrimonio ad eam revertitur, ipsique marito tantùm datur, ut durante matrimonio fructus, & utilitatem inde percipiat, ad familiam, ipsámque uxorem alendam, *Rosenth. cit. c. 9. concl. 9. num. 10.* Denique nec oppignorare vasallus potest rem feudalem sine consensu domini, ut constat ex *c. unic. §. ult. in fin. de investit. de re alien. facta, & cap. unic. de prohib. feud. alien. per Frideric. Clarus §. Feudum; quæst. 35.* Quære in generali bonorum omnium hypotheca, seu obligatione, sive expressa, sive tacita, non continentur bona feudalia, etiamsi non fuerint specialiter excepta, *Clar. cit. §. quæst. 31. nu. 10. Rosenth. c. 9. concl. 13.*

XVII. Assertio 3. Potest tamen vasallus licitè, & validè alienare Feudum cum consensu domini, ut habetur in *c. unic. §. Etsi Clientulus de alienat. feud. l. 1. tit. 13. & in c. unic. §. Similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. & in cap. unic. de prohib. feud. alien. per Lothar. & in cap. unic. de prohib. feud. alien. per Frideric. Rosenth. cit. c. 9. concl. 28.* & alij: idque sive dominus Feudi expressè consenserit, sive tacitè, quia alienationi præsens non contradixit, *Rosenth. cit. c. 9. concl. 28. n. 3.*

XVIII. Assertio 4. Potest vasallus in Feudo, quod habet, alterum subinfeudare, etiam sine consensu domini, ut constat ex *c. unic. §. Si vero in princ. qualiter etiam poter. feud. alien. l. 2. tit. 9. cap unic. §. Similiter de lege Corradi l. 2. tit. 34. §. Sed etiam res, per quos fiat investit. l. 2. tit. 3. cap. unic. §. Beneficium, si de Feudo defuncti contentio l. 2. tit. 26. Clar. §. Feudum; quæst. 32. num. 1.* Ratio est, quia vasallus prior manet nihilominùs in solidum obligatus domino suo, & subvasallus saltem mediatè servire cogitur domino superiori, ex mandato subinfeudantis, qui ipsum ad id cogere potest & sic nihil, vel parùm decedit domino superiori. *Rosenth. cit. c. 9. concl. 43. num. 1. & 2.* Requiritur tamen, ut subinfeudatio fiat alteri, qui sit ejusdem conditionis, & qualitatis, cujus & ipse vasallus subinfeudans, & saltem non inferioris, ut si is miles sit, & subvasallus sit miles, *c. un. §. Similiter de lege Corradi;* & ut fiat ijsdem pactis, & conditionibus, sub quibus subinfeudans Feudum à Domino accepit. *Rosent. cit. c. 9. concl. 44. num. 3. & 4.* Est autem Infeudatio permissa, non tantùm in Feudo sæculari: sed etiam Ecclesiastico, *Clar. cit. q. 32. n. 2.* ubi tamen *n. 3.* excipit Feudum decimarum, in quibus Laicus canonicè investitus ab Ecclesia alium Laicum cum subinfeudare non potest, etiam cum consensu Episcopi, quia Laici decimas, non sine periculo animæ, detinent.

§. VI.

§. VI.

An, si dominus à vasallo accipiat Feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem, nec ne?

XIX. Respondetur, si quis habens ab Ecclesia possessiones, seu bona in Feudum, acceptâ mutuâ pecuniâ ab eadem, possessiones illas eidem Ecclesiæ oppignoret, non tenetur Episcopus ejusdem Ecclesiæ fructus illius pignoris computare in sortem, seu summam Capitalem mutuò datam, dummodò vasallus interim liberetur à præstando servitio, quod aliàs Ecclesiæ deberet, prout statuitur in *c. Ex insinuatione 3. h. t.* Nam cùm Episcopus Marienſis cuidam vasallo suæ Ecclesiæ pecunias mutuas dedisset, ipse debitor vicissim possessiones quasdam, quas ab Ecclesia Marienſi in Feudũ acceperat, pignoris nomine dedit, & obligavit ipsi Episcopo: Unde quæsitum fuit, utrùm Episcopus fructus percepros ex illo Feudo teneatur computare in sortem, hoc est, diminutionem pecuniæ mutuò datæ? Respondit Innocentius III. quòd Episcopus licitè potest detinere Gageriam (id est, Feudum in pignus datum) fructibus in sortem non computatis, ita tamen, ut intereà temporis, quo Ecclesia fructus ex Feudo in pignus accepto percipit (adeóque donec mutuum fuerit solutum) prædictus vasallus Ecclesiæ à servitio, tatione Feudi, Ecclesiæ, ipsíque Episcopo præstando sit immunis. Ratio decisionis hæc communiter dari solet, quia cùm dominium directum ab initio semper remanserit penes dominum proprietatis, si dominium utile ad eundem revertatur ex voluntate vasalli oppignorantis, consolidatur dominium utile cum proprietate, ideóque dominus non censetur fructus percipere ex re aliena, sed ex propria; cùm enim vasallus interim liberetur ab obligatione exhibendi servitia domino, consequenter dissolvitur, vel saltem suspenditur obligatio inter eos contracta, & perinde est ac si res oppignorata non esset feudalis, & ita excusatur ab usuraria pravitate, *Abb. hic n. 5. & Imol. n. 7. & Fagnan. nu. 2. & 3.* Verùm inprimis, ut notat *Covarr. lib. 3. resol. c. 1. n. 4.* per dationem pignoris non consolidatur dominium utile cum directo, id enim nullibi in jure est expressum: sed utile dominium adhuc manet penes debitorem vasallum, & ejus nomine fructus à creditore percipiuntur, in quem habentem dominium directum, solùm transit jus detinendi in pignus dominium utile, quod non ut proprium, sed pignoris nomine detinet. Deinde licèt hoc excusari possit ab usura, si fructus non excedant servitium, quia tunc fructus locò interesse retinentur: non autem excusari posse videtur, si fructus excedant servitia, & non computentur in sortem quoad excessum, *Zoesius in Comment. hic n. 5. & 6.*

Quare cùm in hoc cap. generaliter dicatur fructus non esse computandos in sortem, sine distinctione, an fructus servitia excedant, vel non excedant: ideò ratio decisionis desumenda esse videtur ex natura, seu conditione Feudi, quæ est, ut fructus ex re oppignorata domino directo percipi debeant ab ipso vasallo, si præstet servitium: non autem, si non præstet, ut in casu hujus cap. Neque hìc habetur ratio excessûs fructuum, cùm enim ab initio merè liberaliter ampliores fructus pro servitio sint dati, meritò illi retineri possunt, si cesset servitium, *Zœsius hìc n. 6.*

XX. Notandum hìc præterea primò, Licèt *Gl. in cit. c. 1. V. Immunis; h. t.* dicat, quod ibi dicitur de non computandis fructibus in sortem, id statutum esse in favorem Ecclesiæ, ut eò citiùs Feudum ad Ecclesiam revertatur: verius tamen est, id procedere non tantùm in Feudo Ecclesiastico: sed etiam sæculari, si nimirum dominus directus Laicus accipiat Feudum in pignus à vasallo: Si enim semel legitimè concessum est Feudum, non debet ideò committi usura, ut Ecclesia citiùs recuperet Feudum, imò multò magis Ecclesia, & Clerici abstinere debent ab usura exercenda, propter scandalum, quàm Laici, ut notavit *Abb. in cit. c. 1. n. 5.* Quare vel hoc licitum est, vel illicitum: si illicitum, multò minùs debet concedi Clericis: quàm Laicis; cùm usura in Clericis sit magis execranda, & multa licita sint Laicis, quæ Clericis sunt illicita. Si verò hoc licitum est in Feudo Ecclesiastico, multò magis debet esse licitum in Feudo sæculari: Neque enim hæc constitutio continet privilegium datum Ecclesiæ; quia cùm usuræ sint prohibitæ jure naturali, & Divino, non potest lex positiva super illis privilegium dare, *Fagnan. in cit. c. 1. n. 4. 5. & 6. h. t.* Est autem iste casus specialis, in quo creditor fructus ex pignore perceptos non tenetur computare in sortem, si nimirum Feudum, sive ab Ecclesia, sive à Laico concessum, pignoris nomine obligatum sit domino directo, prout idem habetur in *c. Conquestus 3. 8. de usuris*, cùm aliàs juris expressi sit, quòd creditor pignus accipiens teneatur fructus ex eo perceptos in sortem conferre, prout patebit ex dicendis Tit. seq.

Notandum secundò, Si Feudum non sit gratis concessum: sed datâ pecuniâ, non potest id excusari ab usura, si non computentur fructus in sortem, sed retineantur fructus Feudi oppignorati. Similiter, si Feudum curâ, & industriâ vasalli melioratum sit, & fructuosius redditum, quàm fuerat tempore primæ investituræ, tunc æquitatis ratio suadet, ut dominus directus non lucretur integros fructus Feudi, dum illud pignoris locò detinet: sed eos tantùm, qui ex Feudo percepti sunt, tempore, quo primùm est concessum, excessus verò reliquorum fructuum ipsi vasallo cedere debet, *Cantsius in Comment. in c. 1. h. t. in fine, Zœsius hìc n. 7.*

Notandum tertiò, quod *in cit. c. 1.* statuitur de domino directo recipiente Feudum in pignus à vasallo suo, idem probabiliter etiam locum habet in domino recipiente rem Emphyteuticam in pignus ab Emphyteuta, cui pecuniam mutuavit, quòd scilicèt non teneatur fructus ex re Emphyteutica perceptos computare in sortem, cùm eadem militet ratio. Quare Cõstitutio *cit. c. 1.* de Feudo disponens; nõ tam extenditur ad contractũ Emphyteuticum, quàm hìc in illa comprehenditur, cùm Feudum, & Emphyteusis sint ejusdem naturæ, & quod decisum est, seu dispositum de Feudo, etiam locum habeat in Emphyteusi, si utrobique subsit eadem ratio, nec contrarium sit in jure expressum, *Fagnan. in cit. c. 1. n. 7. & 2. seqq. h. t.* Videri potest Everhardus in locis *arg. legal. in loco à Feudo ad Emphyteusin.*

§. VIII.

An Clerici, Monachi, aliique Regulares succedere posſint in Feudis, vel ea acquirere?

XXI. Quæritur primò. An Clerici succedere posſint in Feudis, vel ea acquirere? Resp. Clericus in Feudo, spectato Jure comuni feudali, regulariter non potest succedere, ut constat ex *cap. un. De feudo fœmine; lib. 3. tit. 30.* ubi dicitur, Clericum nullo modo in Feudo paterno debere succedere: imò etiam qui Clericus efficitur, hoc ipso Feudum, quod habet, amittit, *cap. unic. §. Qui Clericus, si de Feudo defuncti contentio &c. l. 2. tit. 26. c. un. in fine An mutus, vel alius imperfectus &c. l. 2. tit. 36.* cujus ratio redditur in *c. unic. De vasallo milite, qui eorum &c.* eò quòd desijt esse miles sæculi, qui factus est miles Christi, nec Beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium. Et est sententia magis communis, teste *Mynsing: cent. 5. obs. 48. n. 4. Clarus §. Feudum; q. 38. Rosenth. c. 7. concl. 29.* Sed neq; in Feudis Ecclesiasticis succedere possunt Clerici, quia Jura feudalia in ijs etiam servantur, nisi aliud de ijs dispositum reperiatur, *Rosenth. cit. concl. 29. nu. 16.* Neque verò dici potest, Clericum obtinere posse Feudum, si per substitutum servire domino suo velit, ac possit, *c. unic. §. firmiter de prohib. feud. alien. per Frideric.* Quia id solùm procedit tunc, quando quis Feudum jure possidere, ac retinere potest: non item, cùm Feudum penitus est amissum: At Clericus factus Feudum omninò amittit, *juxta cit. §. Qui Clericus*, quomodo ergo poterit servire domino per substitutum, & alioqui ferè semper Clerici Feudum obtinere possent, si per substitutum servire possent, cùm tamen regulariter à Feudis excludantur, *Vult. lib. 1. de feud. c. 9. n. 67. Fach. lib. 7. controv. c. 35.*

XXII. Sunt tamen plures casus excepti, in quibus Clerici etiam succedere possunt in Feudis, vel illa retinere. Veluti primò. Si ex prima institutione Feudum annexum sit dignitati Ecclesiasticæ, & sic accipiendus est Textus in *cap. un. §. ult. de Capit. Corradi l. 2. tit. 40.* & colligitur ex *c. Transmissa; 6. & c. Verùm 7. De foro compet.* quomodo in Germania Episcopi, Abbates, aliæque personæ Ecclesiasticæ passim Feuda majora, & Imperialia annexa dignitati suæ possidere videmus, ut notat *Fachin. cit. c. 34. in fine, Laym. l. 3. tr. 4. c. 24. n. 10.* Idémque dicendum, si id ita statuto introductum, vel consuetudine receptum sit, *Rosenth. c. 7. concl. 30. n. 25.* Et ita hodie ex generali Germaniæ consuetudine, Clericos, præsertim sæculares Feuda, quæ habent, retinere: imò etiam in ijs, si casus obtingat, succedere possunt, licèt jure Feudali aliud cautum sit, ut refert *Vultei. cit c. 9. n. 67. §. Primus est.* Secundò. Si Feudum sit francum, sive liberum ab omni obsequio præstando, quia tunc cessat ratio, ob quam Clerici non admittuntur ad Feuda, quia servitia militaria præstare non possunt. *Vultei. c. l. §. Secundus est, Laym. c. l.* Tertiò. Si servitium personale præstandum sit, sed tale, quod per Clericum honestè possit expediri, *Rosenth. cit. concl. 30. n. 24. Vult. c. l. §. Tertius.* Quartò. Si tale sit Feudum, ex quo servitium non personale, sed reale tantùm præstandum est; v. g. pensio pecuniaria: tunc enim cessat ratio, ob quam Clerici, & similes personæ Feudum retinere non possunt, quia servire nequeunt, *Rosenth. cit. 30. nu. 23. Vult. c. l. Laym. c. l.* ubi tamen rectè addit ex Silvest. quòd Feuda, in quibus pensio realis solvitur, non sint propria Feuda: sed magis ad naturam Emphyteusis accedant. Quintò. Si servitium militare quidem ratione Feudi debeatur, ita tamen, ut vasallo permissum sit per substitutum servire, *Rosenth. c. l. n. 20. Vult. c. l. §. Quartus.* Sextò. Si Feudum sit verè hæreditarium, sive tale, quod ad quoscúnq; hæredes transeat, *Rosenth. cit. concl. 30. n. 22.* indéque etiam Clericus admittitur ad Feudum fœmineum, quia Clericus & fœmina, quoad successionem Feudorum, eodem jure censentur, *c. un. in fin. An mutus, vel alius imperfectus & c. Vult. c. l. §. Nonus est.* Septimò. Clerici Feuda possidere possunt, si quis sciens esse Clericos de novo eis Feuda concedat, *Rosenth. cit. concl. n. 27.* Octavò. Clerici in minoribus Ordinibus constituti, si non sint Beneficiati, perinde ac Laici sunt capaces Feudi, ideóque etiam in ijs succedere possunt. *Clar. cit. q. 78. n. 5.* & alij Dd. communiter.

XXIII. Cæterùm Jure Canonico, non solùm Ecclesiis, & Monasterijs Feuda de novo concedi possunt, ut ex communi docet *Ros. de feud. c. 3. concl. 5.* sed etiam Clerici, & Religiosi Feudorum sunt capaces, ut de Clericis patet, ex *c. Transmissa; 6. & c. seq. de foro comp.* & de Religiosis est expressum in *c. un. §. Verùm de stat. reg. in 6.* & est communis sententia apud *Zasium in Ius. p. 5. n. 71. Rosen. cit. concl. 3.* Textus autè, qui in contrarii allegantur de Clericis ex Libris feudalibus, nõ loquuntur de Clericis, qui de novo Feudum, postquàm Clerici facti sunt, acquirere volunt; nam Feudum concedèi ei, qui jam est Clericus, imputet sibi, quòd tali personæ Feudum concedat, quam scit per se servitia, ob quæ cõcedit, præstare nõ posse. Sed loquuntur de his, qui cùm Laici essent, & Feuda haberẽt, postea Clerici facti sunt, & cùm se casus successionis offert, Clerici esse deprehẽduntur, hoc enim casu ei, qui Feudum dederat, imputari non potest, quòd vasallus postea factus sit Clericus, *Vult. l. 1. de Feud. c. 4. n. 9. §. nec obstat.* Sed quicquid sit de hoc, secundùm SS. Canones Clerici, & Religiosi sunt capaces Feudorum. Quare consuetudines, seu leges feudales, quæ disponunt, ut personæ Ecclesiasticæ, non modò Feudum non acquirant, nec in eo succedant: sed etiam ut perdant, quod priùs habebant, cùm specificè disponant de rebus ad Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas pertinentibus, ratione utilis dominij, non valẽt ob defectum potestatis, ut constat ex *c. quæ Ecclesiarum 8. de Const.* Nulla enim Jurisdictio se potest extendere ultra limites: *l. ult. ff. de jurisd.* & docet *Fagn. in cit. c. Quæ Ecclesiarum; n, 52. Laym. ibi d. n. 2.*

XXIV. Quæritur secundò. An Monasterium, seu Religio succedere possit in Feudum sui professi. Resp. primò. Si Religio sit incapax succedendi in communi, tum non succedit in Feudum Monachi, seu Religiosi professi; quia per professionem amittitur Feudum, & vel ad agnatos, qui ad Feudum sunt vocati, devolvitur, vel ad dominum directum redit, *Azor. p. 3. lib. 10. de feud. q. 4. in fin. Sanch. l. 7. Moral. c. 15. n. 35.* Sicut nec in alia bona sui professi talis Religio succedit. Idémque dicendum de Feudis Coadjutorum formatorum in Societate Jesu, in quibus non succedunt, cùm per vota illa

illa, etsi simplicia, reddantur incapaces omnis successionis bonorum temporalium, *Sanch. c. l.*

XXV. Resp. Secundò. Si Monasterium, vel Religio sit capax successionis in bona, tunc in Feudum professi sui succedit, illúdque ad Monasterium transit, modò Feudum sit francum, seu liberum à servitio, vel concessum sit cum onere talis servitij, quod Monasterium præstare possit; quia vel est reale, nimirum consistens in pecunia, vel aliâ re tradendâ: vel si sit personale, honestè tamen ac decenter à Monasterio exhiberi possit: vel quamvis dedeceat Monasterium, concessum tamen sit Feudum, cum facultate præstandi tale servitium per alium substitutum; vel si sit Feudum fœmineum, alioquin verò Feudum professi ad Monasterium non transit, sed ad proximos agnatos devolvitur, si Feudum sit antiquum, vel ad dominum redit, si nulli agnati, qui ex tenore investituræ vocantur, sint superstites. *Abb. in cit. c. In præsentia* 3. *n.* 69. *de probat. Zasius in Epit. p.* 3. *num.* 78. *Azor cit. c.* 12. *de feud. q.* 4. *Less. l.* 2. *de just. c.* 41. *n.* 84. *Molin. tr.* 2. *de just. dist.* 140. *n.* 15. *Sanch. cit. c.* 15, *n.* 36. & 46. eámque communem sententiam esse fatetur *Clar.* §. *Feudum* 3 *q.* 78. *n.* 1. ubi tamen *n.* 3. ait, sibi eam non placere, quia Religiosi à suo instituto abstrahuntur, cùm non debeant se implicare sæcularibus negotijs. Sed hæc ratio ipsius solùm probat de Feudis, quæ requirunt servitium sæculare Religiosis indecorum & prohibitum. Eandem sententiam novissimè tenet *Fagn. in cit. c. Quæ in Ecclesiarum* 3 *n.* 60. ubi *n.* 78. & 79. resolvit, de quodam Religioso ex Ordine Prædicatorum ad Episcopatum assumpto, quòd postquam in Episcopum est consecratus, succedat Ecclesia, sive Episcopatus in Feudo postea aperto, in quo successisset Monasterium, si Feudum apertum fuisset, ante assumptionem ejusdem Religiosi ad Episcopatum; quia servitium in investitura illius Feudi expressum, honestè à Religioso per se, vel per substitutum expediri, ac præstari potuit.

Ratio ergo supradictæ assertionis est, quia cùm Monasterium succedat in alia professi sui bona, non est, cur non etiam succedat in Feuda, modò servitium eis annexum non obstet, tunc enim cessat ratio, ob quam Religiosi excluduntur à Feudis, quæ est inhabilitas ad præstandum servitium annexum Feudo. Non obstat, quòd in *cap. unic.* §. *Qui Clericus si de Feudo defuncti contentio &c. l.* 2. *tit.* 26. dicitur: *qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso Feudum amittit.* Idémque habetur in *cap. un. in fine*, de Feudo fœminæ, *l.* 2. *tit.* 30. nam illi textus intelligendi sunt de Feudo, quod Statui Religioso repugnat, eò quòd illius servitium ab ipso Religioso, nec per se, nec per alium, sive substitutum decenter præstari potest, *Sanch. c. l. n.* 36. ubi *n.* 37. ait: tunc autem servitium personale annexum Feudo posse per alium exhiberi, si in eo non sit electa industria personæ, ut quia in Feudi concessione fit mentio hæredis.

XXVI. Limitatur autem prædicta Assertio 1. quòd Feudum Monachi, seu Religiosi professi transeat ad Monasterium, non ut perpetuò penes illud remaneat: sed solùm ut commoditas, seu utilitas Feudi spectet ad Monasterium, quamdiù professus illius vivit: eo verò mortuo ad agnatos transit, vel ad dominum directum redit, *Clar. cit. quæst.* 78. *num.* 2. *Lessius c. l. Azor cit. qu.* 4. *Mol. c. l. Sanch. c. l. num.* 43. Nec obstat, quòd Monasterium loco filij habeatur: nam non habetur loco filij naturalis: sed tantùm filij civilis, qui in Feudis non succedit, *Zasius in Epist. p.* 8. *nu.* 79. & 80.

Limitatur secundò. Nisi Feudum habeat dignitatem annexam, ut Regni, Ducatûs, Comitatûs, tale enim Feudum non transit ad Monasterium, nec quoad commoditatem, post emissam professionem, *Clar. cit. quæst.* 78. *n.* 3. Idémque etiam extendendum est ad Castra, & Oppida, quæ jurisdictionem annexam habent, *Mol. c. l. Sanch. c. l. nu.* 42. quanquam *Fagnan. c. l. n.* 107. & alij apud ipsum teneant, quòd hujusmodi Feuda non transeant quidem in perpetuum ad Ecclesiam, vel Monasterium, ita ut nunquam sint reversura ad dominum; juxta *cap. unic.* §. *de alienat. Feud. l.* 1. *tit.* 13. transeunt tamen quoad commoditatem utilis dominij, vivente Religioso.

Limitatur tertio. Nisi Feudum in prima ipsius institutione habeat clausulam, ne ad Monasterium transeat, tunc id servandum est, *Mol. c. l. Sanch. c. l. num.* 40.

Limitatur quartò. Quòd illud tantùm Feudum transeat ad Monasterium, ad quod requiritur certum servitium; secus si incertum; quia tunc eligitur industria personæ: cum enim nihil determinatum exigatur, ipsius vasalli arbitrio id relinquitur, *Abb. in cit. c. In præsentia* 3 *n.* 69. *Sanch. c. l. n.* 44.

Limitatur quintò. Si Feudum datum sit pro se, & filijs, intelligitur enim datum pro veris filijs, ideóque non transit ad Monasterium; quia hoc non est verus, & naturalis filius, & verba contrahentium strictè accipienda sunt, *Abb. c. l. nu.* 71. *Sanch. c. l. nu.* 45. ubi tamen declarat; Feudum non transire post mortem vasalli in Monasterium, quamvis hoc Feudum retinear, durante ejus vitâ, & postea ad veros filios pertinebit; quia servitium potest per alium præstari, nec est electa industriâ personæ.

XXVII. Notandum hîc præterea primò hactenus dicta procedunt de Feudo ex pacto, & providentia, nam Feudum paternum simpliciter hæreditarium, quod ad omnes hæredes transit, & est instar proprietatis, etiam in Monasterium, post mortem vasalli professi, in perpetuum transit, ut ex communi docet *Felin. in cit. c. In præsentia* 3. *num.* 48. *de probat.*

Notandum secundò. Feudum proveniens ab Ecclesia Romana est Feudum Ecclesiasticum, ideóque Jura Feudorum, quæ prohibent Clericos, & Monachos succedere in Feudo sæculari concesso à Principibus sæcularibus, non extenduntur ad Feuda Ecclesiastica; quia Clerici, & Religiosi serviendo Ecclesijs, non desinunt esse milites Christi, & Ecclesiæ, cui adhuc post sunt impendere servitia feudalia, secundùm eorum qualitatem, & conditionem, *Fagn. c. l. n.* 103. & 104.

Notandum tertiò. Etsi Liber Feudorum sit authenticus, & allegari possit ad decisiones causarum in materia feudali, & obliget etiam Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, ut ex communi docet *Clarus* §. *Feudum* 3 *q.* 3. *in fine*, & consequenter etiam locum habeat in Feudis Ecclesiasticis: hoc autem solùm procedit in illis juribus feudalibus, quæ generaliter loquuntur, hæc enim videntur approbata ab Ecclesia, quando Canones non expressè contradicunt: secus autem est de illis juribus feudalibus, quæ nominatim, ac specificè de Ecclesiis, & earum personis, ac

rebus disponunt in præjudicium illarum; talia enim jura, cùm sint contra libertatem Ecclesiasticam, non valent, sed damnata sunt, & abolenda, *arg. c. Cùm terra*; 14. *de elect.* ubi dicitur, consuetudinem, quæ tendit contra libertatem Ecclesiasticam, damnandam, & abolendam esse, nec vim privilegij habere, *Abb. ibid. not. 2. & Canonistæ communiter.* Quare cùm jura feudalia, quæ excludunt Clericos, & Monachos à successione in Feudis, non habeant auctoritatem legis, consequenter in hac re servandi sunt Canones, qui Clericos, & Monachos, seu Religiosos à Feudis non repellunt, *Felin in cit. c. In præsentia*; n. 44. *de probat. Fagn. in cit. c. Quæ in Ecclesiarum de probat. n. 95.* & pluribus seqq.

TITVLVS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAVTIONIBVS.

Quia alienationibus, & contractibus, de quibus actum est in superioribus Titulis, cautiones quædam in securitatem conventionis, ac debiti, adiici solent, ideò de his tanquam accessoriis contractuum hoc loco agitur. Est autem cautio alia simplex, ut est nuda promissio, alia iuratoria, quæ est promissio cum iuramento: alia est cautio idonea, seu sufficiens, nempe quæ fit per pignora, aut fideiussores, quæ etiam satisdatio, seu satisfactio dicitur, tit. ff. qui satisdare coguntur. Verùm nomine cautionum simpliciter prolato, neque pignus, neque fideiussio intelligitur, ut constat ex l. Sancimus; 3. C. de verb. & rer. signif. &notat Abb. ad Rubr. h. t. in quo potissimùm agitur de cautione pignoratitia tantùm.

§. I.

Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quotuplex sit hypotheca?

I.

PIgnus dupliciter accipitur. Primò. Pro re, de qua inter debitorem, & creditorem convenit, ut sit pro debito obligata: sic dicitur pignus creditori traditum, pignus venditum, vel alienatum. Secundò. Pro ipso contractu pignoratitio, sive conventione, quâ res obligationi subijcitur, *Azor p. 3. Institit. lib. 7. tr. de pignorib. c. 1. q. 3.*

Assertio 1. Pignus latè sumptum pro contractu, seu conventione, est obligatio rei licitæ pro debito facta ad securitatem, scilicèt creditoris, prout definitur ab Hostiens. *in summ. n. 1. & Silvest. V. Pignus, in princ.* quia tutius est pignori incumbere, quàm agere in personam, §. *Furti autem; instit. de oblig. Quæ ex delicto &c.* Dicitur autem rei licitæ, quia quædam sunt res, quæ pignori obligari non possunt, de quo infra. Vel ut describit *Zæsius in Comment. ff. de pignorib. num. 3.* Pignus est contractus, quo creditori jus in re constituitur in securitatem debiti: nam finis pignoris est, ut creditoribus sit cautum super suo credito, iisque, si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit; quia tutiùs est habere sibi, præter personam, etiam res obligatas, juxta *l. Plus*; 25. *ff. de R. I.* quamvis persona debitoris per dationem pignoris non liberetur à debito, sed obligata maneat, *l. 1. C. h. t.*

II. Assertio 2. Quamvis pignus, & hypotheca tantùm nominis sono differant, ut dicitur in *l. Res*; 5. §. *Inter ff. h. t.* propriè tamen, & strictè loquendo, inter se distinguuntur: nam pignus propriè locum habet in rebus, quæ manu traduntur creditoribus, ideòq; ferè in mobilibus rebus tantùm locum habet, quæ plerumque creditori traduntur, unde à pugno appellatum est pignus, *l. Plebs*; 238. §. *Pignus; ff. de V. S.* At verò hypotheca consistit fere tantùm in rebus immobilibus, vel quæ non traduntur creditoribus, sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditori, adeóq; hypotheca nudâ conventione constituitur. §. *Item servitana*; *Instit. de action. Azor tit. 1. q. 2.* Quoad effectum tamen pignus, & hypotheca non differunt, cùm per utrumque res sit obligata creditori in securitatem debiti: nam & per solam pignoris conventionem, etiam sine traditione, creditori acquiritur actio hypothecaria: seu jus rem sibi oppignoratam à quovis possessore petendi, si solutionem debiti sui consequi nequeat, *cit. §. Item servitana*; & vicissim debitor per actionem pignoratitiam pignus, soluto priùs debito, utpotè tunc sine causa penes creditorem existens repetere potest. *Zæsius ff. h. t. n. 2.*

III. Assertio 3. Pignus, seu hypotheca conventionalis alia est tacita, alia expressa; Tacita est, quæ licèt inter contrahentes de ea nihil sit conventum, tamen ex legis dispositione intelligitur contracta, seu constituta in quacúnque conventione in lege expressa. Unde aliqui pignus, seu hypothecam tacitam, distin-

distinctum genus faciunt à pignore conventionali, eò quòd tacita hypotheca, neque judicis præcepto, aut sententia: neque partium conventione expressâ, sed legis dispositione constituitur, ideóque etiam legitimum pignus, seu hypotheca vocatur, *Laym. l. 3. tr. 4. c. 30. n. 3.*

Expressum pignus, seu hypotheca est, de qua expresso consensu inter contrahentes convenit: eáque duplex est, generalis, quæ ad omnia bona, tam præsentia, quàm futura se extendit: & specialis, seu particularis, in qua obligantur pignori una, vel plures res certæ, & in specie, seu individuo. Similiter pignus, seu hypotheca tacita, una est universalis omnium bonorum, alia specialis certorum, *Laym. c. l. Azor tr. de pignor. c. 2. in fine.*

§. II.

De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti pro dote recuperanda: & Ecclesia in bonis Prælati malè administrantis.

IV. Assertio 1. Uxor pro securitate allatæ dotis, ejúsque restitutione habet tacitam, seu ipsâ lege constitutam hypothecam in omnibus bonis mariti, ut constat ex *l. unic. §. Ut plenius. C. de rei uxor action. & §. Fuerat; Instit. de action.* Idque sumitur etiam ex *c. Ex litteris; 5. h. t.* ubi talis casus proponitur: Maritus mulieris A. nominatæ spoliavit mercatorem aliquem, & graviter vulneravit, atque aufugit: ideóque Justitiarius, sive Judex Regius, fratre R. & uxore delinquentis captâ, (quamvis injustè) omnia bona ejusdem delinquentis distraxit, & mercatori ab eodem læso pecunias solvit: frater verò delinquentis mariti ejusdem possessiones quasdam ex mandato Curiæ, penes se retinuit, & inde mercatori pecunias solvit, quia alius emptor propter possessionum minutias non reperiebatur: uxor verò dicti mariti ab ejusdem fratre instanter petijt, ut sibi æstimatio dotis suæ restitueretur, vel ut in possessiones, quæ mariti fuerant, & frater illius detinebat, ex officio Judicis delegati immitteretur. Super hoc consultus Innocentius III. mandavit Judici à se delegato, ut si ipsi constiterit, & probatum sit, dotem à muliere illa viro allatam fuisse, & fratrem delinquentis aliqua ejusdem bona possidere, illum ad dictæ dotis, quatenùs de bonis fratris sui possidet, restitutionem condemnetur; quia multus favor mulieribus pro dotibus recuperandis jure concessus est. Tum quia in jure cautum est, quòd propter mariti maleficium, uxor indotata remanere non debeat: tum denique quia bona mariti mulieri pro dote allata tacitè sunt obligata, seu hypothecata, eaq; cum eo onere, ad quemvis possessorem transeunt.

V. Pro declaratione hujus c. notandum primò. Propter delictum mariti, vel aliam obligationem ejusdem non potest uxor conveniri in judicio, nec dote privari etiam, ut satisfiat læso à marito, *l. 1. & 2.* ubi dicitur, ob maritorum culpam uxores inquietari leges vetant, *C. Ne uxor pro marito &c.* & colligitur ex hoc c. Unde nec ob delicta mariti immissio fieri potest in bona uxoris; quia certissimum est, ex alterius contractu neminem obligari, ut dicitur in *l. 3. C. eodem.*

VI. Notandum secundò. Si res oppignorata, vel hypothecæ titulo obligata vendatur alicui tertio, tum dominium quidem transfertur in emptorem, ita tamen, ut simul onus annexum, seu obligatio pignoris ad possessorem transeat, ut patet ex hoc c. ibi: *& cum suo onere transiverit ad quemlibet possidentem:* & habetur in *l. Si debitor; 12. C. de distract. pignor.* Idq; procedit, etiamsi res opgignorata vendatur, seu distrahatur ex mandato Judicis; quia per hoc non potest tolli jus pignoris competens creditori: Neque enim factum, seu sententia Judicis præjudicare debet tertio, *c. Ex tenore 11. de foro compet. c. Cùm super; 17. de sentent. & re judic. l. 2. §. Si quis à Princ. ff. Ne quis in loco publico: Imol. hîc n. 2. & Abb. n. 3.* Id autem limitari debet, nisi cum consensu creditoris fundus hypothecæ subjectus sit alienatus, tunc enim Jus hypothecæ remississe censetur, dummodò effectus venditionis sit secutus, adeóque alienatio, ac traditio rei sit facta, *l. Sicut; 8. §. Si voluntate, ff. quib. mod. pignus solvit.* Idémque dicendum, si creditor convenit, ut res pignori ipsi obligata filiæ debitoris in dotem detur, *l. Lucius, 11. ff. eod.*

VII. Notandum tertiò. Creditor rem pignori obligatam à quovis possessore vindicare potest, *l. Pignoris; 17. ff. h. t.* donec ipsi pro debito satisfactū, adeóque pignoris obligatio sublata sit *l. Si cùm venditor; 66. ff. de evict.* possessor tamen liberatur solutione ejus, quod creditori debetur, *l. Paulus; 12. §. Qui pignoris ff. quib. mod. pignus vel hypoth. solv.* quare si uxor agat contra possidentem bona mariti sibi pro dote tacitè obligata, tunc in optione illius est, alternativè petere, vel bona sibi tradi, tanquam tacitè obligata, vel ut possessor debitum solvat, cujus causâ hypotheca fuit constituta, ut patet ex hoc c, & tradit. ibid. *Abb. n. 4. & Imol. n. 3.*

VIII. Notandum quartò. Uxor habet tacitam hypothecam pro securitate dotis in omnibus bonis mariti, eámque privilegiatam, ut præferatur cæteris creditoribus anterioribus habentibus hypothecas tacitas anteriores similiter non privilegiatas, *Mol. tr. 2. de just. dis. 536. n. 2.* Hæc autem tacita hypotheca, quæ competit uxori, non tantùm habet locum in bonis doralibus illius: sed etiam extenditur ad bona paraphernalia uxoris, quorum maritus administrationem habet, *l. ubi adhuc; 29. C. de iure dot.* secùs est, si uxor retineat bona illla penes se, ita ut maritus illorum administrationem non habeat: tunc enim bona mariti non sunt tacitè obligata, quoad bona paraphernalia uxoris *Abb. hîc n. 10.* & sic explicat, *Gl. in cit. c. Ex litteris V. obligata*, quæ negat tacitam hypothecam extendi ad bona paraphernalia uxoris, *Covarr. l. 1. var. resol. c. 7. n. 1. Azor 3. p. lib. 7. tr. de pignor. c. 3. in princ. §. Sed nunquid.*; *Abb. hîc num. 10.* quin imò etiam uxor pro rebus acceptis ex causa donationis propter nuptias tacitam hypothecam habet in bonis mariti, *Covarr. c. l. & Azor c. l. §. Quæres.*

Ve-

Verùm neque in bonis paraphernalibus, neque in donatione propter nuptias hypotheca tacita habet privilegium prælationis contra cæteros creditores anteriores, si quidem uxor agat ad donationem propter nuptias sibi acquirendam: Secus si agat ad donationem propter nuptias, non ut sibi eam lucretur: sed tanquam sibi tacitè obligatam pro dote, tunc enim tacita illa hypotheca habet privilegium dotis, & per consequens etiam prælationis; quia hoc casu uxor agit potiùs pro dote, quàm pro donatione propter nuptias, *Abb. in cit. c. Ex litteris; n. 9. Covarr. c. l.*

IX. Notandum quintò. Sed & vice versâ, maritus habet tacitam hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa sibi præstanda, *l. un. §. Et ut plenius C. de rei uxor. act. §. Fuerat; Instit. de action.*

Notandum sextò. Hoc privilegium, quo omnia bona mariti tacitè obligata sunt uxori, non competit illis mulieribus, quæ à Fide Catholica alienæ sunt, ut tradit *Gl. in cit. c. Ex litteris V. Obligare in fine, & l. 1. junct. auth. Item privilegium C. de hæret.*

X. Assertiò 2. Prætereà omnia bona Prælati, vel alterius Administratoris bonorum Ecclesiasticorum, tacitè obligata sunt, seu oppignorata Ecclesiæ, si malè ea administret: sicut enim omnia bona Tutorum, vel Curatorum sunt tacitè obligata, seu hypothecata pupillo, vel minori 25. annis pro administratione neglecta, vel malè gesta *l. Pro officio; 20. C. de administrat. tut. l. Si mater. 6. C. In quib. caus. pign. tatitè contrah. l. ult. C. de legit. tut.* Ita & bona Prælati pro mala administratione bonorum Ecclesiæ, quòd etsi jure expressum non sit, ratio tamen paritatis, id suadet; quia Ecclesia fungitur, sive gaudet jure minoris, *c. 1. & c. Auditis; 3. de in integr. restit.* ergo sicut bona Tutoris, & Curatoris pupillo ac minori sunt obligata tacitè, nomine pignoris: ita, & bona Prælati Ecclesiæ, *Gl. in cit. c. ex litteris V. Obligata; h. t. Abb ibid. nu. 11. Hostiens. in summ. h. t. nu. 3. Silvest. V. Pignus qu. 1.* & alij Dd. communiter, ac proinde Ecclesia potest agere contra tertium possessorem bonorum Prælati, sicut uxor contra bona mariti pro dote.

§. III.

Quænam res oppignorari, seu in pignus dari non possunt?

XI. Assertio 1. Res illæ quæ absolutè, & per se ipsas vendi cuique prohibentur, earum etiam oppignoratio prohibita censetur, *l. 1. §. Eam rem; ff. Quæ res pign. oblig. non poss. l. ult. junct. Gl. V. Vel hypothecam in addit. C. de reb. alien. non alien.* Ratio est, tum quia oppignoratio est species quædam alienationis latè sumptæ: tum quia est veluti via, ac dispositio ad venditionem, ad quam per illam pervenitur, ideò etiam creditori datur pignus, ut si debitor fuerit in mora solvendi, illud vendere, & ex eo sibi satisfacere possit; ut constat ex *Tit. ff. de distractione pignorum.*

Quare inprimis nec per specialem, nec per generalem hypothecam obligari possunt vasa, & supellex sacra, sive ea, quæ ad cultum Divinum, & Templi ornatum pertinent: nisi in casibus jurè concessis, in quibus res Ecclesiæ etiam sacræ, & benedictæ ob gravem necessitatem vendi, & alienari possunt, prout constat ex *c. Nullus; 1. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Rhemensi, in quo statuitur, ut nullus Presbyter (vel alius Clericus habens administrationem Ecclesiæ) præsumat sacros calices, vel patenas, vel vestimenta Sacerdotalia, aut Librum Ecclesiasticum (sive Missale) telonario, vel negotiatori, aut cuilibet Laico, vel fœminæ dare in vadium, (sive pignus pro securitate debiti) nisi justissimâ urgente necessitate: videlicet ob redemptionem captivorum, vel necessariam sustentationem pauperum, quibus aliter subveniri non potest, *Gl. fin. hîc* vel nisi Ecclesia superflua vasa sacra habeat, & debitum urgeat, quod aliunde ex rebus mobilibus solvi non possit, *c. 2. § Hoc jus porrectum; caus. 10. q. 2. Auth. prætereà C. de SS. Eccles.* dummodo etiam servetur debita forma, & solemnitas requisita ad alienationem rerum Ecclesiasticarum, *juxta c. Sine exceptione; 52. caus. 12. q. 2. Azor p. 3. l. 7. tr. de pign. c. 9. q. 4. in fine.* Ratio autem, cur nec per generalem hypothecam obligari possint res sacræ, est; quia in generali pignoris obligatione non veniunt res, quæ specialiter obligari non solent, *l. 1. C. quæ res pign. oblig. poss. vel non*, cujusmodi sunt res sacræ, religiosæ, seu ad cultum Divinum deputatæ, quæ à commercio hominum jure Divino, & naturali sunt exemptæ, *Abb. hîc n. 4.*

XII. Ubi notandum prætereà primò. Hoc est discrimen inter venditionem, & oppignorationem quòd vasa sacra, & res sacræ, aut benedictæ nõ possunt vendi Laico; nisi priùs fuerint conflatæ, vel confractæ, *l. Sãcimus; 21. C. de SS. Eccl.* at verò in pignus dari possint etiam integræ, adeòque licèt sacræ, aut benedictæ maneant, *Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t.* notat autem, *Gl. in cit. c. 2. §. Hoc jus porrectum; V. Conflata; caus. 10 quæst. 2.* quòd hujusmodi res sacræ, aut benedictæ non possint propriè pignori obligari Laico; nam per pignoris obligationem propriè dictam acquiritur jus in re, quæ obligatur: at verò Laicus non potest acquirere reale jus, seu obligationem in re sacra, *l. 3. C. Quæ res pign. oblig. poss. l. 1. §. Eam rem, junct. Gl. V. Non potest ff. eodem.* Itaque Laicus non habet propriè dictum jus pignoris in rebus sacris constitutum, sicut in rebus profanis: sed illæ solùm apud detinentur, donec pecunia debita ei reddatur: sicut aliàs creditor pignus detinere potest, etiam pro eo debito, pro quo res non est obligata, *Gl. in cit. c. 2. §. Hoc jus porrectum; V. Conflata; Abb. in cit. c. 1. n. 5. in fine.*

Porro aliud discrimen inter res sacras, & religiosas, atque alias res Ecclesiæ est, quòd illæ non possint oppignorari, nisi ob urgentem necessitatem, cùm sint deputatæ ad cultum Divinum, ut constat ex *cit. c. 1.* aliæ verò res Ecclesiæ possunt pignori obligari, imò & vendi ob solam utilitatem Ecclesiæ, *cit. c. Sine exceptione, Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t.*

Notandùm secundò. Etsi res sacræ, ut Ecclesiæ, sepul-

sepultura, jus Patronatûs &c. per se vendi & oppignorari non possunt, per accidens tamen sicut vendi, ita & oppignorari possunt, quatenus transeunt cum loco, cui sunt annexæ, sicut colligitur ex c. *Ex litteris*; 7. *de jure Patronat.* Ut si locus ille pignori seu hypothecæ subjiciatur, etiam res hujusmodi in eo sensu censeantur subjectæ, seu oppignoratæ, ita ut si locus ille vendatur, quò ex pretio satisfiat debito vel obligationi, illæ pariter venditæ censeantur, ut docet *Molin. tr. 2. disp.* 330. *n.* 1.

XIII. Assertio 2. Non potest oppignorari liber homo, *juxta c. Lator*; 2. *h. t.* Ubi dicitur, liber homo pro debito detineri non potest (scilicet pignoris loco) etsi res defecerint, quæ possint pro debito addici, id est, adjudicari, adeóque non habeat, unde solvat. Idque desumptum est ex *l Obses.* 12. *C. de obligat. & action. l. Qui filios*; 6. *C. Quæ res pign. oblig. poss. & Auth. ut nulli Judic.* §. *Quia verò*; *c. 7. nov.* 134. Ubi etiam pœna adjicitur, ut si quis ita deliquerit, non solùm debito cadat: sed tantam aliam pecuniæ quantitatem adjiciat dandam ei, qui retentus est ab ipso, aut parentibus ejus, & post hoc etiam corporalibus pœnis subdatur à judice loci. Ratio est, quia ea res, quæ non est in commercio nostro, ita ut vendi non possit, non potest pignori obligari, *cit. l.* 1. §. *Eam rem*, *ff. Quæ res pign. obl. &c.* atqui liber homo non est in commercio, nec in dominio seu bonis nostris, *cit. l. Qui filios*, *C. eod.* eo ipso quòd liberest, adeóque pignoris loco accipi non potest.

XIV. Cæterùm quòd dictum est, liberum hominem, propter debitum, pignoris loco detineri non posse, id limitari debet; ut procedat solùm, si is bonis cedere velit, tunc enim in carcerem detrudi non potest ob debitum, *l.* 1. *C. Qui bonis cedere poss.* alioquin verò, si condemnatus, post excussionem bonorum, solvendo non sit, capi & incarcerari potest, *Gl. fin. in cit. c.* 2. *h. t.* Secundò, creditor potest debitorem fugientem, etiam propriâ auctoritate capere, & reducere, si Judicis copia tam citò haberi non possit, *l. Ait Prætor*; §. *Debitorem*, & ibi *Gl. V. Locum fore*, *junct. Gl. marg. ff. Quæ in fraud. credit.* Quin etiam debitor suspectus de fuga, etiamsi dies solutionis nondum advenit, adeóque nondum in mora sit, potest Judicis auctoritate capi, & incarcerari, ut præstet fidejussores, vel pignora, *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 4. *h. t.* Tertiò, si debitor in judicio comparuit, & promisit, quòd se sistere velit; postea verò non se sistit, sed contumax est, potest capi à Judice, *l. Conventurum*; 8. *C. Quomodo & quando judex &c. Abb. c. l. n.* 3. quamvis commodiùs sit, ut actor in possessionem bonorum immittatur, *Auth. de exhib. reis* §. *Si verò semel.* Verùm si debitor in domo sua lateat, verbaliter citari debet, non per vim inde extrahi ad judicium; cùm domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum sit; *l. Plerique*; 18. *ff. de in jus vocando*; & nemo de domo sua extrahi debet, *Reg.* 108. *ff.* quod procedit in causis civilibus, non autem in criminalibus, ut tradit *Gl. ibid. V. Non debet*; Quartò, si debitor fisci solvere recuser, capi potest, *l. Sacrilegi*; 9. §. *Eum quoque*; *ff. Ad l. Jul. peculat.* & si in contumacia persistat, incarcerari debet, *l.* 2 *C. de exact. tribut. Lib.* 10. *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 3. plura de his dicta sunt alibi.

XV. Assertio 3. Tametsi res aliena vendi potest, ut supra dictum, *Tit.* 17. non tamen potest pignori vel hypothecæ subjici, si sit res penitus aliena, in qua quis nihil omnino juris habet, *l.* 2. *C. Si aliena res pign. data sit*, & *l Qui filios*; 6. *C. Quæ res pign. oblig. &c. Azor Tr. de pign. c.* 6. *q.* 1. & §. *Quæ res*, & *alii Dd. communiter.* Ratio diversitatis est, quia in venditore solùm obligatur persona venditoris, ad evictionem præstandam, ita ut si res aliena evicta fuerit, teneatur venditor restituere pretium acceptum, & quicquid interest emptoris, rem evictam non esse. At verò per pignus constituitur jus in re, sive obligata est ipsa res, ita ut si debitor non solverit, creditori fas sit illud vendere, quò satisfiat suo debito, nemo autem potest jus constituere in re aliena, sive realiter eandem obligare alteri, sine consensu aut ratihibitione proprii domini, *Gl. in cit. l.* 2. *V. Potuisse*; *C. Si aliena res pign. &c.*

§. IV.

An Prælatus, vel Rector Ecclesiæ res, seu bona eiusdem oppignorare possit?

XVI. Assertio 1. Non potest Prælatus, vel Rector res Ecclesiæ alienari prohibitas per specialem hypothecam obligare, etsi possint generalem ut constat ex c. *Nulli* 35. *de reb. Eccles. alien.* & ex communi docet *Azor tr. de pignor. c.* 5. *q.* 4. *Redoan. tr. de reb. Eccles. non alien. q.* 2. *c.* 6. & dictum supra *Tit.* 13. *n.* 5. Ubi etiam ratio disparitatis allata est.

Quare licèt Prælatus contrahens debita, nomine Ecclesiæ, bona ejusdem per generalem hypothecam obliget, nihil agit contra prohibitionem SS. Canonum de rebus Ecclesiæ immobilibus non alienandis; nam in executione seu reali apprehensione bonorum, ob moram in solvendo factam, priùs distrahi debent bona mobilia debitoris, ad solvenda debita: si autem mobilia non sufficiant ad ea solvenda, tùm etiam immobilia bona, ob pignoris causam, vendere, aut justo pretio in solutum dare licitum est, juxta *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles.* quæ refertur in *c.* 2. *caus.* 10. *q.* 2. quia lex naturalis, quæ obligat ad solvenda debita, prævalet juri positivo de non oppignorandis, aut alienandis rebus Ecclesiæ; *Laym. in disp. de rer. Eccles. alien. Thes.* 96. Ubi ait, in omni alienatione prohibita exceptam videri necessitatem, seu obligationem solvendi debita.

XVII. Assertio 2. Prælatus aut Rector Ecclesiæ non potest res ejusdem oppignorare pro propria necessitate, vel utilitate, ut constat ex c. *Ex præsentium*; 3. *h. t.* Ubi Sacerdos seu Rector cujusdam Ecclesiæ » calicem argenteum, & medietatem unius breviarii » ejusdem Ecclesiæ, pro propria sua necessitate (non » personali, sed patrimoniali, *Gl. hìc V. Necessitate in* » *addit.*) pignori obligavit, sed morte præventus, ea non » recuperavit. Quare mandavit Alexander III. Epi- » scopo Exoniensi, ut si rem ita se habere comperе- » rit, filium dicti Sacerdotis (ex legitimo matrimo- » nio natum, ante Sacerdotium, *Gl. hìc V. Filium*) » qui in patrimonialibus ei successisse dicitur, mo- » neat; & compellat, ut res illas obligatas redimat, »

» & prædictæ Ecclesiæ restituat; quia indignum est, » ut res ejusdem, præsertim ad sacra ministeria depu» tatæ, taliter debeant deperire. Ratio decisionis hujus cap. est, quia manifestum est pignoris obligationem non consistere, nisi in his, quæ quis de bonis suis facit obnoxia, ut dicitur in *l. Qui filius*; 6. *C. Quæ res pign. oblig. poss.* at verò res Ecclesiæ non sunt in dominio, sive in propriis bonis Prælati, aut Rectoris, cùm is eorum non sit dominus, sed administrator, *c. 2. de donation.* ergo si Prælatus vel Rector pignori obligavit res Ecclesiæ ob propriam necessitatem, vel utilitatem, non valuit obligatio, *Gl. in cit. c. Ex præsentium, V. Necessitate.* Ratio autem, cur in hoc casu filius Sacerdotis justus est, res Ecclesiæ à patre suo pignori obligatas redimere, est, quia non tantùm Prælatus, sive Rector Ecclesiæ obligatus est ad resarciendum damnum Ecclesiæ illatum, ob dolum, vel negligentiam in administratione commissam: sed etiam hæres ejus, cùm obligationes personales transeant ad hæredem, ut notat *Abb. hic n. 3. & 8. arg. l. Quicquid*; 7. *C. Arbitrium tutelæ.* Consentit *c. 2. caus. 12. q. 4.* ubi *Gl. V. Neglectum ait*: si Prælatus aliquid negligit acquirere Ecclesiæ suæ, hoc imputatur ei, & de hoc tenetur instar Tutoris, *juxta cit. l. Quicquid.* Quare cùm in casu *cit. c. Ex præsentium*, res Ecclesiæ pignori obligatæ fuerint, non pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, nec pro necessaria personali sustentatione ipsius Rectoris: sed pro necessitate, vel utilitate proprii patrimonii ipsius Rectoris Ecclesiæ, ideò hæres ejusdem sive successor in bonis patrimonialibus tenebatur pignora liberare, & restituere Ecclesiæ, *Vivian. in Ration. in cit. c. Ex præsentium.* Si verò Prælatus, vel Rector Ecclesiæ non habeat reditus ad propriam mensam deputatos, vel non habeat sufficientes ad suam sustentationem, ob causam accidentariam, quia fortè infirmus factus, vel captus ab hostibus, vel quia quibusdam annis tenues fructus percepit, ideóque debita contraxit: tunc eo mortuo successor in Prælatura illa solvere debet, & pignora proiis data redimere, *arg. c. 1. de solution. Abb. hic n. 5. & 6. Laym. in cit. disp. Thesi 97. de quo infrà Tit. 23.*

Cæterùm cùm in casu dicti, *c. Ex præsentium*, oppignoratio rerum Ecclesiæ, pro necessitate propria, fuerit irrita, ideò in optione Ecclesiæ fuit, vel directè agere contra creditorem, vel alium detinentem pignus, aut rem malè à Rectore distractam, illámque repetere: vel convenire hæredem Presbyteri, seu Rectoris, illámque ab eo repetere, etímque cogere ad recuperandum, sive liberandum pignus, *Gl. in cit. c. Ex præsentium V. Necessitate in fine*, & colligitur ex *l. ult. C. Si tutor vel curator intervenerit*, ubi habetur, si Tutor vel Curator malè alienaverit rem minoris natu, possit hic vel petere, ut restituatur: vel agere contra Tutorem aut Curatorem, ad damnum resarciendum: Ecclesia autem æquiparatur minori natu, *c. 3. de in integr. restit.*

§. V.

An & quinam fructus pignoris in sortem sunt computandi, & in quibus casibus computari non debent?

XVIII. Assertio 1. Creditor fructus ex pignore perceptos in sortem computare debet, hoc est, in partem solutionis debiti, ita ut ob fructus ex re oppignorata perceptos à creditore quantitas debiti diminuatur, imò penitus dissolvatur, si tantum ex fructibus percepit creditor, quantum ipsum debitum, & expensæ factæ in rem pignoris nomine obligatam æstimatur, prout habetur in *l. 1. C. De pignorat. action.* Ubi dicitur: ex pignore percepti fructus computantur in debitum, & si sunt sufficientes ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus: si verò fructus excedunt, ipsi fructus redduntur. Idem habetur statutum in *c. 1. & 2. de usuris, & in c. Cum contra 5. h. t.* Ubi cùm quidam Laurentius nomine creditoris alicui, ob pecunias mutuas ab illo acceptas, possessiones quasdam seu bona hypothecæ nomine obligâsset: eo creditore mortuo, hæredes ejusdem dictas possessiones alteri cuidam G. pignoris nomine obligârunt. Mortuo postea Laurentio debitore, ejus filius R. actionem instituit coram Papa Innocentio III. quòd tum ab ipso G: tum ab illis, quibus priùs à patre suo, hypothecæ nomine, erant obligatæ, & traditæ, tantum ex fructibus fuerit perceptum, ut fructus sorti adæquarentur. Ad hoc respondet Pontifex, cùm fructus percepti à creditore restitui, & in sortis solutionem debeant computari, secundùm Canonicas sanctiones: in proposito autem casu tantos fructus creditor G. percepit, ut totum debitum exhauserit, ipsamque pignoris obligationem dissolverit, ideò dictas possessiones ipsi R. actori restituendas esse, misso executore, qui eum in corporalem possessionem induceat. Ratio est, quia debitor manet dominus pignoris, ideóque fructus ex illo percepti ad illum tanquam dominum pertinent, vel æstimatio eorum ipsi debetur.

XIX. Assertio 2. Creditor debet computare in sortem fructus pignoris, non solùm perceptos: sed etiam percipiendos, quos ipse creditor percipere potuisset, & per negligentiam intermisit, ut constat ex *h. Creditor*; 3. *C. De pignorat. act. & l. 2. C. de pact. pignor. Gl. in cit. c. Si contra, V. Perceptum*; *h. t. & ibid. Abb. n. 9. Azor cit. tr. de pign. c. 8. q. 2. Molin. tr. 2. de just. dis. 535. n 3. & alii Dd. communiter. contra Hostiens. in summa h. t. n. 9.* Ratio autem est, quia fructus pignoris spectant ad debitorem tanquam dominum: & contractus pignoris, tam in bonum debitoris, quàm creditoris celebratus est, ideóque creditor tenetur computare in debitum, vel tradere debitori, non solùm fructus, quos ipse percepit: sed etiam quos culpâ etiam levi non percepit, cùm potuisset. Nec refert, quòd possessor bonæ fidei (qualis est creditor) solùm teneatur restituere fructus perceptos: non autem percipiendos, & quia debitor illos fructus pignoris alioquî ipsemet non percepisset, quia fortè domum v. g. pignori datam, nec ipse inhabitâsset, nec alii elocâsset. Nam nihilominùs creditor tenetur fructus pignoris, quos percepit, vel percipere potuisset, computare in sortem debiti, vel tradere debitori: quia hæc obligatio partim ex ipsa re descendit, sunt enim fructus rei pignori datæ, ac proinde debitori tanquam domino sunt tradendi: partim quia creditor, ex vi hujus contractûs, ad hoc est obligatus, *Azor cit. c. 8. q. 1. Molin. c. l.*

XX. Notandum primò. Creditor potest rem sibi oppi-

oppignoratam alteri oppignorare, sicut & hæres illius, ut tradit *Gl. magna in cit. c. Cùm contra h. t. in notat. & Abb. n. 4.* ita tamen, ut primus creditor non possit in plus, sive pro majore quantitate debiti pignus obligare secundo creditori, quàm ei fuerit obligata à domino, seu primo debitore, *l. 1. junct. Gl. V. Placuit, & l. 2. C. Si Pignus pignori datum sit.* Verùm dissoluto jure pignoris, quod primus creditor in re hypothecata habebat, quia debitor solvit totum debitum, per quam solutionem sublata est obligatio pignoris, extinguitur etiam jus pignoris in secundo creditore; resoluto enim jure auctoris sive primi creditoris, resolvitur etiam jus successoris sive secundi creditoris, qui à primo causam seu jus pignoris dependens habet, *cit. l. 2. & ibi Gl. in casu, & l. Si lex; 31. ff. de pignorib. Abb. in cit. c. Cùm contra; n. 5.* Non potest autem pignus ultra tres vices alteri dari, ita ut primus creditor possit rem sibi oppignoratam dare secundo creditori in pignus, & hic tertio, non ultra, idque ut vitetur processus in infinitum, à quo etiam natura abhorret, *arg. c. 2. de rescript. in 6. Durand. in specul. lib. 4. part. 3. tit. de pignorib. & aliis cant. n. 22. Abb. c. l. n. 7.*

XXI. Notandum secundò. Si fructus percepti à primo creditore extinguant debitum principale, unà cum fructibus perceptis à secundo creditore, tunc tenetur hic secundus restituere rem oppignoratam sibi à primo creditore, licèt ipse suum totum debitum ex fructibus pignoris non acceperit, sed satis est; quòd debitum principale primi debitoris sit dissolutum; quia per solutionem debiti tollitur pignoris obligatio, ut supra dictum, & sumitur ex *l. 2. C. Si pign. pign. Abb. c. l. n. 5.*

Notandum tertiò. Quamvis actio pignoratitia sit actio personalis, ut tradit *Gl. Recepta in rubric. Tit. ff. de pignorat. act.* est tamen in rem scripta, ideóque competit debitori, postquàm debitum solvit, saltem utilis actio pignoratitia contra quemvis pignoris detentorem, etiamsi cum ipso non contraxerit, scilicet cum secundo creditore, cui pignus à primo datum fuit, ut tradit *Abb. in cit. c. Cùm contra; n. 6.* & colligitur *ex eodem cap.* Ubi filius seu hæres primi debitoris actionem pignoris nomine, instituit contra secundum creditorem G. cum quo nec ipse, nec pater ejus contraxerat, aut pignori ipsi dederat, idque etiam sumitur ex *l. 1. C. Si pign. pign. dat. sit.*

XXII. Notandum quartò. Si pignus sive res oppignorata pereat, vel deterior sit reddita dolo, latâ culpâ vel levi creditoris, obligatur is ad resarciendum damnum illatum debitori; quia pignus utriusque, tam debitoris, quò magis pecunia ei credatur, quàm creditoris, quò magis in tuto ei sit creditum, gratiâ datur & constituitur, *§. fin. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. l. Si cùm venderet; 13. §. Venit, junct. Gl. V. Ut in commodato, & l. seq. ff. de pign. act. & l. Creditor; 7. C. Eodem,* Ubi habetur, quòd creditor damnum in decidendis arboribus, domibúsque destruendis, ab eo datum in rationem seu compensationem debiti deducere cogitur: & si dolo vel culpâ rem pignori suppositam deteriorem fecerit, eo nomine, pignoratitiâ actione tenebitur, ut talem restituat, qualis fuerat tempore obligationis: non autem tenetur creditor de culpa levissima, multò minùs de casu fortuito, *l. Si creditor; 5. & l. seq. & l. Pignus; 9. C. de pignor. act.* exceptis duobus casibus, si videlicet casus accidit, post culpabilem moram creditoris in restituendo pignore: vel si expressè ab initio conventum sit, ut creditor etiam ex casu fortuito obstringeretur debitori, *l. Quæ fortuitis; 6. C. eod. Azor cit. Tract. c. 10. q. 5. Mol. cit. dis. 535. n. 9.*

XXIII. Notandum quintò. Etsi creditor dominus pignoris non sit, potest tamen rem sibi oppignoratam vendere, etiam invito debitore, si ipsi debitum non sit solutum tempore constituto, idque sive inter ipsum & debitorem ab initio convenerit, ut vendere liceret, sive non, *l. Si convenit; 4. ff. de pignor. act. §. Contra autem Instit. quib. alien. licet.* multò magis potest creditor licitè vendere fructus, quos ex re oppignorata percepit: sed pretium debet computare in sortem, quod succedit in locum fructuum, & ideò etiam sicut ipsi fructus, in sortem computari debet, *Abb. in cit. c. Cùm contra; n. 5. in fin. h. t.*

Notandum sextò. Creditor potest sumptus necessarios vel etiam utiles, moderatos tamen, quos circa res oppignoratas fecit, repetere, si illorum compensationem ex fructibus non accepit, & interim donec solvantur, pignus retinere, *l. Necessarias; 8. in princ. & l. Si servos; 25. ff. de pignorat. act. l. Creditor; 7. in fine C. eod. junct. Gl. fin. & l. In summa; 6. C. De pignorib. Silvest. V. Pignus, q. 13. Azor cit. Tract. c. 7. post princ. Molin. c. l. n. 7.*

XXIV. Assertio 3. Tres sunt casus, in quibus fructus ex re oppignorata percepti in sortem seu summam capitalem computari non debent. Nam primò, si domino feudi à vasallo fundus feudalis in pignus datus sit, non debet eos computare in sortem: sed potest illos, sine diminutione sortis retinere, & percipere, *c. 1. de feud. de quo actum Tit. præced. n. 19. & seq.* Secundò, maritus fructus possessionum, id est, agrorum pro dote sibi obligatorum potest percipere, nec tenetur eos in dotem necdum sibi traditam computare, cùm frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda, *c. Salubriter; 16. de usur.* Tertiò, Clericus potest beneficii sui fructus à laico injustè possessi, & sibi oppignorati, licitè percipere, & retinere, ita ut non cogatur eos in extenuationem sortis conferre, *c. 1. in fine de usu is,* quia sic per viam occultæ compensationis redimit id, quod ad se legitimè spectabat: quod *Gl. ibid. V. Beneficium,* etiam extendit ad quemvis laicum, ut & is similiter possit redimere possessionem rei suæ ab injusto possessore; de quo plura infra *eod. Tit.*

§. VI.

Utrùm venditio rei, cum pacto revenditionis, ad arbitrium emptoris, recipiendo aliquid ultra sortem, sit vera, & licita venditio: an verò potiùs contractus pignoris, sed illicitus & usurarius?

XXV. De hoc agitur in *c. Illo vos; 4. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Duo fratres acceperunt » mutuo à quadam muliere G. nomine XXIII. li- » bras argenti; cui dederant quasdam vineas, & » illas

» illas postea repetere volebant, tanquam pignori pro » pecuniis illis obligatas. Re delatâ ad Judices dele- » gatos ab Innocentio III. coram illis propositum fuit, » ex parte mulieris G. & filiorum seu hæredum ejus, » vineas istas, quas dicti fratres repetebant, non fuis- » se pignori ipsis obligatas, sed purè venditas, prout ex » instrumento super eâ re confecto appareret. Contrà » verò duo prædicti fratres asserebant, easdē vineas » à se non purè venditas, sed pignori obligatas fuisse: » idque ex eo patere, quòd venditioni talis conditio » adjecta fuerit, ut si à tempore contractûs, intra du- » os annos, emptio facta à Theobaldo eidem displi- » ceret, venditor H. vel pater ejus, intra annum, post » displicentiam emptionis, XXVI. libras (computa- » tis perceptis fructibus in eis; id est, in sorte, solvere » deberet) Super hoc Judices delegati consuluerunt » S. Pontificem, utrùm is contractus pura & absoluta » venditio: an verò pignus censeri debeat (conside- » ratâ scilicet mente contrahentium, *Gl. hic V. Pura*) » Respondet Papa, qualiscúnque fuerit intentio con- » trahentium (cùm de illa clarè non constet) spec- » tâ autem formâ contractûs, non conditionalis: sed » pura venditio esse videatur, quæ propter conditio- » nem, seu pactum redimendi adjectum possit resolvi. » Verùntamen ob duo, quæ in contractu expressa fue- » runt, vehementem præsumptionem oriri contra » ipsum emptorem, videlicet quòd fructus percepti » debeant in sortem, sive in solvenda pecunia nume- » rari: & quòd ultra summam acceptam, venditor » 60. solidos solvere debeat: præsertim cùm idem » emptor aliàs quoque usuras consueverit exercere.

XXVI. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò, ut cognoscatur, qualis in specie sit contractus aliquis, non nuda verba conventionis: sed magis pacta apposita attendi debent, ut in casu hujus cap. quamvis, secundùm verba præcisè, videatur esse initus contractus venditionis & emptionis, tamen propter pacta adjecta, quæ magis conveniunt pignori, censeri debet esse contractus pignoratitius, *Abb. hic n. 2. not. 4.*

Notandum secundò. Contractus initus in casu hujus cap. simulata tantùm venditio & emptio fuit: reipsâ verò contractus pignoris, sive oppignoratio pro mutuo, adeóque mutuum usuratium, cum traditione pignoris. Idque ex tribus indiciis simul junctis præsumi poterat: Primò, quia fructus inter venditionem & redemptionem percepti computati sunt in sortem, quod non solet fieri in vera venditione & emptione; nam si venditio rei fiat, adjecto pacto redimendi rem venditam, ad arbitrium emptoris, fructus interea percepti, non ad venditorem, sed ad emptorem tanquam rei emptæ dominum pertinent, ut colligitur ex hoc c *junct. Gl. V. Percepti & ex l. 2. C. de pact. inter emptor. & vendit. c. Cùm contra 3. 6. h. t.* At verò in contractu pignoris fructus computandi sunt in sortem, ideóque præsumitur in casu hujus cap. contractui mutui adjectam esse oppignorationem, ad palliandam mutui usuram. Secundò, venditioni appositum fuit pactum redimendi, quando emptori placuerit, constituto majore pretio in redemptione, quàm fuerit in prima emptione, nam pretium primæ emptionis erant 25. libræ; redemptionis verò 26. libræ: quia ergo vi pacti, venditor obligatus fuerat rem venditam redimere, si emptor vellet, hoc gravamen venditori impositum in partem pretii computari debebat, ideóque contra naturam & justitiam venditionis & emptionis venditor gravabatur, ut duplo majore pretio rem redimere deberet, quàm vendiderat: quare præsumptio est, palliatum mutuum fuisse, in quo onus impositum fit mutuatario rem aliquam oppignorandi cà lege, & pacto, ut cùm mutuans voluerit, mutuatarius illud majore pretio redimere, & proinde aliquid ultra sortem dare teneretur, quod est usurarium, *Less. l. 2. c. 21. n. 119. Covarr. l. 3. var. resol. c. 9. n. 2. Laym. l. 3. tr. 3. c. 16. n. 18.* Accessit denique tertium indicium, quòd emptor ille solitus fuerit usuras exercere, ex quo etiam augetur suspicio, & præsumptio usuræ, si aliæ conjecturæ concurrant; nam & aliàs ex consuetudine alicujus, sive ex eo, quod aliquis facere solitus est, inducî præsumptionem, colligitur ex *l. Vel universorum 12.* & ibi *Gl. ff. de pignorat. act. l. Qui se miscet 13. § Quæsitum est, ff. de usuris.*

§. VII.

An pactum legis commissoriæ adjectum contractui pignoris sit licitum?

XXVII. Assertio 1. Pactum legis commissoriæ, per quod inter partes convenitur, ut si debitum v. g. ex mutuo, intra certum tempus à debitore solutum non sit, pignus pro eo datum committatur, id est, creditori cedat, & ad ipsum pertineat, vel postea nunquam repeti possit, vel eidem sit venditum, aut insolutum, vel feudum datum: tale, inquam, pactum utroque Jure, Canonico & Civili, est reprobatum, ipsoque jure irritum, ita ut nulla ex eo obligatio oriatur, ut constat ex *l. 3. C. de pact. pignor. & ex c. Significante 5. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Civis Pisanus R. » 250. libras mutuas accepit à concive suo G. & do- » mum suam ei, locò pignoris, obligavit, additâ pro- » missione juramento firmatâ, quòd nisi domum il- » lam intra statutum terminum, solutâ pecuniâ, recol- » ligeret, id est, redimeret ab obligatione pignoris, » ipsam ulteriùs repetere non posset, nec deberet. » Postea verò, ante elapsum tempus præfixum, idem » debitor R. per certum & fidelem (prout ei videba- » tur) nuncium pecunias numeratas creditori suo » transmisit, quas tamen idem nuncius, infideliter a- » gens non tradidit, & persolvit, sicut ei mandatum » fuit: & postmodum idem R. ab Imperatore detentus » fuit, unde factum, ut dicto G. satisfacere non po- » tuerit (ac proinde hic debitor, ob duplex impedimen- » tum solutionis, excusatus fuit à mora culpabili in sol- » vendo, intra tempus constitutum) postquàm verò » liberatus est, pecunias debitas creditori solvere vo- » luit, quas ipse recipere noluit, eò quòd, termino » constituto, solutio facta non fuit. Re intellectâ, re- » scribit Innocentius III. cùm pactum legis commis- » soriæ in pignoribus sit reprobatum, & prædictus R. » quantùm in ipso fuit, juramentum impleverit, pe- » cuniam per certum ac fidelem, qualis putabatur, » nuncium, termino constituto, transmittendo: post- » ea verò in captivitate detentus, satisfacere dicto » G. creditori non potuit: Ideò mandat Pontifex cer- » tis Judicibus, ut si ita se res habeat, prædictum cre- » ditorem per censuram Ecclesiasticam compellant, » ut

» ut forte capitali contentus, pensionibus ex oppigno-
» rata domo perceptis in rem computatis, etiam do-
» mum supradicto, sine omni dilatione restituat,
» non obstante ejus promissione, etsi juratâ.

XXVIII. Ubi Notandum, etsi pactum legis commissoriæ permissum sit in venditione & emptione, si nimirum res vendatur alicui, eâ lege, seu pacto, ut nisi intra certum tempus: v.g. tres menses, emptor pretium ejus solvat, res sit inempta, *l. 1. & ibi Gl. V. Commissoria, & l. 2. ff. de lege commissoria*, ita tamen ut non solvente pretium emptore tempore constituto, liberum sit venditori, velle rem esse inemptam, adeóque rescindere venditionem, vel petere pretii solutionem; unâ autem viâ electâ, amplius variare non potest, *l. Si fundus: 4. §. Eleganter, ff. eod.* At verò tale pactum legis commissoriæ prohibitum est in contractu pignoris, ut constat ex hoc cap. Ratio diversitatis est, quia res, quæ pignori datur, vel subjicitur, communiter longè plus valet, & majoris pretii est, quàm sit quantitas debiti, pro quo obligatur, sæpe enim pro 50. v.g. florenis mutuò acceptis dat debitor pignus valens centum florenos, unde si tale pactum valeret, ut si debitor non solvat, intra certum tempus, creditoris sit pignus, debitor multùm læderetur; quia cogeretur plus solvere, quàm ipse debeat, & rem suam minoris vendere, quàm ipsa valeat: & tamen pecuniâ indigens, & spe acquirendi mutui, in tale pactum iniquum & sibi noxium consentiret: & sic creditores occasionem haberent exercendi suam avaritiam, & usuras, saltem palliatas, si creditori liceret in compensationem mutui dati, vel ob dilatam solutionem, rem pignori datam minore, quàm reipsâ valeat, pretiò sibi addicere, ideóque hoc pactum fuit jure reprobatum. Hæc autem ratio cessat in contractu venditionis & emptionis, quia creditor ex eo, quòd emptori vendat rem suam eo pacto, ut si emptor pretium, certo tempore constituto, non solverit, pro inempta habeatur, ejúsque dominium ad se redeat, nullo damno vel injuriâ afficit emptorem, quia res plerumque & ferè semper justo & æquali pretio vendi solent, ideóque tale pactum in emptione licitè potest apponi, *Abb. in cit. c. Significante; n. 7. h. t. Azor p. 3. lib. 7. tract. de pignorib. c. 10. in princ. & alii Dd. communiter.*

XXIX. Cæterùm quod dictum est, pactum legis commissoriæ non valere in pignoribus. Id extenditur primò, etiamsi tali pacto juramentum accesserit debitoris, quòd si intra tempus constitutum pecuniam mutuò acceptam non solverit, super pignore nullam molestiam exhibiturus sit creditori, ut in casu *cit. c. Significante; h. t.* quia per tale juramentum non confirmatur pactum legis commissoriæ, ita ut jus aliquod creditori ad servandum pignus acquiratur; non enim juramentum debet esse vinculum iniquitatis: quamvis tale juramentum obliget debitorem ex virtute Religionis, quia sine peccato, ex parte jurantis, observari potest, adeóque etiam metu perjurii debet, cùm nihil involuat mali, rem suam minore pretio, quàm valet, relinquere penes alium: licèt iniquum sit juramentum, ex parte creditoris, ita ut is restituere teneatur, quicquid supra debitum ex pignore accepit, sive id, quod pignus ultra debitum valet, *arg. c. Debitores; 6. de jurejur. Azor cit. c. 10. §. Ego verò existimo.*

Quare si tale juramentum, ad petitionem jurantis à Superiore sit relaxatum, ipsemet jurans, postquam debitum solvit, rem oppignoratam repetere potest à creditore. Imò etiam sine relaxatione juramenti, si debitor, ante tempus constitutum, impeditus fuit solvere, potest pignus repetere; juramentum enim non obligat in casu justi impedimenti, ut patet ex *cit. c. Significante*, in quo debitor, ob duplex impedimentum solutionis excusatus fuit à mora culpabili in solvendo, tum quia pecunia transmissa non fuit tradita creditori per malitiam, seu fraudem nuncii: tum quia debitor fuit in captivitate detentus; nemo enim ad impossibile præstandum obligatur, ideóque non sit perjurus, qui non observat juramentum, quod non potest, *Abb. in cit. c. n. 3. Zæsius in Comment. h. t. n. 6.* Hæres autem debitoris, etiam non impetratâ relaxatione juramenti, pignus repetere poterit, quia ipse non juravit, se non repetiturum: juramentum autem ex pacto jurantis est personale, sive obligat solùm personam jurantis, nec ad hæredes ipsius transit, ut ex communi docet *Abb. in c. Veritatis; 14. n. 3. de jurejur. Gail. lib. 1. obs. 27. n. 3.*

XXX. Extenditur secundò, Pactum legis commissoriæ non valet, etiamsi debitor renunciaverit beneficio legis prohibentis tale pactum, ut docet *Abb. in cit. c. Significante; n. 4. Azor cit. c. 10. §. Quæres an valeat.* Ratio est, quia licèt debitor possit renunciare juri principaliter in gratiam & favorem suum constituto: non tamen potest renunciare juri, quod etiam constitutum est in odium & pœnam creditorum, & quidem publicæ utilitatis causâ, ne fraudibus & usuris, ac injustitiis occasio præberetur, *l. Tamen; 11. junct. Gl. C. ad ad SC. Macedon.* cujusmodi est lex prohibens pactum commissorium, ideóque ejus renunciatio nihil operatur: quin imò eâ non obstante, debitor semper potest, oblato debito, pignus repetere. Extenditur tertiò, pactum legis commissoriæ prohibitum est, non solùm quando pignus datur creditori pro accepto mutuo, sed etiamsi detur pro alio debito, quàm mutuo, quia *lex fin. C. de pact. pign.* generaliter loquitur, adeóq; & generaliter est intelligenda, *Mozius Tract. de pign. Tit. de accidentalibus pignoris n. 6. & 7.* Quartò, non valet tale pactum, etiamsi fiat per quæcúnque verba æquivalentia, ut quòd, elapso termino, non liceat amplius solvere debitum, vel offerre pro luendo pignore, *Gl. in cit. l. ult. V. Emissa, C. eod. Moz. c. l. n. 11.* Quintò, extenditur, quod neque valeat tale pactum, etsi consuetudine sit approbatum; quia adversatur naturali & positivo juri, adeóque potiùs corrupte la dicenda est, quàm consuetudo, *Moz. c. l. n. 10.*

XXXI. Sextò extendunt nonnulli, quòd non solùm erga creditorem debitor non possit adjicere pactum legis commissoriæ: sed neque erga fidejussorem, ut si is pro debitore in mora solvendi existente solvere cogatur, res pignori data sit ipsi vendita; quia videtur eadem iniquitatis ratio subesse in fidejussore, quæ in creditore, ut docet *Covarr. lib. 3. var. resol. c. 2. n. 7. Zæsius ff. h. t. n. 20.* Verùm *Molina Tract. 2. disp. 334. n. 5. Azor cit. c. 10. §. Insuper licitum est*, & alii Dd. communiter tenent, pactum legis commissoriæ erga fidejussorem esse licitum, ut constat ex *l. ult. ff. de contrah. empt.* non solùm ita, ut pactum ineatur de pretio justo in futurum, juxta boni viri arbitrium, statuendo videlicet, ut si fidejussor solvere cogatur debitum pro Titio debitore, domus oppignorata ipsi sit empta, eo pretio, quo vir prudens illam æstimavetit, cùm tale

pactum etiam cùm creditore iniri possit, ut postea dicetur. Verùm etiam ita, ut pretium aliquantò minus sit, quàm res oppignorata valeat, modò certum pretium mox ab initio definiatur: v.g. si fidejussor solvere cogatur, domus creditori oppignorata ipsi empta sit mille florenis: nam partim ratione pœnæ conventionalis, partim ratione compensationis alicujus, ob periculum, quod non rarò fidejubentes manet, permitti, & tolerari potest talis conventio, etiam in foro conscientiæ, ut docet *Mol. c. l.* ubi tamen monet, consulendum esse hominibus, ut ab hujusmodi pactis abstineant.

XXXII. Assertio 2. Sunt tamen nonnulli casus, in quibus pactum legis commissoriæ est licitum. Veluti primò, si conventum sit, hoc modo, ut si debitum, intra constitutum tempus, non fuerit solutum, pignus sit emptum, aut in solutum datum creditori pro justo pretio, sive quanti tunc, arbitrio boni viri, vel Judicis, æstimabitur, *l. Fundus*; 16. §. *fin. ff. h. t.* Ubi hujusmodi contractus approbatur, quasi quædam conditionalis venditio; non enim eo læditur debitor, cùm ultra sortem nihil accipiatur à creditore, res enim venditur justo pretio, *Abb. in cit. c. Significante*; *n.* 6. *Covarr. l.* 3. *var. resol. c.* 2. *n.* 8. §. 2. *Infertur*, *Mol. cit. disp. n.* 3. *Azor c. l.* §. *At verò licitum.* Porrò si priusquàm pretium æstimetur, & res emptori sit adjudicata, potest debitor creditori pecuniam debitam offerre, etiam post diem solutioni præfixum, & sic moram purgare, & distractionem pignorum perfectam impedire, *Covarr. c. l.* Quin imò etsi absolutè & simpliciter conventum esset, ut, si intra certum tempus debitum solutum non fuerit, pignus sit emptum, aut in solutum datum creditori, pactum foret validum; quia ex benigna interpretatione intelligitur emptum justo pretio, arbitrio boni viri, definiendo, *Abb. & Mol. citt. locis.* Secundò, valet hoc pactum, favore dotis, ut si uxor vel socer promisit dotem marito, vel genero in pecunia, sed interim dat fundum in pignus, cum pacto, si intra certum tempus pecunia non solvatur, fundus ille sit in dotem datus, *Azor cit. c.* 10. §. *Quæres*, *Mozius c. l. n.* 16. quamvis aliqui dissentiant. Ratio est, quia mulier, aut socer potest, suâ sponte, plus velle dare in dotem, quàm ab initio promiserit, modò id sciens, ac volens faciat: & maritus dotem integram conservare debet, quæ etiam, soluto matrimonio, redit ad mulierem, vel socerum.

XXXIII. Addunt nonnulli, quòd pactum legis commissoriæ sit licitum, si non ab initio, vel incontinenti post: sed ex intervallo adjiciatur, quo res in pignus data vendita sit creditori eique cedat, si intra certum tempus solutio debiti facta non fuerit, quasi tunc cesset suspicio fraudis. Sed verius est, etiam ex post facto, sive ex intervallo adjectum tale pactum esse illicitum, quia in *l.* 3. *C. de pact. pignor.* generaliter improbatur pactum legis commissoriæ in pignoribus: & non minor subest suspicio fraudis, usuramque sapit hoc pactum, si ex intervallo fiat, atque si ab initio adjiciatur, ut docet *Covarr. cit. c.* 2. *n.* 8. §. *Tertio*, *Zæsius ff. h. t. n.* 19. Nam negari non potest, quin creditor usuram committat, si ex intervallo recipiat aliquid, ultra sortem à debitore, causâ mutui, & ratione dilatæ solutionis, quod hîc fit, si quidem minùs justo pretio pro pecunia credita venditur pignus, tum enim verè causâ mutui creditor consequitur ultra sortem id, quod justo pretio deficit, adeóque tale pactum est illicitum, & usurarium. Unde neque valet ejusmodi pactum, si ex verbis contrahentium, aliisque circumstantiis appareat, mentem ipsorum fuisse, ut pro ipso debito emptum sit pignus, aut in ejus dissolutionem datum. Nec obstat *Text. in l. Titius*; 34. *ff. de pignorat. act.* quia ibi non agitur de pacto legis commissoriæ, sed de datione in solutum, quæ fit à debitore creditori, interveniente certo ac justo pretio, non autem pro quantitate debita, *Covarr. c. l.* Plura de hujusmodi pactis illicitis & usurariis, quæ fiunt circa pignora & hypothecas, dicentur infrà *Lib.* 5. *Tit.* 19.

§. VIII.

De Cautione Usufructuarii.

XXXIV. De hac agitur in *c. Cùm contingat* 8. *& ult. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Quidam testamentum condidit, in quo proprietatem bonorum suorum reliquit Mariæ uxori J. usumfructum verò eorundem marti suæ uxori Augerii. Maria propietaria, mortuo testatore, petiit à dicta uxore Augerii, ut idoneam cautionem præstaret, quòd ipsa uti, & frui velit rebus immobilibus (quæ in hæreditate inventæ fuerunt) salvâ rerum substantiâ, secundùm arbitrium boni viri. Pecunias verò, & æstimationem eorum bonorum, quæ usu consumuntur, & in hæreditate reperta fuerint, in morte suâ Mariæ vel hæredibus ejus restitueret. Hoc approbans Papa Gregorius IX. mandat, dictam mulierem J. per censuram Ecclesiasticam compelli ad eam cautionem præstandam.

XXXV. Pro intellectu hujus cap. Notandum primò, usufructus est jus alienis rebus utendi, & fruendi salvâ rerum substantiâ, *l.* 1. *ff. de usufr. & princ. Instit. eod.* Ubi definitur usufructus, prout est separatus à proprietate, & vocatur usufructus formalis, nam ei conjunctus, non est servitus, cùm res sua nemini serviat, *l. Uti frui*; 5. *ff. Si certum petat.* quia dominus dicitur uti re suâ, jure dominii, non servitutis, qui dicitur usufructus causalis, quia causæ suæ, id est, rei cohæret, *Zæsius ff. de usufr. n.* 5.

Notandum secundò. Omnes fructus, tam naturales, qui ex re nascuntur, quàm civiles, qui occasione rei percipiuntur, ut pensiones ædium, & aliarum rerum locatarum, ad usufructuarium jure dominii pertinent, *l. Usufructu*; 7. *& l. Item si*; 9. *ff. de usufr.* non tamen priùs sit eorum dominus, quàm ipse eos perceperit. §. *Is verò Instit. de rer. divis.* Ut si in horreo repositi sint, vel è spicis excussi, ut explicat *Gl. dict. V. Perceptis: junct. Gl. marg.* & hinc si usufructuarius, maturis licèt fructibus decesserit, ii ad hæredes illius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur *cit.* §. *Is verò*, sed etsi fructus ab alio sint à terra separati (sine mandato tamen usufructuarii) hic eorum dominium non acquirit: sed conditio, seu potiùs vindicatio proprietario tanquam domino competit: fructuario verò actio furti, *l. Arboribus in* §. *Julianus*, *ff. de usufr.*

Notandum tertiò. Licèt usufructuarius sine consensu domini ipsum jus usufructûs in alium transferre non possit: sed cedendo extraneo usumfructum ipso facto amittit, & is proprietario acquiritur, *l. Si usufructus*; 66. *ff. de jure dotium*, §. *Finitur Instit. de usufr.*

usufr. quia ipsum jus personæ cohæret, ideóque cùm jus personale sit, ad alium transmitti non potest, sine consensu domini, potest tamen fructuarius commoditatem, seu facultatem fructus loco sui percipiendi, alteri vendere, locare, pignori dare, aut donare, etiam inscio, vel invito domino, quia qui per alium fruitur, ipse frui videtur, *l. Arboribus*; 12. §. *Usufructuarius, ff. de usufr.* sed non ultra vitam ejusdem fructuarii, *Mol. tr. 1. de just. disc. 7. n 19.*

XXXVI. Notandum quartò, Ususfructus, propriè loquendo in iis tantùm rebus consistere potest, quæ usu non consumuntur §. *Constituitur Instit. de usufr.* est enim jus utendi, & fruendi rebus alienis, salvâ rerum substantiâ, sive res illæ sint immobiles, ut ager, domus, sive mobiles, *l. 1. §. Hæc stipulatio, ff. usufr. quemad. cau.* quæ tamen usu non consumuntur aut minuuntur, ut sunt pecora & vasa aurea vel argentea *l. Vasorum*; 12. *junct. Gl. in casu ff. eod.* Quin etiam in vestimentis v. g. scenicis, vel funebribus, ususfructus constitui potest, *l. 15. §. Etsi*; *ff. de usufr.* Verùm impropriè loquendo etiam earum rerum, quæ usu ipso consumuntur, ususfructus constitui potest, ut constat ex *cit. h. t. & toto Tit. ff. de usufr. earum rer. quæ usu consum. & cit. §. Constituitur Instit. de usufr.* tales res sunt, quæ in pondere, numero & mensura consistunt, ut frumentum, vinum, oleum, & pecunia numerata, quæ ipso usu assiduâ permutatione quodammodò extinguitur, ut dicitur in *cit. §. Constituitur*, respectu alienantis, in cujus dominio esse desinit, *Gl. ibid. V. Permutatione.* Porrò rebus, quæ usu statim consumuntur, seu quarum usus est ipsa absumptio, æquiparantur res illæ, quæ usu minuuntur & atteruntur, licèt non omninò consumantur, cujusmodi sunt vestes, & aliæ similes res, quarum quasi usumfructum relinqui posse, constat ex *l. 1. junct. Gl. V. Ususfructus, ff. de usufructu ear. rer. quæ usu &c.*

Notandum quintò. Licèt ususfructus amittatur morte naturali, vel civili usufructuarii, §. *Finitur Instit. de usufr.* non tamen amittitur per ingressum Religionis, sive professionem, quæ alioquí morti civili æquiparatur: sed ususfructus acquiritur Monasterio, si sit capax bonorum in communi, quàmdiu vivit Professus, ut ex communi docet *Abb. in c. ult. n. 2. h. t.* Jam ergo his præmissis.

XXXVII. Quæritur primò. Qualem cautionem usufructuarius præstare debeat? Resp. Primò, tenetur exhibere cautionem idoneam, videlicet pignoratitiam, vel fidejussoriam, quòd rebus immobilibus, in quibus usumfructum habet, vel etiam mobilibus, aut se moventibus, quæ usu non consumuntur, salvâ rerum substantiâ, uti frui velit, secundùm viri boni arbitrium, id est, se causam proprietatis deteriorem non facturum, sed usurum, sicut vir bonus, ac prudens rebus propriis uteretur, & frueretur, prout habetur in *l. 1. in princ. & §. Cavere, ff. Usufructuar. quemadm. caveat, & in c. ult. junct. Gl. V. Cautionem idoneam h. t.* Deinde etiam cavere debet, quòd finito usufructu, restituet proprietario (vel ejus hæredibus) quod ex re in usumfructum concessa extabit, sive supererit, *cit. l. 1. in princ. & §. Habet autem, Gl. in cit. c. ult. V. Immobilibus, & ibid. Abb. n. 3.* Ratio est, quia usufructuarius earum rerum, in quibus propriè usus-fructus locum habet, dominium non acquirit; sed jus utendi, ac fruendi tantùm, ideóque ut dominus sit securus de proprietate, idoneam & sufficientem cautionem fructuarius præstare debet. Hinc infertur, si quid ex iis rebus, quæ usu non absumuntur, casu fortuito pereat, vel deterius reddatur, id ad damnum domini proprietatis pertinebit: si verò usufructuarius rebus abutatur, aut dolo, vel culpâ damnum inferat, illud in utroque foro resarcire tenetur, *l. Si cujus*; 13. §. *Fructuarius & seqq. ff. de usufr: Zæsius ff. quemadm. usufruct. caveat, n. 2.*

XXXVIII. Respondetur secundò. Usufructuarius in pecunia & aliis rebus, quæ usu consumuntur, & in quibus solùm quasi ususfructus constituitur, similiter idoneam cautionem præstare debet, quòd finito usufructu, tantundem ejusdem qualitatis res, vel illis consumptis, æstimationem illarum proprietario restituet, aut ejus hæredibus, & ad id per censuram Ecclesiasticam compelli potest, ut statuitur in *cit. c. ult. §. Pecuniam verò, h. t. & l. Hoc SCtum*; 5. *in princ. junct. Gl. V. Cæterarum, ff. de usufr. ear. rer. quæ usu &c. Abb. in cit. c. ult. n. 3.* Ratio est, quia pecuniæ, & aliæ res usu absumptibiles æstimatæ traduntur usufructuario, ita ut earum dominium sive proprietas ad eundem transferatur, ideóque cautionem præstare debet, quòd quandocúnque is mortuus fuerit, aut capite diminutus, ejusdem qualitatis res restituet, vel æstimationem illarum, *l. Si vini*; 7. *ff. de usufr. ear. rer. &c.* nam cùm harum rerum usus consistat in abusu, sive absumptione, non potest agi de restituendis iisdem rebus in specie, aut individuo; sed solùm ejusdem generis, vel de restituenda earum æstimatione, quæ succedit in locum rei, *Zæsius ff. eod. Tit. n. 1.*

XXXIX. An autem si usufructuarius idoneam cautionem per pignora, vel fidejussores præstare non possit, admitti possit, ac debeat juratoria, dubitatur? Resp. affirmativè, si persona fructuarii ob inopiam offerens juratoriam cautionem, sit honestæ ac probatæ vitæ: hæc enim ordinariè admittitur, quando cautio sufficiens præstari non potest, ut colligitur ex *Auth. generaliter C. de SS. Eccles.* Secus est, si persona fructuarii sit suspecta, tunc enim res sequestranda est apud virum bonum, qui fructus præstabit fructuario, ut docet *Bartol. in l. Usufructu*; 4. *n. 6. C. de usufr. Abb. in cit. c. ult. n. 6. h. t.*

XL. Quæritur secundò. An testator, qui reliquit in testamento bona sua quoad proprietatem uni, usumfructum verò eorum alteri (ut in casu *cit. c. ult. h. t.*) possit usufructuario remittere cautionem, quamvis eandem præstare posset? Respondetur cautio præstanda de rebus, quæ non sunt usu absumptibiles, ut eis fructuarius utatur, boni viri arbitratu, non potest remitti à testatore prout habetur in *l. 1. C. de usufruct. Gl. in cit. c. ult. V. Cautionem.* Ratio est, tum quia per remissionem hanc induceretur fructuarius ad delinquendum, occasio enim ipsi daretur hæredi, seu proprietario damna inferendi: tum præsertim quia hæc cautio est inducta in favorem hæredis, cui lex consultum voluit, ac proinde ei testator contravenire non potest, *l. Nemo*; 55. *ff. De Legat.* 1. hæres tamen omnem cautionem remittere potest, ut tradit *Gl. in cit. l. 1. C. de usufr. V. Cautione*, quia quilibet favori suo renunciare potest, *l. pen C. de pact.* non item testator, qui remitteret jus alienum. At verò altera cautio de restituenda eadem quantitate, seu æstimatione rerum, quæ

usu

usu consumuntur, vel minuuntur, à testatore remitti potest, ut ex communi tradit *Abb. in cit. c. ult. n. 4. h. t.* quia cùm restituere debeat fructuarius solam æstimationem rerum, ea remissio continet merum favorem testatoris proprietarii, cui renunciare potest.

TITULUS XXII.

DE FIDEJUSSORIBUS.

Postquam actum est præcedente Titulo, de cautione pignoratitia, nunc subjicitur hic Titulus, in quo agitur de altera specie idoneæ cautionis, videlicet de fideiussione.

§. I.

De fideiussione in genere, & conditionibus ad illam requisitis.

I.

ASsertio 1. Fidejussio est contractus, in quo quis promittit se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non solverit, ita ferè *Less. Lib. 2. de justit. c. 28. dub. 1. n. 1.* Et licèt de jure Civili sit species stipulationis, & requiratur certa verborum formula: de jure tamen Canonico, & in foro conscientiæ, etiam nudo pacto fieri potest, & sufficit consensus verbis expressus, *Less. c. l.* Quare fidejussor est is, qui alienam obligationem in se suscipit, sive fidem suam interponit de solvendo debito alterius, casu, quo ipse illud non solverit, *Molin. tr. 2. de just. disp. 53. n. 1.*

II. Assertio 2. Fidejussio est obligatio accessoria alteri obligationi principali, quam supponit, & sine qua consistere non potest. Quare si principalis obligatio sit omnino invalida, ita ut nec naturalis, nec civilis obligatio ex illa oriatur, etiam fidejussoria obligatio velut accessoria est invalida, *l. Qui contra 10. l. Fidejussor 16. in princ. l. Si à Reo 70. §. Si à furioso, ff. de fidejuss.* quia principalis obligatio non tenet, *Gl. ibid. V. Certum.* Ut si quis fidejubeat in contractu, quem lex reprobat, v. g. pro venditione rei sacræ, vel solutione usurarum, *l. Cùm lex 46.* & ibi *Gl. marg. ff. h. t. Less. c. l. n. 5.* deficiente enim causâ principali, deficit & accessorium, *Reg. Cùm principalis 178. ff. de R. J.* Non est autem necesse, ut fidejussio subsequatur, vel comitetur principalem conventionem seu obligationem: sed potest illam etiam præcedere, §. *Fidejussor 3. Instit. h. t.* quo casu nihilominùs tamen adhuc est accessoria alteri obligationi principali, videlicet futuræ, potest enim quis fidejubere pro uno, vel etiam pluribus debitis, quæ alius contrahet in futurum, *l. Si ita stipulatus 55. ff. h. t.* quòd si nulla sequatur obligatio principalis, etiam ipsa fidejussio non subsistit, existeret enim accidens sine subjecto, quod fieri non potest.

III. Assertio 3. In omnibus conventionibus seu obligationibus, sive re, sive verbis, sive litteris, sive solo consensu contrahantur, possunt accedere, & adhiberi fidejussores, & sive ex contractu vel quasi, ex delicto, vel quasi oriantur, §. 1. *Instit. h. t. l. 1. junct. Gl. V. Omni & l. 2. l. Græcè 8. §. 1. & §. Et generaliter ff. eod.* Neque refert, utrùm obligatio principalis, cui adjicitur fidejussor, sit naturalis & civilis simul, vel naturalis tantùm, *cit. §. 1.* adeò ut hoc casu fidejussor adhibitus, non tantùm naturaliter, sed etiam civiliter & efficaciter obligetur. Ut si quis pro servo, vel pro pupillo, sine Tutoris auctoritate contrahente, fidejubeat, qui naturaliter tantùm obligantur ex contractu, *l. Naturaliter 13. ff. de condict. indeb. l. Marcellus 25. junct. Gl. V. Obligato, ff. h. t.* Quin imò etiam obligationi criminali accedere potest fidejussor, si delictum sit tale, pro quo non imponitur, nisi pœna pecuniaria, vel similis, *l. Si quis 56. §. fin. & l. Si reus 70. §. fin. ff. h. t.* Secus, si crimen tale sit, propter quod infligitur pœna corporalis; nam ad hanc nemo se pro alio obligare potest, cùm nemo sit dominus membrorum suorum, *l. Liber 13. ff. Ad leg. Aquil. Abbas in rubr. hujus Tit.* Denique etiam pro fidejussore fidejussor accipi potest, *l. Græcè 8. in fine ff. h. t.* imò id frequens est, ut debitor principalis fidejussori suo constituat alium fidejussorem, qui priorem indemnem servet, ut notat *Laym. l. 3. Theol. mor. tr. 4. c. 29. n. 2.*

IV. Porro an, si quis fidejubeat pro Religioso, sine Superioris auctoritate, contrahente, obligetur ipse fidejussor, dubitatur! Negat *Abb. in c. Ex rescripto 5. de jurejur. n. 1.* quia Religiosus nec naturaliter obligatur ex contractu inito, sine Superioris licentia, cùm jus tali contractui resistat: nam Religiosus, sine licentia Prælati, nihil sibi vel alteri acquirere potest, idcòque videtur incapax esse omnis obligationis ex contractu, & consequenter neque fidejussor illius obligabitur. Contrarium tamen non improbabiliter docet *Less. c. l. n. 6. Sanch. Lib. 7. Moral. c. 31. n. 37.* quòd nimirum Religiosus, saltem naturaliter, obligetur ex contractu inito, sine Superioris licentia, sicut ex voto, quamdiu à Superiore non irritatur, ob liberum consensum præstitum, ac proinde etiam fidejussor obligabitur, non solùm naturaliter, & in foro conscientiæ: sed etiam civiliter, & in foro externo, dum contractus à Superiore fuerit revocatus seu remissus, *Sanch. c. l. n. 42. & 44.* Similiter is, qui pro Religioso contrahente fidejubet, censetur ad id se obligare, quod Prælatus & Capitulum ratum habebit. Item ex delicto, v. g. furto vel damno illato obligatur Religiosus, quatenus satisfacere poterit, ideòque etiam eatenus efficaciter obligatur fidejussor ipsius, *Laym. c. l.*

V. Assertio 4. Non potest fidejussor extendi magis

magis obligari, ita ut ad plus obligetur, quàm debeat principalis, pro quo obligatur, potest tamen obligari in minus, prout habetur in §. *Fidejussores Instit. h. t. & in l. Græcè* 8. §. *Illud commune*, *ff. eod.* Ubi dicitur, fidejussor non potest in duriorem, seu deteriorem causam obligari (duriorem, inquam, re, loco, tempore & causâ, *Gl. ibid. V. Duriorem*) nec in majorem quantitatem, potest tamen in leviorem causam, vel minorem summam obligari, *cit.* §. *Fidejussores*: Ubi ratio redditur, quia non potest plus esse in accessione, quàm in re principali, & in *l. Græcè* 8. §. *Illud commune*, *ff. eod.* dicitur, non potest fidejussor in duriorem causam obligari, v. g. si quis debeat 10. aureos, non potest fidejussor obligari ad solvendos 15. obligaretur enim plus re, bene autem ad solvendos 5. & sic de cæteris, videri potest *Mol. tr. 2. de just. dis.* 541. *num.* 2.

VI. Porro etsi fidejussor non possit extensivè obligari ad plus: potest tamen magis intensivè, sive intensiùs & efficaciùs obligari, quàm debitor principalis, ut videlicet etiam civiliter & efficaciter obligetur, & debitor principalis tantùm naturaliter, & inefficaciter, *Molin. c. l. n.* 7. & patet ex supra dictis. Et hinc fidejussor potest obligari cum juramento, etsi principalis debitor sit obligatus sine juramento: item cum hypotheca, etsi principalis debitor sine illa sit obligatus; vel sub pœna, quam non promisit principalis debitor, quia his casibus solùm arctiùs sive, efficaciùs obligatur fidejussor, quàm principalis, non ad plus, *Mol. c. l. n.* 7. *Zæs. in ff. h. t. n.* 13.

VII. Verùm dubitatur hîc primò, an si fidejussor in plus se obligavit, quàm principalis debitor, v. g. ad solvendum 20. aureos, debitore tantùm obligato ad 10. fidejussoria obligatio omninò & in totum sit invalida, an verò solùm quoad excessum, ita ut maneat obligatus ad id præcisè, in quo obligatus est debitor principalis, v. g. ad 10. aureos. Prius affirmant plures per *Text. in cit. l. Græcè*, §. *Illud commune*, ubi dicitur: si fuerint in duriorem causam obligati, placuit eos omnino non obligari. Sed verius est posterius, ut docet *Gl. 2. ibid. V. Omninò non. Molin. cit. dis.* 541. *n.* 3. *Zæsius ff. h. t. n.* 9. quia utile per inutile non vitiatur in his, quæ divisionem seu separationem admittunt, quare excessus habetur pro non adjecto, neque fidejussor in plus obligatur, quàm principalis; Idémque locum habet in stipulationibus, *l.* 1. §. *Si stipulanti*, *ff. de V. O.* Ratio est, quia summa minor inest majori, ita ut majorem promittens, censeatur etiam promisisse minorem petitam. Nec obstat, quod dicitur in *cit.* §. *Illud commune*, eos omnino non obligari, id est, per omnia, sive quoad totum non obligari, vel si non possit fieri separatio, ut si quis fidejussit purè, & absolutè pro obligato solùm sub conditione, is enim nullo modo tenetur, quia obligatio pura non inest conditionali, sicut summa minor majori, *Zæsius c. l. n.* 10.

VIII. Dubitatur secundò. An si fidejussor juramento se obligavit ad plus solvendum, quàm principalis debet, teneatur, vi juramenti præstiti, solvere etiam id quod excedit? Affirmat *Molin. c. l. n.* 4. *& alii Dd. communiter*, quia omne juramentum servandum est, quod sine dispendio salutis æternæ, sive sine peccato jurantis servari potest, uti in hoc casu, cùm quilibet possit liberè se obligare, ad dandum plus, quàm aliàs deberet. Negat *Zæsius ff. h. t. n.* 12. nempe fidejussorem, non obstante juramento, non teneri ad solvendum, ultra debitum principale; quia juramentum sequitur naturam actûs, cui apponitur, eámque non mutat, nec alterat, *l. fin. C. De non numer. pecun.* Idque procedit de fidejussore, quatenus fidejussor est: nam si quis scienter juret, se daturum summam excedentem debitum principale, tenebitur ad solvendum, non ut fidejussor, sed ut promissor principalis, quoad excessum, juramentum enim est argumentum enixæ voluntatis, *l. Cùm pater*; 77. §. *Filius*, *ff. de Legat.* 2. in quo consentit etiam *Mol. c. l.*

IX. Assertio 4. Si debitor principalis fuit obligatus ad solvendam pecuniam, & fidejussor obligetur ad solvendam aliam rem, quæ non est pecunia, v. g. triticum, vel vinum, obligatio est nulla; quia est obligatio rei diversæ: contrà verò, quando debitor principalis obligatus est solvere rem, quæ non est pecunia, & fidejussor obligatur ad solvendam pecuniam, non censetur obligatio rei diversæ, ac proinde est valida, *l. Si ita*; 42. *ff. h. t.* quia scilicet pecunia est æstimatio omnium aliarum rerum, & earum quoad valorem mensura, *Mol. cit. dis. n.* 8. ubi *n.* 10. id limitat, modò obligatio fidejussoris ex alio capite non reddatur durior, quàm obligatio debitoris principalis.

X. Assertio 5. Obligatio fidejussoria transit etiam ad hæredes fidejussoris, sive hoc expressum sit, sive non, §. *Fidejussor*; 2. *Instit. h. t.* & ibi *Gl. V. Relinquit obligatum*, *l. Potest* 54. *ff. h. t. & l. Fidejussoris*; 24. *C. eod.* quod intelligendum est, si fidejussor se obligavit ratione contractûs, vel quasi alterius: *Gl. in cit.* §. *Fidejussor.* Secus si obligatio descendat ex delicto vel quasi alterius, nisi fidejussor pro reo ad certam pœnam se obligâsset, tunc enim etiam hæredes ejus tenerentur, *Schneidewv. in cit.* §. *Fidejussor.*

Ex dictis infertur, nec esse propriè fidejussorem illum, qui se constituit debitorem principalem pro alio; quia non se obligat ad solvendum debitum accessoriè, & in defectum alterius: sed æquè primò, ideóque statim etiam ante principalem debitorem conveniri potest, *Less. cit. c.* 28. *n.* 3.

§. II.

An Prælatus Ecclesiæ, vel alius Clericus, aut Religiosus fideiubere possit pro alio?

XI. Quæritur primò. An Prælatus Ecclesiasticus fidejubere possit pro alio? Resp. primò Episcopus, vel alius Prælatus Ecclesiasticus, sæcularis, vel etiam regularis, ex reditibus Mensæ suæ fidejubere

potest pro alio, etiam non requisito Capituli aut Conventûs consensu, dummodò id fiat ex justâ causa, & non in magna quantitate, neque cum notabili detrimento Ecclesiæ; nam talis facultas ad liberam potestatem administrandi, quam Prælatus habet, pertinere videtur: & cùm fidejubere sit officium charitatis, ac beneficentiæ, non debet censeri ab Ecclesiæ Prælatis alienum, *Silvest. V. Fidejussor, q. 4. Sanch. Lib. 6. Moral. c. 14. n. 39. Laym. in disc. Can. de rer. Eccles. alien. Thes. 98.* ideóque etiam donationes simili ratione facere potest, *c. 2. de donat.* de quo infrà. Non obstat, quod in *c. Te quidem; 29. caus. 11. q. 1.* dicitur, ne Episcopus (idémque est de aliis Prælatis & Clericis) fidejussor existat; quia id intelligi debet, ne fiat, cum Ecclesiæ detrimento, vel quòd id non deceat, si fiat sine justa causa, aut frequenter, præsertim erga Laicos, *Abb. in c. 1. n. 1. h. t.* Resp. secundò, si Prælatus nomine Ecclesiæ suæ, cum consensu Capituli, aut Conventûs sui, pro alio fidejubeat, Ecclesia, seu Monasterium ex tali fidejussione obligatur, *arg. c. pen. h. t.* & ibi Canonistæ communiter; quia Prælatus & Capitulum repræsentant totum Corpus Ecclesiæ, dummodò fidejussio non sit talis, ut in defectum debitoris principalis, bona immobilia, aut mobilia pretiosa, & quæ servando servari possunt, necessarium sit alienare: talis enim fidejussio irrita est, cùm per illam perveniri possit ad alienationem, nam cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ admitti non debet, *juxta Reg. 83. in 6. Abb. in cit. c. pen. n. 5. h. t.* Vel etsi valeat talis fidejussio, non tamen extendi debet ad ea bona, quæ alienari sunt prohibita; cùm ista tacitè sive ipso jure excepta esse in fidejussione censenda sint. Quòd si ex fidejussione damnum Ecclesiæ inferatur, quoad alia bona, quæ alienari possunt, Beneficium restitutionis in integrum Ecclesiæ competit, *Laym. in cit. disc. Thesi 99.* Si verò ipse Prælatus fidejubendo, sive pro alienis debitis solvendis spondendo, Ecclesiam notabiliter gravet, ab Ecclesiæ administratione in spiritualibus & temporalibus suspensionem ipso jure incurrit, *Laym. in cit. disp. Thes. 98.*

XII. Quæritur secundò. An Clericus possit fidejubere pro alio? Resp. primò, Clericus Beneficiarius, quoad obligationem bonorum suorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium, ut si justum, sibique debitum stipendium accipiat, sine cujusquam injuria, fidejubere potest, ut ex communi tradit *Hostiens. & Joan. Andr. in c. 1. n. 2. h. t. Laym. in cit. disc. Thesi 101. in fine*, quia ex iis etiam donare potest. Imò etiam quantum ad réditus ex titulis Ecclesiasticis perceptos, quorum liberum dominium & administrationem Clericus habet (secus est de redditibus superfluis, qui pauperibus, vel aliis piis causis applicari debent, de quo infrà) ex causa rationabili, non tantùm validè: sed etiam licitè fidejubere potest Beneficiarius, præsertim pro Clerico, *Hostiens. in cit. c. 1. in fine h. t. Silvest. V. Fidejussor, q. 3.* Idque sumitur ex *c. Pervenit; 2. h. t.* Ubi cùm Clericus R. pro aliis duobus Clericis pecunias mutuò à mercatoribus Bononiensibus accipientibus fidejussisset, eísque non solventibus, ipsemet solvere coactus fuisset: querelâ de hac re delatâ ad Lucium III. Pontificem; Is respondit, cùm dictus Clericus R. exinde dispendium pati non debeat, ex quo præmium meretur, ideò se Bononiensi Episcopo mandâsse, ut si ex prædictorum duorum Clericorum confessione, vel aliàs legitimè constiterit, rem ita se habere, sicut Clericus R. retulit, iidem Clerici debitores moneantur, ut pecunias fidejussori, quas pro eis solvit, restituant, eúmque indemnem servent: alioquin ex eorum reditibus (Ecclesiasticis) debita solvantur, & damna, quæ ob id passus fuit Clericus fidejussor, eidem refarciantur, vel reditus ipsorum debitorum eidem assignentur, donec damna compensata fuerint, & debita sine diminutione soluta. Prædicti verò Clerici si fidei & juramenti sui Religionem ipsos violâsse constiterit, ab officio & beneficio suspendantur.

XIII. Notandum primò. Ratio, cur Clericus Beneficiarius fidejubere possit, etiam pro Laico, saltem ob urgentem necessitatem, vel aliam justam causam, est; quia hoc est officium charitatis, & quandoque etiam misericordiæ, si is, pro quo fidejubetur, in gravi necessitate sit constitutus, ideo Clericis prohiberi non decet, *Abb. in c. 1. n. 3. & 4. h. t.* Quòd si Clericus, etiam sine urgente necessitate, vel justâ causâ, fidejubeat, sive pro Clerico, sive pro Laico, valida est fidejussio, ut tradit *Gl. in c. Te quidem; 29. V. Ne fidejussor caus. 11. q. 1. Mol. tr. 2. de just. disp. 540. n. 21.*

Notandum secundò. Similiter etiam Religiosi, qui beneficium aliquod obtinent, ex rationabili causa, fidejubere pro aliis possunt, etiam irrequisito consensu Prælati; cùm potestas administrandi reditus beneficiales ipsis, secundum SS. Canones, sit concessa, dummodò talis fidejussio non cedat in detrimentum Ecclesiæ, cui servit beneficiarius Religiosus, aut successoris, ut ex *Navarr.* tradit *Laym. cit. Thes. 101.*

Notandum tertiò. Si de delicto perjurii commisso à Clerico non principaliter: sed incidenter solùm, in judicio actum fuerit, ut in casu *cit. c. 2. h. t.* tum Judex ex officio potest illud punire, pœnâ extraordinariâ & mitiore, videlicet suspensione ab officio & beneficio, si per denunciationem crimen ad Judicem pervenit, cùm aliàs pœna ordinaria criminis perjurii sit pœna depositionis, seu privationis, *c. Querelam; 10. de jurejur. Gl. fin. in cit. c. 2. & Abb. ibid. num. 4.*

XIV. Resp. secundò, Clericus fidejussionibus inserveniens abjiciatur, sive deponatur, prout statuitur in *c. Clericus; 1. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Cantuariensi: cujus cap. verior & expeditior explicatio est, quòd Clericus, qui beneficium, vel administrationem aliquam habet, non potest fidejubere, in damnum seu præjudicium Ecclesiæ, aut redituum Ecclesiasticorum, quorum dominium seu potestatem liberè & pro arbitratu suo de iis disponendi non habet: alioquin si frequenter id faciat, & pro quantitate non modica, deponi debet, ut tradit *Abb. in cit. c. 1. n. 1. & 4. & c. 2. n. 12.* Ratio est, quia tales reditus ex Ecclesiastico Titulo provenientes, non possunt ad quoslibet usus etiam profanos expendi: sed in Ecclesiæ utilitatem expendi debent, ideóque neque per fidejussionem periculo exponi possunt, ut ad tales usus deriventur, *Laym. in cit. disc. Thes. 101.* Debet autem

rem Clericus illicitè fidejubens deponi ab Ecclesia, seu Ecclesiastico officio, sive Beneficio, nisi se correxerit, vel à Clero seu statu Clericali, post trinam monitionem, vel à fidejussione, ut ad illam non admittatur, prout variè explicant Dd. *Imola hìc n.* 1. *Abb. n.* 5. Porro non potest creditor invitus cogi admittere Clericum fidejussorem: sed recusare illum potest, ut tradit *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 6. quia minùs ipsi provisum est, cùm Clericus difficiliùs excuti possit, ob privilegium fori & competentiæ, quo gaudent Clerici. Deinde non potest Clericus dari à Laico fidejussor judicio sistendi causâ; quia talis fidejussor debet esse ejusdem fori, cujus est principalis, vel renunciare foro suo, *l.* 1. *ff. Si quis in jus vocatus non ierit*, quod non potest facere Clericus, *c. Significâsti* 3 18. *de foro compet. Abb. in cit. c.* 1. *n.* 5.

XV. Quæritur tertiò. An Religiosus possit fidejubere? Resp. nullus Religiosus potest, sine licentia Prælati sui, & consensu majoris partis Capituli, pro alio fidejubere, prout statuitur in *c. Quod quibusdam*; 4. *h. t.* Ubi Papa Innocentius III. quòd quibusdam Religiosis à Sede Apostolica prohibitum erat in Concilio generali Lateranensi, generaliter extendit ad omnes Religiosos, ne quis videlicet, absque licentia Abbatis sui, & majoris partis Capituli, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat, ultra summam communi providentiâ (Capituli) constitutam: alioquin Conventus non tenetur pro his respondere, sive non obligatur ex fidejussione, nisi in utilitatem Domûs (scilicet Ecclesiæ, vel Monasterii) pecuniam illam versam fuisse manifestè constiterit. Qui verò contra hoc statutum facere præsumpserit, graviùs puniatur: (ad arbitrium Judicis, cùm hîc certa pœna non sit expressa) *Gl. fin. hic.*

XVI. Extenditur autem, quòd talis fidejussio Religiosi, non tantùm sit illicita, sed etiam irrita, ita ut Monasterium, vel Collegium nullam inde obligationem contrahat, ut post *Jo. Andr. in c.* 2. *n.* 6. *Ne Clerici vel Monachi in* 6. docet *Molin. cit. disp.* 40. *n.* 23. *Sanch. l.* 6. *Moral. c.* 14. *n.* 41. Ratio est, quia Religiosus proprium non habet, quod obliget alteri, ideò fidejussio, sine legitima licentia, est irrita, sicut & donatio, & quævis alia dispositio sine legitima facultate facta, licèt fidejussio Clerici sæcularis sit valida, ut supra dictum. Extenditur secundò. Quòd Religiosus fidejubere non potest, etiamsi ipsi peculium concessum sit ad certam causam, v. g. ad necessaria sibi comparanda, dum versatur in studio litterarum, vel ad iter faciendum; quia fidejussio est extra talem causam, sicut nec donare potest, nisi dando moderatam eleemosynam, *Abb. hic n.* 3. *& Sanch. c. l. n.* 42. Verùntamen si Religiosus existens in studiis litterarum, cum licentia Prælati, pro necessaria sustentatione mutuas pecunias accipiat, obligatur Monasterium, *Sanch. c. l. & Laym. in cit. disp. Thesi* 100. de quo suo loco. Porro ex *cit. c.* 4. *& pen. h. t.* per sensum contrarium, colligitur, quòd si Religiosus, cum licentia aut consensu Prælati sui, & majoris partis Capituli, fidejubeat pro altero, fidejussionem valere, & Monasterium obligari; quia sicut Monasterium per se potest se obligare, ita etiam per Religiosum suum, dando ei consensum, tunc enim perinde est, ac si Capitulum seu Monasterium obligaretur, *Gl. in cit. c. pen. V. Fidejubeat*, dum enim consentit in ejus obligationem, qui ex bonis suis obligari non potest, cùm nihil proprium habeat, eam in se suscipere ipsum Monasterium censetur.

Limitatur autem, quod dictum est, Religiosum non posse fidejubere, sine consensu Prælati & Capituli, si in aliqua Religione consuetudo non sit, ut Capitulum, seu Conventus congregetur, tunc enim solus Superior fidejubere potest, vel Religio facultatem hanc dare fidejubendi pro alio: dummodò fidejussio non fiat, cum notabili damno Collegii, nec ultra quantitatem in hoc genere definitam, *Molin. cit. disp. n.* 23. *Sanch. c. l. n.* 38. *& Laym. c. l.* plura ad hoc cap. pertinentia dicentur *Tit. seq.*

§. III.

Quibus casibus fideiussor, etiam antequam solvat, agere potest adversùs debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet?

XVII. Tres casus enumerantur in *c. Eum*; 5. *& ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita rescribit, si is, qui » se pro aliquo fidejussorio nomine obligavit, diu in » obligatione stetit, quia debitor diu solvere cessavit, » aut dissipare bona sua cœpit, vel si ipse fidejussor ad » solvendum à Judice condemnatus fuit, jure potest » convenire debitorem, & petere, ut se à fidejussione » liberet. Idémque habetur in *l. Lucius*; 38. *in fine ff.* » *Mandati.*

XVIII. Primus igitur casus est, si debitor diu neglexit solvere debitum, sive diu in culpabili mora solvendi fuit: nam quamvis, ordinariè loquendo, fidejussor non possit agere contra debitorem, pro quo fidejussit, priùsquàm aliquid pro eo solverit, ut constat ex *l. Si pro ea*; *C. Mandati*, & tradit *Imola hìc not.* 1. Id tamen fallit primò, si diu in fidejussione steterit: quando autem diu cessâsse in solutione, vel stetisse in obligatione censendus sit, id Judicis arbitrio definiendum, relinquitur, ut tradit *Gl. in cit. l. Lucius*; 38. *V. Extempore, & V. Condemnetur, & Gl. fin. in cit. c. ult. h. t.*

Secundus casus est, si debitor principalis cœpit dilapidare bona sua, adeóque incipiat ad inopiam vergere, ita ut fidejussor sit in periculo, tunc enim petere potest à Judice, ut liberetur, etiam priùsquàm solvat, *cit. c. ult. h. t. & cit. l. Lucius, & cit. l. Si pro ea, C. Mandati*, ubi *Gl.* communiter recepta ait, secus esse dicendum, si jam tempore fidejussionis cœpit dilapidare bona; tunc enim fidejussor hoc periculum sponte in se suscepisse censetur.

Tertius casus est, si fidejussor pro debitore principali à Judice condemnatus fuit, tunc enim statim antequàm solvat, agere potest adversùs debitorem principalem, ut ipsum liberet, & indemnem servet, *cit. c. ult. h. t. & cit. l. Lucius, & l. Fidejussor*; 45. *ff. h. t.* quia perinde est, ac si solvisset, cùm sententia paratam habeat executionem, *l. Post rem*; 56. *ff. de re judic.*

Idque extendiur, ut etiam procedat, si post factam conclusionem in causa, evidenter appareat, fidejussorem condemnandum esse, quia tunc habetur quasi pro condemnato, *Barbos. in Collect. in cit. c. ult. n. 9.* Excipe, nisi fidejussore condemnato, appellâsset debitor, nam per appellationem sententia suspenditur, & exspectandus est litis eventus, vel nisi fidejussor culpâ suâ condemnatus sit, *Barb. c. l. n. 11. & 12.* Præter prædictos tres casus expressos in *cit. c. ult.* Potest quartò fidejussor, antequam solvat, convenire debitorem, ut ipsum liberet à fidejussione sua, si ab initio per pactum conventum sit, ut elapso certo tempore, vel aliquâ conditione, fidejussor liberaretur, *cit. l. Lucius, & l. Si pro ea, Gl. in cit. c. ult. V. Si diu, Barb. ibid. n. 13.* Quintò, si fidejussor vellet peregrè proficisci in longinquas Regiones diu abfuturus, ideóque periculum immineret, *Abb. in cit. c. ult. n. 4.* Sextò, si graves seu capitales inimicitiæ ortæ sint inter debitorem, & fidejussorem, ejusdem culpâ; tunc enim agere non potest, quia in fidejussoris potestate esset, se pro libito liberare à fidejussione, *Barb. c. l. n. 14.* Ubi plures exceptiones ponit.

XIX. Cæterùm huc pertinet, quod habetur in *c. Constitutus; 3. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Cancellarius Cantuariensis quandam pecuniæ summam mutuo accepit à creditoribus Bononiensibus, pro qua pecunia M. Simon fidejussit: cùm autem Cancellarius debitum non persolveret, dictus Simon à creditoribus sæpe molestatus, & debitum augmentatum fuit. Re delatâ ad Lucium III. is mandavit Archiepiscopo Cantuariensi, ut si de iis, quæ relata sunt, ipsi legitimè constiterit, Cancellarium debitorem, ut eundem Simonem à fidejussione sua, sine mora, liberet, per Ecclesiasticam censuram compellat. Sin autem Cancellarius debitum, ejusque augmentum, sive accessiones negaverit, non obstante consuetudine tanquam legi contrariâ, debitorem juramentum calumniæ subire cogat. Præterea, quia difficile foret fidejussori testes suos in Angliam adducere, ideò præcipit Pontifex, ut Archiepiscopus Judicibus Bononiensibus per litteras significet (satisfactione idoneâ à Cancellario acceptâ, quòd ad testes audiendos, intra terminum competentem, ire, vel mittere velit) ut testes, vice suâ, recipiant, & diligenter examinent, ac depositiones eorum clausas transmittant, simùlque significent, quanta fides instrumentis vel testibus adhibenda sit.

XX. Ubi Notandum primò. Si debitor principalis in culpabili mora solvendi existat, & fidejussor super solutione sæpiùs molestetur, potest is agere contra debitorem, & petere, ut à fidejussione sua eum liberet, prout sumitur ex hoc *c. & notat Gl. hîc V. Absolvat, & Abb. n. 2.* & dictum paulò supra.

Notandum secundò. Si fidejussor amplè, sivè in omnem causam & eventum se obligavit pro debitore principali, tum tenetur præstare etiam accessiones, nempe interesse, seu damnum & lucrum cessans creditori, in defectum debitoris, si in culpabili mora solvendi fuerit, *l. Quæro; 54. ff. Locati, l. Fidejussor; 10. C. h. t. Gl. hîc V. Accessiones, & Abb. n. 7. Silvest. V. Fidejussor; q. 13.* aliàs verò non tenetur, si nimirum fidejussit solùm pro summa capitali, non pro censibus aut usuris, *Hostiens. hîc V. Accessiones.* Porro non semper id, quod accedit sorti, est usura: sed potest esse interesse, & non tantùm debitor, sed etiam, in defectum illius, fidejussor illud præstare debet & potest ab eo peti, etiam secundùm Canones, *Imol. in cit. c. Constitutus; n. 6. h. t.*

Notandum tertiò. Non potest consuetudine induci, ut recusetur juramentum calumniæ, prout sumitur ex hoc cap. & dictum supra *Lib. 2. Tit. 7. n. 6.*

Notandum quartò. Si testes sint extra Provinciam, vel in loco remotè distante constituti, non debent inde evocari: sed Judici illius loci committi debet, ut testes sub juramento examinet, eorúmque depositiones recipiat, eàsque clausas, & obsignatas transmittat Judici, qui de causa cognoscat, simùlque significet, quanta fides testibus adhibenda sit, prout habetur in *cit. c. Constitutus; §. Præterea,* & ibi *Gl. magna in notatis, & V. Quanta fides, & in l. 3. §. ult. ff. de testib.* sed hæc aliò pertinent.

XXI. Postremò illud hîc addendum; duo potissimùm beneficia seu exceptiones jure competere fidejussoribus. Primum est, exceptio seu beneficium ordinis sive excussionis, nam Jure novo, si quis ex fidejussoribus conveniatur à creditore, isque petat debitum, potest contra eundem excipere, quòd non teneatur solvere, nisi priùs excusso debitore principali, notoriè constiterit, ipsum solvendo non esse, sive in totum, sive in partem, *Auth. Præsente C. h. t.* quod beneficium tamen ei non competit, si debitor principalis sit absens, fidejussor verò præsens, nisi hic promiserit sistere debitorem principalem intra certum tempus à Judice definitum, *cit. Auth. Præsente;* Vel nisi fidejussor huic beneficio specialiter renunciaverit, quod facere potest, quia tantùm in favorem illius est concessum, *Abb. in c. 2. n. 6. h. t. Mynsing. cent. 2. obs. 15. Gail. l. 2. obs. 77. n. 21.* Neque tamen sufficit renunciatio generalis, *Zas. ff. h. t. n. 20.* Non habet etiam locum, si debitor sit difficilis conventionis, quia potens, injuriosus & rixosus, ita ut difficulter excuti possit, *Gail. c. l. Mynsing. c. l.* vel si notorium sit, debitorem non esse solvendo, *Zas. c. l. n. 19.* apud quem plura de hoc videri possunt.

Alterum est Beneficium divisionis: Nam si plures pro eodem debito fidejusserunt, etsi singuli in solidum obligentur; & conveniri possint, ita ut à quolibet ex fidejussoribus creditor totum debitum petere possit, dummodò omnes fidejussores sint solvendo tempore propositæ exceptionis, etiamsi postea defierint esse solvendo, competit eis exceptio ex Epistola D. Hadriani Imperatoris, ut obligatio debiti in portiones dividatur, ita ut quilibet ex fidejussoribus nonnisi pro virili parte conveniri possit, *§. Si plures Instit. h. t. in fine, l. Non rectè; 3. C. eod.* Quod si quis ex fidejussoribus, tempore divisionis, non sit solvendo, reliqui obligantur, & cogi possunt ad solvendum totum debitum, imò etiam unus, qui solvendo est, *cit. §. Si plures Instit. h. t.* neque enim hoc beneficium concessum est fidejussoribus, nisi quatenus fieri potest divisio, sine gravi damno creditoris, *cit. §. Si plures Instit. h. t.* Si verò post factam legitimè divisionem debiti, inter considejussores, aliqui fiant non solvendo, id accidit damno creditoris, qui sibi imputare debet, quòd illos tempestivè non

non excusserit, & convenerit, dum adhuc solvendo erant. Neque hoc obesse potest aliis confidejussoribus, qui semel liberati non possunt inviti reduci in pristinam obligationem, *l. Inter eos* 51. §. *Cùm inter*; *ff. h. t. l. Liberum* 16. *C. eod. Zæs. ff. h. t. n.* 28. apud quem plura de hac re videri possunt.

TITVLVS XXIII.

DE SOLVTIONIBVS.

Postquam in præcedentibus Titulis dictum est de pignoribus, & fideiussoribus, quæ sunt cautiones quædam, seu satisdationes de solvendo debito, ideò nunc hoc Tit. agitur de solutionibus. Porro solutio dupliciter accipitur, vel generaliter, & latè, pro liberatione, seu satisfactione quocúnque modo factâ, l. Solutionis 54. ff. de solutionib. l. Liberationi; 47. & l. Solutionis; 176. ff. de V. S. vel specialiter, & strictè, pro naturali præstatione, seu redditione eius, quod debetur, l. Solutam; 49. & l. pen. ff. h. t. quia tamen potissimùm hîc agitur de solutionibus obligationis, seu debiti, quod ex mutuo dato, & accepto contrahitur, ideò de contractu mutui quædam hoc loco scitu necessaria præmittemus.

§. I.

Quid sit mutuum, & de conditionibus requisitis ad substantiam & valorem eiusdem?

I.

Assertio 1. Mutuum definitur à Bartolo in *l. 2. §. fin. n. ult. ff. de reb. credit.* Est contractus celebratus ab aliquo, datione verâ vel fictâ rei consistentis in pondere, numero, & mensura, spe recipiendi tantundem in genere suo: quæ definitio est communiter recepta à Dd. ut videre est apud *Azor p. 3. Instit. Tract. de mutuo c. 1. q. 2.* à quo non multùm distat definitio Vulteji *Lib. 1. Iurisp. Rom. c. 31.* Mutuum, quæ & mutuatio dicitur, est contractus re initus, quo rem nostram in quantitate consistentem ita damus, ut qui accipit, eandem reddat, non quidem in specie: sed in genere. Addunt aliqui ejusdem bonitatis, & qualitatis, *Azor c. l.* Dicitur contractus, quod ponitur loco generis, quamvis remotioris, nam proximum genus est creditum, cujus est species, *Zæsius ff. de reb. credit. n. 7.* & quidem est contractus nominatus, quippe habens nomen proprium, & speciale, cum aliis contractibus non communicabile, & is qui dat, mutuans, qui verò accipit, mutuatarius appellatur. Dicitur autem mutuum contractus re initus, quia non solo consensu: sed re perficitur, *Instit. dicto Tit. in princ.* Quare etsi quis promittat se pecuniam, vel aliam rem mutuam alicui daturum: non tamen priùs est mutuum contractum, quàm pecunia numeretur, vel res alia tradatur, *l. 2. §. Creditum, ff. de reb. cred.* Ubi dicitur, mutuum non posse esse, nisi proficiscatur pecunia, vel alia res consistens in pondere, numero vel mensura, *Gl. ibid. V. Pecunia*: in quo etiam differt à credito in genere, quod potest esse, sine rei interventu, *cit. §. Creditum.* Reliqua, quæ loco differentiæ posita sunt in allatis definitionibus, patebunt ex dicendis.

II. Assertio 2. Ad substantiam & valorem mutui requiritur primò, ut dominium rei traditæ transferatur in accipientem; nam dare est dominium transferre, § *Sic itaque, Institut. de action.* Ubi dicitur dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat, ideóque in mutui datione oportet dominum esse dantem, *l. 2. §. In mutui, ff. de reb. credit.* appellata est enim mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideò si non fiat tuum, non nascitur obligatio mutui, *cit. l. 2. §. Appellata*: vel saltem oportet mutuò dantem esse quasi dominum, secundùm *Gl. in cit. l. 2. §. In mutui, V. Dominum*, & tunc transfertur in accipientem usucapiendi conditio, *Vult. cit. c. 31. §. Est autem.* Et in hoc mutuum distinguitur à commodato, deposito, locatione, & pignore, in his enim dominium rei in accipientem non transfertur. Est autem duplex mutui datio, vera, vel quasi, sive ficta. Vera est, quæ ab initio statim traditione & acceptione rei perficitur: quasi seu ficta est, quæ cùm ab initio non esset, ex post facto inducitur ex legis dispositione, *Vult. c. l. §. Mutui datio.* Ut si quis pecuniâ apud aliquem depositâ, postea permittat, ut eâ utatur, tunc pecunia, quæ est deponentis, fit depositarii, *l. Certi* 59. *§. fin. ff. de reb. cred.* nam hujusmodi consensus est loco traditionis, *Zæsius ff. eod. n. 12.* Porro creditor non cogitur probare, pecuniam, quam mutuavit, esse suam; non enim inquirendum est, unde originem pecunia credita habuerit, sive ad eum pervenerit: sed sufficit, ut propriam creditam esse, *l. Non unde*; 7. *C. Si certum petat.* Et hinc etiam pecunia ex re furtiva redacta, mutuò dari potest; quia licèt fur non sit dominus rei furtivæ, ideóque, si ea vendatur, non transferatur dominium, est tamen dominus pecuniæ ex illa acceptæ, *l. Quivis*; 48. *§. fin. ff. de furtis, Accursius in cit. l. 2. In casu*, res enim vitio furti affecta est, non autem pecunia ex ea redacta, *Zæs. ff. h. t. n. 13.*

III. Secunda conditio requisita ad valorem mutui est, ut dehtur res, quæ in quantitate, hoc est, in numero, pondere aut mensura consistunt, sive quæ numerari, ut pecunia, vel ponderari, ut aurum, argentum, piper &c. vel mensurari, ut frumentum, vinum, oleum, non solùm possunt, sed etiam solent, *princ. Instit. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. Mutui datio, ff. de reb. credit.* Ubi additur, quoniam eorum datione possumus in creditum ire, quia in genere suo functionem recipiunt (id est, permutationem, *Gl. ibid. V. eod.*) per solutionem (magis) quàm per speciem, hoc est, ut explicat *VVesenb. in paratitl. ff. eod. n. 11. & Vultej. c. l.* una, vice alterius, fungitur, ita ut tametsi per solutionem una res pro altera reddatur, quia non idem corpus in specie, sive in individuo redditur, quod mutuo datum est: eo tamen ipso, quòd res ejusdem generis seu speciei, bonitatis, & quantitatis redditur, in effectu, & quoad usum, idem est, ac si eadem numero, sive in individuo res redderetur. v. g. si quis tibi pro urna vini Necarici optimi mutuo data reddat urnam ejusdem vini, hæc urna, quam recipis, fungitur vice ejus, quam tu mutuò dedisti; quia etsi revera sit diversa, hoc est, diversum corpus, sive aliud vinum in individuo, cùm illud, quod datum, fortè jam sit absumptum: quia tamen hoc vinum tantundem valet substantiâ, quantitate, qualitate & usu, tantumque tibi præstat, quantum illud, quod mutuò dedisti, præstare poterat, ideò in effectu non aliud pro alio, sed idem tibi solutum, & redditum censetur. Quare in iis rebus, quæ functionem non recipiunt in eodem genere, hoc est, non possunt facilè reddi, in eadem bonitate & qualitate, non habet locum mutuum, sed vel permutatio, si dominium transferatur, vel commodatum, si usus tantùm concedatur: cujusmodi res sunt equi, oves, & aliæ pecudes; nam licèt hæ sint similes in eodem genere, seu ut Philosophi loquuntur, in eadem specie: ipsa tamen individua bonitate, qualitate & usu differunt, ideóque permutari quidem possunt, si conveniatur, ut alia ovis, alius equus reddatur, non autem propriè mutuo dari, *VVesenbec. c. l.*

IV. Tertiò requiritur ad substantiam & valorem mutui, ut eadem res, non in specie seu individuo: sed in genere, hoc est, ejusdem naturæ, qualitatis, & quantitatis reddatur, *princ. Instit. quib. mod. re contrah. & l. 2. in princ. ff. de reb. cred.* alioquî si convenit, ut idem reddatur in specie, sive individuo idem corpus, aut eadem corpora, vel commodatum erit, ut si quis pecuniam v. g. alteri ad ostentationem vel pompam commodaverit, *l. 3. & l. seq. ff. Commod.* vel depositum, si quis solam pecuniæ custodiam alteri commendaverit, *cit. l. 2. in princ. ff. de reb. cred.* quòd si convenit, ut non idem, sed aliud genus reddatur, v. g. pro tritico vinum, non est mutuum, sed permutatio, vel contractus innominatus, do ut des, *cit. l. 2. in princ.* & ibi *Gl. V. Non erit.* Ratio est, quia si eadem res in specie sive in individuo reddenda esset, inutile foret mutuum, cùm rerum, quæ in pondere, numero & mensura consistunt, & materia sunt mutui, non alius sit usus, nisi abusus, & consumptio, ideóque inutiliter mutuo darentur, si eædem numero reddi deberent, *VVesenb. in parat. ff. de reb. cred. n. 11. Zœsius ibid. n. 17.* Necesse tamen est, ut quando res ejusdem generis redditur, ejusdem quoque sit bonitatis, neque enim satisfieret mutuo, si deterior redderetur, v. g. vinum novum pro vetere, quod intelligendum est de bonitate rei intrinseca, non de extrinseco rei valore, qui pro temporum varietate mutari potest.

V. Quartò requiritur ad mutuum, ut sit gratuitum, juxta illud *Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes*, nam si pretium interveniat, est venditio: si merces, locatio: si lucrum, usura, adeóque peccatum, *Azor tr. de mutuo c. 5. Vers. 4.* Etsi enim pro usu cæterarum rerum, quarum dominium non transfertur in accipientem, titulo locati & conducti merces accipere liceat: illicitum tamen est pro usu pecuniæ creditæ lucrum aliquod sperare, vel accipere, cùm dominium pecuniæ penes creditorem non maneat, sed in debitorem transferatur, neque res aliena alteri, sed domino utilitatem afferre debeat. Et hinc qui vi mutui dari, debitorem ultra sortem, sive id quod dedit, ad usuras solvendas obligat, satis ostendit, se nonnisi spe lucri ex aliena pecunia acquirendi, & cum detrimento debitoris, mutuum dare, quod non solùm est contra justitiam: sed etiam contra charitatem proximi, proficiscitur enim mutuum ex charitate, ut scilicet res ad necessarium usum opportunæ inter homines communicentur, adeóque suâ naturâ, gratuitum esse debet. Atque hinc usuraria pravitas principaliter, & propriè in mutuo committitur, quando ultra sortem aliquid ex mutuo accipitur, ut docent communiter Dd. quamvis ex prava contrahentium intentione, etiam in cæteris contractibus aliquando usura reperiatur, ut constat ex *c. Consuluit; 10. de usur. c. Ad nostram; 5. de empt. & vend. c. Illo; 4. de pignor.* An autem ratione lucri cessantis, & damni emergentis, liceat aliquid ultra sortem accipere, suo loco dicetur.

VI. Cæterùm illud hîc addendum, si pecunia, vel alia res mutuò data, casu fortuito, perierit, & multò magis si culpâ, etiam levissimâ, debitoris seu mutuatarii, hic nihilominùs reddere debet mutuum, ut constat ex *l. Incendium; 11. C. Si certum petat.* & ibi *Gl. V. Incendium.* Ratio est, quia per mutuum dominium rei creditæ transit in accipientem: res autem quælibet, si casu fortuito pereat, domino perit, *l. Pignus; 9. C. De pignor. act.* Excipi debet, nisi debitor ex mutuo, seu mutuatarius obtulerit creditori quod debet, isque sine justa causa accipere recusaverit; nam si post oblationem factam, & recusatam, pecunia credita, vel alia res mutuata, sine culpa debitoris perierit, aut perdita sit, potest debitor contra creditorem, doli mali exceptione se tueri, quandoquidem aliquando interpellatus non solverit, *l. Qui Deum; 32. ff. de solut.* dummodò pecuniam, vel aliam rem mutuatam, opportuno tempore & loco, etiam nudè & citra consignationem, vel depositionem, debitor obtulerit, *Gothofr. ibid. lit. S.* Secus si tempore importuno, vel loco alieno obtulisset, tunc enim periculum non creditoris, sed debitoris erit, *l. Si soluturus; 39. ff. Eodem.* ac proinde eadem species, v. g. frumenti vel vini, quoad quantitatem & qualitatem, cum ea, quæ mutuò accepta est, reddi debet, sive valor aut æstimatio extrinsecùs imposita decreverit, sive aucta fuerit, quia idem frumentum vel vinum est, quando plus, & quando minus valet, *Bart. in l. 3. n. 16. ff. de rebus credit. Zœsius ff. eod. n. 25. Laym. l. 3. tr. 4. c. 15. n. 1.* At verò in pecunia reddenda

denda est eadem quantitas, secundùm valorem seu æstimationem extrinsecùs impositam, quæ fuit tempore contractûs, & numerationis, sive valor extrinsecus pecuniæ postea auctus fuerit, sive decreverit; quia illa quantitas mutuò data est, non corpora, nisi aliter sit conventum, vel nisi, ob moram debitoris, creditor damnum pateretur, *l. Quod te*; 5. *ff. de reb. cred. Zæs. ff. eod. n.* 24.

§. II.

An Ecclesia, vel Prælatus, eius nomine, possit mutuum dare, & an ac quomodo Ecclesia, vel Monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato?

VII. Assertio 1. Si Ecclesia, vel ejus Prælatus habeat reditus Ecclesiasticos abundantes, non prohibetur mutuum dare indigentibus pecuniâ, modò sors, sive summa capitalis assecuretur per pignora, vel fidejussores; quia hoc est opus pietatis & misericordiæ, & Ecclesia ex eo non gravatur, ut docet *Io. Andr. in c. 2. n. 2. h. t. & Abb. ibid. n. ult. Laym. in dis. de rer. Eccles. alienat. Thes.* 102. alioquî verò si proximi necessitas non urgeat, ad bonam administrationem Prælati pertinet, ut res Ecclesiæ augeat, adeóque ut superfluos reditus vendat, pecunias ad emendum expendat &c. sicut hoc ipsum Tutores & Curatores minorum facere jubentur, ut patet ex *l. Ita autem*; 5. *in princ. & l. Tutor qui*; 7. §. *Si post, ff. de administ. & peric. Tut. & l. Tutores*; 24. *C. Eodem. Laym. c. l.*

VIII. Et hinc in *c. Si quorundam*; 2. *h. t.* Gregorius IX. prohibet universis Ecclesiarum Prælatis, ne quis eorum Ecclesiam sibi commissam præsumat gravare pro alienis debitis, sive aliena debita, nomine Ecclesiæ, suscipiendo, (mutuum accipiendo, vel alii dando, vel pro alio fidejubendo, *Gl. hic V. Gravare*) aut litteras vel sigilla tradendo, alicui (id est, litteras sigillatas, per quas concedunt Prælati, ut quis possit pecuniam mutuo accipere, nomine suo, & Ecclesiæ suæ, *Gl. hic V. Litteras*) quibus Ecclesia obligari possit. Quòd si hoc attentatum fuerit à Prælatis, Ecclesiæ ad solutionem talium debitorum non teneantur: adeóque obligatio est irrita (nisi quatenus versum est in utilitatem Ecclesiæ, *Gl. hic V. Non teneri.*) Et is, qui contra prohibitionem hanc facere præsumpserit, ab administratione spiritualium & temporalium est suspensus, (ipso jure, & insuper Ecclesiam ipsam reddere debet indemnem, si in aliquo gravata sit, *Gl. hic V. Suspensum.*)

IX. Porro hæc Constitutio, quatenus infert pœnam, seu censuram, non comprehendit Episcopos, *juxta cl. Periculosum*; 4. *de sentent. excomm. in 6. & Gl. margin. in cit. c. 2. h. t.* & docet *Suar. dis.* 31. *de censur. Sec.* 3. *n.* 2. potest tamen Episcopus, vel alius similem jurisdictionem habens ab ista suspensione absolvere; cùm non sit reservata, & in perpetuum lata, sed indefinitè seu sine definitione certi temporis, & si auctor hujus suspensionis, videlicet Papa eam voluisset esse perpetuam, & irremissibilem, id expressisset, sicut aliàs sæpe solet, *Suar. c. l. & Laym. l. 1. tr. 5. c. 4. n.* 3. Verùntamen non debet Episcopus dispensare in hac suspensione, nisi priùs Ecclesiæ fuerit satisfactum, *juxta c. Cùm olim*; 24. *de V. S. Suar. c. l.*

X. Assertio 2. Si Prælatus, nomine Ecclesiæ, pecunias mutuas accipiat: & in eo potestatis suæ limites excedat, tunc Ecclesia non obligatur plus solvere, quàm quantum inde in Ecclesiæ utilitatem versum fuisse, creditor seu mutuator probaverit, prout habetur in *Auth. hoc jus porrectum in fine C. De SS. Eccles.* & refertur in *c. 2. caus. 10. q. 2.* sed quoad ea, quæ non constiterit in Ecclesiæ utilitatem esse conversa, obligatus est Prælatus, qui Ecclesiæ nomine mutuum accepit, contra quem, ejúsque hæredes creditor agere potest, ut ex communi Dd. sententia docet *Molin. tr. 2. dis.* 300. *n. 2.* post *Covarr. l. 2. resol. c. 17. n. 2.*

XI. Porro tunc Prælatus excedere potestatem suam censetur, si ita mutuò accipiat, ut res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas, quæ servari possunt, ac debent, alienare, vel pignori obligare sit necesse ad debiti solutionem; cùm enim talis res à Prælato & Capitulo alienari non possit directè, sine evidenti Ecclesiæ utilitate, aut necessitate, ut patet ex dictis supra *Tit.* 13. consequenter neque indirectè, occasione accepti mutui, alienari possunt similia bona, ut inde mutuum solvatur, etiamsi intervenerit consensus Prælati, & Capituli simul: nisi constet mutuum in Ecclesiæ utilitatem esse acceptum, & expensum, alioquî enim alienatio horum bonorum fieret à Prælato & Capitulo, sine manifesta necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, *Abb. in c. pen. n.* 4. *de fidejuss. Mol. cit. loc.* Secundò, excedit Prælatus limites suæ potestatis, si quantitas pecuniæ mutuò acceptæ tanta sit, ut ex fructibus seu reditibus suæ mensæ, aut suæ administrationi commissis, solvi non possit: tum enim etiam probare debet mutuator, mutuum in utilitatem Ecclesiæ versum fuisse, *Abb. in c. pen. n.* 5. *Laym. in cit. dis. Thes.* 103. Tertiò, si Prælatus mutuum accepit supra summam ipsi per statutum vel capitulationem definitam, supra quam Ecclesiam, vel mensam suam debitis gravare non possit, ut colligitur ex *cit. c. pen. Barbos. in Collect. ibid. n.* 12. *Laym. c. l.*

Aliud verò, quoad hoc est dicendum de Administratore Civitatis, nam si is cum consensu, aut ex mandato Civitatis, vel Consilii seu Senatûs civici, mutuum accipiat, mutuans non tenetur probare, id conversum esse in Civitatis utilitatem, licèt ad id necesse foret, alienare bona immobilia civitatis; quia Civitas illa alienare potest, etiam sine evidente ejus utilitate, aliâque solennitate, ut docet *Bart. in l. Civitas*; 27. *n. 2. ff. de reb. cred.* Quòd civitas, circa alienationem rerum suarum statuere potest, sicut vult, *Abb. in cit. c. pen. n.* 5. *Mol. c. l. n.* 5. quia Civitas liberam facultatem habet distrahendi bona sua.

XII. Assertio 3. Si Prælatus, nomine Ecclesiæ, pecunias mutuas accipiat, secundùm limites facultatis, seu administrationis suæ, quia nimirum, vel cum consensu Capituli, tantam summam mutuò accepit, ad cujus solutionem sufficiunt reditus, & alia bona mobilia non pretiosa Ecclesiæ: vel si Prælatus solus, etiam sine Capituli consensu, quando is non requiritur, mutuò accepit: hoc casu, obligatur Ecclesia, etiamsi à mutuatore probatum non fuerit, pecunias reipsa versas fuisse in utilitatem Ecclesiæ; sed satis est, si creditor sed mutuator

tuator ostenderit, ex voluntate Prælati, & Capituli, pecunias illas mutuò acceptas fuisse pro Ecclesia, seu ob utilitatem, vel necessitatem ejusdem: idque procedit, sive Prælatus, qui mutuum accepit, adhuc superstes sit, sive jam decesserit, ut docet *Abb. in c. 1. n. 2. h. t. & cit. c. pen. n. 5. & 6. de fidejuss. Mol. cit. disp. n. 5. Laym. in cit. disp. n. 104.* Ratio est, quia Prælatus vel solus, vel in quibusdam casibus, unâ cum Capitulo, liberam administrationem bonorum mobilium non pretiosarum habet, adeóque etiam facultatem accipiendi mutuum ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, & eandem obligandi: ergo satis erit, si hoc ipsum ostendatur, exhibendo v. g. Instrumentum Authenticum, in quo hoc scriptum contineatur, nempe pro hac, vel illa necessitate Ecclesiæ, pecunias mutuas fuisse acceptas, vel alias conjecturas afferendo, ex quibus id probabiliter colligi possit, videlicet quòd Ecclesia eo tempore, pecuniis indiguerit, vel circa id tempus novum ædificium extructum fuerit, vel prædium Ecclesiæ emptum &c. juxta ea, quæ tradit *Menoch. de arbitr. jud. casu 432. n. 33. & seqq.*

XIII. Idque probatur etiam ex *c. 1. h. t.* Ubi ad hoc, ut Successor Prælatus teneatur debita Antecessoris solvere, solùm exigitur, ut pro necessitate Ecclesiæ contracta fuerint: ergo satis est probare, quòd propter imminentem aliquam necessitatem Ecclesiæ, pecuniæ sint mutuò acceptæ, licèt non probetur, ad eam ipsam necessitatem illas expensas esse; talis enim probatio difficilis foret, ideóque non facilè invenirentur, qui Ecclesiis, earúmque Prælatis, in casu necessitatis mutuum dare vellent, id quod in Ecclesiarum detrimentum redundaret, *Abb. in cit. c. pen. n. 7. de fidejuss.* in quo dicitur: Si Religiosus, sine licentia sui Abbatis, & majoris partis Capituli, pecuniam mutuam ab aliquo accipiat ultra summam, communi providentiâ, constitutam, Monasterium non obligari, nisi constet in utilitatem ejusdem versam fuisse, tunc enim agitur actione de in rem verso, ut ait *Gl. ibid. V. In utilitatem*: Ex quo per sensum contrarium infertur, si Religiosus, cum requisita licentiâ Prælati, & Conventûs, vel etiam solius Prælati, quando is talem licentiam dare potest, pecuniam mutuam accepit, mutuator non cogatur probare, eam in utilitatem ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii versam fuisse, ut notat etiam *Gl. ibid. V. In utilitatem.* Ergo multò magis idem dicendum erit, si Prælatus, cum consensu Capituli, vel etiam solus, in casibus, in quibus id ei concessum est, mutuam pecuniam acceperit; cùm ipsi plena & libera fructuum administratio sit concessa, *Abb. c. l. n. 5. Molin. cit. disp. n. 8. contra Covarr. loc. cit.*

Non obstat *Auth. hoc jus porrectum in fine C. de SS. Eccles.* Nam in illa continetur casus specialis, quando res Ecclesiæ immobilis data est in solutum creditori, cùm neque res mobiles ad dissolvendum debitum adessent: neque alius emptor reperiretur, hoc enim casu, creditor probare debet, pecuniam, quam credidit, in Ecclesiæ utilitatem versam fuisse; quia talis alienatio rei immobilis invalida est, nisi constet cum Ecclesiæ utilitate illam factam esse, *Gl. fin. ibid.* Alii explicant dictam Authent. quòd loquatur de eo casu, quo ad solutionem debiti necesse est, alienare bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa: non autem quando sufficiunt reditus, & alia bona mobilia. *Abb. in cit. c. pen. n. 7. de fidejuss. Molin. cit. loc. n. 8.* Aliud est si Administrator Civitatis mutuum accepit ejus nomine, sine mandato vel consensu Civitatis, tunc enim non satis est, si mutuator probet se mutuum accepisse ad sublevandam necessitatem Civitatis: sed opus est, ut probet mutuum in utilitatem Civitatis versum fuisse: *l. Civitas; 27. ff. De reb. cred. junct. l. 1. C. de solut. & liber. debit. Civit.* Nam hujus ratio est, quia Administrator non habet ita generalem & liberam ac independentem à Civitate, vel ejus Senatu, administrationem pecuniarum, & aliarum rerum mobilium non pretiosarum, sicut habet Prælatus Ecclesiæ, qui etiam sine consensu Capituli, in pluribus casibus, mutuum accipere potest, & ideo ipse, vel ejus creditori non debet imponi onus probandi, mutuum versum fuisse in utilitatem Ecclesiæ, *Abb. in cit. c. pen. n. 6. Mol. cit. loc.*

XIV. Cæterùm quando supra dictum est, si ad solutionem mutui necessarium sit bona immobilia, aut mobilia pretiosa vendere, aut in solutum dare, tunc creditor debeat probare pecunias in utilitatem Ecclesiæ fuisse versas: Id indubitatè verum est, si tempore accepti mutui, jam apparebat, non posse eam pecuniæ mutuò acceptæ quantitatem solvi sine alienatione talium bonorum, ut constat ex *cit. Auth. hoc jus porrectum*, etiamsi Prælatus & Capitulum simul mutuum illud acceperint, ut docet *Abb. in cit. c. pen. n. 4. de fidejuss.* quia non sufficit, si Prælatus & Capitulum hoc ipsum fateantur, cùm juxta regulam communiter receptam, confessio partis non sufficiat in eo casu, quo agitur de jure, cui ipsa renunciare, seu præjudicare non potest, *Laym. in cit. disp. Canon. Thesi 105.* Quòd si verò tempore accepti mutui nondum apparebat, solutionem non posse fieri, sine alienatione bonorum immobilium Ecclesiæ, vel mobilium rerum pretiosarum: hoc casu, si Prælatus & Capitulum expressè, vel tacitè profiteantur, se pro utilitate Ecclesiæ pecunias mutuas accipere, cùm talem facultatem jure concessam habeant, satis erit, si creditor id ipsum ostendat, neque necessarium erit demonstrare, quòd pecuniæ in utilitatem Ecclesiæ versæ fuerint: etiamsi postea appareat, necessarium esse, ad dissolvendum debitum mutuò acceptum, rem Ecclesiæ immobilem vendere, aut in solutum dare, ut ex Georgio Everhardo *Tom. 1. caus. 36. n. 11.* tradit *Laym. cit. Thes. 105.* Ratio est, quia talis alienatio non ad debiti obligationem, quæ ab initio tenuisse præsumitur; sed potiùs ad executionis eventum spectat, quæ in tali casu necessaria est, & jure permissa, *juxta cit. Auth. hoc jus porrectum in princ.*

XV. Assertio 4. Si mutuum, nomine Ecclesiæ, acceptum sit ab aliquo particulari de Ecclesia, v. g. Canonico, vel Monacho, tunc vel definita est illi certa quantitas, seu summa, quam possit mutuò accipere, vel non. Priore casu, vel intra definitam summam is mutuum accepit, & tenetur Ecclesia id solvere, licèt non ostendatur in ejusdem utilitatem conversum esse, ut apertè colligitur ex *cit. c. pen. de fidejuss.* quia ipsi Ecclesiæ censetur esse mutuò datum, modò ad solutionem debiti, non sit necesse alienare bona immobilia Ecclesiæ, vel mobilia pretiosa, juxta supra dicta. Vel summam constitutam excessit mutuatarius, & Ecclesia non tenetur quoad excessum, nisi quatenus constiterit id in ipsius utilitatem esse conversum, adeóque creditori onus probandi incumbit conversionem esse

esse factam. Idémque dicendum posteriore casu, si nulla certa summa sit decreta, ad mutuò accipiendum, *Molin. cit. disp.* 300. *n.* 9.

XVI. Notandum hîc prætereà primò. In proposito id dicitur conversum in Ecclesiæ utilitatem, quod in eam causam expensum est, in quam Ecclesia de suis bonis tantundem insumptura fuisset, *arg. l. In pupillo* 3 47. §. *Planè* 3 *ff. de solut.* sed etsi Administrator Ecclesiæ sumptus, quos Ecclesia factura non fuisset, prudenter, & rationabiliter fecit ex mutuo accepto, Ecclesia ad totum solvendum tenetur, licèt eventus non fuerit secutus, sive sumptus ob inopinatum eventum, non cesserint in commodum Ecclesiæ, quia v. g. res, in quam expensæ factæ sunt, casu perijt, ut apertè colligitur ex *l. Sed an ultra* 3 10. §. *Is autem* 3 *ff. de negot. gest.* Idque præsertim verum est, si is, qui sumptus tales fecit, facultatem habuit mutuò accipiendi, sed non limitatam. Si verò quod mutuò acceptum est, irrationabiliter, & imprudenter fuit expensum, v. g. in pompas, vel in picturas superfluas, tunc solùm obligatur Ecclesia solvere, quantum inde locupletior facta est. Quòd si plus utilitatis Ecclesia inde percepit, quàm fuerit summa mutuò accepta, non plus tamen tenetur solvere, quàm quantum mutuò accepit, *Abb. in cit. c. pen. num.* 8. *& 9. de fidejuss. Molin. cit. disp. num.* 10 Idémque quoad hoc dicendum de Civitate.

Notandum secundò. Hoc specialiter statutum est in mutuo dato Ecclesiæ, quòd mutuator probare debeat, mutuum in utilitatem ejus versum esse: non verò in alijs contractibus cum Ecclesia initis, utsi v. g. aliquis vendat rem Ecclesiæ, vel ab illa emat, non tenetur probare rem venditam, vel pretium solutum in ejus utilitatem versum esse, quia id jure cautum non reperitur. Ratio specialis hujus dispositionis in mutuo est, quia Prælati, & Administratores bonorum Ecclesiasticorum solent faciles, & proni esse ad mutuum accipiendum, & fœnetatores ad illud dandum, ideóque ne inde Ecclesia damnum pateretur in bonis suis, meritò statutum fuit, ne ex mutuo obligarentur, nisi à mutuantibus probatum fuerit, illud versum fuisse in ejusdem utilitatem, *Abb. in c.* 1, *n.* 9. *De deposito. Molin. cit. disp. n.* 11. Limitant nonnulli in venditione facta pro solvendis debitis Ecclesiæ, tunc enim emptor probare tenetur pretium ad solvenda debita cessisse, *Riccius in praxi alien. rer Eccles. resolut.* 2. *num.* 2. & alij apud *Bartol. in cit. c. pen. n.* 16 *de fidejuss.* Excipiunt nonnulli etiam depositum, in quo volunt requiri, ut probetur conversio in utilitatem Ecclesiæ, *Barbos. in cit. c. pen. num.* 10. sed oppositum dictum supra *Tit.* 16. *n.* 13.

Notandum tertiò. Quando Ecclesia mero jure ex mutuo accepto obligatur, etiamsi mutuans non probet, pecuniam mutuatam in ejus utilitatem versam fuisse, potest petere restitutionem in integrum, si probare velit, læsionem, sive pecunias in utilitatem suam non fuisse conversas, *Covarruv. cit. c.* 17. *n.* 3. *in fine*, & alij apud *Barbos. in cit. c. pen. n.* 14. *de fidejuss.*

§. III.

An Successor in Prælatura, aut Beneficio teneatur solvere debita ab Antecessore suo contracta?

XVII. Assertio 1. Successor tenetur ex bonis, & reditibus Ecclesiæ solvere debita, quæ ab antecessore facta fuerunt pro Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, prout rescripsit Papa Alexander III. *in c. Ad hoc* 3 1. *h. t.* ubi ait: sicut filius (si sit etiam hæres, » *Gl. hîc V. Filius*; debita patris solvere tenetur: ita » Prælatus sui prædecessoris pro Ecclesiæ necessitate » contracta, vel etiam pro ejusdem utilitate, ut addit, *Barbos. in Collect. hîc in summa, & alij.* Ratio est, quia successor Prælatus, vel alius Rector Ecclesiæ, est quasi hæres sui antecessoris, cui in Prælatura, vel Beneficio succedit, *Gl. hîc V. Prædecessoris*: Sicut ergo hæres succedit in universum jus defuncti, tam quoad jura, & commoda: quàm quoad onera, & debita, seu obligationes, *l. Hæreditas* 3 62. *ff. de R. I.* ita & Prælatus, seu Rector Ecclesiæ succedit in universum Jus Ecclesiæ, c. *Relatum* 3 12. *de testam.* ideóque etiam debita, quæ is pro Ecclesia, seu in commodum ejusdem contraxit, solvere tenetur. Est tamen discrimen inter filium, seu alium hæredem, & Prælatum successorem, quia hæres accipit, sive consequitur Jus successionis à defuncto, ideóque obligatur ad omnia debita defuncti solvenda, saltem secundùm vires hæreditatis, *C.* 1. *de testam.* si inventarium fecit, *l. ult. C. De Jure deliberat. Gl. hîc V. Debita.* At verò Prælatus, & quilibet Beneficiarius jus successionis consequitur, non à defuncto antecessore, sed à Superiore, qui illum in Prælatura, vel Beneficio instituit, ideóque non tenetur ad omnia debita antecessoris solvenda, sed ad ea tantùm, quæ is nomine Ecclesiæ, sive pro necessitate, aut utilitate ejusdem contraxit, ut colligitur ex *cit c.* 1. *h. t.* per sensum contrarium, *Gl. fin. ibid. & Abb. num.* 1.

XVIII. Assertio 2. Successor solvere debet non tantùm illa debita, quæ ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ, sed etiam quæ pro necessaria, ac decente sustentatione personæ sui antecessoris sunt contracta, ea enim ex reditibus Ecclesiasticis Prælaturæ, vel Beneficij, in quo succedit, dissolvi debent, quia pro necessitate Ecclesiæ videntur contracta, cùm Ecclesia teneatur Prælatum, vel Rectorem suum alere, & sustentare, etiamsi is bona patrimonialia habeat, *Abb. in cit. c.* 1. *num.* 2. *h. t.* ubi addit, quòd successor tenetur solvere etiam debita, quæ antecessor in infirmitate contraxit, ex qua decessit, *Barb. in cit. c.* 1. *num.* 3. *Laym. in cit. disp. de alien. rer. Eccles. Thes* 107.

XIX. Assertio 3. Si Prælatus, Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius defunctus nullos Ecclesiasticos reditus reliquit, tum distinctione opus est. Vel enim habuit sufficientes reditus ab Ecclesia ipsi assignatos, vel non. Si prius, tum debita ab ipso etiam propter necessitatem, v. g. infirmitatem contracta, ex patrimonialibus ejus bonis solvi debent, *arg. c. Ex præsentium* 3 3. *de pignorib.* Si posterius, quia scilicet sufficien-

cientes reditus Ecclesiasticos non habuit, tum iterum distinguendum est; vel enim, præter opinionem, & ob causam accidentariam id evenit, v. g. ob fructuum unius, aut plurium annorum sterilitatem, vel ob hostium incursiones: & tunc successor in Beneficio obligandus erit, ut ex futuris reditibus Beneficij debita à defuncto contracta solvat, dummodò tale onus sustinere possit, ut tradit *Abb. in cit. c. 3. n. 5. supr. de pign. Paris. l. 1. de resign. Benef. q. 16. n. 51.* vel Beneficiarius ab initio scivit tenuitatem redituum, & nihilominus Beneficium acceptavit: hoc casu, quia ipsi imputari meritò potest, quòd tam tenue Beneficium acceptavit, ita ut suâ industriâ, vel ex patrimonio vivere debeat, ideò hæredes ex proprijs, seu patrimonialjbus bonis defuncti debita ipsius dissolvere debent. *Abb. c. l. n. 6.* & sumitur ex *l. Si pro re* 10. *junct. Gl. V. Cœpisse C. Mandat; Laym. cit. Thes.* 107.

XX. Assertio 4. Si Beneficiarius nec reditus Ecclesiasticos, nec bona patrimonialia reliquit, tunc expensas necessarias, v. g. factas in infirmitate, vel funeris causâ, Ecclesia, aut successor in Beneficio solvere debet, *arg. c. 1. h. t.* & tradit *Abb. in cit c. 3. n. 5. de pignor,* Ratio est, quia quod pro necessitate personæ, videlicet Prælati, Rectoris, vel alterius Beneficiarij expenditur, id pro ipsa Ecclesia, vel Beneficio expensum esse, censendum est, propter unionem, quæ est inter Prælatum, & Ecclesiam, Rectorem, aut Beneficiarium, & Beneficium. Quare tale onus, sive obligatio realis cuilibet Beneficio imposita esse censeri debet, ita ut ad successorem in Beneficio tranſeat, dummodò is hoc onus ferre possit, alioquî enim ad Episcopum spectat, aliunde providere, & subsidium adferre, *Laym. c. l.*

XXI. Illud hîc addendum, si Prælatus, Rector Ecclesiæ, vel quivis alius Beneficiarius, qui debita contraxit propter sustentationem personæ suæ, non habeat alia bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia, tunc reditus ejus Ecclesiastici in arresto ponuntur, & creditori assignantur, ut eos percipiat, donec debitum sit solutum, ut tradit *Abb. in c. 2. n. 3. & num. 12. supr. de fide jus. Laym. in cit. dis. num.* 106. Et quidem hoc casu, Ecclesia indulget Clerico tanquam pauperi, ob honorem etiam Clericalis Ordinis, ut omnia ejus debita, sive adhuc vivat: sive post mortem illius, ex reditibus Ecclesiasticis solvantur. Si verò patrimonialia bona habeat, tum debita solvenda sunt ex reditibus Ecclesiasticis, secundùm eam tantùm quantitatem, quam competens, & decens ejus sustentatio requirit, reliquum verò debitorum ex bonis patrimonialibus solvendum est, ac proinde ea pars redituum beneficialium quæ honestæ, ac decenti sustentationi Beneficiarij supereſt, reservari debet, ut ad pias causas applicetur, *Laym. c. l.*

§. IV.

De Beneficio, seu privilegio competentiæ, quod datur Clericis debitoribus, qui non sunt solvendo.

XXII. Quæritur 1. Quale beneficium, sive privilegum competat Clericis, qui non sunt solvendo. Respond. Clericus, ob debita civilia, si ea propter inopiam solvere non possit, in totum, vel pro parte, non debet excommunicari: nec incarcerari, vel aliter molestari: sed neque ad cessionem bonorum compelli: neque conveniri potest à creditoribus suis, nisi in quantum facere potest, deductis scilicet alimentis, ne egeat: dummodò idoneam cautionem præstet, quòd solvere velit, si ad meliorem fortunam pervenerit. Ita *Gl. Abb.* & alij Canonistæ communiter, *in c. Odoardus; 3. h. t. Covarruv. lib. 2. resol. c. 1. num. 9. Menoch. de arbitrar. Judic. casu 183. num. 29. & 30. Farinac. p. 1. quæst. 27. num. 65. & seqq. Barbos. l. 1. jur. Eccles. c. 39. §. 6.* Idque statutum habetur *in cit. c. 3. h. t.* ubi Odoardus Clericus conventus fuit à creditoribua suis super quibusdam debitis pecuniarijs coram Officiali, seu Vicario Archidiaconi Rhemensis: is verò debitum confessus, dixit propter inopiam sse solvere non posse: nihilominus tamen eum Officialis excommunicavit. Hac re delatâ ad Papam Gregorium IX. Is mandavit certis à se delegatis, ut si constitetit, quòd prædictus Odoardus, sive in totum, sive ex parte, non possit debita solvere, ut sententiam excommunicationis, sine difficultate relaxent, receptâ priùs ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita illa persolvat. Ratio hujus decisionis est, quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, *Nam is; 6. ff. De dolo, & c. Olim. 16. de restit. spoliat.* & qui nihil habet, nihil dare potest, *Gl. hic V. Valentem.*

XXIII. Pro declaratione hujus c. notandum primò. Clericus propter debitum civile, si contumaciter recuset solvere, potest excommunicari, etsi non debeat propterea in carcerem detrudi, ut notat *Abb. in cit. c. Odoardus n. 2. & 3.* Quamvis hodie juxta Concil. Tridentinum *Sess. 25. cap. 3. de refor.* debitores debeant primò in carcerem conijci, & in subsidium excommunicari; quia non potest hodie recurri ad remedium censurarum, nisi ubi executio realis, vel personalis fieri non potest, *Fagnan. hîc n. 4.*

Notandum secundò. Sententia excommunicationis lata contra debitorem, qui notoriè non est solvendo, est ipso jure nullla, etiam in foro externo; nemo excommunicari nemo potest, nisi ob inobedientiam, & contumaciam, contumax autem in solutione esse non potest debitor, qui solvere non potest, cum impossibilium nulla sit obligatio, *Reg. 18. in ff.* Secus est, si de inopia evidenter non constet, tunc enim sententia tenet, propter dubium: sed veritate compertâ, relaxari debet, ut in casu *cit. c. Odoardus*, ubi non plenè constitit Officiali, an allegatio inopiæ vera sit, nec ne, *Gl. ibid. V. Non valentem, & Abb. n. 9. Fagnan. n. 11.*

Notandum tertiò. Quod supra dictum est, Clericum ob debitum civile non posse incarcerari: id limitari debet, nisi dolosè egerit & creditorem deceperit, quia v. g. finxit se esse Laicum: vel quia abscondit bona sua, ne ex ijs solveretur debitum: vel quia coram Judice falsò negavit debitum; tunc enim detrudi potest in

in carcerem, non præcisè propter debitum civile, sed propter dolum, & crimen, commissum; ut tradit *Molin. tr. 2. de justit. disp. 571. n. 11.*

Deinde limitatur; nisi Clericus debitor suspectus sit de fuga, tunc enim auctoritate Judicis Ecclesiastici, per ministros laicos capi potest, & in carcerem conjici, donec integrum debitum solvat, vel de eo solvendo sufficientem, & idoneam cautionem præstet: Imò etiam ab ipso creditore, per se, vel per alium capi potest debitor Clericus, si in actuali fuga sit, & captus deduci debet ad suum Judicem; *Covarr. cit. c. 1. n. 9. Molin. cit. disp. num. 22. Barbos. in cit. c. 3. nu. 10.*

XXIV. Notandū quartò. Clericus debitor, qui solvendo non est, non potest cogi ad cessionē bonorum, ut evitet carcerem, prout colligitur ex *cit. c. Odoardus*; nam si Clericus ille cessisset bonis, non fuisset excomunicandus, & Papa de hoc mentionem fecisset, nec mādasset, ut priùs reciperetur ab eo cautio de solvendo, sed ut cederet bonis; *Abb. ibid. n. 8.* aliàs verò spectato Jure communi, si debitor sit in mora solvendi; postquam confessus est debitum, extra judicium, vel in judicio, vel à Judice condemnatus est ad solvendum per sententiam, quæ transijt in rem judicatam; potest fieri executio in bonis illius, *l. pen. & ult. ff. de cessione bonor.* Quòd si ex ijs integra solutio debiti obtineri non possit, creditore petente, in carcerem conjici potest, nisi bonis cedere velit debitor, juxta *l. 1. C. qui bon. ced. pos.* cessione verò factâ, debitori auferuntur omnia ejus bona, & jura ad quæcúnque debita, vel bona competentia, eáque creditoribus addicuntur, & traduntur, præter viles vestes, quibus se contegat: & tunc liberatur à carcere, & interim dum non efficitur solvendo molestari à creditoribus non potest: etiamsi bona, quibus cessit, non sufficiant ad solutionem debitorum, *l. Is qui 5. 4. §. Sabinus ff. de ces. bon. & l. 1. C. qui bon. ced. pos. Molin. disp. 572. num. 1. 6. & 9.* manet tamen obligatus debitor, ut si ad pinguiorem fortunam postea devenerit, reliquum solvere debeat, sed nonnisi quatenùs commodè facere potest, habitâ ratione, ne egeat, *cit. l. Is qui 5. 4. in princ. & l. Qui bonis 5. 6. ff. de ces. bon.* idque locum habet etiam in foro conscientiæ, *Molin. c. l. num. 9.* Verùm Clericus, etiamsi solvendo non sit, sive in totum, sive ex parte; non tamen compelli potest ad cessionem bonorum, siquidem etiamsi bonis non cedat, in carcerem conjici non potest ob debita civilia, juxta *cit. c. Odoardus*: & insuper Clericus eo gaudet privilegio, ut postquam condemnatus est ad solvendum per sententiam, vel postquam debitum confessus est, si in mora solvendi existat, executio quidem fieri possit in reditibus, ac bonis ejus, ita ut assignentur ea creditoribus, donec debito sit satisfactum; non tamen potest privari omnibus bonis suis: sed relinqui ei debet portio, ex qua se honestè sustentare valeat, ne egeat; vel cum probro Ordinis Clericalis mendicare cogatur, ut colligitur ex *c. 2. De fide jus.* & ex communi tradit, *Abb. in cit. c. Odoardus num. 8. & Molin. cit. disp. 571. nu. 19.* nam si miles sæcularis, qui in expeditione bellica versatur, hoc privilegium habet, ut non teneatur cedere bonis, neque creditoribus plus solvere cogatur, quàm quantum facere potest; ne egeat, *l. Miles 5. 6. in princ. ff. de re judic.* adeo ut illud privilegium etiam concessum sit quasi militibus, videlicet advocatis, & patronis causarum: multò magis idem privilegium concessum erit militibus sacris, seu militiæ cælestis; hoc est, Clericis, & tradit *Gl. in cit. l. 6. V. Facere potest, & Bartol. ibid.* præsertim cùm hoc beneficium multis alijs personis privilegiatis competat, ut parentibus, patronis, eorúmque libertis, marito, uxori, socero, socio bonorum, vel negotiationis alicujus &c. ut conveniri non possint, nisi quatenus commodè solvere possunt, deductis alimentis, *l. Sunt qui 5. 16. & seqq. ff. de re judic.* consentit *Reg. jur. 173. in ff.* In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, condemnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant: esset enim inhumanum spoliatum fortunis suis in solidum damnari, ut dicitur in *§. ult. Instit. de action.*

Porrò Clericus, cui semel concessum est beneficium hoc *cit. c. Odoardus*: & posteà factus locupletior, si rursus in paupertatem incidat, iterum frui potest hoc beneficio, sicut etiam cessio bonorum reiterari potest, *Barbos. l. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 6. n. 13. Fagn. in cit. c. 3. n. 64. h. t.*

XXV. Quæritur secundò. Quænam requirantur, ut Clericus debitor fruatur beneficio hujus *c. Odoardus.* Resp. Inprimis requiritur, ut sit Clericus; nam hoc beneficium competit solis Clericis, qui in Sacris constituti, vel etiam in minoribus Ordinibus, aut saltem primâ tonsurâ initiati sunt, dummodò incedant in habitu Clericali, cum tonsura, & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviant, vel in studijs versentur, prout requirit Concil. Trident. *Sess. 23. c. 6. de reform.* & docet *Covarr. cit. c. 1. n. 9. Molin. cit. disp. 571. num. 20. Menoch. c. l. num. 30. in fine.* Aliqui tamen Dd. quos sequitur *Fagnan. in cit. c. Odoardus num. 24. & 25. h. t.* probabiliter tenent; quòd Clericus in minoribus constitutus, vel habens primam tonsuram, modò non abjecto Clericali habitu, se publicè pro Laico gerat, gaudeat hoc beneficio competentiæ, licèt nec beneficium Ecclesiasticum habeat, nec Ecclesiæ alicui inserviat; quia Concilium Tridentinum *c. l.* ademit solùm Clericis non habentibus requisita ibi præscripta, privilegium fori, non item cætera privilegia, ut Canonis, exemptionis à vectigalibus, & similia: ut sæpiùs declaravit S. Congregatio Concilij, teste eodem. Unde licèt hujusmodi Clerici possint conveniri coram Judice Laico, & ab eodem puniri: possunt tamen etiam puniri ab Episcopo, & est locus prævention, *Fagnan. c. l.* De Clericis verò conjugatis omnes conveniunt, quòd licèt gaudeant privilegio fori, & Canonis, si cum unica virgine contraxerunt; & habitum, ac tonsuram Clericalem gerant: tamen etiam ante Concilium Tridentinum non gaudebant cæteris privilegijs Clericalibus, ut constat ex *c. unic. de Clericor. Conjug. in 6.* & consequenter neque privilegio dicti *c. Odoardus, Molin. c. l. & Fagnan. num. 13.*

Secundò. Requiritur, ut debitor propter inopiam solvere nequeat, sive in totum, sive pro parte, ut patet ex *cit. c. Odoardus*. Et hinc licèt aliàs regularitet, si debitum sit liquidum, non admittatur solutio particularis, creditore invito, *l. Quidam* 3 21. *junct. Gl. V. Ad accipiendum*; *ff. de reb. cred.* Si tamen debitor ad totum solvendum sit impotens, cogitur creditor partem, quam potest solvere, recipere, *Imol hic n.* 11. *& Fagnan. n.* 29. Veruntamen, si creditor pauperior esset ipso debitore Clerico, tunc non posset hic uti privilegio; *cit. c. Odoardus* contra illum, *Barb. in Collect. hic n.* 7. *& Fagn. n.* 30. quia privilegiatus non utitur privilegio contra privilegiatum, *l. Verùm*; 11. §. *Item quæritur*; *ff. de minor.* Excipe, nisi creditor pauperior, non ex onerosa, sed ex lucrativa tantùm causa esset creditor, v. g. ex donatione, *Barbos. cit. c.* 39. §. 6. *num.* 30.

Tertiò. Requiritur, ut de inopia, ob quam debitor non est solvendo, constet, ut patet ex *cit. c.* 3. ibi: *Si constiterit*, ideóque illam probare tenetur, saltem summariè, & præsumptivè ex fama, vel communi hominum æstimatione, aut redituum suorum tenuitate, *Barbos. hic nu.* 3. *& Fagn. n.* 31.

XXVI. Quartò requiritur, secundùm aliquos Dd. ut debitor Clericus non sit ad inopiam, & impotentiam solvendi redactus, propriâ culpâ, nam si prohibitis ludis, vel luxuriosè vivendo dissipavit bona, ac reditus suos, non fruetur hoc beneficio competentiæ, *Barb. in cit. c.* 3. *n.* 21. Contrarium tamen, quòd nihilominùs uti possit hoc beneficio, videtur tenere *Hostiens. hic V. Debitis*; *& Ioan. Andr. n.* 1. *Fagnan. n.* 43. Et simile est in Clerico, qui propriâ culpâ incidit in morbum, cui non propterea subtrahuntur emolumenta Clericis inservientibus divinis debita. Veruntamen si Clericus debitor non sit solvendo ob dolum commissum, non gaudet hoc beneficio, ut si debita contraxit, spe fruendi hoc beneficio, vel bona dissipavit in fraudem creditorum, vel alienavit, pendente lite super debito principali, *Barb. in cit. c.* 3. *n.* 17. *& 18. Fagn. ibid. n.* 44. *& 2. seqq.*

Quintò requiritur. Ut Clericus conveniatur ratione debiti in causa civili, prout sumitur ex *cit. c. Odoardus ibi: super quibusdam debitis*. sive quadam quantitate pecuniæ, *Gl. ibid. In casu*: Secùs est, si sit debitum ex delicto, tunc enim capi, & incarcerari potest, nec frui potest hoc beneficio, *Barb. hic n.* 15. *Fagnan. n.* 47. Quare axioma illud, *Qui non habet in ære, luat in corpore*, *l. Si quis*; 7. §. *In servos*; *ff. de jurisd. l. fin ff. de in jus vocand.* locum non habet in obligationibus, quæ ex contractu nascuntur: sed quæ ex delicto descendunt, sive delictum sit publicum, sive privatum, in quo pœna pecuniaria, quæ de jure infligenda foret, in corporalem commutatur, propter inopiam Rei, *l.* 1. §. *fin ff. de pœnis, c. Finem*; 5. *De dolo, & contum.* ne delicta maneant impunita, *Henric. Canis. in cit. c. Odoardus*; *n.* 7. *h. t.* Ubi tamen distinguendum est, vel enim convenitur debitor, qui non est solvendo, civiliter ad præstandum interesse: & non potest pœna pecuniaria commutari in corporalem, sed differri debet executio, donec debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, *cit. c. Odoardus*, *& c. Olim*; 16. *de restit. spol.* Vel ex delicto agitur criminaliter contra debitorem ad pœnam: & tunc vel pœna illa applicanda est parti, sive actori, ut in furto, & non potest pœna pecuniaria commutari in corporalem, nisi actore consentiente, *arg. c. Fraternitatis*; 11. *caus.* 12. *q.* 2. quia actoris tantùm interest, qui fortasse mavult exspectare, donec reus sit solvendo. Vel agitur ex delicto, ad pœnam applicandam fisco, & tunc potest pœna pecuniaria converti in corporalem, etiam accusatore invito; quia agitur tantùm causa fisci, *Abb. in cit. c. Odoardus*; *num.* 5. *post Hostiens. & Ioan. Andr. ibid.* Porro postquam pœna pecuniaria semel in corporalem est commutata, ipso jure liberatur reus ab obligatione solvendi pœnam pecuniariam, etiamsi posteà ditior fiat; cùm corporalis pœna successerit in locum pecuniariæ, *l. Sed si*; 17. *ff. de injurijs c.* 1. *caus.* 14. *q.* 6. *Canis. in cit. c. Odoardus n.* 9. *Fagn. ibid. n.* 51.

XXVII. Sextò requiritur, ut Clericus conveniatur actione personali; nam conventus actione reali, non potest uti hoc beneficio, quod personale est, *Barb. hic n.* 20. *Fagna. nu.* 52. Similiter si conveniatur ratione depositi Clericus, quod penes se habet, non potest opponere hoc privilegium, *Barb. in cit. c.* 3. *n.* 13. *Fagnan. hic n* 54.

Septimò. Requiritur, ut recognoscat debitum, id est, confiteatur, ut patet ex *cit. c. Odoardus*, *juxta Gl. V. recognoscentem*, nam si Clericus debitor cedat bonis, priùsquàm debitum confiteatur extra Judicium, vel in judicio, vel ad solvendum condemnetur, non debet audiri, *l. pen. ff. de cess. bon.* & ibi: *Gothofr. lit. Z. Gl. cit.* Ratio est, quia cùm cedendo bonis non extinguatur obligatio: sed tantùm exactio differatur, si ante cessionem non constet de debito, posset creditori perire copia probationis propter mortem, vel absentiam testium, ita, ut cùm debitor factus esset solvendo, debitum probari non posset, ideóque ante cessionem de debito constare debet, *Abb. in cit. c. Odoardus num.* 7, multò magis verò Clericus debitor non gaudet hoc privilegio, si debitum pertinaciter neget, & postea de illo legitimè fuerit convictus, *Barb. c. l. n.* 11. *Fagn. hic n.* 57.

Octavo requiritur. Ut Clericus debitor, qui solvendo non est, præstet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit, ut patet ex *cit. c. Odoardus*: cùm enim inopia, & impotentia solvendi non extinguat substantiam obligationis: sed suspendat tantùm illius effectum, in tempus melioris fortunæ, & ita civilis, & naturalis obligatio maneat, licèt inefficax, durante inopiâ, *l.* 1. *C. qui bon. cess. poss.* ideò cessante inopiâ, solvere debet, in quantum facere potest, *l. Is qui*; 4. *ff. de cess. bon.* sufficit autem præstare cautionem juratoriam, jurando se soluturum, si ad pinguiorem fortunam pervenerit; quia communiter qui non est solvendo, aliam per pignora scilicet, vel fidejussores præstare non potest, *Gl. ibid. V. Idonea Hostiens. & Io. Andr. n.* 7. *arg. l. Per vestras*; *de donat. inter vir. & uxor.* Sunt & alii præterea casus excepti, in quibus hoc beneficium non competit Clerico debitori, qui legi possunt apud *Barb. in cit. c.* 3. *h. t.*

XXVIII. Quæritur tertiò. An Clericus possit dicto beneficio renunciare, ita ut quamvis in mora solvendi sit, non possit propter debita conjici in carcerem, nec conveniri, ultra quàm commodè solvere potest, non relictâ ipsi congruâ sustentatione? Resp. primò. Verius est, non posse renunciare, ut ex com-

communiore sententia docet *Molin. cit. disput. 571. n. 25. Barb. in cit. c. Odoardus n. 24. Fagnan. ibid. n. 70.* Ratio est, quia hoc privilegium non in favorem singulorum Clericorum: sed totius Ordinis Clericalis, concessum est, ne Clerici ob debita merè civilia indignè tractentur, aut cum opprobrio totius Cleri mendicare cogantur, quod fieret, si usque ad ultimum obulum, quem habent, & ultra necessariam, & competentem sustentationem solvere tenerentur: quamvis huic privilegio renunciari possit, si concedatur debitori, non ratione personæ privilegiatæ: sed ratione contractûs, ut in actione pro socio, vel tutelæ, *l. Si convenerit; 26. ff. de re judic. Ioan. Andr. in cit. c. 3. n. 9. & Hostiens. ibid. in fine h. t.* Et hæc procedunt in renunciatione expressa: at verò tacitè, & ipso facto renunciare potest huic privilegio etiam Clericus debitor per actum contrarium, ut si pertinaciter neget debitum, vel nolit præstare cautionem de solvendo, cùm ad pinguiorem fortunam pervenerit; tunc enim censetur tacitè renunciare huic beneficio, eóque ex juris dispositione privatur, ut patet ex supra dictis: prout simile habetur in privilegio fori, cui etsi Clericus expresè renunciare non possit, *c. Si diligenti; 12. de foro compet.* potest tamen tacitè per actum contrarium, incedendo in habitu laicali, sive non deferendo habitum, & tonsuram, vel non inserviendo Ecclesiæ, secundùm præscriptum Concilij Trident. *Sess. 23. c. 6. Fagn. c. l. n. 71. & 72.*

XXIX. Respondetur secundò. Verius etiam est, quòd talis renunciatio non valeat, etiamsi facta sit à Clerico debitore, adjecto juramento, quia scilicet juravit, quòd non velit uti hoc beneficio contra creditores, vel quòd debitum solvere velit creditori, etiamsi egeat; cum tale pactum sit contra bonos mores, ut expresè dicitur in *l. Alia causa; 14 §. Elegantr ff. soluto matrim.* est enim contra reverentiam, & decentiam debitam toti Ordini Clericali, & consequenter renunciari non potest huic beneficio, etiam accedente juramento, sicut nec privilegio fori, ut docet *Covarr. lib. 7. resol. c. 1. n. 9. §. Quotus verò.* & ex communi tradunt Canonistæ apud *Fagn. in cit. c. Odoardus n. 74. & seqq.* quicquid in contrarium dicat *Molin. cit. disp. 571. num. 26.* Idque confirmatur ex eo, quia juramentum intelligendum est juxta promissionem, cui adjicitur, & quam confirmat, ejúsque naturam, & conditiones sortitur, ut dictum *Lib. 2. Tit. 24. n. 114.* Si autem Clericus simpliciter, & sine juramento promittat, se soluturum totum debitum, etiamsi egeat, non tenetur illud solvere, nisi quantum commodè facere potest, ut ex supra dictis patet; ergo neque cum juramento tenebitur.

§ V.

De solutione indebiti.

XXX. Præmittendum primò. Indebitum est quasi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem solutam accepit, ad eandem reddendam obligatur, *l. Is, qui; 5. §. Is quoque ff. de oblig. & act. §. Item is, cui: Instit. de oblig quæ ex quasi contractu &c.* possunt tamen partes, cùm indebitum solvitur, apertè convenire, ut si postea appareat solutum esse indebitum, restituatur, *l. 2. in princ. ff. de condict. indeb.* sed tunc non quasi, sed contractus innominatus, interveniente expresso consensu, seu pacto, celebratur, neque tacita, sed expressa obligatio contrahitur. Porrò ex solutione indebiti nascitur actio personalis contra eum, cui quid indebitè solutum est, quæ condictio appellatur; nam accipiens quod sibi non debetur, tacitè se obligat ad ejus restitutionem; cùm æquitas id postulet, quia iniquum est, id, quod per errorem sine causa datum est, manere penes eum, qui accepit, cum alterius damno, *l. Hæc condictio; 66. ff. de condict. indeb.*

Præmittendum secundò. Sicut debitum, ita etiam indebitum varijs modis dicitur, prout videre est apud *Abb. in c. ult. n. 8. h. t.* & alios, potissimùm autem tripliciter. Primò est indebitum naturaliter, & civiliter, quando scilicet solvitur, quod nec ex naturali, nec civili obligatione debetur, *l. Si non sortem; 26. §. Indebitum; ff. de condict. indeb.* quò revocari potest debitum sub conditione propria, cujus scilicet eventus incertus est, *l. Sub conditione; 16. ff. eod.* Secundò. Indebitum est jure naturali, sed jure civili tantùm debitum: ut si quis v. g. spe futuræ numerationis chirographo suo fateatur, sibi numeratam esse pecuniam, quæ numerata non est, is intra biennium civiliter ex litteris obligatus est: non etiam naturaliter, cùm nihil acceperit, ut patet ex *Tit. Instit. de litter. oblig.* Tertiò. Indebitum quoddam est jure civili, naturali verò jure tantùm debitum: sic ex nudo pacto sola obligatio naturalis: non etiam civilis nascitur, quæ actionem pariat, spectato Jure civili, *l. Juris gentium; 7. §. Sed cum nulla; ff. de pact.* & ibi: *Gl. V. Obligationem.*

XXXI. Jam ergo quæritur primò. An, & quando indebitè solutum repeti possit? Resp. primò Qui errore ductus existimans debitum esse, solvit id, quod nullo modo erat debitum, nec naturaliter, nec civiliter, potest id condicere, seu repetere, ut constat ex *l. 1. & seqq. ff. de condict. indeb.* & tradit *Gl. in c. ult. V. Indebitum, h. t. Abb. ibid. n. 15. Molin. tract. 2. de just. disp. 567. num. 1. Zæsius ff. eod. num. 9.* v. g. Si debitor ignorans suum procuratorem, aut Oeconomum solvisse suo creditori, quod ipse ei debebat, iterum idem illi solvat, vel si hæres ignorans defunctum debitum solvisse, iterum solvat, tam debitor, quàm hæres ipsius solutum repetere potest. Idque indistinctè procedit, non tantùm si solutio debita facta sit per errorem facti: sed etiam per errorem juris: ut si v. g. is, qui pecuniam mutuam accepit, aliquid solvat ultra sortem, existimans se ex contractu mutui de jure obligatum esse, solutum repetere potest. Ratio est, quia cùm quando id solvitur, quod nullo jure debetur, sine causa sit penes accipientem, naturalis æquitas non patitur, ut is cum alterius jactura locupletetur, *l. Nam hoc; 14. ff. de cond. indeb.* Quamvis plures Dd. ex recentioribus teneant, quod per errorem juris solutum non possit repeti, etiamsi omnino fuerit indebitum. Idque probari potest ex *l. Cùm quis; 10. C. de jur. & fact. ignor.* & alijs quibusdam, quæ tamen loquuntur in casu speciali: alioquì verò in multis textibus juris simpliciter, & sine ulla distinctione dicitur, indebitum per errorem solutum condici posse. Verùm condictio indebiti nascitur ex naturali æquitate, *l. In sum-*

ma; 65. §. *Quod ob rem*, & *l. seq. ff. de cond. indeb.* atqui eadem est ratio æquitatis naturalis, sive per errorem juris, sive facti fiat solutio; semper enim jure naturæ iniquum est, ut is, qui omninò indebitum accepit, cum damno alterius locupletur, *cit. l. Nam hoc ff. de condict. indeb. l. Jure naturæ 206. ff. de R. I.*

XXXII. Respond. secundò. Si quis solvit, quod jure naturali tantùm est indebitum, sed civiliter debitum, solutum repetere potest, sive per errorem facti, sive juris solverit, *Gl. in cit. c. ult. V. Indebitam*; *h. t. & Abb. nn.* 14. ut si quis v. g. spe accipiendi pecuniam mutuam chirographum dedit, in quo eam reddere promisit, sed posteà pecuniam non recepit, chirographum repetere potest intra biennium, vel agentem per exceptionem non numeratæ pecuniæ repellere, *l. Quasi* 37. *C. de non numer. pecun.* & per consequens, si solvit quasi ex promissione chirographi, ad id obligatus fuerit jure civili, solutum repetere poterit; quia error juris non nocet, quando agitur de damno vitando, & non lucro captando, *l. Error*; 8. *in fine. ff. de jur. & fact. ignor.*

XXXIII. Respond. tertiò. Si quis solvit, quod jure civili indebitum est, licèt jure naturali præcisè spectato sit debitum, tunc vel solvit per errorem, seu ignorantiam facti, (modò ea non sit crassa, seu supina, *l. Nec supina*; 6. *& l. Error*; 8. *ff de jur. & fact. ignor.*) & solutum repetere potest: Vel solvit per errorem juris, & repetere non potest, *l. Cùm quis*; 10. *junct. Gl. V. Cùm quis C. de jur. & fact. ignor. l. 2. & seqq. ff. eod. Gl. in cit. c. ult. V. Indebitum*; *h. t. & ibid. Abb. nu.* 11. v. g. si hæres solvit legatum ex testamento imperfecto relictum, per errorem facti, quia putavit testamentum solemne esse, tum repetere potest: vel solvit per errorem juris, existimans ex testamento imperfecto legata solvenda esse, & tum repetere non potest, *l. Fideicommissum*; 7. *juncta Gl. V. Solutum*; *C. de condict. indeb.* Excipi debet, nisi is, qui tale indebitum solvit, sit persona, cui error juris non obest, *Gl. in cit. c. ult. V. Indebitam*; *Abb. ibid. n.* 12. ut miles, minor 25. annis, mulier, rusticus, & similes personæ, *l. Regula*; 8. *ff. de jur. & fact. ignor.*

Præterea is, qui exceptionem non temporalem, sed perpetuam habet, solutum per errorem, sive facti, sive juris, potest repetere, *l. Si sortem*; 26. §. *Indebitum*; *& §. adeò autem, & l. Qui exceptionem*; 40. *in princ. ff. de condict. indeb.* quia talis non est obligatus naturaliter, nec civiliter, vel civiliter quidem, non autem naturaliter, *Gl. in l. 1. V. Indebitæ*; *& V. Per errorem*; *C. de condict. indeb.* Ratio est, quia per talem exceptionem perpetuam redditur actio inefficax, ut quasi nihil debeatur, *l. Nihil interest*; 122. *ff. de reg. jur. Zœsius ff. de cond. ind. nu.* 13. dummodò exceptio perpetua sit favorabilis, veluti exceptio SCti Vellejani, quæ data est, favore mulierum pro aliis fidejubentium: secus est, si sit odiosa, qualis est exceptio SCti Macedoniani, quæ non est data, favore filiorumfam. sed magis in odium fœneratorum; Si ergo filiusfam. contra SCtum mutuum accepit: & posteà paterfam. factus illud solvat, sive per ignorantiam facti, sive juris, non potest solutum repetere, *cit. l. Qui exceptionem in princ. Gl. in cit. c. ult. V. Indebitam.*

XXXIV. Resp. quartò. Si quis sciens se aliquid non debere, nihilominus solvat, non potest illud posteà repetere, *l. 1. & l. Si non sortem*; 26. §. *Indebitum*; *ff. de condict. indeb. & l. Indebitum*; 9. *C. eod.* Ratio est, quia donare præsumitur, cujus enim per errorem dati repetitio est, ejus consultò dati donatio est, *Reg. jur.* 53. *in ff.* adeo autem indebiti scienter soluti repetitio cessat, ut quamvis eâ mente quis solverit, ut repeteretur, non tamen possit repetere, *l. Quòd si quis*; 50. *ff. eod.* Aliud verò est de dubitante, quando quis mente ancipiti, & titubante solvit indebitum, huic enim, si posteà constet, vel probari possit, non fuisse debitum, repetitio conceditur, si per errorem solvetit, *l. ult. C. eod.* quia in re obscura melius est favere repetitioni, quàm adventitio lucro, *Reg. jur.* 41. *in ff.*

XXXV. Resp. quinto. Si quid debeatur sub conditione contingente, & pendente in futurum, quæ potest non esse, & ante ejus eventum per errorem sit solutum, id condici potest, & repeti tanquam indebitum, *l. Sub conditione*; 16. *ff. de condic. indeb.* quia ante eventū conditionis nondum debebatur, sed tantùm spes erat debitum iri. Aliud est, si quid debeatur sub conditione necessariò futura, sive quæ certò est extitura, v. g. si moriar, tunc enim si ante mortem solvatur, repeti non potest, *l. Eam etsi*; 17. *& l. seqq. ff. eodem.*

XXXVI. Quæritur secundò, Cuinam incumbat probatio, indebitum solutum esse, Respondi Si quis pecuniam (vel aliam rem) indebitè à se per errorem solutam esse dicat, ideóque eam condicere, seu repetere velit, probare tenetur, quòd indebitè soluta fuerit: nisi ejus adversarius, seu reus conventus negat solutionem sibi factam esse, tunc enim actor, si legitimis probationibus ostenderit, se solvisse, adeóq; reus de solutione ipsi facta convictus fuerit, onus probandi ipsi reo neganti incumbit, quod pecunia, seu res soluta sibi debita fuerit. Prout statuitur in c. *Is qui*; 4. *& ult. h. t. & in l. Cùm de indebito*; 25. *ff. de prob.* Prima pars probatur, & declaratur, quia si reus ab initio confiteatur, se recepisse pecunias, dicat autem ex debito sibi fuisse solutas, hoc casu, præsumptio est pro eo, qui pecunias accepit, nam ut dicitur in *cit. l. Cùm de indebito*; §. Sin verò ab initio, qui solvit nunquam ita resupinus est, ut facilè suas pecunias jactet, & indebitas effundat, nemo enim præsumitur jactare summ c. *Super hoc*; 5. *de renunc.* ideò is, qui dicit se per errorem indebitè solvisse, regulariter id probare tenetur: sicut etiam vice versâ, si constet, contractum esse debitum, sed debitor dicat se illud solvisse, eidem onus probandi incumbit, *l. 1. C. de probat.* Solutio enim est quid facti, ideóque non præsumitur, sed ab affirmante probari debet, ergò etiam solutionem indebitè factam esse, affirmans probare tenetur. Dixi regulariter, nam excipiuntur pupilli, minores, mulieres, milites, agricultores, forensium rerum expertes, seu imperiti, vel alias simplices: imò, & dolosi fides, his enim lex onus probandi se indebitum solvisse non imponit, nisi contendant partem soluti fuisse indebitam, partem fuisse debitam: alioquì is, qui accepit pecunias, probare debet ei debitas fuisse solutas, prout decernitur *in cit. l. Cùm de indebito*; §. *Sin autem is.*

Porro quod dictum est, cum, qui dicit se pecuniam, vel aliam rem indebitam solvisse, hoc ipsum pro-

probare debere, quia nemo præsumitur jactare suum, sed potiùs solvisse ut debitum: hoc ita demum procedit, si solvit, adjectâ, sive expressâ causâ; v. g. ex accepto mutuo, ex empto, donato: nam si tantùm constet simpliciter numerationem pecuniæ esse factam, sive quòd Titius v. g. pecuniam numeravit Cajo, nullâ causâ expressâ: tum potiùs præsumi debet, mutuum, aut depositum esse contractum; quia nemo facilè præsumitur donare, nisi modica sit quantitas rei, ut tradit *Gl. in l. Cùm quid*; 3. *V. Pro cauto*; *junct. Gl. margin. lit. G. ff. de reb. credit.* adeóq; hoc casu, nisi ex qualitate personarum aliud colligatur, si Titius dicat, se pecuniam numeratam Cajo ipsi mutuam dedisse, vel apud illum deposuisse, audiri debet, nisi Cajus contrarium probet, *Abb. in cit. c. ult. num. 2. h. t.*

Secunda pars, sive exceptio allata in *cit. c. ult.* probatur; quia si reus, sive creditor conventus per condictionem indebiti ob errorem soluti, neget solutionem sibi factam esse, eáque contra ipsum legitimè probata sit ab actore, tunc ob mendacium, de quo reus conventus est convictus, stat præsumptio contra ipsum, quòd malam causam foveat, ideóque intentio actoris confirmatur, videlicet quòd non pecuniam debitam, sed per errorem indebitam solverit: ac proinde adversarius, seu reus conventus, contra quem stat præsumptio, probare cogitur, quòd pecuniam debitam acceperit: nam ut dicitur in *cit. l. Cùm de indebito in princ.* absurdum est eum, qui ab initio negavit, pecuniam se accepisse, probationem non debiti, hoc est, indebiti ab adversario exigere, licèt enim aliàs actori incumbat probatio ejus, quod affirmat: tamen cùm est præsumptio contra reum, in illum rejicitur onus probandi, *l. Sive*; 16. *C. de probat. Gl. fin. in cit. c. ult. h. t.*

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

In superioribus Titulis de contractibus onerosis, seu reciprocis, qui ex utraque parte contrahentium obligationem continent, actum fuit, videlicet de venditione, & emptione, locatione, & conductione, item de permutatione, ac Feudo: nunc sequitur, ut de contractibus gratuitis agatur, quorum præcipua species est donatio.

§. I.

Quid sit donatio, & quomodo perficiatur, & de varia eius divisione?

I.

ASSERTIO 1. Donatio dicta à dono, quasi doni datio, *l. Senatus*; 35. §. 1. *ff. de mort. caus. donat.* communiter definiri solet, apud *Hostiens. in summ. h. t. & Abbat. ad rubr. hujus tit. Est rei licitæ* (sive non prohibitæ donari) *nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio*, prout sumitur ex *l. Donari*; 29. *ff. h. t. & l. Donari*; 82. *ff. de R. I.* Dicitur *Nullo jure cogente*, nec naturali, nec civili, secundùm *Gl. pen. in cit. l. Donari*; *ff. de R. I.* Ideòque requiritur, ut res donata non fuerit debita, saltem de jure, sive ex justitia, ac proinde videtur comprehendi sub donatione sic definita etiam donatio antidoralis, sive remuneratoria, quæ fit ex obligatione gratitudinis, ex qua tamen nulla actio, aut jus exigendi in externo, vel interno foro producitur. Verùm *Abb. c. l. & Clarus*; §. *Donatio*; *q.* 3. *n.* 1. *Azor p.* 3. *lib.* 11. *tract. de donation. c.* 1. *qu.* 1. & alij communiter probabiliùs docent, quòd donatio remuneratoria, quæ fit ex causa, seu debito gratitudinis, vel quævis alia, quæ fit ob causam, sive merita præcedentia, non sit merè liberalis, ac perfecta donatio, qualis hîc definitur, prout constat ex *l. Aquilius*; 27. *& l.* 1. *ff. eod. h. t. in princ.* ubi illa propriè donatio appellatur, quam quis propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem, & munificentiam exerceat: adeóque à donatione perfecta, & propriè dicta excluditur etiam obligatio gratitudinis. Porro *Barbos. in Collect. ad rubr. h. t. n.* 5. aliam definitionem adfert, quia putat hanc definitionem etiam alijs contractibus convenire, ut commodato, precario, & mutuo, in quibus etiam, nullo jure cogente, ex mera liberalitate aliquid datur, seu conceditur. Verùm in his contractibus, quod datur, non merè liberalitater conceditur; cùm reddi debeat, quod datum est: vel in specie, seu individuo, ut in commodato, & precario, vel aliud ejusdem generis, ut in mutuo. At, qui donat, is dat eâ mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, *cit. l.* 1. *in princ. ff. h. t.*

II. Assertio 2. Jure novo ex Constitutione Justiniani in *l. Si quis*; 35. §. *ult. C. h. t. & §. Aliæ autem*; *Instit. eod.* donatione etiam simplici, seu nudâ promissione factâ, & à donatario acceptatâ (cùm ad pactum, seu contractum requiratur mutuus consensus duorum, *l.* 1. §. 2. *ff. de pact.*) etiam ante rem traditam, jus, & actio donatario acquiritur, per quam cogi potest donator, ad rem donatam tradendam: licèt ante traditionem, veram, vel fictam rei donatæ, ejus dominium donatario non acquiratur, sicut venditione mutuo consensu contractâ, jus, & actio hinc mercis tradendæ, illinc pretij solvendi nasci-

scitur, quamvis dominium rei venditæ non priùs acquiratur emptori, quàm traditio facta fuerit; quia traditionibus, non nudis pactis transferuntur rerum dominia, *l.* 20. *C. de pact. Azor cit. tr. c.* 5. *qu.* 6. *Clar.* § *Donatio*; *num.* 1. *&* 6.

Ex dictis infertur primò. Quòd per donationem factam absenti, ante acceptationem ejusdem per se, vel per alium, non solùm non acquiratur ei dominium rei donatæ, sed nec obligatio ulla civilis, vel naturalis, ex tali donatione, ante acceptationem, oriatur, *l. Absenti*; 10. *l. Hoc iure*; 19. §. *Non potest*; *ff. h. t. l. Qui absenti*; 38 *in princ. ff. de acquir. poss.* quia ante acceptationem donatio non est mutuo consensu perfecta, ideóq, non valet, *Clarus*; *cit.* §. *q.* 12. *n.* 1. Secus est, si fiat alicui præsenti, sed tacenti, tunc enim valet, quia talis tacitè consentire censetur, *Clar. qu.* 14. *num.* 5. Infertur secundò. Is qui donavit, ante acceptationem donatarij, per se, vel per alium factam, potest donationem revocare, cum donatio nondum sit mutuo consensu perfecta, adeóque non obliget, priusquàm alterius consensus accedat, *cit. l. Absenti*; *ff. h. t. Leß. l.* 2. *c.* 18. *n.* 24. *&* 39. quia ante acceptationem potiùs donare voluit, quàm donavit, licèt contrarium teneat *Clar. q.* 13. *Azor c.* 5. *q.* 3.

III. Assertio 3. Donatio generatim dividitur in donationem inter vivos, & donationem causâ mortis, *princ. Instit. h. t.* Donatio inter vivos dicitur, quæ fit sine ulla mortis cogitatione, §. *Aliæ autem*; *Instit. eod.* Eáque vel fit purè, absolutè, & simpliciter, ita ut res donata statim fiat accipientis, nec temerè revocari possit, & hæc est donatio perfectè, & proprijssimè dicta, de qua in hoc Tit. potissimùm agitur. Vel fit sub conditione, v. g. dono tibi hunc equum, si Titius salvus Româ redierit, quæ non ante obligat, & sortitur effectum, quàm conditio evenerit, à quo dependet, secundùm naturam conditionis, quæ suspendit effectum. Vel fit sub certo modo, v. g. dono tibi mille florenos, ut eos applices ad pios usus, quæ statim valet, & obligat, nec ob modum adjectum suspenditur, licèt modo non impleto revocari, & donatum repeti possit, *l.* 1. *C. De donat. sub modo.* Vel fit donatio ad certum diem, aut tempus futurum, v. g. ut res donata fiat donatarij post annum, *l. Quoties*; 3. *C. eod.* Vel ob causam, ut donatio dotis causâ, quæ fit marito ab uxore, vel ab alio, ejus nomine, pro sustinendis oneribus marrimonij, & donatio propter nuptias, quæ vicissim fit à viro uxori, in vicem, & securitatem dotis. Item donatio remuneratoria, quæ fit in vicem præstiti Beneficij, vel obsequij, quanquàm prædictæ donationes à proprietatibus perfectæ, & absolutæ donationis nonnihil recedant.

IV. Donatio verò causâ mortis est, quæ fit propter mortis suspicionem, sive ejus intuitu, cùm quis ita donat, ut si quid humanitus ei contigisset, haberet is, qui accepit: sin autem supetvixisset, is qui donavit, reciperet, vel si eum donationis pœnituit, aut prior decesserit is, cui donatum est, prout habetur in § *Mortis causa Instit. h. t.* cujus tres sunt species, seu modi, prout habetur *in l.* 2. *&l. Senatus*; 35. §. *Mortis causâ*, *ff. de mort. cauſ. donat.* quæ tamen communiter ad duas species, seu modos revocantur. Primus est, cùm quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed solá cogitatione mortalitatis, sive mortis aliquando futuræ, absolutè donat in tempus, quo mortuus fuerit, *cit. l.* 2. quæ donatio non expirat, nisi donatarius ante donantem moriatur, vel à donante revocetur, *Laym. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 12. *n.* 4.

Secundus modus est, quando quis, imminente periculo mortis, v. g. periculosæ infirmitatis, vel navigationis suscipiendæ, vel belli ineundi motæ, adeóque sub conditione expressa, vel tacita mortis ex tali periculo secuturæ donat. *cit. l.* 2. Idque tutum dupliciter fieri potest, vel enim ita donatur, ut statim res fiat accipientis, quæ est secunda species donationis causâ mortis, *cit. l.* 2. *ff. eod.* ita tamen, ut si mors non sequatur, donator rem sic donatam velit ad se reverti, sibique restitui, *l.* 1. §. *Item cum quis ff. de donat.* & tunc potest donator, morte non secuta, rem vindicare, & repetere, *l. Si mortis*; 29. *ff. de mort. cauſ. donat.* & donatio revocatur, *Gl. in cit. l.* 2. *V. Accipientis ff. eod.* Vel donator non sic donat, ut statim velit rem fieri accipientis, sed tunc demum, si mors fuerit secuta, sive si donator in illo periculo decesserit, quæ est tertia species donationis causâ mortis in *cit. l.* 2. *ff. de mort. cauſ. don.* & tunc statim quidem tenet donatio, juxta *Gl. ibid. V. Tunc demum*, sed cessante tali periculo, si mors secuta non fuit, adeóque conditio, sub qua donatio facta est, non evenerit, ipso jure expirat donatio, sine ulla alia revocatione, quia tacitè revocata censetur, *Gl. fin. in l. Mortis*; 3. *ff. eod.*

Porrò donatio mortis causâ quoad formam, & modum constitutionis convenit cum contractibus, quoad effectum verò, convenit ferè cum ultimis voluntatibus, *l. ult. C. de donat. mort. cauſ. l. Illud*; 37. *in princ. ff. eod.* In dubio præsumi debet potiùs donationem inter vivos, quàm mortis causâ factam fuisse, ut docet *Gl. in cit. l. ult. V. Indigere C. de don. mort. cauſ.*

Præterea donatio inter vivos alia requirit insinuationem apud Judicem, alia non requirit, de qua in §. *seq.*

§. II.

Quæ donatio insinuationem exigit apud Iudicem, & quæ non exigit?

Insinuatio donationis tunc fit, quando donator coram Judice, sive in Judicio, sive extra, declarat suam voluntatem donandi, & petit illam in acta redigi, & scripturam super ea confici, *l. Donatio*; 25. *in fine & l. In donationibus*; 31. *C. h. t. Clar.* §. *Donatio q.* 15. *n.* 4. *Azor cit. tract. c.* 6. *q.* 1. imò ex recepta consuetudine sufficit, si donatio scripta ipsi Judici denuncietur, sine alia scriptura, *Clar. & Azor locis cit.*

V. Assertiò 1. Etsi olim donatio excedens 200. & postea 300. solidos insinuationem necessario requirebat, ut constat ex §. *Aliæ autem*; *Instit. h. t. & l. Sancimus*; 34. *C. eod.* hodierno tamen Jure, si 500. solidos excesserit, insinuanda est apud Judicem, alioquin invalida est donatio quoad excessum, non item infra illam summam, *l. pen. in fine*, *& l. Sancimus*; 34. *C. h. t. & cit.* §. *Aliæ autem*; *Instit. eod.* Ratio autem, cur insinuatio requiratur, est, tum ut obvietur fraudibus, quæ in donationibus magnæ quantitatis facilè

facilè intervenire possunt, ideóque magna exigitur observatio, *Bartol. in l. Modestinus*; 23, *num.* 3. *ff. h. t.* tum ne profusis donationibus Cives ad paupertatem redigantur, cum damno Reipubl. cujus interest habere Cives locupletes. Porrò solidus in Jure pro aureo accipiendus est, ut constat *ex l. fin. junct. Gl. V. Aureos, ff. de in jus vocando*, quorum 72. libram auri conficiunt, juxta *l. Quotiescunque* 5. *C. de suscep-toribus. Lib.* 10. Quare 500. solidi circiter 700. aureos Italicos, seu scuta, vel secundùm alios, 800. conficiunt, *Clar. cit. q.* 14. *num.* 1. *Laym. cit. c.* 12. *num.* 15. Verùm ex generali, & passim recepta populorum consuetudine, per solidum intelligitur aureus Ungaricus, seu Ducatus, qui veteri illi solido, seu aureo suffectus est, ita, ut quæ de solido in Jure Civili statuta sunt, ad nostratem aureum, seu Ducatum, utcunque levioris sit ponderis, referenda sint, *Mynsing. in* §. *Aliæ autem, Instit. h. t. Schneidvv. ibid. num.* 24.

VI. Assertio 2. Sunt tamen plures donationes exceptæ ab obligatione faciendæ insinuationis. Veluti primò, donatio facta alicui in reparationem ædium suarum, quæ corruerunt, vel incendio sunt consumptæ, *l. pen.* §. *Eandémque, C. h. t.* vel pro redemptione captivorum *in cit. l. pen. in princ.* Imò quævis alia donatio in quacùnque quantitate facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alij loco pio, vel ad quamlibet causam piam, etiam sine insinuatione, est valida in utroque foro, conscientiæ, & externo; quia LL. Civiles irritantes donationes factas ad pias causas ultra 500. solidos, ut *in l. Illud*; 19. *C. de SS. Eccles. & l. Sancimus*; 34. §. *Alias verò, C. h. t.* non sunt approbatæ à Jure Canonico, ideóque nullam vim habent, neque Principes sæculares possunt quidpiam statuere in præjudicium bonorum operum, & salutis animarum: præsertim cùm etiam ratio Legis prohibentis donationes in magna quantitate hìc cesset; quia non est temerarium spoliare se bonis suis, expia causa: sed honestum, & pium, *Clar.* § *Donatio, q.* 17. ex communi opinione, & est communior Theologorum, & Juristarum sententia. Secundò, donatio remuneratoria beneficiorum, vel obsequiorum insinuationem non requirit, quia non est vera donatio, ut colligitur *ex l. Aquilius*; 27. *junct. Gl. V. Non meram, & l. pen.* §. *Si quis, ff. h. t.* & ex communi docet *Clarus* §. *Donatio, q.* 16. *num.* 6. Idque procedit, modò donatio non multùm merita excedat, alioquî enim quatenus excedit, non est donatio remuneratoria, sed merè liberalis, adeóque ab insinuatione non excepta, *Clar.* §. *cit. q.* 3. *n.* 3. *& 4. Zœsius ff. h. t. n.* 43. 44. Et universim loquendo, omnis donatio, quæ fit ob causam, v. g. ad militiam, ad studia, ad nuptias, &c. non indiget insinuatione, *l. Hoc jure*; 19. §. *Labeo, & §. Sed & hæ, ff. h. t.* quia hujusmodi donationes, non sunt propriæ, & perfectæ donationes; nam hæ fiunt ob solam liberalitatem, & munificentiam exercendam, *l.* 1. *ff. h. t.* cùm autem Lex requirens insinuationem sit odiosa, quippe restringens liberam facultatem donandi, ultra donationem propriam, & perfectam non est extendenda, *Clar. cit. q.* 16. *num.* 6.

Tertiò, si donationi factæ ultra summam Lege præscriptam, sine insinuatione, adjiciatur juramentum, de ea non revocanda, confirmatur donatio, etiam quoad excessum, & subsistit in utroque foro, ut est communior sententia Dd. apud *Gail. l.* 2. *obs.* 39. *num.* 12. *& seqq. Clar. q.* 18. *num.* 2. *Azor. cit. c.* 6. *q.* 10. Ratio est, quia juramentum tale nihil continet bonis moribus naturalibus contrarium, alioquin nullo casu donatio supra summam Lege præscriptam subsisteret, ergo cùm sine peccato, & dispendio salutis æternæ, servari possit, obligat & servari debet, *c. Cùm contingat*; 28. *de jurejur.* Neque verò insinuatio à Lege requiritur principaliter, ob utilitatem publicam: sed solùm in consequentiam, & secundariò: principaliter autem respicit favorem donantium, ne domesticis fraudibus, præsertim conjunctarum personarum, prodigaliter donando, suis priventur bonis, *l. Data*; 27. *C. h. t.* Neque etiam hoc casu conceditur unâ viâ, quod aliâ prohibitum: aut permittitur per obliquum, quod directè fieri non potest; quia juramentum est actus separatus ab actu, cui adjicitur, & specialem, ac diversam obligationem inducit ex virtute Religionis, *Gail. c. l. n.* 26. Quartò, donatio mortis causâ facta, etiamsi 500. solidos excedat, non requirit insinuationem, *l. fin. C. de donat. caus. mort.* plures casus excepti, videri possunt apud Dd. citt.

VII. Assertio 3. Si donator renunciet Legi exigenti insinuationem simpliciter, & sine juramento, talis renunciatio non est valida. Ratio est, quia licèt inducta sit Lex insinuationis principaliter in favorem donantis; quia tamen dat formam actui, ita ut is sine illa sit invalidus, non potest ei renunciari, nemo enim potest facere, quominùs Leges locum habeant in suo Testamento, *l. Nemo*; 55. *ff. de legat.* 1. idémque est de contractibus. Præterea talis renunciatio est contra finem legis præscribentis insinuationem, eadem enim facilitate, quâ ad donandum quis inducitur, induci etiam posset, ad renunciandum insinuationi.

Denique frustranea esset illa Quæstio Dd. an renunciatio insinuationis sit valida, si fiat apposito juramento, siquidem absque illo etiam valida esset renunciatio, *Molin. tract.* 2. *dis.* 278. *n.* 12.

Porro factâ donatione ultra summam Lege præscriptam, potest donatarius, tutâ conscientiâ, etiam excessum retinere, donec à donante, vel ejus hærede repetatur, vel per Judicis sententiam rescindatur donatio, quoad excessum, *Molin. cit. dis. num. ult. Less. cit. c.* 18. *nu.* 99. *Laym. cit. c.* 12. *nu.* 15. Ratio est, quia talis donatio non censetur simpliciter irritata à Lege Civili: sed sub conditione solùm, si donator illam revocaverit, adeóque valida est in foro conscientiæ, & translatum dominium in donatorem: sed revocabiliter, ac proinde retinere potest excessum, dum non repetitur. Et hanc sententiam, quicquid sit de rigore juris, hodie usu moribúsque receptam esse, testatur *Molin. cit. loc.*

§. III.

An, & qualem potestatem donandi habeant Episcopi, aliique Prælati, aut Rectores Ecclesiarum, &, an etiam, & quatenus Religiosi?

VIII. Assertio 1. Prælatus, sive Sæcularis, seu Regularis, ex rebus, & proventibus Ecclesiæ, vel Universitatis, seu Collegij, non potest facere donationes merè gratuitas, & liberales, quæ nullo titulo, aut causâ sunt subnixæ, nisi meræ liberalitatis, saltem immodicas, & in notabili, seu magna quantitate, prout sumitur *ex c. Fraternitatem; 2. h. t.* Ubi Papa Alexander III. ad Episcopum Parisiensem ita » rescribit: cùm Episcopus, & quilibet Prælatus re- » rum Ecclesiasticarum Procurator, seu Administra- » tor sit: non Dominus, conditionem Ecclesiæ me- » liorem, non deteriorem facere debet. Quare si » Antecessor Episcopus magnas, seu gravis momen- » ti donationes fecit ex rebus Episcopatûs, incon- » sultis Canonicis, in ipsius Ecclesiæ detrimentum, » quæ de jure non tenent, potest Successor Episcopus » donationes hujusmodi tam à Clericis, quàm à Lai- » cis legitimè revocare. Est autem hîc sermo, de rebus, & proventibus Ecclesiæ, qui nemini in particulari sunt assignati: non autem de illis reditibus Ecclesiasticis, quorum certa portio Prælato, aut alij Beneficiario est assignata in sustentationem vitæ, ut notat *Laym. in disc. canon. de rer. Eccles. alien. § 8. de donationibus Thesi 109.* de quibus dicetur *Tit. seq.* Ratio decisionis hujus cap. est, quia tametsi Prælatus generalem, & liberam administrationem bonorum, & proventuum, seu redituum Ecclesiasticorum habeat, ut eos, tum ad augmentum Divini cultûs: tum ad suam, & Capituli, seu Conventûs sui sustentationem, (si propria portio ipsi non sit assignata) tum etiam ad pauperes alendos, fideliter, & studiosè eroget, *c. Nullam 9. caus. 18. q. 2. c. Apostolicos; 13. caus. 12. q. 2.* non tamen potest Prælatus ad libitum de ijs disponere, cùm non sit dominus bonorum Ecclesiasticorum, ideóque nec merè gratuitas, ac liberales donationes ex ijs facere potest; nam talis donatio est rei suæ, (quia res aliena donari non potest, ita, ut statim fiat accipientis, & dominium transferatur in illum, *l. In ædibus 39. §. fin. ff. h. t. & l. Si filius; 14. C. eod.*) nullo jure cogente, liberè facta collatio, *l. 1. ff. h. t.* At verò non ex propriis: sed alienis liberalitatem exercere, est quædam species injustitiæ, ideóque in generali administratione alicui concessa, non continetur merè liberalis donatio, aut dilapidatio, *l. Contra 28. ff. de pact. l. Filiusfam. 7. in princ. ff. h. t.* ubi id notant Dd. *Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 2. c. 26. nu. 11. Laym. in cit. disc. Thes. 110.* Et hinc donationes merè liberales in magna quantitate illicitè, & invalidè factas à Prælato, Successor revocare potest, ac debet, ut patet *ex hoc cap. & ibid. Abb. n. 3. & ex c. Si quis; 6. de reb. Eccles. non alien.* imò etiam ipse Prælatus alienans, vel donans, eas revocare debet, quamdiu ab administratione non est remotus, *Gl. in cit. c. Si quis, V. Prospexerint, & V. alienata.*

IX. Assertio 2. Potest Episcopus, vel alius Prælatus, etiam sine consensu Capituli, & requisitis juris solennitatibus, ex reditibus Ecclesiasticis facere donationes, ob causam pietatis, & misericordiæ, sive titulo eleemosynæ: dummodò sint moderatæ, consideratis Ecclesiæ facultatibus, causâ necessitatis, aliisque circumstantiis; quia tales donationes non sunt merè, ac propriè liberales, cùm fiant ex quadam juris obligatione, & necessitate, *arg. c. 1. h. t. cit. l. Filiusfam. §. 1. ff. h. t.* & ex communi doctrina tradit *Suar. c. l. n. 12. & 13. Laym. cit. disc. Thes. 111.* nam & Tutor ex rebus pupilli ob talem causam donare potest, *l. Cùm plures; 12. §. Cùm Tutor. ff. de admin. tut.* cùm enim tales donationes justâ ratione nitantur, velut necessariæ videntur, ac proinde expedit Ecclesiæ, vel pupillo eas fieri.

X. Similiter etiam potest Prælatus donationes remuneratorias facere, in compensationem meritorum erga Ecclesias, vel personas, seu membra ejus; quia non sunt merè liberales donationes, cùm fiant ex obligatione gratitudinis, prout constat *ex l. Sed etsi 25. §. Consuluit, ff. de petit. hæred.* ubi dicitur: Antidora, seu remunerationes esse veluti genus quoddam permutationis, modò illæ sint commensuratæ meritis, seu obsequiis præstitis, *Molin. tract. 2. disc. 276. n. 2. & disc. 292. n. 2. & 2. seqq. Laym. c. l. & Lib. 3. tract. 4. c. 12. n. 9.* ubi loquuntur de Prælatis Regularibus. Imò Prælatus, etiam Regularis non tantùm habet potestatem donandi, ad remunerandi Beneficia, vel obsequia jam præstita: sed etiam potest gratis erogare, seu donare, ut præveniat, & excitet ad benefaciendum, habito semper respectu: tum ad proximorum ædificationem: tum ad utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterij, *Suar. cit. c. 26. n. 14.*

XI. His adde, quòd ob remunerationem magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ, vel Prælato, ejus intuitu, præstita fuerunt, etiam res aliqua immobilis Ecclesiæ alicui donari possit, præmisso tractatu, & alijs juris solennitatibus, *c. Quicùnque; 66. & ibi Gl. caus. 12. q. 2.* & docet *Abb. in c. Per tuas 5. n. 6. h. t. Laym. in cit. disc. Thes. 112.* Idque sumitur etiam *ex cit. c. Per tuas 5. h. t.* ubi habetur, quòd » quidam Nobiles Episcopum Florentinum, tem- » pore schismatis domi suæ sustentârunt, ideò schi- » mate sedato, idem Episcopus ex mandato Papæ » Alexandri, quatuor modios terræ in Feudum ei- » dem concessit, & Successor ipsius, prout est moris » (imò & juris, *Gl. hîc V. Moris*) eosdem Nobiles in » illo Feudo investivit: sed post mensurationem ter- » ræ illius factam, nonnisi duo terræ modij reperti » sunt, ideóque dicti Nobiles Feudum sibi integrari, » instanter postulârunt. Verùm Episcopus dubita- » vit, an hoc facere posset, eò quòd Nobiles isti non » erant in possessione illius terræ, licèt in ea fuerint » investiti, vel saltem non erant in possessione partis » adjiciendæ, ideóque videbatur Episcopus illis Feu- » dum de novo conferre. Ad hoc respondit Innocen- » tius III. quòd Episcopus securè Feudum illud inte- » grare possit, sive integrè illis conferre; cùm ipsi su- » per quatuor modios terræ fuerint infeudati, seu in- » vestiti: Ecclesia autem non debet ullam fraudem in » actibus suis committere: & adjuvari nos beneficiis » oportet, non decipi, ut ait *Gl. fin. ibid.*

XII. Hinc colligitur primò, quod justa causa rem immobilem Ecclesiæ donandi, aut in Feudum concedendi, sit remuneratio beneficiorum præstitorum, non solùm ipsi Ecclesiæ: sed etiam ejusdem Episcopo, seu Prælato, intuitu Ecclesiæ: si enim Ecclesia ad liberandum Prælatum ex gravi periculo, & obligatione pietatis, si necesse sit, etiam bona immobilia alienare, vel vendere potest, ut patet *ex supra dictis Tit. 13.* Multò magis poterit rem immobilem in Feudum dare in remunerationem ejusmodi beneficij, vel obsequij Prælato exhibiti, intuitu Ecclesiæ, *Abb. hîc. n. 2.* Neque huic infeudationi obstabat juramentum Prælati fortè præstitum de non infeudando de novo; quia non dicitur novum, quod jam ab alio fuit factum, ut ait *Gl. hîc V. De novo.* nam Prælatus antecessor jam quatuor terræ modios ex mandato Papæ in Feudum concesserat: & licitè potuit Episcopus donationem perficere; quia nihil nunc dat, sed ante datum declarat, *l. Hæredis 321. §. Si quid, ff. de Testam. Gl. hîc V. Eodem.*

Colligitur secundò, licèt in casu hujus cap. Nobiles Florentini non habuerint possessionem duorum jugerum terræ; quia tamen in quatuor jugeris jam antea infeudati, seu investiti erant, ut patet *ex integra lectione hujus Cap.* per quam infeudationem jus illis acquisitum fuit, ut vi illius petere possent eorum traditionem, & possessionem accipere, ideo poterat Episcopus Florentinus illis Feudum integrare, absque eo, quòd nova fieret infeudatio duorum jugerum. Quare per solam investituram non acquiritur possessio, *Gl. hîc V In possessione*, nisi fiat in præsentia rei, *Abb. hîc n. ult.*

XIII. Assertio 3. Prælatus, etiam Regularis, potest ex rebus Ecclesiæ donationes modicas, seu moderatas facere, etiam merè liberales, cum consensu Capituli: imò etiam sine illo, si loci consuetudo id permittat, prout sumitur *ex c. Cæterùm; 3. h. t.* Ubi » consultus Papa Alexander III. quid faciendum sit, » si Abbas, vel solus, vel cum Priore, & quibus- » dam de Conventu, donationem fecerit ex rebus » Monasterij, & postea reliqua pars Conventûs con- » tradicat? Respondet Papa, quòd in hoc casu, tum » rei donatæ quantitas: tum Regionis consuetudo » (quæ tamen SS. Canonibus non repugnet) sit di- » ligenter attendenda, & secundùm hæc donatio ra- » ta, vel irrita judicanda. Idque tradit etiam *Gl. in c. Is Cui; 42. V. Et libera, de Elect. in 6.* ubi ait: Prælatus donare non potest, nisi id habeat consuetudo, & modica, juxta *c. Cæterùm; 3. de donat.* Ratio est, tum quia ipsa consuetudo, si irrationabilis non sit, jus & facultatem donandi tribuere potest, qualis non est, quæ tribueret facultatem donandi res immobiles, vel mobiles pretiosas Ecclesiæ, ut notat *Abb. hîc n. 3.* Tum quia consuetudo facit, ut non possint donationes moderatæ facilè omitti, sine querela, & avaritiæ supicione, nisi reditus Monasterij sint diminuti, vel onera, & expensæ illius augeantur: tum quia rationabili, & diuturnæ consuetudini Capitulum, seu Conventus contradicere non potest.

XIV. Cæterùm ex universali omnium ferè Ecclesiarum consuetudine receptum esse videtur, ut Prælatis liceat minima, seu modica donare, ita, ut Ecclesia nihil lædi censeatur; quia hoc pertinet ad rectam œconomiam, & liberam administrationem, quam Prælatus habet, & per hujusmodi moderatæ liberalitatis demonstrationem, non solùm vitatur suspicio avaritiæ: sed etiam conservatur bona existimatio, & benevolentia hominum, adeóque ea est Ecclesiæ utilis, ut notavit *Laym. in cit. dis. Thes. 114.* Aliud est in Tutore, qui nihil donare potest ex rebus pupilli, nisi ex justa causa, ob quam id in utilitatem pupilli cedere posse videatur. Prælatus verò majorem potestatem habet, quam Tutor, quippe liberam & generalem in bonis Ecclesiæ, ideóque donare potest. Quin imò potest Prælatus moderatam donationem facere, ex rebus mobilibus Ecclesiæ non pretiosis, etiam cessante consuetudine, ut probatur *ex c. 2. h. t.* ubi dicitur, donationes graves, seu magnas revocandas esse, ergo per sensum contrarium, si non sint graves, seu magnæ, non debent revocari, ut notat *Gl. ibid. V. Graves*, & docet *Imola in cit. c. Cæterùm; in fine h. t. Redoan. in tract. de reb. Eccles. non alien. q. 52. nu. 61.* Quænam autem modicæ, seu moderatæ, & non magnæ donationes merè liberales sint: quæ immodicæ & magnæ, adeóque non permissæ ex rebus Ecclesiasticis etiam immobilibus, id Judicis, aut viri prudentis arbitrio æstimari debet, consideratâ redituum Ecclesiæ abundantiâ, qualitate donantis, & ejus, cui donantur, aliisque circumstantiis, *Redoan. c. l. n. 77. Laym. cit. Thesi 114.*

XV. Illud hîc Quæri solet, an si donatio merè liberalis ex reditibus Ecclesiæ à Prælato facta sit, immodica quidem, & in notabili quantitate: sed cum consensu Capituli, ea sit valida? Negat. *Abb. in c. 2. n. ult. h. t.* ubi ait: quòd donatio irrita sit, si Prælatus, cum consensu Capituli, rem Ecclesiæ donavit diviti, sine causa meritorum: idque sumitur *ex c. Sine exceptione; 52. caus. 12. q. 2.* ex quo colligitur, duo requiri, ut Prælatus rem Ecclesiæ donare possit, consensum Cleri, seu Capituli, & causam justam, videlicet Ecclesiæ utilitatem, ne gravetur: nam quamvis Ecclesia sit domina bonorum, ac jurium ad eam pertinentium, tamen hoc dominium non est absolutum, ac liberum: sed conditionibus, ac lege fundationis astrictum, ita, ut bona & reditus, non ad quemvis usum applicentur: sed ad Divinum cultum, & sustentationem Ministrorum, ac pauperum. Nec obstat, quod *in cit. c. 2. h. t.* dicitur, donationes graves, seu magnas esse invalidas; quia nimirum factæ sunt inconsultis Canonicis suis: ergo cum consensu illorum valent: nam ut explicat *Gl. ibid. V. Inconsultis*, suppleri debet vocula, *maximè*, id enim aggravabat factum, quod ibi narratur, nempe donationes Ecclesiæ graves ab Episcopo factas esse, præsertim suis Canonicis inconsultis, licèt nec cum eorum consilio, & consensu possit facere donationem Ecclesiæ damnosam.

Verùm contrariam sententiam (quæ probabilior videtur) tenet *Joan. Andr. in cit. c. 2. in fine, & Imol. ibid. n. 3. h. t. & Laym. in cit. dis. Thesi 113.* nempe donationes etiam graves, seu immoderatas, cum consilio, seu consensu Capituli, à Prælato factas, etsi illicitæ, & prodigæ sint, esse tamen validas, ut à contrario sensu colligitur *ex cit. c. 2. h. t.* & ratio est; quia cùm Prælatus, unâ cum Capitulo, repræsentet Ecclesiam, potest nomine Ecclesiæ agendo, seu contrahendo eidem obesse, etiam quoad bona Ecclesiæ acquisita, & non tantùm acquirenda, quibus renunciare, adeóque Ecclesiæ obesse potest, etiam sine consensu

Capituli, ut dictum supr. *Tit.* 13. *num.* 42. Id tamen limitandum est, dummodo talis donatio non fiat, ob quam necessarium sit, bona immobilia, aut mobilia pretiosa Ecclesiæ distrahere, talis enim donatio non valeret; quia hæc, nec cum Capituli consensu, alienari possunt, sine justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, ut patet etiam *ex supra dictis.* Quòd si ex tali donatione facta, cum consensu Capituli, Ecclesia notabiliter læsa sit, potest per Beneficium restitutionis in integrum petere ejus rescissionem, *Joan. Andr. c. l.* Præsertim si per talem immodicam, & prodigam donationem portio necessaria pauperibus detrahatur, ideóque etiam in eorum præjudium cedat, tunc enim etiam directè per implorationem Officij Judicis revocari potest, *Laym. c. l.* ubi addit, quòd alioquin plerumque expediat etiam ipsi Ecclesiæ, donationes merè liberales, etsi sine rationabili causa à Prælato, & Capitulo factæ sint, servare, ne Ecclesia videatur beneficio suo magis voluisse decipere, quàm adjuvare, seu prodesse, contra *c. unic. supra de Commodato.*

Cæterùm ad donationes merè liberales factas in immodica quantitate, ita, ut Prælatus mortaliter peccâsse censeatur, non sufficit ea quantitas, quæ aliàs sufficit in materia furti: sed respectu redituum Beneficialium unius integri anni. Unde si Episcopus aliquis, vel Prælatus habeat, v. g. decem millia annuorum reddituum, non censebitur immodica donatio, si v. g. 500. florenos donat, ut colligitur ex ijs quæ tradit *Molin. tract. de just. disp.* 144. *n.* 20.

XVI. Assertio 4. Religiosi, qui extra Monasterium degunt, cum Superioris licentia, v. g. Regulares Beneficiarij possunt de reditibus Ecclesiasticis, quorum libera est eis permissa administratio, æquè ac Sæculares Beneficiati inter vivos disponere, adeóque eleemosynas, aliásque donationes honestas facere, etiam sine consensu Prælati Ordinis, ut docet *Molin. tract.* 2. *disp.* 276. *n.* 5. *Laym. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 12. *n.* 9. Illi verò Religiosi, qui non sunt Prælati, administrationem tamen bonorum Monasterij sibi commissam habent, uti sunt Procuratores, & Oeconomi, possunt donationes facere, aliàsve alienationes, secundùm facultatem ipsis à Superiore immediato, vel mediato concessam, & quantum Ordinis statuta, aut consuetudo permittit, *Molin. cit. disp. n.* 3. *Sanch. l.* 7. *Moral. c.* 19. *n.* 92. *Laym. c. l. n.* 10. §. *Tertiò sunt Religiosi.* Denique alij Religiosi, qui in Monasterio sub obedientia Prælatorum vivunt, & nullam bonorum administrationem habent, nullas omnino donationes, etsi aliàs justas facere possunt, absque expressa, vel tacita Superioris licentia, juxta *c. Cùm ad Monasterium*; 6. *de statu Monach. & c. Non dicatis*; 11. *caus.* 12. *q.* 1. alioquin peccant contra votum paupertatis: & ratio est, quia tales nec dominium, nec ullam bonorum administrationem habent, sed solùm usum. *Mol. c. l. n. ult. Sanch. c. l. n.* 95. *Laym. c. l.* §. *Denique.* Cæterùm quoad donationes Regularium, etiam Prælatorum, extat Bulla Clementis VIII. quæ incipit, Religiosæ Congregationes de largitionibus munerum, de qua videri potest, *Azor. p.* 1. *l.* 12. *c.* 9. *q.* 5. *& Sanch. l.* 6. *de matrim. disp.* 4. *n.* 7. quam tamen non esse ubique receptam, testatur *Suar. cit. c.* 26. *nu.* 15. cujus postea addita est declaratio ab Urbano VIII. in Bulla edita anno 1640.

§. IV.

De quibusdam donationibus, seu concessionibus Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel quæ fieri possunt alienis Ecclesiis.

De his agitur in aliquot Capitulis hujus Tituli, de quibus etiam hoc §. agemus.

XVII. Et inprimis quidem *in c. Consultationibus* 5 4. *h. t.* sic rescribit Pontifex Alexander III. „ etsi donationes, seu concessiones Ecclesiarum, quæ „ priusquàm vacant, seu viventibus illis, qui tales Ec- „ clesias possident, privatis, seu particularibus perso- „ nis conferuntur in Titulum, irritæ sint, & nullius „ momenti. Si tamen ab Episcopo, vel ejus auctori- „ tate, ipsæ Ecclesiæ, etiam antequam vacent, seu vi- „ ventibus adhuc earum Rectoribus, pijs seu Reli- „ giosis locis donentur, seu concedantur in proprie- „ tatem (per unionem scilicet, seu incorporationem alicui Prælaturæ, seu dignitati, vel Monasterio) ratæ „ sunt tales donationes, seu concessiones: ita tamen, „ ut personæ, quæ dictas Ecclesias tunc possident, si- „ ne illarum consensu, quamdiu vivunt, ipsis pri- „ vari non debeant; quia ut addit *Gl. fin. ibid.* sine „ culpa sua non est aliquis Ecclesiâ, aut Beneficio suo spoliandus.

XVIII. Prima pars decisionis hujus Cap. constat etiam *ex c.* 1. 2. *& ult. de conces. præb.* & ratio est, quia donatio, seu collatio Ecclesiæ, aut Beneficij, quæ fit particulari personæ, fit in Titulum: cùm autem Titulus Beneficij, quippe spiritualis, sit indivisibilis, isque sit penes Rectorem, seu Beneficiarium investitum, non potest eo vivente, vel non remoto, in alium transferri, quandoquidem unius Ecclesiæ, aut Beneficij cujuscùnque non possunt simul esse duo Beneficiarij, seu intitulati, *c. Cùm non ignores*; 15. *& c. Tuæ*; 20. *de præb.* sicut non possunt duo simul habere unam uxorem carnalem. Ratio secundæ partis est, quia quando collatio, seu concessio Ecclesiæ, aut Beneficij fit alteri Ecclesiæ, aut Collegio, seu Monasterio, vel dignitati Ecclesiasticæ per unionem, seu incorporationem, etiam pleno jure, sive quoad temporalia, & spiritualia, tum non transfertur Titulus, qui manet penes Rectorem viventem: sed jus proprietatis, quod est penes concedentem, ut notat *Abb. hic nu.* 3. Et hoc casu Titulus, seu jus non est actu penes Rectorem Ecclesiæ, vel dignitatis, cui unita, & incorporata est Ecclesia, v. gr. Parochialis: sed habitu tantùm, seu potentiâ, actu verò est penes Vicarium intitulatum, seu perpetuum, ut dictum supra *Tit.* 5. *num.* 220. Porro alia ratio discriminis est, cur non possit Ecclesia, vel Beneficium non vacans conferri in Titulum personæ privatæ, possit autem in proprietatem, seu uniri alteri Ecclesiæ, vel Collegio, aut Monasterio; quia nimirum à SS. Canonibus reprobantur pacta, & promissiones de futura successione in Beneficiis, ne unus alterius mortem desideret, ideóque non potest quodcùnque Beneficium, vivente Beneficiario, alteri conferri: imò nec promitti,

c. 2. de conceſſ. præbend. At verò ſi Eccleſia, vel Beneficium, vivente adhuc ejus Rectore, conceſſum ſit in proprietatem, ſive unitum alteri Eccleſiæ, dignitati, vel Monaſterio, mortuo, vel remoto Beneficiario, non habet locum ſucceſſio; quia Beneficium, quoad Titulum ſuum principalem, non cenſetur vacare: ſed extinctum eſſe, nec quidquam præjudicatur ipſi Rectori, ſeu Beneficiario per unionem, cùm non habeat effectum, quamdiu is vivit, patet ex dictis ſupr. *Tit. 5. num. 211.*

XIX. Præterea poſſunt Hoſpitalarij ſe, & hoſpitale ſuum donando ſubjicere alteri Eccleſiæ, vel loco Religioſo, prout ſumitur *ex c. Inter dilectos; 8. h. t.* ubi talis caſus proponitur: Cùm lis orta eſſet » inter Hoſpitalarios S. Sepulchri, & Hoſpitalarios » S. Allucij ſuper eodem Hoſpitali, priores ſemel & » iterum ex diverſis cauſis judicium poſſeſſorium » intentârunt: ſed quia contrariam ſententiam re» portârunt, ad petitorium tranſeuntes, propoſue» runt, quòd G. Rector, & Fratres, ac Patroni Ho» ſpitalis S. Allucij conſtituerint illud ſubjicere Ho» ſpitalariis S. Sepulchri, committentes vices ſuas tri» bus procuratoribus, ita, ut quod ab ipſis actum » fuerit, ipſi approbarent: qui convenerunt cum » Hoſpitalariis S. Sepulchri, ut aliquos mitterent, » qui nomine omnium aſſignationem, & ſubjectio» nem Hoſpitalis S. Allucij acceptarent. Sed Pro» curator hujus Hoſpitalis reſpondit, donationem » hanc retractandam eſſe; quia inconſultis multis » Fratribus, & à Rectore, âc Fratribus paucioribus, » iisque excommunicatis, ac perjuris facta fuerit, & » in fraudem tertij, Plebani ſcilicet; qui ſuper eodem » Hoſpitali jam ante litem ijs moverunt. Verùm » Papa Innocentius III. conſiderans, quòd Fratres, » & Patroni Hoſpitalis S. Allucij propriam turpitu» dinem pro ſe, vel potiùs contra ſe allegârunt, vide» licet perjurium, excommunicationem, & fraudem » ab ipſis commiſſam: & quòd donatio illa fuerit » pura, & ſimplex, & dicti Hoſpitalarij ſe contra pro» prium factum legitimè defendere non poterant, » ideo prædictum Hoſpirale S. Allucij, cum perti» nentiis ſuis, Hoſpitalariis S. Sepulchri adjudicavit; » quia non deceptoribus, ſed deceptis jura ſubveni» unt, ita tamen, ut Epiſcopo Diœceſano, & tertio » illi, ſive Plebano, qui litem moverat ſuper eodem » Hoſpitali, per hanc ſententiam nullum præjudi» cium fiat; quia res inter alios acta, non debet alijs » præjudicium generare.

XX. Ubi Notandum primò. Si in authentico inſtrumento contractûs, vel alienationis expreſſum ſit, conſenſum Capituli interveniſſe, & poſtea aliquis dicat non majorem: ſed minorem ſolùm partem Capituli interfuiſſe, & conſenſiſſe, alleganti incumbit onus probandi, ut patet *ex hoc Cap.* in quo Hoſpitalarij S. Allucij donârunt Hoſpitale ſuum Hoſpitalariis S. Sepulchri, & ſic præſumptio fuit, eam donationem, ex conſenſu omnium Fratrum, vel ſaltem majoris partis eorum, factam eſſe: ſed quia poſtea allegârunt, ſolùm minorem partem conſenſiſſe, quod tamen probare non potuerunt, ideo ſuccubuerunt in judicio, *Imola hic n. 16. Abb. n. 2.*

Notandum ſecundò. Ex deciſione hujus Cap. otitur non exigua difficultas, nam Rector, & Fratres Hoſpitalarij S. Allucij allegantes ſe in excommunicatione conſtitutos, & perjuros donationem feciſſe, audiri debuiſſent, ſi quidem agebatur de ſubjectione unius Eccleſiæ, & Hoſpitalis alteri Eccleſiæ, & Hoſpitali, videlicet S. Sepulchri; cujusmodi donatio & ſubjecto non poterat fieri abſque conſenſu, & auctoritate Epiſcopi Loci, *c. Sicut; 8 de Exceſſib. Prælat.* ac proinde invalida fuit, nec potuit à Papa approbari, & non rectè dictum Hoſpitale, cum pertinentiis ſuis, adjudicatum fuit Hoſpitalariis S. Sepulchri. Ad quam difficultatem reſpondet primò, *Gl. in cit. c. Inter; V. Adjudicare, h. t.* quòd Hoſpitalarij iſti potuerint ſe ſubjicere alteri Hoſpitali ſub conditione, ſi Epiſcopus Diœceſanus conſenſerit, *arg. c. Olim; 12. de reſtit. ſpol.* vel per talem ſubjectionem ſibi poterant obeſſe, ne poſſent contravenire, non autem præjudicare Epiſcopo, nec Plebano, qui litem eis moverat; quia res inter alios acta, alijs non nocet, & ſic donatio iſta, vel ſubjectio valuit in præjudicium tantùm Hoſpitalariorum.

Aliam reſponſionem dat *Innocent. in cit. c. Inter; nu. 2. h. t. Hoſtienſ. ibid. V. Receperunt. & Abb. n. 12.* qui dicunt, Hoſpitale illud non fuiſſe Sacrum, ſive Eccleſiaſticum, videlicet auctoritate Epiſcopi conſtitutum, & fundatum, ſed Collegium ſæculari poteſtate erectum: cujusmodi Collegia ſæcularia inſtitui poſſunt ad finem honeſtum, ita, ut Rectorem, Syndicum, & Patronos ſibi conſtituere valeant, & ſe mutuò appellare, fratres, ut tradit *Innoc. in c. Dilecta; 14. n. 1. de exceſſ. Prælat. & Bart. in l. ult. ff. de Colleg. illicit.* Nec refert, quòd dictum Hoſpitale vocatum ſit S. Allucij; quia ſic vocatum fuit, vel quia Sanctum illum in Patronum ſibi elegit: vel fortè à vicina aliqua Eccleſia: vel quia in domo Hoſpitalis illius erat Oratorium privatum: non ſacrum, ſub Titulo illius Sancti, quod tamen non eſt ſignum loci Sacri, ſi campanile non habeat ad convocandum populum, *Abb. c. l. n. 8.* Et quamvis Epiſcopus, & Plebanus, ſeu Parochus contenderent, dictum Hoſpitale eſſe Eccleſiaſticum, & Sacrum, ideóque ipſis ſubjectum, tamen id probare non poterant. Quare cùm Hoſpitalarij illi fuerint in poſſeſſione ſuæ libertatis, & immunitatis à ſubjectione Epiſcopi, & Parochi loci, poterant communi conſenſu ſe, & Domum ſuam, unâ cum pertinentiis, ſubjicere Hoſpitali S. Sepulchri, etiam irrequiſito conſenſu Epiſcopi; ideóque Pontifex hanc donationem, ſeu ſubjectionem ratam habuit, ſine præjudicio tamen Epiſcopi, & Parochi, ſi fortè in judicio probare poſſint, Hoſpitale illud ſibi ſubjectum eſſe, ac proinde ſine conſenſu Ordinarij non potuiſſe donari, vel alienari; res enim inter alios acta, ſeu judicata non debet alijs præjudicare, prout etiam habetur *in c. pen. de ſent. & re judic.* Et hæc reſponſio non caret etiam omni probabilitate.

XXI. Porro huc quoque pertinet, quod ſtatutum habetur *in c. Apoſtolicæ; 9. h. t.* quod eſt deſumptum *ex Concilio Toletano 9. c. 5.* & refertur *in c. Bonæ rei; 74. cauſ. 12. q. 2.* ubi definitur, ut ſi Epiſco» pus in Parochia ſua (hoc eſt, Diœceſi, *Abb. hic* » *n. 2.*) Monaſterium conſtruere voluerit, & de re» bus Eccleſiæ, cui præſidet, illud dotare, non am» plius eidem date poſſit, quàm partem quinquage» ſimam, centeſimam autem cenſûs Eccleſiæ ſuæ, ſi » ex Eccleſia ſæculari velit facere Monaſterium, vel » in ea ſepulchrum ſibi eligere. Quia tamen in eo» dem

» dem cap. adjungitur, id cum temperamento conceſſum eſſe, videlicet ut, dum alienæ Eccleſiæ competens ſubſidium confertur, propriæ Eccleſiæ grave damnum non inferatur: item ut Epiſcopus unam ſolùm ex his duâbus, quam maluerit, donationem faciat; ideò hoc obſervandum eſt, ita, ut Epiſcopus, ſive idem, ſive alius, neque tantum quidem, imò nec minus quinquageſimâ, vel centeſimâ parte, ſive ſimul, & ſemel: ſive ſæpius, & ſucceſſivè, in pias illas cauſas de rebus Eccleſiæ poſſit conferre, cum gravi detrimento ejusdem. Alioquin ſi quid cum gravi detrimento Eccleſiæ ſuæ, ſive ex poſſeſſionibus, aut bonis, ſive ex reditibus ad Epiſcopalem Menſam, vel Cathedralem Eccleſiam pertinentibus datum eſſe, conſtiterit, id poterit legitimè revocari, niſi præſcriptione, vel aliâ legitimâ exceptione (v. g. rei judicatæ, *Gl. hîc V. Exceptione*) actio, ſeu revocatio excludatur. Nam etſi primâ facie præſumi poſſit, quòd per collationem quinquageſimæ partis non inferatur Eccleſiæ grave detrimentum; ex variis tamen circumſtantiis, quæ potiùs ex oſtenſione facti (quia v. g. Eccleſia alieno ære gravata eſt, vel quia graves expenſas nunc facere debet, *Gl. hîc V. Ex oſtenſione*) quàm expreſſione ſtatuti cognoſci queunt, interdum deprehendi poteſt, quod nec quinquageſima, nec centeſima pars, ſæpius, vel ſemel, ſine gravi Eccleſiæ detrimento, conferri poſſit. Quòd ſi verò Epiſcopus ita abundet reditibus, & poſſeſſionibus, ut ſine gravi detrimento Eccleſiæ ſuæ, poſſit etiam amplius, quàm donatione quinquageſimæ, & centeſimæ partis, alteri Eccleſiæ ſubvenire, non quidem per ſe debet ſummam à prædicto Canone Concilij Toletani, ad incautas donationes vitandas, definitam, excedere: cum Superioris tamen, videlicet S. Pontificis auctoritate, poteſt etiã in majore quantitate alterius Eccleſiæ inopiam ſublevare.

XXII. Hinc infertur primò. Epiſcopus poteſt, etiam ſine conſenſu Capituli, & licentiâ S. Pontificis, ſemel, vel ſucceſſivè donare, ſeu conferre partem quinquageſimam bonorum, ad dotandum Monaſterium jam extructum, vel partem centeſimam, ad ſubveniendum alteri Eccleſiæ extructæ; quia ad dotandum eſt obligatus, & eſt alienatio, ſeu donatio, quæ fit ex neceſſitate, ſeu obligatione juris, in qua non requiritur conſenſus Capituli, vel alia ſolennitas, *Abb. in c. Paſtoralis; 9. de his quæ fiunt à Prælat. ſine &c. n. 4. & ibid. Fagnan. n. 10. & 11.* non autem hanc poteſtatem donandi habent Prælati Epiſcopo inferiores; quia tam antiqua, quàm nova jura de Epiſcopis tantùm mentionem faciunt, *Abb. in cit. c. pen. n. 2. h. t.*

Infertur ſecundò. Ad hanc donationem faciendam requiritur primò, ut Monaſterium, ſeu Eccleſia, cui fit donatio, ſit intra Diœceſin Epiſcopi ſita, non enim cenſetur tanta alienatio, quàm ſi bona extra Diœceſin transferantur: poteſt tamen Epiſcopus talem donationem facere etiam Monaſterio, ſeu Eccleſiæ exemptæ, ſitæ intra Diœceſin; quia illa eſt in Diœceſi, licèt non ſit de Diœceſi, *Abb. in cit. c. pen. num. 3.* Et cùm privilegium hoc Epiſcopis conceſſum, ſit valde favorabile, largè, & amplè explicari poteſt, quatenus verborum proprietas patitur. Deinde requiritur, ut Monaſterium ab initio ſit extructum ab Epiſcopo, vel ejus Anteceſſore, aut Eccleſia Sæcularis in Monaſterium ſit converſa, cum conſenſu Capituli, ut colligitur *ex c. Si Epiſcopus; 33. cauſ. 17. q. 2.* poteſt tamen Epiſcopus Eccleſiam, vel Monaſterium jam exſtructum, etiam ſine Capituli conſenſu dotare, cùm id æquum, & neceſſarium ſit, modò fiat ſine gravi damno Eccleſiæ dotantis, *Abb. in cit. c. pen. n. 7. h. t. & in cit. c. Paſtoralis; 9. n. 4. de his quæ fiunt à Præl. &c.*

Infertur tertiò. Epiſcopus hanc donationem facere poteſt, non ſolùm de reditibus, ſeu proventibus, ſed etiam de poſſeſſionibus, ſive bonis Eccleſiæ, ut colligitur *ex Textu cit. c. pen. ibi: de rebus Eccleſiæ, & ibi: de poſſeſſionibus, Abb. hîc n. 8.*

XXIII. Infertur quartò. Epiſcopus talem donationem Monaſterio, vel Eccleſiæ, non poteſt facere per teſtamentum, vel aliam ultimam voluntatem, ſed ſolùm per donationem inter vivos; quia diſpoſitio per ultimam voluntatem extenditur, & refertur ad tempus mortis, in quo Prælatus non habet amplius adminiſtrationem rerum Eccleſiæ, *Abb. in cit. c. pen. num. 9.*

Infertur quintò. Epiſcopus nec ſimul, & ſemel, nec etiam ſucceſſivè, & diverſis temporibus, poteſt donare ultra quinquageſimam, vel centeſimam partem; quia per donationes repetitas æquè poteſt perveniri ad quantitatem prohibitam, & alioquin fraus fieri poſſet ipſi legi, prout ſumitur *ex cit. c. pen.* nam plures parvæ ſummæ ſimul collectæ conſtituunt unam magnam, *Imola ibid. n. 14.* Aliud eſt, ſi plures donationes fiant ſucceſſivè ex diverſis cauſis, ita, ut moralem conjunctionem inter ſe habeant, de quo infrà.

Infertur ſextò. Si donatio, vel dotatio Monaſterij, vel Eccleſiæ ab Epiſcopo facta fuit, ſive ultra, ſive etiam usque ad partem quinquageſimam, vel centeſimam, cum gravi damno Eccleſiæ Epiſcopalis, ea ipſo jure eſt irrita, quippe à SS. Canonibus in hoc caſu non conceſſa: ſed prohibita, ideóque revocari poteſt, ac debet. Si verò ab initio facta ſit donatio, cum gravi damno Eccleſiæ: ſed ex probabili errore, quia Epiſcopus probabiliter exiſtimavit, eam dotationem non ceſſuram in grave damnum Eccleſiæ ſuæ, etſi poſtea de contrario conſtet, quòd ſit damnoſa, valida tamen erit donatio, quamvis per Beneficium reſtitutionis in integrum reſcindi, & revocari poſſit, ac debeat, *Abb. c. l. n. ult.*

Infertur ſeptimò. Si donatio rei immobilis, etiam cum gravi damno Eccleſiæ donantis facta ſit, poteſt Monaſterium, vel Eccleſia dotata, cum bona fide, & lapſu 40. annorum præſcribere, ita, ut revocari non poſſit; quia eſt ignorantia, non juris, ſed facti, utrùm Eccleſia graviter lædatur, & ideo, cùm præter bonam fidem habeat titulum, Eccleſia dotata poteſt præſcribere, *Gl. in cit. c. pen. V. Præſcriptione, &c.*

XXIV. Denique huc etiam pertinet, quod ſtatutum eſt *in c. Paſtoralis; 7. h. t.* Nam cùm quæſitum fuiſſet ex Papa Innocentio III. ſi Epiſcopus, conſentiente Patrono, Eccleſiam aliquam Religioſis concedat, his verbis ſimplicibus utendo: *concedimus vobis hanc Eccleſiam*: utrùm is cenſendus ſit, eo ipſo proventus Eccleſiæ illis donâſſe, ſive in uſus eorum conceſſiſſe: an verò jus Patronatûs tantùm? Ad hoc reſpondet Papa, ſi Epiſcopus Eccleſiam illis conferat ex conſenſu Patroni, tum Patronus cenſe-

censetur ipsis voluisse conferre, quod suum est, vi- »
delicet jus Patronatûs: Episcopus verò id donare, »
quod ex temporalibus proventibus in eadem Ec- »
clesia obtinet, ita, ut si Episcopus portionem ali- »
quam proventuum inde percipiat, ea in Religio- »
sorum usus convertatur. Quòd si ex proventibus »
illius Ecclesiæ nullam Episcopus portionem obti- »
neat, tum omnes proventus, præter Cathedrati- »
cum, in eorundem usus sunt convertendi. Sed ut »
hæc concessio, seu donatio Episcopi sit legitima, »
consensus Capituli est requirendus.

XXV. Ratio primæ partis, & decisionis, quòd tunc jus Patronatûs censeatur concessum, ratio, inquam, est; quia si quis consentiat in donationem, vel alienationem rei, in qua jus habet, vel eidem subscribat, tunc censetur transferre voluisse, quod suum est, in alterum, seu jus, quod in re habet, à se abdicare, siquidem alienatio, sine ipsius consensu, validè fieri non potuit: ut in casu *cit. c. Pastoralis*; donatio Ecclesiæ, sine consensu Patroni, & patet *ex l. Fidejussor* 5 26. §. *Pater, ff. de pignorib.* & tradit *Gl. in l. Gaius* 39. *V. Non obesse, ff. de pignorat. act.* Secus est, si quis consentiat in alienationem rei, in qua jus habet, quam tamen alius, etiam ipso invito, alienare potuit, tunc enim consentiendo, vel subscribendo alienationi ab alio factæ, sibi sive juri suo non præjudicat, *Gl. in cit. l. Gaius*; quia tunc adhibetur tantùm, ut testis factæ alienationis ab altero. Ratio secundæ, & tertiæ decisionis, seu partis est, quia licèt verbum *concedo*, quippe valde generale, ex sua generica significatione, non inportet translationem dominij rei concessæ, cùm etiâ precarium, vel commodatum sit concessio rei, sed ad usum tantùm: ideo ne frustratoria sit concessio Episcopi, in casu proposito, ea accipi, & intelligi debet, secundùm subjectam materiam, & qualitatem personæ donantis, & ejus, cui donatur; ac proinde interpretationem facere oportet, quòd vel Episcopus transferre voluerit in Monasterium jus quoddam singulare, ita, ut si Episcopus portionem redituum ipsemet percipiat, eam donare voluisse Religiosis censeatur. Vel si in hoc sensu verbum, *concedo*, verificari non possit; quia Episcopus nullos reditus percipit ex illa Ecclesia, interpretatio fieri debet, secundùm omnem dominij translationem, quatenus fieri potest, & solet, ita, ut quoad omnes reditus, Ecclesiam, quatenus potuit, unire, & incorporare voluerit Monasterio; interpretatio enim facienda est, ut actus magis valeat, quàm pereat, *l. Quoties*; 12. *ff. de reb. dubiis*, præsertim verò donatio, seu concessio gratiæ, *c. In his*; 30. *de privil. Innocent. in cit. c. Pastoralis*; *n.* 1. *h. t. Abb. ibid. n.* 2. nam secundùm *Innocent. c. l. Abbat. ibid. n. ult.* si Episcopus Archidiacono, vel Archipresbytero in quibusdam Ecclesiis Parochialibus jurisdictionem habenti de novo concedat Ecclesiam aliquam, quæ antea ei subjecta non erat, interpretatio fieri debet, quòd ipsi illam, non quoad fructus, seu proventus: sed quoad jurisdictionem subjicere velit. Sed quia Monasteria Parochias, quoad jurisdictionem, sibi subjectas, ordinariè habere non solent, ideo concessio, seu donatio Ecclesiæ ab Episcopo facta Monasterio, in dubio intelligi debet, id quod solvitur, ac datur, solvi, vel dari in signum, quòd Ecclesia sit eidem incorporata, sive donata, quoad proventus, vel omnes, vel quoad portionem, quam ipsemet percepit. Excipitur Cathedraticum, quod solvitur in signum subjectionis, & honorem Cathedræ Episcopalis; nam Episcopus non potest concedere, vel donare Ecclesiam sibi subjectam Monasterio, jure plenissimo, ita, ut omnino sit exempta ab ejus jurisdictione: sed quantumcùnque generalibus verbis illam eximat à jurisdictione Episcopali, semper tamen in illa retinet correctionem, visitationem, & Cathedraticum, *Gl. in cit. c. Pastoralis*; *V. Cathedraticum*, & *c. Venerabilis* 21. *de censib. Gl. in cit. c.* 1. *V. Traditæ, caus.* 16. *q.* 2. ubi rationem dat, quia Episcopus non potest constituere Judicem ordinarium in sua Diœcesi, nec abdicare à se jurisdictionem Episcopalem. Denique ratio ultimæ decisionis, quòd Episcopus non possit validè donare Ecclesiam Monasterio, sine consensu sui Capituli, est; quia est species quædam alienationis, ad quam requiritur consensus Capituli, *c. Cum nos* 53. & *c. Pastoralis*; 9. *de his, quæ fiunt à Præl.* & *c. Abb. in cit. c. Pastoralis*; 7. *n.* 5. *h. t.*

§. V.

Qualis in dubio interpretatio fieri debeat donationis, & quando præsumi possit donatio?

XXVI. Assertio 1. Latissima facienda est interpretatio donationis inter vivos, in favorem donatarij, prout constat *ex c. Cùm dilecti*; 6. *h. t.* Ubi cùm quidam vir Nobilis quasdam tetras alicui Monasterio purè, & simpliciter in eleemosynam donâsset, & postea aliam terram, sive bona eidem »
concessisset, sub conditione pensionis solvendæ, ita, »
ut si soluta non fuerit, bona illa redigi possint in »
forestam (hoc est, in saltum, sive locum arboribus »
consitum, & venationi aptum, in quo feræ inclu- »
duntur (*Gl. hîc V. Forestam, junct. Gl. Margin. h. t.*) »
filius illius Nobilis, Alanus nomine, non tantùm »
bona posteriùs: sed etiam priùs donata voluit de »
facto, & per violentiam auferre, & redigere in sal- »
tum. Verùm Abbas, & Conventus de hoc con- »
questi sunt apud Innocentium III. ne molestaren- »
tur. Respondit Papa, & mandavit Judicibus à se »
delegatis, ut pro Monasterio sententiam ferant, »
appellatione postpositâ; cùm ex instrumento dona- »
tionis transmisso evidenter appareat, quòd hæc »
fuerit mens, & intentio donatoris (ad quam in »
omni dispositione recurrendum est, sive considerandum, quid actum fuerit, *l. In conventionalibus*; 52. *ff. de V. O. l. Semper*; 34. *ff. de R. J. Gl. hîc V. Intentio*,) »
ut clausula in fine instrumenti, vel dispositionis »
posita de foresta facienda, non ad priorem dona- »
tionem, quæ pura, & libera fuit, ita, ut ab omni »
vexatione, & consuetudine sæculari esset immu- »
nis: sed ad posteriorem donationem, quæ pensio- »
nem, & conditionem insertam habet, secundùm »
sanum verborum intellectum, referri debeat; quia »
in contractibus plena: in Testamentis plenior: in »
Beneficiis, seu gratiis plenissima interpretatio faci- »
enda est. »

XXVII. Notandum primò. Fundator, etiam Laicus, potest donationi, quam facit Ecclesiæ, adjicere pactum, seu conditionem (modò ea SS. Canonibus non adversetur) de certa pensione ipsi, & hæredibus

redibus ejus solvenda: alioquî si soluta non fuerit, res donata cadat in commissum, ita, ut à fundatore, ejùsq; hæredibus revocari possit, *c. Verùm* 3 4. *de condit. appos.* & tradit *Abb. in hoc cap. n. 3.* imò etiam, propriâ auctoritate, rem donatam hoc casu occupare, ejùsque possessionem apprehendere possit, juxta doctrinam *Bartoli in l. 3. n. 1. C. de pignor. & Imol. hîc nu. 4.* Aliud verò est, si pactum simpliciter sit conceptum, ut Ecclesia pensionem solvat, vel aliud onus præstet, vel ne rem donatam alienet, non adjectâ tamen clausulâ *commissi*, ita, ut si pactum non impleatur, res donata ad donatorem redeat; tunc enim etsi pactum non servetur, non tamen res donata Ecclesiæ, vel alij loco pio revocari potest: sed solùm agi ad implendum modum, seu onus adjectum, *cit. c. Verùm, de condit. appos.* Ratio est, quia hoc posteriore casu, donatio principaliter facta est, non propter onus adjectum: sed pietatis causâ in DEUM, ideóque, etsi onus adjectum non præstetur, durat tamen pia affectio donatoris, unde meritò non revocatur donatio: sed ad impletionem oneris agitur. In posteriore verò casu, quando clausula commissi adjecta est, apertè constat de mente donantis, quòd velit revocatam donationem, si oneri adjecto non satisfiat, *Canisius in cit. c. Cùm Dilecti; n. 3. & 4. h. t.*

XXVIII. Notandum secundò. Licèt aliàs clausula in fine instrumenti, vel dispositionis posita, etiam onerosa, referatur ad omnia præcedentia, etiamsi diversa sint negotia, *c. Secundò requiris* 3 41. *& c. Inquisitionis* 3 71. *de appellat.* hoc tamen non procedit in pluribus donationibus in eodem instrumento contentis, quarum prior facta est purè, & sine aliquo onere, ac conditione: posterior verò cum onere, seu conditione pensionis adjectâ, tunc enim clausula onerosa in fine adjecta, non ad priorem: sed ad posteriorem tantùm donationem referri debet. V.G. Si quis donet Monasterio alicui fundum Titianum, & Sempronianum, cum eo onere, ut ipsi donatario, ejúsque hæredibus solvat ex eo 10. aureos annuos, vel cum reservatione in eo juris venandi, tunc onus, seu conditio in fine adjecta referetur solùm ad donationem posterioris fundi: non prioris, quæ jam habuit determinationem, ut sit pura, ac libera ab omni impetitione sæcularium, *Abb. in cit. c. Cùm dilecti; n. 6. & 7. h. t.* ubi addit, aliud esse, si utraque donato sit purè facta, sine onere, vel conditione adjecta, tunc enim non apparet ratio, cur clausula onerosa adjecta in fine magis referatur ad proximè antecedentem, seu posteriorem, quàm ad priorem.

XXIX. Notandum tertiò. In contractibus plena: in Testamentis, seu ultimis voluntatibus plenior: in Beneficiis, seu donationibus, & gratiis, seu privilegiis plenissima interpretatio facienda est, ut habetur *in hoc cap.* Et in primis quidem, quòd in contractibus bonæ fidei plena sit facienda interpretatio, ita, ut extensio fiat etiam ad id, quod verbis non est expressum, colligitur *ex l. Cùm quid; 3. ff. de reb. cred. & l. ult. C. Quæ res pign. oblig. poss.* ubi dicitur, cùm sit justum voluntates contrahentium magis, quàm verborum conceptionem inspicere. Ratio est, quia in contractibus, iisque reciprocis, sive ultrò citrò que obligatoriis, servari debet æqualitas inter contrahentes, ideóque verba non nimis strictè, nec nimis amplè interpretari oportet, in favorem unius, & in odium alterius: sed prout bona fides postulat, ita, ut neutra pars gravetur. Secundò, in Testamentis, ac ultimis voluntatibus plenior, seu amplior interpretatio fieri debet, ut habetur *in l. In Testamentis; 12. ff. de R. I.* & colligitur etiam *ex l. Si cui; 3. ff. de tritico, vino, & oleo legat.* Ratio est, quia qui testatur, vel legatum, aut aliquid mortis causâ relinquit, is liberaliter donationem aliquam facit, ideóque largior interpretatio fit, quàm in contractu, etsi non tam liberalem, quàm is, qui inter vivos donat, vel beneficium, aut gratiam confert. Tertiò, in beneficiis, donationibus, privilegiis, & gratiis, plenissima, seu amplissima interpretatio facienda est, ut habetur *in c. Quia circa; 22. de privileg.* præsertim verò Beneficia Principum largissimè interpretari oportet, *c. Olim; 16. de V. S.* & sumitur *ex l. Immunitates; 4. ff. de jure immunit.* Ratio est, quia cùm donationes inter vivos, & gratiæ concessiones ex mera liberalitate procedant, præsumitur, quòd largissimè etiam donator eas voluerit accipi, & intelligi, & nullo modo restringi, aut gravari, nisi id exprimat, *Abb. in cit. c. Cùm dilecti; num. 4. h. t.*

XXX. Limitatur autem primò, quòd beneficia, privilegia, & gratiæ debent amplè interpretari, quando agitur de præjudicio concedentis: non autem quatenus cedunt in præjudicium tertij, *l. 2. C. de precib. Imperat. offer. & l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco, vel itin. publ.* ubi dicitur, quòd in rescripto, aut privilegio Principis non censeantur concessa, quæ alijs incommodum, seu præjudicium afferunt, nisi aliud in rescripto exprimatur. Secundò, neque beneficia, seu privilegia amplè interpretari oportet, quatenus derogant Juri communi, ut dispensationes; nam omnis recessus à Jure communi est odiosus, cùm magnus sit favor Juris publici, *Gl. in c. 3. V. Dispensationes, de offic. Jud. Ordin. in 6. Abb. in cit. c. Cùm dilecti; num. 5. h. t. arg. c. 1. in fine, & c. 2. de filiis Presb. & c. Dilecti; 3. de consang. & affin.*

XXXI. Assertio 2. Regula generalis est, donationem non præsumi, quoties alia interpretatio, vel conjectura fieri potest, *l. Cùm de indebito; 25. §. Sin verò, ff. de probat. Menoch. de arbitr. Judic. casu 88. num. 1. & 2.* adeò, ut neque ob solam sanguinis conjunctionem, etsi arctissimam, præsumatur donatio, nisi aliæ conjecturæ accedant, *Menoch. cit. loco n. 9. & 10.*

Sunt tamen plures casus, in quibus donationem jura præsumunt. Veluti primò, si vir Nobilis, seu Illustris, & dives aliquid det, modò summa, vel res data non sit magna, *Gl. in l. Si uxori; 32. §. fin. ff. de legat. 3. Menoch. c. l. n. 39. & 52.*

Idque confirmatur *ex c. Prudentes; 1. h. t.* Ubi S. Gregorius Papa ita rescribit: Vir Nobilis hanc sibi quodammodo legem imponit, ut si quid sponte tribuat, id se debere existimet, & nisi in Beneficiis creverit, sive ea augeat, nihil se præstitisse reputet: propria enim virtus Nobilium est liberalitas, *Abb. hic n. 2.* Alius intellectus hujus cap. est, quòd qui promisit aliquid donare, illud tanquam debitum adimplere tenetur, *Abb. hic n. 1.* Secundo, donatio præsumitur, cùm benè merita præcesserunt, quod enim postea datur, censetur donatum in remunerationem præcedentium meritorum, *Menoch. c. l. n. 53.* Tertiò, præsumitur donatio, si venditor, nullâ necessita-

cessitate, vel dolo inductus, rem magni valoris minimo pretio vendat, cùm bene nosset justum ejus pretium: nam quod deest de justo pretio, & non accepit, donâsse præsumitur, *Menoch. c. l. n. ult.* apud quem plures hujusmodi casus legi possunt, in quibus donatio præsumitur.

§. VI.

An, & quando donatio inter vivos revocari possit, ob ingratitudinem?

XXXII. Assertio 1. Donatio inter vivos, semel ritè perfecta, nudo pacto, seu consensu, etiam nullâ stipulatione interveniente, vel traditione nondum factâ, regulariter revocari non potest solâ voluntate, seu pœnitentiâ donatoris, *l. 2. & l. ult. C. de revoc. donat.* Neque etiam rescripto Principis, *l. Si donationem 5.* vel propter amissionem instrumenti donationis revocari potest, *l. 2. C. eod.* Ratio est, quia jus semel alicui acquisitum non debet ei sine causa auferri, ne quidem auctoritate Principis, nisi ob causam utilitatis publicæ, *Zæsius ff. h. t. n. 73.* Ab hac regula excipiuntur tres causæ generales, & principales, propter quas donatio, quamvis traditione perfecta sit, revocari potest, de quibus in sequentibus agemus.

XXXIII. Assertio 2. Donatio inter vivos, propter ingratitudinem donatarij erga donantem, in quatuor casibus revocari potest, enumeratis *in l. fin. C. de revoc. donat. & in c. Propter; 10. & ult. h. t.* Ubi » Papa Gregorius IX. ita rescribit: Donator, pro» pter ingratitudinem ejus, in quem liberalitas est » collata, eam ex juris rigore revocare potest. Velu» ti, si fortè impias in eum manus injecerit: vel si » atroces injurias, vel grave rerum suarum da» mnum, vel vitæ periculum ipsi inferre præsumpse» rit. Verùntamen si donator tacuit, jus revocan» di ad successorem ejus, qui hoc tacuit, non extendi» tur, adeóque is revocare donationem non potest.

XXXIV. Prima igitur causa ingratitudinis est, si donatarius manus impias, ac violentas in donatorem injecerit, sive id fiat manibus, sive pedibus, sive per lapidem, vel rem aliam, & sive per se, sive per alium, juxta *l. Non solùm; 11. in princ. ff. de injuriis*: modò percussio sit injuriosa, & non sine culpa mortali: nam si injectio manuum fieret, ob defensionem Reipublicæ, vel propriam, vel proximi, revocationi non esset locus; quia ubi non est culpa, nec pœna inferri debet. Idémque est, si quis injuriosè percuteret donantem, quem tamen ex probabili ignorantia alium esse putabat; tunc enim deest animus injuriandi, seu offendendi donantem, sine quo non infertur injuria; *l. 3. §. 1. ff. de jurejur. Mol. tr. 2. de Justit. n. 2. §. Secunda est.* Altera causa ingratitudinis est, si donatarius atroces injurias in eum, qui donavit, effundat, sive verbis injuriosis, aut contumeliosis eum afficiat, absque manuum tamen injectione; quia tunc ad primam causam talis injuria pertineret, *Mol. c. l.* sive facto, ut si v. g. donatarius adulterium cum uxore donantis, vel stuprum cum ejus filia committat. Injuria autem atrox æstimanda est ex circumstantiis, & qualitate personæ, cui infertur, aliisque, ideóque prudentis judicis arbitrio relinquitur judicandum, quæ sit injuria atrox, *Molin. c. l. §. Prima est.* Sufficit autem, si vel unica gravis injuria verbis, vel facto inferatur, ad revocandam donationem, neque enim lex requirit, ut iteretur, *Molin. c. l. Zæsius ff. h. t. num. 85.* Ad hanc causam reducitur, si donatarius non coactus, & nullâ causa urgente, donatorem accuset de crimine, ob quod pœna mortis, mutilationis, exilij, infamiæ, vel amissionis notabilis partis bonorum incurritur, vel si in tali causa sit testis, Advocatus, vel Procurator, *Molin. c. l.*

Tertia causa est, si donatarius grave damnum inferat donatori in rebus, seu bonis suis externis, id quod similiter judicis arbitrio, spectatis circumstantiis, definiendum erit. Neque verò sufficit ad revocandam donationem, quòd donatarius attentârit inferre grave damnum: sed requiritur, ut reipsâ damnum sit illatum, cum jactura notabilis partis bonorum, ut patet *ex cit. l. fin. C. de revoc. donat. Molin. c. l. §. Tertia.*

Quarta causa est, si donatarius grave periculum vitæ donanti inferre præsumpserit, per se, vel per alium, absque justa causa, etiamsi mors secuta non sit: sufficit enim, quòd insidias vitæ ipsius struxerit, ex quibus grave ipsi vitæ periculum imminebat, ut colligitur *ex cit. l. fin. & ibi Gl. V. Periculum, Mol. c. l. §. Quarta est.*

Porrò quando *in cit. c. ult. h. t.* dicitur, donationem ex prædictis causis donatorem posse de rigore juris revocare, rigor juris ibi non accipitur, prout opponitur æquitati: sed pro jure scripto, quod præferendum est æquitati non scriptæ, sive in jure non expressæ, *c. ult. de transact. Abb. in cit. c. ult. n. 3. in fine.*

Additur *in cit. l. fin. C. de revoc. don.* Quinta causa, si nimirum donatio facta sit, adjecto modo, vel gravamine, v. g. ut donatarius pensionem præstet singulis annis: & hic modum, seu gravamen, sub quo donationem acceptavit, postea non implevit, potest enim revocari donatio. Verùm hoc casu, non tam ob ingratitudinem, quàm ob non impletam conditionem, seu modum, revocatur donatio.

XXXV. An autem, præter has quinque causas in jure expressas, etiam ob alias causas ingratitudinis majores, vel æquales, revocari possit donatio, controvertitur inter Dd. Affirmat *Gl. in cit. l. fin. V. Voluerit, C. de revoc. donat. Abb. in cit. c. ult. nu. 3. h. t. Clar. §. Donatio, q. 21. n. 2. & 3. Silvest. V. Donatio, q. 13. Less. Lib. 2. c. 18. num. 104. & alij passim.* Cujusmodi causa est, si donatarius non suppeditet alimenta donatori magnæ quantitatis egenti; cùm necare censeatur is, qui alimenta denegat, *l. 4. ff. de agnosc. liber.* & filius tenetur alere patrem inopem, *l. Si quis; 5. in princ. & §. Parens, ff. eod.* Ratio est, quia ubi est eadem, vel etiam major ratio, eadem etiam est juris dispositio, *l. Illud; 32. ff. ad leg. Aquil.* ut in proposito, eadem vel major causa ingratitudinis. Neque obstat, quòd *in cit. l. fin.* dicatur: *Ex his tantummodò causis donationes everti concedimus*; quia dictio *tantùm*, non excludit similes, vel majores causas, sed minores duntaxat. Et hæc sententia communior est, & æquior. Contraria tamen sententia in puncto juris verior videtur, quam tenet *Molin. cit. disp. 281. num. 8. Laym. cit. c. 12. num. 17. Zæsius in*

Comment. in Jus Canon. h. t. n. 12. *& ff. eod. n.* 90. *&* 91. Nam *in cit. l fin.* absolutè restringitur revocatio donationis ad causas ibi expressas, Lex autem pœnalis, etiam propter paritatem, aut majoritatem rationis, non debet extendi ad casus non expressos. Interim tamen æquitas postulat, ut donatarius, cui magna pars bonorum donata est, cogatur Officio Judicis ad præstanda alimenta donatori ad inopiam redacto, ut notat *Zæsius c. l. n.* 91. *in fine.*

XXXVI. Notandum hîc præterea primò. Donatio ob ingratitudinem non revocatur ipso jure: sed revocanda est per sententiam Judicis, adeóque necesse est, ut ingratitudo probata sit à donatore in judicio, & sententia pro ipso lata, *cit. l. fin. ibi: si fuerint in judiciis dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ. C. de revoc. don.* quare donatarius non tenetur ad restitutionem, ante sententiam. Quòd si res nondum sit tradita donatario, potest donator, post commissam ingratitudinem, ei rem non tradere, & petentem excipiendo repellere; cui enim post solutionem, aut traditionem datur repetitio, ei ante illam datur exceptio. Si verò re traditâ, donatarius vi, vel dolo impediat donantem, ne in judicio revocationem petere possit, potest is viâ occultæ compensationis uti; quia per injuriam damnum patitur, *Less. cit. c.* 18. *n.* 106.

Notandum secundò. Probatâ ingratitudine, & latâ sententiâ pro donatore, revocantur etiam fructus, adeóque præter rem donatam, omnes restituendi sunt, qui percepti post litem contestatam, non autem, qui ante illam; quia illos percepit donatarius ex re propria, & cujus dominium habebat, *Molin. cit. dis. n.* 6. *Zæs. ff. h. t. n.* 103. Quamvis *Palao dis.* 2. *pun.* 23. *n.* 14. putet, non obligari donatarium ad restituendos fructus perceptos, ante sententiam revocationis, spectato juris rigore, cùm usque ad sententiam sit dominus rei donatæ. Verùm hoc nihil probat; quia etiam bonæ fidei possessor est dominus fructuum, & tamen omnes fructus extantes, etiam ante litem contestatam perceptos, & post illam, etiam non extantes restituere tenetur, juxta *l. Certum; 22. C. de rei vindic.*

Notandum tertiò. Etsi ob ingratitudinem revocari possint omnia donata, quæ tunc adhuc sunt penes donatarium: non tamen illa, quæ ante litem ipsi motam, desiit possidere; quia nimirum vendidit, vel donavit, vel permutavit, vel in dotem dedit, vel aliàs legitimè alienavit, juxta *l. His solis; 7. C. de revoc. donat.* idque ne ei, ad quem res legitimo Titulo pervenit, præjudicetur per factum alienum: nisi alienatio facta sit in fraudem donatoris, sciente eo, in quem alienatio facta est: juxta ea, quæ traduntur *ff. quæ in fraudem creditorum, Zæsius ff. h. t. num.* 100. Sed & res pignori, vel hypothecæ à donatario subjectæ revocari possunt à donatore; quia dominium earum manet penes debitorem oppignorantem, adeóque non sunt verè alienatæ, *l. Alienatum; 67. ff. de V. S.* ita tamen, ut jus pignoris salvum maneat creditori: ideóque donator, revocans donationem, redimere debet pignus, ne revocando jus tertio acquisitum injustè lædatur, cùm res transeat cum sua causa, seu onere, *l. Si convenerit;* 18. §. *Si fundus, ff. de pignorat. act. Zæsius ff. h. t. n.* 101.

XXXVII. Assertio 3. Sunt tamen quædam donationes, quæ ob ingratitudinem revocari non possunt. Veluti primò, donatio remuneratoria meritorum, vel ob causam facta, ut patet *ex l. pen. §. Si quis; junct. Gl. V. Irrevocabilis, & l. Aquilius;* 27. *ff. h. t.* & tradit *Gl. in cit. l. fin. V. Inveniatur, C. de revoc. donat. Abb. in cit. c. ult. n.* 11. *h. t. Clar. cit. q.* 21. *nu.* 4. *Mol. cit. dis. n.* 12. *& alij communiter.* Ratio est, quia talis donatio non est propriè donatio, sed potiùs commutatio, sive compensatio meritorum: Quod tamen limitat *Molin. c. l.* revocationem ob ingratitudinem, habere locũ in ijs donationibus remuneratoriis, quæ ex decentia solùm sunt debitæ, seu ex honestate, ut si donatio fiat Ministris, ultra sua stipendia, ob præstita servitia, quæ non ex justitia dominus compensare tenebatur, hæ enim revocari possunt, ob supervenientem ingratitudinem. Sed alij absolutè docent, etiam remunerationes debitas ex honestate solùm, revocari non posse; cùm etiam habeant vim, & rationem non meræ liberalis donationis: sed honestæ compensationis, *Palao cit. dis.* 2 *pun.* 31. §. 3. *num.* 2. Illud magis certum est, quòd donatio remuneratoria, quatenus excedit merita, ob ingratitudinem revocari possit, cùm ut sic sit merè liberalis donatio, non compensatio, *Canis. in c. ult. h. t. n.* 19.

Secundo donatio facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alij loco pio, ob ingratitudinem Prælati, seu Administratoris, vel Capituli, vel etiam utriúsque simul, revocari non potest, ut docet *Clar. cit. q.* 21. *n.* 5. *Less. c. l. nn.* 105. *Zæsius ff. h. t. nu.* 97. Ratio est, tum quia donatio facta Ecclesiæ censetur facta DEO, in quem nulla ingratitudo cadere potest, cùm sit omnium donorum largitor: Prælatus verò, seu Administrator ingratus non est donatarius: tum quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, *Reg.* 76. *in* 6. potest tamen, si fructus rei Ecclesiæ donatæ ad Mensam Prælati pertineant, ijs privari Prælatus in pœnam ingratitudinis, ad tempus vitæ suæ, *Zæs. l.*

Tertiò dos, quæ fuit assignata à patre filiæ, non potest, post contractum matrimonium, revocari ob ingratitudinem ipsius, vel mariti, *l. Si dotem;* 24. *C. de jure dot.* quia fuit data ob causam, ob quam pater tenebatur illam dotare, *l. Qui liberos;* 19. *ff. de ritu nupt.* & sic non merè liberaliter dedit: sed magis debitum persolvit, *Molin. cit. dis. n.* 13. Idémque probabilius dicendum est de extraneo, qui dotem dedit, quòd propter ingratitudinem uxoris, vel viri, etiam post dissolutum matrimonium, dos revocari non possit, sive extent liberi, sive non; nam licèt non teneretur ad dotandum, quia tamen dedit ex causa onerosa, dos enim habet rationem contractûs onerosi, ideo non videtur merè liberaliter dedisse, & consequenter revocatio locum non habet, *Mol. c. l. Zæsius ff. h. t. n.* 96. Idémque est de donatione propter nuptias factâ, *Mol. cit. n.* 13. *in fine.*

Quartò Collator Beneficij non potest revocare collationem, ob ingratitudinem Beneficiarij, in ipsius personam commissam; quia non est merè liberalis donatio, respectu Collatoris, qui ex necessitate officij tenetur Beneficia conferre, & cùm de suo nihil donet, non potest dici exercuisse liberalitatem, licèt in eo, quòd huic potiùs, quàm alteri conferat, beneficentiam aliquam præstet, *Abb. in cit. c. ult. nu.* 9. *h. t. Clar. c. l. n.* 6. *Mol. c. l. n.* 14.

XXXVIII. Assertio 4. Si donator scivit ingratitudinem commissam esse à donatario, & tacuit, sive volun-

voluntatem revocandi donationem non declaravit, ipso mortuo, ejus hæres, sive successor illam revocare non potest, prout statuitur *in cit. c. ult. in fine h. t. & l. fin. C. de revoc. donat. Abb. in cit. c. ult. num. 4. Molin. cit. disp. num. 3. & alij communiter.* Ratio est, quia jus revocandi donationem, est jus personale, quod morte donantis extinguitur, jus enim hoc competit donanti, ob injuriam acceptam à donatario, sive propter ingratitudinem commissam adversùs se à donatario, actio autem injuriarum, nec hæredi donatoris, nec in hæredem donatarij datur: sed morte tum ejus, cui injuria facta est, tum injuriam inferentis, extinguitur, *l. Injuriarum* § 13. *in princ. ff. de injur.* ideóque nec donator, mortuo donatario, potest revocare donationem, nec hæres, sive successor donatoris potest rem donatam repetere ab hærede donatarij defuncti, propter ingratitudinem ab ipso commissam, ut colligitur *ex cit. l. ult. in fine C. de revoc. donat.*

Verùm plures Dd. dicunt, distinguendum hîc esse, nam vel donans scivit injuriam, seu ingratitudinem ab ipso commissam esse, & non revocavit donationem in vita, tunc censetur illam remisisse donatario; quia sciens dissimulavit: Vel ignoravit, aut morte præventus, vel aliter impeditus revocare non potuit, cùm vellet, & tum jus revocandi donationem transit ad hæredes donatoris, ut colligitur *ex cit. c. ult. h. t. in fine*, ubi dicitur, quòd jus revocandi donationem ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores: qui autem ignoravit, vel tempus non habuit ad revocandum, sive aliter impeditus fuit, non censetur tacuisse, & consequenter jus revocandi ad successores transmittit, & actio datur: tam ex parte donantis, hæredibus ipsius, quàm ex parte donatarij, contra hæredes ejusdem, *Abb. ibid. num. 7. & Molin. cit. dis. num. 3.* licèt contrarium teneat, *Zæsius ff. h. t. num. 104.* quia actio, seu condictio *ex cit. l. fin. C. de revoc. donat.* revocatoria donationis oritur ex delicto, adeóque contra hæredes delinquentis non competit, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, *l. unic. C. Ex delicto defuncti, &c.* Addit *Zæs. c. l.* quòd etiam stante ignorantiâ defuncti, hæres donatoris non possit agere contra donatarium: quod verum est, loquendo de ignorantia culpabili, non autem de inculpabili, quæ non adimit jus revocandi donationem, vel ipsi donatori, vel ejus hæredi.

XXXIX. Postremò hoc loco prædictis addendum, quòd renunciatio, sive pactum, quo donator promittit, se non revocaturum donationem, ob ingratitudinem donatarij, factam, non valeat: sed eâ non obstante, revocari potest donatio, si donatarius sit ingratus, *Molin. cit. dis. 181. num. 10. & alij Dd. communiter.* Ratio est, quia tale pactum præbet occasionem delinquendi, inducit enim ad committendam ingratitudinem, ideóque cùm sit contra bonos mores, non est servandum, nec obligat, *l. Si unus* § 27. *§. Illud, & §. Pacta, ff. de pact.* Idque extenditur, tametsi dalis donatio juramento sit confirmata (modò in illa non sit expressum, quòd donator ingratitudinem illam non revocabit) adhuc revocari poterit, non obstante jurameto; quia hoc sequitur naturam, & conditionem actûs, cui adjicitur: donationi autem ex juris dispositione hæc tacita conditio inest, nisi donatarius ingratus fuerit, *Molin. c. l. num. 11.* Excipi debet, nisi juramentum appositum sit ipsi revocationi, sive si donator juravit, se non revocaturum donationem, propter ingratitudinem futuram donatarij: tunc enim renunciatio valida est, & juramentum est servandum; quia sine peccato, & dispendio salutis jurantis servari potest: nam quamvis tale juramentum illicitè sit præstitum, quia præbet ansam peccandi, objectum tamen promissum, sive illud, quod juratur, nempe non revocare donationem, secundùm se est licitum, ideóque juramentum tale, postquam præstitum est, servari debet, & impleri id, quod juratum est; quia sine peccato potest: sicut juramentum factum uxori adulteræ de illa non accusanda, quoad privatam utilitatem (licèt non quoad publicam, cui privati promissione suâ præjudicare non possunt) vel de non petendo divortio, servari debet, *c. Quemadmodum* § 25. *§. Illud de jurejur. Molin. c. l. Laym. cit. c. 12. num. 17. Zæsius ff. h. t. nu. 94.* potest tamen tale juramentum, ad petitionem donatoris relaxari, in pœnam ingrati donatarij, non tantùm à potestate Ecclesiastica: sed etiam à Sæculari, supplendo voluntatem subditi sui, cui juratum est, & loco ipsius, remittendo obligationem juramenti, prout alibi dictum, *Molin. & Laym. locis citt.*

§. VII.

De aliis duabus causis revocandi donationem inter vivos, ob superveni-entiam liberorum, & inofficio-sam donationem.

XL. Assertio 1. Si quis liberos non habens omnia bona, vel partem eorum donavit, & postea inopinatò, ac præter spem, liberos sucipiat, tota donatio revocari potest, prout habetur *in l. Unquam* § 8. *C. de revoc. donat.* quæ licèt loquatur de sola donatione factâ à Patrono libertis, communiter tamen à Dd. extenditur ad donationes factas à quocùnque donatore quibuslibet alijs personis extraneis, hoc est, qui non sunt de numero liberorum, seu descendentium donantis; quia lex illa non statuit novum jus: sed jus naturæ declarat, & fundatur in præsumptione juris, quòd talis donatio facta est, cum virtuali, seu tacitâ conditione, nisi liberi nascantur; nemo enim censetur alienos, seu extraneos posteris suis, seu liberis præferre velle, *Clar. §. Donatio, q. 22. num. 1. Molin. tract. 2. dis. 282. nu. 1.* revocatur autem talis donatio ipso jure, *Gl. fin. in cit. l. Si unquam*; quamvis in foro conscientiæ non teneatur donatarius ad restitutionem, donec bona donata repetantur, *Leff. cit. c. 18. num. 110.*

XLI. Extenditur autem tradita Assertio primò. quòd non tantùm donatio omnium bonorum, vel majoris, aut dimidiæ partis: sed etiam cujuslibet notabilis partis, quamvis infra dimidium bonorum, quam verisimiliter donator non fecisset, si de filijs cogitâsset, revocari potest, ob inopinatam susceptionem liberorum, ut colligitur *ex cit. l. Si unquam*; *ibi: vel partem aliquam facultatum, Clar. cit. q. 22. n. 5. Molin. cit. dis. n. 5.*

Extenditur secundò, quòd revocari possit donatio, etiamsi unus tantùm filius postea sit natus, nam etsi *in cit. l. Si unquam*; in numero plurali dicatur de liberis postea susceptis, appellatione tamen liberorum etiam unus filius comprehenditur, *l. Non est* 108. *ff. de V. S.* præsertim quia eadem ratio est in uno solo, quæ in multis; quia etsi quis unicum filium habuisset, vel de eo cogitâsset, non censetur donaturus fuisse, illique extraneum prælaturus, *Zæsius ff. h. t. num.* 119.

XLII. Limitatur autem primò, quòd donatio ob filios postea natos in totum revocari possit, nisi donator expresè illi juri revocandi renunciârit, *Clarus cit. q.* 22. *num.* 4. *Mol. cit. disp. n.* 6. Verùm quia hæc Lex lata est, non tantùm in favoem patris: sed etiam liberorum, ideò in præjudicium illorum pater renunciare ei non potest, *Mynsing. cent.* 5. *obs.* 63. *num.* 11. Sed etsi pater donationem juramento confirmavit, potest tamen natis postea liberis, eam revocare; quia juramentum intelligitur juxta naturam actûs, cui adjicitur, neque excludit tacitas conditiones, quas ex se, vel ex juris dispositione habet, secluso juramento, donatio, vel alius actus. Nisi donator jurâsset, se non revocaturum donationem factam, etiamsi liberos postea susceperit, cùm enim tale juramentum servari possit sine peccato, servandum est, ut in simili dictum §. *Præced.* quatenus sine præjudicio legitimæ filiorum servari potest, ideóque revocari non potest donatio, nisi usque ad prædictam legitimam, post mortem patris, *Less. cit. c.* 18. *n.* 111. *Mol. cit. dis.* 282. *n.* 7.

XLIII. Limitatur secundò, donatio facta Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam, nisi postea donanti liberi nascantur, stricto jure, non revocatur in totum: sed tantùm usque ad legimam filiis jure nataræ debitam revocanda est, ut docet *Abb. in c. ult. num.* 5. *h. t. Clar.* §. *Donatio*, *q.* 23. *num.* 2. *Mol. cit. dis. num.* 10. *Laym. cit. c.* 12. *num.* 19. *& alij ex communiore sententia.* Ratio est, quia Ecclesia, vel Monasterium, aut alius locus pius instat filij haberur, ut tradunt communiter Dd. apud *Clar. t. l.* At donatio facta filio, si alij filij postea nascantur, non revocatur in totum: sed solùm quoad eorum legitimas, *l. In toties*; 5. *& l. Si mater*; 7. *C. de inoffic. donat.* ergo nec donatio facta Ecclesiæ, vel alij loco pio: quanquàm dici possit, quòd Ecclesia non habeatur loco filij: nisi in casibus jure expressis, inter quos non est iste, *Zæsius ff. h. t. num.* 128. deinde quod donatur Ecclesiæ, vel alij loco pio, donatur ipsi DEO, & pro salute animæ, adeóque est causa æquè favorabilis, ac causa filiorum, *Auth. Si qua mulier C. de SS. Eccles.* Denique *cit. Lex si unquam*; quippe Cæsarea, Ecclesias ligare non potest. Atque hæc procedunt, spectato juris rigore: nam ex quadam æquitate naturali, & honestate, natis filijs, tota donatio priùs facta Ecclesiæ, revocari potest, ita, ut totum restituatur filijs postea natis, prout fecit S. Aurelius Carthaginensis Episcopus, ut patet *ex c. ult. caus.* 17. *q.* 4. *Gl. pen. & ult. ibid.*

XLIV. Limitatur tertiò, donatio remuneratoria, vel ob aliam causam facta, quæ commodum respicit donatoris, ob supervenientiam liberorum, revocari non potest, ut ex communi docet *Clar. cit. q.* 23. *num.* 3. *& Molin. cit. dis. num. ult.* quia non est propriè dicta donatio ex mera liberalitate procedens sed potiùs mercedis præstatio, ac congrua bonorum administratio, ideóque etiam irrevocabilis dicitur *in l. pen.* §. *Si quis*; *ff. h. t.* At verò donatio, quæ meram liberalitatem continet, ex parte donatoris, est causa, ob quam facta est, se teneat ex parte alterius tertij, ut si dotis causâ donatum sit mulieri extraneæ, revocari potest, natis postea liberis: sed non nisi quatenus præjudicat legitimæ filiorum, *Molin. c. l.* Contrarium tamen tenet *Zæsius ff. h. t. nu.* 132. nam cùm dos talis donata sit, ut alliciatur maritus ad contrahendas nuptias cum tali persona, injuria ei fieret, si revocaretur ista donatio. Imò probabile etiam est, quod docet *Fachin. l.* 3. *contr. cap.* 89. donationem etiam remunerandi causâ factam revocari posse, ob liberos postea susceptos; quia verisimile est, donaturum non fuisse eum, qui beneficium accepit, omnia bona, vel majorem partem bonorum, si de liberis cogitâsset, neque ad hoc obligat lex gratitudinis, hoc enim esset nimis durum.

XLV. Limitatur quartò, tota donatio revocatur, si postea nascantur liberi naturales, & legitimi: non autem si naturales, & illegitimi, quamvis sint legitimati per rescriptum Principis; quia liberorum appellatione absolutè intelliguntur liberi justi, ac legitimè nati, nisi sint legitimati per subsequens matrimonium, qui per omnia habent jura legitimè natorum ab initio, *Molin. cit. dis. n.* 9. *Zæsius ff. h. t. n.* 111. *& 2. seqq.* Limitant quintò, aliqui, quod etiam donatio facta uni ascendentium, v. g. patri, vel matri, avo, vel aviæ, non revocatur tota: sed solùm usque ad legitimam debitam filijs postea natis, *Less. cit. c.* 18. *n.* 109. *& alij apud ipsum.* Verùm hæc limitatio nullo jure probari potest, *Mol. c. l. n.* 10. *in fine*, *Laym. c. l. n.* 20.

XLVI. Assertio 2. Revocatur præterea donatio inofficiosa, quæ nimirum facta est contra officium pietatis paternæ in filios, ut si pater, vel mater uni, vel pluribus filiis in tanta quantitate donavit, ut reliquis filiis legitima, hoc est, portio Lege ipsis debita auferatur, vel minuatur: tum enim hi possunt per querelam apud Judicem institutam, post mortem parentis donantis, revocare donationem, non quidem in totum: sed quatenus modum excedit, & legitimam portionem ipsis diminuit, ut constat *ex l. l. Si totas*; 5. *l. Si mater*; 7. *& l. seq. C. de inoffic. donat.* Idque procedit, etsi talis donatio juramento donantis confirmata sit, nihilominùs enim revocari potest; juramentum enim præstitum in damnum tertij non obligat, *Clar.* §. *Donatio*, *q.* 24. *& alij communiter.*

XLVII. Præterea si donatio inofficiosa facta sit extraneæ personæ: tum vel re tantùm inofficiosa fuit, absque animo fraudandi filios suâ portione legitimâ; & revocari potest à filiis, non in totum: sed quâ parte legitimæ filiorum præjudicat, ut constat *ex l. 1. & l. Si mater*; 7. *C. de inoffic. donat.* Vel fuit inofficiosa re, & consilio, quia animo fraudandi liberos suâ legitimâ facta est: & tunc distinguendum est, vel enim aliquid est relictum filiis, & tum non in totum, sed usque ad legitimam debitam tantùm revocatur donatio, juxta *l. Si liqueat*; 8. *C. eod.* Vel nihil relictum est, & tota donatio revocatur, ideque in

que in odium fraudis, ut post *Bartol.* docet *Abb. in c. ult. num. 5. h.t. Clar. §. Donatio, q. 24. num. 2. & 4. Less. cit. c. 18. nu. 112. Zæs. ff. h.t. num. 76.* Verùm *Molin. cit. dis. 283. n. 12. Fachin. Lib. 6. Contr. c. 84.* & alij existimant, indistinctè donationem inofficiosam solùm usque ad legitimam filijs debitam revocandam esse; quia nullo jure expressum est, illam esse revocandam in totum: sed tantùm quoad legitimam portionem, ut constat *ex l. Si totas; 5. l. Si mater; 7. & l. seq. C. de inoffic. donat.* quæ licèt loquantur de donationibus factis filijs, vel nepotibus, tamen etiam donationes extraneis factas, nonnisi quoad legitimam filijs debitam revocandas esse, patet *ex l. 1. C. eod.* Neque verò revocatio donationis, cùm sit odiosa, extendenda est ultra id, quod jure expressum est. Certè cùm revocatio donationis in totum, mera pœna sit fraudis commissæ, saltem ante latam sententiam, non tenebitur donatarius ad restituendam totam, *Mol. c. l.*

XLVIII. Cæterùm prædictis addendum primò, sicut liberis descendentibus, ita etiam parentibus ascendentibus competit jus revocandi donationem inofficiosam factam à liberis, usque ad legitimam portionem ipsis debitam in bonis descendentium, ut apertè colligitur *ex l. Si filius; 4. C. de inoffic. donat.* nam querela inofficiosæ donationis, ad similitudinem querelæ inofficiosi Testamenti, est introducta, *l. ult. C. eod.* At hæc competit non minùs parentibus, quàm liberis, *l. Nam etsi; 15. ff. de inoffic. testam.* ergo & illa, *Molin. cit. dis. §. ult. & alij communiter.*

Addendum secundò, illam tantùm donationem revocari, sive quia inofficiosa est, & legitimam liberis debitam diminuit: sive quia donanti, præter opinionem, proles postea nascitur, per quam in alium transferuntur bona, & jura acquisita, non verò acquirenda: quare si donator repudiet legatum, vel renunciet hæreditati, sive speratæ tantùm, sive etiam delatæ: sed nondum aditæ, non ideò revocatur donatio, etiamsi postea liberi ei nascantur, neque ea rescindi potest per querelam inofficiosæ donationis; quia cùm Leges Civiles de revocandis donationibus semel factis sint exorbitantes, eæ strictè interpretandæ sunt, de donatione propriè dicta, per quam alienatur jus acquisitum: non autem de illa, per quam remittitur jus nondum acquisitum, quæ propriè non est alienatio, adeóque nec donatio.

Laym. cit. c. 12. nu. 21. Zæsius ff. h. t. num. 136.

TITVLVS XXV.

DE PECULIO CLERICORVM.

Postquam de alienationibus, & speciebus quibusdam contractuum hactenus dictum fuit, idque ob eum maximè finem, ut appareret, an, & quomodo Prælati, & alij Clerici alienare, contrahere, & donare possint: nunc subjungitur iste Titulus de peculio Clericorum; quia id necessarium erat, ad exactè cognoscendum, an, & quatenus Clerici de peculio suo disponere possint, sive per contractus inter vivos, sive per ultimas voluntates, de quibus Tit. seq.

I.

PRo intellectu Rubricæ Notandum primò: Peculium sic dictum, quasi pusilla, seu parva pecunia, aut patrimonium pusillum, *l. Depositi; 5. §. Peculium, ff. de peculio.* Accipitur, vel latè, vel strictè, & propriè, ut notat *Abb. Panorm. ad Rubric. h.t. post Gl. Ad Rubric. ff. h.t.* Peculium latè acceptum significat potissimùm patrimonium alicujus, qui à potestate patria, vel dominica est liberatus: strictè verò acceptum, est portio patrimonij, quod sub alterius potestate existens, videlicet filiusfam. vel servus, permissu patris, vel domini separatum à rationibus patris, vel domini, tanquam proprium habet, & possidet, deducto inde, si quid patri, vel domino debetur, prout sumitur *ex cit. l. Depositi; in fine.*

Est autem peculium filijfam. quadruplex, profectitium, adventitium, Castrense, & quasi Castrense, ut docet *Bart. ad Rubric. ff. de peculio, Abb. ad Rubric. h.t. num. 1.* Profectitium est, quod proficiscitur à patre, filióque obvenit ex bonis paternis, vel ab alio, sed patris intuitu: & hoc pleno jure, tam quoad proprietatem: quàm usumfructum ad patrem spectat, & ad illum revertitur, §. *Igitur Instit. Per quas personas cuique acquir.* Adventitium peculium est, quod advenit filio aliunde, quàm ex re patris, vel intuitu patris, ut donatione matris, vel cognatorum, vel successione eorum: vel quod propriâ industriâ, aut ex prospera fortuna filius acquirit: & in his bonis, hodierno jure, proprietas filio, patri verò ususfructus, dum vivit, acquiritur, per se, & regulariter loquendo, *cit. §. Igitur, & l. Cum oportet; 6. C. de bonis, quæ liberis, &c.* Castrense peculium est, quod filiusfam. acquirit in castris, sive bello, vel intuitu militiæ, & in hoc filius plenum jus, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum,

ctum, habet, & de illo liberè disponere potest, tanquam paterfamilias, *cit. l. Cùm oportet.* Quasi Castrense peculium est, quod acquirit filius ex advocatione, seu causarum patrocinio, ex publico munere, & actione aliqua, ex professione liberalium scientiarum: & hoc peculio Castrensi æquiparatur, & eodem jure censetur, *cit. l. Cùm oportet.* Porrò hoc loco peculium latè accipitur pro patrimonio Clericorum, *Abb. cit. loc.*

II. Notandum 2. Triplex est peculium Clericorum, seu Beneficiatorum sæcularium, ut docet *Navarr. tract. de redit. Ecclesiastic. q. 1. Monito; 19. Vasq. tract. de redit. Ecclesiastic. c. 1. §. 2. dub. 1. n. 16. & 17. Less. Lib. 2. de justit. c. 4. num. 35. Laym. Lib. 4. tract. 2. c. 3. num. 1. & alij Dd. passim.* Primum est patrimoniale peculium, sive bona patrimonialia, quæ Clericis ex hæreditate, donatione, vel alijs contractibus, vel arte, ac propriâ industriâ: non autem intuitu Ordinis, vel Ministerij Ecclesiastici, obveniunt, perinde ac alijs Laicis. Alterum est peculium quasi Castrense, sive bona quasi patrimonialia, quæ Clerici acquirunt, non ratione Beneficij: sed Officij, & Ministerij Ecclesiastici, ut præmia, ac stipendia laboris sui, v. gr. celebrando, prædicando, confessiones audiendo, Sacramenta administrando, Vicarium temporalem obeundo: quò etiam pertinent funeralia, & secundùm quosdam, distributiones quotidianæ, quæ dantur illis, qui Divinis Officiis intersunt. Tertium est peculium Profectitium, eorum scilicet bonorum, quæ sunt merè Ecclesiastica; quia secundùm originem suam ad Ecclesiam pertinent: sed à Prælatis Ecclesiasticis postea specialiter assignata sunt Clericis, tanquam Beneficium, sive stipendium, ob spirituale ab eis præstitum officium: cujusmodi sunt annui reditus, seu proventus, qui percipiuntur exfundis, seu prædiis, & bonis Ecclesiasticis, ratione Decanatûs, Canonicatûs, vel Titulo alterius Beneficij Ecclesiastici: item ex decimis Parochiarum, &c. & de his bonis Clericorum agitur potissimùm hoc Tit.

§. I.

An Clerici sint veri domini bonorum, ac redituum Ecclesiasticorum, quos ratione Beneficii percipiunt, etiam superfluorum: an verò sint eorum administratores tantùm?

III. In hac re certum est primò, quòd Clerici Beneficiarij sæculares sunt veri domini bonorum suorum patrimonialium, & de illis liberè disponere possunt, tam intervivos: quàm per ultimam voluntatem, non minùs, quàm Laici, ut ex communi docet *Less. c. l. num. 36.* & constat *ex c. Quia nos; 9. de testam.* Ratio est, quia per Ordinem, vel Clericatum non fiunt incapaces dominij, neque eo se abdicant, neque etiam se obligant ad bona sua patrimonialia, in pauperes, vel pias causas eroganda, & Clericos posse habere bona propria constat *ex c. Certè; 18. caus. 12. q. 1.*

Certum est secundò, quòd Clerici habeant etiam verum, & absolutum dominium bonorum, quasi patrimonialium, quæ in Cleticatu acquisiverunt: sed non intuitu Ecclesiæ, seu ex Titulis, & Beneficiis Ecclesiasticis, ac proinde de illis liberè, & arbitratu suo, non tantùm inter vivos: sed etiam per Testamentum, & mortis causâ disponere possunt, sicut de bonis patrimonialibus, ut ex communi docet *Navarr. c. l. num. 2. Less. c. l. num. 37. & alij cit.* Ratio est, quia Clerici hujusmodi bona accipiunt, tanquam stipendium, & mercedem laboris, ac operis, sine ullo onere, aut pacto expresso, vel implicito, ea distribuendi in pauperes, vel expendendi in alios pios usus: ergo non minùs pleno jure dominij ea sibi acquirunt Ministri Ecclesiastici, tum curati, tum non curati, ita, ut liberè disponere possint, quàm Officiales Laici, v. g. Judex, Tabellio, Advocatus, cùm non sint deterioris conditionis, quàm illi, & dignus sit mercenarius mercede suâ, *Luc. c. 10.* Nec refert, quòd hæc stipendia interdum excedunt laborem, ac operam præstitam; quia liberè, & absolutè à fidelibus ijs donantur. Restat ergo quæstio solùm de fructibus, seu reditibus Beneficialibus, sive illis bonis, quæ Clerici, ratione Beneficij, tanquam fructus consequuntur,

IV. Assertio 1. Episcopi, Canonici, & Rector Ecclesiarum, aliique Clerici Beneficiarij acquirunt dominium fructuum, seu proventuum, quos ex prædiis, seu bonis ad Ecclesiam, cui serviunt, pertinentibus, vel ex decimis percipiunt, iique pleno jure ad illos spectant, quoad illam partem, quæ ipsis ad honestam vitæ sustentationem est necessaria, ita quidem, ut si Clericus Beneficiarius de reditibus necessariis ad vitam, & decentem sustentationem aliquid propriâ parsimoniâ sibi detrahat, possit de illo arbitratu suo, dum in vivis est, disponere, etiam ad causas profanas, sicut de bonis patrimonialibus, ut cum *S. Thoma 22. q. 185. art. 7. in corp.* docet *Covarr. in c. Cùm in officiis; 7. nu. 2. de testam. Navarr. de redit. Ecclesiastic. q. 1. Monito; 43. Less. cit. c. 4. num. 39. Laym. Lib. 4. tract. 2. c. 3. n. 2. & in disc. Can. de alien. rer. Eccles. Thes. 115.* Ratio est, quia hujusmodi reditus beneficiales, quatenus ad honestam, ac decentem sustentationem, considerata dignitate, ac statu Clerici, laboribus quoque, ac meritis illius erga Ecclesiam, ijs indiget, sunt ipsi, ut stipendium justum, debiti, juxta *c. Cum secundum 16. de præbend.* ideóque quæ ex illis reditibus per propriam parsimoniam, ac veluti industriam collegit, pleno, & absoluto jure dominij ad ipsum pertinent, & per consequens etiam liberè de illis disponere potest, quippe quos, sine cujusquam injuria (reservatis etiam bonis, quæ habebat, patrimonialibus) absumere potuisset. Idque extenditur etiam ad Prælatos, & Beneficiarios Regulares, ut & ipsi, quod ex reditibus beneficialibus ad decentem sustentationem ipsis assignatis, parciùs vivendo, acquisiverunt, id ad quoscùnque usus, etiam liberaliter inter vivos donando, applicare, & absumere, ex benigna concessione Ecclesiæ, & SS. Canonum, possint; quia licèt propter votum paupertatis, non sint capaces dominij

minij reditum beneficialium acquirendi, libera tamen, & plena eorum administratio, quatenus decentem vitæ sustentationem non excedunt, ipsis competit: quare cùm residuum ex illis in proprios usus, ac sustentationem justè potuissent absumere, etiam alijs illud donare possunt, *Navarr. cit. q. 1. Monito; 8. & 33. Sanch. Lib. 6. Moral. c. 6. num. 14. Laym. cit. c. 3. n. ult. & cit. Thes. 115.*

V. Assertio 2. Probabilius est, quòd Clerici Beneficiarij sæculares non sunt meri dispensatores, seu administratores: sed acquirunt dominium reditum beneficialium, etiam superfluorum, qui scilicet ad decentem sustentationem Clericorum necessarij non sunt, & supra labores, ac merita eorum: licèt hoc dominium eorum sit restrictum, ac limitatum, quia obligationem annexam habet, sive ex justitia, sive ex alia virtute, aut præcepto expendendi hujusmodi reditus in pios usus, *de quo §. seq.* Ita cum *S. Thom. c. l.* docet *Covarr. in cit. c. Cùm. in officiis; n. 3. Mol. tract. 2. disp. 143. n. 3. Garc. tract. de Benefic. p. 2. c. 1. n. 5. Laym. cit. c. 3. n. 3. contra Navarr. & plures alios.* Sed probatur hæc assertio *ex c. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Ubi dicitur, quòd Clericus, sine justa, & rationabili causa, absens à Divinis Officiis, distributionum receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas. Ex quo apertè infertur à sensu contrario, quòd si Clericus sit præsens, dominium illarum acquirat, easque suas faciat; quia alioquî pœna, seu privatio dominij inflicta, ob absentiam, seu negligentiam, locum non haberet, & exceptio firmat regulam in alijs casibus non exceptis, juxta vulgatum axioma. Consentit *Concilium Trident. Sess. 22. c. 3. de reform.* Et quamvis *ibid. & in cit. c. unic.* sermo tantùm sit de distributionibus quotidianis, quæ numerantur inter bona quasi patrimonialia, ideóque Clericus non tenetur eas expendere in usus pios, nec prohibetur dare consanguineis, etiam divitibus: ex eo tamen, quòd Clerici acquirant dominium distributionum quotidianarum, rectè infertur, illos etiam acquirere dominium omnium fructuum, seu reditum Beneficialium; quia de his eodem modo loquitur *Concilium Trident. Sess. 23. c. 1. de reform.* ubi dicitur, Clericos non residentes, pro rata absentiæ, fructus suos non facere: & *Sess. 24. c. 12. de reform.* statuitur, quòd si Canonicus, vel Beneficiatus curam animarum, vel dignitatem habens, non faciat publicam professionem fidei, intra duos menses, fructus non faciat suos. Item Beneficiatum ultra tres menses absentem, primo anno, privandum esse dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos, & si iterum negligens sit, privandum esse omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: At verò fructus facere suos, & lucrari, apertè significat dominij acquisitionem. Idémque probatur *ex c. Quatuor; 27. caus. 12. q. 2.* ubi de divisione reditum, & oblatorum à fidelibus cuilibet Ecclesiæ in quatuor portiones jam dudum antè facta dicitur, quarum sit una Pontificis (sive Episcopi) altera Clericorum, tertia pauperum, quarta Fabricis applicanda: dicitur ergo tota quarta esse Clericorum, & non solùm sustentatio decens, & congrua. Idem denique etiam colligitur *ex c. 2. de fideiussor.* ubi præcipit S. Pontifex, ut creditoribus Clerici ex reditibus Beneficiorum satisfiat: quod argumento est, Clericum habere dominium ipsorum reditum, alioquî enim injustè ipsis satisfieret ex rebus alienis. Ratio est, quia cùm Clerici Beneficiati omnes reditus Beneficiorum suorum promiscuè percipiant, & quidem eodem Titulo Beneficij, sicut fiunt domini eorum, qui ad ipsorum sustentationem sunt necessarij, ita etiam superfluorum: quamvis cum obligatione superfluos expendendi in usus pios, quæ tamen est obligatio solùm personalis: sicut si alicui centum aurei dantur ad peregrinationem instituendam, eo modo, & pacto, ut quod supererit pauperibus largiatur, is acquirit quidem dominium centum aureorum, cum obligatione tamen, quod superfuerit, pauperibus dandi, *Laym. cit. c. 3. nu. 3. §. Ad primam.*

Porro bona, & reditus Ecclesiastici à SS. Patribus dicuntur esse pauperum, non propriè, sive quoad dominium, ac proprietatem: sed quoad debitum, sive obligationem erogandi illos pauperibus, quatenus necessariam, ac decentem sustentationem excedunt, ut passim tradunt Dd. apud *Fagnan. in c. ult. n. 4. & 5. h. t.*

§. II.

Vtrùm Clerici Beneficiarii ex Lege iustitiæ teneantur reditus superfluos Beneficiorum erogare in pios usus: an verò ex alia Lege, vel præcepto, sine onere restitutionis?

VI. Duplex est sententia: prima est omnium fermè Canonistarum, & plurimorum Theologorum, præsertim antiquorum, teste *Navarro tract. de reditib. Eccles. q. 2. Monito; 7. num. 1.* & ex recentioribus Theologis sequitur *Tanner. Tom. 3. dis. 4. de justit. q. 6. dub. 8. num. 215.* ubi ait, illam esse multò probabiliorem, imò speculativè, & ex propriis principiis unicè veram. Eandem etiam tanquam absolutè veram amplectitur *Laym. cit. c. 3. num. 3. & in cit. dis. Thes. 115. & seqq.* Qui omnes tenent, Prælatos aliósque Clericos Beneficiarios ex justitia obligatos esse ad reditus, quos ex bonis Ecclesiasticis tanquam fructus Beneficiorum percipiunt, & qui ultra congruam vitæ sustentationem supersunt, in pauperes, vel alias causas pias expendendos esse: alioqui si in profanos usus illos consumpserint, ipsos Clericos obligari ad restitutionem faciendam ex alijs eorum bonis, & consequenter etiam illis, quibus ex hujusmodi reditibus donationes sunt factæ. Quæ sententia non tantùm est valde probabilis, & SS. Canonibus admodùm conformis: sed etiam tanquam tutior omnibus Beneficiarijs in praxi consulenda est, ut fatetur etiam *Less.* licèt alias contrariam sententiam sequatur.

VII. Probatur primò, quia id satis apertè indicant SS. Canones *c. Quia tua; 8. in fine, c. Episcopi; 19. c. Res Ecclesiæ; 26. caus. 12. q. 1. c. Similiter; 8. c. Quia*

c. *Quia juxta*; 59. ubi res Ecclesiæ dicuntur esse vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, c. *Revertimur* 3 65. c. *Decimæ*; 66. *cauſ.* 16. *q.* 1. c. *Quod autem*; 3. *cauſ.* 23. *q.* 7. in quibus locis habetur, quòd reditus Beneficiorum dentur Clericis, ut superflua erogent pauperibus. Consentit *Concil. Tri-*
» *dent. Seſſ.* 25. *c.* 1. *de reform.* Ubi Episcopis interdi-
» cit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos fami-
» liaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum
» Canones (*Can.* 39. *& Can.* 75.) prohibeant, ne res
» Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis do-
» nent: sed si pauperes sint, ijs ut pauperibus di-
» stribuant. Et paulò post: Quæ verò de Episcopis
» dicta sunt, eadem non solùm in quibuscùnque Be-
» neficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regu-
» laria obtinentibus, pro gradûs sui conditione, ob-
» servari: sed & ad S. Rom. Ecclesiæ Cardinales per-
» tinere decrevit. Hoc autem decretum Tridentinum haud æquum foret, si Clerici Beneficiarij absolutum dominium haberent reditum Ecclesiasticorum, etiam superfluorum, si quidem qui absolutè dominus est, rerum suarum moderator est, & de ijs, suo arbitratu, disponere potest, *Laym. in cit. dis. Thesi* 116.

VIII. Probatur secundò, cui datur aliquid eo pacto, & modo, sive cum onere dandi illud, vel partem ejus alteri, is ex justitia tenetur illud alteri dare, ita, ut si in alios usus impendat, vel inutiliter absumat, ad restitutionem sit obligatus, ut si v. gr. donentur alicui centum aurei Romam profecturo eo modo, ut quod supra necessarias itineris expensas, pro suo statu, reliquum fuerit, in pauperes eroget, ut constat *ex l.* 1. 2. *& 3. C. de donat. quæ sub modo, &c.* talis enim modus donationi, vel alteri contractui adjectus incontinenti, quamvis eum non suspendat, sicut propriè dicta conditio: obligationem tamen, & actionem ex justitia parit, ut vel modus impleatur, vel quanti interest, eum impletum non esse, præstetur: imò etiam quandoque datum revocari potest, *cit. l.* 1. *& 2. C. eod.* & docet *Navarr. tract. de redit. Eccles. q.* 1. *Monito*; 42. *n.* 6. *& q.* 2. *Monito*; 7. *num.* 4. *&* 12. At verò fideles nonnisi sub hoc modo, & sub hoc tacito pacto, seu onere annnexo, tam abundantes reditus Ecclesiasticos fundârunt, & Prælatis, aliisque Beneficiariis assignârunt, ut quæ eorum honestæ, ac decenti sustentationi superessent, in pauperes, vel alios pios usus erogentur, ut patet *ex SS. Canonibus suprà allegatis.* Ergo licèt omnium redituum beneficialium dominium acquirant Prælati, & alij Beneficiarij, tamen cum hoc onere illud accipiunt, ut quod supereſt, in pios usus expendant, adeóque si id non faciant, ex justitia ad restitutionem tenentur, *Laym. cit. Thesi* 121.

IX. Probatur tertiò, omnes Dd. etiam qui contrariam sententiam tenent, fatentur, Clericos Beneficiarios graviter, seu mortaliter peccare, si reditus Ecclesiasticos superfluos, in notabili quantitate, non in pauperes, vel alios usus pios: sed in profanos expendunt. Jam ergo, vel peccant contra Legem charitatis, & misericordiæ: vel contra virtutem Religionis, aliud enim non videtur assignari posse. Non contra Legem charitatis, & misericordiæ: tum quia hæc Lex non obligat sub peccato mortali, ad subveniendum pauperibus, nisi in extrema, vel saltem gravi necessitate constitutis, ut cum *S. Thom.* 22. *q.* 32. *art.* 5. docent communiter Theologi. Potest autem fieri, ut in aliquo loco, vel Provincia nulli sint pauperes, qui gravem necessitatem patiuntur, vel si sint, ut illis per Magistratum, vel alios jam sit provisum: tali ergo casu, non potest dici, quòd Clerici ex charitate, & misericordia sint obligati, ad erogandum superfluos reditus pauperibus, & tamen adhuc peccant mortaliter, si in profanos usus expendant, ergo contra aliam Legem, quàm charitatis, & misericordiæ. Tum quia Laici sæpe abundantiores reditus habent, eósque superfluos, quàm Clerici, & tamen non obligantur, generatim loquendo, sub peccato mortali, ad erogandos eos in pauperes, vel alios pios usus, sicut Clerici secundùm Canones: quare non potest dici, quòd Clerici ex sola charitate, & misericordia obligentur sub peccato mortali, ad largienda superflua pauperibus, ubi Laici tantùm obligantur sub peccato veniali; quia ob circumstantiam personæ, vel statûs, non augetur peccatum contra misericordiam, ut quod in Laico tantùm est peccatum veniale, in Clerico sit mortale, ut docet *S. Thom.* 22. *q.* 186. *art.* 10. aliunde ergo provenire debet illa gravis obligatio Clericorum, *Navarr. cit. tract. q.* 2. *Monito*; 7. *&* 8. *&* 27. *nu.* 1. *Laym. cit. dis. Thes.* 120. Tum denique, quia vel portio illa quarta, quæ olim pauperibus ex reditibus Ecclesiasticis fuit assignata, aliunde illis obvenit, vel fuit cum Episcopi aliorúmque Clericorum beneficiariorum portione permixta. Si primum, non est, cur Episcopi, & Clerici ex portione sua, tam graviter obligentur ad dandum superflua pauperibus, cùm his jam aliunde fuerit prospectum. Si secundum (quod etiam præsumendum est, quando Episcopi, aliique Prælati, Canonici, & Beneficiarij abundantes reditus habent: pauperum verò, & Fabricæ Ecclesiæ portiones, vel nullæ sunt, vel exiguæ) tum sequitur, quòd ex Lege justitiæ obligantur, ad eroganda superflua pauperibus, vel ad Fabricam Ecclesiæ, cùm idcircò tam abundantes reditus Prælatis, aliisque Beneficiariis sint assignati, *Laym. c. l.*

X. Sed neque secundum dici potest, quòd Clerici, si expendant reditus Ecclesiasticos superfluos in usus profanos, peccant solùm contra virtutem Religionis, ut censet *Card. Lugo Tom.* 1. *de justit. dis.* 4. *Sec.* 2. *num.* 16. ubi ait: hæc obligatio erogandi bona superflua in pauperes, oritur, non ex solo jure humano: sed naturali, quæ non tam est eleemosynæ faciendæ: quàm prohibitio dissipationis orta, non tam ex conditione personæ: quàm ex qualitate, & conditione ipsorum bonorum; quia nimirum res DEI sunt, ut ait *Tridentinum.* Et quamvis Ecclesiæ sint donata à fidelibus, sine ullo pacto, & conditione, ideóque validè possit de illis disponere, ad quemcùnque usum: ipsa tamen bonorum conditio, & qualitas facit, ut indecens, & turpe sit, ea expendere aliter, quàm in res pias, & DEO gratas, ad cujus obsequium, & honorem sunt donata. Hactenus Lugo.

XI. Verùm

XI. Verùm contrà est primò. Si bona Ecclesiastica ex institutione & naturâ suâ, hoc ipso, quòd ad Dei cultum & honorem oblata, & donata sunt à fidelibus, non debent aliter applicari, & impendi, nisi in pios usus, sequitur, quòd fideles fundatores non voluerint, nec potuerint illa aliter donare Ecclesiæ, nisi congruenter ipsi naturæ & primæ institutioni talium bonorum, adeóque cum tacito pacto & onere quodammodo imbibito in ipsa prima institutione eorum, ut nonnisi in pios usus expendantur, & per consequens qui aliter illa expendunt, non tam contra virtutem Religionis: quàm contra justitiam peccant, quia expendunt illa contra præsumptam voluntatem fidelium fundatorum, & modum ac pactum, non quidem expressum, sed tacitè subintellectum, quo ea Ecclesiæ donata sunt, & ab illa acceptata.

Deinde bona Ecclesiastica, eorúmque reditus, secundùm se & intrinsecam naturam suam, sunt res merè temporales, sicut bona & reditus laicorum, neque enim sunt res sacræ & benedictæ, sicut calices & alia vasa, vel vestes sacræ: ergo applicatio illorum ad usus profanos, non est gravis abusus contra virtutem Religionis: alioquin neque ii reditus Ecclesiastici, quos Beneficiarius propriâ parsimoniâ collegit, possent expendi in usus profanos, si id foret contra naturam illorum, cùm sint ejusdem omninò naturæ, & rationis cum aliis Ecclesiasticis reditibus superfluis, qui excedunt necessariam & decentem sustentationem Clerici, quod tamen neque ipsi adversarii admittunt: ergo sicut reditus beneficiales per propriam parsimoniam collecti expendi possunt in usus quoscúnque, etiam profanos: ita etiam expendi poterunt reditus superflui in usus profanos, quantum quidem est ex natura præcisè ipsorum bonorum, quæ secundùm se merè temporalia sunt. Quare ideò solùm grave peccatum est, hujusmodi reditus & bona superflua expendere in usus profanos, quia à fidelibus fundatoribus sunt oblata Deo, & Ecclesiis donata, ultra necessariam sustentationem Clericorum, eo pacto & onere, ut in casus pios, & non profanos expendantur. Nam seclusâ hâc obligatione justitiæ, non apparet, cur erogatio horum bonorum in usus profanos sit gravis culpa: cùm dissipare bona propria ac temporalia, quæ absoluto jure dominii ad aliquem spectant, sine ullo annexo expresso, vel tacito pacto, vel onere dandi illa aliis, nonnisi vitium prodigalitatis sit, quod ex se & objecto suo, si per illud justitia non lædatur, grave seu mortale peccatum non est, etiam in magna quantitate, ex communi & certa omnium Theologorum sententia. Et sic patet responsio ad fundamentum Lugonis.

XII. Probatur quartò à posteriori, quidquid Episcopus seu Prælatus, vel alius Rector Ecclesiæ aut Beneficiarius ex reditibus Ecclesiasticis, post consecrationem, aut ordinationem suam, acquisivit, de eo testari, seu per ultimam voluntatem disponere non potest: sed moriens Ecclesiæ suæ relinquere debet, ut habetur in *c. 3. h. t.* nec quidem ad pias causas, ut patebit ex dicendis *Tit. seq.* hujus autem prohibitionis alia causa reddi non potest: nisi quia ea, quæ intuitu Ecclesiæ, sive Titulo Ecclesiastico acquisitâ sunt, inter bona profectitia numerantur, ideóque post mortem Clerici Beneficiarii, ipsi Ecclesiæ, unde profecta sunt, reservata manent, ad instar peculii profectitii filiifamilias, cujus bona ad patrem redire debent, à quo profecta, vel cujus intuitu acquisita sunt.

Ex quo sequitur, quòd Clerici Beneficiarii non habeant dominium reddituum beneficialium superfluorum omnino absolutum, sed restrictum, & limitatum, cum annexo onere & obligatione dispensandi illos fideliter, & in pios usus in vita, & post mortem relinquendi illos Ecclesiæ: alioquin si omnino absolutum dominium illorum haberent Beneficiarii, & non gravatum, sine ullo onere & obligatione justitiæ, expendendi illos reditus in usus pios, injuriam ipsis faceret Ecclesia, illos reditus sibi vendicando post mortem, & potestatem de illis testandi Clericis adimendo: *Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis liberum, quod iterum non redit arbitrium, iis relinquatur disponendi de bonis suis, l. 1. C. de SS. Eccles.* Unde nullus, qui absoluto jure est dominus bonorum, sine ullo gravamine, aut onere annexo, (uti sunt fidei commissarii) prohibetur de illis testari, nisi ob gravissimas culpas, vel ob defectum ætatis, aut judicii, aut potestatis administrandi bona sua, vel illa alienandi: ideóque etiam immeritò auferretur Clericis Beneficiariis hæc facultas testandi, si absolutè essent domini reddituum beneficialium superfluorum, sine prædicto onere annexo, *Laym. cit. c. 3. n. 6. & in cit. dis. Thes.* 122.

XIII. Denique non potest etiam talis obligatio oriri ex solo præcepto, sive Jure Ecclesiastico; quia nullum extat tale Jus, ex quo solo id colligatur, nam & antiqui Canones, & Concilium Tridentinum fundant se in eo, quia res Dei sunt, & patrimonia pauperum, ergo agnoscunt obligationem fundatam in ipso jure naturæ, ac Divino. Secundò, si solùm oritur ex Ecclesiæ præcepto hæc obligatio, posset Papa in eo dispensare, & sic dispensatus posset licitè expendere reditus superfluos in usus profanos, quando autem, unquam talis dispensatio emanavit à Sede Apostolica? Tertiò, posset hæc obligatio per contrariam consuetudinem tolli, sicut potest contra alia præcepta, merè humana, legitimè præscribi. Confirmatur, quia aliàs sequeretur, quod ideò tantùm sit malum, & illicitum applicare reditus superfluos Ecclesiasticos ad usus profanos, quia id prohibitum est ab Ecclesia, & non ideò prohibitum ab Ecclesia, quia per se malum est, & illicitum, ut patet ex *Concil. Trident. c. l.* quod se fundat in eo, quia res Dei sunt, ideóque per se malum est, res Deo donatas, & ab eo acceptatas ita dissipare.

XIV. Altera sententia est, quòd post divisionem bonorum & reddituum Ecclesiasticorum in quatuor partes seu portiones, (quarum una Episcopo, altera aliis Clericis, tertia Fabricæ Ecclesiæ, quarta peregrinis & pauperibus fuit assignata in *c. Vulteranæ, 25. & pluribus seqq. caus.* 12. *q.* 2.) & post institutionem & erectionem Beneficiorum, Clerici Beneficiarii fiant absoluti domini omnium reddituum, pro parte sua sibi assignatorum, ita ut quamvis partem excedentem necessariam, & decentem sustentationem in profanos usus expendant, tamen ad restitutionem pauperibus, vel aliis piis causis non teneantur: peccant tamen mortaliter, sive contra charitatem & misericordiam, sive contra virtutem Religionis, aut præceptum Ecclesiæ, si superfluos proventus in notabili quantitate in profanos sive non pios usus expendant.

Hæc, inquam, sententia hodie communi usu & consuetudine est recepta, ideóque in praxi damnari non potest, sed ob Dd. auctoritatem est probabilis, quam ex Canonistis docet *Covarr. in c. Cùm in officiis; 7. n. 3. de testam. Garc. Tract. de Benef. p. 2. c. 1. n. 5. & 6. Barb. l. 3. Iur. Eccles. c. 17. n. 10. & seqq. Tamburin. de Iure Abbat. Tom. 3. dis. 11. q. 15. n. 8. & seqq.* & novissimè *Fagnan. in c. ult. h. t. n. 2. & seqq.* Eandem sententiam etiam tenent plerique Recentiores Theologi, *Molin. tr. 2. de just. dis. 114. Azor p. 2. Instit. mor. l. 7. c. 8. q. 2. Less. l. 2. c. 4. n. 43. & seqq. Vasq. tr. de redit. Eccles. c. 1. §. 2. dub. 1. n. 27. & seqq. & alii Recent.* pro qua citatur etiam *S. Thom. 2. 2. q. 185. in corp.* qui tamen id clarè non dicit, ideóque pro prima sententia ab aliis allegatur. Fundamentum hujus sententiæ est primò, quia licèt constet, bona Ecclesiastica esse donata à fidelibus Ecclesiis ad honorem, & cultum Dei, & eo fine, ut reditus, quos ex illis percipiunt Clerici, ad honorem Dei, & pios usus expendant: non tamen constat, nec solidè probari potest, quòd illa data sint hoc modo, seu pacto, vel cum onere isto, ut pars superflua expendatur in pauperes, vel alios pios usus, ideóq; cùm Clerici sint absoluti dominitalium redituum, valida est eorum distractio, etiamsi in profanos usus expendantur, & consequenter ad restitutionem non sunt obligandi, nec expendentes, nec accipientes; cùm restitutioni non sit obnoxium, nisi quod alienum est, vel alteri ex justitia debitum, nec dominus, etiamsi re propriâ abutatur, ad restitutionem teneatur. Secundò, SS. PP. & SS. Canones, qui dicunt Clericos esse tantùm dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, quippe quia spectant ad pauperes, procedunt secundùm illud tempus, quo reditus Ecclesiarum principaliter erant deputati pro subsidio indigentium, & bona Ecclesiæ nondum erant divisa, & Beneficia erecta: Secus autem dicendum de eo tempore, quo divisio bonorum, & institutio Titulorum Beneficialium facta est, eorúmque reditus principaliter deputati sunt in subsidium Ministrorum Ecclesiæ. Tertiò, non constat, quòd pars illa pauperum devenerit, & quòd permixta sit cum parte Episcopi & Clericorum, verisimile enim est, quòd ex illa nova Beneficia sint instituta, cùm appareret pauperibus jam aliundè prospectum esse à fidelibus; vel quòd ex illa Templa ædificata, Hospitalia & Seminaria erecta fuerint: vel quòd auctoritate S Pontificis, ob graves causas, illa pars pauperum Clericis adjuncta sit, postquam constabat pauperibus aliunde non deesse subsidium: ergo in dubio Episcopi & Clerici non sunt obligandi ad restitutionem ex hoc capite, quòd pars pauperum cum parte illorum fuerit confusa. Quartò, Ecclesia non rescindit donationes, quas Clerici ex abundantibus reditibus Ecclesiæ faciunt consanguineis, vel quas in alios profanos usus expendunt, quod tamen facere deberet, si hujusmodi reditus ex justitia pauperibus, vel aliis piis usibus applicari deberent. Verùm quòd restitutio talium bonorum & redituum ordinariè non fiat, id oritur partim ex eo, quòd sæpè satis discerni non possint bona & reditus superflui ab aliis, cùm Clerici Beneficiati omnes reditus suorum Beneficiorum promiscuè percipiant: partim quia ista obligatio restituendi per oppositionem contrariæ sententiæ, quæ negat illam obligationem, & ob auctoritatem tot Dd. probabilis est, in praxi impeditur, ideóque neque Ecclesia præcipit, ut notavit *Tanner. cit. dub. 8. n. 232.* Ad reliqua autem fundamenta patet responsio ex dictis.

XV. Porro ex hactenus dictis deducuntur quædam corollaria. Primò, Clericos habentes patrimonium posse illud reservare, vel in alios usus, quos voluerint, expendere, & reditus suorum Beneficiorum in proprios usus erogare, vel si ex bonis patrimonialibus vixerunt, compensatione uti, & tantundem ex reditibus Beneficiorum accipere, & detrahere, quia hæc est quædam compensatio, *Less. cit. c. 4. n. 33.* & fusè probat *Fagnan. in cit. c. ult. n. 6. & seqq. Barbos. cit. c. 17. n. 26. & alii communiter*, nemo enim tenetur propriis stipendiis militare, etiamsi dives sit, *c. Urbanitatem; 45. in fine caus. 12. q. 2.*

Infertur secundò. Quòd Clerici possint elargiri Ecclesiasticos reditus superfluos iis, qui quamvis habeant necessaria ad victum: non tamen habent sufficientia ad decentiam statûs, & pro conditione, ac qualitate personæ, unde etiam de iis donare possunt consanguineis & familiaribus, quantum requirit decentiam statûs illorum, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 6. Navarr. Tract. de reditib. Eccles. q. 1. monito 27. Molin. tr. 2. dis. 146. n. 5. Fagnan. c. l. n. 18. & 19.* & sumitur ex *can. studeat 39.* ibi: *Præcipimus, ut tale Beneficium sibi & Ecclesiæ suæ concedatur; quò & ipsi, & sui sufficienter possint habere suæ sustentationis solatium.*

Infertur tertiò. Beneficiarium posse ex reditibus Beneficii alere liberos, non tantùm legitimos: sed etiam spurios, & illegitimos, & consequenter dotem dare filiæ etiam spuriæ; quia dos succedit in locum alimentorum, si aliunde non habeat, unde eos alat, nec liberi propria bona sufficientia habeant, tum enim est opus pietatis & misericordiæ erga liberos; *Molin. cit. dis. 146. n. ult. Azor p. 2. lib. 7. c. 10. q. 10. Laym. cit. c. 3. n. 4. Barb. c. l. n. 35. & 39.* Quin imò etiam Beneficiarius, qui patrimonialia bona habet, potest bonis Ecclesiasticis filium suum alere, vel etiam fratrem suum, aut alium consanguineum, etsi pater ipsius posset illi sumptus ad studendum subministrare; cum enim ad id non teneatur pater, filius est verè egens, cum propria bona non habeat, *Navarr. L. 3. Tit. 1. consil. 2. Laym. c. l. n. 5.* Infertur quartò, nomine pauperum in hac materia intelliguntur, non tantùm ipsi pauperes sed etiam omnia opera pia, quæ in cultum Dei tendunt, secundùm *S. Thom. c. l. ad 2. Navarr. cit. tr. de redit. q. 1. monit. 20. n. 1. Fagnan. c. l. n. 22.*

Infertur quintò. Clericus ex reditibus Ecclesiasticis potest remunerare accepta servitia, & Beneficium, quia censetur rei debitæ persolutio, aliàs enim incurreret vitium ingratitudinis, *Navarr. cit. q. 1. monit. 36. Fagnan. c. l. n. 21.* Infertur sextò, Beneficiarius potest ex Beneficii sui reditibus expendere, non tantùm necessaria ad sustentationem suam, & familiæ: sed & ea, quæ decere conditionem personæ suæ videntur, habitâ ratione generis, gradûs, seu dignitatis, & Ordinis, *Navarr. c. l. n. 3. Fagnan. c. l. n. 17.*

Infertur septimò. Is qui percipit pensionem ex aliquo Beneficio, debet, quod ultra decentem statum supereſt, etiam expendere in pauperes, aut alia pietatis opera, quia pensio æquiparatur Beneficio, *Navarr. cit. q. 1. monit. 32. n. 2. & 3. Barbos. c. l. n. 33.* quamvis plures apud eundem oppositum teneant, quod admitti potest de pensione, quæ non conceditur in titulum Beneficii.

§. III. Ad

§. III.

Ad quem pertineant bona acquisita à Clerico Beneficiario, & meliorationes factæ in rebus Ecclesiæ: num ad Ecclesiam, an verò ad ipsum Beneficiarium?

» XVI. Assertio 1. Si Prælatus vel Rector Eccle-
» siæ, aliúsve Beneficiarius, cùm promotus fuit ad
» Ecclesiasticum Ordinem (nempe ad Prælaturam,
» Parochiam, vel aliud Beneficium, quod occasione
» Ordinis habet) nihil vel parum patrimonii habeat,
» tum præsumendum est, prædia, sive bona ab ipso
» postea empta, ex reditibus Ecclesiasticis empta fu-
» isse, adeóque ad Ecclesiam, ad quam nihil habens
» promotus fuit, spectare, prout statutum habetur in
C. Investigandum 51. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Chartaginensi III. prout refertur in *c.* 1. *caus.* 12. *q.* 3. *Gl. hic V. Debent, & Abb. n.* 3. *Laym. in cit. disp. de rer. Eccles. alien. Thes.* 125. Ratio est, quia cùm Prælatus, vel alius Beneficiarius, qui nullum, vel exiguum patrimonium habet, reditus Ecclesiasticos habeat, ex quibus vivere potest, eòsque suâ industriâ augere, non decet, ut negotiando patrimonium acquirat, vel augeat, negotiatio enim Clericis est prohibita, ideo acquisita post promotionem ad Statum Ecclesiasticum præsumendum est, non per negotiationem: sed ex bonis & reditibus Ecclesiæ acquisita esse, sicut ea, quæ uxor acquisivit, constante matrimonio, ex bonis mariti acquisita censentur, prout habetur in *l. Quintus Mucius* 51. *ff. de donat. inter vir. & uxor. & l. Etiamsi* 6. *C. eod.* ne alioquí præsumatur, uxorem turpis quæstûs gratiâ ea acquisivisse, *cit. l. Quintus*, adeóque ne delictum præsumatur: nam uxores non solent plerúmque suo nomine, sive ex propriis bonis negotiari, & patrimonium augere, sed potiùs res mariti & familiæ diligenter curare, & augere debent.

Aliud verò quoad hoc obtinet in Tutore & Curatore, nam si Tutor pauper tutelam suscepit, ea quæ postea acquisivit, non ex bonis pupilli, sed per propriam industriam acquisivisse censetur, *l. Si defunctus* 50. *C. Arbitrium tutelæ*, quia illi non est prohibita negotiatio, sicut Clerico, & rationem administrationis tutelæ reddere tenetur, *Abb. hîc n.* 6. *& Laym. cit. disp. Thes.* 106.

XVII. Cæterùm quod *Gl. in cit. c.* 1. docet, omnia, quæ Prælatus possidet, præsumi de bonis Ecclesiæ acquisita fuisse, generatim loquendo, verum non est, neque id colligitur ex *cit. c.* 1. sed potiùs contrarium; nam in illo præsumitur, quòd Presbyter vel Clericus Beneficiarius acquisiverit ex bonis Ecclesiæ, si tempore promotionis suæ patrimonium nullum habuit, ergo per sensum contrarium, si habuit tunc patrimonium, cessat illa præsumptio, & præsumi debet, illud non acquisivisse ex bonis Ecclesiæ saltem non totum. Quare in hac re generalis regula tradi non potest, sed ex variis conjecturis, & circumstantiis id determinandum est, ut tradit *Abb. in c.* 3. *n.* 3. *h. t. Laym. in cit. disp. Thes.* 125. Si enim Prælatus vel Rector Ecclesiæ amplum patrimonium habuit, Ecclesiæ autem seu Beneficii reditus tenues fuerunt, tum potiùs ex propriis, quàm Ecclesiasticis reditibus acquisivisse, censeri debet. Item si Prælatus, Rector, vel alius Beneficiarius, bona, quæ emit, vel comparavit proprio nomine, ita pacificè aliquamdiu possedit, in dubio pro ipso possessore, ejùsque hærede præsumi debet, cùm in dubio non sit præsumendum delictum seu dolus, *l. Marito* 51. *ff. Pro socio*, ubi dicitur; in dubio præsumendum esse aliquem justè potiùs agere, quàm injustè, & sumitur ex *c.* 1. *junct. Gl. caus.* 12. *q.* 5. Præterea si Prælatus, alitsve Administrator bonorum Ecclesiasticorum, confecto inventario, rationes reddidit administrationis, tum si bona propria habuit, & aliquid acquisivit, quod in rationes non venit, ex propriis id acquisivisse, præsumitur, *Ioan. Andr. in cit. c.* 3. *n.* 2. *& Abb. n.* 3. *h. t.* Denique si constet quidem, quòd Beneficiarius sufficiens patrimonium habuerit, sed dubitetur, num ex patrimonio, an verò ex Beneficio bona illa sint acquisita, tunc bona post mortem relicta inter Ecclesiam & hæredes Beneficiarii sunt dividenda, secundùm quantitatem patrimonii, & proportionem redituum Ecclesiæ, *Abb. c. l. n.* 3. *Azor p.* 2. *lib.* 7. *c.* 9. *q.* 8. Idémque dicendum, si Beneficiarius non habuit quidem patrimonium, valde tamen fuit industrius in acquirendis honestis lucris, tunc enim præsumi potest, saltem partem bonorum acquisivisse ex propria industria, ideóque bona relicta etiam dividenda sunt inter Ecclesiam, & hæredes: Secus, si nec patrimonium habuit, nec industriam adhibuit, ad lucrandum, & acquirendum, tunc enim præsumptio stat pro sola Ecclesia, *Abb. c. l.*

XVIII. Confirmantur hactenus dicta, quia etiam Officiales fisci & Principum, in dubio, non ex bonis fisci: sed ex propriis, ac licitè acquisivisse censentur, nisi liquidè contrarium probetur, ut ex communi docet *Gl. margin. in l. Defensionis* 7. *C. De jure fisci lib.* 10. *Clar. in practic. crimin. §. fin. q.* 68. *n.* 30. *Mascard. vol.* 3. *de probat. concl.* 1134. *n.* 2. *& 3.* quia in dubio delictum non est præsumendum: nisi conjecturæ adsint contra Officialem, ut quia ante officium susceptum fuit pauper, & in eo gerendo negligens, tum enim ex bonis Principis, & intuitu officii acquisivisse censetur, *Masc. c. l. n.* 4. Item ante redditam rationem administrationis suæ, præsumitur Officialis acquisivisse, quæ habet, ex bonis Principis & officio suo: post redditas verò rationes, si eæ approbatæ sint, censetur acquisivisse propriâ industriâ, *Masc. c. l. n.* 5. Idem ergo similiter dicendum de Clerico Beneficiario, ita tamen, ut contra dictam præsumptionem, quòd Prælatus, vel alius Beneficiarius patrimonium non habens, vel exiguum solùm, censeatur ditatus ex bonis Ecclesiasticis, admittatur probatio in contrarium; cùm non sit præsumptio juris, & de jure, sed conjecturis tantùm nitatur, quæ per contrarias urgentiores conjecturas, vel probationes elidi possunt, *Gl. fin. in cit. c.* 1. *h. t.* Ut si Rectori Ecclesiæ, vel Clerico pauperi postea hæreditas obvenit, vel legata, aut donationes ipsi factæ sint proprio nomine: vel si per honestam negotiationem, vel artem liberalem, v. g. docendo ex Cathedra, Consilia scribendo &c. non pauca lucratus sit, idque ab hærede Beneficiarii sit probatum, nam ista acquisita propriâ industriâ non acquiruntur Ecclesiæ, *arg. c. Quia nos* 9. *& c. Relatum* 12. *de testam*

Abb. in cit. c. 1. n. 5. sicut etiam si constet, vel probari possit, quæ uxor, constante matrimonio, acquisivit ex donationibus sibi à consanguineis factis, vel ex paraphernis, vel ex negotiatione, marito etiam sciente, factâ, cessabit præsumptio, quòd ex bonis mariti ea acquisierit, præsertim, si is pauper sit, *Abb. in cit. c. 1. num. 7. Laym. cit. Thes.* 126.

XIX. Assertio 2. Quæcunque Episcopus, vel Ecclesiæ Rector, vel alius Beneficiarius comparavit, vel emit, non ex patrimonialibus bonis, sed ex bonis & reditibus Ecclesiasticis, vel intuitu Ecclesiæ acquisitis, ea ad Ecclesiam pertinere censentur, & Ecclesiæ relinqui debent, prout habetur in *c. Fixum*; » *4. caus. 12. q. 5. & in c. Unusquisque*; *3. h. t.* Ubi » statuitur, ut quicquid Episcopus, vel Rector Ec» clesiæ, post consecrationem seu ordinationem » suam, acquisierit (occasione sive intuitu Eccle» siæ, *Gl. fin. hic*) propriæ Ecclesiæ relinquat. Ubi *Gl. in princ. & Abb. notant*, quòd hic textus intelligi potest, vel de Episcopo, & tunc verbum *consecrationis* accipiendum est in propria significatione, quia Episcopus propriè consecratur; & verbum *Presbyter* debet exponi, id est, Episcopus. Vel potest intelligi etiam de quolibet Rectore Ecclesiæ, sive de Presbytero aut Parocho, qui propriè loquendo ordinatur. Idem habetur in *Auth. Licentiam, C. De Episc. & Cleric.* Ubi bona tantùm patrimonialia excipiuntur: reliqua verò, quæ intuitu Ecclesiæ, sive ex Ecclesiasticis titulis acquisita sunt, dominio Ecclesiæ reservata esse dicuntur, nisi in utilitatem Ecclesiæ, vel opera pietatis expensa sint, adeò quidem, ut si Beneficiarius talia bona ad alium usum applicare velit, tanquam rerum Dominicarum invasor habendus sit, *c. 1. caus. 12. q. 3. Laym. in cit. disp. Thes.* 117.

XX. Extenditur autem primò. Quòd non tantùm ea, quæ Clericus Beneficiarius emit, Ecclesiæ nomine, vel ex bonis & reditibus ipsi Ecclesiæ incorporatis, v. g. pertinentibus ad Fabricam: sed etiam quæ emit suo ac proprio nomine, ex reditibus, qui intuitu Ecclesiæ, sive ex Beneficio suo ipsi proveniunt (si non fuerint in usus pios impensa) ad Ecclesiam pertineant, ipsique Ecclesiæ, unde profecta sunt, maneant reservata, post mortem Beneficiati, *juxta cit. Auth. Licentiam, & c. 1. h. t.* & tradit *Gl. Summaria super c. 1, caus. 12. q. 3.* Ubi ait, certum est, quod quicquid Clericus acquirit de rebus Ecclesiæ, & intuitu Ecclesiæ, totum debet Ecclesiæ relinquere: si verò intuitu personæ aliquid acquisierit, potest relinquere, cui volet: quid autem sit intuitu personæ relinquere, explicatur à *Gl. ibid.* nimirum acquisita ex donatione amicorum, vel successione ex testamento, vel ab intestato. Eodem modo id explicat *Turecremata super cit. c. 1.* Ubi ait, quòd Clericus emens aliquid suo nomine, ex pecunia Ecclesiæ, vel intuitu Ecclesiæ quæsita, nisi admonitus id restituat Ecclesiæ, ut invasor rerum Ecclesiasticarum, aut ut sacrilegus judicatur. Contrarium tamen non improbabiliter docet *Navarr. Tract. de reditib. Eccles. q. 1. Monit. 47. & Azor p. 2. l. 7. c. 10. q. 1.* nempe quod quæcunque Beneficiarius non ex bonis ipsius Ecclesiæ: sed ex pecunia & reditibus sui Beneficii, non nomine Ecclesiæ: sed suo proprio emit, sibi, & non Ecclesiæ acquirat, ita ut in vita de iis liberè disponere possit, quia sicut ipsos reditus facit suos, eorumque dominium acquirit, ita & illarum rerum, quæ ex illis reditibus emit, quamvis de illis jure communi testari non possit, *de quo Tit. seq.*

Extenditur secundò. Quòd non tantùm Prælati, vel Rectores Ecclesiæ: sed etiam Canonici, & alii Clerici Beneficiati, qui administrationem non habent, si ex reditibus Beneficii sui quippiam suo nomine, emant, vel comparent, id non ipsis, sed Ecclesiæ suæ acquiratur, *c. 1. caus. 12. q. 3.* idque juxta priorem sententiam suprà allatam.

Extenditur tertiò. Quòd non tantùm res immobiles, ut agri & prædia, de quibus tantùm loquitur *c. 1. h. t. & c. 1. caus. 10. q. 3.* sed etiam res mobiles, vel se moventes, ut equus, liber &c. quæ ex reditibus Ecclesiasticis comparantur, ad Ecclesiam pertineant, eique acquirantur, ut patet ex *c. Inquirendum*; *4. h. t. & c. 1. caus. 12. q. 4 & cit. Auth. Licentiam C. De Episc. & Cleric.* qui Textus generaliter loquuntur de omnibus rebus ex reditibus Ecclesiasticis comparatis. Ratio est, quia reditus Ecclesiastici hac conditione & pacto dantur Clericis, ut quod supra necessariam & decentem sustentationem ex iis reliquum est, in pauperes seu alios pios usus expendatur, vel Ecclesiæ, à qua proveniunt, relinquatur, ut apertè constat ex *c. Episcopi*; *19. & c. Res Ecclesiæ*; *16. & c. seq. caus. 12. q. 1.*

XXI. Assertio 3. Si Prælatus seu Rector Ecclesiæ ex reditibus Ecclesiasticis, vel oblationibus fidelium, res aliquas alieno nomine (v. g. amici sui) comparavit, illæ acquiruntur Ecclesiæ; quia sicut non suo, ita nec alieno nomine fraudem facere debet de facultatibus, seu bonis Ecclesiæ: alioquin furtum, imò veluti sacrilegium quoddam committere censetur, par crimini Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur, prout statutum est in *c. Inquirendum*; *4. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Rhemensi.

XXII. Porro hoc speciale est in Ecclesia, quòd res ex pecunia ejus emptæ, quamvis non Ecclesiæ, sed alieno nomine, ipsi Ecclesiæ acquiruntur, ita ut hæc eas vendicare possit tanquam suas, licèt suæ non sint, ut tradit *Gl. Communiter recepta hic V. Comparavit*; quia hoc privilegium etiam concessum est minori vel pupillo, & militi: ut de minore & pupillo constat ex *l. Si curator*; *3. C. Arbitrium tutelæ:* Ubi dicitur, quòd si quis ex pecunia pupilli vel minoris emat v. g. prædium aliquod, suo proprio nomine, non pupilli, vel minoris, tunc potest hic illud ab emptore petere, nisi malit contra eundem agere, ut pecuniam, una cum usuris seu interesse, restituat. Idemque statutum est de milite in *l. Si ut proponis, 8. C. De rei vindic.* Ubi militi, si ex ejus pecunia aliquid rem quandam suo nomine comparavit, utilis vindicatio rei emptæ conceditur. Cùm ergo hoc speciali favore concessum sit minori, & militi, etiam Ecclesiæ concessum esse censendum est, ut emptum ex pecunia Ecclesiæ alieno nomine, ipsi Ecclesiæ acquiratur, *Gl. margin. in cit. l. Si ut proponis.* Quamvis aliàs de jure communi aliud sit statutum, nempe ut si quis, etiam Procurator, vel Administrator ex pecuniis alienis, etiam ejus, cujus bona administrat, rem

rem aliquam suo nomine emat, illa post traditionem ementi acquiratur, ita ut dominus pecuniæ vindicare non possit rem emptam: sed solùm personaliter agere possit contra emptorem, ad recuperandam pecuniam, *l. Si ex ea; 6. C. De rei vindic. l. 1. C. Si quis alteri, vel sibi &c. l. Si patronus; 4. C. Communia utriusque judicii, Gl. hîc V. Comparavit, & Abb. n. 5.* Ubi hoc privilegium concessum minori, militi & Ecclesiæ, ait, competere etiam cuilibet Clerico; quia privilegium tributum militi sæculari, extenditur etiam ad militem Dei, sive militiæ cœlestis, ut notat *Gl. in l. Miles; 6. V. Facere potest, & ibid. Bart. ff. de re judic.*

» XXIII. Præterea in *c. Presbyter; 2. h. t.* sta-
» tuitur, ut si Episcopus seu Prælatus, vel Rector Ec-
» clesiæ aliqua emat ex rebus Ecclesiæ, seu reditibus
» Ecclesiasticis, instrumentum emptionis nomine
» Ecclesiæ conficiat, in quo contineatur, ea ad Ec-
» clesiam pertinere, alioquin ab Ecclesiæ administra-
» tione amoveri debet, *Gl. ibid.* Ratio est, quia ex pecunia illius præsumitur res empta, cujus nomine instrumentum emptionis est confectum: ut ergo appareat, rem esse emptam ex pecunia Ecclesiæ, & consequenter ipsi acquiri, ideò instrumentum emptionis nomine Ecclesiæ confici debet, *Abb. hîc n. 3.* Deinde sicut Prælatus, si res Ecclesiæ contra Canones alienet, deponi debet, *c. Monemus; 18. & c. seq. §. Quod si calliditate caus. 12. q. 2.* ita etiam, si re semptas ex reditibus Ecclesiæ ipsi non incorporet: sed sibi appropriet, deponendus est, *Abb. hîc n. 5.* priùs tamen Prælatus admonendus est, ut rem ex reditibus Ecclesiæ emptam ipsi Ecclesiæ incorporet, quòd si monitus pareat, puniri non debet; quia delictum ejus non censetur in effectum esse deductum.

» XXIV. Assertio 4. Si Rector Ecclesiæ, vel
» alius Beneficiarius terras, v. g. agros, vel vineas ad
» ad Ecclesiam, vel Beneficium suum pertinentes me-
» lioravit ex reditibus Ecclesiasticis, (v. g. ex prato
» agrum, ex terra silvestri & inculta vineam faciendo) vitæ suæ sustentandæ causâ, iis meliorationi-
» bus frui, eàsque possidere potest, quamdiu vivit:
» (etiamsi Beneficium dimittat) post obitum verò
» suum, eas Ecclesiæ restituere debet: non autem
» jure testamenti, sive successionis ab intestato hære-
» dibus suis, vel prohæredum alicui (id est, qui pu-
» rat se hæredem esse, cùm non sit, *Gl. hîc V. Prohæ-*
» *redum*) relinquere potest: nisi forsan Episcopus eas
» alicui pro servitiis Ecclesiæ præstitis (ad tempus vi-
» tæ suæ) assignare voluerit, prout statutum habetur
inc. Si quis; 5. & ult. h. t. quod est desumptum ex Concilio Toletano. Ratio est, quia æquum est, ut illi, ad tempus vitæ, relinquatur terra possidenda, & fruenda, cujus labore exculta, vel ad fertilitatem redacta fuit, *Gl. hîc V. In terra.* Post mortem verò Beneficiarii eæ meliorationes penes Ecclesiam, vel Beneficium manere debent, ita ut neque impensas repetere possit Clericus Beneficiarius, si ex reditibus Ecclesiasticis superfluis illæ factæ sint; quia res acquisitæ ex reditibus Ecclesiasticis cedunt Ecclesiæ, ut supra dictum. Secus verò est dicendum, si ex patrimonialibus, seu propriis bonis Beneficiati meliorationes factæ sint, tum enim ipse, vel hæredes ipsius, illarum, vel expensarum æstimationem repetere possunt: nisi appareat, vel ostendatur, Beneficiarium animo donandi meliorâsse, prout colligitur ex *c. 2. junct. Gl. in casu caus. 12. q. 4.* & docet *Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t. & Barb. ibid. n. 2. Laym. in cit. dis. can. Thes. 118.*

XXV. Addit *Abb. in eod. c. ult. n. 4.* quòd etsi Beneficiarius ob delictum amoveatur à Beneficio, meliorationes tamen ipsi ad vitam sint relinquendæ, *arg. c. Ad aures; 7. de reb. Eccles. non alien.* Verùm ex illo *c. & c. ult. h. t. in fine*, plus non colligitur, quàm quòd Episcopus possit Beneficiario meliorationes relinquere, eas illi assignando pro servitiis præstitis Ecclesiæ, usque ad tempus vitæ ipsius, *Gl. fin. hîc*, vel impensarum æstimationem eidem solvere: imò æquum esse, ut ipsi solvantur, nisi ob gravitatem delicti aliud videatur: alioquî verò si ob aliam causam Beneficium dimittat, v. g. permutando illud cum alio, vel resignando, conveniens est, ut cum Episcopi consensu æstimatio meliorationum ipsi solvatur in remunerationem, nisi Beneficiarius cedens eas remittat, & condonet.

XXVI. Ex dictis colligitur, licèt Clericus Beneficiarius usufructuario comparetur in eo, quia etiam morte finitur usufructus, sicut morte Clerici jus, quod in Beneficio habebat: in pluribus tamen differt ab usufructuario, ut tradit *Gl. recepta in cit c. ult. V. Obitûs h. t.* Nam primò, quamvis merus usufructuarius reficere, ac restaurare possit, de novo tamen aliquid facere non potest, *l. Usufructu; 7. in fin. & l. seq. l. Usufructuarius; 44. ff. De usufr.* At verò Beneficiarius potest de novo facere, v. g. plantare vineam, domos de novo extruere, vel ampliare. Secundò, usufructuarius facit fructus perceptos, sive à solo separatos, & reconditos absolutè suos, ita ut de illis tam inter vivos: quàm mortis causâ liberè disponere possit in quocúnque casu, *l. Actoribus; 12. §. Julianus, ff. de usufr. & l. Si fructuarius; 13. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Sed Beneficiarius non potest ita liberè, nec inter vivos, nec mortis causâ disponere de fructibus seu reditibus Beneficii sui restantibus, seu superfluis, nec de meliorationibus, ut patet ex dictis, & dicendis *Tit. seq.* ideóque *Gl. cit.* ait, Beneficiarium comparari potiùs usuario, cui tantùm ad usum quotidianum fructibus uti licet, quod tamen alii Dd. communiter negant. Tertiò, usufructuarius tenetur satisdare, sive cautionem idoneam præstare, *c. ult. de pignorib.* & ibi *Gl. V. Cautionem, l. Usufructu; 4. C. De usufr.* Beneficiarius non item, quia id in jure cautum non reperitur, *Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t. Fagnan. ibid. n. 1. Laym. cit. Thes. 118.*

TITVLVS XXVI.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

Hactenus de actibus sive dispositionibus inter vivos dictum fuit, sequitur, ut de testamentis & aliis dispositionibus, quæ causâ mortis fiunt, agatur. Quoniam verò præmissus fuit Titulus de peculio Clericorum, & dubitari posset, an de omni peculio Clerici testari possint, vel per aliam ultimam voluntatem disponere; ideò iste Titulus priori subiungitur, qui extat etiam in Sexto & Clementinis. Porro tametsi Testamentum etiam sit ultima voluntas, & sub illa generaliter sumptâ, velut species sub genere contineatur: nam ultima voluntas, generatim loquendo, nihil aliud est, quàm libera & gratuita dispositio de bonis, in tempus post mortem disponentis, ut tradit Molin. tract. 2. de justit. dis. 124. n. 2. quia tamen non omnis ultima voluntas est testamentum, ideò in rubrica huius Tituli specialis fit mentio de Testamento, quippe quod est potissima, ac præcipua species ultimæ voluntatis, & sub altera parte rubricæ comprehenduntur aliæ ultimæ voluntates, quæ non sunt testamenta propriè dicta, de quibus etiam in hoc Titulo agitur, ut notat Abbas Panorm. ad Rubric. h. t. n. 1.

SECTIO I.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE Testamenti, & solennitatibus ad illud requisitis.

§. I.

Quid & quotuplex sit Testamentum: & quæ solennitates requirantur ad illud, spectato Jure communi Civili?

1.

ASSERTIO 1. Testamentum sic dictum quòd sit testatio mentis, *princ. Instit. de Testam. ordin.* definitur à Modestino JCto in *l. 1. ff. Qui Testam. fac. possunt Est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.* Ubi pro genere ponitur *voluntatis nostræ* sententia, id est, dispositio, in qua ultimæ voluntates cum pactis & contractibus inter vivos conveniunt. Dicitur autem primò, *voluntatis nostræ*, id est, non alienæ; nam testamenta ex alieno arbitrio pendere non debent, *l. Illa; 32. in princ. ff. de hæred. instit.* ac proinde si quis voluntatem suam conferat in alterius arbitrium, nihil agit, & perinde est, ac si nullum testamentum condidisset. Dicitur secundò, *justa sententia*, hoc est, legitima, sive juri congrua, & solennitatibus juris subnixa, ut explicat *Gl. in cit. l. 1. V. Justa sententia*, sive habens solennitates à jure requisitas ad valorem testamenti, *arg. l. 1. ff. De Injusto rupto &c. testam.* Ubi testamentum non jure factum dicitur, in quo solennia juris defuerunt, ergo à contrario sensu, testamentum justum dicitur, quod jure factum est, adhibitis scilicet solennitatibus à jure requisitis: per quam particulam excluduntur ultimæ voluntates non solennes, seu imperfectæ, in quibus non tot, nec tales solennitates requiruntur, quales ad solenne testamentum, vel ad probationem solùm, non ad valorem, *§. fin. junct. Gl. fin. Instit. de Codicil. de quo infra.*

Porro *Gl. Accursii in cit. l. 1. V. Justa sententia & V. Velit, Abb. ad rubr. h. t. n. 1. & Molin. cit. dis. 124. n. 4.* & alii plerique Dd. in definitione testamenti addunt hæc verba, *cum directa hæredis institutione*, per quam distinguitur Testamentum à Codicillis, & aliis ultimis voluntatibus, in quibus directa hæredis institutio fieri non potest, *§. Ante hæredis Instit. de Legat. l. Jubemus; 29. C. De testam.* Verùm quia durum videtur, Jurisconsultum in *cit. l. 1.* mancam definitionem testamenti tradidisse, in qua aliquid subintelligi debeat, ideò *Bartol. ibid. n. 3.* per voluntatem postam intelligit perfectam, quæ scilicet contineat hæredis institutionem, sine qua nullum testamentum subsistere potest, nec est perfecta dispositio; cùm sit veluti caput, basis, ac fundamentum testamenti hæredis institutio, *cit. §. Ante hæredis.*

Dicitur tertiò. *De eo, quod quis post mortem suam fieri velit*: morte enim tantummodò testamenta confirmantur, juxta *Apostolum ad Hebræos; 9. V. 16. & 17.* & ambulatoria est testatoris voluntas usque ad supremum vitæ exitum, ut dicitur in *l. Quod si; 4. ff. De adimend. legat.* Et in hoc potissimùm distinguitur testamentum à contractibus, qui ab initio quidem etiam sunt liberæ voluntatis: sed ex postfacto necessitati *l. Sicut*

l. Sicut; 5. *C. De oblig. & act.* Ita ut revocari postea non possint, sicut testamenta ante mortem, *Covarr. Tit. de Testam. in* 1. *p. rubr. n.* 5. Intelligitur autem per mortem hoc loco mors naturalis, vel civilis per professionem Religiosam. Est autem testamentum origine & inventione Juris gentium, cùm apud omnes gentes antiquissimus usus fuerit, ut de rebus suis in casum mortis disponerent: quamvis quoad formam præscriptam à Jure Civili, & solennitates ab eo requisitas, ab eodem sit introductum, *Clar.* §. *Testamentum q.* 2.

II. Assertio 2. Testamentum variè dividitur, nam aliud est perfectum, sive solenne, quale hactenus descripsimus: aliud imperfectum sive minùs solenne, vel privilegiatum, quod etsi careat solennitatibus jure communi alioquin requisitis, ex privilegio valet, quale est testamentum ad pias causas, testamentum inter liberos conditum, testamentum militare, vel conditum tempore pestis, vel factum coram Principe, sive apud Acta judicis, *Clar.* §. *Testamentum q.* 3. Rursus Testamentum solenne seu perfectum dividitur in Testamentum scriptum, & nuncupativum. Testamentum solenne in scriptis (quod etiam clausum vulgò appellatur, quia in eo plerúmque testator latere vult tabellionem, & testes, quid in eo contineatur) est illud, in quo testator suam ultimam voluntatem in scriptis exhibet, adhibitis testibus, qui hujusmodi scripturæ subscribunt, & sigilla sua apponunt, ideóque non aliter, quàm in scriptis, & cum solennitatibus jure requisitis fieri potest, de quibus infrà. Nuncupativum verò Testamentum est, in quo testator voce, sine scripto, coram testibus declarat, quid post mortem suam fieri velit, *Clarus cit.* §. *q.* 4. *n.* 1. *Molin. cit. tr.* 2. *dis.* 125. *n.* 1. quanquàm hodie plerúmque talis nuncupatio seu declaratio ultimæ voluntatis in scripturam à Notario publico redigi soleat, non quòd ad illam requiratur scriptura, tanquam forma ad substantiam actûs: sed ut faciliùs probari possit voluntas testatoris, si fortassis testes interim mori, vel inhabiles reddi contingeret, antequam coram Judice voluntatem defuncti declararent, quorum defectus suppletur per publicum Notarii instrumentum, ut insinuatio alia apud Judicem non sit necessaria, *Clar. cit.* §. *q.* 4. *n.* 2.

III. Assertio 3. Jure communi ad valorem testamenti solennis in scriptis requiritur primò, ut expressis verbis hæres instituatur, & nomen hæredis, propriâ manu testatoris, in eo scribatur, vel si alienâ manu testamentum sit subscriptum, ei testator propriâ manu subscribere debet, coram testibus, vel octavum testem adhibere, qui nomine & loco illius subscribat *l. Hac consultissima*; 21. *C. h. t.* Deinde sive propriâ manu testatoris, sive alienâ conscriptum sit testamentum, requiritur, ut illud, etsi clausum involutúmque ostendat testibus, dicàtque in illo contineri suam ultimam voluntatem, *cit. l. Hac consultissima.*

Secundò requiritur ad solenne testamentum scriptum, ut adhibeantur in illo septem testes, iique sint rogati, seu ad hoc vocati, & invitati, *cit. l. Hac consultissima, & l. Hæredes*; 21. §. *In testamentis, ff. eod.* Debent autem hi testes esse idonei, videlicet primò, ut sint Cives Romani, sive liberi, *cit. l. Hac consultissima*, nam servus testis esse non potest, *cit.* §. *Testes autem Instit. de testam. ordin.* Monachi autem, & Religiosi, licèt aliàs in jure æquiparentur servis, possunt esse testes in testamento, cum licentia Superioris sui, *Clarus* §. *Testamentum q.* 55. *n.* 7. Secundò, debent esse masculi, nam mulieres non admittuntur, *cit.* §. *Testamentum, & l. Quæ testamento*, 20. *ff. eod.* Tertiò, debent esse puberes, *cit. l. Hac consultissima*, nam impuberes excluduntur, *cit.* §. *Testes autem.* Quartò, debent adhiberi tales testes, qui possint hæredes instituì, vel legatum capere ex testamento, *cit.* §. *Testes autem, junct. Gl. V. Factio.* Quintò, debent esse extra suspicionem falsitatis. Et hinc non potest esse testis in testamento ipse hæres in eo institutus, *cit. l. Qui testamento in princ. ff. h. t.* §. *Sed neque hæres Instit. eod.* nec domestici sive testatoris, sive hæredis, v. g. filiusfamilias non potest esse testis in testamento patris, §. *Neque hæres Instit. h. t.* Legatarii tamen non prohibentur esse testes in testamento testatoris; quia licèt emolumentum aliquod capiant, principaliter tamen deponunt in commodum hæredis, §. *Legatariis Instit. h. t. cit. l. Qui testamento ff. eod.* Denique qui aliàs non sunt idonei ad testificandum in judicio, ut furiosi, muti, cæci, damnati ob crimen &c. nec in testamento testes esse possunt, de quibus dictum supra *Lib.* 2. *Tit.* 20. Debent autem testes simul adesse in præsentia & conspectu testatoris, ut eum non tantùm loquentem audiant: sed etiam coram intueantur, alioquin testamentum non valet, *l. Si non speciali*; 9. *C. h. t.* idque ob fraudem vitandam.

IV. Tertia solennitas requisita ad testamentum scriptum est, ut omnes & singuli testes nomen suum subscribant, propriâ manu, *l. pen. ff. h. t.* & illud subsignent annulo characteres habente, sive suo, sive alieno, etiam à testatore accepto, *l. Ad testium*; 22. §. *Si ab ipso, & §. Signum autem ff. h. t.* §. *Possunt autem Instit. eod.* & ibi *Gl. V. Annulo:* requiritur autem conjunctim & subscriptio, & subsignatio testium, alioquin testamentum pro infecto habetur, *cit. l. Hac consultissima*, si quis enim subscribat tantùm, & non obsignet, vel vice versâ, habetur pro non adhibito, *cit. l. Ad testium*, §. *Si quis.* Potest tamen obsignatio fieri, etiam alio signo, sive sigillo characteres habente, quàm annulo, prout hodie observatur in usu.

Quarta solennitas requisita ad testamentum in scriptis est, ut totum negotium testandi peragatur, uno eodémque loco, & tempore, unòque contextu, id est, nullo actu alieno sive extraneo (qui ad testamenti factionem non pertineat) interveniente, nisi ob urgentem necessitatem, ad modicum intervallum, interruptio aliqua facta sit, ea enim non obest, *cit. l. Hac consultissima, & l. Cùm Antiquitas*; 28. *C. h. t. & l. Hæredes*; 21. §. *fin.* & ibi *Gl. V. Alienum ff. eod.* Porro præsentia Notarii publici non est necessaria, quamvis consultum sit, ut instrumentum publicum fiat super contestatione testatoris, & subscriptione, ac sigillatione testium.

V. Assertio 4. Ad testamentum nuncupativum pauciores solennitates requiruntur: nam sufficit, si testator, coram septem testibus idoneis (quales supra descripti sunt) & ad id specialiter rogatis, simul uno eodémque tempore ultimam suam voluntatem, tam circa hæredis institutionem, quàm circa legata, & alia palam articulatâ, sive distinctâ voce declaret, ut intelligi possit, §. *fin. Instit. h. t. cit. l. Hac consultissima*, §. *Per nuncupationem, & l. In testamentis*; 26. *C. eod.* neque requiritur certa verborum formula, quibus

hæres

hæres nuncúpatur, sed valida est nominatio hæredis, quam seminecis & balbutientis lingua profudit, *l. Quoniam*; 15. *C. h. t.*

VI. Hinc jàm patet, quæ sit differentia inter Testamentum nuncupativum, & illud, quod in scriptis conditur; nam in hoc plerumque celatur ultima voluntas, & ignoratur hæres institutus: in nuncupativo verò debent palam nuncupari, ac declarari hæredes, ut sciant testes, quinam sint instituti, *cit. l. Hac consultissima*, §. *Per nuncupationem*, & *l. Jubemus*; 29. *in princ. C. h. t.* Secundò, ad testamentum scriptum necessaria est scriptura, sine qua nullum est testamentum: nuncupativum verò potest fieri nudâ voce, coram testibus, & quamvis redigatur in scripturam, manet tamen nuncupativum, cùm scriptura tantùm adhibeatur facilioris probationis causâ, *arg. l. In re*; 4. *ff. de fide instrum. Zæs. ff. h. t. n.* 57. Tertiò, in testamento nuncupativo testes nec subscribunt, nec subsignant, quorum utrumque requiritur ad testamentum scriptum. Addunt aliqui, quòd in testamento nuncupativo testes non debeant esse rogati; sed contrarium est verius, *juxta Auth. rogati C. de testib.* quæ generaliter & indistinctè ait, in testamentis testes debere esse rogatos, *Gl. in §. ult. V. Adhibitis*; *Instit. h. t. & alii communiter* apud *Clar. q.* 58. *n.* 1.

VII. Hinc colligitur præterea, quomodo Codicillus differat à Testamento: nam Codicillus sic dictus, quasi parvus Codex, est quasi imperfectum quoddam testamentum, sive ultima voluntas minùs solennis de eo, quòd quis post mortem suam fieri vult, in quo directè hæres institui non potest, sicut in testamento; nam in Codicillo neque hæreditas directè dari, neque auferri alicui potest, §. *Codicillis autem Instit. de Codicil. l. Per manus*; 10. *ff. de jure Codicill. l.* 2. *& l. Si idem*; 7. *C. eod.* neque etiam directè substitui potest, neque conditio adjici hæredi scripto in testamento, *cit.* § *Codicillis autem*: potest tamen in Codicillo fideicommissum relinqui, adeóque hæres institui indirectè, *cit.* §. *Codicillis autem*, & *l.* 2. *C. eod.* Quòd si hæreditas Codicillis directè relicta fuerit, institutio directa trahitur ad fideicommissariam, quasi hæres ab intestato succedens rogatus esset, restituere hæreditatem ei, qui scriptus est in Codicillis, *l. Si quis*; 3. *in princ. ff. de jure Codicill.* idque ut sustineatur voluntas ultima, eo modo, quo potest, *Zæsius ff. eod. num.* 7.

Præterea Codicilli, ad instar Testamentorum fieri possunt, vel in scriptis, adhibitis quinque testibus, uno eodémque tempore, non tamen necessariò rogatis, neque masculis; nam & fœminæ in Codicillis testes esse possunt, in quibus solennitates requisitæ ad testamentum sunt remissæ, §. *fin. Instit. eodem.* nullibi enim femina prohibetur esse testis in Codicillis. Requiritur tamen ut testes se subscribant, si Codicilli fiant in scriptis, etsi non sit necesse, ut sigilla sua apponant, *l. fin. §. ult. l. Divi*; 6. §. 1. ibi: *neque signari necesse est*, *ff. de jure Codicil. l. fin. §. ult C. eod.* vel etiam possunt fieri Codicilli sine scripto, per nuncupationem, sive voce declaratâ ultimâ voluntate, coram quinque testibus, licèt ea postea in scripturam redigatur, *cit. l. fin.* § *ult. C. eod.*

Denique licèt duo Testamenta non possit quis condere, ita ut ambo valeant: potest tamen quis duos, vel plures Codicillos facere: modò inter se non sint contrarii, alioquin prior per posteriorem revocatus censebitur, §. *fin. Instit. de Codicill. l. Divi*; 6. §. 1. *ff. de jure Codicil. l. Cùm proponatis*; 3. *C. eod.* Ratio est, quia in Codicillis res singulares tantùm relinquuntur, non hæreditas, quæ est successio in universum jus defuncti, *l. hæreditas*; 62. *ff. de R. J.* ideóque in Codicillis directè dari, vel adimi non potest, *Zæs. ff. eod. n.* 5.

§. II.

An solennitates Juris Civilis requirantur etiam ad Testamentum, spectato Jure Canonico?

VIII. Respondetur negativè, ut constat ex *c. Cùm esses*; 10. *h. t.* Nam cùm Episcopus Ostiensis Alexandro III. proposuisset, talem in suo Episcopatu vigere consuetudinem, ut testamenta penitus rescindantur, nisi fiant cum subscriptione septem, vel quinque testium, prout legibus Cæsareis decretum est. Respondet ad hoc Papa, quia id à Divina lege, & SS. Patrum institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine alienum est, cùm scriptum sit (*Deuteron. c.* 17. *V.* 6. *&* 19. *V.* 16. *& Matth.* 18. *V.* 17.) In ore duorum vel trium testium stat omne verbum, se prædictam consuetudinem improbare, ac decernere, ut testamenta, quæ Parochiani coram Presbytero seu Parocho suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis, per modum extremæ voluntatis fecerint, firma permaneant, prohibens insuper sub interminatione seu comminatione anathematis (id est, excommunicationis, non latæ sententiæ, sed ferendæ, *Gl. fin. hic*) ne quis hujusmodi testamenta rescindere audeat.

IX. Pro explicatione hujus celebris cap. Notandum primò, Testamentum factum, coram duobus testibus & Parocho, validum est de Jure Canonico, sive ad causas pias, sive profanas: idque certum est, loquendo de locis, temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, ut ex communi Dd. tradit Clarus §. *Testamentum q.* 57. *n.* 2. Neque verò per hanc Constitutionem decretalem universim sublatæ & reprobatæ sunt solennitates ad testamentum requisitæ de Jure Civili; quia adhuc servandæ sunt in foro sæculari & terris Imperii: cùm enim non agatur de causa spirituali, nec subsit peccatum, Jus Civile in suo foro observandum est: præsertim cùm hæ solennitates testamentariæ inventæ sint ad vitandas fraudes, & excludendam omnem subornationem, quæ in testamentis sæpe intervenire solent. *Covarr. in Tit. de Testam. in c. Cùm esses num.* 3. & 12. Quare cùm S. Pontifex in hoc cap. dicit, alienum esse à Divina lege, & SS. Patrum institutis, & generali Ecclesiæ consuetudine, ut invalida sint testamenta, quæ sine septem, vel quinque testibus fiunt; non vult dicere, id esse contra legem Divinam, cùm neque lex Divina, neque SS. PP. neque generalis Ecclesiæ consuetudo id fieri prohibeant: sed volu-

voluit dicere, esse alienum, id est, præter Legem Divinam, quia plures testes requiruntur, quàm Lex Divina requirat, eique non conforme, etsi non sit positivè difforme, sive contrarium. Neque etiam improbat illam cõsuetudinem, tanquam ipso jure invalidam, sed solùm abrogat, quamvis præscriptam, ut in posterum non servetur in terris temporali jurisdictioni Romani Pontificis subjectis, prout subijcitur Episcopatus Ostiensis, ut bene advertit *Molin. tr. 2. de just. dis. 137. num. ult.* Nec obstat, quòd Lex Divina duorum testimonium in qualibet re sufficiens esse dicat; quia solùm vult iniquum esse, ut quis unius testimonio damnetur: non autem vetat, quin quandóque, pro negotij qualitate, plurium, quàm duorum testimonium requiri possit, si ita Reipubl. expediens esse videatur, ut patet ex *c. Licet*; 23. *de test.* ubi dicitur, quòd quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos, exigunt testes, alioquin Alexander sibi ipsi, imò & Legi Divinæ adversaretur, quia in hoc ipso *c. Cùm esses*; ultra duos, vel tres testes, Parochi præsentiam requirit.

X. Notandum secundò. Testes requiruntur, non tantùm ad probationem testamenti: sed etiam ad formam substantialē illius, cùm sine illis testamentum non sit validum, nec effectum habere possit, ut docet *Covarr. in cit. c. Cùm esses*; *n.* 8. & alij communiter. Idque procedit etiam de Jure Canonico: nam cùm præter duos testes, qui spectato Jure naturali, & gentium, ad probationem alicujus actûs sufficiunt, etiam requiratur Presbyter, sive Parochus, signum est, quòd præsentia horum testium requiratur ad formam substantialem testamenti, ita ut si in terris Ecclesiæ testamentum fiat, adhibitis tantùm duobus, vel tribus testibus, sine Parocho, illud sit invalidum. Neque etiam sufficit, si alius Presbyter, tamersi curam animarum habens, sed extraneus adsit, cum duobus testibus: sed requiritur, ut sit proprius, & ordinarius Parochus testatoris, ut docet *Abbas. in cit. c. Cùm esses nu. 7. & in repet. ejusd. n. 6. Fagn. ibid. num. 24. & 3. seqq.* quia cùm sit Pater spiritualis suorum Parochianorum, cessat, eo præsente, omnis præsumptio falsitatis, non enim verisimile est, ipsum consensurum in fraudem. Sufficit tamen, si quatuor testes sint adhibiti, sine Parocho proprio; quia duo testes æquivalent Parocho, & vices supplent unius, quantumvis maximæ auctoritatis sit, ut patet ex *c. Cum à nobis*; 28. *& c. Licet*; 47. *de testib. Abb. in cit. c. Cùm esses*; *num.* 7. *Covarr. ibid. num.* 12. *&* 13. *Clarus cit. qu.* 57. *nu.* 3. *Molin. cit dis.* 133. *nu.* 4. *&* 5. & alij communiter.

XI. Notandum tertiò. Etsi spectato Jure communi, probabile sit, quòd Clerici etiam in terris Imperij, aliorúmque Regnorum, possint condere testamenta, secundùm dispositionem, & formam Juris Canonici, traditam in *cit. c. Cùm esses*; ita ut ubiq; servanda sit in foro Ecclesiastico, ut asserit *Clarus cit. quæst.* 57. *num.* 2. Ratio est, quia cùm per formam septem, vel quinque testium Jure Civili præscriptam valde restringantur ultimæ voluntates, ideò ad illam tanquam odiosam, & onerosam Clerici non videntur esse obligati: sed conformare se possunt dispositioni Juris Canonici, etiam in causis profanis. In praxi tamen attendendum est ad consuetudinem locorum, ut rectè monet *Molin. cit. dis. num.* 7. *&* 8. Est autem in Imperio Romano usu receptum, ut testamenta, aliæque ultimæ voluntates â Clericis factæ ad causas profanas, & temporales, secundùm Jus Cæsareum regulari debeant, ita ut testamenta Clericorum condita in terris Imperij non valeant: sed rescindi possint, si facta sint sine septem testibus, alijsque solennitatibus Jure Cæsareo requisitis, ut testatur *Læym. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 13. *nu.* 1. *& in c. Ecclesia*; 10. *nu.* 15. *de Constit.* Ratio est, quia cum Clerici sint Cives, ac membra Reipubl. ubi degunt, æquum est, & rectæ rationi consentaneum, ut se in rebus suaptè naturâ politicis, Legibus sæcularibus locorum conforment.

XII. Notandum quartò. Etsi valide probabile sit, quòd spectato Jure Canonico, in terris Ecclesiæ non requiratur ad valorem testamenti, ut testes sint rogati, aut masculi, vel ut subscribant, & subsignent, ut tradit *Abb. in cit. c. Cùm esses*; *nu.* 3. *& Molin. cit. dis. n.* 6. quia dispositio *cit. c. Cùm esses*; in quo reijcitur numerus testium Jure Civili requisitus, fundatur in Jure Civili, ac gentium, secundùm quod etiam fœminæ possunt esse testes, nec opus est, ut rogentur, vel subscribant, modò sint idonei testes de Jure naturali, & gentium. Nihilominùs tamen oppositum etiam est probabile, nempe quòd fœminæ, etiam secundùm Jus Canonicum, non possint esse testes, in testamento ad causas profanas; quia in *cit. c. Cùm esses*; immutata est forma testandi juris Civilis, quoad numerum tantùm: non autem quoad qualitatem testium: ut patet ex eo, quòd in illo c. etiam exigatur, ut coram idoneis personis testamenta fiant, quales in hac materia sunt masculi. Neque repugnantia inter Jus Canonicum, & Civile induci debet, quando non reperitur aliqua Constitutio, seu dispositio Juris Civilis mutata, aut abrogata per Jus Canonicum, *arg. c.* 1. *de novi oper. nunciat Covarr. cit. l. n.* 14. *Clar. cit.* §. *Testamentum*; *q.* 55. *n.* 3. *Zœsius ff. h. t. n.* 47. *Fagn. in cit. c. Cùm esses*; *n.* 36. & est sententia communis. Similiter valde probabile est, testes duos, vel tres, qui secundùm Jus Canonicum requiruntur ad testamentum, debere esse rogatos; quia dispositio Juris Civilis id requirens non est expressè correcta per Jus Canonicum: quin potiùs videtur approbata in *c. Relatum*; 11. *in fine*, ibi: *tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis*, id est rogatis; *h. t.* ideóq; Lex Civilis, etiam quoad hoc servanda est in foro Ecclesiastico, *Fagn. c. l. n.* 18. & aliquot seqq.

§. III.

An sicut Testamentum, sine solennitatibus Iure positivo requisitis, factum ad profanam causam, in foro externo est invalidum: ita etiam sit invalidum in foro conscientiæ?

XIII. Celebris, & gravis est hæc Controversia, in qua tres sunt sententiæ. Prima est, Testamenta minùs solennia condita ad causas profanas in foro conscientiæ esse valida, ac proinde licitè retineri hæreditatem, vel legatum ex tali testamento imperfecto acquisitum, nec restituendum esse hæredi ab intestato,

modò constet hanc fuisse voluntatem Testatoris, ut hæres scriptus hæreditatem acquireret: tunc enim hæres ab intestato in conscientia tenetur ipsi tradere hæreditatem, & solvere legata ex tali testamento imperfecto relicta, prout refert *Molin. tr. 2. de Iustit. disp. 81. n. 2.* Eamque tenet *Leß. lib. 2. de Iustit. c. 19. nu. 12. Fachin. lib. 4. controv. cap. 5. Zæsius in comment. ad Decret. nu. 19. h. t. & ff. eod. n. 43.* & alij Theologi, & Jurisperiti. Probatur primò. Quia ex Testamento minùs solemni oritur obligatio naturalis, ut ex communi sententia docet *Clarus §. Testamentum; q. 90. n. 1.* Atquì hoc nihil aliud est, quàm tale testamentum in foro conscientiæ esse validum, ita ut hæres ab intestato teneatur ei satisfacere, & institutus possit relictum retinere, etsi Jus Civile nullam actionem concedat ex tali testamento: sicuti etiam simplex promissio valida est in foro conscientiæ, & adimplenda; licèt Jus Civile nullam ex ea concedat actionem; quia naturalis obligatio est illa, quæ oritur ex natura actûs, secluso omni jure positivo, & ab hoc superveniente non irritatur. Quòd autem ex tali testamento oriatur naturalis obligatio, confirmatur ex eo; quia si hæres ab intestato non esset naturaliter obligatus, ad implendam testatoris voluntatem ex minùs solenni testamento, liceret ei ob eam causam solutum repetere, *l. Quod indebitum; 7. l. Naturaliter; 10. in fine, & l. seq. & l. Quod pupillus; 41. ff. de condict. indeb.* atqui solutum ex imperfecto testamento repetere, hæredi ab intestato non licet, *l. 2. C. de fideicommiss. l. Non dubium; 16. C. h. t.* ergo naturaliter obligatur. Probatur secundò. Quia numerus testium, & aliæ solennitates requiruntur tantùm ad testamenta, ut omnis fraus in eis evitetur, *l. fin. C. De fideicommiss.* ergo cùm leges irritantes testamenta minùs solennia fundentur in præsumptione fraudis, hæc autem præsumptio cessat, quando constat de voluntate contraria Testatoris, adeóq; de falsitate præsumptionis, sequitur, quòd tunc etiam cessent ipsæ leges irritantes.

Secunda sententia opposita est, testamenta, ob defectum solennitatum, à Jure positivo in foro externo irritata, esse etiam invalida in foro conscientiæ, ita ut hæres in tali testamento institutus teneatur ad restitutionem hæreditatis acceptæ, faciendam hæredi ab intestato, nec possit illam retinere in conscientia, si hæredes ab intestato illam petant, quam sententiâ tenet, *Covarr. in cit. c. Cùm esses; n. 6. & seqq. Vasq. in opusc. moral. tr. de Testam. c. 3. dub. 1. n. 3. Azor p. 3. lib. 6. c. 9. q. 1.* ubi id docet de contractibus initis, sine juris solennitatibus, *& Clar. cit. q. 90. n. 2. & 5.* quoad hæreditatem relictam in testamento imperfecto: non autem quoad legata, & plures ex Theologis, præsertim recentioribus. Fundamentum præcipuum est, quia leges absolutè irritantes cõtractum, vel actum aliquem, censendæ sunt, irritare etiam in foro interno conscientiæ, quippe in quo etiam obligant leges justæ, quales sunt Leges Civiles irritantes testamenta facta sine debitis solennitatibus. Utraque hæc sententia est probabilis, & in praxi secura, saltem ob Dd. auctoritatem. Tertia sententia est media, per quam ferè conciliantur inter se prædictæ duæ sententiæ oppositæ, quam tenet *Tanner. Tom 3. Theolog. disput. 4. q. 6. dub. 13. num. 332. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 17. n. 2.* & alij apud ipsum, videlicet testamenta minùs solennia, seu imperfecta, non esse quidem irrita ipso jure, in foro conscientiæ: posse tamen rescindi per sententiam Judicis: idque ipsum hæredem ab intestato licitè petere in judicio, etiamsi sciat, aliam fuisse voluntatem defuncti Testatoris, ut ex seqq. assertionibus magis patebit.

XIV. Assertio 1. Certum est in hac re, quòd Lex humana, sive Ecclesiastica, sive Civilis, possit præscribere certam formam, & solennitates testamentis, vel etiam contractibus, ita ut ijs non servatis, actus sit irritus, etiam in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam condemnatoriam, nec per illam fiat dominij, aut alterius juris translatio. An autem de facto Leges Civiles irritârint testamenta imperfecta, seu minùs solennia, id controversum est. Secunda sententia affirmat, negat verò prima, aitque Leges solùm ea irritâsse in foro externo, denegando actionem ex tali testamento imperfecto, eique non assistendo, ad vitandas plurimas lites, & fraudes: non autem ei positivè resistendo. Similiter potest etiam Lex positiva solùm velle, ut testamentum non habeat vim probandi in foro externo, nisi certas solennitates præscriptas habeat: licèt in foro conscientiæ ex eo oriatur obligatio, & in hoc omnes conveniunt, loquendo de possibili.

XV. Assertio 2. Si hæres in testamento minùs solenni institutus (idémque quoad hoc, est de Legatario, cui in tali testamento legatum est relictum) hæreditatem, absque vi, vel fraude consecutus est, non tenetur in foro conscientiæ restituere hæreditatem hæredibus ab intestato, si ipsi certò constet de voluntate Testatoris., quòd ipsi voluerit hæreditatem acquiri, donec in judicio ab ipso repetatur, *Silvest. V. Hæreditas; 3. q. 7. num. 9. Navarr. lib. 3. consil. 1. h. t. Menoch. l. 1. de præsumpt. q. 80. n. 4. Suar. lib. 5. de legib. c. 32. n. 7. Laym. c. l. n. 4.* Ratio est, quia hæres ab intestato manet naturaliter obligatus, ad restituendam hæreditatem hæredi scripto in tali Testamento, quæ obligatio naturalis oritur ex voluntate defuncti, & per se sufficiens est, ad transferendum dominium: ac proinde potest in foro conscientiæ retinere hæreditatem acceptam, quia ipsi naturaliter est debita, donec ab ipso repetatur, tanquam civiliter indebita.

XVI. Assertio 3. Si extraneus sit hæres scriptus in testamento imperfecto, ac minùs solenni, vel alicui sit relictum legatum in tali testamento, & hæres Testamentarius, vel Legatarius agat in iudicio ad obtinendam hæreditatem, vel legatum, eò quòd constet, eam verè fuisse mentem, & voluntatem Testatoris: Judex autem, uti debet, sententiam ferat, per quam hæreditas adjudicatur hæredi ab intestato, ipseque liber pronunciatur à solvendis legatis, quippe relictis ex Testamento imperfecto, hoc casu, non tenetur hæres ab intestato, foro conscientiæ, hæreditatem relinquere hæredi scripto in testamento imperfecto, neque solvere legata in eo relicta, exceptis ijs, quæ ad pias causas relicta sunt, de quibus infrà: imò hæres scriptus tenetur in conscientia, tali casu, post latam sententiam condemnatoriam Judicis, restituere hæreditatem, si eam jam adijt, vel Legatarius legatum jam acceptum hæredi ab intestato, *Suar. c. l. Menoch. c. l. n. 7. Laym. c. l. n. 2. & 3.* Ratio est, quia Judex non de legibus: sed secundùm leges judicare debet, *c. Iniustis 3. dist. 4.* At verò Testamentum imperfectum, secundùm Leges Civiles, est nullũ, & pro infecto haberi debet, *§. Ex eo Inst. quib. mod. test. infirm. & l. Hæ-*

l. Hæc consultissimâ; 21. §. *Non subscriptum*, & §. *Ex imperfecto*; *C. h. t.* ergo Judex ita judicare debet, & per consequens non solùm hæres ab intestato huic sententiæ judicis pro ſe latæ ſe conformare potest, & retinere hæreditatem, ac legata relicta ex testamento secundùm leges Civiles invalido: sed etiam hæres institutus huic sententiæ parere debet; cùm omnis Lex, vel sententia justa etiam in conscientia obliget, & observari debeat.

Neque obstat, quòd leges Civiles solùm irritent testamenta imperfecta, & minùs solennia civiliter, tollendo actionem, & obligationem civilem, & non naturaliter, quia manet obligatio naturalis, ut supra dictum. Nam ex eo solùm sequitur, quòd hæres scriptus, vel legatarius hæreditatem, vel legatum extali testamento relictum accipere, & retinere possit, quamdiu non convenitur in Judicio, neque ab ipso repetitur: quia tamen hæc obligatio naturalis inefficax est, quippe quæ per exceptionem legis civilis elidi potest, & cùm lex tali testamento imperfecto resistat civiliter, denegando ex illo actionem: imò & exceptionem, ita ut hæres in eo scriptus, neque exigere possit hæreditatem, vel legatum in eo relictum ab hærede ab intestato in Judicio, neq; contra ipsum, si repetatur, excipere: saltem post sententiam condemnatoriam Judicis: ideò hæres ab intestato, neque in foro conscientiæ obligatus est, talem hæreditatem, vel legatum relinquere hæredi scripto, vel solvere Legatario, juxta regulam generalem traditam apud *Laym. c. l. Qui in foro externo justæ, & receptæ legis beneficio se tueri potest, quo minus solvat, is neque in foro conscientiæ de ea re conventus solvere ex justitia est obligatus.*

XVII. Et hinc jam patet responsio ad fundamenta primæ sententiæ, quatenus adversari videntur huic nostræ sententiæ mediæ. Nam ad primum dicitur, si hæres ab intestato hæreditatem tradidit hæredi instituto in testamento imperfecto, vel legatum in illo relictum solvit, per errorem facti, quia putavit testamentum solenne esse, tum repetere potest: secus est, si restituit, vel solvit per errorem Juris, existimans in testamento imperfecto relictum solvendum esse, tunc enim repetere non potest, *l. Fideicommissum*; 7. *junct. Gl. V. Solutum*; *C. de condict. indeb.* Ad secundum argumentum dicitur, leges Civiles infirmantes testamenta minùs solennia fundantur in generali quadam præsumptione fraudis, sive periculi fraudis, quæ sæpè in testamentis minus solennibus committi solet, ideòque non cessant obligare, etiamsi in casu particulari cesset, seu absit omnis suspicio fraudis, sed requiritur, ut etiam in communi, & universaliter præsumptio fraudis cesset. Quare tunc tantùm lex aliqua in præsumptione fundata censetur, & cognitâ veritate cessat, cujus principalis causa finalis (non impulsiva tantùm) est præsumptio alicujus rei, sive per quam statuitur, & Judici præcipitur, ut in quovis casu particulari, secundùm præsumptionem fraudis à jure factam, sententiam ferat. Cujusmodi est v. g. Lex prohibens, & irritans matrimonium clandestinum, quæ fundatur in præsumptione fraudis, in quovis casu particulari, adeóq; invalidum est in quocúnque casu, etiamsi constaret abesse fraudem: Leges autem infirmantes testamenta minùs solennia, sunt fundatæ in præsumptione fraudis priore, non posteriore modo, ideò non cessant obligare, etiamsi in particulari casu de contraria veritate constet, *Laym. cit. c. 17. n. 4. & c. 21. n. 4.* & patet ex dictis supra *Lib. 2. Tit. 23. §. ult.* Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, leges Civiles non irritant testamenta minùs solennia absolutè, etiam pro foro interno conscientiæ, sed solùm pro externo, saltem ante sententiam Judicis condemnatoriam.

XVIII. Ex dictis infertur primò, Hæredem ab intestato posse, tutâ conscientiâ, petere hæreditatem alteri relictam in testamento minùs solenni, etiamsi ipsi constet de voluntate testatoris, quod est contra *Molin. cit. disp. 81. n. 16. & 17.* qui oppositum probat ex *l. fin. C. de fideicommiss.* ubi tamen sermo est de fideicommissis, in quibus specialiter constitutum est, ut si hæres fateatur, suæ fidei commissum à defuncto, ut hæreditatem, vel legatum, etiam absque alia solennitate relictum alteri tradat, & civiliter, ac efficaciter ad id obligetur, *Laym. cit. c. 17. n. 5.* Alioquin ex hoc sequeretur, quòd neque in foro externo solennitates juris ad testamenta requirerentur.

Infertur secundò. Hæredem in minùs solenni testamento institutum, vel Legatarium non posse uti occultâ compensatione, si hæreditas in foro externo hæredi ab intestato adjudicata sit, vel is liber pronunciatus sit, à solvendis legatis ex testamento imperfecto: nam si justa fuit judicis sententia adjudicantis hæreditatem hæredi ab intestato, sequitur, quòd iste jus habeat illam accipiendi, ac possidendi, & consequenter, quòd hæres in minùs solenni testamento institutus, vel Legatarius injuriam illi inferant, si hæreditatem, vel partem illius ei clam auferant, *Laym. c. l. n. 7. contra Mol. cit. disp. n. 22.*

§. II.

An solennitates Iuris Civilis requirantur in Testamentis ad pias causas?

XIX. Ad hanc quæstionem respondetur etiam negativè; nam testamenta, aliæque ultimæ voluntates, ac legata ad pias causas facta, quæ scilicet principaliter, ac directè ob honorem DEI, ac Sanctorum, vel spiritualem animæ salutem fiunt, & Ecclesijs, Monasterijs, vel alijs pijs locis, vel ad redimēdos captivos, alendos pauperes, etiam consanguineos, aut Religiosos, vel pro suffragijs mortuorum sunt relicta, seu donata, etiam sine solennitatibus Juris Civilis, valida sunt, in utroque foro externo, & interno conscientiæ, solúmque requiritur, ut habeant id, quod jure naturali, ac gentium exigitur: modò de voluntate defuncti, qui de rebus suis disponendi facultatem habuit, constet, sive per testes duos, aut tres: sive per scripturâ, seu subscriptionem testatoris propriâ manu factam, sive per confessionem hæredis &c. Est communis sententia Doctorum apud *Clarum §. Testamentum*; *q. 6. n. 1.* & sumitur ex *c. Relatum*; 11. *h. t.* Ubi cùm quidam Judices pro valore testamentorum, & » aliarū ultimarū voluntatū, in quibus hæreditas, vel » legatum Ecclesijs relictū est, judicare nō solerēt, nisi » septem, vel quinq; testes idonei interveniſſent: id » reprobās Alexand. III. ait cùm ejusmodi causæ non »

» secundùm leges Civiles, sed secundùm statuta De-
» cretorum, sive SS. Canones tractari debeant: id-
» circò sufficere, si talia testamenta, duobus, vel tri-
» bus legitimis testibus requisitis, fiant: quoniam
» scriptum est: In ore duorum, vel trium testium, stat
» omne verbum. Ratio est, quia S. Pontifex potuit
» in hac re legibus Civilibus derogare, quę pijs causis
nihil præjudicare possunt: nam ad Ecclesiasticam potestatem, & inprimis ad S. Pontificem pertinet, ordinare hominum actiones ad finem supernaturalem, & spiritualem salutem animæ, & per consequens tollere omnia, quæ studium bonorum operum ad salutem animæ pertinentium impediunt. Cujusmodi sunt leges requirentes solemnitates Juris Civilis, etiam ad testamenta, & ultimas voluntates, quæ ad pias causas fiunt, *Less. l. 2. de justit. c. 19. n. 6* Quare testamentum conditum ad pias causas, sine solemnitatibus Juris Civilis, validum est, non tantùm in ditionibus Romanæ Ecclesiæ, sed etiam extra illas, in terris Imperij, & alijs Regnis, ut ex veriore, & communiore sententia docet *Abb. in cit. c. Relatum; nu. 2. Covarr. ibid. n. 1 & Clarus c. l. n. 2.* licèt contrarium teneat Henricus Canisius in *cit. c. Relatum.* Sed ratio est, quia testamenta, & ultimæ voluntates conditæ ad piam causam censeri debent causæ Ecclesiasticæ, de quibus proinde Civilis Magistratus nihil statuere potest in præjudicium Ecclesiarum, *c. Ecclesia; 10.* & ibi Dd. *de Constit.* & sumitur ex *cit. c. Relatum*; ibi: *non secundum Leges, sed secundum Decretorum, seu Canonum Statuta eam tractetis h. t.*

XX. Ubi præterea notandum primò. Nec duos quidem testes de Jure Canonico esse necessarios ad substantialem formam, & valorem testamenti, vel legati ad pias causas, sed solùm probationis causâ, si alia non adsit probatio, ut docet *Covarr. in cit. c. Relatum; num. 8. Molin. tract. 2. dis. 134. num. 7. Less. c. l. nu. 7. Laym. lib. 3. tr. 5. c. 2. n. 3. Corol. 2.* & alij, Licet *Clar. cit. §. nu. 2.* contrarium teneat. Quare si aliunde sufficienter constet hæredibus ab intestato de voluntate testatoris disponentis ad pias causas, vel quia propriâ manu scripsit testamentum, vel aliam dispositionem, sine ullo teste adhibito, vel quia solâ voce declaravit suam voluntatem, etsi sufficienter per testes probari non possit, tenentur in conscientia relictum solvere; quia talis dispositio jure naturali, & gentium non est invalida: neque Jure Canonico uspiam reperitur irritata: quin imò potiùs approbata in *cit. c. Relatum*; ubi plus non requiritur ad tale testamentum, quàm quòd jure naturali, & gentium requiritur, neque etiam tunc opus est probatione, quando de veritate constat. Neque refert quòd in *cit. c. Relatum*; requirantur duo testes, quia in casu illius c. deerant aliæ probationes, alioqui verò, quod non semper determinatè requirantur testes, videtur etiam colligi ex *c. Quia indicante; 4. h. t.* ubi cùm maritus quidam confessus fuisset, quòd ipsius uxoris scutellam auream Monasterio reliquisset nudis verbis, hoc est, ut explicat *Gl. ibid. V. Nudis, & Barb. in Collect. ibid. n. 4.* sine ulla testium, vel scripturæ solemnitate: mandat Pontifex voluntatem mulieris per omnia adimpleri, quamvis aliæ etiam sint hujus cap. interpretationes, de quo infra. Neque etiam obstat, quòd de Jure Canonico testes duo, vel tres requirantur ad formam substantialem, & solemnitatem testamenti, juxta communiorem sententiam Dd. & dictum supra. Nam hoc verum est, de testamento ad causas profanas, ad quod præter testes duos, vel tres, requiritur etiam præsentia Parochi, juxta *cit. c. Cùm esses; h. t.* quæ tamen ad causas pias non requiritur, sed tantùm duo, vel tres testes, *cit. c. Relatum*; si autem hi ad solemnitatem testamenti ad pias causas requirerêtur, etiam præsentia Parochi foret necessaria: quare illa verba *cit c. Relatum*; ibi: *secundùm Decretorum statuta*, non sunt referenda ad *c. Cùm esses*; præcecedens, quippè quod est ejusdem Pontificis Alexandri III. sed ad veteres Canones, nempè ad *can. 1. caus. 2. q. 4. & can. 1. dist. 48.* qui est desumptus ex Concilio Nicæno, ut notat *Gl. V. Decretorum*; *in cit. c. Relatum*; *11. h. t.*

XXI. Notandum secundò. Licèt regulariter in testamento testes debeant esse rogati, & masculi: tamen in testamento ad pias causas possunt esse testes non rogati, & fœminæ, idque procedit non tantùm in foro Ecclesiastico, sed etiam sæculari; quia legitimi testes in hoc testamento censendi sunt, quibus jure naturali, & gentium fides adhibetur, *Abb. in cit. c. Relatum; num. 3. Covar ibid num. 4 & 5. Clar. cit. q. 6. num. 3. & 4. Molin. cit. dis. n. 4* Neque obstat, quod in *cit. c. Relatum.* dicitur, *tribus, vel duobus testibus requisitis*, id enim non ita est accipiendum, quasi rogati esse debeant à testatore, sed quia ad probationem requiruntur, si aliæ probationes desint, *Molin. ibid. num. 9. Abb n. 3. Fagn. ibid. n. 12.*

Notandum tertiò. Quamvis regulariter testamentum, in quo solo nutu, sine scriptura, vel voce institutus est hæres, non valeat, *l. Jubemus; 29. C. h. t.* tamen ad testamenta, & legata ad pias causas sufficit, defunctum quovis signo externo declarasse suam voluntatem, ut ex communi docet Clarus *cit. q. num. 7. Molin. cit. dis. num. 8. Laym. c. l. nu. 3.* Imò in testamento ad pias causas non est necessaria ulla hæredis institutio, *Clarus c. l. num. 8. Molin. c. l. num. 3. in fine.*

Notandum quartò. Legata ad pias causas solvenda sunt, etiamsi hæreditas non fuerit adita, quia hæres mortuus est, vel hæreditatem repudiavit; nam hæc legata non subjacent dispositioni Juris Civilis, *Abb. in cit. c. Relatum*; *num. 6. Laym. c. l. nu. 9.* & alij.

XXII. Notandum quintò, Testamentum minùs solemne conditum ad piam causam, valet etiam quoad legata profana relicta in tali testamento; quia subsistente principali, subsistit etiam accessorium. Contrà verò etsi testamentum, quoad hæredis institutionem, vel alia ultima voluntas quoad alia sit invalida, valet tamen quoad legata pia in illa relicta, quia ultimæ voluntates, quatenus se extendunt ad causas pias, ob defectum solemnitatum civilium non infirmantur, *Covarruv. in cit. c. Relatum; n. 2. & 3. Clar. cit. q. 6. §. ult Molin. cit. dis. n. 2.*

Notandum sextò. Testamentum inchoatum, sed non perfectum, quia testator morte præventus non potuit illud absolvere, licèt aliàs invalidum sit, *l. Si is qui; 21. ff. h. t.* valet tamen quoad legata pia in eo relicta, quæ in illa imperfecta dispositione jam expressa erant, *Covarr. in cit. c. num. 10. Molin. c. l. n. 9. Laym. c. l. n. 6 contra Clar.* Nec refert, quod testator voluntatem suam mutare potuerit; quia tamen

men reipsâ non mutavit, ea firma manet, quoad causas pias de Jure naturali & Canonico.

Notandum septimò, Testamenta, & ultimæ voluntates conditæ ad causas pias sunt causæ mixti fori, ita ut in optione actoris sit, petere relicta ex testamento, aut ultimâ voluntate, vel à Judice Ecclesiastico, vel à Judice sæculari, quorum uterque cogere potest ad illa præstanda, si hæres ab intestato, executor testamenti, vel hæreditatis possessor sit Laicus, ita tamen, ut tales causæ etiam à Judice sæculari, non secundùm Leges Civiles, sed Statuta SS. Canonum tractanda sint, *cit. c. Relatum*; 13. *h. t. Abb. ibid. nu.* 8. *in fine. & Covar. n.* 1.

Notandum octavò. Statutum Laicorum impediens liberam facultatem testandi pro anima, seu ad pias causas, non valet, ut docet *Abb. in cit. c. Relatum, n.* 5. *h. t. & Canonist. in c. Ecclesia*; 10. *de Constit.* & patet ex ibi dictis.

XXIII. Cæterùm ex dictis infertur, validum esse testamentum, vel legatum ad pias causas, etsi in alterius arbitrium conferatur, v. g. instituo hæredes bonorum meorum pauperes, quos Titius elegerit: vel lego centum aureos alicui puellæ in dotem, si hæres meus voluerit, ut docet *Clarus cit. c.* §. *q.* 6. *nu.* 5. *Molin. cit. dis.* 134. *num. ult. Leß. cit. c.* 19. *num.* 10. *Laym. l.* 3. *tract.* 4. *c.* 2. *num.* 7. Ratio est, quia cùm solùm Jure Civili prohibitum sit, ne ultimæ voluntates alterius arbitrio committantur, ea prohibitio non debet extendi ad relicta ad pias causas, siquidem talis dispositio de Jure naturali, & gentium est valida. Quin imò etsi testator absolutè dicat: *Committo omnia bona mea dispositioni Titij*, tale testamentum valet, ita tamen, ut Titius sit hæres, solo nomine, & obligatus totam hæreditatem in pauperes, vel alias causas pias distribuere, prout sumitur ex c. *Cùm tibi*; » 13. *h. t.* ubi Innocentius III. rescribit, quòd si quis » extremam voluntatem in alterius dispositionem » committat, non videtur intestatus decedere: quod *Innocentius & Abb. ibid. num.* 4. *Covarr. n.* 13. & alij Dd. fermè communiter intelligunt, quòd talis videatur testatus ad pias causas, prout etiam expressè habetur in summa ejusdem cap. ita ut omnia sua bona censeatur voluisse ad pias causas relinquere, distribuenda per alium à se nominatum, quibus pauperibus, vel pijs locis ipse voluerit. Ratio est, quia ultima voluntas, ac dispositio sic intelligenda est, ut potiùs valeat, quàm pereat, *arg. c. Abbate*; 25. *de V. S. & l. Quoties* 13. *ff. de reb. dub.* at verò ultimæ voluntates, si in arbitrium tertij conferantur, irriræ sunt secundùm leges Civiles, *l. illa* 32. *l. Si quis*; 68. *ff. de hæred. instit.* ergo ne talis dispositio pereat, sed potiùs valeat, ita illa explicanda est, quòd defunctus voluerit ad pias causas sua bona relinquere: quæ interpretatio non est divinatoria, nec fit sine fundamento, & ratione, cùm enim causæ piæ non subjaceant solemnitatibus Juris Civilis, rectè explicatur extrema voluntas defuncti, quatenus ea subsistere potest, secùndum Jus naturale, & gentium. Accedit quòd is, in cujus arbitrium aliquid committitur, ita arbitrari debet, sicut quilibet vir prudens arbitraretur, præsertim quando aliquid commissum est alicui, ut id exequatur post mortem committentis, seu disponentis de rebus suis, tunc enim arbitrari debet, id, quod optimum defuncto videbitur, *l. Fideicommissa*; 11. §. *Quanquàm*; *ff. de leg.* 3. *l. Fideicommissarius*; 46. §. 3. *ff. de fidecommiss. libert.* optimum autem defuncto erit, si ab eo, in cujus liberum arbitrium dispositio bonorum commissa fuit, ea in pauperes, aliósque pios usus, pro salute animæ ejusdem defuncti distribuantur. Nec obstat, quòd in hoc c. nulla fiat mentio de causa pia; nam sufficit, hoc colligi ex assignata ibi ratione, & auctoritate Dd. qui passim illud cap. ita interpretantur.

XXIV. Alia præterea expositio hujus cap. est, quam ex Hostiensi tradit *Barbos. in Collect. hîc n.* 2. nempè, quòd sive in pia, sive profana causa (cùm in hoc c. nulla fiat specialis mentio de causa pia) sufficiat, ut vel nominatim hæres instituatur, vel illius dispositioni bona committantur, ac proinde quòd per hæc verba: *committo ultimam voluntatem meam in dispositionem Titij*, videatur Titius hæres institutus: nam quid reipsâ interest, sive testator dixerit: *Titius hæres esto*: sive *Extremam voluntatem meam*. (hoc est, bona, de quibus per ultimam voluntatem disponitur, contentum pro continente) *committo dispositioni Titij*: ac proinde censetur testator illum dominum facere bonorum suorum, & consequenter etiam hæredem, ut liberè de omnibus disponere possit. quod est de ratione dominij, juxta *l. His verbis*; 48. *in princ. ff. h. t.* quia hæres dominus dicitur, & est, §. *fin. Instit. de hæred. qual. & differ.* Et sic in hoc sensu non potest dici testamentum committi in alterius voluntatem, sed per illa verba censeri Titium hæredem esse institutum, secundùm voluntatem propriam ipsius testatoris, sicut per illa, *Lucius hæres*. vel *Lucius esto*, *l.* 1. §. *Sin autem junct. Gl. V. Esto*; *ff. de hæred. Instit.* vel per illa, *Titius hæreditatis meæ dominus esto*, *cit. l. His verbis*. quæ interpretatio non videtur improbabilis, idque suadet favor ultimæ voluntatis, in qua plenior, sivt latior fit verborum interpretatio, *l. In testamento*; 12. *ff. de R. I. c. Cùm dilectus*; 6. *in fine de donation.*

SECTIO II.

DE IIS, QUI TESTAMENtum facere possunt, vel non possunt.

§. I.

Quinam Iure communi prohibentur testamentum facere?

XXV. Regula generalis est, quòd omnes homines de bonis suis ante mortem per ultimam voluntatem liberè disponere possint: nisi jure naturali, vel positivo prohibeantur, *l.* 1. *C. de SS. Eccl.* ubi etiam ratio adfertur, & in *l. Ex facto*; 43. *ff. de vulg. & pupill. substit.* dicitur, *iniquum esse, auferre testamenti factionem homini sanæ mentis*, quod intelligendum est: nisi ob gravem causam prohibeantur jure naturæ, vel positivo. Prohibentur autem inprimis ob impedimentum naturæ testamentum condere, qui usu rationis

carent, ut infantes, amentes, furiosi, §. *Item furiosi*; *Instit. quib. non est permissum fac. testam. Abb. ad rubric. num.* 3. *& seqq. h. t.* Secundò. Impuberes, ob judicij immaturitatem. Tertiò, Mutus, & surdus simul à nativitate, secus si ex accidenti, modò scribere sciat, vel si mutus, aut surdus tantùm sit, & voluntatem suam scripto declarare possit, §. *Item Surdus Instit. quib. non est permissum &c.* & *l. Diceretis*; 10. *C. qui testam. fac. poss.* Quartò. Cæcus testari non potest, nisi nuncupativè, & observatis solennitatibus, quæ præscribuntur in *l. Hac consuleissima*; 8. *C. qui testam. fac. poss.* Quintò. Servus sive mancipium, *l. Filiusfam.* 16. *ff. h. t. c. Illud*; 5. *caus.* 13. *q.* 2. Sextò. Prodigus, cui à Judice interdicta est bonorum administratio, §. *Item Prodigus Instit. quib. non est permissum &c.* & *l. Is cui*; 18. *ff. h. t.* Septimò. Captivus, vel obses apud hostes detentus, interim testari non potest, *l. Ejus qui*; 8. *in princ. ff. h. t. l. Obses*; 11. *ff. eod.* Octavò. Damnatus ad mortem naturalem, vel civilem, *l. Ei qui*; 8. §. 1. *& seqq. ff. eod.* Nonò. Filiusfam. qui sub patris potestate est, nō potest testari, nisi de bonis Castrensibus jure militari, & quasi Castrensibus, servatis solennitatibus Juris communis, si pubes sit, *l. pen. junct. Gl. V. Certis, & l. ult. C. qui testam. fac. poss.* de bonis verò adventitijs testamentum facere non potest, ne quidem patre consentiente, *l. Qui in potestate*; 6. *ff. eod. princ. Instit. quib. non est permissum &c.* Decimo. Usurarius manifestus testari non potest, nisi priùs satisfecerit, usurásque restituerit, vel idoneam cautionem præstiterit de ijs restituendis, *c.* 2. *in fine de usur. in 6.* Undecimò. Aliqui Dd. putant excommunicatum, saltem notorium, & vitandum testari non posse. Sed contrarium tenent hodie Dd. communiter; quia nullibi reperitur jure expressum, excommunicatum testari non posse, cùm actus ejus privati non sint irriti. Excipiuntur excommunicati propter hæresin, *c. Excommunicamus*; 13. §. *Credentes de hæret.* vel ob percussionem Cardinalis, *c. Felicis*; 5. *eod. in 6.* in alijs autem casibus testamentum excommunicati validum esse, vel ex eo patet; quia exceptio firmat regulam in casibus non exceptis. Denique etiam Clericis, & Religiosis interdictum est condere testamentum, de quo plura 3. §§. *seqq.*

§. IV.

An, & de quibus bonis Episcopi aliique Prælati Ecclesiastici, & Beneficiarii testari possint, vel non?

XXVI. Assertio 1. Episcopus, vel alius Prælatus Ecclesiæ potest de bonis suis proprijs, seu patrimonialibus: sive ante, sive post susceptum Ordinem Episcopatûs acquisitis, testamentum facere, & quem voluerit hæredem instituere: non autem de bonis Ecclesiæ, vel ejus intuitu acquisitis, ut docet *Abb. in c.* 1. *n.* 1. *not.* 3. *h. t. Covarr. ibid. n.* 3. *Clar.* §. *Testamentum qu.* 27. *num.* 2. *Molin. tract.* 2. *dis.* 147. *n.* 1. *&* 2. Prius quoad bona patrimonialia, patet ex *c. Episcopi*; 19. *caus.* 12. *quæst.* 1. *c.* 1. *quæst.* 2. *c. Fixum*; 4. 9. 5. *caus. cit.* Posterius de bonis Ecclesiæ, vel ejus intuitu acquisitis, constat ex *c.* 2. *cit. caus.* 17. *quæst.* 5. & ex *c. Quorundam*; 1. *h. t.* Nam cum quidam Episcopus testamentum condidisset, in quo Nurum suam in octo uncijs (id est, in duabus partibus hæreditatis, quæ dicitur as, & in 12. uncias dividitur, *Gl. hîc V.* 8. *uncijs*, §. *hæreditas Instit. de hæred. instit.*) instituit, Ecclesiam verò suam in reliquis quatuor uncijs. (adeóque in tertia parte hæreditatis) Hoc intellecto, Papa Gregorius I. rescribit Antonio Subdiacono, eúmque hortatur, ac præcipit, ut solicitè inquirat, unde bona ejus provenerint, sive acquisita sint, neq; patiatur à qualibet persona quippiam detineri, nisi quod ante Episcopatum, ipsum tanquam proprium habuisse constiterit. Quidquid autem cognoverit Ecclesiæ fuisse, ante ejus in Episcopum consecrationem, vel quod postea in Episcopatu acquisivit (nempè Titulo Episcopatûs, seu intuitu Ecclesiæ, vel de rebus ejus: secus de alijs, *Gl. fin. hîc*) id in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur. Ratio est, quia Ecclesia habet fundatam intentionem super omnibus bonis à Prælato defuncto possessis; quòd ad illam pertinent, nisi aliud probetur, ut docet *Menoch. l.* 3. *de præsumpt. quæst.* 51. *nu.* 23. & alij apud *Barb. in Collect. in c.* 1. *n.* 8. *h. t.*

XXVII. Porro, quòd dictum est, Episcopus posse testari de bonis suis patrimonialibus, aut propriâ industriâ acquisitis: id extendunt nonnulli Dd. etiam ad Episcopos Religiosos, *Hostiens. in cit. c.* 1. *n.* 1. *Ante Episcopatus*, & alij apud *Barbos. c. l. n.* 7. quia id fieri potest sine dispensatione in voto paupertatis: sicut enim ad donandum in vita sufficit libera administratio bonorum: ita etiam ad testandum, sive relinquendum in morte. Sed contraria opinio est communior, & probabilior, quam tenet *Joan. Andr. in c.* 1. *n.* 6. *h. t. Navarr. de redit. Eccles. qu.* 1. *monit.* 9. *n.* 22. *Azor p.* 1. *lib.* 12. *q.* 2. *in fine, Emmean Rodrig. in reg. tom.* 3. *q.* 64. *artic.* 4. *Sanch. lib.* 6. *mor. c.* 6. *nu.* 10. Ratio est, quia bona patrimonialia, & quicquid aliunde acquirit Episcopus Religiosus, acquirit Ecclesiæ suæ, & in ijs solùm liberam administrationem habet, quæ finitur in morte, per quam confirmatur testamentum, ita ut ex eo tempore valeat, ergo non potest de ijs disponere post mortem, quod sit per testamentum. Ex quo ulteriùs infert *Sanch. c. l. n.* 11. quòd Episcopus Religiosus obtinens à Papa licentiam testandi, etiam ad pias causas, debeat explicare duplex impedimentum testandi, & Religionis, & Episcopatûs, si velit testari de bonis Ecclesiasticis: de alijs verò sufficit, si exprimat, se esse Religiosum.

XXVIII. Assertio 2. Similiter, & alij Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, quæ habent jure cognationis, vel donatione, aut proprio labore, ac industriâ sunt acquisita: non tamen de bonis intuitu Ecclesiæ, sive ex Ecclesiasticis Beneficiorum Titulis acquisitis testamentū facere, seu mortis causâ ea relinquere possunt: sed bona illa penes Ecclesiam remanere debent, prout inprimis statuitur in *c. Cum in officijs*; 7. *h. t.* ubi dicitur, quòd quidam Clerici, qui ab Ecclesiis suis multa Beneficia perceperunt, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt; quia verò id antiquis Canonibus prohibitum esse constat, ideò Alexander III. in Concilio Lateranensi c. 15. decrevit, ut, sive Clerici Beneficiati intestati decesserint, sive alijs conferre

» ferre voluerint, illa bona penes Ecclesiam remane-
» ant, *Abb. hîc n.* 4. Cur autem omnes Beneficiarij pro-
» hibentur secundùm Canones (*c.* 1. *& pluribus seqq. caus.* 12. *q.* 5. *& in cit. c. Cùm in officijs h. t.*) de fru-
ctibus, ac reditibus, quos ex Beneficiorum Titulis ac-
quisiverunt, testamentum condere, etiam ad pias
causas, non alia est ratio; quàm quia reditus benefi-
ciales, qui tempore mortis Beneficiarij supersunt,
aut quæ ex ijs sunt acquisita, tanquam bona profe-
ctitia ad Ecclesiam pertinent, alioquin si absolutum
eorum dominium esset penes Clericos Beneficiarios,
non potuisset Ecclesia, citra injuriam, facultatem de
illis liberè post mortem disponendi, ejsdem adimere:
nihil enim est, quod magis hominibus debeatur,
quàm ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud
velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod
iterum non redit, arbitrium, *l.* 1. *C. de SS. Eccles.*
ideóque hac supremâ testandi facultate nemo priva-
tur, nisi ob gravissimas culpas, *Laym. in dis. Canon. de
rer. Eccles. alien. Thes.* 122.

XXIX. Præterea in *c. Ad hæc* 8. *h. t.* rescribit
» Alexander III. tametsi Clerici Beneficiarij de rebus
» mobilibus, & multò magis de immobilibus, *Gl.*
» *hîc V. De mobilibus*) quas per Ecclesiam acquisive-
» runt, de jure testari non possunt: attamen in ægri-
» tudine constituti, si sui compotes adhuc sint, aliqua
» non per viam, seu modum testamenti: sed intuitu
» eleemosynæ erogare, seu donare moderatè pos-
sunt. Quare Clerici Beneficiarij, non tantùm dum
sani sunt, quantum voluerint, & potuerint, *c. ult. caus.* 16. *q.* 1. sed etiam in ægritudine constituti, mo-
deratas donationes in pauperes, vel alios pios usus
facere possunt, *Abb. hîc in fine, & Covarr. in cit. c. Cùm in officijs nu.* 5. & alij.

XXX. Ubi notandum, licèt Clericis Benefi-
ciarijs concessum sit, bona, seu reditus Ecclesiasticos
superfluos in pauperes, aliásque causas pias erogare,
dum in vivis sunt: non tamen possunt de ijs dispone-
re causâ mortis, etiam ad causas pias, *cit. c. Ad hæc.*
Unde videbatur, quòd neque tempore ægritudinis,
sive in periculo mortis constituti, possint donare per
modum eleemosynæ pauperibus, vel locis pijs, quia
juxta *Reg. jur.* 84. *in 6. Cùm quid unâ viâ prohibetur
alicui, ad id aliâ non debet admitti.* Quamvis autem
Clericis prohibitum sit, disponere, mortis causâ, sive
per modum ultimæ voluntatis ad causas pias, possunt
tamen in effectu id ipsum facere, per modum eleemo-
synæ, & sic quod unâ viâ ipsis prohiberetur, aliâ per-
mitteretur. Nihilominus tamen, hoc non obstante,
concessum est Beneficiarijs, ut etiam in mortis perí-
culo constituti, & intuitu, seu contemplatione mor-
tis instantis, possint donationes facere per modum e-
leemosynæ pauperibus, vel in alias pias causas ero-
gare: vel etiam donationes remuneratorias erga fa-
mulos, & officiales, dummodò eæ sint moderatæ, &
non fiant ex bonis Ecclesiæ immobilibus, aut mo-
bilibus pretiosis; hæc enim bona, quæ ex supersluis
reditibus Ecclesiasticis, vel donationibus, aut legatis,
intuitu Ecclesiæ, Beneficiarijs factis, sive relictis, ad
eos pervenerunt, ita Ecclesiæ acquiruntur, & incor-
poratæ censentur, ut absque causa necessitatis, aut
utilitatis Ecclesiæ, & alijs requisitis solennitatibus,
alienari non possint. Quare donationes hujusmodi
immoderatæ à Clericis, tempore ægritudinis, tan-
quam in fraudem Canonis eas prohibentis, factæ re-
probantur, & revocari possunt, ut per sensum con-
trarium colligitur ex *cit. c. Adhæc*; & notat *Abb. ibid. num.* 2. *& Barbos. in Collect. num.* 4. *&* 5. *Covarr. in cit. c. Cùm in officiis*; *num.* 5. *h. t. Laym. in cit. dis. Thes.* 123.

Nec obstat prædicta Regula Juris in 6. Nam illa
vera est, si res, seu effectus, secundùm se, & abso-
lutè sit prohibitus: non autem, si solùm sit prohibi-
tus ratione certi modi; quomodo mutuans pecunias
alteri non potest, ex vi mutui, aliquid ultra sum-
mam capitalem accipere, licèt non prohibeatur ac-
cipere ex alio titulo. Sic in proposito, Clerici, e-
tiam in periculo mortis constituti, non prohiben-
tur, secundùm se, & absolutè ex superfluis reditibus
Ecclesiasticis erogare in pauperes, & alios pios usus:
sed solùm prohibentur, ratione certi modi, ne sci-
licet disponant per modum testamenti, seu ultimæ vo-
luntatis, ita ut dispositio tendat in id tempus, quo
nihil juris ampliùs habent in ejusmodi bonis, quippe
quæ post mortem suam ad hæredes transmittere non
possunt; nam licèt Beneficiarij habeant dominium
redituum Ecclesiasticorum, etiam superfluorum, ut
dictum *Tit. præced. num.* 5. hoc tamen eorum do-
minium est ita restrictum, ac limitatum, ut respectu
redituum superfluorum, in effectu, non tam domi-
ni: quàm administratores, seu dispensatores tantùm
censeantur, ac æstimentur; facultas autem admini-
strandi, seu dispensandi per mortem cessat, & extin-
guitur, nec potest ultra tempus vitæ extendi: in quo
administrator distinguitur à vero, & absoluto domi-
no, quòd hic liberè, & independenter, tam in vivis,
quàm etiam in mortis tempus possit disponere, *l.* 1.
C. de SS. Eccles. non item administrator. Idque su-
mitur etiam ex *l. Eum qui*; 13. *ff. de jurisd.* ubi dicitur,
quòd Judex Ordinarius non possit demandare alteri,
ut judicet eo die, in quo finitum erit ejus officium,
Imol. in cit. c. Ad hæc; *num.* 5. *& Abbb. ibid. num.* 3.
& Covarr. Laym. in cit. dis. thes. 103.

XXXI. Ex dictis colligitur, in praxi con-
sultum esse, ut si Rector alicujus Ecclesiæ, vel Xeno-
dochij intelligat, quòd aliquis Beneficiatus velit Ec-
clesiæ suæ, aut loco pio aliquid in testamento relin-
quere, vel legare, ipsi suadeat, ut potiùs inter vivos
donando, rem illam statim tradat; quia Beneficiarij ha-
bent ampliorem facultatem faciendi talem donatio-
nem, quæ non refertur in tempus mortis, eaque non
ita facilè poterit impugnari, modò per instrumen-
tum authenticum, vel duos saltem testes probari
possit, *Abbas. in cit. c. Adhæc num.* 3. *& Laym. cit. Thes.* 123.

XXXII. Denique in *c. Quia nos*; 9. *h.* Idem
Alexander III. rescribit, quòd licèt Clerici de his,
» quæ ex paterna successione, vel jure cognationis, aut
» ex artificio honesto, vel donatione consanguineo-
» rum, aut amicorum, non habito respectu ad Ec-
» clesiam, ad ipsos pervenerunt, liberè disponere
» possint, ac proinde non tantùm inter vivos: sed e-
» tiam per testamenta, & mortis causâ, non tamen
» de jis bonis, quæ ab Ecclesia, seu ex Ecclesiasticis
» Titulis, sive quæ intuitu, nõ personæ, sed considera-
» tione Ecclesiæ, acceperunt, sive ipsis donata, aut re-
» licta sunt, testamentum de jure facere possunt. Ra-
» tio secundæ partis patet ex dictis. Ratio primæ par-
» tis

tis est, quia Clerici propter susceptionem Ordinum non amittunt Jura sanguinis, & nobilitatem, adeòque succedere saltem possunt in bonis parentum, & aliorum agnatorum, tum ab intestato, tum ex testamento, sicut Laici, *Abb. hîc num.* 2. Idem dicendum de Religiosis, seu Professis, juxta *l. DEO nobis*; 55. §. *Hoc etiam*; *C. de Episc. & Cleric.* cùm hoc tamen discrimine, quòd Clerici sæculares sibi per successionem acquirere possunt, *c.* 1. *caus.* 12. *q.* 3. Religiosi verò suo Monasterio acquirunt. *c. unic. caus.* 16. *q.* 1. *Abb. hîc num.* 2. Potrò Clericus sæcularis sub patria potestate constitutus, à qua Clericatus non liberat, potest nihilominus testari de bonis patrimonialibus, & alijs, quæ ut Clericus acquisivit, suo tamen labore, & industriâ; cùm illa ad quasi Castrense peculium pertineant, de quo filiusfamilias testari potest, *Zæsius ff. Qui testam. fac. poss. n.* 24.

XXXIII. Assertio 3. Possunt Clerici Beneficiarij sæculares etiam de reditibus Ecclesiasticis, videlicet decimis, & fructibus fundorum ad Ecclesiam, cui succedunt, pertinentium, qui ex justitiæ lege, & propriâ Beneficiorum institutione, ipsis Beneficiarijs, tanquam justum stipendium, debentur, quatenus ij ad honestam ac decentem sustentationem eorum, consideratis etiam laboribus, & meritis erga Ecclesiam, ac statu personæ, sunt necessarij, tanquam absoluti domini liberè: tum inter vivos, tum per testamentum, seu ultimam voluntatem disponere, si quid per propriam parsimoniam ex illis sibi reservârunt, & collegerunt, ut cùm S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *artic.* 7. *in respons. ad* 2. docet *Covarr. in cit. c. Cùm in officijs*; 7. *num.* 2. §. *Tertiò*; *h. t.* & est communiter recepta sententia. Idémque dicendum de ijs donationibus fidelium, oblationibus, & distributionibus quotidianis, quæ Clericis tanquam vitæ stipendium conferuntur, quia Missas celebrant, Divina officia cantant, vel cantantibus, & celebrantibus assistunt, vel quæ acquirunt ex funeralibus, & defunctorum exequijs, vel ex Capellanijs ad nutum revocabilibus; possunt enim de illis liberè disponere, etiam mortis causâ, & per ultimam voluntatem, ut docet *Abb. in cit. c. Cùm in officijs*; 7. *h. t. num.* 8. *& ibid. Covarr. n.* 4. *Azor p.* 2. *lib.* 7. *c.* 9. *q.* 10. *Clarus* §. *Testamentum*; *q.* 22. *num.* 10. *Laym. in cit. dis. Thes.* 127. & alij apud *Barbos. in Collect. in cit. c. Cùm in officijs*; *nu.* 4. *& 5. contra Navarr. & Tanner.* Ratio est, quia licèt quotidianæ distributiones (de quibus major est difficultas) videantur acquiri titulo Ecclesiæ, & ratione Canonicatûs, seu Beneficij, & colligantur ex ijsdem bonis, videlicet ex decimis, & primitijs, ex quibus reditus Beneficiorũ, tanquam portiones ex ijs detractæ: non tamen dantur Clericis, ut fructus Beneficij, sed principaliter, ut merces, seu stipendium præstiti laboris, & ministerij, adeóque intuitu personæ, non Ecclesiæ: ac proinde potest Clericus de ijs disponere pro libito, tum inter vivos: tùm mortis causâ, & per ultimam voluntatem: sicut potest operarius de mercede sui diurni laboris disponere, & Professor Grammaticæ, vel Casuum, cui solet præbenda conferri, ut Clericos doceat. Veruntamen in praxi in pluribus Ecclesijs contrarium observatur, ut etiamsi constet bona, quæ Clericus Beneficiarius relinquit, non ex abundantibus reditibus Ecclesiasticis, sed per ejus parsimoniam, ac veluti industriam quandam collecta esse, non tamen ad hæredes Beneficiati, sive ab intestato, sive ex testamento jure successionis transeant; sed pœnes Ecclesiam remaneant, eique applicantur, ut testatur *Laym. cit. Thes.* 127. qualis consuetudo improbari non potest, nisi fortè in eo casu, quo hæredes necessarij adsunt, ut addit *Laym. ibid.*

XXXIV. Assertio 4. Sunt tamen quidam casus, in quibus Prælati, aliique Clerici Beneficiarij etiam de hæreditatibus Ecclesiasticis superfluis testamentum facere possunt. Veluti primò. Si Prælatus, vel alius Beneficiarius ex bonis patrimonialibus, vel ijs reditibus Beneficialibus, quos pro ratione sui statûs justè absumere potuisset, aliquid in utilitatem Ecclesiæ impendit, sive ædificando, sive bona Ecclesiæ emendo; tum enim potest ex superfluis reditibus Ecclesiasticis tantundem posteà deducere, & de eo liberè disponere, *c. Si quis*; 56. *caus.* 12. *q.* 2. imò etiam de eo testari in quoscùnque usus, vel per alium ultimam voluntatem relinquere consanguineis, vel alijs quibuscúnque voluerit, *c. Si Episcopus*; 5. *caus.* 12. *q.* 5. & tradit *Abb. in cit. c. Cùm in officijs*; *nu.* 4. *h. t. Navarr. tract. de reditib. Eccles. quæst.* 3. *Monito* 4. *Laym. in cit. dis. Thes.* 126. quia tunc æquivalenter, seu virtualiter de bonis, seu reditibus patrimonialibus in effectu testatur, de æquipollentibus autem idem est judicium. Secundò. Si Prælatus, vel alius Beneficiarius ex ijsdem bonis suis patrimonialibus in pauperes, vel pias causas quippiam expendit, potest deinde ex reditibus Ecclesiasticis superfluis tantundem tanquam proprium retinere, & prout voluerit, de eo, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem disponere, *cit. c. Si quis*; *caus.* 12. *q.* 2. *& cit. c. Si Episcopus, ead. caus. qu.* 5. *Abbas in repetit. c. Cùm esset*; 10. *num.* 31. *Navarr. c. l. Molin. cit. dis.* 147. *num.* 4. His adde, quòd etsi Prælatus, vel alius beneficiarius nihil ex suo patrimonio, vel quasi patrimonio in Ecclesiam contulit, si tamen Beneficia Ecclesiæ præstitit labore suo, vel doctrina, vel consilijs &c. ita ut bene meritus de Ecclesia censendus sit, tum ex reditibus Ecclesiasticis, etiam ijs, qui excedunt suam decentem sustentationem, potest tanquam sibi debitos accipere, & in quoscúnque usus, etiam profanos, illos expendere, ut ex *Gl. in c. Conquerente*; 6. *V. Sufficientia*; *de Cleric. non resid.* tradit *Laym. cit. Thes.* 126. *arg. c. De multa*; 28. *in fine de præb.*

XXXV. Assertio 5. Quæ Beneficiarij, non tantùm qui administrationem, & curam Ecclesiæ, Capellæ, vel Altatis habent: sed etiam qui administrationem nullam habent, sed simplicem Canonicatum, seu præbendam, intuitu Ecclesiæ, sive ex Ecclesiastico Titulo acquisiverunt, ea, sive immobilia, sive mobilia bona sint, penes Ecclesiam, à qua sint profecta, remanere debent, ac proinde de ijs testari non possunt, prout decernitur in *c. Relatum*; 12. *h. t.* Nam cùm in Lateranensi Concilio (quod refertur in *c. Cùm in officijs*; 7. *h. t.*) sub Alexandro III. sta-
tutum fuerit, ut bona intuitu Ecclesiæ, vel ex Titulis Ecclesiasticis acquisita, ad eandem Ecclesiam per Clericorum obitum devolvantur: inde dubitatum fuit, an hoc de bonis immobilibus tantùm: an etiam de mobilibus sit intelligendum? Ad quod respondet Alexander III. quòd id generaliter de omnibus bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis sit accipiendum, ita ut quælibet bona (sive immobilia, sive

sive mobilia, imò etiam jura incorporalia, vel actiones, & nomina debitorum, quæ aliàs tertiam speciem bonorum constituunt, *Abb. hîc n. 2.*) juxta Concilium Lateranense, post Clericorum acquirentium obitum, Ecclesiis debeant remanere. Porro nomine Ecclesiæ, ad quam bona Beneficiarii, post ejus mortem devolui debent, non Episcopus, nec successor Clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum: sed communis Congregatio intelligitur, quæ rerum illarum canonicam distributionem facere, & curam habere debet. Quando autem in locum defuncti unus tantùm est substituendus, quia nullum existit Collegium, tunc ipse successor in Beneficio bona relicta, sicut & alia Ecclesiæ bona, cum Dei timore dispenset; (bona enim Antecessoris non cedunt lucro successoris, *Abb. hîc n. 7.*) licèt autem bona mobilia, quæ intuitu Ecclesiæ acquisita sunt, de jure in alios, pro mortui arbitrio, transferri non possint: tamen consuetudine non improbandâ receptum est, ut aliqua de iis bonis pauperibus & Religiosis locis, & illis, qui viventi Beneficiario inservierant, sive consanguinei sint, sive alii, juxta merita servitii ipsorum, conferantur. Cæterùm quæ Clericus ex hæreditate, artificio vel doctrina sua acquisivit, ea pro arbitrio decedentis, distribuenda sunt. Quia verò aliqui Clerici sunt, qui in diversis Ecclesiis Beneficia possident, illorum mortuorum bona ex Titulis Ecclesiasticis acquisita inter easdem Ecclesias, pro rata, seu secundùm proportionem reddituum ex illis perceptorum, dividantur.

XXXVI. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò, si Prælatus, Rector, vel alius Beneficiarius administrationem, aut curam Ecclesiæ vel Capellæ habens moriatur, bona illius intuitu Ecclesiæ acquisita, secundùm SS. Canones, ad Successorem in Ecclesia, vel Capella devolvuntur, non ut iis pro libito utatur, sed ut ea tanquam fidelis Administrator dispenset, sicut & alia Ecclesiæ bona, quorum cura & administratio ipsi commissa est. Si verò Canonicus, seu alius Beneficiarius non habens administrationem, sed simplicem Præbendam in Ecclesia Collegiata, cui aliqua ex communibus bonis Capituli portio præbetur, decedat, tum bona illius relicta non ad Successorem in Beneficio, seu Præbenda, (etiamsi ipsæ Præbendæ sint divisæ) sed ad Capitulum devolvuntur, quippe cui cura & administratio bonorum Capitularium commissa est, ut ea vel distribuat inter singulos Canonicos, vel alios simplices Præbendarios, vel in communi massa & corpore pro futuris necessitatibus asseruentur, de qua distinctione inter Clericum habentem administrationem, & non habentem videri potest *Gloss. in c. ult. V. Reservari de Offic. ordin. in 6.* Ratio diversitatis est, quia cùm bona intuitu Ecclesiæ acquisita, post mortem Beneficiarii, devolvantur ad Ecclesiam, unde sunt profecta, ideo dari debent illis, qui bonorum, seu reddituum ejusdem Ecclesiæ curam & administrationem habent, videlicet Prælato, Archidiacono, Præposito, qui separatos reditus habent, non assignatos ex bonis communibus Capituli, vel Rectori Ecclesiæ parochialis, vel alii Beneficiario habenti administrationem. At verò in Collegiis Canonicorum, administratio, & cura bonorum seu reddituum, non ad singulos Canonicos: sed ad Capitulum pertinet: ex quibus velut communi massâ sive Corpore, singulis sua portio & Præbenda distribuitur, ideóque bona relicta, post mortem Canonici, non Successori in Canonicatu, sed Capitulo habenti administrationem talium bonorum seu reddituum dantur dispensanda, *Abb. in cit. c. Relatum; 12. n. 5. Covarr. ibid. n. 2. h. t.* Ex quo ulteriùs infertur, quòd custodia bonorum Præbendæ vacantis, ut si bona Præbendarum sint divisa, non ad Episcopum: sed ad Capitulum pertinent; quia omnia sunt bona Capituli, & ita in dubio est præsumendum, *Abb. in cit. c. Relatum n. 10. in fine.*

XXXVII. Notandum secundò. Beneficiarii, sive administrationem habeant, sive non, ex bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis possunt facere moderatas eleemosynas, & donationes remuneratorias erga bene meritos de Ecclesia, vel etiam de ipso Beneficiario, *cit. c. Relatum; 12. & c. Adhæc; 8. h. t.* quia servitium impensum Prælato, vel alii Beneficiario censetur impensum ipsi Ecclesiæ, adeóque de bonis Ecclesiæ potest fieri remuneratio, *Abb. in cit. c. Relatum n. 8.* vel etiam per dispositionem absolutam inter vivos, de qua videtur solùm loqui *cit. c. Relatum*, ut colligitur ex verbo, *conferantur*; vel etiam per dispositionem ultimæ voluntatis, si hoc sit consuetudine introductum, modò fiat in quantitate moderata, erga pauperes, vel in alios pios usus, vel erga bene meritos, ob præstita servitia; quia quod Jure communi Canonico permittitur Clericis per dispositionem inter vivos, id secundùm consuetudinem non improbatam, potest etiam concedi illis, ut fiat per modum ultimæ voluntatis, ut tradit *Covarr. in cit. c. Relatum; 12. n. 4.* quamvis tutius sit, & SS. Canonibus conformius, si talia bona relinquant per modum donationis inter vivos, ut supra dictum.

XXXVIII. Notandum tertiò. Si Clericus, qui decessit, plura Beneficia in diversis Ecclesiis habuit ab Ecclesiis profecta, sive non patrimonialia, aut quasi patrimonialia, inter Ecclesias, vel Successores in administratione, secundùm proportionem, sunt dividenda, ita ut plus perveniat ad illam Ecclesiam, à qua Beneficiarius plus reddituum accepit. Ut si v. g. is, qui simul Canonicus Augustanus, & Constantiensis fuit, ex Ecclesia Augustana duplo plus reddituum percepit, quàm ex Ecclesia Constantiensi, post mortem ipsius, duæ partes bonorum attingent Ecclesiæ Augustanæ, & tertia Constantiensi, *cit. c. Relatum in fine* & ibi *Gl. fin. junct. Gl. margin. lit. D.* Id autem ita intelligendum est, si res dubia sit: Aliud verò dicendum est, si constet, vel ex probabilibus conjecturis colligi possit, quòd bona, quæ relicta sunt à Beneficiario defuncto, ab una Ecclesia profecta, & collata sint: alterius verò Ecclesiæ reditus, quantumvis abundantes fuerint, in ejusdem loci pauperes, Fabricam Ecclesiæ, & alias necessitates, vivente adhuc Beneficiario, distributi, vel expensi fuerint, tunc enim bona relicta ad solam priorem Ecclesiam pertinebunt, *Abb. in cit. c. Relatum; n. 11. Laym. in cit. dis. Thesi ult.*

Posteriore porro Jure Pontificio statutum fuit, ut quæ à Beneficiariis ex reditibus occasione Ecclesiæ acquisitis, post mortem eorum remanent, seu relicta sunt, illa tanquam spolia Sedi, seu Cameræ Apostolicæ applicentur, de quo videri potest *Navarr. tract. de spoliis Clericorum, & Tuschus V. Spolia Clericorum concl. 368.*

§. III.

An per consuetudinem, saltem immemorialem, introduci possit, ut Beneficiarii de Ecclesiasticis reditibus superfluis, & quæ ex iis comparata sunt, liberè, ac licitè testari: seu per aliam ultimam voluntatem disponere possint, etiam ad usus profanos?

XXXIX. Affirmat Covaruvias in *cit. c. Cùm in officiis*; 7. *n.* 9. *h. t. Azor p.* 2. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 1. *Garcias tr. de Benef. p.* 2. *c.* 1. *n.* 16. *& seqq. Less. l.* 2. *de justit. c.* 19. *n.* 43. *Zœsius in Comment. ad Decret. n.* 7. *h. t. Barbos. in Collect. in cit. c. Cum in officiis n.* 6. *&* 7. & alii apud illos, qui ajunt id consuetudine receptum esse in Gallia, & Hispania, quoad Clericos Beneficiarios Episcopo inferiores, ita ut ipsi de dictis reditibus licitè, etiam in foro conscientiæ, testari possint ad usus profanos: modò non sint vani, & inutiles, & relinquere ejusmodi bona suis consanguineis, etsi divitibus, qui etiam ab intestato in iisdem bonis succedere possunt, de quo *Tit. seq.* Eadémque consuetudo obtinuit in Germania in pluribus locis. Probatur hæc sententia primò, quia talis consuetudo non est contra Jus Divinum & naturale: sed solùm contra Jus humanum & Ecclesiasticum, cui per contrariam consuetudinem, præsertim immemorialem, derogari potest, vel in totum, vel pro parte. Secundò, consuetudine induci potest, ut fructus Beneficii per aliquod tempus vacantis defuncti hæredibus, vel aliis personis applicentur, ut constat ex *c. Suscepti*; 2. §. 1. *de Elect. in Extrav. Io. XXII.* Tertiò, quia totus Orbis Christianus, imò etiam ipse S. Pontifex, in talem consuetudinem tacitè consenserunt, eam non improbando. Quartò, quia ex privilegio S. Pontificis possunt Beneficiarii de his bonis testari, ergo etiam per consuetudinem, saltem immemorialem, idem induci potest; hæc enim in jure æquiparatur privilegio, *c. Super*, 26. *de V. S.* Contraria tamen sententia negativa est communior, ac verior, ut ex dicendis patebit.

XL. Assertio 1. Potest per consuetudinem introduci, ut Beneficiarii, etiam Episcopi, aliique Prælati, qui redituum Ecclesiasticorum ad Ecclesiam pertinentium tantùm administrationem habent, testari possint ad pias causas de hujusmodi reditibus remanentibus, & bonis mobilibus, ac modicis. Ita *Abb. in cit. c. Cùm in officiis n.* 5. *h. t. Mol. cit. dis.* 147. *n.* 25. *Laym. in cit. dis. can. Thesi* 124. & apertè colligitur ex *cit. c. Relatum*; 12. *h. t.* Ratio est, quia per hoc nihil fit, quod adversetur naturali justitiæ, vel intentioni Fundatorum, adeóque cùm sit jure positivo, seu humano tantùm prohibitum Beneficiariis testari, etiam ad pias causas, de talibus bonis, potest illud per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam abrogari. Et hinc S. Pontifex, non tantùm potest: sed etiam sæpe solet, talem licentiam testandi ad pias causas, etiam Episcopis concedere, teste *Molin. c. l.*

XLI. Assertio 2. Si Beneficiarii in aliqua Ecclesia, vel Diœcesi non habeant reditus abundantes, sed solùm necessarios ad honestam ac decentem vitæ sustentationem, vel tanquam justum stipendium ipsorum laboribus debeantur, tunc potest per consuetudinem introduci, ut liberam de illis testandi facultatem habeant ad causas etiam profanas, *Laym. cit. Thes.* 124. Ubi etiam addit, quòd etsi paulò uberiores reditus aliqui interdum habeant, quàm ipsis sint ad vitæ sustentationem necessarii, vel eorum laboribus debiti, nihil tamen obstat, quò minùs, ubi talis consuetudo viget, testari possint, quia modici excessûs non est habenda ratio, ut etiam notat *S. Thom.* 2. 2. *q.* 185. *ar.* 7. *in corp.* & in moralibus modicum non solet æstimari, sed velut pro nihilo reputari.

XLII. Assertio 3. Non potest per ullam consuetudinem, etiam immemorialis temporis, introduci, ut Episcopi, Prælati, aliique Beneficiarii inferiores, qui plura Beneficia, & abundantes, ac superfluos reditus habent, pro libito de iis testentur, vel per aliam ultimam voluntatem ad causas, seu usus profanos disponant, ut docet *Abb. in cit. c. Cùm in officiis n.* 5. Ubi ait, de magnis rebus eos testari non posse, *Navarr. tr. de reditibus Eccles. q.* 1. *monito* 5 3. *& q.* 3. *monit.* 1, 2, *&* 3. *Molin. cit. dis.* 147. *n.* 31. *Tanner. Tom.* 3. *dis.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. *n.* 249. *Laym. in cit. dis. Thes.* 124. *Cenisius in c.* 1. *n.* 18. *h. t. & alii ex communiore sententia.* Idque colligunt communiter ex *cit. c. Relatum*; 12. *h. t.* Ubi approbatur consuetudo, quæ permittit, ut de mobilibus rebus per Ecclesiam acquisitis pauperibus & Religiosis locis, & illis, qui viventi servierunt, conferantur: quem Textum *Covarruvias ibid. n.* 42. de dispositione per testamentum, vel aliam ultimam voluntatem explicat; ergo illa sola consuetudo testandi de reditibus Ecclesiasticis ibi approbatur, per quam relinquuntur bona in pia opera, vel in justam obsequiorum remunerationem: & per consequens generalis consuetudo liberè testandi de reditibus Ecclesiasticis, etiam superfluis, perinde ac de bonis patrimonialibus & propriis, ibi improbatur, hoc ipso, quòd prior sola admittitur, *Navarr. cit. q.* 3. *monito* 2. *n.* 6. Neque verò Textum illum loqui de solis bonis stabilibus, seu immobilibus Ecclesiæ: sed de omnibus bonis acquisitis per Ecclesiam, adeóque etiam de reditibus Ecclesiæ pertinentibus ad ejus Rectorem, patet ex ipso Textu, ut ostendit *Navarr. c. l. n.* 7. Ratio est, quia talis consuetudo, non solùm Juri humano: sed etiam naturali & Divino repugnat: Nam Beneficiarii majorem facultatem habent à jure sibi concessam disponendi inter vivos ex reditibus Ecclesiasticis, quàm de illis mortis causâ disponendi. At verò omnes Dd. fatentur, Beneficiarios mortaliter peccare, sive contra justitiam, sive saltem contra charitatem, vel Religionem, si reditus Ecclesiasticos superfluos in magna quantitate in usus profanos expendant, v. g. inter vivos, donando consanguineis divitibus, ergo & militer: imò magis mortaliter peccabunt, si de iisdem bonis, mortis causâ, ad causas profanas disponant, siquidem faciliùs Clericis Beneficiariis permittitur facultas disponendi inter vivos, quàm post mortem suam, post illam enim bona acquisita, intuitu Ecclesiæ, remanère debent penes ipsam, ut constat ex *c.* 3. *de pecul. Cleric. c. Cùm in officiis*; 7. *&* 3. *seqq. h. t.* Quare cùm talis consuetudo universaliter illibens omnibus Beneficiariis potestatem de omnibus reditu-

reditibus Ecclesiasticis, arbitratu suo, testandi ad quascunque causas, etiam profanas, sit contra jus naturalis justitiæ, ac peccatum nutriat, Ecclesiis sit noxia, & SS. Canonibus adversetur, sequitur, illam per nullam præscriptionem, etiam temporis immemorialis, induci posse: Multò minùs approbari potest consuetudo, quæ in pluribus Germaniæ locis etiam viget, vi cujus, proximi consanguinei in omnibus bonis à defuncto Beneficiario, etiam intuitu Ecclesiæ, seu ex Titulis Ecclesiasticis acquisitis, ab intestato succedunt; quia talis consuetudo & primæ Beneficiorum institutioni, ipsorúmque Fundatorum voluntati, & SS. Canonibus, atque Ecclesiasticæ Traditioni repugnat: tametsi sententia, quæ talem consuetudinem approbat, propter quorundam Dd. auctoritatem videri possit aliquibus probabilis, *Molin. tit. disp.* 147. *num.* 31.

Confirmatur, quia de facto constat, Episcopos, non obstante consuetudine contrariâ, de superfluis reditibus Ecclesiasticis, testari non posse, nisi ad pias causas: imò nec ad has, sine speciali facultate S. Pontificis: At verò Episcopi ideò non possunt testari ad causas profanas, quia præsumuntur habere amplos & superfluos reditus, etiam plus quàm exigatur ad honestam ac decentem sustentationem eorum: sed multi etiam Parochi, vel Canonici in Germania non minùs abundantes reditus habent, quàm nonnulli Episcopi Italiæ, v. g. in singulos annos, duo, vel tria aureorum millia, ac proinde etiam illi multò ampliores reditus superfluos, ac residuos habent, quàm ad necessariam sustentationem eorum, pro conditione personarum, & statûs, requiratur. Si ergo Episcopi non habent facultatem testandi ad causas profanas de prædictis reditibus, nec de jure, nec de consuetudine: cur Parochis, aliisque Clericis Episcopis inferioribus talis potestas universim esse concessa censeatur, ut bene advertit *Tanner cit. dub.* 8. *n.* 246. *& seq.*

XLIII. Ex dictis infertur, quòd neque summus Pontifex ordinariè, & universim, possit concedere Clericis Beneficiariis facultatem liberè testandi de proventibus Ecclesiasticis superfluis ad usus profanos, sive non pios, ita ut talis dispensatio, non solùm illicita, sed etiam invalida sit, quia juri naturali repugnat, ut defunctorum voluntates seu dispositiones ad pias causas in alios usus profanos, sine justa causa, convertantur, vel ut ista convertendi potestas sic detur, nec enim S. Pontifex est absolutus dominus bonorum Ecclesiasticorum: sed Administrator à Deo constitutus, non ad dissipandum: sed ad legitimè ea dispensandum, & rationabiliter expendendum, tanquam bona Dei, sive ad Divinum cultum oblata, & donata, *Abb. in repet. c. Cùm esses*; 10. *n.* 30. *Navarr. cit. q.* 3. *monit.* 6. *n.* 3. *Molin. cit. disp. n.* 34. *Tanner. c. l. n.* 251. *Laym. in cit. disp. Thes.* 124. *in fine.*

Dixi ordinariè, & sine justa causa, quia ex causa rationabili, v. g. remunerandi obsequia Ecclesiæ præstita à Clerico Beneficiario, aut consanguineis ejus, potest Papa etiam Episcopis concedere facultatem testandi, etiam ad causas profanas: Nam ipse est dispensator bonorum Ecclesiæ, secundùm beneplacitum Dei, ideóque potest ex causâ rationabili, quæ bonum Ecclesiæ concernit, in casu particulari, partem illorum bonorum, quæ aliàs ex primæva institutione sua expendenda essent ad causas & usus pios, ad alium usum, etsi profanum, sed per se licitum, ac honestum applicare, *Mol. c. l. n.* 33. *& alii Dd. communiter.*

XLIV. Ex his jam patet responsio ad argumenta pro prima sententia supra allata. Ad primum respondetur, posse consuetudinem derogare legi humanæ, quatenus humana est: non autem, quatenus in se complectitur legem naturalem aut Divinam, *c.* 2. *dist.* 8. cui adversatur talis consuetudo, *Navarr. tr. de reditib. Ecclesiast. q.* 3. *monit.* 3. *n.* 3. Ad secundum dicitur, in illa Extravagante solùm approbari consuetudinem, ut Beneficiatus post mortem percipiat reditus Beneficii primi, & secundi anni, ita ut hæredes Beneficiarii defuncti non possint illos impendere, nisi in solutionem debitorum defuncti: aliàs verò non possunt illos fructus percipere, nisi tanquam pauperes, vel loco aliorum bonorum, quæ defunctus ex suis bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, priùs in pios usus impendisset: Ex quo non sequitur, quòd Beneficiarii ex consuetudine possint liberè testari de fructibus primi, & secundi anni, post mortem, percipiendis, *Navarr. cit. tr. q.* 1. *monit.* 52. *n.* 6. *&* 7. licèt *Abb. in cit. c. Cùm in officiis n.* 5. *h. t. post Jo. Andr.* putet, quòd possit Beneficiarius de talibus fructibus testari, quia potiùs præjudicat successori suo in Beneficio, quàm Ecclesiæ. Ad tertium dicitur, talem consuetudinem testandi à Papa tolerari quidem, quia facilè aboleri non potest, neque puniri, ob majora mala evitanda, non tamen tanquam bonam & laudabilem approbari, *Navarr. cit. q.* 3. *monito* 3. *n.* 5. Ad quartum, patet responsio ex dictis *n.* 43.

§. IV.

An & quatenus Religiosis sit prohibitum, vel permissum testamentum facere, sive Professis, sive Novitiis?

XLV. Assertio 1. Prælati Religiosorum Ordinum, aliique Religiosi professi non possunt testamentum condere, sed ab ipsis factum est irritum, prout constat ex *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. & c. Quia ingredientibus*; 7. *caus.* 19. *q.* 3. Ratio est, tum quia Religiosi sui juris non sunt, neque velle, aut nolle proprium habent, cui per professionem renunciârunt, c. *Non dicatis*; 11. *caus.* 12, *q.* 1: Tum quia ob solenne paupertatis votum, proprium aliquid, seu rerum dominium nullum habent, nec habere possunt, incapax autem dominii, est etiam incapax testamentum faciendi, cùm testari sit quidam actus dominii, *Navarr. in Comment.* 2. *de Regular. n.* 44. *Sanch. Lib.* 7. *moral. c.* 8. *n.* 2. Idem sumitur & colligitur ex c. *Quia ingrèdientibus*; 2. *h. t.* Ubi quædam Abbatissa alicujus » Monasterii, postquam regendi officium suscepit, » condito testamento, legata quibusdam reliquit, » licèt monachalem vestem nunquam induerit: sed » in vestibus, quibus ejus loci Presbyteri (sive ut » alii legendum putant, Presbyteræ, id est, uxores » Sacerdotum conversæ, *Barb. in Collect. hic n.* 2.) » utebantur, usque ad diem obitûs sui permanse- » rit, idque penè ex consuetudine id licuisse. His » propositis Gregorio IX. vel potiùs I. Is respon- » dit: Quandoquidem Abbatissa illa solenniter » ordinata (id est, consecrata, seu benedicta fuit,

» *Gl. hic V. Ordinata*) & Monasterio illi per pluri-
» mos annos usque ad obitum suum præfuit, qua-
» litatem quidem vestis Episcopi culpæ imputari pos-
» se, quòd id permiserit: non autem per hoc potuis-
» se Monasterio præjudicium afferri, sed res ipsius ei-
» dem, ex quo dictum Monasterium ingressa, & Ab-
» batissa constituta est, de jure competere. Ratio
est, quia hoc ipso, quòd mulier hæc se in Abbatissam ordinari, seu consecrari passa est, & per multos annos Monasterii Prælationem gessit, tacitè, sive ipso facto professionem Religionis edidisse convincitur; quia de Jure antiquo sufficiebat ad statum Religionis obtinendum tacita professio, *c. Vidua* 4. *inf. de Regularib.* Licèt jure novo requiratur expressa professio, ut ad Abbatiam, vel Prælaturam quis eligi possit, *c. Nullus* 28. *de Elect. in 6. de quo infr. Tit.* 31. ac proinde per talem ingressum, seu professionem tacitam dicta mulier se suaque omnia dedicavit Deo, & consequenter de iis amplius testari non potuit, *cit. Auth. Ingressi, & Auth. si qua mulier C. de SS. Eccles. Gl. fin. in cit. c. 2. h. t.* Nec refert, quòd dicta Abbatissa habitum monachalem non gesserit; quia habitus non facit Monacham, sed professio regularis, *c. Porrectum* 13. *de Regularib.*

XLVI. Hinc colligitur primò. Quòd sicut professio expressa, ita etiam tacita impediat testamenti factionem, *Fagnan. hic n.* 13. Colligitur secundò, ad inducendam tacitam professionem sufficit susceptio Prælaturæ, post ingressum, etiam habitu Professorum non assumpto; nam in casu hujus cap. ex eo solùm, quòd mulier illa munus Abbatiæ susceperit, sciens id solis Professis competere, declarat Pontifex bona illius tanquam Professæ ad Monasterium pertinere, *Jo. Andr. hic n.* 3. *& Fagnan. n.* 28. & quamvis addatur, quòd in eo officio per multos annos usque ad mortem permanserit in Monasterio, tamen hoc ad factum tantùm pertinet: alioquin ad inducendam tacitam professionem satis fuit, si ultra annum in Monasterio hoc officium gessit, *arg. c. Ex parte* 22. *de Regul. Barbos. in Collect. in cit. c. 2. n.* 3.

XLVII. Porro dicta assertio extenditur primò, quòd Prælati, aliique Religiosi professi, nec ad pias causas testari possint; quia textus supra allati indistinctè loquuntur, & ratio prohibitionis etiam in causis piis locum habet, quia nihil proprii habent, nec habere possunt, *Sanch. cit. c. 8. n.* 3. *Molin. tr. 2. de justit. disp.* 141. *n.* 1. Imò nec de licentia cujuslibet Prælati S. Pontificè inferioris, Religiosus testamentum facere potest, ne quidem ad pias causas; quia prohibitio hæc æquè afficit ipsos Prælatos regulares, sicut subditos, cùm nec ipsi Superiores regulares testari possint, sine licentia Papæ, ut infra dicetur, *Navarr. c. l. n.* 44. *Sanch. cit. c. 8. n.* 5. *Less. l. 2. c. 19. n.* 40. *& c. 41. num.* 73. *Emman. Rodriq. Tom.* 3. *qq. regul. q.* 69. *art. 2.*

XLVIII. Extenditur secundò. Quòd Religiosus professus nequeat, etiam cum Superioris licentia, Codicillum facere, vel aliam ultimam voluntatem; quia regulariter, qui de jure testari nequit, non potest etiam Codicillos facere, *Navarr. c. l. n.* 44. *Sanch. cit. c. 8. n.* 9. neque donare causâ mortis, quia etiam hæc donatio est quædam species ultimæ voluntatis, eique quoad hoc æquiparatur, & ordinariè, qui non potest testari, nec donare causâ mortis potest, *Navarr. l. 2. consil. 2. n.* 3. *de præsumpt. Rodriq. Tom. 1. q.* 48. *n.* 7. *in fine, & alii*: Nisi tamen Professus aliquid modicum donet causâ mortis, cum Superioris licentia; quia tunc solùm non potest donare causâ mortis, qui testamentum facere nequit, quando prohibetur testari, ob defectum naturæ, ita ut nec inter vivos donare possit: Secus est, si tantùm ob prohibitionem juris positivi testari nequeat, ut patet in filiofamilias, qui testari non potest, etiam cum patris consensu, potest tamen eo consentiente, donare causâ mortis, quia ad testamenti factionem major potestas requiritur, quàm ad donationem causâ mortis, quæ magis ad naturam dispositionis inter vivos accedit, *Sanch. c. l. num.* 11. *Barb. in Collect. c. 2. n. 8. h. t. Laym. l. 3. tr. 5. c. 3. n. 4.* Ubi tamen addit, quòd Prælatus licentiam datam donandi, mortis causâ, rem modicam, revocare possit ante mortem Religiosi; quia per hoc non infertur ulla injuria donatario, cui nullum jus adhuc quæsitum est, cùm hæc donatio revocari possit, ante mortem donantis: neque etiam ipsi Religioso, quia Prælatus dando licentiam subdito, non abdicat se potestate illam revocandi.

XLIX. Extenditur tertiò. Non solùm Professi, sed etiam Coadjutores formati, sive spirituales, sive temporales in Societate Jesu, qui non sunt professi, testamentum facere non possunt; quia etsi vota simplicia solùm emiserint, sunt tamen incapaces cujuscunque dominii acquirendi, vel retinendi, adeòque etiam potestatis testandi, *Mol. tr. 2. disp.* 139. *n. 5. Sanch. cit. c. 8. n.* 22. Illi verò, qui peracto biennio Novitiatûs, tria vota simplicia emiserunt, cum licentia Superioris, testari possunt; quia dominium bonorum sibi non retinent, donec de illis disponant ad pias causas, jubente Superiore, & interea propter votum paupertatis, usum illorum, & liberam dispositionem de illis, sine consensu Superioris, non habent: cum ejusdem verò licentia, possunt testamentum facere; quia sicut Superior potest protrahere tempus disponendi: ita etiam potest concedere, ut de iis disponant, sive per donationem inter vivos, sive per ultimam voluntatem, *Mol. cit. disp. n.* 11. Si verò sine licentia Superioris testamentum condant, illicitè quidem agunt, & peccant contra votum paupertatis, cùm non sint sui juris: probabilius tamen est, testamentum fore validum; quia sunt adhuc veri bonorum suorum domini, ut constat ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit, Ascendente Domino: nec dominium per simplex illud votum est ita restrictum, ut si actu de bonis suis disponant, sine licentia Superioris, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, talis dispositio sit aliquâ lege aut Constitutione Canonica irritata, ut docet *Azor p. 1. Lib. 12. c. 11. q. 8. Sanch. cit. c. 8. n.* 25. *Laym. cit. c. 5. n. 6.* contra *Molin. c. l. & Less. l. 2. c. 4. n.* 28. Aliud est de pupillo, ejus enim dispositio facta, sine auctoritate Tutoris, est irritata jure positivo Civili.

Cæterùm Commendatarii S. Jacobi, quibus permissum est contrahere matrimonium, & Equites S. Joannis, qui incapaces sunt Matrimonii contrahendi, aliique professi Ordinum militarium, possunt testamentum facere, saltem cum licentiâ Superioris de bonis & reditibus suis; quia non vovent nigidam paupertatem, sed bona sua retinent, & de illis disponere possunt, *Sanch. c. l. n.* 28. *& 29. & n.* 36. *& 37.* Similiter & Eremitæ testari possunt, quia non sunt

sunt Religiosi tribus votis substantialibus illigati, *Abb. ad Rubr. h. t. n. 6. Sanch. c. l. n. 40.* & alii apud ipsum.

L. Assertio 2. Etsi de Jure communi Religiosi professi nequeant testamentum facere, possunt tamen cum licentia S. Pontificis, ut docet *Covarr. in cit. c 2. n. 18. h. t. Navarr. Comment. 2. de regular. n. 37. Less. l. 2. c. 41. n. 73. Molin. tr. 2. dis. 141. num. 9. Sanch. Lib. 7. Moral. c. 8. n. 45. & 47. Laym. in cit. c. 3. n. 5. & alii communiter.* Nam potest Pontifex, ex justa causa, alicui Religioso professo concedere facultatem testandi de aliquibus rebus, quarum administrationem, vel usum habebat, sicut enim potest illi dare potestatem alienandi per donationem inter vivos, ita etiam per testamentum, vel aliam ultimam voluntatem: ad quod non requiritur, ut testator constituatur dominus illarum rerum, adeóque ut cum eo in voto paupertatis dispensetur: sed sufficit, quòd libera administratio & usus talium rerum ipsi concedatur, cùm potestate illas alienadi, etiam per ultimam voluntatem. Sic solet Papa concedere interdum potestatem testandi Religiosis Beneficiariis extra Claustrum degentibus, præsertim si Episcopatum, vel Cardinalatum obtineant: vel etsi Beneficium non habeant, tamen extra Claustrum degunt, de licentia Superioris, sibique necessaria alimenta, propriâ industriâ, vel labore, aut ex eleemosynis quæritant, nec quicquam accipiunt à Monasteriis, in quibus sunt professi. Imò etiam facultas testandi aliquando concedi solet à Papa etiam illis Religiosis, qui intra Claustra vivunt: ita tamen ut ex consuetudine assignetur illis certa portio pro victu, & vestitu, & quod residuum est, sibi servare possint: Sin autem aliquid desit, propriâ industriâ aut labore sibi comparare debeant. Requiritur autem justa causa, ut hoc licitè fiat, cùm sit contra Canones. Denique illis Regularibus, qui intra Claustra degunt, & aluntur ex communibus bonis Monasterii, nec ullam peculiarem, & propriam rerum administrationem & usum habent, rarò licentia testandi à Papa conceditur, *Navarr. c. l. n. 58. Mol. cit. dis. 141. n. 10. & 3. seqq. Acor. p. 1. Lib. 12. c. 9. q. ult. Sanch. cit. c. 8. n. 60.* Ubi quadruplices tales Religiosos distinguunt.

LI. Cæterùm circa hanc facultatem testandi à Papa concedi solitam Religiosis, notanda sunt sequentia. Primò, quòd eâ absolutè concessâ, censeatur tantùm esse concessa testandi ad usus, seu causas pias, ita ut vi illius non possit quis testari ad usus profanos, nisi aliud exprimatur; quia Papa generalem potestatem aliquid agendi concedens non censetur velle derogare juri communi, *Molin. cit. dis. n. 14. Less. l. 2. c. 19. n. 40. Sanch. c. l. n. 51.* Secundò, ut expresè concedatur Religioso licentia testamentum faciendi, *Sanch. c. l. n. 51.* Tertiò, licentia testandi Religioso concessa intelligitur tantùm, ut testari possit de iis bonis, quæ de facto possidet: non verò in præjudicium illius, cui bona, vi prioris testamenti, ante ingressum in Religionem, acquisita erant, nec in præjudicium Monasterii, quoad bona Religiosi, quæ per professionem illius acquisivit; quia facultas à Principe concessa non debet intelligi cum præjudicio tertii, *Sanch. c. l. n. 55.* Quartò, hæc licentia testandi non extinguitur primo actu, sed vi illius licet testamentum facere, quoties libuerit, & prius revocare usque ad mortem. Neque etiam extinguitur morte Papæ concedentis, sed semel concessa est perpetua, dum ab alio Papa non revocatur, *Sanch. c. l. n. 56. & l. 8. de matr. dis. 1. n. 17. & dis. 28. n. 82.* Quintò, non requiritur, ut facultas testandi præcedat; sed per illam supervenientem validum redditur testamentum prius à Religioso factum sine illa; quia testamentum prius tempore mortis perfectum censetur, cùm usque ad mortem ambulatoria sit voluntas testatoris, & revocabilis, & morte confirmetur, *Mol. c. l. n. ult. Sanch. cit. c. 8. n. 59.* Sextò, facultas testandi concessa non extenditur ad faciendum Codicillos, vel donationem causâ mortis; quia argumentum à majori ad minus non habet locum in dispensatione, quæ est stricti juris, neque extendenda, cùm deroget Juri communi, *Sanch. c. l. n. 53.*

LII. An autem etiam per consuetudinem, saltem immemorialem, induci possit, ut Religiosus professus in casibus, in quibus ex privilegio Papæ facultas testandi ei concessa fuit, testamentum facere possit, dubitatur? Affirmat *Navarr. Comment. 2. de Regular. n. 44. cit. c. 8. n. ult.* tum quia quod potest concedi per privilegium Principis, potest etiam per consuetudinem, saltem immemorialem, *arg. l. Hoc jure; 3. §. Ductus aquæ, ff. De aqua quotid. & æstiv.* tum quia, cùm Religiosis solùm Jure positivo humano, seu Ecclesiastico sit prohibitum testari, potest per consuetudinem abrogari. Sed contrarium est probabilius, quod docet *Rodriq. Tom. 1. qq. regul. art. 2. Laym. in c. ult. supr. de consuetud. n. 8.* Ratio est, quia positò quòd Superior, videlicet Romanus Pontifex, nec per particularem licentiam, seu dispensationem: nec per universale indultum aut legem (qualis nulla extat) concessit Religiosis professis, ut de bonis temporalibus liberè disponere possint, non apparet, quâ ratione id consuetudine obtineri possit; cùm talis consuetudo, supposito paupertatis voto, repugnet Religioni, & pietati, adeóque ipsi juri naturali: Imò contradictionem involuere videtur, ut manens Religiosus professus, ea quis agere licitè possit, quæ repugnant statui Religioso, ut colligitur ex *c. Cùm ad Monasterium 36. de statu Monach.* at verò repugnare illi talem liberam facultatem testandi, ex eo patet; quia proprietas, cui Religiosi renunciant per votum paupertatis, in eo consistit, quòd quis habeat liberam, & à Superiore independentem de bonis temporalibus pretio æstimabilibus disponendi facultatem, qualem talis consuetudo tribueret Religiosis: ac proinde suppositâ paupertatis professione, non tantùm jure positivo: sed etiam naturali, & Divino prohibitum est Religiosis testari. Ex quo jam patet responsio ad secundum argumentum contrariæ sententiæ. Ad primum dicitur, illam regulam veram esse, si sit capacitas in subjecto: At verò Religiosus est incapax disponendi de bonis inter vivos, vel mortis causâ, nisi ex concessione seu licentia Superioris, videlicet Papæ, per quam fit capax, *Laym. c. l.*

Idque confirmatur ex *c. 2. h. t. junct. Gl. V. Ex consuetudine*, ubi ait, quòd talis consuetudo, vi cujus Abbas, vel Abbatissa, ut in casu illius cap. testamentum facit, non prodest; quia non quid fiat, sed quid fieri debeat, considerandum est, & nullus annorum numerus tale factum excusat; Nam talis consuetudo est irrationabilis & Statui Religioso minimè conveniens, *Hostiens. in cit. c. 2. V. Plenè & Ioan. Andr. ibid. n. 2. & Pagnan. n. 11. & 12. Laym. c. l.*

LIII. Assertio 3. Novitii Religionum possunt de suis bonis, pro suo arbitratu, testamentum facere, vel per aliam ultimam voluntatem de iis disponere, sive ante ingressum in Novitiatum, sive etiam tempore Novitiatûs, ante editam professionem, nullâ ad id petitâ licentiâ Superioris, ut constat ex *Auth. Nunc autem C. de Episc. & Cleric. & Can. si qua mulier 9. §. fin. caus. 19. q. 3. Covarr. in cit. c. 2. n. 5. h. t. Navarr. Comment. 2. de Regul. n. 49. Clarus §. Testamentum q. 28. n. 2. Mol. tr. 2. dis. 139. n. 8. Sanch. l. 7. mor. c. 3. n. 3. & alii communiter.* Ratio est, quia Novitii sunt adhuc simpliciter sui juris, & bonorum suorum domini, & libertam habent exeundi potestatem, & nullibi reperitur jure illis prohibitum testamentum condere. Nec obstat Textus in *c. Quia ingredientibus 37. caus. 19. q. 3. & Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* Ubi dicitur, quòd ingressi Monasterium non possunt testari, nam ibi sermo est de ingressu irrevocabili, secutâ Professione: non autem revocabili, tempore probationis.

LIV. Ubi præterea Notandum primò. Probabilius est, quòd ad testamentum volentis ingredi Religionem, vel etiam Novitii, requirantur solennitates Juris communis, & quidem etiam Juris Civilis in Terris Imperii, conditis ad causas profanas, *Navarr. c. l. n. 52. Sanch. cit. c. 3. n. 18. & 20. & alii apud ipsum.* Ratio est, quia nullibi in jure reperitur tale Privilegium testandi, sine solennitatibus Juris communis, Novitiis concessum esse: Neque valet argumentum à milite sæculari ad Novitium, non enim hic propriè est miles Cœlestis militiæ, nisi post professionem, cùm jam testari ampliùs non potest: & si proximè cingendus haberetur hac in re pro cincto, Novitius reputaretur tanquam professus, & sic testari non posset, cujus contrarium habetur in *Auth. de Monachis §. Illud quoque collat. 1.* Accedit, quòd nulli ex Ecclesiasticis sint exempti ab illis Legibus Civilibus, quæ non adversantur libertati Ecclesiasticæ, sed ad bonam administrationem Reipubl. sunt latæ, & ad consulendum communi bono, & paci.

LV. Notandum secundò. Ut litibus obvietur, possunt Novitii, sive ante ingressum Religionis, sive etiam tempore Novitiatûs, testamentum condere, etiam ante duos menses proximè præcedentes professionem, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii generalis, non obstante decreto Concilii Tridentini *Sess. 25. c. 16. de Regularib.* quia ibi non adimitur illis facultas testandi: sed solùm disponendi inter vivos, non servatis iis, quæ ibi præscribuntur, *Navarr. Comment. 2. de Regul. n. 51. Zæsius in Comment. ad Decretal. n. 17. h. t.* idque patet ex ratione Concilii, quod prohibet renunciationem bonorum, ne Novitius privatus bonis cogatur manere in Religione, nec ita liberè redire ad sæculum possit; quia per testamentum non privatur quis bonis suis, cùm hoc non sortiatur effectum ante mortem naturalem, vel civilem Novitii, quæ est professio, sed semper adhuc revocari possit, de quo plura infra *Tit. 31.*

SECTIO III.

DE HÆREDVM INSTITVtione, ac substitutione.

§. I.

Quinam hæredes possint instituì in Testamento, & an etiam Ordines Religiosi, eorúmque Professi?

LVI. Assertio 1. Omnes homines, tam extranei, quàm sui, tam liberi, quàm servi, & non solùm singuli, & privati, sive patresfamilias, sive filiifamilias sint, Laici, vel Clerici (etiam amentes, muti, surdi, & prodigi, imò & excommunicati, universim loquendo) sed etiam Communitates & Collegia hæredes instituì possunt in testamento: nisi jure specialiter prohibeantur, *princ. Instit. de hæred. instit. & l. Non jure 31. ff. eodem*, & ibi *Zæsius n. 16. & 2. seqq.* quinam autem jure prohibeantur hæredes instituì, videri potest apud *Zæs. c. l. Et alios Legistas.*

LVII. Assertio 2. Omnes Ordines Religiosi, qui capaces sunt possidendi bona immobilia in communi, eorúmque Professi hæredes possunt in Testamento instituì, ita tamen, ut non sibi, sed Monasterio bona relicta acquirant, *juxta l. Deo 55. §. Hoc etiam, C. de Episc. & Cleric.* & colligitur ex *Clement. unic. §. Quia igitur de V. S.* & ex communi tradit *Clar. §. Testamentum q. 29. n. 4. Navarr. in Comment. 2. de Regul. n. 43. Sanch. l. 7. mor. c. 12. n. 1. & c. 25. n. 1.* Tales autem jure novo Concilii Tridentini *Sess. 25. c. 3. de Regularib.* sunt omnes Ordines tam virorum, quàm mulierum, etiam Mendicantes, præter Fratres Minores de observantia, & Capucinos, quorum neque Professi, neque Domus, aut Monasteria capacia sunt ullius hæreditatis. Idque etiam jam ante statutum erat in *cit. Clement. unic. §. Quia igitur de V. S.* Imò neque Ecclesiæ illorum possunt hæredes instituì in testamento, ut ex probabiliore sententia docet *Sanch. cit. c. 25. n. 14.* contra *Rodriq. Tom. 2. qq. Regul. art. 5.* Ubi ait Ecclesiæ Romanæ, hoc casu, hæreditatem acquirì. Sed contra est, quia Ecclesiæ Romanæ tali casu non acquiruntur bona, nisi mediante Religione Minorum, aut eorum Ecclesiâ: Sed ipsa Religio Minorum, tam in communi: quàm in particulari, eorúmque Ecclesiæ sunt incapaces omnis successionis hæreditariæ, alioquin enim etiam ipsorum Ecclesiæ succedere possent in bona suorum Professorum: ergo hæreditas non potest, mediante Ecclesiâ Minorum, acquirì Ecclesiæ Romanæ, sed devolvitur ad hæredes ab intestato. Quin imò probabilius est, quòd FF. minoribus neque eo pacto hæreditas relinqui possit, ut illa vendatur, & pretium inde comparatum eis detur, ut tradit *Sanch. cit. c. 25. p. 11. & Laym. l. 3. tr. 5. c. 5. n. 4.* Nam etiam hoc casu jus hæreditatis ipsis acquireretur, cum omnibus oneribus ei annexis, cùm tamen omnis hæreditatis sint incapaces, *juxta cit. Clement. unic.* Aliud verò dicendum est, si non ipsi Minores instituantur hæredes: sed alius, cum eo onere, ut hæreditatem vendat, & pretium in Fratrum necessitates convertat, tunc enim non ipsi Fratres sunt hæredes: sed ad instit-utum transit jus hæreditatis, unâ cum oneribus ei annexis, *Sanch. c. l. n. 10. & Laym.* Quare nec per fideicommissum universale possunt prædicti FF. hæredes instituì, velut si testator mandet, ut post mortem instituti hæredis, hæreditas ad ipsos devolvatur; quia fideì-

Fideicommissarius universalis est verus hæres, *Sanch. c. l. n. 5.*

LVIII. Porro non solùm Collegia & Domus probationis: sed etiam Domus professæ Societatis Jesu possunt simpliciter hæredes institui, tam in bonis mobilibus, quàm immobilibus, ita tamen ut si in hæreditate relicta Domui professæ bona immobilia contineantur, illa retineri nequeant, sed vendi debeant (oblatâ opportunâ vendendi occasione) & pretium in usus necessarios Domûs professæ converti: Nisi hæc sint talia bona immobilia, quæ Professorum usui & habitationi inservire possint, illa enim retineri possunt, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 27. n. 15.* quia Domus professæ non possunt habere, nec in communi, nec in particulari, ullos reditus annuos, aut bona stabilia, præter illa, quæ ad habitationem vel usum fuerint necessaria, aut conducentia, v. g. hortum, ut constat ex *Constitut. p. 6. c. 2. §. 5.* alioquin verò nullibi in Constitutionibus habetur, quòd Domus professæ sint absolutè incapaces omnis hæreditariæ successionis.

Verùntamen Domus professæ non possunt succedere, imò nec Collegia, aut Domus probationis, si aliquis Religiosus Societatis institutus sit hæres, sivé ex testamento, sive ab intestato, ratione, seu nomine alicujus Professi, aut vota formata habentis: quamvis ipsi Religiosi, dum ante Professionem, aut vota edita Coadjutorum formatorum, de bonis suis sive per donationem inter vivos, sive per testamentum disponunt, possint Domum professam aut Collegium Societatis instituere hæredem; quia nec Domus professæ reperiuntur hujus institutionis hæreditariæ esse incapaces redditæ, sed solùs juris succedendi nomine suorum Religiosorum, *Sanch. c. l. n. 16.* Ipsi verò Professi, & Coadjutores formati, sive spirituales, sive temporales Societatis Jesu, sunt omnis successionis hæreditariæ, sive ex testamento, sive ab intestato incapaces, ut constat ex *cit. p. 2. Constitut. §. 12.* & tradit *Sanch. cit. c. 27. n. 24.* Verùntamen ii, qui in Societate Jesu solâ vota simplicia, post biennium Novitiatûs, emiserunt, simpliciter hæredes institui possunt; quia hi adhuc sunt capaces dominii acquirendi, & ad tempus retinendi dominium suorum bonorum, quamvis non habeant illorum administrationem & usum, sine Superioris licentia, ut constat ex *cit. Bulla Ascendente Domino Gregorii XIII. Sanch. c. l. n. 2.* Denique Collegia, & Domus probationis Societatis, possunt etiam hæredes institui; quia possidere possunt bona stabilia in communi, & annuos reditus perpetuos, prout expressè habetur in Bulla Pauli III. quâ confirmatum est Institutum Societatis.

LIX. Sed contrà hactenus dicta objici potest, si Religiosi Ordines incapaces possidendi bona in communi, ut Minores de observantia, & Cappucini, nequeunt hæredes institui in Testamento, nec ipsi, nec Professi eorum, sequitur, quòd neque ipsis legatum relinqui possit in testamento; nam qui nequit hæres institui in Testamento non est etiam capax Legati, §. *Legari Institut. de Legatis*: Sed consequens est falsum, nam Religioni Minorum de observantia legari posse, sive legatum relinquatur toti Communitati, sive alicui in particulari, constat ex c. *Exit* 3. §. *Adhæc quia Fratribus de V. S. in 6.* modò non in tanta quantitate relinquatur, ut videatur esse in fraudem, id est, hæreditatem, vel partem hæreditatis sub nomine Legati relinqui, *juxta Clement. 1. §. Cupientes de V. S.* sicut & Societas Professa in communi, & ipsius Professi in particulari sunt capaces Legati, ita ut hoc acquiratur Domui professæ, vel Collegio, ubi Professus ille habitat, ut docet *Sanch. l. 7. mor. c. 26. n. 9. & c. 27. n. 25. & 26.* ergo etiam poterunt institui hæredes in testamento. Respond. neg. seq. ad cujus probationem dicitur, illam Regulam locum habere in iis, qui ob juris communis prohibitionem, nequeunt hæredes instituì, illis enim neque legari potest: Secus est de iis, qui ob solum votum paupertatis, incapaces sunt hæreditariæ successionis ex testamento, vel ab intestato. Ratio autem diversitatis inter hæreditatem, & Legatum, est: tum quia hæreditas longè majus jus & dominium continet, quàm Legatum: tum quia hæreditati sunt annexa varia onera & obligationes, quæ transeunt ad hæredes, & quibus plerúmque lites & actiones judiciales solent esse conjunctæ. At verò Legatum, cùm sit rei particularis, habet se instar eleemosynæ, seu rei donatæ, absque ulla obligatione Monasterii, vel Religiosi, cui Legatum est relictum, sicut ergo quilibet Religiosus, cum consensu Prælati sui, potest accipere & acquirere Ordini suo rem donatam, ita etiam Legatum, *Sanch. cit. c. 26. n. 10. Laym. cit. c. 5. n. 5.*

Prædictis addendum, si Professus Societatis Jesu, vel Coadjutor formatus hæres instituatur, intuitu ipsius Societatis, ita ut principaliter ipsa Domus professa, vel Collegium instituatur, valida est institutio, ut in simili docet *Sanch. Lib. 7. moral. c. 13. n. 61.* Idque in dubio præsumi debet, si testator scivit Professum per se incapacem esse hæreditariæ successionis ex testamento; quia in dubio dispositionem ita interpretari oportet, ut potiùs valeat, quàm pereat, *arg. l. ult. C. de usufr. Laym. c. l.*

§. II.

De substitutionibus, quæ hæredibus ut plurimùm fiunt in testamento.

De his agitur in duobus valde celebribus & difficilibus *Capitulis 16. & 18. h. t. & in c. 1. eod. in 6.* & ibi *Canonistæ communiter.* Ad quæ intelligenda necessariò priùs explicandi sunt breviter termini.

LX. Quæritur primò. Quid sit substitutio, & quotuplex in genere? Resp. Substitutio est subordinata quædam hæredis institutio, in secundo, vel ulteriore gradu, prout sumitur ex *l. 1. in princ. ff. de vulgar. substit. & ibid.* tradit *VVesenbec. n. 2.* Generaliùs verò, prout comprehendit substitutiones etiam in Codicillis, vel aliis ultimis voluntatibus factas, definitur apud *Covarr. in c. Raynutius; 16. §. 4. n. 1. & Mol. tr. 2. disp. 182. n. 1. Est unius, vel plurium in alterius aut aliorum locum, in ultima voluntate, facta vocatio.* Est autem substitutio alia directa, quando hæreditas defertur substituto directè & immediatè, ac sine ministerio instituti, v. g. instituo hæredem Titium, & si is hæres non erit, Cajus hæres esto. Indirecta verò seu obliqua substitutio est, quando hæreditas defertur substituto, mediante alio, sine ministerio hæredis primò insti-

instituti, & hic gravatur, & obligatur, ut vel totam hæreditatem, vel ejus partem restituat, seu tradat alteri, quæ etiam fideicommissaria substitutio dicitur, de qua infra. Differt indirecta substitutio à directa potissimùm in eo, quòd in ista hæreditas tota devolvatur ad substitutum hæredem, sine diminutione, seu detractione alicujus partis: In fideicommissaria verò substitutione hæres directus, seu primò institutus detrahit quartam partem, ut ex infra dicendis patebit. Potest autem tam directa, quàm indirecta substitutio fieri, etiam in legatis, & donationibus causâ mortis, sed absque detractione quartæ partis, *Mol. cit, dis. n. 4. & 5.*

Porro substitutio directa dividitur in quinque alias species, vulgarem, pupillarem, exemplarem, reciprocam, compendiosam, seu brevi loquam, quibus addunt aliqui militarem; quanquàm non omnes sint diversæ species, sed tres posteriores ad duas priores revocari possint, *Zæs. ff. de vulg. substit. n. 1.*

LXI. Quæritur secundò. Quid sit vulgaris substitutio, & quis ejus effectus? Resp. est substitutio directa, & simplex, quæ à quolibet, (testandi facultatem habente) cuilibet (qui hæres instituì valet) fieri potest, prout describitur à *Bart. in l. 1. n. 5. ff. de vulg. subst. & Covarr. c. l. n. 3.* quia scilicet in illa cuivis ætati & personæ substituitur, in eum casum, quo hæres primò institutus hæreditatem non adit, v. g. Titius meus hæres esto, & si is hæres non erit, Cajus hæres esto, *Zæsius c. l. n. 2.* Effectus præcipuus hujus substitutionis est, ut si hæres institutus non potuit adire hæreditatem, morte præventus, vel noluit, quia repudiavit, substitutus succedat in bonis propriis testatoris, *l. Quamdiu; 69. ff. de acquir. & omittend. hæred.* & sic per eum testamentum sustineatur, *Zæs. c. l. n. 4.* non autem succedit in bonis propriis hæredis instituti, cui est substitutus, *Silvest. in summa V. Hæreditas; 4. q. 4.* Exspirat autem hæc substitutio, adiâ ab instituto hæreditate, tanquam deficiente conditione, sub qua est facta, nempe si institutus hæres non erit, *l. Post aditam; 5. C. de impub. & aliis substit.* vel si substitutus moriatur ante institutum, vel ante aditam ab ipso hæreditatem, adeò ut nullum jus substitutus ad hæredes suos transmittat, *l. unic. §. In novissimo C. de Caduc. tollend.* jus enim, quod necdum habuit defunctus, nisi in spe, & quod in bonis ejus non fuit, non potest transmitti ad hæredes illius: Nec hæreditas non adita à substituto potuit deferri ei præmortuo, *Molin. tract. 2. dis. 183. n. 7. & 8. Zæs. ff. eod. Tit. n. 10.*

LXII. Quæritur tertiò. Quid sit substitutio pupillaris, & quis illius effectus? Resp. est substitutio directa & simplex, per quam parens liberos impuberes in sua potestate constitutos, & qui post mortem suam in alterius potestatem non reincident, hæredes instituit, illisque alium hæredem substituit, sub conditione, si ante annos pubertatis decesserit, prout colligitur ex *princ. Instit. de pupill. subst. & l. 1. §. 2. ff. de vulg. & pupill. Covarr. in c. Raynutius; 16. §. 5. n. 1. h. t. Mol dis. 182. n. 10.* v. g. Titius filius meus impubes mihi hæres esto, & si hæres mihi non erit (id est, si non adierit hæreditatem) vel si hæres erit, & intra pupillarem ætatem decesserit (hoc est, antequam pubes factus fuerit) Cajus hæres esto. Et tunc priore casu, si filius impubes non extiterit hæres, substitutus sit hæres patri: At verò posteriore casu, si filius extiterit hæres, sed ante pubertatem decesserit, substitutus sit hæres ipsi filio, *princ. Instit. de pupill. substit. & in fine & cit. l. 2. in princ. ff. Eodem.* Ubi ratio hujus innuitur, ut cùm sibi impuberes testamentum facere nequeant, à patre sibi factum habeant. Effectus substitutionis pupillaris primarius est, quòd per illam succedat substitutus pupillo ante pubertatem decedenti in omnibus bonis, ipsi sive à patre, sive à matre, aut à cognatis, vel alsunde acquisitis, quasi ab ipso institutus esset, *princ. Instit. de pupill. subst. & Sed si plures; 10. §. Ad substitutos, ff. eod.* Finitur hæc substitutio primò, adveniente pubertate, hoc est completo anno XIV. in masculo, & XII. in fœmina, *§. Masculo Instit. de pupill. subst.* Secundò, per emancipationem pupilli, per quam exit è potestate patris in qua esse debet, non tantùm tempore conditi testamenti: sed etiam mortis testatoris, *Zæs. ff. de vulg. & pupill. n. 57.* ubi plures effectus refert.

LXIII. Quæritur quartò. Quid sit substitutio exemplaris, reciproca & compendiosa? Resp. Substitutio exemplaris sic dicta, quia inducta est ad exemplum pupillaris, ideóque etiam quasi pupillaris vocatur, est directa & simplex substitutio, quâ parens sibi faciens testamentum, liberis furiosis, aut mente captis, puberibus, etiam emancipatis, legitimâ portione ipsis relictâ, hæredem substituit, ut colligitur ex *l. Humanitatis; 9 C. de impub. & aliis substit.* Effectus illius est, quòd mente captis in morbo substitutus succedat in omnibus eorum bonis, undecúnque acquisitis, *arg. l. Sed si plures; 10. §. Ad substitutos, ff. de vulg. Zæs. ibid. n. 79.* Finitur si amens seu furiosus resipiscat, & denuò mentis compos fiat, *l. Ex facto; 43. ff. eod.* Ubi etiam ratio redditur, quia jam potest sibi facere testamentum: idque ad similitudinem pupillaris, quæ exspirat, si pupillus adoleverat.

LXIV. Præterea substitutio reciproca, seu brevi loqua dicitur illa, in qua testator duos, vel plures hæredes instituit, eósque sibi invicem substituit, v. g. instituo Titium & Cajum hæredes meos, eósque invicem sibi substituo, ita ut si Titius non sit hæres, Cajus esto, & viceversâ: *§. Et plures Instit. de vulg. substit. l. Quidam res; 23. l. Cohæredi; 41. in fine l. Lucius; 45. ff. eod.* Non est autem substitutio simplex, sed mixta seu composita, plures in se substitutiones continens, nec diversa ab aliis substitutionibus species, cùm qualitate tantùm, seu modo differat, cujus respectu tertium genus substitutionis dicitur, in *l. Nam hoc jure; 4. ff. eod. Zæs. ibid. n. 82.*

LXV. Denique substitutio compendiosa est quæ verborum compendio plures in se continet substitutiones, secundùm diversa tempora, & ætates: v. g. instituo filium meum hæredem, & si is decesserit, vel quandocúnque decesserit, substituo ei Cajum: nam enim si filius, non aditâ hæreditate decesserit, vel ante testatorem obierit, Cajus succedet ex vulgari substitutione: Si verò filius, post aditam hæreditatem, sed ante pubertatem decesserit, succedet ex pupillari; si autem post pubertatem decesserit, locum habebit fideicommissaria substitutio, detractâ tamen non solùm legitimâ, sed etiam quartâ Trebellianicâ: si denique post pubertatem amens fiat filius, succedet Cajus ex substitutione exemplari, *Covarr. in cit. c. Raynutius; §. 9. n. 1.*

§. III. De

§. III.

An per substitutionem pupillarem excludatur mater à successione impuberis filii?

LXVI. Ad hanc quæstionem respondetur, per substitutionem pupillarem expressam (qualis est illa, quæ supra descripta est, *n.* 61.) excluditur mater impuberis filij, & omnes ascendentes per lineam maternam à successione illius, etiam quod legitimam, quam alioquin filius eis relinquere teneretur. Quare si pater filium impuberem hæredem instituit, eique Cajum substituit, & filius intra ætatem pupillarem decesserit, succedit Cajus substitutus, etiam exclusâ matre, prout statuitur in *l. Lucius*; 45. *in fine princip. ff. de vulg. & pupill. subst. & l. Precibus*; 8. *C. de Impuber. & alijs substitut. & l. Papinianus*; 8. §. *Sed nec impuberis*; *ff. de inoffic. testam.* Ubi dicitur, quòd mater impuberis filij testamentum inofficiosum per querelam dicere non potest, quia puberi hoc facit. Idem decernitur in *c. Si pater*; 1. *h. t. in* 6. ubi talis casus proponitur, juxta » *Gl. ibid.* Titius habens filium, ac filiam impuberes, » filiam in certa re, seu pecuniæ quantitate instituit: » filium verò in reliquis bonis hæredem universalem » fecit: uxori verò suæ (matri filiorum) aliqua lega- » vit (usumfructum quorundam bonorum, *Gl. hic* » *in casu, & V. Legavit*) adjecit verò, ut si filia dece- » deret sine liberis, dicto filio: sin autem filius abs- » que liberis obiret, dictæ filiæ moreretur: (hoc est, » filia in commodum filij, & hic in commodum filiæ) » denique pauperes instituit hæredes, si utrumque » sine liberis decedere contingeret. Accidit autem, » ut mortuo Testatore, etiam filius, & filia, matre » superstite, sine liberis, seu prole morerentur. Cùm » itaque vi Testamenti paterni, hæreditas restituen- » da esset pauperibus, qui filio, & filiæ, erant substi- » tuti, mater voluit suam partem legitimam, & Tre- » bellianicam deducere. Re delatâ ad Papam Bonifa- » cium VIII. Is respondit, absq; deductione portionis » legitimæ jure naturæ debitæ, & Trebellianicæ, bo- » na omnia ipsis pauperibus deferri, eò quòd prædi- » ctæ substitutiones factæ filio in comodum filiæ, & » viceversâ, filiæ in comodum filij, & post hos in cō- » modum pauperum, pupillares directę, non obliquæ, » seu fideicommissariæ censeri debeant; cùm in sub- » stitutionibus semper sit interpretatio faciēda, dum- » modo verbis earum, & personis institutis convenire » possit; (ut in casu proposito, in quo uterque, filius, & » filia erant impuberes, & ante tempus pubertatis si- » ne liberis decesserant, *Gl. hic V. Personis*;) ut potiùs » directa substitutio cēseatur esse facta, quàm obliqua » sive indirecta: quanquàm directa substitutio inter- » dum etiam ex causa ad fideicommissariam trahatur. Ratio autem, cur verba communia substitutionis po- tiùs intelligi debeant de directa, quàm obliqua, si ma- teria subjecta, & persona id patiantur, & aliunde pro- bari non possit, aliam fuisse mentem Testatoris, est; quia substitutio directa, per quam hæreditas, absq; fa- cto intermediæ personæ, à Testatore ipso immediatè defertur substituto, est magis simplex, & honesta, ac liberalis, quàm sit substitutio obliqua, seu fideicom- missaria, ideóque etiam in illa Trebellianica deduci non potest. Addit Pontifex in *cit. c.* 1. *in fine*, licèt » filius, aut filia in Testamento suo, matrem legiti- » mâ portione jure naturæ ipsi debitâ privare nō pos- » sint (nisi ex justa causa, *Gl. ibid. V. Non possit in addit.*) » potest tamen pater in testamento, quod filio impu- » puberi facit, matrem omnino excludere; cùm Te- » stamentum hujusmodi pupillare, seu pupillo fa- » ctum, potiùs paternum, vel pars quædam paterni esse sit censendum, prout etiam habetur in *l. Qui plures*; 38. *in fine, ff. de vulg. & pupill.*

LXVII. Pro explicatione hujus *c.* notandum primò. Extraneus substitutus pupillariter filio impuberi in testamento patris, excludit matrem superstitem, etiam à legitima portione ipsi in bonis pupilli debita, quam ipse filius excludere non posset, si liberam testandi facultatem haberet; quia ex parte patris, mater impuberis, sive uxor sua non est hæres necessaria, cui maritus non tenetur aliquid in Testamento relinquere. Idque procedit, quoad omnia bona filij, etiam per maternam lineam acquisita, *l. Papinianus*; 8. §. *Sed nec impuberi*; *ff. de inoffic. testam.* & colligitur ex *l. Sed si plures*; 10. §. *Ad substitutos*; *ff. de vulg. & pupill.* & ex *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. Imò etiam locum habet in foro conscientiæ, modò â substituto matri indigenti necessaria alimenta dentur: non item legitima, quando graviter illâ non indiget, tunc enim illa non est jure naturæ debita, ut ex communiore sententia docet *Covarr. in c. Cùm esses*; 10. *de testam. n.* 11. *Mol. tr.* 2. *disp.* 184. *n.* 49. Nec obstat, quòd Testamentum tale videatur esse Testamentum filij; quia licèt in illo agatur de hæreditate filij, ipse tamen testamentum non fecit, adeóque non est testatus: sed pater ejus loco. Multò magis verò per substitutionem expressam pupillarem excludūtur ab hæreditate filij impuberis fratres, & alij consanguinei ipsius; cùm non teneatur pater faciens uni liberorum Testamentum, in eo instituere liberos suos, cùm alij liberi nihil habeant juris in bonis fratris impuberis *Zæs. c. l.*

LXVIII. Notandum secundò. Aliud verò dicendum est, quoad hoc, de substitutione pupillari tacita, quæ implicitè continetur sub vulgari expressa, videlicèt sub hac: *si filius impubes hæres non est, Cajus hæres esto*, nam qui filio non adeunti hæreditatem, alium hæredem substituit, videtur etiam hæreditate ab eo aditâ: sed intra pupillarem ætatem decedenti substituisse hæredem, qui proinde hoc casu succedet, non ex vulgari expressa, quæ aditâ ab eo hæreditate extincta est; sed ex tacita pupillari, idque ex Lege, præsumptam testatoris voluntatem ita interpretante, *l. Eam hoc jure*; 4. *in princ. ff. de vulg. & pupill. l. Quamvis*; 4. *C. de impub. & aliis substit.* Nisi aliunde de contraria voluntate testatoris constet, *cit. l. Quamvis*; *Zæs. c. l. nu.* 16. Jam ergo per talem substitutionem pupillarem tacitam, seu sub intellectam in vulgari expressa, non excluditur mater impuberis à substituto: sed ea præferenda est extraneis pupilli hæredibus ab intestato, *l. ult. C. de instit. & substit.* ubi substitutio pupillaris subintellecta in vulgari posthumo facta, non excludit matrem, *& in l. Precibus*; 8. *C. de impub. & aliis substit.* ut docet *Bartol. in l. Centurio* 15. *num.* 5. *ff. de vulg. Covarr. in c. Raynutius*; 16. §. 4. *n.* 6. *in fine h. t. Molin. cit. disp.* 184. *n.* 19. ubi dicunt, hanc esse communem sententiam, *Zæs. c. l. nu.* 50.

nu. 50. Ratio est, quia Leges tantùm loquuntur de substitutione expressa pupillari, quòd excludat matrem, ergo non debent, quippe odiosæ, extendi ad tacitam, & major est vis expressæ, quàm tacitæ, præsertim quando agitur de odiosis, ut de exclusione, vel privatione alicujus. Excipitur, nisi ex conjecturis appareat, eam fuisse testatoris voluntatem, *Gl. in cit. l. Precibus*; *V. omni modo.* Vel nisi substitutus sit frater instituti, seu filius testatoris; tunc enim excludit matrem, etiam per tacitam pupillarem substitutionem, *Bart. in l. 2. num. 44. ff. de vulg. & pupill.* quia tunc præsumptio est, quòd testator voluerit filium suum uxori præferri.

Præterea vice versâ, per tacitam vulgarem substitutionem contentam in pupillari expressa excluditur mater filij impuberis, ut docet *Gl. fin. in l. ult. C. de institut. & substit. Mol. c. l. n.* 20. Ratio est, quia tacita vulgaris non habet locum, nisi quando filius non est hæres patris, vel quia repudiat hæreditatem, vel quia ante patrem decedit, ac proinde per illam non succeditur filio impuberi: sed patri testatori, ex cujus bonis nihil uxori debetur, quando alius hæres in eo est institutus, vel substitutus, & consequenter tunc substitutus matri pupilli est præferendus: Secus est de matre testatoris, quæ per tacitam vulgarem in pupillari contentam non excluditur, nisi substitutus sit unus ex descendentibus, *Covarr. c. l. in fin. Mol. c. l. n.* 20.

LXIX. Sed hîc jam ulteriùs quæritur, an si pater filio impuberi verbis directis substituit, is autem post pubertatem mortuus sit, illa substitutio valeat, saltem ut obliqua, seu indirecta, ita ut hæreditatem substitutus consequatur per modum fideicommissi? Resp. primò. Si pater filio impuberi in potestate sua constituto verbis directis substituat in testamento: v. g. *Si filius meus in ætate pupillari decesserit, Cajus hæres esto*: tum si filius post pubertatem decedat, exspirat substitutio, & excluditur substitutus, ita ut nec tanquam obliqua, seu per modum fideicommissi valeat: sed omnino excludatur substitutus, ut constat ex *l. Verbis* 17. *ff. vulg. & pupill.* & ex communi docet *Bart. in l. Centurio* 15. *nu.* 3. *ff. eod.* Ratio est, quia cùm substitutio, quæ fit per verba directa, & illa, quæ fit per verba obliqua, seu indirecta, sint omnino oppositæ, ipsaque verba oppositas significationes habeant, non potest illa hanc in se continere, nec ad illam extendi. Hoc autem procedit, si substitutio fiat in testamento: nam si pater substituit filio suo impuberi directè in Codicillo (in quo directè hæreditas dari non potest) tunc ea substitutio, ex benigna interpretatione valebit, ut fideicommissum, & hæres, v. g. mater impuberis gravata censebitur, ad restituendam hæreditatem substituto, quia alioquin substitutio omnino corrueret, *l. Scævola*; 7. *ff. ad SC. Trebell. Bart. in cit. l. Verbis*; *n.* 4. *ff. de vulg.*

Excipitur, si miles verbis directis filio suo impuberi substituit, v. g. *filius meus hæres esto, & si intra* 25. *ætatis annum vitâ excesserit, Cajus hæres esto*; censetur substitutio facta, si hæres existat etiam post pubertatem, non quidem jure directo, cùm jam testamentum ipsemet facere possit: sed per modum fideicommissi, ita ut substitutus bona tantùm, quæ à milite substituente provenerunt, capiat, licèt, si ante pubertatem filius decessisset, non solùm paterna: sed etiam bona propria filij accepisset, jure communi, paganorum scilicet, *cit. l. Centurio*; *ff. de vulg.* & ibi *Gl. V. Propria*; *& V. Communi*; *& Gl. in cit. l. Scævola*; *V. Obligatur*, & Dd. communiter.

LXX. Respon. secundò. Substitutio compendiosa facta à testatore verbis directis, ut si v. g. dicat: *Instituo hæredem filium meum impuberem, & quandocunque is decesserit, Cajus hæres esto*, censetur quidem esse substitutio directa vulgaris, si filius hæres non extiterit, directa verò pupillaris, si hæres extiterit, & ante pubertatem decesserit: at verò, si post pubertatem decesserit, valebit adhuc substitutio, non quidem ut directa: sed ut fideicommissaria, prout sumitur etc. *Raynutius*; 16. & tradit *ibid. Gl. V. Vel substitutionis*; *h. t. & in l. Precibus*; 8. *junct. Gl. magna C. de impub. & aliis substit. Io. Andr. in c.* 1. *nu.* 19. *h. t. in 6. Abb. in. Raynutius*; *n.* 16. 17. 20. *& 21. h. t.* Licèt *Covarr. ibid.* §. 9. *n.* 15. & multi Legistæ, aliíque Canonistæ contrarium teneant, velintque talem substitutionem, post tempus pubertatis, omnino exspirare, præterquàm si à milite tali modo facta sit. Ratio autem prioris sententiæ est, quia licèt testator substituerit per verba directa, hæres esto: ex adjunctis tamen colligitur, quòd animum habuerit filio impuberi substituendi post pubertatem, adeòque fideicommissariè, cùm directa substitutio tunc locum habere non possit, ac proinde tali casu magis ad mentem testatoris attendendum est: quàm ad verba, quibus substituit, & interpretari oportet dispositionem illius, ut valeat eo modo, quo potest. Nec obstat, quòd substitutio compendiosa facta à milite filio impuberi, & si is decesserit, post pubertatem, ex speciali tantùm privilegio valeat, etiam post pubertatem, ergo id non debet extendi ad alios testatores non milites. Nam privilegium militis in eo tantùm consistit, quòd etiamsi constet, ipsum voluisse directè substituere filio impuberi jam puberi facto, sive quia ex ignorantia juris nescivit id fieri nõ posse, sed putavit omnes etiam puberes, si adhuc minores sint 25. annis, prohiberi testamentum condere: sive quia putavit, ætatem pupillarem durare usque ad 25. annum: nihilominus tamen favore militis, cui ignorantia juris non obest, talis substitutio, etiam post pubertatem facta, jure sustineatur, saltem ut fideicommissaria. At verò hoc non procedit in alio testatore, qui per verba directa substituit; licèt enim constet, quòd animum directè substituendi post pubertatem filij habuerit, nec per modum fideicommissi valebit ea substitutio. Sin verò de hoc nõ cõstet, in dubio, ex benigna interpretatione, substitutio talis trahetur ad fideicomissum, licèt verba minùs propriè accipienda, & verba directa obliquanda sint, ut ultima voluntas testantis servetur, *l.* 2. *C. Communia*; *de legat.* Quanquàm *Covarr. c. l. n.* 6. velit, substitutionem impuberi factam à milite, post tempus pubertatis valere, ut directam jure militari.

LXXI. Respond. 3. Si testator filio impuberi substituit per verba communia (quæ scilicet tam directam, quàm obliquam, seu indirectam institutionem, vel substitutionem significare possunt, cujusmodi est verbum *relinquo*, vel *substituo*: item *hæres instititus moriatur Cajo*, sive in commodum Caij, *c. t. h. t.* item verbum *perveniat*, *succedat*, *devolvatur*, &c. *Bart. in l. Centurio*; 15. *nu.* 46. *& seqq. ff. de vulg. & pupill. Abb. in cit. c. Raynutius*; *num.* 15. neque illam restrinxit ad annos pupillares: tum si filius de-

cessit.

cessit post pubertatem, locum habet successio fideicommissaria, ut si v. g. testator dicat: *quandocúnque filius meus decesserit, substituo illi Cajum*. hæc enim est compendiosa substitutio, quæ extendi debet ad annos pubertatis, ita ut si filius pubes decesserit, substitutus succedat, tanquam ex fideicommisso, & censetur esse facta substitutio obliqua, seu fideicommissaria, ut ex communi Dd. tradit *Bartol. in cit. l. Centurio; nu. 26.* Quin imò, etsi non sit addita vocula *quandocúnque*, si tamen simpliciter, ac indefinitè testator substituit aliquem filio impuberi per verbum commune, v. g. instituo hæredem filium meum impuberem, & si is sine liberis decesserit, substituo ei Cajum, censebitur substitutio compendiosa post pubertatem, in se continens fideicommissariam, prout sumitur ex *c. Raynutius; 16. h.t.* ubi fuit facta simpliciter substitutio, ut si Adjecta decederet sine liberis, Alterocha, & soboles ei succederet, nec exspiravit ista substitutio, adveniente pubertate, *Abb. ibid. n. 6. Covarr. ibid. §. 9. num. 17. Gl. in cit. c. 1. V. Absque deductione; h. t. in 6.* Ratio est, quia propositio indefinita, & indeterminata æquivalet universali, ac proinde quando testator dicit, si filius absque liberis decesserit, idem est, ac si dicat, quandocúnque decesserit. Itaque utraque est substitutio compendiosa, continens in se plura tempora, idque sumitur etiam ex *l. Quidam; 5. & l. Quoties; 11. & l. seq. ff. de reb. dub.*

Porro potest pater filio impuberi etiam in substitutione compendiosa, quæ scilicèt plura in se tempora comprehendit, verbis obliquis, sive per modum fideicommissi substituere, v. g *Instituo filium hæredem meum; & si, sive ante annos pubertatis moriatur, sive postea, hæreditatem tradat, vel restituat Cajo*, talis substitutio erit omni tempore fideicommissaria, id est, ante, & post pubertatem, ut constat ex *l. Cohæredi; 41. §. Quod si hæredem; ff. de vulg. Abb. in cit. c. Raynutius; num. 19. Covarr. ibid. §. 9. n. 18.*

§. IV.

De substitutione, quæ fit per fideicommissum.

LXXII. Quæritur primò. Quid sit Fideicommissum, & quis illius effectus? Resp. Fideicommissum in genere dicitur, quod alicui per intermediam personam, sive per ministerium, & quasi manum alterius relinquitur; estque duplex, aliud universale, in quo hæres, sive in testamento institutus, sive ab intestato succedens, rogatur, vel jubetur hæreditatem totam, vel ejus partem, alteri restituere, seu tradere, §. *Inprimis; & §. Præterea. Instit. de Fideicom. hæred.* & is quidem, qui jubetur restituere, Fiduciarius hæres, *l. Scias; 46. ff. ad SCtum Trebellian.* Is verò, cui jubetur restitui, fideicommissarius appellatur, §. *Sed quia stipulationes; Instit. eod.* Aliud est fideicommissum particulare, quando non universitas bonorum, sive tota hæreditas, aut pars illius: sed tantùm res particulares, una, vel plures ab hærede alteri restitui, jubentur, de quo *Tit. Instit. de singul. reb. per fideicom. relict.* & hoc in plerisque sequitur naturam legati, & jure novo reipsâ ab eo non differt, *Zæs. ff. ad SC. Trebell. num. 9.* Effectus autem fideicommissi universalis est, ut si hæres directus fideicommisso in testamento, vel etiam hæres ab intestato in Codicillo gravatus, restituere hæreditatem alteri, nolit illam adire, officio Judicis cogi possit, ut adeat, & ut eam aditam restituat fideicommissario, §. *Ergo; Instit. de fideicommiss. hæred. l. Nam quod; 14. §. 1. ff. dicto Tit. Molin. tr. 2. dis. 186. in princ.*

LXXIII. Quæritur secundò. An, & quatenus pater filium gravare possit, ut hæreditatem post mortem alteri restituat? Resp. primò. Si pater filium hæredem institutum jubeat, post mortem, hæreditatem alteri restituere, non aliter censetur, illam fideicommisso onerâsse, quàm sub tacita hac conditione, *si sine liberis mortuus fuerit*, prout statuitur in *l. Cùm Avus; 102. ff. de condit. & demonstrat. & l. Cùm acutissimi; 30. C. de fideicommiss.* Ratio est, quia non est verisimile, testatorem, si de nepotibus cogitâsset, fuisse gravaturum filium, ad restituendam hæreditatem extraneis, & alias successiones proprijs voluisse anteponere, *cit. l. Cùm acutissimi*; quæ præsumptio etsi sit juris, non tamen est juris, & de jure, ideóq; probationem in contrarium admittit, *Menoch. l. 4. de præsumpt. c. 89. nu. 13. & 2. seqq Zæs. ff. ad SC. Trebell. n. 10.*

Porro, si filio sub tali conditione gravato filij postea nascantur, quilibet substitutus excluditur, extraneus scilicet, etiam uxor testatoris; cùm verisimile sit, testatorem liberos ex se descendentes voluisse præferre uxori *Zæs. c. l. n. 30.*

LXXIV. Resp. secundò. Si filius gravatus in testamẽto patris hæreditatem alteri restituere, sub hac conditione, *si sine liberis decesserit.* Religionem ingrediatur, ac profiteatur, tum excluso substituto, Monasterium succedit in bonis Professi, prout constat ex *Auth. nisi rogati; C. ad SC. Trebell. quæ est desumpta ex Auth. de SS. Episcopis; §. Sed & hoc; Coll. 9.* & habetur etiam in *c. Præsentia; 8. de probation.* ubi cùm quidam testamentum fecisset, in quo Marcum filium suum hæredem instituit, præcipiens, ut si sine liberis decesserit, bona ad fratres suos devolverentur: Marcus autem postea Monasterium ingressus fuisset, & eidem se, & sua iteratò obtulisset (per Professionem religiosam) sententia lata fuit pro Monasterio, & fratribus testatoris Marco filio substitutis, silentium est impositum super his, quæ à Monasterio postulabant, ijque ad restitutionem condemnati sunt eorum, quæ ex bonis prædicti Marci occupârunt. Ratio autem hujus decisionis est, non quòd Monasterium locò filij habeatur, id enim in *cit. c. non dicitur*; sed quòd habeatur locò hæredis, ut patet ex illis verbis, *quia intelligendum non erat sine hærede decedere, qui Monasterium sibi hæredem instituit.* Ideóque cùm Monasterium juris solùm fictione interdum habeatur pro filio, id non est extendendum ultra casus jure expressos: sed ea potiùs vera ratio est, quòd pia præsumptio esse debeat, si testatori in mentem venisset, cogitare de Religionis professione, talem casum excepturum fuisse, cùm non minùs causam piam Monasterij: quàm liberos dilexisse censeatur, ideóque ea conditio, *si sine liberis decesserit*, habetur pro non scripta, quatenus in Monasterij præjudicium cedit, juxta *Auth. de SS. Episc. §. Sed & hoc præsenti; Tit. 37. Coll. 9.* unde *cit. c. In præsentia est desumptum. Sanch. Lib. 7. mor. c. 16. n. 4. 5. & 8. Laym. in cit. c. In præsentia; n. 8.* & diximus *Li. 2. Tit. 19.* in explicatione ejusdem *c. n. 34. & seqq.*

LXXV. Extenditur autem tradita Constitutio primò. Ut habeat locum etiam in foro conscientiæ, in quo substitutus excluditur perpetuò, *Sanch. c. l. n.* 1. & alij apud ipsum.

Extenditur secundò. Si gravatus fideicommisso fiat Clericus sæcularis, tunc enim etiam excluditur substitutus, juxta *cit. Auth. Sed & hoc præsenti*; ibi: *Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant*: dummodo tamen perpetuò in Clericatu perseveret, adeóque sacris Ordinibus sit initiatus, & bona illa, quæ aliàs substituto restituere debuisset, relinquat Ecclesiæ, vel in alia pia opera expendat, *Menoch. cit. l. 4. c. 83. nu. 65. & 2. seqq. n. 32.*

LXXVI. Limitatur autem supra dicta dispositio primò. Nisi de contraria voluntate testatoris nolentis, ut per Monasterium substitutus excludatur, expressè constet, vel ex manifestis conjecturis colligi possit, ut si v. g. substituat aliquem de sua familia, adijciens, se velle, ut illa bona perpetuò apud familiam maneant; nam cùm lex illa statuens, ut Monasterium excludat substitutum in fideicommisso, fundetur in prædicta præsumptione, ea cessat, quando de contraria veritate constat, & consequenter etiam ipsa Lex, *Menoch. cit. c. 38. nu. 26. Sanch. cit. c. 16. num. 12.*

Limitatur secundò, ut excludatur substitutus à Monasterio, si hæres gravatus ingressus sit Monasterium bonorum capax, in eóque validè sit professus; quia per solam professionem Monasterium fit hæres bonorum Professi: si tamen posteà fieret apostata, id non noceret Religioni, *Sanch. c. l. num. 26.* requiritur etiam, ut Monasterium reipsâ successerit in illa Professi bona, & ea non repudiaverit, *Menoch. c. l. n. 72. Sanch. n. 24.*

Limitatur tertiò. Si hæres gravatus ingressus sit Monasterium, quòd bonorum in communi, & successionis omnino est incapax; tunc enim substitutus non excluditur, sed statim à die professionis admittitur, quia professio in tali Ordine quoad successionem æquiparatur morti naturali, *Menoch. c. l. nu. 81. Sanch. c. l. nu. 13. & 16.*

Limitatur quartò. Si alia causa pia substituta sit in defectum liberorum, v.g. si filius meus sine liberis decesserit, bona illius pauperibus dentur, vel in redemptionem captivorum, vel Ecclesiæ Parochiali, aut alij loco pio, hoc casu præferenda est causa pia substituta, neque per professionem filij illa excludetur, juxta *cit. auth. §. sed & hoc præsenti*; quia si privilegiatus concurrat cum privilegiato, tunc cessantibus privilegijs, servatur Jus commune, *Gl. fin. & Abb. in cit. c. In præsentia 3. n. 36. de probat. Menoch. c. l. n. 86. Sanch. c. l. n. 34.*

Limitatur quintò. Nisi hæres gravatus Religionem ingrediatur, animo fraudandi substitutum, tunc enim à Monasterio non excluditur substitutus, *Menoch. cit. c. 83. n. 76. Sanch. v. 54. & 55.* quia fraus sua nemini patrocinari debet, ideóque nec Monasterium, mediante ptofessione gravati, in fraudem facta, bona illa consequi potest. Talis fraus v. g. præsumitur, si gravatus minatus est substituto, se in illius odium ingressurum Religionem ad eũ excludendum, quam deinde ingressus est. *Menoch. c. l. Sanch. c. l. n. 60.*

Limitatur sextò. Nisi gravatus inductus sit ad ingressum Religionis suasionibus, & blanditijs Monachorum, tunc enim Monasterium nulla bona hæjus Professi consequetur, adeóque nec substitutus excludetur, *Menoch. c. l. num. 86. Sanch. n. 62.*

Limitatur septimò. Nisi illa conditio; *si sine liberis decesserit*, apponatur, non in testamento, vel aliâ ultima voluntate, aut contractu gratuito, ut si quis legaverit, vel donaverit aliquid Titio, sed in contractu oneroso, tunc enim excludetur Monasterium; quia cùm Constitutio hæc sit exorbitans, & de solis ultimis voluntatibus, & contractibus gratuitis loquatur, ut patet ex *cit. Auth. Sed & hoc præsenti*; non est ad alios extendenda, *Sanch. c. l. n. 86.* Plures aliæ limitationes legi possunt apud *Menoch. l. 4. de præsumpt. c. 83. & Sanch. l. 7. c. 16. Barb. in Collect. in c. In præsentia 8. n. 31. & pluribus seqq. Fagn. ibid. n. 3 & seqq. de probat.*

§ V.

De deductione, tum Quartæ partis Trebellianicæ ex fideicommissariis hæreditatibus: tum Legitimæ.

LXXVII. Quæritur primò. An, & qua ratione ex fideicommissis deducenda sit Quarta Trebellianica? Resp. Si hæres per fideicommissum gravatus sit, hæreditatem alteri restituere, potest quartam partem, quæ Trebellianica dicitur à JCto Trebelliano, deducere, §. *Sed quia stipulationes*, & §. *Nihil autem interest, Instit. de fideicommiss. hæred.* ubi dicitur, perinde esse, sive quis ex toto: sive ex parte hæres sit institutus, potest enim quartam partem portionis, in qua institutus est, retinere. Ratio est, ne gravatus, ob nullum, vel exiguum lucrum, recuset adire hæreditatem, & sic fideicommissa extinguantur, *cit. §. Sed quia.* Idque probatur etiam ex *c. Raynutius 3. 16. h. t.* In quo Innocentius III. confirmavit sententiam Judicis, per quam pronunciavit Trebellanicam detrahendam esse. Ubi talis casus satis intricatus proponitur. Raynutius ex uxore Adelasia duas habens filias, nimirum Alterocham, & Adjectam, Matrem verò Clæram, in extremis positus condidit testamentum, in quo Alterochæ filiæ puberi, ultra dotem, quam priùs dederat, domum cum horto: Adjectæ verò filiæ impuberi cætera bona sua reliquit, eidémque filiam Alterocham, & sobolem, quam in utero gestabat, substituit, ita ut succedere deberent dictæ filiæ impuberi, si absque filijs moreretur. Mortuo testatore Raynutio, Tutores Adjectam, cum omnibus bonis à patre ei relictis, jure Longobardorum, in matrimonium tradiderunt cuidam, nomine Petro, ex quo Adjecta filium quidem suscepit, sed eo mortuo, sine liberis decessit Adjecta: posteà maritus defunctę bona illius pacificè aliquamdiu possedit, & contracto matrimonio cum alia, liberis ex eadem susceptis, vitâ quoque defunctus est. Exinde inter Alterocham, ejúsque filium ex una parte, & filios, quos Petrus reliquit, & eorundem Tutorem Raynerium, ex altera parte, controversia orta fuit super bonis Adjectæ, & coram Judice Tuscano agitata. Coram quo Alterocha, & filius ejus, bona Raynutij defuncti ex causa fideicom-

» commissi, vel substitutionis, quam in testamento » suo fecerat, sibi debita petierunt, propterea quòd » mortua sit sine liberis. Sed ex adverso Tutor filio- » rum Perri objiciebat præscriptionem annalem, u- » sucapionem pro dote, & longi temporis, (scilicèt » 10. vel 20. annorum) silentium. Insuper adjecit, » quòd ex asse hæreditatis inprimis pars tertia Claræ » matri Raynutij testatoris debita: tum verò pars » tertia uxori ejusdem, ac denique Quarta Trebel- » lianica, nomine Adjectæ, deducendæ fuerint. His » utrinque propositis, Judex Tusculanus Raynerium » Tutorem, nomine pupillorum, ad restitutionem » bonorum condemnavit, parte tertiâ Claræ priùs » deductâ, quam ipsa Adjectæ, & marito ejusdem » donaverat, cùm de hac tertia Raynutius in substi- » tutione cogitâsse, non videatur: deductâ item par- » te Adelasiæ uxoris, quam ipsa supradicto marito » suo vendiderat: easque tertias idem Judex, » secundùm Tuscanæ Civitatis consuetudinem (sive » jus municipale, juxta quod, præmoriente marito, » tertiam partem bonorum consequitur uxor, eti- » amsi filios relinquat, & vir lucratur dotem) de- » duci præcepit. Denique etiam partem Quartam » Trebellianicam deduci jussit, cùm quilibet etiam » hæres extraneus, restitutione gravatus, eam dedu- » cere possit.

» Verùm utraque pars, à sententia hujus Judi- » cis ad Papam Innocentium III. appellavit. Qui » Diaconum quendam Auditorem dedit. Coram quo » cùm diu litigatum esset, denique is sententiam di- » cti Judicis in eo, quòd judicavit, tertias Claræ, & » Adelasiæ integrè deducendas esse, pronunciavit in- » justam, & ab ea rectè appellatum fuisse, definien- » do, quòd illæ tertiæ ita deducendæ sint, ut legiti- » ma portio jure naturæ debita Alterochæ, in utra- » que tertia salva maneat, ad quam proinde por- » tionem restituendam Tutorem condemnavit. In » eo verò, quòd Quartam Trebellianicam dictus Ju- » dex Tuscanus censuit retinendam, sententiam e- » jusdem confirmavit, ita tamen, ut fructus de bonis » hæreditatis restituendæ à tempore litis contestatæ, » à Petro, & filijs ejus, post mortem Adjectæ, com- » putentur in illa Quarta: qui fructus si ad Quartam » sufficiant, alia deductio fieri non debeat: si non » sufficiant, computatio fiat, pro ratione fructuum » perceptorum. Sed quia Raynutius filiam Adje- » ctam in legitima portione gravare non potuit, ideò » legitimam ipsam, videlicet ejus partis, quæ ab in- » testato ipsi deberetur, retinere debeat, ita ut de- » ductio Trebellianicæ duntaxat fiat de his rebus, » quæ, secundùm Tuscanæ Civitatis consuetudinem, » fieri solet. In eo denique, quòd dictus Judex Ray- » nerium Tutorem, nomine pupillorum, ad residui » restitutionem Alterochæ, & filio ejus facien- » dam condemnavit, sententiam ipsius confirmavit. » Innocentius autem Papa dicti Cardinalis senten- » tiam ratam habens, eam Apostolicâ auctoritate » confirmavit.

LXXVIII. Pro declaratione hujus prolixi c. Notandum primò. Quamvis Jure communi Cæsareo, si quis decedat habens ascendentem, v. g. matrem, vel uxorem, & simul liberos, mater, vel uxor non sit necessariò hæres, & ab intestato: sed liberi, seu descendentes: jure tamen municipali Longobardorum debetur matri, vel uxori tertia pars hæreditatis defuncti, sive triens, quam deducere possunt, ut colligitur ex hoc c. & tradit *Gl. hic V. Tam tertia.*

Notandum secundò. Si hæres necessarius, sive sit ex descentibus, videlicet filius, vel filia, sive ex ascendentibus, ut pater, vel mater, sit gravatus, ut restituat hæreditatem alteri, ante omnia legitimam portionem hæreditatis deducere potest, ut patet ex hoc c. quæ antiquo jure erat quarta pars hæreditatis relictæ, deducto ære alieno, & funeris expensis, *l. Papinianut*; 8. §. *Quoniam, & §. Quarta, l. Cùm quæritur*; 6. *& l. Parentibus*; 8. *ff. de inoffic. testam. & §. ult. Instit. eod.* Jure verò novo est triens hæreditatis, respectu descendentium, si quatuor, vel pauciores sint liberi, filiæ, vel filij, id est, tertia pars bonorum patris, vel matris, inter eos æqualiter dividenda: si verò plures sint liberi: quàm quatuor, legitima est semissis, sive dimidia pars bonorum, patris, vel avi, cui succeditur, juxta *Auth. de triente, & semiss. Novel.* 18. §. 1. *& Auth. novissima; C. de inoffic. testàm. Gl. in cit. c. Raynutius V. Quartam partem.* Quod si minus legitimâ portione filijs relinquatur in testamento, possunt agere ad supplementum legitimæ, *l. Omnimodò*; 3. *C. de inoffic. testam.*

Notandum tertiò. Hæc legitima portio relinqui debet filijs purè, & absque omni conditione, onere, aut gravamine, *l. Omni modo*; 30. *C. de inoffic. testam.* & habetur etiam in *cit. c. Raynutius*; *ibi*: *quia verò pater ipsam in legitima non potuit aggravare*; *h. t.* ita ut si fideicommisso gravata, vel conditio, dilatio, aut aliud gravamen sit adjectum legitimæ, illud pro non adjecto habeatur, *l. Quoniam*; 32. *C. eodem.*

Notandum 4. Legitima relinqui etiam debet Titulo institutionis hæreditariæ, aliàs non valet testamentũ, juxta *Auth. Ut cùm de appell. cognosc. §. Aliud quoque*; *collat.* 8. & tradit *Gl. in cit. c. Raynutius*; *V. Relinquens*; *h. t.* Neque obstat idem c. ubi pater habens duas filias testamentum condidit, in quo uni ultra dotem, quam ei priùs dederat, domum, cum horto, reliquit: alteri verò cætera bona sua, nullâ factâ mentione institutionis, & tamen non ideò rescissum est testamentum. Nam ut notat *Gl. ibid. cit. V. Relinquens*; *& Abb. num.* 3. Quamvis ordinariè loquendo, si testator rem certam, v. g. domum, vel hortum relinquat, censetur, id esse legatum ab hærede præstandum; id tamen non procedit, si hæres sit necessarius, ut filius, vel filia, cui tale aliquid relinquitur, tum enim ne testamentum sit irritum, censeri debet rem illam, non ut legatum: sed tanquam partem hæreditatis jure, seu Titulo institutionis relictam esse, ut tradit *Gl. in Auth. novissima*; *V. Titulo*; *C. de inoffic. testam.* & juxta *cit. Auth. Ut cùm de appell. cognosc. §. Hæc autem, junct. Gl. margin.* Adde quòd verbum *Relinquo* adjectum universitati bonorum, importat hęredis institutionem, *ut relinquo omnia bona mea Titio*; ut colligitur etiam ex *cit. c. Raynutius*; in quo testator alteri filiæ suæ reliquit cætera bona sua, quod debet intelligi, jure institutionis, aliàs non valuisset testamentum, *Abb. ibid. num.* 3.

Notandum quinto. Legitima portio successionis in bonis parentũ debetur liberis jure naturę, *cit. c. Raynutius*; *& c. Raynaldus*; 18. *h. t.* in quibus dicitur jure naturæ esse debitą; id autẽ intelligendũ est, quoad originem, & quatenùs legitima vice alimentorum fun-

gitur, & in eorum locum succedit; nam necessaria sustentatio debetur jure naturæ liberis à parentibus, *l. Cùm ratio* ; 7. *ff. de bonis damnat.* At verò quoad quotam, seu quantitatem determinatam est juris Civilis, ita ut à Lege augeri, vel minui possit, modò liberis relinquatur necessaria sustentatio, quæ est juris naturæ, & per Legem, vel statutum, aut consuetudinem tolli non potest, *Abb. in cit. c. Raynatius nu.* 12. *Barb. ibid. in Collect. nu.* 6. *Gail. Lib.* 2. *obs.* 102. *nu.* 12. *& seqq.*

LXXIX. Quæritur secundò. An hæres suus, & necessarius fideicommisso universali gravatus, possit simul Legitimam, & Trebellianicam detrahere? Respond. Si filius, vel alius ex descendentibus, gravatus sit, hæreditatem restituere alteri, sub conditione, si sine liberis decesserit, potest, & Legitimam deducere, atque insuper quartam partem Trebellianicam ex reliqua hæreditate, in quibus etiam potest legata relinquere, hæredes instituere, & pœnam imponere, ut colligitur ex *cit. c. Raynutius. & c. Raynaldus* ; 18. *h.t.* Ubi talis casus similiter intricatus proponitur: Pepo filium suum Raynaldum hæredem instituit, hoc modo: ut si is, absque filijs masculis, moreretur, patruis suis hæreditatem restitueret. Mortuo Pepone, inter Raynaldum, & patruos, super quibusdam bonis hæreditatis ejusdem orta est controversia, in qua utraque pars in tres arbitros compromiserunt, ex quibus uno mortuo, reliqui duo (prout juxta formam compromissi poterant) procedentes, ita arbitrati sunt, quòd neutri parti licentia competat, quoquo modo in alium bona illa transferendi, quàm in filios eorum masculos, & legitimè ex ipsis descendentes, & quicquid contra hoc factum fuerit, id non valiturum. Porrò dictus Raynaldus prole carens testamentum condidit, in quo medietatem partis sibi competentis ex bonis paternis, avunculis suis legavit: alteram verò medietatẽ, & reliqua bona paterna uni patruo, (quia alij fortè mortui fuerant) ac filijs ejus reliquit, hoc adjecto, ut si patruus, & filij impedirent, quò minùs legatum ad avunculos perveniret, bona, in quibus ex testamento, vel ab intestato patruus, & filij possent sibi succedere, ad eosdem avunculos, secundùm ratas ipsorum portiones denuò devolverentur. Post mortem Raynaldi, cùm patruus ille solus adhuc superstes, hæreditatem adiisset, adversùs eum, ac filios ejus, Avunculi testatoris coram Judice Urbenetensi litem moverunt, petentes, legata pro rata sibi relicta dari. Quòd si verò patruus, & filij ejus legata illa detineant, & dare nolint, tunc restitui sibi, id est, Avunculis, quæcúnque occasione testamẽti dicti Raynaldi ad illos pervenerunt, aut pervenire potuerunt, petierũt. Judex absolvit patruũ, & filios ejus à legato præstando (motus scilicet eâ sententiâ, seu pronunciato arbitrorum,) & nihilominus eos condemnavit ad aliorum bonorum restitutionem, juxta formam testamenti. Ab hac sententia utraque pars appellavit ad Gregorium IX. petens, ut quatenus contra se lata esset sententia, ea infirmaretur, & quatenus pro se lata, executioni mandaretur. Causam istam Papa Cardinali cuidam commisit, qui lite coram se legitimè contestatâ, considerato, quòd Raynaldo ex bonis patris sui Peponis tertia pars jure naturæ debita fuerit, in qua proinde gravari non potuit; & quòd Quartam Trebellanicam, sicut quivis alius extraneus, ex reliqua hæreditate, in cujus restitutione gravatus fuerat, deducere potuerit: & consequenter quòd ex ijs portionibus per ultimam voluntatem avunculis suis valdè legare potuetit, etsi portionum illarum expressam in legando mentionem non fecerint, Quare dictus Cardinalis (non obstante arbitrio, quippe quod prædictum legatum impedire non poterat) pronunciavit, supra nominatum Judicem, in eo, quòd patruum, qui confessus fuit, se medietatem legati avunculis facti possidere, in totum absolvit, perperam judicâsse: eundémque ad restitutionem ejusdem legati à se possessi condemnavit avunculis faciendam, pro rata portionum suarum. Porrò eo, quòd idem Judex patruum, & filios ejus totaliter in ijs, quæ in secundo articulo (scilicet circa pœnam appositam, ut omnia, quæ ad patruum, & filios poterant pervenire ex testamento Raynaldi, si contra legatum avunculis relictum venirent) petita fuerunt, condemnavit, male ipsum pronunciasse, decrevit; quia ostensum fuit, filios aliquid contra voluntatem defuncti testatoris commisisse, cum nihil de petitis possidere reperti sint: sed quoad portionem, quam patruus habuit in bonis illis, ratione medietatis tertiæ, & quartæ, in qua medietate institutio ejusdem patrui, & pœnæ adjectio valida erat, confirmavit sententiam Judicis, salvo tamen manente ipsi patruo, & filijs ejus ex jure institutionis, beneficio Legis falcidiæ circa restitutionem legati, dummodò intra tempus legitimum voluntati testatoris paruerit; quia inventarium fecit, atque etiam contra testatoris voluntatem Lex Falcidia locum habet: quam sententiam Cardinalis Gregorius Papa, auctoritate Apostolicâ, confirmavit.

LXXX. Ex decisione hujus c. colligitur primò, Quòd Papa in eo confirmat, & approbat sententiam Cardinalis Judicis à se delegati, qui pronunciavit, quòd Raynaldo ex bonis patris sui Peponis legitima, quæ jam est triens, sive tertia pars hæreditatis, jure naturæ debita fuerit, in qua proinde gravari fideicommisso non potuit, nec restitui ea debuit: & quòd etiam Quartam Trebellianicam, sicuti quilibet alius hæres etiam extraneus, ex reliqua hæreditate, in cujus restitutione gravatus fuit, deducere potuit. Itaque si filius à patre rogatus sit, vel gravatus restituere hæreditatem alteri, poterit ex tota hæreditate, quæ secundùm Leges 12. uncijs, seu partibus constat, pro legitima detrahere 4. uncias, quæ est triens, & pro Trebellianica quartam partem, sive duas uncias deducere, adeóque universim, sex uncias, sive dimidiam partem totius hæreditatis, & consequenter etiam poterit hæres gravatus, ex ijs portionibus detractis, sive dimidiâ hæreditate, aliquid alteri legare per ultimam voluntatem, vel alio modo liberè de illa disponere. Et quamvis in specie facti, sive casu *cit. c. Raynaldus*; filius Raynaldus jussus sit, hæreditatem patris restituere, non purè: sed sub conditione, si sine liberis decesserit: ideóque plerique Dd. existiment, si filius purè, & absolutè gravatus sit fideicommisso universali, non possit, nisi vel solam legitimam suam, vel solam Trebellianicam detrahere, prout

prout videre est apud *Covarr. in c. Raynutius*; 16§. 11. *num.* 5. *h. t.* & *Molin tract. 2. dis.* 187. *num.* 5. Nihilominus tamen probabilius videtur, saltem spectato Jure Canonico, filium utramque posse simul deducere, sive purè, sive sub conditione sit gravatus restituere, quia Pontifex *in cit. c. Raynaldus*; non se fundat in eo, quòd filius sub conditione, si absque liberis decesserit, sit gravatus restituere hæreditatem: sed in eo, quòd in legitima gravari non potuit, cùm illa veluti naturali jure filijs debeatur; prout etiam dicitur in c. *Raynutius*; 16. *eod.* & quòd Quartam Trebellianicam quilibet, etiam extraneus, hæreditatis restitutione gravatus deducere possit, ac proinde non debeat deterioris conditionis esse filius, quàm alius extraneus, quæ utraque ratio locum habet, sive filius purè, & simpliciter: sive sub conditione sit gravatus restituere hæreditatem, ut rectè notat *Fachin. Lib. 5. controv. c. 2.* quamvis de Jure Civili, unam tantùm Quartam, vel Trebellianicam, vel legitimam deduci posse, teneant *Zæs. ff. ad SC. Trebell. nu. 92.* & alij Legistæ plerique. Sed idem esse de Jure Civili probat *Fachin. c. l.* ubi ait, antiquas Leges quoad hoc correctas esse per *Novell. Justiniani de resit.* §. 1. quam ibi allegat. Quin imò contrariam Canonistarum sententiam in omnibus ferè totius Orbis Tribunalibus esse receptã, testatur Quido Papa apud *Zas. c. l.* Addit *Fachinæus*; *c. l. c. 3.* probabilius esse, quòd filius gravatus restituere hæreditatem, possit detrahere Trebellianicam, præter legitimam, etiamsi ea fuerit semis, ut quia quinque, vel plures sunt filij, qui rogati sunt restituere hæreditatem; quia nunquam legitima gravari potest propter numerum filiorum, ideóque etiam in restitutionem venire non potest.

Colligitur secundò. Quòd testator hæredi non necessario pœnam privationis imponere potest, nisi legata, & alia jussa sua exequatur, ut patet ex *cit. c. Raynaldus*; in quo testator hæredes instituit patruum & filios ejus, eósque gravavit, ut res quasdam certas, quæ dimidiam partem hæreditatis faciebant, nomine legati, suis avunculis restituerent, adjectâ pœnâ, ut si legatum impedirent, vel detinerent, omni commodo hæreditario, privarentur.

Colligitur tertiò. Si hæres gravatus restituere hæreditatem, confecit inventarium, potest etiam uti beneficio Legis falcidiæ, detrahendo quartam partem hæreditariæ suæ portionis ex rebus legatis: non autem detrahere potest Falcidiam de eo, quod pœnæ causâ adjectum est; quia hæc quarta in pœnis locum non habet, *Gl. in cit. c. Raynaldus*; *V. Beneficio Legis Falcidiæ*; verùm de Falcidia plura dicentur infrà.

SECTIO IV.

DE LEGATIS, ET FIDEICOMMISSIS particularibus.

Legata ordinariè relinqui solent in Testamentis, vel Codicillis, ideóque de illis etiam hîc breviter aliquid dicendum.

§. I.

Quid sit legatum, & an res aliena legari possit?

LXXXI. Assertio 1. Legatum sumptum, non pro re legata, sed pro actu legandi, definitur in *l. Legatum*; 15. *ff. de legat. 2.* & §. 1. *Instit. eod. Est donatio quædam testamento, vel melius, à defuncto relicta, ab hærede præstanda.* Donatio hîc accipitur late, pro omni gratuita datione, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, per quam particulam excluditur hæreditas; quia habet onera adjuncta, non item legatum, quod est gratuita, & liberalis donatio. Additur *quædam*, quia legatum est donatio rei alicujus particularis, quæ hæreditaris rationem non habet, ut excludatur fideicomissum universale, cui aliàs tota definitio conveniret, *Laym. Lib. 3. tr. 5. c. 10. n. 1.* Donatio item importat jus directum, ideóque verbis directis fit, in quo etiam distinguitur à fideicommisso particulari, quod verbis obliquis, sive indirectis relinquitur. Differt legatum tum à donatione inter vivos, quæ non à defuncto relinquitur: sed à vivo donatore fit, robúrq;, ac firmitatem habet, ita ut revocari non possit, legatum verò revocari potest *l. Si quis*; 3. §. *fin. ff. de adimend. legat.* tum à donatione mortis causâ, quæ etiam à vivente transit in donatarium, quamvis ante mortem illius non sit firma, sed revocari possit, & donatio causâ mortis conventionem, sive acceptationem exigit, *l. Senatus*; 95. §. *Ergo qui mortis*; ibi: *negotium gerit. & l. Inter*; 38. *ff. de mort. caus. donat.* In legato verò nullum negotium geritur, sive conventio fit, idque verbum *relicta*, confirmat; nam relinqui propriè dicuntur, non quæ mutuo duorum, vel plurium consensu: sed unius solùm voluntate, post mortem suam in alium conferre volentis transeunt, *Zæs. ff. de legat. num. 9.* Distinguitur etiam legatum ab hæredis directa institutione; quia hæreditas, non ab alio quodam, sed ab ipso testatore immediatè: legatum verò ab hærede accipitur. *Molin. tract. 2. dis. 193. num. 2.* Verùm cùm hodierno jure legata relinqui possint, non solùm in testamento: sed etiam in Codicillis, instar fideicommissorum, *l. Et in Epistola*; 22. *C. de fideicom.* & non tantùm ab hærede: sed etiam à Legatario, & hæredis hærede, imò etiam testatore legata interdum præstentur, *l. Hujusmodi*; 84. §. *Si Titio ff. de legat. 1.* ideò nonnulli Dd. censent, verba illa, *ab hærede præstanda*, suppositicia esse, & expungenda, quippe, quæ Juri antiquo magis: quàm hodierno conveniant. *Zæs. c. l.* Porrò legatum à fideicommisso particulari non differt quoad rem, & effectum: sed solùm quoad verborum formam: nam si verba testatoris dirigantur ad Legatarium, ut si dicat, lego, vel relinquo Titio hoc vel illud, dicitur legatum: si verò ad hæredem, vel etiam Legatarium, quibus rogentur, vel jubeantur: ut talem rem dent alteri tertio, dicitur fideicommissum particulare; jure enim novo omnia legata fideicommissis sunt exæquata, ut nulla sit inter ea differentia, §. *Sed neque*; *Inst. de leg. l. 1. ff. de leg. 1.* Quare quæ de legatis dicenda sunt, similiter de fideicommissis particularibus sunt accipienda, quæ nomine legatorum hoc loco comprehenduntur, *Molin. cit. dis. n. 1.*

LXXXII.

LXXXII. Assertio secunda. Res aliena, quæ ad omnino extraneum pertinet, qui nec hæres est, nec Legatarius, legari potest à testatore, §. *Non solùm; Instit. de legat. & l. Cùm rem alienam* 3 10. *C. eod.* Ubi tamen distinguendum est, nam si quis rem alienam ignorans legavit, tanquam suam, nec res, nec ejus æstimatio debetur: sed propter errorem vitiatur legatum, quia si Testator sciviſſet, esse alienam, fortè non legâſſet, *cit.* §. *Non solùm*; si verò sciens rem esse alienam, seu in ea nullũ jus se habere, legavit, valet legatũ; quia censetur hæres gravatus, ut rem justo pretio sibi comparet, & Legatario tradat, vel si id efficere non possit, quia dominus non vult rem vendere, vel nonnisi immodico pretio, justam ejus æstimationem (arbitrio Judicis, *l. Qui quatuor*; 30. §. *fin. ff. de legat.* 3.) Legatario solvat hæres, *cit.* §. *Non solùm*; *& l. Non dubium*; 14. *in fine. ff. de legat.* 3. Idque statutum est ob favorem Testamenti, & ultimæ voluntatis, ut effectum sortiatur: dummodò res, quæ legata est, sit in commercio hominum; nam si res sit talis, cujus commercium non est, quia vendi non potest, vel non solet, sive alienari, non valet legatum, cujusmodi sunt res sacræ, & religiosæ, vel publicæ, ita ut nec res ipsæ, nec earum æstimatio debeatur, *cit.* §. *Non solùm*; non res; quia eæ commercijs non sunt expositæ: nec æstimatio, nam earum rerum, quæ vendi non possunt, nulla fieri potest æstimatio, *l. Cùm servus* 39. §. *Constat. usque ad finem*; *ff. de legat.* 1.

LXXXIII. Porrò Legatarius debet probare, quòd testator sciverit, rem esse alienã, nõ autem hęres, quòd ignoraverit esse alienam; quia necessitas probandi incumbit ei, qui agit, *cit.* §. *Non solùm*; *in fine*, cùm enim eo fine sit inventa testamenti factio, ut de re sua propria quisque testari possit, *l. Verbis*, 120. *ff. de V. S.* obstat Legatario juris præsumptio, quòd testator rem non legâsset, si alienam esse, sciviſſet, ideóq; hanc præsumptionem per contrariam probationem enervare cogitur Legatarius, nam juxta *Reg. jur.* 47. *in 6. præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* Verùm hæc præsumptio per aliam præsumptionem tollitur, nam si quis rem alienam, per errorem putans esse propriam, leget personæ conjunctæ v. g. uxori, cognato, affini &c. valet legatum, etiam ab ignorante relictum; quia ei legaturus fuiſſet, etsi sciviſſet rem alienam esse, *l. Cùm rem* 10. *C. de legat.* quæ autem hîc dicatur persona conjuncta, Judex arbitrabitur, *Gl. ibid. V. Vel uxori.*

LXXXIV. Extenditur autem prædicta assertio, quòd non tantùm de Jure Civili: sed etiam Canonico legatum rei alienæ subsistit, prout colligitur ex *c. Si Episcopus*; 5. *caus.* 12. *qu.* 5. Ubi legatum rei alienæ, etiam ad proprietatem Ecclesiæ spectantis, valet, si æstimatio ejus domino solvatur, vel alia res ejusdem valoris ei detur. Neque enim differentia inter Jus Civile, & Canonicum est inducenda sine necessitate, & nisi aliud Jure Canonico sit expressum. Sed neque Lex Civilis generaliter disponens, quòd Testator possit legare rem alienam, ita ut sciens rem, quam legat, esse alienam, velit, ut hæres rem illam à Domino emat, vel si is vendere nolit, æstimationem illius Legatario solvat, injusta censeri potest; cùm Domino rei nulla injuria fiat, nam is invitus rem suam vendere non cogitur, *Covarr. in c. Filius* 3 5. *nu.* 6. *de testam.*

LXXXV. Verùm multùm obstare videtur, *cit. c. Filius*; *h. t.* ubi testator res quasdam alicujus Ecclesiæ, quas sciebat esse juris, seu dominij alieni, legavit Cathedrali Ecclesiæ Messanæ, sepulturæ suæ causâ: filius testatoris, patre defuncto, easdem res petijt ab Episcopo Messano, & cùm illas obtinere non posset, id conquestus est Papæ Gregorio I. Qui rescripsit: tametsi secundùm Leges sæculares, hæres ad solvendum cogatur, si Testator rem alienam legavit: quia tamen Episcopi, alijque Ecclesiastici, secundùm Legem DEI; non autem Sæculi, vivere debent, injustum videtur, ut ea, quæ ad aliam Ecclesiam pertinere perhibentur, alteri Ecclesiæ legata, ab Episcopo Messano detineantur, qui aliena restituere debuit.

Ex quo inferri videtur, quòd Papa Gregorius, Civilem Legem de solvendo legato rei alienæ, saltem in ordine ad res Ecclesiasticas, & in foro Ecclesiastico observari noluerit, sed eam improbârit.

LXXXVI. Variæ sunt expositiones hujus cap. prout videre est apud *Abbat. & Covarruv. ibid.* Prima expositio est, quam tradit *Gl. fin. in cit. c. Filius*; quòd res aliena, domino invito, sub prætextu legati, detineri non possit: sed domino restitui debeat, ideóque in casu hujus c. injuria commissa fuerit; quia res legatæ, domino invito, detinebantur, cùm is cogi non possit ad res suas vendendas, ut illæ Legatario, juxta defuncti voluntatem, tradantur: quamvis Legatarius petere possit æstimationem rei alienæ legatæ ab hærede, de quo tamen in nihil dicitur; quia hæres ad æstimationem rei legatæ non tenetur, nisi Legatarius priùs probaverit, Testatorem sciviſſe, rem legatam alienam esse, ut supra dictum. Deinde in casu dicti cap. in specie legatum fuit calix, & puer alterius Ecclesiæ servitio addictus, pro sepultura sua, ut patet ex integra lectione ejusdem cap. ac proinde apparebat, quòd Testator voluerit illas res in specie relinquere pro sua sepultura: & non tantùm æstimationem earum.

Secunda interpretatio est, quòd licèt ordinariè loquendo, validum sit legatum rei alienæ, si Testator scivit illam esse alienam, ita ut saltem æstimatio illius ab hærede debeat solvi Legatario: id tamen non procedit, quando res legatæ sunt tales, quæ vendi, vel alienari facilè non possunt, sive nonnisi magnâ necessitate urgente, quales erant res legatæ, in *cit. c. Filius*; quæ pertinebant ad Ecclesiam, & sine juris solennitatibus alienari non possunt, *Innocent. in cit. c. V. Tenebantur.*

Tertia, eáque cæteris probabilior expositio est, quòd in dicto *c. Filius*; nihil absolutè immutatum sit circa legatum rei alienæ: sed ibi solùm in casu speciali, quando videlicet Testator rem unius Ecclesiæ legavit alteri Ecclesiæ, sepulturæ suæ causâ, & filios hæredes instituit, quibus modica hæreditas, seu exiguum patrimonium relictum fuit, ut patet ex integra lectione hujus c, quam adducit *Fechin. Lib. 5. Controvers. c. 38.* Tunc enim nec ipsæ res legatæ, nec earum æstimatio deberur, *Covarr. ibid. num. ult.*

Porrò illud certum est, valere utroque Jure legatum rei alienæ ad pias causas, ut tradit *Menoch. Lib. 4. de præsumpt. præs. 116. & Barb. in Collect. in cit. c. Filius*; *n. 2. h. t.*

§. II.

An legata possint relinqui nudis verbis, sine scriptura, & hæredis institutione, & quomodo præstanda sint legata incerta?

LXXXVII. Assertio 1. Legata non tantùm ad piam causam, sed etiam ad profanam, nudis verbis, sine hæredis institutione in Testamento facta, aliâve scripturâ, nuncupativè relinqui possunt, pro ut sumitur *ex c. Indicante*; 4. *h. t.* Nam cùm uxor Redempti moriens concham argenteam nudis verbis venundari, & libertis suis dari jussisset, & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisset: S. Gregorius I. mandavit, voluntatem ejus per omnia adimpleri. Ubi per illa verba, *nudis verbis*; *Abb. hic n.* 1. *& Covarr. n.* 1. (præter alias interpretationes, quas adfert) intelligit, quòd legata illa sint relicta nudè; id est, sine Testamento, aliave scriptura, satis enim est, quòd legatum relictum per duos, vel tres testes probari, vel aliter possit. Ratio est; quia licèt aliàs legata pendeant à Testamento, & hæredis institutione, ita, ut si Testamentum corruat, etiam legata tanquam accessoria corruant, & invalida fiant, *l. ex Testamento*; 29. *C. de Fideicommiss. l. ult. §. Illud*; *C. de Codicill. l. Si nemo*; 9. *C. de Testam. Tutel.* Si tamen defunctus, nudis verbis, seu nuncupativè, absque hæredis institutione, nullóve Testamento, vel Codicillo facto, legata reliquit, ea præstari debent; quia sic legans, censetur intestatus velle decedere, & ipsius hæredis ab intestato succedentis fidei committere, ut talia legata solvat, *l. Si quis*; 3. *in princ. ff. de jure Codicill. Abb. in cit. c. Indicante*; *n.* 3. Et tunc nulla testium solennitas requiritur, *l. ult. C. de fideicommiss.* sed sufficit, quòd de voluntate, ac dispositione defuncti obligantis hæredem ad solvendum legatum undecúnque constet, *Gl. in cit. c. V. Nudis verbis Vivian. in Rat. ibid.* Id verò procedit, non tantùm in legatis ad pias causas, sed etiam ad profanas, *Abb. in cit. c. num.* 2. & colligitur *ex eodem cap.* in quo legatum argenteæ conchæ relictum libertis, non fuit factum ad piam causam.

LXXXVIII. Cæterùm legata ad pias causas relicta in Testamento, non pendent ab ejusdem valore: sed nihilominus præstanda sunt, sive Testamentum ab initio irritum fuerit, ob defectum solennitatum, vel postea irritum fiat, aut rumpatur; quia v. g. hæres institutus mortuus est, non aditâ hæreditate, vel quia illam repudiavit, vel ob aliam causam, *& dictum supr. n.* 22. *h. t.* quæ sententia communiter recepta est, non tantùm in terris Ecclesiæ: sed etiam in Imperio Romano, adeóque in utroque foro Ecclesiastico, & Sæculari, ut tradit *Abb. in c. Relatum*; 11. *n.* 6. *h. t. Covarr. in c. Raynaldus*; 18. §. 3. *num.* 11. *casu* 4. *eod. Clarus §. Testamentum, q.* 6. *& alij.*

LXXXIX. Assertio 2. Si legatum relictum sit loco, vel personæ incertæ, v. g. quia duo eodem nomine appellantur, nec colligi potest ex conjecturis, aut circumstantiis, cui illorum potiùs Testator voluerit relinquere, tum tale legatum corruit, *l. Si fuerit*; 11. *l. Si quis*; 28. *ff. de reb. dub. Molin. tract.* 2. *disp.* 197. *num.* 1. ubi tamen *num.* 2. ait, in foro conscientiæ tale legatum esse dividendum inter legatarios, secundùm proportionem dubij, æquitate naturali id exigente. Verùm etsi hoc procedat, spectato Jure naturali præcisè; tamen ob bonum publicum, ad litium occasionem tollendam, contrarium statutum est jure Civili, ut notat *Laym. Lib.* 3. *tract.* 5. *c.* 11. *q.* 3.

Excipiuntur legata pia, quæ ob incertitudinem loci, vel Ecclesiæ, cui sunt relicta, non fiunt caduca, ut constat *ex Auth. de Eccles. Titul. § Si quis in nomine*; *c.* 9. *coll.* 9. ubi statuitur, si quis in DEI honorem hæreditatem, vel legatum reliquerit, neque expresserit, cui loco sit applicandum, id erit illi Ecclesiæ applicandum, in qua ille habebat domicilium, id est, suæ Parochiæ. Item si quis Ecclesiam alicujus Sancti instituit hæredem, & in eo loco inveniantur plures Ecclesiæ illius Sancti, neque expressit, cui applicari debeat, ea applicanda erit pauperiori. Quòd si in loco, in quo Testator habuit domicilium, non inveniatur Ecclesia ejus nominis, inveniatur verò in territorio, illi applicandum erit legatum, vel hæreditas, alioquin verò, si neque in territorio reperiatur, Parochiæ Testatoris. Hæc tamen omnia intelligi debent, nisi ex conjecturis probabiliter colligi possit, cui illorum voluerit Testator relinquere, cujus voluntas inprimis spectanda est, ut quia frequentiùs solebat in illa orare, vel in ea sepulchrum sibi constituit. Si verò de voluntate Testatoris nullo modo constet, & Ecclesiæ ejusdem nominis sint æquè divites, neque magis urgentes conjecturæ adsint pro una, quàm pro alia: tum vel in optione Episcopi erit, legatum applicare illi Ecclesiæ, cui voluerit, vel potiùs dividendum erit inter illas Ecclesias, *Abb. in cit. c. Indicante*; *n.* 4. *h. t. Covarr. ibid. n.* 2. *Molin. cit. disp. n.* 3. *& 4.*

§. III.

Quid sit Falcidia, quomodo deducenda, & quando detrahi non possit?

XC. Assertio 1. Per Legem falcidiam (de qua fit mentio *in c. Raynaldus*; 18. *in fine, h. t.*) cautum fuit, ne plus legare liceat, quàm dodrantem bonorum, hoc est, novem uncias, sive tres partes omnium bonorum, alioqui si ultra legatum fuerit, potest hæres; vel hæredes, si plures fuerint, quartam partem hæreditatis ex legatis detrahere, & retinere, per quod occursum fuit querelæ hæredum recusantium adire hæreditatem, propter nullum, vel minimum lucrum, *princ. Institut. de lege falcid. & l.* 1. *ff. eodem.* Porrò Falcidia detrahi potest, non solùm à legatis: sed etiam à fideicommissis particularibus, *l.* 2. *C. Ad leg. falcid.* quia sunt legatis exæquata, *l.* 1. *ff. de legat.* 1. Imò etiam ex donationibus mortis causâ factis, & *l. pen. C. eod. & l.* 2. *C. de mort. caus. donat.*

XCI. Assertio 2. In computanda hac quarta spectanda est, inprimis quantitas hæreditatis, sive bonorum defuncti, secundùm tempus mortis ejus-

dem, siquidem tunc hæreditas defertur hæredi tanquam domino, & ad illud tempus aditio retrahitur; *l. Omnis hæreditas*; 138. *& l. omnia*; 193. *ff. de R. J.* & tunc etiam cedit dies legati, id est, jus ad legata acquititur. Quare, sive post mortem Testatoris aucta sint bona illius, hæreditate incertâ, & nondum aditâ, sive diminutâ, id non prodest, nec obest legatariis: sed accrescit, vel decrescit hæredi, ejusque commodo, vel damno, §. *Quantitas autem, Instit. de leg. falcid. l. In ratione*; 30. *in princ. l. Cùm quo*; 56. *in princ. l. In quantitate*; 73. *in princ. ff. eod.* quòd si hæreditas ita decrevit post mortem Testatoris, ut hæres non possit quartam detrahere, tunc solida quidem, sive integra legata nihilominus præstare debet hæres, nec quippiam deducere potest: quia tamen non aditâ hæreditate, legata extinguuntur, nec debentur ab intestato, nisi specialiter Testator hoc voluerit; *l. Eam*; 14. *C. de fideicom.* neque etiam legatarij cogere possunt hæredem, ut adeat hæreditatem, *l. Eam quod*; 14. §. *Quare, & l. Cogi*; 16. §. *Et generaliter, ff. ad SC. Trebell.* ideo coguntur legatarij cum ipso hærede de certâ legatorum portione pacisci, ut saltem partem illorum consequantur, *cit.* §. *Quantitas autem*; *Mol. tract. 2. dis.* 213. *n.* 6.

XCII. Præterea priusquàm Falcidia detrahatur à legatis, deducendum est omne æs alienum defuncti; §. *Cùm autem, Instit. de leg. falcid.* etiam, quod ipsi hæredi debetur, tempore mortis; *l. Qui fundum*; 87. §. *Si quis, ff. & l. In imponendâ*; 6. *C. eod. Gl. in cit.* §. *Cùm autem*; *V. Æs alienum*, nisi expressè Testator prohibuerit; *l. Si debitor*; 12. *ff. eòd.* Ratio est, quia legata solvenda sunt ex bonis Testatoris: sed bona non intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt, *l. Subsignatum*; 39. §. 1. *ff. de V. S.* quia neque ipsa legata debentur, nisi ære alieno deducto, *l. Circa*; 66. §. 1. *ff. ad leg. falcid. & l. Successores*; 16. *C. eod.* Deinde deducuntur impensæ funeris, *cit.* §. *Cùm autem*, & quod in morbum est impensum; cùm & illa tanquam debita privilegiata, ante omnia, sint solvenda, *l. 3. C. de Religios. & sumpt. fun.* & aliæ quædam expensæ. His omnibus deductis, imò etiam ijs legatis, in quibus Falcidia locum non habet, hæres, si hæreditate aditâ, inventarium confecit, & legata solvere paratus est, quartam partem, sive totius reliquæ hæreditatis, si unicus ex asse est hæres, sive portionis, in qua institutus fuit, si plures sint hæredes, jus deducendi habet, *Molin. c. l. n.* 19.

XCIII. Assertio 3. Plures sunt casus, in quibus cessat detractio Falcidiæ, quos recenset *Gl. fin. in* §. *ult. Instit. de leg. falcid. Molin. cit. dis.* 213. *nu.* 9. *& pluribus seqq.* Veluti primò, quando Testator expressè prohibuit, ne Falcidia detraheretur, non ignarus modi, seu vitium patrimonij sui, *Auth. de hæred. & & Falcid. c.* 2. §. *Si verò expressim, Coll.* 1. *Auth. Sed cùm Testator, C. ad leg. falcid.* Non obstat, quòd *in c. Raynaldus*; 18. *in fine, h. t.* dicitur, *quòd contra voluntatem Testatoris Lex Falcidia inducatur*, & deduci possit. Nam ut constat *ex l. Titia*; 86. *ff. ad leg. falcid.* non ex voluntate Testatoris: sed potiùs contra illam, ex legis dispositione introducta est deductio Falcidiæ, præsertim in casu *cit. c. Raynaldus*, voluit Testator, ut res legatæ avunculis suis, sine contradictione, & diminutione, integræ illis darentur, ut notat *Gl. fin. ibid.* ac proinde contra ejus voluntatem fuit, ut retineretur, sive detraheretur ex illis Falcidia: & tamen ex juris dispositione deducenda fuit, nisi Testator expressè prohibuerit. Secundò, non potest deduci Falcidia de legatis ad pias causas, *Auth. Similiter, C. ad leg. Falcid. & Auth. de Eccles. Tit.* §. *Si autem hæres, Coll.* 9. Licet *Pichin. Lib.* 5. *Contr. c.* 17. plures Leges Civiles adducat, secundùm quas detrahi potest Falcidia etiam de legatis pijs: monet tamen *Zæs. ff. ad leg. Falcid.* in judicando à communi sententia non esse recedendum, quæ negat, à pijs legatis Falcidiam detrahi posse. Excipit *Mol. c. l. n.* 10. *& alij*: nisi causa, vel locus pius sit hæres institutus, ut Ecclesia, Monasterium, vel pauperes, tum enim ejusmodi hæredes detrahere possunt Falcidiam de legatis pijs; quia quando duo circa eandem rem æquali gaudent privilegio, cessat privilegium, & servatur Jus commune. Tertiò, si hæres intra tempus, & juxta formam à jure præscriptam, inventarium non confecit; non potest Falcidiam detrahere. Quia etsi legata vires hæreditatis excedant, illa hæres integrè solvere tenetur, *Auth. de hæredib. & Falcid. cap.* 2. §. *Hinc nobis, &* §. *Si verò non fuerit, Auth. Sed cùm Testator C. ad leg. Falcid. Mol. c. l. n.* 14. Quartò, si res alicui sit legata, eo modo adjecto, ut alienari non possit: sed perpetuò apud successores ejus, cui relicta est, permaneat, deductioni Falcidiæ non est locus, *Auth. Sed in ea, C. eod.* Quintò, si hæres à Judice admonitus, intra annum Testatoris voluntatem executus non fuit, eo elapso, non solùm jus detrahendi Falcidiam amittit: sed etiam totâ hæreditate spoliari potest, exceptâ legitimâ portione, quæ est debita hæredibus suis, & necessarijs, *Auth. de hæredib. & falcid.* §. *His igitur, &* §. *Hinc nobis, &* §. *ult. Coll.* 9. quæ tamen lex cùm sit pœnalis, non habet locum, nisi post latam sententiam, *Mol. c. l. n.* 15. Sextò, si hæres surripuit, aut negavit, vel detraxit, aut occultavit aliquid de bonis hæreditarijs, in pœnam prohibetur ex omnibus legatis Falcidiam detrahere, *cit. Auth. de hæred. & Falcid. Vers. Hinc nobis.* Septimò, cessat deductio Falcidiæ ex privilegio in milite, qui legata reliquit in Testamento jure militari facto, *l. In Testamento*; 7. *C. ad leg Falcid.* plures casus excepti videri possunt apud *Mol. c. l.*

§. IV.

De portione Canonica debita Episcopo ex legatis piis, & quomodo illa legata distribuenda sint?

XCIV. De hac re agitur *in c. Requisisti*; 15. *h. t.* ubi quæsitum fuit ex Innocentio III. quomodo ea, quæ Testator pro animæ suæ salute in ultima voluntate legavit, inter Episcopum, & Ecclesiam sint dividenda? Ad quod respondet Papa, quòd Episcopus regulariter ex his legatis Ecclesiæ factis, debeat, secundùm diversas locorum consuetudines, tertiam, vel quartam portionem, seu partem habere. Insuper verò considerandum esse, an Testator legaverit hoc modo; *relinquo istud Episcopo*, an verò sic, *relinquo istud Ecclesiæ*, vel *relinquo Episcopo, & Ecclesiæ* (nempe conjunctim) vel denique, *relinquo hoc Episcopo, & illud Ecclesiæ* (separatim) In primo casu distin-

» su distinguendum est, an Episcopo relictum sit le-
» gatum ab extraneo, an à propinquo ejusdem: si ab
» extraneo, ordinariè præsumendum est, esse reli-
» ctum, intuitu Ecclesiæ, non personæ: quare hoc
» casu, Ecclesia Cathedralis potest ex tali legato ca-
» nonicam portionem petere: quemadmodum, &
» vice versâ, Episcopo competit sua portio, si aliquid
» Ecclesiæ sit relictum. Quod tamen limitari debet,
» nisi Testator expresserit, quòd velit illud Episcopi
» tantùm esse, & non Ecclesiæ, tunc enim servanda
» est dispositio testatoris. Secus autem dicendum,
» si dixerit, quòd velit illud esse tantùm Ecclesiæ, &
» non Episcopi; quia privata dispositio testatoris
» non potest generalem Constitutionem Canonis im-
» mutare. Neque huic Constitutioni contrarium est,
» quod legitur in Canone (*Pontifices 33. caus. 12. q. 3.*
» *qui est desumptus ex Concilio Agathensi, c. 6.*) quòd
» si quid Episcopis, vel cum Ecclesia, vel sequestra-
» tim relinquitur, aut donatur, id non quasi pro-
» prium: sed quasi relictum Ecclesiæ computari de-
» beat; quia qui ita relinquit, aut donat pro redem-
» ptione animæ suæ, & non pro commodo Episcopi,
» relinquere, aut donare censetur. Nam hoc verum
» est, si Testator ita separatim leget Episcopo, ut non
» exprimat, quòd velit ad Episcopum tantùm, & non
» ad Ecclesiam pertinere. In secundo verò casu, si
» legatum relinquatur Episcopo à suo propinquo
» (usque ad quartum gradum, vel secundùm alios,
» usque ad septimum, *Gl. hic V. à propinquo*) præsu-
» mitur relictum esse, non intuitu Ecclesiæ; sed per-
» sonæ, nisi contrarium probetur: & tunc Ecclesia
» nihil potest petere ex tali legato, quamdiu Episco-
» pus vivit. In tertio casu, si aliquid relinquatur
» Episcopo, & Ecclesiæ conjunctim, quod relictum
» est, inter Episcopum, & Ecclesiam canonicè divi-
» dendum est. In quarto denique casu, si separatim
» hoc Episcopo, illud verò Ecclesiæ relinquatur, sive
» ea æqualia sint, sive inæqualia, reduci debent ad di-
» visionem canonicam inter Episcopum, & Eccle-
» siam Cathedralem: nisi ambo velint esse dispositio-
» ne testatoris contenti. Id verò decens est, ut fiat,
» (etsi non necessarium, *Gl. hic V. Decens est,*) pro-
» pter ultimæ voluntatis favorem, si fraus, aut do-
» lus nullus intervenerit, & neutra pars nimiùm de-
» fraudetur debitâ portione. Porrò secus dicendum
» est, si quippiam legetur Episcopo, & aliqua Capel-
» lis, vel Monasteriis, vel alijs pijs locis: nam hoc
» casu, quod Episcopo legatur, ejus est præcipuum,
» unâ cum Ecclesia Cathedrali, perinde, ac si cuivis
» alteri legaretur (illúdque dividi debet cum Eccle-
» sia Cathedrali, *Gl. hic V. Legatur,*) nihilominus ta-
» men Episcopus de illis, quæ alijs (scilicet Capellis,
» & Monasteriis) legata sunt, portionem canonicam
» percipiet, quoniam non est tanta communio, seu
» conjunctio inter Episcopum, & Capellas, vel Mo-
» nasteria, quanta inter Episcopum, & Ecclesiam Ca-
» thedralem, cui ipse est spirituali conjugio copula-
» tus, ideóque, quæ Episcopus acquirit, non illis: sed
» Ecclesiæ Cathedrali tantùm acquirit:

» Illud denique observandum est, si quispiam sit
» Clericus, qui proprium possidere potest, nullam
» habens prælationem, vel administrationem, seu cu-
» ram, v. g. Canonicus, eique specialiter aliquid re-
» linquatur, sive à propinquo, sive ab extraneo, illud
» censetur esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed per-
» sonæ, nisi probatio in contrarium afferatur: ideó-
» que ex illo relicto neque Episcopus, neque Ecclesia
» potest intuitu Beneficiarij, sibi aliquid vendicare.
» Et hoc intelligi debet, si fraus non intervenerit, quæ
» si detecta fuerit, patrocinari non debet.

XCV. Pro majore declaratione hujus cap. Notandum primò. Episcopus ex ijs, quæ pro salute animæ, Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis pijs locis intra Diœcesin suam sitis legata, aut mortis causâ donata sunt, potest exigere, & detrahere portionem suam canonicam, quæ communiter quidem est quarta pars, *c. Conquerente, 16. de offic. Jud. Ordin. c. Vulteranæ; 25. & pluribus seqq. caus. 12. q. 2.* In quibusdam autem locis pars tertia, *Abb. hîc n. 15.* quandoque verò est media pars eorum, quæ legantur, vel Ecclesiis obveniunt, ut tradit *Gl. hîc V. Quartam*, Ratio verò est, quia cùm Episcopus sit Caput, & Ordinarius Pastor omnium Ecclesiarum suæ Diœcesis, *c. Cùm Episcopus, 7. de offic. Ord. in 6.* ideo non solùm, si Ecclesiæ suæ Cathedrali: sed etiam alijs inferioribus Ecclesiis, vel locis pijs, v. g. Hospitalibus aliquid relictum sit, pars aliqua, seu portio ex eo ad ipsum spectare debet, *Abb. hîc n. 9.* Hæc autem canonica portio Episcopalis in pluribus locis per contrariâ consuetudinem spatio 40. annorũ cum titulo præscriptam, juxta *c. De quarta, 4. de præscript.* est omninò abolita, vel sine titulo per tempus immemoriale, *Silvest. in summ. V. Canonica portio, q. 2. & 3. de qua etiam dictum supr. Lib. 5. Tit. 31. n. 106.* Ubi autem hæc quarta portio, quæ vocatur etiam mortuariorum, aut funeralium, ante annos 40. solvi solita fuit, etiam posthac solvendam esse, non obstantibus quibuscúnque privilegijs, statuit *Concil. Trid. Sess. 25. c. 13. de refor.*

Notandum secundò. Si Episcopo, vel alteri Prælato, aut habenti administrationem, seu curam alicujus Ecclesiæ, vel loci pij, aliquid legatum sit, aut mortis causâ relictum, censendum est, esse legatum pium, adeóque intuitu Ecclesiæ relictum fuisse, etiamsi expresso tantùm nomine proprio Prælati, vel Administratoris ei sit relictum, *Gl. hîc V. Nec est, & Abb. n. 23. Mascard, de probat. concl. 967. n. 2. & 4.* Excipe, nisi ex conjecturis appareat contrarium, ut quia legatum factum est Episcopo, vel Prælato sanguine conjuncto, vel etiam valde amico, seu familiari ipsi Testatori; tunc enim intuitu personæ, & non Ecclesiæ illud relictum fuisse, censeri debet, etiamsi sub nomine appellativo Dignitatis, vel Officij ei sit relictum, *Abb. hîc n. 8. & 24. Covarr. ibid. n. 1. & 7. Mascard, c. l. n. 6.* Quamvis verò hæc præsumptio sit juris, non tamen est de jure, adeóque probationem in contrarium admittit, eáque per contrarias conjecturas fortiores, & magis urgentes elidi potest, ostendendo, quòd etiam à propinquo, vel valde amico Episcopo, aut alteri Prælato, vel Administratori, non personæ, sed Ecclesiæ intuitu, legatum sit relictum, *cit. c. Requisisti*; & sumitur *ex c. Litteras, 13. de præsumpt.* Tales conjecturæ sunt, si v. gr. propinquus exprimat, se legare Episcopo, vel alij Clerico administrationem habenti, ob salutem animæ suæ, vel ob favorem Ecclesiæ, aut si legaret ei, v. g. sacrum calicem, tunc enim ratione causæ, vel qualitatis rei legatæ, etsi propinquus sit, præsumitur contemplatione Ecclesiæ reliquisse, *Masc. c. l. n. 9. & 11. Barb. in Collect. in cit. c. Requisisti, n. 4.* Contra verò, si quis etiam extraneus legaret, vel donaret Episcopo, v. g. canem

venaticum, vel falconem, ex qualitate rei legatæ, vel donatæ, potest præsumi, quòd non contemplatione Ecclesiæ, vel Dignitatis, sed personæ res sit relicta, *Abb. hîc n.* 20. Quod autem dictum est, si quid legatum, vel mortis causâ donatum sit Episcopo, vel alij Clerico administrationem habenti ab extraneo, censeatur intuitu Ecclesiæ esse relictum: si verò à propinquo, intuitu personæ, id etiam ad donationem inter vivos ob parem rationem extenditur, *Abb. c. l. n.* 25.

Notandum tertiò. Si Episcopo quidpiam intuitu Ecclesiæ, aut ratione Episcopalis Dignitatis legatum, aut mortis causâ sit donatum, portio aliqua ex eo debetur Ecclesiæ Cathedrali, non item alijs Ecclesiis inferioribus, non Cathedralibus; quia nimirum Episcopus majorem conjunctionem habet cum Ecclesia Cathedrali, quàm cum alijs inferioribus Ecclesiis sibi subjectis. At verò si inferiori Ecclesiæ aliquid legatum sit, vel mortis causâ relictum, etiam portio aliqua ad Episcopum pertinet, tanquam ad Caput, & Pastorem ejusdem, ut patet ex dictis.

XCVI. Notandum quartò. Si aliquid sit legatum, vel mortis causâ relictum Ecclesiæ tantùm, excluso Episcopo, nihilominus ex eo Episcopus portionem canonicam exigere potest; quia hæc portio est debita Episcopo ex dispositione Canonis, seu Juris publici, cui per privatam hominis dispositionem derogari non potest, *arg. l. Jus publicum* 38. *ff. de pact.* ideóque Testator non potest aliquid Ecclesiæ relinquere, eâ conditione, ut Episcopus inde suam portionem non accipiat, *Abb. hîc n.* 21. ubi *n.* 22. ait: fundatorem Beneficij non posse statuere, ut institutio, vel confirmatio ad alium pertineat, quàm ad Episcopum, vel eum, ad quem secundùm Canones pertinere debet; at verò potest, vice versâ, Episcopo aliquid legari, vel donari mortis causâ, ita, ut ad eum solum pertineat, & nihil ad Ecclesiam; quia sicut alteri cuilibet legari, vel donari potest, ita & personæ Episcopi, & contemplatione illius tantùm, non verò Ecclesiæ, nullibi enim jure cautum reperitur, quòd ex eo, quod relictum est personæ Episcopi, debeatur portio Ecclesiæ: sed potiùs innuitur contrarium, ut patet de eo, quod relictum est Episcopo à propinquo, *Abb. c. l. Gl. hîc V. Secus autem.*

Nontandum quintò. Si Canonicis Capitularibus seorsim, & personaliter quippiam legetur, vel mortis causâ relinquatur, tum intuitu personæ relictum censetur, adeóque Episcopus nullam inde portionem percipere potest; dummodò id non fiat in fraudem: Sin autem Canonicis conjunctim, seu Catulo quippiam relinquatur, tunc intuitu Ecclesiæ id relictum esse, censeri debet, ideóq; Episcopus propter unionem Capitis cum Corpore, portionem suam habere debet, *Imol. in cit. c. requisisti; n.* 30. *arg. l.* 2. *ff. de reb. dub. & ibi Bart. n.* 3. ubi dicitur, quòd legatum relictum Civibus (conjunctim scilicet, non personaliter, seu seorsim singulis) Civitati, seu Universitati relictum videatur. Videri potest *Gl. in c. Pontifex;* 3. *caus.* 12. *q.* 3. *V. Ab extraneis, & in cit. c. Requisisti; V. Nec est.*

Notandum sextò. Si quid Clerico, seu Beneficiario sæculari, qui proprium habere potest: sed nullam habet prælationem, vel administrationem Ecclesiæ, sive à propinquo, sive ab extraneo legetur, aut mortis causâ relinquatur, v. g. Titio Canonico, censetur legatum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ factum, nisi ex conjecturis contrarium probetur: & idcirco ex illo, nec Episcopus, nec Ecclesia potest, dum is vivit, sibi aliquid vendicare, *cit. c. Requisisti; in fine, & ibid. Abb. n.* 13. *Bart. in cit. l.* 2. *n.* 1. *Masc. cit. concl.* 967. *n.* 12. *&* 13. Sed post mortem illius Canonici, vel Beneficiarij, si intestatus decedat, & propinquos non habeat, in hoc, sicut, & in alijs bonis ejus, succedit Ecclesia, *c.* 1. *de success. ab intest. c. ult. caus.* 12. *q.* 5. *Gl. fin. in cit. c. Requisisti.* Aliud verò dicendum de ijs, quæ legantur, vel donantur Religiosis, qui proprium habere non possunt; ea enim censentur relicta, vel donata Ecclesiæ, seu Monasterio, eíque acquiruntur, *l. DEO* 55. §. *Hujus autem, C. de Episc. & Cler. Bart. in cit. l.* 2. *in fine, Masc. c. l. n.* 23.

XCVII. Præterea *in c. Officij* 14. *h. t.* quæsitum fuit ex Innocentio III. Si quis in Testamento reliquit Episcopo suo propiam portionem, & alia multa Monasteriis, vel alijs, utrùm Episcopus, non obstante, quòd propriam portionem ex Testamento est consecutus, etiam Legitimam, seu Canonicam portionem ex alijs pijs legatis, seu relictis in illo Testamento petere possit? Ad hoc respondet Papa, si Testator propriam portionem aliquam legavit Episcopo, cum ea conditione, ut illâ solâ esset contentus, & Episcopus acceptavit, non potest Canonicam portionem ex alijs pijs relictis accipere; quia per hoc alijs renunciâsse videtur. Si verò Testator portionem Episcopo absolutè reliquit: tum nihilominus portionem sibi debitam ex alijs legatis, ac relictis petere potest. Sin autem constet, quòd Testator in fraudem, modicum quid pro mortuario, seu funeralibus constituerit, ut in cæteris Episcopus Canonicâ portione privaretur, nihilominùs Episcopus ex alijs pijs relictis portionem à Canone constitutam (*c. In nostra* 10. *de sepult. & c. ult. h. t.*) exigere potest; quia dolus, & fraus alicui patrocinari non debent, salvis tamen privilegiis, quæ quibusdam Regularibus à Rom. Pontifice sunt concessa, de quibus infra *Tit. de sepult.*

XCVIII. Hinc patet, quòd tria asserantur in hoc cap. Ratio primæ assertionis est, quia quilibet juri suo, seu favori renunciare potest, si ergo Episcopus portionem, sibi legatam, eâ conditione, ut illâ solâ contentus, portionem Canonicam, quæ ipsi ex funeralibus, & similibus pijs legatis debetur, petere nolit, accceptavit, per consequens portionem Canonicam ex alijs pijs relictis Episcopus petere non potest, quippe cùm illi renunciâtit. Ratio secundæ assertionis est, quia Episcopus portionem sibi absolutè legatam accepit ex voluntate Testatoris: alteram verò ex pijs legatis, & funerabilibus accipit ex Constitutione Canonis à legatarijs, seu Ecclesijs, quibus aliquid legatum est, vel mortis causâ relictum, ac proinde dum Episcopus portionem sibi absolutè legatam acceptat, non potest censeri, alteri portioni, quæ sibi, & alijs pijs relictis debetur, renunciare; cùm renunciatio sit stricti juris, neque sine necessitate asserenda sit.

Sed neque quando Testator portionem aliquam absolutè reliquit Episcopo, potest dici, quòd illam reliquerit, animo compensandi cum portione debita ex alijs relictis, seu legatis, eò quòd quando debitor aliquid relinquit suo creditori, videtur in dubio relinquere, animo compensandi debitum, *arg. l. Cum dotem;*

dotem; 22. §. *Si pater*, *ff. solut. matrim.* ubi dicitur, quòd si pater tenebatur dare dotem filiæ, & aliquid ei reliquit in Testamento, non potest filia petere integrum legatum, & dotem; quia legâsse videtur, animo compensandi dotem debitam. Nam respondetur, quòd Testator non est debitor Episcopi, nec voluntarius, nec necessarius; quia portio Canonica non debetur illi à testatore: sed ab Ecclesiis, quibus legatum est relictum, ut patet *ex c. Requisisti*; 15. *h.t.* Quæres Testator aliquid absolutè reliquit Episcopo, non potest dici quòd reliquetit, animo compensandi debitum, cùm ipse non sit debitor Episcopi, si ergo vult compensationem fieri, debet id exprimere, & legare, adjectâ conditione, seu pacto, ut Episcopus sit contentus portione legatâ, ut patet ex prima parte hujus cap. *Abb. hîc n.* 4. Confirmatur *ex l. unic.* §. *Primùm itaque*, *Vers. Sciendum*, *C. de rei uxor. act.* ubi dicitur, si maritus absolutè legavit uxori, quòd censendus non sit reliquisse, animo compensandi dotem, quæ matrimonio soluto, ex Lege ipsi restitui debet: sed quòd utrumque petere possit, nisi aliud exprimatur in Testamento.

Denique quod ad tertium assertum attinet, si Testator plura reliquit Ecclesiis: sed tali modò, ut portio Canonica ex illis Episcopo non debeatur; quia v.g. non pro animæ salute, sed pro servitio sibi ab Ecclesia præstito reliquit, vel ex alia causa, in qua portio canonica non debetur Episcopo: constet autem, ipsum hoc in fraudem fecisse, ut Episcopus defraudetur portione illâ canonicâ, tunc nihilominus illa Episcopo ex talibus relictis dari debet, prout habetur, *in c. ult. h.t.* & tradit *Innoc. in cit. c. Officij*; *in fine*, & ex mox dicendis patebit.

XCIX. Postremò *in c. De his*; 20. *& ult. h.t.* enumerantur quædam legata pia, ex quibus non solvitur canonica portio Episcopo, aut Ecclesiæ Parochiali, nam ut ibidem dicitur: Ex his, quæ pro » ornamentis Ecclesiæ, vel pro Fabrica, aut luminibus, aut pro Anniversario, septimo, vigesimo, tricesimo die, aliisque ad perpetuum cultum Divinum pertinentibus legantur Ecclesiis, vel alijs pijs locis (v.g. Xenodochijs Episcopi auctoritate erectis) Canonica portio deduci non debet: dummodo non in fraudem talia legata fiant, ut Episcopus, vel Ecclesia Parochialis suâ portione debitâ defraudetur. Nam tunc ea portio etiam ex prædictis legatis detrahenda esset. Consentit c. *Ex parte*; 31. *de V.S.* Ratio autem cur de hujusmodi legatis, vel relictis non deducantur portiones canonicæ, est favor Religionis, & reverentia Divini cultûs, *Gl. fin. hîc.*

C. Prædictis addendum primò, si Testator nihil reliquit Ecclesiis, vel alijs pijs locis, nullam portionem potest Episcopus petere, nec ipse tenetur aliquid legare Ecclesiæ pro Canonica portione; cùm id nullo jure sit expressum, *Abb. in cit. c. Officij*; 14. *h.t.* Secundò, de ijs, quæ Monasteriis, Ecclesiis, vel alijs pijs locis donata sunt inter vivos, nulla portio debetur Episcopo; quia Canones supra allegati tantùm loquuntur de relictis in Testamento, vel aliâ ultimâ voluntate, *Gl. fin. inc.* 1. *de statu Manoch. Abb. in cit. c. Requisisti* 3 *n.* 17. *h.t. Molin. tract.* 2. *dis.* 215. *n.* 2. Tertiò, non potest Episcopus petere portionem canonicam ab Ecclesiis, vel Monasteriis intra ejus Diœcesin sitis: sed ab ejus jurisdictione exemptis, ut dictum supra *Lib.* 1. *Tit.* 31. *num.* 106. etsi contrarium spectato jure antiquo, non sit improbabile, ut docet *Hostiens. in summ. Tit. de sepult num.* 12. *Laym. Lib.* 3. *tract.* 5. *c. ult. nu.* 13. tum quia *in cit. c. Officij*; *h.t. & c. Constitutum*; 60. *junct. Gl. V. Tertium*, *caus.* 16. *q.* 1. indistinctè dicitur, tertiam, aut quartam ex ejusmodi obventionibus Ecclesiarum intra Diœcesin sitarum Episcopo deberi; tum quia S. Pontifex per privilegium exemptionis non censetur derogare solitis Episcoporum obventionibus, nisi id exprimat, *arg. c. Dudum*; 31. *de decim. in fine*, ubi *Gl. V. Nullatenus*, ait, nunquam enim censetur derogari juri alterius, nisi id exprimatur.

SECTIO V.

DE EXECUTIONE TESTAMENTI, & aliarum ultimarum voluntatum.

§. I.

Quis possit, & esse debeat Executor Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis?

Præmittendum, Executores Testamentorum alij ab ipso Testatore dantur in Testamento, & vocantur Testamentarij Executores: alij dantur à Jure, sive Lege, qui Legitimi vocantur: alij denique à Judice, seu Magistratu constituuntur, & hi Dativi appellari solent, sicut de Tutoribus jura loquuntur.

CI. Assertio 1. Si nullus Executor sit nominatus à Testatore, executio Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis pertinet ad hæredes Testatotis defuncti, etiam quoad legata pia, ut colligitur *ex c. Nos quidem*; 3. *ibi: fœmina ejus hærede*, *& ibid. Abb. not.* 1. *& ex c. Si hæredes*; 6. *h.t.* Excipiuntur ea, quæ pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis sunt relicta: horum enim executio, non ad hæredes: sed ad Episcopum loci (originis, vel domicilij testatoris) tanquam patrem pauperum, & miserabilium personarum spectare debet, si nullus alius Executor sit designatus, ut patet *ex l. Nulli*; 28. *& ibi Gl. V. Oritur C. de Episc. & Cleric. junct. Auth. de Ecclesiast. Tit.* §. *Si quis ædificationem*, *c.* 10. *collat.* 9. *Abb. in cit. cap. Nos quidem*; *n.* 4. *& Covarr. ibid. num.* 8. *h.t. Molin. tract.* 2. *de just. dis.* 247. *num.* 2. *& 3.* spectanda tamen est in hac re cujusque loci consuetudo, *Laym. Lib.* 3. *tract.* 5. *c.* 11. *q.* 1.

CII. Assertio 2. Executores Testamenti constitui possunt à Testatore, unus, vel plures, sive ex hæredibus, sive ex aliis extraneis, *Molin. c. l. num.* 6. & non tantùm mares, sed etiam fœminæ, ut colligitur *ex cit. c. Nos quidem*; *h.t. & l. A filio*; 15. *ff. de aliment. legat.* Quòd si uxor à priore marito executrix sit constituta, non ideo amittit jus exequendi, quòd ad secundas nuptias transeat, ut post *Bart.* docet *Covarr. in c. Tua*; 17. *h.t. nu.* 3. *Molin. c. l. n.* 13. *&* 14. sed & minor XXV. annis Executor Testamenti esse potest, modò XVII. annos excesserit; quia hæc ætas sufficit, ut quis sit Procurator ad negotia, *c. Quia generaliter*; 5. §. *fin. de procur. in* 6. *Covarr. c. l. n.* 4. *Mol. c. l. n. ult.*

Denique non tantùm Laici: sed etiam Clerici, imò & Religiosi executores Testamenti, etiam ad causas profanas conditi, esse possunt, ut colligitur *ex cap. Tua*; 17. *& c. Joannes*; 19. *h. t.* quia exequi justam voluntatem defuncti, inter pia opera, numerari solet; ut infra dicetur. Et possunt constitui executores etiam Laici, & Clerici, vel Religiosi simul, sive Testator sit Clericus, sive Laicus; nam licèt aliàs in uno eodémque officio non debeat esse dispar professio, *c. In nova*; 22. *caus.* 16. *q.* 7. id tamen non procedit, quando, qui diversæ professionis sunt, admittuntur ad aliquid agendum, non ut Collegium, vel ut Corpus unitum: sed ut singuli, ac diversa Capita, tum enim non obstat, quòd diversæ professionis sint, modò utraque professio per se sit habilis, ad id agendum, *Jo. Andr. in c. pen. n.* 19. *h. t. & Silvest. V. Testamentum*; 2. *q.* 1. *dicto* 2. *&* 4.

» CIII. Assertio 3. Si pluribus à testatore sim-
» pliciter (sine clausula, ut ipsi, vel eorum alter
» procedat, aut si non omnes) deputatis executori-
» bus, unus eorum sit mortuus, vel in remota Re-
» gione degens (vel ob aliud impedimentum) non
» possit, aut etiam nolit exequi, ne testatoris volun-
» tatem diu impediri, vel nimis differri contingat,
» tum potest alter, vel alius deputatus Officium exe-
» cutionis injunctæ liberè exequi, nisi Testator aliud
» expresserit, ut quia vetuit, ne unus sine altero ad
» executionem procederet, prout statutum habetur
in c. Religiosus; 2. §. *Sanè junct. Gl. V. Expresserit*, *h. t. in* 6.

Idque procedit, non tantùm si duo executores, sint constituti: sed etiam si plures, v. g. tres, quatuor, quinque, aut sex, pari, vel dispari numero; tunc enim unus etiam solus, si omnes cæteri sint impediti, aut exequi recusent, potest ad executionem procedere, ut docet *Francus in cit.* §. *Sanè*, *num.* 5. *Versic. Tu adverte*, *h. t. in* 6. quia Textus indefinitè loquitur, non de duobus tantùm, sed pluribus, nempe quòd si plures deputati sint executores, & unus illorum exequi non possit, vel non velit, alius exequatur; ne voluntas testatoris impediatur, vel diu differatur, quæ ratio generalis est, & locum etiam habet in hoc casu.

CIV. Hinc præterea Colligitur primò, quòd mors, & remota absentia æquiparentur, quoad tribuendam potestatem propter impedimentum alterius, ut notat *Franc. in cit.* §. *Sanè*, *n.* 2.

Colligitur secundò, si impedimentum non sit diuturnum, ut quia absens Executor non longè distat, debet is vocari, & exspectari; & si in termino assignato non venerit, potest procedere ad executionem qui præsens est, & non impeditus. Si verò remotus sit (quod arbitrio boni viri determinari debet) vel nolit exequi, etsi posset, non debet vocari, nec exspectari: sed statim ad executionem alter procedere potest, *Gl. in cit. c. Sanè*, *V. In Remotis*, *junct. Gl. Marg. lit. F. & Franc. nu.* 3. *not.* 4. idque statutum est; quia interest Reipublicæ, ut voluntates defunctorum executioni mandentur, *l. Vel negare*; 5. *ff. quemadm. testam. aperiant.*

Colligitur tertiò, quamdiu unus ex deputatis executoribus vult, ac potest exequi voluntatem defuncti, licèt alij nolint, vel non possint exequi, Episcopus non potest se immiscere, nec in locum eorum alios executores substituere, *Franc. in cit.* §. *Sanè*, *n.* 4. ubi addit, quòd inter executores quoad eorum officium jus accrescendi habeat locum, nisi Testator id expressè prohibeat, ut patet *ex eod.* §.

CV. Porro quod dictum est, pluribus executoribus simpliciter datis, non posse unum exequi sine altero, vel alijs, nisi ille, vel illi nolint, vel non possint exequi: id non habet locum, si executio alicujus rei sit certa, & expedita, ut quia Testator dixit, Titio pauperi lego centum, tunc enim unus solus potest exequi, & solvere legatum sine altero, etiamsi hic id prohiberet; quia non refert, per quem fiat mera executio facti: si verò executio, vel modus exequendi sit incertus, tunc unus, sine altero, non debet exequi, quando non sunt dati executores in solidum, ut singuli seorsim exequi possint. Quod si hoc casu sint discordes in relictis ad pias causas, Episcopus: in profanis verò, Judex loci litem dirimat, *Franc. c. l. n.* 5. Similiter si Executor datus sit ad rem certam, & in certo loco executioni mandandam, potest is eam alteri committere, & per alium tanquam Ministrum exequi, *arg. cap. Is cui*; 12. *de offic. deleg. in* 6. alioqui verò per ipsum, & non per alium executio fieri debet, *arg. c. Tua*; 17. *ibi: Per manus eorum*, *h. t. & l. Nullus*, 2. *ibi: Pro sua conscientia*, *C. de Episc. & Cleric.* idque quia fides, & industria personæ est electa, *Jo. Andr. in cit. c.* 2. §. *Sanè*, *n.* 6. *h. t. & ibid. Anchar. q.* 3.

§. II.

Quo pacto Religiosi possint esse Executores Testamentorum?

CVI. Assertio 1. Religiosi possunt esse Executores Testamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, sive ad pias: sive etiam ad profanas causas: sed non nisi cum licentia sui Superioris, prout statuitur *in c. Religiosus*; 2. *h. t. in* 6. *in princ.* ubi dicitur: » Religiosus (sive Monachus sit, sive Canonicus » Regularis, Ordinis mendicantis, vel non, *Gl. hic* » *V. Religiosus*,) ab aliquo (Clerico vel Laico, *Gl. ibid.* » *V. Ab aliquo*) in sua ultima voluntate deputatus » Executor, non potest, cùm velle, & nolle non ha- » beat, hujusmodi officium suscipere, vel exequi, » nisi à suo Superiore, petitâ super hoc licentiâ, & ob- » tentâ. Idem habetur *in Clement. unic. h. t.* »

Quòd autem Religiosi executores esse possint, etiam ad legata profana, cum licentia Superioris, patet ex eo; tum quia Textus allegati generaliter, & indistinctè loquuntur de executione ultimæ voluntatis: tum quia tale officium, etiam circa causas profanas, est opus pietatis, & misericordiæ, ideóque Religiosum non dedecet, *Gl. in cit. c.* 2. *V. Obtenta*, *& ibid. Franc. num.* 1. *Sanch. Lib.* 6. *moral. c.* 11. *n.* 6. Idque approbat consuetudo, quæ tolerari potest, dummodò per hoc Religiosi non abstrahantur à servitio Divino, *Jo. Andr. in c. pen. n.* 18. *h. t.*

CVII. Limitatur autem dicta Assertio primò, ut solùm procedat de Religiosis claustralibus, qui enim extra claustra degunt, & alicui Beneficio perpetuo, seu Ecclesiæ sæculari sunt addicti, possunt, sine Superioris licentia, hoc munus obire; quia non sunt sub Abbatis, seu Prælati obedientia, ideóque in illis cessat ratio prohibitionis, cùm proprium habeant velle, ac nolle, *Gl. in cit. c.* 2. *in princ. V. Religiosus*, *& ibid. Franc. n.* 5. *Sanch. c. l. n.* 4.

Limitatur secundò, nisi sit ipse Superior Religionis, v. g. Abbas, Prior, vel Quardianus; is enim potest,

potest, absque Superioris sui, v. g. Provincialis, vel Generalis licentia, munus Executoris suscipere, & exercere; quia hujusmodi Superiores possunt uti omnibus facultatibus, quas subditis suis concedere possunt: nisi aliud sit in aliqua Religione statutum, vel consuetudine inductum, *Silvest. V. Testamentum*; 2. q. 2. *dicto* 1. *Molin. cit. disp.* 247. *n.* 9. *Sanch. c. l. n.* 5.

CVIII. Assertio 2. Superior, qui licentiam dare potest Religioso, acceptandi munus Executoris Testamentarij, in Religionibus exemptis, est Prælatus Ordinis, & quidem etiam immediatus, nisi consuetudo, vel Constitutiones Ordinis præscribant, ut hæc licentia à solo mediato Superiore sit petenda, *Franc. in cit. c.* 2. *in princ. in* 6. *Sanch. c. l. n.* 15. *&* 16. quomodo in Societate Jesu nullus Superior, præter Præpositum Generalem, hanc licentiam concedere potest, ut constat *ex Constitut. par.* 6. *c.* 3. §. 7. *in declarat. lit. B.* In Religionibus verò non exemptis hanc licentiam dare potest, non tantùm Prælatus Ordinis: sed etiam Episcopus, quippe qui Prælato Conventuali Superior est: præsertim si Prælatus, seu Superior Ordinis sit mortuus, quam etiam dare potest; Episcopali Sede vacante, Capitulum, seu Conventus, si succedat in jurisdictione Prælati, vel Administrator, juxta Constitutiones cujusque Ordinis, *Franc. c. l. n. ult. Sanch. n.* 19. *&* 20. Porro etsi Superior possit licentiam subdito concessam, ut possit obire munus Executoris, revocare, etiam re non ampliùs integrâ, ita, ut Religiosus non possit ulteriùs progredi: sed teneatur obedire; illicitè tamen agit, si sine legitima causa eam revocet, quia injuriam infert ijs, quorum interest rem cœptam ad finem perduci, ideóque cogi potest non revocare, *Silvest. c. l. q.* 2. *dicto* 2. *Mol. cit. disp. n.* 10. *Sanch. c. l. n.* 10.

CIX. Ubi præterea quædam addenda sunt, & notanda. Primò. Gesta à Religioso, qui sine licentia Superioris, munus exequendi suscepit contra prohibitionem Canonum, sunt valida; quia adest sufficiens voluntas, & consensus Testatoris, & Executoris, spectato jure naturali: & licèt Canones probibeant, non tamen irritant executionem factam, *Sanch. cit. c.* 11. *Laym. cit. c.* 11. *n.* 5. quia quamvis Religiosus licitè non possit aliquid velle, vel nolle, sine licentia Superioris, habet tamen consensum, vel dissensum naturalem, qui sufficit ad valorem actûs, dum is nullo jure irritatur; licèt contrarium probabiliter teneant, *Franc. in cit. c.* 2. *n.* 2. *Silvest. c. l. q.* 2. *dicto* 3. *Molin. cit. disp. n.* 9.

Notandum secundo. Etsi *Gl. in Clem. un. V. Obtenta, h. t. & Franc. in c.* 2. *n.* 3. *& alij*, velint, expressam licentiam Superioris requiri, ad acceptandum munus Executoris, probabilius tamen est, sufficere tacitam, ut docet *Silvest. c. l. & Sanch. cit. c.* 11. *n.* 11. quia licentia potest expressè, & tacitè concedi, & obtineri.

Notandum tertiò. Religiosus Executor jussus legatum pauperibus, vel in causas pias erogare, potest illud applicare suo Monasterio pauperi, sicut etiam Beneficiatus suæ Ecclesiæ; quia sufficiens est distinctio inter dantem, & accipientem, vel etiam suis consanguineis indigentibus, etiam filijs illegitimis: imò etiam sibi ipsi, si verè pauper sit, illud applicare potest, aut paupertas postea ipsi superveniat, vel tempore cõfiti Testamenti erat ignota Testatori; quia tum eam eleemosynam censetur largiri, non tam ipse distributor, quàm defunctus. Si verò paupertas Executoris fuit cognita Testatori, verisimile est, si voluisset partem legati, vel eleemosynæ ipsi applicari, id explicâsset, *Silvest. c. l. dicto* 5. *Sanch. c. l. n.* 54. *&* 55. *Laym. cit. c.* 11. *n.* 6. *&* 7.

CX. Assertio 3. Religiosi, etiam exempti, Executores Testamentorum constituti, debent rationem reddere Ordinarijs locorum, & ab ipsis, si circa id deliquerunt, puniendi sunt, prout statuitur *in Clement. Religiosis unic. h. t.* ubi dicitur, si Religiosi, etiam » exempti, ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis; (sive sit Testamentum, sive Codicillus, sive » donatio causâ mortis, *Gl. hic V. Cujuslibet, in addit.*) » sint deputati, circà talis officij executionem (quod » non possunt, nisi à Superiore suo petitâ, & obtentâ » licentiâ suscipere) etiamsi Prælationis officio fungantur, tenentur locorum Ordinariis debitam reddere » rationem, quam etiam ipsi Ordinarij locorum » de susceptæ executionis officio, absque fraude, seu » dolo, vel negligentia exigere debent, eósque etiam, » si circa id deliquisse repererint, punire poterunt, non obstante quocùnque privilegio. »

CXI. Hinc colligitur primò, quòd hæc Constitutio habet locum in Religiosis etiam exemptis, non autem in Clericis sæcularibus exemptis: licèt eadem subsit ratio, quorum exemptioni non derogatur per hanc Constitutionem; quia cùm sit odiosa, ac pœnalis, non debet extendi ad personas non expressas, *Gl. hic V. Tales*, ubi rationem impulsivam hujus prohibitionis dat; quia Religiosi plus in his delinquebant, quam Sæculares, *Abb. ibid. n.* 8. ubi tamen addit, quòd Clerici sæculares non exempti debeant reddere rationem locorum Ordinarijs, cùm illis subsint.

Colligitur secundò, hæc Constitutio loquitur de Religiosis Claustralibus: nam non Claustrales, qui alicui Ecclesiæ sæculari exemptæ à jurisdictione Episcopi sunt præpositi, non Episcopo: sed ipsi Papæ, vel ejus Legato, vel legitimo suo Superiori rationem reddere tenentur, *Sanch. cit. c.* 11. *n.* 23. *& dictum supra.*

Colligitur tertiò, nomine Ordinariorum hîc comprehenduntur, non tantùm Episcopi Diœcesani: sed etiam alij Ordinarij inferiores, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habent, quibus etiam à subditis Clericis ratio de executione facta, reddenda est, *Gl. hic V. Locorum Ordinariis, & Abb. n.* 9.

Colligitur quartò, Religiosi debent rationem reddere Ordinario, etiamsi non petat, *Gl. hîc V. Exigere*, & etiamsi Testator eos liberaverit, *Abb. hîc n.* 10. & pœna imponenda hujusmodi executoribus, est arbitraria, cùm certa jure non sit statuta, *Gl. fin. hîc, & Abb. in fine.*

CXII. Porrò Fratribus Minoribus de observantia omnino prohibitum est, esse Executores Testamentorum, ita, ut neque eorum Superiores dispensare, seu licentiam eis dare possint: tametsi præbere possint consilium circa Testamenti executionem, prout habetur statutum *in Clement.* 1. §. *Cùmque dicti Ordinis Professores, de V. S.* ubi etiam ratio prohibitionis affertur; quia pro nulla re temporali possunt in judicio experiri: Executoris autem munus sæpe expediri, & & ritè obiri non potest sine litigio. Potest tamen Testator præcipere Executoribus, ut ad executionem non procedant, nisi petito consilio à FF. Minoribus,

quam-

quamvis illud sequi non teneantur, nec ad hoc ipsi Executores cogi possint, *Silvest. V. Testamentum*; 2. *dicto* 6. *Molin. cit. disp. n.* 12.

§. III.

Vtrùm Executor designatus à Testatore compelli possit, ad acceptandum, & exequendum, & per quem?

CXIII. Assertio 1. Is, cui à Testatore munus Executoris, sive ad pias, sive profanas causas demandatum est, non cogitur illud suscipere: postquam tamen suscepit, cogitur jussa defuncti implere, prout apertè colligitur *ex c. Joannes*; 19. *& ibi Gl. pen. h. t.* nam etiam mandatum non suscipere cuilibet liberum est, susceptum autem consummandum est, sive implendum, ut dicitur *in* §. *Mandatum, Instit. de mandat.* non autem requiritur expressa: sed sufficit etiam tacita acceptatio, quæ ex facto aliquo cognosci potest, ut si actum aliquem illius muneris exerceat, vel si literas, in quibus officium Executoris ipsi demandatum est, scienter accepit, neque contradixit, aut contra protestatus est, *arg. Clement.* 1. *de procurat.* & tradit *Bart. in l. Titius*; 24. *ff. de constit.* Secus autem est, si quis præsens sciat, se esse executorem constitutum Testamenti, & taceat; non enim ideo censetur acceptâsse munus Executoris, nisi sit propinquus, vel amicus Testatoris, *Abb. in cit. c. Joannes*; *n.* 3. *h. t. & ibid. Covarr. n.* 3. *&* 4. *& Mol. tract.* 2. *disp.* 238. *n.* 3. *& alij Dd. communiter.* Aliquando tamen potest quis compelli ad exequendum, etiam citra acceptationem: nam Episcopus potest Clericum sibi subditum, recusantem acceptare munus Executoris, si ita opus sit, compellere, ad exequenda pia legata, si non, ut Executorem Testamentarium; saltem, ut Delegatum, seu Commissarium suum, *arg. c. Pastoralis*; 28. *de Offic. de leg. & l. unic. C. qui pro sua jurisdict. judic. &c.* ubi dicitur, quòd & causa, & is, cui delegatur, debeat esse de jurisdictione Delegantis, *Abb. in cit. c. Joannes*; *n.* 3. *Silvest. V. Testamentum*; 2. *q.* 3. *dicto* 1.

CXIV. Assertio 2. Non tantùm Judex Sæcularis, si hæres, vel Executor sit Laicus: sed etiam Judex Ecclesiasticus Diœcesanus loci, potest, ac debet compellere hæredes, vel Executores Testamentorum, sive Clericos, sive Laicos, ad exequendas ultimas voluntates circa legata pia, prout decernitur *in* » *c. Tua*; 17. *h. t.* Nam cùm Gregorius IX. intelle- » xisset, quòd aliqui tam Religiosi, quàm Clerici » Sæculares, & Laici pecunias, & alia bona, quæ ab » ipsis, secundùm defunctorum Testamenta, seu ul- » timas voluntates, ad usus pios expendi deberent, » aliis usibus applicare, non vereantur; rescribit Pon- » tifex: cùm in omnibus ultimis pijs voluntatibus » per locorum Episcopos providendum sit, ut secun- » dùm defunctorum voluntatem, omnia procedant, » & peragantur, licèt à Testatoribus id Episcopis » fuerit interdictum: idcirco mandat, ut Episcopus » loci hujusmodi Executores Testamentorum, mo- » nitione præmissâ, compellat, ut bona ea relicta in » prædictos usus pios fideliter, & plenè expendant. Idem habetur statutum *in c. Nos quidem*; 3. *& c. Si hæredes*; 6. *h. t. & in Auth. De Ecclesiast. Tit.* §. *Si quis autem pro redemptione, Coll.* 9.

CXV. Porrò quamvis *Gl. In hoc cap. V. piis voluntatibus*; putet, quòd Episcopus non possit se immiscere, nec compellere ad exequendum legata, seu relicta non pia, sive profana: contrarium tamen verius est, ut ex communiore sententia docet *Gl. inc.* §. *hæredes*; 6. *V. Ab Episcopo, h. t. & ibid. Abb. num.* 7. *Covarr. num.* 3. & rursùm *Abb. in relect. c. Cùm non esses*; 10. *num.* 33. *Molin. disp.* 250. *n.* 5. Quamvis hæc sententia in praxi in multis Provinciis non sit usu recepta. Quare licèt publicatio, seu insinuatio Testamenti, si Testator sit Laicus, fieri debeat coram solo Judice Sæculari, etiamsi hæres, aut Executor sit Ecclesiasticus, seu Clericus: tamen compulsio ad exequendas ultimas voluntates, sive circa pia, sive circa profana relicta, aut legata, est mixti fori, & pertinet ad utrumque Judicem, Sæcularem & Ecclesiasticum, adeóque locus est præventioni, si Testator sit Laicus, *ut tradunt DD. citati:* Idque probatur *ex c. Si hæredes*; 6. *h. t.* ubi generatim dicitur, quòd Episcopus loci, si hæredes (vel alij Executores) jussa Testatoris non adimpleverint, eos compellere debeat, interdicendo omnes res eis relictas, ut vota defuncti adimpleantur, nec ibi distinguitur, utrùm jussa defuncti, seu legata pia sint, vel non pia, sed profana, & hæredes, sive Executores Clerici, vel Laici.

CXVI. Idem etiam sumitur *ex c. Joannes*; 19. » *h. t.* Nam cùm Clericus O. de bonis suis (propriis » scilicet, non Ecclesiæ, de quibus nihil legare potuis- » set, *Gl. hîc V. Piis locis*) per ultimam voluntatem pijs » locis quædam legâsset, Executores constituit Joan- » nem Clericum, & P. Laicum, quibus etiam man- » davit, ut creditoribus suis satisfacerent. Quare » Gregorius IX. respondit, Executores istos, post » mandatum susceptum, per Diœcesanum Episco- » pum cogi debere, ad exequendam ultimam volun- » tatem Testatoris. Ex quo patet, quòd Episcopus » loci etiam Laicos Executores compellere potest, ad exequendum, & quidem etiam causas non pias, seu profanas, *Abb. hîc n.* 1. *not.* 4. Nam in casu hujus cap. alter Executor erat Laicus, & negotium executorio mandandum erat etiam profanum, ut creditoribus satisfacerent. Idque procedit, saltem si Testator sit Clericus, ut *in casu dicti cap. Joannes* Ideóque negotium ratione personæ non erat sæculare, sed Ecclesiasticum, ut notat *Abb. ibi. num.* 7. & consequenter etiam insinuatio Testamenti coram Episcopo, seu Judice Ecclesiastico fieri debebat. Porro ratio, cur cura executionis etiam in relictis, aut legatis ad causas profanas, & quando hæres, vel Executor est Laicus, ad Judicem Ecclesiasticum, sive Episcopum spectet, est; quia Judex Ecclesiasticus subvenire debet personis miserabilibus, & destitutis omni auxilio, *c. Super quibusdam*; 26. *de V. S.* sed defunctus est talis persona, cùm ipsemet agere non possit, ut ultima voluntas sua impleatur, ideóque inter personas miserabiles, & auxilio destitutas meritò numeratur, ut docet *Abb. in cit. c. Si hæredes*; *n.* 7. *h. t. & in repetit. c. Cùm non esses*; 10. *n.* 33. *eod.*

CXVII. Assertio 3. Quamvis Testator prohibeat in Testamento, ne Episcopus, vel Judex etiam Sæcularis, hæredem, aut executorem negligentem com-

CXVII. Assertio 3. Quamvis Testator prohibeat in Testamento, ne Episcopus, vel Judex etiam sæcularis, hæredem, aut executorem negligentem compellat, adimplere ultimam suam voluntatem, nihilominus eâ prohibitione non obstante, potest compellere saltem ad executionem piorum legatorum, ut constat *ex cit. c. Tua*; 17. *h. t.* Ratio est, quia Testator, cùm sit privata persona, non potest tollere, vel impedire publici Juris, sive generalis Legis, aut Canonis dispositionem, *Gl. ibid. V. Interdici.* Si verò Testator prohibeat, ne Episcopus se executioni immisceat, tum vel alium executorem, casu, quo ab ipso constitutus executor sit negligens, ei substituit: & non devolvitur executio ad Episcopum, neque ille se potest immiscere. Vel nullum alium executorem Testator substituit: & tunc executio devoluitur ad Judicem Ecclesiasticum, vel etiam Sæcularem, non obstante dispositione, seu prohibitione Testatoris, quæ pro non adjecta haberi debet, *Abb. in cit. c. Tua*; *n. 6. h. t. Molin. tract. 2. disp. 251. n. 4.* nam voluntas ultima Testatoris est quidem omnino servanda, *c. Ultima*; 4. *caus.* 13. *q.* 2. sed illa tantùm, quæ est rationabilis, & licita, ac secundùm Leges, *Gl. in cit. c. Tua*; *V. Voluntatem.*

CXVIII. Cæterùm prædictis addendum primò, si is, cui aliquid in testamento relictum est, id non exigat, vel non possit exigere, potest, ac debet Judex, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, compellere hæredem, vel executorem, ut id solvat, si sit in mora, ut colligitur *ex c. Nos quidem*; 3. *h. t.* ubi processum fuit ad compulsionem, & executionem ultimæ voluntatis ex mero officio Episcopi: nemine petente, & tradit *ibid. Abb. nu. 5. Mol. cit. disp. 251. n. 10. Laym. Lib. 3. tract. 6. c. 11. n. 15.* Unde quia FF. Minores non possunt in judicio petere, quæ ipsis Testamento sunt relicta, *c. Exiit*; 3. §. *Cæterùm cùm in eadem regula, de V. S. in 6.* ideo ad officium Judicis spectat, ut ipse hæredes, aut executores compellat, ad ea illis solvenda: & solet interdum Syndicus constitui, qui petat ea, quæ dictis FF. sunt per ultimam voluntatem relicta, *Abb. c. l. & alij Dd. citt. locis.* Addendum secundò, si dispositio ad pias causas executioni mandari negligatur, potest quilibet de populo querelam deferre, sive ad Ecclesiasticum Judicem, seu Prælatum, sive ad Sæcularem loci, *l. Nulli*; 28. §. *fin. C. de Episc. & Cleric. & Auth. de Ecclesiast. Tit.* §. *Si quis autem pro redemptione, in fine c.* 11. *Collat.* 9. Addendum tertiò, nomine Episcopi in hac materia onerosa, & jurisdictionis exercendæ comprehenditur quilibet Prælatus Ecclesiasticus, qui in foro externo quasi Episcopalem jurisdictionem exercet, is enim etiam potest, ac debet hæredes, & executores negligentes ad exequendum compellere, & Sede vacante succedit in hac potestate Capitulum; quia est officium necessarium, *Abb. in c. pen. h. t. n. 2.* Addendum quartò, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, curare debent, ut non tantùm, quæ ad pias causas per ultimam voluntatem relicta, vel donata sunt, executioni mandentur: sed etiam quæ inter vivos, prout decretum est *in Concil. Trid. Sess. 22. c. 8. de reform.*

§. IV.

Quando, sive intra quod tempus hæredes, & executores ultimam voluntatem defuncti implere debeant?

CXIX. Assertio 1. Si Testator ipse tempus determinavit, in quo voluntas ejus executioni mandari debeat, tum intra illud tempus ab ipso præfixum, ea implenda est, si fieri possit, ita tamen, ut etiam priùs executioni mandari possit; quia talis præventio non censetur esse contra Testatoris voluntatem, *arg. l. Post mortem*; 12. *C. de fideicomm.* Ubi rogatus post mortem suam restituere hæreditatem alteri, potest etiam ante illam restituere. Currit autem hoc tempus à die scientiæ, & aditæ hæreditatis, juxta *l. 3. §. Si quis hæredi, ff. de statu liber.* ubi dicitur, si hæres dare jussus sit intra dies 30. proximos à morte Testatoris, & hæres tardiùs adierit, numerandos esse à tempore aditæ hæreditatis, & ratio est; quia ante aditam hæreditatem impeditur executio Testamenti, *Abb. in cit. c. Nos quidem*; 3. *n.* 10. *h. t. Covarr. ibid. nu. 1. & 3. Silvest. V. Testamentum*, 2. *q. 6. Mol. cit. disp. 251. n. 1.*

CXX. Assertio 2. Si à Testatore non fuit præscriptum tempus, ad executionem suæ ultimæ voluntatis, tum si hæres, vel alius Executor, post præviam monitionem, saltem unam, à Judice, sive Ecclesiastico, sive Sæculari factam, ut Testatoris impleat voluntatem, illam intra annum non exequatur, eo elapso, potestas exequendi, præsertim circa legata, seu relicta pia, devolvitur ad Episcopum, *Gl. in c. Si hæredes*; 6. §. *Adimpleverint, h. t. Silvest. V. Testamentum, q.* 10. *dicto* 2. Idque sumitur *ex Auth. De Ecclesiast. Tit.* §. *Si quis per ædificationem, Coll.* 9. *& Auth. Hoc amplius, C. de fideicomm. & ex cit. c. Nos quidem*; 3. *h. t.* Ubi quidam, condito Testamento, » fœminam nomine Theodosiam hæredem instituit, » præcipiens de bonis suis Monasterium fundari, » quæ tamen executionem hujus ultimæ voluntatis » protraxit, sive distulit. Quare Papa Gregorius I. » hortatur Episcopum loci, ut dictam fœminam mo- » neat, ad Monasterium, sicut jussa est intra annum » construendum, sive ædificandum (vel saltem in- » choandum, si opus intra annum commodè perfici » non possit, *Abb. hic n.* 9.) & omnia secundùm vo- » luntatem defuncti, sine tergiversatione, exequen- » da. Quòd si verò intra hoc tempus, in loco, in » quo constitutum fuit, vel si ibi non possit, in alio » loco, ubi placebit, cùm Episcopo visum fuerit, » Monasterium ordinare, seu ædificare intermittat, » tum Episcopus ædificet, & omnia loco illi, absque » diminutione, assignari curet; quia etiam secun- » dùm Leges Civiles (*l. Nulli*; 28. *C. de Episc. & Cleric.*) decet Episcopum, dilatas defunctorum pias » ultimas voluntates exequi, & adimplere. »

CXXI. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Quamvis *Abbas hic n.* 11. *& Molin. cit. disp. 251. n. 2.* putent, quòd si executor legata ad pias causas intra sex menses exequi intermittat, potestas exequendi ad Episcopum devolvatur, id tamen nullo jure expresso probari potest; quia *in Auth. de Eccles. Titul.* §. *Si autem hæres, Vers. Si autem legatum, c.* 12. *Collat.* 9. solùm dicitur, quòd executor, si intra sex

menses ab insinuatione, seu publicatione Testamenti numerandos, exequi negligat, seu differat, pœnas ibi expressas incurrat, *de quo* §. *seq.*

Notandum secundò. In eo non conveniunt Dd. an sufficiat, opus esse inchoatum intra annum, ad hoc, ut executio devolvatur ad Episcopum, etiamsi operis perfectio non diu postea differatur, ut censet *Abb. hic n. 9.* an verò requiratur, ut opus non tantùm intra annum inchoetur: sed etiam compleatur, seu perficiatur, ut tradit *Gl. in cit. c. 3. V. Intra annum, Innoc. Jo. Andr.* & alij apud *Fagnan. ibid. nu. 7.* ita ut hæres, vel Executor opus, v. g. Monasterium, quantum fieri potest, intra annum à die monitionis perficere debeat, nisi aliud tempus Testator præfixerit: quòd si opus sit ita magnum, ut intra annum compleri nequeat, tunc justa causa subest, ob quam Episcopus prorogare tempus, sive congruum terminum assignare ad perficiendum opus, potest, *Fagnan. c. l.*

Notandum tertiò. Hæres, post aditam hæreditatem, cùm primùm potest, & cessante legitimo impedimento, sine mora, legata solvere, & alia jussa Testatoris exequi debet, & ad hoc tam ipse, quam executores à Judice cogi possunt, ut colligitur *ex l. Cùm res* 3 47. *in princ. ff. de legat. 1.* Ubi dicitur, si res legata erat propria Testatoris, & hæres copiam illius habeat, teneri eum statim, & absque ulla mora solvere, *& l. Si domus* 3 71. §. *In pecunia, ff. eod.* ubi habetur, si pecunia legata sit, debere solvi intra breve tempus; quamvis hæres, vel etiam executores, ante annum, & quoad legata pia, ante completos sex menses, non incurrant pœnam privationis jure statutam, *Abb. in c. Si hæredes* 3 6. *n. 4. & 5. h. t. Covarr. ibid. nu. 5. Silvest. c. l. q. 6. Molin. cit. dis. n. 11.* Porro quamvis hæres, ante aditam hæreditatem, non possit cogi ad solvenda legata non pia: possunt tamen statim, post mortem Testatoris, exigi legata pia, & hæres, vel executor ad ea solvenda cogi; quia hæc legata non pendent ab additione hæreditatis, *Silvest. c. l. q. 10. dicto 2. in fine.*

CXXII. Notandum quartò. Etsi valde probabile sit, quòd tempus ab homine, vel jure statutum Executori, ad implendum jussa defuncti, sit continuum, ita, ut currat etiam ignoranti, & legitimè impedito, quando definitum est, non in odium negligentiæ: sed in favorem, juxta doctrinam receptam, & traditam à *Gl. in c. Statutum* 3 3. *V. Numerandum, de præb. in 6.* ut in proposito in favorem eorum, quibus aliquid relictum est in Testamento, præsertim pietatis causâ, ne legatis, sive relictis diu carere debeant, & tenet *Durand. in specul. Lib. 2. part. 2. Tit. de instrum. addit. §. 13. n. 39.* Contrarium tamen est probabilius, ut docet *Abb. in repetit. c. Cùm esses; n. ult. h. t. Covarr. in c. 3. nu. 3. & 4. h. t. & Barb. in Collect. ibid. nu. 3.* Nam quamvis currat tempus legitimè impedito, vel ignoranti, si sit statutum in merum favorem alterius, non currit autem, si sit præfixum in favorem unius, & in odium alterius: atqui hoc tempus executoribus concessum, non in merum favorem legatariorum est statutum: sed etiam in odium, & pœnam negligentiæ executorum, ut patet *ex cit. c. 3. ibi.: implere neglexerit*, negligens autem non est, qui est legitimè impeditus. Sicuti si Executor intra annum, post admonitionem, exequi neglexit, potestas exequendi ad Episcopum devolvitur, ut dictum: ita si Testator alicui concessit jus eligendi, v. g. Lego centum aureos pauperibus, quos Titius elegerit, eo non eligente intra annum, post factam monitionem, electio ad Episcopum pertinebit, quia utrobique est eadem ratio, & electio in eo casu est pars quædam executionis ad eam prærequisita, ideóque sicut executio devolvitur ad Episcopum propter negligentiam Executoris intra annum: ita & ejusmodi electio, quæ est præbambulum necessarium ad executionem faciendam, *Covarr. in c. 3. h. t. Silvest. c. l. q. 8. dicto 2. Mol. cit. dis. 201. n. 13.* licèt contrarium teneat *Abb. c. l. n. 12.*

CXXIII. Assertio 3. Si à Testatore aliquid legatum, seu relictum sit ad certum pium usum, aut locum: sed ad illum applicari non possit, tum non idò legatum fit caducum: sed debet ad alium usum, vel locum pium applicari, arbitrio Episcopi, & Executorum, ita tamen, ut quantum fieri potest, voluntas Testatoris servetur. Ut si v. g. Testator præcepit ædificari Monasterium, vel Ecclesiam in aliquo loco, ibique ædificari non possit, designandus est alius locus, ad arbitrium Episcopi, & Executorum, in quo ædificetur, ut colligitur *ex c. Nos quidem; 3. h. t.* & docet *Abb. ibid. n. 6 & Covarr. n. 9. Mol. tract. 2. dis. 249. n. 7.* Sic etiam, si pecunia legata sit ad certum usum pium, v. g. Ecclesiam exstruendam, ad quam tamen non sufficit, potest ad alium usum pium applicari. Idque sumitur etiam *ex l. Legatum* 3 16. *ff. de usu, & usufruct. leg.* ubi dicitur, si quid Civitati legatū sit ad ludos illicitos, quot annis, in ea exercendos, id non cedere lucro hæredum: sed ad alium ejus Civitatis usum honestum, arbitrio Primorum Civitatis, & hæredum, convertendum esse, ut memoria defuncti alio licito modo celebretur. Ratio est, quia per talem commutationem principali intentioni Testatoris satisfit, quæ est honor, & salus animæ, non potest autem fieri ab Episcopo talis commutatio, sine consensu hæredis, vel aliorum executorum, nisi hi sine justa causa recusent consentire, tum enim Episcopus, etiam ijs invitis, procedere potest, *Laym. cit. c. 11. n. 10.*

CXXIV. Aliud verò dicendum est, si quid à Testatore relictum sit in privatum usum, & privatæ personæ, nam vel tunc intuitu pietatis, & misericordiæ relictum est personæ particulari, relicturus alij pauperi, si ille pauper non esset: & hoc casu, illâ personâ defunctâ, alteri pauperi dandum est legatum; quia principalis intentio Testatoris manet: si verò sit relictum magis contemplatione, & favore personæ: quàm pietatis causâ, tum legatum fit caducum, & manet penes hæredem gravatum. Quare ex verbis Testamenti, & circumstantiis rei colligendum est, quænam fuerit mens Testatoris: nam licèt in dubio præsumendum sit, legatum pauperi relictum, pietatis, & misericordiæ causâ relictum esse, adeóque legatum pium conferi debeat: interdum tamen ex verbis, & circumstantiis apparet, quòd Testator principaliter legaverit, vel reliquerit, propter servitia, vel merita personæ, adeóque favore illius tantùm, *Bart. in l. Pater; 18. §. Tullianus, ff. de legat. 3. Abb. in cit. c. 3. n. ult. h. t. Covarr. ibid. num. 11. Mol. cit. dis. num. 10.* Ubi aliud exemplum afferunt, videlicet, si quis certam pecuniam legavit puellæ inopi pro dote, sub conditione, si nupserit, pietatis causâ motus, tunc enim eâ non nubente, vel etiam illâ defunctâ, in similem usum pium ea pecunia applicanda, vel alteri puellæ pauperi in dotem

dotem danda erit: si vetò intuitu, seu favore personæ tantùm legatum dotis sit factum, eâ defunctâ, vel non nubente, illud exspirabit.

CXXV. Assertio 4. Legata ad pias causas integrè, & sine diminutione præstanda sunt, ut colligitur *ex cit. c. Nos quidem; 3. ibi: Sine diminutione qualibet, h. t.* adeóque etiam cum fructibus medij temporis, *arg. l. Si ita; 43. §. Pegasus, ff. de legat. 2.* ubi habetur, si prædium alicui sit relictum ad certum diem, vel tempus, nempe post decem annos, vel cùm pubes factus fuerit, quòd prædium debeat cum fructibus antecedentis temporis præstari, si dies appositus fuit, favore legatarij, non hæredis. Simili ratione, si fundus, vel certa pecunia fuit relicta, ut intra annum, v. gr. Monasterium, vel Ecclesia ædificetur, tunc etiam fructus ex fundo interea percepti, vel pensio ex pecunia elocata præstari debet non hæredi, sed eidem piæ causæ; quia tempus, non in favorem hæredis, sed causæ piæ adjectum videtur, videlicet, ad coarctandum hæredem, vel executorem, ne exstructionem operis ulteriùs differat: ipsum verò fundum, vel pecuniam Testator ad piam causam absolutè deputare voluit, *Abb. in cit. c. 3. n. 7. h. t.*

§. V.

Quam pœnam incurrat hæres, vel alius Executor, si negligat exequi ultimam voluntatem Testatoris, intra tempus à iure definitum?

CXXVI. Assertio 1. Si hæres ultimam voluntatem defuncti, post Judicis admonitionem, intra annum implere negligat, amittit totam hæreditatem, ita, ut nihil commodi ex rebus à defuncto sibi relictis percipiat, prout expressè habetur *in Auth. Hoc amplius C. de fideicom.* Consentit *Auth. de hæredib. & Falcid. §. Si quis autem, in princ. c. 1. Collat. 1.* ubi etiam una tantùm monitio, ut præcedat, requiritur, ut notat *Gl. ibid. V. Admonitus*, quia hæres post annum primùm relictis privatur: si verò incontinenti privetur, tum bina monitio exigitur. Idem sumitur *ex l.* » *Si hæredes; 6. h. t.* ubi sic statutum legitur: Si hæ» redes jussa Testatoris non adimpleverint (intra an» num, juxta *cit. Auth. Hoc amplius, & c. Nos quidem; 3. h. t. Gl. hìc V. Adimpleverint*) ab Episcopo lo» ci illius omnes res eisdem relictæ, ipsis canonicè » sunt interdicendæ, sive auferendæ, unâ cum fructi» bus, & cæteris emolumentis, ut hac ratione vota » defuncti adimpleantur, prout explicat etiam *Barbos. in Collectaneis hìc n. 2.* Ratio autem hujus pœnæ privationis datur *in l. Si patroni; 55. §. Sed nec illud, ff. ad SC. Trebell.* ubi dicitur, *Cur enim non videatur indignus, ut qui destruit supremas defuncti preces, consequatur quid ex voluntate?* Verùm aliam hujus cap. expositionem probabilem adfert *Gl. hìc V. Interdicatur, & Abb. num. 5. Covarr. nu. 4.* nempe quòd juxta hoc cap. hæres negligens implere voluntatem defuncti, etiam ante annum elapsum, possit compelli ab Episcopo, cùm de anno hìc nulla fiat mentio, non tamen privandus sit hæreditate: sed solùm interdicendæ ipsi sint omnes res hæreditariæ, quousque adimpleverit ultimam voluntatem defuncti, ut sic indirectè compellatur ad eam implendam. Sed prior explicatio videtur præferenda, quippe alijs juribus conformior.

Excipiuntur ab hac pœna privationis totius hæreditatis hæredes necessarij, videlicet liberi, seu descendentes, & ascendentes, qui etsi sint negligentes in exequenda ultima voluntate Testatoris, etiam quoad causas, & legata pia: non tamen ideo privantur suâ portione legitimâ, quæ illis non ex voluntate Testatoris: sed juris dispositione obvenit, & quasi jure naturæ est debita, *cit. Auth. Hoc amplius, C. de fideicom. Abb. in cit. c. Si hæredes; n. ult. & ibid. Covarr. num. 9. h. t.* nisi tamen hæreditas sit talis, quæ dividi non potest, ut est Regnum, vel Ducatus, juxta *c. Licèt; 6. de voto*, ubi filius Regis Hungariæ non implens voluntatem defuncti patris Regno est privatus; quia Regnum dividi non potest, ideóque nec legitima ex eo detrahi, *Gl. ibid. V. Privandum, Silvest. V. Testamentum; 2. q. 10. dicto 3.*

CXXVII. Assertio 2. Si hæres, cessante legitimo impedimento, negligat exequi, & solvere legata pia, intra sex menses à die insinuationis Testamenti numerandos, in pœnam legata restituere debet, cum omnibus fructibus, & omni augmento, seu emolumento, quod à tempore mortis Testatoris ex ijs percipi potuit, juxta *Auth. De Eccles. Titul. §. Si autem hæres, Versic. Si autem legatum, c. 12. Coll. 9.* Quòd si hæres, præmissâ binâ monitione ab Episcopo factâ, per suum Oeconomum, vel publicum nuncium legata pia exequi neglexerit, etiam ante annum elapsum, privatur omnibus commodis ex Testamento ipsi delatis, *cit. Auth. §. Si quis autem pro redemptione, Versic. Si autem qui hoc facere jussi, c. 11. Coll. 9.* Si verò hæres perperam neget, legatum esse Ecclesiis, aut alijs pijs locis, & in illa negatione persistat, usque ad sententiam, condemnandus est in duplum, prout statuitur *in §. Item mixta, Instit. de action. Abb. in cit. c. Si hæredes, n. 5. & Covarr. ibid. n. 5. Laym. cit. c. 11. n. 13.*

CXXVIII. Assertio 3. Non tantùm hæres, sed etiam quilibet alius Executor, si voluntatem, & jussa defuncti adimplere negligat, (dummodò honestè impleri possint, quia de facto, & jure sunt possibilia) prædictam pœnam jure decretam incurrit, quâ privatur omnibus commodis in Testamento ei relictis, & insuper munere Executoris privatur, *Covarr. in cit. c. Si hæredes; n. 6. Silvest. c. l. q. 10. dicto 1. Molin. cit. dis. 251. n. 2. & 3.* nam ratio, *cit. l. Si patroni, ff. ad SC. Trebell.* generalis est, & in executoribus etiam locum habet; non enim est æquum, ut ex liberali voluntate Testatoris is aliquid commodi consequatur, qui ejusdem voluntatem destruit, aut illam implere negligit, cùm deberet. Porrò etsi hæc pœna privationis ipso jure incurratur, ut patet *ex supr. citt. juribus*, requiritur tamen ad ejus executionem declaratio, & sententia condemnatoria, ac proinde ante illam in conscientia non obligat, *Covarr. c. l. n. 8. Mol. c. l. n. 6. Laym. c. l.*

CXXIX. Assertio 4. Quamvis dicta pœna privationis non incurratur, nisi post elapsum annum à die admonitionis computandum, intra quem hæres, vel alius Executor neglexit implere voluntatem defuncti, ut ex dictis patet: potest tamen Episco-

Episcopus per censuram Ecclesiasticam, vel etiam alius Judex per interdictum administrationis bonorum defuncti, vel per alias pœnas arbitrarias, etiam ante annum compellere hæredes, & executores testamentarios ad implendam voluntatem defuncti, non tantùm quoad causas pias: sed etiam profanas; nam hæres, cùm primùm potest, tenetur solvere legata, & alia relicta in testamento, ut supra dictum, *Abb. in cit. c. Si hæredes; nu. 5. & Covarr. ibid. num. 4.* quia dominium rei legatæ, aditâ hæreditate, statim transit in legatarium, §. *Nostra autem, & ibi Gl. V. Per in rem, junctâ additione. Instit. de legat. l. A Titio; 64. ff. de furt.*

CXXX. Sed jam hîc ulteriùs quæritur, si hæres, vel Executor propter negligentiam sit privatus, cui applicanda sint emolumenta, quibus privatus est hæres, vel executor? Resp. si Testator de emolumentis hæredi, vel executori relictis, casu, quo negligens fuit, quippiam disposuit, id omnimodè servari debet; nam licèt Testator non possit imponere pœnam hæredi, vel legatario, cùm in eum non habeat jurisdictionem: potest tamen sub nomine pœnæ ipsis adimere bona eisdem legata, vel relicta, nisi suam ultimam voluntatem, & jussa fuerint executi, ut colligitur *ex c. Raynaldus; 18. h. t.* v. gr. si hæres, vel executor, cui aliquid in Testamento est relictum, intra certum tempus non solverit legatum in eo relictum, solvat in duplum; quia Testator potest de suis bonis disponere pro arbitrio, apponendo gravamen, quod voluerit, *Silvest. c. l. q. 11.* Quòd si verò Testator de alio executore, in casu negligentiæ ejusdem, non providit, nec expressit, cui emolumentum ei relictum esset applicandnm, tum si quippiam ad piam causam dandum, vel exequendum sit, Episcopus succedit in executione, & facultatem habet vindicandi omne lucrum, seu commoda, quæ hæredi, vel executori relicta erant, & quibus ob negligentiam privatus est, ita tamen, ut ad pias causas ea applicet, prout habetur *in cit. Auth. De Eccles. Tit. §. Si quis autem pro redemptione, Versic. Si autem qui hoc facere, &c. & Auth. Licèt C. de Episc. & Cleric. Mol. cit. dis. 252. n. 4.* Sin autem dispositio facta sit, non ad pias causas, sed profanas, tunc succedit in executione Judex Sæcularis loci (nisi ab Episcopo sit præventus, isque deposuerit executorem, ob negligentiam) lucrum verò, seu commoda relicta priori executori in Testamento, deferuntur alijs cohæredibus, vel collegatariis, vel etiam hæredibus ab intestato venientibus, ac deinceps alijs, secundùm ordinem præscriptum, *in Auth. Hoc amplius, de fideicom. & in Auth. de hæred. & Falcid. c. 1. Collat. 1. Mol. c. l.*

CXXXI. Illud hîc addendum, Episcopus bona incerta, & injustè ablata, quæ aliàs pauperibus restituenda esse dicuntur, potest in reparationem, v. g. Ecclesiæ Parochialis applicare, si necessariò indigeat reparatione, & facultates ejusdem ad illam non sufficiant, atque Executor, si quis à Testatore sit constitutus, consentiat, *Joan. Andr. in c. 2. n. 6. h. t. in 6. Anchar. ibid. q. 2. & Franc. §. Sanè, ibid. in fine.* Ratio est, quia talia bona incerta, & restitutioni obnoxia, non ita præcisè pauperibus debentur, quò minùs etiam ad alios pios usus applicari possint, ut etiam docent communiter Theologi: imò inopes Ecclesiæ etiam in pauperum numero computandæ sunt, & ad Episcopum spectat, non tantùm cura de alendis pauperibus: sed etiam de ædificandis, & reparandis Ecclesiis, & alendis Ministris Ecclesiarum, *Jo. Andr. c. l.*

§. VI.

Vtrùm Executores Testamentarii, propriâ auctoritate, ultimas voluntates defunctorum possint commutare: &, an officium Executoris, in mortuo, transeat ad hæredem, vel successorem Prælatum?

CXXXII. Assertio 1. Executores non possunt à justa, & licita Testatoris voluntate discedere, vel eam in aliud opus, quantumvis melius, commutare: nisi interveniente auctoritate S. Pontificis, vel supremi Principis Sæcularis, ex justa, & necessaria causa, ut colligitur *ex c. Conquestus; 16. de foro compet.* Ubi dicitur, quòd valde sit iniquum, ea, quæ collata sunt, pro remedio peccatorum, venerabilibus Ecclesiis, vel relicta, aut eis justis alijs modis acquisita, alijs usibus applicari. Et *in c. Nos quidem; 3. h. t.* ubi præcipitur Episcopis, ut curent, pias defunctorum voluntates adimpleri. Et *in Clement. 2. de Religios. domib.* dicitur, quòd ea, quæ ad certum usum, largitione (in vita, & morte, *Gl. ibid. V. Largitione*) sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (etiam pium, *Gl. ibid. V. Non ad alium*), salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, converti. Consentit *Concil. Trident. Sess. 22. c. 6. de reform.* ubi supponit, commutationes ultimarum voluntatum, nonnisi ex justa, & necessaria causa, fieri debere à Sede Apostolica. Additur verò, quòd si ejusmodi commutationes Episcopis à Sede Apostolica delegentur, priùs summariè, & extrajudicialiter cognoscant, an in impetratione nulla subreptio tacitæ veritatis, vel suggestæ falsitatis irrepserit. Idem habetur statutum Jure Civili *in l. 1. & l. Legatum; 4. ff. de adminis. rer. ad Civit. pertinent:* Ubi dicitur: legatam Municipio, vel Civitati pecuniam in aliam rem, quàm defunctus voluit, commutare, citra Principis auctoritatem, non licet. Solius ergo supremi Principis, sive Ecclesiastici, sive Sæcularis, est proprium, ultimas voluntates Testatorum, ex rationabili causa, commutare; cùm enim is toti Reipublicæ præsit, providere debet, quæ ad ejus commodum spectant, *Abb. in c. Tua nos; 17. n. 4. h. t. & ibid. Covarr. n. 7. Mol. tract. 2. dis. 249. n. 5.*

Non desunt tamen Dd. qui etiam Episcopo, ex causa legitima, potestatem commutandi legata, vel alia relicta in Testamento tribuant, si Testamentum, vel alia ultima voluntas, nondum sit executioni mandata, prout videre est apud *Silvest. V. Legatum; 4. q. 12.* Illud saltem negari non potest, quòd interdum Episcopus, cum consensu hæredis, & aliorum Executorum, per Epijchiam interpretari potest, non fore alienum à voluntate defuncti, si mutatio in alium usum magis necessarium fiat. Ut si, v. g. Testator leget Ecclesiæ pecuniam ad Sacra vasa conficienda, quibus ipsa non indiget, sed magis casulis, *Covarr. c. l. Layn. cit. c. 11.*

cit. c. 11. *n.* 11. ubi addit, quòd faciliùs commutari possunt legata ad causam profanam, & privatam relicta, cum consensu hæredis, & legatarij, qui juri, & favori suo renunciare potest.

CXXXIII. Assertio 2. Officium Executoris, eo mortuo, non transit ad hæredem, prout colligitur *ex c.* 2. §. *Sanè*, *h. t. in* 6. & tradit *ibid. Gl. communiter recepta*, *Silvest. V. Testamentum*; 2. *q.* 4. Ratio est, quia censetur electa industria, & fides personæ, *arg. c. ult.* §. *Is autem*, *de offic. jud. deleg. Gl. Margin. in l. Tutela*; 16. *ff. de tutel.* transit tamen hoc onus ad hæredem executoris, quoad obligationes, si quas malè exequendo contraxit; quia v. g. damnum intulit, *Bart. in l. A filio*; 15. *num.* 5. *ff. de aliment. & cibariis legat.* quamvis onus personale tantùm non transeat, *Ancharan. in cit. c.* 2. *q.* 7.

CXXXIV. Quod verò attinet ad successorem Prælatum, si executio Testamenti alicui demandata sit nomine appellativo Dignitatis, seu Officij, v. g. Præposito Ecclesiæ S. Viti, vel Rectori Hospitalis SS. Trinitatis, ea transit ad ejus successorem in Dignitate, seu Prælatura: nisi ex circumstantiis colligi possit, quòd hoc munus Executoris, intuitu personæ, fuerit alicui demandatum, ob affectionem erga illum; quia v. g. propinquus, vel amicus fuit Testatoris, *arg. c. Requisisti*; 15. *h. t.* vel sub nomine proprio tantùm, *Gl. à plerisque recepta*, *in cit. cap.* 2. *V. Expresserit*, *h. t. in* 6. & *Anchar. ibid. q.* 7. *Silvest. c. l.* Idque in hoc casu speciale est, propter favorem ultimæ voluntatis, ne ejus executio diu differatur, ut colligitur *ex cit. c.* 2. §. *Sanè*, *h. t.* & docet *Franc. ibid. num.* 8. alioquin verò, quamvis jurisdictio delegata alicui sub nomine Dignitatis, transeat ad successorem in illa, *c. Quoniam*; 14. *de offic. deleg.* attamen si nudum ministerium, sive executio alicui commissa sit, sine jurisdictione, talis commissio non transit ad successorem in Dignitate, vel Officio, cùm personæ industria specialiter electa esse censeatur, *l. Mandatum*; 57. *ff. Mandati.*

Postremò notandum, quòd Executor Testamentarius inventarium bonorum hæreditariorum conficere, & rationem acceptorum, & expensorum, seu distributorum reddere tenetur: & quidem conveniens est, ut ea reddatur hæredibus, & legatariis præsentibus; quia eorum plerumque interest, *Durand. in spec. de instrum. edit. l.* 2. *c.* 2. *num.* 44. *&* 45. quam rationem etiam Judex Ecclesiasticus, vel Sæcularis exigere potest, ac debet, ab Executore, etsi Testator id prohibuerit, *Silvest. c. l. q.* 8. *Mol. tract.* 2. *dis.* 51. *num.* 8. quia exactio hujusmodi rationis introducta fuit ob commune Reipublicæ bonum.

TITULUS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

I.

DUpliciter potest hæreditas deferri ad alium, vel ex Testamento, sive justâ ultimâ voluntate defuncti, vel ab intestato, §. *fin. Instit. Per quas personas nobis acquirit.* Neque enim ex pacto, vel contractu hæreditas acquiri potest, *l. Hæreditas*; 5. *C. de pact. convent.* Prior successio Testamentaria, *l.* 3. §. *De illo*, *ff. pro socio*: posterior legitima successio dicitur, *l. Legitimam*; 8. *ff. de petit. hæred.* quia per illam ex Lege hæreditas defertur. Interdum verò hæc duo capita concurrunt, si quis hæredes in Testamento instituat, quos ex Legum necessitate instituere debet, videlicet proprios liberos. Postquam igitur Tit. præcedente actum est de successione ex Testamento, aliisque ultimis voluntatibus, tanquam potiore, & primâ, quamdiu enim hæreditas ex Testamento adiri potest, successio ab intestato locum non habet, *l. Quamdiu*; 89. *ff. de R. J. l. Antequam*; 8. *C. Communia de successione*, ideo nunc conveniente ordine de successione ab intestato agitur.

Porro utraque hæc successio in plerisque convenit, in utraque enim succeditur in jus universum defuncti, *l. Hæreditas*; 62. *ff. de R. J.* utrâque fideicommissum relinqui potest, §. *Præterea*, *Instit. de fideicom. hæred.* ex utraque Falcidia detrahitur, *l. Filiusfamilias*; 18. *ff. ad Leg. Falcid.* in utraque aditione opus est, *l. Si ex pluribus*; 9. *ff. de suis*, *& legit. hæred.* aliàs hæreditas non transmittitur ad transversales hæredes, *l. Quoniam*; 7. *C. de jure deliber.*

Intestatus autem hoc loco dicitur, qui nullum fecit Testamentum, vel quia non voluit, vel etiam, quia de jure Testamentum facere non potuit, ut furiosus, impubes, qui etsi propriè non sit intestatus, tamen pro intestato (negativè scilicet, non privativè) accipitur, & habetur *in l.* 1. *in princ. Versic. Plenè*, *ff. de suis*, *& legitimis*, *&c.* Item is intestatus dicitur, qui Testamentum quidem fecit: sed non ritè, ac legitimè, sine debitis juris solennitatibus, *l. ult. C. famil. herciscund.* vel si id, quod fecit, ruptum irritúmve factum sit, aut si nemo ex eo hæres extitit, *princ. Instit. de hæredit. quæ ab intestato deferuntur*, *l. Institutus*; 68. *ff. de V. S.*

SECTIO I.

DE SUCCESSIONE AB INTESTATO in bonis Laicorum, & Clericorum patrimonialibus, ac propriis.

§. I.

De computatione graduum in successionibus ab intestato, & modis, quibus succeditur ab intestato.

II. Notandum primò. Aliter computat gradus cognationis Jus Civile, in ordine ad hæreditates, quæ secundùm gradûs prærogativam deferuntur, ita, ut proximior in gradu, prior sit in successione, & remotiorem excludat, §. *Si plures, Instit. de legit. agnat. succes.* & aliter Jus Canonicum, in ordine ad matrimonium contrahendum, ut constat *ex c. Ad Sedem*; 2. *cauſ.* 35. *q.* 5. Equidem in linea recta ascendentium, & descendentium, eodem modo computat gradus consanguinitatis Jus Canonicum, & Civile, & ab utroque hæc recepta est Regula. *Tot sunt gradus in linea recta ascendentium, & descendentium, quot sunt generationes, sive personæ generatæ, unâ demptâ*, nempe communi stipite, à quo prima origo consanguinitatis inducitur, & numeratio incipit. Undè pater, & filius primo gradu juncti sunt, avus, & nepos secundo, proavus, & pronepos tertio, & sic deinceps, §. *Primo gradu, & seqq. Institut. de gradibus cognationum.* In linea verò collaterali æquali, & inæquali, spectato Jure Civili, tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personæ, stipite dempto, sive quot sunt personæ collaterales: quâ ratione duo fratres sunt in secundo gradu, §. *Secundo gradu, Instit. eod.* quia duæ personæ collaterales; nam pater, qui est in linea recta, & communis stipes, ex quo duo fratres descendunt, non computatur. Quare de jure Civili nullus est primus gradus collateralium; quia frater fratri per se non conjungitur: sed per patrem, vel matrem, qui non numerantur. Similiter patruus, sive frater patris, & filius fratris patris, hoc jure sunt in tertio gradu, §. *Tertio gradu, Instit. dicto Tit.* quia sunt tres personæ collaterales, dempto communi stipite, nimirum duo fratres, & filius fratris: idémque est de avunculo, sive fratre matris, & filio fratris matris. At verò filij fratrum, vel sororum sunt in quarto gradu; quia sunt quatuor personæ collaterales, duo fratres, vel sorores, & duo patrueles, vel cosobrini, §. *Quarto gradu, Instit. eod.* Idque etiam refertur *in cit. c. Ad sedem*, ubi ista hujus diversæ computationis ratio redditur; quia Leges Civiles, seu sæculares gradus cognationis numerant, ut hæreditas ab una persona ad aliam deferatur, & ideo in singulis personis singulos gradus constituunt: SS. Canones verò computant gradus consanguinitatis propter matrimonium, quod cùm nonnisi inter duas personas consistere possit, ideo non quælibet persona novum gradum constituit: sed duæ personæ in uno gradu constituuntur. Nonnulli verò paulò aliter rem hanc explicant, quòd nempe, secundùm Jus Civile, in linea transversali numerantur, & computantur, tam gradus, quibus unus ex consanguineis distat à communi trunco, seu stipite, quàm etiam gradus, quibus alter consanguineus ab eodem distat. Hinc fratres sunt in secundo gradu, patruus, & nepos ex fratre in tertio gradu, patrueles, sive filij fratrum, aut sororum sunt in quarto gradu; quia ambo distant duobus gradibus ab avo, & sic de reliquis.

Cæterùm computatio Juris Civilis, quoad successiones in hæreditatibus, servanda est, non solùm in foro Sæculari, sed etiam Ecclesiastico: quia est approbata quoad hæreditates à Jure Canonico *in cit. c. Ad sedem*: sicut computatio Juris Canonici ubique servari debet, quoad matrimonia, non tantùm in terris Ecclesiæ: sed etiam Imperij, ut docet etiam *Schneidewv. Institut. de nuptiis, de arbore Canonicâ*, n. 1, de qua suo loco.

III. Notandum secundò. Dupliciter succeditur in hæreditatibus ab intestato, videlicet in capita, vel in stirpes: successio in capita tunc dicitur fieri, quando hæreditas, secundùm numerum personarum succedentium, quibus defertur, in portiones, seu partes viriles, sive æquales dividitur, ita, ut tot sint partes hæreditariæ, quot sunt capita, seu personæ, & unus tantum accipiat, quantum alter. At verò in stirpes tunc fit successio, quando plures succedunt in locum alicujus, non secundùm numerum personarum, & æqualiter: sed in portionibus inæqualibus, ita, ut etsi plures sint, accipiant eam tantùm partem, quam is, in cujus locum succedunt, accepisset, §. *Cum filius, Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer. & l.* 3. *junct. Auth. In successione C. de suis, & legit. liber. & in Auth. de hæred. ab intest. venient. c.* 1. *Collat.* 9. Exempla infrà afferentur.

IV. Notandum tertiò. Tres sunt ordines succedentium ab intestato, primus est descendentium, seu liberorum: secundus, his deficientibus, ascendentium, seu parentum: tertius collateralium, hoc est, fratrum, & sororum, ac post hos, aliorum cognatorum, qui ex latere veniunt, & vocantur ad hæreditatem, *Auth. De hæredibus ab intestato, & c. c.* 1. 2. *& 3. Coll.* 9.

Notandum quartò. Clericis eodem modo succeditur in bonis eorum propriis, ac patrimonialibus, seu quasi patrimonialibus, de quibus scilicet Clerici, pro arbitrio suo, tanquam veri domini liberè disponere possunt, quo modo, ac ordine succeditur Laicis in bonis eorum, quamdiu extant liberi, vel alij legitimi hæredes Clericorum.

§. II.

Quo ordine ab intestato succedant descendentes, sive liberi suis parentibus?

V. Assertio 1. Liberi primi gradûs naturales, & legitimi simul, sive ex legitimo matrimonio nati, si omnes adhuc sint superstites, sublatâ sexûs differentiâ, filij & filiæ, sive sui sint, hoc est, in patris potestate constituti, sive emancipati, sive Sæculares, sive Clerici, aut Ecclesiasticæ personæ, succedunt parentibus tam patri, quàm matri ab intestato, æqualibus portionibus, exclusis etiam nepotibus, & reliquis liberis ex ijs descendentibus, & collateralibus, *Auth. In successione, C. De suis; & legitim. liber. & Auth. De hæred. ab intest. venient.* §. 1. *Collat.* 9. *Nov.* 118.

VI. Extenditur autem primò. quòd etiam filij legitimati per subsequens matrimonium, succedunt ab intestato parentibus, si soli sint, vel unâ cum naturalibus, & legitimis liberis jam natis, vel nascituris æqualiter; cùm habeantur per omnia tanquam ab initio legitimè nati fuissent, §. *Quibus, de hæredit. quæ ab intest. def.* succedunt etiam legitimati per oblationem Curiæ Principis æqualiter, cum legitimis liberis, *Auth. quib. mod. natur. effic. sui* §. *Et quoniam, c.* 3. *Coll.* 7. sed soli patri, *cit. Auth.* §. *Filium verò c.* 4. At verò legitimati per rescriptum Principis non succedunt patri, nisi quando nulli extant liberi justi, & legitimi, *cit. Auth.* §. *Illud tamen, c.* 9.

Exten-

Extenditur secundò, quòd etiam filij legitimi tantùm, sive adoptivi succedunt patri adoptivo ab intestato, si ab extraneo sint adoptati, cum naturalibus & legitimis liberis simul æqualiter, §. *Intestatorum, in fine, & §. Sed & omnia, Instit. eod. l. pen. §. Sed ne Articulum, C. de adopt.* Si verò adoptatus quis ab aliquo ascendente sit, v.g. ab avo materno, vel etiam paterno, qui filium, ex quo natus est iste nepos, emancipavit, talis adoptatus statim transit in potestatem Avi adoptantis, eiq; succedit, unâ cum patre suo naturali, *ibi. l. pen. §. Si verò, C. eod.* Quòd si quis sui juris sit, & se arrogandum det alicui, is succedit arrogatori ab intestato, sicut filius naturalis, & legitimus, *cit. l. pen. §. fin.* de quo plura videri possunt apud Legistas.

VII. Assertio 2. Quando cum filijs primi gradûs concurrunt nepotes ex filijs primi gradûs præmortuis, tunc nepotes illi subeunt in locum patris, vel matris, & succedunt avo, cum filijs ipsius, jure repræsentationis, non in capita: sed in stirpes, hoc est, non singuli nepotes accipiunt æquales portiones, pro numero capitum, seu personarum: sed tantam de hæreditate avi partem, quantam pater, vel mater illarum accepisset, si superstites fuissent, prout statuitur *in §. Cum filius; Instit. de hæred. quæ ab ineſt, &c. & in l. 3. junct. Auth. In successione, C. de suis, & legit. lib. & in Auth. de hæred. ab intest. venient. c. 1. Coll. 9. Nov. 118.* V.g. Titius habet filium, & ex altero filio mortuo nepotem, vel nepotes. Si nepotem unum habeat, is in successione Titij avi pariter, hoc est, æquis portionibus admittetur cum superstite filio, sive patruo: si verò plures habeat nepotes, hi non æqualiter, seu in capita: sed in stirpes succedunt, hoc est, omnes illi nepotes unam duntaxat patris sui præmortui, quam is superstes habuisset, portionem capiunt, & sic tota hæreditas Titij divi detur in duas medietates, unam accipiet filius adhuc superstes, alteram nepotes ex filio mortuo, etsi plures sint, neque enim in hoc ordine descendentium proximior gradu excludit remotiorem, *cit. §. Si quis igitur*, ubi *Justin.* ait: *In hoc ordine gradum quæri nolumus.* Ratio est, cùm enim nepos, vel nepotes illi ideo cum patruo suo succedant, quia illi repræsentant, seu referunt patrem suum, aliàs non successuri, tanquam gradu remotiores, nam ipsi sunt in secundo, patruus verò in primo gradu, absurdum esset, eum, vel eos, plus capere, quàm parens eorum, cùm tunc non ex sua, sed ex patris sui persona veniant, & vocentur ad hæreditarem, cujus personam repræsentant. Idémque procedit, non solùm in nepotibus ex filia, qui æquè, & eodem modo succedunt avo, *cit. §. Filius, Instit. dicto Tit. in cit. Auth. §. Si quis igitur.* Et non solùm in nepotibus: sed etiam pronepotibus, nam si quis decedat, relicto filio, & pronepote ex filio præmortuo, iste pronepos jure repræsentationis succedit in stirpes cum filio ipsius defuncti, sive proavi sui, & sic deinceps de reliquis descendentibus gradu remotioribus, in quibus jus repræsentationis locum habet in infinitum, *cit. §. Si quis igitur*, ibi: *cujuslibet sexûs sint, aut gradûs, & §. fin. Instit. de hæred. quæ ab intest. &c.*

VIII. Assertio 3. Quando quis decedit, omnibus filijs primi gradûs præmortuis: sed relictis pluribus nepotibus ex diversis filijs, vel filiabus, diversi numeri: sed pari gradu, tales nepotes succedunt avo, non in capita: sed in stirpes, prout habetur *in cit. §. Cùm filius, in fine, & §. ult. Instit. eod. & l. 2. C. de suis, & legit. hæred.* V. gr. Titius habens duos filios, & unam filiam, ijs omnibus mortuis, decessit, relinquens ex primo filio unum nepotem, ex secundo duos, & ex filia tres, vel quatuor nepotes, & neptes, qui omnes, defuncto avo Titio sunt in pari gradu, secundo scilicet, & eidem succedunt, non in capita: sed in stirpes, ita ut hæreditas Titij avi dividenda sit, non pro numero nepotum in sex, vel septem partes viriles: sed in tres partes æquales, pro numero filiorum Titij, sive parentum suorum, adeóq; nepos unicus ex primo filio tantâ partem capiet, quantam omnes nepotes ex secundo filio, & filia. Ratio est, quia licèt nepotes isti non habeant opus jure repræsentationis, cùm omnes sint in eodem, & pari gradu, nempe secundo, respectu avi, de cujus successione agitur, & suo jure succedant, sive vocentur ad hæreditatem avi: quia tamen illi Titio avo, sui, & proximi hæredes esse nequeunt, nisi in patris sui locum succedant, & ita primum gradum assumant, *§. Sui autem, Instit. de hæred. qual. & differ. l. Si retentus 37. ff. de bon. poss. contr. tab.* hinc fit, ut respectu sui patris, in cujus locum intrârunt, eandem etiam partem capiant: neque enim aliter suo jure succedunt nepotes, nisi postquam jure repræsentationis in locum primum, suorum scilicet parentum, juris fictione intrârunt. *Jason. in l. Si arrogator; 22. n. 20. ff. de adopt.*

IX. Idque procedit, non solùm in nepotibus, sed etiam pronepotibus, & ulterioribus descendentibus, quando soli sunt, & omnes in pari gradu, *cit. §. Cum filius, & §. fin. Instit. de hæredit. quæ ab intest. &c.* Secundò, sive illi ulteriores descendentes sint in gradu æquali, ut soli nepotes, vel soli pronepotes; sive in gradu inæquali: ut si v.g. Titius habens duos filios, ijs mortuis, relinquat post se ex uno filio duos nepotes, ex altero verò filio tres pronepotes: tunc enim jure repræsentationis pronepotes succedunt in locum patris sui, & cum nepotibus defuncti avi partem æqualem accipiunt, sive dimidiam, quam pater ipsorum, nepos Titij proavi eorum accepisset, si superstes fuisset, *cit. §. Cum filius, & in cit. Auth. §. 1. ibi: cujuscunque gradûs.* Tertiò procedit, non solùm quando unus ex descendentibus ulterioris, quàm primi gradûs, solùm uno gradu est remotior: sed etiam si pluribus gradibus distent. V. g. si Titius decedat, relicto post se nepote, qui ei conjunctus est in secundo gradu, & tribus abnepotibus, qui ei sunt in quarto gradu, vel etiam ulterioribus descendentibus, hi enim remotiores, cum proximioribus, in infinitum succedunt Titio in stirpes, non in capita, ita, ut tametsi quinto, vel sexto, vel ulteriore gradu distent à Titio, tantam partem hæreditatis accipiant, quantam nepos Titij, qui ei est in secundo gradu, vel ipsius filius, qui est in primo, ut colligitur *ex c. 1. §. Si quis igitur, ibi: cujuscunque gradûs, & infra ibi: in hoc enim ordine gradum quæri nolulumus, Schneidvv. Instit. de hæred. quæ ab intest. &c. §. De succeſſ. fil. nat. & legit. n. 18. & seqq.* Ratio autem, cur descendentes utantur jure repræsentationis in infinitum, etsi pluribus inter se gradibus distent, ita, ut remotiores succedant cum proximioribus in stirpes, est; quia descendentes, quantumvis remoti, traxerunt sanguinem ab ascendente, de cujus successione agitur, ideóque *in l. Cùm ratio; 7. in fine, ff. de bon. damnat.* dicitur, quòd ratio naturalis liberis hæreditatem

paren-

parentum addicat, velut ad debitam (jure naturæ, *Gothofr. ibid.*) succeſſionem eos vocando, ac proinde non debent eorum hæreditate privari.

X. Cæterùm quòd dictum eſt, legitimos, & naturales liberos ſuccedere parentibus utriûsque ſexûs, id limitatur primò in illis, quorum parentes, propter crimen læſæ Majeſtatis, condemnati ſunt; horum enim filij, neque patri, neque matri ſuccedere poſſunt, ſive ab inteſtato, ſive ex Teſtamento, *l. Quisquis*; 5. §. 1. *C. ad leg. Jul. Majeſt.* Secundò, excipiuntur filij eorum, qui propter hæreſin condemnantur, iſtorum enim bona etiam confiscantur, *c. Excommunicamus*; 13. §. *Damnati. De Hæreticis.* Tertiò, niſi filiæ juratæ renuncient ſucceſſioni paternæ, *c. 2. de pact. in 6.* vel niſi per ſtatutum loci excludantur in favorem familiæ, ſive agnatorum, de quo *Caniſ. in c. 1. h. t. n. 10.* ſic etiam apud quasdam Nationes ſolus primogenitus ſuccedit, excluſis fratribus, qui Majoratus vocatur.

XI. Aſſertio 4. Filij naturales, & illegitimi, ſive extra matrimonium nati ex concubina, uxoris loco, domi detentâ, non ſuccedunt ab inteſtato patri, ſi extent juſti liberi, ſive filij, ſive nepotes, vel deinceps, aut legitima uxor, alioquin ſuccedunt in duabus uncijs tantùm, ſive in ſexta parte hæreditatis, juxta *Auth. quib. mod. natur. efficic. &c. §. Diſertis, Coll. 7. & Auth. Licèt, C. de natur. liber.* Alij verò illegitimi filij, ſive ſpurij, qui ex adulterio, vel alio, damnato ac Legibus punito concubitu ſunt nati, nec ad patris, nec matris hæreditatem admittuntur, *cit. Auth. quib. mod. effic. &c. §. ult. c. 15.* At verò liberi naturales tantùm, ex concubina ſcilicet nati, vel etiam ex meretrice, & vago concubitu, ſuccedunt matri cum alijs legitimis liberis; cùm ipſa ſit certa, §. *Noviſſimè, Inſtit. de SCto. Orfic. l. 1, §. Sed & vulgo, ff. eod.* niſi mater fuerit perſona Illuſtris, *l Si quæ; 5. in fine, C. eod.* alioquin verò etiam vulgò quæſiti, ſeu ex incerto patre nati, ſuccedunt matri, etiam extantibus legitimis liberis, §. *Vulgo, Inſtit. de ſucceſs. agnat.* Imò etiam matri Illuſtri, ſi legitimi liberi non extent. *arg. cit. l. Si quæ.* Quæ autem dicta ſunt de ſucceſſione liberorum naturalium tantùm, ſive patri, ſive matri, à Jure Canonico non ſunt reprobata, licèt enim concubinatus, & uſus meretricum à jure communi ſit omninò interdictus, ſucceſſionis tamen jura ex Legibus Civilibus deſcendunt, & jure etiam Canonico admittuntur, *c. fin. diſ. 1. Caniſ. in cit. c. 1. h. t. n. 28.*

§. III.

Quo ordine viciſſim aſcendentes, ſeu parentes ſuccedant ab inteſtato ſuis liberis?

XII. Aſſertio 1. Parentes liberis ſuis, ſi hi nullos poſt ſe deſcendentes relinquant, ab inteſtato ſuccedunt, æqualiter, ſervatâ tamen graduum prærogativâ, ita, ut proximiores gradu excludant remotiores, *Auth. de hæred. ab inteſtat. venient. c. 2. Coll. 9. Nov. 118.* Quare ſi pater, & mater ambo ſint ſuperſtites, & ſoli exiſtant (ſine fratribus, & ſororibus utrinque conjunctis) æqualiter, ſine diſcrimine ſexûs, & patriæ poteſtatis, ſuccedunt filijs, excluſo avo, & aviâ, *cit. Auth. c. 2. & Auth. Defuncto, junct. Gl. V. Soli C. ad SC. Tertull.* Quòd ſi, de functo patre, & matre, extent avus, & avia in linea paterna, & ſimul avus, & avia in linea materna: ſed ex parte patris ſolus avus, ex parte matris avus, & avia, aut vice versâ, omnes ab inteſtato ſuccedunt defuncto nepoti, pronepoti, &c. idque in ſtirpes, non in capita, ita, ut hæreditas ex æquo inter illos aſcendentes, qui eundem gradum obtinent, dividantur, & unam medietatem accipiant aſcendentes à patre, alterâ aſcendentes à matre, ſive plures fuerint, ſive unus, *cit. Auth. De hæredib. &c. c. 2.* ſuccedunt autem pater & mater, aliique aſcendentes, ſive paterni, ſive paternæ lineæ, ſi paris gradûs ſint, æqualiter in bonis defuncti, ſive ea à patre, ſive à matre ad filium pervenerint, juxta probabiliorem ſententiam, com. *Bartol.* nam & Imperator Juſtinianus *in cit. Auth. c.* generaliter, & indiſtinctè loquitur, nullâ factâ diſtinctione bonorum, utitur enim vocabulo *hæreditatis*, quod omne jus defuncti complectitur, *l. Hæreditatis, ff. de R. J. & l. Nihil*; 24. *ff. de V. S.* & bona ſemel acquiſita, undecùnque provenerint, conſolidantur cum alijs, ita, ut unum patrimonium, ac hæreditatem efficiant, *l. Sed ſi plures*; 10. §. *Filio, ff. de vulg. & pupil. ſubſtit. Covarr. in Epitom. de ſucceſs. ab inteſt. n. 2. Mynſing. cent. 6. obſ. 55. Fachin. Lib. 6. Contr. c. 4.*

XIII. Aſſertio 2. Si, deficientibus deſcendentibus, plures parentes, ſive aſcendentes extent, tunc proximior gradu remotiorem excludit, *cit. Auth. c. 2. ibi: qui proximi gradu reperiuntur, & cit. Auth. Defuncto, ibi: ſalvâ gradûs ſui prærogativâ.* V. g. Titius defunctus, ſine liberis, reliquit ſuperſtitem patrem, & avum maternum, matre mortuâ, pater & avus maternus non concurrunt ſimul ad hæreditatem Titij defuncti: ſed ſolus pater ſuccedit Titio, excluſo avo materno, etiam quoad bona materna: & vice versâ, patre mortuo, mater ſuperſtes excludit avum paternum à ſucceſſione filij, etiam quoad bona paterna, *Gl. in cit. c. 2. V. Proximi, & Gl. in cit. Auth. Defuncto, V. Gradus.* Idémque dicendum de reliquis aſcendentibus, ut ſemper gradu proximior præferatur remotiori, in ſuccedendo filijs vel nepotibus: nam jus repræſentationis non habet locum in linea recta aſcendentium; quia naturæ repugnat, ut parens repræſentet filium, & aſcendens, qui eſt natu grandior, ſubſtituatur in locum deſcendentis, qui eſt junior, cùm parens nequeat fieri deſcendentis filius, vel ſeipſo junior, quilibet autem deſcendentis poſſit pervenire ad ætatem ſui patris, vel alterius aſcendentis, *Covarr. c. l. n. 3. & 4. & alij Dd. communiter.*

XIV. Aſſertio 3. Si, unâ cum patre, aut matre, abſint germani fratres, vel ſorores, ſive ex utraque parte defuncto conjuncti, tunc hi, unâ cum illis ſuccedunt in capita, ſive æqualiter, ita, ut parentes & fratres defuncti accipiant æquales partes hæreditatis, *cit. c. 2. §. Si verò, & cit. Auth. Defuncto*, ubi additur, *excluſâ omni ſexûs, & patriæ poteſtatis differentiâ*, hoc eſt, ſive defunctus, cui ſucceditur, fuerit filius, vel filia, in patris poteſtate conſtitutus, ſive emancipatus, & ſive frater fuerit, qui ſuccedit, ſive ſoror, in patria poteſtate conſtitutus, vel non. Idque poſtea Juſtinianus *in Auth. Ut fratrum filij, &c. c. 1. Collat. 9. Nov.* 127. extendit, ut etiam filij filiævæ fratris utrinque conjuncti præmortui, unâ cum parentibus, & fratribus ipſius defuncti, ad hæreditatem patrui admittantur, & jure repræſentationis ſuccedant in ſtirpes, hoc eſt, ut eam hæreditatis partem accipiant, quam habuiſſet pater eorum, ſi is ſupervixiſſet; idque

idque statutum est, ex commiseratione, ne per mortem patris paterna portio iis auferretur, & patruis daretur, *Zœs. ff. de suis & legit. hæred. n. 28.* Si verò hujusmodi filii & filiæ fratris prædefuncti soli existant, sine alio fratre, tum ad successionem defuncti patrui non admittuntur: sed ab ascendentibus excluduntur, cùm tantùm admittantur cum patruis, ex quadam commiseratione, quæ ratio cessat, quando soli existunt: nam cùm in *cit. Auth. Ut fratrum filii &c. c. 1.* ad successionem patrui defuncti tantùm admittantur liberi alterius fratris vel sororis jam defuncti vel defunctæ, quando adhuc est superstes aliquis frater, vel soror defuncti, de cujus successione agitur, ut cum illo, vel illa succedant, non debet illa Constitutio, cùm sit correctoria Juris antiqui, extendi ad alterum casum in illa non expressum, nempe quando tantùm liberi fratrum aut sororum existunt, tunc enim soli parentes defuncti, de cujus hæreditate agitur, si adhuc superstites sint, succedunt, *Zœs. c. l.*

Sed neque Privilegium hoc concessum filiis fratrum utrinque conjunctorum, extenditur ad nepotes, vel pronepotes fratris utrinque conjuncti præmortui, sed hujusmodi nepotes per parentes & fratres ipsius defuncti excluduntur, ut constat ex Rubrica *cit. Auth. Ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum, etiam ascendentibus extantibus*: neque enim jus repræsentationis ultra fratrum filios locum habet in linea collaterali, *Auth. Post fratres fratrùmque filios, C. de legit. hæred.*

XV. Cæterùm quod supra dictum est, germanos fratres & sorores simul succedere, cum parentibus, defuncto filio, & fratri eorum, id procedit, ut non solùm cum patre & matre concurrant, sed etiam, illis mortuis, cum avo & avia, & ulterioribus ascendentibus, ita ut simul succedant in capita, neque avus vel avia per fratres etiam utrinque conjunctos à successione excludantur, ut docet *Gl. communiter recepta in cit. Auth. Defuncto, V. Proximis, & in cit. Auth. de hæredib. c. 2. V. Proximis, Covarr. c. l. num. 5.* Non obstat, quod in *cit. Auth. Defuncto, & cit. c. 2. §. Si verò*; dicitur, quòd fratres utrinque conjuncti vocantur, cum ascendentibus gradu proximis: at gradu proximi sunt tantùm pater & mater, non avus & avia, vel alii ascendentes. Nam respondetur, proximus jure dicitur, quem nemo antecedit, *l. Proximus; 92. ff. de V. S. Gl. locis citt.* ac proinde deficientibus patre & matre, avus est proximus parens. Neque etiam obstat Regula illa desumpta ex *l. 14. §. Etsi mihi; ff. de divers. & temp. præscript. Si vinco vincentem te, multò magis vinco te*: atqui fratres defuncti simul admittuntur cum patre, qui excludit avum, ergo & fratres illum excludunt. Verùm hæc regula non habet locum, quando Lex contrarium statuit, ut tradunt communiter Dd. sicut in proposito, ex Lege generaliter ad successionem defuncti filii vocantur parentes & ascendentes proximi, parentum autem nomine omnes in infinitum ascendentes veniunt, *l. Quisque; 4. §. Parentum, ff. de in jus vocand. Schneidevv. Instit. de hæred. quæ ab intest. &c. §. De secundo gradu succeden. n. 27.* Porro parentes succedere ab intestato liberis suis, exclusis fratribus ex patre, vel matre tantùm conjunctis, habetur in *cit. Auth. Defuncto C. ad SC. Trebell.* & colligitur ex *cit. Auth. de hæredib. &c. c. 2. §. Si verò*, ibi, *ex utrinque parentibus.*

XVI. Assertio 4. Filiis naturalibus & illegitimis, in illis casibus, in quibus tales liberi eisdem succedunt, succedunt etiam parentes in eorum bonis (de quo supra *n. 11.*) aliàs verò excluduntur, *Auth. quib. mod. natur. effic. &c. §. In quibus c. 13. coll. 7. Nov. 89. Covarr. c. l. n. 13. Zœsius ff. de suis & legit. hæred. n. 44.* Quomodo autem succedat pater legitimus tantùm, sive adoptivus filio adoptato, videri potest *Schneidevv. cit. loc. §. De successione parentum legitim. tantùm.*

§. IV.

Quo ordine ab intestato succedant defuncto fratres & alii consanguinei collaterales?

XVII. Assertio 1. Si deficiant hæredes descendentes, & ascendentes, admittuntur ad hæreditatem defuncti ejus collaterales consanguinei. Et in primis quidem fratres & sorores ex eodem patre, & eadem matre nati, exclusis fratribus & sororibus consanguineis, qui ex solo patre, & uterinis, qui ex sola matre juncti sunt, æqualiter succedunt, prout expressè habetur in *cit. Auth. de hæred. ab intest. c. 3. in princ. collat. 9. Nov. 118. & Auth. Itaque C. Communia de succes.* Ratio est, quia licèt ex uno latere tantùm conjuncti defuncto sint etiam in secundo (juxta Jus Civile) adeóque pari gradu cum utrinque conjunctis: quia tamen duplici vinculo agnationis per patrem, & cognationis per matrem sunt ei conjuncti, ideo meritò in successione aliis fratribus præferuntur; duo enim vincula fortiùs ligant, quàm unum.

XVIII. Secundò si adsint filii vel filiæ fratris utrinque conjuncti, etiam mortui, vel etiam sororis, illi, unà cum fratribus & sororibus utrinque defuncto conjunctis, patruis, vel amitis ipsorum succedunt in stirpes, hoc est, eam tunc filii vel filiæ fratris præmortui, quotcúnque fuerint, accipiunt partem hæreditatis, quam parens eorum, si viveret, accepisset, *cit. c. 3. §. Si autem defuncto, & in Auth. Cessante C. de legitim. hæred.* Ratio est, quia licèt filii fratris sint in tertio gradu, comparatione ejus, qui intestatus decessit, & patrui ipsorum in secundo: attamen filius fratris, hoc casu, repræsentat personam patris sui præmortui, qui conjunctus erat defuncto in secundo gradu, & ideo juris fictione censetur etiam in secundo gradu, quia intrat in locum ipsius. Porro hoc jus repræsentationis habet tantùm locum inter fratrum, & sororum filios, neque ulteriùs in linea collaterali extenditur, *cit. c. 3.* licèt in linea recta descendentium duret repræsentatio in infinitum, ut supra dictum. Ratio diversitatis est, quia descendentes, quantumvis remoti, trahunt sanguinem, seu originem ab ascendente, de cujus successione agitur: in collateralibus verò consanguineis unus non trahit sanguinem suum ab alio, & his non ita debetur hæreditas ascendentis, sicut descendentibus in recta linea, *Schneidevv. Instit. de hæredit. quæ ab intest. §. De tertio ordine succed. num. 12 & 13.*

XIX. Tertiò sicut fratres utrinque conjuncti, ita & filii fratrum utrinque conjunctorum excludunt fratres ex uno tantùm latere conjunctos defuncto, sublatâ omni differentiâ sexûs & emancipationis, prout habetur in *cit. Auth. Cessante; C. de legit. hæred.*

Idque etiam propter jus repræsentationis, nam filius fratris, hoc casu, etiam repræsentat personam patris sui, & jurisfictione censetur esse in secundo gradu, sicut ipsius pater, qui erat frater defuncti, licèt alioquì sit in tertio: quemadmodum ergo pater illius, si esset superstes, excluderet fratrem ex uno tantùm latere ei conjunctum, propter duplex vinculum, quo non solùm ex parte patris, sed etiam matris est conjunctus defuncto: Ita etiam filii fratris utrinque conjuncti, qui in locum patris sui subintrant, eundem excludunt, *cit. Auth. Cessante*, & *cit. Auth. de hæredib. c. 3. §. Si autem defuncto coll. 9. Nov. 118.*

XX. Quartò filii fratris ex utroque latere conjuncti defuncto, in successione excludunt etiam patruum adhuc superstitem defuncti, id est, fratrem sui patris, vel avunculum, id est, fratrem suæ matris, vel amitam, id est, sororem patris, vel materteram, id est, sororem matris, prout habetur in *cit. Auth. de hæred. c. 3. §. Illud palam, Nov. cit.* Ubi per errorem in quibusdam Exemplaribus legitur *defunctis* pro *defuncti*, & in *Auth. post fratres autem*; *C. de legit. hæred. junct. Gl. V. Similibus.* Nam licèt filius fratris, & patruus, respectu defuncti, cui succeditur, sint in tertio, adeóque pari gradu: tamen sicut frater defuncti excludit patruum, ita etiam filius fratris præmortui eum excludit, propter jus repræsentationis, quo fingitur esse defuncto conjunctus in secundo gradu, si sit filius fratris utrinque conjuncti, ut notat *Gl. Margin. in cit. §. Illud palam*, & patet ex supra dictis.

XXI. Quintò si soli filii diversorum fratrum, vel sororum extent, & nullus frater defuncti, neque utrinque junctus, neque ex uno latere tantùm, tunc filii & filiæ fratrum utrinque conjunctorum, non in stirpes: sed in capita succedunt defuncto patruo, v. g. Titius habens duos fratres, Cajum & Sejum, iis præmortuis, intestatus decessit, ita tamen ut ex fratre Cajo duo filii extent, & ex altero fratre Sejo 4. filii, vel filiæ: Hi sex filii duorum fratrum succedunt Titio patruo suo, non in stirpes, sed in capita, adeóque hæreditas Titii non dividetur in duas partes, pro numero fratrum præmortuorum: sed in sex partes, secundùm numerum filiorum dictorum duorum fratrum. Idque apertè probatur ex *cit. Auth. de hæredib. & c. c. 3. §. Hujusmodi verò privilegium Nov. 118.* Ubi dicitur, filios, & filias fratrum, eo tantùm casu, succedere patruo defuncto, quando existunt alii fratres eidem conjuncti, adeóque quando simul succedunt, cum patruis suis, vel avunculis: ergo si soli succedant, quia nulli existunt fratres vel sorores defuncti, non succedunt in stirpes, sed in capita, sicut antiquo jure statutum fuit, secundùm quod frater, vel soror defuncti excludunt in successione alterius fratris, vel sororis filios, quippe remotiores, *juxta l. 3. C. de legitim. hæred.* & filii fratrum vel sororum non in stirpes, sed in capita succedebant, *l. pen. C. eod.* Neque enim jus repræsentationis in linea transversali jure antiquo locum habebat: Cùm ergo hoc solùm sit correctum jure novo, quando filii fratrum succedunt cum patruis, non debet ea correctio extendi ad casum, quo filii fratrum soli succedunt; cùm in correctoriis juris antiqui sit facienda stricta interpretatio, & casus exceptus firmat regulam in non exceptis: Ratio autem est, quia quando filii diversorum fratrum soli succedunt, tunc non repræsentant personam patrum suorum, aut in eorum locum non intrant, sed proprio conjunctionis jure, sive ex propria persona ad hæreditatem patrui vocantur, ergo cùm illi sint æqualiter conjuncti, etiam æquales partes hæreditatis accipere debent. Et hanc sententiam tenent nunc communiter Dd. *Covarr. in cit. Epit. n. 8. Molin. tract. 2. dis. 164. n. 12. Fachin. Lib. 6. contr. c. 3. & alii contra Gl. in cit. Auth. Cessante V. Insuper, Bart.* & alios, quam sententiam etiam approbavit Carolus V. in Comitiis Imperialibus Spiræ habitis anno 1529.

Aliud verò dicendum est, si non extent quidem fratres utrinque defuncto conjuncti: extent tamen fratres ex uno latere tantùm, & simul filii alterius fratris defuncti, cui is utrinque erat conjunctus; hoc enim casu, soli filii fratris utrinque conjuncti succedunt patruo, exclusis fratribus ex uno tantùm latere conjunctis, prout habetur in *cit. Auth. de hæred. &c. cap. 3. §. Si autem, Vers. Unde consequens est*, & quidem in stirpes; quia succedunt, quatenus repræsentant patrem suum defunctum: alioquin excludere non possent fratres defuncto conjunctos ex uno latere tantùm, quippe uno gradu remotiores, ut bene notavit *Fachin. c. l.*

XXII. Assertio 2. Si nulli legitimi liberi defuncti, de cujus hæreditate agitur, extent, tunc pot fratres & sorores utrinque conjunctos, ab intestato succedunt fratres & sorores ex uno tantùm latere conjuncti, sive per patrem solùm, sive per matrem, exclusis omnibus aliis collateralibus, *Auth. Post fratres; 1. C. de legit. hæred. & cit. cap. 3. §. His autem non existentibus, Nov. 118.* Et quidem si defunctus reliquit unum, vel plures fratres consanguineos tantùm, ex eodem scilicet patre, sed diversis matribus genitos: vel unum, aut plures fratres uterinos tantùm, ex eadem scilicet matre, sed diversis patribus genitos: tunc illi, vel illæ omnes æqualiter succedunt, undecúnque provenerint. Si verò reliquit quosdam fratres consanguineos, & simul etiam quosdam fratres uterinos, tunc hi simul quidem ad hæreditatem vocantur, ita tamen ut qui ex parte patris conjuncti sunt defuncto, succedant in bonis paternis; qui ex parte matris, in bonis maternis: in reliquis verò bonis, quæ nec à patre, nec à matre provenerunt, sed aliunde, omnes æqualiter succedant, ut colligi videtur ex *l. De emancipatis; 13. §. Exceptis maternis rebus, C. de legit. hæred.* & docet *Gl. ibid. in Auth. Post fratres; 1. V. Filii eorum, & Gl. in Auth. Itaque, V. Utroque parente, C. Communia de succeff. Covarr. in cit. Epit. de succeff. ab intest. num. 8. §. Tertiò est advertendum, Molin. cit. dis. 164. concl. 6. & alii Dd. communiter.* Tametsi contrarium etiam sit probabile, quod docet *Fach. Lib. 6. contr. c. 5.* Nempe fratres consanguineos, si multi proximiores sint superstites, ab intestato æqualiter succedere fratri defuncto, nullâ factâ distinctione bonorum, utrùm per lineam paternam, vel maternam ad defunctum pervenerint; quia in *cit. §. His autem non existentibus*, fratres ex uno tantùm parente conjuncti, sive per patrem, sive per matrem, æqualiter vocantur ad hæreditatem defuncti sine ullo discrimine bonorum, unde illa provenerint.

Porro sicut filii fratris utrinque conjuncti præmortui,

tui, cum aliis fratribus defuncti superstitibus, in stirpes succedunt, juxta supra dicta: ita etiam filii fratris ex uno latere tantùm conjuncti jam mortui, cum aliis fratribus consanguineis, vel uterinis tantùm, succedunt in stirpes patruo defuncto, juxta *cit. Auth. Post fratres*; 1. *C. de legit. hæred. Molin. c. l. concl.* 5. Quamvis contrarium non improbabiliter teneat *Zæs. ff. de suis & legit. hæred. n.* 38. quia jus antiquum non est mutatum, nisi in filiis fratrum germanorum, & in his tantùm habet locum repræsentatio, non in fratribus consanguineis, & uterinis. Si verò filii fratrum ex uno latere tantùm conjunctorum soli existant, tunc patruo defuncto non succedent in stirpes, sed in capita, ut patet ex supra dictis: Deinde sicut fratres ex uno tantùm latere conjuncti, ita etiam filii eorum excludunt à successione patruum ejusdem defuncti, & similes personas, ut avunculum, amitam, vel materteram, cùm sint pares defuncti fratribus, quando simul cum illis, qui adhuc superstites sunt, loco præmortui patris sui succedunt, cùm alioquin sint in tertio gradu, respectu defuncti, cui succeditur, *cit. Auth. Post fratres in fine*, & ibi *Gl. finalis.*

XXIII. Assertio 3. Deficientibus fratribus & sororibus, utrinque, vel ex uno tantùm latere conjunctis, eorùmque filiis, succedunt reliqui cognati collaterales gradu propinquiores, exclusis remotioribus: & quidem non in stirpes: sed in capita, si plures existant ejusdem gradûs, ita ut æqualiter secundùm personarum numerum hæreditas inter eos dividatur, nullo habito discrimine sexûs masculini, & fœminini; patriæ potestatis & emancipationis; agnationis, & cognationis, sive utrùm ex utroque, an ex uno tantùm latere sint conjuncti, quia in istis sola cognatio spectatur, *Auth. Post fratres*; 2. *C. de legit. hæred. & in cit. cap.* 3. *§. fin. & cap.* 4. *Nov.* 118.

Porro hodie sublatâ agnationis & cognationis differentiâ, succedere possunt ab intestato omnes cognati gradu proximiores, usque ad decimum gradum tantùm, secundùm computationem Civilem, ut tradit *Gl. fin.* communiter recepta in *Auth. In successione C. de suis & legit. hæred. & in cit. c.* 3. *§. fin. V. Cognatos*, debètque hæres petens hæreditatem probare, se defuncto intra decimum gradum conjunctum fuisse, *Schneidevv. Instit. de hæredit. quæ ab intest. §. de tertio ordine succed. n.* 40. Sunt tamen plures Dd. qui probabiliter putant, hodie agnatos & cognatos etiam ultra X. gradum admitti ad successionem in infinitum, exclusò Fisco; quia in *cit. cap.* 3. *§. fin. & cap.* 4. omnes agnati & cognati ad hæreditatem vocantur, secundùm gradûs prærogativam, nullâ factâ restrictione ad certum gradum: idem colligitur ex *l. Vacantia*; 4. *C. de bon. vacant. l.* 10.

An autem & quomodo sibi invicem succedant ab intestato fratres, & alii transversales cognati naturales & illegitimi, sive per lineam paternam, sive maternam, item legitimi tantùm, sive adoptivi, vel non succedant, videri possunt, *Schneidevv. c. l. Zæs. ff. de suis & legit. hæred. n.* 36. *&* 45. *& alii Legistæ.*

XXIV. Cæterùm duæ hîc restant quæstiones. Prima, an & qualiter conjuges sibi invicem succedant ab intestato? Resp. conjuges de jure communi regulariter (secluso pacto dotali, consuetudine, vel statuto loci) sibi invicem non succedunt; quia nulla est inter eos sanguinis conjunctio, nec enim consanguinei sunt, nec affines, sed causa ac principium affinitatis, *l. Non tacitè*; 4. *junct. Gl. V. Ex nuptiis, ff. de gradib. affinit.* sicut & alioquî affinitatis jure nulla successio permittitur, *l.* 7. *C. Communia de succes.* Excipitur, nisi deficiat omnis parentum, liberorum, & propinquorum seu collateralium consanguineorum, naturalis, vel legitima successio, & maritus defunctus sit intestatus, tum enim illi succedit uxor in omnibus bonis, & vicissim huic maritus, excluso Fisco, prout habetur in *l. unic. C. Unde vir & uxor*: ad quod requiritur, ut verum ac legitimum inter eos fuerit matrimonium, etsi non consummatum; cùm nuptias non concubitus, sed consensus faciat, *l. Nuptias*; 30. *ff. de R. J.* Deinde necesse est, ut uxor fuerit tempore mortis, nam si divortium fuerit inter eos secutum, etiam quoad habitationem, vel torum tantùm, non habet locum successio; quia causa hujus successionis est illa individua conjunctio maris & fœminæ, & societas, quâ cessante, cessat etiam vocatio ad successionem, *arg. c. Cessante*; 60. *de appell.* quamvis nonnulli putent, si conjux superstes non dedit causam separationis ac divortii, non sit illi jus successionis denegandum, *Zæs. ff. Unde vir & uxor n.* 3. Excipitur secundò, si vir duxit uxorem, nullâ dote ei allatâ, & viro mortuo, ipsa inopiâ laboret, tunc enim uxor superstes succedit, unâ cum liberis, in certa parte bonorum, prout statuitur in *Auth. de exhibend. reis §. Quoniam verò c.* 6. *coll.* 5.

XXV. Altera quæstio est, quando succedat Fiscus decedenti ab intestato? Resp. deficientibus consanguineis ultra X. gradum, & uxore, aut viro, ultimo loco succedit Fiscus in omnibus bonis vacantibus defuncti, *l.* 1. *& l. Vacantia*; 4. *C. de bon. vacant. Lib.* 10. Sæcularis Fiscus, si defunctus sit Laicus: Ecclesiasticus verò, si fuerit Clericus, *c.* 1. *h. t. de quo infra.* Quòd si peregrinus aliquis in Hospitali decedat ab intestato, qui consanguineos non habeat, bona illius mobilia ibi reperta ab Episcopo loci distribuenda sunt in pias causas, *juxta Auth. Omnes peregrini, C. Communia de succes.*

SECTIO II.

DE SVCCESSIONE ECCLESIÆ ab intestato in bonis Clericorum.

§. I.

An, & quando Ecclesia succedere possit Clericus ab intestato decedentibus?

XXVI. Assertio 1. Si Clericus non habeat consanguineos, qui jure cognationis ei succedere possint, & intestatus moriatur, Ecclesia, cui servivit tempore mortis, succedit in bonis ejus propriis, seu patrimonialibus, quæ scilicet acquisivit jure hæreditario, donatione inter vivos amicorum, vel proprio labore, ac industria, de quibus testamentum facere potuisset; prout habetur in *c. Ad hoc*; 1. *h. t.* Ubi decernitur, quòd Epi- » scopi, Presbyteri, & Clerici ea, quæ per hæredita- » tem, vel alio modo, intuitu personæ, acquisiverunt, » donare (inter vivos, vel per ultimam voluntatem, » aut

» aut aliâ ratione disponere) possint, sicut volunt, dum » vivunt: Si autem priùs mortem obierint, quàm dis- » ponant, ea Altari, seu Ecclesiæ, cui serviunt, sunt » tradenda. Ubi *Gl. fin.* ait, id intelligendum esse, cùm non habent consanguineos, qui eis ab intestato succedant, aliàs enim illi admitterentur, & non Ec- clesia. Idem habetur in *c. 2. q. 3. & c. ult. q. 5. caus. 12.* Ratio congruentiæ est, quia Ecclesia est Beneficiato, loco uxoris, sicut ergo deficientibus consanguineis, vir & uxor sibi invicem succedunt, *l. unic. C. Unde vir & uxor*, ita & Ecclesia, *Vivian. in Ration. hîc.*

XXVII. Porro si Clericus privilegiis Clerica- libus gaudens nulli Ecclesiæ serviat, sive Beneficia- rius non sit, & intestatus decedat, nullos habens con- sanguineos, bona ea devolventur ad Fiscum Eccle- siæ illius loci, in quo versatur, eâque Episcopus distribuet pro arbitrio ad pias causas, ut notat *Abb. in cit. c. 1. h. t. in fine*, nam & Fiscus sæcularis succedit iis laicis, qui sine consanguineis decedunt, tanquam in bonis vacan- tibus defuncti, *l. 1. & l. Vacanti* ; 4. *C. de bonis vacant. Lib.* 10. ergo etiam Fiscus Ecclesiasticus in bonis va- cantibus Clerici, *arg. c. 1. h. t.* Est autem hîc sermo solùm de bonis patrimonialibus & propriis Clerici: Nam quòd in bonis ex Ecclesiasticis Titulis, seu intuitu Ecclesiæ acquisitis succedat Collegium Clericorum, vel Successor in Beneficio, si Clericus defunctus bona separata possidebat, ab eodem distribuenda in pios usus, constat ex *c. Relatum*; 12. *supr. de testam.* & dictum *ibid. n. 35. & seq.*

XXVIII. Assertio 2. Si servi Laicorum à do- minis manumissi, Sacerdotes fuerint ordinati, & post- ea moriantur intestati, Laici ipsis in bonis eorum non succedunt, prout statuitur in *c. Sancto* 3. *h. t.* Quod est desumptum ex Concilio Triburiensi, ubi prohibe- » tur, ne Laici domini ex Sacerdotum substantia post » mortem eorum, partes sibi vendicent, tanquam de » propriis servis sive mancipiis; cùm enim à Laicis » dominis suis sint manumissi, & liberi facti, ad susci- » piendum Ordinem Presbyterii, & Divinum Offi- » cium celebrandum, nihil ab iis, præter Divinum of- » ficium, exigi potest. Peculium verò seu bona ipso- » rum in quatuor partes dividenda sunt, quarum una » Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, & quar- » ta parentibus assignatur: Quòd si parentes non sint » idonei, sive incapaces sint ad accipiendum (nimi- » rum hæretici, *c. Si Episcopus*; 5. *de hæret. Gl. fin. hîc*) » tunc Episcopus eam portionem accipiat, & in usum » Ecclesiæ fideliter distribuat. Si quis verò contra » hoc agere præsumpserit, excommunicetur.

XXIX. Notandum primò. Licèt aliàs Patro- nus Liberto, quem è servitute manumisit, si absque li- beris moriatur, succedat, §. *Sed nostra Instit. de succes. libertor.* Postquam tamen, cum consensu domini, ta- lis servus ad Sacros Ordines est promotus, nihil Patro- nus ex temporalibus ejus bonis potest sibi retinere, ne- que ipsi ab intestato succedere, quamvis possit spiritua- lia officia sibi præstanda ab illo exigere, *c. 2. & c. Nul- lus*; 4. *de serv. non ordin. Abb. hîc not.* 2. Ubi ait, quòd dominus possit operas spirituales exigere à Clerico manumisso, si illas sibi reservavit.

Notandum secundò. Quia tales Sacerdotes con- secuti sunt libertatem, propter Sacerdotium, ad quod sunt promoti, adeóque intuitu Ecclesiæ, & Ecclesia- stici ministerii, ideo consanguinei ipsorum non suc- cedunt ipsis in totum ab intestato, sicut consanguinei aliorum Clericorum: sed tantùm in quarta parte, & reliquæ tres distribuuntur in opera pia, nisi tamen tales Clerici testamentum fecissent de bonis, intui- tu personæ: non Ecclesiæ acquisitis, quorum liberum dominium habent, tunc enim illud subsisteret, *Abb. ci- tat. c. 2. in fine.*

Notandum tertiò. Quod in *cit. c. 2. h. t.* dici- tur de discrimine bonorum in 4. partes, id non vi- detur hodie locum habere: sed si talis Clericus manu- missus consanguineos habeat, in iis, quæ intuitu Ec- clesiæ acquisivit, illi succedent eidem ab intestato, alio- quin verò Ecclesia ipsi succederet, *Gl. in cit. c. 2. V. Morientium in fine h. t.*

§. II.

An, & quâ ratione testamentum, vel alia dispositio ad pias causas, aut do- natio excludat successionem ab intestato?

XXX. De hac re agitur in *c. Cùm dilectus*; 3. & *ult. h. t.* Ubi talis casus proponitur: Quidam Archi- » presbyter se & sua, pietatis causâ, obtulit Monaste- » rio de Brusiâ (etsi professione non editâ, cujusmodi » oblati, seu donati vocari solent, prout videre est in Cle- » ment. unic. in fine de decim. & c. Ut privilegia; 24. de pri- » vil.) eâmque donationem seu oblationem morien- » coram Abbate Monasterii confessus est, nam cùm » prædictus Archipresbyter in extremis constitutus » admoneretur, ut testamentum conderet, respondit » se testari non posse, cùm se & sua Monasterio obtu- » lerit, ac donârit. Hinc orta est controversia inter » Abbatem Monasterii, & Episcopum Eduensem, » Et ex parte Episcopi quidem allegatum fuit, dictum » Archipresbyterum sanæ mentis non fuisse, quando » velut per ultimam voluntatem in extremis hanc do- » nationem confessus est; ac proinde non valuisse » hanc ipsius ultimam dispositionem, cùm furiosus seu » amens testamentum facere non possit *l. Furio- » sum*; 9. *C. Qui testam. fac. poss.* Cùm ergo intestatus » decesserit, ideo res omnes ejusdem Presbyteri spe- » ctare ad se, suamque Ecclesiam Cathedralem, siqui- » dem nullus ex cognatis Archipresbyteri superstes » esset, qui succedere posset. Re delatâ ad Innocen- » tium III. is intellexit, sufficienter probatum esse, » quòd dictus Archipresbyter in extremis constitu- » tus, velut ultimam exprimens voluntatem dixerit, » quòd se & sua Monasterio obtulerit; nam licèt unus » tantùm testis dixerit, se vidisse, seu præsentem fuisse, » quando se & sua Monasterio obtulit: quia tamen » alii testes dixerunt, se audivisse ipsum in Abbatis » præsentia confitentem id, quod supra relatum fuit; » Ideo ij testes, non tanquam sufficienter probantes » (scilicet quòd se & sua obtulit) sed tanquam vehe- » menter adminiculantes, intentionem Abbatis plu- » rimùm adjuvabant. Sed quia Episcopus asserebat, » se velle probare, quòd dictus Archipresbyter in ex- » tremis positus phreneticus fuerit, adeóque non va- » luerit ejus confessio, idcirco Papa causæ hujus co- » gnitionem delegavit Episcopo Murenensi sub hac » forma: Quòd si Episcopus non probaverit, Archi- » presby-

» presbyterum eo tempore, quo ultimam veluti vo-
» luntatem declaravit, mentis compotem non fuisse,
» perpetuum ei silentium imponatur, & restituere
» Monasterio cogatur, quæcúnque ex bonis Archi-
» presbyteri, vel etiam Monasterii occupavit: si verò
» legitimè probaverit Episcopus, Archipresbyterum
» mente alienatum confessionem illam fecisse, tunc
» ad faciendam ipsi Episcopo, nomine Ecclesiæ paro-
» chialis, (cujus administrationem gesserat Archi-
» presbyter) restitutionem bonorum, quæ ejusdem
» Archipresbyteri erant, Monasterium condemne-
» tur; cùm idem Archipresbyter ab intestato decesse-
» rit, ipsìque Monasterio super impetitione Episcopi
» silentium imponatur.

XXXI. Ex decisione hujus cap. colligitur primò. Quòd per verba enunciativa, etsi non principaliter, sed incidenter & propter aliud prolata, per quæ sufficienter declaratur consensus, & intentio loquentis, inducitur dispositio ad piam causam, ita ut successioni ab intestato non sit locus, nisi ostendatur per errorem esse probata, nam & in testamento militis sufficiunt talia verba, *l. Ex his verbis; 7. C. de testam. milit.* ergo multò magis in dispositione ad pias causas habebunt vim ultimæ voluntatis, in qua non requiruntur solennitates Juris Civilis, nempe hæredis institutio, scripto, vel verbo expressè facta, *Gl. in cit. c. Cùm dilectus ult. h. t. V. Ultimam, & V. Monasterio, Abb. ibid. n. 14. & alii Dd. communiter.*

XXXII. Colligitur secundò. Quòd unus testis & confessio facta, alterâ parte absente, adeóque duæ probationes per se sufficientes & semiplenæ, etiam diversi generis, si tendant ad eundem finem seu effectum, faciant unam plenam probationem; nam Judex non ex uno tantùm probationis genere, sed ex omnibus animum suum informare debet, *l. 3. §. Ejusdem quoque ff. de testib.* Idque sumitur etiam ex *cit. c. Cùm dilectus h. t.* Nam cùm quæreretur, an Archipresbyter se & bona sua Monasterio obtulisset, affirmativa pars probata fuit, partim per unum testem de visu, & partim quia ipse Archipresbyter ante mortem confessus fuit, talem oblationem seu donationem à se factam esse; nam licèt talis confessio extrajudicialis non probet plenè, facit tamen quasi plenam probationem, quia parit non leve indicium, dummodo hoc sufficienter probetur, ut in proposito casu, per duos testes, *Abb. in cit. c. n. 15.* Porro in casu *cit. c. 3.* propria confessio Archipresbyteri non plenè probabat; quia non fuit principaliter, & ex intentione, sed incidenter tantùm facta, scilicet ad interrogationem ipsi propositam, an vellet testari, tunc ipse respondit, se non posse testari, cùm se & sua Monasterio obtulerit. Nec obstat, quòd in *cit. c.* dicitur, hoc sufficienter probatum esse. Nam verum est, quòd per testes sufficienter probata fuerit illa confessio Archipresbyteri, sed per illam confessionem, quippe quæ incidenter tantùm facta fuit, plenè probatum non fuit, oblationem, seu donationem Monasterio esse factam ab Archipresbytero, sed accedente uno teste de visu, fuit plena probatio, *Abb. in cit. c. 3. n. 17.* Deinde confessio propria non probat plenè in præjudicium alterius, & quidem absentis, etsi faciat magnum indicium, & quasi plenam probationem, præsertim favore causæ piæ, *Bart. in l. Admonendi; 31. n. 48. ff. de jurejur.* & hic videtur esse casus *cit. c. 3. h. t.*

§. III.

An, & qualiter succedat Monasterium, vel Ordo Religiosus in bonis sui Professi?

XXXIII. Assertio 1. Si Religionem Professus de bonis suis, ante professionem, nihil disposuit, & Religio non sit capax successionis, tum omnia bona illius, professione factâ, statim devolvuntur ad hæredes illius ab intestato, perinde ac si morte naturali obiisset, ex communi sententia Dd. apud *Less. l. 2. de justit. c. 41. dub. 10. n. 86.* quia cùm ipse per professionem se privet omni dominio, & possessione bonorum suorum, nec transeant hæc in Monasterium, quippe quod incapax est bonorum immobilium, sequitur, illa jura immediatè devolvi ad proximos cognatos & hæredes ab intestato, cùm nemo alius jus ad talia habeat.

XXXIV. Assertio 2. Si Religiosus Professus, ante professionem, de bonis nihil disposuit, sive inter vivos, sive per testamentum, seu ultimam voluntatem, tum professione emissâ, Monasterium, seu Ordo Religiosus, si successionis capax sit, succedit in omnia ejus bona, velut ab intestato mortui (morte spirituali) sive ab ipso, ante professionem, sive post illam, sint acquisita, sive Titulo donationis inter vivos, sive hæreditatis, legati, aut quocúnque alio acquisierit, ita ut quicquid acquirit Monachus, Monasterio suo acquirat, ut constat ex *Auth. Ingressi, & Auth. Si qua mulier C. De SS. Ecclesiis, Auth. de Ss. mis Episcopis §. Si qua mulier c. 38. coll. 9. Nov. 123. & Auth. de Monachis §. Illud quoque, c. 5. nov. 5.* Idque approbatum est in *c. Ingredientibus; 7. caus. 19. q. 3. Azor p. 1. Lib. 12. c. 8. q. 1. Sanch. l. 7. moral. c. 12. n. 4. & alii communiter.* Ratio est, tum quia par est, ut Religiosus, qui se totum mancipat obsequio Divino, etiam omnia sua bona, non mundo, sed Deo dedicet: tum quia æquum est ac decens, ut res ipsius potiùs cedant Monasterio, in quo vivere cupit, & à quo alimenta accipit, quàm aliis, quibus nihil debet, & à quibus nihil accipit, *Less. c. l. n. 82.* Porro post *Concil. Trident. sess. 25. de Regular. c. 3.* omnia Monasteria Regularium, tam virorum: quàm mulierum, etiam Mendicantium, possunt possidere bona immobilia in communi, & per consequens etiam jus succedendi in illis habent, præter Domos FF. Minorum, & Capucinorum. Item præter Domos & Collegia Societatis Jesu, quæ jus succedendi ab intestato in bonis suorum Religiosorum per suas Constitutiones non habet, *Less. cit. c. 41. num. 81.*

XXXV. Notandum hîc præterea primò, si Professus Religionem habeat liberos, seu descendentes, eis legitima portio relinqui debet, *Auth. Si qua mulier. C. de SS. Eccles.* quæ refertur etiam in *c. Si qua mulier; 9. §. Sed si persona caus. 19. q. 3.* Ubi dicitur, quòd Professus habens filios, seu liberos, possit inter illos distribuere bona sua post professionem, si antè non fecit, legitimâ non diminutâ: si verò velit ampliùs, quàm legitimam, filiis relinquere, tunc debet pro sua persona, filiis connumerata, partem retinere, quæ Monasterio competat. Sed si Professus, post ingressum, moriatur, antequam inter filios bona dividat, filii legiti-

mam percipere debent, reliqua verò substantia Monasterio cedet. Porro Religiosus Professus facit talem divisionem, non ut dominus: sed ut Administrator à jure constitutus ad hunc effectum, neque enim hæc distributio bonorum habet rationem testamenti; cùm Professus ampliùs testari non possit, ut supra dictum, sed est nuda distributio, quæ stare potest sine facultate testandi, hæc enim majorem speciem dominii præsefert, *Leff. c. l. n.* 82. *Sanch. Lib.* 7. *mor. c.* 9. *n.* 10. Habet autem prædicta Authentica vim obligandi, non ut est Constitutio Juris Civilis, nec quia præcisè est à Gratiano inserta Decreto: sed quia est tacitè approbata à SS. Pontificibus, *Leff. c. l. Sanch. cit. c.* 9. *n.* 6. & 7. de qua videri potest *Navarr. in Comment.* 2. *de Regul. n.* 45. *& seqq.*

XXXVI. Notandum secundò. Si Professus non habeat liberos, seu descendentes, sed solos ascendentes, patrem, vel matrem, avum, vel aviam, debet illis relinquere portionem legitimam; quia etsi *cit. Auth. Si qua mulier*; loquatur de solis descendentibus: ob paritatem tamen rationis, illa extendenda est etiam ad ascendentes, cùm & hi sint necessarii hæredes, deficientibus descendentibus: neque argumentum à contrario sensu locum habet, quando contrarium in jure est decisum: præsertim quia in dicta Auth. tantùm dicitur, divisionem bonorum professo permitti inter liberos, non autem legitimam illis solis deberi: Neque Monasterium habetur loco filii, nisi in casibus jure expressis, nullibi autem est expressum, Monasterium excludere à legitima parentes Professi, *Leff. c. l. n.* 83. *Sanch. c. l. n.* 19.

XXXVII. Notandum tertiò. Quicquid sit de rigore Juris Civilis, saltem ex æquitate Canonica, post professionem patris, statim debetur filiis legitima portio, eàmque mox filii petere possunt, non exspectatâ morte naturali patris, ut docet *Abb. in c. Præsentia*; 8. *n.* 59. *de probat. Covarr. in c.* 2. *n.* 7. *de testam. Navarr. Comment.* 2. *Regul. n.* 48. *& 55. Leff. c. l. n.* 83. *Sanch. c. l.* 7. *c.* 10. *n.* 3. *& alii plures.* Idque colligitur ex *c. Cùm simus*; 14. *de Regular.* Nisi quis velit dicere, quòd pater jam ibi fuerat etiam naturaliter mortuus, quod est merè divinare. Tum quia nimis durum foret filiis, si deberent alimenta petere à Monasterio, quamdiu pater eorum vivit: Tum denique, quia in *cit. Auth. Si qua mulier*; permittitur patri Religionem professo legitimas portiones inter filios distribuere, quod non permitteretur, si Monasterium jus haberet illas retinendi usque ad mortem patris, privaretur enim jure sibi competente. Quamvis etiam contraria sententia non sit improbabilis, quam plures tenent apud Dd. citt. secundùm quam necessariò dicendum est, teneri Monasterium retinens bona patris professi, necessaria alimenta præbere filiis ipsius legitimis, & illegitimis, saltem si hi aliunde alimenta non habeant; quia bona transeunt ad Monasterium, cum illa obligatione, quam habebat pater, *Sanch. cit. c.* 10. *n.* 18. Simili ratione etiam pater jus habet statim exigendi legitimam portionem debitam ex bonis filii Religionem Professi, non exspectatâ morte naturali illius, cùm hæ duæ legitimæ æquiparentur, & æqualiter debeantur, *Sanch. c. l. n.* 10. Veruntamen si filius inter ascendentes dispositionem bonorum facere velit, ante professionem facere debet, postea enim non poterit, quia in *cit. Auth. Si qua mulier*; id soli patri inter liberos permittitur, quæ cùm sit correctoria juris communis, non debet extendi ultra casum expressum, nempe ad dispositionem filii inter parentes; sic enim permittitur patri testamentum facere inter liberos, cum duobus testibus, non item filio ita testari inter parentes. Accedit, quòd in hoc casu non sit eadem ratio, nam magis proprium est parentum dividere bona inter filios, quàm è contra, *Sanch. cit. c.* 9. *n.* 20. *Laym. Lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 8.

XXXVIII. Notandum quartò. Quod dictum est patrem disponere posse de bonis suis inter filios, filiòsque descendentes, ante & post professionem suam, & filium inter parentes, ante illam, id intelligi debet de bonis acquisitis ante professionem; nam acquisita post illam pleno jure ad Monasterium pertinent, & de eo de illis non potest Professus disponere, neque illa acquiruntur tanquam à parente, aut filio, sed ut à Monacho, *Sanch. cit. c.* 9. *n.* 22. *Laym. c. l. n.* 9. Ubi tamen id limitant, nisi hæreditas jure sanguinis unquam cognato Monacho, post professionem, deferretur ab intestato, tunc enim, cùm jus sanguinis sit immutabile, bona illa, veluti ante professionem acquisita censerentur, & legitima portio ex illis dari deberet ascendentibus, & descendentibus.

XXXIX. Assertio 3. Monasterium in bonis Religionem Professi non succedit jure hæreditario, tanquam propriè dictus hæres: sed jure cujusdem acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ, nam eo ipso, quòd persona per professionem transit in potestatem Prælati & Monasterii, consequenter transeunt quoque omnia bona illius, & acquiruntur Monasterio, quippe accessoria personæ: sicut bona ejus, qui per arrogationem transfertur in potestatem arrogantis, ad ipsum etiam hoc ipso devolvuntur, *l. Si adoptavero*; *ff. de precar.* & sumitur ex *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles.* ibi: *ipso ingressu* (hoc est, ipso facto, quo quis Religionem ingreditur) *se suâque dedicat Deo: & in Auth. de Monachis* §. *Illud quoque* ibi: *Ingredientem namque simul sequerentur res*. hoc est, ipso jure & per sequelam, *coll.* 1. ita ut non tantùm dominium, sed etiam possessio omnium bonorum Professi, absque ulla apprehensione, transeat in Monasterium, accessione ad personam, cùm Professus nihil ampliùs ex iis possit possidere: In quo distinguitur Monasterium ab hærede extraneo succedente ex testamento, vel ab intestato, qui non acquirit dominium bonorum hæreditariorum ante aditam hæreditatem, nec illâ aditâ, censetur bona illa possidere, ante actualem apprehensionem eorumdem, *l. Cùm hæredes*; 23. *in princ. ff. de acq. poss.* & in docet *Abb. in c. In præsentia* 38. *n.* 74. *de probat. Navarr. c. l. n.* 46. *Leff. cit. c.* 41. *n.* 84. §. *Sexto, Sanch. l.* 7. *mor. c.* 12. *n.* 21. *& 23.* Id autem intelligendum est de bonis, quæ Professus habet tempore professionis, nam alia bona, quæ Professo obveniunt, post editam professionem, acquiruntur Monasterio, sine traditione solùm quoad dominium, ex generali privilegio Ecclesiis concesso in *l. fin. C. de SS. Eccles.* non tamen possessio, sine interveniente traditione, *Sanch. c. l. n.* 28.

§. IV.

Aliæ quædam quæstiones circa successionem Ordinis Religiosi in bonis ejus Professi, proponuntur, & resolvuntur.

XL. Quæritur primò. An hæreditas delata Religio-

ligionem professo acquiratur immediatè Monasterio, sine aditione Monachi, seu Religiosi? Resp. probabilius est, quòd hæreditas, sive ex testamento, sive ab intestato, delata Monacho, immediatè acquiratur ipsi Monasterio, ita ut non sit opus aditione Monachi, ad illam acquirendam: sed solum Monasterium adire possit, *Abb. in cit. c. In præsentia; 76. de probat. Covarr. in c. 1. de testam. num. 21. Molin. disp. 140. num. 19. Less. cit. c. 41. n. 87. Sanch. Lib. 7. mor. c. 12. num. 36.* & alii Canonistæ communiter contra nonnullos Legistas. Probatur, quia per professionem omnia jura Monachi, & omnis ejus voluntas in Monasterium sunt translata, cùm ergo non habeat proprium velle, aut nolle, non ei acquiritur hæreditas: sed immediatè Monasterio, in quod omnia sua jura transtulit. Et quamvis habeat, & retineat jus succedendi in commodum Monasterii, ut illi acquirat: non tamen habet jus succedendi in suum commodum, ut sibi aliquid acquirat, hoc enim totum est translatum in Monasterium.

Hinc infertur, quòd Monasterium, etiam ignorante & invito Monacho, possit adire, vel repudiare hæreditatem ipsi delatam, exclusis aliis hæredibus, quia hæreditas immediatè defertur Monasterio, etsi ex persona ipsius Professi, ideóq; ad Monasterium pertinet potestas ac jus illam adeundi, vel repudiandi, *Less. c. l. Sanch. c. l. n. 40.* Nec obstat, quòd hæreditas delata servo, non acquiritur domino, servo invito, vel nolente adire, *l. 3. C. de hæred. instit.* ergo nec Monasterio, invito Monacho, qui servo comparatur. Nam Monachus in acquirendo, partim comparatur servo, partim filiofamilias: servo in eo, cui acquiritur, quia sicut servus quicquid acquirit, non sibi, sed domino acquirit: ita & Monachus, non sibi, sed Monasterio: filiofamilias verò comparatur in modo acquirendi, quia sicut hæreditatem delatam filio, potest pater adire, etiam invito, & repudiante illam filio, *l. fin. C. de bonis, quæ liberis &c.* ita & Monasterium potest adire, recusante, vel invito Monacho; nam comparatur Monachus interdum servo, interdum filio, prout Monasterio est utilius. Et hinc etiamsi hæreditas sit delata Religioso professo, & nondum adita, potest Monasterium, etiam illo postea mortuo, vel ad aliud Monasterium translato, adire illam; quia jus adeundi jam est per professionem acquisitum Monasterio, quod per mortem vel translationem Professi ei non aufertur, *Sanch. c. l. n. 47.* Ipse verò Professus, sine consensu Superioris, nec licitè, nec validè hæreditatem sibi delatam adire potest, ob rationem supra allatam. Porro etsi dicatur, quòd hæreditas immediatè acquiratur Monacho, & mediante ejus personâ, Monasterio, ac proinde, quòd necessaria sit ejus aditio, ut tenent plures Legistæ: potest tamen Monasterium compellere Monachum, ad hæreditatem ipsi delatam adeundam, sicut potest alia, quæ Monasterio sunt utilia, ipsi præcipere, & ad ea compellere, *Sanch. cit. c. 12. num. 41.*

XLI. Quæritur secundò. An Monasterium succedat ei, qui tempore Novitiatûs intestatus decedit? Resp. negativè, nam sicut Religionem ingressus, ante professionem, nondum se obtulit, quoad personam, ita nec quoad bona, de quibus adhuc plenam libertatem habet disponendi, sive inter vivos; sive per ultimam voluntatem. Si tamen in Monasterio, post Novitiatum finitum, maneat, nullâ factâ dispositione, se, & sua ei censetur dedicâsse, *Auth. Ingressi, C. de SS. Eccles. Zæs. in Comment. ad Decretales. h. t. n. 8. & 9.*

XLII. Quæritur tertiò. An per consuetudinem, vel statutum possit tolli jus succedendi, quod competit Monasteriis in bona Professorum? Resp. primò, per consuetudinem legitimè præscriptam (spatio scilicet 40. annorum, quia minore tempore non præscribitur contra Ecclesiam) potest induci, ut Monasterium excludatur à successione in bona Professi, sive mobilia, sive immobilia, eáq; omnino devolvantur ad filios, vel consanguineos Professi, *Covarr. in c. 1. in fine de testam. Sanch. cit. c. 12. n. 14. & alii communiter.* Ratio est, quia cùm hoc jus succedendi solo jure humano competat Monasteriis, potest per contrariam consuetudinem omnino tolli, & abrogari.

XLIII. Resp. secundò, nullo modo potest per statutum municipale, aut provinciale decerni, ut qui Religionem ingrediuntur, excludantur ab hæreditate seu successione parentum, aut aliorum consanguineorum, adeóque etiam Monasterium in bona eorum immobilia non succedat, vel, ut ingredientes parte aliquâ hæreditatis, aut vitalitio sint contenti, sed tale statutum, quibuscúnque verbis concipiatur, est irritum, ut docet *Abb. in reperit. c. Ecclesia; 10. n. 35. de Constitut. & ibid. Laym. n. 7. Exemplo 5. Sanch. cit. c. 12. n. 18. & alii apud ipsum.* Ratio est, tum quia tale statutum, ejùsque effectus dirigitur in illud tempus, quo Religionem ingressus jam est Professus, non enim ante professionem excluditur à successione, nec illius incapax redditur: tunc autem jam est omninò exemptus à jurisdictione sæculari, adeòque tali statuto sæculari nullo modo ligari potest: tum quia licèt statutum hoc fiat tempore habili, scilicet ante ingressum Religionis: quia tamen ejus effectus confertur in tempus inhabile, scilicet quo ingressus Religionem jam est Professus, illud non valet; quia dispositio, quæ fit tempore habili, non valet, si ejus effectus conferatur in tempus inhabile, sed perinde est, ac si fieret tempore inhabili, ut colligitur ex *l. Ut sponsæ 5 4. C. de donat. ante nupt.* & dicetur *Tit. seq.* tum quia tale statutum retrahit ab ingressu Religionis, ideóque non obligat in præjudicium ejusdem, nec possunt Leges Civiles, quæ expressè & specificè faciunt mentionem, ac disponunt de Ecclesiasticis personis, illas obligare, etiamsi alioquin ipsis favorabiles sint, ut dictum supra *Lib. 1. Tit. 2.* Tum denique quia supremus Princeps, videlicet Imperator, vel Rex non potest privilegia ab Imperatoribus Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis concessa, & ab eis acceptata auferre, sine consensu S. Pontificis, cùm jurisdictionem in Ecclesiasticas personas non habeat. Jus autem succedendi Monasteriis, non tantùm Jure Canonico, sed etiam Civili est concessum, *l. Deo; 56. C. de Episc. & Cleric.* quicquid in contrarium dicat *Gail. Lib 2. obs. 32. n. 8. Zæs. in Comment. ad Decret. h. t. n. 10. & 11.*

TITV.

TITVLVS XXVIII.

DE SEPULTURIS.

Postquam in superioribus Titulis actum est de Testamentis, aliisque ultimis voluntatibus, quæ morte testatoris confirmantur, & antè effectum non habent, sed mutari, & revocari possunt: item de successionibus ab intestato, quæ & ipsæ post mortem tantùm fieri possunt; ideo nunc rectè agitur de sepultura, quæ mortem proximè sequitur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis & Extravagantibus communibus. Est autem pro explicatione rubricæ notandum, tripliciter sumi posse sepulturam, ut notat Silvest. V. Sepultura in princ. & alii Dd. communiter; primò, pro loco, in quo aliquis sepultus est, vel sepeliendus. Secundò pro jure sepeliendi, quod quis habet in aliquo loco. Tertiò, pro ipso officio, quod impenditur corporibus humandis, sive pro ipso ritu, & actu sepeliendi.

§. I.

Quis sit locus sepulturæ sacræ & Ecclesiasticæ, & quo in loco possit quis vel debeat sepeliri?

I.

ASSERTIO 1. Etsi olim & antiquis temporibus prohibitum fuerit, ne Christiani intrà Ecclesiam sepelirentur, ut patet ex c. *Præcipiendum*; 15. *in fine caus.* 13. *q.* 2. nisi Episcopi, Abbates, vel aliæ insignes personæ, *arg. c. Nullus*; 18. *cit. caus. & q.* ubi per fideles laicos *Gl. V. Fideles, & Turrecremata in fine*, intelliguntur, non quoslibet baptizatos, sed eos, qui pro sanctis sunt habiti, & miraculis corruscabant, vel in dignitate constituti erant: hodie tamen quilibet fideles Christiani, sive Clerici, sive Laici, in Ecclesiis sepeliri licitè possunt, ut constat ex c. *Cùm gravia*; 17. & ibi *Gl. V. Sepeliantur ead. caus. & q.* Ubi plures rationes referuntur, cur fideles in Ecclesiis sepeliantur, & ex c. *Ex parte*; 5. *& c. seq. h. t. Barbos. in Tract. de offic. & potest paroch. c.* 26, *n.* 8.

II. Porrò non tantùm in Ecclesiis: sed etiam in Cœmeteriis fidelium corpora sepeliri solent. Et quamvis de Jure Civili, locus Religiosus fiat, si in illum sit illatum corpus hominis mortui, domino sciente, nec contradicente, ut in eo perpetuò sepultum permaneat, ita ut talis locus vendi non possit, quia est in nullius bonis, & extrà commercium hominum, *l.* 2. *C. de Religios. & sumpt. funer.* §. *Nullius. & § Religiosum Instit. de rer. divis.* Id tamen non procedit de Jure Canonico, secundùm quod non ideo talis locus habet rationem sepulchri, seu loci Religiosi: sed requiritur, ut publicâ Episcopi auctoritate ad sepulturam fidelium sit deputatus, ut docet *Gl. communiter recepta in c. In Ecclesiastico*; 14. *caus.* 13. *q.* 2. *V. Si terram: Abb. in c. pen. n.* 4. *h. t. Mol. tr.* 2. *de just. dis.* 214. *n.* 3. & colligitur ex c. *Ad hæc*; 4. *de Relig. domib.* Etsi verò Cœmeterium plerumque vicinum esse soleat Ecclesiæ consecratæ, potest tamen etiam aliquantulum remotum constitui ab Ecclesia propter fœtorem, ut ait *Silvest. V. Sepultura q.* 1. præsertim ubi corpora eorum sepeliuntur, qui peste moriuntur.

III. Assertio 2. Si quis habeat sepulchrum majorum seu parentum suorum (extrà Parochiam propriam) in illo sepeliri debet. Exemplo Patriarcharum, (qui in sepulturis Patrum suorum sunt sepulti) nisi tamen alibi propriam sibi elegerit sepulturam, etiam alienam, sicut & Christus alienam elegit. (quia natus in Bethlehem, & nutritus in Nazareth sepultus fuit in Jerusalem in sepulchro Joseph, prout statuit Leo III. in c. *Nos instituta*; 1. *h. t.* & ibi *Gl. V. Alienam elegit*, ubi additur, si quis extra Parochiam suam sepeliatur, tertia pars (ex legatis seu relictis illi Ecclesiæ, in qua sepulturam sibi elegit, & non exrelictis aliis locis, *Gl. hîc V. indicii*) tribui debet illi Ecclesiæ, in qua Sacramenta & Divina percepit; & ne aliter fiat, sub pœna excommunicationis prohibetur. Verùm de hac portione parochiali dicetur infra.

IV. Ubi Notandum, nomine majorum hîc intelliguntur pater, avus, & alii Superiores, seu ascendentes, *l. Juris consultus*; 10. *ff. de gradib. affinit.* Quòd si pater sponte sibi elegit proprium sepulchrum diversum à sepulchro majorum suorum, tunc filius sepeliendus est in sepulchro patris sui, etsi hic adhuc superstes sit: secus est, si pater, præter voluntatem suam, ibi aliquo ibi sit sepultus, tunc enim filius in sepulchro avorum sive majorum suorum sepeliri debet, ut docet *Abb. in cit. c.* 1. *num.* 5. *h. t. Mol. cit. dis.* 214. *num.* 1. Quamvis *Gl. in c. Is qui*; 3. *V. Ab antiquo, h. t. & Silvest. V. Sepultura, q.* 8. *& alii apud ipsum putent*, quòd indistinctè si pater sit sepultus in uno loco, avus verò & alii majores in alio loco, filius sepeliendus sit cum avo, & aliis majoribus, ut innuitur in *cit. c.* 3. Ubi dicitur, quòd quis sepeliri debeat in ea Ecclesia, in qua majorum priùs ab antiquo sepultura extitit. Si verò pater & avus sepulti essent in uno loco, proavus verò & atavus in alio, filius sepeliri deberet cum patre & avo; quia sepultura inter mortuos comparatur domicilio inter vivos, filius autem sequitur originem & domicilium

micilium proximorum parentum, patris scilicet, & avi, non superiorum, sive remotiorum ascendentium, juxta *l. Assumptio; 6. §. Filius; ff. ad municip. Silvest. c. l. q. 8. dicto* 1. *Barb. cit. c. 26. nu.* 32. His adde etiam filios illegitimos, & naturales, cum patre sepeliendos esse, nisi is in dignitate sit constitutus: non item filios spurios, hi enim in sepulchro matris sepeliri debent, nisi sit fœmina Illustris, *Silvest. c. l. q. 8. dicto* 4. Filij verò adoptivi, vel arrogati, si vivente patre adoptante, in cujus potestate erant, moriantur, in sepulchro ejusdem sepelientur: secus si eo mortuo, decedant; quia tunc sepeliendi sunt cum patre naturali, exspiravit enim adoptio, *Silvest. c. l. dicto* 4.

V. Assertio 2. Si quis sepulchrum maiorum non habeat, vel in eo commodè sepeliri non potest, sepeliendus est in propria Parochia, in qua domicilium habuit, Sacramenta percepit, & Divinis Officijs interfuit, ut colligitur ex *c.* 1. *h. t.* & *c.* 1. *eod. in* 6. Quòd si quis in duabus Parochijs habuit domicilium, & in utraque pariter habitavit, & æquè Sacramenta percepit, & Divinis interfuit Officijs, in illa sepeliri debet, quæ prævenerit; si autem neutra prævenit, vel uterque Parochus inter se litem hac in re componat, vel Episcopus se interponat, ejúsque judicio stabunt, *Mol. c. l. n.* 13.

» VI. Similiter, si is, qui in Civitate vel Ca-
» stro domicilium habens, quandóque ad Villam se
» transferat, recreationis causâ, vel ut ruralia exer-
» ceat in eadem: accidat autem, ut non electâ sepul-
» turâ, in illa Villa decedat, non in Ecclesia dictæ Vil-
» læ, sed in sua Parochiali Ecclesia, vel in ea potiùs,
» in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura exti-
» tit, sepeliri debet, dummodò absque periculo ad
» illam deportari possit, prout statuitur in *c. Is, qui*;
3. in princ. h. t. in 6. Ratio est; quia per hoc, quòd quis transeat à loco domicilij ad alium locum, ibíque ad tempus habitet, non amittit prius domicilium, nec fit incola, aut Parochianus illius loci, ad quem migravit, nisi habeat animum stabiliter ibidem permanendi, prout sumitur ex *l. Domicilium*; 20. & *l. Eum, qui*; 27. §. *Celsus, ff. ad municipal.*

Ex quo infertur, quòd si quis propter bellum, vel pestem è Pago, in quo domicilium habet, se transferat in Civitatem, animo redeundi, accidat autem, ut ibi moriatur, & sepeliatur: portio canonica Parochialis, non debetur Ecclesiæ Civitatis, in qua mortuus est, ac sepultus; quia ibi defunctus non habebat domicilium, & consequenter, nec Parochiam, cùm non migraverit, eo animo, perpetuò ibi manendi: sed debetur illa portio Ecclesiæ parochiali Pagi illius, in quo retinuit domicilium, *Abb. in c. In nostra*; 10. *num.* 10. *&* 11. *Franc. in c.* 1. eodem *in* 6. *nu.* 1.

VII. Assertio 3. Illi, qui alicubi domicilium habentes, se conferunt ad alium locum, negotij alicujus causâ, animo, non quidem ibi perpetuò manendi, sed ad tempus non breve, v. g. unum annum, vel majorem partem anni, ut sunt litterarum studiosi, & famuli conductij &c. isti in tali loco quasi domicilium habent, adeóque etiam Parochiam acquirunt, ita ut à Parocho loci Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ: & Extremæ Unctionis ibi percipere possint; imò etiam Parochus ejusdem loci eorum matrimonio, dum ibi actu versantur, assistere potest, ut ex probabiliore sententia docet *Sanch. Lib. 3. de matrimon. disp. 23. num.* 12. & 13. Quare etiam in Parochia loci illius, in quo mortui sunt, sepeliendi erunt, nisi aliam sepulturam sibi eligant, *Abb. in c.* 1. *n.* 4. *h. t. Molin. cit. dis.* 114. *nu.* 18. Idque omnino necessarium est, propter casuum frequentiam, & distantiam à loco proprij domicilij, propter quam multa permittuntur, quæ aliàs non permitterentur, sed prohiberentur, ut ait *Gl. in c. Tum ex litteris*; 5. *V. Locorum distantiam, de in integ. restit.*

VIII. Assertiò 4. Peregrini, & advenæ, si moriantur in locis, per quæ transeunt, animo non ibi longam moram trahendi, neque commodè ad sepulturam majorum: nec ad propriam Parochiam eorum corpora deferri possint, sepeliendi sunt, vel in Ecclesia Cathedrali, secundùm quorundam sententiam, vel potiùs in Ecclesia Parochiali, in qua sunt defuncti, præsertim si à Parocho ejusdem loci Sacramenta perceperint, *Abb. c. l. Silvest. V. Sepultura; qu.* 8. *dicto* 2 *Molin. c. l. n.* 17. Qui addunt, hac in re consuetudini cujusque loci standum esse. Idem dicendum, de damnatis ad mortem, si sepeliri permittantur, quod de peregrinis *Silv. c. l. dicto* 3.

IX. Ex dictis jam facilè deduci potest, in quo loco alij quidam sepeliri debeant, de quibus dubium esse poterat. Nam primò Prælati Ecclesiarum regulariter sepeliri debent in Ecclesijs suæ Prælaturæ, quòd si in duabus Ecclesijs sint Prælati, locus erit præventioni, vel potiùs sepelientur in illa, in qua sunt mortui; Clerici verò inferiores sepeliri debent in Ecclesia, in qua sunt Beneficiati, *Silvest. cit. qu.* 8. *dicto* 6. quia ibi censentur habere domicilium.

Secundò. Famuli domestici Ordinum Mendicantium possunt in eorum Ecclesijs, vel Cœmeterijs sepeliri, etiam Parocho loci invito, si intra septa Monasterij, Collegij, vel Residentiæ moriantur, ex privilegio à Papa concesso, etiamsi in eo sepulturam non elegerint, prout videre est apud *Rodriq. Tom.* 2. *qu.* 68. *num.* 2. *Molin. c. l. nu.* 16. & habetur *in Comp. privil. Societatis*; *V. Familiares*; §. 1.

X. Tertiò. Uxor vidua, non in sepulchro majorum suorum: sed in mariti sepulchro sepeliri debet, si nullâ sepulturâ electâ, decessit, *c.* 2. *in fine, cauſ.* 13. *qu.* 2. ubi dicitur: *quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulchrum, &c. seq.* Major enim est conjunctio uxoris, cum marito, quàm cum proprijs parentibus juxta illud *Gen. V.* 24. *Relinquat homo patrem suum* &c, Hoc autem procedit solùm in legitima uxore, cum jam consummatum est matrimonium, vel quæ saltem deducta est ad domum mariti: non autem in sponsa de futuro, quæ non est sepelienda in sepulchro sponsi, *Franc. in c.* 3. §. *Mulier. in fin. n.* 3 *h. t. in* 6. Deinde non procedit, si mulier propter adulterium sit separata à viro, facto divortio; quia tunc non est de domo, seu familiâ viri, nisi ei ante mortem sit reconciliata, *Silvest. cit. q.* 8. *dicto* 5.

» XI. Porro, si mulier, quæ plures viros suc-
» cessivè habuit, & sepulturam non elegit, moria-
» tur: cum viro ultimo, cujus domicilium retinet,
» & honorem, sepelienda est, prout statuitur in *c. Is, qui*; 3. §. *Mulier*; *h. t. in* 6. Ratio est, quia uxor non tantùm vivente marito, sequitur domicilium, & forum mariti: sed etiam post mortem ejus re-

tinet illud, & honorem, ac dignitatem mariti, *cit.* §. *Mulier*; & c. *Ex parte*; 15. *de for. compet.* & habetur in *l. Quoties* 3. *C. de privil. scholar. Lib.* 12. Id tamen intelligendum est, dummodo uxor post mortem mariti, in viduitate permaneat, & honestè vivat: nam si ad aliud matrimonium trãseat, sequitur domicilium, & honorem posterioris mariti, *arg. cit.* §. *Mulier*; & *l. His solis*; 7. *C. de revoc. donat.* & multò magis perdit honorem, & privilegia mariti defuncti, si in viduitate impudicè vivat, *arg. cit. l. His solis*; *Franc. in cit.* §. *Mulier*; *n.* 1. & 2. ubi tamen ait, quòd vidua non teneatur in vita sequi forum, ac domicilium mariti; ne quod in ejus favorem concessum est, in ejusdem gravamen cedat, si eo uti in vita cogeretur.

XII. Notandum hîc præterea primò. Uxor vidua debet sepeliri in sepulchro mariti, etiamsi eo mortuo, reversa sit in domum patris, vel ad alium locum, se transtulerit; quia retinet nihilominus domicilium, & honorem mariti, quod privilegium cùm non detur loco: sed personæ, non amittitur ob varietatem locorum, *Franc. c. l. n.* 2. *Silv. c. l. dicto* 5.

Notandùm secundò. Prædicta procedunt, si uxor post maritum moriatur: si verò ante illum decedat, tunc vel maritus elegit sibi sepulchrum proprium, & in eodem debet sepeliri uxor mortua; quia animi destinatione videtur maritus ibi sepultus. Idémque dicendum, si maritus non elegit propriam sepulturam, intendit tamen sepeliri in sepulchro majorum suorum, nam & in eodem sepelienda erit uxor. Vel maritus non elegit sibi sepulturam, sed est absens, aut amens, ita ut non possit declarare suam voluntatem circa sepulturam: & tunc uxor sepelienda est in sepulchro suorum majorum, vel si tale non habeat, aut si in eo non possit sepeliri, in Parochiali Ecclesia, in qua decessit, *Abb. in c. De uxore*; 7. *nu.* 6. *h. t. Franc. in cit. c.* 3. §. *Mulier*; *nu.* 3. *h. t. in* 6. *Silvest. cit. qu.* 8. *dicto* 5.

XIII. An verò vice versâ, si uxor priùs decessit, electâ sibi sepulturâ, & postea maritus moriatur, non electâ sepulturâ, maritus debeat tumulari in sepulchro uxoris suæ, an verò in sepulchro majorum; dubitatur? Videtur affirmandum priùs, nam propter unionem, quæ fuit inter Conjuges in vita, jus disposuit, quòd uxor debeat sepeliri in sepulchro mariti, ergo idem dicendum vicissim de marito; cùm maritus, & uxor sint una caro, & æquali jure censeantur, ac gaudeant. Verùm posterius est tenendum, nempe maritum sepeliendum esse in sepulchro majorum suorum, vel in Ecclesia Parochiali, nisi consuetudo alia vigeat; *Abb. in c.* 7. *n.* 7. *h. t.* ubi tamen dubitativè loquitur; *Franc. in cit.* §. *Mulier*; *n.* 3. *vers.* 2. *Quæritur*; *Silv. c. l. dicto* 5. Ratio est, tum quia in *c.* 3. *caus.* 13. *qu.* 2. dicitur, unaquæque mulier sequatur virum suum: non autem ibi dicitur, quòd è converso, etiam maritus debeat sequi uxorem, & absurdum videtur, si maritus sequatur dispositionem mulieris, *argum. l. Si ita*; 45. *ff. de legat.* 2. Tum quia non est par ratio, quoad hoc, mariti, & uxoris, nam mulier sequitur domicilium, & honorem, ac jura mariti: non autem vice versâ, maritus uxoris, nec censentur eodem jure, nisi quoad usum matrimonij. Quare cùm à Jure communi non sit recedendum, nisi in casibus in eodem exceptis: nullibi autem in jure reperiatur permissum, quòd maritus, si decedat, non electâ sepulturâ, alibi possit sepeliri, quàm in sepulchro majorum suorum, aut in Parochia, ideò sine fundamento asseritur, sepeliendum esse in sepulchro uxoris.

Porro ubi Religiosi, & Novitij sepeliendi sint, dicetur §. *seq.*

§. II.

Quinam sibi, vel aliis sepulturam eligere possunt, vel non?

XIV. Assertio 1. Omnes regulariter, tam masculi, quàm fœminæ, extra Parochiam suam, in aliena Ecclesia, vel Cœmiterio, sibi sepulturam eligere possunt, modò sint puberes, & liberum arbitrium, seu usum rationis habeant, ut ex communi docet *Silvest. V. Sepultura*; *q.* 6. *Mol. cit. disp.* 214. *nu.* 10. & constat ex *c.* 1. ibi: *nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & alienam h. t.* & ibi, *Gl. V. Propriam*, & colligitur ex *c. Is, qui*; 3. *eod. in* 6.

XV. Extenditur autem primò. Quòd etiam filiusfam. seu filius in patris potestate constitutus, (si pubes sit) absque patris consensu, liberè sibi potest sepulturam eligere: tametsi per ultimam voluntatem, etiam pro anima sua, non possit, sine patris assensu, aliquid relinquere, nisi Castrense, vel quasi Castrense peculium habeat, prout statuitur, in *c. Licet*; 4. §. *Quamvis*; *h. t. in* 6. ubi Gl. ait, *judicare*; ibi sumi pro ultima voluntate. Per Castrense verò peculium intelligitur, quòd filiusfam. occasione, vel intuitu militiæ: per quasi Castrense, quod advocando v. g. acquisivit, *Gl. ibid.* Ratio autem, cur filiusfam. priùs possit, etsi non posterius, est, quia quoad res, & jura spiritualia (cujusmodi etiam est jus sepulturæ, quippe res Sacra, & Religiosa, *c. Quæsta*; 12. *caus.* 13. *q.* 2.) filius non est ita subjectus patriæ potestati, sicut quoad bona temporalia, juxta *c. ult.* §. *fin. de judic.* sed potiùs sui juris, ideòque liberè potest de illis disponere, sine consensu patris, *Franc. in cit.* §. *Quamvis*; *in princ.* sicut etiam de bonis Castrensibus, & quasi Castrensibus, in quibus non est dependens à patria potestate, nec ei subjectus.

XVI. Extenditur secundò. Quòd sicuti vir liberam habet potestatem eligendi sepulturam sibi, sic, & uxor, ita ut nulla inter conjuges facienda sit distinctio, cùm utrinque æqualis in hoc casu competat facultas, prout rescripsit Lucius III. in *c. De uxore*; 7. *h. t.* ubi etiam ratio redditur; quia electio sepulturæ, quæ ab uxore fit, durante adhuc matrimonio, ad illud tempus refertur, & ad illum statum pertinet, in quo mulier soluta est à lege viri, nempe ad tempus mortis.

Ubi notandum cum Abbate *hîc nu.* 2. sicut non valet dispositio facta tempore habili, si effectus illius conferatur ad tempus inhabile: ita vice versâ, valet dispositio, quæ fit tempore inhabili, si ejus effectus conferatur in tempus habile, ut colligitur ex *l. Quod Sponsæ*; 4. *C. de donat. ante nupt.* ubi dicitur, non valere donationem factam sponsæ, si ejus effectus con-

conferatur in tempus nuptiarum, sive ut tunc effectum sortiatur: valet tamen donatio facta ante nuptias, vel post nuptias, si effectum primùm habebit, post solutum per mortem matrimonium, *l. Cùm hîc status* 32. §. 1. § & *Si Sponsus ff. de don. inter vir. & uxor.* Quia perinde est, aliquid fieri tempore habili, vel inhabili, si ejus effectus conferatur in tempus habile, ut tradunt Dd. in *l. In tempus* 3. 6. *ff. de hæred. instit.*

XVII. Extenditur tertiò. Quòd etiam in loco minùs religioso potest quis sibi eligere sepulturam, prout decernitur in *c. Cùm quis* 3. 2. §. *Si quis* 3 » *h. t. in 6.* ubi dicitur: Si quis, prætermissâ suâ » antiquâ sepulturâ, novam in loco minùs reli» gioso elegerit sepulturam, talis electio (licèt » jura de hac re diversa esse videantur) impugnari » non debet. ubi juxta *Gl. ibid. in casu*, per locum minùs religiosum intelligitur talis locus, qui etsi sacer sit: tamen minùs frequenter in eo Sacrificia, & alia Officia Divina, ac publicæ orationes peraguntur, per quæ longè magis religiosus efficeretur; nam cùm libera cuique sit facultas eligendi sibi sepulturam, non debet quis prohiberi, quò minùs etiam in loco minùs religioso, v. g. in Capella, in qua nonnisi semel, vel bis in anno Missa celebratur, sepeliri possit, si velit, modò talis locus jus sepulturæ habeat, de quo infra.

XVIII. Sed huic decisioni adversari videtur, quod statutum est in *c. Fraternitatem* 3. *h. t.* nempè, quòd si quis relicto sepulchro majorum suorum, eligat sibi sepulturam in loco minùs religioso, non valet electio: ubi Innocentius III. ita » rescribit: Cùm sepulchra, & Cœmeteria apud » Ecclesias, & Monasteria Religiosorum ab anti» quo sint constituta, in quibus orationes, & Mis» sarum solennia, tam pro vivis, quàm defunctis, » frequentiùs celebrantur, unde devotioni, & ul» timæ voluntati eorum, qui volunt ibi sepeli» ri, non est contradicendum. Qui verò relic» tis antiquis Ecclesijs, & sepulchris patrum suo» rum, ad nova, & minùs religiosa loca se trans» ferunt, contra Patrum antiquam consuetudi» nem, seu institutionem facere videntur, qui » apud parentes suos sepeliri voluerunt. Quare » mandat Papa, ut corpus defuncti reddatur illi » Ecclesiæ, in qua sepulti sunt majores ipsius, ut » cum ejsdem ibi sepeliantur.

Ad hoc respondetur, dictum *c. Fraternitatem*; intelligendum esse, si quis sepulturam eligat in loco minùs religioso irrationabiliter, aut malitiosè, & quia relictâ sepulturâ majorum suorum, in qua de jure, juxta antiquam consuetudinem, sepeliri debuisset, novam sepulturam in alia Ecclesia elegit, dolo inductus, vel ex contemptu antiquæ, aliam pro sua sepultura deputavit, vel in præjudicium illius Ecclesiæ, cui debitam portionem canonicam non reliquit, tunc enim Ecclesia, quæ præterita est, v. g. Regularium, ut in casu *hujus cap.* corpus defuncti repetere potest, ut in illa cum majoribus suis sepeliatur, prout explicat *hoc c. Abb. hîc num.* 4. *in fine.* Et sic hoc c. non est correctum per *cit. c.* 2. §. *Si quis eod. in 6.* neque enim correctio jurium antiquorum, sine necessitate, asserenda est. Aliam explicationem hujus *c.* 3. affert *Abb. c. l.* videlicèt in Ecclesia non habente Cœmeterium, non licere sibi eligere sepulturam; quia est contra institutionem SS. Patrum, cùm corpora fidelium debeant requiescere in Cœmeterijs Ecclesiarum, *c. Aurum*; 70. *caus.* 12. *quæst.* 2. & *c.* 1. *caus.* 13. *qu.* 1. & juxta hanc expositionem, summa *hujus cap* hæc erit: non potest quis, relicto majorum sepulchro, eligere sibi sepulturam in Ecclesia, quæ de jure, vel ex privilegio Cœmeterium non habet, *Fagn. hîc nu.* 2. sed prior interpretatio est melior.

XIX. Assertio 2. Potest pater filios impube» res, qui antequam ad annos pubertatis perveniant, » sepulturam sibi eligere nequeunt, sepelire, in qua » Ecclesia ipse voluerit, si consuetudo Regionis id » permittat; si verò consuetudo id non habeat, tunc » cum majoribus suis tumulandi sunt, vel in paro» chiali Ecclesia, prout statutum est, in *c. Licet* 3. 4. » *in princ. h. t. in 6.* & in *c. De uxore* 3. 7. §. *Utrum autem extra eod.* ubi dicitur, quòd pater filios minores, » seu impuberes possit sepelire, ubi voluerit, id non » reperitur definitum à SS Pattibus, & ideò con» suetudini loci relinquendum est. Ratio est, quia ob defectum maturæ ætatis, & judicij, impuberes sepulturam sibi eligere non possunt, sed eorum voluntas à patre, vel tutore regi debet.

XX. Ubi notandum primò. Sicut consuetudo dat jurisdictionem; *c. Cùm contingat*; 14. *de foro compet.* & jus eligendi Prælatum, *c.* 3. *de caus. possess.* ita & jus eligendi sepulturam dare potest, etiam contra Jus commune, secundùm quod, qui non electâ sepulturâ, mortui sunt, in sepulchro majorum, vel in parochiali Ecclesia sepeliendi sunt, *c.* 1. *h. t.* & in *c.* 3. *eod. in 6. Gl. in cit. c. Licet V. Consuetudo*; dummodo talis consuetudo legitimè præscripta sit, videlicet 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo, juxta *c.* 1. *de præscr. in 6.* cùm sit contra Jus commune, quamvis probabile sit, sufficere tempus 10. annorum; quia tali consuetudini jus non resistit, sed potiùs assistit, *Franc. in cit. c. Licèt*; *n.* 2.

Notandum secundò. Etsi pater, spectato Jure communi, possit filio impuberi facere Testamentum, sive hæredem ipsi substituere *l.* 1. *ff. de vulg. subst. c.* 1. *de testam. in 6.* non tamen potest eidem sepulturam eligere, seclusâ consuetudine. Ratio disparitatis est, quia jus sepulturæ est spirituale, jus autem testandi temporale: potestas autem patris non ità se extendit in filium ad jura spiritualia, sicut ad temporalia, ut supra dictum.

Notandum tertiò, Non tantùm patet, sed etiam mater, imò & propinqui, si impubes ascendentes non habeat, possunt sepulturam ipsi eligere, si consuetudo talem potestatem eis concedat. *Franc. c. l. n.* 3. *in fine.* Veruntamen *Gl. in cit. c Licet*; *V. Vel in Parochiali*, tradit, quòd consuetudo non dat liberam facultatem parentibus, & amicis eligendi sepulturam pro impubere, ubi voluerint: sed quòd solùm liceat ipsum sepelire, vel in sepultura majorum, vel in Parochia, prout voluerint. Imò *Anchar. ibid. not.* 4. & alij putant, ordinem scripturæ inspiciendum esse, ita ut impubes sepeliendus sit in sepulchro majorum, si potest, aliàs in Parochiali Ecclesia, quia illud jura huic præferunt: nisi consuetudo tribueret potestatem eligendi alterutrum; tum enim illa servanda esset. *Franc. c. l.*

» XXI Assertio 3. Religiosi sibi sepulturam » eligere non possunt, cùm velle, & nolle non ha- » beant, sed in Monasterijs suis sepeliri debent, nisi » adeo remoti sint à proprijs Monasterijs, ut eò com- » modè post mortem deportari non possint, tunc e- » nim jus habent eligendi sibi sepulturam, prout statuitur in *c. Religiosi*; 5. *& ult. h. t. in 6.* Sed huic decisioni obstare videtur, quòd uxor sibi eligere possit sepulturam, absque consensu mariti; quia talis electio refertur, & tendit in illud tempus, in quo mulier soluta est lege, & potestate viri, *cit. c. De uxore*; ergo similiter Religiosus poterit sibi eligere sepulchrum, absque consensu Prælati, cùm & ipse disponat in tempus scilicet mortis, quo est solutus à lege, seu potestate Prælati. Sed respondetur cum *Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. in 6.* disparem esse rationem; quia uxor non est subjecta potestati viri absolutè, & omnimodè, sed solùm quoad legem conjugij, & actus, seu obligationes matrimoniales, ideóque eâ lege cessante, ipsa potest pro arbitratu disponere: At verò Religiosus, cùm propter votum obedientiæ, proprium velle, ac nolle non habeat, est absolutè, & simpliciter subjectus suo Prælato, in omnibus saltem externis actionibus, & dispositionibus, ideóque nec in tempus mortis aliquid de se, & rebus suis disponere potest. Deinde licèt Religiosus per mortem jugo obedientiæ liberetur, quia tamen tempore vitæ suæ nõ habet proprium velle, non potest eligere locum, in quo post mortem sepeliatur, quia non solùm effectus, sed etiam initium hîc spectatur, nã Regula illa, quòd valida sit dispositio, si effectus referatur in tempus habile, solùm procedit, quando jure aliquid prohibetur, spectato solo effectu; secus si prohibeatur, spectato etiam initio, tunc enim non sufficit, ut referatur etiam in tempus habile, ut constat ex *l. Si minor*; 4. *ff. de servis exportand.* ubi minor 25. annis nequit servum manumittere, etsi manumissio referatur in tempus, quo compleverit 25. annum; quia lex spectavit initium, quo tempore, non potest manumittere, ob defectum perfectæ ætatis, & maturi judicij, *Abb. in c. De uxore*; *nu. 4. h. t. Franc. in cit. c. ult. nu. 1. not. 2. eod. in 6. Sanch. lib. 6. mor. c. 14. n. 1.*

XXII. Pro explicatione *cit. c. ult.* Notandũ prætereà primò. Licèt *Franc. c. l. n. 3.* & alij quidam putent, quòd Religiosus, etiãsi moriatur in loco remoto à Monasterio, non possit sibi eligere sepulturam, quia etiam tum caret proprio velle, ac voluntate. Contrarium tamen verius est, ut tenet *Io. Monach. in cit. c. ult. n. 2.* & *Ancharan. ibid. not 3. Abb. extra eod. in c. 7. n. 4. Silvest. V. Sepultura*; *q. 6. Sanch. c. l. nu. 3.* & alij. Idque satis apertè colligitur ex *cit. c. ult. h. t. in 6.* ubi prohibitioni illi, ne Religiosi sibi eligant sepulturam, adijcitur hæc exceptio: *Nisi à proprijs Monasterijs, adeo sint remoti, ut ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non possint*: ergo per contrarium sensum, tum possunt sibi eligere sepultaram, quia tunc ipsum jus tribuit Religiosis talem licentiam, nam, ut ait *Gl. ibid. V. Commodè*; Ratione distantiæ, difficultatis, seu incommoditatis interdum permittitur, quod alioquin non permitteretur. Idémque supponitur in *c. Nimis*; 16. *de Excess. Præl.* ubi arguuntur illi Clerici, qui Religiosorum decedentium, extra Monasteria sua, corpora ad sua Monasteria deportari cogunt, licèt ipsi alibi sibi sepulturam elegerint, ut nimirum oblationes usibus Clericorum cedant. Porro, si Religiosus in Academia degens, moriens sibi elegit sepulturam in Ecclesia aliqua, debet ex oblationibus funeralibus portio canonica dari illi Ecclesiæ parochiali, in qua Religiosus decessit, & consuevit Sacramenta percipere, & accedere Divina officia, *Anchar. in cit. c. ult. circa fin. Franc. ibid. n. 4.*

Notandum secundò. Etsi Religiosi intra Claustra Monasterij degentes non possint sibi eligere sepulturam, possunt tamen illi, qui extra Claustra Monasterij Beneficijs sunt præpositi; quia hi in multis velle, ac nolle proprium habent, ut notat *Gl. in cit. c. ult. V. Non habeant in addit. & Io. And. ibid. in fin.*

XXIII. Notandum tertiò. Si Religiosus à Monasterio suo ita remotus moriatur, ut ad illud commodè deportari non possit, nullâ sepulturâ electâ, tum si in Civitate, vel loco, in quo decessit, sit Monasterium ejusdem Ordinis, in quo commoratus, & mortuus est, in eodem sepeliri debet, ut habetur in *c. 1. caus. 16. quæst. 1.* Sin verò extra Monasterium ità commoratus, & mortuus, tum probabilius est, sepeliendum esse in Ecclesia parochiali, in qua decessit talis Religiosus, & Sacramenta percipere debuit, cùm non sit subditus illius Monasterij, *Gl. magna in cit. c. ult. not. 1. h. t. in 6. & Franc. ibid. nu. ult. Abb. in c. 1. nu. 4. extra eod.* Quamvis *Sanch. cit. c. 14. num. 4.* putet in Monasterio sepeliendum esse, quod certum est, si eò venerit animo in eo loco perpetuò residendi.

XXIV. Assertio 4. Non tantùm Episcopus potest sibi eligere sepulturam, extra suam Ecclesiam Cathedralem: sed etiam Prælatus Religiosi Ordinis, extra Monasterium suum, saltem si Superiorem in Ordine non habeat, etsi subditus sit Papæ, ut Præpositus Generalis, vel Episcopo, ut Abbas non exemptus; quia in multis habet velle, & nolle proprium, & subditos habet in sua potestate, *Abb. in cit. c. de uxore, n. 5. h. t. Franc. in cit. c. ult. n. 2. Silvest. V. Sepulchra*; *q. 6.* Ratio est, quia talis Prælatus non est sub potestate alterius, nisi sicuti alij Clerici sunt sub potestate Episcopi: & quamvis in *cit. c. ult. h. t. in 6.* generaliter dicatur, Religiosos non posse eligere sepulturam, suo nomine autem Religiosi comprehenditur etiam Abbas: non tamen continetur sub ratione in Constitutione illa expressa, ibi: *cùm velle, & nolle non habeant*, Lex autem restringenda est ad limites causæ, sive rationis principalis in illa expressæ, *Abb. c. l.* Si verò Prælatus Regularis habeat Superiorem in Ordine, ut Quardianus, Prior, Provincialis, non habet liberam facultatem eligendi sibi sepulturam, extra Monasterium, quia Dd. id non asserunt, neque consuetudo id permittere videtur, *Laym. l. 3. tract. 5. c. ult. n. 7.* Quamvis contrarium tenere videatur. *Sanch. c. l. n. 7.* Quòd si Prælatus elegit sibi sepulturam, sed postea Prælaturæ renunciet, vel ab ea deponatur, non in loco electo, sed in suo Monasterio est sepeliendus; quia inspicitur tempus mortis ad discernendum, an quis sit habilis ad eligendam sepulturam: at tempore mortis non erat ille Abbas, sed tantùm Monachus professus, nec habebat velle, & nolle, *Rodriq. Tom. 3. qq. Reg. q. 60. art. 1. Sanch. c. l. n. 8.*

Porro licèt Prælatus Regularis sibi non tamen pro Religioso subdito suo potest eligere sepulturam, spectato Jure communi, sicut nec pater, ratione pa-

tiæ

triæ potestatis pro filio impubere, sed ratione consuetudinis legitimè præscriptæ, *c. pen. h. t. in 6.* ideóque neuter id potest, ubi talis consuetudo non existit, *Sanch. cit. c. 14. n. 6. contra Rodriq.* Præterea Monachus, qui præest extra Monasterium Prioratui manuali, seu ad nutum Superioris revocabili, potest sepeliri, vel in Monasterio, vel in illo Prioratu, secundùm Abbatis voluntatem; quia censetur Monachus utriusque loci, & Monasterij, & Prioratûs ipsi subjecti, juxta *c. 1. de privil. in 6. Franc. c. l. nu. 2. Sanch. c. l. num. 9.*

XXV. Assertio 5. Denique Novitij Religionum possunt sibi eligere sepulturam, nam hæc electio est interdicta solis Religiosis in *cit. c. ult. h. t. in 6.* ipsi autem non sunt veri Religiosi, præsertim in odiosis, & habent adhuc proprium velle, ac nolle, *Franc. c. l. n. 2. Sanch. c. l. num. 10.* Quòd si Novitius decedat, intra tempus probationis, sive intra Monasterium, sive extra, in domo v. g. parentum, ubi versabatur, cum licentia Superioris, retento habitu Religioso, absque sepulturæ electione, sepeliri debet in Monasterio; quia Novitij gaudent juribus, & privilegijs sui Ordinis, *Rodriq. Tom. 2. qu. 39. artic. 4. Silvest. q. 8 dicto 7. Sanch. c. l. nu. 11. Laym. c. l. num. 8 dicto 4.* Et quidem expensis Monasterij, seu Ordinis sepeliendi sunt Novitij, si proprium patrimonium non habeant; cùm sint membra Ordinis, admissi, ut probentur, quâ in re servanda est consuetudo recepta in quavis Religione, *Rodriq. cit. qu. 60. artic. ult. Sanch. c. l. nu. 12.*

» XXVI. Cæterùm hoc loco addendum
» primò. Quòd in *c. Animarum; 1. h. t. in 6.* se-
» verè prohibetur omnibus Religiosis, & Cleri-
» cis sæcularibus, cujuscùnque statûs, vel condi-
» tionis existant, ne aliquos ad vovendum, ju-
» randum, vel fide interpositâ, alióve modo pro-
» mittendum inducant (non enim facit DEUS
» differentiam inter juramentum, & simplicem
» promissionem, *c. Juramenti; 12. caus. 22. quæst.*
» *5.*) ut apud ipsorum Ecclesias sepulturam eligant,
» vel jam electam ulteriùs non immutent. Quòd
» si secus actum fuerit, talis electio penitus irrita es-
» se, decernitur, adeo, ut qui ita elegerunt, non apud
» Ecclesias sic electas sepeliri, nec alibi (ne contra
» juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum
» materiam agendi, seu contraveniendi habeant)
» eligere possint: sed absque ulla contradictione se-
» peliantur in illa Ecclesia, in qua de jure sepeliendi
» fuissent, si nullâ sepultura electâ, decessissent (sci-
» licet ubi sunt majorum suorum sepulchra, *Gl. hic*
» *V. Apud quas*; vel in Ecclesia parochiali.) Si verò
» ijdem Religiosi, vel Clerici sæculares prædictos
» (quos sic induxerunt ad eligendum) in Ecclesijs,
» aut Cœmeterijs suis sepelire præsumpserint, ad re-
» stitutionem sepultorum corporum (si petantur) &
» omnium, quæ occasione sepulturæ ad ipsos quo-
» modolibet pervenerunt, intra decem dies integrè
» faciendam, sint obligati. Quod nisi fecerint, Eccle-
» siæ ipsæ, in quibus corpora sepulta fuerunt, &
» Cœmeteria earundem, ex tunc ipso facto, sint, &
» maneant interdicto Ecclesiastico suppositæ; donec
» plena omnium (& corporum sepultorum, & ob-
» lationum funeralium) restitutio facta fuerit. Ra-
tio hujus Constitutionis est, quia sepultura Christiana est res Sacra, & Religiosa, ideo pactum de sepeliendo aliquem in certa Ecclesia intervenire non potest; quia in rebus sacris omnis pactio, seu conventio est prohibita, *c. ult. de pact.* de quo infrà.

XXVII. Hinc deducitur primò. Quòd hæc Constitutio non habet locum, si quis inductus sit, ad eligendam sepulturam in aliquo loco, sine voto, juramento, vel promissione, v. g. precibus, *Franc hic num. 2. not. 3.* Secundò. Si quis inducatur voto, juramento, vel promissione ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, ut si v. g. Religiosi S. Francisci inducant aliquem in Ecclesia Prædicatorum, *Franc. ibid. n. 4. Rodriq. Tom. 3. qq. reg. q. 58. art. 7 dub. 4.* Tertiò. Si quis legitimè elegit sepulturam in una Ecclesia, & posteà inducatur ad eligendam sepulturam in alia Ecclesia, hæc electio nulla est, adeóque non tollit primam electionem, quæ de jure erat valida, quò minùs in priùs electa Ecclesia sepeliri possit, *Rodriq. c. l. art. 7. dub. 5.* Quartò. Non habet locum hæc Constitutio, si inductio non est sortita effectum, quia inductus noluit vovere, vel jurare, *Rodriq. c. l. dub. 5.* Quintò, si quis sponte, ac proprio motu, absque inductione, vovit, juravit, & promisit eligere sepulturam in certo loco, cessat prohibitio hujus Constitutionis; quia cessat ejus ratio, & tenetur servare votum, vel juramentum, nisi nova causa superveniat, ut quia mutatur status ipsius, ut si factus sit Episcopus, vel status loci, quia is destructus est, *Hostiens. in summ. h. t. n. 8. in fin. Rodriq. c. l. §. pen.* Sextò. Si quis juravit, se non mutaturum electionem sepulturæ, inductus à Religiosis, vel Cleticis, electio non valet; quia tamen talis electio accedit ad naturam ultimæ voluntatis, & est ejus pars, cujus libertas tolli non debet, cùm sit ambulatoria usque ad mortem, ideò videtur, posse mutari: (sicut potest jurans, se non mutaturum Testamentum, illud mutare, licèt mutans fiat perjurus,) ideóque juramentum, quantum ad ipsum jurantem, est servandum, & licitè non potest alibi eligere sepulturam, *Rodriq. c. l. dub. 6.* Septimò. Obligatio ista restituendi emolumenta, quæ occasione sepulturæ ad Religiosos, vel Clericos inducentes pervenerunt, statim contrahitur, etiam ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut probat *Suar. dis. 37. de censur. sec. 1. nu. 25.* & colligitur ex ipso Textu *cit. c. 1. h. t. in 6.* ibi: *ipsos obligatos esse censemus*, quæ verba innuunt, absolutè talem obligationem imponi. Addit *Suar. c. l. n. 26.* Si unus Religiosus, vel Clericus solus, vel alter, aliquem induceret ad eligendam sepulturam, & alij id ignorantes sepelirent, non incurreret hoc interdictum, quia bonâ fide sepeliverunt.

XXVIII. Addendum secundò. Si Titius electionem sepulturæ suæ commisit arbitrio alterius, v. g. Sempronij, isque, vivente Titio, non elegit, non potest, Titio mortuo, ampliùs eligere; quia per mortem Parochiani statim jus sepeliendi acquisitum est illi Ecclesiæ, apud quam sepeliri debebat, cùm non electâ sepulturâ, decessit; *Lapus; in c. Is, qui; 3. n. ult. h. t. in 6.* Non obstat, *c. Cùm tibi; 13. supr. de testam.* Quia bene potest quis alteri committere, ut de bonis suis post mortem disponat ad pias causas, pro arbitratu suo, cùm sic committens sit absolutus dominus bonorum suorum. At verò facultas eligendi sepulturam est beneficium, seu privilegium à SS. Canonibus concessum contra Jus commune; ideò non debet ex-

tendi, ita ut concessâ potestate eligendi sepulturam, censeatur etiam esse concessâ potestas electionem hanc committendi alteri, saltem non ita, ut is, post mortem committentis, adhuc eligere possit, 3 quia aliud est, sepulturam eligere, aliud electionem sepulturæ alteri committere, etsi committi potuit, exspiravit commissio morte committentis, ante factam electionem illius, *c. Gratum*; 20. *de offic. deleg.* quare Titius, hoc casu, sepelietur in sepulchro majorum suorum, vel in Ecclesia parochiali, juxtà supra dicta, *Lapus c. l.*

§. III.

Quibus Ecclesiis ius sepulturæ competat, & quis possit ius sepulturæ concedere?

XXIX. Assertio 1. Jus sepeliendi de Jure communi competit solùm Ecclesijs populum, sive curam animarum habentibus, quales sunt Parochiales, ut docet *Abb. in c. Certificari*; 9. *num.* 8. *h. t. Silvest. V. Sepultura*; *qu.* 3. *Molin. tract.* 2. *dis.* 214. *num.* 21. & alij communiter. Ratio est, quia sicut Sacramenta administrare, verbum DEI prædicare, ita & officium sepulturæ præstare fidelibus ad eorundem Pastores pertinet, ut colligitur ex *Clement.* 2. §. *Verùm*; *h. t. & c.* 1. *caus.* 13. *q.* 1. Sed obstat *Text. in c. Ubicúnque*; 6. *caus.* 13. *q.* 2. Ubi Concilium Triburiense statuit, ut si fieri possit, primò quis sepeliatur in Ecclesia Episcopali: Deinde in Ecclesijs Monasteriorum, ubi Religiosa degit Congregatio. Tertiò, ubi quis decimas percipiebat, ergo Monasterijs etiam jure communi competit jus sepulturæ. Verùm Textus hic de Monasteriijs habentibus populum intelligi debet, ut explicat *Abb. in c.* 3. *not.* 1. *h. t.*

XXX. Porro ex speciali privilegio Sedis Apostolicæ etiam Religiosis competere potest jus sepeliendi fideles in Templis, & Coemeterijs, quale privilegium concessum fuit Ordini Prædicatorum, & Minorum in *Clement. Dudum*; 2. §. *Hujusmodi*; *h. t.* „ Ubi decernitur, quòd prædicti Regulares liberè „ possint in Ecclesijs, vel locis suis sepelire quoscúnque, qui in illis sepulturam elegerint: dummodo „ ipsi Fratres de omnibus proventibus, tam funeralibus, quàm quibuscúnque, & quomodocúnque „ relictis, distinctè, vel indistinctè; ad quoscúnque „ usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio non consuevit solvi, vel non debet de jure, „ nec non de datis, vel qualitercúnque donatis „ in morte, seu mortis articulo, vel in infirmitate „ dantis, in qua decessit, Fratribus ipsis, vel alijs pro „ ijsdem, quartam partem (quam Papa taxat, & limitat) Ecclesijs Parochialibus, & earum Rectoribus integrè dare teneantur. Quæ autem danda „ essent ipsis Fratribus in morte, non curent sibi dari in vita, ne quartam solvant, super quo illorum „ conscientia oneratur. Si quid autem fecerint fraude, vel dolo, præter peccatum, quod incurrunt, „ quartam etiam restituere teneantur, ultra quam „ non sunt obstricti ad aliud solvendum, revocantur etiam, & cassantur omnia privilegia, consuetudines, statuta, & pacta, in quantum sunt præmissis contraria.

Idem ijsdem verbis jam ante statutum fuit à Bonifacio VIII. in *Extravag. super Cathedram.* 2. §. *Hujusmodi quoque inter Communes*, *h. t.* Porro hoc privilegium liberè sepeliendi postea alijs etiam Religiosis est concessum, ut notat *Molin. c. l. n.* 21.

XXXI. Ubi etiam circa hoc privilegium notandum est, quòd Religiosi, quibus à Papa libera facultas sepeliendi eos Parochianos in Ecclesijs suis, qui id petierunt, concessa est, non teneantur permittere, ut funus priùs ad Ecclesiam parochialem ducatur: sed si Presbyteri admoniti corpus defuncti deferre nolint ad Ecclesiam Regularium, possunt etiam contradicente Parocho, vel Episcopo, ipsimet Regulares illud levare, ac deferre ad Ecclesiam suam, alioquin enim non haberent jus liberè, id est, sine ullius contradictione sepeliendi, *cit. Clem.* 2. §. *Hujusmodi*: nisi aliud habeat consuetudo, ut docet *Abb. in c. Cum liberum* 6. *num.* 4. *& in c. In vestra*; 10. *num.* 1. *h. t. Silvest. V. Sepultura*; *qu.* 4. Ratio est, quia concesso fine, censentur etiam concessa esse media necessaria ad finem, ita ut nemo impedire debeat.

Porrò quæ in *cit. Clement. dudum*; *h. t.* præterea statuuntur circa prædicationes Regularium, & confessiones ab eis audiendas, ea ad præsentem Titulum non spectant: ideóque alibi commodiùs referentur.

XXXII. Assertio 2. Solus Papa potest universim in tota Ecclesia concedere jus, seu privilegium sepeliendi, item Legatus de latere intra suam Provinciam, *Barb. de offic. Paroch. c.* 26. *num.* 9. Sed & Episcopus, vel qui quasi Episcopali jurisdictione est præditus, potest intra Diœcesin suam, vel Territorium jus sepeliendi concedere, sed nonnisi ex justa causa, & accedente consensu Capituli, sine quo non potest Episcopus ardua expedire, nec jus competens uni Ecclesiæ, ut jus sepulturæ, Ecclesiæ Parochiali auferre, & dare alteri, cum præjudicio ejusdem. *Abb. in c. Certificari*; 9. *h. t. num.* 9. *Molin. cit. dis. num.* 21.

XXXIII. Notandum hîc primò. ex *Navarr. l.* 3. *consil.* 1. *h. t.* Tribus modis potest dari jus sepulturæ alicui. Primò. Utis, cui datur, fiat dominus sepulturæ: & hoc modo nulli potest dari jus, vel locus sepulturæ, nec quidem cum auctoritate Episcopi; quia res Sacræ, & loca Religiosa (qualia sunt sepulchra) non possunt esse in dominio alicujus. Secundò, potest alicui dari jus, ut ipse, & sui in certa Ecclesia, vel loco sepeliantur, nec ipsis invitis alius extraneus in eo sepeliri possit: hoc secundo modo non potest dari jus sepulturæ, sine auctoritate Episcopi, neque cum illa, sine justa causa, & consensu Capituli; quia licèt per talem concessionem non transfetatur rei, seu loci ad sepulturam depuncti dominium: transfertur tamen usus ejus, & jus sepeliendi, quòd fieri nequit, nisi servatâ formâ, ac solennitate requisitâ in alienatione rerum Ecclesiasticarum. Tertiò. Potest quis habere jus, ut possit alios, in sua Ecclesia, vel Cœmiterio sepelire, qui id petierint: & hoc modo potest concedi locus sepulturæ, 2 quolibet habente liberam sepulturam, sive jus admittendi alios ad sepulturam in sua Ecclesia, vel loco sacro, sine speciali consensu Episcopi; cùm habeat facultatem à Jure communi, vel ex legitimo speciali privilegio concessam.

XXXIV.

XXXIV. Notandum secundò. Potest quis quoad usum habere sepulchrum proprium, vel commune toti familiæ, pro se scilicet, uxore, & liberis utriusque sexûs per lineam masculinam descendentibus conditum, etiamsi hæredes non sint, in quo alius extraneus, sine consensu ipsorum, sepeliri non potest, quod sepulchrum familiare dicitur: vel pro se, & suis hæredibus etiam extraneis constitutum, quod hæreditarium appellatur, neque se extendit ad familiares, nisi sint hæredes, neque ad affines, aut cognatos, qui non sunt de familia, nisi ab ijs sint hæredes instituti, *l. Familiare 5. & l. seq. ff. de Religios. & sumptibus funerum*, & *l. In Sepulchrum* 5. 4. & *l. Jus sepulchri* 13. *C. eod.* Et quamvis olim tale jus sepulchri acquirebatur, si quis in loco, vel fundo suo sepulchrum ædificavit: hodie tamen ad acquirendũ jus sepulturæ, pro se, & familia sua, vel hæredibus, alijs exclusis, requiritur licentia ab alijs concessa, qui illam dare possunt, ut Episcopus, sive Ordinarius loci, vel ex privilegio etiam Religiosi, qui illam in suis Ecclesijs, Capellis, Cœmeterijs, concedere possunt, modò reipsâ actualis ædificatio sequatur, *Mol. tit. dis.* 214. *num.* 4. 5. *& 6. Barb. de offic. Episc. c.* 26. *num.* 12. Porro totâ familiâ extinctâ, vel hæredibus deficientibus, potest Ecclesia eundem locum pro sepultura denuò alijs concedere; quia tunc jus illud redit ad Ecclesiam, sicut mortuo usuario, usus redit ad proprietarium, *l. pen. C. de usufruct.* Quin imò, etiamsi quidam adhuc superstites sint ex familia, vel hæredibus, potest Prælatus Ecclesiæ, etiam invitis illis, propter necessitatem, vel aliam justam causam, extraneum aliquem admittere ad sepulturam in tali loco, *Abb. in c. pen. num.* 5. *h. t. Silvest. V. Sepultura*; *q.* 3. *dicto* 2. *Barb. c. l. n.* 15.

§. IV.

An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit?

XXXV. Assertio 1. Fundus, sive Terra non sacra potest vendi, & emi, absque simonia, eo fine, ut in sepulturas fidelium consecretur, aut benedicatur, seu, ut ibi Sacrum Cœmeterium construatur, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. *Gl. in c. pen. V. Sepultura*; *h. t. & ibid. Innoc. n.* 1. *Silvest. V. Sepultura*; *q.* 2. *Suar. Lib.* 4. *de simon. c.* 14. *n.* 17. & alij communiter. Ratio est; quia terra illa, secundùm se, est res pretio æstimabilis, & merè temporalis; cùm ergo non sit religiosa, vel sacra, potest licitè vendi, & nemo compellendus est de suo beneficium facere, *c. Precariæ* 5. 4. *caus.* 12. *q.* 2. quòd autem ematur ad usum sacrum, id omnino est peraccidens: unde etiam fundus emi potest, & vendi ad Ecclesiam ædificandam.

XXXVI. Assertio 2. Postquam fundus, vel terra aliqua ad sepulturam fidelium est consecrata, aut benedicta, vel publicè dedicata, non potest, absque simonia, contra jus naturale, & Divinum, pro pretio vendi, vel emi, ita ut pretium detur, vel accipiatur, ratione consecrationis, vel benedictionis. Est certa, & communis sententia apud *Suar. c. l. num.* 18. quia tunc venderetur pro pretio ipsa spiritualis consecratio, seu benedictio, adeóque spirituale pro temporali.

XXXVII. Assertio 3. Prohibitum est in SS. Canonibus tanquam simoniacum, vendere, vel pro pretio dare sepulturam in Ecclesia, vel Cœmeterio, ad sepulturam fidelium deputato, vel aliquem sine certa pecunia data ibi non admittere ad sepulturam, prout expressè statutũ est in *c. Abolendæ*; 13. *h. t.* Nam cùm relatum fuisset Innocentio III. quòd alicubi » perversa consuetudo inolevit, ut pro mortuis se- » pultura non priùs effodi permittatur, quàm pro » terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ec- » clesiæ persolvatur; mandat Papa ejus loci Diœce- » sano, ut prohibeat Clericis, ne quidquam omni- » no, ob eam causam, exigere præsumant. Idem decernitur in *c. Audivimus* 5 41. *de simon.* & in *c. Questa*; 12. *& 2. seqq. caus.* 13. *q* 2. *c. In Ecclesia* 5 14. *ead. caus. & q.* apertè dicitur. Quare cùm in prædictis Canonibus absolutè, & simpliciter prohibeatur, exigi pretium pro sepultura, sive pro benedictione, sive pro terra exigatur: & quidem, cùm prohibitio illa fiat, intuitu Religionis, ne locus Sacer negotiationi exponi videatur, sequitur, id esse simoniam saltem prohibitam Jure Ecclesiastico, *Suar. c. l. n.* 19. *&* 20.

XXXVIII. Et hinc ulteriùs infertur, esse simoniam Juris positivi, etiam dare, vel accipere pretium pro honoratiore loco sepulturæ, v. g. ut quis sepeliatur intra Ecclesiam, vel propè Altare; quia licèt fortè motivum extrinsecum ementis sit honor humanus, tamen locus, qui venditur, est Sacer, & ille honor, est veluti quid annexum consequenter ad talem rem spiritualem, sicut est honor humanus annexus dignitati, vel Beneficio Ecclesiastico: unde vendi non potest, nisi etiam simul vendatur res ipsa spiritualis, fundamentum enim hujus honoris est major sanctitas loci, ob majorem propinquitatem ad Altare majus, vel ad S. Eucharistiam, *Suar. cit. c.* 14. *n* 22. Licèt multi Dd. apud. *Barb. in cit. c. pen. nu* 2. id licitum esse teneant. Existimat tamen *Suar. c. l. nu.* 18. si quis habeat sepulchrum proprium, suis sumptibus emptum, vel ædificatum pro se & suis, non esse materiam simoniæ, si vendatur quoad proprietatem, juxta valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas in eo ædificando factas. Verùm *Innoc. in cit. c. pen. & Abb. ibid. n.* 4. *h. t. & Laym. in disput. Canon. de rer. Ecclesiast. alien. Thes.* 71. absolutè docent, quòd postquam locus aliquis est consecratus, vel benedictus, vel publicâ auctoritate ordinarij Prælati ad sepulturam fidelium deputatus, vendi non possit, ob prohibitionem Ecclesiæ; quia in nullius privati est dominio, *l. Non tantùm*, 6. §. *Sacra*; *ff. de rer. divis.* atqui talis locus est etiam sepulchrum proprium familiæ Christianæ in Ecclesia, vel Cœmeterio aliquo positum. Idémque dicendum est de structura, & ornamentis sepulchri; ea enim cùm sint superædificata, & imposita loco Sacro, censentur etiam Sacra, & in nullius dominio esse. Neque dicas, non vendi jus spirituale sepulturæ, sed materiale; nam cùm hoc sit inseparabiliter connexum cum spirituali, non potest quis vendere materiale, nisi etiam spirituale vendere censeatur, juxta *c. Si quis* 7. *caus.* 1. *quæst.* 3. & dictum supra *Tit.* 17.

XXXIX. Notandum hîc præterea primò. Sicut jus Patronatûs, etsi ad hæredes transit, non tamen vendi potest per se, ac seorsim: sed cum universitate bonorum, v. g. Castro vendito, transit etiam Jus Patronatûs: ita etiam jus sepulturæ transit ad hæredes, etsi

per

per se, ac seorsim vendi non possit: & sicut jus Patronatûs, ita & sepulturæ Laicus possidere potest, ex concessione Ecclesiæ, licèt propriè neutrius dominium habeat, *Gl. in c. Quanto 3. de judic. & ibid. Innoc.*

Notandum secundò. Si Ecclesia, & sepulchra in ea condita tollantur, & diruantur, fundus tamen adhuc Sacer manet, *l. Ædes 73. ff. de contrah. empt.* Nisi eo proposito per Ecclesiasticam potestatem ædes Sacra diruatur, ut fundus profanus fiat, tunc enim etiam vendi potest, ut patet ex supra dictis *Tit. 17.*

Notandum tertiò. Feretrum funebre, si Ecclesiastici Prælati auctoritate sit deputatum ad Sacram sepulturam, vendi non potest: nisi in necessitate alteri Ecclesiæ, sicut etiam Sacra vasa tum vendi possunt: aliàs verò si non sit deputatum, licitè vendi potest, *Abb. in cit. c. pen. n. 5. h. t.*

XL. Assertio 4. Etsi ij Clerici, quibus cura sepeliendi ratione Beneficij, incumbit, pro ipso officio sepulturæ, ut pro exequijs, & deductione funeris, non possint aliquid exigere: possunt tamen liberaliter oblatum, vel si consuetudo introducta sit, ut detur, absque turpi exactione, exigere, & Laici tenentur talem consuetudinem observare, & ad illam observandam compelli possunt, juxta *c. Ad Apostolicam; 42. de simon.* & tradit *Gl. in cit. c. pen. V. Exigere: h. t.* ubi ait, multa enim inhonestè petuntur, quæ honestè accipi possunt. Alij verò Clerici, qui ad tale officium non sunt obligati, ratione Beneficij, possunt aliquid pro eo accipere, non tanquam pretium: sed tanquam stipendium extraodinarij sui laboris, *Gl. in cit. c. pen. V. Sepultura, juncta Gl. marg.* quæ ait, non ex pacto, *Abb. ibid. nu. 6. & 7. Silvest. V. Sepultura; q. 2. Suar. Lib. 4. de simon. c. 15. n. 7.*

Idémque dicendum de loco sepulturæ, quando viget consuetudo, ut aliquid pro eo Ecclesiæ detur, ita tamen, ut priùs officia funeralia à Clericis obeantur,, prinsquàm fiat compulsio ad observandam talem consuetudinem, *Abb. c. l. nu. 7. Silvest. V. Simonia; qu. 11. dicto 1.* & sumitur ex *c. Cùm in Ecclesiæ; 9. de simon.*

§. V.

Ad quid teneantur, qui alienum Parochianum sepeliunt, vel qui cadaver illius, qui alibi sibi sepulturam elegit, in sua Ecclesia sepeliunt?

XLI. Assertio 1. Qui alienum Parochianum sepeliverunt, quem jure sepelire non poterant, tenentur restituere corpus, seu cadaver sepultum, unâ cum omnibus, quæ ratione illius acceperunt, vel amicabilem compositionem faciant, prout sta- » tuitur in *c. Ex parte 5. h. t.* Ubi cum Prior quidam » Parochianum quendam Canonicorum (qui sepul- » turam in Ecclesia dicti Prioris non elegerat, *Gl. hîc* » *V. Parochianum*;) post appellationem ad Papam » factam, in sua Ecclesia sepelivisset; mandat Ale- » xander III. ut Prior dicti Parochiani corpus Ca- » nonicis restituat, & de illis (quæ occasione illius » corporis ipsi obvenerunt, *Gl. fin. hîc*) amicabiliter cum ejsdem conveniat. Ratio est; quia jus sepulturæ ad Ecclesiam Parochialem pertinet, ut colligitur ex *Clement. dudum 2. §. Verùm h. t.* ideòque ea intentionem fundatam habet, quòd Parochiani sui in illa sepeliri debeant. Si ergo alia Ecclesia allegrat, sibi competere jus sepulturæ ex causa speciali, ei incumbit onus probandi, nempe quòd inibi defunctus sepeliri voluerit, vel quia in illa Ecclesia est sepulchrum majorum defuncti, *Abb. hîc n. 1. not. 2.*

Porro omnis appellatio prohibita est, per quam impeditur sepultura cadaveris, ut si appellaretur, ne corpora sepeliantur: quia sepultura hominis non recipit dilationem, *l. Ne corpora 38. ff. de Relig. & sumpt. fun. Barb. hîc n. 2. & 3.* At verò hîc appellatum fuit, ne Prior invaderet jus sepulturæ pertinens ad Canonicos, ut notat *Gl. hîc V. Post appellationem*; idem esset, si appellatio non sit interposita, & ideo suppleudum est: *Maximè, juxta Gl. hîc V. Parochianum.*

XLII. Assertio 2. Similiter, qui cadaver illius, qui alibi sepulturam elegit, violenter rapiunt, & in sua Ecclesia sepeliunt; tenentur illud restituere, cum omnibus, quæ occasione sepulturæ acceperunt, prout statutum est, in *c. Cùm liberum; 6. h. t.* ubi cùm » Presbyter quidam corpus cujusdam mulieris (quæ » in ultima voluntate disposuit, ut in Ecclesia S. Mar- » tini sepeliretur,) ad eandem sepeliendam deferret: » Monachi S. Vincentij illud violèter rapere præsum- » pserunt. Querelâ delatâ ad Papam Alexandrum III. » Is mandavit, ut si ita se res habeat, dicti Monachi » S. Vincentij compellantur ossa illius mulieris, & » beneficia (id est oblationes, *Gl. hîc V. Eodem*; ra- » tione funeris factas) & quicquid occasione illius » receperunt (vel de jure percipere potuerunt, *Gl. hîc* » *V. Recepisse*;) integrè restituere, & ut in posterum » nihil tale attentare præsumant.

XLIII. Hinc colligitur, licèt Ecclesia, quæ est in possessione juris sepeliendi, possit agere contra Ecclesiam, in qua corpus defuncti sepultum fuit, interdicto possessorio: non tamen corpus est restituendum, nisi priùs Ecclesia, quæ agit, probet jus, seu titulum proprietatis saltem apparenter justum: idque maximè propter evitandum incommodum, quod aliàs oriri posset; nam si pars, sive Ecclesia conventa possessorio interdicto probaret titulum proprietatis, sive jus sepeliendi sibi competere, corpus iterum exhumandum, & restituendum esset, cùm causa proprietatis absorbeat causam possessionis, eique prævaleat *c. Cùm dilectus; 6. de caus. poss. & prop. Innocent. hîc & Abb. nnm. 2.*

§. VI.

A quo: cui, & ex quibus rebus sit solvenda canonica portio Parochialis funeralium, & quando solvi non debeat?

Duplex est portio canonica, una Episcopalis, de qua actum supra *Tit. 26. Sec. 4. §. 4.* Altera Parochialis, de qua hoc loco agemus.

XLIV. Assertio 1. Si quis extra Parochiam suam sepeliatur: sive in sepulchro majorum suorum: sive quia alibi sepulturam elegit, de omnibus, quæ per ulte-

ultimæ voluntatis dispositionem Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit, obveniunt, vel occasione funeris deferuntur, Canonica portio solvi debet Ecclesiæ Parochiali, in qua defunctus alioquî sepeliri debuisset, sive in illa Parochia sit mortuus, sive non, sed in alia, prout constat ex c. 1. *& aliis pluribus capp. h. t. Abb. in c. Cum super*; 8. *num.* 5. *& alii Dd. communiter.*

Idque extenditur primò, ut non tantùm de legatis piis: sed etiam de relictis jure institutionis, & de omnibus pro salute animæ suæ relictis per ultimam voluntatem Ecclesiæ, in qua defunctus est sepultus, & de omnibus oblationibus, & commodis, quæ, ratione funeris, ipsi obvenerunt, debetur canonica portio Ecclesiæ Parochiali, in qua defunctus Sacramenta percepit, & Divina audivit, vel percipere, & audire debuit, ut apertè colligitur ex *cit. c.* 1. *h. t. Abb. ibid. n.* 7. *Mol. tr.* 2. *dis.* 215. *n.* 4.

XLV. Extenditur secundò. Quòd etiam illæ Ecclesiæ, quæ ex privilegio jus habent, sepeliendi eos, qui apud ipsos sepulturam eligunt, debent dare canonicam portionem Ecclesiæ Parochialis ex relictis à defuncto pro anima sua, ut constat ex c. *In nostra*; 10. *h. t.* » Nam cùm Prior cujusdam Ecclesiæ quæstus esset coram Innocentio III. contra Hospitalarios Diœcesis » Claremontensis, quòd quosdam Parochianos, quorum duo erant intra annos pubertatis, ad Ecclesiasticam sepulturam receperint: Respondit Procurator ipsorum, quòd tam ex communibus privilegiis, » quàm ex speciali indulgentia, liceat Hospitalariis » omnes, qui apud ipsos sepulturam elegerint, præter » excommunicatos, & interdictos, sepelire, & legata in ultima voluntate relicta accipere, solutâ tantùm quartâ Ecclesiæ Parochiali, è cujus Parochia » mortuorum corpora assumuntur, exceptis equis, & » armis, quæ ipsis donata sunt in subsidium Terræ » Sanctæ, ex his enim quartam deducere non tenentur. Postea auditis utriùsque partis allegationibus, » Papa hanc tulit sententiam, quòd Hospitalarii non » debeant deinceps recipere Parochianos supradicti Prioris, ad Ecclesiasticam sepulturam, nisi apud » eos illam elegerint: & tunc Ecclesia Parochialis de » oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima voluntate reliquit, præterquam de » equis, & armis, quartam accipiat, hospitalarii autem » residuum habeant: nisi ipsorum dolo, aut fraude » defunctus inductus fuerit, ad ejusmodi dispositionem faciendam. Insuper injungit Pontifex Hospitalariis, ut supra dicto Priori de tribus millibus » solidorum, quartam solvant; cùm constet Hospitalarios eos solidos à Parochianis (qui elegerunt sepulturam apud eosdem) recepisse, neque sit sufficienter ostensum, fuisse ipsorum Oblatos, seu Conversos. Eisdem Hospitalariis præterea injunxit, ut » nisi probaverint G. Parochianum Prioris, qui in » campis interfectus fuit, apud ipsos sepulturam elegisse, omnia, quæ ipsius intuitu acceperunt, Priori restituant: sin verò ostenderint, quartam tantùm portionem restituere teneantur. Denique » quæ, pro illorum sepultura acceperant, quos constat intra annos pubertatis decessisse, universa restituant.

XLVI. Ex decisione hujus cap. colligitur primò, quòd Privilegium concessum Religiosis liberè sepeliendi, qui sepulturam apud illos elegerunt, intelligi debet, conformiter Juri communi, ita, ut non se extendat ad excommunicatos & interdictos, quos sepelire non licet, *Abb. hîc not.* 1. quia vox *liberè* significat solùm facultatem sepeliendi, sine cujusquam contradictione: non autem facultatem sepeliendi, etiam, quos Canones sepelire vetant, *arg. l. Si quando*; 35. *C. de inoffic. testam.*

Colligitur secundò. Exceptio à regula non confirmat regulam in eo, quod sub regula non contineri, ex alio jure constat, ut tradit *Abb. hîc n.* 1. *not.* 2. sic etsi in Privilegio concesso Regularibus contineatur generalis permissio, sive facultas sepeliendi in suâ Ecclesia omnes, qui sepulturam apud ipsos elegerint: constat tamen, in eo non contineri impuberes, quippe qui jure communi sepulturam eligere non possunt; quia nimirum privilegium, si effectum aliquem habere possit, ita intelligendum est, ut per id Juri communi non derogetur.

Colligitur tertiò. Ex iis, quæ Oblati, & Conversi Religionum reliquerunt Monasteriis, non debet solvi quarta Parochialis: idque procedit, non solùm in Conversis laicis, qui tria vota edunt, & verè sunt Religiosi: sed etiam in illis Oblatis, qui se suâque Religioni obtulerunt, etsi retento sibi usufructu, *juxta c. Ut privilegia*; 24. *de privil. Jo. Andr. hîc n.* 15. *in fin. Sil. V. Canonica portio*; *n.* 48. *casu* 5.

Colligitur quartò. Si Religiosi aliquem Parochianum per fraudem inducant, ad sepulturam apud ipsos eligendum, ut oblationes & funeralia consequantur, tunc omnia acquisita, occasione sepulturæ, ipsis auferri, & Ecclesiæ Parochiali dari debent, *Gl. hîc V. Nisi dolo, Abb. ibid. num.* 7. *arg. c. ult. caus.* 20. *q.* 3.

XLVII. Extenditur tertiò. Generaliter ad omnes Ecclesias, seu loca pia, in quibus Parochiani, extra suam Parochiam sunt sepulti, quòd solvere debeant canonicam portionem Ecclesiæ Parochiali, etiamsi illæ Ecclesiæ, vel loca pia sint exemptæ, ut satis colligitur ex c. 1. *h. t. & Clem.* 2. §. *Verùm eod.* & est communis Dd. nam portio Parochialis solvenda est Ecclesiæ Parochiali, quia defunctus in ea Sacramenta percepit, & Divina officia audivit, vel jure percipere, & audire debuit, quæ ratio æquè procedit, sive Parochianus aliquid reliquerit Ecclesiæ exemptæ: sive non exemptæ. Porro si aliqui sepulturam eligant apud Prædicatores, & Minores, ii tenentur de funeralibus, & aliis sibi relictis solvere portionem Ecclesiæ Parochiali, *juxta Extravag.* 2. §. *Verùm*; *h. t. inter communes*, quæ postea revocata fuit per *Benedictum XI. in Extrav.* 1. §. *Porro ut circa de privil. inter communes*: sed hodie iterum innovata est per *Clement. Dudum* 2. §. *Verum*; *h. t.* ut notat *Gl. in c.* 2. *V. Canonica*; *h. t. in* 6.

XLVIII. Extenditur quartò. Si Parochianus Ecclesiæ inferioris sepultus sit, in Ecclesia Cathedrali, sive, quia sepulturam majorum in illa habet: sive quia eam sibi ad sepulturam elegit, nihilominus portio canonica ex mortuariis solvi debet Ecclesiæ Parochiali, ut docet *Abb. in c. Cùm super*; 8. *num.* 9. *h. t. arg. c.* 1. *eod.* Ubi indistinctè, & universim statuitur, canonicam portionem dari debere illi Ecclesiæ, in qua quis Sacramenta, & Divina percepit, ac proinde etiam de jure sepeliri deberet; nam hæc portio

datur ratione laboris, & pro cura animarum, quam Parochus gessit, ad quem autem spectat onus, & commodum spectare debet, *cit. c.* 1. & ibi *Gl. V. Consolationum.*

» XLIX. Extenditur quintò. Si ii, qui in infirmitate » constituti sunt, ad Religionem se transferant, & in » illa ægritudine decedant, tunc de bonis suis portio » canonica debetur Ecclesiis Parochialibus, à qui- » bus assumpti fuerant. Si verò, dum sani sunt, ad re- » ligiosa loca se transtulerunt, & bona sua iis confe- » rant, non possunt cogi, ut dictis Ecclesiis aliquid » conferant; quia liberum ipsis tunc est, omnia sua » bona, non tantùm Religiosis, sed etiam quibusli- » bet privatis conferre, prout statuitur in *c. De his*; 4. *h. t.* Ratio prioris partis est, quia oblatio bonorum, tempore infirmitatis, facta, censetur esse facta mortis causâ, & ratione sepulturæ, de relictis autem, vel donatis Ecclesiæ intuitu sepulturæ, canonica portio debetur Parochiæ. Ratio posterioris partis est, quia oblatio facta tempore sanitatis, non censetur facta, intuitu sepulturæ, ideóque nihil inde debetur Ecclesiæ Parochiali, *Vivian. in Ration. hîc.*

L. Ex quo infertur primò. Quòd ex iis, quæ Novitii, vel Religionem ingressuri, dum sani sunt, Monasterio donant, si postea intra annum probationis decedant, non debeatur canonica portio funeralis Ecclesiis illis, in quibus erant Parochiani, ut tenent communiter Dd. apud *Mirand. in man. Præl. Tom.* 2. *q.* 48. *art.* 9. *concl.* 3. Nam Novitii gaudent privilegiis Religionis, & cùm eam intrent, animo mutandi vitam, ac profitendi, censentur mutâsse domicilium, & sic desinunt esse Parochiani, *Franc. in c.* 2. *n.* 3. *h. t. in* 6. nisi ostendatur, in fraudem eos esse ingressos; non animo profitendi, *Silvest. V. Canonica portio*; *n.* 8. *casu* 5. *Barb. in cit. c. De his*; *n.* 3. Infertur secundò, de donatis in vita alicui Ecclesiæ non debetur canonica portio funeralis, nisi in fraudem Parochiæ, ut suâ portione fraudaretur, essent donata, *Abb. in cit. c. De his*; *n.* 4. *h. t. Mol. cit. disp.* 215. *n.* 4.

LI. Extenditur sextò. Quòd etiam Ecclesiæ Cathedrali, si simul sit Parochialis, debeatur quarta canonica portio ex mortuariis illius Ecclesiæ, in qua Parochianus sepulturam sibi elegit, prout sumitur ex *c.* » *Cùm super*; 8. *h. t. junct. Rubrica seu summa*: nam licèt » in illo cap. generaliter decernatur, ut si quis Paro- » chianorum in aliâ Ecclesia sibi sepulturam eligat, ex » piis legatis, sive aliis in testamento relictis, quarta » portio debeatur Ecclesiæ Parochiali: tamen ex in- scriptione cap. quæ facta est Præposito & Capitulo Faventino, colligitur, quòd ibi sermo sit de Ecclesia Cathedrali; cùm enim ibi non exprimatur nomen Ecclesiæ, intelligi debet de Ecclesia principaliore, sive Cathedrali, ut notat *Abb. hîc n.* 3. Ratio est, quia Ecclesia Cathedralis, quæ simul est Parochia, non debet esse deterioris conditionis, quàm sint aliæ Ecclesiæ Parochiales inferiores, ergo sicut istis debetur quarta portio canonica, ita & illis, *Vivian. in Rat. ibid.*

LII. Notandum præterea hîc primò. Quòd in tali casu quarta portio canonica debeatur Capitulo Cathedrali, & non Episcopo, ut colligitur ex *cit. c. Cùm super, junctâ inscriptione*, quæ est directa ad Capitulum Faventinum, & non ad Episcopum; quia quando Ecclesia Cathedralis habet adjunctam distinctam Parochiam, cura illius particularis, & jura Parochialia spectant ad Capitulum, & non ad Episcopum, *Abb. hîc n.* 4. Secundò, debet tamen ex relictis Ecclesiæ inferioris, in qua defunctus est sepultus, etiam solvi sua quarta portio canonica Episcopo, *juxta c. Requisisti*; 15. *de testam.* ita ut ex iis detrahantur duæ quartæ, una, quæ debetur Ecclesiæ, seu Capitulo Cathedrali, ratione juris Parochialis, quam Capitulum dividet cum Episcopo, ita ut quarta quartæ, quæ pervenit ad Ecclesiam Cathedralem, tanquam Parochialem, debeat tribui Episcopo: idque propter unionem, quæ est inter ipsum & Ecclesiam Cathedralem: alteram verò quartam detrahet Episcopus ex relictis Ecclesiæ, in qua est defunctus sepultus: sicut illam detrahit ex relictis in morte omnibus aliis Ecclesiis existentibus in sua Diœcesi, & sibi subjectis, *cit. c. Requisisti*, *Abb. ibid. in fine*, *& in cit. c. Cùm super*; *num.* 5. Tertiò, ex his quartis probabilius est, quòd primò deducenda sit quarta Parochialis, & postea quarta Episcopalis, ut docet *Abb. in c. Certificari*; 9. *n.* 11. *h. t. Covarr. in c. ult.* §. *ult. de testam. Molin. c. l. n.* 6. quia Parochus habet magis specialem curam, quàm Episcopus. v. g. si Ecclesiæ, in qua quis elegit sibi sepulturam, legatæ sint 80. libræ argenti, ex his debent solvi Ecclesiæ Parochiali 20. sive ea sit Cathedralis, sive inferior: manent ergo 60. ex quibus quarta pars, videlicet 15. libræ debent dari Episcopo, cui ea Ecclesia est subjecta; quod reliquum est, manet Ecclesiæ legatariæ. Et 20. autem libris priùs deductis, debet dari quarta pars, nempe 5. libræ, sive eidem Episcopo, sive alteri, si quidem alius fortè fuerit Episcopus Ecclesiæ ad sepulturam electæ, & alius Episcopus Ecclesiæ Parochialis. Reliquæ autem 15. libræ manent Ecclesiæ Parochiali, cujus defunctus Parochianus fuit.

LIII. Extenditur septimò. Ut si quis Ecclesiâ, » in qua majores ipsius ab antiquo soliti sunt sepeliri, » dimissâ, in alia Ecclesia, extra Parochiam suam, se- » pulturam sibi eligat, portio canonica, non Ecclesiæ » dimissæ: sed illi Ecclesiæ duntaxat, in qua defunctus » Officia Divina audivit, & Ecclesiastica Sacramenta » percepit, dari debeat, prout statutum est in *c. Ex* » *parte*; 2. *in princ. h. t in* 6. Quin imò etsi quis nullâ electâ sepulturâ, in sepulchro majorum, extra Parochiam, sit sepultus, portio canonica Ecclesiæ Parochiali debetur, ut docet *Io. Monach. in cit. c.* 2. *& Franc. n.* 1. Rotius est, quia portio canonica solvenda est in compensationem laboris, & curæ, quam habuit Rector Ecclesiæ Parochialis erga Parochianum, in celebrando Divina officia, & administrando Sacramenta, ideóque illi Ecclesiæ solvi debet, ut etiam consolationis illius sit particeps, *juxta c.* 1. *h. t.* Operariis enim mercedis exhibitio debetur, ut dicitur in *Clem.* 2. §. *Verùm*; 3. 2. In qua re tamen spectanda est cujusque loci consuetudo, ut infra dicetur.

LIV. Porro si quis duo habens domicilia in » diversis locis, in quibus æqualiter, vel quasi æqua- » liter, per diversa anni tempora habitare solitus est, » moriatur, electâ sibi sepulturâ in loco tertio, tunc » Ecclesiæ domiciliorum inter se dividere debent » portionem canonicam, prout statutum est in *cit.* » *c.* 2. §. *Cùm ab eo*; *h. t. in* 6. *arg. l. Ejus qui*; 27. §. *Celsus*, *ff. Ad munic.* Ubi dicitur: si quis in duobus locis æqualiter sit instructus, neque hîc, quàm illic minùs frequenter commoretur, in utroque domicilium habere: Ratio est, quia talis duas Parochias habere con-

censetur, ita ut in optione ipsius sit Sacramenta percipere, in qua voluerit, ac proinde meritò inter utramque æqualiter dividitur portio canonica.

LV. Ubi præterea Notandum primò, si is, qui habet duo domicilia, adeóque etiam duas Parochias, in una tantùm ex illis solitus sit Sacramenta Confessionis & Communionis percipere, tunc in illa sepeliendus est; quia tacitè illam præelegisse videtur, ut tradit *Franc. in cit. c. 2. §. Cùm ab eo; n. 4. §. Sed circa*, nisi aliud expressè voluerit, vel ex fortioribus conjecturis contrarium colligi possit. Si autem in neutra Ecclesia Parochiali sepultura fiat, sed in alia, quam vel ipse, vel majores ipsius elegerunt, tunc portio canonica æqualiter inter duas illas Parochias dividenda est, juxta *cit. §. Cùm ab eo*, quia defunctus saltem audire Divina officia in utraque solitus est. Idem dicendum, si quis habitet in confinio duarum Parochiarum, vel duas domos conjunctas habeat sitas in diversis Parochiis, tunc enim utrique Parochiæ debetur canonica portio, & inter eas æqualiter dividenda est, *Gl. in cit. c. 2. V. domicilia, & ibid. Franc. §. Cùm ab eo; n. 3.*

Notandum secundò. Si quis in una Ecclesia solitus est Divina officia audire, & in alia percipere Sacramenta, portio canonica inter illas dividenda erit, saltem si utraque Ecclesia habeat Cœmeterium & curam, ut tradit *Innocent. in c. De his; 4. n. 2. h. t. & ibid. Joann. Andr. num. 8. & Abb. num. 4.* Oppositum tamen etiam probabile est, quòd tota portio solvenda sit illi Ecclesiæ, in qua consuevit Sacramenta percipere; quia illa debetur Ecclesiæ Parochiali, quæ propriè est illa, in qua Sacramenta suscipiuntur, *Silvest. V. Canonica portio; q. 14.*

Notandum tertiò. Si quis extra Ecclesiam Parochialem eligat sibi sepulturam in alia Ecclesia, non relictâ portione canonicâ Ecclesiæ Parochiali, valet quidem electio: sed Ecclesia Parochialis potest illam petere ab Ecclesia electa ad sepulturam, *Abb. in cit. c. Cum super; n. 7. h. t.* apud quem plura de hac re videri possunt.

LVI. Assertio 2. Portio canonica, quæ debetur Ecclesiæ Parochiali ex relictis alteri Ecclesiæ, occasione funeris, in qua defunctus est sepultus, quandoque esse solet quarta pars, subinde tertia, aliquando dimidia, ideòque quantitas ejus definienda est secundum consuetudinem cujusque loci, ut constat ex *c. Certificari; 9. h. t.* & docet *Molin. tr. 2. disp. 215. n. 5.* Et quidem de quarta fit mentio in *c. Cùm super; 8. h. t. & in Clement. 2. §. Verùm eod.* & illa, cessante consuetudine, de jure est portio canonica debita Ecclesiæ Parochiali, ut tradit *Gl. in c. 2. in princ. h. t. in 6. & Franc. ibid. n. 1.* quia in quarta velut minore summa omnia jura concordant, ideo seclusâ consuetudine, plus peti non potest à Parochiis, *Abb. in cit. c. Certificari; n. 3. in fine.* De tertia parte fit mentio in *c. 1. h. t.*

De dimidia verò parte fit mentio in *c. Relatum; 2. h. t.* In quo Leo Papa (ut patet ex integra illius lectione) cùm intellexisset, quòd Abbates quidam & Monachi, non Zelo charitatis, sed studio rapacitatis & avaritiæ, conantur seducere, & illaqueare sæculares, ut omnes res & possessiones suas, sive in morte, sive in vita, Monasteriis tradant, nihil Ecclesiæ Parochiali, in qua Divina Sacramenta perceperunt, relinquentes: idcirco statuit, ut si quispiam sive in vita (in ægritudine tamen, ex qua decedebat, *Gl. hic V. in vita*, alioquî enim, si sanus ingrediatur Monasterium, nihil dari debet Ecclesiæ Parochiali, *c. De his; 4. h. t.*) tali modo in Monasterio convertatur, aut illud ingrediatur, omnium rerum & possessionum, quas pro salute animæ suæ Ecclesiis relinquere decreverit, Ecclesiæ, ad quam pertinet, (Parochiali scilicet, in qua Sacramenta Divina recepit, *Gl. fin. hîc*) medietatem relinquere debeat, secundùm loci tamen consuetudinem, quæ in hoc servanda est, *Gl. hîc V. Medietatem.* Verùm cùm hæc Constitutio decretalis facta sit propter fraudem & illicitam attractionem sæcularium ad Monasteria, ut patet ex integra illius lectione, ideo illa, cessante fraude, locum non habet, ut colligitur etiam ex *c. De his; 4. h. t.*

LVII. Denique in *c. Certificari; 9. h. t.* decernitur, quòd in portione Canonica Parochiali, (idem est de Episcopali) spectanda sit cujusque loci consuetudo, ita ut pro varietate locorum, vel dimidium priorum relictorum, vel pars tertia, vel quarta dari debeat. Nam cùm ex Clemente III. quæsitum fuisset, quomodo illa clausula, quæ privilegiis à Sede Apostolica Ecclesiis non Parochialibus, v. g. Regularium, concessis inseri solet, nempe hæc, *salvâ Justitiâ illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur* (videlicet Parochialium) intelligi debeat & exponi. Respondet Papa, diversa de hoc SS. Pontificum Responsa emanâsse, nam Leo III. (in *c. 1. h. t.*) iustitiam hanc censuit esse tertiam partem, & quandoque mediam (*c. 2. eod.*) Urbanus verò IV. quartam partem dixit, esse Canonicam (cujus tamen Capitulum non habetur, sed Lucii III. *in c. Cùm super; 8. h. t.*) Ipse verò Clemens in hac varietate respondet: cùm S. Hieronymus (*in Epist. 28. ad Lucinium*, prout refertur in *c. Utinam; 11. dist. 76.*) inquit, unaquæque Provincia in suo sensu abundet, ideo ad rationabilem consuetudinem cujusque Regionis attendendum est, ut juxta eam, vel medietas, vel tertia, vel quarta pars, pro locorum diversitatibus, canonica, & justa censeatur. Ratio est, quia verba, non solùm legum, sed etiam privilegiorum, imò & ultimarum voluntatum & contractuum, in dubio quandoque recipiunt interpretationem à consuetudine loci, etiam contra verborum propriam significationem, ut docet *Innoc. in c. Olim; 16. n. 2. de V. S. Abb. in cit. c. Certificari, n. 2. Gl. in c. Nonnulli; 28. V. Ultra duas dietas de rescript. & Bart. in l. Omnes; 9. n. 58. ff. de justit. & jure.* idque sumitur ex *l. Cùm de lanionis; 18. §. Item, ff. de instructo & instrum. Legat. & l. Labeo; 7. §. Servis, ff. de supell. leg.* Quare si in Privilegio ita dicatur, concedimus vobis jus sepeliendi, salvâ justitiâ, seu jure portionis debitæ Ecclesiæ Parochiali, attendi tunc debet, quanta portio, juxta cujusque loci consuetudinem legitimè præscriptam, Parochiæ debeatur.

LVIII. Ubi præterea Notandum primò. Etsi hæc Clausula, *salvâ justitiâ*, in Privilegio liberæ sepulturæ, vel alio, non exprimatur: tacitè tamen subintelligi debet, ut tradit *Abb. in cit. c. Cùm certificari; n. 10. h. t.* quia Privilegia, quatenus cedere possunt in aliorum præjudicium, vel per illa juri communi derogatur, strictè interpretari oportet; cùm non sit verisimile, quòd Princeps voluerit concedere Privilegium, cum præjudicio alterius, ut tradit *Gl. in c. Ex tuarum; 5. in notat. de auct. & usu pall.* vel cum derogatione juris communis. Quare Privilegium liberè sepeliendi quoscúnque

aliquibus Ecclesiiis, vel Monasteriis concessum, non censetur illis concessum cum gravi præjudicio Ecclesiæ parochialis, sed ut illo utantur secundùm modum à jure communi præscriptum, nempe salvâ portione Ecclesiæ parochiali debitâ. Idque confirmatur ex *l. Si quando*; 35. *C. de inoffic. testam.* Ubi dicitur, si alicui concessa sit libera testandi facultas, nihil aliud videri concessum, nisi ut habeat legitimam, & consuetam testamenti factionem, nempe secundùm formam à jure communi præscriptam, neque enim credendum est, Principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo *liberè* totam testamentorum observationem evertere voluisse.

LIX. Notandum secundò. Portio parochiali Ecclesiæ debita non abrogatur, nisi per consuetudinem præscriptam 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine titulo, ut docet *Abb. in cit. c. Certificari*; *n. 6. & 7. h. t. Silvest. V. eod. q.* 1. *n.* 3. *Mol. cit. dis.* 215. *n.* 7. Ratio est, quia Jus commune stat pro Ecclesia Parochiali, vel pro Episcopo, & consequenter, cùm præsumptio sit contra possidentem, debet is allegare, & probare titulum, per quem talis præsumptio tollatur, vel cursum temporis immemorialis, quod habet vim Tituli præsumpti. Id verò procedit, si præscribatur, ut infra quartam, vel nihil omnino detur Ecclesiæ Parochiali; quia talis præscriptio est contra jus Ecclesiæ, ideóque 40. annorum cum titulo, juxta *c. De quarta*; 4. *de præscr. & c.* 1. *eod. in 6.* vel immemorialis, sine titulo, requiritur. Idémque est, si agatur de solvenda portione Parochiali ultra dimidium, v. g. ut dentur duæ partes ex tribus; quia & hæc est contra jus, cùm nullo jure id sit cautum. At verò quia jure expressum est, quòd portio Ecclesiæ Parochiali debita interdum sit, vel esse possit dimidia, quandòque tertia, vel quarta pars, ideo ad præscribendum intra hanc latitudinem, sufficit consuetudo 10. annorum sine titulo, quia talis consuetudo non est contra, sed præter jus, *Abb. c. l. n.* 4. *&* 5. *Silvest. c. l. n.* 2. *Mol. c. l. n.* 7.

LX. Cæterùm licèt *Concil. Trident. Sess.* 25. *c.* 13. *de reform.* revocet Privilegia Monasteriis, Hospitalibus, aliisque locis piis concessa, ne quartam funeralium Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solvere teneantur, ac decernat, ut à quibus jam ante annos abhinc 40. illa quarta solita est persolvi, ab eisdem etiam eodem modo solvatur: hoc ipso tamen tacitè significat, hoc decreto non comprehendi illa Monasteria vel Ecclesias, quæ ab antecedentibus integris annis 40. illam quartam non solitæ sunt solvere, & sic per legitimam præscriptionem immunitatem ab hac quarta solvenda obtinuerunt, ut notat *Emm. Rodriq. Tom.* 1. *qq. Regul. q.* 39. *art.* 2. *Laym. Lib.* 3. *tr.* 4. *c. ult. n.* 13. *in fine, juxta declarat. Cardin. Concil. apud Jo. Gallemart ibid. n.* 1. His adde, usu & consuetudine jam receptum esse, ut quarta non solvatur, nisi de iis tantùm, quæ cum corpore defuncti deferuntur, neque de oblationibus factis, post diem sepulturæ: sed solùm de his, quæ in die sepulturæ fiunt, ideóque Concil. Trident. tantùm mentionem facit de quarta funeralium, quasi tacitè innuens, quòd illa solùm solvitur de his, quæ offeruntur in die funeris, sive sepulturæ, *Mol. c. l. n.* 9. *Rodriq. c. l. in fine.*

LXI. Assertio 3. Sunt tamen plures casus, in quibus Canonica portio parochialis solvi non debet, quos recensent *Silvest. V. Canonica portio, q.* 9. *n.* 8. *Azor p.* 2. *Lib.* 9. *c.* 13. *q.* 14. *& alii.* Veluti primò, quando per expressum Sedis Apostolicæ Privilegium quædam Ecclesiæ sunt exemptæ à solvenda quarta, seu canonica portione Parochiali: requiritur autem, ut tale Privilegium concedatur cum speciali derogatione *Clementinæ Dudum* 2. *h. t. Barb. de offic. paroch. c.* 25. *n.* 8. Secundò, non debetur hæc portio parochialis extra, quæ quis reliquit aliis Ecclesiis, quàm in qua sepelitur, vel sepulturam elegit, *Gl. in c.* 1. *V. Judici. h. t.* neque ex relictis pauperibus in genere, *Gl. in c.* 2. *V. decreverit, eod. & ibid. Abb. n.* 8. Tertiò, quando aliquid Ecclesiis, vel piis locis relinquitur ad Divini cultûs obsequium, nempe ob Fabricam Ecclesiæ, ob vasa vel vestes Sacras &c. modò sine fraude fiat, *c. ult. de Testam. Gl. in cit. c.* 2. *V. Decreverit.* Quartò, de armis & equis relictis in subsidium Terræ Sanctæ non detrahitur hæc portio, *c. In nostra*; 10. *h. t. Gl. in cit. c.* 2. Quintò, quando legatum est Ecclesiæ Parochiali tantum, quanta est quarta legatorum, quæ quis reliquit Ecclesiæ electæ ad sepulturam, hoc enim computari debet in portionem Canonicam, *arg. c. De his*; 4. ibi: *Nihil tibi, vel Ecclesiis, à quibus acceperunt salutis pabula, relinquentes, h. t. Abb. ibid. n.* 2. quòd si minus sit, quod legatum est Ecclesiæ Parochiali, quàm debitæ jus portio, id supplendum est: si plus, id sibi retinebit, *Silvest. V. eod. n.* 8. *in casu* 12. Contrarium tamen tenent plures apud *Barb. cit. c.* 25. *n.* 18. quòd debeat nihilominùs integra portio parochialis dari. Sextò, quando Parochianus non potuit in sua parochia audire Divina, nec Sacramenta percipere, propter vacationem longo tempore, & alibi elegit sepulturam, non debetur quarta Ecclesiæ parochiali; quia hæc datur propter laborem, quo cessante, cessat legatum, *Silvest. c. l. in casu* 14. Septimò, quando Ecclesia parochialis erat interdicta culpâ suâ, sive Parochi, non Parochiani defuncti, tunc enim quarta illi non datur, etsi quis extra Parochiam sepulturam elegerit, vel sepultus fuerit, *Silv. c. l. in casu* 8. Plures casus, in quibus non debetur portio parochialis, allati sunt supra, & apud Dd. videri possunt.

§ VII.

Quibus sepultura Ecclesiastica sit concedenda, vel deneganda?

LXII. Assertio 2. Omnes fideles seu baptizati in loco Sacro sunt sepeliendi, nisi lege Canonicâ, vel consuetudine, ob crimen aliquod sepulturâ Ecclesiasticâ priventur, prout sumitur ex *c. Nullus*; 18. *quæst. Gl. caus.* 13. *q.* 2. *& c. Ecclesiam*; 28. *de consecr. dist.* 1. *Laym. Lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 12. *q.* 5. Quare etiam damnati ad mortem propter crimina sua, si pœnitentes obierint, in loco Sacro sepeliri possunt; cùm etiam Sacramenta Ecclesiæ talibus non sint deneganda, *c. Quæsitum*; 30. *caus.* 13. *q.* 2. & ex communi docet *Abb. in c. Ex parte*; 11. *n.* 4. *h. t.* quamvis interdum in pœnam criminis, & ob aliorum exemplum, sepulturâ Sacrâ priventur, & ad tempus, vel etiam in perpetuum, eorum corpora in loco publico suspensa, & insepulta relinquantur, ut tradit *Covarr. l.* 2. *resol. c.* 1. *n.* 11. & praxis testatur. Neque tamen cadavera eorum, qui in patibulis sunt suspensi, vel rotis illigati, sine licentia

Publi-

Principis, vel Magistratûs, deponi possunt, *Abb. c. l.* Verùm ob debita contracta corpus defuncti à sepultura impediri non debet, donec debitum solutum sit, *Covarr. c. l. n.* 10. *Silvest. V. Sepultura*; *q.* 12.

LXIII. Assertio 2. Sunt tamen plurima hominum genera, qui in loco Sacro sepeliri non debent, prout videre est apud *Silvest. V. Sepultura*; *q.* 9. *Ugolin. de offic. Episc. c.* 17. *n.* 4. *Barb. de offic. paroch. c.* 26. *n.* 40. *& seqq. & Lib.* 2. *Iuris Ecclesiast. c.* 10. *n.* 40. *& seqq.* Veluti primò, infideles, pagani & Judæi; *cit. c. Ecclesiam de consec. dist.* 1. Item hæretici, eorùmque fautores, *c. Excommunicamus*; 13. §. *Credentes de hæretic.* etiamsi eorum hæresis primùm, potest mortem, sit manifestata, *c. Sanè*; 6. *caus.* 24. *q.* 2. Inter infideles numerantur etiam infantes Christianorum, qui moriuntur ante baptismum susceptum: Si tamen certum sit, prolem in ventre matris esse mortuam, illa, unâ cum matre defuncta, sepeliri debet; quia fœtus est pars ventris, seu matris, *l.* 1. §. *Et ex rescripto ff. de inspicien. ventr. Gl. in c. Si quicquid*; 35. *de consec. dist.* 4. Si verò dubium sit, an mortua sit proles, necnè, mater scindi debet, postquam est mortua, & fœtus extrahi, ut baptizetur: non autem scindenda est mater, dum vivit, si sine periculo mortis inferendæ scindi non possit, *Silvest. c. l. q.* 10. *dicto* 1. Sed neque Catechumeni sepeliendi sunt in loco Sacro cùm nondum sint baptizati, quamvis pro eis oret Ecclesia, si credentes decesserunt, ex communi apud *Laym. c. l. n.* 11.

LXIV. Secundò, non est sepeliendus in loco Sacro, qui seipsum occidit, sponte ac voluntariè, ex desperatione, vel iracundia, *c. Placuit*; 12. *caus.* 23. *q.* 5. Secus, si quis casu in proximum mortis periculum se conjiceret, vel ex urgente causa, veluti si quis se præcipitem daret in flumen, vel per fenestras, ut malum ipsi impendens evaderet, v. g. ne in manus hostium incideret, vel si fugiat puella violare eam volentes; tales enim non sunt privandi Ecclesiasticâ sepulturâ, pro» ut sumitur ex *c. Ex parte*; 11. *h. t.* Ubi cùm quidam » Nobilis puellam sæpe ad stuprum sollicitâsset, acci» dit aliquando, ut viri illius gartiones (id est, famu» li juniores, *Gl. marg. hîc*) eidem super ponte occur» rerent, volentes eam rapere, tunc illa aufugiens de » ponte in amnem præterfluentem cadens, submersa » fuit: quæsitum ergo fuit, an in Sacro loco sepelien» daesset? Respondet Innocent. III. cùm puella non » sponte se præcipitavit: sed casu ceciderit de ponte » in amnem, corpus ejus Ecclesiasticæ sepulturæ tra» dendum esse, præsertim cùm ex honesta causa fuge» rit, & cui communicamus vivo, etiam mortuo com» municare debeamus.

LXV. Ubi Notandum primò. Si quis sponte, & non coactus se præcipitaret in fluvium, cum certo moriendi periculo, etiam stupri vitandi causâ, id non foret licitum, ideóque talis in Cœmeterio Ecclesiæ non esset sepeliendus, ut colligitur ex hoc cap. ibi, *non sponte*, per sensum contrarium, & *Gl. V. eod.* Secundò excipitur, nisi is, qui seipsum animo occidendi lethaliter vulneravit, aliquandiu supervixerit, & pœnituerit, tunc enim Ecclesiastica sepultura ei denegan» da non est, *Silvest. c. l. n.* 3. *Ugolin. c. l. q.* 9. Tertiò excipitur, si quis reperiatur mortuus in puteo, vel è laqueo suspensus, nisi enim constet, quòd seipsum interfecerit, non potest, nec debet Ecclesiasticâ sepulturâ privari: non enim præsumitur quis seipsum interfecisse, potuit enim per insidias, vel vim ab alio in puteum dejici, vel suspendi, vel ex furore, aut mentis alienatione id fecisse, de nemine enim est præsumendum in dubio, quòd deliquerit, *l. Meritò*; 51. *ff. Pro socio*, præsertim, quòd quis tam grave delictum patrârit, *Navarr. l.* 3. *consil.* 7. *h. t.* Et hinc etiam qui mortuus est vel interfectus, non præmissâ confessione Sacramentali, quia illam facere non potuit, sepeliri debet in loco Sacro, *Abb. in cit. c. Ex parte*, *n.* 3. *h. t.* nisi apertè constet, eum in peccato mortali impœnitentem decessisse; ut quia v. g. in furto, vel latrocinio deprehensus, est occisus, nullo edito signo pœnitentiæ, *c. Placuit*; 12. *in fine caus.* 23. *q.* 5. *juncta Gl. ibid.*

LXVI. Tertiò, publicè & notoriè excommunicati in loco Sacro sepeliri non debent, prout statutum est in *c.* 1. *caus.* 24. *q.* 2. *& in c. Quicúnque*; 27. *caus.* 11. *q.* 3. & expressiùs in *c. Sacris*; 12. *in princ. h. t.* Ubi dicitur: Sacris est Canonibus decretum, ut qui» bus non communicavimus, vivis, neque defunctis » communicemus & ut careant Ecclesiasticâ sepultu» râ, qui priùs ab Ecclesiæ unitate erant præcisi, nec in » articulo mortis Ecclesiæ fuerant reconciliati. Ubi » *Gl. V. Non communicemus*, excipit, nisi viventes reconciliationem petierint, nec per eos stetit, quò minùs reconciliarentur, tunc enim post mortem absolvendi sunt ab excommunicatione, *c. Anobis*; 28. *& c. Sacris*; 38. *de sent. excomm.* Similiter etiam nominatim ac publicè interdicti in loco Sacro sepeliendi non sunt, *Clement.* 1. *h. t.* nam per omne interdictum, sive generale, sive speciale, locale, vel personale Ecclesiastica sepultura prohibetur, *c. Quod in te*; 11. *de pœnit. & remiss.* Ubi dicitur, quòd per generale interdictum denegatur omnibus Ecclesiastica sepultura, &c. *Cùm & plantare*; 3. §. *Quod si Templarii de privileg. Ugolin. cit. c.* 17. *n.* 4. *Barb. de offic. paroch. n.* 41. Idémque dicendum de iis, quibus interdictus est ingressus Ecclesiæ: nisi pœnituerint, *c. Is cui*; 20. §. *Talis quoque de sent. excomm. in* 6. *Silvest. c. l. q.* 9. *dicto* 11. *de quo plura infra l.* 3. *Tit.* 39.

LXVII. Additur in *cit. c. Sacris*, §. *Unde si h. t.* Si excommunicati (vitandi) sint mortui, non tan» tùm non licet eos sepelire in loco Sacro: sed etiam » si per violentiam, seu alio quocúnque casu, in Eccle» siastico Cœmiterio, vel alio loco Sacro sint sepulti, » eorum corpora exhumari debent, & procul à Sacra » sepultura abjici: quòd si excommunicatorum cor» pora discerni non possint, ideóque nec exhumari, » quin simul etiam corpora fidelium (obedientium) » extumulentur, utraque sepulta relinqui debent; quia » sicut justis & bonis non obest sepultura, nulla vel vi» lis: ita impiis ac peccatoribus celebris & speciosa » non prodest. »

LXVIII. Porro circa sepulturam excommunicatorum, Notandum primò, hæc prohibitio sepeliendi excommunicatos, post Concilium Constantiense in *Extravag. Ad evitanda*, solùm habet locum in excommunicatis denunciatis ac vitandis, ut ex communiore ac probabiliore sententia docet *Suar. dis.* 12. *de censur. sec.* 4. *n.* 5. *Navarr. l.* 3. *Consil.* 5. *n.* 2. *h. t. Laym. Lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. *& alii*, Ratio est, tum quia causa, cur excommunicatis denegatur sepultura, ea est, ut quibus vivis non communicamus, etiam mortuis non communicemus, *cit. c. Sacris*; *h. t.* ergo à sensu contrario, quibus vivis communicare potuimus, etiam mortuis sepulturam communicare non prohibemur,

cùm sepultura nullibi excipiatur. Tum quia prohibitio sepeliendi propriè non cadit in ipsos excommunicatos: sed in alios fideles, ne corpora eorum sepeliant, quibus non aliter prohibita est communicatio per sepulturam, quàm quævis alia communicatio, ut patet ex c. *Ut privilegia* 5 24. *de privil. & c. Episcoporum* 8. *eod. in 6.* ac proinde hac permissâ, etiam illa censeri debet esse permissa. Contrarium tamen tenet *Zæs. in Commentar. in l. 3. Decret. h. t. n. 9.* nixus falso fundamento, quòd per sepulturam uniuscujùsque excommunicati, etiam non vitandi, violetur Ecclesia, seu locus Sacer, quod paulò post refutabitur. Illud certum est, & admittunt omnes, quòd occultè excommunicato sepultura non sit deneganda; nam cùm privatio sepulturæ sit publica evitatio, requirit etiam causam publicam, ne aliàs pœna excedat delictum, & is, qui præsumitur bonus, hac ratione infametur, unde nec Eucharistia peccatori occulto est deneganda, *Suar. cit. sec. 4. n. 5.* & fatetur etiam *Zæs. c. l.*

LXIX. Notandum secundò. Si corpus excommunicati denunciati, & vitandi in Ecclesia, vel alio loco Sacro sit sepultum, ille violatus censetur, ita ut aspersione aquæ solenniter benedictæ reconciliandus sit, juxta c. *Consuluit* 7. *de consecr. Eccles. & Altar.* nec in ea officia Divina peragere, nec alios fideles ibi sepelire, est licitum, donec locus ille fuerit expurgatus, seu reconciliatus, *c. unic. eod. in 6. Suar. cit. sec. 4. n. 4.* & ideo exhumari debet, si à reliquis corporibus sepultis discerni possit: alioquin verò si discerni, & exhumari non possit, debet relinqui in loco, ubi sepultum est, quia ratione dubii, connexionis, vel difficilis separationis, aliquid interdum permittitur, quod aliàs non permitteretur, ut notat *Gl. in cit. c. Sacris, V. Excommunicatorum, h. t.* & si non potest puniri malus seu nocens, quin etiam puniatur bonus seu innoxius, potiùs tolerandus est malus, quàm puniendus bonus, *c. Quàm magnum* 10. *caus. 23. q. 4. Abb. in cit. c. Sacris* 5 *n. 4.* Satius enim est, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnari, *l. Absentem* 5. *ff. de pœn.* Veruntamen si corpus excommunicati vitandi exhumari non possit, non ideo locus ille fit perpetuò inhabilis ad Divina officia, vel sepulturam aliorum fidelium: sed reconciliandus est, quia violatus est per primam sepulturam, postea verò si corpus illud ita confusum sit cum aliis, ut discerni non possit, id non reputatur: sed habetur pro occulto defectu, qui non potest reconciliationem impedire, vel facere, ut reiteretur violatio, *Suar. cit. sec. 4. n. 4.* Ubi etiam distinguendum est, inter præceptum affirmativum exhumandi sepultum, quod non semper obligat, propter occurrentes difficultates: & inter præceptum negativum non sepeliendi defunctum in loco Sacro, hoc enim plerumque obligat, adeo, ut etiamsi quis cogatur ad sepeliendum mortuum indignum, non excusetur regulariter, si illum sepeliat; quia id cedit in contemptum loci Sacri & Religiosi.

LXX. Notandum tertiò. Si publicè excommunicatus, toleratus tamen, & non vitandus, v. g. Lutheranus, vel Calvinianus Prædicans in Germania, sit mortuus impœnitens, & in excommunicatione, quamvis illicitum sit ejus corpus sepelire in loco Sacro, quia indecens est, ut in tali loco sepeliatur, qui præcisus est ab Ecclesia, neque suffragiorum Ecclesiæ est capax, idcóque talis sepultura in irreverentiam loci Sacri cedit; si tamen ille publicè denunciatus non fuit, tantum vitandus, non censetur locus Sacer per illius in eo sepulturam violari, ita ut solenniter per Episcopum reconciliari debeat, ut docet *Suar. cit. sec. 4. num. 5. Laym. l. 1. tr. 2. p. 2. c. 4. n. 9. & Lib. 3. tr. 6. c. 11. n. 12. & alii fermè communiter.* Ratio est, quia hæc violatio Ecclesiæ fundatur in prohibitione sepeliendi excommunicatum in loco Sacro, ergo cùm per *Constitutionem Ad evitanda* ea prohibitio sit limitata & restricta ad solos excommunicatos denunciatos & vitandos, per consequens etiam limitata est ad illos violatio loci Sacri; quia excommunicati tolerati hodie quoad communicationem cum illis vitandam, non aliter reputantur, ac si non essent excommunicati, vel occultè solùm excommunicati, qui etiam antiquo jure non erant vitandi.

LXXI. Atque hinc infertur primò, quòd Ecclesiæ & Templa, in quibus diu exercitium sectæ hæreticæ viguit, & hæreticorum non denunciatorum corpora sepulta jacent, prout frequenter contingit in Germania, si à Catholicis recipiantur, non necessariò debeant solenniter reconciliari per Episcopum, cùm per exercitium falsæ seu hæreticæ Religionis non fuerint violatæ, neque per talium sepulturam, alioquin nec Divina officia in illis celebrare licitum esset, si violatæ fuissent, quamvis decens sit, ut tales Ecclesiæ simplici aquâ benedictâ per Sacerdotem aliquem aspergantur, antequam Divina officia denuò in illis celebrentur, *Laym. l. 5. c. 5. n. 13. Addit. 5.*

Infertur secundò. Sed neque necessarium est, ut corpora hæreticorum non denunciatorum, nec vitandorum, qui in Ecclesiis ab Acatholicis occupatis in Germania, dudum sepulti fuerunt, postquam illæ reversæ sunt ad Catholicos, exhumentur, & foràs projciantur; cùm Ecclesiæ illæ non fuerint violatæ, & illi sine notabili incommodo ac perturbatione plerumque fieri non possit. Quare illorum tantùm corpora sepulta in locis Sacris exhumanda sunt, qui sunt excommunicati denunciati, & vitandi, & tunc etiam locus sepulturæ est reconciliandus, ut ex dictis patet.

LXXII. Notandum quartò. Per locum Sacrum in ordine ad illum effectum, ut si in eo sepelitur excommunicatus denunciatus, seu vitandus, vel homo infidelis, censeatur talis locus esse violatus, idèoque reconciliandus sit, intelligitur locus consecratus vel saltem benedictus, scilicet Ecclesia vel Cœmeterium, quod etiam solet esse benedictum; quia reconciliatio supponit consecrationem, vel benedictionem, velut formam, esse amissam, ita tamen, ut si Ecclesia fuit consecrata, requiratur solennis & Episcopalis consecratio. Si verò solùm fuit benedicta, requiratur & sufficiat Sacerdotalis benedictio per aquam benedictam ab ipso Sacerdote, ut docet *Zerola in praxi Epis. p. 1. V. Pollutio Ecclesiæ Vers. 3.* Quin imò valde probabile est, etsi locus nec consecratus, nec benedictus sit, v. g. Cœmeterium: si tamen Episcopi auctoritate ad Sacrificium missæ, & alia Officia Divina in eo celebranda: vel etiam solâ fidelium consuetudine & usu cum tacito consensu & approbatione Episcopi, ad Ecclesiasticam sepulturam sit deputatus, censeatur velut Sacer seu Religiosus locus, in ordine ad illum effectum, ut si in eo infidelis, vel excommunicatus denunciatus, seu vitandus sepeliatur, aliquo modo violetur, seu polluatur: ac proinde saltem per aspersionem aqua

aquæ à Sacerdote benedictæ ex decentia quadam reconciliandus, & expurgandus sit; quia per dedicationem ad cultum Divinum, vel Ecclesiasticam sepulturam legitimâ auctoritate factam, locus talis efficitur aliquo modo Sacer, ac veneratione dignus, ita ut ad profanos usus converti non debeat: & deputatio publica auctoritate Episcopi expressè, vel saltem tacitè facta supplet defectum consecrationis, vel benedictionis, & est veluti quædam consecratio, aut benedictio, *Suar. cit. sec. 4. n. 6. Sanch. l. 9. de matr. dis. 15. n. 39.* Porro etiam in ordine ad illum effectum, ut non liceat publicè excommunicatos, etsi non sint denunciati, vel notorios peccatores sepelire, non requiritur, ut locus sit consecratus, vel benedictus: sed satis est, quòd ab Episcopo, vel communi populi usu, ad fidelium sepulturam, & funebria officia sit deputatus, quia à SS. Canonibus absolutè excommunicatis prohibetur Ecclesiastica sepultura, ad hanc autem non requiritur, ut locus, in quo fit, sit specialiter benedictus, vel consecratus: sed sufficit, quòd legitimâ auctoritate Pastorum Ecclesiæ ad illud munus sit deputatus, *Suar. c. l.* Ubi addit, quòd etiam in Oratorio non consecrato, nec benedicto, non possit excommunicatus vitandus sepeliri; quia per ipsam Missæ celebrationem talis locus quodammodo consecratus est, ita ut immunitate Ecclesiasticâ gaudeat, *c. pen. de consec. Eccles.*

LXXIII. Notandum quintò. Licèt excommunicatus moriatur, editis magnis contritionis signis, si tamen morte præventus à censura excommunicationis non est absolutus, sepeliri non debet in loco Sacro, donec ab Ecclesia fuerit absolutus, etiam post mortem, *juxta c. Anobis; 28. de sent. excomm.* Ubi etsi sermo sit de communicatione per suffragia, eadem tamen est ratio de communicatione per Ecclesiasticam sepulturam. Quòd si ante absolutionem jam sepultus fuerat in loco Sacro, debet quàm primùm absolvi, *Suar. cit. sec. 4. n. 3.* Ne alioquì, si fuerit excommunicatus denunciatus, ac vitandus exhumari debeat, quo casu etiam locus ipse reconciliandus erit, juxta supra dicta.

LXXIV. Notandum sextò. Si quis ante mortem per Sacramenta Ecclesiæ reconciliatus, & absolutus fuit ab excommunicatione à Presbytero suo, is mortuus sepeliri debet in loco Sacro, prout expressè statutum habetur in *c. Parochiano; 14. & ult. h. t.* Ubi Papa » Gregorius IX. ita rescribit: si Parochianus, qui ob » manifesta crimina, videlicet homicidium, incendia, » violentam manuum injectionem in personas Eccle- » siasticas, Ecclesiarum violationem, vel incestum ex- » communicatus fuit, in extremis positus, à Presbytero » suo, juxta formam Ecclesiæ absolutus fuit, non debet » ei sepultura in Cœmeterio, & alia Ecclesiæ suffragia » denegari (nam cui communicamus vivo, etiam mor- » tuo communicare debemus, *Gl. hic V. Denegari. juxta* » *c. Sanè; 3. caus. 24. q. 2.*) at verò hæredes & propin- » qui ejus, ad quos bona defuncti pervenerunt, per » censuram Ecclesiasticam compelli debent, ut pro ipso satisfaciant. Excipi debent illi Rei, quibus in graviorum criminum quorundam detestationem, per sententiam condemnatis Sacra sepultura denegari solet, etsi ante mortem à peccatis, & annexis censuris fuerint absoluti, v. g. ob crimen hæresis, *Laym. Lib. 3. tr. 6. c. 5. §. unic. q. 15. n. 60.*

LXXV. Porro ex *cit. c. ult. h. t.* Colligitur primò, quòd quilibet Presbyter in mortis periculo constitutum absolvere possit ab omnibus peccatis, & annexis excommunicationibus, sive à jure, sive ab homine latis, etiamsi alioquin Papæ sint reservatæ, *Abb. hic n. 2.* ita tamen, ut si Sacerdos Ordinarius adsit, vel commodè adesse possit, v. g. Parochus, vel qui delegatam jurisdictionem absolvendi habet, v. g. Regularis privilegiatus, alius Sacerdos simplex, sive nullam jurisdictionem habens, nec licitè, nec validè absolvere possit à peccatis mortalibus, & censuris, prout sumitur ex *cit. c. ult. h. t.* ibi: *per Presbyterum suum.* Qui scilicet jurisdictione ordinariâ, vel delegatâ est præditus, ex communiore & veriore sententia apud *Laym. Lib. 5. tr. 6. c. 12. n. 14.* Nam Sacerdoti simplici potestas absolvendi à quibusvis peccatis & censuris in mortis articulo conceditur jure extraordinario, ob necessitatem, ne hac occasione (si absolutio denegetur) aliquis pereat, ut inquit *Concil. Trident. Sess. 14. c. 7.* ergo cessante hac necessitate, cessat hæc potestas extraordinaria, *juxta Reg. traditam ab Abbate in c. Cùm venerabilis; 7. in fine de Consecr.* cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quamdiu durat necessitas: quamvis plures Theologi & Canonistæ contrarium teneant, quòd quilibet Sacerdos, etiam præsente Ordinario, possit in articulo mortis absolvere.

Colligitur secundò. Quòd etiam in articulo mortis, non debeat quis absolvi ab excommunicatione, nisi secundùm formam præscriptam à SS. Canonibus, in *c. Ex tenore; 10. & c. Cùm desideres; 15. junct. Gl. fin. de sent. excomm. & c. 2. eod. in 6.* videlicet, ut excommunicatus priùs non absolvatur, quàm realem satisfactionem parti læsæ præstiterit: vel saltem, si statim exhiberi non possit, cautionem, seu promissionem satisfaciendi fecerit, prout etiam sumitur ex *cit. c. ult. h. t.* ibi: *juxta formam Ecclesiæ, Abb. ibid. n. 3.*

LXXVI. Colligitur tertiò. Obligatio satisfaciendi læsis, transit ad hæredes defuncti, saltem in quantum ad ipsos ex bonis ejusdem pervenit, prout sumitur ex *cit. c. ult.* & tradit *ibid. Abb. n. 5. h. t.* Ubi tamen distinguendum est, utrùm agatur tantùm de injuria illata alicui per defunctum, sine damno pretio æstimabili: an verò agatur, de satisfactione propter damnum voluntariè, & injustè illatum per delictum: priore casu ea obligatio satisfaciendi, cùm sit merè pœnalis, seu præcisè ex delicto orta, ad hæredem ordinariè non transit; delicta enim morte Rei delinquentis extinguuntur, §. *Non autem Instit. de perpet. & temp. action.* Excipitur, nisi pœna ipso jure sit imposita, & incursa à defuncto, v. g. pœna confiscationis bonorum hæretico, *arg. l. Gaius; 22. ff. de SCto Silan.* tunc enim, quia non agitur ad pœnam imponendam, sed impositam exigendam, transit ea obligatio ad hæredes, *Bart. in l. 1. num. 2. & 3. ff. de privat. delict.* Secundò, nisi lis cum defuncto fuerit contestata, tunc enim ex delicto defuncti Successores ejus in solidum obligantur, alioquin solùm, in quantum ad eos pervenit, *l. unic. C. Ex delicto defunct.* Ratio est, quia per litis contestationem partes litigantes inter se quasi contrahunt, *l. 3. §. Idem scribit, ff. de pecul.* at verò obligatio, quæ descendit ex contractu, vel quasi contractu, transit ad hæredes, *Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t.* Tertiò, nisi ex furto agatur condictione furtivâ, quâ non solùm ipse fur obligatur, etiam re perditâ, ad æstimationem illius: sed etiam hæres ejusdem, tametsi nihil ad eum pervenerit, *l. Si pro fure; 7. §. Condictio & 2. ll. seqq. ff. de condict. furtiv.*

furtiu. Bartol. & Abb. locis citt. idque ſtatutum eſt ſpecialiter in odium furti, ob frequentiam hujus criminis. Poſteriore verò caſu, ſi agatur de ſatisfactione propter damnum voluntariè & injuſtè illatum, v. g. homicidium, furtum, vel quaſi delictum, tunc obligatio ſatisfaciendi ad hæredem tranſit, ſaltem ſecundùm Jus Canonicum, & forum conſcientiæ, ut colligitur ex *cit. c. ult. h. t.* in quo agebatur contra hæredes, ut ſatisfacerent pro damno illato per homicidium, & ex *c. In litteris; 5. de raptorib. & c. 2. de uſur. in 6.* Quamvis *Abb. in cit. c. ult. n. 6.* putet, nullam, quoad hoc, eſſe diſcrepantiam inter Jus Canonicum, & Civile, ſed ideo de Jure Canonico teneri hæredem ad ſatisfactionem damni illati per defunctum; quia ipſe defunctus decedens, cum ſignis contritionis, ſaltem tacitè promiſit, & injunxit hæredi ſuo illius damni compenſationem, qui proinde ratione hujus tacitæ promiſſionis, vel præcepti potiùs, quàm ex delicto defuncti teneatur. Sed hoc bene refellit *Covarr. l. 3. reſol. c. 3. n. 7.* nam non ſolùm hæres uſurarii *juxta c. Tuanos; 9. de uſuris*, in quo, nulla factâ diſtinctione inter uſurarium pœnitentem, vel non pœnitentem, dicitur, hæredes ejus cogendos eſſe, ad reſtitutionem uſurarum: ſed etiam hæres furis, incendiarii, vel raptoris, tenetur ad ſatisfactionem damni illati, etiamſi defunctus impœnitens deceſſerit, ſaltem in foro conſcientiæ, & externo Eccleſiaſtico; quia hæc obligatio non fundatur in pœnitentia defuncti delinquentis: ſed in eo, quòd ſicut ipſe reus obligatur ex delicto ad damnum reſarciendum: ita & hæres maneat obligatus, ad quem tranſeant obligationes defuncti, & actiones rei perſecutoriæ, *Zæſ. in Comment. l. 3. Tit. 28. ad Decret. n. 11.* Quare vel adhuc aſſerendum eſt, eſſe diſcrepantiam quoad hoc, inter Jus Canonicum, & Civile: Vel potiùs dicendum eſt, etiam Jure Civili teneri hæredem ex delicto defuncti, ſi agatur ad rei perſecutionem, ſive damni injuſtè illati compenſationem, quamvis nihil ex eo delicto ad hæredem pervenerit, nec lis fuerit conteſtata: ac proinde Leges Cæſareæ, quibus ſtatutum eſt, hæredem ex delicto defuncti non poſſe conveniri, intelligendæ ſunt quoad actionem pœnalem, ut pœnam criminis ſolvat: non autem quoad damni illati perſecutionem.

LXXVII. Aſſertio 3. Præterea in loco Sacro ſepeliendi non ſunt, qui in torneamentis, id eſt, haſtiludiis, ex quibus probabile mortis periculum imminet, ſunt mortui, etiamſi ante mortem Sacramenta Pœnitentiæ & Communionis perceperint, *c. 1. & 2. de torneamentis.* Idémque eſt de illis, qui in duello occumbunt, *juxta Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 19. de reform.* Quamvis *Sanch. l. 2. Moral. c. 39. n. 22.* & alii plures cenſeant, Concilium de ſolo duello ſolenni, quod auctoritate publicâ initum eſt, & cum patrinis, locutum fuiſſe, quod tamen decretum poſtea Gregorius XIII. in motu proprio, qui incipit, Ad tollendam anno 1582. & Clemens VIII. in motu proprio, qui incipit. Illius vices anno 1590. & pœnas in eo contentas extenderunt ad duella privata, quæ fiunt ex condicto, certo loco & tempore deſignato, etſi ſine patrinis, & ſine litteris provocatoriis transmiſſis, aliiſque ceremoniis ſint inita, prout videre eſt apud *Sanch. c. l. n. 20. & 21.* Item non ſunt ſepeliendi manifeſti uſurarii, niſi priùs reſtituerint, vel de ſatisfaciendo idoneam cautionem præſtiterint, *c. 3. de uſuris, & c. 2. eod. in 6.* neque manifeſti raptores, ſi impœnitentes decedant, *c. 2. de raptorib.* neque blaſphemi in Deum, & Sanctos, *c. 2. de maledic.* Item qui ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & tempore Paſchali Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipere voluntariè intermiſit, Eccleſiaſticâ ſepulturâ privari debet, *c. Omnis; 12. de pœnit. & remiſſ.* niſi probabile impedimentum, ſeu cauſam excuſantem allegare poſſit. Similiter Religioſus manifeſtus proprietarius, qui cum peculio, ſine licentia Superioris, accepto, eſt mortuus, privandus eſt ſepulturâ Sacrâ, *c. 2. & 4. de ſtat. Monach.* aut qui decimas Eccleſiæ non ſolvit, *c. Prohibemus; 19. de Decim.* Denique omnis publicus & notorius peccator decedens in peccato mortali, ſepulturâ Eccleſiaſticâ eſt privandus, ſi in peccato mortali deceſſiſſe præſumi debeat, *c. Quibus; 16. cauſ. 13. q. 2.* ut ſi quis in aliquo facinore, quod nullo modo à peccato mortali excuſari poteſt, occiſus ſit, vel de repente mortuus deprehendatur, non eſt præſumendum, contritum deceſſiſſe; quia mutatio animi eſt quid facti, quod non præſumitur, ſed probari debet. Si tamen talis, poſt commiſſum crimen, ſignum pœnitentiæ, vel ſaltem pietatis edidit, quia, v. g. in Templo viſus eſt orare, poſſe ſepeliri in loco Sacro, ſi non ſit inter criminoſos ſpecialiter exceptus, putat *Laym Lib. 3. Tract 5. c. ult. n. 12.* & ad hoc probandum ſufficit unus teſtis, *Silveſt. V. Sepultura q. 9. dicto 7.* occulti autem peccatores ſunt ſepeliendi, neque enim propterea occulta eorum peccata manifeſtari debent, ut ſepulturâ priventur, *Silveſt. c. l. q. 10. dicto 2.* apud quem plura de his videri poſſunt.

Illud hîc adhuc dubitatur, an leproſi, in eodem Cœmiterio, cum aliis ſepeliendi ſint? Affirmant nonnulli; quia cauſa prohibitionis, quæ fuit in vita, ceſſat in morte, non enim inficiunt aliorum cadavera: Sed rectiùs negat *Abb. in c. Sacris; 12. n. 6. h. t.* nam quibus non communicavimus in vitâ, nec in morte debemus, & timor infectionis adhuc durat in actu ſepulturæ, fœtor enim corporum mortuorum inficit aërem, ideóque permittitur leproſis habere propriam Eccleſiam cum Cœmeterio, *c. 2. de Eccleſ. ædific.*

§. VIII.

Quam pœnam incurrunt ſepelientes eos, qui iure prohibentur ſepeliri in loco Sacro, vel qui prohibitis, & illicitis modis inducunt aliquem, ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis?

LXXVIII. Aſſertio 1. Qui defunctos ſcienter ſepeliunt, tempore interdicti, in caſibus non permiſſis, in Cœmeteriis, vel publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos, ſunt ipſo facto excommunicati, ut conſtat ex *Clem. Eos qui; 1. h. t.* Ubi ita ſtatutum legitur: Eos, qui pro- » priâ temeritate (etiamſi exempti ſint, *Gl. hîc V. Eos* » *qui*) defunctorum corpora, non ſine contemptu Cla- » vium Eccleſiæ, in Cœmeteriis, tempore interdicti, » (quo prohibita eſt Eccleſiaſtica ſepultura *Gl. hîc V.* » *Tempore*) in caſibus non conceſſis à jure, vel ex- » communicatos publicè (excommunicatione majo- » re, ab homine vel à jure, *Gl. hîc V. Excommunicatos*, &c. quidem poſt Concilium Conſtantienſe, nonniſi denunciatos, ſeu vitandos, juxta ſupra dicta) aut nominatim interdictos (ac proinde qui non eſt nominatim inter-

interdictus, sepeliri poterit in loco Sacro, dummodo » iste non sit interdictus, *Gl. hîc V. Nominatim*) vel » usurarios manifestos, qui usuras publicè exercent, etiamsi nondum sint denunciati, ut *ex Bonacin.* tradit » *Barb. in Collectaneis hîc n.* 3.) scienter sepelire præ- » sumunt; decernimus, ipso facto, excommunicatio- » nis sententiæ subjacere, à qua nullatenus absol- » vantur, nisi priùs, ad arbitrium Episcopi Diœce- » sani, eis, quibus fuit injuria irrogata, competen- » tem satisfactionem exhibuerint, nullo eis suffra- » gante exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub- » quacùnque verborum forma concesso. Quare ab- solutio aliter facta, nulla est, ut colligitur ex illa particula *nullatenus*, *Suar. dis.* 12. *de censur. Sec.* 4. *n.* 8.

LXXIX. Pro explicatione hujus Constitutionis, Notandum primò. Hanc excommunicationem non incurrunt ij, qui ex ignorantia, etiam culpabili, sepeliunt prædictos, ut colligitur *ex cit. Clement.* 1. ibi: *scienter præsumunt*: neque etiam, qui gravi metu coacti id faciunt, ut colligitur ex illis verbis *ibid. qui propriæ temeritatis audaciâ*, *&c. Suar. cit. dis.* 12. *de censur. Sec.* 4. *n.* 9.

Notandùm secundò. Non tantùm in Cœmeteriis, & multò magis in Ecclesiis: sed etiam in alijs locis, ad sepulturam Ecclesiasticam ab Episcopo deputatis, etsi nec consecrata, nec benedicta sint, sepeliri non debent eorum corpora, qui jure prohibentur sepeliri, nam hoc ipso fiunt aliquo modo Sacra, *Suar. c. l.* Secus est, si sepelirentur in campis, & locis profanis, ac privatis, tunc enim non esset locus pœnæ, *Gl. hîc V. Cœmeteriis*, *& Suar. c. l.* Similiter qui in loco vicino, vel etiam contiguo Ecclesiæ, aut Cœmeterio, qui tamen ad usum Ecclesiasticæ sepulturæ non est deputatus, adeóque profanus est, & communiter habetur, sepelit excommunicatum, non toleratum, non incurrit censuram excommunicationis, *Gl. hîc V. Cœmeteriis*, *Suar. c. l. n.* 7. contra *Abbat. in cit. c. Sacris*; *n.* 3. *arg. illius*; *c. ibi, procul jactari.* quæ tamen verba non debent rigidè accipi: sed idem significant, quod extra locum Ecclesiæ, vel Cœmeterij. Nec obstat *c. Quod te*; 11. *de pœnit. & remiss.* quia loquitur de excommunicato adhuc vivente, qui prohibetur Divinis interesse, etiá extra Ecclesiam è loco vicino, *Suar. cit. Sec* 4. *n.* 7.

LXXX. Notandum tertiò. Per sepelientes hoc loco intelliguntur, non tantùm, qui propriis manibus sepeliunt, & corpus in sepulchrum immittunt; sed etiam, qui procurant sepulturam, adeóque mandantes, & exequentes, non autem, qui funus comitantur, vel qui cantant, & Crucem, aut lumina deferunt; hi enim verè, & propriè non sepeliunt, adeóque censuram hanc excommunicationis non incurrunt. Contrarium tamen de his tenet *Abb. hîc n.* 12. qui addit, omnes cooperantes ad funus ducendum incurrere pœnam hujus *Clement.* sed non illi, qui remotè solùm cooperantur ad sepulturam, ut qui effodiunt sepulchrum, modò postea corpus ei non inferant, vel suis humeris cadaver ad sepulchrum deferunt; quia etiam hi propriè dici non possunt sepelire: quamvis de his aliqui contrarium teneant; quia magis propinquè videntur cooperati. Neque etiam consulentes tantùm, vel non impedientes, etsi possint, ac debeant; quia hæc Constitutio pœnalis non est extendenda: sed potiùs restringenda, *Gl. in cit. Clement.* 1. *V. Sepelire*, *Suar. Sec.* 4. *n.* 10. *&* 11. addit tamen *Gl.* quòd hæc Principis declarationem exposcerent. Similis excommunicatio lata est, *in c.* 2. *de hæretic. in* 6. contra eos, qui hæreticos, vel eorum fautores, scienter præsumunt Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, de qua *Suar. cit. Sec.* 4. *n.* 13. & nos suo loco.

Notandum quartò. Excommunicati, qui privantur Ecclesiasticâ sepulturâ, hoc ipso, etiam privati censentur omni honore, & pompâ funeris, quippe quæ ordinatur ad Ecclesiasticam sepulturam, & est quædam moralis communicatio cum defuncto, prout sumitur *ex c. Placuit*; 12. *caus.* 23. *q.* 5. & per se indecens est, ut talis defuncti corpus, cum pompa funeris, & Ecclesiasticis cæremoniis deferatur ad locum profanum, cùm in Sacro sepeliri non possit, *Suar. cit. Sec.* 4. *n.* 14.

Notandum quintò. Si Regulares exempti publicè excommunicatos, nominatim interdictos, vel usurarios manifestos *in cit. Clement.* 1. expressos, sepeliant in Ecclesiis suis; potest Episcopus, seu Ordinarius loci facere exhumari corpora illorum, etiam intrando in loca exempta; quia *in cit. Clement.* 1. derogatur omnibus privilegiis contrariis: alioquî verò extra eos casus, non potest talem potestatem exercere in loco exempto, qui perinde se habet, ac si non esset in Diœcesi ipsius: potest tamen Episcopus impedire sepulturam, ne transferantur corpora ad locum exemptum; cùm enim delinquatur in suo territorio, potest obsistere, ac facere, ut in loco privato, ac profano sepeliantur.

Notandum sextò. Etsi, qui minore excommunicatione ligati moriuntur, non sint sepeliendi in loco Sacro: non tamen sepelientes incurrunt pœnam excommunicationis hîc decretam; ut notat *Gl. hîc V. Excommunicatos*, *& Abb. ibid. n.* 6.

LXXXI. Assertio 2. Illi Religiosi, vel Clerici Sæculares, qui contra Constitutionem Bonifacij VIII. *in c.* 1. *h. t. in* 6. aliquos ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducunt, ut eligant sepulturam in eorum Ecclesiis, vel jam electam non mutent, ipso facto, sententiam excommunicationis incurrunt (pœnâ contentâ in dicta Constitutione in suo robore perdurante,) à qua ab alio, quàm à Sede Apostolica (præterquàm in mortis articulo) absolvi non possunt, non obstantibus quibuscúnque privilegiis, aut statutis, prout decernitur *in Clement. ult.* §. *Sanè, de pœnis.*

LXXXII. Postremò *in Extravag. Detestandæ* 1. *Bonifacij VIII. inter communes*, *h. t.* statuitur, quòd corpora defunctorum exenterantes, vel membratim, seu in frusta immaniter, id est, crudeliter » concidentes, & aquis decoquentes, ut ossa à carni- » bus separata in terras suas deferant tumulanda, sint » ipso facto excommunicati, cujus censuræ absolutio » Papæ (præterquàm in mortis articulo) est reservata: » & insuper corpus quoque sic inhumaniter tracta- » tum Ecclesiasticâ careat sepulturâ: idque in detesta- » tionem facti hujus, sive carnificinæ, & sequelæ ejus: ac proinde hîc punitur, defunctus sine culpa sua, etsi non sine causa, *Gl. hîc V. Sepultura.* Porro hæc Constitutio pœnalis, non habet locum in corpore mortui, quod datur Medicis ad Anatomiam, ut praxis testatur: vel si exenteretur cadaver ne fœteat; quia ex rationabili causa sepultura differtur: item si fiat cum his, qui moriuntur in terris infidelium, ubi non est Sacer locus, in quo sepeliri possint, *Navarr. in man. c.* 27. *n.* 105.

TITVLVS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

Actum est Titulo præcedente de sepulturis, quia verò jus, sepeliendi de Jure communi ad Parochias pertinet; ideo nunc generatim iste Titulus de Parochiis, earúmque juribus subjungitur.

§. I.

Quæ sit, & dicatur Parochia, & quæ requirantur ad constituendam Ecclesiam Parochialem, & in quibus illius Jura consistant?

I.

ASSERTIO 1. Parochia duobus modis accipitur, ut notat *Silvest. V. Parochia, & Azor. p. 2. Instit. Lib. 3. c. 12 q. 2.* Primò latè, & impropriè, pro tota Diœcesi, *c. Si quis; 4. & 2. seqq. dist. 92.* Secundò, propriè, pro certa alicujus Diœcesis Ecclesia, quæ habet populum certis limitibus distinctum. Et hoc modo sumpta Parochia committitur uni Presbytero, seu Rectori Ecclesiæ, ut in ea Baptismum, & reliqua Sacramenta populo sibi subjecto ministret, & conferat. Et dicitur Parochia, quasi partitio curæ; quia quivis Parochus, sive Rector Ecclesiæ curam habet animarum totius populi, intra illos limites constituti: Aliquando verò Parochia accipitur pro ipso loco, in quo hujusmodi populus alicui Ecclesiæ deputatus, & intra certos limites constitutus degit, *Abb. ad Rubr. h. t. num. 1.* Sic dicimus hunc, vel illum habitare in hac, vel illa Parochia. Et debet Parochia, non minus, quàm decem Parochianos, hoc est, distinctas domus, seu familias habere, ut proprium super se habeat Sacerdotem, alioquin alijs conjungenda est Ecclesiis, *c. Unio; 3. caus. 10. q. 3. Barbos. de offic. Paroch. c. 1. n. 20.*

II. Porro ad constituendam Ecclesiam Parochialem, regulariter tria requiruntur: primò, ut habeat Fontem Baptismalem. Secundò, Cœmeterium, seu jus sepeliendi. Tertiò, ac præcipuè curam fori pœnitentialis, hoc est, potestatem ligandi, & solvendi in foro conscientiæ, & alia Sacramenta administrandi populo, intra limites certi territorij constituto, *Zerola in praxi Episc. V. Parochia, in resp. ad 1. Barb. Lib. 2. Jur. Eccles. c. 1. n. 26.* quare etiamsi Ecclesia aliqua habeat Fontem Baptismalem, vel Cœmeterium, in quo aliqui jus sepulturæ habeant, ex consuetudine, privilegio, seu concessione Superioris Prælati, nisi tamen etiam simul habeat curam fori interni in populum certis finibus distinctum, non est, nec dici potest Ecclesia Parochialis. Id verò procedit regulariter; quia ordinariè eadem Ecclesia est Baptismalis, & Parochialis, in qua Parochiani baptizantur, & alia Sacramenta percipiunt. Interdum tamen propria est Ecclesia Baptismalis, in qua fons Baptismi est erectus pro alijs Parochiis, quæ Ecclesiæ Baptismales non sunt, sed purè Parochiales; quia fideles jam baptizati in eis recipere debent alia Sacramenta, licèt ibi non baptizentur, sed in Baptismali, quæ ideo etiam vocatur Ecclesia Matrix; quia in illa regenerantur homines per Baptismum, & ordinariè etiam est Curata, seu Parochialis; quia habet potestatem administrandi omnia Sacramenta, quamvis non necessariò, nec semper; quia Baptismalis strictè accepta non habet, nisi administrationem Baptismi, *Barb. c. l. num. 25. Fagnan. in c. Cùm contingat; 29. de decim.*

III. Assertio 2. Jus Parochialis Ecclesiæ constit, in sequentibus, ut tradit *Innoc. & Abb. ad Rubr. h. t Hostiens. in summa eod. n. 2. Azor. cit. c. 12. q. 4.* Primò, ut Parochiani in illa Baptismum, & alia Sacramenta percipiant. Secundò, ut ibidem diebus festis rem Divinam audiant. Tertiò, ut nuptiæ in illa solenni ritu celebrentur, & nubentes benedicantur. Quartò, ut in illa mortui sepeliantur, nisi elegerint sibi ipsis sepulturam, vel habeant sepulturas Majorum in alia Ecclesia, juxta dicta *Tit. præced.* Quintò, ut Decimas, Oblationes, & Primitias solvant, & præstent Ecclesiæ Parochiali, de quo *Tit. seq.*

IV. Porro *in c. Ut Dominicis; 2.* quod est « desumptum ex Concilio Nanetensi, præcipitur, ut « Parochi in Dominicis, & Festis diebus, antequam « Missam celebrent, plebem interrogent, num alie- « nus Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio Paro- « cho contempto, ibi velit Missam audire, qualem si « invenerint, statim ex Ecclesia ejiciant. Ex quo colligitur, quòd spectato Jure communi Canonico, Parochiani diebus Dominicis, ac Festis teneantur, in propria Parochia Missam audire, si commodè possint, eósque peccare, si ad aliam Parochiam his diebus se conferunt, ex contemptu proprij Parochi, qui præsumitur, si sine legitima causa id fiat: secus si ex justa causa, ut si v. g. Parochianus iter faciat, ut docet *Innocent. Jo. Andr. & Abb. hìc n. 1.* & sumitur *ex c. 4. & 5. caus. 9. q. 2.* & expressiùs habetur *in Extravag. 2. inter communes sup. de treuga, & pace*, Ubi prohibentur, ne Fratres Mendicantes prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis, diebus Festivis, & Dominicis, cùm jure sit cautum *(in c. 2. h. t.)* illis diebus Parochianos teneri Missam audire in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent. Verùm hoc præceptum Juris communis, quo quisque in sua Parochia rem Divinam audire tenetur, partim per generalem consuetudinem abrogatum esse, tenent multi Dd. & dictum supra *Lib. 1. Decret. Tit. 31. n. 142.*

V. Assertio 3. Inter Jus Parochiale numerari etiam debet jus prædicandi, quod Parochis, ratione Officij sui

sui Pastoralis, præcipuè incumbit, prout sumitur ex *Clement. Dudum* 2. *de sepult.* ubi §. *Nos autem*, circa præ- » dicationes statuitur, & ordinatur, inprimis, ut Fra- » tres Ordinis Prædicatorum, ac Minorum in Ecclesiis » suis, & locis, ac communibus plateis liberè valeant » prædicare Clero, & populo: horâ illâ duntaxat ex- » ceptâ, in qua Prælati locorum prædicare voluerint, » vel coram se facere prædicari: nisi aliud Prælati per » specialem licentiam concesserint. Secundò, in Stu- » diis generalibus, illis diebus, quibus sermones fi- » unt ad Clerum, & solenniter prædicatur, & in Fe- » stis specialibus, sive propriis Ordinis, possunt ijdem » Fratres liberè prædicare, nisi in illa loca Episco- » pus, vel Prælatus superior Clerum ad se generali- » ter convocaret. Tertiò, in Ecclesiis autem paro- » chialibus Fratres illi nullatenus audeant, vel debe- » ant prædicare, nisi à Parochis invitati, vel vocati, & » de assensu ipsorum, aut licentia ab ipsis petita fue- » rit, ac obtenta, vel nisi Episcopus, aut Prælatus » superior per eosdem Fratres prædicari, mandaret.

VI. Ubi Notandum, licèt munus prædicandi possit ab Ordinario, videlicet Papâ, vel Episcopo, alijs non curatis, v. g. Regularibus committi, sine qua commissione nullus prædicare potest, & debet, ut notat *Gl. in c. Quod DEI* 5. *V. Privilegiatum, de statu Monach.* imò etiam *in c. Excommunicamus* 13. §. *Quia verò, de hæretic.* dicitur, excommunicandos esse eos, qui officium prædicandi publicè, vel privatim sibi usurpare præsumunt: tamen ejusmodi commissiones, vel privilegia concessa à Papa, intelligenda sunt, sine præjudicio Pastorum ordinariorum inferiorum, nisi expresè eorum juri derogetur, ut tradit *Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 9. c. 1. num. 3.* quia Papa non intendit per privilegium suum alterius juri derogare, juxta *Gl. communiter receptam, in c. 2. V. Cujus est, de Relig. domib.* Porrò quamvis *in Extrav. 1. de privil. inter communes*, concessum fuerit FF. Prædicatoribus, & Minoribus, ut qui ad hoc à Superioribus deputati fuerint, in Ecclesiis, & locis ipsorum, ac in plateis publicis, liberè, absque Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum licentia petita, valeant Clero, ac populo prædicare, eique proponere verbum DEI: Id tamen per *Concil. Trid. Sess. 5. c. 2. de ref.* nonnihil immutatum est. Nam primò, Regulares, cujuscùnque Ordinis, non possunt, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare, nisi cum licentia suorum Superiorum personaliter se Episcopis præsentent, & ab eisdem benedictionem eorum petant, antequam prædicare incipiant. Additur *ibid.* §. *Si verò*, quòd Episcopus Religioso, etiamsi in propria Ecclesia concionetur, & errores, vel scandala disseminaverit, prædicationem interdicere debeat. Quòd si verò hæreses prædicaverit, secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem, Episcopus contra ipsum procedat, & quidem auctoritate Apostolicâ, & tanquam ejusdem Sedis delegatus, si Prædicator sit exemptus. Curare tamen debent Episcopi, ne Prædicator ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur, justámve de ijs occasionem conquerendi habeat. Idem *Trident. Sess. 24. de refor.* statuit, ut nullus Sæcularis, vel Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.

Ex quo colligit *Suar. cit. c. 1. n. 4.* quòd requiratur licentia Episcopi, saltem implicitè; quia Concilium requirit, ut non contradicat, si autem non contradicit, tacitè consentit, de quo actum supra *Lib. 1. Tit. 31. num. 91.* Sed quid si Episcopus nolit benedictionem dare Regulari præsentato à Superiore suo, ad prædicandum in Ecclesia sui Ordinis, vel contradicat, ne concionetur? Resp. si Episcopus absolutè contradicat, & prohibeat, ne Regulares privilegiati in Ecclesiis suis concionentur, possunt, tali prohibitione non obstante, nihilominus concionari in illis; quia inferior non potest tollere privilegium à Superiore concessum: Si verò non absolutè prohibeat id Episcopus, sed tantùm velit, ne certa persona ad concionandum assumatur, tum Episcopo obtemperandum est, etsi alioquin persona idonea videatur: Nam vel de hoc non certò constat, sed dubium est: & tunc judicium Episcopi præferendum est; quia ad ipsum pertinet cura plebis, cui Verbum DEI prædicatur. Vel evidenter, & notoriè constat, quòd persona sit idonea, & tunc saltem propter vitandum scandalum, & perturbationem, quæ oriretur in populo, dum Superior Judex declarat, an persona idonea sit ad prædicandum, necnè; magis expedit, ut alius ad concionandum Episcopo præsentetur, *Suar. c. l. n. 9.*

Secundò, si Regularibus privilegium concessum sit à Sede Apostolica, prædicandi Verbum DEI, extra Ecclesias, in publicis viis, & plateis, etsi olim non requirebatur licentia Diœcesanorum, ut constat *ex cit. Extravag. 1. de privileg.* hodie tamen ea requiritur, si commodè peti possit: si tamen ea peti non possit; quia Episcopus est absens, prædicandum non est, repugnantibus Parochis locorum, ut apertè significat Gregorius XIII. in Bulla Ad perpetuam rei memoriam anno 1545. Societati data, ut refert *Suar. c. l. n. 5.* Tertiò, in Ecclesiis Parochialibus non possunt Regulares privilegiati prædicare, nisi Curati eatundem consentiant: vel nisi Episcopus facultatem concedat, tunc enim Parochus contradicere non potest, nisi rationabilem causam alleget, ut constat *ex cit. Extrav. 1. de privil. Suar. cit. c. 1. n. 6.* Potest autem hæc prædicandi licentia à Superioribus committi, etiam ijs Religiosis, qui Sacris Ordinibus initiati non sunt, dummodo primam tonsuram habeant, & aliàs idonei sint, ut constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit Dilecti, data Societati Jesu anno 1585. *Suar. c. l. n. 10. & seqq.* quod privilegium (sicut & alia Religioni concessa) etiam Novitiis competit, *arg. c. Religione* 21. §. *Quamvis, de sentent. excomm. in 6. Suar. c. l. num. 18.*

VII. Denique prædictis addendum, quod *in cit. Clement. Dudum* 2. §. *Statuimus, de sepult.* etiam decernitur, & ordinatur, circa Confessiones fidelium audiendas. Veluti primò, Superiores Ordinum Prædi- » catorum, & Minorum in Civitatibus, & Diœcesi- » bus, ubi loca habent, vel in vicinis, ubi loca non ha- » bent, per se, vel per suos ad Prælatos (Episcopos, & » ijs Superiores) se conferant, ac humiliter petant, » ut Fratres ad hoc electi in eorum Civitatibus, & » Diœcesibus Confessiones subditorum suorum au- » dire, & pœnitentias ijs imponere, atque eisdem » absolutionem impendere, de eorum licentia, li- » berè valeant. Secundò, ut Superiores horum Or- » dinum eligant personas sufficientes, idoneas, vitâ » probatas, discretas, ac peritas, easque præsentent, » vel faciant præsentari Prælatis, ut de eorum licen- » tia »

» tia confessiones audiant. Tertiò, extra Civitates » autem, & Diœceses, per quas, & non per Provin- » cias (fortè divisi sunt Ordines, & eorum domicilia) » debent deputari, confessiones nullatenus audiant: » numerus autem deputatorum, ad audiendas con- » fessiones, debet esse major, vel minor, prout Cleri- » ci, & populi multitudo, vel paucitas exigit. Quar- » tò, si ijdem Prælati aliquem ex Fratribus præsenta- » tis ad hujusmodi officium, nollent habere, vel ad- » mittere, loco illius, possit, ac debeat alius præsen- » tari, & subrogari. Quintò, si dicti Prælati Fratri- » bus, ad confessiones audiendas electis, licentiam ta- » lem dare recusent, S. Pontifex ex plenitudine Apo- » stolicæ potestatis, ut confessiones ipsis confiteri vo- » lentium liberè, ac licitè audire valeant, gratiosè » concedit: ita tamen, ut per hoc Fratribus sic depu- » tatis non intendant ampliorem potestatem con- » ferre, quàm quæ Curatis, seu Parochialibus Sacer- » dotibus à Jure est concessa, nisi Prælati Ecclesiastici » uberiorem gratiam specialiter eisdem facerent. » Hinc infert *Gl. hic V. Concessa*, quòd tales Confes- » sarij deputati non possint absolvere à casibus Epi- » scopis reservatis.

§. II.

An fines Parochiarum præscribi possint?

VIII. Ad hanc Quæstionem respondetur, sicut fines, seu limites Provinciarum, & Diœcesium, secundùm jura, præscribi nequeunt: ita nec limites Parochiarum, & quæ finibus cohærent, unquam præscribi possunt, prout statuitur *in c. Super eo; 4. h. t.* » Nam cùm dubitatum fuisset, an, quod de finibus » Provinciarum ac Diœcesium, iisque, quæ finibus » cohærent, non præscribendis per SS. Canones sta- » tutum reperitur (*c. Quicúnque; 4. & 3. seqq. caus.* » *16. q. 3.*) etiam in limitibus Parochiarum admit- » tendum sit? Respondet ad hoc Urbanus III. de » utrisque esse intelligendum, dummodò per legiti- » mam probationem, vel aliàs indubitatam fidem » constiterit, fines Ecclesiasticâ auctoritate esse con- » stitutos. Ratio est, ne Diœcesium, seu Provinciarum, & Parochiarum termini confundantur, *cit. can. Quicúnque*; & ne usurpet quis terminos alienos, *c. Inter; 6. ead. caus. & q.* nam aliàs privatâ cujusque auctoritate, sublatis antiquis, passim novi limites constituerentur, & tam in jurisdictione, quàm in alijs ad publicam utiliatem pertinentibus, frequens daretur occasio incertitudinis, & confusionis, ideo termini, seu fines hujusmodi publicâ auctoritate constituti, ac distincti, immutabiles esse debent, & meritò prohibentur præscribi, *Barb. in Collect. hic n. 2.*

IX. Ubi præterea Notandum *ex Joan. Andreæ in cit. c. 4. h. t. n. 2. & Abbat. ibid. n. 5.* quòd limes est linea, seu longitudo distinguens spatium à spatio, & solet in confinibus poni aliquis lapis pro limite: in Diœcesibus verò, & Parochiis distinguendis, solent designari montes, flumina, & paludes, qui tamen propriè non sunt limites Diœcesis, vel Parochiæ: sed potiùs signa limitis, & adhærentia limiti dicuntur: ac proinde etiamsi auferantur, v. g. lapis limitaneus, vel fluvius exsiccetur, aut alium alveum acquirat, non ideò fines, seu limites censentur esse mutati; quia signatum non pendet à signo, ita ut hoc ablato, etiam illud mutari, necesse sit. Quare cùm dicitur, quòd fines, seu limites Diœcesium, seu Parochiarum non possunt præscribi, id intelligendum est, de illis formaliter spectatis, quatenus hæc signa posita sunt ad constituendos terminos, seu fines Diœcesis, vel Parochiæ, mutari per perscriptionem non possunt; quia constituta sunt, ut in æternum maneant, v. g. usque ad hanc Ecclesiam, sitam in radice montis inclusivè, tendit Episcopatus N. post Ecclesiam incipit Episcopatus consinis: nam si, ut sic præscriberentur, confunderentur termini antiqui Diœcesis, & mutarentur; quia Ecclesia, quæ anteà erat intra hanc Diœcesin, transiret ad Diœcesin alteram, seu confinem. At verò nil vetat, quin Episcopus per præscriptionem, saltem immemorialem, vel annorum 40. cum titulo, præscribat Ecclesiam positam intra Diœcesin alterius Episcopi, quæ tamen non cohæreat finibus, sive non sit constituta ad designandos, & constituendos fines, prout sumitur *ex cit. c. Inter; Gl. magn. caus. 16. q. 3.* & tradunt Dd. apud *Jo. Andr. in cit. c. Super eo; n. 3. & Abbat. n. 6. h. t.* & ratio est, quia si Episcopus Ecclesiam, quæ intra alienam Diœcesin sita est, per præscriptionem suæ jurisdictioni subjiciat, non ideo confunduntur termini antiqui Diœcesis, *Gl in c. Quicúnque; V. Provinciam*, ubi dicit, quicquid est, intra terminos alterius Diœcesis, præscribi potest, dummodò non sit in limite, vel conjunctum limiti; nam de cohærentibus, sive connexis idem est judicium, *Gl. in c. Quanto; 7. V. Connexa, de judic. Barb. in cit. c. Super eo; n. 5. h. t.*

X. Porro quòd dictum est, fines Parochiarum, & Diœcesium præscribi non posse: id extenditur primò, ut etiam per præscriptionem centenariam, vel temporis immemorialis præscribi non possint, ut docet *Abb. in cit. c. Super eo; num. 2. h. t.* Ratio est, quia non potest ullo tempore valere illa præscriptio, cui Lex, vel Canon omninò resistit, cùm à jure positivo, præscriptio omnem vim suam habeat, & inducta sit: atqui præscriptioni finium resistit Lex, tum Civilis, ut patet, *ex l. Agros; 3. ibi; Cujuslibet spatij tempore præscriptione cessante, C. de fundis Limitrophis, Lib. 11.* Propositio autem indefinita æquivalet universali, *Abb. c. l.* tum etiam Lex Canonica, ut patet ex ratione adjecta *in c. Quicúnque; 4. & c. seq. cit. caus. 16. q. 3.* videlicet ne termini Diœcesium confundantur, qui ab initio sunt constituti, ut perpetuis temporibus, acimmutabiles permaneant. Et licèt *in cit. c. Quicúnque*; sit sermo, de finibus, seu terminis Provinciarum, id est, Diœcesium, juxta *Gl. ibid. V. Provinciam*, ubi aliquandóque Provincia sumitur pro Diœcesi, & è converso: idem tamen est de finibus Parochiarum, de quibus loquitur *cit. c. Super eo*; cùm eadem ratio sit in omnibus finibus, seu terminis, adeóque etiam idem jus, *Gl. ibid. V. Per Canones.*

Extenditur secundò, etiam ad fines, seu terminos Regnorum, Ducatuum, Comitatuum, & aliorum Dominiorum sæcularium, quòd etiam illi nullo unquam tempore præscribi possint, *cit. l. Agros; Abb. hic n. 11.* ubi tamen addit, quòd contrarium de facto ex consuetudine observetur, & hujusmodi termini sæpe mutentur, & à vicinis occupentur, ut etiam notat *Joan. Andr. in cit. c. Super eo; n. 1.*

XI. Limitatur autem supra dicta assertio, dummodò de finibus legitimâ auctoritate constitutis constet,

ſtet, v. g. per Inſtrumentum, vel alias probationes, aut indicia, prout additur *in fine cit. c. Super eo*; nam ſi de finibus non conſtet, tum locum habere poteſt præſcriptio; quia tunc non præſcribuntur fines, ac proinde ceſſat etiam prædicta ratio, *Abb. in cit. c. Super eo; n. 3. & Barb. in Collectan. ibid. n. 4.* Videri poſſunt, quæ de hoc dicta ſunt, *Lib. 2. Tit. 26. de præſcript. Sec. 1. §. 3. n. 18. & 19.* videlicet, quòd limites Provinciarum, ac Diœceſium, & Parochiarum bene poſſunt præſcribi, quoad jus proprietatis, ita, ut terra, ſeu ſolum præſcribatur, quoad dominium alicui acquirendum: ſed non quatenus fines, ſeu limites ſunt, ita, ut limes unius Diœceſis, vel Parochiæ extendatur, & alterius reſtringatur, *Abb. in c. Indicante; 9. n. 11. de præſcript.* interim tamen manent fines, quatenus fines ſunt; quia etiam poſt præſcriptionem retinent tationem finiendi, & limitandi, ſicut anteà, *Barb. in cit. c. Super eo; 4. in fine.*

§. III.

Quomodo dividendus ſit Epiſcopatus, inter Epiſcopum lapſum in hæreſin, ſed reverſum ad fidem, & ex diſpenſatione receptum, & inter Epiſcopum eidem ſubſtitutum?

XII. De hoc agitur *in c. Si Epiſcopus; 1. h. t.* quod eſt deſumptum *ex Concilio Africano, cap. 85.* » in quo talis caſus proponitur. Epiſcopus quidam, » cum magna parte plebis ſibi commiſsâ, incidit in » hæreſin Donati, ideóque novus Epiſcopus in lo- » cum prioris eſt ſubſtitutus, qui gereret curam re- » ſiduæ partis populi: poſtea verò Epiſcopus ille ad » Catholicæ fidei rediit unitatem, cum parte populi, » quæ cum ipſo à fide defecerat, cum quo diſpenſa- » tum fuit, propter multitudinem populi, qui illum » ſecutus eſt, ut Epiſcopali Dignitati reſtitueretur. » In hoc caſu duo iſti Epiſcopi debent Parochias, ſive » plebes illas inter ſe in partes æquales dividere, ita, » ut una pars ad Epiſcopum reverſum, altera pars di- » midia, ad Epiſcopum novum, & priori ſubſtitu- » tum pertineat. Diviſionem autem hanc faciet, » qui inter ipſos eſt antiquior in Ordine, ac Digni- » tate Epiſcopatûs, & alter eliget. Quòd ſi verò u- » nus tantùm locus ſit, ſeu Parochia, in qua ab ali- » quo tempore Catholici, & Donatiſtæ fuerunt, » tum ad eum Epiſcopum pertineat, in quem plebs » conſenſerit. Si verò non conſentiant, ſed Catho- » lici antiqui velint ſuum Epiſcopum, illi verò, qui » recèns converſi ſunt, ſuum: tum ille, quem plu- » res elegerunt, præferendus eſt ei, quem pauciores » elegerunt: ſin autem partes ſint æquales, ille Epi- » ſcopus præferetur, qui diutiùs Epiſcopatum geſſit. » Quòd ſi plura loca, ſeu Parochiæ Diœceſis repe- » riantur, in quibus ambæ partes, utriûsque Reli- » gionis incolæ fuerant, ut non poſſint æqualiter » dividi, quia numero impari ſunt: tunc diviſis alijs » locis, quoad unum locum remanentem fieri de- » ber, prout ſuprà dictum eſt in caſu, ſi unicus tan- » tùm locus ſit. »

XIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si Epiſcopus, vel alius Beneficiarius lapſus in hæreſin, poſtea revertatur ad Eccleſiam, non eo ipſo recuperat jura amiſſa, & Epiſcopatum, vel Titulum Beneficij, ſi quidem pœnam privationis ipſo jure incurrit ob hæreſin: vel ſi ſententia privationis contra hæreticum, vel alium criminoſum ſit lata, ut de Patrono, qui propter hæreſin privatus eſt jure Patronatûs, ſed reverſus eſt ad Eccleſiam, tradit *Gl. in c. Maximum; 19. cauſ. 1. q. 7. V. Dignitate.* Ratio eſt, quia pœna ipſo jure, vel per ſententiam ab homine, ſemel inflicta, non poteſt tolli, niſi per reſtitutionem Principis, *arg. c. Vergentis; 10. de hæretic.* & docet *Abb. in c. Quia; 5. n. 9. de Elect.* per quam recuperat omnia bona, & jura, quibus eſt privatus, *l. 1. C. de ſentent. paſſis & reſtit.* Aliud eſt, ſi quis indulgentiam tantùm criminis obtinuit, per quam ſola pœna remiſſa eſt: non autem reſtitutio fit in priſtinum ſtatum, per quam omnia recuperantur, juxta *l. 2. C. eod. Bart. in cit. l. 1. n. 1. h. t.* Excipe, niſi bona & jura, quibus reus eſt privatus, in alium per Principis donationem ſint translata, tum enim damnatus per reſtitutionem in integrum, ea non recuperat; quia hæc fieri cenſetur, ſine præjudicio juris alieni, *arg. c. Quamvis; 8. de reſcript. in 6. Abb. in cit. c. 5. & in c. 1. n. 1. h. t.* Quare quando in caſu hujus cap. Epiſcopo, qui in hæreſin incidit, & ad Eccleſiam eſt reverſus, reſtituta eſt pars Diœceſis, id factum eſt diſpenſativè, & ex gratia ſpeciali, propter circumſtantias loci, ac temporis; dominabantur enim tunc in Africa adhuc Donatiſtæ, & quia Epiſcopi reverſi in poſſeſſione adhuc erant, non facilè poterant removeri, prout videre eſt *in c. Pictas; 24. cauſ. 23. q. 4. §. Si inquiunt, & §. ſeq. qui eſt deſumptus ex Epiſtola; 50. S. Auguſt. ad Bonifac.* Itaque deciſio hujus cap. non facit Jus commune, ſeu univerſale, ſecundùm quod regulariter non poſſunt eſſe ſimul duo Epiſcopi in eadem Diœceſi; hoc enim monſtroſum videtur, velut duo capita in uno corpore, ideóque ad alios caſus, niſi omnino ſimiles, quales tempore ſchiſmatis accidere poſſunt, extendi non debet, *Innocent. in cit. c. 1. & Joan. Andr. n. 5. h. t.* ubi *in fine*, addit, ſi hodie Epiſcopus in hæreſin lapſus, ad fidem reverſus, ſic reſtitueretur, aliter provideretur ſubſtituto, dando illi alium Epiſcopatum, vel aſſignando certos reditus.

XIV. Notandum ſecundò. Si res communis dividenda eſt, v. gr. hæreditas paterna inter fratres, tum congruus modus eſt, ut major natu, vel peritior, vel qui res, ſeu bona dividenda diutiùs adminiſtravit, vel meliorem eorum notitiam habet, diviſionem faciat: alter verò, nempe minor natu, aut minùs peritus, electionem habeat, exemplo diviſionis factæ inter Abraham, & Loth, *Geneſ. cap. 13. verſ. 8.* quam ſententiam communiter tenent Canoniſtæ, *arg. c. 1. h. t.* ut refert *Quido Papæ, deciſion. 289. & Mynſing. cent. 4. obſ. 37.* Legiſtæ verò magis communiter tenent, quòd diviſio facienda ſit per Judicem, electio verò per ſortes, ut tradit *Gl. in l. 2. V. In ſortium, quando & quibus quarta pars, &c. Lib. 10. & ibi Dd.* Porro frater major natu non tenetur hanc diviſionem facere, ſi nolit: ſed velit, ut diviſio bonorum fiat per judicium familiæ herciſcundæ, vel

communi dividundo: ipse verò Judex tenebitur dividere, quatenus ipsi æquum videbitur, consideratâ rerum qualitate: vel etiam munus dividendi imponere poterit ei, qui majorem rerum notitiam habet, *Abb. in cit. c. 1. h. t. num. 4.* Quòd si res commodè dividi nequeat, tunc æquum est, ut tota res relinquatur ei, qui plus pretij obtulit, ad redimendum jus alterius, vel, ut electionem habeat is, qui majorem partem, seu jus potius habet in re dividenda, ut tradit *Gl. in cit. l. 2. C. quando & quibus, &c.*

§. IV.

Explicantur alia duo Capitula, quæ adhuc restant in hoc Titulo.

» XV. *In cap. Nullus* 3. Hadrianus Papa sic re-
» scribit: nullus Episcopus alterius Parochianum,
» id est, Diœcesanum judicare præsumat (absque
» ejusdem scilicet licentia) nam quem ordinare non
» potest, nec judicare potest. Ubi Papa argumentatur à minore ad majus, quod argumentum procedit negativè, hoc modo, si Episcopus sibi non subditum, sive qui alterius Diœcesis est, ordinare non potest, *c. 1. caus. 9. q. 2.* qui est actus jurisdictionis voluntariæ, cui aliquis potest quis se sponte subjicere: multò magis non potest judicare alienum subditum; cùm iste sit actus jurisdictionis contentiosæ, quæ coactionem aliquam adjunctam habet, ideòque erga non subditum exerceri non potest, *Abb. in cit. c. Nullus; n. 2. h. t.* Quare sicut Episcopus non potest alienum Diœcesanum ordinare (nisi eò domicilium transtulerit, *Gl. hìc V. Præsumat*) sic nec judicare: quod procedit de Episcopis, non autem de Archidiaconis, & alijs inferioribus Prælatis, qui judicare possunt suæ jurisdictioni subjectos, etsi non ordinare, *Gl. hìc V. Ordinare.* Deinde hoc procedit in Judicibus Ordinarijs: non autem in Delegatis, qui possunt judicare, non tamen ordinare, *Hostiens. hìc in fine, & Joan. Andr. n. 1. Fagnan. n. 6. in fine.*

XVI. Præterea *in c. Significavit; 5. & ult. h. t.* decernitur, ut si quis ex una Diœcesi domicilium transferat in aliam, prior Episcopus non habeat jurisdictionem in ipsum spiritualem, nec etiam temporalia ab eo exigere possit; cùm ei non administret spiritualia: sed secundus, nam in casu *cit. c. ult.* cùm
» Civitas Aconensis recuperata esset à Christianis,
» multi se eò contulerunt, ad habitandum, qui ante
» occupationem Terræ Sanctæ, in alijs Regni Jero-
» solymitani Civitatibus habitârunt. Quia verò
» Prælati earundem Civitatum prædictos Aconen-
» ses habitatores, ad solvenda sibi Episcopalia jura,
» compulerunt, quippe qui spirituali suæ jurisdi-
» ctioni sint subjecti, ideo dicti Aconenses de hac re
» conquesti sunt apud Papam Cœlestinum III. Is re-
» spondit, ac mandavit, ut Prælati illi nullam in
» habitatores illos Civitatis Aconensis jurisdictio-
» nem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant. Quòd si verò
» ex agris, in Parochia, seu Diœcesi eorundem Præ-
» latorum constitutis, fructus percipiant, atque ea-
» tione prædiorum, decimæ solvantur, deinceps
» etiam eas integrè solvere, debeant. Prædicto ve-
» rò Aconensi Episcopo, tanquam Diœcesano suo,
» subjectionem, & obedientiam præstare cogantur.

XVII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Possunt Laici liberè mutare domicilium, tam quoad temporalia: quàm quoad spiritualia, conferendo se ab una Parochia, seu Diœcesi, vel Provincia, in aliam, etiam sine licentia Ordinarij, seu Diœcesani loci, animo ibi constanter habitandi, *l. Post liminij; 5. in fine, junct. Gl. fin. ff. de captivis, l. Placet; 3. junct. l. seq. ff. ad municip.* & tunc desinunt esse subjecti jurisdictioni prioris Episcopi, & subjiciuntur Episcopo novi domicilij, *Abb. in cit. c. nil. num. 1. & 2. h. t.* & colligitur *ex cod. cap.* Nam sicut quis potest liberè sibi constituere domicilium, ita etiam illud mutare, & aliò migrare. Aliud est de Clericis, qui non possunt ad aliam Ecclesiam, vel Diœcesin transire, nec ab alio recipiendi sunt, sine licentia, ac Literis dimissoriis proprij Episcopi, *c. 1. & pluribus seqq. dist. 71. cap. Placuit; 2. caus. 21. q. 2. Fagnan. in cit. c. ult. n. 4. h. t.*

Notandum secundò. Ad hoc, ut quis se conferens ex una Diœcesi, vel Parochia in aliam, fiat Diœcesanus, vel Parochianus in altera, ita, ut ibi Sacramenta percipere possit, etiam matrimonij, sive illud contrahere, non requiritur intentio, in eo loco constanter habitandi: sed sufficit, quòd habeat animum ibi habitandi, non ad breve tempus, modò id bonâ fide, & sine fraude fiat, eò quòd, ob negotium, vel impedimentum, v. gr. bellum, vel pestem, non possit commodè reverti ad Diœcesin, vel Parochiam priorem, ubi domicilium habebat, ut ibi Sacramenta suscipiat, prout sumitur *ex cit. c. ult. h. t.* & docet *ibid. Navarr. in consilio 1. num. 3. Fagnan. num. 18. & 27. & seqq.* idque sumitur *ex cit. c. ult.* Nam illi, qui priùs habitârunt in Regno Hierosolymitano, propter occupatam Terram Sanctam, se transtulerunt ad habitandum in Civitate Aconensi, non animo ibi perpetuò manendi: sed solùm, ut verisimile est, quamdiu in manibus infidelium maneret Terra sancta; attamen ibidem deciditur, ut spiritualia recipiant ab Episcopo Aconensi, & decimas personales ei persolvant, & obediant. *Fagnan. ibid. n. 30.*

Notandum tertiò. Prælati, & Parochi, qui Parochianis suis spiritualia non ministrant, non debent ab illis exigere temporalia; quippe quæ debentur, dantur Ecclesiæ Ministris propter spiritualia, prout sumitur *ex cit. c. ult. & ibi Gl. in notat. Joan. And. num. 4. & Abb. nu. 3.* imò etiam accepta repeti possunt, tanquam data ob causam, causâ non secutâ, juxta *Tit. ff. de condictione causâ data, causâ non secutâ, & C. de condict. ob causam datorum.*

TIT.

TITVLVS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBVS.

Jus accipiendi Decimas, Primitias, & Oblationes inter jura parochialia numeratur, & quidem velut unum ex præcipuis; ideo postquam præcedente Titulo de Parochiis, & quibusdam earum juribus actum est: nunc convenienter subjicitur hic Titulus de Decimis, Primitiis, & Oblationibus, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SECTIO I.

DE DEFINITIONE, AC DIvisione Decimarum, & obligatione eas solvendi.

I.

PRæmittendum, Decima in genere dicitur decima pars cujusque rei, sive bonorum, ex quibus penditur, prout patet *ex l. 2. §. 2. ff. de pollicitat.* ibi: *Si decimam quis bonorum vovit, &c.* Utimur autem nomine *decimæ* interdum in numero singulari, frequentiùs autem in plurali *decimarum*; quia plerúmque multarum rerum decima pars simul solvitur, sive plures partiales decimæ solvendæ sunt; v. gr. decima pars fructuum ex agris, vel arboribus, decima pars ex tritico, hordeo, vino, &c.

§. I.

Quid, & quotuplices sint Decimæ?

II. Assertio 1. Decimæ sunt pars decima omnium bonorum mobilium, sive fructuum justè quæsitorum, Ecclesiæ Ministris, quot annis, exsolvenda, prout describit *Hostiens. in summa h.t. n. 1. Azor. p. 1. Instit. moral. Lib. 7. c. 23. q. 1.* & sumitur *ex c. Extransmissa 5 23. h.t.* ubi dicitur, *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Vel secundùm alios, apud *Barbos. de offic. Parochi c. 28. num. 2.* Decimæ sic describi possunt, sunt decima pars fructuum, ad quam petendam jus competit Ecclesiis Parochialibus, ratione ministerij Sacramentorum. Et sic Decimæ, prout consistunt in jure accipiendi fructus corporales, seu temporales, sunt jus spirituale, seu juri spirituali dependenter annexum; quia dependent ab officio spirituali, nempe ministerio Sacramentorum, ministrantibus enim spiritualia, debentur temporalia, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. in corp.* Idque procedit; sive Decimæ dentur in titulum, sive in proprietatem, *Barb. c. l. num. 3.*

III. Cæterùm cur decima pars fructuum constituta sit, quot annis, solvenda Ministris Ecclesiæ in Novo Testamento, sicut & olim à DEO in Veteri Testamento, & non minor, v. gr. duodecima pars, aut vigesima, vel major, v. gr. tertia, aut quarta; rationem hanc reddit *S. Thom. cit. q. 87. art. 1. in corp.* quia denarius est numerus perfectus, & quasi primus limes, seu terminus numerorum, ultra quem non proceditur: sed fit reiteratio ab uno ad alium denarium duplicem, vel triplicem, &c. *Henr. Canisius tract. de decimis c. 1. n. 9. Barb. c. l. n. 4.*

IV. Assertio 2. Triplicis generis Decimæ communiter assignari solent, prædiales, seu reales, personales, aut ex utrisque mixtæ, ut tradit *Hostiens. in summâ num. 3. Azor. cit. c. 23. q. 3.* Prædiales decimæ sunt, quæ ex prædiis, sive bonis immobilibus solvuntur, videlicet ex agris, vineis, hortis, silvis, ædibus elocatis, &c. Personales verò sunt, quæ ex lucro hominis industriâ quæsito penduntur, nimirum ex negotiatione, militiâ, artificio, vel aliâ professione: item ex venatione, piscatione, & similibus. Mixtæ sunt, quæ partim prædiales, seu reales, partim personales sunt, veluti, quæ ex fructibus pecorum, vel avium, ut gallinarum, anserum, &c. in propriis prædiis, concurrente industriâ personæ, nempe ex caseo, lacte, ovis, &c. solvuntur. Verùm aliqui Dd. existimant Decimas mixtas ad priores duas species, videlicet prædiales, seu reales, & personales commodè reduci posse; quia vix dari possunt prædiales, ad quas colligendas non debeat etiam concurrere labor, & industria hominum: sic enim ad fructus ex prædiis, & agris percipiendos requiritur, ut homo cooperetur, arando, seminando, plantando, rigando, &c. sicut ad fructus animalium cooperari debet, custodiendo, pascendo, &c. etsi negari non possit, quin circa animalia major cura, & industria hominum requiratur, *Suar. Tom. 1. de Relig. tract. 2. Lib. 1. c. 9. num. 4.* Unde *Gl. in c. Ad Apostolicæ 3 20. V. Personales, h.t.* duas tantùm species Decimarum distinguit, personales, & prædiales, inter quas numerat Decimas, quæ ex animalibus penduntur. Sicut etiam in ipso Textu duo tantùm genera Decimarum ponuntur: certum autem est Decimas animalium non esse personales. Quare juxta hanc probabilem sententiam, duæ tantùm erunt species Decimarum: prædiales, seu potiùs reales, quæ debentur ex fructibus prædiorum, & animalium: & personales, quia debentur ex fructibus, seu lucris, humanâ solùm industriâ, & ministerio quæsitis: cujusmodi sunt, quæ ab actionibus merè personalibus, sive corporalibus, sive doctrinalibus, vel artificialibus proveniunt, inter quas etiam venatio, & piscatio computandæ sunt, *Suar. c. l. Barbos. c. l. n. 9.*

V. Præ-

V. Præterea Decimæ aliæ sunt majores, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur: aliæ minores, quæ ex hortis, fœtibus animalium, & alijs hujusmodi minutioribus penduntur, prout etiam in his Regionibus in frequenti usu est, *Laym. cit. c. 1. n. 4. in fine.* Denique Decimæ aliæ sunt profanæ, aliæ Ecclesiasticæ, ut tradit *Greg. Tholos. Lib. 2. Syntag. c. 20.* Profanæ sunt quoddam genus tributi, quod olim sæculares domini prædiis subditorum imponere solebant. Ecclesiasticæ vero sunt duplicis generis, quædam enim sunt, quæ juxta primævam suam institutionem, & originem, Ecclesiæ Ministris penduntur, tanquam stipendium, ob spiritualia eorum ministeria, seu functiones, ideóque propriè spirituales, & Ecclesiasticæ dicuntur: Aliæ verò sunt, quæ à Titulo spiritualis officij separatæ, ab Ecclesia, ob justam causam, etiam Laicis personis conceduntur, ideóque Laicales Decimæ appellari solent, *Laym. cit. c. 1. n. 5.* ubi *n. 6.* addit, si dubitatur, utrùm sint Decimæ profanæ, an Ecclesiasticæ, præsumendum potiùs est, esse Ecclesiasticas apud Christianos, qui semper ex prædiis suis Ecclesiæ pendere Decimas ab antiquo solebant. Idémque est, si dubitetur, num jus decimandi ad Clericos, an verò ad Laicos spectet: vel utrùm sint Decimæ Spirituales, an Laicales, sive Laicis in perpetuum concessæ, mutatio enim, sive alienatio est quid facti, & cedit in præjudicium Ecclesiæ, ideóque non præsumi, sed probari debet, *Laym. c. l.*

§. II.

Quo iure Decimæ introductæ sint, & debeantur Ministris Ecclesiæ?

VI. Assertio 1. Decimæ materialiter, & secundùm substantiam spectatæ, quatenus sunt stipendium necessarium, ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, jure naturali, ac Divino ipsis sunt debitæ, *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. in Corp. Azor. cit. c. 23. q. 4. Less. Lib. 2. c. 39. dub. 1. nu. 4. Suar. cit. Lib. 1. c. 10. n. 3.* & alij Theologi, contra plures antiquos Canonistas. Probatur de jure naturali, quia Lex naturalis justitiæ præcipit, ut spiritualia Ecclesiæ necessaria ministrantibus, necessaria vitæ sustentatio, tanquam debitum stipendium præbeatur. Idémque jure Divino positivo præceptum esse, constat ex illo Christi, *Mat. 10. vers. 10. Dignus est operarius cibo suo,* & *1. Corinth. 9. vers. 7. Quis militat suis stipendiis unquam?* & *ibid. vers. 11. Si nos nobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.* & *vers. 17. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt cum Altari participant: sic & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciaverunt, de Evangelio vivere.*

Ex quo infertur, quòd Decimæ, quatenus præcisè continent necessariam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, eis pendendæ sint, etiamsi aliunde habeant, ex quo se alere possint. V. gr. ex patrimonio, artificio, &c. quia non dantur illis tanquam eleemosyna, ut pauperibus, ex mera misericordia, vel charitate: sed ex justitia, tanquam merces debita laborantibus, *Suar. cit. Lib. 1. c. 11. nu. 9. Laym. cit. tract. 6. c. 2. num. 1.* Secus est, si Clerici sustentationem necessariam competentem habeant ex alijs reditibus Ecclesiasticis, tunc enim non eis deberentur, jure naturali, ac Divino; quia non haberent tunc rationem necessariæ sustentationis, ideóque cessaret ratio, cur Decimæ dicantur esse debitæ jure naturali, ac Divino, *Laym. cit. tract. c. 3. num. 9.* sicut de facto in multis locis Ministris Ecclesiæ aliunde providetur de necessaria sustentatione, quàm ex Decimis.

VII. Assertio 2. Decimæ formaliter, & secundùm determinationem, seu certam quotam, ut videlicet sint pars decima fructuum, ex jure positivo eóque Divino, tempore Legis scriptæ, seu Mosaicæ, Levitis debebantur. At verò tempore Novi Testamenti, Decimæ solùm debentur ex jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, quamvis antiquissimo, ut docet *S. Thom. c. l. & alij Theologi communiter,* imò & Canonistæ recentiores. Prima pars patet ex c. 27. *Levit. In quo Levitis Decimas dare præcipitur. vers. 30. Omnes Decimæ terræ, sive ex frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.* Erat autem hoc præceptum de Decimis per se primò, ac directè ex Judicialibus, quæ spectabant ad justitiam, & æquitatem in populo Judaico rectè administrandam; indirectè verò, ac remotè erat etiam cæremoniale, quatenus Decimæ offerebantur ob Dei cultum, in signum supremi ejus in res omnes dominij, & ab hominibus egentibus, suámque imperfectionem agnoscentibus, ut docet *S. Thom. c. l. & Suar. cit. c. 9. n. 3.* Secunda pars, quòd solutio Decimarum, quoad certam quotam, in nova Lege non sit juris naturalis, nec positivi Divini: sed solùm Ecclesiastici, probatur; nam in primis Lex, & ratio naturalis plus non exigit, quàm, ut ministrantibus spiritualia, congrua, & sufficiens sustentatio præbeatur: neque ex vi Legis naturæ, magis ijs debetur pars decima, quàm vigesima, vel octava. Unde etiam in Lege naturæ, ante Legem Mosaicam, nulla extabat Lex de Decimis solvendis: & probabile est, quòd Abraham *Genes. c. 14.* & Jacob *Gen. c. 28.* non ex obligatione, sed liberâ voluntate Decimas obtulerint, *Azor. c. l. q. 2. Suar. cit. c. 10. num. 4.* Sed neque ex vi Juris Divini positivi, sive Legis Mosaicæ, Christiani obligari possunt, ad solvendas Decimas; cùm hæc Lex, quoad præcepta illius judicialia, & cæremonialia, in nova Lege omninò sit abolita, ut constat *ex Apostolo ad Galat. vers. 25. & c. 4. vers. 5. & ad Hebræos 7. vers. 12. 18. & 19. & cap. 8. vers. 6. & 7.* imò etiam, quoad præcepta moralia, quæ non ampliùs obligant, vi Legis veteris: sed solùm quatenus à Lege, sive ratione naturali dictantur, eique juri innituntur, *Suar. cit. c. 10. num. 5.* Nec denique extat præceptum aliquod novæ Legis Evangelicæ à Christo latum, quod obligaret, ad solvendas Decimas; quia Christus in Novo Testamento, præter præcepta Decalogi, quæ sunt Leges naturæ, & morum, nullas alias Leges præscripsit, nisi quæ pertinent ad Fidem, Spem, & Charitatem, & ad substantiales ritus Sacrificij, & Sacramentorum, ut docet *S. Thom. 1. 2. q. 108. art. 1. & 2.* reliqua verò Ecclesiæ statuenda reliquit, *Azor. cit. c. 23. q. 4. Suar. cit. c. 10. num. 6.* Restat igitur, quòd Decimæ solùm sint solvendæ, ex vi Legis Ecclesiasticæ, antiquissimæ tamen, quippe quæ ab Apostolis ad hæc usque tempora derivata.

VIII. Quare cùm *in c. Parochianos; 14. h. t.* dicitur, quòd Decimæ, non ab homine: sed ab ipso Domi-

Domino sint institutæ, & *in c. Tua*; 25. *eod.* quòd Decimæ Divinâ Constitutione debentur, & *in c. Cùm non sit*; 23. *eod.* quòd in signum universalis dominij, quâsi quodam Titulo speciali, sibi Dominus Decimas reservaverit, & alijs similibus locis: Id intelligi debet, quòd sint juris Divini, non propriè: sed remotè, & occasionaliter; quia nimirum Decimæ, ad imitationem, seu exemplum Veteris Legis, ab Ecclesia sunt receptæ, & constitutæ, seu per propriam Legem decretæ: quâ ratione etiam jejunium quadragesimale dicitur nobis esse præceptum ex Lege, & ex Prophetis, & ex ipso Evangelio, apud *S. August. in Ps.* 100. *& alios SS. PP.* quia ad exemplum Prophetarum, & præcipuè Christi Domini ab Apostolis fuit institutum, *Suar. cit. c.* 10. *n.* 7. *Less. cit. c.* 39. *n.* 7. Deinde Decimæ dicuntur Deo deberi, sive quia jure naturali, ac Divino earum solutio est debita, quatenus penduntur Ecclesiæ Ministris, ad eorum necessariam sustentationem, & ut sic ex jure naturali, ac Divino, & ipsius Christi præcepto solvendæ sunt, *Mat.* 10. *V.* 10. non item, prout continent certam, ac determinatam partem fructuum, ut sic enim solvi debent, tantùm ex Lege, seu præcepto Juris positivi, & Ecclesiastici, quod tamen latum est, ad imitationem Veteris Testamenti; ut dictum; non enim debent Ministri Ecclesiæ Christi deterioris esse conditionis, quàm Sacerdotes, & Levitæ erant in Synagoga Judæorum. Simili sensu loquuntur, & accipiendi sunt SS. PP. & *Concil. Trident. Sess.* 25. *c.* 10. *de reform.* quando ait, quòd Decimarum solutio sit debita Deo.

IX. Hinc colligitur primò, Decimæ Ecclesiis Parochialibus sunt debitæ à fidelibus, juxta *c. Parochianos*; 14. *h. t.* ubi dicitur, *prout habetur in integra* » *lectione hujus cap.* quòd Episcopus debeat Parochia- » nos suos, ad Decimas solvendas per censuras Eccle- » siasticas compellere; cùm enim Decimæ, non ab » hominibus: sed à Domino ipso sint institutæ, qua- » si debitum exigi possunt. Ubi *Gl. fin.* notat, quòd dictio *quasi* non denotet similitudinem: sed sit expressiva veritatis, hoc est, propriè accipienda, sicut illud; *quasi Unigeniti à Patre*, quia ex parte fidelium est obligatio solvendi Decimas; & ex parte Ministrorum Ecclesiæ, est actio orta, quæ sunt correlata: creditores autem accipiendos esse eos, quibus debetur ex quacùnque actione, in personam, vel in rem, juxta *l. Creditores*; 10. *junct. Gl. ff. de V. S.*

Colligitur secundò. Non solùm Decimæ prædiales: sed etiam personales non debentur jure Divino positivo, loquendo de certa quota, seu parte fructuum: imò neque in Veteri Lege ullum extabat præceptum Divinum, de personalibus Decimis solvendis, teste *S. Thom. cit. q.* 87. *art.* 2. *ad* 1. In nova verò Lege personales tantùm debentur ex præcepto Juris Ecclesiastici, *Azor. cit. c.* 23. *q.* 6. *Suar. cit. c.* 10. *n.* 7.

Colligitur tertiò. Si solutio Decimarum spectetur, prout est debita Ecclesiæ Ministris, spiritualia præbentibus, est actus justitiæ, juxta *c. Cùm secundùm*; 16. *de præbend.* ideóque Ministri Ecclesiæ jus habent exigendi, & percipiendi Decimas. Si verò consideretur, quatenus solvuntur à fidelibus Decimæ ob Dei cultum, in signum supremi, & universalis ejus in res omnes dominij, ut dicitur *in c. Tua*; 25. *& c. Cùm non sit*; 33. *h. t.* ut sic Decimarum solutio est actus Religionis, *Azor. c. l. q.* 8. *Less. c. l. nu.* 8. Cæterùm quòd Ecclesia, justâ ratione, in nova Lege gratiæ quotam Decimarum constituerit, ac definierit, fusè ostendit *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 11. *& Less. cit. c.* 39. *dub.* 1.

SECTIO II.

DE REBUS, EX QUIBUS Decimæ sunt solvendæ, & de modo, quo solvi debent.

§. I.

Ex quibus rebus Decimæ, sive prædiales, sive personales, sunt solvendæ?

X. Assertio 1. Spectato Jure communi, ex fructibus, seu proventibus rerum omnium, tam immobilium: quàm se moventium Decimæ sunt solvendæ; Est communis, ac certa omnium Dd. sententia; apud *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 34. *nu.* 1. cum *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. Idque sumitur *ex c. Nuncios*; 6. ibi: *& de omni fructu, & c. c. Ex parte*; 21. ibi: *de omnibus prædiorum fructibus Decimas, & c. & c. seq.* ibi, *& de omnibus bonis, & c. & c. Tua*; 26. ibi: *cùm de cunctis omninò proventibus Decimæ sint reddendæ, h. t.* Ratio autem est, quia cùm omnes fructus ex Dei munere provenerint, & omnes ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & rerum servientium ad cultum Dei possint esse necessarij; ideo non est ratio, cur ex quibusdam potiùs fructibus, quàm ex alijs Decimæ pendantur, *Suar. c. l.*

XI. In specie autem exprimuntur in SS. Canonibus plures res, ex quibus Decimæ sunt pendendæ: nam *in c. Pervenit*; 5. *h. t.* Alexander III. mandat » Episcopis, ut Parochianos, seu Diœcesanos suos » moneant, & si opus fuerit, sub excommunicatio- » nis censura compellant, ut de proventibus molen- » dinorum (etiamsi sint ad ventum *Gl. hic V. Eodem*, » *c. Extransmissa* 23. *h. t.*) & piscariarum (seu piscatione) de fœno, & lana (lac enim, lana, & fœtus » fructus pecorum censentur, §. *In pecudum, Instit. de rer. divis.*) Decimas Ecclesiis, quibus debentur; in- » tegrè persolvant. Ratio est, quia ad Prælatum, ratione muneris sui spectat, habere curam Ecclesiarum, ut earum jura non minuantur, vel tollantur: sed conserventur, ideóque etiam monere debet, si negligentes sint, vel in mora solvendi Decimas, & inobedientes etiam per censuram Ecclesiasticam compellere: alioquin Prælatus, ob negligentiam crassam, puniendus, vel etiam quandóque deponendus erit: ut tradit *Gl. in c. Ea quæ*; 3. *V. Negligentia, de Offic. Archidiac.* Porrò *Abbas in hoc c. n.* 3. notat, quòd Decimæ debeant solvi ex frumento, antequam grana separentur à spicis, seu paleis: nam & palea inter fructus computatur, ut colligitur *ex l. Adeò*; 7. §. *Dantur tamen, ff. de acquir. rer. dom.* ac proinde Decimæ debentur ex manipulis segetum, prout metuntur ex terra, cùm & segetes, seu spicæ sint fructus terræ: nisi consuetudo aliud obtineat, ut frumentum, postquam separatum est à spica, seu palea tribuatur ei, cui Decimæ debentur, *Suar. cit. c.* 34. *n.* 2.

XII. Deinde *in c. Nuncios*; 6. *h. t.* mandat Alexander III. ut Episcopus Parochianos, seu Diœ- » cesanos suos, de quibus (hoc est, fructu earum, vi- » deli-

» delicet melle, & cerâ) & de omni fructu Decimas
» persolvere compellat, per districtionem, sive cen-
» suram Ecclesiasticam, vel etiam per pœnam tempo-
ralem, pro qua etiam interdum sumitur districtio, ut
notat *Abb. hic n.* 2.

Præterea Decimæ solvendæ sunt ex omnibus le-
guminibus, *c.* 3. *h. t.* ex vino, hortis, & fructibus ar-
borum, ex pecoribus, & pascuis, *c. Non est*; 22. *c. Cùm
homines*; 7. *eod. c. Commissum*; 4. *h. t.* hoc est, ex pretio,
quo pascua locantur, vel venduntur quot annis, *Abb.
in cit. c. Commissum*; *n.* 2. Item ex pensionibus domo-
rum, quæ locantur, etiamsi in pecunia solvantur, ut
colligitur *ex c. Pastoralis* 3 28. *h. t.* ubi domus nume-
rantur inter res, ex quarum fructibus Decimæ de-
bentur, *Abb. in cit. c. Commissum*; *n.* 2. *h. t. Suar. c.* 1
n. 3. Ex lapidicinis, & metallorum fodinis, & lignis
silvæ ceduæ, *Azor. p.* 1. *Lib.* 7. *c.* 24. *q.* 9. Verùm De-
cimæ, quæ ex multis hujusmodi rebus olim solvi so-
lebant, jam per consuetudinem sunt abolitæ.

XIII. Porro quod dictum est, ex omnibus fru-
ctibus prædiorum solvendas esse Decimas, id exten-
ditur, etiamsi sæpiùs in anno, & diversis temporibus
seminati sint, ac producti, prout statuitur *in c. Ex parte*;
» 21. *h. t.* Nam cùm relatum fuisset Clementi III. quòd
» agricolæ aliqui, qui diversa semina, sive simul,
» & eodem: sive diversis anni temporibus, in hortis,
» vel agris suis sparserunt, tamen nonnisi de unius
» generis fructibus Decimas persolvant, & insuper
» expensas deducant, quas pro deportandis ad aream,
» vel horreum fructibus, facere debent (*prout habetur
» in integra lectione hujus cap.*) Ad hoc respondet Papa,
» quia per hæc Ecclesiæ Dei non modica injuria irro-
» gatur, cùm in Veteri Testamento Levitis Deci-
» mas, absque expensis deductis, solvi præceptum
» fuerit: ideò mandat, ut si rem ita se habere, consti-
» terit, agricolæ illi de omnibus prædiorum fructi-
» bus, absque diminutione, Decimas solvere per Ec-
» clesiasticam censuram compellantur. Ratio est, quia
ob quam causam solvendæ sunt Decimæ, ex uno semi-
ne, ob eandem etiam solvi debent, ex alio semine, sive
eodem tempore, sive diversis ejusdem anni: ratio e-
nim, seu radix solvendi Decimas, est debitum, quo se-
minantibus spiritualia, debentur carnalia, juxta Apo-
stolum 1. *ad Cor.* 9. quæ locum habet, quoad omnes
fructus terræ, quocùnque tempore anni seminatos.
S. Thom. cit. q. 87. *art.* 2. *in corp.* & eadem res diverso
jure censeri non debet, *Gl. in cit c. Ex parte*; *V. Unius.*

XIV. Assertio 2. Spectato Jure communi, etiam
Decimæ personales solvendę sunt ex negotiatione, ar-
tificio, advocatione, procuratione, militiâ, sive stipen-
dio, quod datur militibus, & omnibus per actionem,
& industriam hominis licitè acquisitis, ut ex commu-
ni docet *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 31. *n.* 2. *&* *c.* 32. *n.* 1. & statuit
in c. Decimæ; 66. *caus.* 16. *q.* 1. & expressiùs, ac gene-
raliùs de Decimis, tam prædialibus: quàm personali-
» bus, *in c. Non est*; 22. *h. t.* Ubi Cœlestinus III. ita re-
» scribit: Non est in potestate hominum positum,
» cùm arbores plantant, vel semina aliqua terræ
» mandant, quid eis fatio, aut plantatio sit redditura,
» quia juxta Apostolum, *neque qui plantat, est aliquid,*
» *neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Quare
» sicut SS. PP. tradiderunt, de vino, grano, fructibus
» arborum, pecoribus, hortis, negotiatione ipsâ, eti-
» am militiâ, venatione, & de omnibus bonis Deci-
mæ Ecclesiæ Ministris sunt tribuendæ, ita, ut qui de
his eas solvere neglexerint, per Ecclesiasticam cen-
suram ad id compelli debeant. Ubi in fine mandat
Pontifex, ut antequam ullæ expensæ ex omnibus
bonis, seu fructibus deducuntur, Decimæ Ecclesiis,
ad quas de jure pertinent, integrè persolvantur. Ra-
tio autem, cur etiam Decimæ personales, de jure com-
muni, præstandæ sint, est, quia fructus laborum no-
strorum non minùs sunt à Deo: quàm fructus terræ,
ideóque non minùs decet, ut ex illis Deum colamus,
quàm ex istis: & cùm Ministri Ecclesiæ operas suas
spiritualem salutem fidelium impendant, æquum est,
ut de fructibus quasi carnalibus operum eorundem fi-
delium participent, *Suar. cit. c.* 32. *n.* 2. Hæc autem pro-
cedunt, spectato Jure communi, nisi per consuetu-
nem aliud sit inductum: nam hodie Decimæ perso-
les ferè ubique locorum per desuetudinem sunt abo-
litæ, ut refert *Suar. cit. c.* 32. *n.* 1. *Laym. cit. tr.* 6. *c.* 1. *n.* 4.

XV. Porro pro explicatione *cit. c. Non est*; No-
tandum primò. Fructus segetum rectiùs appellantur
fructus naturales, quàm industriales; quia in illis plus
operatur Deus, quàm hominis industria, arando, se-
minando, &c. quod præcipuè consideratur in solu-
tione Decimarum: quamvis quia ad hos fructus produ-
cendos requiritur etiam labor, & industria hominis;
ideo hi fructus etiam industriales appellantur, quos
bonæ fidei possessor suos facit, *l. Fructus*; 45. *ff. de rei vin-
dic.*, *Abb. in cit. c. Non est*; *n.* 2.

Notandum secundò. Non tantùm ex stipendio
militi dato: sed etiam ex præda in bello justo acquisi-
ta, Decimæ personales sunt solvendæ, ut docet *Suar.
cit. c.* 32. *n.* 3. imò etiam ex lucro in ludo licito com-
parato; cùm sit verum, & licitum lucrum ex actione
& industria hominis proveniens, licèt fortuna large
etiam interveniat in ludis, *Suar. c. l. n.* 5.

XVI. Notandum tertiò. Etiam de feris captis in
venatione solvendæ sunt Decimæ, idémq; dicendum
de aucupio, & piscatione, *Abb. in cit. c. Non est*; *n.* 5. An
autem Decimæ, quæ ex venatione penduntur, inter
prædiales, vel personales numerandæ sint, dubitatur.
Videntur prædiales, quia animalia capta ex terræ fru-
ctibus nutriuntur: aliâ verò ratione industriales, quia
labore, & industriâ hominis capiuntur. Sed rectiùs di-
stinguitur *cum Abbate c. l.* vel enim feræ istæ sunt con-
clusæ in vivariis, aut pisces in stagnis, aves in colum-
bario, aut aviario: & Decimæ, quæ ex ijs penduntur,
censendæ sunt prædiales, & acquiruntur Ecclesiæ, in
qua situm est prædium: Vel feræ non sunt conclusæ:
sed liberè vagantur: & annumerari debent Decimis
personalibus, & acquiruntur Parochiæ propriæ, juxta
c. Apostolicæ; 20. *h. t. de quo infra.* Cæterùm hæ Decimæ,
quæ ex venatione penduntur, censeri etiâ possunt, ubi
mixtæ, ita, ut antequam feræ certo loco includerentur,
sint Decimæ personales; postquam verò emptæ, &
inclusæ nutriuntur, ex valore augmenti, sint prædia-
les, & debeantur Parocho ejus loci, intra cujus Paro-
chiam pascuntur, *Abb. c. l. Laym. cit. tract.* 6. *c.* 4. *n.* 5.

XVII. Præterea quòd ex omnibus lucris licitè ac-
quisitis debeantur Decimæ, expressum habetur *in c. Ex
transmissa*; 23. *h. t.* Nam quidam Rector Ecclesiæ, seu
Parochus Papæ Cœlestino III. conquestus est, quòd
cùm M. miles molendinū quoddam ad ventum (hoc
est, quod à vento agitur, seu movetur) in terra qua-
dam intra fines Parochię construxerit, de cujus terra
pro-

» proventibus Ecclesia Decimas solebat percipere, » ipse miles de illius molendini obventionibus, seu » lucris Decimas dare recusat (*prout habetur in in-* » *tegra lectione hujus cap.*) Respodit Papa; quia fi- » delis homo de omnibus, quæ licitè potest acquire- re (& de facto acquisivit: nam de acquirendis, quæ potuisset acquirere, nemo cogitur Decimas solvere, » *Jo. Andr. & Abb. hic n.* 2.) Decimas dare tenetur: » ideóque dictum militem de his, quæ de molendino » ad ventum proveniunt, ad Decimas, sine diminu- » tione aliqua solvendas, compelledum esse. Ratio- nem dat *Abb. hic n.* 1. quia terra, sive fundus, in quo ta- le molendinum est constructum, subjacet oneri Deci- marum: unde sicut Ecclesia ex tali terra perciperet fructus decimales, si coleretur: ita debet illos conse- qui ex reditibus ædificij ibi constructi. Porro *ex hoc cap. ibi: de omnibus, quæ licitè potest acquirere*, videtur per sensum contrarium inferri, quòd de illicitè acqui- sitis non debeant solvi Decimæ, ut notat *Gl. hic V. Li- citè de quo* §. *seq.*

§. II.

Vtrùm ex rebus illicitè acquisitis de- beantur Decimæ: & an ex acqui- sitis Titulo lucrativo?

XVIII. Assertio 1. Decimæ prædiales etiam ex rebus injustè, & illicitè acquisitis solvendæ sunt, easque Ecclesia, tanquam sibi debitas, exigere, & reci- pere potest, etiam ab injustis possessoribus: ut si v. g. ager aliquis sit emptus pecuniâ usurariâ, vel furtivâ, possessor injustus tenetur ex fructibus illius Decimas dare; quia fructus illi, non ex usura, vel furto sunt: sed ex Dei munere, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 2. adeòque debentur non ex actione injusta: sed ex fructibus terræ, qui à Deo sunt producti ex terra, cùm ipsum prædium onus Decimarum sustineat, sive potiùs ipsi fructus ex prædio, sive terrâ provenientes eâ obligatione sint affecti: & ideo in his Decimis nun- quam attenditur, quisnam possideat, sed ipsum præ- dium cum suo onere transit ad quemvis possessorem, sive bonæ, sive malæ fidei: alioquî prædo, vel injustus invasor esset melioris conditionis, quàm bonæ fidei possessor, quod esse non debet, cùm & ipse dominus, si prædium possideret, teneretur solvere Decimas, *Gl. in c. Decimæ*; 66. *V. Negotio, caus.* 16. *q.* 1. *& Gl. in cit. c. Ex transmissa*; *V. Licitè, in fine, Innoc. & Abb. ibid. in fine, Azor. cit. Lib.* 7. *c.* 24. *q.* 13.

XIX. Verùm quod attinet ad Decimas perso- nales, ubi illæ adhuc sunt in usu, distinguendum est, nam dupliciter possunt res illicitè acquiri. Primò, contra justitiam commutativam, ut si res injustè sint acquisitæ per furtum, rapinam, usuram, venditionem ultra justum pretium, vel per Simoniam, &c. ita, ut non acquiratur dominium talium rerum ipsi accipi- enti, vel res acceptæ ab eo repeti possint, & is ad re- stitutionem earundem teneatur: & tunc non deben- tur ex illis Decimæ, nec ab Ecclesia accipi possunt, ut docet *S. Thom. c. l. Gl. in cit. c. Ex transmissa*; *V. Licitè, h. t. Abb. ibid. n.* 3. *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 32. *n.* 6. *& 7. & alij Dd. suprà citati.* Ratio est, quia si accipiens non acquirat dominium rei datæ, non potest de illa di- sponere, nec illam alienare, adeóque non potest il- lam, aut partem illius Ecclesiæ tribuere. Item si rem acceptam teneatur restituere, reverâ non acquirit il- lam; quia res sic acquisita non computatur in bonis ejus, *l. Non possunt*; 11. *ff. de jure fisci*, cùm justè non acquiratur, *Suar. cit. loc.* Secundò, si res sint acquisi- tæ, non injustè quidem, saltem ex parte dantis, quia acquiritur accipienti dominium rei, illicitè tamen, & turpiter, quia acquiritur per actionem vitiosam con- tra temperantiam, seu castitatem, vel similem virtu- tem: Et tunc per se loquendo, ex rebus sic acquisitis debentur Decimæ, *Suar. cit. c.* 32. *n.* 9. *& alij supra citt.* Exempla sunt, si meretrix accipiat pecuniam pro turpi opere, vel uxor, pro actu adulterij, vel conductus mercede, ad occidendum hominem: hi enim acqui- runt dominium pecuniæ acceptæ, nec tenentur illam restituere post opus patratum, non enim talis acce- ptio continet formalem injustitiam, respectu dantis; quia accipitur tanquam merces pro usu corporis, vel labore præstito, qui est pretio æstimabilis, quamvis ipsa actio, pro qua accipitur pecunia, sit injusta, re- spectu occisi, vel mariti adulteræ, quibus injuria in- fertur, vel saltem illicita, ut fornicatio. Itaque ex re- bus sic turpiter, & illicitè acquisitis debent solvi De- cimæ personales, alioquin sic malè agens melioris es- set conditionis, quàm alius bene operans, & com- modum ex sua malitia reportaret; quia totum lucrum perciperet ex rebus turpiter acquisitis, sine onere sol- vendi ex illis Decimas, *Suar. cit. c.* 32. *n.* 8. *& 9.*

Hoc verò procedit, per se loquendo: nam per accidens ratione scandali, quod fortè ex tali acce- ptione sequeretur, Ecclesia inde Decimas non accì- pit, v. g. à publica meretrice, vel adulterâ; ne videa- tur tale factum approbare, vel eorum peccato com- municare, ut ait *S. Thom. cit. art.* 2 *ad* 2. *Gl. in cit. c. Ex transmissa*; *V. Licitè, Suar. c. l. n.* 9. Quòd si deli- ctum sit occultum, adeóque scandalum absit, potest ex hujusmodi lucris turpiter acquisitis Ecclesia, vel Parochus Decimas accipere, imò & exigere; quia nullâ lege id prohibetur, *Suar. c. l. n.* 10. Imò addit *S. Thom. c. l.* quòd etiam à publico peccatore Decimas Ecclesia accipere possit, postquam pœnitentiam egit, & de vitæ emendatione constat, etiam ex anterio- ribus lucris. Quamvis peccator non teneatur, post con- versionem suam, illas restituere; quia Ecclesia cen- setur illas Decimas jam remisisse, & non velle pecca- toribus imponere talem obligationem restituendi, quæ ipsos à conversione retardare posset, *Suar. c. l. num.* 10.

XX. Assertio 2. Ex acquisitis titulo gratuito, seu lucrativo, ut hæreditatis, legati, vel liberalis do- nationis, Decimas esse solvendas, affirmant plures Dd. *Silvest. V. Decima, q.* 6. *n.* 10. *Abb. in c. Pastoralis*; 28. *h. t. n.* 8. quamvis addant, standum esse hac in re con- suetudini. Idque probant, quia Canones generaliter loquuntur, & dicunt, de omnibus bonis, & de omni lucro solvendas esse Decimas, *c. Non est*; 22. ibi: *de omnibus bonis, c. Ex transmissa*; 23. ibi: *de omnibus, quæ licitè potest acquirere, & c. Pastoralis*; 28. ibi: *quasi de lucro, h. t.* at hæreditas, legatum, & donatio sunt Tituli lucrativi.

Limitant id primò, quòd de solis bonis mobilibus gratuito titulo acquisitis, dandæ sint Decimæ: non de immobilibus, *Gl. in cit. c. Pastoralis*; *V. Quasi de lucro*, quia frugum nomine res immobiles non veniunt, &

quia si ex immobilibus bonis donatis, vel legatis, aut jure hæreditatis acquisitis Decimæ dandæ essent, omnia ferè bona immobilia ad Ecclesiam pervenirent. Deinde limitant, quòd filius succedens patri in hæreditate, non teneatur solvere ex illa Decimas; quia tunc non censetur de novo aliquid lucrari, vel incipere possidere, quod jure suum erat, & pater, ac filius una persona censentur: aliud est de hærede extraneo *Gl. l. c. Azor. c. Lib. 7. c. 24. q. 8.* Alij verò distinguunt inter hæredem ex Testamento, & ab intestato, quòd prior debeat ex hæreditate solvere Decimas, quia titulo merè lucrativo illam accipit: non autem posterior, quia hæreditas ab intestato jure sanguinis, & sic veluti debita acquiritur, *Gl. in c. Decimæ; 66. V. Negotio, caus. 16. q. 1.* Verùm etiam hæres ab intestato, saltem ex tacita voluntate defuncti, hæreditatem accipit; quia in Testamento potuisset alteri hæreditatem relinquere, & sic etiam titulo gratuito illam accipit, *Barb. de offic. Paroch. c. 28. §. 1. n. 27.* Item quod advocato datur pro patrocinio, & operario pro mercede, id acquirit tanquam sibi debitum, ratione operis, & tamen ex eo debentur Decimæ.

XXI. Quare probabilius est, quòd ex bonis acquisitis per liberalem donationem, sive inter vivos, sive causâ mortis, sive per legatum, sive per institutionem hæredis in Testamento, etiam extranei, non debeantur Decimæ, ut docet *Suar. cit. Lib. 1. c. 31. n. 6. Laym. Lib. 4. tract. 6. c. 1. n. 2. in fine, Barb. cit. c. 28. §. 1. n. 28.* quia ex nullo jure talis obligatio satis colligitur, ex quo solùm constat, solvendas esse Decimas prædiales ex fructibus, & emolumentis rerum immobilium, aut animalium: vel Decimas personales ex acquisitis labore, & industriâ hominis: at bona illa, quæ alicui gratuitò titulo obveniunt, nec sunt fructus prædiorum, vel animalium, nec fructus personarum; quia non ex labore, seu industriâ, & actione propriâ: sed ex alterius actione ei obveniunt; ergo non sunt materia, seu res Decimis obnoxiæ; quia non sunt fructus prædiorum, nec fructus personarum, qui sunt actiones, & labores ipsius personæ. Unde cùm *in cit. c. Non est; h. t.* dicitur generaliter, Decimas esse solvendas ex omnibus bonis, id intelligi debet, secundùm subjectam materiam, scilicet de omnibus proventibus, seu reditibus: alioquî enim etiam de rebus immobilibus nobis donatis, vel Testamento relictis Decimæ deberentur; quia etiam sunt bona acquisita: ea autem, quæ nobis donantur, vel legantur, non sunt propriè proventus; quia non sunt reditus. Similiter cùm *in cit. c. Ex transmissa*; dicitur, de omnibus, quæ homo licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur: id accipi debet activè, & non passivè tantùm, hoc est, quæ nostrâ actione, vel industriâ acquirimus, & non de his lucris, quæ nobis acquiruntur, ex sola velut actione, aut donatione alterius, aliàs enim etiam ex bonis immobilibus, & ijs, quæ ex eleemosynis nobis obveniunt, Decimæ deberentur, *Suar. cit. c. 31. n. 7. & 9.*

XXII. Porro illud hîc notandum, si res fructiferæ, ut ager, vel animalia, Testamento, vel successione ab intestato, vel legato, aut donatione, alicui obveniant, cum suis fructibus, tunc, vel illi fructus jam sunt collecti, aut percepti, vel non? Si non sunt collecti, tunc ex illis rebus debent Decimæ solvi suo tempore ab eo, qui earum dominium, & possessionem acquisivit; quia transeunt cum suo onere, videlicet reali Decimarum, & ipse tunc fructus illos percipit et rebus, & bonis suis. At verò, si fructus jam erant percepti, quando in alterius dominium transeunt, tunc vel jam sunt decimati, sive Decimæ ex ijs solutæ, ante mortem testatoris, vel ante donationem: & non debent ampliùs solvi ex reliquis novem partibus fructuum, propter novam illorum acquisitionem, jure hæreditatis, legati, vel donationis, ut jam dictum: vel non erant solutæ, & debent adhuc solvi, propter rationem jam allatam, *Suar. cit. c. 31. n. 10.*

§. III.

An, & quâ ratione Decimæ sint integrè, & absque diminutione solvendæ?

XXIII. Assertio 1. Decimæ prædiales integrè solvendæ sunt, non deductis priùs ex fructibus incimatis, expensis, vel tributis, seu pensionibus, vel censibus, vel ullis alijs debitis, ut tradunt communiter Dd. apud *Suar. cit. Lib. 1. c. 35. n. 1.* Idemque dicendum, de Decimis mixtis, quippe quæ, vel inter prædiales numerantur, vel saltem propiùs ad illas accedunt, ideóque etiam integrè, & non diminutæ, sunt solvendæ, *Laym. Lib. 4. tract. 6. de Decim. c. 1. n. 4. & alij Dd.* communiter. Et quidem inprimis non esse deducendas expensas, expresè statuitur *in c. Cùm homines; 7. h. t.* Nam incolæ de Hortona, qui de frugibus, » novem partibus sibi retentis, Decimam Ecclesiæ, » cujus Parochiani erant, sine diminutione solvere » debebant, antequam id facerent, servientibus, & » mercenariis suis debitum totius anni salarium pro » servitio suo, ex frugibus non decimatis solvere so- » bant, & ex residuo decimam partem Ecclesiæ tri- » buere. Quo intellecto, mandat Alexander III. ut de » collectis fructibus, decimam partem statim persol- » vant, atque de subtractis, & retentis dignam satis- » factionem præstare curent. »

XXIV. Hinc collligitur primò, quòd Decimæ prædiales solvi debent ex integris fructibus, nullâ deductione priùs factâ. Secundò, solvi debent statim, ac fructus sunt collecti, citra præviam monitionem, de quo plura infra. Præterea quòd Decimæ prædiales integrè sint solvendæ, statuitur etiam *in c. Ex parte, 21. h. t.* ibi, *Ut de omnibus prædiorum fructibus, absque diminutione*, (id est, nullis expensis deductis, *Gl. in ibid.*) persolvant, & *in c. Non est 3 22. in fine, h. t.* item quòd integrè solvendæ sint, absque deductione seminis, culturæ, laboris, habetur etiam *in c. Pastoralis 3. h. t.* de quo infrà.

XXV. Similiter *in c. Tua nobis 3 26. h. t.* habetur, Episcopum Vercellensem significâsse Innocen- » tio III. Pontifici, quòd quidam Laici Ecclesiis, & » Clericis Decimas perversis machinationibus sub- » trahere moliuntur: quidam enim dicebant, semen, » & sumptus agriculturæ priùs deducendos esse, & » ex reliquo Decimam impendendam. Alij verò de » portione, quam à colonis acceperunt, Decimam se- » parabant, & eam Capellanis suis, vel alijs Clericis, » vel pauperibus, vel in alios usus pro sua libera vo- » lutate conferebant. Nonnulli etiam vitam Cleri- » corum tanquam abominabilem detestantes, Deci- » mas

» mas idcirco ipſis ſubtrahere, non verebantur. Quidam inſuper aſſerebant, ſe poſſeſſiones, & omnia » jura ſua, cum omni honore, & diſtrictu, per Imperialem conceſſionem adeptos fuiſſe, & ideo propter hanc conceſſionis generalitatem, à Decimis » immunes eſſe. Aliqui denique occaſione veteris » decimationis ſibi conceſſæ, etiam Decimas novalium ſibi uſurpabant (*prout habetur in integra lectione hujus cap.*) Ad has prætenſiones Papa reſpondet, ſi iſti ad DEUM, à quo bona cuncta procedunt, prout par eſt, reſpicerent, jus Eccleſiarum » diminuere, aut Decimas, quæ ſunt tributa egentium animarum, detinere non præſumerent. Poſtea reſpondet ad primum, quòd DEUS, cujus eſt » terra, & plenitudo ejus, non debeat eſſe deterioris » conditionis (ſed potiùs melioris, *Gl. hîc V. Deterioris*) quàm Dominus temporalis, qui ex terris ſuis, » quas alijs excolendas tradit, partem fructuum integrè, ſine deductione ſumptuum, aut ſeminis, ſibi » ſolvi, expoſcit; ergo multò magis DEUS debitas ſibi Decimas ex fructibus, in ſignum univerſalis dominij, ſibi reddi præcipit, & iniquum foret, ſi occaſione prædictâ, vel excogitatâ magis fraudes diminui poſſent. Quare ad eas Clericis præſtandas, » quibus illas ipſe ad ſuum cultum conceſſit, Laici, ſi » moniti ſolvere noluerint, per Eccleſiaſticam cenſuram cogendi ſunt. Ad alterum reſpondet, cùm » de omnibus fructibus, qui è terra naſcuntur, Decimæ ſint ſolvendæ; ideo ſicut colonus de parte » fructuum, ratione culturæ: ita Dominus de parte » fructuum, quæ ipſi datur, ratione dominij terræ, » Decimas ſine diminutione ſolvere tenetur. Ad tertium dicit, quòd prætextu vitæ improbæ Clericorum, non poſſunt ipſi domini Decimas (quæ potiùs » dantur intuitu Eccleſiæ, cui ſunt debitæ, quàm perſonæ, *Gl. hîc V. Prætextu*) pro ſuo arbitrio alijs erogare; cùm nemini ſit licitum, aliena (uti ſunt Eccleſiaſtica bona) alij dare, citra domini voluntatem. » Quare cùm ipſe Pontifex pati nolit, ut Eccleſiarum, & Clericorum jura præſumptione aliquâ minuantur; ideo mandat dicto Epiſcopo Vercellenſi, » ut omnes Diœceſanos ſuos, qui ratione perſonarum, aut prædiorum, Decimas Eccleſiis, & Clericis » ſuæ Diœceſis præſtare tenentur, ad eas integrè ſolvendas, remotâ appellatione, compellat.

XXVI. Notandum hîc primò. Decimæ offeruntur in cultum DEI, & in ſignum ſupremi ejus in res omnes dominij: & dicuntur tributa egentium animarum; quia penduntur ab hominibus egentibus Divinâ gratiâ, & auxilio: *Abb. hîc nu.* 2. ſicut ergo tributum, nullâ factâ deductione, ſolvitur, ita etiam Decimæ, *Hoſtienſ. hîc col.* 1.

Notandum ſecundò. Decimæ per ſe, ac principaliter debentur ipſis Clericis, quibus dantur propter Divinum officium, ita tamen, ut quod eis ſupereſt, dent pauperibus, *Abb. hîc n.* 4.

Notandum tertiò. Clericis non debent denegari Decimæ, propter improbam illorum vitam; quia dantur potiùs intuitu Eccleſiæ, quàm perſonæ, *Gl. hîc V. Prætextu*, quamdiu ſpiritualia Parochianis ſuis miniſtrant: neque ad ſubditos Laicos ſpectat Paſtorum delicta punire, privando eos ſuis fructibus, ſed ad Epiſcopum.

Notandum quartò. Subditi cogendi ſunt per cenſuram Eccleſiaſticam, monitione præmiſsâ, ad ſolvendas Decimas integrè, appellatione remotâ, ut habetur *in hoc cap. in fine.* Excipitur, niſi duæ Eccleſiæ de jure decimandi inter ſe litigent, & utraque dicat, ſe eſſe potiorem, *Hoſtienſ. hîc col.* 4. *Verſ. item ſecus*, vel ſi Collector Decimarum modum excederet; quia ab exceſſu poteſt appellari. *Barb. in Collect. hîc num.* 9.

XXVII. Denique quòd in ſolutione Decimarum deducenda non ſint tributa, ſeu cenſus, vel ſi priùs tributa non decimata ſolvantur, & ipſa decimari debeant, ſive Decimas inde ſolvere cogatur is, qui tributa accepit, expreſsè ſtatuitur *in c. Cum non ſit* 33. *h. t.* quod eſt deſumptum *ex Concilio Generali Lateranenſi, c.* 54. ſub Innocentio III. Ubi dicitur: cùm non ſit in hominis poteſtate, quid ſemen ſeminanti reſpondeat, juxta verba Apoſtoli (1. *ad Cor.* 3.) » *neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat, DEUS:* ideo ipſum DEUM, qui de » mortificato ſemine plurimum fructum affert, nimis avarè quidam in Decimis defraudare nituntur, » qui cenſus, & tributa, eáque interdum indecimata, » priùs de frugibus deducunt, quàm Decimas ſolvant. Cùm autem Dominus DEUS in ſignum univerſalis dominij, quaſi Titulo quodam ſpeciali, ſibi » Decimas reſervavit; ideo, ut tum Eccleſiarum damnis: tum animarum periculis obvietur, ſtatutum » eſt, ab Innocentio III. in dicto Concilio Generali, » ut in prærogativam dominij univerſalis, exactionem tributorum, & cenſuum præcedat ſolutio Decimarum: vel ſaltem ij, ad quos cenſus, vel tributa » pervenerint (quoniam res cum onere ſuo tranſit) » ea per cenſuram Eccleſiaſticam decimare coguntur » Eccleſiis, quibus Decimæ de jure debentur. Ratio » prioris partis eſt, quia Decimæ ſolvuntur DEO tanquam ſpeciali Titulo, ac prærogativâ in ſignum dominij univerſalis, ſeu ſupremi, quod DEO competit in omnes res creatas: At verò tributum ſolvitur in ſignum particularis dominij, quod uni homini in alium competit; particulare autem dominium, & jus humanum eſt ſubjectum univerſali, ac Divino dominio, quod illi velut potius, ac principalius meritò præfertur, idcirco Decimæ priùs integræ ſolvendæ ſunt, nec per tributa diminui debent, *Abb. hîc n.* 3. Ratio poſterioris partis eſt, quia fructus prædiorum non decimati, tranſeunt cum ſuo onere, ad quemlibet poſſeſſorem, ut dicitur *in hoc cap. & in c. Paſtoralis* 28. *eod.* ideòque ſi priùs non fuerint decimati, adhuc Decimis ſunt obnoxij, & decimari debent, ſi cum fructibus cenſus, vel tributum ad dominum pervenerint; quia ipſe ratione rei obligatus eſt, ad Decimas inde ſolvendas, *Abb. hîc n.* 5. & infrà dicetur.

XXVIII. Aſſertio 2. Decimæ perſonales ſolvi debent: ſed nonniſi deductis priùs expenſis neceſſariis, & lucro, per negotiationem, vel aliam induſtriam acquiſito, prout ſumitur *ex c. Paſtoralis* 28. *h. t.* Ubi » cùm quidam Epiſcopus ex Innocentio III. quæſiviſſet, utrùm ex molendinis, & piſcariis poſſit quis » neceſſarias expenſas deducere, priùs quàm Decimas » ex eisdem ſolvat, ſicuti id in negotiatione conceſſum eſt? Ad hoc reſpondet Papa, licèt ſi res aliqua, » v. gr. domus, ager, vinea, elibanus, molendinum, » grex, aut quælibet alia merx, quæ acquiſita eſt, ſive » empta, aut facta ex pecunia priùs decimata, vendi- »

» tur, expensæ (factæ in quærendis, emendis, vel con-
» vehendis mercibus, vel rem meliorem faciendo, *Gl.*
» *hìc V. Expensas*) deducendæ, & de residuo, tanquam
» de lucro, Decimæ persolvendæ sint. At verò expen-
» sæ illæ, quæ antea factæ sunt, pro fructibus perci-
» piendis ex re illa frugifera, v. gr. agro, aut vinea,
» non sunt deducendæ: etiamsi expensæ illæ antea
» fuerint decimatæ, sive factæ ex pecunia decimata,
» quoniam salvâ Decimâ, fructus efficiuntur eorum,
» qui faciunt expensas. Fructus autem ipsi vendi, seu
» alienari non possunt, nisi cum onere Decimarum
(quia res transit cum suo onere, *c. Si quis* 5 42. *junct. Gl.*
V. Inde detrahere, *caus.* 16. *q.* 1. *c. Ex Litteris*; 5. *de pi-*
gnor. l. Alienatio; 67. *ff. de contrah. empt. Gl. hic V. Nisi*
» *cum onere*) sed neque expensæ illæ, quæ pro restau-
» ratione rei frugiferæ, ex qua Decimæ sunt solven-
» dæ, factæ fuerunt, deduci possunt, cùm proventus
» sunt decimandi; quia penes dominum manet res
» restaurata. Ut si pars aliqua armenti moriatur, vi-
» nea deterior facta sit, pars aliqua mercis depereat,
» vel clibanus totus destruatur. Si quid enim ad con-
» servationem talis rei necessariò sit expensum, illud
» deduci non potest, ut notat *Gl. fin. hic.*

XXIX. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. In Decimis personalibus ex lucro deduci possunt expensæ necessariæ, & utiles, v.g. centum aureos quis expendit, in merces comparandas, quas postea vendidit 150. aureis, ex hac summa deducendæ sunt priùs centum, quibus merces emptæ sunt, deinde vectigalia, & sumptus itineris, quibus deductis, si remanserint ex lucro 20. aurei, tenebitur nomine Decimarum solvere duos aureos, *Canis. tr. de Decim. c.* 2. *num.* 2.

XXX. Notandum secundò. Fructus, qui ex terra nascuntur, adhibitâ industriâ, & labore, dupliciter considerari possunt. Primò civiliter, seu ut lucrum domini, seu usufructuarij fundi, & in ordine ad restitutionem damni illati, aut compensationem lucri cessantis: & tunc non computantur fructus, nisi qui deductis expensis superstant, juxta *l. Fructus*; 7. *in princ. ff. solut. matrim. l. Si à domino*; 36. *§. fin. ff. de petit. hæred.* Ubi dicitur, fructus intelliguntur, deductis impensis, quæ quærendorum, cogendorum, conservandorùmque eorum gratiâ fiunt. Idem habetur *in l.* 1. *C. de fruct. lit. & lit. expens.* Ratio est, quia tantum debet restitui, quantum damni fuit illatum, & non plus: at dominus, vel usufructuarius fundi non erat fructus ex illo percepturus, sine expensis, ergo nec illi restituendi sunt, nisi deductis expensis, *Suar. Lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 35. *num.* 5. Secundò, considerari possunt fructus naturaliter, quatenus DEI beneficio ex terra proveniunt, potuisset enim post factas expensas nihil crescere: & tunc integrè, & sine deductione expensarum solvendæ sunt ab eo, qui expensas facit; quia tunc considerantur fructus, non quatenus lucrum afferunt dominis suis: sed secundùm se, in quantum proveniunt ex Divino munere, ut ait *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 4. *in fine.* Sicut ergo, si locetur ager pro certis mensuris, vel certâ parte, v. g. quartâ fructuum, solvendi sunt fructus locatori, non deductis expensis, juxtc *c. Tua*; 26. *h. t.* ita etiam ex fructibus prædialibus, vel mixtis Decimæ integrè solvi debent, non deductis expensis; quia non agitur de restitutione damni, nec de commodo, vel lucro ejus, qui debet Decimas: sed de pensione certa DEO, & Ministris Ecclesiæ solvendâ, adeóque ut naturales fructus sunt, *Suar. c. l. n.* 6.

Et hinc etiam patet ratio differentiæ, cur prædiales, & mixtæ Decimæ integræ sint solvendæ, non deductis expensis; personales verò, nonnisi priùs deductis expensis; quia nimirum fructus omnes à Deo ex terra substantialiter producuntur, & præcipuè in illis operatur manus Dei, ut ait *Gl. in cit. c. Pastoralis*; *V. Deducendas*, ideo decima pars omnium fructuum integra, & non deductis expensis, vel alijs tributis, DEO solvenda est, in recognitionem supremi ejus dominij in res omnes, & in sustentationem Ministrorum ejusdem. At verò Decimæ personales non debent solvi, nisi de lucro, juxta *cit. c. Pastoralis*; lucrum autem communi hominum sensu, & æstimatione non censetur, nisi quod deductis expensis in re comparanda, faciendâ, conservanda supereat, seu remanet, ut constat ex *l. Mutius*; 30. *ff. Pro socio*, & in negotiatione, aut ijs, quæ proprio labore, ac industriâ acquiruntur, operatur manus hominis, juxta *Gl. supr. cit.* non quòd lucrum tale non pendeat, etiam ex DEI beneficio, & cope: sed quia magis operatio DEI cernitur in fructibus naturalibus, qui è terra producuntur, in quibus minùs operatur industria humana, juxta illud Apostoli 1. *Cor. ad* 3. *neque enim, qui plantat, est aliquid, &c. Suar. cit. c.* 35. *n.* 8. Addit *Gl. in cit. c. Pastoralis*; *V. Deducendas*, aliam rationem, cur Decimæ personales solvantur tantùm deductis expensis, ne aliàs de eadem re Decimæ bis solvantur, si nimirum ex ijs, quæ per pecuniam jam decimata sunt, acquisivit, denuò integræ Decimæ, sine omni deductione, solvendæ essent. Item ne Clerici videantur improbi executores, & ne nimis locupletentur cum aliena jactura, ut notat *Gl. mag. ibid. lit. F. ex Hostiens. & Jo. Andr.* quia nimirum lucrum personale ex negotiatione regulariter est exiguum, ita ut singulis annis ex decem vix unum acquiratur: fructus autem prædiales multò uberiùs augentur, ita, ut sufficiens lucrum remaneat, etiamsi ex illis solvantur integræ Decimæ, non deductis expensis, *Suar. cit. c.* 35. *n.* 8. *& c.* 33. *n.* 3.

XXXI. Notandum tertiò. Quamvis *in cit. cap. Pastoralis*; tantùm fiat expressa mentio de negotiatione: tamen id Dd. communiter extendunt ad omnes alias Decimas personales, quæ ex alijs actionibus debentur, etsi reverâ negotiationes non sint, ut venatio, piscatio, artificium, &c. idque ob paritatem rationis; omnes enim Decimæ personales debentur ex lucro, & ex omnibus licitè acquisitis, *c. Extramissa*; 23. *h. t.* Non obstat, quòd *inc. Noneſt*; 22. *h. t.* postquam dictum est de vino, grano, fructibus, negotiatione, militiâ, venatione, postea subjungitur, *antequam deducantur ullæ de prædictis expensæ, Decima cum integritate debita Ecclesiis persolvendas esse.* Nam respondetur cum *Gl. fin. ibid.* Id restringendum esse ad prædiales Decimas, & de illis solis intelligendum non autem de personalibus: adeóque verba illa ultima accommodanda sunt ad materiam subjectam, & capacem: ne alioquin sequatur absurdum contra aliam Legem, seu Canonem posteriorem, videlicet contra *cit. c. Pastoralis*; in quo expressè disponitur, ex acquisitis per negotiationem deduci expensas; quia non potest cognosci, an remaneat aliquod lucrum, nisi deducantur priùs expensæ, *Suar. cit. c.* 33. *n.* 4.

XXXII. No-

XXXII. Notandum quartò. Etsi impensæ illæ, quæ factæ sunt in percipiendis, & colligendis fructibus, v. g. in seminando, arando agro, pascenda vacca, deduci non possint, quando ager, aut vacca venditur: sed si fructus indecimati vendantur, cum hoc onere Decimarum ad quemvis possessorem transeant, ut constat *ex cit. c. Pastoralis; h. t.* si tamen ager, vacca, vel alia res frugifera vendatur, potest venditor expensas factas, in re comparanda, deducere, videlicet pretium pro re vendita datum; quia ex hoc non debentur Decimæ, cùm pretium neque sit fructus personæ, neque rei: sed valor, sive æstimatio rei; adeóque æquivalenter ipsa res vendita, *Cast. Pal. p. 2. dis. unic. de Decim. pun. 6. n. 4.*

Notandum quintò. Quando solvendæ sunt Decimæ ex fructibus, non possunt deduci expensæ factæ in restaurationem, seu melioratione rerum quarumlibet, ex quibus solvuntur Decimæ; quia res ita restaurata penes dominum manet, illiúsque est, qui expensas fecit, prout dicitur *in cit. c. Pastoralis*; & ideo expensis illius, non Ecclesiæ restauratio fieri debet: & cùm ob illam restaurationem res ipsa plus valeat, aut fructificet; ideo dominus jure Decimas omnium proventuum integrè, & sine deductione expensarum solvere tenetur, *Suar. cit. c. 35. n. 9.* Idémque dicendum, si pars aliqua gregis moriatur, vel si pars mercium depereat, juxta *cit. c. Pastoralis*; ac proinde etiam in Decimis personalibus, quæ ex negotiatione debentur, non possunt deduci impensæ in restaurationem factæ, ante solutionem Decimarum, ob eandem rationem; quia id quod reparatur, domini est, *Suar. c. l. n. 9.* ubi aliam rationem addit, quia nimirum impensæ factæ in partem mercis deperditæ; non fuerunt factæ ad acquirendum lucrum, ex quo Decima personalis solvitur: sed aliunde illud damnum accidit.

SECTIO III.

DE IIS, QUI OBLIGANTUR solvere Decimas, & ijs, qui per privilegium sunt exempti.

§. I.

Quinam in genere teneantur solvere Decimas?

XXXIII. Præmittendum, dupliciter potest quis, obligari ad solvendas Decimas. Primò, per se, ratione personæ, quæ in spiritualibus subjecta est alicui Ecclesiæ, vel Parocho, ex qua consequenter etiam in ipsam rem, seu fructus rei ea obligatio derivatur. Secundò, per accidens tantùm, ratione rei; quia persona alioquin per se non obligata ad Decimas possidet rem frugiferam, vel fructus ex illa percipit, quæ reali onere Decimarum est affecta, ut rectè advertit *Suar. Tom. 1. de Relig. tract. 2. Lib. 1. cap. 17. n. 8. & Laym. Lib. 4. tract. 6. c. 3. in princ.*

XXXIV. Assertio 1. Regula generalis est, omnes fideles Baptizatos, qui in spiritualibus subjecti sunt alicui Parocho, seu Sacerdoti proprio, & à quo Sacramenta recipeere debent, per se, & ex debito personali obligari, ad Decimas solvendas, nisi legitimo aliquo titulo, seu jure sint exempti *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. & 4. & alij Theologi*, & Canonistæ communiter apud *Suar. cit. Lib. 1. c. 16. n. 1.* Idque probatur *ex c. Transmissa; 23. h. t.* ubi generatim dicitur, quòd quivis homo fidelis, *de omnibus, quæ licitè potest acquirere, Decimas erogare tenetur.* Et *in c. Anobis; 24. h. t.* dicitur, *quòd quilibet Decimas solvere teneatur, nisi præstatione earum specialiter sit exemptus.* Ratio est, quia Decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura, ac ministerio, quod fidelibus præstatur à Parochis; & Ministris Ecclesiæ.

XXXV. Assertio 2. Ad Decimas solvendas ex debito, seu obligatine reali, quia quis possidet rem, quæ antequam ad ipsum perveniret, jam obligata erat; seu obnoxia Decimis, tenentur omnes cujusque Ordinis, Status, Religionis, ac dignitatis sint, etiam Reges, & Imperatores, aliique Principes, nisi quis legitimâ præscriptione, vel ex S. Pontificis dispensatione, aut privilegio sit exemptus. *Suar. cit. Lib. 1. c. 17. nu. 10. Laym. cit. c. 3. nu. 5. & alij Dd. communiter.* Ratio est, quia postquam Diœceses in Parochias sunt divisæ, prædia Parochianorum intra Parochiam sita, habent annexum onus, sive debitum reale, solvendi ex ijs decimam partem fructuum ipsi Ecclesiæ Parochiali; quod onus, seu obligatio ipsam rem, seu prædium comitatur, & sequitur, ad quemcùnque possessorem illud perveniat; quia res transit cum suo onere.

XXXVI. Hinc infertur primò, quòd etiam Hæretici teneantur ad solvendas Decimas, non tantùm ratione prædiorum, quæ sita sunt intra Ecclesiam Parochialem: sed etiam per se, ratione personæ suæ, & ex debito personali, ut docet *Abb. in c. De terris; 16. in fine, h. t. Suar. in cit. c. 16. n. 3. & alij communiter.* Ratio est, quia Hæretici, cùm fidem in Baptismo receperint, ac professi sint, unâ cum charactere, obligantur ratione hujus præcepti Ecclesiæ, à qua obligatione non eximuntur propter suam contumaciam, ne ex iniquitate sua commodum consequantur. Et licèt de facto non recipiant spiritualia, & Sacramenta ab Ecclesiæ Ministris, tenentur tamen illa accipere, & possunt cogi ab Ecclesia, ut ad illam redeant, & accipiant à Sacerdotibus, qui ad ministrandum ea sunt parati, imò ex officio tenentur.

XXXVII. Iefertur secundò, Judæi, & alij infideles non baptizati, etiam Catechumeni, non obligantur, per se, ac directè, ad solvendas Decimas; quia quoad personas suas non sunt subjecti Ecclesiæ, & consequenter Sacerdotes Ecclesiæ non sunt illorum Pastores, nec ministrant illis Sacramenta, nec pro illis offerunt Sacrificium, ergo nec possunt ab illis exigere Decimas, nec ipsi tenentur illas solvere; cùm in eis deficiat fundamentum, & causa obligationis solvendi Decimas, *Azor. cit. c. 24. q. 3. Suar. cit. c. 16. n. 3. & alij Dd. communiter.* At verò obligati sunt Judæi, & cogi possunt, ad solvendas Decimas prædiales Ministris Ecclesiæ, ex ijs fundis, seu prædiis, quæ Decimis sunt obnoxiæ, antequam ad eorum manus pervenirent, ut constat *ex c. De terris; 16. h. t.* Ubi Alexander III. rescribit, ut Judæi ad Decimas solvendas » ex terris, quas colunt, vel possessiones relinquendas, omni districtione compellantur; ne alioquin » contingat Ecclesias suo jure fraudari. Idem habe- »

tur

tur *in c. Quanto*; 18. *infr. de usuris.* ubi decernitur, Judæos compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis pro Decimis, & Oblationibus debitis, quas à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueverunt, antequàm ad Judæos quocùnque Titulo devenissent, ut sic Ecclesiæ serventur indemnes. Ratio est, quia is, ad quem spectat fructuum perceptio, fructuum onera subire cogitur, *l. Usufructu*; 7. §. *Hactenus, & l. Si pendentes*; 27. §. *pen. ff. de usufruct. Gl. hìc V. Persolvendas*: Sic & onus Decimarum adhæret rei, seu prædio, ex quo solvendæ sunt, onus autem reale ad quemlibet possessorem transit, *c. Ex Literis*; 5. *de pignorib. Suar. cit. c.* 16. *n.* 6. ubi ait, Decimas solvendas esse à Judæis, prout sunt onus annexum ipsi rei: non quatenus formaliter sunt Decimæ.

XXXVIII. Ubi notandum præterea primò. Judæi non sunt obligati, nec possunt compelli præcisè ad solvendas Decimas: sed alternativè, ut vel illas solvant, vel prædia relinquant, prout habetur *in cit. c. De terris*; quia gravatus onere reali potest se liberare à debito, relinquendo rem oneratam: Decimæ autem prædiales sunt onus merè reale, licèt in consequentiam, & indirectè obligetur etiam persona, *Abb. hìc num.* 4. Aliud verò est de illis fundis, ac prædiis, quæ nunquam antè fuerunt possessa à Christianis; ex ijs enim Judæi, & alij infideles Decimas prædiales solvere non tenentur, ut colligitur *ex cit. c. De terris*; *& cit. c. Quanto*; nam cùm in illis prædiis nullum jus sit antè Ecclesiæ quæsitum, & ratio, ob quam Decimæ sunt debitæ, in infidelibus cesset, consequenter cessat etiam obligatio illas solvendi, *Suar. c. l. num.* 8. *Barb. in Collect. in cit. c. De terris*; *num.* 2. Nec obstat, quòd Deus sibi reservavit Decimas, in recognitionem supremi dominij in omnes res, *c. Tua*; 26. *h. t.* Judæi autem, etiam recognoscunt Deum, ut Dominum: Nam licèt omnes homines teneantur Deum agnoscere, & colere, ut Dominum jure naturæ: non tamen ex vi ejusdem juris, per solutionem Decimarum, quæ tantùm jure Divino positivo fuit præcepta populo Judaico, & jam abolita est per Legem Evangelicam, & solùm præcepta est ab Ecclesia, cujus Legibus, & præceptis non tenentur infideles obedire, antequam fidem profiteantur per susceptionem Baptismi, *Suar. cit. c.* 16. *num.* 11. Porro etsi infideles, qui terras Christianorum injusto bello occupârunt, si illæ ad Ecclesiam revertantur, de rigore juris, obligati sint, satisfacere Ecclesiæ, etiam pro Decimis præteritis, quas non solverunt; quia Ecclesia nunquam fuit privata jure acquisito in illa prædia, neque contra hoc jus ab infidelibus præscribi potuit: moraliter tamen ad id infideles obligari non possunt; quia esset onus intolerabile, & magnum fidei impedimentum, ideóque Ecclesia id facere non solet, *Suar. c. l. n.* 9.

Notandum secundò. Judæi, aliique infideles non baptizati, non tenentur pendere Decimas personales; quia sunt extra Ecclesiam, & quoad personas suas Ecclesiæ non sunt subjecti, ut cum *Gl. in cit. cap. De terris*; *in fine*, tenent communiter Dd. Non tamen improbabile est, quòd Judæi per accidens, & indirectè cogi possint, prout in quibusdam locis etiam fieri solet, ut in defectum personalium Decimarum, & oblationum, quas alioqui fideles Ministris Ecclesiæ penderent ex domibus, quæ à Judæis inhabitantur, compensationem aliquam faciant damni, pro hoc illati, vel cessantis interesse, *arg. cit. cap. De terris*; *in fine*, & *arg. cit. c. Quanto*; ibi: *Ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes, de usur.* & tradit *Gl. in c. Tua* 26. *V. Prætextu, h. t.* & *Abb. in cit. cap. De terris*; *num.* 6.

§. II.

Quinam in specie obligentur solvere Decimas, vel non?

XXXIX. Quæritur primò. Utrùm Clerici teneantur solvere Decimas? Resp. primò, S. Pontifex per se, & ratione personæ suæ, non potest obligari ad solvendas Decimas: potest tamen interdùm per accidens obligari, ratione debiti realis; quia possidet bona patrimonialia, vel alio titulo propria, quæ jam ante erant obnoxia Decimis, *Suar. cit. Lib. 1. c.* 17. *num.* 8. *& 9. Laym. cit. c.* 3. *num.* 1. Ratio primæ partis est, quia nemo potest per se, & ratione personæ obligari, ad præstandas Decimas, nisi Ordinario alicui Pastori in spiritualibus sit subjectus, talem autem Pastorem Papa in terris habere non potest, cum ipse sit supremus Pastor omnium. Ratio secundæ partis est, quia res transit cum onere suo ad quemvis possessorem, ergo si Papa quocùnque titulo temporali acquirat bona, seu prædia, quæ habent annexum onus Decimarum, tenetur ex ijs Decimas solvere ijs Ecclesiis, quibus antea debebantur: licèt enim Papa sit supremus Dispensator Decimarum, & jurium illarum, non est tamen absolutus Dominus, & ideò non potest de illis pro arbitrio suo disponere, *Suar. c. l. n.* 10.

XL. Resp. secundò, Episcopi, & Parochi, per se, & ratione personæ suæ, non obligantur ad ullas Decimas solvendas, ex debito personali, spectato jure communi Ecclesiastico, quamvis obligari possint debito reali, ad Decimas prædiales solvendas, ex prædiis patrimonialibus, sive temporali titulo acquisitis, *Suar. cit. c.* 17. *num.* 11. *& 16. Laym. c. l.* Prior pars ex eo constat, quia neque ex Jure Canonico, nec ex consuetudine talis obligatio ostendi potest: nam personales Decimæ non possunt exigi, nisi ab aliquo ordinario Pastore, à quo quis recipit Sacramenta, & alia spiritualia, & qui ex officio ad illa ministranda tenetur: quamvis enim Episcopus sit Ordinarius Pastor Parochorum sibi subditorum, adeóque ex eo capite adsit sufficiens fundamentum, ut solvant Parochi ipsi Decimas: non tamen Jus eis imposuit talem obligationem: imò non potest Episcopus Parochis, aliisque Sacerdotibus imponere Decimas, vel ab ijs exigere, nec aliud tributum, præter id, quod jure communi concessum est, ut patet *ex cap. Constitutum*; 63. *c. Nulli*; 62. *c. Prædicator*; 64. *caus.* 16. *q.* 1. *Suar. cit. c.* 17. *Laym. c. l.* Aliud verò, quoad hoc dicendum de S. Pontifice, is enim omnibus Clericis, etiam Parochis, & Episcopis de potestate absoluta imponere potest obligationem, solvendi Decimas, de omnibus bonis Ecclesiasticis, quamvis de facto id non soleat, nisi necessitas Ecclesiæ postulet; quia ipse est Pastor omnium fidelium, etiam Episcoporum, & supremus Administrator, ac Dispensator omnium bonorum Ecclesiasticorum, ut docet *S. Thom. cit. q.* 87. *art.* 4. *ad* 3.

ad 3. Abb. in c. 2. num. ult. h. t. Suar. c. l. nu. 11. & 12. Laym. c. l. Posterior pars probatur, nam si prædia ipsa habeant annexum onus reale Decimarum, cum eo transeunt ad quemlibet possessorem, etiamsi Episcopus, vel Parochus sit: neque enim Ecclesia debet in bonis suis lædi, eò quòd ad temporale dominium Episcopi, vel Parochi ea prædia perveniant. Id autem limitandum est, ad prædia patrimonialia, sive titulo sæculari acquisita: nam si prædia sint Ecclesiastica, quæ Episcopo, vel Parocho specialiter applicata sunt ad ejus sustentationem, non potest is ex illis obligari, ad Decimas solvendas, cùm hæ ipsi debeantur, ac dentur tanquam stipendium, ratione officij, seu ministerij sui, adeóque libera ab omni onere Ecclesiastico, *cit. c. 17. n. 15. & 16.*

XLI. Resp. tertiò, Clerici simplices, seu non Curati, qui ex officio non ministrant Divina aliis fidelibus, ex Decimis aliisque fructibus, quos ex Titulis, seu Beneficiis Ecclesiasticis accipiunt, non tenentur sibi invicem, sive alijs Clericis Decimas dare: At verò ex alijs lucris, ac reditibus suis, titulo temporali acquisitis, per se, ac personali debito tenentur dare Decimas Pastoribus suis, à quibus Sacramenta, & alia spiritualia accipiunt, Ita *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 4. in corp. & ad 1. Covarr. Lib. 1. Res, c. 17. nu. 8. §. Primùm hinc constat, Suar. cit. Lib. 1. c. 17. n. 21. & 25. Laym. cit. c. 3. nu. 2 & 3. & alij.* Idque sumitur *ex c. Novum; 2. h. t.* secundùm probabiliorem ejus explicationem apud *Barbos. in Collectan. ibid.* » *num. 2.* Ubi dicitur: novum genus exactionis est, » si Clerici à Clericis Decimas exigant, cùm nusquam » in Lege Domini legatur, quòd Levitæ à Levitis » Decimas exegerint. Veruntamen Clerici, quibus » alij Clerici spiritualium Ministeriorum labores » impendunt, eisdem Decimas debent persolvere.

XLII. Prior pars hujus cap. loquitur de Decimis, quæ ex prædiis, seu reditibus Ecclesiasticis solvuntur, has enim Clerici non solvunt alijs Clericis, exemplo Levitarum, qui non solvebant Decimas alijs Levitis; quia alia bona, seu reditus non habebant, nisi Decimas, *cit. c. 2.* Ratio est, quia Ecclesia voluit, ut Clerici reditus provenientes ex Titulis, seu Beneficiis Ecclesiasticis, integras, & absque diminutione perciperent, maximè Decimas Ecclesiasticas, ex quibus aliæ Decimæ non solvuntur. Unde originem traxit illud vulgare dictum, Clericus Clericum non decimat. Quare Clerici etiam non Curati, v. g. Canonici, non obligantur ad solvendas Decimas prædiales, ex Decimis, aliisque fructibus, quos Titulis Ecclesiasticis accipiunt, si bona, seu prædia, ex quibus fructus illos percipiunt, sita sint intra eandem Ecclesiam Parochialem, sive propriam eorum Parochiam; quia tales fructus percipiunt Clerici, ut Clerici sunt, seu Ministri Ecclesiæ, debentur enim ipsis ratione sui muneris Ecclesiastici, si ergo ex illis solverent Decimas, jam solverent, ut Clerici alijs Clericis, quod est contra *cit. cap. 2. in princ. h. t.* ideóque non habent bona, seu prædia Ecclesiæ onus annexum, solvendi Decimas eidem Ecclesiæ, cujus sunt, sive ad quam pertinent, neque enim Clerici sibi invicem Decimas solvere tenentur, *cit. cap. 2. in princ. Suar. cit. c. 17. num. 2. & 23. Less. Lib. 2. de just. c. 39. dub. 5. num. 23.* Sed neque etiam obligantur Clerici, non Curati solvere Decimas merè personales ex lucris, seu reditibus acquisitis spirituali titulo; tum quia cùm illos reditus accipiant in sustentationem, & stipendium laboris, seu operis spiritualis, censentur illud accipere integrum, & liberum ab omni onere Ecclesiastico: tum quia ipsi Clerici acquirunt etiam talia lucra titulo, & actione spirituali, adeóque ut Clerici sunt, *Suar. cit. c. 17. num. 4. 23. & 24.*

In posteriore verò parte *cit. c. 2.* est sermo de illis Decimis prædialibus, quæ debentur ex fructibus prædiorum sæcularium, & patrimonialium, quæ Clerici possident jure hæreditatis, vel emptionis, aut quovis alio titulo sæculari: ad has enim solvendas suis Pastoribus, seu Parochis, à quibus spititualia accipiunt, etiam Clerici tenentur, cùm ut sic sint Parochiani illorum, sicut Laici: Imò etiam, spectato Jure communi, tales Clerici obligantur, ad solvendas Decimas personales, per se, & debito personali ex lucris, & reditibus temporali titulo acquisitis ob eandem rationem, *Suar. c. l. n. 21. & 24. Less. c. l. Barb. de offic. Paroch. c. 28. §. 3 n. 20. & 21.* sine causa verò *in cit. c. 2. in fine*, Textus ille intelligitur solùm de Clericis conjugatis; tum quia is absolutè loquitur, & ratio Textus locum habet in omnibus Clericis, qui bona patrimonialia obtinent, & Sacramenta percipiunt à Parochis locorum, *Suar. c. l. nu. 21.* Confirmatur, quia respectu bonorum, seu redituum, & lucrorum temporalium per accidens est, quòd talis persona sit Clericus, vel Beneficiatus, adeóque percipit illa, non ut Clericus: sed ut Civis, & non est exemptus à solutione Decimarum ex talibus reditibus, aut lucris: sed illas debet solvere ei Sacerdoti, à quo accipit Sacramenta, sicut alij Parochiani, *Suar. cit. c. 17. n. 3.*

Porro decisio *cit. c. 2. h. t.* præsertim quoad Decimas personales, hodie vix locum habere potest; cùm illæ ex lucris personæ non soleant pendi à Laicis, ergo multò minùs à Clericis: sed tantùm reales, ac prædiales, quæ tamen ipsæ, spectato Jure communi, debentur Ecclesiæ Parochiali, intra cujus fines prædium est situm, aut animalia pascuntur (quæ mixtæ Decimæ dicuntur) *c. Quoniam; 13. h. t.* quamvis dominus prædij, aut animalium in alia Parochia Divina audiat, & Sacramenta percipiat, juxta *c. Apostolicæ; 20. h. t.* de quo infra.

XLIII. Illud hîc quæri potest, si prædia unius Ecclesiæ, seu Parochiæ sint sita in alia Parochia, an tunc Ecclesia, cujus est prædium, teneatur solvere Decimas illi Ecclesiæ, in cujus territorio prædium est situm? Affirmativa sententia est de jureverior, quam tenet *Abb. in cit. c. 2. n. 6. h. t. Covarr. cit. c. 17. n. 8. §. Secundò*, eámque præfert *Suar. cit. c. 17. n. 28. & 31. Laym. cit. c. 3. n. 5. & alij communiter*, licèt contrarium teneat *S. Thom. cit. art. 4. ad 1.* Ratio est, tum quia prædia transeunt, cum onere reali ad alias Ecclesias, solvendi Decimas illi Ecclesiæ, cui priùs solvi debebant. Tum quia aliàs posset una Ecclesia privari jure suo, & grave damnum pati, si aliæ Ecclesiæ prædia intra illius fines sita emerent, vel alio modo acquirerent, nec tenerentur Decimas ex illis solvere Ecclesiæ, in qua illa sita sunt. Idque confirmari potest *ex cap. Ecclesiæ; 43. & cap. seq. caus. 16. q. 1.* Ubi statuitur, antiquiores Ecclesias non esse privandas Decimis prædiorum, propter novas Ecclesias in eis ædificatas.

XLIV. Quæritur secundò. An Religiosi teneantur ad præstandas Decimas? Resp. Religiosi, sicut, & aliæ personæ Ecclesiasticæ, spectato Jure communi, obligantur ad Decimas prædiales solvendas Parocho, in cujus Parochia eorum prædia sita sunt: nisi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem ab hoc onere sint exempti, *Suar. cit. c.17. n.25. Less. cit. c.39. n.23. Laym. cit. c.3. & alij Dd. communiter.* Idque colligitur *ex c. Ex multiplici* 3. *c. Commissum*; 4. *c. Ex parte*; 10. *h. t.* & expressiùs *in c. Statuto* 2. §. *Cæterùm, eod. in 6.* Ubi statuitur, Religiosi tam exempti: quàm non exempti, ex terris, & possessionibus suis acquisitis, & acquirendis, Decimas illis Ecclesiis, integrè solvere debent, quibus eædem tetræ, & possessiones, priusquam ad ipsos devenirent, fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure (v.g. præscriptione, vel privilegio sint muniti: Et hinc etiam *in cit. c. 2. §. Diœcesani, eod. in 6.* statutum est, quòd Diœcesani, sive Episcopi ad petitionem Rectorum Parochialium, compellere possunt Religiosos (etiam exemptos, ut satis colligitur ex Textu, & notat *Franc. ibid. n.15.*) ut super Decimis, quas habent, vel habituri sunt, quæ aliàs ad Parochiales Ecclesias spectaverunt, in judicio se sistant, & respondeant: nisi non tantùm personæ Religiosorum: sed etiam ipsæ res, sive Decimæ, quæ petuntur, sint exemptæ. Ubi notat *Gl. In casu*, quòd hîc casus sit specialis, in quo Religiosi exempti possunt conveniri coram Ordinario, seu Diœcesano, videlicet si exempti recusent solvere Decimas, tunc enim sunt subjecti foro, seu jurisdictioni Episcopi, seu Ordinarij, ratione rei subjectæ, sive Decimis obnoxiæ, quæ non est, ut supponitur, exempta, juxta *c. ult. de foro compet.* Idem confirmatur *ex c. Veniens* 3; 8. *de transact.* ex quo etiam constat, quòd Religiosi teneantur integrè solvere Decimas Parochiæ, in qua sita sunt prædia eorum, non obstante prætextu transactionis, *de quo ibid.*

Ex dictis infertur, quòd Religiosi, spectato Jure communi antiquo, etiam per se, & ratione personæ suæ, ad Decimas solvendas Ecclesiæ Parochiali teneantur; cùm ipsi à Pastoribus Ecclesiæ Divina, & Sacramenta percipere debeant: nisi privilegio, vel consuetudine eximantur, *Suar. c. l. n. 25. Laym. c. l. n. 4.*

XLV. Quæritur tertiò. Utrùm pauperes teneantur ad præstandas Decimas? Resp. primò, ij, qui communi paupertate laborant, ita ut valde tenues quidem reditus habeant: absolutè tamen sufficientes ad necessariam sustentationem suæ personæ, & familiæ, etiamsi Decimas solvant, hi, inquam, ad illas solvendas sunt obligati, ut docet *S. Thom. cit. q.87. art.4. ad 4. Suar. Lib. 1. c. 16. n. 16. Laym. cit. c. 3. nu. 5. & alij communiter.* Ratio est, quia licèt Decimæ, & alij reditus Ecclesiastici, si superflui sint, in pauperes erogari debeant, vel alios pios usus, ea tamen distributio est relicta ipsis Clericis, ideóque pauperes suæ obligationi priùs satisfacere debent; cùm speciale aliquod jus non habeant ad superfluos reditus Ecclesiasticos.

XLVI. Resp. secundò, non solùm, qui in extrema: sed etiam, qui in gravi necessitate sunt constituti, ita, ut solutis Decimis, non habeant necessaria, ad se suósque congruè, & honestè sustentandos, non obligantur ad eas solvendas, saltem donec ad meliorem fortunam pervenerint, *Suar. cit c. 16. n. 18. Laym. c. l. n. 6. Cast. Palao, p. 2. disc. unic. de decim. pun. 11. nu. 2.* & alij contra *Abbat. Rebuff. & Canisium.* Ratio est, tum quia præceptum, de solvendis Decimis est Ecclesiasticum, & affirmativum, quod non pro semper obligat: sed non, nisi cum certis circumstantiis: non est igitur credibile obligare cum tanto rigore, præsertim cùm Clerici, & Parochi obligationem habeant subveniendi ex suis reditibus Ecclesiasticis gravi paupertate pressis, ideóque hi possunt partem illam decimam retinere, quam Parochi ipsis dare debebant. Tum quia generatim debitor potest differre solutionem debiti, si gravi inopiâ laboret. Illud tamen interest inter gravem, & extremam necessitatem, scilicet inopiam, quòd ob extremam omnino extinguatur debitum: ob gravem verò tantùm differri possit solutio, donec debitor ditior fuerit factus, *Laym. c. l.*

XLVII. Cæterùm huc pertinet, quòd Bonifacius III. *in Extravag. Declarationes unic. h. t. inter communes in princ.* statuit: quòd Moniales, aliæque Regulares personæ, quarum reditus adeo sunt tenues, ut de illis sustentari non possint: sed pro habenda vitæ suæ sustentatione, mendicare debeant, Decimam non solvant. Idémque ibidem statutum est de Clericis sæcularibus, quorum reditus annui summam septem florenorum auri non excedunt. Est autem ibi sermo de Decima Papali, sive à Papa imposita Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, ex causis ibidem expressis, ubi etiam multa dubia circa collectionem illarum Decimarum exorta, prolixè declarantur, quæ legi possunt in ipso Textu.

XLVIII. Quæritur quartò. Utrùm Dominus prædij, an verò Colonus, seu Conductor ad Decimas præstandas sit obligatus? Resp. vel Dominus conduxit operam Coloni pro pensione pecuniaria, ita, ut omnes fructus ad dominum pertineant: & tunc ipse dominus ad integras Decimas solvendas, est obligatus; quia omnes fructus percipit ex fundo, nec potest deducere pensionem, quam solvit colono, quia debet solvere Decimas, non deductis expensis, *c. Non est* 22. *& c. Cùm non sit* 33. colonus verò ex pensione illa, tanquam stipendio sui laboris, debet præstare Decimas personales, ubi eæ dari solent. Vel ipsemet colonus conduxit prædium, pro pensione pecuniaria, vel fructuaria, nempe certis mensuris fructuum, v.g. decem scaphis frumenti: & tunc Colonus debet ex illis integras Decimas solvere, & postea pensionem, vel censum solvere domino, juxta *cit. c. Cùm non sit.* Neque in eo nimiùm gravatur Colonus, cùm propter hoc onus, quod sustinet, dominus minorem pensionem, seu censum ab eo exigere debeat, & proportionatam valori novem partium fructuum, sive illi tantùm correspondentem: ideóque tunc dominus fundi non tenetur ad Decimas ex pensione, quam accipit; quia illa jam est virtualiter decimata, hoc ipso, quòd fuit minor colono imposita, intuitu oneris Decimarum, ac proinde non debet illa pensio iterum decimari, cùm ibi nullum sit distinctum lucrum personale. Vel denique dominus partem fructuum, & colonus etiam partem percipit: & tunc uterque ex parte sua, absque diminutione seminis, aut sumptuum, Decimas solvere tenetur, *c. Tua* 26. *h. t. Abb. ibid. n. 14. & 15. Azor. cit. c. 24. q. 4. Suar. cit. Lib. 1. c. 35. n. 13. & 14.*

XLIX. Pos-

XLIX. Porrò quòd tam Dominus, seu elocator prædij, si ei certa pars fructuum, v. gr. tertia, vel dimidia pendatur: quàm conductor, seu colonus Decimas solvere debeat de portione fructuum, quam quisque percipit, habetur etiam statutum *in c. Anobis; 24. h. t.* Nam cùm interrogatus fuisset Innocentius III. utrùm ab ijs Decimæ exigi possint, qui possessiones, seu prædia dant; vel accipiunt ad firmam, sive alijs conductoribus elocant, dum domini prædiorum ajunt, colonos ad Decimas persolvendas esse obligatos, & vicissim coloni, dominos. (*prout habetur in integra lectione hujus cap.*) Ad hoc respondet Papa: cùm quilibet Decimas solvere teneatur, nisi à præstatione illarum specialiter sit exemptus, ideò tam à dantibus ad firmam, seu elocantibus: quàm à recipientibus, seu conducentibus bona, seu prædia, de fructibus, quos percipiunt, Decimas esse solvendas, nisi ab ipsis ostendatur, quare ab hujusmodi Decimis sint immunes.

L. Ubi Notandum primò. Quando Domino, seu Locatori prædij certa pars fructuum datur, tum tam ipse, quàm Conductor, seu Colonus, de portione fructuum, quam quisque percipit, Decimas dare debet, ut colligitur *ex hoc cap.* idque duobus modis fieri potest. Primò, ut ante omnia, ex fructibus adhuc integris, seu indivisis pars decima deducatur, sive separetur (qui est modus expeditior, & communiter usitatus) & postea, quod reliquum est, inter dominum, & colonum, juxta conventionem suam, dividatur: tunc enim si certa pars fructuum detur domino, post decimationem, seu separationem Decimæ, non obligatur dominus, ad Decimam partis suæ, quippe quæ jam decimata fuit, ut tradit *Gl. in c. Tua nobis; 26. V. Sic & dominus, h. t.* Alter modus est, ut priùs Dominus, seu Locator fructus inter se dividant, & postea pro sua quisque parte Decimas solvat, qui modus cum priore ipsâ coincidit, *Suar. cit. Lib. 1. c. 35. n. 13.*

Notandum secundò. Ecclesia, & ejus Rector habet jure fundatam intentionem, ut ei solvi debeant Decimæ fructuum, ex prædis intra fines Parochiæ sitis, ut colligitur *ex hoc cap.* nisi Dominus, seu Locator prædij, vel colonus, qui fructus percipit, exemptionem à Decimis ostendere possit, *Abb. hic not 2. de quo §. seq.*

§. III.

An quis per privilegium possit eximi ab obligatione solvendi Decimas, & per quem?

LI. Assertio 1. Etsi Papa possit de potestate absoluta præceptum, sive obligationem solvendi Decimas, quoad omnes Christianos, tollere, & abrogare, saltem validè, ita ut factum teneat, dummodò Ministris Ecclesiæ aliunde suppeditetur necessaria, & congrua sustentatio: licitè tamen, & de facto, ac simpliciter id non potest, *Suar. Lib. 1. c. 14. n. 9. & 10.* Ratio primæ partis est, quia cùm hæc obligatio, non ex jure Divino, sed merè Ecclesiastico descendat, si relinquatur Clericis necessaria sustentatio, potest absolutè loquendo tolli. Ratio secundæ partis est, quia talis abrogatio cederet in grave damnum, non tantùm temporale: sed etiam spirituale totius Ecclesiæ, & esset dissipatio reditùum Ecclesiasticorum, ideòque licitè fieri non potest. Veruntamen per speciale privilegium quibusdam in particulari concessum, ea obligatio solvendi Decimas remitti potest, & aliqui ab illa eximi possunt, prout constat *ex c. Anobis; 24. h. t.* & tradit *Gl. ibid. V. Exemptus, & Abb. n. 4.* & sumitur etiam *ex c. 2. §. pen. eod. in 6. Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. n. 9. Silvest. V. Decima, q. 5. n. 11.* Ratio est, quia de jure naturali, ac Divino solùm est, ut Ministri Ecclesiæ habeant à fidelibus, quibus Divina, & spiritualia ministrant, necessariam, & congruam sustentationem: quòd verò ad hanc contribuere debeant omnes, & singuli fideles, non est de jure Divino positivo; quia nullum extat præceptum Divinum, à Christo traditum, quod omnes fideles obliget, in particulari, ad Decimas solvendas. Neque etiam est de jure naturali, saltem quoad certam partem; quia per exemptionem unius, vel etiam plurium, non gravantur alij solventes Decimas, cùm non plus solvant, quàm si nullus esset exemptus: sed per talem exemptionem solùm census, & stipendium Ministrorum Ecclesiæ minuitur: idque ex justa causa ab Ecclesia fieri potest, modò illis relinquatur necessaria, & congrua sustentatio: quod autem ultra hanc Ministris Ecclesiæ datur, potest Ecclesia augere, & minuere, prout ad commune bonum expedire, judicaverit. Cùm ergo hæc dispensatio, seu relaxatio sit tantùm in jure, & præcepto Ecclesiastico, nihil obstat, quò minùs aliqui ab hoc onere eximi possint per Ecclesiam. Confirmatur, quia per consuetudinem legitimè præscriptam potest quis omninò liberari ab obligatione solvendi Decimas, ut infrà dicetur, ergo etiam per privilegium Papæ, *arg. c. 1. de Constit. in 6. Suar. cit. Lib. 1. c. 15. n. 2.*

LII. Assertio 2. Solus S. Pontifex potest privilegium exemptionis à Decimis concedere, non item Episcopi, & alij Prælati inferiores, ut ex communi docet *Suar. cit. Lib. 1. c. 15. n. 2. & 11. & c. 18. n. 2. Barb. de offic. Paroch. c. 28. n. 49. & seqq.* Ratio est, quia Prælati inferiores non possunt relaxare Legem Superioris, sive Juris communis Canonici, nec immutare ea, quæ per SS. Pontifices in eo statuta sunt, nisi in casibus ipsis concessis: cujusmodi facultas quoad Decimas nulla Episcopis facta reperitur in Jure, vel Conciliis: sed solùm in quibusdam casibus specialibus, eis committitur, ut Decimas, vel aliquam illarum partem, aut Beneficia ex illis erecta, ad aliqua opera, vel loca pia applicare possint, uniendo, vel dividendo. Potest tamen Episcopus, ex justa causa, Decimas unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis concedere, *c. Plures; 4. & 2. Statuimus; 55. & c. fin. caus. 16. q. 1. Barb. c. l. n. 54.*

Cæterùm duplicia sunt privilegia exemptionis à Decimis, quædam generalia à Jure communi Canonico concessa, sub quibus comprehenduntur omnia privilegia in Corpore Juris contenta: quædam verò sunt privilegia particularia, sive in scriptis concessa extra Jus commune, sive sine scripto per consuetudinem, ut notat *Suar. cit. c. 18. n. 2.* nos de prioribus; & generalibus potissimùm agemus.

§. IV.

Quænam privilegia exemptionis à Decimis sunt concessa Religiosis, vel etiam Clericis, jure communi?

LIII. Assertio 1. Jure communi Canonico, Monachi, seu Religiosi, imò & Clerici Regulares in communi viventes, sunt exempti à solvendis Decimis personalibus, & prædialibus, ex ijs scilicet prædiis, quæ propriis manibus, seu laboribus, aut sumptibus excolunt, prout in primis statuitur, *in c. Decimas*; 47. *caus.* 16. *q.* 1. Ubi dicitur à Monachis, seu Clericis communiter viventibus nulla ratio sinit, ut milites, Episcopi, aut quælibet personæ Decimas de laboribus, seu nutrimentis suis propriis extorqueant. Ubi per nutrimenta propria intelliguntur animalium, quibus nutrimur, educatio, aut cultura propriorum agrorum, & hortorum, ut notat *Suar. cit. c.* 18. *n.* 3. De eodem privilegio fit etiam mentio *in c. Exmultiplici*; 3. *h. t.* ubi Monasterium quoddam ab Adriano II. privilegium obtinuit, ut de laboribus, quos propriis sumptibus excolit, nulli Decimas solvere teneatur.

LIV. Præterea de alio simili privilegio Religiosis concesso agitur *in c. Ex parte*; 10. *h. t.* Ubi habetur, » Cùm Archiepiscopus Terraconensis quæstus esset » apud Alexandrum III. quòd Monachi albi, & nigri, » & alij quidam Religiosi, occasione privilegiorum, » quæ ipsis Romana Ecclesia concessit, Ecclesias Diœ- » cesis suæ reditibus privare præsumant. Respondit » Pontifex, quòd Antecessores Pontifices ferè omni- » bus Religiosis Decimas laborum suorum remise- » rint. Sed postea Adrianus Papa solis Cistercien sibus, » Templariis, & Hospitalariis Decimas laborum suo- » rum, videlicet ex prædiis, quæ propriis manibus, » vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium » suorum, & de hortis suis Decimas non persolvant, indulsit. Cæteris verò Religiosis, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus » excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & » de hortis suis Decimas non persolvant. Et hanc » Adriani Constitutionem, ait Papa, se secutum fuis- » se, ideóque Religiosos, quibus id solùm indultum » fuit, non posse Decimas ex alijs rebus Ecclesiarum » suarum subtrahere, vel ulteriùs, quàm dictum est, » sibi vendicare.

LV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. *Ex Gl. hîc communiter recepta, V. Laborum suorum*, quòd Monachi olim ex prædiis, & laboribus suis Decimas dare debuerunt Parocho, in cujus Ecclesia Divina audiebant, & Sacramenta percipiebant, sicut Laici; quia tunc ad Clericatum promoveri non solebant, ut colligitur *ex c. Alia causa*; 6. *c. Ecclesia*; 7. *c. Interdicimus*; 10. *& alijs Canonibus*. At verò postea Concilium Moguntinum, & Papa Paschalis II. prout refertur *in c. Quæsti*; 46. & *c. Decimas*; 47. *ead. caus. & q.* concessit, ut Monachi, & Clerici in communi viventes, ex laboribus suis, ac nutrimentis, adeóque etiam ex hortis, & prædiis, quæ ipsi proprio labore, aut sumptibus, pro vitæ suæ sustentatione colunt, Decimas solvere non teneantur, ut supra dictum. Sed privilegium hoc tam amplè Religiosis concessum, ab Adriano IV. & Successore ejus Alexandro III. ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios restrictum fuit, ut patet *ex hoc cap.* licèt hoc ipsum postea revocatum fuerit *in c. pen. h. t.* de quo infra. Cæteris verò Religiosis tantùm concessum fuit, ut ex novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & ex nutrimentis animalium suorum, seu pascuis, & hortis suis Decimas persolvere non teneantur; de alijs verò rebus omnibus illas solvere debeant, ut habetur *in cit. c. Ex parte*; ubi *Gl. V. Laborum suorum*, ait, & sic modò servatur.

Notandum secundò. Privilegium concessum in *hoc cap.* intelligi debet primò, solùm de illis novalibus, sive prædiis, aut fundis de novo cultis, qui nullos, aut modicos fructus antea afferebant, adeóque non grave præjudicium Ecclesiæ Parochiali non inferrent, etiamsi nunc ex tali loco, postquam est ad culturam redactus, nullæ Decimæ à Religiosis pendantur, ut infrà dicetur. Secundò, debet hoc privilegium intelligi de animalibus, quæ ipsi Religiosi nutriunt, seu sumptibus: non autem de illis, quæ dant alijs nutrienda, nisi dent alijs, ut illa nutriant sumptibus ipsorum Religiosorum, *Abb. in cit. c. Ex parte*; *in fine*. Tertiò intelligendum est hoc privilegium, de illis hortis, quos colunt Religiosi ad proprium usum duntaxat; at verò ex agro ab antiquo, & supra hominum memoriam Decimis obnoxio, Religiosi facerent hortum, non dictum privilegium exemptionis non haberet locum, quia possent fraudulenter reducere prædia ad hortos, *Abb. c. l. n.* 3. De cætero verò etiam hodie salvum manet privilegium omnibus Religiosis, & Clericis Regularibus in communi viventibus concessum, quoad novalia, pascua, & hortos *in cit. c. Ex parte*; *h. t.* Simile privilegium concessum est leprosis *in c.* 2. *de Eccles. ædific.* ut, si in communi viventes propriam Ecclesiam, cum Cœmeterio, ac proprium Presbyterum habere permittantur, de hortis, & nutrimentis animalium suorum Decimas tribuere non cogantur.

Notandum tertiò. Si Religiosi curam populi gerant, seu Parochias, v. g. Monasterio incorporatas administrent, possunt Decimas prædiales, & personales exigere, perinde, ac Parochi, & Sæculares Curati; nam tunc jure communi possunt jura Parochialia exigere, & exercere, *c. Moderamine*; 23. *caus.* 16. *q.* 1. & tradit Gl. *in cit. c. Ex parte*; *V. Laborum suorum*, & *Abb. in c. Suggestum*; 9. *n.* 2. *h. t.*

LVI. Assertio 2. Privilegium concessum Cistercien sibus, Templariis, & Hospitalariis (*in c. Ex parte*; 10. *h. t.*) ut immunes sint à solvendis Decimis ex prædiis quibuscùnque, etiam novalibus, ad Monasterium spectantibus, si ea propriis manibus, aut sumptibus colerent, postea restrictum fuit in Concilio Generali Lateranensi, sub Innocentio III. habito, ad prædia, quæ Religiosi isti, ante Concilium Lateranense, possederunt, ut ex illis Decimas dare non teneantur. At verò quoad prædia, quæ Religiosi isti, & omnes alij Regulares, qui iisdem gaudent privilegijs, post dictum Concilium Decimas acquisituri essent, sive emptione, sive piâ fidelium donatione, vel quovis alio titulo, etiamsi illa propriis manibus, aut sumptibus excolant, ex ijs Decimas solvere debeant illis, quibus dari solitæ sunt, priusquàm ad Religiosos prædia illa pervenerunt, prout constat *ex c. Nuper*; 4. *h. t.* desumpto, ex eodem Concilio Lateranensi; Ubi habetur, quòd Abbates Ordinis Cistercien sis in Generali Capitulo congregati, ex commonitione Papæ Innocentij III. providè statuerunt, ne de cætero Fratres illius Ordinis emant possessiones, seu prædia, ex quibus Decimæ debentur Ecclesiis, præterquam pro fundandis de novo Monasteriis. Et sitales possessiones, seu prædia ipsis à Fidelibus fuerint donata, aut ab ipsis empta, pro novis Monasteriis fun-

» fundandis, ut alijs excolenda committantur, à quibus Decimæ Ecclesis (ad quas priùs pertinebant) persolvantur. Ne verò occasione privilegiorum Ecclesiis concessorum, Ecclesiæ ulteriùs graventur ideò decrevit Papa Innocentius hîc, ut dicti Religiosi inposterum de terris alienis (hoc est, quæ ipsi conduxerunt) ex omnibus, quas in posterum acquisituri sunt, etiamsi propriis manibus, ac sumptibus eas excolant, Decimas ijs Ecclesiis, quibus eæ ex illis terris, seu prædiis jam antea solvebantur (priusquam scilicet ad Religiosos pervenirent) etiam deinceps persolvant, nisi aliter cum ijsdem Ecclesiis componant. Addit Pontifex, & hoc ipsum ad alios Regulares, similibus privilegiis gaudentes, extendendum esse, ut, ita Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores sint, ad exhibendum Religiosis adversùs malefactores, sive jurium ipsorum violatores, justitiam, & eorundem privilegia diligentiùs, & perfectiùs studeant observare.

LVII. Porro circa hanc Constitutionem Concilij Lateranensis Notandum primò. Decimæ prædiales à Religiosis privilegiatis solvendæ sunt ex illis prædiis, quæ post Concilium Generale Lateranense III. acquisiverant, & quoad hujusmodi bona, privilegia omnium Religiosorum sunt revocata: non item quoad bona acquisita, ante Concilium Lateranense; circa quæ Constitutio ista nihil mutavit, ut à sensu contrario colligitur, & notat *Abb. hîc n. 2. not. 3.* unde in illis adhuc hodie locum habet privilegium concessum Cisterciensibus, & alijs *in cit. c. Ex parte*, 10. *h. t.* ut mox dicetur.

Notandum secundò. Ex prædiis acquisitis post Concilium Lateranense, Regulares privilegiati tum demum tenentur solvere Decimas, etiam ex prædiis, quæ propriis manibus, aut sumptibus colunt, si ex illis antea solvebantur, ut clarè colligitur *ex verbis Textûs* ibi: *quibus ratione prædiorum antea solvebantur*: ac proinde duo copulativè requiruntur, ut Regulares privilegiati sint obnoxij solutioni Decimarum prædialium: primò, ut prædia fuerint acquisita post dictum Concilium: secundò, ut prædia, ex quibus solvendæ sunt Decimæ, ante acquisitionem fuerint Decimis obnoxia. Ex quo per sensum contrarium infertur, quòd ex illis prædiis, etiam post Concilium acquisitis, ex quibus, antequam ad Religiosos pervenirent, nulli Ecclesiæ Decimæ solvebantur, neque hodie solvi debeant, *Hostiens. hîc V. Solvebantur, & Fagnan. ibid. n. 18. & 19.* Ratio autem, cur Religiosi teneantur solvere Decimas ex prædiis, post Concilium Lateranense acquisitis, est; quia hujusmodi prædia ad Religiosos transeunt cum eodem onere Decimarum: nam Decimæ prædiales comitantur rem, seu fundum, qui si onere reali Decimarum sit affectus, illud onus ad quemcùnque possessorem transit, non habito respectu ad personam, quæ possidet: nisi ex speciali jure sit exempta. Idque procedit, etiamsi ea prædia, prodore, & fundatione, seu sustentatione Monasterij, aut Ecclesiæ ejus, vel etiam alterius Ecclesiæ sæcularis, sint assignata, adhuc enim ex illis debent solvi Decimæ illis Ecclesiis, quibus antea solvebantur, sive talia prædia dotalia sint à fidelibus donata, sive empta, quia res cum suo onere transit, *Gloss. in c. 1. V. Ullo servitio. de censib. Abb. in cit. c. Nuper; not. 1. h. t. Fagnan. ibid. n. 10.* contra *Gl. in. c. 2. V. à Clericis, h. t.*

LVIII. Notandum tertiò. Per Constitutionem dicti *cap. Nuper*; *h. t.* nullo modo revocatum est privilegium concessum Religiosis *in c. Ex parte*; 10. *h. t.* per quod immunes sunt, à solvendis Decimis ex novalibus suis, videlicet ex ijs terris, seu prædiis, quæ ipsimet propriis laboribus, aut sumptibus excolunt, cum antè non essent frugifera, vel saltem non Decimis obligata, ut docet *Abb. in cit. c. Nuper; n. 3. in fine. Laym. cit. c. 3. n. 4. Fagnan, in cit. c. Nuper; n. 22. & 23. & alij communiter.* Idque evidenter colligitur *ex ipso t. Nuper*; in quo nec verbo de Decimis perceptis ex novalibus fit mentio: sed solùm revocatur privilegium quibusdam Religiosis concessum, ut immunes sint à solvendis Decimis ex prædiis, quæ propriis laboribus, vel sumptibus colunt, quoad ea prædia, quæ deinceps acquisituri essent, si ea illis antea, id est, antequam ad ipsos pervenirent, Decimæ solvebantur. Atqui hoc nullo modo potest verè dici, aut intelligi de fundis, seu agris novalibus; cùm illi de novo primùm ad culturam sint redacti, & sic antea nullos fructus ferebant, ex quibus Decimæ alicui Ecclesiæ solvi deberent, vel possent: ergo nullâ ratione dici potest, quòd per dictum *cap. Nuper*; sublatum sit privilegium Religiosis concessum, quoad novalia, quippe in quo solùm sermo est, de agris ab antiquo jam cultis, antequam ad Religiosos pervenirent, adeóque non novalibus, dictúmque privilegium etiam hodie in suo robore manet, *arg. c. Ad audientiam; 12. h. t.*

LIX. Notandum quartò. Constitutioni *cit. cap. Nuper*; de Decimis prædialibus solvendis à Religiosis, cùm sit Concilij Generalis, nunquam censetur derogatum: nisi clausula illius derogatoria expressè adjiciatur, prout sumitur *ex c. Ex parte; 3. de Capell. Monach.* quia talis Constitutio censetur habere adjunctam clausulam derogatoriam, etiam futuris, seu sequentibus dispositionibus, ob defectum intentionis, ex parte concedentis, ideóque necessariò requiritur, ut expressè ei derogetur, ut ex Rota tradit *Barb. de Offic. Paroch. c. 28. n. 37. & 38. & in Collect. in cit. c. Nuper; n. 2. & ibid. Fagnan. n. 28. & 29.* Nec obstat, quòd dictum *cap. Nuper*; sit relatum in Corpus Juris, ideóque Papa censetur de illo habere plenam notitiam: nihilominus enim adhuc requiritur expressa illius derogatio, juxta *cit. c. Ex parte*; quia adhuc adest defectus intentionis, ex parte concedentis, propter clausulam derogatoriam, quam includit Constitutio Concilij Generalis, *Fagnan. c. l.* sufficit tamen, si in privilegio exemptionis à Decimis prædialibus derogetur in Concilio Generali, additâ clausulâ, *& alijs Conciliis*, vel si dicatur, *non obstante Constitutione aliquâ, in Generali Concilio editâ*, tunc enim censebitur derogatum etiam dicto Decreto Concilij Lateranensis, ut resolvit Rota, & Dd. apud *Fagnan. c. l. n. 31. & 32.*

LX. Hinc infertur primò, si hodie à Sede Apostolica Religiosis privilegium concedatur, ut de prædiis suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, Decimas solvere non teneantur, vel etiam absolutè, ut immunes sint à solutione Decimarum prædialium, cum expressa derogatione *cit. c. Nuper*; Id intelligendum est, non tantùm de prædiis, tempore concessi privilegij acquisitis: sed etiam in posterum acquirendis, *arg. cit. c. Nuper*; Ex quo colligitur, quòd privilegium immunitatis à Decimis prædialibus

ante Concilium Lateranense, etiam ad prædia acquirenda extendebatur, & ex vi verborum privilegij prædia etiam acquirenda in illo comprehenduntur, cui quoad hæc tantùm bona *in c. Nuper*; derogatur. Ergo quando nunc post Concilium Lateranense, conceditur aliquibus Religiosis privilegium, cum expressa derogatione dicti *cap. Nuper*; vi illius, erunt illi exempti à Decimis solvendis, etiam ex bonis acquirendis. Idémque colligitur *ex c. Quia circa*; 22. *de privileg.* ubi dicitur, quòd, qui indefinitè remisit Decimas, intellexisse videtur, non tantùm de Decimis bonorum illius temporis: sed & futuri, cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, & in Beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eadémq; substantia diverso jure censeri: & ibidem dicitur, *maximè*, quia indefinita propositio æquivalet universali, quando est eadem ratio de omnibus: & tunc tantùm res transit cum onere, quando privilegium illud non tollit, secus si tollat, *Suar. cit. Lib. 1. c. 19. n. 7.*

LXI. Infertur secundò, tametsi in privilegio à Sede Apostolica concesso, non expressè derogetur dicto c. *Nuper*; nihilominùs hodie etiam valet tale privilegium exemptionis à Decimis prædialibus, quoad prædia, ex quibus Decimæ antea non solvebantur, cùm *in cit. c. Nuper*; non revocetur privilegium exemptionis, quoad illa prædia; adeóque non fuit opus illi derogare: secus est de illis prædiis, ex quibus, antequam pervenirent ad privilegiatos, Decimæ solvebantur Ecclesiis, tunc enim necessariò requiritur expressa derogatio *cit. c. Nuper*; *Fagnan. ibid. n. 27. & 28.*

Unde cùm quæritur, an valeat privilegium exemptionis à solutione Decimarum prædialium, post *cit. Constitutionem c. Nuper*; impetratum à Sede Apostolica, distinguendum est: vel enim in privilegio expressè derogatum est dicto *cap. Nuper*; & privilegium absque dubio est validum, & observandum; quia Constitutio à Papa edita, etiam in Generali Concilio, nullum generat successori præjudicium, quò minùs contra illam dispensationem, vel privilegium dare possit, *arg. c. Innotuit*; 20. §. *Quamvis autem, de Elect. Hostiens. in cit. c. Nuper*; *V. Nisi cum ipsis, Joan. Andr. ibid. n. 3. & Fagnan. n. 26.* ubi ait: tale privilegium exemptionis à solutione Decimarum prædialium, cum specifica derogatione *hujus cap. Nuper*; concessisse Gregorium XIII. Religiosis Societatis Jesu in Constitut. quæ incipit, *Pastoralis officij.* Vel in privilegio Sedis Apostolicæ non est derogatum *huic c. Nuper*; & tunc quoad prædia, ex quibus priùs Decimæ non solvebantur, privilegium est observandum; quia non est contrarium huic Constitutioni: quoad illa verò; ex quibus, ante acquisitionem prædiorum, Decimæ solvebantur, non valet, quia necessaria est derogatio *cit. c. Nuper*; ut ex dictis patet.

LXII. Infertur tertiò, in generali communicatione privilegiorum alicui Religioso Ordini amplè concessâ, non continetur privilegium immunitatis à solvendis Decimis prædialibus; quia hoc privilegium non solet concedi, nisi cum magnâ difficultate, & causæ cognitione. Idque procedit, etiamsi in Literis communicationis privilegiorum, facta sit mentio de Decimis; quia id intelligi debet de exemptione à Decimis extraordinariis: non autem de ordinariis, seu prædialibus, *Fagnan. in cit. c. Nuper*; *n. 33. & 2. seqq. Barb. de Offic. Paroch. cit. c. 28. §. 3. n. 41.*

LXIII. Illud hîc addendum, si idem privilegium pluribus sit concessum, v. g. Regularium Ordinibus, & quoad aliquos revocatur, non ideo censendum est, esse revocatum etiam quoad alios similiter privilegiatos, nisi id exprimatur, ut tradit *Abb. in cit. c. Nuper*; *n. 3. h. t.* quia in Constitutionibus correctoriis, seu revocatoriis non debet fieri extensio, etiamsi par, vel major subsit ratio, *Gl. in l. ult. Auth. Quas actiones, V. Excludantur, junct. Gl. marg. & ibi Dd. C. de SS. Eccles. arg. l. Præcipimus*; 32. *in fine, junct. Gl. V. Intelligunt, C. de appell.* Exemplum habetur in privilegio concesso Ecclesiis, & Civitatibus, ut in hæreditatibus, legatis, & rebus ipsis donaris, vel venditis non possit contra illas præscribi, nisi centum annis, exceptâ Ecclesiâ Romanâ, *cit. Auth. Quas actiones*: hæc revocatio non est extendenda ad Civitates, quarum privilegium centenariæ præscriptionis salvum manet, *Abb. c. l.* Idque sumitur *ex cit. c. Nuper*; ubi per hoc quòd revocatum fuerit privilegium Cisterciensium, non censeretur revocatum similiter privilegium alijs Religiosis concessum, nisi Papa id expressisset, & extendisset. Excipitur, nisi privilegium quibusdam sit concessum primò, & principaliter: alii verò solùm ad instar, seu per communicationem, non tamen æquè principaliter, tum enim revocato privilegio principaliter concesso, censebitur etiam revocatum, quoad alios, quibus solùm accessoriè est concessum, *de quo Rodriq. Tom. 1. qq. Regul. q. 8. art. 5.* Cæterùm an privilegium exemptionis à Decimis, etiam extendatur ad novalia, infra dicetur.

§. V.

De interpretatione privilegii exemptionis à solvendis Decimis.

LXIV. Quæritur primò, quomodo intelligendum sit privilegium à Sede Apostolica concessum Religiosis, ut ex prædiis, quæ propriis manibus, seu laboribus, vel sumptibus colunt, Decimas solvere non teneantur? Resp. hujusmodi privilegium non esse intelligendum de prædiis conductitiis, nec ad illa extendum, prout sumitur *ex c. Dilecti*; 8. *h. t.* Num cùm Monachi quidam à Romano Pontifice privilegium impetrâssent, de non solvendis Decimis ex terris, seu prædiis, quæ suis propriis laboribus, aut sumptibus colerent: ijdem Monachi postea multa prædia sita in Parochia Abbatis, & Fratrum S. Crucis, ex quibus Decimas isti, ac magnam partem sustentationis habebant, conduxerunt, & ad firmam, sive sub certa pensione annuâ, elocata acceperunt. Quare cùm dictus Abbas, & Fratres se enormiter eâ in re gravatos esse sentirent, id questi sunt Alexandro III. Is respondit, non fuisse suam, aut Antecessorum suorum intentionem, ut ex possessionibus, seu prædiis conductis Monachi illi privilegiati Decimas non solvant, ideóque mandat ijs, ut ex talibus prædiis, quæ conduxerunt in Parochiis dicti Abbatis, & Fratrum S. Crucis, ex quibus isti solebant antea Decimas accipere, integrè eisdem illas persolvant, vel cum ipsis amicabiliter componant. Ratio hujus decisionis est, quia privilegium Principis, quatenus cedit in alterius præjudicium, strictè interpretari oportet, nec ita intelligi debet,

debet, ut per illud grave damnum inferatur tertio, *l. 2. C. de precib. Imper. offerend.* at si Religiosi, non tantùm in propriis: sed etiam conductitiis prædiis immunes essent à Decimis præstandis, id cederet in grave præjudicium, & damnum Ecclesiæ Parochialis, in qua sita sunt illa prædia, ergo privilegium immunitatis à Decimis concessum Religiosis, non de prædiis conductitiis: sed de propriis tantùm, quæ laboribus, ac sumptibus eorum coluntur, intelligi debet.

LXV. Idque confirmatur, vel ex ipsis verbis privilegij, nam vel conceditur sub hac forma, *ut Religiosi non solvant Decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt*, prout habetur *in c. Ex parte*; 10. *h. t.* & necesse est, id intelligere, de laboribus, scilicet agrorum suorum; quia labores non coluntur: sed agri, & quidem de agris propriis, non conductitiis; quia hi non sunt proprij: sed alieni, nec laboribus culturæ sunt verè proprij, nisi fiant in agris propriis, si enim in alienis agris impendantur, potiùs videntur esse alieni, & domini agri ad culturam locati, qui pro mercede eas operas, seu labores conduxit. *Suar. cit. Lib. 1. de Decim. c. 19. n 9.* Vel conceditur privilegium, sub hac verborum forma, ne solvant Decimas ex suis, seu propriis suis fundis, vel ex prædiis, quæ habent, vel ex bonis possessis, &c. nam cùm tale privilegium vergat in præjudicium tertij, ideóque strictè sit intelligendum, salvâ verborum proprietate, ideo non est extendendum ad prædia, seu bona conducta, quæ propriè loquendo, non habentur, seu possidentur, ut propria: sed solùm habentur, seu possidentur, quoad usum, *Suar. c. l. n*, 10. Idémque dicendum de prædiis Emphyteuticis, sive in Emphyteusin acceptis; non enim privilegium concessum Religiosis, non solvendi Decimas ex laboribus, seu prædiis suis, quæ proprio labore, aut sumptu excolunt, ad illa est extendendum, si antea Decimis obligata erant; nam bona emphyteutica, propriè, & strictè loquendo, non sunt propria ejus, cui in Emphyteusin data sunt, cùm dominium directum eorum ad alium pertineat, adeóque ipse propriè non sit dominus illorum, *l. 1. juncta Gl. fin. ff. Si ager vectigal, &c.* alioquì enim hoc privilegium, etiam ad agros conductos ad longum tempus, extendi posset, cùm Emphyteusis in effectu non sit, nisi locatio quædam ad longum tempus, quod tamen est contra *cit. c. Dilecti*; quod de agris conductitiis indistinctè, & generaliter loquitur, atque, ex illis Decimas à Religiosis privilegiatis solvendas esse, si antè ex illis dari consueverunt. *Suar. c. l. n.* 12.

LXVI. Porro *ex cit. c. Dilecti*; colligitur præterea primò, quòd Religiosi possunt aliena prædia conducere, si propria non sufficiant ad eorum sustentationem, ut ea excolant, & fructus inde preceptos, vel absumant, vel vendant, non lucri, seu questûs causâ: sed ob necessariam sustentationem, ut notat *Gl. hic V. Conduxistis, & Abb. n. 3. & Gl. in c. ult. dist. 86. V. Conductiones.* Colligitur secundò, quòd inter Ecclesias valeat amicabilis compositio, ut non solvantur Decimæ integrè: sed pars solùm, *Gl. fin. hic*, de quo infra plura.

» LXVII. Assertio 2. Privilegium Jure com-
» muni concessum Religiosis quibusdam, ut ex præ-
» diis, quæ propriis manibus, vel sumptibus colunt,
» nemini Decimas solvere teneantur (cujusmodi
» concessum fuit Cistercienſibus, Templariis, & Ho-
» spitalariis, juxta *c. Ex parte*; 10. *h. t.*) non debet
» extendi ad terras, seu prædia, quæ Religiosi tra-
» dunt alijs excolenda; nam de his Decimas solvere
» tenentur Ecclesiis Parochialibus, prout statuitur
» *in c. Licèt*; 11. *h. t. & in Clement. 1. eod.* Debet autem tale privilegium intelligi de prædiis propriis Religiosorum, quæ ipsimet colunt, vel propriis manibus, vel saltem suis sumptibus, pro necessaria sustentatione vitæ suæ, ut explicat *Gl. in cit. Clement. 1. V. Excolendas*, dummodo talia prædia acquisiverint, ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. & hactenus possederint, juxta *c. Nuper*; *pen. h. t.* de quo supra. Ratio hujus decisionis est, quia privilegium cedens in præjudicium tertij, est strictè interpretandum, adeóque non est extendendum ad prædia, quæ per alios colonos excoluntur, *Abb. in cit. c. Licèt*; *nu. 2.* Quare cùm Religiosis conceditur privilegium exemptionis à Decimis, ex prædiis, quæ propriis laboribus, vel sumptibus colunt, si id per colonos faciant, tenentur ipsi Religiosi solvere Decimas ex illis fructibus, quos ipsi percipiunt; quia deficit conditio, sub qua privilegium est concessum, cùm ipsi propriis manibus, vel sumptibus ea non colant, & ipsi etiam coloni tenentur solvere Decimas ex parte fructuum, quam ipsi percipiunt, *Suar. cit. c. 19. n. 13.*

LXVIII. Ubi notandum præterea primò, variis modis potest alicui tradi prædium, vel fundus ad excolendum, ut notant *Dd. hìc.* Primò, ut nudo ministro, seu famulo, qui sumptibus domini illud colere debet, pro mercede ipsi constituta in pecunia, vel frumento, vel pro concesso ipsi usu fructuum, qui inde proveniunt, & tunc prædium sumptibus domini, v.g. Monasterij, ut in casu *cit c. Licèt*; colitur, adeóque immune est à solvendis Decimis; quia etsi non colatur propriis laboribus, colitur tamen propriis sumptibus, cùm prius non sit determinatè necessarium, in privilegio enim solùm alternativè requiritur, sive sub disjunctione, ut propriis laboribus, vel sumptibus colatur. Secundò, interdum prædium alteri colendum traditur, pro certa pensione annua pecuniaria; & hæc est propriè locatio, vel Emphyteusis, & & tunc ipse conductor, vel Emphyteuta Decimas solvere cogitur; quia omnes fructus ex prædio percipit. Tertiò, alicui aliquando prædium colendum traditur, pro pensione fructuaria, v. g. frumenti, vini, &c. & hæc est impropriè dicta locatio, & potiùs contractus innominatus, do, ut des, ut docet *Bart. in l. Si merces*; 28. §. *Vis major, ff. Locat.* etsi possit, & soleat locatio appellari, *l. Si olei*; 21. *C. eod.* quia illi æquiparatur. Quòd si verò ultra decennium ita fundus elocetur, censebitur contractus emphyteuticus. Atque in his elocationibus, cùm prædia coluntur sumptibus coloni censualis, ea non gaudent privilegio immunitatis à Decimis, *Abb. in c. Ex parte*; 10. *n. 2. h. t.* Quartò, interdum prædium traditur excolendum colono partiario, qui velut jure societatis, v. g. dimidiam, vel tertiam partem fructuum percipit, quod verò reliquum est, domino tradere debet; nam dominus dat fundum, & colonus operam in colendo fundo, ut docet *Bart, c. l.* Et hoc casu, siquidem colonus partiarius etiam suis sumptibus fundum colere debet, ut plerumque fieri solet, ex prædiis sic elocatis à Monasterio

sterio, v. gr. privilegiato debent solvi Decimæ; quia Monasterium tunc nec suis laboribus, neque propriis sumptibus illa colit, *Abb. c. l.* Si verò Monasterium suis sumptibus fundum colat, ipsi verò colono pars fructuum, v. gr. quarta solvatur, tantùm pro labore culturæ, tunc prædium gaudebit privilegio immunitatis à Decimis solvendis: si denique prædium colatur communibus sumptibus Monasterij, & coloni partiarij, Decimæ erunt solvendæ tantùm ex illa parte fructuum, quam colonus percipit.

LXIX. Notandum secundò. Si privilegium immunitatis à solvendis Decimis sit, v. gr. Religiosis concessum, intuitu personarum, adeóque sit privilegium personale, tunc non transit ad colonos; quia tale privilegium personam non egreditur, *l. In omnibus; 68. ff. de R. J.* si verò sit privilegium reale, per quod etiam ipsa prædia eximuntur ab onere Decimarum, quamvis in favorem personarum, v. g. Regularium, ad quos pertinent, ut si in privilegio dicatur: Eximimus Religiosos hujus Ordinis, eorúmque prædia ab onere solvendi Decimas; tunc extendi etiam debet ad colonos, qui prædia illa à Religiosis conduxerunt, ita, ut nec ipsi Decimas solvere debeant; cùm immunitas ipsis etiam prædiis sit data, licèt contemplatione Religiosorum, sive propter illos, & consequenter etiam ipsi coloni fiunt participes hujus privilegij, & liberi à solvendis Decimis, non propter se: sed propter Religiosos, qui majorem pensionem ipsis colonis imponent, intuitu hujus, quòd Decimas non solvant Ecclesiæ Parochiali, quas aliàs debuissent, & sic in effectu solvunt Decimas ipsis Religiosis, quibus eæ per privilegium sunt applicatæ, *Gl. in cit. Clement. 1. V. Excolendas*, & clariùs *Suar. cit. c. 19. nu. 14. & 15.* qui arbitratur *ibid. n. 16.* idem dicendum esse, si Religiosi absolutè eximantur, ab obligatione solvendi Decimas ex prædiis suis, non additâ ullâ restrictione, si illa propriis manibus, vel sumptibus colunt: nec illâ ampliatione, ut non solvant Decimas ex prædiis suis, etiamsi per colonos illa colant: nihilominus enim adhuc privilegium reale, non personale esse censendum; quia ex vi hujus privilegij: Eximimus vos à solvendis Decimis ex prædiis vestris; fiunt illa prædia immunia à solvendis Decimis, & applicantur Religiosis, quibus per colonos illæ sunt solvendæ, vel ratione illarum pensio augetur, *arg. c. Quia circa; 22. de privileg.*

LXX. Quæritur secundò. An privilegium exemptionis à non solvendis Decimis prædialibus Regularibus, vel alijs, qui jure communi aliàs eas solvere tenerentur, concessum, censeri debeat, esse favorabile, an verò odiosum? Resp. primò, etsi ex parte eorum, quibus datur tale privilegium, favorabile censeri possit, quatenus scilicet favet Religioni: tamen absolutè odiosum potiùs est, ideóque strictè interpretandum; tum quia Juri communi derogat, tum quia cedit in præjudicium tertij, scilicet Ecclesiarum Parochialium, & Parochorum, vel Clericorum, qui illis Decimis privantur, *Suar. Lib. 1. de Decim. c. 18. n. 6.* in rescripto enim, sive privilegio Principis nihil videtur concessum, quod cum incommodo alterius fit, nisi exprimatur, *l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publico, &c.*

LXXI. Porro quando dicitur, verba privilegij, quatenus alijs præjudicat, strictè interpretari oportere, id ita intelligendum est, ut ultra verborum propriam significationem, seu usitatam acceptionem, nulla extensio fiat, etiam ob majoritatem rationis, servatâ tamen communi verborum proprietate, & usitatâ significatione, ita, ut omnia in illa contenta comprehendantur, si nulla exceptio, seu limitatio sit apposita, *Suar. cit. c. 18. in fine.* Idque confirmatur ex *c. Ad audientiam; 12. h. t.* Ubi cùm quidam privilegium Cisterciensibus concessum, ne de laboribus (hoc est, ex prædiis) quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt, aliquis Decimas ab eis exigat, perperam interpretarentur, quòd nomine laborum novalia tantùm intelligi debeant: hoc intellecto, mandat Papa Alexander III. ut non permittatur, ab illis quempiam Decimas exigere; quia si ipse Pontifex per labores novalia tantùm intelligere voluisset, novalia, non labores posuisset.

Ex quo patet, quòd hoc privilegium, de non solvendis Decimis ex propriis laboribus, intelligi etiam debet de alijs terris, seu prædiis, quæ non sunt novalia, & tamen propriis manibus, aut sumptibus colluntur; quia si Papæ mens, & intentio fuisset *in hoc* tantùm immunitatem à Decimis novalium Cisterciensibus concedere, non usus fuisset verbis generalibus: sed magis strictis, scilicet, ne de laboribus, quibus novalia excolunt, aliquis Decimas ab eis exigat; cùm enim per verba declaretur mens, & voluntas loquentis, præsumitur concedentem privilegium, verba accepisse, secundùm communem, & usitatam eorum significationem, alioquî si aliud significare voluisset, id propriis, & usitatis vocibus expressisset. Excipi tamen debet, nisi ex verbis adjunctis, vel ex adjecta ratione, vel ex alijs conjecturis contrarium appareat, nempe Legislatorem, vel dantem privilegium, verba minùs propriè, vel in minùs usitata significatione accepisse; tunc enim voluntas illius præferenda est; quia verba serviunt intentioni loquentis, non vice versâ; hæc illis, juxta *l. Non aliter; 69. in princ. ff. de legat. 3.* Ubi dicitur, non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est, aliud sensisse testatorem: Vel nisi necessitas cogat, recedere à propria, & communi significatione verborum; quia alioquî sequeretur contradictio, vel contrarium Juri, vel aliud absurdum, tunc enim præsumendum est loquentem, aut disponentem ita verba intellexisse, ut dispositio Legis subsistat, juxta *l. Benignus; 18. & seq. ff. de legib. Abb. in cit. c. Ad audientiam; n. 2.* ubi etiam monet, Legis, aut privilegij dubij interpretationem ad Judicem pertinere, si eam ex alijs Legibus Civilibus, aut naturali rationis dictamine, vel ex consuetudine loci facere possit, quandoquidem talis interpretandi potestas etiam Doctoribus conceditur, *l. Unic. C. de Professor. qui in Urbe, &c. Lib. 12.* Si autem dubium arduum occurrat, ita, ut nec ex Legibus Civilibus: neque ex naturali dictamine, aut communiter receptis principiis juris, nec ex consuetudine facilè dissolvi possit, tum demum ad Principem, seu Auctorem recurrendum est; cùm ejusdem sit Legem interpretari, cujus est condere, *cap. Inter alia; 31. de sentent. excom.* Porro an privilegium, de non solvendis Decimis, extendatur etiam ad novalia post privilegium obtentum coli cœpta, infra dicetur.

LXXII. Resp.

LXXII. Resp. secundò. Privilegium Papale, in quo Decimæ, vel alia jura, aut reditus Ecclesiæ alijs conceduntur, v. g. Religiosis, & in eos transferuntur, ita intelligi debet, ne Ecclesia, cui Decimæ, vel alij reditus adimuntur, & Ministri ejus egeant: sed ut reditus ad alendos Ministros, & Fabricam Ecclesiæ, aliáque onera sustinenda necessarij ei relinquantur: alioqui Episcopus, sive Ordinarius compellere potest eos, ad quos Decimæ ejusdem loci, vel alij proventus pervenerunt, ut ex ijs congruam portionem assignent Ecclesiæ, ad quam Decimæ antea pertinebant, & sufficientem ad alendos Ministros, & alia onera ferenda, prout statuitur in c. 2. §. *Ubi autem*; *h. t. in 6.* Ubi dicitur: » si propter » concessiones Decimarum alijs factas, adeo gra- » vari contingat Ecclesias Parochiales, ut earum » Rectores, ac Ministri ex reliquis reditibus ea- » rundem Ecclesiarum congruè sustentari, & Jura » Episcopalia commodè solvere non possint: tunc » Ordinarij locorum providere, & ordinare de- » bent, ut dictis Rectoribus, ac Ministris, ex De- » cimis Parochiæ, vel Ecclesiæ suæ in alios trans- » latis, portio congrua, & sufficiens ad decentem » sustentationem, & Episcopalia Jura solvenda, » aliáque onera debita præstanda, relinquantur. Ratio est, quia Decimæ, vel alij proventus parochiales, non sunt per privilegium Papæ alijs concessi, nec potuerunt aliter concedi, vel transferri, nisi sub ea conditione, ut si Ecclesia Parochialis, vel alia, ad quam de Jure communi spectant, indigeat, eidem ex Decimis, & alijs reditibus translatis subveniatur; non enim oportet unum Altare, seu Ecclesiam denudare, ut altera vestiatur, vel abundet: neque per privilegium, vel donationem Papæ alteri Ecclesiæ factam, potest propria Ecclesia, ita privari suis reditibus, ut ipsa egeat, *Anchar. in cit. c. 2. §. Ubi autem*; *not. 9. h. t. in 6.*

§. VI.

Quibus modis privilegium non solvendi Decimas amittatur?

Tres modi communiter assignari solent, de quibus agemus hoc §.

LXXIII. Assertio 1. Primus modus est, si privilegium concessum, progressu temporis, cedat in grave præjudicium Ecclesiæ Parochialis, vel eorum, ad quos tales Decimæ aliàs pertinerent, secluso privilegio, ita, ut scandalum, & querelæ justæ inde oriantur, tunc debet cessare, & revocari tale privilegium, ut ex communi sententia docet, *Suar. cit. Lib. 1. c. 20. num. 1.* Idque sumitur ex c. » *Suggestum*; *9. h. t.* Nam cùm Abbas, & Fratres » Monasterij Dolonensis conquesti essent Alexandro » III. Pontifici, quòd Abbas, & Fratres Monasterij » Ursinensis Decimas ab ipsis exigere, & aufferre » conentur, contra privilegiorum suorum te- » norem. Ad hoc rescribit Papa, & mandat, ut » super illis Decimis utrumque Monasterium inter » se componant; quia cùm Romana Ecclesia Or- » dini huic (Cistercienſium scilicet, *Innoc. hic V. Or-*

dinis) privilegium concessit de Decimis non sol- » vendis, taræ erant illius Ordinis Abbatiæ, ita ut » exinde scandalum jure merito oriri non posset. » Sed nunc adeo auctæ, & possessionibus locuple- » tatæ sunt Abbatiæ ejusdem Ordinis, ut multi vi- » ri Ecclesiastici, ob illam exemptionem, querе- » lam apud Sedem Apostolicam sæpe proponant. » Ratio est; quia non est intentio concedentis privilegium immunitatis à Decimis, illud concedere, etiamsi cedat in grave præjudicium, seu damnum alterius, præsertim Ecclesiæ, aut Communitatis, esset enim talis concessio injusta. Idque sumitur etiam ex *c. pen. de Cleric. non resident.* Ubi habetur, quòd privilegium non residendi, datum Clericis, revocari possit, ac debeat, si mutatis rerum circumstantijs, tendat in gravamen, ac præjudicium Ecclesiæ. Et in *l. Ex facto*; *43. in princ. ff. de vulg. & pupil. substit.* habetur, quòd privilegium concessum patri, ut possit testamentum facere pro filio muto, vel aliàs inhabili, revocatur, cessante causâ privilegij.

LXXIV. Notandum hic præterea Primò. Privilegium, postquam incipit esse onerosum, & tendere in grave præjudicium aliorum, ipso facto, seu jure cessat, ut colligitur ex *citt. juribus*; saltem si notorium, & indubitatum sit, quòd privilegium in notabile damnum, seu gravamen aliorum cedat: aliàs verò ad Principem, vel eum, qui privilegium dedit, aut ejus successorem recurrendum est, ut declaret, an privilegium sit factum onerosum, vel graviter læsivum juris aliorum, *Abb. in cit. c. Suggestum*; *n. 4. Suar. cit. c. 20. n. 2.* Id autem non procedit, quoad illa privilegia, quæ jam consecuta sunt effectum perfectum, & consummatum, nec actum successivum habent; illa enim non revocantur, licèt causa privilegij postea cesset: ut si per rescriptum Principis filius naturalis tantùm alicujus sit legitimatus, ut possit succedere etiam patri, sed postea nascatur ei filius legitimus, non revocabitur privilegium; cùm filio naturali jam sit jus absolutum acquisitum. Aliud verò dicendum de illis privilegijs, quæ habent actum, seu effectum successivum, cujusmodi est privilegium exemptionis à solvendis Decimis; hoc enim etsi ab initio fuerit justum, ac validum, si tamen postea mutato rerum statu, fiat nimis onerosum Ecclesijs, cessare debet, & revocatur; quia ipse dans privilegium tale immunitatis non habuit intentionem, illud ad talem casum extendendi, cum gravi præjudicio aliorum, *Abb. in cit. c. Suggestum*; *n. 5. h. t.*

Notandum secundò. Privilegium hoc immunitatis à Decimis solvendis, si postea fiat nimis onerosum Ecclesijs, ita revocatur, ut non debeat, nec possit reduci ad debitam, ac justam moderationem; sed omnino ac totum cessat, ut tradit *Abb. c. l. num. 4. in fine.* Quod tamen rectè limitat, *Suar. c. l. num. 2.* ut solùm procedat, respectu inferiorum Judicum, si gravamen sit notorium, & indubitatum. At verò S. Pontifex potest moderari tale privilegium, & non omnino tollere; quia privilegium, quòd antea erat injustum, propter notabile gravamen illatum alijs, potest per moderationem fieri justum.

LXXV. Assertio 2. Amittitur præterea privilegium non solvendi Decimas, per non usum, seu po-

potiùs per usum contrarium, si per annos 30. juxta *c. Si de terra*; 6. vel 40. juxta *c. Accedentibus*; 15. *de privileg.* decimæ solvantur à privilegiatis, seu exemptis: nam spectato Jure antiquo, tempus 30. annorum satis erat ad præscriptionem contra Ecclesias, de qua loquitur *cap. Si de terra*; At verò *cap. Accedentibus*; procedit secundùm Jus novum, quo 40. annorum præscriptio requiritur contra Ecclesias, *c. Illud*; 8. & *c. De quarta*; 4. *de præscript. Abb. in cit. c. Accedentibus*; *num.* 4. *Suar. cit. c.* 20. *num.* 4. adeóque cap. prius correctum est per posterius, de quo agetur infra *Lib. 5. Tit. 33.* ubi ex instituto de hoc tractandum erit.

Porro dupliciter potest amitti privilegium immunitatis à Decimis, vel per viam tacitæ renunciationis, collectæ ex temporis diuturnitate, lapsu 30. vel 40. vel etiam 10. tantùm annorum, ut aliqui volunt: non tamen potest hoc privilegium amitti per expressam, & absolutam renunciationem; cùm in favorem Ecclesiæ, vel totius Religionis sit concessum, ideóque à privatis Domibus, vel Prælatis, aut Religiosis ei absolutè renunciari non potest, *argum. c. Si diligenti*, 12. *de foro compet.* quamvis tota Religio, cui datum est privilegium, illi ex causa justa, etiam expressè renunciare possit, *Suar. cit. c.* 20. *n.* 3.

LXXVI. Assertio 3. Amittitur quoque privilegium non solvendi Decimas, per conventionem, seu pactionem, & compositionem partium factam, post privilegium ritè, & validè obtentum, ut patet ex *c. Dilecti*; 8. *in fine*, & *c. Suggestum*; 9. ibi: *Super ipsis Decimis componatis, & cap. pen.* ibi: *nisi cum ipsis Ecclesijs aliter duxerint componendum*, *h. t.* Ratio est; quia talis conventio, seu compositio potest esse justa, & rationabilis, & utrique parti utilis, adeóque per illam potetit tolli privilegium, vel limitari, juxta conditiones conventionis, neque illa potest censeri absoluta, & merè liberalis renunciatio, quæ fieri non potest, ut dictum, *Suar. cit. c.* 20. *n.* 5. An autem, & quomodo super Decimis transactio, seu compositio fieri possit, infra dicetur.

LXXVII. Addi potest quartus modus amittendi hoc privilegium, nempe per alienationem prædiorum, quæ ratione privilegij Religiosis v. g. concessi, exempta erant ab onere Decimarum; nam hoc ipso, quòd prædium aliquod desinit esse sub dominio Religionis, vel Monasterij, & transit in dominium alterius privati, & non privilegiati, cui v. g. est venditum, desinit esse exemptum ab onere Decimarum; quia hoc privilegium est concessum principaliter, ac directè ipsi Monasterio, seu Religioni, & ejus intuitu, non in commodum alterius, cui tale privilegium non est concessum, adeóque cum prædio vendito, non transit in emptorem: neque etiam potest Monasterium, seu Religio, cum re vendita, vel alienata, ipsam immunitatem à Decimis transferre in alium; quia non habet ex se talem potestatem, nec ea est illi in privilegio concessa, *Suar. cit. c.* 20. *n.* 6. *Ant. Genuensis in practic. Eccles. q.* 380. Veruntamen, si Monasterium, vel Religio habens privilegium non solvendi Decimas prædiales, rem immobilem, v.g. prædium, cum alio commutaret, vel venderet, ut ex pecunia illa aliud emeret, tunc prædium illud emptum, postquam translatum est in dominium Monasterij, vel Religionis, esset quoque exemptum à Decimis, juxta tenorem privilegii; cum sit subrogatum in locum alterius prædij commutati, vel venditi, ideóque sapiat, & sequatur naturam, & conditionem ejus, cui subrogatum est. Idque procedit, etiam post Concilium Lateranense, secundùm quod, privilegium immunitatis à Decimis concessum Religiosis non extenditur ad bona, seu prædia, deinceps acquirenda: sed solùm ad acquisita, ut patet ex *c. Nuper*; *pen. h. t.* nam prædium commutatum pro altero, non est simpliciter de novo acquisitum, sed subrogatum loco alterius: neque per talem commutationem notabiliter crescunt bona Religionis, cum gravamine alterius Ecclesiæ, ob quod principaliter emanavit illa Constitutio Concilij, quæ cùm insuper sit odiosa, ideò restringenda est ad bona, quæ simpliciter de novo sunt acquisita, *Suar. cit.*

SECTIO IV.

DE PERSONIS, ET ECCLESIIS, quibus pendendæ sunt Decimæ, & tempore, ac loco, quo sunt solvendæ.

§. I.

Quibus personis, & Ecclesiis Decimæ sunt solvendæ?

LXXVIII. Assertio 1. Etsi olim ante divisionem Diœcesium in distinctas Parochias, Decimæ totius Diœcesis Episcopo præstari debebant, ut eas poneret inter Clerum, seu Ministros Ecclesiæ suæ, pro cujusque meritis, ac necessitate, distribueret, teste Clemente Romano, *Lib. 2. Constit. c. 25.* & colligitur ex *c. 1.* & *c. Pervenit*; *3. caus. 16. q. 7.* & tradit *Abb. in c. Cùm contingat*; *29 n. 7. h. t.* Attamen etiam postquam Parochiæ intra Diœceses divisæ sunt, & singulis Parochijs, vel Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis Decimæ prædiorum assignatæ fuerunt, debet, spectato Jure communi, ex hujusmodi Decimis quarta pars solvi Episcopo, tanquam Superiori, & Ordinario fidelium suæ Diœcesis Pastori, *c. Conquerente*; *16. de offic. Jud. Ordin. c. De quarta*; *4. de præscript. c. Cùm olim*; *19. de censib. c. Quoniam*; 13. ibi: *tuâ parte retenta h. t. Abb. c. l. Suar. Lib. 1. De Decim. c. 28. n. 9.*

Idque ad imitationem Legis Veteris statutum est, in qua quatuor genera Decimarum in usu erant, prout refertur in *c. Decimam*; *1. h. t.* quod est desumptum ex *S. Hieron. super Ezechiel. c. 45.* nam primo, Populus Israëliticus decimam partem omnium frugum Leviticæ Tribui solvere debebat. Secundò, rursus Levitæ, hoc est, inferiorum Ministrorum gradus ex ipsis Decimis decimam partem dabant Sacerdotibus (ut constat ex *Lib. 2. Esdræ c. 10. v.* 37.) Tertiò, erant & aliæ Decimæ fructuum, quas quisque è populo in horreis suis separabat, ut cùm iret in Templum, in Urbe Ierusalem eas comederet, & in vestibulo Templi Sacerdotes, & Levitas ad convivium invitaret (*Deuter. c. 12. vers. 12.*

» & 18. & c. 14. V. 23.) Quartò. Erant & aliæ Decimæ, » quas pauperibus recondere solebant, (*Deut. c. 26. V. 12.*) Ex his primum genus Decimarum adhuc hodie est in usu, translatum in Clericos nostros, auctoritate SS. Canonum : secundum est sublatum, sed in locum earum successit quarta Episcopalis, pendenda Episcopo, *Abb. hìc nu. 3.* de qua supra actum. Tertium genus Decimarum est etiam abolitum, nisi quòd in locum illarum successerint Oblationes, quas Laici hodie faciunt Clericis. Sed & quartum genus Decimarum antiquatum est, earùmque vicem nunc supplent eleemosynæ, quæ dantur pauperibus, ut notat *Abb. hìc num. 2. not. 3.* Quæ autem in *cit. c. 1. §. At verò; h. t.* adduntur de Primitijs, infra propenentur.

LXXIX. Porro adhuc hodie in certis casibus integræ Decimæ Episcopo sunt solvendæ, ratione Parochiarum suæ Diœcesis. Primò. si sit immediatus Pastor, seu Curatus alicujus Ecclesiæ Parochialis, quam per Vicarium saltem administrat, sive illa sit Ecclesia Cathedralis, sive alia, tunc enim ad illum etiam pertinent Decimæ, quæ Parochis debentur. Secundò. Si prædia quædam intra Diœcesin suam sita, nulli Parochiæ in particulari sint assignata, tum Decimæ ex ijs ad mensam Episcopalem spectant, juxta *c. Quoniam; 13. in fine h. t.* & notat *ibid. Abb. nu. 2. Suar. Lib. 1. de Decimis; c. 24. n. 9.* Tertiò, si adhuc hodie sit aliqua Diœcesis, quæ in Parochias non sit divisa : sed omnis cura animarum ad Episcopum spectet, tunc enim etiam omnes Decimæ de jure ad eundem pertinebunt, ita tamen, ut Capellanis, seu Vicarijs, per quos curam administrat, necessariam, & congruentem sustentationem præbere debeat, sicut Parochi solent, *Abb. in cit. c. Cùm contingat; num. 7. h. t. Suar. Lib. 1. c. 29. n. 1. Laym. Lib. 4. tr. 6. c. 4. n. 6. Barbos. de offic. Paroch. c. 28. §. 2. n. 14. & 15.*

LXXX. Assertio 2. Spectato Jure communi Canonico, Parochis, sive Rectoribus Ecclesiarum Parochialium Decimæ ex fructibus prædiorum, quæ intra fines cujusque sita sunt, integræ solvendæ sunt, ut constat ex *c. Cùm contingat; 29. h. t.* ubi dicitur, *Quòd perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat*. Idémque habetur in *c. Cùm in tua; 30. in fine eod.* Quare Parochus loci intentionem pro se fundatam habet, nisi is, qui fructus prædiales percipit, videlicet dominus prædij, aut colonus, specialis jure privilegij, aut consuetudinis præscriptæ, se immunem ab ijs solvendis, probaverit, uti sumitur ex *c. Anobis, 24. in fine h. t.* & docet *ibid. Abb. nu. 2.* Quin imò Parochus habet etiam fundatam intentionem, de jure communi, contra quemlibet possessorem juris decimandi, etiam Episcopum, ita ut non teneatur probare, illud ad se pertinere, sed contrarium asserenti, incumbit onus probandi; cùm Jus commune illi resistat, & assistat Parocho, ut cùm *S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. in corp.* docet *Silv. V. Decima; n. 14. Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. nu. 7. Laym. cit. c. 4. nu. 3. Barbos. de offic. Par. c. 28. §. 2. num. 7. 8. & 9.* Ratio est; quia Decimæ, ex primæva sua institutione, pendendæ sunt Ministris Ecclesiæ, qui populo præbent Sacramenta, vel alia spiritualia : ministrantibus enim spiritualia, debentur temporalia, secundùm S. Thom. *c. l.* imò etiam ipsum Apostolum *1. ad Cor. 9.* Atqui Parochis præcipuè cura, & onus spiritualis Ministerij incumbit, ad quod ex officio, & peculiari titulo tenentur, ergo illis vel maximè debentur Decimæ, & quidem etiam ex justitia, ut docet *Suar. cit. c. 29. n. 2.*

LXXXI. Assertio 3. Non solùm Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Capitulis, eorúmq; Membris, ut sunt Præpositi, Decani, Canonici debétur Decimæ Ecclesiæ suæ, secundùm illas portiones, quæ eorum Mensis, Dignitatibus, aut Beneficijs sunt applicatæ, sive quæ ex Decimis Ecclesiasticis legitimè sunt fundata, ut de Canonicis patet ex *c. Ex parte; 21. h. t.* Ubi Papa mandat, ut Canonicis, qui apud ipsum conquesti erant, de omnibus prædiorum fructibus, Decimæ sine diminutione persolvantur : Verùm etiam omnibus alijs Clericis, qui titulo cujuscúnque Beneficij Ecclesiastici propriè dicti, fructus Decimarum, vel aliquam eorum partem percipiunt, Decimæ sunt solvendæ, ut docet *Suar. cit. c. 29. num. 3.* Ratio est; quia hi omnes, proprio jure spirituali, ad se pertinente, Decimas percipiunt : postquam enim auctoritate Ecclesiæ reditus uniuscujúsq; Parochiæ in plura Beneficia sunt divisi, unicuíque Beneficiato, per se, ac directè competit jus ad portionem Decimarum suo Beneficio correspondentem, & assignatam in prima Beneficij fundatione, pro sustentatione ipsorum, ac proinde verè, & propriè cuíque debentur illæ Decimæ, cùm & illi ad spiritualia populo administranda sint obligati. Aliud verò dicendum est, de Clericis simplicibus, qui nullum Ecclesiasticum Beneficium habent, nec ministrant, sive inserviunt populo in spiritualibus, ex obligatione alicujus officij spiritualis, ideóque proprium jus ad Decimas percipiendas non habent, neque enim hæ illis debentur ex vi solius Clericalis Ordinis, seu Characteris, per quem solùm capaces fiunt juris percipiendi Decimas, si illud ipsis aliquo titulo legitimo conferatur. Quòd si inserviant in spiritualibus alicui populo, ex pacto cum illis inito, tum illis vi pacti tantùm debetur necessaria sustentatio, seu stipendium, sive illud detur ex Decimis : sive ex alijs bonis Ecclesiasticis, vel sæcularibus : adeóque si ex Decimis detur, id est, velut per accidens, sic enim etiam laicis Decimæ conferri possunt, ut ex infrà dicendis patebit, *Suar. cit. c. 29. n. 6.*

LXXXII. Extenditur autem tradita assertio, quòd Decimæ debeantur prædictis Clericis beneficiatis, qui ex officio ministrant in spiritualibus populo, etiamsi ipsi sint divites; quia nemo militat suis stipendijs, & debentur illis Decimæ, ratione ministerij spiritualis, quod præstant, sicut creditori diviti debitum nihilominus est solvendum; nemo enim suo jure privandus est, propter divitias, quæ peraccidens se habent, neque tollunt fundamentum obligationis, non enim dantur Clerico Decimæ, quia pauper est : sed quia ex officio ministrat in spiritualibus, *Covarruv. Lib. 1. resol. c. 17. n. 4. Suar. cit. loc. n. 5.* Idémque dicendum, si Clerici beneficiati sint malæ vitæ, nihilominus enim Decimæ ijs solvendæ sunt; non enim dantur propter probitatem vitę, sed propter servitium spirituale, quod si præstent, ut debent, propter malitiam eorum non liberantur, qui alioqui ad Decimas tenentur, ab obligatione illas solvendi, *Abb. in c. Tua; 26. n. 1. h. t. Suar. c. l.*

LXXXIII. Ex dictis infertur, Religiosos, ex

vi ſtatûs ſui, non habere proprium jus percipiendi Decimas, neque ipſis jure communi illas deberi; quia ex vi Statûs Religioſi, non conſtituuntur Miniſtri Eccleſiæ, nec obligantur ſervire perpetuò in ſpiritualibus, ut patet ex *c. Alia* 3 6. *c. Pervenit* 3 8. *& c. ſeq. cauſ.* 16. *qu.* 1. ideóque nec populus obligatur ex juſtitia, ad Religioſos ſuſtentandos, ſed ſolùm ex gratitudine, charitate, ſeu miſericordia, aut religione poteſt populus illos alere, & ad id tenetur, ſi aliunde ſuſtentationem non habeant, ita tamen, ut jus, quod habent Parochi, & Eccleſiarum Miniſtri ad percipiendas Decimas, integrum ijſdem permaneat, quippe qui ex officio ad ſerviendum populo in ſpiritualibus ſunt obligati, *Suar. cit. c. 29. num. 7, & 8.* & alij Dd. communiter.

Cæterùm hoc procedit de jure communi, & ordinario: interdum tamen etiam Religioſis conferri poſſunt Decimæ, veluti primò. Si illis conferantur per modum eleemoſynæ, tanquam pauperibus, ut patet ex *c. ult. cauſ.* 16. *q.* 1 & notat *S. Thom. cit. q.* 87. *artic.* 3. ad 3. tunc autem non confertur illis jus Decimarum, ſed tantùm fructuum, idque non ex titulo juſtitiæ, ſed ſolùm ex charitate. Secundò. Poſſunt Decimæ conferri, ac deberi Religioſis, ratione Beneficij Eccleſiaſtici ipſis conceſſi, cui annexa eſt cura animarum, vel onus miniſtrandi populo in ſpiritualibus, quod in ſe ſuſcipit Religio, vel Religioſus, ut ſi Eccleſia, vel Beneficium Parochiale, aut etiam ſimplex uniatur alicui Monaſterio, vel conferatur alicui particulari Religioſo Clerico, adeóque capaci juris Decimarum, cum onere alicujus ſpiritualis miniſterij. Tertiò, ſi Decimæ conferantur Religioſis ex ſpeciali privilegio, de quo ſupra.

LXXXIV. Aſſertio 4. Perſonales Decimæ, ſpectato Jure communi (ubi adhuc pendi ſolent) debentur illi Parochiæ, in qua aliquis Sacramenta percipit, & Divina Officia audit. At verò prædiales Decimæ ordinariè debentur Parochiæ, intra cujus fines ipſa prædia ſita ſunt, niſi alicubi alia ſit diuturna conſuetudo, quæ in hac re obſervanda eſt. Ita docet *S. Thom. cit. q.* 87. *art.* 3. *ad* 2. *Silveſt. V. Decima; n.* 14. & Canoniſtæ omnes apud *Suar. Lib.* 1. *de Relig. c.* 21. *n.* 1. Prima pars de Decimis perſonalibus habetur in *c. De Decimis* 3 45. & *c. Queſti* 3 46. & *c. Statuimus* 3 55. & *c. ſeq. cauſ.* 16. *q.* 1. & *c. ult. de Paroch.* & in *c. Apoſtolicæ* 3 20. *h. t.* ubi dicitur, *æquum eſt, ut illi Eccleſiæ Decimæ perſonales reddantur ab eis, in qua Eccleſiaſtica percipiunt Sacramenta,* & ibi *Gl. V. Perſonales*; Ratio eſt; quia Decimæ perſonales non ſunt onus reale: ſed merè perſonale, ergò à perſona debentur illi Eccleſiæ, vel Rectori ejuſdem, qui Sacramenta, & alia ſpiritualia miniſtrat, & à quo aliquis illa accipit, cùm Decimæ dentur in ſuſtentationem illorum, qui ex officio ſpiritualia miniſtrant. Et hinc ſi quis, mutato domicilio, in aliam Parochiam migret, licèt bona habeat in alia, Decimas perſonales ſolvere debet illi Parochiæ, in qua habet domicilium; quia ibi tenetur recipere Sacramenta, & audire Divina. Si verò non mutet domicilium, licèt extra ſuam Parochiam laboret, negotietur, aut lucretur, etiam per magnam anni partem: nihilominus tamen Decimas perſonales ſolvere debet illi Eccleſiæ, in qua habet domicilium; quia ibi per ſe de jure percipere debet Sacramenta, & audire Divina, licèt per accidens ratione abſentiæ, & peregrinationis, alibi illa percipiat, & audiat. Quòd ſi in duabus Parochijs domicilium habeat, tunc, ſi unum ſit principale, alterum verò ſolùm acceſſorium, priori Parochiæ ſolvendæ ſunt Decimæ perſonales: ſi verò æquè principaliter habitet in utraque Parochia, eæ dividendæ ſunt inter illas, *Suar. cit. c.* 21. *n.* 2.

LXXXV. Secunda pars, quòd Decimæ prædiales ſint illi Parochiæ, intra cujus fines ſita ſunt prædia, etiamſi in alia Parochia, is, ad quem prædia illa pertinent, & ex quibus fructus percipit, domicilium habeat, & Sacramenta aliáque Divina percipiat, etſi id non ſit clarè in Jure Canonico expreſſum, & decitum, ut conſtat ex *c. Cùm ſint* 3 18. *h. t.* tamen ſatis colligitur ex *c. Cùm contingat* 3 29. & *c. ſeq. h. t.* Et ratio eſt, quia cùm Decimæ prædiales ſint onera realia, quæ ipſis prædijs frugiferis inhærent, ideo non eſt attendendum, num poſſeſſor, aut colonus prædij, ſeu fundi ſit ſubditus Eccleſiæ, aut Parochianus: ſed num res, ſeu prædium intra Parochiam ſit ſitum: ſicut ergo Decimæ perſonales debentur Eccleſiæ Parochiali, ad quam ſpectant ipſæ perſonæ: ita prædiales Decimæ debentur Parochiæ, intra quam prædia ſunt ſita; quia ſunt onera realia cohærentia ipſis rebus, ſeu prædijs, quæ cùm hoc onere tranſeunt ad quemlibet poſſeſſorem rei, ſive ſit ſubditus, & Parochianus ejuſdem Eccleſiæ, ſive alterius, *Gl. in cit. c. Ad Apoſtolicæ; V. Conſuetudo*; *Abb. in cit. c. Ad Apoſtolicæ; V. Conſuetudo*; *Abb. in cit. c. Cùm ſint*; *h. t. nu.* 6. Idque probatur ex *cit. c. Cùm ſint*, 18. *h. t.* nam cùm quæſitum » fuiſſet ex Alexandro III. Si Parochiani unius Eccle- » ſiæ in illa habitent, & Sacramenta percipiant, in » alia verò Parochia prædia excolant, cui Eccleſiæ ex » ijs prædijs Decimas ſolvere debeant, an illi, in » qua Divina audiunt, & alia Eccleſiaſtica percipiunt Sacramenta, an verò illi, in qua ſita ſunt præ- » dia? Reſpondet Papa, quia non eſt facile, ſuper » hoc, certum reſponſum dare, cùm SS. Patrum au- » ctoritates de hac re diverſæ extent (non tamen ad- » verſæ, *Gl. hic V. Diverſæ*;) ideo in hoc dubio ad » conſuetudinem recurrendum, num duæ Parochiæ » in uno, an verò in diverſis Epiſcopatibus ſint con- » ſtitutæ, quia nimis difficile videtur, ut una Eccleſia » ex alterius Epiſcopatu Decimas recipiat; quia per » id Epiſcopatuum, ſeu Diœceſium fines non immè- » ritò confundi videntur.

Atque hinc patet ratio deciſionis hujus c. quia ſicut inconveniens eſt, ut Decimæ prædiales Eccleſiæ alterius Diœceſis ſolvantur; quia inde ſequitur Diœceſium confuſio, ut dicitur in fine hujus cap. ita etiam minùs conveniens erit, ſi Decimæ ex agris ſitis in una Parochia alteri Parochiæ pendantur; quia inde etiam ſequitur, ut jura Parochiarum confundantur, & cum perſonis, quæ frequentiſſimè domicilia, & Parochias mutant, ab una Eccleſia ad aliam transferantur: cum tamen ſicut Diœceſibus, ita etiam, poſt diviſionem Parochiarum, ſingulis ſint certi fines, ac termini deſignati, & jura propria, ac diſtincta habeant, quæ confundi non debent, nec transferri ab una Eccleſia ad aliam, ſed quoad fieri poteſt, firma, & immutabilia permanere, ut ſtatuitur in *c. cauſ.* 13. *q.* 1. & *c. Si quis Laicus*; 42. *& 2. ſeqq. cauſ.* 16. *qu.* 1. *Suar. cit. c.* 21. *num.* 4. *& 5.*

LXXXVI. Tertia pars, quòd in ſolutione Decimarum, præſertim prædialium, cui Eccleſiæ

ſint

sint solvendæ, spectanda sit consuetudo legitimè præscripta sumitur ex *eod. c. Cum sint*; 18. *h. t.* ibi: *Et ideo in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum, arg. c. Cum dilectus*, 8. ubi dicitur, quòd consuetudo approbata sit optima Legum interpres, & *l. Si de interpretatione*; 37. *& l. seq. ff. de Legib.* ubi dicitur, in ambiguitatibus, quæ ex Legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò judicatarum auctoritatem vim Legis obtinere debere.

Idem habetur in *c. Ad Apostolicæ*; 20. *h. t.* nam » Lucius III. intellexit, quòd consuetudo invaluit in » Hungaria, ut si quando accidat, ut populus colo- » niam ducat, & ex Parochia, seu Diœcesi unius E- » piscopi migret in aliam Diœcesin, in eáque per » multa etiam tempora moram trahat: uterque ta- » men Episcopus, tam is, cujus Parochiam, seu Diœ- » cesin reliquerunt, quàm is, cujus Parochiani, seu » Diœcesani facti sunt, Decimas ab ipsis exigant. » Unde dubitatum fuit, utri ex duobus his Episco- » pis Decimæ sint solvendæ? Respondet Pontifex, » æquum esse, ut Decimæ personales illi Ecclesiæ » solvantur, in qua homines illi Ecclesiastica Sacra- » menta percipiunt. At verò quoad prædiales Deci- » mas, videlicet messium, & ex fructibus arborum, » si in una Parochia hortos, & prædia colant: in » alia verò Parochia (sive ejusdem, sive alterius Diœ- » cesis) habitent, optimum esse, consuetudinem loci » diuturnam observare, quæ quidem in diversis Re- » gionibus est diversa. Consentit *c. In aliquibus*; 32. §. *Illæ h. t.* Ratio decisionis est, quia consuetudo habet vim derogandi juri positivo ordinario, si sit legitimè præscripta, per quam mutari solent jura, ac dominia, *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 22. *n.* 1. de quo plura infra.

Porro talem consuetudinem, secundùm quam Decimæ prædiales, non Parochiæ, in cujus territorio prædia sita sunt: sed illi Parochiæ, in qua Coloni Sacramenta percipiunt, & Divina audiunt, vigere in Episcopatu Civitatensi, testatur, & approbat *Gutierrez Lib.* 1. *pract. qq. q.* 17. quamvis contrarium in plerisque Regionibus usu observetur, ut Decimæ prædiales semper pendantur illi Parochiæ, intra cujus fines prædia sita sunt.

LXXXVII. Ex dictis colligitur, tametsi Decimæ pertinentes ad Parochiam unius, non debeant ordinariè applicari Parochiæ, vel Ecclesiæ alterius Diœcesis; quia tales uniones, seu applicationes sunt difficiles, & odiosæ, ut patet ex *c. Cum sint*; 18. *in fine h. t.* per quas Decimæ, aliique proventus Ecclesiastici extra Diœcesin extrahuntur, & magnum præjudicium Episcopatui, ad quem pertinebant, ejúsque Ecclesijs infertur, ideóque fieri non debet, ut patet ex Concilio Tridentino *Sess.* 14. *c.* 9. *de reform.* nisi raró, & ex gravi causa: absolutè tamen loquendo, fieri possunt, vel per consuetudinem legitimè præscriptam, ut tradit *Gl. in cit. c. Cum sint*; *V. Difficilè*; vel per privilegium, seu dispensationem S. Pontificis, si ita necessarium, vel expediens sit ad bonum universalis Ecclesiæ, *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 23. *n.* 3.

LXXXVIII. Assertio 5. Decimæ mixtæ, quæ ex fructibus, & fœtibus pecorum penduntur, ubi illæ in usu sunt, solvendæ sunt Ecclesiæ Parochiali, intra cujus terminos pecora pascuntur, ita, ut si diversis anni temporibus in diversis Parochijs pascantur, Decimæ inter Parochias sint dividendæ, & cuique Ecclesiæ pars fructuum sit præstanda, sive dimidia, sive tertia, sive quarta pro rata, seu proportione temporis, quo pascua habuerunt in hac, vel illa Parochia, nisi consuetudo aliud obtineat, ut tradit *Gl. Communiter recepta*; *in cit. c. Ad Apostolicæ*; *V. Personales*; *h. t. S. Thom. cit. q.* 87. *art.* 3. *ad* 2. *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 21. *n.* 7. *&* 8. & alij communiter. Ratio est, quia mixtę Decimæ magis prædiales esse censentur, quàm personales, & sub illis simpliciter comprehenduntur, ut docet *Gl. cit.* & dictum supra *n.* 4. ideóque prædialium naturam, & conditionem sequuntur. Idque confirmatur, quia Decimæ ex pascuis debentur Ecclesiæ, in qua pascua sunt sita, *arg. c. Commissum*; 4. *h. t.* ergo quando pecora pascuntur ex prædijs alicujus Ecclesiæ, illi solvendæ sunt Decimæ ex fructibus pecorum.

LXXXIX. Ubi notandum præterea 1. Quando greges armentorum ab uno loco aguntur in alium distantem, ut ibi per hyemem v. g. pascantur, nullæ Decimæ pendi debent Ecclesijs locorum, per quæ transeunt, & in itinere pascuntur; quia talia pascua, respectu singularum Parochiarum sunt parvi momenti: & moraliter fieri non potest, ut Decimæ æqualiter dividantur inter omnes illas Ecclesias cum proportione: Tum quia peregrinantes non tenentur solvere Decimas personales Parochijs, per quas transeunt: sed solùm ubi domicilium habent, vel quasi domicilium, ubi per majorem anni partem habitant, si nullum fixum domicilium habeant, *Navarr. Lib.* 3. *consil.* 1. *n.* 3. *h. t. Suar. cit. c* 21. *num.* 9. Secundò, si greges pecorum in prædijs unius Parochiæ pascantur, in alia verò Parochia jaceant, sive accubent, & ovile habeant, tunc dividendæ sunt Decimæ inter utramque Parochiam, ut docet *Gl. in cit. c. Ad Apostolicæ*; *V. Personales in fine*, *Suar. cit. c.* 21. *nu.* 10. Licèt *S. Thom. c. l.* dicat, magis deberi Decimas Ecclesiæ, in qua grex pascitur: quàm illi, in cujus territorio Ovile locatur. Tertiò. Si oves, vel alia pecora, neque pascantur, neque morentur per ullam partem anni in Ecclesia Parochiali Domini sui, tunc huic Parochiæ nulla pars Decimarum debetur: sed eæ dividendæ sunt inter Parochias, in quibus pascuntur, vel morantur, *Suar. c. l. nu.* 11. Licèt *Navarr. c. l. nu.* 10. putet, ex ijs solvendam esse, saltem partem quartam Parochiæ Domini; quia existimat has Decimas ex parte esse personales.

XC. Assertio 6. Non solùm Decimæ personales, spectato Jure communi, solvendæ sunt Ecclesiæ Parochiali, in qua Parochiani adulti Sacramenta suscipere, & officia Divina audire debent, etiamsi alia sit Ecclesia Baptismalis, ad quam tanquam matricem, & primariam baptizandi deferri debent: sed etiam Decimæ prædiales solvendæ sunt Ecclesiæ Parochiali, etsi Baptismalis non sit, si illa proprium territorium, certis limitibus, seu terminis, Episcopi auctoritate constitutum, & ab Ecclesia matrice distinctum habeat. Priorem partem de Decimis personalibus tradit *Abb. in c. Cum contingat*; 29. *n.* 6. *h. Suar. Lib.* 1. *c.* 24. *n.* 3. *Laym. Lib.* 4. *tr.* 6. *c.* 4. *n.* 3. Ratio est; tum quia Jure communi debentur hæ Decimæ Ecclesiæ Parochiali, in qua fideles Sacramenta percipiunt, & Divina audiunt, ut supra probatum. At Ecclesia Parochialis verè, & absolutè est Parochialis, etiamsi in illa Baptismus non conferatur: Tum quia;

si quis alibi baptizatus mutet domicilium, debet Decimas personales pendere illi Parochiæ, in qua domicilium fixit, ergo hæ debentur Ecclesiæ Parochiali, & non illi, in qua aliquis baptizatus est. Porro quamvis *Abb. c. l.* putet, quòd aliqua pars Decimarum personalium sit danda Ecclesiæ Baptismali, propter collatum in illa Sacramentum Baptismi, & in recognitionem subjectionis erga Ecclesiam Matricem, in qua homo spiritualiter regeneratur: veruntamen hæc recognitio alijs modis fieri potest, ideóque nulla est obligatio solvendi illi partem Decimarum, nisi consuetudine fuerit receptum; *Suar. c. l.*

XCI. Posteriorem partem de Decimis prædialibus tradunt Auctores allegati, *Abb. c. l. n. 8. Suar. cit. c. 24. num. 4. Laym. c. l. Barbos. cit. c. 28. §. 2. num. 16.* Ratio est; quia de jure communi Decimæ etiam prædiales spectant ad Ecclesiam Parochialem, *c. ult. de Paroch. cit. c. Cùm contingat. & c. seq. h. t. c. 2. de restit. spol. in 6.* At talis Ecclesia est per se, & simpliciter loquendo, Parochialis, habens proprium Curatum, qui jus habet Sacramenta ministrandi, ergo illi debentur Decimæ. Non obstat, quòd interdum in SS. Canonibus dicatur, Decimas esse solvendas Ecclesiæ Baptismali, *c. Decimis*; 45. & *c. Statuimus*; 55. *caus. 16. qu. 1.* Nam cùm regulariter, & plerumque in eadem Ecclesia Baptismus, & reliqua Sacramenta suscipiantur, adeóque eadem sit Ecclesia Baptismalis, & Parochialis, ut constat ex *c. In Sacris*; 56. *cit. caus. & q.* Ideo in Jure Canonico Ecclesiæ, quibus Decimæ debentur, modò Baptismales, modò Parochiales appellantur. Vel certè loquuntur illa jura de illis Ecclesijs Baptismalibus, in quarum territorio prædia sunt sita, *Suar. c. l. n. 4.* Neque etiam obstat, quòd antiquæ Ecclesiæ non debeant privari suis Decimis, propter novarum ædificationem, *c. Ecclesiæ*; 43. & *c. Quicúnque*; 44. *cit. caus. 16. q. 1.* Ecclesia verò Baptismalis, sive Matrix, ordinariè solet esse antiquior Ecclesiâ Parochiali. Nam hoc verum est, quando per novæ Ecclesiæ ædificationem Parochia antiqua non dividitur: secus est, si publicâ auctoritate Episcopi, ex necessaria, aut rationabili causa, nova Parochia erigatur, & prædia, ex quibus priùs Decimæ debebantur Ecclesiæ antiquæ, eâdem auctoritate, Parochiæ de novo erectæ assignentur, ita, ut unâ cum onere Sacramenta ministrandi, etiam commodum percipiendi Decimas in Ecclesiarum divisione, in novam Parochiam translatum sit, qualem divisionem, & translationem propter necessitatem, v. g. distantiam loci, Episcopus facere potest, juxta *c. Ad Audientiam*; 3. *de Eccles. ædific.* & Concil. Trident. *Sess. 22. c. 4. de reform.* Idque in dubio semper præsumendum est, nempe, quòd hujusmodi translatio ad novam Ecclesiam Parochialem ex justa causa, ac legitimo modo facta sit, nisi oppositum probetur, *Abb. in cit. c. Cùm contingat*; *n. 8. Suar. cit. c. 24. n. 5. & 6.* Et hoc procedit, etiam si Ecclesia Baptismalis sit Cathedralis, vel cujuscúnque dignitatis, semper enim in dubio præsumitur in favorem Ecclesiæ Parochialis, *Suar. c. l. n. 8.*

XCII. Limitatur autem, nisi aliunde constet, speciali Jure Decimas ad Ecclesiam Baptismalem, vel antiquam Parochiam pertinere, vel illi reservatas esse: veluti primò. Si transactio, aut compositio, cum approbatione Episcopi, facta sit, in erectione novæ Parochiæ inter illam, & Baptismalem, sive Ecclesiam antiquam, ita, ut ex vi illius, Decimæ remanere debeant penes Ecclesiam antiquam, & novæ Parochiali aliter sit provisum, de quo ex Litteris erectionis constare poterit. Secùndò. Si Ecclesia Baptismalis, & antiqua simul sit Matrix, ita ut Ecclesia nova, non sit per se curata, & separata à Baptismali, nec erecta in Titulum distinctæ Parochiæ, aut Vicariæ perpetuæ, sed tanquam Filialis, seu Capella annexa, & subjecta sit Ecclesiæ Matrici: tunc enim omnes Decimæ ad Matricem Ecclesiam tanquam propriam Parochiam pertinent, & Rector ejusdem ex ijs justum stipendium Capellano, ac veluti Cooperatori suo solvere debet, qui loco illius Capellam illam administrat, & curam ejus gerit. Tertiò. Si ex antiqua consuetudine constet, ab initio Ecclesiam inferiorem hac conditione, & modo esse erectam, *Suar. cit. c. 24. n. 7.*

§. II.

De tempore, & loco, quo pendendæ sunt Decimæ.

XCIII. Assertiò 1. Decimæ prædiales, postquam fructus à solo separati sunt, & collecti, statim solvi debent, ut constat ex *c. Cùm homines*; 7. *quæst. Gl. V. Fructibus collectis*; *h. t. & ibid. Abb. n. 3. Azor p. 1. Lib. 7. c. 24. qu. 16. Suar. Lib. 1. c. 37. n. 1. &* &. alij Dd. communiter. Idque sumitur ex *cap. 22. Exodi*, ubi dicitur: *Decimas tuas, & Primitias tuas, non tardabis reddere.* Ratio est, quia quisque tenetur, quàm primùm commodè potest, Altari reddere, quod suum est, vel ipsi ex justitia debitum, quando jam tempus, quod debetur, advenit. Neque verò requiritur, ad debitorem in mora constituendum, ut Parochus moneat Parochianum suum, ut Decimas solvat, vel ut illas ab eodem exigat; quia tenetur in conscientia illas solvere, etiam non requisitus, alioquin peccat, si sine justa causa solutionem notabiliter differat; nam ipse dies, sive tempus solutionis pro creditore interpellat: præsertim cùm fructus realiter obligati sint ad Decimas, ex juris dispositione, *Abb. in c. Pervenit*; *n. 3. h. t. Suar. cit. c. 37. n. 2.* quâvis opus sit, ut præcedat monitio, ad hoc, ut censura propter contumaciam ei, qui est in mora, inferri possit, ut ex communi docet *Azor cit. c. 24. q. 17.* & constat ex *cit. c. Pervenit*; ubi præcipitur Prælatis Ecclesiasticis, ut Parochianos moneant, (si in mora sint, aut negligentia) & si in obedientes sint, per censuram excommunicationis compellant, ut Decimas Ecclesijs, quibus debentur, integrè persolvant. Consentit Concil. Trident. *Sess. 25. c. 12. de reform.* non possunt autem excommunicari, nisi post trinam monitionem canonicam, juxta *c. Omnes*; 5. *caus. 16. q. 7.*

Præterea Decimæ personales, ubi illæ adhuc in usu sunt, commodissimè solvuntur sub finem cujuslibet anni, sicut alij census, & tributa tum solvi solent: quia si ex singulis operis statim Decimæ solverentur, id incommodum foret, tum ipsi debitori, tum Ecclesiæ; cùm particularis solutio multa incommoda soleat afferre, *l. 3. ff. fam. herciscund. Abb. in cit. c. Pervenit*; *n. 3. Suar. cit. c. 37. n. 3.* quamvis in hoc standum sit consuetudini, cùm nihil de eo jure sit præscriptum.

Denique Decimæ mixtæ, quæ ex fructibus ani-

mo-

malium percipiuntur, quædam rectiùs solvuntur, quàm primùm sunt percepti, ut lana ovium, cùm sunt tonsæ: quædam non statim, ut fœtus animalium, sed paulò post partum, quando sine matre commodè vivere possunt: item fructus ex lacte, ut caseì, butyri &c. qui cùm tractu temporis colligantur, in fine illius temporis solvendi sunt cum proportione: qua in re tamen potissimùm spectanda est consuetudo cujusque loci, vel tacita, vel expressa conventio cum ijs, quibus Decimæ debentur, *Suar. c. l. n. 6.*

XCIV. Assertio 2, Ad locum quod attinet, spectato Jure communi, Dominus prædij, vel Colonus, nõ tenetur suis expensis Decimas deferre ad horreum Ecclesiæ, vel Parochi; cùm id nullo Jure probari possit, sed satis est, si Parochum moneat, ut Decimas à solo separatas, aut collectas curet avehi: quod si facere omittat, & damnum aliquod inde patiatur, ipse id ferre, & sibi imputare debet, *Suar. cit. c. 37. n. 7. Laym. Lib. 4. tr. 6. c. 5. n. 2.* Ratio est, quia Ecclesia, quoad Decimas, habet se, sicut usufructuarius, sive pensionarius, cui pensio fructuum solvi debet, ubi res frugifera est sita. In qua re tamen cujúsque loci consuetudo est servanda, *Suar. cit. c. 37. in fine.* Verùntamen non possunt domini, vel coloni prædiorum fructus in horrea sua condere, nisi priùs Parochos certiores faciant, ut ipsi, vel eorum procuratores fructuum collectioni, & decimationi præsentes assistant, ne ulla fraus committi possit in Ecclesię præjudicium. *Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. nu. 8. §. Ex his colligi, Suar. cit. c. 37. n. 8.*

XCV. Notandum hìc præterea Primò. Si dominus prædij, vel colonus ad Decimas obligatus, sit inculpabili morâ solvendi, & ob illam Decimæ fuerint ablatæ, vel perierint, aut damnum sint passæ, tenetur is Parocho ad præstandam satisfactionem, & reparandum damnum illatum, juxta *l. Cùm res*; 47. *§ ult. ff. de legat. 1.* & sumitur etiam ex *c. Cùm homines*; 7. *h. t.* ubi in fine dicitur: *atque de subtractis, & retentis dignam satisfactionem præstent.* Nisi tamen res, sive Decimæ eodem modo fuissent perituræ apud creditorem Parochum, ut notant Dd. *ibid.* Ratio est; quia cùm Decimæ ex justitia debeantur Parocho, ideo si debitor sit in culpabili mora solvendi, injustitia committitur contra Parochum, & damnum ratione illius moræ illatum resarciri debet Parocho, *Suar. Lib. 1. c. 37. n. 20.* Quòd si dominus, vel colonus paratus sit, solvere Decimas Parocho, vel eum monuit, ut eas reciperet, isque sine justa causa eas recipere recusavit, vel neglexit: tunc periculum, & interitus rei, si nulla culpa debitoris Parochiani intervenit, ad ipsum Parochum spectat, ipsiúsque damno res perit, juxta *l. Qui decem*; 72. *in princ. ff. de solut. Gl. in cit. c. Cùm homines*; *V. Fructibus collectis*; *h. t.* Si verò postea Parochus iterum petat Decimas, vel acceptare velit, sed Parochianus debitor eas solvere recusèt: tunc iste denuò censetur esse in culpabili mora, & periculum, ac interitus rei iterum ad ipsum pertinet, semper enim posterior mora nocet, *l. Illud*; 17. *ff. de peric. & comm. rei vendit. l. Si & per venditorem*; 51. §. *Quòd si*; *ff. de act. empt. Gl. in cit. c. Cùm homines*; *V. Fructibus*; *Canis. tr. de Decim. c. 7. n. 2.*

XCVI. Notandum secundò. Non potest Parochus à domino prædij, vel colono per vim accipere Decimas, sive eum compellere, ut eas solvat, etiamsi is injustè easdem detineat, vel solvere recusèt: neque etiam ob illam causam potest ipsi denegare Sacramenta, vel prohibere ingressu Templi, donec Decimas solvat, ut ex communi docet *Navarr. Lib. 3. consil. 2. h. t. Suar. cit. c. 38. n. 2.* Ratio est; quia universim loquendo, non licet creditori, propriâ ac privatâ auctoritate, occupare bona debitoris sui, eúmque possessione, & usu illorum privare, ut debitum suum recuperet; id enim est contra publicam pacem Reipublicæ, quæ hoc pacto turbatur. Quare cùm Parochus non habeat jurisdictionem fori externi in Parochianos suos, necesse est, ut publicâ Episcopi auctoritate, illi ad Decimas solvendas compellantur: neque etiam potest illis denegare ideo Sacramenta, tanquam indignis, nisi delictum foret publicum, & notorium evidentiâ facti, quod non est in præsenti; cùm Parochiani possint allegare jus aliquod, vel excusationem, ob quam non teneantur solvere Decimas.

XCVII. Cæterùm circa modum solvendi Decimas extat specialis Constitutio in *Clement. Si Beneficiorum*; 2. *h. t.* ubi dicitur de Decimis Beneficiorum, quæ alicui à Papa (Prælato, Principi, » vel alteri,) simpliciter conceduntur, ad tempus » tantùm (non in perpetuum) quòd debeant solvi, » & accipi, secundùm taxationem in illis partibus » consuetam, in quibus fit concessio, & in mone- » ta communiter ibi currente. Ubi *Gl. notat V. Mo-* » *netam*; quòd hæ Decimæ beneficiales debeant solvi in pecunia, & non in ipsis rebus, & deductis expensis factis, pro fructibus colligendis, quod non est in communibus Decimis, *Gl. hìc V. Taxationem*; ubi etiam ait, quòd in multis locis nulla fiat taxatio, sed plus, vel minus singulis annis solvitur, secundùm quantitatem fructuum perceptorum. Additur in eadem *Clement. in fine*, quòd Collectores Decima- » rum non debeant Calices, libros, & alia orna- » menta Ecclesiarum ad Divina Officia deputata di- » strahere, vel quovis modo occupare. »

SECTIO V.

DE DECIMIS NOVALIVM.

§. I.

Ad quem pertineant Decimæ Novalium, spectato Iure communi?

XCVIII. Præmittendum, Novale in præsenti, & in ordine ad Decimas persolvendas, dicitur ager de novo ad cultum, seu culturam redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit, prout dicitur in *c. Quid per novale*; 21. *inf. de V. S.* requiruntur autem tria ad hoc, ut privilegium de non solvendis Decimis ex Novalibus habeat locum, ut notat *Abb. in cit. c. Quid per Novale*; *n. 1. de V. S.* Primò quòd terra, sive locus ille noviter fuerit redactus ad culturam. Secundò. Quòd locus talis ab hominum memoria non fuerit cultus, neq; inhabitatus, ut addit Ho-

Hostiens. cit. c. 21. in fine. Tertiò. Quòd Ecclesia Parochialis nullos, vel modicos solùm fructus ex tali terra priùs perceperit: nam si magnos proventus Decimarum nomine priús percepit, v. g. ex pascuis, silvis, vel domibus, quæ posteà in agrum sunt redacta, non censebitur talis terra, vel locus novale, in ordine ad privilegium solvendi Decimas: secus est, si modicos solùm proventus, seu Decimas ex tali loco Ecclesia Parochialis percepit: nam si posteà ex hujusmodi pascuis, silvis, vel domibus fiat terra culta, sive ager, tum is, qui privilegium non solvendi Decimas novalium habet, non tenebitur inde solvere Decimas Ecclesiæ Parochiali: sed integros fructus ex tali agro novali percipiet, ut colligitur ex *cit. c. quid per novale*, à contrario sensu, & tradit *Gl. ibid. V. Magnos*, & *Innocent. n. 4.*

XCIX. Præmittendum secundò. Terræ, sive prædia, quæ semel sunt novalia, semper, ac perpetuò debent censeri novalia, quoad immunitatem, de non solvendis ex illis Decimis, juxta *c. ult.* de *privileg.* ubi dicitur, terra, de qua non extat memoria, quòd aliquando culta fuerit, redacta per Religiosos viros de novo ad culturam, perpetuò debet, quoad immunitatem de non solvendis Decimis, novalium jure censeri; cùm aliàs nonnunquam contingeret privilegium novalium, plus illis dispendij, quàm utilitatis afferre, nempe propter magnas expensas, quas privilegiati fecerunt in reducendo terram, seu fundum infrugiferum ad culturam, *Gl. fin. ibid.* de quo plura infra. *Lib. 5. Tit. 33.* Jam ergo sit.

C. Assertio 1. Decimæ novalium, spectatò Jure communi, & seclusis privilegijs, ad Parochiam pertinent, intra cujus fines prædia de novo culta sunt sita, prout deciditur in *c. Quoniam; 13. h. t.* » Nam cùm Episcopus Brixiensis ex Alexandro III. » quæsivisset, quid de Decimis novalium suæ Diœ» cesis statuere debeat? Respondit Papa, si terræ » illæ, seu fundi de novo ad culturam redacti, in» tra certam alicujus Ecclesiæ Parochiam existant, » Decimas eorum (detractâ portione, seu quartâ » Episcopali) eidem Ecclesiæ Parochiali esse assi» gnandas, seu solvendas. Ratio est; quia Decimæ novalium sunt prædiales, sunt enim onus, non personale, sed reale, quod ipsæ terræ, seu fundi ab antiquo annexum habent, *c. Si quis; 42. caus. 16. q. 1.* & ibi: *Gl. V. Inde abstrahere*; adeòque sunt obligati ad Decimas Ecclesiæ Parochiali præstandos, intra cujus fines sunt siti, quemadmodumalia prædia, sive fundi, qui ab antiquo sunt culti, sicut etiam census, sive tributa mera realia, quæ non personis, sed ipsis rebus, seu fundis sunt imposita, solvi debent illi Civitati, in qua ager, sive fundus est situs, etiamsi ipse possessor in alia Civitate habitet, juxta *l. Firma*; 4. §. *Is verò*; *ff. de censib.* & *l. Imperatores*; 5. *ff. de public. & vectig.* Ubi dicitur, in vectigalibus, id est, tributis, ipsa prædia, non personas conveniri. Est tamen discrimen inter tributa, & Decimas; quia tributa ipsos fundos secundùm se afficiunt, tanquam inseparabile eorum onus, *cit. l. Imperatores*; onus verò solvendi Decimas per se, & immediatè non inhæret ipsi fundo: sed ipsis fructibus, ita ut ad quemcúnque possessorem fructus pervenerint, is ex illis obligetur decimam eorum partem solvere, ut notavit *Laym. Lib. 4. tr. 6. c. 2. n 5.*

CI. Assertio 2. Si novalia fiant, sive fundi de novo colantur intra Diœcesin: sed non intra fines certæ alicujus Parochiæ, tum Decimæ eorum ad Episcopum pertinent, qui eas, vel alteri Ecclesiæ deputare, seu assignare, vel ad suas necessitates, aut usus proprios retinere potest, prout statuitur in *cit. c. Quoniam*; *in fine*, ibi: *alioquin ipsas, secun» dùm discretionem à Deo tibi datam, alij Ecclesiæ de» putare, vel ad opus tuum poteris retinere, h. t. in fine.* » Ratio est; quia Episcopus est Ordinarius Pastor, ac veluti Parochus totius Diœcesis suæ, qui ubi non est proprius Parochus, providere debet, ne desit, qui Divina Officia celebret, & Sacramenta populo administret, ideòque quilibet è Diœcesi dici potest Parochianus Episcopi, *c. Parochianos*; 14. *h. t.* & *c. ult. de Sepult.* Ergo sicuti Decimæ novalium debentur Parocho, intra cujus Parochiam sunt sita: ita, quæ sunt intra Diœcesin, sed non intra certam Parochiam, Episcopo debentur, ut eas vel sibi, vel alteri Ecclesiæ applicet, prout magis expedire, judicaverit, *Abb. in cit. c. Quoniam*; *n. 2.* & alij communiter.

CII. Ubi notandum primò. Episcopus Decimas novalium potest applicare alicui Ecclesiæ intra Diœcesin suam sitæ: etiam sine consensu Capituli, & alijs juris solennitatibus, ut colligitur ex *cit. c. Quoniam.* & tradit *Abb. ibid. num. 4.* Ratio est; quia talis applicatio non est propriè dicta alienatio, cùm Jus Decimarum in fundis de novo cultis ortum, nondum fuerit Cathedralis Ecclesiæ bonis incorporatum, adeòque acquisitum. Etsi verò Prælatus non possit obesse, sive præjudicare Ecclesiæ in bonis, ac juribus acquisitis, non adhibitis solennitatibus jure requisitis: potest tamen illi obesse, & præjudicare, per se solus in bonis, ac juribus acquirendis; quia aliud est alienare, aliud non acquirere; ita tamen, ut Ecclesia, si notabiliter læsa sit, petere possit restitutionem in integrum, vel contra ipsum Prælatum agere, si Ecclesiæ negotia malè gessit, vel ejus commoda neglexit, & dictum suprà *Tit. 13.*

Notandum secundò. Si ager novalis in confinio duarum Parochiarum situs sit, tum Decimæ inter illas sunt dividendæ, pro ratione limitum, ita, ut si v. g. limites unius Parochiæ se extendant ad duas partes agri novalis, huic duæ partes Decimarum: tertia verò alteri Parochiæ debetur, *Abb. in cit. c. Quoniam*; *num. 5. Canis. tract. de Decim. cap. 11. num. 4.* Vel Episcopus, cui voluerit, poterit totas assignare.

§. II.

An privilegium de non solvendis Decimis extendatur etiam ad novalia, vel non extendatur?

CIII. Assertio 1. Probabilius est, non tantùm privilegium eximens à solvendis Decimis ex propriis prædijs, quæ laboribus, & sumptibus propriis, colun-

colliuntur: sed etiam absolutè concessum, de non solvendis Decimis ex propriis prædiis, extendendum esse ad novalia, post concessum privilegium, coli cœpta, sive etiam illa comprehendere, *Suar. Lib. 1. c. 19. n. 4. Zæsius in Comment. ad Decret. Lib. 3. Tit. 30. n. 54.* Idque colligitur ex c. *Ad audientiam*; 12. *h. t.* ibi: *si intelligeremus tantùm de novalibus &c.* ergo privilegium ibi concessum intelligitur etiam de novalibus, etsi non solis. Et ex c. *Ex parte*; 10. ibi: *cæteris verò ut de novalibus suis &c. eod.* ergo privilegium concessum aliis Religiosis ibi nominatis, ut Cistercien sibus, Templariis &c. de non solvendis Decimis laborum suorum, intelligitur datum, tam de novalibus, quàm de aliis, etsi novalia in illo non sint expressa. Item in c. *Ex parte*; 27. *h. t.* dicitur: *cui majus conceditur, etiam minus concessum videtur*: at exemptio absoluta à Decimis prædialibus est quid majus, quàm exemptio à novalibus tantùm, ergo illâ concessâ, etiam hæc concessa intelligitur. Ratio est, quia sub hoc privilegio de non solvendis Decimis ex propriis prædiis, generaliter & indefinitè concesso, secundùm propriam verborum significationem, continentur etiam Decimæ novalium; quia illa sunt etiam propria prædia, & illa negatio non solvendi est absoluta, ergo comprehendit omnia prædia etiam novalia, sive omnes Decimas, tam præsentis temporis, quàm futuri, cùm sub concessione generali, & indefinita etiam futura comprehendantur, c. *Quia circa*; 22. *de privil. in fine.* Et quamvis hoc privilegium sit odiosum, cùm cedat in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, adeóque sit restringendum, non tamen debet restringi ultra propriam verborum significationem, ita ut excludat etiam prædia propriè dicta; quia hæc non est extensio, sed comprehensio, in omni enim concessione per verba generalia & indefinita factâ, comprehenduntur omnes species, sive partes sub illa contentæ, nisi aliquid sit exceptum: *Suar. c. l. n. 5. Fagnan. in c. Cùm contingat*; 29. *n. 9. h. t.* Id verò intelligendum est, per se loquendo, nam per accidens fieri potest, ut propter enormem læsionem Ecclesiæ Parochialis, non obstante tali privilegio, solvi debeant Decimæ ex novalibus, c. *Quid per novale*; 21. *in fine de V. S.* vel congrua fieri compositio, c. *Suggestum*; 9. *h. t. Suar. c. l. n. 6.*

CIV. Assertio 2. Privilegium percipiendi Decimas ex prædiis ad aliam Ecclesiam Parochialem, vel non Parochialem pertinentibus, non extenditur ad Decimas Novalium, quæ post concessionem privilegii fiunt in tali Ecclesia, vel intra fines illius: idque procedit, sive Laicis, sive etiam Religiosis, & aliis personis Ecclesiasticis tale privilegium sit concessum, nisi illarum quoque Decimarum expressa mentio fiat. Ita docet *Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. n. 13. Gutier. Lib. 2. qq. Canonic. c. 21. n. 123. Suar. Lib. 1. c. 23. n. 5. & 6. Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 42. art. 7. Barb. in c. Ex parte*; 27. *n. 3. h. t. Zæs. c. l. n. 56.* Idque sumitur ex c. 2. *in princ. h. t. in 6.* ut infra ostendetur. Ratio est, quia licèt privilegium hoc, quoad Clericos, sit minùs odiosum, quàm quoad Laicos, qui Decimas possidere non possunt: simpliciter tamen est odiosum, quia præjudicat Ecclesiæ, vel Parochiæ, ad quam jure communi Decimæ etiam novalium spectant, ideóque est restringendum etiam respectu Clericorum, *arg. c. Cùm olim*; 6 *de consuet.* quod ita intelligendum est, si verba privilegii talia sint, ut salvâ verborum proprietate possint restringi ad priùs culta prædia, ita ut non extendantur ad novalia, tunc enim sive Clericis, sive Laicis privilegium sit concessum, illud intelligi debet de jure Decimarum, quod tunc est, seu in ordine ad prædia sive fundos, qui onere Decimarum jam sunt affecti: non autem de jure Decimarum nondum existente: aut in ordine ad fundos, qui onus Decimarum nondum sustinent, cujusmodi sunt prædia novalia, quæ postea primùm excolentur. Secus est, si verba talis privilegii, salvâ verborum proprietate, non possint restringi ad fundos priùs, & ab antiquo cultos, tunc enim vi verborum etiam novalia comprehendunt. Nisi privilegium, juxta proprietatem verborum, intellectum contineret injustitiam, vel iniquitatem, quia cederet in nimis grave detrimentum alterius, si comprehenderet etiam novalia, ut in privilegio concesso personis Ecclesiasticis, vel Laicis percipiendi Decimas alterius Parochiæ: per illud enim, si extenderetur etiam ad Decimas novalium, omnino privaretur Parochia illa jure Decimarum in toto suo territorio, & omni spe habendi commoditatem aliquam ex tota illa terra. Alia verò ratio est, de privilegio negativo, non solvendi Decimas ex propriis prædiis, sub quo comprehenduntur etiam Decimæ novalium, ut suprà dictum; tum quia hoc ex vi verborum est magis universale, propter negationem absolutam, quam includit: tum quia longè minùs grave præjudicium affert Parochiæ, sive Ecclesiæ, ad quam aliàs Decimæ spectant, quia illam solùm privat Decimis prædiorum, pertinentium ad unam personam vel Monasterium, *Suar. c. l. n. 6.*

CV. Sed obstare videtur *cap. Ex parte*; 27. *h. t.* in quo Abbas quidam Innocentio III. supplicavit, » cùm Monasterio suo indultum fuerit, ut de laboribus terræ Parochiarum suarum Decimas integrè » percipere posset, dignaretur etiam per privilegium » concedere, ut de terris, quæ intra Parochias suas » de novo rediguntur ad culturam, Decimas quoque » percipere, & exigere posset Monasterium, *prout* » *habetur in integra lectione hujus cap.* Respondit Papa, cùm dicto Monasterio, quod majus est, sit concessum, videlicet ut Decimas de laboribus terræ Parochiarum ejus integrè perciperet, consequenter » etiam de novalibus eas exigere posse; quia quando » majus conceditur, etiam quod minus est concessum » esse videtur. »

CVI. Verùm ex hac responsione Pontificis magna oritur difficultas, nam vel Parochiæ, ex quarum terris Decimæ petebantur, pertinebant ad Abbatem, vel non? Non prius, quia tunc frustra, & inutiliter Abbas impetrâsset privilegium percipiendi Decimas, quippe quæ de jure communi ad ipsum spectabant: nec ratio subjuncta, cui majus conceditur, etiam minus concessum censetur, tunc locum habere potest. Non posterius, ut patet tum ex illis verbis, *Parochiarum tuarum*, ergo hæ pertinebant ad Abbatem. Tum quia privilegium percipiendi Decimas in aliena Parochia, cùm cedat in præjudicium ejusdem, restringendum est, & non extendendum ad novalia, ut patet ex c. *Cùm tua*; 25. §. *fin. h. t. & c. 2. in princ. eod. in 6.* Neque ratio illa subjuncta, *cùm majus conceditur, etiam minus concessum videtur*, habet locum in concessionibus odiosis, & præjudicialibus, in quibus etiam ob majoritatem rationis, non debet fieri extensio ad casum non expressum, ut colligitur

ex *c. Cui* 3 27. *de præb. in 6. & ex communi docet Sanch. l. 8. de matr. dis.* 1. *n.* 32. *Barb. de offic. Epis. alleg.* 33. *n.* 13. Ubi ait, quòd in privilegiis particularibus & dispositionibus odiosis argumentum à majore ad minus affirmativè non valet. Itaque rectiùs respondetur cum *Suar. Lib.* 1. *c.* 23. *n.* 6. *& 7. Barb. in Collect. in cit. c. Ex parte* 3 27. *n.* 3. *& 6. & aliis supr. citt.* non agi ibi de privilegio percipiendi Decimas ex alienis Parochiis, adeóque de privilegio contrario juri communi: sed de ordinario jure Parochiali, eò quòd ab antiquo Parochiæ illæ pertinuerint ad Abbatem,& Monasterium, cui erant incorporatæ: sed earum Decimas, prætextu cujusdam consuetudinis, Episcopus alteri cuidam Canonico concessit, & assignavit, ut patet *ex integra hujus cap. lectione apud Rebuff.* Deinde verò Abbas à Sede Apostolica impetravit, ut antiquum jus Decimarum in Parochiis illis sibi & Monasterio restitueretur: postea verò etiam petiit, ut declararet Pontifex,in illa speciali concessione,etiam jus percipiendi Decimas ex novalibus sibi,& Monasterio restitutum esse: Ad hoc Respondit Pontifex, frustra hoc peti, eò quòd Decimæ Novalium jure communi ad ipsum Abbatem,ac Monasterium pertinebant:imò nunquam ablatæ fuerunt, quandoquidem in illa speciali concessione ab Episcopo alteri facta,percipiendi Decimas in alienis Parochiis, Decimæ Novalium non fuerunt comprehensæ; cùm enim talis concessio cedat in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, cui de jure communi competit jus Decimarum, ideo non comprehenduntur in illa Decimæ Novalium. Quare cùm Abbati concessum fuerit, quod majus est, vel potiùs restitutum, videlicet jus percipiendi Decimas, quod jure communi ipsi Abbati, & Monasterio competebat ratione Parochiarum incorporatarum, sed speciali jure; sive concessione Episcopi Abbati, & Monasterio ademptum fuerat: multò magis concessum censebitur, quod minus,& facilius est, videlicet jus percipiendi Decimas Novalium, quod ei nunquam ablatum fuit,per specialem illam concessionem Episcopi: sed jure communi ad Parochias etiam spectat. Aliter explicant *cit. c. Ex parte Innocent. & Hostiens. ibid.* & sequitur *Canisius Tract. de Decim. c.* 11. *num.* 9. Nempe quòd Abbas habebat jus Patronatûs in illis Parochiis, alioquin nullum beneficium fuisset; cùm Decimæ Novalium ipso jure spectent ad Ecclesias Parochiales: precibus autem frustrà impetratur, quod à jure aliàs concessum est.

CVII. Assertio 3. Si Privilegium percipiendi Decimas ex novalibus concessum sit iis, qui antiquas Decimas in aliquo loco percipere solent, non debet illud extendi ad Decimas Novalium, quas alii tempore impetrati Privilegii possidebant, tanquam jure sibi debitas: sed intelligi debet, de iis tantùm novalibus, quæ in futurum post impetratum Privilegium fiunt: (nisi specialis mentio de Decimis Novalium in Privilegio facta sit, *juxta c. Dudum*, 31. *de privil.*) Et intelligi etiam debet,privilegium illud esse concessum, secundùm illam tantùm partem,seu quantitatem, in qua antiquæ Decimæ ab impetrante privilegium percipiebantur, prout decernitur in *c. Statuto*; 2. *in princ. h. t. in 6.* Ubi Alexander IV. statuit,& declaravit,quòd » privilegium Apostolicum pluribus, maximè Religiosis, concessum, ut possint percipere Decimas » Novalium, secundùm illam portionem, in qua antiquas Decimas iidem hactenus perceperunt, non » debeat extendi ad illas Decimas Novalium, quas » tempore impetrati,seu concessi privilegii, alii possidebant (nunquam jure sibi debitas, *Gl. hic V. Possidebant*) nisi de his expressa quoque mentio fiat. Sed » neque ad alias Novalium Decimas extendi debet, » nisi in iis locis, in quibus tempore privilegii impetrati,ipsi impetratores Decimas antiquas habebant; » & secundùm eam solùm portionem, quâ easdem » antiquas Decimas ipsi impetratores, tempore impetrationis, percipiebant.

Declaratur res exemplo, Monasterium aliquod percipiebat,ex privilegio Sedis Apostolicæ, medietatem Decimarum ex prædiis sitis prope rivum, alteri medietate pertinente ad Parochiam: sed cùm hoc privilegium non extenderetur ad Decimas Novalium, ideo petiit,& impetravit aliud privilegium,ut cùm habeat jus percipiendi Decimas in eo loco, etiam ex novalibus percipere eas possit: hæc impetratio intelligi debet de novalibus, non jam factis, & quarum Decimæ ad alios pertinent, v. g. Parochiam (nam privilegium non debet intelligi cum præjudicio tertii, nisi exprimatur) sed de iis novalibus, quæ post tempus impetrationis, seu datæ, fiunt in eodem fundo circa eundem rivum, & quidem secundùm medietatem tantùm, *Gl. hìc V. Nec ad alias.* Ratio est, quia hæc est intentio, tum petentis, tum concedentis privilegium, ut non minùs ex novalibus Decimas percipere liceat, quàm ex fundis frugiferis certi alicujus loci ab antiquo percipiebantur, & ideo assimilatum intelligi debet secundùm conditiones ejus, cui assimilatur,sive dispositio, quæ se refert ad aliam, determinatur per illam in loco, quantitate,& tempore, ut ait *Anchar. in cit. c.* 2. *not.* 2. *h. t. in 6.*

CVIII. Assertio 4. Sed etsi impetrantes privilegium percipiendi Decimas Novalium, tempore » impetrationis, integras Decimas antiquas, vel ultra medietatem percipere sint soliti: impetratio tamen hæc decimarum ex novalibus,de medietate tantùm, intelligi debet; quia non est verisimile, quòd » si tunc de plena,& integra perceptione veterum Decimarum ab impetrante fuisset expressum, Apostolicam Sedem in tam gravi præjudicio Ecclesiarum » Parochialium, majorem concessionem, nempe percipiendi integras Decimas Novalium facturam » fuisse: ideóque statuit Pontifex, ne ratione talis indulti: sive jam impetrati, sive impetrandi: detineps plus possit, quàm medietas Decimarum Novalium acquiri, aut percipi: sub qua tamen declaratione non comprehenduntur Cistercienses,& Carthusienses, prout habetur in *cit. c.* 2. §. *Statuimus*; *h. t. in 6.* Ratio est, quia privilegium de percipiendi Decimis ad aliam Ecclesiam spectantibus,valde odiosum est, & ideo hanc specialem declarationem,& limitationem fecit Papa, & quidem exorbitantem à jure communi, cùm alioquin etiam odiosum privilegium, si absolutè & illimitatè concessum sit,omnia sub illo contenta comprehendere debeat, *Suar. Lib.* 1. *c.* 23. *n.* 5. & dictum supra.

CIX. Assertio 5. Si Religiosi (etiam exempti) » in quibusdam Parochiis omnes antiquas & majores » Decimas, vel partem illarum, ex Laicorum ipsis facta concessione percipiant,non ideo etiam Decimas » Novalium, quæ postea fiunt, pro eadem vel simili » portio-

» portione percipere possunt, nisi rationabilis causa » subsit, ob quam eas petere possint, prout statuitur in *cit. c. 2. §. ult. h. t. in 6.* Ratio est, quia si laico per legitimam auctoritatem Ecclesiasticam ex privilegio concessum sit jus percipiendi Decimas (de quo infra) ea concessio non se extendit ad Decimas Novalium, sicut enim ipsi laico non accrescebant Decimæ Novalium, nec ipse eas percipere poterat: ita quoque si Laicus donet Decimas alicui Monasterio, vel loco Religioso, in tali donatione Decimæ Novalium non comprehenduntur, & consequenter ipsi Religiosi illas percipere non poterunt; *nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm sibi competere noscatur, juxta Reg. jur. 79. in 6.* Non obstat, quòd si jus Patronatûs Laicis competens, translatum sit in Ecclesiam, id assumat naturam juris Patronatûs, Ecclesiastici; ita ut competant sex menses ad præsentandum, & non tantùm quatuor, *juxta c. un. de jure patronat. in 6.* Nam respondetur cum *Gl. fin. in cit. c. 2. §. ult. h. t. in 6.* quòd ibi res donata à laico Ecclesiæ, mutat naturam, sine ullius præjudicio, ideóque lata sit interpretatio: hîc autem fieret mutatio Novalium, cum præjudicio Ecclesiæ Parochialis, ideóque stricta facienda est interpretatio.

§ III.

An præscriptio decimarum, intra certum locum, extendatur ad Decimas Novalium, & an si fundus mutetur, ita ut v. g. ex prato fiat ager, maneat obligatus ad Decimas solvendas, sicut antè?

CX. Assertio 1. Qui præscripsit Decimas prædiales intra fines alienæ Parochiæ, non potest, vi illius præscriptionis, percipere Decimas Novalium postea factorum, intra eandem Parochiam, nisi ex rationabili causa ostendat, illas ad se pertinere, prout sumitur ex » *c. Cùm contingat; 29 h. t.* & *ex summa ejusdem cap.* Ubi » ex Innocentio III. quæsitum fuit: cùm interdum » contingat, ut intra fines alicujus Parochiæ, alia Eccle- » sia non Parochialis, vel persona Ecclesiastica ab anti- » quo tempore Decimas percipere soleat, & postea » de novo fiant Novalia intra eandem Parochiam, ad » quem hujusmodi Novalium Decimæ pertineant? » Respondet Papa: cùm perceptio decimarum ad » Parochialem Ecclesiam de jure communi pertineat, » ideo Decimas Novalium, quæ fiunt intra illam Pa- » rochiam, ad eandem pertinere: Nisi ii, qui alie- » nas Decimas hactenus percipere solebant, rationa- » bilem causam ostendant, ex qua appareat, Nova- » lium Decimas ad ipsos pertinere. Ratio est, quia præscriptio sine possessione, vel quasi possessione non procedit, & non plus quis præscribit, quàm possidet: at verò Decimas Novalium, quippe quæ hactenus non existebant, præscribens non possedit, neque illas unquam percepit, cùm nihil ex terris illis incultis decimarum nomine acceperit, antequam ad culturam redigerentur, ergo neque præscribere illas potuit, *Abb. in cit. c. Cùm contingat; n. 9. Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. n. 13. Suar. Lib. 1. c. 20. n. 9.*

CXI. Notandum hîc primò. Potest una Ecclesia, etiam non Parochialis, vel etiam persona Ecclesiastica, ratione beneficii sui, Decimas præscribere in aliqua Parochia; quia talis præscriptio non repugnat juri Divino, nihil enim refert, an hæc, vel illa Ecclesia aut persona Ecclesiastica Decimas illas obtineat. Licèt autem in hoc cap. nulla fiat expressa mentio de præscriptione, nihilominùs tamen *Gl. hîc V. Ab antiquo, Abb. n. 2. & alii Dd. communiter* hoc cap. intelligunt de præscriptione, ita ut quando dicitur, ad quempiam pertinere aliquid ab antiquo, dicatur ad eum pertinere jure præscriptionis, quia possedit tanto tempore, quantum sufficit, ad præscribendum.

Notandum secundò. Si alicui generaliter, & indefinitè concessum sit jus percipiendi omnes Decimas, intra fines certæ Parochiæ, sive per privilegium, aut transactionem, sive alio modo, ille quidem vi talis concessionis, acquirit jus ad omnes Decimas, præsentes, & futuras percipiendas: non tamen ad Decimas Novalium; cùm enim Novalia, tempore factæ concessionis, non extiterint, non potest censeri concessionem de iis aut jure earum, quod actu non est, vel fuit, factam esse. Excipe, nisi alicui per privilegium, vel transactionem expressè etiam concessum esset jus ad Decimas Novalium percipiendas, si quando orta fuerint, ut colligitur ex *cit. c. Cùm contingat in fin. & fin. ibid.*

Notandum tertiò. Si Monasterium aliquod, vel alia Ecclesia, ab antiquo tempore, quo percepit Decimas ex prædiis alienæ Ecclesiæ, decimarum nomine, ex terris incultis, v. g. nemoribus, pascuis, paludibus, saltem modicum aliquid, decimarum nomine, percepit, ut ligna, fœnum, glandes &c. postea verò terra illa ad culturam redigatur, & fiat ager novalis, tum Monasterium, vel Ecclesia illa jus acquisivit exigendi, & percipiendi Decimas ex fructibus agri illius novalis, *arg. c. Cùm in tua; 30. h. t.* quia ipsi terra ab antiquo jam fuit decimalis, & realiter obnoxia Monasterio, vel Ecclesiæ illi, & non respectu certorum tantùm fructuum, seu proventuum, ideóque etiam exculta manet obligata ad Decimas, *Io. Andr. in cit. c. Cùm contingat in fine*, & ibi *Gl. marg. & Abb. in fine; Barb. n 6. Suar. cit. c. 22. n. 10.*

CXII. Assertio 2. Si prædium seu fundus ad Decimas obligatus mutetur, ac convertatur v. g. ex prato in agrum, vel ex prædio Urbano fiat Rusticum, tum fundus, seu prædium novale, sive de novo cultum est obligatum ad Decimas prædiales solvendas eidem, cui antea debebantur, prout sumitur ex *c. Commissum, 4. h. t.* Nam cùm ad Adrianum IV. Pontificem delatum fuisset, quòd Monachi de Bosse Ecclesiæ S. » Mariæ, in cujus Parochia commorabantur, Deci- » mas integrè non persolverent: mandat idem Papa » Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi (qui postea cir- » ca annum Christi 1171. pro libertate Ecclesiæ defen- denda martyrio coronatus est, sub Alexandro III. ut notat ut *Gl. marg. hîc*) ut Monachos ad Decimas ex » terris, sive fundis novis, in quibus olim domus con » structæ fuerant, integrè solvendas eidem Parochiæ » compellat, sicut eæ, priùs quàm Monachi in illa Paro- » chia morarentur, persolvi consueverunt: (videlicet » ex pensionibus domuum.) Et sicut olim ex pascuis » Decimæ persolvebantur, ita nunc ex eisdem fundis ad » frugum fertilitatem perductis, Decimæ, absq; dimi- »

nutione persolvantur. Ratio est, quia tametsi terræ hujusmodi qualitas mutetur, non tamen substantia, ut ait *Jo. Andr. hîc n. 2.* si quidem terra, quæ ab antiquo decimalis erat, non fuit obligata ad certum genus fructuum, sive proventuum, sed ad quoslibet, *juxta c. Cùm intra; 30. h. t.* ideóque licèt terra, sive fundus secundùm qualitatem mutetur, adeóque accidentaliter, quia ex prædio urbano fit rusticum, vel ex pascuis ager, ipsa tamen obligatio ad decimas manet in substantia fundi invariata.

CXIII. Hinc colligitur primò. Quòd dominus fundi decimalis potest, pro arbitrio, conditionem sive qualitatem illius mutare: v. g. ex agro facere vineam, vel hortum, aut vice versâ, etiam sine consensu Ecclesiæ, cui fundus est ad Decimas obnoxius, dummodo ex fundo sic mutato etiam decimam partem fructuum, seu proventuum eidem solvat, ut colligitur ex *cit. c. Commissum*, & docet *Abb. ibid. n. 2. & Azor p. 1. Instit. l. 7. c. 24. q. 10. & alii communiter*, ideo si priùs ex re Decimæ non solvebantur, quia nullos ea fructus ferebat, sed postea fertilis reddita sit, debent Decimæ dari ex fructibus, qui percipiuntur. Item si res priùs minùs erat fertilis, & pauciores fructus reddebat, ideóque etiam minores Decimæ ex ea pendebantur, postea fertilior facta ex ea majores Decimæ sunt pendendæ.

CXIV. Colligitur secundò. Si per consuetudinem alicubi sit inductum, ut ad unum pertineant Decimæ ex vineis v. g. ad Monasterium: ad alium verò v. g. Parochum, Decimæ ex agris: postea verò agri in vineas convertantur: hoc casu, Monasterium percipiet decimas vinearum ex iis tantùm prædiis, in quibus consuetudo est præscripta: non autem ex aliis, quæ de novo in vineas sunt conversa, has enim Parochus percipiet, sicut antea ex agris percepit, ut post *Hostiens.* docet *Jo. Andr. in cit. c. Commissum, n. 3.* Ratio est, tum quia licèt mutata sit qualitas terræ, seu fundi, non tamen substantia: tum quia, cùm Monasterium jus decimandi in prædiis sive agris de novo in vineas conversis, non possederit, non potest censeri illas præscripsisse, nam præscriptio sine possessione non procedit, & cùm sit stricti juris, non est extendenda ad futura, etiam similia non possessa, ut docet *Gl. in c. Auditis; 15. V. Interruptionem de præscript. Abb. in c. Cùm intra; 30. n. 3. h. t.* Aliud verò quoad hoc dicendum est de transactione, *juxta c. 3. h. t.* vel de privilegio, *juxta c. Quia circa; 22. de privil.* Si enim Monasterio v. g. concessum sit privilegium generatim, & indefinitè percipiendi Decimas ex vineis, & agri postea convertantur in vineas, etiam ex istis Decimæ solvendæ sunt Monasterio, & non amplius Parochiæ; quia concessio generalis, & indefinita etiam ad futura extenditur, *cit. c. Quia circa*, nisi appareat aliam fuisse intentionem concedentis, ut patet ex *supr. dictis n. 80. h. t.* Sed & vice versâ, si vineæ, ex quibus Monasterium per Privilegium decimas percepit, in agros vertantur, illæ Parochiæ deinceps solvendæ erunt; nam qui ferre debet onus, etiam commodum percipere debet, *juxta Reg. jur. 55. in 6.* Excipi debet, nisi per talem concessionem privilegii Ecclesia Parochialis nimiùm gravetur, quia nimirum postquam agri plerique in vineas conversi sunt, ex quibus privilegiati Decimas percipiunt, Parochus, & alii Ministri Ecclesiæ necessariam, & decentem sustentationem non habeant: tunc enim vel implorato Judicis officio, vel partium transactione subveniri debet Ecclesiæ Parochiali, quia privilegium cessat, si in grave præjudicium aliorum cedat, *c. Significatum; 9. h. t.*

CXV. Cæterùm quod dictum, præscriptionem non extendi ad similia futura: Id limitari debet, nisi consuetudo aliqua universaliter sit præscripta, tum enim ea extenditur ad omnes species sub universali contentas, ut docet *Innoc. in c. ult. n. 10. de offic. Archid.* sic si quis jurisdictionem generatim præscripsit, ea præscriptio extenditur ad omnes ejusdem speciei, seu consimiles, ut *post Baldum tradit Jason in l. Imperium, n. 23. ff. de jurisd.* Pari igitur ratione, si v. g. Monasterium aliquod probet, se à tempore immemorabili ex vineis, quæ de novo in aliquo loco intra Parochiam sito, plantatæ sunt, decimas exegisse, tanquam sibi debitas, ex omnibus vineis de novo plantatis: hoc casu Monasterium per talem consuetudinem legitimè præscriptam acquisivit jus universale percipiendi Decimas, in omnibus similibus casibus particularibus, videlicet percipiendi Decimas ex omnibus vineis, etiam de novo plantatis, intra eandem Parochiam.

SECTIO VI.

DE VARIIS MODIS, QVIBVS acquiri potest Jus decimandi in alia Ecclesia, aut Parochia, vel immunitas ab obligatione solvendi Decimas.

§. I.

An & quâ ratione per consuetudinem acquiri possit Jus decimandi in aliena Ecclesia, vel Parochia?

CXVI. Assertio 1. Potest per consuetudinem legitimè præscriptam induci, ut Ecclesia aliqua, aut Monasterium, vel persona Ecclesiastica jus acquirat percipiendi Decimas, ex prædiis intra alienam Parochiam sitis, quæ alioquin de Jure communi ad illam Ecclesiam Parochialem pertinerent, ut docet *Suar. l. 1. c. 22. n. 1. & alii Dd. communiter.* Idque patet ex *c. Cùm sint; 18. in fine. & c. Ad Apostolicæ; 20. h. t.* Ratio est, quia consuetudo legitimè præscripta derogare potest Juri communi positivo, *c. ult. de consuetud.* & per consequens jus uni Ecclesiæ competens, in aliam transferre, *c. Cùm dilectus; 8. eod.* Neque verò absolutè necessarium est, ut Decimæ prædiales solvantur Ecclesiæ Parochiali, in qua sita sunt prædia: sed sufficit eas solvi Deo, in signum, & recognitionem universalis dominii, & in usum quorumcùnque Clericorum, qui ex consuetudine, vel privilegio, vel alio juridico titulo jus decimandi acquisiverunt, *Canis. Tract. de decim. c. 9. n. 3.*

CXVII. Porro ad hanc præscriptionem probabiliùs requiruntur 40. anni, cum titulo, vel tempus, cujus initii memoria apud homines non exstat, bene titulo, prout prius habetur in *c. Ad aures; 6. de præscr.* posterius in *c. 1. eod. in 6. junct. c. 2. de restit. spol. in 6.* Ex quibus hanc regulam generalem desumunt Dd. quòd ad præscriptionem contra Ecclesiam requisitam

lantur 40. anni, cum titulo, quando Jus commune, vel præsumptio est contra præscribentem, vel tempus immemoriale sine titulo. Atqui Jus Canonicum, non tantùm præsumit Decimas ad Ecclesiam Parochialem, ejùsque Ministros spectare: sed etiam severè prohibet, eas ab aliis Clericis, aut Ecclesiasticis personis percipi, cùm sint institutæ, ut præstentur à plebe in alimenta, congruàmque sustentationem Clericorum, eidem plebi ministrantium spiritualia, ut ait *Covarr. Lib. 1. resol. c. 17. num. 7. Suar. cit. c. 22. n. 3.* & tradit *Gl. in c. Cùm sint; 18. V. Ad consuetudinem; h. t.* Ubi ait, per quam juri communi præjudicatur, & in *c. Ad Apostolicæ, V. Consuetudo; h. t.* & sumitur ex *c. Si quis, 42. & c. seq. caus. 16. q. 1. & c. 1. causa 16. q. 1. & c. 1. caus. 13. q. 1. & aliis.*

Id autem intelligendum est, quando Ecclesia, quæ non est Parochia propria, præscribit contra Ecclesiam propriam, v. g. Monasterium contra Parochiam, in qua prædia sita sunt, tunc enim requiruntur 40. anni cum titulo. Aliud verò est, si una Parochia, in qua Sacramenta percipiuntur, præscribat Decimas contra alteram Parochiam, in qua prædia sunt sita, ut in casu *cit. c. Cùm sint, & c. Ad Apostolicæ; h. t.* tunc enim probabile est, quòd ad præscribendum, aut consuetudinem introducendam sufficiat tempus 10. annorum inter præsentes, vel 20. inter absentes, cum titulo; quia jus huic præscriptioni, aut introducendæ consuetudini non resistit; adeòque illa non est contra, sed solùm præter jus, quod potiùs illi assistit, ait enim in hoc casu sequendam esse consuetudinem diu obrentam, ut patet ex *cit. c. Cùm sint, & c. Ad Apostolicæ*; tempus autem 10. annorum est diuturnum, seu longum, *Abb. in cit. c. Cùm sint; n. 6. in fine, Covarr. c. l. n. 8. §. Quarto, Gutier. cit. c. 21. Laym. Lib. 4. tr. 6. n. 7.* Licèt contrarium teneat *Suar. cit. c. 22. n. 7.* Ubi tamen *n. 8.* admittit, si dubium sit de ipso prædio, ad cujus Parochiæ fines pertineat, tum posse unum Parochum contra alium 10. annis præscribere.

CXVIII. Assertio 2. Qui præscripsit jus percipiendi Decimas in certa terra, vel fundo, is censetur etiam præscripsisse jus percipiendi Decimas ex omnibus fructibus, qui in terra vel loco illo nascuntur, prout decisum est in *c. Cùm in tua 3. 30. h. t.* Nam cùm quædam » Monasteria, sive Conventuales Ecclesiæ ab antiquo » tempore Decimas majores, & minutas, seu minores » (ut ex fœtibus animalium, pullis, ovis & fructibus » ex hortis, *Gl. hìc V. Minutas*) in multis Parochiis » percepissent, sed de quibusdam fructibus (v. g. de » lino, vel lupulis) Decimæ illis Monasteriis non sunt » solutæ: postea factum est, ut in eisdem terris, seu » prædiis prædicti fructus seminarentur & proveni- » rent. Unde quæsitum fuit, utrùm hoc casu Deci- » mæ horum fructuum ad Monasteria, quæ aliàs De- » cimas ab antiquo percipiebant (eàsque præscripse- » runt, *Gl. hìc V. Antiquo,*) an verò ad Parochiales Ec- » clesias, quæ nec majores, nec minores Decimas in » illis prædiis antea percipiebant, debeant pertinere? » Ad hoc respondet Papa Innocentius III. si ex illa » terra, sive prædio, ex quo Monasteria vel Conven- » tuales Ecclesiæ ab antiquo aliquos, ratione decima- » rum, proventus percipiebant: tum ex fructibus, qui » modò in illa terra proveniunt, (v. g. lini vel lu- » puli) Decimæ dictis Monasteriis sunt solvendæ, cùm » ab antiquo ipsis fuerit eisdem decimalis, & non de- » beat una eadémque Ecclesia (aliàs legitur, *una ea- » démque res*, ut notat *Gl. margin. hìc*) diverso jure cen- » seri: alioquin si terra illa non fuisset Monasteriis de- » cimalis, Decimæ ex illis fructibus Ecclesiis Paro- » chialibus solvendæ forent, ad quas jure communi » spectat perceptio decimarum.

Ratio est, quia jus decimandi, quod diuturno usu, cum bona fide, acquiritur, per se refertur ad ipsam terram, seu fundum, qui absolutè fit decimalis, sive obnoxius Decimis ei, qui ipsum præscripsit: ad certos autem fructus, qui ibi nascuntur, nonnisi peraccidens, & occasionaliter refertur, quia ibi sunt sati & nati. Exemplum dat *Abb. in cit. c. Cùm tua; n. 3. & 5. h. t.* Si quis exercet, animo acquirendi jurisdictionem universaliter per annos 40. in certo loco seu territorio, jurisdictionem, circa omnes actus tunc occurrentes, capiendo, & plectendo fures, & alios sceleratos, nullum autem homicidam, vel quia nullum homicidium fuit ibi commissum, intra illud tempus, vel quia nulla occasio homicidas capiendi se obtulit, talis sanè præscripsit jurisdictionem in territorio illo, etiam quoad homicidas; quia sub generali ratione exercebatur jurisdictio in illo territorio, quoad omnes ibi delinquentes. Similiter si in aliqua terra per annos 40. percepti sint certi fructus, sub generali ratione juris decimandi, eadem ratio in aliis etiam fructibus procedere debet, adeóque quoad illos etiam præscriptum esse censetur jus decimandi, qui ex eadem terra colliguntur, v. g. per 40. annos tantùm fuit seminatum triticum & siligo in aliquo prædio, seu agro, ex quo percepit Decimas Monasterium aliquod, postea fuit seminatum hordeum, vel avena, hoc casu, Monasterium præscripsit etiam jus decimandi quoad hordeum, vel avenam; quia hoc ipso, quòd prædium illud factum est decimale Monasterio quoad certos fructus, videlicet triticum & siliginem, etiam factum est decimale, respectu omnium aliorum fructuum; quia una eadémque res non debet diverso jure censeri, ut nimirum quoad aliquos fructus eadem terra sit Decimis obnoxia, quoad alios non, cùm in omnibus eadem militet ratio, & dum una Ecclesia Conventualis v. g. fuit in quasi possessione juris decimandi triticum, fuit indirectè & consequenter etiam in quasi possessione decimandi hordeum, quod postea loco tritici fuit satum in eodem fundo, *Abb. in cit. c. Cùm tua; num. 6. Covarr. pract. qq. c. 37. num. 5. Fagnan. in c. Cùm contingat 3. 29. n. 13. h. t.*

CXIX. Excipitur primò. Nisi Decimæ ex certis fructibus ab antiquo solutæ fuerint Ecclesiæ Parochiali, v. g. Decimæ minores olerum, lini, lupulorum &c. ex iisdem prædiis: alii verò fructus, sive Decimæ majores Ecclesiæ Conventuali, v. g. Monasterio, tunc enim hæc non potuit Decimas minores aliorum fructuum sub universali ratione præscribere, cùm has Ecclesia Parochialis solita sit percipere, ut colligitur ex integra lectione *cit. c. Cùm in tua, & ibid. Abb. n. 6. in fine.* Ex quo sequitur, quòd unum idémque prædium sive fundus possit esse decimalis, partim uni Ecclesiæ, partim alteri. Nec obstat, quòd una eadémque res non debeat diverso jure censeri: Nam hoc ita intelligendum est, quando eadem ratio militat: secus si diversa, ut docet *Abb. c. l. n. 7.* hoc est: non potest eadem res, uno eodémque respectu, diverso jure censeri, nempe ut eadem Ecclesia, respectu ejusdem

terræ, seu fundi, possit unum genus, seu speciem fructuum percipere, non item alteram, vel ut quis, respectu ejusdem territorii, unam speciem jurisdictionis exerceat, non item alteram: alioquin verò non est impossibile, neque insuetum, ut una eadémque res diverso jure censeatur, videlicet, ut una eadémque terra, quoad fructus majores, sit obligata ad Decimas solvendas uni Ecclesiæ, & quoad fructus minores alteri Ecclesiæ, vel Personæ, vel ut una eadémque terra, quoad aliquos actus jurisdictionis, sit uni domino subjecta, quoad alios alteri.

Excipitur secundò. Nisi domini, vel coloni prædiorum immunitatem à solvendis Decimis ex certis fructibus v. g. minutioribus, ut oleribus, fructibus arborum &c. præscripserint, eò quòd longissimo tempore 40. annorum, cum titulo colorato, vel saltem vulgatâ famâ aut persuasione immunitatis, Decimas illas minores, etiam cùm nascerentur, non solverint, licèt Decimas majores pendere, sint soliti. Nam si Decimas minores ideo coloni non solverunt, quia longissimo tempore nullos tales fructus minutiores terra, seu fundus protulit, adeóque occasio illas Decimas solvendi vel exigendi defuit, non potuit esse præscriptioni locus, quia nunquam fuerunt in quasi possessione immunitatis à solvendis talibus Decimis, quæ tali casu oriri non potuit, sine possessione autem non procedit præscriptio, de quo infra.

§. II.

An, & quomodo Jus decimandi per transactionem, & quibus præterea modis acquiri possit personis Ecclesiasticis?

CXX. Assertio 1. Potest persona Ecclesiastica v. g. Parochus cum alio Parocho super Decimis transigere, ita ut jus decimandi per talem transactionem, seu amicabilem compositionem, uni, vel alteri, vel utrique parti acquiratur, ut constat exc. 3. & c. 9. h. t. Ut si v. g. lis sit, de jure percipiendi Decimas, ex pluribus prædiis, inter duos Parochos, potest ea componi per transactionem, ut uni Parocho hæc: alteri alia prædia assignentur decimanda: vel si unum sit prædium, de quo contenditur, ut Decimæ inter partes dividantur: dummodo in tali transactione nullum pactum simoniacum interveniat, ita ut pro spirituali jure decimarum detur pecunia, vel alia res pretio æstimabilis. An autem ad talem transactionem requiratur consensus Superioris, dictum est, supra *Lib. 1. Tit. 26.* Porro si transactio absolutè, & indefinitè facta sit super solvendis Decimis, ea intelligi debet, non tantùm de præteritis, & præsentibus: sed etiam de futuris, adeóque si Monasterium v. g. cum quo Parochus super Decimis transegit, postea alia prædia acquisiverit, Decimæ ex iis Monasterio solvi debeant, prout conventum est in transactione, uti sumitur ex c. *Quia circa*; 22. *de privil.* & tradit *Gl. in c. 3. V. Quamdiu viveret, h. t.*

CXXI. Assertio 2. Per privilegium exemptionis à solvendis Decimis, non derogatur speciali conventioni, seu transactioni, quæ inter partes priùs intercessit, nisi de ea in privilegio priùs concesso mentio fiat, prout sumitur ex c. *Ex multiplici*; 3. *h. t.* Ubi inter quendam Abbatem & Conventum, ex una parte, & Presbytetum quendam, ex altera, nomine Ecclesiæ suæ, talis facta est conventio, seu transactio, Instrumento Authentico Monachorum roborata, quòd Monachi dicto Presbytero, & Ecclesiæ ejus de blado, & omnibus leguminibus, quamdiu is viveret, Decimas persolvere debeant, exceptis Decimis minutis, quas eis Presbyter remisit. Postea verò Abbas Monasterii à S. Pontifice privilegium obtinuit, ut de terris, seu fundis, quos propriis manibus, aut sumptibus Monasterium excolit, nullas teneatur solvere Decimas: post impetratum privilegium, idem Abbas Colonos ex villa Monasterio à Rege Angliæ donatâ, quæ intra Parochiam dicti Presbyteri sita erat, expulit, & totam illam terram propriis sumptibus ac laboribus colere cœpit, ideóque vi privilegii obtenti, reditus decimales prædictæ Ecclesiæ Parochiali debitos subtraxit, prout habetur *in integra lectione hujus c. 3.* Hoc intellecto, Hadrianus IV. rescripsit ad Episcopos quosdam, ut Abbatem, & Monachos ad supra dictam conventionem, seu transactionem (non obstante privilegio illo Apostolico, nisi de ipsa transactione in eo aliqua mentio fiat) cum Presbytero, seu Parocho loci initam, inviolabiliter observandam, nisi exinde aliter pacificè inter se conveniant, appellatione postpositâ, compellant: cùm suæ (scilicet Pontificis) intentionis non fuerit, per privilegium prædictæ conventioni, seu transactioni derogare.

CXXII. Rationem duplicem hujus decisionis affert *Gl. hìc V. Intentionis*: prima est, quæ habetur etiam in Textu; quia cùm per transactionem jus pure fuerit acquisitum, non censetur Princeps ei derogare velle, nisi id exprimat, *arg. c. Mandatum*; 38. *junct. Gl. fin. de rescript.* & habetur in c. *Ex tuarum*; 5. *de auctor. & usu pall.* ubi *Gl. V. Permittat*, ait, licèt Papa alicui det privilegium, non vult tamen, ut utatur eo in præjudicium alicujus, & in *c. Super eo*; 15. ibi: *non est nostræ intentionis, Diœcesano Episcopo præjudicium generare, de offic. deleg. & in c. Licèt*; 12. *de offic. Ord.* Altera ratio allata à *Gl.* est, quia Papa verisimiliter tale privilegium non concessisset, si transactionem priùs factam esse, cognovisset, siquidem quæ inter partes transacta sunt, & composita, non facilè sunt rescindenda, *juxta l. Causas*; 16. & ibi Dd. *C. de transact.* Ex quo infert *Gl. cit.* quòd impetratio talis privilegii, in qua præcedentis transactionis nulla mentio est facta, fuerit subreptitia, ob tacitam veritatem necessariò exprimendam, ideóque invalidam *c. Super litteris*; 20. *de rescript.*

Hinc colligitur etiam, quòd S. Pontifex, si velit, absolutè possit derogare transactioni inter partes initæ super Decimis, vel aliis juribus spiritualibus, *Abb. hìc n. 6.* quia in bonis & reditibus Ecclesiasticis plenissimam potestatem habet, *c. 2. de Præb. in 6.* Colligitur secundò, quòd fieri possit cum Parocho, vel aliis Clericis compositio, ut non integræ Decimæ eis solvantur, vel ut de aliquibus rebus non præstentur. *Abb. hìc n. 4. Barb. in Collect. n. 2.*

CXXIII. Assertio 3. Super jure decimarum potest in arbitros compromitti, uti sumitur ex *c. Apostolicæ*; 7. *de his quæ fiunt à Prælat.* & docet *ibid. Abb. n. 2.* ac proinde per arbitrium, seu sententiam arbitrum-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rum (cui partes stare debent) possunt Decimæ uni litigantium adjudicari, & alteri auferri, sive totæ, sive pro parte, alioquî frustra super Decimis fieret compromissum, *Canis. cit. c.* 10. *n.* 3. Porro in compromisso super jure Decimarum opus est, ut interveniat Superioris consensus, & aliæ solennitates, ad alienationem rerum, seu jurium Ecclesiasticorum, secundùm Canones, requisitæ, *Abb. in c. Dilecti*; 4. *n.* 8. *de arbitr. Canis. c. l, Laym. Lib.* 4. *tract.* 6. *c.* 6. *n.* 1. *ass.* 2. Quia prohibitâ alienatione, censetur etiam prohibitus omnis actus, per quem deveniri potest ad alienationem, *c. Cum quid*; 39. *de R. J. in* 6. at verò per compromissum indirectè perveniri potest ad alienationem Decimarum, quæ est directè prohibita.

CXXIV. Assertio 4. Jus Decimarum unius Ecclesiæ potest permutari cum jure Decimarum alterius Ecclesiæ, ut constat ex *c. ult. de rer. permut. arg.* ducto à contrario sensu, & tradit *Gl. ibid. V. Temporalia*: requiritur tamen, ut interveniat etiam Episcopi auctoritas, cùm permutatio sit species alienationis, *c. Nulli*; 5. *de reb. Eccl. non alien. Canis. c. l. n.* 5, *Laym. c. l. n.* 2.

CXXV. Assertio 5. Jus Decimarum, si formaliter, & propriè accipiatur, quatenus est fundatum in Spirituali titulo ac jure, sive officio & obligatione ministrandi spiritualia, nec vendi, nec locari potest; quia Spirituale non potest pro temporali dari, vel comparari. Si verò materialiter spectetur, prout præcisum est à Spirituali jure, ac titulo, sive quoad utilitatem percipiendorum fructuum, hac ratione vendi, & locari potest, *Gl. in cit. c. ult. V. Temporalia*, *Laym. c. l. num.* 2. *&* 3.

Dices, potest quis conducere Beneficium aliquod, & tunc titulo conductionis acquirit jus percipiendi Decimas, quod est jus temporale: & potest Parochus vendere Decimas, quæ proveuient proximâ messe, & tunc emptor habet jus ad illas percipiendas, ergo jus Decimarum non est spirituale, adeóque vendi, & locari potest. Resp. jus proprium Decimarum, prout est annexum spirituali officio, est jus spirituale, Beneficium enim, & Decimæ pertinentes ad illud, dantur propter officium, & obligationem ministrandi spiritualia, & hoc jus nec vendi, nec locari potest. Conductor autem, vel emptor Decimarum non acquirit, nec habet tale jus ad Decimas, scilicet percipiendi illas, ut debitum stipendium pro munere spirituali: sed solùm materialiter acquirit jus percipiendi Decimas, prout sunt fructus temporales, seu pretio æstimabiles, quod est jus merè temporale, ideóque vendi, & locari potest, *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 25. *n.* 2.

§. III.

An, & quâ ratione obligati ad præstandas Decimas, ab illis liberari possint per consuetudinem non solvendi inductam, vel legitimè præscriptam, vel per transactionem?

Primus modus, quo potest quis eximi ab obligatione præstandi Decimas, est privilegium concessum à S. Pontifice, de quo dictum supra *Sec.* 3. §. 3. *&* 4. nunc de reliquis agendum.

CXXVI. Assertio 1. Obligatio solvendi Decimas, sive reales, sive etiam personales, per contrarium consuetudinem tolli & abrogari potest, non tantùm à Clericis: sed etiam à Laicis, & non solùm ex parte, videlicet ut duodecima pars, vel vigesima duntaxat fructuum solvatur: sed etiam in totum, ut nihil omnino nomine Decimarum pendatur, modò Ministri Ecclesiæ aliunde, quàm ex Decimis, congruam sustentationem habeant, v. g. ex amplis reditibus fundationis Ecclesiæ, oblationibus, aut Legatis piis. Ita ex communiore, & veriore sententia docet *Covarr. Lib.* 1. *resol. c.* 17. *num.* 8. *Silvest. V. Decima*, *q.* 4. *Navarr. Lib.* 3. *cons.* 2. *h. t. Azor p.* 1. *l.* 7. *c.* 26. *q.* 4. *Suar. Lib.* 1. *c.* 12. *n.* 8. *Less. Lib.* 2. *c.* 39. *n.* 25. *Canis. tr. de Decim. c.* 17. *n.* 8. *Laym. Lib.* 4. *tr.* 6. *c* 6. *n.* 10. *Barb. de offic. Paroch. c.* 28. §. 3. *n.* 64. *& alii communiter*, contra plerosque Canonistas Veteres. Ratio est, quia Decimæ non debentur Ecclesiis, earúmque Ministris jure naturali, vel Divino positivo, nec quidem quoad certam, & determinatam quotam, ut solvatur pars decima fructuum, nisi quatenus illa est necessaria ad congruam sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, cùm jus naturæ, aut Divinum aliud non præcipiat, quàm ut illis præbeatur necessaria, & sufficiens sustentatio, ut supra probatum est *Sec.* 1, §. 2. *h. t.* Si ergo aliunde ex aliis proventibus Ecclesiasticis, Pastoribus, & Ministris Ecclesiæ prospectum sit de necessaria sustentatione, Decimæ ipsis solvendæ sunt, ex vi solùm Legis humanæ Ecclesiasticæ, quæ per contrariam consuetudinem legitimè inductam, & præscriptam omnino tolli, & abrogari potest, *c. ult. de consuet. & l. De quibus*; 32. *ff. de Legib.*

CXXVII. Quare cùm in *c. Aliquibus*; 32. §. *fin. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Generali sub Innocentio III. habito, dicitur, illæ quippe Decimæ » necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex Lege Divina, vel loci consuetudine approbatâ: id ita intelligendum est, quòd in solutione Decimarum inprimis spectari debet, quid in Lege Divina Veteris Testamenti circa præstationem Decimarum decretum fuerit; quia nimirum Ecclesia ad imitationem ejusdem Legis, præcepit Decimas, sive decimam partem fructuum solvi Ministris Ecclesiæ, sicut olim in Veteri Lege solvebatur. Deinde videndum est, quid consuetudine loci approbatâ sit receptum, ipsòque usu observetur; quia in Decimis solvendis loci consuetudo attenditur, ut ait *Gl. communiter recepta in cit.* §. *Illæ*, nam per consuetudinem, sicut solutio Decimarum augeri potest, v. g. ut non tantùm prædiales, sed etiam personales Decimæ præstentur, prout olim inter Christianos usitatum fuit, nunc verò ubique ferme est abolitum: ita etiam potest per consuetudinem minui, ut minùs, quàm decima pars fructuum v. g. duodecima tantùm, vel alia minor solvatur, ut explicat *Suar. cit. c.* 12. *n.* 10.

CXXVIII. Hinc infertur primò contra antiquos Canonistas, quòd præceptum de solvendis Decimis in nova Lege non sit juris naturalis, vel Divini: sed tantùm Ecclesiastici; cùm per consuetudinem tolli, & mutari possit, prout ipsi etiam fatentur, ut con-

ut constat ex *cit.* §. *Illæ*; Si autem potest per consuetudinem minui præstatio Decimarum, ut minor pars, quàm decima solvatur, quia ejus obligatio solùm ex jure humano descendit: consequenter potest etiam per consuetudinem penitus tolli, & abrogari, ut omnes non solùm Clerici: sed etiam Laici à solvendis Decimis omnino fiant immunes, in aliquâ Provincia vel Oppido, dummodo Ministris Ecclesiæ de necessariis alio modo sit prospectum, cujusmodi consuetudo dicitur esse in Italia, *Suar. cit. c. 12. n. 8. & 16. Canis. c. l. n. 7.* Et multò magis poterit una, vel altera persona per consuetudinem legitimè præscriptam eximi in totum à debito solvendi Decimas, *Suar. c. l.* Infertur secundò, suppositâ aliunde sufficienti sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, potest per consuetudinem introduci mutatio in solvendis Decimis, veluti, ut nullæ Decimæ personales solvantur, quæ aliàs jure communi, solvi debent: vel, ut ex certis fructibus, v. g. vino, oleo &c. vel ex fructibus minutis & fœtibus animalium nullæ omnino Decimæ solvantur: vel, ut ex eodem prædio una Ecclesia Decimas majores, & alia minores percipiat, vel, ut Decimæ uni Ecclesiæ debitæ alteri solvantur: vel, ut solùm solvantur, si petantur à Parocho: vel denique, ut Parochianus suis expensis deferat Decimas ad domum, vel horreum Parochi, *Covarr. cit. c. 17. num. 8. §. Primùm hinc constat & seqq. Suar. cit. c. 12. n. 15. Barb. cit. c. 28. §. 3. n. 65. & seqq.*

CXXIX. Assertio 2. Immunitas à solvendis Decimis à privatis, seu particularibus personis, Clericis, vel Laicis, cum bona fide, præscribi potest 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali, sine titulo, *Covarr. cit. c. 17. num. 10. Molin. Tract. 2. dis. 75. n. 5. Suar. Lib. 1. c. 13. num. 1. Laym. cit. c. 6. num. 7. & alii communiter.* Idque probatur ex *c. 1. de præscript. in 6.* Ubi cavetur, quòd contra jus Decimarum, vel aliud jus Ecclesiæ, quando jus commune resistit præscribenti, nonnisi 40. annis, cum titulo, qui possessori causam præscribendi tribuat, præscribatur, vel tempore immemoriali, sine titulo. Atqui Decimæ antiquissimo jure Ecclesiastico debent solvi Ecclesiis, ergo contra illas immunitas à solvendis Decimis non præscribitur, nisi tempore, & modo prædicto.

CXXX. Sed contra objicitur primò. Laicus non potest præscribere jus percipiendi Decimas, ut hæ ipsi solvantur ab aliis; cùm enim hoc sit spirituale, cujus Laicus est incapax, ideo nunquam potest præscribere, *c. Causam 7. de præscript.* ergo nec potest præscribere jus retinendi Decimas, quas ipse solvere deberet Ecclesiæ, nam retinendo Decimas quasi à se ipso illas accipit. Resp. neg. cons. quia jus percipiendi Decimas est spirituale: jus autem exemptionis à solvendis Decimis, non est spirituale, ideóque Laicus non est incapax quasi possidendi hoc jus, non enim est jus percipiendi, vel retinendi Decimas verè debitas Ecclesiæ: sed jus percipiendi ex agris propriis fructus integros, sine detractione, sive onere Decimarum, quod onus solvendi Decimas inhærens ipsi fundo, est quid temporale, ideóque etiam immunitas ab hoc onere, est tantùm quædam libertas, & commoditas temporalis, & consequenter à Laico præscribi potest, ut bene notavit, *Covarr. cit. c. 17. n. 10. Suar. cit. c. 12. n. 17.*

Objicitur secundò. Videtur esse contra justitiam, quòd Parochianus non solvat Decimas, quæ sunt debitæ Parocho tanquam stipendium curæ, & laboris sui, ergo immunitas à Decimis nunquam potest præscribi: Respondetur, hanc consuetudinem legitimè præscriptam non esse contra justitiam: Vel enim esset injustitia, respectu Parochi, vel respectu aliorum Parochianorum, qui solvunt Decimas: non primum, quia supposito quòd Parochus jam habeat sufficientem sustentationem, parum illius interest, utrùm Decimæ ab hoc, an ab alio solvantur, quæ integræ non debentur Parocho, nisi juxta consuetudinem præscriptam. Non secundum, tum quia fieri potest, ut licèt unus, vel alter Decimas non solvat, non ideo tamen cæteri Parochiani plus solvant Parocho; quia quilibet solvit tantùm Decimas ex suis fundis, nec ideo plus dat, quòd hic, vel ille nihil det. Tum quia potest aliquis privatus, ex rationabili causa, eximi à communi onere aliorum: cujusmodi causam intervenisse præsumitur, quando exemptio à Decimis per consuetudinem est legitimè præscripta, vel etiam præsumitur privilegium aliquod esse concessum, vel saltem bonâ fide existimatum esse, illud præcessisse, cùm non sit verisimile, quòd Parochi, ad quos jus talium Decimarum pertinebat, tam diu tolerâssent non solvi sibi Decimas, sine justo aliquo titulo, *Suar. cit. c. 12. n. 18.*

CXXXI. Assertio 3. Ad hoc, ut tota aliqua Communitas se eximat ab obligatione solvendi Decimas, per consuetudinem contra legem Decimarum inductam, sufficit tempus 40. annorum, etiam sine titulo, *juxta c. ult. de consuet. junct. Gl. V. Legitimi præcepta, Covarr. cit. c. 17. §. Decimo, Suar. Lib. 1. c. 13. n. 1. & alii.* Ubi tamen distinctione est opus, ut notat *Laym. cit. c. 6. n. 11.* Nam vel Decimæ non solvuntur, sciente, & tolerante S. Pontifice, vel eo ignorante. Priore casu, lex Decimarum non abrogatur à Communitate, quæ longo tempore non solvit Decimas, propriè viâ præscriptionis: sed potiùs viâ conventiæ, sive per tacitam revocationem Legislatoris, accedente præterea expresso, vel tacito consensu eorum, quorum interest, solvi Decimas, & tamen illas non exigunt, censentur enim illas tacitè remittere. Et tunc non requiritur certum, ac determinatum tempus ad abrogandam legem Decimarum: sed sufficit tantum tempus, & tot actus legi contrarii, ex quibus possit præsumi tacitus consensus Legislatoris, & quòd actus illi, vel omissiones actuum pervenerint in notitiam illius. At verò posteriore casu, ad abrogandam legem Decimarum, per contrariam consuetudinem, cum bona fide, requiritur tempus 40. annorum, sine alio titulo, *juxta cit. c. ult. de præscript.* Imò sunt, qui putant minus tempus, videlicet 10. annorum sufficere. Sed prius saltem in hac lege Decimarum est tutius, & juri communi conformius, etsi non sit in illo satis expressum; quia talis consuetudo cedit in grave damnum Ecclesiæ, ideóque longissimo tempore opus est, ut possit probabiliter præsumi tacitus consensus S. Pontificis, *Suar. cit. c. 13. n. 7.*

CXXXII. Porro quamvis per se loquendo, ad inducendam consuetudinem abrogatoriam legis Decimarum sufficit, quòd populus, seu Communitas aliqua fuerit in possessione immunitatis à solvendis Decimis per annos 40. cum bona fide, continuatâ, sine alio titulo;

titulo: reipsâ tamen requiritur, ut multò longiore, tempore Communitas Legem illam non observârit, nam populus ab initio non solvendo Decimas, cùm sciret, se ad id ex Lege Ecclesiastica teneri, peccavit, ergo successores, seu posteri eorum non possunt, bonâ fide, & sine peccato inchoare præscriptionem contra Legem Decimarum, nisi sciant, quòd ab antecessoribus suis jam per longissimum tempus non fuerint solutæ Decimæ, ac proinde putent, ipsos justam causam habuisse non solvendi, propter privilegium ipsis concessum, vel tacitâ revocationem Legislatoris, vel similem causam ipsis incognitam: Ex quo infertur, quòd populus per contrariam consuetudinem non possit abrogare Legem Decimarum, sine titulo, & S. Pontifice ignorante, nisi Decimas non solverit per tempus immemoriale, quod tribuit præsumptionem juris, actituli, ut docet *Suar. c. l.*

Illud hîc præterea notandum, quòd nunquam possit Lex Decimarum per præscriptionem, aut contrariam consuetudinem ita abrogari, quin si postea, mutato rerum statu, Ministris Ecclesiæ necessaria, & congrua sustentatio desit, ex alijs proventibus Ecclesiasticis, præceptum solvendi Decimas, ex vi Legis naturalis, saltem quatenùs illæ necessariæ sunt, ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, de novo incipiat obligare. Neque etiam ita potest dicta Lex tolli, quò minùs semper S. Pontifici maneat libera potestas præcipiendi, ut Decimæ integræ iterum solvantur Clericis, non obstante contrariâ consuetudine, etiam immemoriali: idque non tantùm propter indigentiam Ministrorum Ecclesiæ: sed etiam ob aliàs justas causas, ob quas id ad bonum Ecclesiæ expedire, judicaverit, quæ potestas cùm sit Divina, quippe necessaria ad bonam gubernationem Ecclesiæ, per nullam consuetudinem tolli, vel diminui potest, ut ex communi docet *Suar. cit. c. 12. num. 10. & 11. Laym cit. c. 6. in fine.*

CXXXIII. Assertio 4. Potest inter Clericos, v. g. duos Parochos, vel duas Ecclesias fieri transactio, vel amicabilis cõpositio super Decimis, ita, ut illæ non integrè solvantur: sed pars aliquota tantùm; v. g. duodecima, vel vigesima, prout sumitur ex *c. Dilecti 3. in fine, & ibid. Abb. in fine*, & *c. seq. h. t.* requiritur tamen, ut accedat Superioris auctoritas, si agatur de Decimis futuris in perpetuum, vel ultra vitam transigentis, vel etiam secundùm nonnullos, ad longum tempus, *Suar. Lib. 1. c. 38. n. 6. & 7.* de quo dictum aliàs. At verò de Decimis præteritis, seu fructibus Decimarum, de quibus controversia est, an debeantur, privatâ conventione transigi posse, non est dubium, ut tradit *Suar. c. l. n. 7.* sed & Clerici, ad quos Decimæ de jure pertinent, cum Laicis trasigere, vel componere possunt super illis, cum consensu Episcopi, v. g. ut minorem partem solvant, *c. 2. junct. Gl. V. Personam Ecclesiasticam; & in addit. de transf. Suar. Lib. 1. c. 12. nu. 15.* Denique possunt Decimæ ab Ecclesiasticis interdum omninò remitti ijs, qui illas solvere debent, vel ratione paupertatis, saltem quia egent, quoad decentiam statûs, vel etiam divitibus, concordiæ, vel scandali vitandi causâ, vel ob aliam justam causam, *Suar. cit. Lib. 1. c. 38. num. 6.*

CXXXIV. Postremò hoc loco quæri potest, an per potestatem sæcularem possit quis eximi ab obligatione solvendi Decimas? Resp. negativè, prout decidi-

tur in *c. Tua 25. h. t.* Ubi Innocentius III. ita rescribit: Cùm Laicis nulla sit de rebus spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas: ideò Imperatoria concessio immunitatis, quantumvis generalibus verbis facta sit, neminem potest à solutione Decimarum eximere, quippe quæ Divinâ Constitutione debentur. Consentit *c. Si quis 12. c. Si quis 16. caus. 16. q. 7.* Ratio est, quia nemo potest dare, quod non habet: & pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, *c. Quòd autem 5. de jure Patron.* Laici autem, etiam Imperatores, nullam habent potestatem de rebus spiritualibus disponendi, vel spiritualia Jura alijs concedendi; ergo neque eximendi aliquos ab obligatione Decimatum, quæ sunt quid spirituale. Exemplum concessionis generalis tradit *Gl. in cit. c. Tua; V. Generaliter; h. t.* & habetur etiam in *c. seq. secundum integram ejus lectionem*, v. g. Si Princeps sæcularis in privilegio dicat, *concedimus tibi bona hæc, sine omni onere reali præstando*: per talem concessionem non potest censeri esse concessa immunitas à solvendis Decimis; quia Princeps sæcularis, nec in specie, nec in genere potest disponere de rebus Ecclesiasticis, nec concedere alicui immunitatem à juribus spiritualibus, ad quæ præstanda est obligatus, *Abb. in cit. c. Tua 25. h. t.* Porro quòd in hoc *c. §. fin.* additur de novalibus, de eo infra agetur.

SECTIO VII.

DE DECIMIS LAICALIBVS, sive possessis, aut detentis à Laicis.

§. I.

An, & qua ratione Laici, sive Sæculares sint capaces Iuris Decimandi seu percipiendi Decimas?

CXXXV. Assertio 1. Jus Decimarum, quatenus spirituale est, sive fundatum in titulo spirituali Officij, Laicis concedi non potest, adeóque nec ipsæ Decimæ, prout fructus sunt Ecclesiastici. Est certa, & communis sententia cum S. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. *in corp.* & tradit *Gl. communiter approbata; in c. Quamvis 17. V. Concesserit; h. t.* Idq; expressè statutum est in Concilio Lateranensi relato in *c. 1. c. 16. qu. 7.* Ubi dicitur: Decimas, quas in usum pietatis concessas esse, Canonica auctoritas demonstrat, à Laicis possideri, Apostolicâ auctoritate prohibemus: » sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet » personis eas acceperint, sciant, se sacrilegij crimen » committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.

Idem habetur in *c. Ad hæc 15. h. t.* Ubi Abbas quidam laico cuidam, & ejus hæredibus Decimas per donationem concessit, quam donationem Alexand. III. irritam esse, decernit, quoniam Sanctuarium DEI (videlicet Decima, quatenus est jus merè spirituale) jure hæreditario possideri non debet: ideóque Laicum illum (nisi Decimam illam ipsi Ecclesiæ liberè resignârit) vinculo excommunicationis constringendum esse.

CXXXVI. Similiter in *c. Quamvis*; *h.t.* item Alexander III. rescribit: quamvis sit grave nimis, & » Divini judicij animadversione dignum, si Laici, » quod Sacerdotibus proprium est, in rebus Ecclesiasticis usurpent: id tamen longè majorem horrorem » continet, quando erroris sui fomitem in ipso Cle« ro reperiunt, dum Prælati aliqui Ecclesiæ Decimas, » ipsasque Ecclesias Laicorũ dispositioni relinquunt, » & eos in devia mortis impellunt, quos prædicatione suâ ad viam vitæ reducere deberent. Quare statuit idem Pontifex, ut si quispiam Laico remanenti » in sęculo Ecclesiam, Decimam, oblationémq; cesserit à statu suo, sicut arbor inutilis succidatur, » (id est, ab officio suo suspendatur, vel deponatur, » *Gl. fin. hîc*, vel quandóq; etiam excomunicetur, *Abb.* » *ibid. n. ult.*) & donec rem emendaverit, (sive damnum Ecclesiæ illatum compensaverit, non restituatur. Ratio est, quia Laici spiritualia ministrare non possunt, adeóque sunt incapaces Decimarum, ut sunt stipendium debitum Ministris Ecclesiæ, nec illis per se deberi possunt, & dari, *Suar. Lib.* 1. *c.* 25. *n.* 3. & 4.

CXXXVII. Hinc infertur primò. Quòd nec per concessionem, vel privilegium S. Pontificis, Laicus possit fieri capax juris decimandi, quatenus hoc jus merè spirituale est, est fundatũ in spirituali titulo; quia nec Papa potest concedere Laicis spiritualia ministeria, saltem illa, quæ necessariò pendent à potestate Ordinis, & sine Ordine aliquo exerceri non possunt, ergo nec potest Laicis concedere Decimas in spirituale titulum, ita ut illas percipiant tanquam stipendium debitum, ratione alicujus officij sacri, seu Ecclesiastici, quod per Laicos exerceri non potest, ut est offerre Sacrificium, administrare Sacramenta &c. *Suar. cit. c.* 25. *num.* 5.

Infertur secundò. Laici conversi, etiamsi nullo Clericorũ Ordine sint initiati, capaces sunt juris spiritualis; quia non sunt meri Laici, sed inter Religiosos numerantur, propter tria vota substantialia Religionis ab ipsis edita, ideòque Clericorum juribus, & privilegijs gaudent: cujusmodi sunt Hospitalarij, FF. conversi Religiosorum Ordinum, Professi Ordinum militarium: Equites Melitenses, & Teutonici Ordinis, *c.* 3. *infr. de privileg.* & sumitur etiam ex *cit. c. Quamvis*; 17. ibi: *alicui Laico in sæculo remanenti*: ergo per sensum contrarium, Laicis non existentibus in sæculo, qualis est Religiosus conversus, possunt concedi Ecclesiæ, & Decimæ: ita tamen, ut tales Religiosi Laici, non per seipsos, sed per Clericos Ecclesias regant, & administrent, *Abb. in cit. c. Quamvis*; 17. *n.* 3. *h. t.*

CXXXVIII. Assertio 2. Potest Laicis concedi jus Decimarum, quatenus hoc consideratur, ut abstractum à titulo, ac jure spirituali, & temporale quid est, videlicet jus precisè percipiendi decimam partem fructuum. Et inprimis quidem potest Laicus percipere Decimas, non tantùm nomine Clericorum, ad quos pertinent, quia v.g. fructus Decimarum tanquam Minister, vel Oeconomus Clerici colligit, qui non sibi: sed Domino suo fructus colligit, in cujus dominium, & possessionem transeunt: sed etiam ita potest Laicus percipere Decimas, ut ipsi quoad dominiũ acquirantur. Ut si v. g. Parochus, vel Prælatus Ecclesiæ ipsam commoditatem fructuum decimalium ad unum, vel plures annos vendat Laico, vel ad tempus vitæ suæ locet, ita ut Decimas percipiat jure, & nomine Parochi elocantis, eóque mortuo exspirat locatio, juxta *c.* 2. *de locat.* quia Decimæ sic spectatæ sunt fructus merè temporales, ideóq; etiam Laicis acquiri, & ab ipsis possideri possunt, ac libere distrahi: licèt ipsum jus, seu dominiũ etiam utile Decimarum non possit transferri in Laicum, cùm sit spirituale, *Gl. in cit. c. Quamvis*; *Vasquez* 3. *p. disp.* 236. *c.* 1. *n.* 3. *Navarr. in Manual. c.* 17. *n.* 237. *Sayr. Clav. Lib.* 5. *c.* 15. *n.* 3. *Lugo de Just. disp.* 26. *n.* 1. *Lessius Lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 2. *n.* 11. *Molina de Just. tom.* 2. *disp.* 236. *n.* 2. *Sanchez in Decal. Lib.* 2. *c.* 36. *n.* 1. *Bonacina de Decim. q.* 1. *p.* 1. *n.* 1. *Reginald. Lib.* 10. *n.* 19. *Pirhing h. t. n.* 3. *Schmalzgr. h. t. n.* 3. *Barbosa de Offic. & Pot. Epis. p.* 3. *c.* 39. *n.* 1. *Pal. tom.* 3. *disp.* 3. *p.* 3. *n.* 1. *Rebuff. de Decim. q.* 1. *n.* 1. *Gonzal. h. t. n.* 1. *Leur. q.* 1. *Azor. tom.* 1. *Lib.* 7. *c.* 25. *q.* 1. *Laym. cit. c.* 6. *n.* 3. *in fin.* & alij. Deinde alio modo possunt Decimæ, vel aliqua portio ex fructibus decimalibus conferri Laico, pro modũ alicujus temporalis stipendij, ad certum tempus, vel etiam ad vitam Laici pro obsequio exhibito, v.g. publicè cantando, vel docendo Grammaticam, vel pro alio simili servitio, seu officio, quod per Laicos exerceri potest: tunc enim non conceduntur ijs Decimæ titulo spirituali: sed tanquam merces pro temporali obsequio, adeóq; ut sic sunt quid merè temporale, *Suar. c. l. n.* 10. Denique interdum etiam liberaliter conceduntur, & donantur Decimæ à S. Pontifice Regibus & Principibus sæcularibus, ob eorũ magna merita & beneficia in Ecclesiam collata, talis enim remuneratio ad universale bonum Ecclesiæ est necessaria. Aliquando verò talis concessio Decimarum fit per modum necessarij subsidij, ob bellum, quod Principes gerunt pro defensione Ecclesiæ, contra infideles, hæreticos, vel alios hostes Ecclesiæ. Sæpe etiam concedi solent, auctoritate Pontificiâ, Laicis Decimæ in Feudum perpetuum, cum recognitione alicujus obsequij præstandi Ecclesię, *Azorpi* 1. *l.* 7. *c.* 25. *q.* 11. *Suar. cit. c.* 25. *n.* 11. & 12. Porro si reditus Decimarum, auctoritate Pontificis, alicui Ecclesiæ, sive toti, sive ex parte alimantur, & alteri Ecclesiæ, vel Laico dentur, necesse est, ut Ministris illius Ecclesię aliunde de reditibus necessarijs ad decentem sustentationem provideatur, *Laym. cit. c.* 6. *n.* 3.

§. II.

An ab Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiasticis, Papâ inferioribus, Decimæ in Feudum concedi possint Laicis, & an hi easdem in alium transferre possint?

CXXXIX. Assertio 1. Episcopi, aliique Prælati inferiores, jure antiquo, poterant reditus Decimarum Ecclesiæ suæ, & ob justam causam Laicis concedere in Feudum, etiam perpetuum, ut colligitur ex Decreto ab Urbano II. edito in Concilio Turonico, quod refertur in *c. Episcopum*, vel *Abbatem Lib.* 1. *Feudor. Tit.* 6. ubi dicitur, *de Feudis ante illud Decretum factis, seu concessis, quòd firmiter permanere debent, non autem de datis post Decretum illud.* Ratio est, quia Decretum illud non revocavit infeudationes, ne deinceps fierent: ideòque Feuda, atque illud Decretum ab Episcopis concessa Laicis, possunt etiamnum, tutâ conscientiâ, ab ipsis retineri, *Suar. Lib.* 1. *c.* 26. *num.* 2. Ubi rationem addit, quia Episcopus in sua Diœcesi potest facere, quicquid S. Pontifex potest in tota Ecclesia, nisi prohibeatur.

CXL. Assertio 2. Post prædictum Decretum Urbani II. in Concilio Turonico, anno 1096. celebrato, pala-

editum, vel saltem post Concilium Lateranense sub Alexandro III. Anno Domini 1179. vel 80. habito, (si fortè Constitutio illa Urbani non fuit ubique recepta, ante tempus Concilij Lateranensis) omnes concessiones Decimarum in Feudum perpetuum Laicis factæ, etiam quoad jus decimandi abstractum à spirituali titulo, sine auctoritate S. Pontificis, non solùm illicitæ sunt, sed etiam ipso jure irritæ, prout colligitur ex *cit. c. Ad hæc*; ubi dicitur *non licere Laicis, ita possidere Decimas, ut jure hæreditario illas transmittant ad Successores.* Et in *c. Quamvis* 17. *h. t.* graviter conqueritur Alexander III. quòd nonnulli Prælati Ecclesiarum Decimas dispositioni Laicorum relinquant, quas eis tenere non licet, ubi *Gl. V. Concesserit*; id exponit de Decimis in Feudum perpetuum concessis. Denique in *c. Prohibemus*; 19. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi, prohibitio ista potiùs supponitur jam antea facta, quàm de novo fiat; agitur enim ibi de ijs, qui illicitè Decimas in Feudum tenent: illicitè autem Laici illas non tenebant, ante factam prohibitionem, *Suar. Lib.* 1. *c.* 26. *n.* 4. & 5. Ratio autem hujus prohibitionis fuit, gravis abusus, & prodigalitas Prælatorum in concedendis Decimis jure perpetuo in Feudum Laicis *Suar. c. l. n.* 6.

CXLI. Notandum hîc prætereà primò. Non tantùm concessio in Feudum perpetuum; sed etiam omnis alia juris Decimarum alienatio per donationem, venditionem, permutationem, emphyteusin, locationem (ultra vitam locantis) facta Laicis à Prælatis Papâ inferioribus, sine auctoritate S. Pontificis, est ipso jure irrita, post Concilium Lateranse, vel Decretum Urbani II. & Decimę ipsi Ecclesię, ad quam pertinebant, restituendæ sunt; cùm sine peccato Laici illas retinere non possint, sunt enim hujusmodi concessiones, sive alienationes in futurum omnino prohibitæ, sine consensu Papæ *Gl. communiter recepta, in cit. c. Quamvis*; *V. Concesserit.* quæ prohibitio non fundatur in eo, quòd Jus spirituale Decimarum non possit concedi Laicis, nam hoc modo semper fuit prohibita Laicis concedere Decimas etiam ad tempus. Imò nec ipse Pontifex, saltem ordinario jure, sic illas concedere potest Laicis: sed propter prohibitionem Ecclesiæ, quia Prælati Ecclesiæ abusi sunt potestate concedendi Laicis Decimas, olim ipsis concessas, in detrimentum Ecclesiæ, *Suar. cit. c.* 6. *n.* 6.

CXLII. Notandum secundò. Si Decimæ Laico sint legitimâ auctoritate, sive Episcopi (prout jure antiquo poterant) sive S. Pontificis, post Concilium Lateranense, concessæ, ea concessio ad novalia extendenda non est: sed intelligi tantùm debet de prædijs, quæ tunc existunt, non autem de ijs, quæ postea fient, seu de novo excolentur, prout statuitur in *c.* » *Tua*; 25. §. *Nec occasione*; *h. t.* ubi dicitur: si ab anti- » quo Decimæ Laico, licèt in Feudum sint concessæ, » non ideo etiam Decimas ex novalibus usurpare, si- » ve percipere potest, cùm ejusmodi licentia, sive » concessio Decimarum non sit extendenda: sed po- » tiùs restringenda. Ratio est, quia concessio hæc odiosa est, derogans juri communi, *Gl. fin. in cit. c.* §. *fin. Suar. Lib.* 1. *c.* 23. *n.* 4. Porro cùm Jus percipiendi Decimas ex novalibus per legitimam auctoritatem, videlicet S. Pontificis, Laico ex justa causa concedi possit, ideo, si Laicus à tempore immemoriali, cum bona fide, Decimas novalium percepit, habet pro se præsumptionem tituli, aut privilegij, ideóque illas, tutâ conscientiâ, retinere potest, nec restituere tenetur, donec de contrario constet, sicut de Decimis à Laico, ab immemoriali tempore perceptis, & possessis infra dicetur.

§. IV.

An, & quâ ratione Laici Decimas, quas obtinent, in alios transferre possint?

CXLIII. Assertio 1. Si Laicus Decimas injustè sive sine justo titulo detineat, non potest illas in Feudum concedere, nec alio quovis titulo, nempe venditionis, donationis, permutationis &c. in alios transferre, sive Clericos, sive Laicos, *Covarr. Lib.* 1. *resol. c.* 17. *nu.* 5. *Suar. Lib.* 1. *c.* 26. *n.* 7. & patet ex *c. Prohibemus*; 19. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *c.* 16. Ubi prohibetur, ne Laici, qui Decimas, cum animarum suarũ » periculo, detinent (adeóq; injustè, & non sine pec- » cato) eas possint in alios Laicos aliquo modo trans- » ferre, nec quidem cum consensu Episcopi, (ut ad- » dit *Gl. ibid.*) Si quis verò Decimas ab ipsis recepe- » rit, & Ecclesiæ non reddiderit, Ecclesiasticâ sepul- » turâ privetur, quâ pœnâ, afficiendus est, non solùm qui Decimas à Laico injusto detentore in Feudum, vel alio titulo accepit: sed etiam quivis alius injustus Decimarum detentor, Ecclesiæ, ad quam spectant, non restituit, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. Prohibemus*; Ratio desumitur ex *Reg. jur.* 79. *in* 6. quia nemo potest plus juris transferre in alium, quàm sibi competat; qui injustè autem Decimas accepit, & possidet, nullum jus in illis habet, ergo &c.

CXLIV. Assertio 2. Si quis Laicus Decimas justè possideat, quia nimirum illæ ab antiquo, ante Concilium Lateranense, cum legitima auctoritate Prælati Ecclesiastici, in Feudum perpetuum ipsi sunt concessæ: vel etiam post illud, sed cum auctoritate Papæ, tum valde probabile est, quòd Decimas illas alteri Laico, cum consensu Episcopi, in Feudum concedere possit, ut docet *Gl. in cit. c. Prohibemus*; *V. Laicos*; *Silvest. V. Decima*; *nu.* 16. *dicto* 3. *Suar. cit. c.* 26. *nu.* 7. *Laym. cit. c.* 6. *nu.* 6. *Barb. in cit. c. nu.* 7. *contra Abbat. ibid. n.* 4. & plures alios. Ratio est; quia juxta doctrinam traditam à *Gl. in c. Quæ in Ecclesiarum*; 9. *V. Alienandi Feudum*; *de Constitut.* & communiter receptam, teste *Claro* §. *Feudum*; *q.* 32. *nu.* 1. Vasallus potest Feudum sibi concessum, sive rem feudalem subinfeudare, seu in Feudum alteri concedere, ut constat ex *c. un.* §. *Si verò*; *Lib.* 2. *Feud. Tit.* 9. idque procedit, non tantùm in Feudo sæculari: sed etiam Ecclesiastico, ut docet *Clar. cit. q.* 32. *num.* 2. Quamvis *ibid. nu.* 3. Feudum Decimarum excipiat. Veruntamen cùm nullus juris Textus ostendi possit, in quo prohibeatur Laicus justè Decimas in Feudũ ab antiquo possidẽs eas alteri subinfeudare, saltem cum consensu Episcopi, ideo non est à cõmuni regula & doctrina recedendũ, *Gl. in cit. c. Prohibemus*; *V. laicos.* idq; colligitur etiam ex *c.* 2. *de feud.* ubi decernitur, quòd Episcopus possit Feudum liberè alteri concedere, etiam mortuo vasallo, sine successore, non obstante juramento

de non infeudandis bonis Ecclesiæ: ergo similiter non obstante prohibitione, de non concedendo Feudum perpetuum, à Concilio Lateranensi factâ, potest Episcopus bona jam antea ab antiquo infeudari solita, etiamsi per mortem vasalli vacaverint, & ad Ecclesiam rediêrint, iterum in Feudum concedere, etiam Laico, ante incorporationem talium Feudorum Ecclesiæ factam; quia talis concessio non est nova alienatio, sive infeudatio, sed antiquæ alienationis legitimè facta continuatio: & cùm talia bona, non simpliciter pertineant ad mensam Episcopi, vel Ecclesiæ, qui non habet dominium utile eorum: sed solùm directum, ideo ad illa non extenditur prohibitio, nisi postquam ad Ecclesiam reversa sunt, fuerint illi denuò incorporata, *Suar. cit. c. 26. n. 9.* & patet ex dictis supr. *Tit. 20.* Et in specie quòd Decimæ Laicis in Feudum dari solitæ, si ad Ecclesiam revertantur, possit Prælatus illas alteri Laico in Feudum dare, docet *Clar. §. Feudum; q. 13. nu. 2.* Ex quo infertur, quòd etiam ipse Vasallus Laicus, qui ab antiquo Decimas in Feudum accepit, possit illas alteri in Feudum dare; quia potest sub infeudare, sive subvasallum sibi constituere, ut dictum.

CXLV. Assertio 3. Laicus, qui injustè Decimas possidet, quia nimirum eas à non habente potestatem dandi accepit, si induci non possit, ut illas propriæ Ecclesiæ, ad quem pertinent, restituat, potest Decimas illas, non quidem transferre in alium Laicum: sed in Clericos, præsertim Religiosos, vel cuicúnque voluerit Ecclesiæ illas dare, accedente tamen Episcopi consensu, prout habetur in *c. Cùm Apostolicæ; 7. De his quæ fiunt à Præl. sin. consens. cap. & c. ult. caus. 16. q. 1.* & dictum supra *cit. Tit. Suar. cit. c. 26. num. 11.* Ratio autem, cur requiratur Episcopi consensus, est, quia Laici de rebus Ecclesiasticis disponendi nullam habent facultatem, *c. 1. & seqq. c. Decimas; 39. caus. 16. q. 7.*

CXLVI. Cæterùm licèt Laici possint Decimas eis in Feudum perpetuò concessas, ante Concilium Lateranense, restituere illi Ecclesiæ, ad quam pertinebant, etiam sine consensu Episcopi, *cit. c. Cùm* » *Apostolicæ*; non tamen possunt alijs Ecclesijs, vel » Religiosis, sive exemptis, sive non, hujusmodi » Decimas dare, neque hi illas à Laicis accipere, si- » ne consensu Episcopi Diœcesani, tametsi Laici di- » cant, ipsos Religiosos sibi dictas Decimas dedisse in » Feudum, prout statutum est in c. 2. §. *Sanè; h. t. in 6.* Ex quo sequitur, quòd si tales Decimæ ante Conciliũ Lateranense sint ipsis Laicis concessæ in Feudum perpetuum, possunt Religiosi ab ipsis illas accipere, accedente tamen Episcopi consensu. Ratio est, quia si Laici possent Decimas, quas ab antiquo obtinent, pro arbitrio transferre in Religiosos, vel alios Clericos sæculares, sæpe fingerent, se illas ab his, vel illis Religiosis, aut Clericis recognoscere in Feudum, ut ita ipsis illas Decimas dare possint, etiam sine consensu Episcopi, & sic Ecclesia propria, ad quam de Jure aliàs Decimæ illæ spectabant, illis defraudaretur, *Gl. in cit. c. Sanè; V. Assensu; Vivian. in Ration. ibid.* Ad- » ditur in *fine cit. §. Sanè*; Illas Decimas posse Reli- » giosos recipere, vel acquirere à Laicis, quæ ante » Concilium Lateranense (sub Alexandro III.) in » Feudum perpetuò fuerunt concessæ. Ex quo infertur, quòd si Laici, post Concilium Lateranense, detinent Decimas, sine justo titulo, omnino debeant illi Ecclesiæ restitui, ad quam antea pertinebant, nec posse, etiam cum consensu Episcopi, alijs Ecclesijs regularibus, vel sæcularibus applicari, ut colligitur ex *cit. §. Sanè; in fine*, & docet *Suar. cit. c. 26. in fine*, quamvis jam ante ab Urbano II. fuerit prohibitum, ne Prælati Papâ inferiores darent Decimas Laicis in Feudum perpetuum, tamen in dicto §. *Sanè*, approbantur, tanquam licitæ, omnes tales infeudationes Decimarum Laicis factæ, ante Concilium Lateranense, quod erat posterius Concilio Turonico, & Decreto Urbani II. Idque, vel quia Constitutio Urbani, quæ infeudationes antea factas sustinebat, per consuetudinem, ac veluti præscriptionem extensa fuit, usque ad tempora Concilij Lateranensis, ut putat *Suar. cit. c. 26. num. 6.* Vel quia ipsum Concilium permisit, ad vitanda scandala, ut Laici Decimas ante dictum Concilium in Feudum ipsis concessas, etsi illicitè, & contra prohibitionem Urbani II. possent, cum consensu Episcopi, in Religiosos transferre, ut sic utilitati Ecclesiarum cosuleretur: non autem Decimas deinceps concedendas, sicut in aliam etiam materijs; Jus solet illicitè facta in præteritum tolerare, sed in futurum prohibere, ne deinceps, sive de cætero fiant, ut notat, *Barbos. tr. de Offic. Paroch. p. 3. c. 28. §. 3. num. 62.*

CXLVII. Porro contra id, quod supra dictum est, Laicum ab antiquo justè possidentem Decimas, eas alteri Laico in Feudum dare, sive alterum in eo subinfeudare posse, objicit *Abbas in cit. c. Prohibemus; in fine* id cessurum in magnum præjudicium Ecclesiæ: nam si primus vasallus moriatur, sine hærede masculo, Feudum, quod aliàs per mortem ipsius ad Ecclesiam reversum fuisset, manebit apud secundum vasallum, sive subvasallum, ejusdémque descendentes masculos in perpetuum, quamdiu tales extant; quia spectato Jure communi, si vasallus subinfeudans moriatur, sine descendentibus, & agnatis, qui in Feudo succedere possint, vel si per feloniam ab ipso commissam, Feudum aperiatur Domino, potest subvasallus illud retinere, si paratus sit, debita servitia, & obsequia, sicut primus vasallus, domino præstare, neque hic revocare Feudum potest à vasallo, ut constat ex *c. unic. §. Si verò; Lib. 2. feud. Tit. 9.* & est communis sententia. Sed respondetur in primis, quòd hoc in praxi receptum non sit, teste *Claro §. Feudum; qu. 32. num. 5.* idque meritò; quia alienum est à Jure communi, secundùm quod, dissoluto jure concedentis, resolvitur etiam jus ejus, cui concessio facta est, *l. Lex; 31. ff. de pig.* Deinde licèt id in Feudis sæcularibus probabiliter locum habere possit, quia Dominus Feudum primo concedens, censetur vasallo tacitè concessisse potestatem, illud liberè subinfeudandi alteri, si expressè illam non prohibuit, ut tradit *Rosenth. tr. de feud. c. 9. concluf. 49. in fine.* Attamen in Feudis Ecclesiasticis id non procedit, maximè in Decimis concessis in Feudum; quia cùm talis infeudatio sit strictissimi juris, propter tacitum, vel præsumptum consensum concedentis Feudum, extendi non debet. Si tamen Prælatus, vel tempore factæ subfeudationis, vel tempore, quo Feudum Ecclesiæ suæ apertum est, expressè consensit, ut Sacerdos vasallus Decimarum Feudum retineat, si eadem servitia præstare, & ab Ecclesia illud recognoscere velit, censebitur de novo ipsi Feu-

dum

dum concessum esse; quia Prælatus potest Decimas in Feudum olim Laicis legitimè concessas, denuò alijs in Feudum concedere, ut docet *Clar.* § *Feudum*; *qu.* 13. *n.* 2. ex communi Dd. sententia.

CXLVIII. Assertio 4. Laicus possidens Decimas non potest illas oppignorare alijs, sive Laicis, sive etiam Clericis, prout sumitur ex c. *Interdicimus*; » 35. *& ult. h.t.* ubi Papa Gregorius IX. ait: Interdi- » cimus omnibus personis Ecclesiasticis, ut Decimas » detentas à Laicis, quæ ad alienas Ecclesias perti- » nent, in pignus accipere, ab ijsdem Laicis non præ » sumant. Id verò dupliciter potest intelligi, primò, quòd nulla Ecclesiastica persona, Decimas, quas Laicus de facto, & injustè detinet, possit ab ipso in pignus accipere; quia de Jure spectant ad aliquam Ecclesiam, ut colligitur ex illis verbis, *ad alienas Ecclesias*: res autem, quæ in bonis nostris non sunt, sed alienæ, in pignus dare non possumus, *l. Filios*; 6. c. *Quæres pign. oblig. poss.* Et quidem, nec cum consensu Episcopi, ejusmodi Decimę dari possunt Clericis in pignus, ne Ecclesia iniquitatem Laici, eas injustè detinentis, approbare videatur, ut tradit *Jo. Andr. hic nu.* 2. *& Abb. in fine hujus cap.* Secundò, potest intelligi, quòd Laicus Decimas ab antiquo in Feudum sibi legitimè concessas, non possit alteri Ecclesię oppignorare, ut nimirum tales Decimæ citiùs perveniant ad Ecclesiam, ad quam de Jure spectant: quod tamen limitandum est, nisi Episcopi consensus accedat: si enim Laicus obtinens Decimas in Feudũ, potest illas donare Ecclesiæ, vel Clerico, cum consensu Episcopi, juxta c *Cum Apostolica Sedis*; 7. *De his quæ fiunt à Præl. & c.* multò magis poterit illas oppignorare, cum consensu ejusdem; quia cui conceditur majus, videtur etiam minus esse concessum, *Innoc. in cit. c. ult. & ibid. Abb. n.* 4. talis verò consensus Episcopi requiritur, si Episcopus Decimas tanquam Dominus directus in Feudum concesserit, sine cujus consensu, res feudalis alteri pignori obligari non potest, alioqui verò non videtur jam in usu esse, ut requiratur consensus Episcopi diœsani, ad oppignorandum Decimas à Laico in Feudum obtentas.

CXLIX. Assertio 5. Potest per consuetudinem induci, vi cujus Laici liberè disponere possint de Decimis, sicut de bonis suis patrimonialibus, & non tantùm in Feudum illas concedere: sed etiam vendere, permutare, donare, in dotem dare, & per judicium familiæ herciscundæ inter hæredes eas dividere possint, prout talis consuetudo extat in Regno Hispaniæ, & Galliæ, ut refert *Gutier. Lib.* 1. *pract. qq.* 9. 15. *num.* 7. *& Barb. in Collect. in c. Prohibemus*; 19. *nu.* 7. *h. t.* Imò hujusmodi consuetudo etiam in Germania nostra in plurimis Decimis, quas Laici possident, viget, neque sine ingenti animarum damnatione, innumerorum contractuum eversione, potest damnari, vel reijci, ut ait *Gutier.* Siquidem tales Decimæ per legitimam Sedis Apostolicæ auctoritatem penitus à Titulis Clericalibus sint abstractæ, & separatæ, & Laicis in Feudum concessæ, v. g. alicui Regi, aut Principi, ut illas tanquam bona propria, & patrimonialia possideant: vel etiam si à tempore immemoriali, cum bona fide, ab ipsis Laicis tali modo sint possessæ, sine ullius contradictione: tunc enim in possessione sua relinquendi sunt (à qua se dimoveri non patiuntur) donec liquidè constet, hujusmodi Decimas non legitimè, vel non tali modo ad ipsos Laicos pervenisse. Ratio est, quia consuetudo, sive possessio immemorialis habet vim præsumpti privilegij, vel alterius legitimæ concessionis factæ, sive inducit præsumptionem legitimi Tituli, & sufficientem ejus probationem, etiamsi nunc probari, aut exhiberi non possit; ut docet *Suar. Lib.* 1. *c.* 27. *n.* 3. *&* 4. *Covarr. Lib.* 1. *resp. c.* 17. *n.* 5. §. *Sed si dubitetur*, *Silv. V. Decimæ*; *qu.* 10. *dicto* 2. & sumitur ex *l. ult. ff. de aqua*, *& aquæ pluv. arcend.* ibi: *quibus auctoritatem vetustas daret*, tametsi jus (Titulus scilicet, *Gothofr. ibid.*) non probaretur. Idémque dicendum, si Laici recognoscant Decimas, tanquam in Feudum sibi ab Ecclesia concessas: nam quamvis aliàs, spectato Jure communi Feudorum, vasallus non possit Decimas, vel alias res in Feudum concessas, sine consensu Domini, alienare, sub pœna amissionis Feudi: si tamen Laicus quispiam ab immemoriali tempore, cum bona fide, & sine contradictione, Decimas non tantùm subinfeudavit: sed etiam quovis modo liberè alienavit, sine consensu Domini directi, videlicet Ecclesiæ, vel Episcopi, v. g. ante Concilium Lateranense, à quo illas in Feudum recognoscit, hac suâ possessione non debet privari, donec de contrario liquidè constet, ut patet ex dictis. Porro quòd Laici non possint, viâ solius præscriptionis, etiam cum bona fide, & possessione, seu detentione per tempus immemoriale, acquirere Jus percipiendi Decimas, quatenus spirituali Titulo annexum: imò neque quatenus Jus percipiendi Decimas à spirituali Titulo separatum est, & Jus quoddam temporale, dictum est supra *Lib.* 2. *Tit.* 26. *de præscript. Sect.* 2. §. 2. & docet *Suar. Lib.* 1. *c.* 27. *n.* 3. *Covarr. cit. c.* 17. *num.* 6. § *Quarto*; *Laym. cit. c.* 6. *num.* 8. *&* 9. & alij communiter.

CL. Postremò prædictis hoc loco addendum, quòd concessio, vel donatio Ecclesiæ, aut Decimarum, vel alterius Juris spiritualis à Laicis facta, non tribuat Titulum coloratum, & justam causam præscribendi, adeo, ut etiam Ecclesiasticæ personæ possidentes Ecclesiam, aut Decimas, vel aliud Jus spirituale: nullo unquam tempore præscribere possint, si se fundent super donatione, vel concessione Laici, etiam Regis, aut Principis, prout sumitur ex c. *Dudum*; 31. *h. t.* Nam ortâ controversiâ inter Episcopum Ve- »
sprienſem, & Fratres Hospitalis Hierosolymitani »
S. Stephani, super Decimis, coram Papa Innocen- »
centio III. Is auditorem dedit Cardinalem: Epi- »
scopus tanquam actor petijt Decimas ex terris, quæ »
per rusticos Hospitaliorum intra Diœcesin suam ex- »
coluntur, & insuper quasdam Ecclesias, quæ ab ijs- »
dem Hospitalarijs detinebantur, fundans inten- »
tionem suam in Jure communi. Sed Prior Hospi- »
talis allegans præscriptionem in dictis Decimis, »
& Ecclesijs, dixit, se non teneri ad hæc Episcopo »
respondere. Re ad Papam delatâ, Is mandavit, ut »
idem Prior Titulum præscriptionis, quam allega- »
verat, probaret. Tum Prior exhibuit privilegium »
Regis, & Reginæ Hungariæ, qui Ecclesiam S. Ste- »
phani, ad quam dictæ Ecclesiæ, & Decimæ perti- »
nebant, in perpetuam Eleemosynam Hospitali do- »
nationis titulo concesserunt: & præterea Scriptum »
exhibuit Papæ Clementis, per quod probare vole- »
bat, dictam concessionem plenè confirmatam fuis- »
se. Sed vicissim ex parte Episcopi replicatum fuit, »

» quòd pars adversa non potuerit circa Decimas, &
» Ecclesias à Rege, & Regina donatas, præscriptio-
» nem opponere, quippe quæ nec ex donatione ipso-
» rum initium valoris sui habere potuerit: neque à
» dicta confirmatione tantum temporis effluxerit, ut
» posset præscriptio confirmari; ideóque Titulus ille
» donationis Regis, & Reginæ ab ipso allegatus nul-
» lus fuerit: cùm sacrilegij crimen incurrat ille, qui
» Ecclesias, vel Ecclesiasticum aliquid de manu Laici
» acceperit. Contra confirmationem verò fuit op-
» positum, quòd cùm ea facta fuerit confusè, & ver-
» bis generalibus, Ecclesiam S. Stephani, cum om-
» nibus Decimis, Ecclesijs, & alijs, quæ ad eandem
» pertinent, confirmando; ideo per talem confirma-
» tionem Jus Episcopale non tollitur, cùm de eo ni-
» hil jn illa sit expressum, (prout habetur in integra
» lectione hujus c.) Quare cum prædicti donatores
» non potuerint alijs conferre, quæ ipsi de Jure pos-
» sidere non potuerunt, & per confirmationem Cle-
» mentis Papæ, etiamsi in authentico Instrumento
» exhibeatur, Juri Episcopali nullatenus deroge-
» tur. Idcirco Pontifex Innocentius per sententiam
» prohibet, ne Fratres Hospitalis Episcopum in po-
» sterum impedire præsumant, quò minùs dictas De-
» cimas percipiat, & pacificè possideat.

CLI. Porro explicatione hujus c. notandum primò. Clericus, vel alia persona Ecclesiastica potest quidem præscribere Ecclesias, & Decimas contra Episcopum loci, ita tamen ut probare debeat titulum, saltem coloratum possessionis suæ; cum Jus commune stet pro Episcopo contra ipsum, *Abb. hic num.* 3. Si tamen Clericus quispiam, vel Monasterium ab immemoriali tempore possedisset, bonâ fide, Ecclesias, vel Decimas, non foret necessarius Titulus, vel ejus probatio; quia talis possessio inducit præsumptionem legitimi Tituli, imò etiam vim habet Tituli, si præscribens sit capax possidendi rem, vel jus, quod præscribit, *arg. l.* 3. §. *Aquæ ductus*; *ff. de aqua quotid.* & ex supra dictis patet.

Notandum tertiò. Laici non possunt concedere, sive donare Ecclesias, Decimas, & similia spiritualia Jura, in quacúnque dignitate sint constituti; quia nemo potest dare, quod non habet, & pro non dato habetur, quod ab illo donatur, qui non potest de jure donare, *c.* 5. *in fine*; *de jure Patr. Gl. hic V. Non potuerint*: Laici autem jura spiritualia habere, aut possidere non possunt, ut dicitur in *cit. c. Dudum*; ergo nec alijs conferre.

Notandum tertiò. Concessio, vel donatio juris decimandi, vel alterius similis juris spiritualis, à Laico facta, ita est nulla, ut nec legitimum Titulum, sive causam præscribendi tribuat, cujus ratio est; quia qui accipit Decimas à Laico, credens, talem concessionem, seu donationē validam, & justam esse, sive Laicos Decimas concedere posse, is errat in jure, error autem juris in præscriptione, seu usucapione nō prodest, *l. Nunquam* 31. *ff. de usucap.* Neque manifestus error juris potest cum bona fide consistere, qui enim contra Jura mercatur, bonam fidem non habere præsumitur, *Reg. jur.* 82. *in* 6. *l. Quemadmodum*; 7. *c. de agricol. l.* 11. sine bona fide autem nulla potest currere præscriptio *c. Vigilanti*; 5. *c. Si diligenti*; 17. *c. Quoniam*; 20. *de præscript Abb. in cit. c. Dudum*; *n.* 6. *h. t. Gl. in c. Apostolicæ*; 9. *V. Præscriptione de donat.*

CLII. Notandum quartò. Is, qui Ecclesiam, vel Decimas in spirituali Titulo fundatas, vel aliud Jus spirituale à Laico accipit, crimen sacrilegij committit; quia rem sacram, sine legitima auctoritate, usurpat, & accipit, *cit. c. Dudum*; *& Abb. ibid. n.* 7. Imò tales ipso jure sunt excommunicati, *c. Generali* 13. *de elect.*

Notandum quintò. Per confirmationem jurium, vel privilegiorum, quæ alicui competunt, v. g. Ordini Religioso, factam à Papa, in forma communi, vel sub terminis generalibus, v.g. confirmamus vobis Ecclesiam, cum Decimis, & omnibus ad eas pertinentibus, nullum infertur præjudicium personæ tertiæ, quò minùs Monasterium v. g. probare debeat, bona, vel jura illa ad se pertinere; quia verba talis confirmationis narrativa sunt, quæ tacitam conditionem in se continent, scilicet *Si ita est*, quòd hæc bona, vel jura ad vos pertineant, *Abb. in cit. c. Dudum*, *n.* 8. Sed neque talis confirmatio facta à Papa, in forma communi tribuit Titulum coloratum, & justam causam præscribendi, si Ecclesia Jus decimandi, vel aliud Jus spirituale accepit à Laico, prout sunt *ex cit. c. Dudum*; quia talis confirmatio requirit Jus, ac Titulum, qui cùm sit irritus, ob manifestum juris errorem, non potest inde oriri aliqua præsumptio, vel bona fides; secùs est, si erratum fuerit solùm in facto, ut quia putabatur v. g. Capitulum confessisse, *Abb. in cit. c. Dudum*; *n.* 12. *&* 13.

SECTIO VIII.

DE IVRE, QVOD COMPETit Ecclesiæ, vel Clericis in Decimas & quâ actione illæ exigi possunt. Item de Iudice, in causa Decimarum, ac pœnis non solventium Decimas.

§. I.

Quale Ius habeat Ecclesia, vel eius Rectores in Decimis, seu fructibus Decimarum?

CLIII. Supponendum est, quòd Decimæ sint debitæ Ecclesiæ, ejúsque Ministris ex justitia, quatenus solvi debent pro necessaria sustentatione Ministrorum Ecclesiæ. Et quidem etiam secundùm determinationem factam ab Ecclesia, ut videlicet sint pars decima fructuum, debentur Decimæ ex justitia Parochis, aliísque Ministris Ecclesiæ à fidelibus, quia Ecclesia præcepto, sive Lege suâ eas determinando, constituit earum obligationem immediatum objectum justitiæ, sicut, si Lex Civilis taxet, & determinet certum pretium frumenti, illud ex justitia servandum est, ut docet *Suar. Lib.* 1. *de Relig. c.* 36. *n.* 1.

LIV. Assertio 1. Si sermo sit de Decimis, seu fructibus nondum decimatis, sive separatis à reliquis fructibus, Ecclesia, vel ejus Rectores, aut alii-

Ministri non habent plenum, sive perfectum, & propriè dictum, ac rigorosum dominium eorundem, etiam pro indiviso: licèt habeat non solùm Jus personale ad illos, sed etiam Jus reale in illis, quale habet usufructuarius in fructibus nondum collectis, & perceptis, quod quasi dominium, sive utile dici potest, *Suar. cit. c. 36. n. 8.* Ratio primæ partis est, quia Decimæ, priusquâ sunt separatæ ab alijs partibus fructuum, sunt adhuc in bonis, sive dominio ejus, cujus sunt prædia, & fructus, fructus enim sequuntur dominum rei frugiferæ, ergo cùm Ecclesia non habet dominium propriè dictum fructuum, qui ex fundo sunt enati, *arg. l. 2. §. Si Decimam; ff. de pollicit.* ubi dicitur: *si Decimam quis bonorum vovit, Decima non prius esse in bonis desinit* (scilicet Domini fundi) *quam fuerit separata:* Ubi licèt sermo sit de Decima debita ex voto, tamen eadem ratio est, de eâ, quæ debetur ex præcepto; cùm votum sit quasi lex quædam privata. Secunda pars colligitur ex *c. Ex moderamine; 23. junct. Gl. V. Sibi vendicent;* & *c. Decimæ; 66.* ibi: *res alienas invasit, caus. 16. q. 1. Abb. in c. Commissum; 4. num. 4. & 5. h. t. Suar. c. l. n. 8. & 14.* Idque probatur, quia apud quemcúnque fructus indecimati existunt, sive ad quemcúnque pervenerint, potest Ecclesia immediatè illas petere; ut colligitur ex *c. Pastoralis; 28. h. t.* ubi dicitur; *fructus non posse alienari, nisi cum onere Decimarum*, scilicet cum onere reali, quod ipsis fructibus veluti inhæret; & in *c. Cùm non sit; 33. eod.* dicitur: eos, ad quos census, vel tributa ex fructibus indecimatis pervenerunt, cogendos esse, decimare Ecclesijs, quibus de jure debentur; quoniam res cum onere suo transit, quod signum est alicujus dominij, quia tunc tenetur emptor v. g. fructuum non decimatorum, ratione rei acceptæ, illos restituere, saltem quoad decimam partem, ergo signum est illam Decimam esse illius Ecclesiæ, cui debetur: alioqui, si Ecclesia non haberet jus ex ipsis fructibus indecimatis, jus decimandi non transiret cum ipsis fructibus, nec ad Decimas ex ijs solvendas teneretur emptor fructuum, cum quo Ecclesia, vel Parochus non totraxit: sed solùm venditor obligatus maneret, ut ex alijs bonis suis satisfaciat Ecclesiæ, *Suar. cit. c. 36 n. 10.*

CLV. Assertio 2. Postquam fructus decimales à reliquis fructibus sunt separati, & designati, eorũ dominium directum, & utile, ad Ecclesiam spectat, etiamsi actualis traditio, sive realis apprehensio nondum sit facta, juxta *l. Ut inter 3. 23. & l. ult. C. de SS. Eccles.* ubi habetur, quòd dominium rerum Ecclesijs, vel alijs pijs locis venditarum, donatarum, vel alio titulo hujusmodi debitarum, statim, etiam ante traditionem, ipsis acquiratur, ob speciale privilegium; *Gl. in cit. c. Ex moderamine; 23. V. Sibi vendicent; Laym. Lib. 3. tr. 1. c. 5. nu. 8.*

§. II.

Quâ actione Ecclesia, vel eius loco, Parochus, aut Episcopus in Iudicio exigere possit Decimas sibi debitas?

CLVI. Assertio 1. Si moveatur quæstio, sive lis, de ipso jure decimandi, ad quem pertineat, tum Ecclesia instituere debet actionem confessoriam utilem, per quam petitur, à Judice declarari. Jus decimandi sibi competere: est enim hæc actio realis, quæ datur Domino pro juribus incorporalibus, seu spiritualibus consequendis, sicut rei vindicatio competit domino pro rebus corporalibus obtinendis; Jus autem percipiendi Decimas, est sub dominio Ecclesiæ, ideóque hæc petere potest, ut sibi, tanquam ad se pertinens, adjudicetur, *Gl. in c. Tua; 26. V. Tributa; vers. Sed quâ actione; h. t. Abb. ibid. n. 11. Suar. cit. c. 36. n. 9.*

CLVII. Assertio 2. Si non de jure decimandi: sed de ipsis Decimis, sive fructibus decimalibus agatur, nondum separatis à fundo, vel reliquis fructibus, qui injustè detinentur, tum Ecclesia agere potest ad separationem, ac solutionem, non quidem propriè, ac strictè dictâ rei vindicatione, quæ soli domino competere solet: sed condictione ex Lege, seu Canone, quæ licèt sit actio personalis, est tamen simul etiam in rem scriptâ, sive rei persecutoria, ita ut contra quemvis fructuum non decimatorum possessorem institui possit, juxta *c. Pastoralis; 28. h. t.* & tradit *Gl. in cit. c. Moderamine; V. Sibi vendicant; in fine, Abb. in cit. c. Tua nobis; nu. 11. & 12.* Porro licèt hæc condictio non sit propriè, ac strictè rei vindicatio; quiâ hæc dominium supponit, condictio autem nunquam competit ei, qui se dominum rei dicit: sed datur non domino, exceptâ condictione furtivâ; per quam etiam à domino agi potest contra furem, & ejus hæredem, idque in odium furis specialiter statutum est; §. *Sic itaque Institut. de action.* & tradit *Gl. in l. Certi; V. Certum petitur; ff. de reb. credit.* & habetur etiam in *l. ult. junct. Gl. V. Nisi furi; ff. Usufructuar. quemadmodum caveat.* Ubi dicitur, neminem posse condicere rem suam, nisi furi, id est, à fure: nihilominus tamen cùm hæc condictio sit rei persecutoria, rectè etiam, non quidè directa, sed utilis rei vindicatio appellari potest, ut ex *Gl. in §. Si quis in aliena; V. Utilis actio; Instit. de rer. divis.* notavit *Suar. cit. c. 36. n. 9.* quæ datur quasi domino, sive utile dominium in re habenti.

CLVIII. Assertio 3. Hæc condictio ex Canone competit Ecclesiæ, vel Parocho, non tantùm contra quemvis Decimatum possessorem; sed etiam illum, qui fructus, sive adhuc solo hærentes, & à reliquis fructibus nondum separatos: sive jam separatos, & decimatos, per dolum, vel notabilem culpã, seu negligentiam destruxit, vel perdidit, tunc enim agi potest ad æstimationẽ fructuum Decimalium, nempe ad id, quod spectatis alijs annis, Ecclesia solebat, & poterat percipere; cùm Ecclesia ob culpam, vel negligentiam alterius, non debeat damnificari; *S. Thom. 2. 2. qu. 87. art. 2. ad 4. Innoc. in c. Commissum; 4. h. t. & ibid. Io. Andr. n. 5.* ubi etiam ait, talem destructorem non excusari, ob supervenientem postea casum grandinis, vel similem; quia ante jam dolum, vel culpam commisit, & satis est, quòd fructus poterant non perire.

CLIX. Hinc infertur primò, quòd hæc condictio rei persecutoria longè sit utilior Ecclesiæ, quàm si directa, & propriè dicta vindicatio ei competeret, quippe quæ re destructâ extinguitur; non item dicta condictio ex Canone, ut patet ex dictis. Quòd si Decimæ alicui debeantur ex consuetudine, tum agi potest condictione ex Lege consuetudinariâ, approbatâ per Legem Canonicam, *Abb. in cit. c. Tua nobis; n. 11. h. t.*

In-

Infertur 2. Parum referre, sive in libello Judici oblato dicatur, quòd Ecclesia, cujus nomine Parochus agit, Decimas tanquam sibi debitas condicat, sive quòd tanquam suas vendicet; nam uterque modus in Canonibus reperitur, & spectato Jure Canonico, de nomine actionis parum curatur, cùm non sit necesse exprimere nomen actionis in libello, *c. Dilecti 6. de judic.* & notat *Hostiens. in cit. c. Tua nobis*, *V. Tenetur*; *h. t.* dummodo aliàs petitio rectè sit formata,

Infertur 3. Si dominus prædij Decimis obnoxij vendat, vel elocet illud colono, tali pacto, ut Ecclesia ab emptore, vel conductore Decimas consequi non possit, tum Ecclesia, vel ejus nomine Rector, aut Prælatus agere potest, contra ipsum dominum prædij, ut damnum illatum Ecclesiæ resarciat, & solvat æstimationem Decimarum; cùm sit causa damni illati, sic paciscendo, ut docet *S. Thom. cit. q. 87. art. 2. ad 4. Suar. cit. c. 36. n. 15.*

CLX. Idque confirmatur ex eo, quia dominus prædij tenetur tali modo vendere, vel locare prædium, ut Ecclesia Decimis ex ex illo debitis non defraudetur, prout sumitur ex *c. In aliquibus*; 32. » *h. t.* Nam cùm in quibusdam Regionibus populi » aliqui permixti essent, qui licèt Christianorum no- » mine censerentur, tamen secundùm ritus suos, De- » cimas solvere non consueverunt (qui videntur fuis » se hæretici, vel schismatici, ut notat *Abb. hîc n. 1.*) » His igitur quidam domini prædia sua excolenda » tradebant, & ita Decimis defraudantes Ecclesias, » ut majores ipsi inde redirus cõsequi possent. Quare » Innocentius III. in Concilio Generali volens con- » sulere Ecclesiarum indemnitati, statuit, ut ipsi » domini illis personis, & tali modo sua prædia ex- » colenda dent, ut Decimæ ex ijs, absque contradi- » dictione, & integrè persolvantur, & ad id, si ne- » cesse fuerit, per Ecclesiasticas censuras compel- » lantur.

Ex quo colligit *Abb. hîc num. 3.* Ecclesiam, ratione Decimarum, habere jus quoddam in ipso fundo, ob quod compellere potest dominum fundi, ut talibus colonis fundum locet, qui utiliter, & fideliter eum colant, ne Ecclesia Decimis fraudetur: quamvis aliàs dominus prædij non teneatur procurare, ut conductor, seu colonus Decimas solvat; cùm hoc onus, non personæ domini: sed ipsi rei frugiferæ, & fructibus collectis cohæreat, ut supra dictum. Neque etiam per pactum, à domino fundi initum cum colono, vel etiam emptore, ut ipse ex fructibus perceptis ex fundo non sit obligatus solvere Decimas, præjudicatur Ecclesiæ, quin à quolibet possessore fundi possit petere Decimas, *arg. l. Inter*; 42. *ff. de pact.* quia est onus, quod ipsam rem consequitur, *Gl. hîc V. Compellantur*; *& Abb. n. 6.*

CLXI. Porro hîc præterea quæritur, an Prælatus, vel Parochus exigere possit Decimas prædiales, non solùm à domino, vel colono prædij, qui illas debet: sed etiam ab eo, qui prædium v. g. emit, sive à novo possessore prædij Decimas præteriti temporis à venditore, sive antiquo possessore non solutas. Respond. Probabilius est, novum possessorem solùm teneri, ad solvendas Decimas futuri temporis, non autem præteriti, sive antea non solutas, ut docet *Suar. Lib. 1. c. 38. n. 9. Canis. tr. de Decim. c. 4. n. 3. & seqq. Laym. Lib. 4. tr. 4. c. 2. n. 5.* & alij contrà *Abbat. in c. Cum homines*; 7. *n. 6.* & *Io. Andr.* qui putant, in optione Ecclesiæ esse, num novum, an verò antiquum possessorem convenire velit, & plures alios Canonistas. Ratio est; quia obligatio Decimarum per se non inhæret fundo, ex quo solvuntur Decimæ: sed solùm respectivè, seu in ordine ad fructus, quibus per se, & immediatè inest onus Decimarum, ad quemcúnque illi possessorem veniant. Quare si Titius v. g. fundum suum, ex quo Decimas per plures annos non solvit, vendidit Cajo, non hic novus possessor, sive emptor fundi; sed antiquus possessor, sive venditor Titius, ratione Decimarum præteriti temporis, conveniri potest, ac debet; cùm ipse fructus fundi præteritis annis perceperit, non emptor, ad quem fructus fundi non pervenerunt.

Non obstat, quòd novus possessor fundi vectigalis, seu tributarij, etiam ad præterita tributa, quæ soluta non fuerunt, antequam fundus ad ipsum perveniret, solvenda obligetur, *l. Imperatores*; 7. *ff. de publican.* At Decimæ tributa dicuntur egentium animarum, *c. De Decimæ*; 66. *caus.* 16. *qu.* 1. *c. Tua*; 27. *h. t.* Nam disparitas est, quoad hoc, sicut & plura alia, inter Decimas, & tributa, quòd hæc secundùm se, ipsos fundos ex juris dispositione afficiant, ideoque ad novum possessorem fundi, etiam præteritorum tributorum, quæ soluta non fuerunt, obligati, quippe ipsi fundo inhærens, transeat: at Decimæ per se, & immediatè non afficiunt ipsos fundos; sed fructus, sive quatenus fundi fructus in se virtualiter continent, ut dictum. Neque verò Decimæ propriè sunt tributa; sed solùm metaphoricè, & per quandam similitudinem, & accommodationem, ut notat etiam *Gl. in cit. c. Tua nobis*; *V. Tributa.* Quod vel inde patet, quia si Dominus fundum suum alteri locat, hoc pacto, ut omnes fructus ad conductorem, seu colonum pertineant, reservatâ sibi annuâ pensione pecuniariâ, ab ipso solvendâ, hoc casu, non fundi Dominus: sed colonus tantùm, nomine Decimarum prædialium conveniri potest, quia Decimæ sunt onus fructuum, juxta *c. Pastoralis*; 28. *h. Fructus*; *h. t.* & docet ipse etiam *Abb. in cit. c. Tua nobis*; *h. t. nu.* 14. Neque etiam *c. In aliquibus*; 32. & *c. De terris*; 16. *h. t.* & *c. Si quis Laicus*; 42. *caus.* 16. *q.* 1. quicquam obstant. Nam hi textus loquuntur de onere, seu obligatione præstandi Decimarum fructibus in futurum percipiendis, ad quos obligatur quilibet possessor, ad quem fundus pervenit; non autem loquuntur de Decimis antiquis, & præteritis, hæ enim solvendæ sunt à possessore antiquo, qui illos fructus percepit, *Suar. c. l.* Denique non potest verum dici, quòd fundi sint jure pignoris, sive hypothecæ obligati pro Decimis præteritis; nam cùm obligatio talis hypothecæ non proveniat ex conventione, seu pacto, cùm ipsi fideles ad hoc non se obligârint Ecclesiæ, deberet esse tacitè inducta ex dispositione ipsius Legis, seu Canonis, cujusmodi Lex Canonica non extat, quæ talem tacitam generalem hypothecam imposuerit omnibus bonis, seu prædijs fidelium, *Suar. cit. c. 38. num. 2.*

§. III.

§. III.

Quis sit Judex competens in causa Decimarum, & quæ pœnæ Jure communi statutæ sunt in eos, qui Decimas non solvunt, quas debent?

CLXII. Assertio 1. Si agatur judicio petitorio, & quæstio sit de jure, sive proprietate Decimarum, ad quem pertineat, tum ejus cognitio, etiamsi incidenter tantùm veniat in judicium, ad solum Ecclesiasticum Judicem pertinet. Est communis sententia apud *Suar. Lib. 1. de Decim. c. 38. n. 16. Barbos. in Collect. in c. Tua; 25. n. 2. h. t. & de offic. Paroch. c. 28. §. 4. n. 1.* Idémque est, si agatur de privilegio, vel immunitate à Decimis, vel si lites oriantur circa solutionem Decimarum, *Azor p. 1. Lib. 7. c. 25. q. 1. Suar. c. l.* quia ipsi fructus Decimarum, etsi secundùm se sint temporales, tamen sunt spirituali juri decimandi annexi. Ratio sumitur ex generali prohibitione juris, ut Laici Ecclesiastica negotia tractare non præsumant, *c. 2. de judic.* cùm de rebus spiritualibus disponendi nullam habeant facultatem, *c. Tua; 25. h. t.* Quamvis probabile sit, si quæstio sit meri facti, v. g. an quis perceperit, vel solverit Decimas, non verò, an sint solvendæ, vel ex quibus fructibus solvi debeant, quòd de hoc etiam Laicus Judex cognoscere possit, ita ut sit causa mixti fori, *Barb. c. l.*

CLXIII. Extenditur autem primò. Quòd etiam illæ causæ Decimarum, quæ in Feudum concessæ sunt Sæcularibus, cognosci debeant à Judice Ecclesiastico; quia licèt dominium fructuum decimalium spectet ad Laicos, illud tamen oritur, & dependet à jure Decimarum, quod est spirituale, ideo non potest Judex Laicus de illis cognoscere, *Azor cit. c. 25. q. 3.* ubi tamen §. *Cæterùm*; id limitat, nisi Decimæ auctoritate S. Pontificis omnino sint translatæ in Laicos, ut de illis, sicut de bonis temporalibus disponere possint, tunc enim non sunt ampliùs bona spiritualia, vel spiritualibus annexa, ut supra dictum, ideo de illis Judex sæcularis cognoscere potest.

Extenditur secundò. Quòd etsi controversia sit de causa possessionis, sive de jure possidendi Decimas, solus Ecclesiasticus Judex de eo cognoscere possit, ut ex probabiliore sententia docet *Covarr. pract. qq. c. 35. n. 1. Barb. cit. §. 4. n. 3. & alii apud ipsum*; quia possessio sumpta non pro nuda detentione rei: sed pro jure possidendi seu detinendi, in jure spirituali est spirituale, de quo plura dicta sunt *supr. Lib. 2. Tit. 12. n. 18. & 19.*

CLXIV. Porro causæ Decimarum summariè sunt tractandæ in judicio, hoc est, simpliciter & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii, *Clement. 2. de judiciis*, nisi quòd sententia definitiva in scriptis sit ferenda, *Clement. 2. de V. S.* præsertim quando inter duas Ecclesias est controversia, super jure percipiendi Decimas, vel inter Clericos, quibus de jure debentur Decimæ, & eos, qui solvere debent, *Barb. cit. c. 28. §. 4. num 5.*

CLXV. Assertio 2. Pœnæ Jure communi statutæ, in non solventes Decimas, quas debent, sunt, in-

primis, quòd excommunicari possint, ac debeant, *c. Pervenit; 5. c. Ad hæc; 15. c. Ex parte; 21. c. Tua nobis; 26. c. In aliquibus; 32. h. t. Clem. 2. de judic.* Ubi requiritur, ut præcedat monitio, ac denique Concilium Tridentinum *Sess. 25. c. 12. de reform.* præcipit, ut qui Decimas dare noluerint, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur. Quod tamen *Sanch. Lib. 2. mor. c. 20. n. 19.* limitat, nisi ob impotentiam commodè restituere non possint, vel nisi remittantur Decimæ ab eo, cui debentur, *Azor cit. Lib. 7. c. 26. q. 9.* post *Navarr.* Deinde qui Decimas, quas debet solvere, injustè detinet, nec Ecclesiæ, ad quam spectant, restituit, Christianâ sepulturâ privari debet, *c. Prohibemus; 19. & ibi Gl. fin. h. t. & dictum supr.*

CLXVI. Præterea in *Clem. Religiosi 1. h. t.* statuitur, ut Religiosi quicúnque (etiam fœminæ, *Gl. hic V. Eodem*) novalium, aut alias Decimas Ecclesiis debitas, (de jure communi, vel singulari, *Gl. hic V. Debitas*) & ad eos ex jure, vel causâ aliquâ legitimâ non pertinentes, sibi vendicare, tanquam proprias, aut qui fraudibus vel malis artibus, aut prætextibus sibi usurpare præsumunt: vel non permittunt aut prohibent, Ecclesiis Decimas solvi ex animalibus suorum familiarium, vel pastorum, quæ suis propriis gregibus permiscent: vel ex animalibus, quæ in Ecclesiarum fraudem emunt, & tradunt venditoribus, vel aliis, ut ea teneant & custodiant. Hi inquam, Religiosi (aliud ergo in Sæcularibus Clericis, vel Laicis, ad quos hæc pœna non est extendenda, *Gl. hic V. Religiosi*) si admoniti ab iis, quorum id interest, (nempe à Prælatis, & Ministris illarum Ecclesiarum, quibus Decimæ debentur, *Gl. V. Interierit*) intra mensem à prædictis (scilicet prohibitione, fraudulentâ emptione, & immistione, vel traditione animalium, *Gl. hic V. A præmissis*) aut si id, quod sibi injustè usurpârunt, Ecclesiis læsis intra duos menses non restituerint, vel satisfecerint, sint, & tamdiu maneant ab officiis, administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint. Quòd si Religiosi hujusmodi administrationes & beneficia non habeant, sententiam excommunicationis incurrunt, à qua absolvi non possunt, nisi condignè satisfecerint, non obstantibus privilegiis quibuscúnque: per quæ scilicet prædictæ sententiæ possent impediri: non autem privilegia ipsis concessa super Decimis tolluntur, *Gl. hic V. Quibuscúnque.* Hæc autem excommunicatio nulli, jure communi, est reservata, ut notat *Azor cit. c. 26. q. ult.* Ratio hujus Constitutionis est, quia tempore Concilii Viennensis Religiosi magis graviter, & frequentiùs in his delinquebant contra præceptum Decimarum, ideóque severiore pœnâ coërceri debuerunt, *Gl. hic V. Religiosi.* Additur in fine hujus *Clement. §. Cæterùm*, quòd prædicta non extendantur ad animalia, quæ tenent Donati, seu Oblati, ipsorum Religiosorum, qui cum effectu (non fictè) se, & sua Religioni donârunt, seu obtulerunt.

CLXVII. Denique in *c. Discretioni; 1. h. t. in 6.* Gregorius IX. mandat Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, iisque severè prohibet, ne in suis sermonibus ad populum, vel alibi (in privatis collationibus, disputationibus, vel in Confessionibus audiendis, *Gl. hic. V. Vel alibi*,) talia proponere inposterum præsumant, quæ Auditores à Decimarum, aliarumve

» rùmve rerum Ecclesiis debitarum (videlicet Primi-
» tiarum, Oblationum, portionum Canonicarum ex
» funeribus debitarum, *Gl. hìc V. Aliarum rerum*) so-
» lutione retrahant, vel aliàs animos Auditorum cor-
» rumpere possunt; quin potiùs verbo, & opere eos-
» dem informent, ut ad solutionem prædictorum
» promptâ voluntate sint intenti.

CLXVIII. Porro hoc decretum renovatum fuit in *Clement. cupientes 3. de pœnis*, & extensum ad omnes Religiosos, etiam non mendicantes, (non autem comprehendit Clericos sæculares, & Laicos *Gl. ibid. V. Religiosos*) adjectâ insuper pœnâ excommunicationis, ipso facto, à transgressoribus incurrendâ. Ubi insuper Religiosis omnibus successivè præcipitur, ut certis Dominicis, & Festis diebus ibi nominatis, si populo prædicent, & de ea re à Rectoribus Ecclesiarum, vel earum Vicariis requisiti fuerint, Auditores, de solutione Decimarum facienda, expressè informare studeant: atque in Confessionibus audiendis pœnitentibus, qui Decimarum solutionem intermittunt, super ea re conscientiam faciant, alioquî si id scienter omittant, ab officio prædicandi, ipso facto, sint, & maneant suspensi, donec pœnitentes super ea re (commodâ occasione oblatâ) admonuerint. Quòd si prædicare præsumpserint, prædictâ negligentiâ, eo modo, quo dictum, non expiatâ, excommunicationis sententiam, ipso facto, incurrunt. Quæ Constitutio ad Religiosos Monasteriorum, vel Rectores Ecclesiarum, qui Decimas percipiunt, nõ extenditur. De his censuris videri potest *Suar. dis. 23. de censur. Sec. 5. n. 37. & dis. 31. Sec. 6. n. 12. & 13.*

SECTIO IX.

DE PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

§. I.

De Primitiis.

Secunda pars Rubricæ hujus Tituli est, de Primitiis, de quibus breviter aliquid dicendum.

CLXIX. Quæritur primò. Quid sint Primitiæ, & quomodo à Decimis distinguantur? Resp. Primitiæ dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, & arborum, ut colligitur ex *Lib. Exod. c. 23. V. 13. & 15. Numer. 18. V. 12. Deuter. c. 16. V. 2.* significantur autem hìc, nomine Primitiarum, primi fructus tempore, non bonitate, id est, optimi, ut colligitur ex *c. 18. Numer. V. 13.* Ubi dicitur, *universa frugum initia, id est, primitias, quas gignit humus, &c. Suar. Lib. 1. de Divino cultu c. 8. n. 2.* In animalibus verò Primitiæ vocantur primogenita, ut colligitur ex *c. 13. Exod. V. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quàm de Jumentis.* Quare Primitiæ distinguuntur à Decimis, primò, quia Primitiæ sunt primi fructus è terra, eo anno, collecti: Decimæ verò certa pars fructuum, videlicet decima, ut nomen ipsum præsefert. Secundò, Primitiæ immediatè offeruntur Deo, in gratiarum actionem pro frugibus terræ, quamvis deinde etiam cedant in alimenta Sacerdotum, & Ministrorum Ecclesiæ. At verò Decimæ immediatè dantur Ministris Ecclesiæ, tanquam stipendium sustentationis ob spiritualia Ministeria, *Azor p. 1. Lib. 7. c. 27. q. 6. Less. Lib. 2. de just. c. 39. n. 30.*

CLXX. Quæritur secundò. An & quo jure teneantur fideles, ad primitias solvendas, & an in certa quantitate? Resp. primò, nullum extat præceptum juris naturalis obligans, ad colendum Deum per oblationem primorum fructuum; quia potest Deus aliis modis & oblationibus coli, & exhiberi gratitudo erga ipsum: quamvis consentaneum sit rationi naturali, & honestum, ac conveniens, ut Deus etiam hac ratione colatur, tanquam Auctor omnium fructuum, quæ ipsius beneficio accipimus, *Suar. cit. c. 8. n. 4. & 6. cum S. Thom. 2. 2. q. 86. art. 4.* potest tamen etiam dici, fideles obligari, ad solvendas primitias, jure naturali, si id aliquando necessarium foret ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, *Azor cit. c. 27. q. 5. Less. c. l. n. 31.*

CLXXI. Resp. Secundò, Primitiæ olim omnium fructuum, ex præcepto Legis Divinæ scriptæ offerri debebant Deo, ut patet *ex locis S. Scripturæ supra citt. & Malach. c. 3. Vers. 8.* Ubi conqueritur Deus de Judæis, quòd Decimas, & Primitias non solverent: quanquàm etiam in illa Veteri Lege, Primitiæ, quas de frugibus terræ Hebræi offerebant, non erant specialiter definitæ, in qua quantitate dari deberent: sed offerentium arbitrio id relictum fuit. Erat tamen traditio Hebræorum à Magistris seu Legis peritis eorum introducta, quòd qui plurimùm dare vellent, ii quadragesimam partem fructuum: qui minimum, sexagesimam darent Sacerdotibus: ac proinde inter quadragesimam & sexagesimam liceret offerre, quod quisque voluisset: & quod in Pentateucho decretum non erat (in qua nimirum quantitate Primitiæ offerri deberent) id Magistri Hebræorum specialiter, propter Sacerdotum avaritiam, definierunt, ne amplius, quàm partem sexagesimam in Primitiis offerendis exigere liceret, prout habetur in *c. 1. §. At verò Primitiæ; h. t.* quod est desumptum ex *S. Hieron. super c. 45. Ezech.* & exillo colligitur.

CLXXII. Resp. Tertiò, in Lege nova Evangelica, olim quidem ex præcepto Juris Ecclesiastici solvi debebant Primitiæ Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ, ut colligitur ex *c. Præter; 6. in fine dis. 32. & c. Reverimini; 65. caus. 16. q. 1. & c. 1. ead. caus. q. 7.* & notat Gl. in *cit. c. 1. V. In Primitiis; h. t.* non tamen ex vi præcepti Legis Mosaicæ, quod jam cessavit obligare, cùm non fuerit præceptum naturale, aut morale, sed merè positivum ac ceremoniale: sed solùm ex præcepto Juris Ecclesiastici, ita tamen, ut semper liberum esset fidelibus, in qua quantitate primitias dare vellent; cùm nulla unquam ab Ecclesia fuerit definita certa quantitas, nisi fortè ex consuetudine loci illa fuerit alicubi determinata, *Azor cit. c. 27. q. 4. Less. c. l. n. 32. Suar. cit. Lib. 1. c. 8. n. 15.* Hodie verò obligatio solvendi Primitias in plerisque locis per desuetudinem est abolita; quia cùm principaliter ab Ecclesia fuerit decreta, propter competentem sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ideò si illis aliunde, nempe ex Decimis, & aliis oblationibus fidelium necessaria alimenta non desint, nihil vetat, quò minùs per contrariam consuetudinem obligatio solvendi Primitias potuerit abrogari, *Azor c. l. q. 3. Suar. c. l. n. 16.*

Cæterùm spectato Jure communi, Primitiæ debent solvi illi Parochiæ, in qua prædia existunt, nisi consuetudo sit in contrarium; quia Primitiæ, sicut & Decimæ, sunt onus reale prædiorum, non personale, ideóque & Clerici, qui terras colunt, debent illas solvere, *Barb. de offic. Paroch. c. 27. n. 8. & 9.*

§. II.

De Oblationibus.

CLXXIII. Tertia pars Rubricæ hujus Tituli est, de Oblationibus, pro cujus explicatione Notandum primò, nomen oblationis tribus modis accipi potest. Primò, latè pro omni oblatione ad Divinum cultum facta: & ut sic etiam Decimas & Primitias comprehendit. Secundò, accipitur, prout quidem à Decimis & Primitiis distinguitur, ita tamen ut alia omnia dona seu munera, quæ sive per donationem inter vivos, sive mortis causâ, vel per legatum, aut ultimam voluntatem, Deo, & Ecclesiis, aliisque piis locis conferuntur, vel relinquuntur, sive sint res mobiles, sive immobiles, nomine oblationum comprehendantur, quomodo accepit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 86. *art.* 1. nam sicuti, quando aliquid homini datur, dicitur donatio: ita quando Deo & Ecclesiæ aliquid donatur, oblatio in jure vocatur, ut notat *Azor cit. c.* 27. *q.* 8. Tertiò, accipitur nomen oblationis strictiùs, pro dono, quod fideles, sive per se, sive per Diaconum ad Altare offerunt, vel ad manus Sacerdotis deferunt, *Silvest. V. Decima*, *n.* 2. *Laym. Lib.* 4. *Tract.* 6. *c.* 7. *n.* 1. *&* 2. *Barb. de offic. Paroch. c.* 24. *n.* 1. 2. *&* 3.

Notandum secundò. Oblationes strictè sumptæ distinguuntur tum à Decimis, tum à Primitiis; quia oblationes immediatè fiunt Deo, religionis intuitu, sive Divini cultûs causâ, licèt posteà in usum Ecclesiæ vel Ministrorum ejus cedant: Decimæ offeruntur etiam Deo, in recognitionem supremi dominii, quod sibi in res omnes reservavit, ita tamen ut principaliter persolvantur, tanquam stipendium debitum Ministris Ecclesiæ, ob spiritualia ministeria. Denique Primitiæ offeruntur Deo, in gratiarum actionem pro primis rerum fructibus, ejus beneficio provenientibus. Et differunt ab oblationibus, sicut genus à specie, quia omnes quidem Primitiæ sunt oblationes quædam: sed non vice versâ, omnes oblationes sunt Primitiæ, cùm oblatio fiat etiam de rebus, quæ non sunt fructus, ut pecuniæ, candelæ, ornamenta &c. *Silv. c. l. Canis. Tract. de Decim. c.* 19. *n.* 9. *in fine, Barbos. in Rubr. ad hunc Tit. n.* 5. *& seqq.*

CLXXIV. Quæritur primò. An Oblationes, ex necessitate alicujus præcepti, sint præstandæ à fidelibus? Resp. nullum extat per se præceptum Ecclesiasticum de oblationibus faciendis in Ecclesia: sed illæ voluntariè ac spontè præstantur; quia nullum reperitur in Jure Canonico decretum, absolutè præcipiens oblationes fieri: præceptum verò Veteris Testamenti, quippe cærimoniale tantùm jam cessavit, ut docet *S. Thom. cit. q.* 86 *art.* 1. *Silvest. V. Decima*; *q.* 2 *Azor cit. c.* 27. *q.* 12. *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 5. *n.* 2. *Barb. cit. c.* 24. *n.* 9. *& alii communiter.* Quare antiqui Canones, qui præcipere videntur, præstandas esse oblationes, intelligi debent de illis oblationibus, quæ ex aliquo titulo debentur Ecclesiis, & Clericis; cujusmodi titulos quatuor recenset *S. Th. c. l.* Primus est, quando oblatio debetur per modum census, seu pensionis, ratione conventionis priùs factæ, ut cùm alicui confertur fundus aliquis, sive in vita, sive in morte, cum eo onere, ut certis temporibus certas oblationes faciat alicui Ecclesiæ. Secundus titulus est (qui à priore parum differt) quando quis per donationem inter vivos, vel legatum in testamento directè Ecclesiæ relinquit aliquam rem, sive mobilem, sive immobilem. Tertius est, quando Ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem, quo tamen titulo Parochiani non obligantur facere oblationes in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, nisi ipsi non solvant Decimas & Primitias sufficientes ad sustentationem eorum, nam si solvant, cessat hæc obligatio, *Suar. cit. c.* 5. *n.* 7. Deinde etiam non obligantur ad tales oblationes Parochiani, si sint adeo pauperes, ut non possint tot, vel tantas oblationes facere, quot sunt necessariæ ad Parochi sustentationem, tunc enim Episcopus providere debet Parocho ex aliis reditibus Ecclesiasticis, *Suar. c. l. n.* 9. Quartus titulus est, si longâ consuetudine obligatio inducta sit faciendi oblationes, quia nimirum populus longo tempore, videlicet 10. annis, oblationes in certis solennitatibus fecit, quasi ex obligatione, sive intentione obligationis contrahendæ, accedente saltem tacitâ approbatione Prælatorum Ecclesiasticorum: vel quia ipsi Rectores Ecclesiarum, seu Parochi longo tempore oblationes, quasi debitas, à Parochianis exegerunt, & acceperunt, *Suar. c. l. n.* 12. *& alii Dd. communiter.* Idque probatur ex *c. Ad Apostolicam*; 42. *de Simon.* Ubi præcipitur, pias ac laudabiles consuetudines, piâ fidelium devotione introductas, videlicet offerendi aliquid pro exequiis defunctorum, vel benedictionibus nuptiarum, aut aliis similibus observari, & ab Episcopo loci Laicos ad id cogi posse. Addit tamen *S. Thom. c. l.* quòd his casibus oblationes quodammodo voluntariæ maneant, quoad quantitatem, & speciem rei oblatæ. Porrò si manifestè constiterit, oblationes certis temporibus fieri, per modum liberæ devotionis, & merè liberaliter, non animo obligandi, talis consuetudo, etsi longo tempore frequentata, non inducit obligationem necessariò illas faciendi etiam imposterum, *Azor c. l. q.* 12.

CLXXV. Quæritur secundò. A quibus personis fieri, & accipi possint Ecclesiasticæ oblationes? Resp. offerentes debent esse fideles baptizati, & ab Ecclesia non præcisi, sive excommunicati, ut ex communi docet *Suar. Lib.* 1. *c.* 6. *n.* 2. Idque sumitur ex *Clemente Romano Lib.* 3. *Constit. Apostol. c.* 8. *& Concilio Eliberitano c.* 28. *tom.* 1. *Concil.* Ubi sic habetur: *Episcopum placuit, ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Ratio est, quia offerre munera, præsertim in Ecclesia, vel ad Altare, eadémque accipere, est quædam spiritualis & Ecclesiastica communicatio, quæ prohibita est cum excommunicatis, *Suar. c. l. n.* 3. Possunt autem etiam fœminæ admitti, ad offerendum super Altari, dum Sacrificium Missæ celebratur in Choro, nisi consuetudo id prohibeat, *Abb. in c.* 1. *n.* 4. *de vita & honest. Cleric.*

CLXXVI. Cæterùm Jure Canonico specialiter prohibitum est, quibusdam personis oblationes facere, & ab iisdem illas accipere, quas enumerat *Gl. in c.* 2. *dist.* 90. *V. Dona.* Veluti primò, ab usurariis, *c.* 3. *de usuris*; quia acquisita per usuram sunt aliena, ideòque Deo offerri non possunt, sine sacrilegio, & novâ injustitiâ, & oblata restitui debent offerenti, ut illa vero domino restituat, *Gl. fin. ibid. Suar. cit. c.* 6. *n.* 6. Secundò, à raptoribus, *c.* 2. *de raptor.* Ubi prohibetur, ne ullus Clericorum eleemosynam raptoris accipiat. Tertiò, ab iis, qui pauperes opprimunt, *cit. c.* 2. *dist* 90. Quartò, à sacrilegis, *c. De viro*; 17. *caus.* 12 *q.* 2. Quintò, ab iis, qui servos suos ad ædes Sacras confugientes inde per vim extrahunt, *c. Minor*; 8. *caus.* 17. *q.* 4. Sextò, notoriè dissidentes, *cit. c.* 2. *dist.* 90. Septimò, à pœnitentibus, qui ad tempus oblationes face-

facere prohibentur, *c. Eos*; 118. *dist.* 4. Et hæc statuta sunt in pœnam criminis notorii, ac manifesti, ut non liceat oblationes à prædictis accipere, etsi fiant ex rebus aliàs justè possessis. Quæ pœna extendi non debet ad alios casus, etiamsi similes esse videantur; quia in pœnalibus Legibus non debet fieri extensio, *Gl. in cit. c. 2. V. Dona; dist.* 90. *Suar. cit. c. 6. n.* 9. His adde, quòd à publicis meretricibus oblationes non sint recipiendæ; ob vitandum scandalum, ne Ecclesia videatur favere peccato eorum, si de mercede pro turpi opere accepto oblationem recipiat, ut docet *S. Thom. cit. q.* 86. *art.* 3. *ad* 1. Quare cessante scandalo, quia de illarum conversione, & pœnitentiâ publicè constat, nihil obstat, quò minùs Ecclesia ex bonis illarum, quæ non injustè, etsi inhonestè acquisiverunt, oblationes accipere possit, cùm id nullo jure positivo prohibitum reperiatur, *Suar. cit. c. 6. n.* 8.

CLXXVII. Ubi Notandum præterea primò. Quando SS. Canones à quibusdam peccatoribus publicis prohibent acceptare oblationes, id restringi debet ad illas tantùm, quæ fiunt in Ecclesia, vel ad Altare: non autem intelligendum, de omni donatione facta Ecclesiæ inter vivos, vel per ultimam voluntatem, vel alio quovis modo, ut tradit *Gl. in cit. c. Eos, V. Etiam oblationes*; *de consecr. dist.* 4. *Suar. c. l. n.* 10.

Notandum secundò. Non tantùm oblationes voluntariæ, ac spontaneæ: sed etiam necessariæ, quæ ex consuetudine debentur, non sunt recipiendæ in Ecclesia ad Altare, vel si publicè offerantur, in manus Sacerdotis, in prædictis casibus jure prohibitis; quia absolutè, & sine restrictione illas prohibent dicta jura seu Canones, & non sunt, si publicè fiant, acceptandæ, ut tales peccatores confundantur. Nihilominus tamen possunt oblationes debitæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ (sicut & Decimæ ac Primitiæ) ab hujusmodi publicis peccatoribus exigi privatim, ipsìque compelli, ut illas tradant, extra Ecclesiam; quia illæ verè debentur, & modus ac locus, ut offerantur in Missa, vel in Ecclesia est valde accidentarius illi fini, *Suar. cit. c. 6. n.* 11.

CLXXVIII. Quæritur tertiò. Ex quibus rebus oblationes Ecclesiasticæ fieri, & accipi possint? Resp. non possunt exiis, quæ injustè sunt acquisitæ, & restitutioni obnoxiæ, *c. Causa*; 13. *de V. S.* & docet *S. Th. cit. q.* 86. *art.* 3. & ideò *Ecclesiast.* 34. dicitur, *immolantis, ex iniquo, oblatio est maculata*. Sed neque ex iis rebus oblationes faciendæ sunt, vel accipiendæ, quæ justè quidem sunt acquisitæ: sed vel ex justitia, vel ex pietate, aut charitate aliis priore, aut potiore jure sunt debitæ. Ut si debitor ex bonis debitis faciat oblationes, cum damno creditorum, quibus postea non est solvendo: vel filius ex bonis necessariis ad sustentationem parentum graviter indigentium, quod reprehendit Christus *Mat.* 15. *V.* 6. Eadémque ratio est de parentibus, qui oblationem facere volunt ex rebus necessariis pro sustentatione filiorum. Denique etiamsi quis tales oblationes faciat Ecclesiæ, & non possit subvenire pauperibus in gravi inopiâ constitutis, illæ admittendæ non sunt; quia tunc Deus magis vult misericordiam, quàm oblationem, *Mat. 9. Suar. cit. c. 6. n.* 7.

CLXXIX. Quæritur quartò. Quibus dari debeant oblationes, sive ad quos spectent? Resp. oblationes factæ in Ecclesiis pertinent ad Sacerdotes, seu Ministros Ecclesiæ, qui curam animarum habent, & Sacramenta administrant populo, non solùm, ut eas in suorum convertant: sed ut fideliter eas dispensent, partim applicando eas ad cultum Divinum, partim expendent in proprios usus, seu sustentationem, partim etiam in usus & sustentationem pauperum, ut docet *S. Th. cit. q.* 86. *art.* 2. *in corp. & alii communiter.*

Hinc infertur primò. Oblationes factæ alicui Capellæ in Ecclesia Parochiali, vel alia existenti, non Capellano, sed Ecclesiæ, vel Parocho, aut Rectori illius debentur, nisi intuitu ipsius Capellæ, non Ecclesiæ Parochialis, donatas esse, appareat. In dubio autem oblationes, quæ fiunt in aliqua Capella, vel Altari, præsumuntur fieri intuitu Ecclesiæ Parochialis, vel alterius, in qua est Capella, *Barb. de offic. Paroch. c.* 24. n. 22. *& alii ab ipso citt.*

Infertur secundò. Similiter oblationes, quæ fiunt in Capella, vel Oratorio sito intra fines Parochiæ, non Capellæ, vel Capellano: sed Ecclesiæ Parochiali, vel Parocho debentur, ut docet *Abb. in c. Pastoralis, 9. num.* 2. *de his, quæ fiunt à Præl. Azor. cit. c.* 27. *q.* 13. *Barb. c. l. n.* 24. & alii apud ipsum; quia tales oblationes fiunt Ecclesiis, earùmque Rectoribus, ratione curæ animarum, & administrationis Sacramentorum, Et hinc etiam oblationes, quæ fiunt celebranti in Ecclesia alienæ Parochiæ, non celebranti: sed Rectori Ecclesiæ illius cedunt, *Abb. c. l.* Excipe primò, nisi quid datum fuerit Sacerdoti celebranti, tanquam debitum stipendium laboris, & ministerii, tunc enim ad illum pertinet, *Azor c. l.* Excipe secundò, nisi Parochus celebret in aliena Parochia Missam v. g. pro sponso Parochiano suo, tunc enim oblationes cedunt celebranti; quia ejus contemplatione dantur, *Barb. c. l. n.* 28.

Infertur tertiò. Oblationes factæ ad imaginem depictam in pariete domûs alicujus privatæ personæ, pertinent ad Ecclesiam Parochialem, & Parochiam, intra cujus fines sita est illa domus; quia non fiunt domui privatæ: sed ad honorem, & cultum Dei, & Laicus non est capax jurium, & proventuum ex rebus Sacris, sive Religiosis provenientium, *Abb. in cit. c. Pastoralis, n.* 2. *Azor c. l. Barb. c. l. n.* 26. Ubi excipit, si talis esset pauper.

Porro quamvis plures Dd. existiment, oblationes, quæ fiunt SS. Imaginibus, deberi Episcopo: non Parocho loci; verior tamen, & hodie communiter recepta sententia est, quòd sive in Ecclesia Parochiali positæ sint hujusmodi Sacræ imagines, sive extra illam, intra limites tamen Parochiæ, oblationes eis factæ ad Parochum spectant; quia Parochus jure communi habet fundatam intentionem in omnibus oblationibus, de novo obvenientibus intra fines Parochiæ, ut docet *Abb. in c. Quoniam*; 13. *n.* 1. *h. t.* nam cùm Parochus sit sequester, & medius inter Deum & populum, & ad eum pertineat Divina dogmata, & Sacramenta exhibere populo: ita vice versâ, ea quæ sunt populi, nempe preces, Sacrificia & oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Parochum pertinent, ut docet *S. Th. cit. art.* 2. *in corp.* Excipi debet, nisi oblationes ex offerentium voluntate ad certum pium usum fuerint destinatæ, v. g. pro Missis dicendis, vel pro Fabrica Ecclesiæ, vel ut in pauperes erogentur, tunc enim voluntas eorum implenda est, itatamen, ut administratio, seu dispensatio talium oblationum etiam ad Parochum spectet, *Abb. in cit. c. Pastoralis, n.* 2. *Barb. c. l. n.* 30.

Infertur quartò. Oblationes, quæ fiunt in Ecclesia Ca-

sia Cathedrali, non ad Episcopum: sed ad Archipresbyterum ejusdem Ecclesiæ, qui curam animarum immediatam, & administrationem Sacramentorum habet, pertinent, ideóque fundatam habet jure communi intentionem, in omnibus oblationibus ibi factis, etiam privativè ad Episcopum, sive eo excluso, *Abb. in cit. c. Quoniam*; *n.* 1. Episcopo verò solùm debentur illæ oblationes, quæ fiunt in Diœcesi in locis, quæ non sunt intra certam Parochiam, *Abb. c. l. n.* 2. *Barb. c. l. n.* 27. *& 29.*

Infertur quintò. Consuetudo legitimè præscripta, ut oblationes non acquirantur Ecclesiæ Parochiali vel Parocho: sed alteri Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, est valida, ut constat ex c. *Cùm inter*; 29. *de V. S.* atque hinc oblationes, quæ fiunt Neomystis, dum celebrant primam Missam, non acquiruntur Ecclesiæ Parochiali, etiamsi in illa Primitias suas celebrent: sed ipsismet Sacerdotibus; quia sic habet consuetudo ubique locorum, & ex mente offerentium, censentur hujusmodi oblationes fieri, contemplatione novi Sacerdotis, *Fagnan. in c. Pastoralis*; 9. *de his quæ fiunt à Prælatis &c. n.* 36. *&* 2. *seqq.*

CLXXX. Cæterùm prædictis addendum primò, etiam Religiosi sunt capaces, recipiendi oblationes Ecclesiasticas, & quidem tribus modis, ut tradit *S. Th. cit. art.* 2. *ad* 2. 1. si sint Ministri Altaris, tunc possunt recipere oblationes sponte factas. Secundò, si annexam habeant curam animarum, seu Parochiam, tunc enim etiam oblationes debitas accipere possunt, tanquam Ecclesiæ Rectores. Quamvis autem Religiosi sint capaces oblationum, per se tamen, & spectato Jure communi, nullum jus habent ad oblationes: sed hæ etiam in eorum Ecclesiis factæ, de jure pertinent ad Parochiam, intra quam eorum Ecclesiæ sunt constitutæ, nisi ex privilegio Papæ ipsis concessum sit jus ad oblationes accipiendas, vel nisi contra Parochos tale jus legitimè præscripserint, ut docet *Azor cit. c.* 27. *q.* 13. *in fine.*

Addendum secundò. Laicici sæculares non sunt capaces juris percipiendi oblationes Ecclesiasticas, ut constat ex c. *Quamvis*; 17. *h. t.* Ubi prohibetur ne Laico Decimæ, & oblationes concedantur à Prælatis Ecclesiæ, & in *c. ult. caus.* 10. *q.* 1. Damasus Papa prohibet, ne ullo modo oblationes fidelium, quæ intra Ecclesias fiunt, sub Laicorum dominio detineantur, *Azor cit. c.* 27. *q.* 15. Ratio est, quia jus ad oblationes, sive ad res, quæ offeruntur ad honorem & cultum Divinum, est spirituale, & quodammodo Divinum, ideóque Laicis competere non potest, licèt ipsæ res oblatæ, præsertim mobiles, si consecratæ non sint, possint sæcularibus donari, vendi, vel alio modo in illorum usum converti, *Suar. cit. c.* 7. *n.* 3. Et hinc non potest Episcopus concedere Laico jus liberè disponendi de oblationibus, quæ fiunt ad imaginem ante ædes ipsius collocatam; cùm hoc sit jus spirituale, cujus Laicus est incapax, *Abb. in cit. c. Quoniam*; *n.* 1. *h. t.* Secus verò dicendum, de Laicis Religiosis, ut sunt Conversi Ordinum, & Professi Ordinum Militarium, hi enim sunt personæ Ecclesiasticæ, ideóque capaces jurium spiritualium ad Ecclesias, Decimas, oblationes &c. ut constat ex c. *Dudum*; 31. *h. t.* & consequenter etiam jura spiritualia possidere, & præscribere possunt, ut notat *Gl. in c. Ex eo*; 32. § *In Ecclesiis in fine de Elect. in* 6. Ex dictis infertur, quòd Laici sæculares, nec per consuetudinem acquirere possint jus recipiendi oblationes Ecclesiasticas; cùm sint ejus incapaces. Excipe, nisi fuerit alicubi consuetudo introducta, per quam in Festo Purificationis B. V. Laici accipiant candelas benedictas à Clericis, talis enim consuetudo valet, *Suar. cit. c.* 7. *n.* 20. *Barb. cit. c.* 24. *n.* 6.

TITVLVS XXXI.

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

Duo sunt personarum Ecclesiasticarum genera, Clericorum, & Regularium. Cùm ergo hactenus de primo genere actum sit, ordo requirit, ut nunc etiam de altero genere, videlicet de Regularibus agatur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SECTIO I.

DE ESSENTIA STATVS Religiosi in communi, ejùsque proprietatibus, & institutione.

§. I.

Quid sit status Religiosus, & quænam requirantur ad substantiam veræ, & propriæ Religionis?

I.

Præmittendum primò. Religio tripliciter accipitur, primò, prout est virtus, cujus est proprium Deo cultum debitum exhibere. Secundò, pro Communitate, seu Universitate verum Deum ritè colentium per fidem, vel etiam bona opera, & sic comprehendit omnes Christianos seu fideles, unde dicitur Religio Christiana. Tertiò, pro Communitate, quæ per specialem vivendi modum se Deo, ejùsque obsequio dedicat, *Silvest. V. Religio*; 1. *in princ.* Præmittendum secundò, Religio tertio modo sumpta, sive Status Religiosus, prout comprehendit omnes, qui per

specialem vivendi modum, sive quodlibet speciale vinculum Dei servitio consecrantur, ut Clerici Sæculares, qui per Ordinationem Ecclesiasticam ad Sacrum ministerium dedicantur, vel ii, qui per solum votum Castitatis se Deo specialiter obligant, & consecrant, vel quilibet alii, qui unum tantùm, vel alterum ex votis Religiosis emittunt. Secundò, strictè, qui tria substantialia vota in Religione approbata sunt professi, ut notat *Abb. ad Rubr. h. t. n. 3. Suar. tom. 3. de Relig. Lib. 2. c. 1. n. 2.* Et de his hoc loco agitur, qui etiam Regulares vocantur, quia sub certa Regula approbata vivunt. His præmissis sit.

II. Assertio 1. Religiosus Status definiri potest, est stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ, ab Ecclesia approbatus, *Laym. Lib. 4. Theo. mor. c. 1. n. 1. & alii communiter*, quæ definitio declarabitur in seqq.

III. Assertio 2. Ad substantiam veræ Religionis quatuor conditiones requiruntur, ut ex communi docet *Sanch. Lib. 5. mor. c. 1. n. 16.* Primò, ut serventur tria Consilia Evangelica, paupertatis, perpetuæ castitatis, ac obedientiæ, quæ essentialiter annexa sunt Statui Religioso, ut sine illis consistere nequeat, ut sumitur ex c. *Ad Monasterium 6. in fine de statu Monach.* de quo infra, & docet *S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. 4. & 5. & alii Theologi, & Canonistæ communiter.* Ratio est, quia Religiosus Status, est via seu tendentia ad perfectionem Christianam acquirendam, quæ in charitate Dei consistit, *juxta Apostolum ad Coloss. 3. V. 15.* Ad hoc autem requiritur, ut quis renunciet omnibus rebus creatis, quæ perfectum Dei amorem impedire possunt, cujusmodi potissimùm sunt bona externa, ut divitiæ, quæ per paupertatem, voluptates corporis, quæ per castitatem, & propria voluntas, quæ per obedientiam abrogatur, *Suar. cit. Lib. 1. c. 2. n. 3. & 10.*

IV. Porro circa primam hanc conditionem, Notandum primò, ad paupertatem requisitam ad constituendum Statum Religiosum, non requiritur, ut vi illius, Religiosus reddatur omninò incapax, dominii acquirendi, vel retinendi, sive ut eo privetur: sed illa consistit in eo, ut per illam privetur quis potestate utendi rebus pretio æstimabilibus, vel de iis liberè disponendi, sine consensu, ac licentia Superioris, & ut eo volente, teneatur etiam à se abdicare earum dominium, ut docet *Less. Lib. 2. c. 4. n. 27. Sanch. c. l. 5. c. 1. n. 17.* Ratio est, quia dominium, cujus usus est ita impeditus, ac dependens, ut sine Superioris voluntate non possit quis rebus temporalibus uti, vel de iis quippiam disponere, perinde se habet in actu secundo, ac si quis dominio careret, neque enim dominium rerum temporalium æstimatur, nisi propter usum, & potestatem de illis disponendi, ac proinde dominium sic restrictum non repugnat Religiosæ paupertati. Nec obstat, quòd in *cit. c. Cùm ad Monasterium, in fine de statu Monach.* dicitur, quòd abdicatio proprietatis, sit de essentia Statûs Religiosi; quia id intelligi debet ita, ut non possit Religiosus retinere proprietatem, sive dominium rerum temporalium, cum liberâ facultate illis utendi, & disponendi de iis, independenter à voluntate Superioris. Neque verò de hoc hodie dubitare amplius licet, postquam Gregorius XIII. in Bulla, Ascendente Domino, definivit, eos, qui absoluto probationis biennio, vota in Societate Jesu emittunt, esse verè & propriè Religiosos, non secus ac Professos ejusdem Societatis, & cujuscúnque alterius Religionis, etsi retineant ad tempus bonorum suorum dominium, donec renunciare iis jubentur, ita tamen ut iis uti non possint, tanquam propriis, & sine Superioris facultate.

V. Notandum secundò. Ad castitatem Religionis perfectæ non sufficit castitas conjugalis; sed requiritur absoluta, castitas enim conjugalis non est consilii, sed præcepti, ut docet *Less. cit. c. 41. n. 7. Laym. cit. c. 1. n. 5.* Quare licèt illi, qui in quibusdam Ordinibus militaribus ab Ecclesia approbatis castitatem conjugatam tantùm, seu conjugalem profitentur, sint Ecclesiasticæ personæ; quia gaudent privilegio Canonis & fori, non tamen sunt propriè, & verè Religiosi; qui non observant primaria Consilia Christi, sed solùm imperfectè, & secundùm quid, quatenus tales Religiones in aliquo participant quædam, quæ ad Statum Religionis pertinent, ut docet *S. Th. 2. 2. q. 186. art. 4. ad 3.* cujusmodi Religiosi sunt Commendatores D. Jacobi Alcantaræ &c. quamvis contrarium, quòd tales absolutè & propriè dicti Religiosi sint, teneat *Navarr. Lib. 3. consil. 11. h. t. & de reditib. Eccles. q. 1. monito 55. n. 5. & seqq. Sanch. Lib. 4. mor. c. 16. n. 9. Suar. tom. 4. de Relig. Lib. 1. c. 4. n. 26.* Ubi ait, illos esse propriè Religiosos quoad Statum, etsi non quoad usum, & observantiam, eò quod per dispensationem Papæ tales possint ducere uxores. Verùm licèt Papa possit dispensare in votis Religiosis cum aliquo, ut is liber sit ab obligatione votorum: non tamen potest dispensare in iis votis, quæ sunt de essentia Statûs Religiosi, ita ut dispensatus maneat Religiosus, sicut in proposito, ut quis sit Religiosus cum sola castitate conjugali, *juxta cit. c. Cùm ad Monasterium, de Statu Monach. in fine, Less. c. l.* Quis autem obedientia requiratur ad essentiam Statûs Religiosi, infrà dicetur.

VI. Secunda conditio requisita ad substantiam veræ Religionis, est, ut hæc tria consilia Evangelica, voto, perpetuam obligationem continente, firmentur, ut docet *S. Thom. cit. q. 186. art. 6. Suar. tom. 3. de Relig. Lib. 2. c. 3. n. 3. & seqq. Sanch. cit. c. 1. n. 18. & alii Dd. communiter.* Quare ad statum Religiosum non sufficit nudum propositum, servandi tria illa Consilia Evangelica: sed requiritur obligatio personalis per vota Deo edita, non ad tempus determinatum: sed in perpetuum, id est, usque ad finem vitæ. Cujus ratio est; quia Status quandam immobilitatem, adéque perpetuitatem, saltem ex parte voventis, seu promittentis, significat, ut patet ex Statu Episcoporum, Conjugatorum, & servorum, qui non ad tempus; sed stabiliter, & in perpetuum sunt obligati, ad hanc vitæ mutationem tenendam, *Sanch. c. l. n. 18.* Dixi, saltem ex parte voventis, seu promittentis, nam ex parte alterius, sive ejus, cui promissio fit, non est necessaria reciproca perpetua obligatio, ut patet in servo, qui ex parte suâ perpetuam obligationem habet, serviendi domino, & tamen dominus illum manumittere, sive dimittere à statu servitutis potest.

Ex quo infertur, quòd possit dari vera, ac propriè dicta Religio, in qua Religiosus perpetuam habet obligationem manendi in Religione, etsi Religio non teneatur ipsum perpetuò retinere: sed ob justas causas dimittere possit, neque ideo contractum vitiosè claudicare, ut de Societate Jesu declarârunt SS. Pontifices

tes, Julius III. in Confirmatione Instituti Societatis editâ anno M. D L. & Gregorius XIV. in Bulla edita anno M. D. XCI. nam ad Statum sufficit, ut quis seipsum non possit ab ea vitæ conditione liberare, nec propriâ sponte recedere, quamvis possit potestate Superioris, præsertim Supremi eximi: quomodo etiam professi, auctoritate S. Pontificis, à professione liberari possunt. Neque ideo contractus talis claudicat, sive injustus est: quòd Religiosus se tradat & obliget perpetuò, & irrevocabiliter Religioni ex parte sua: hæc verò acceptet traditionem, non se absolutè obligando ad retinendum Religiosum: sed quamdiu ad commune bonum Religionis id expedire judicaverit. Ratio est, tum quia contractus est ex utraque parte voluntarius, ideóque utraque pars adjicere potest conditiones, sibi convenientes, vel necessarias: Tum quia bonum Religionis est commune, ac proinde non est contra justitiam naturalem, quòd Religiosus se absolutè, & irrevocabiliter tradat Religioni: hæc verò non absolutè acceptet: sed cum aliqua limitatione, sive exceptis casibus, in quibus ad bonum commune Religionis, secundùm regulam prudentiæ, judicaverit expedire, Religiosum liberum à votis dimittere, *Suar. cit. Lib. 2. c. 14. n. 12. Less. cit. c. 41. n. 8. §. Nec obstat, Sanch. cit. c. 1. n. 26.* Veruntamen non potest dari Religio, quæ non solùm liberè dimittere possit Religiosum: sed etiam Religiosus liberè, & pro arbitrio ab ea recedere possit; quia talis Religio nullo modo contineret perpetuitatem, sive immobilitatem Statûs. *Pellizarius in Manuali Regular. tr. 1. c. 1. n. 17. q. 11. & n. 27. q. 16.*

Præterea ad acquirendum Statum in Ecclesia Dei per edita vota, requiritur etiam ex parte voventis actualis traditio, per quam is se Deo, & Religioni donat, & dedicat: ex parte verò Religionis, externa acceptatio, per quam homo Statum mutans peculiariter transit in dominium, sortem, & familiam Dei, cujusmodi traditio sui, & acceptatio erga Deum fieri non potest nudè & solo animo: sed opus est, ut aliquis homo potestatem habeat, qui loco & nomine Dei illam traditionem acceptet, videlicet Prælatus sive Superior Religionis, & hominem in Dei familiam, & Corpus Mysticum Religionis admittat, & adoptet, ut colligitur ex *c. Porrectæ 13. h. t.* & fusè explicat *Suar. cit. Lib. 2. c. 4. n. 5. & 9.*

VII. Tertia conditio requisita est, ut tria prædicta vota emittantur in Religione, per Sedem Apostolicam approbata, ita ut non tantùm modus vivendi ab illa approbetur: sed etiam, ut tanquam vera Religio approbetur, *Sanch. cit. c. 1. n. 19.* Et quamvis antiquæ Religiones S. Basilii, Augustini, Benedicti, ab initio non fuerint approbatæ à Papa: sed publico Ecclesiæ usu, ac more, à solis Episcopis pro suis Diœcesibus, Papâ tamen non repugnante: posteà verò approbatio Religiosorum Ordinum soli Romano Pontifici reservata fuit, ut constat *ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. c. 13.* relato in *c. ult. de Relig. domib. & Concil. generali Lugdunensi sub Gregorio X. relata in c. unic. eod. in 6.* nam approbatio Religionum inter majores causas Ecclesiæ meritò numeratur, quæ sunt reservatæ Sedi Apostolicæ, *c. Majores 3. de Baptism.* posset enim facilè irrepere aliqua Religio errores continens, vel noxia Ecclesiæ, *Less. cit. c. 41. n. 12. & 13. Sanch. cit. loc. n. 15. & alii communiter.*

VIII. Quarta conditio est, ut emittens vota Religionis constituatur sub alicujus Superioris, sive Prælati Ecclesiastici jurisdictione, & potestate, qui possit Religiosos subditos suos corrigere, non solùm per pœnas temporales, carceris, flagellationis &c. sed etiam spirituales, ad servandam Regulam, quæ jurisdictio non provenit ex vi, & natura votorum; nemo enim potest per solum votum ita alteri se subjicere, ut jurisdictionem spiritualem in ipsum illi tribuat: sed hæc jurisdictio derivatur ab ipso Superiore Religionem approbante, videlicet olim à Prælatis Ecclesiæ, seu Episcopis, quando Episcopi approbatio sufficiebat: nunc verò à S. Pontifice, à quo illa jurisdictio communicatur Superioribus Religionis, videlicet Generalibus, Provincialibus, & aliis immediatis Superioribus, nisi Papa hanc spiritualem jurisdictionem sibi, vel soli Generali, aut Provinciali reservare velit, communicatâ inferioribus, & immediatis Superioribus solâ potestate coërcendi Religiosos, per pœnas temporales, *Sanch. cit. n. 1. n. 20.*

IX. Ubi tamen Notandum, quòd duplex potestas considerari potest in Prælato, qui Religioni præest, una gubernativa, & quasi dominativa, seu Oeconomica, & domestica, per quam Prælatus Religiosis sibi subditis potest præcipere, & per pœnas illos cogere, ad servandam disciplinam regularem, quæ radicaliter oritur ex eo, quòd quis profiteatur in aliqua Religione certam regulam, seque illi tradat, cum promissione & obligatione obediendi secundùm illam, ut docet *Suar. cit. Lib. 2. c. 18. n. 5. 6. & 8.* Alia est jurisdictio spiritualis propriè dicta, quæ ad Claves Ecclesiæ pertinet, & in potestate ligandi, ac solvendi, & Ecclesiasticas censuras ferendi consistit. Et hæc potestas est distincta, & separabilis à priore potestate, ut patet in Abbatissis, quæ non sunt capaces spiritualis jurisdictionis propriè dictæ, & tamen potestatem gubernativam habent, ratione traditionis, & voti obedientiæ à subditis ipsis præstiti, ut alibi dictum. Et hæc etiam propria potestas jurisdictionis est necessaria ad perfectum regimen Statûs, sive Ordinis Religiosi, quæ residet in Prælato aliquo Ordinis, vel saltem in Prælato extraneo, & communi aliis fidelibus, ut est Papa, respectu omnium Religiosorum, vel Episcopus, respectu Ordinum non exemptorum in sua Diœcesi, à quibus communicatur mediatis, vel immediatis Superioribus Ordinum, ut suprà dictum. Atque hæc spiritualis jurisdictio generatim supponitur, ad regendos omnes Status, præsertim Ecclesiasticos, ideóque factâ institutione alicujus Religionis, quasi connaturaliter ad illam consequitur subjectio Religiosorum spirituali jurisdictioni alicujus Prælati Ecclesiastici, *Suar. c. l. n. 11.*

§. II.

An vota solennia sint de essentia Statûs Religiosi?

X. Respondetur negativè: sed satis est, ad constituendam verè, & propriè dictam Religionem vota simplicia emittere, idque adeò jam certum est, ut de eo nullatenus dubitare liceat, nam *Gregorius XIII. in cit. Extravag. Ascendente Domino*, auctoritate Apostolicâ, & motu proprio, definivit, eos, qui in Societate Jesu tria vota substantialia prædicta, tametsi simplicia, emiserunt, verè, & propriè Religiosos esse, non secus atque quorumvis aliorum Regularium professos: adeóque non tantùm ex privilegio Apostolico: sed per se, & spectatâ naturâ & essentiâ Statûs Religiosi, ut bene pro-

probat *Sanch. Lib. 5. mor. c. 1. n. 25. & 26. Suar. tom. 3. de Relig. Lib. 2. c. 5. n. 18. & c. 14. n. 4. & seqq. Less. cit. c. 41. n. 8.* Ratio est, quia si per vota simplicia non posset quis fieri verè, ac propriè Religiosus, id esset, vel quia per illa non fit traditio sui, sed solùm promissio: at hoc dici non potest; quia per illa fit vera traditio, per quam vovens fit subjectus potestati Superioris, seu Prælati sui, à quo etiam vota illa acceptantur, nomine, & vice Dei, & ex facultate Sedis Apostolicæ. Vel ideo non esset verè ac propriè Religiosus; quia per vota simplicia non sortitur quis Statum immutabilem. At hoc etiam non potest dici; quia votis simplicibus obstrictus non potest unquam propriâ sponte, à Statu Religionis recedere, vel ab illo se eximere, adeóq; ex se, & ex parte voventis, est in Statu perpetuo, & immutabili, ut patet ex supra dictis. Nec denique etiam dici potest, quòd Status Religiosus ex essentia sua sit Status perfectionis: per vota simplicia autem non obligatur quis ad illa opera perfectionis, ad quæ obligatur per vota solennia: nam neque hoc verum est; quia vota simplicia possunt obligare ad omnia exercitia, sive media conducentia ad perfectionem acquirendam, sicut vota solennia, ut ex dicendis patebit.

XI. Confirmatur primò. Quia vota solennia solùm faciunt inhabilem ad proprietatem bonorum, & ad matrimonium contrahendum, quæ inhabilitas non est necessaria ad Statum perfectionis: nam inprimis dominium, seu proprietas dependens à nutu Superioris, non magis repugnat Statui & perfectioni Religiosæ: quàm usus dependens ab ejusdem voluntate: sicut ergo potest Religiosus uti rebus temporalibus, cum licentia Superioris, ita etiam potest habere dominium, cum ejusdem consensu, ac voluntate, ita tamen, ut ad omnem nutum ipsius sit paratus, se eo abdicare. Similiter matrimonium non repugnat Statui Religionis, si sit absque usu, seu facultate eo utendi, potest enim quis, cum consensu alterius conjugis, verè fieri Religiosus, & professionem emittere, manente vinculo matrimonii, *Less. cit. c. 41. n. 8.*

Confirmatur secundò. Quia voti solennitas ex sola Ecclesiæ Constitutione inventa, seu introducta est, *c. unic. de voto in 6.* ergo ex natura rei, vel institutione Christi, ea non requiritur ad substantiam Statûs Religiosi; ac proinde sicut potuit Ecclesia approbare Religionem cum votis solennibus, ita etiam sine illis. Et hinc *Gregorius XIII. in cit. Extravag. Ascendente Domino*, ad refutandum errorem illorum, qui existimârunt Scholasticos, & Coadjutores formatos, spirituales, & temporales in Societate non esse Religiosos, eo quòd non essent solenniter professi, utitur hoc argumento: *non considerantes voti solennitatem solâ Constitutione Ecclesiæ inventam esse, triàque hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illàque emittentes in Statu Religionis verè constitui &c.* Ex quoapertè infertur, quòd Ecclesia possit admittere, & approbare ut veram Religionem, etiam sine votis solennibus, & cum solis simplicibus, *Suar. cit. c. 14. n. 9.*

XII. Contra prædicta objici solet primò, quòd in *c. Porrectum; 13. h. t. & in c. Religioso; 21. §. Quamvis de sent. excomm. in 6.* & alibi passim in Jure Canonico dicitur, Religiosum fieri per professionem, professio autem non fit, nisi per vota solennia. Nam respondetur, id ideo dici; quia spectato Jure communi Decretalium, nullus erat verè Religiosus, nisi Professus, sive solennibus votis astrictus, tunc enim Ecclesia nullam Religionem acceptabat, nisi cum votis solennibus; nullibi autem jure Canonico statutum reperitur, quòd nullus esse possit verè Religiosus, sine votis solennibus, adeóque quòd substantia Religionis consistat in his votis, & quòd non possit quis solis votis simplicibus astrictus effici verus Religiosus, nec Ecclesiam habere potestatem instituendi, & approbandi veros Religiosos, cum solis votis simplicibus, *Sanch. cit. c. 1. n. 25.*

Objicitur secundò. Status Religiosus, qui constituitur per vota solennia, est longè perfectior, quàm ille, qui consistit in votis simplicibus; quia per illa vovens magis perpetuò, & stabiliter se tradit Religioni, eique arctiùs astringitur. Resp. id solùm verum esse, de perfectione quadam accidentali & extrinseca; non autem de essentiali & intrinseca, ac necessariò requisitâ ad essentiam Statûs Religionis, *Sanch. c. l. n. 27.*

XIII. Cæterùm pro majore declaratione eorum, quæ jam dicta sunt, Notandum primò, votum simplex seu non solenne, aliud est sine Statûs mutatione; quia continet simplicem promissionem erga Deum, fieri que potest etiam solâ mente interiùs conceptum, per quod jus quidem promissario acquiritur, tamen dominium rei promissæ non transfertur, absque traditione & acceptatione, *arg. l. Traditionibus; 20. C. de pact.* Tale votum simplex est votum castitatis in sæculo emissum, vel votum ingrediendi Religionem, per quod vovens non se actu tradit, vel transfert in peculiare dominium Dei, nec se Religioni dedicat: sed tantùm simplicem promissionem facit de tradendo. Aliud est votum simplex, quod fit cum traditione externis verbis, vel signis declaratâ, & acceptatione ab Ecclesia, vel ejus Ministris loco ac vice Dei factâ. Et per hoc mutatur Status hominis, & consequenter per talia vota simplicia potest quis verus Religiosus effici, prout definivit *Gregorius XIII. in cit. Bulla*, nam cùm dixisset, *talia vota emittentes in Statu Religionis verè constitui*, mox addit, *quique per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradant, seque Divino servitio in ea mancipant.*

XIV. Notandum secundò. Votum duobus modis potest dici solenne. Primò, latè, & generatim, prout idem est, quod votum publicum, & opponitur voto occulto seu privato; quia publicè coram pluribus testibus est editum, ad majorem probationem, vel etiam cum aliquo solenni ritu & ceremonia seu forma externa. Secundò, propriè, specialiter ac strictè, votum solenne sumitur, prout opponitur voto simplici, & dicitur illud quod est ab Ecclesia nomine & loco Dei acceptatum, ita ut per illud homo in peculiare dominium Dei & in alium Statum transeat, eùmque secundùm se, & de Lege ordinaria perpetuum & immutabilem, de quo videri potest *Suar. tom. 3. de Relig. Lib. 2. c. 5. n. 4. & pluribus seqq.* consistit autem solennitas hujus voti in duobus, ut tradit idem *Suar. cit. Lib. 2. c. 14. n. 10.* Primò, in vinculo reciproco, perpetuò irrevocabili inter voventem, qui se Deo, & Religioni absolutè, perpetuò & irrevocabiliter tradit, & obligat: & inter Religionem, quæ ipsum perpetuò, & irrevocabiliter recipit. Alterum, quod ex primo, tanquam radice, provenit, est, quòd per votum solenne persona vovens inhabilis reddatur ad quosdam effectus morales, nam qui solennem professionem in Religione emittit, is in perpetuum & immutabiliter (spectatâ Lege ordinariâ, & seclusâ dispensationis Pontificiæ plenitudine) fit inhabilis, tum ad dominium rerum temporalium acquirendum, & retinen-

retinendum, tum ad matrimonium contrahendum, ut ex supra dictis patet.

XV. Notandum tertiò, Professio dupliciter accipi potest, ut notat *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 6. c. 1. num. 1.* Primò, latè pro illa, per quam aliquis in Religionem ascisitur, sive per traditionem sui, quæ fit per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, emissa à vovente, & per acceptationem eorundem ab Ecclesia, sive Religione nomine Dei factam, Religiosus efficitur: & ut sic Professio in genere abstrahit à votis solennibus, & simplicibus: nam etiam illa, quæ fit per vota simplicia, facit verum Religiosum, adeóque est forma, per quam verus Religiosus constituitur; quemadmodum olim ante tempora Gregorij I. Religiosi utriúsque sexûs Professi dicebantur: quamvis tunc nondum fuerit introducta ab Ecclesia ea solennitas votorum, quatenus continet perpetuum, & absolutè indissolubile vinculum inter Religiosum, & Religionem, & per quam redditur vovens inhabilis ad dominium acquirendum, vel retinendum, & matrimonium contrahendum, prout videre est apud *Suar. cit. Lib. 2. c. 14. num. 14. & seqq.* Secundò, accipitur Professio strictè, ac specialiter, non pro qualicùnque Professione: sed pro illa duntaxat, quæ omnimodam indissolubilitatem, ex utraque parte, & prædictas inhabilitates dominij acquirendi, & matrimonij contrahendi continet, de qua est sermo *in c. Porrectum 13. h.t.* quando dicitur, *Monachum* (sive alium Religiosum) *non facit habitus*: *sed Professio*, & alijs locis, de quâ plura infra.

XVI. Notandum quartò. Emissio votorum, per quæ, tanquam formam, Religiosus constituitur, duobus modis spectari potest. Primò, prout vota Religiosa à Christo sunt instituta, abstrahendo ab Ecclesiæ constitutione, quæ solennitatem illis addidit, juxta *c. Un. de voto in 6.* Et sic ad Statum Religiosum aliud non requiritur, quàm ut vota ex parte ventis perpetuam traditionem, & ex parte Religionis acceptationem, seu susceptionem personæ voventis contineant, neq; tamen necessarium est, ut illa reciproca acceptatio sit absolutè perpetua, & irrevocabilis, ut ex supra dictis patet: sicut etiam contingit in dónatione, per quam, accedente traditione, transfertur dominium rei donatæ in donatarium, absque ulla ei reciproca imposita obligatione. Secundò, possunt vota Religiosa spectari, prout subsunt dispositioni Ecclesiæ, quæ pro certo aliquo tempore statuit, ut nonnisi solennia vota à quibuscùnque Religiosis emittantur, adeóque talia, quæ ex utraque parte reciprocum, & indissolubile vinculum contineant, ad instar matrimonij, & voventem inhabilem reddant ad matrimonium contrahendum, & dominium acquirendum, vel retinendum. Et tunc rectè dicitur, quòd forma, per quam Religiosus constituitur, sit Professio Religiosa per vota solennia edita, qualis Professio ex Decreto Ecclesiæ edi debebat à tempore Gregorij I. usque ad tempus Gregorij XIII. qui novam Religionem Societatis approbavit, cum solis votis simplicibus: ac proinde falsum est, quòd ad Religiosum statum absolutè, & secundùm rei naturam spectatum, sint necessaria vota solennia, ut jam olim docuit *Cajetan. 2. 2. q. 88. art. 7.* ubi *nu. 6.* ait: *Quoniam mutatio statûs, mancipando hominem ad Divinum cultum, & Religiosa opera, stare potest cum voto simplici*, ut patet, *Si Ecclesia institueret, quòd in Sacro Ordine, & Religione aliqua votum simplex fieret.*

Ex quo infert *Suar. cit. Lib. 2. c. 11. n. 2.* quòd S. Pontifex decernere posset, ut omnia vota Religiosorum desinerent esse solennia, & fierent simplicia, tribuendo potestatem Prælatis Ordinum, Religiosos suos, si incorrigibiles se exhibeant, omnino dimittendi, & liberandi à votis, ita, ut deinceps non obstante Professione solenni antea editâ, liberè dominium acquirere, vel retinere, & matrimonium contrahere possint; nam cùm voti solennitas introducta sit tantùm Constitutione Ecclesiæ, ab eadem, vel ejus Supremo Capite mutari, vel etiam omnino tolli potest.

XVII. Ex dictis infertur primò, quòd Religiosi non sint, qui edito voto perpetuæ paupertatis, & castitatis, extra Religionem, obedientiam etiam vovent Episcopo, vel Confessario, eíque tanquam Superiori suo se subjiciunt; quia per tale votum non subjicitur spirituali jurisdictioni, quippe quæ à Christo, mediante Papâ, ejus Vicario, derivari debet, & descendere. Quare cùm ejusmodi subjectiones Ecclesia, ejùsq; Pastor supremus non acceptet, nec approbet, ideo neque Ecclesiasticæ personæ fiunt: sed manent Laici, ut antea erant. Et licèt Episcopus, vel Confessarius, cui obedientiam vovit aliquis Laicus, possit ratione hujus voti, ipsi præcipere aliquos actus etiam spirituales, non tamen potest infligere pœnam spiritualem excomunicationis, vel alterius censuræ, nisi Episcopus aliunde jurisdictionem in ipsum habeat; quia v.g. est Ordinarius loci, *Less. Lib. 2. c. 41. nu. 11. Laym. Lib. 4. tract. 4. c. 1. n. 7.* Unde nemo subjicitur spirituali jurisdictioni alicujus per obedientiam, nisi per illam, quæ promittitur, & acceptatur, in Religione approbata, auctoritate Apostolicâ, cùm omnis jurisdictio spiritualis à Christo derivetur, mediante Vicario suo, & Religiosus obedit Prælato, tanquam Christi vices gerenti, *Less. c. l. n. 7. Suar. Lib. 2. c. 18. n. 12. & 13. Pellizz. cit. c. 1. n. 15. q. 9.*

Infertur secundò, spectatâ rei naturâ, & seclusò Jure Ecclesiastico, veri Religiosi esse possunt, qui vitam solitariam ducunt, extra omnem hominum congregationem, seu conversationem: nam inprimis qui eremiticam, seu solitariam vitam, editis tribus votis Religionis substantialibus, olim duxerunt, veri Religiosi erant, ut tradit *Suar. cit. Lib. 2. cap. 4. num. 3. & 4.* frequens etiam erat olim, ut Virgines, & Viduæ privatam vitam agentes, velamen ab Episcopo acciperent, & Sanctimoniales, editis tribus votis, Religiosæ fierent, teste *Suar. cit. loc. num. 2.* quia nec ratione Statûs ut sic, nec ratione Statûs perfectionis id repugnat: potest enim quis privatam vitam agens, assumere perpetuam, & stabilem vitæ rationem, in qua per observationem trium consiliorum ad perfectionem tendat, & ad hunc finem sit sub alicujus Episcopi, v. gr. potestate constitutus, ergo sine vita communi potest verus Status Religiosus constitui, sicut etiam posset S. Pontifex nunc vota privatim sibi facta, tanquam substantialia Religionis admittere, & olim etiam faciebant Episcopi, ut refert *Suarez cit. loc. num. 4.* Verùm spectato jure novo Ecclesiastico, & hodierno, nemo Religiosus fieri potest, nisi per edita vota in communem Congregationem sub

Prælato aliquo constitutam, tanquam membrum incorporetur: nam *in c. ult. de Relig. domib. & c. un. eod. in 6.* statutum est, vota Religiosa, seu Professionem Religiosam debere fieri, in Religione approbata à Sede Apostolica, ac proinde status Religionis, secundùm præsentem Ecclesiæ consuetudinem, non est nisi Cœnobiticus, id est, alicujus Ecclesiasticæ Congregationis, ac Communitatis, in qua sub uno Capite, seu proprio Prælato, & sub certa Regula approbata, Religiosi viam perfectionis profitentur, *Suar. cit. c. 4. n. 1. Pelliz. cit. c. 1. q. 10. n. 18. & 19.*

Infertur tertiò, vota simplicia Religionis emissa à Scholasticis, & Coadjutoribus formatis Societatis, non sunt simpliciter, & absolutè conditionata; quia statim absolutè obligant, ad ea in perpetuum observanda, cùm tamen obligatio conditionalis tota suspendatur, usque ad eventum conditionis: quamvis sint conditionata secundùm quid, scilicet quoad perpetuitatem, ex parte Societatis, includunt enim hanc tacitam conditionẽ, ut tantùm obligent, dum Societas eos retinendos esse, judicaverit, *Sanch. Lib. 5. c. 1. n. 30.*

§ III.

Vtrùm Status Religiosus fuerit institutus iure Divino, an verò solùm iure positivo, & Ecclesiastico? & de diversitate Religiosorum Ordinum.

XVIII. Assertio 1. Status Religionis, secundùm se, & quoad substantiam suam, ab ipso Christo Domino in nova Lege fuit institutus, & statim ab initio Ecclesiæ frequentatus, ut colligitur *ex cap. 4. & 5. Act. Apostol.* & sic dici potest, esse de jure Divino, non præcipiente: sed consulente, ut ex communi docet *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 3. c. 2. n. 3.* Nam Christus homines ad tria illa Consilia Evangelica est exhortatus, & ad vota perpetua, de illis facienda, ut colligitur de paupertate *ex Mat. 19. Vade, & vende omnia, &c.* de castitate *ex Matth. 19. Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt, propter Regnum Cœlorum, eod. c.* de abnegatione sui, & propriæ voluntatis, quæ fit per obedientiam, *Mat. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* At verò substantia statûs Religiosi in his tribus votis consistit, *Suar. c. l. n. 5.*

XIX. Assertio 2. Si spectetur Status Religiosus, quoad peculiarem, & determinatum modum vivendi, sive Regulam, non est ex institutione Christi: sed Ecclesiæ, quæ certas conditiones statuere potest, sine quibus vota acceptari non debeant, tanquam Religiosa, sive per quæ constituatur status Religiosus, eæque conditiones pro temporum varietate mutari possunt; cùm pendeant ex libera Ecclesiæ voluntate. Sic etiam dicitur Christus instituisse Sacramenta Ecclesiæ, quoad ea, quæ pertinent ad eorum substantiam, etsi accidentalia Ecclesiæ determinanda reliquerit, *Suar. cit. c. 2. n. 6.* Sic primis sæculis, vota Religionis non continebant absolutam indissolubilitatem, nam licèt vota Religionis semper habuerint perpetuam obligationem ex parte voventis, quia id necessarium est ad statum Religiosum, ut supra dictum: ex parte tamen Religionis, seu Religiosæ Communitatis, ob justam causam, ipsi Religiosi dimitti potuerunt omninò liberi ab obligatione votorum, ut fusè probat *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 2. c. 14. n. 14. & pluribus seqq. & ex S. Basilio, S. Augustino, S. Benedicto.*

Deinde prioribus sæculis, vota Religiosa non irritabant matrimonium, ita, ut non invalidum esset matrimonium Monachi, vel Monialis: sed solùm illicitum, & Sacrilegum, prout refert *Gratianus in can. 27. q. 1. arg. c. Nuptiarum; 41.* quod est *S. August. Lib. de bono viduit. c. 8. & c. pen.* quod est *Gelasij Papæ in Epist. ad Episcopos Lucaniæ c. 23. cit. caus. & q.* postea verò Innocent. II. Papa in Concilio Romano, prout refertur *in c. Ut Lex; 4. eod q. & caus.* decrevit, ut qui Sacro Ordine initiati, vel Religionem sunt Professi, si uxores sibi copulare præsumpserint, separentur, *Gratian. ibid. §. His omnibus,* quod etiam à S. Gregorio priùs statutum erat, ut colligitur *ex c. Et quia; 39. ibid.*

Denique olim Religionem Professi adhuc erant capaces dominij rerum temporalium, adeo ut etiam per ultimam voluntatem, sive in Testamento, sive in Codicillo, de illis disponere potuerint, iisque ab instato succedi posset, ut constat *ex l. Generali; 13. C. de SS. Eccles. & l. Si quis; 20. C. de Episc. & Cleric.* postea verò Imperator Justinianus statuit *in Auth. Ingressi & Auth. Si qua mulier. C. de SS. Eccles.* ut omnia bona & jura Professi in ipso ingressu, seu Professione ad Monasterium transirent: idque postea etiam Papa Gregorius I. approbavit, prout refertur *in c. Ingredientibus; 7. & c. Perlatum; 8. caus. 19. q. 3.* Ex quibus patet, quòd status Religionis ab Ecclesia mutari possit, quoad accidentales conditiones, & effectus quosdam morales, qui ex rei natura non sunt necessariò annexi statui Religioso, adeóque quòd hic quoad ista pendeat à voluntate, & institutione Ecclesiæ.

XX. Assertio 3. Omnes Religiosi Ordines conveniunt in ijs, quæ spectant ad essentiam statûs Religiosi, quæ consistit in tribus votis secundùm consilia Evangelica editis, & ab Ecclesia acceptatis, *Suar. Tom. 4. de Relig. tract. 9. de variet. Relig. Lib. 1. c. 1. n. 3. Less. Lib. 2. c. 41. n. 16.* Diversitas autem desumitur ex duobus, Primò ex fine cujusque proprio ac particulari, ad quem quisque Ordo est institutus. Secundò, ex diversis mediis, & spiritualibus exercitijs, quibus tum ad eundem finem tendit, tum ad ipsa vota observanda utitur, *S. Th. 2. 2. q. 188. art. 1. Suar. c. l. n. 17.* Et hinc Religio alia est contemplativa, quæ præter observantiam votorum substantialium, potissimùm se exercet in contemplatione rerum Divinarum: cujusmodi sunt Religiones Monasticæ, quæ ad solam contemplationem principaliter, & ex prima institutione sua ordinantur: alia est Religio activa, quæ principaliter ordinatur ad vitam activam, & opera misericordiæ circa proximum, sive spiritualia, sive corporalia exercenda. Alia denique est Religio mixta ex utraque parte, quæ ordinatur principaliter tam ad contemplationem: quàm ad actionem erga proximum, *Suar. cit. Lib. 1. c. 5. num. 6. & seqq.* Et ex hoc discrimine major, vel minor Religionum intrinseca perfectio desumitur, secundùm *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1.* & Theologos, ac Canonistas *in cap. Sanè; 20. nu. 9. h. t.* nam cùm vita contemplativa sit simpliciter melior, ac perfectior, quàm activa, juxta illud Christi *Luc. 10. Maria optimam partem elegit,* consequenter etiam Religio, quæ ordinatur ad vitam contemplativam, est perfectior eâ, quæ ordinatur ad vitam activam: mixta verò ex utraque est perfectior ambabus

seorsim sumptis, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. Tales sunt in Ecclesia Ordines illi, qui instituti sunt ad docendum, prædicandum, Sacramenta administranda, *Less. c. l. n.* 20.

XXI. Præterea Religiones aliæ sunt Clericales, aliæ Monachales, aliæ Mendicantes, aliæ Militares. Clericales Religiones sunt, quæ per se primò, & ex proprio instituto ordinantur ad Ministeria Clericorum in Divino cultu, vel etiam salute animarum procurandâ. Monachales Religiones sunt, quæ per se primò ad Ministeria Clericorum non ordinantur: sed vitam purè contemplativam, & solitariam profitentur, ut constat *ex caus.* 16. *q.* 1. & docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 2. *Suar. cit. Lib.* 1. *c.* 7. *n.* 6.

XXII. Mendicantes Religiones sunt, quæ ex vi instituti sui, paupertatem etiam in communi sectantur, nulla possidentes bona immobilia: quamvis aliquæ de facto tale paupertatis genus ex concessione, seu privilegio Sedis Apostolicæ, vel etiam ex consuetudine, tacito S. Pontificis scientis, & tolerantis consensu, approbatâ, non observent: sed bona immobilia in communi possideant, qui tamen adhuc inter Mendicantes Ordines numerantur, *Azor. p.* 1. *Lib.* 12. *c.* 23 *q.* 8. *Suar. Tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *Lib.* 1. *c.* 8. *n.* 3. & 4. Tales Ordines Mendicantes jure communi, & antiquo approbati, sunt quatuor, videlicet Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, S. Augustini, & Carmelitarum, ut constat *ex c. un.* §. *Sanè, de Relig. domib. in* 6. Quibus posterioribus temporibus alij accesserunt, etiamsi bona stabilia in communi possideant, ut dictum.

XXIII. Porro Religio Societatis Jesu per specialem Bullam editam à Pio V. anno M. D. LXXI. die 7. Julij, quæ incipit: *Dum indefessè*, declaratur esse verè, & propriè Ordo Mendicans, non tantùm ex privilegio: sed ex vi Instituti sui, secundùm quod bona stabilia possidere nequit: sed ex incertis eleemosynis, & largitionibus fidelium vivit, ut habetur, *in eadem Bulla Pij V. Suar. cit. c.* 8. *n.* 13. Idque indubitatum est de Societate Professa, ut patet ex confirmatione Instituti Pauli III. anno M. D. XL. & ex Bulla Julij III. quæ incipit: *Exposcit*, anno M. D. LXII. Calend. Augusti editâ, ubi habetur: sic voveant *Singuli, & universi perpetuam paupertatem, ut non solùm privatim: sed neque etiam communiter possint Professi, vel alia eorum Domus, aut Ecclesia, ad bona aliqua stabilia, aut ad proventus, seu reditus aliquos jus aliquod civile acquirere.* Idem habetur *in Constitutinibus Societ. part.* 6. *c.* 2. *n.* 2. & *n.* 5. Idémque disponitur de Coadiutoribus formatis, *cit. c.* 2. *n.* 4.

Solùm ergò restat dubium, de Societate, prout complectitur Scholasticos in Collegiis degentes, quæ reditus, seu census, & possessiones, seu bona stabilia habere possunt, usibus, & necessitatibus studentium applicandas: an inquam, ut sic etiam sit verè, ac propriè Ordo Mendicans? Ad quod respondetur affirmativè, idque probatur *ex cit. Constitutione Pij V.* in qua declaratur, non tantùm Societatem: sed etiam singulas ejus personas verè, & non fictè, Mendicantes fuisse, esse, & fore, adeóque etiam Scholasticos. Ratio est primò, quia una Religio non potest simul esse diversorum Ordinum, & diverso jure censeri, alioquin una non esset: sed multiplex: Scholastici autem, unâ cum solenniter Professis, & Coadiutoribus formatis constituunt unam Societatem, ut patet *ex Constitutionibus p.* 5. *c.* 1. *n.* 1. & *in Declarat. ibid. lit. A.* dicitur, Societas, cum Professis, & Coadiutoribus formatis, etiam Scholasticos approbatos continet, ergo Scholastici approbati etiam sunt Ordinis Mendicantium. Secundò, in Societate duæ partes ex tribus sunt Mendicantes, nempe Professi, & Coadiutores formati, ergo etiam tertia pars est Ordinis Mendicantium; quia pars, præsertim si etiam dignior sit, trahit ad se minorem, & denominatio fit à majore, ac digniore parte. Tertiò, Religionum diversitas sumitur ex fine, ad quem tendunt: Scholastici autem Societatis sunt quasi in via, ut Societatem ingrediantur, in eâque, vel Professi, vel Coadjutores formati fiant, ideóque meritò ab istis, præsertim à Societate Professa, & Mendicante, etiam Scholastici denominationem accipiunt Mendicantiũ. Ex quo patet, quòd etsi Collegia habeant reditus, & bona immobilia, pro necessitatibus studentium, non tamen hinc sequitur, quòd Scholastici non sint Ordinis Mendicantium, *Fagnan. in c. In præsentia* 3. *n.* 81. *de probat.* Non obstat *c. un.* §. *Confirmatos, de Relig. domib. in* 6. ubi dicitur, Mendicantes esse, quibus reditus, aut possessiones habere per Regulam, quam profitentur, est interdictum: nam regula non dicitur respectu alicujus membri, vel partis integralis, v. g. hujus, vel illius Conventûs: sed respectu totius Corporis Religionis, adeóque licèt aliquod membrum Religionis, ut in proposito, Scholastici Societatis degentes in Collegiis habeant reditus, & bona stabilia, ex iisq; vivant: non tamen propterea dicendi sunt, non esse Ordinis Mendicantis, si ipse Ordo, & Regula sit mendicans, *Fagnan. c. l. n.* 113. & 114.

XXIV. Denique Religiones Militares dicuntur, quæ tribus substantialibus editis votis, per se primò, & ex vi proprij instituti, ordinantur ad militandum, pro defensione Christianæ Religionis, & Ecclesiæ, *Suar. Tom.* 4. *de Relig. Lib.* 1. *c.* 3. *n.* 4. Cujusmodi sunt Ordines S. Joannis Hierosolymitani, Teutonici, & similes. Quibus adde, quòd quædam sunt Religiones Hospitalariæ, quæ scilicet, emissis tribus votis substantialibus Religionis, per se primò, & ex vi instituti sui, ordinantur, ad hospitalitatem exercendam, sive in curandis infirmis, sive in excipiendis peregrinis, idque gratis ex mera charitate erga Deum, & proximos, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *art.* 2. *in Corp.*

XXV. Addendum hîc, quòd illæ etiam Religiones sunt diversæ, quæ diversas Regulas & Constitutiones particulares habent, secundùm quas vivunt. Et quamvis communiter à Dd. nonnisi quatuor Regulæ approbatæ numerentur, prima est S. Basilij, sub qua militant penè omnes Monachi Græci, & Ecclesiæ Orientalis: Secunda S. Augustini, sub qua vivunt omnes Canonici regulares, & Eremitæ S. Augustini, Præmonstratenses, Dominicani, Ordo servorum B. V. & alij quidam. Tertia S. Benedicti, sub qua vivunt Monachi nigri, item Cistertienses, Cluniacenses, Camaldulenses, Cælestini, & alij quidam. Quarta S. Francisci, sub qua vivunt Minores de observantia, Conventuales, Capucini. Tertij Ordinis de pœnitentia: habent tamen singuli hi Ordines, præter eandem Regulam, quam sequuntur, proprias, ac speciales Constitutiones, quibus inter se discrepant in habitu, victu, jejuniis, aliisque piis exercitiis, *Silvest. V. Religio* 1. *q.* 7. *Less. cit. cap.* 41. *num.* 18. Præter prædictas

quatuor, habent propriam, & ab alijs distinctam Regulam, ac Constitutiones, Carthusiani, Minimi S. Francisci de Paula, & Societas Jesu, *Barb. Lib. 1. Jur. Eccles. c. 41. n. 24.*

SECTIO II.

DE INGRESSU RELIGIONIS, & Novitiatu.

Præmittendum, quòd per ingressum in Religionem, aliquando intelligitur ipsa Professio, per quam aliquis verè, & propriè Religiosus efficitur, quomodo accipitur *in Auth. Ingressi C. de SS. Ecclesiis, & cap. Quia ingredientibus; 7. junct. Gl. V. Convertendi, caus. 19. q. 3.* de quo infra. Aliquando verò ingressus dicitur, cùm quis Religionis habitum susçipit, & inter Tirones, seu Novitios ad probationem recipitur, & de hoc in præsentia agemus. Porro quatuor requiruntur, ad Novitiatum legitimè peragendum. Primò, Ætas legitima. Secundò, Locus debitus. Tertiò, Susceptio habitûs Religiosi: Quartò, Tempus continuatum, de quibus nunc ordine agendum est. §§. *seqq.*

§. I.

Quæ ætas in ingrediente Religionem, seu Novitiatum requiratur, & in quo loco necessariò debeat peragi Novitiatus, sive probatio, & an etiàm, susçepto habitu Regulari?

XXVI. Assertio 1. Etsi olim annus probationis inchoari poterat, post expletum annum XIII. ætatis in viris, & XI. in fœminis, quando Professio fieri poterat statim expleto anno XIV. vel XII. ut notat *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 6. c. 19. n. 17.* Jure tamen noviore, ad verum, & legitimum Novitiatum, seu annum probationis inchoandum, requiritur pubertas completa, nempe, ut si mas sit XIV. ætatis annum: si verò fœmina XII. compleverit, prout supponitur *in Clement. 2. junct. Gl. V. Ætate*; ubi addit, non sufficere hoc casu, quòd prudentia, vel malitia suppleat ætatem, & colligitur *ex c. Ad nostram; 8. & c. Cùm virum; 12. h. t. Silvest. V. Religio; 5. q. 1. Azor. p. 1. Instit. Lib. 10. c. 2. q. 4. Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 22. & alij communiter.* Ratio est, quia in hac ætate discretio rationis, & libertas arbitrij, & vires adveniunt, ad austeritatem Religionis probandam, præsertim verò, ad continentiam servandam, cujus difficultates impuberes plenè experiri non possunt, ideóque completa pubertas, ad inchoandum Novitiatum requiritur. Neq; hoc correctum est per *Concil. Trident. Sess. 25. de Regul. c. 15.* nam solam professionem factam ante XVI. ætatis annum, irritam reddit: non autem prohibet, quò minùs Novitiatum incipere liceat, ante XVI. ætatis annum, ut tradit, *Navarr. Lib. 3. consil. 20. n. 1. h. t. Azor. cit. Lib. 12. c. 4. q. 9. Sanch. c. l.* neque verò potest Novitius renunciare, vel cedere huic juri, quoad ætatem requisitam ad Novitiatum; cùm non in solius Novitij favorem sit statuta, *Sanch. c. l. n. 23.*

XXVII. Ubi præterea Notandum primò. Annus probationis potest inchoari statim post XIV. annum pubertatis çompletum, neque Concilium Trident. circa hoc quippiam innovavit: non enim opus est, ut annus probationis immediatè Professionem antecedat, vel ut statim Novitius, expleto anno probationis, ad Professionem admittatur: sed ob rationabilem causam, vel impedimentum, finito Noviciatu, potest differri Professio, *Less. Lib. 2. c. 41. n. 59. Sanch. cit. c. 4. nu. 21. Suar. Tom. 3. Lib. 5. c. 13. nu. 8. & alij communiter.* Unde cùm Concilium *cit. Sess. 25. c. 16.* ait, ut finito tempore Novitiatûs, Superiores Novitios, quos habiles invenerint, ad Professionem admittant, aut è Monasterio eos ejiciant, non loquitur absolutè: sed ex hypothesi, nisi quid obstet, vel si qui probantur, tunc habiles reperiantur, aut nisi justa causa occurrat differendi Professionem, juxta *Declarat. Congreg. Concil. apud Joan. Gallemart. ibid. num. 7.* Talis justa causa esse potest, si Novitius diutiùs probandus esse videatur, vel nondum de bonis suis disposuit, vel quia in morbum incidit: imò ordinaria causa erit, si ætatem requisitam, videlicet XVI. annorum, nondum assecutus est, potest enim Novitius mox post completum XIV. annum inchoari à maioris, ac proinde qui ita inchoârunt, post annum completum, nempe XV. adhuc in probatione erunt, usque dum annum XVI. compleverint; quia tunc demum ad Professionem admitti possunt, ut ex dictis patet.

Notandum secundò. *In prædicta Constitutione Tridentini Sess. 25. c. 15. de Regul.* non comprehenduntur Ordines Militares, quippe qui post expletum XIII. ætatis, & ante annum Novitiatûs exactum, Professionem emittere possunt, & solent, *ex Declarat. Congr. Cardin.* quia Professionem emittunt juxta Regulam, non juxta *Decretum Concilij Trident. Azor. p. 1. Lib. 13. c. 4. q. 2. Navarr. Lib. 3. consil. 10. n. 10. Sanch. cit. Lib. 5. c. 4. n. 17.*

Notandum tertiò. In Societate Jesu, nemo potest admitti ad Novitiatum, seu probationem, ante expletum XV. ætatis annum, sicut nec post expletum L. annum, sine Generalis dispensatione, ut constat *ex Reg. 16. Provincialis, & Can. 9. Congreg. Gen. VIII.* Quare vota simplicia Societatis edita ab admisso, ante exactum XV. annum, sine dispensatione Generalis, adeóque etiam ante XVII. annos expletos, sunt invalida; quia ad eorum valorem necessario requiritur, ut præcedat biennium Novitiatûs, hic autem validè inchoari non potest, sine dispensatione, ante annos XV. expletos, sicut nec Jure communi, ante annos pubertatis expletos, *Sanch. cit. c. 4. n. 18.* Ratio est, quia facultas admittendi in Corpus Societatis, est penes Caput ejus, videlicet Præpositum Generalem, ut patet *ex p. 5. Constit. c. 1. n. 2.* Alijs autem convenire tantùm potest per communicationem, seu concessionem Generalis. Est autem recepta doctrina apud *Abbat. in c. Ex parte; 12. n. 5. de Constitut.* Si cui ab initio potestas limitata concessa sit, ut secundùm præscriptam formam aliquid agere debeat, tum irritum est, si aliter agatur. Cùm ergo Provincialis, ante expletum XV. ætatis annum, ad probationem, vel ante exactum biennium probationis, ad vota Scholasticorum admittendo, limites potestatis sibi commissæ excedat, & contra Constitutiones Societatis agat, in quibus ipsi dispensare non est concessum, ideo irritum est, quod agitur, *Sanch. c. l.*

XXVIII. Assertio 2. Novitiatus, seu annus probationis regulariter debet peragi in Monasterio, seu

seu domicilio Religionis, non extra, ut patet *ex c. 1. h. t. in 6.* ibi: *quòd si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit.* Ratio est, quia Novitiatus ad eum finem est institutus, ut Novitius Religionis asperitates experiatur, & vicissim Religio sumat experientiam de moribus ipsius: hoc autem obtineri non potest, si Novitius extra Religionem versetur in sæculo. Verùm id intelligendum est, ac limitandum, nisi Novitius, cum legitima Superioris sui licentia, extra Monasterium, seu Religionem versetur, etiam per majorem partem anni probationis; quia cum licentia sui Superioris, extra Monasterium degens, censetur verè in probatione esse; cùm in eo loco, ubi est, sub Prælati sui obedientia existat, quæ autem major probatio est, quàm obedire: alioquin Novitius non posset tempore probationis, peregrinatum mitti, v. g. ut Xenodochio inserviat, quod nemo dixerit. Quare non est opus, ut Religio omnes mores Novitij experiatur in specie, neque etiam, ut ipse experiatur omnes austeritates Religionis in specie, seu individuo: sed satis est ad valorem probationis, quòd sub obedientia Prælati permaneat, ubicùnque Novitius fuerit, paratus, ipso jubente, redire, quandocùnque eum revocaverit ad Monasterium, *Navarr. Lib. 3. conf. 32. nu. 2. & seqq. Azor. cit. c. 4. q. 9. in fine, Sanch. cit. c. 4. n. 27. & 28.* ubi addit, *idem dicendum de Monialibus Novitiis, n. 27. & 28. Suar. tract. 3. Lib. 5. c. 14. n. 13.*

Ex hinc infertur, si Novitius statim, ac Religionem ingreditur, fiat æger, & in ea infirmitate toto anno persistat, eo completo, possit Professionem emittere, absque alia actuali probatione; quia, quantum est ex se, verè manet in statu probationis, & sub obedientia Religionis, quòd autem actu probari non potest, id est per accidens. Et licèt annus probationis detur ad sumendam experientiam, id non refert; tum quia finis Legis non cadit sub Legem, nec est de substantia illius: tum quia tali casu Novitius satis probatur per infirmitatem, an aptus sit ad Religionem, nec nè, ipse verò aliunde poterit mores, & austeritates Religionis cognoscere, *Navarr. c. l. Suar. cit. c. 14. n. 15.*

XXIX. Assertio 3. Communior sententia tenet, necessarium esse, ad valorem Novitiatûs, ut annus probationis, suscepto habitu regulari, peragatur, *Gl. in c. Super eo; 9, V. In eadem veste, h. t. Silvest. V. Religio 5. q. 5. Azor. p. 1. Lib. 12. c. 2. q. 9. Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 29.* Ratio est, quia probatio Novitij eò ordinatur, ut ipse experiatur Religionis austeritatem; cujus magna pars consistit in habitu, ideóque non potest censeri probatus, qui habitum non gestavit. Idémque videtur Concilium Trident. statuisse *Sess. 25. de Regul. c. 15.* his verbis: *Nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad professionem admittatur,* ac proinde vult, quòd non nisi post susceptum habitum, annum probationis inchoare, censendum sit. Verùm probabilius est, quòd ad Novitiatum, sive probationem Religionis per se, ac substantialiter, non requiratur susceptio habitûs Regularis: sed possit etiam in habitu sæculari peragi, ut docet *Abb. in cit. c. Super eo; n. ult. Suar. Tom. 3. de Rel. Lib. 5. c. 13. n. 5.* Idque probatur *ex c. pen. dist. 54.* ubi dicitur, si quis ad Dei servitium converti desiderat, probetur priùs in laico habitu constitutus: & *in c. unic. dist. 53.* quod est desumptum *ex S. Gregor. I.* dicitur: juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc Monasticum habitum suscipere. Sed respondet *Gl. supr. cit.* hos Canones usu esse abolitos, vel nomine vestis laicalis, intelligi habitum Novitiorum, prout est distinctus ab habitu Professorum, seu proprio Religionis: Ratio autem negativæ sententiæ est, quia tempus probationis tunc incipit, quando quis, factâ petitione, ut admittatur, & accedente consensu, seu acceptatione Prælati, suscipitur, ut in Religione probetur: ad quod per se, & suapte naturâ, non requiritur habitus Regularis; nam si in Regula Ordinis non præscribantur certa probandi media, tum partim ex consuetudine: partim ex arbitrio Prælati pendet, quænam media, seu modi probandi adhibendi sint, & loco austeritatis, quæ in habitu consistit, aliæ, & quidem majores austeritates, v. g. cilicia, & disciplinæ, assumi possunt ad probandos Novitios, *Suar. cit. c. 13. n. 3. & 6.*

Atque hæc quidem procedunt per se loquendo, & spectatâ rei naturâ: at verò in plerisque Religionibus Regula Ordinis præcipit, vel talis consuetudo viget, & requirit, ut Novitiatus, seu probatio non inchoetur, nisi suscepto habitu Regulari, teste *Gl. in cit. c. un. V. In suo, dist. 53. Silv. c. l. q. 5.* Et hoc solùm voluit *Concil. Trident. c. l.* nempe annum probationis esse inchoandum, sive computandum ab eo die, in quo aliquis ad probationem Religionis admittitur: quia verò hæc admissio ordinariè, & ex consuetudine communiter nunc recepta, fieri solet, ac debet, per susceptionem habitûs Regularis, ideò ait, neminem admittendum esse ad Professionem, nisi per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit: non autem absolutè intendit Concilium statuere, ut secluså etiam consuetudine, annus probationis non incipiat, ante susceptum habitum Religionis. Unde si in aliqua Religione foret consuetudo recipiendi Novitios ad probationem in habitu sæculari, non esset hoc abrogatum per Concilium, *Suar. c. l. n. 4. & 5.* Quemadmodum in Societate Jesu, quæ nullum peculiarem in Constitutionibus suis habitum præscriptum habet, Novitij etiam in habitu sæculari, & non suscepto habitu Regulari, probari possunt, ut notat *Sanch. cit. c. 4. n. 29.* His adde, quòd nec habitus Novitiorum, si fortè is sit distinctus ad habitu Professorum, pertineat ad substantiam Novitiatûs, seu Probationis, ita, ut necessarium sit illum, gestare, ut quis dicatur in probatione stare; quia hoc ex nullo jure antiquo probari potest: nec per Tridentinum quippiam circa hoc est innovatum, in quo nulla fit mentio de habitu proprio Novitiorum, ideóque in pluribus Religionibus Novitij, & Professi eodem habitu utuntur. Quare quicùnq; in Religione existit sub obedientia Prælati, ad eum finem, ut ipse experiatur statum Religionis, & Religio ejus mores exploret, verè, ac propriè dicitur stetisse in probatione per annum, etiam habitu Novitiorum non suscepto, *Suar. tract. 3. Lib. 5. c. 14. num. 10.*

§. II.

Vtrùm necessarium sit, ut Professionem præcedat annus probationis, isq; integer, & quomodo sit computandus?

XXX. Assertio 1. Etiam olim, & secundùm antiqua Monachorum instituta, tempus probationis regulariter fuit unus annus, ut constat *ex Reg. 58. S. Benedicti*, idque postea ex Decreto Alexandri II. jure communi receptum est, *in c. 1. caus. 17. q. 2.* ubi dicitur: *Canonica institutio interdicit, Monachum, ante unius anni probationem, effici.* Interdum verò biennium ad probationem requirebatur, ex Decreto S. Gregorij, *in c. Monasteriis; 6. caus. 19. q. 3.* At verò idem S. Gregor. prout refertur *in c. unic. dist. 53.* in viris militaribus triennij probationem requirit, si Religionem ingrediantur. Similiter si quis incognitus Monasterium ingredi voluit, triennium ad ejus probationem exigebatur, ex Decreto Bonifacij V. *in c. Si quis; 4. caus. 17. q. 2.* Quare *Gl. in cit. c. 1. V. unius anni, ead. caus. & q.* putat, tempus illud olim fuisse arbitrarium, vel fuisse plus, aut minus temporis requisitum, habitâ ratione, an conditio, & vita hominis fuerit cognita, nec nè, ut colligitur *ex c. ult. cit. caus. 17. q. 2.*

XXXI. Postea verò Innocentius III. declaravit, » & statuit *in c. Ad Apostolicam; 16. h. t.* Professionem » Monachi, vel Canonici Regularis, ante unius an- » ni probationem, nec fieri, nec recipi debere. Quia » verò hoc tempus probationis concessum est, par- » tim in favorem Conversi, seu Novitij, ut priùs Re- » ligionis asperitates, Regulam, & vitæ institutum » experiatur: (ne aliàs inconsultò promittat, cujus » eum postea pœniteat) partim etiam in favorem » Monasterij, seu Religionis, ut priùs explorare pos- » sit vitam, & mores illius (ne sine debita probatione, » recipiendo inquietum, & immorigerum, totius » Corporis, seu Congregationis quies, & pax pertur- » betur) ideo utrumque hoc diligenter observandum » est. Si tamen ante tempus probationis regulariter » præfinitum, is qui converti desiderat, sive admitti, » habitum recipiat, & Professionem emittat, Abbate, » seu Prælato Ordinis per se, vel per alium Profes- » nem recipiente, & Monachalem, seu Regularem « habitum concedente, uterque renunciare videtur » favori pro se introducto: ideóque talis obligatur » per Professionem, non solùm emissam: sed etiam » receptam, ad observantiam Regularem, & verè Mo- » nachus, seu Religiosus est censendus; multa enim » fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, valent, seu » obtinent firmitatem. Prohibet autem Pontifex » Abbatibus, seu Prælatis, ne passim, ante tempus » probationis finitum, quoslibet ad Professionem re- » cipiant, & si contrafecerint, indiscretè recipiendo » Novitios, puniendi sunt, (videlicet arbitrio Judi- » cis, nam pœna certa non est expressa, *Gl. fin. hic*) cùm » in subsidium fragiliatis humanæ tempus probatio- » nis regulariter sit institutum.

XXXII. Hinc patet, quòd spectato Jure communi, & antiquo Decretalium, juri probationis per annum, ex utriûsque partis consensu, videlicet recipiendorum, & recipientium, poterat renunciari, ita, ut Professio saltem validè, & interdum etiam licitè ex justa causa fieri posset, ante transactum probationis annum, *Abb. hîc n. 4.* requirebatur autem, ut communi utriûsque partis consensu renunciatum sit, tam Novitij: quàm Religionis; quia quando aliquid introductum est in favorem duorum, non potest unus ei renunciare, altero invito, *Gl. hîc V. Monasterij, & Abb. n. 10.* Quòd si Professio edita fuit, sine prædicta renunciatione, ab utraque parte factâ, ante finitum probationis annum, ea etiam jure antiquo erat invalida; cùm Monachum fieri, ante unius anni probationem, regularis institutio absolutè prohibeat, nisi ei fuerit renunciatum, *cit. c. Ad Apostolicam; Sua. Tom. 2. de Relig. Lib. 5. c. 12. n. 4.* Unde si Novitius ejectus emisit Professionem, ante annum probationis explerum, Professio fuit etiam olim nulla; quia qui cogitur, non cedit, juri suo: idémque est, si per ignorantiam juris, vel facti, non sit expletum totum tempus probationis; quia non liberè ei renunciat, *Sua. c. l.* ubi etiam ait, si Professio in ipso primo ingressu Religionem fiat, cum consensu ingredientis, & Religionis, ea valida est; quia sicut potest pars anni probationis omitti, mutuo consensu utriûsque partis, ita etiam totus.

XXXIII. Cæterùm ab eo, quod statutum est, *in cit. c. Ad Apostolicam*; excipiendi sunt Prædicatores, & Minores, quibus posterioribus temporibus prohibitum fuit, ne intra probationis annum, aliquem ad sui Ordinis Professionem recipiant, prout decernitur *in c. Non solùm; 2. h. t. in 6.* Ubi Papa Innocentius IV. in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, prohibet, ne FF. Prædicatores, & Minores, ante annum probationis elapsum (qui est maximè in subsidium humanæ fragilitatis institutus) aliquem ad Professionem, vel renunciationem sæculo faciendam, recipiant: nec constitutum intra hunc annum impediant, quò minùs ad aliam Religionem, quam voluerit, transeat, vel omninò ad sæculum redeat; nisi major XIV. annis, seu pubes factus professus sit expressè, vel tacitè, vel evidentibus indiciis constet, aut clarè probatum sit, cum vitam mutare voluisse. Quòd si contra hanc Constitutionem, aliquem reciperent ad Professionem, intra annum probationis, ita Professus Ordini ipsorum nullatenus obligatus est (obligatur tamen ad Religionem in genere, seu quam ita Professus ingredi maluerit, *Gl. hîc V. Vestro Ordini*) Ipsi verò, qui receperunt, à receptione quorumlibet ad Professionem ejusdem Ordinis, ipso jure, seu facto sunt suspensi, & insuper pœnæ sunt subjiciendi, quæ Fratribus Ordinis pro culpis gravioribus infligi consuevit. Ubi *Gl. V.* Et insuper notat, quòd duplici pœnâ talis punitur; quia altera sola non sufficiebat.

XXXIV. Hanc Constitutionem Innocentij IV. quæ prohibet Conversorum (hoc est, qui in probatione sunt) Professionem recipi, ante annum probationis finitum, Bonifacius VIII. ob similitudinem rationis, extendit ad alios Ordines Mendicantes; in aliis verò Religionibus (scilicet non Mendicantium) jus antiquum manere voluit, nempe ut Professio expressè, vel tacitè, licitè fieri possit, intra annum probationis: cum hoc tamen discrimine, quòd expressa Professio (etiam habitu sæculari non mutato) edita, intra annum probationis, illi Religioni, quam Professus quis fuit, præcisè, seu specificè obliget; at verò tacitè facta, intra annum probationis, per susceptionem habitûs, qui Professis tantùm dari solet, non specialiter obliget illi Religioni, cujus habitus est susceptus, sed generaliter alicui Religioni: dummodo is, qui ita Professus est, ætatem legitimam habeat (scilicet pubertatis) & sciens, ac volens per tri- duum habitum gestet, prout statutum habetur *in c.* Con-

Constitutionem; 3. *h. t. in 6.* Ex quo colligitur, quòd in Religionibus Mendicantium Professio fieri potest, intra annum probationis, validè quidem: sed non licitè, in alijs verò etiam licitè, *Gl. hic V. Licitè.*

XXXV. Porro hactenus dicta procedunt, spectato Jure communi Decretalium, cui derogavit *Concilium Tridentinum Sess. 25. de Regul. c. 15.* Ubi unisversim statuit, ut Professio in quacùnque Religione, tam virorum, quàm mulierum (exceptis Ordinibus Militaribus juxta *Declar. Cardin. Concilij apud Jo. Gallem. ibid. n. 1.*) ante exactum probationis annum, non solùm illicita sit: sed etiam invalida, nullamque obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis observationem, aut alios quoscùnque effectus producat. Idque meritò à Concilio fuit statutum; quia annua probatio, præcipuè ob bonum publicum Religionis in communi est inducta, & jure publico decreta (etsi olim videbatur, solùm præjudicare juri privato) juri autem publico pactis, aut renunciationibus privatorum derogari non potest, *c. Si diligenti*; 12. *de for. comp. l. Jus*; 38. *ff. de pact. Navarr. Lib. 3. consil. 62. n. 12. h. t.* Et quamvis per Decretum Concilij Tridentini non expressè derogetur, *cit. c. Ad Apostolicam*; certum tamen est, per illud revocatam esse facultatem, renunciandi annuæ probationi, alioquì nihil novi statuissset, vel addidisset, cùm etiam antea, & secundùm Jus antiquum, Professio facta, sine utriùsque partis consensu, seu renunciatione, scilicet Novitij, & Religionis, fuerit nulla: & sic eluderetur mens Concilij, cùm quilibet posset cedere juri suo, & renunciare anno probationis, cum consensu Religionis, vel Prælati admittentis, si tale jus renunciandi per Concilium non fuisset ablatum, *Navarr. c. l. n. 6. & seqq. Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 19. Suar. Tom. 3. Lib. 5. c. 12. n. 5.* ubi ait, dictum Decretum Tridentinum ita declaratum esse, per Congregationem Cardinalium, & usu receptum.

Illud speciale est, quòd in Societate Jesu biennium integrum ad probationem requiratur, priusquam Novitij ad vota simplicia Scholasticorum admittantur, ut constat *ex Examine Generali c. 1. nu. 12.* quamvis ex dispensatione Præpositi Generalis hoc tempus, ex causis non levis momenti, prorogari, vel contrahi possit, modò id rarò fiat, prout habetur *Par. 5. Constit. in declarationibus. lit. C.*

XXXVI. Assertio 2. Annus probationis debet esse integer, & completus, ita, ut nec una dies illi desit, alioquin Professio subsequens non valet, ut ex communi Dd. tradit *Suar. cit. Lib. 5. c. 15. n. 1.* Ratio est, tum quia jura antiqua loquuntur de anno integro, & completo, & per consequens etiam Concilium Trident. & consuetudo id interpretatur: tum quia Lex, quæ definit certum tempus, aut pretium, præcisè, & in indivisibili constituit talem mensuram. Idque communiter extendunt Dd: quòd annus probationis computandus sit strictè, ac de momento ad momentum, ita, ut si quis v. g. habitum regularem induit, & probationem incepit die 1. Maij anno 1674. post meridiem, non possit Professionem edere 1. Maij anni sequentis manè; sed expectare debeat, usque ad tempus pomeridianum; eò quòd in his dies cœpta non habeatur pro completa, quamvis non sit opus differre Professionem in diem sequentem, ut docet *Sanch. Lib. 2. de matr. disp. 24. n. 22. Less. Lib. 2. c. 41. n. 59. Fagnan. in c. Ad nostram*; 8. *n. 19. & pluribus seqq. h. t.* quia *in Concil. Trident. c. 15. Sess. 25. de Regular.* ad valorem Professionis requiritur, ut Novitius non minore tempore, quàm per annum in probatione steterit, imò ut annus probationis sit elapsus, *c. 2. eod. in 6.* qui autem aliquot horis, v. gr. ante annum finitum Professus est, is minore tempore, quàm per annum stetit in probatione; quia annus, ubi incipit, ibi desinit. Idémque est dicendum de ætate XVI. annorum requisita, ad Professionem Religiosam, quod computandi sint de puncto in punctum, alioquin Professio est nulla, ut tradunt *Dd. citt.* idque probatur *ex l. 3. §. Minorem, ff. de minor.* ubi dicitur, tempus XXV. annorum, quod minori datur, ad petendam restitutionem in integrum, computandum esse à momento ad momentum, idque favore minoris ætatis, ut ait *ibi Gl. V. Momentum.*

Ex quo ulteriùs inferunt *citt. Dd.* quòd si quis probationem incepit, suscepto habitu, v. gr. in Festo S. Matthiæ 24. Februarij anno 1671. non possit Professionem emittere anno 1672. die 24. Februarij: sed solùm die 25. in quo completur annus bisextilis; quia in illo anno duo dies bisextiles, nempe XXIV. & XXV. Februarij, quasi pro uno die reputantur, adeóque non pro die distincto, qui numerum faciat, *c. Quæsivit, 14. in fine de V. S. & cit. l. 3. §. Minorum*, ubi dicitur, ad complendam ætatem XXV. annorum, in ordine ad petendam restitutionem in integrum, nihil referre, sive quis die bisexto priore, sive posteriore sit natus; quia id biduum pro uno die habetur. Idémque etiam procedit in ætate XVI. annorum ad Professionem requisita.

XXXVII. Verùm contrarium probabilius videtur, ut docet *Emm. Rodriq. Tom. 3. qq. Regul. q. 15. art. 4.* pro quo duæ sunt notandæ Regulæ. Prima est, si materia sit odiosa, ita, ut agatur de favore concesso minuendo, vel odio, & onere augendo, tum tempus à jure præfixum est numerandum strictè, & de momento ad momentum, prout ex pluribus exemplis ex jure allatis patebit. Velut minor XIV. annis, si mas sit, vel XII. si fœmina sit, non potest facere Testamentum, & tamen ultimâ die anni XIV. vel XII. manè potest facere Testamentum, etiamsi vespere natus sit; quia dies cœptus habetur pro completo, *l. Quâ ætate 5. ff. qui Testam. fac. poss.* est enim maximè odiosa Lex, restringens facultatem faciendi Testamentum, jure communi aliàs concessam. Secundò, in computatione annorum requisitorum ad Ordines suscipiendos, annus cœptus habetur pro completo, *Clement. ult. & ibid. Gl. V. In XVIII. de ætat. & qualit.* & ubi annus completus requiritur, sufficit ultimum diem ætatis esse inceptum, ut dictum *Lib. 1. Tit. 11. n. 12.* Tertiò, in ætate septennij, requisitâ ad sponsalia, & pubertatis, ad matrimonium contrahendum, non requiritur, ut dies ultima anni VII. vel XIV. sit completa: sed sufficit inchoata, ut docet etiam *Sanch. c. l.* Ergo idem dicendum est, de Professione Religiosa, quoad annum probationis, & ætatem XVI. annorum ad illam requisita, quòd dies ultima anni probationis, vel anni XVI. cœpta, habenda sit pro completa; quia à matrimonio carnali ad spirituale, qualis est Professio, valet argumentatio: & non minùs hoc in jure est favorabile, quàm matrimonium carnale. Neque verò obligati per Professionem Religioni, est quid odiosum, prout sup-

ut supponunt contrariæ sententiæ Auctores, sicut obligari simpliciter, & absolutè, sive in genere, sed potiùs favorem continet: tum ex parte Professi, qui per Professionem in viam perfectionis dirigitur, & servit ei, cui servire, regnare est, & Professus consequitur multa privilegia, & jura, quæ Novitius non habet: & ex Professione non infertur ei damnum, sed magna utilitas spiritualis, & temporalis: tum quia versatur etiam hîc favor ipsius Religionis, cujus interest, ut filios, quos per annum educavit, servet, & retineat; summa enim ratio est, quæ pro Religione facit, *l. Sunt personæ; 43. in fine, ff. de Relig. & sumpt. fun.* Ergo cùm hîc agatur de favore Professionis nō minuendo, is potiùs augendus est, quàm restringendus, ita, ut Professio edita ultimo die anni probationis, vel anni XVI. ætatis, sit valida, etiamsi is nondum sit completus: Accedit, quòd præcepta, & Leges humanæ moraliter sint intelligendæ: moraliter autem completum dicitur, sive finitum, quod parum distat à complemento, seu fine.

Simili ratione, si materia sit odiosa, & agatur de minuendo favore concesso, vel onere, aut odio augendo, tum in anno bisextili, alter dies bisextilis non computatur: sed tantùm numerantur dies 365. sicut in anno communi, ut docet *Gl. in c. Quæsiverit; 14. V. Qui duo, de V. S. & ibid. Abb. n. 4. Silvest. V. Ætas, q. 3. Barb. in cit. c. Ad Apostolicam; n. 6. h. t.* & apertè constat *ex l. Cum hæres; 4. §. Stichus, ff. de statu hom.* Ubi dicitur, si Sticho libertas relicta sit, si hæredi anno servierit, & annus sit bisextus, dies bisextilis non computatur in anno: sed tantùm dies 365; quia cùm sit pœna, non debet ampliari: sed potiùs restringi, *Gl. in cit. c. Quæsivit; V. Qui duo.* Quare cùm si in ordine ad complendum annum Professionis, aut ætatem XVI. annorum requisitam ad Professionem, uterque dies bisextus computaretur, ita, ut annus probationis, vel ætas primùm compleretur in posteriore bisexto, id cederet in odium Professionis; quia libertas Professionis restringeretur, quæ non posset validè fieri in priore bisexto, ideo in anno bisextili debet solùm computari prior bisextus, ita, ut in eo compleatur annus probationis, & ætatis, atque licitè, & validè fieri possit Professio, neque exspectari debeat usque ad posteriorem bisextum, ut censuit *Sanch. c. l.* Idque confirmatur *ex l. Cum bisextum; 98. ff. de V. S.* ubi expresè dicitur, si quis natus sit anno bisextili, sive in priore bisexto, videlicet 24. Februarij, sive in posteriore, hoc est, 25. ejusdem, natalis illius in communibus annis erit Sexto Calendis Martij, hoc est, 24. Februarij, nam id biduum pro uno die habetur: in anno verò bisextili, natalis ejus fit in die bisexto priore, non posteriore; quia hic intercalatur, id est, non computatur pro die, *Gl. ibid. V. Intercaletur*, ubi ait, hanc computationem faciendam esse, quoad ætates, & anni terminum, & judicia.

XXXVIII. Altera, & superiori quasi opposita Regula est, si à Lege, vel ab homine, sive Judice certum tempus unius, vel plurium annorum statutum sit, in favorem aliquorum, intra quod aliquid agere, vel proponere, sit concessum, non autem post illud elapsum, tunc ultima dies cœpta non debet haberi pro completa: sed de momento in momentum computari debet, ita, ut tota ultima dies in termino concesso comprehendatur; quia favores non sunt restringendi, sed ampliandi, *Reg. Jur. 15. in 6.* Exemplum habetur *in cit. l. 3. §. Minorem, ff. de minorib.* ubi Beneficium restitutionis in integrum competit Minoribus usque ad completum XXV. ætatis annum, computando à momento ad momentum usque ad extremum punctum ultimi diei, *arg. l. Qui ante; 13. junct. Gl. ff. de V. O.* nisi aliud ex verbis colligatur. Similiter in favorabilibus dies bisextus uterque computari potest, ac debet, quando talis computatio utriùsque diei auget favorem concessum, vel odium diminuit, ut constat *ex l. 2. ff. de diverss. & temp. præscript.* Ubi habetur, quòd in terminis, seu dilationibus judicialibus, in usucapionibus, in actionibus, quæ certo tempore finiuntur: item si certus terminus dierum sit definitus, v. g. nisi intra 30. dies pretium sit solutum, fundus sit ineptus, uterque dies intercalaris prodest, & in numero computandus est.

Ex dictis infertur primò, si Titius probationem, seu Novitiatum incipit anno 1671. die 24. Februarij, Cajus verò die 25. Februarij, eodem anno, & Scius die 28. seu ultimo ejusdem mensis: tum anno 1671. qui fuit bisextilis, primus potuit facere Professionem manè die 24. Februarij, seu in Vigilia S. Matthiæ, secundus in ipso Festo S. Matthiæ 25. Februarij: tertius penultimo Februarij, sive 28. & quidem manè, etsi anno priore post meridiem probationem inchoaverit.

Infertur secundò, si Petrus probationem inchoet futuro anno 1676. qui erit annus bisextilis 25. Februarij. Paulus verò eodem anno, die ultimâ sive 29. Februarij, poterit prior Professionem edere anno sequente die 24. Februarij, posterior verò ultimo die 28. Februarij, ut ex dictis sequitur, ac patet.

XXXIX. Porro quod dictum est, annum probationis debere esse completum, id Limitatur primò, quòd Moniales Ordinis S. Dominici, post expletos XVI. annos, in mortis articulo constitutæ Professionem emittere possunt, etsi nondum integrum Novitiatûs annum peregerint, ex privilegio ijsdem concesso à Pio V. anno 1570. die 23. Aug. quæ incipit: *Summi Sacerdoti cura*; quo privilegio gaudent etiam alij Novitij utriûsque sexûs cujuscùnque alterius Religionis, qui cùm Ordine S. Dominici in privilegiis communicationem habent, ut refert, *Miranda in man. Præl. Tom. 1. q. 22. art. 10. in fine.* Secundò limitatur in Ordinibus Militaribus, saltem quibusdam, *Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 7.* Tertiò, in Commendatariis Monasteriorum, quæ Capita sunt, ac Primates Ordinum, qui intra sex menses solenniter profiteri, vel Commendæ cedere debent, juxta *Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 21. Sanch. c. l. n. 15.* qui plures limitationes adfert *n. 11. & 12.* quas tamen non admittit.

§. III.

Vtrùm annus probationis necessarij debeat esse continuus, sine interruptione: & an si quis post finitum Novitiatum, Religionem deserat: sed postea ad eam redeat, iterum probari debeat?

XL. Assertio 1. Ad legitimum Novitiatum, & validam Professionem subsequentem necessariò requiritur annus probationis continuus, & non interruptus,

ruptus, ac proinde si v. g. Novitius, qui per sex menses in probatione fuit, postea dimissâ Religione, egrediatur, eàmque deserat: sed denuò pœnitentiâ ductus redeat, ac recipiatur: tunc sex illi menses computari non possunt, quibus in probatione fuit: sed annum probationis iterum inchoare debet, *Abb. in cap. Ad Apostolicam 36. num. 9. h. t. Silvest. V. Religio 5. q. 4. Azor. p. 1. Lib. 12. c. 2. q. 8. Less. cit. c. 41. nu. 59. Sanch. cit. c. 4. nu. 31. Suar. Tom. 3. de Rel. Lib. 5. c. 15. nu. 3. & alij Dd. communiter.* Probatur, quia quando in jure, sive Lege, aliâve dispositione, certum tempus requiritur ad aliquid, id intelligi debet, de tempore continuo, nisi ex subjecta materia, vel præsumpta voluntate disponentis, contrarium colligi possit, ut ex communi tradit *Gutier. Lib. 1. Can. qq. c. 12. n. 24. & alij Dd. citt.* Quia tempus per se, præsertim certum, ac definitum, v. g. dies, vel annus, est continuum, & in hoc sensu regulariter accipitur: cùm igitur Concilium Trident. absolutè requirat integrum probationis annum, ad validam probationem, is necessariò debet esse continuus. Idque vel maximè verum est, si terminus designetur, à quo certum tempus, v. g. annus computari debeat, quemadmodum in proposito *Concilium Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul.* designavit tempus, ex quo annus probationis computandus est, his verbis: *Nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit, ad Professionem admittatur*, ergo per annum necessariò hîc intelligitur continuus, ita etiam declarante *Congreg. Card. Concil.* ut notavit *Suar. c. l.* Ratio congruentiæ est, quia annus probationis præscribitur, ut Novitius omnes asperitates Religionis, quæ toto anno occurrere solent, plenè experiatur, inter quas non minima est, asperitates illas continuò, & sine intermissione perferre, sicut multò difficilius est, per 40. dies continuos jejunare, quàm per interpolatos, seu interruptos.

XLI. Non obstat, quòd *in l. Paulus 38. § Gaius, ff. de liber. caus.* dicitur: si Gaius Seius Stichum servum Titio vendidit, ita, ut Titius Stichum manumitteret, *si continuo triennio servisset*: sed nondum exacto triennio, Stichus fugit, post aliquantulum temporis revertit. Respondit JCtus, expleto tempore, post quod Stichus manumitti debuit (id est, si tanto tempore serviat, quanto in fuga fuit, *Gl. fin. ibid. arg. l. Servus 14. §. Servus, ff. de stat. liber.*) libertatem consecuturum. Verùm respondetur, id ibi in favorem libertatis specialiter statutum esse, ex præsumpta mente testatoris: alioquî spectando vim, & proprietatem verborum, dici non potest, eum, qui continuo triennio servire jussus est, satisfacturum, si notabilem interruptionem fugiendo fecerit, etsi postea tempus fugæ compenset. Sed in hac re considerandæ sunt verba, & ratio statuti: Ex. gr. si statutum sit, ut quicùnque retinuerit bannitum per duos dies, solvat 100. aureos, Titius autem retineat bannitum uno die: sed postea dimissum, & interpositis pluribus diebus, redeuntem recipiat, & iterum uno die retineat, non videtur incidere in pœnam Legis. Contra verò si à Papa concessa sit Religioso facultas, studendi Juri Civili per totum triennium, poterit is studere per triennium, etiam non continuum, sed interruptum, ut docet *Baldus in l. Non solum 10. in princ. ff. de excusat.* Ratio disparitatis est, quia in priore casu agitur de re odiosa, in posteriore de favore, qui est ampliandus. At verò in proposito, favor Religionis publicus exigit, ut annus probationis sit continuus, & non interceptus, ne quis ad Professionem, ante plenam, & perfectam experientiam asperitatum, admittatur, *Sanch. c. l. n. 31.*

XLII. An autem etiam modica, & brevis mora temporis, quâ quis ex Monasterio egreditur, animo deserendi Religionem, sufficiat, ad interrumpendum annum probationis, ita, ut de novo inchoari debeat, etsi Novitius pœnitentiâ ductus revertatur, & admittatur, dubitatur? Variant hac in re Dd. *Francus in c. 1. in princ. n. 3. & Less. c. l.* putant, per egressum Novitij è Claustro ad 3. vel 4. dies, non censeri interruptum Novitiatum; quia modicum intervallum pro nihilo reputatur, nec moralem continuationem temporis tollit, nec rerum diversitatem inducit, nec propterea desinit Novitius omnes Religionis austeritates moraliter experiri. Idq; sumitur *ex l. 3. ff. de divortiis*, ubi dicitur, quicquid in calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseverantiâ apparuit, judicium animi fuisse, ideóque per iracundiam missò repudio, & brevi reversa uxor est, non divertisse videtur. Contra verò alij asserunt, quòd annus Novitiatûs interrumpatur, per exitum Novitij è Claustro, per tres vel 4. dies, sine licentia sui Superioris, & quidem etiamsi, habitu retento, exiverit, & Regulam foris observârit illo temporis intervallo, ut docet *Navarr. Lib. 3. conf. 32. n. 3. h. t. Silvest. V. Religio 5. q 4. Sanch. cit. c. 4. n. 32.* quia non mansit sub jugo obedientiæ. Quin imò *Suar. cit. c. 15. n. 6.* putat, si quis dimisso Religionis habitu, sit egressus, animo non redeundi, eo ipso interrumpatur annus probationis, etiamsi intra eandem diem redeat; quia hoc ipso amittit statum, quem habebat, & indiget novâ receptione, quod tamè meritò negari potest; quia ubi adhuc moralis continuatio probationis est, non est opus novâ admissione.

Quare cùm hæc res in jure non sit decisa, in hac sententiarum varietate dicendum videtur, quòd si spectatis circumstantiis, mora temporis, quo extra Claustrum Religionis mansit Novitius, modica sit, & paulò post purgata per regressum, & pœnitentiam, Novitiatus moraliter interruptus censeri non debeat: quamvis tutius, & plerùmque consultius sit, ut saltem ad constantiam talis Novitij probandam, jubeatur, Novitiatum ab initio inchoare.

XLIII. Assertio 2. Si quis, post expletum annum probationis, Religionem deservit, redeundo ad vitam sæcularem, & postea iterum sit in Ordinem receptus, probabile est, posse ad Professionem admitti, sine novâ probatione, & Novitiatu: nisi res tum ex parte Novitij: tum ex parte Religionis, notabiliter sint mutatæ, ut docet *Gl. in c. Eum qui 31. V. Certus in fine, de R. J. in 6. Silvest. V. Religio 5. q. 3. Sanch. Lib. 5. mor. c. 5. n. 34. Pellizar. in Man. Regul. tract. 2. c. 1. q. 12. n. 17.* Ratio est, quia tali casu Novitius per annum integrum, & continuum jam expertus est asperitates Religionis, quod solùm de jure requiritur, neq; enim ullum jus extat, quod præcipiat, ut annus probationis cum Professione continuetur: vel velit, ne inter Novitiatum, & Professionem tempus, quo egressus è Religione in sæculo degit, intercedat. Aliud est, si conditio personæ Novitij notabiliter sit mutata, quoad mores, vel si Religio rigidior facta sit, tunc enim Novitiatus denuò repeti debet. Quòd si Novitius ex inconstantia aliqua Religionem deseruit, plerumque

expediet, ut antequam admittatur ad Professionem, denuò probetur; si non per totum annum, saltem per aliquod tempus, prout visum fuerit. Contrariam tamen sententiam tenet *Suar. cit. c. 15. n. 8. & 9.* quia sequeretur, quòd posset quis nunc inchoare annum probationis anno XIV. ætatis, & finire initio anni XV. & postea redire ad sæculum, usque dum compleret XVI. annum, & tum iterum redire ad Religionem, & sine alia probatione Professionem edere: imò etiam post longum tempus, v. g. X. annorum, primùm reverti ad Religionem, & profiteri, quod asserere absurdum videtur. Verùm per hoc solùm probatur, quòd tali casu, probatio nova fieri debeat, si notabilis mutatio personæ, vel Religionis facta sit, modo prædicto, *Sanch. c. l. Pellizz. c. l. n. 18.* Porro potest is, qui Religionem deseruit, redire volens, sine nova probatione admitti, etsi non ad prius Monasterium revertatur: sed aliud ejusdem Ordinis, & Regularis observantiæ Cœnobium ingrediatur; quia experientia asperitatum, & probatio facta in uno Monasterio sufficit, ad emittendam Professionem in alio ejusdem Ordinis, & observantiæ, *Sanch. c. l.* Pari ratione, si Novitius post medium, v. g. annum, ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium transferatur, non est necessarium, ut Novitiatum de novo incipiat; sed interdum consultum erit.

XLIV. Assertio 3. Si Religiosus, seu Professus ad aliam diversi Ordinis, aut Regulæ Religionem transeat, sive strictiorem, sive laxiorem, tenetur necessariò denuò integrum annum probationis subire, & præmittere, antequam Professionem in illa Religione faciat, aliàs illa erit invalida. *Navarr. Lib. 3. consil. 6. n. 2. Azor. cit. Lib. 12. c. 14. q. 15. Rodriq. Tom. 3. q. 15. art. 11. Sanch. cit. Lib. 5. c. 4. n. 12.* & alij contra *Henriq.* Nam Concilium Trident. generatim requirit, ad validam Professionem præmitti probationem per unum annum: & ratio illius Constitutionis etiam hoc casu locum habet, nempe, quia nova Professio secundùm diversam Regulam fieri debet, ideo illa priùs probanda est, & Religio ipsius etiam mores explorare debet, cùm sæpe fiat, ut aptus ad unam Religionem, non sit aptus ad aliam. Neque verò quicquam repugnat, quò minùs veteranus in una Religione, sit Tiro, seu Novitius in alia: non tamen si Religiosus à posteriore Ordine, ad quem legitimè transivit, redeat ad priorem, tenetur in illa repetere Novitiatum; quia jam probavit asperitates prioris Ordinis, & hic illius mores, *Pellizz. cit. c. 1. q. 13. n. 20.*

XLV. Assertio 4. Si Professio alicujus ex aliquo defectu, sive legitimæ ætatis, sive inhabilitatis personæ, sive alia de causa sit irrita, non est necessariò repetendus Novitiatus, ut docet *Sanch. Li. 7. de matr. disp. 37. n. 45. & seqq.* Nam ratio finalis, ob quam Concilium Trident. statuit, annum Novitiatûs præmittendum esse Professioni, est, ut Novitius experiatur austeritatem Religionis, & hæc mores illius: at qui etiam invalidè est professus, per integrum annum plenè expertus est austeritates Religionis, & hæc illius mores, ergo validus fuit ejus Novitiatus, adeóque expletâ ætate, vel sublato per dispensationem impedimento inhabilitatis ad Professionem, satis est, si ratificetur Professio invalidè edita, vel repetatur, etsi non iteretur Novitiatus, cùm quoad illum nulla causa repetendi subsit. Imò neque tunc quando Professio est nulla, quia edita fuit ante expletum probationis annum, necessarium est, totum annum repetere: sed sufficit supplere illud tempus, quod deerat anno integro probationis, & postea ratificare Professionem; quia nullum vitium in Novitiatu intervenit, & nihil refert, quòd post habitum Professorum assumptum, tempus probationis residuum fuerit expletum; quia ratio finalis Decreti Tridentini ab initio nunquam hunc casum comprehendit, adeóque nec ipsum decretum, *Sanch. c. l. n. 47. 50. & 58.* Accedit, quòd jure etiam antiquo, non debebat repeti Novitiatus propter vitium, seu nullitatem Professionis: sed sufficiebat eum, sublato defectu, ratificare, ut colligitur, *ex c. Significatum; 11. & c. seq. h. t.* non est antem à jure antiquo recedendum, nisi ob urgentem necessitatem, *l. unic. C. de insf. dotib. l. Præcipimus; 32. in fine, C. de appell.*

XLVI. Assertio 5. Novitius justè ejectus, si iterum admittatur, v. g. impedimento inhabilitatis sublato, ab initio inchoare debet annum probationis; quia cùm ipse judicatus sit à Superiore ineptus ad Ordinem, per consequens Novitiatus ipsius validus non fuit: secus est, si injustè sit ejectus, & ideo recurrat ad Prælatum Superiorem, causâ appellationis, vel ad defendendum jus suum: tunc enim si obtineat causam, restitui debet in integrum, ad continuandum cœptum annum probationis, *Reg. Imputari; 41. in 6. Non imputatur ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum faciendum fuerat.* qui per injustam ejectionem, & accessum ad Superiorem non fuit interruptus, *Pellizz. cit. c. 1. q. 26. n. 43.*

XLVII. Assertio 6. Si quis, dum sanæ mentis fuit, ad probationem est admissus, sed postea, currente anno, in furorem, seu amentiam incidit, tum si furor ille citò transeat, & non diu duret, v. g. non ultrà 8. vel 10. dies (uti evenit in phrenesi ordinaria, quæ morbo laborantibus supervenit) non interrumpitur Novitiatus, adeóque anno transacto, id tempus non est supplendum: sed in eo computandum, ut testatur praxis Religionum; quia tale tempus, tanquam modicum, pro nihilo reputatur, sive pro parte temporis morbi, per quem non impeditur cursus anni. Secus verò dicendum, si sit phrenesis, vel amentia extraordinaria, quæ sine alio morbo advenit, & diu durat, v. g. duobus, vel uno integro mense; tunc enim Novitiatus non omnino cessat, (sicut si quis, mutatâ voluntate, Religionem deserat) ideóque cessante amentiâ, Novitiatus non est ab initio inchoandus: sed supplendum tempus furoris, sive tantundem temporis ad dendum anno Novitiatûs, quo furor duravit; quia medio illo tempore, annus Novitiatûs non fuit omnino interruptus, quia furiosus mansit in Religione, nec fuit ejectus: sed solùm interea suspenditur, & quasi dormit annus probationis, sicut de interruptione præscriptionis dicitur *in l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* ideóque in anno probationis tempus furoris non computatur: sed se habet, ac si non intercesserit, & suppleri debet, quod anno deest, probatio enim Religionis fieri non potest sine usu rationis, *Sanch. Lib. 5. mor. cap. 4. n. 55. Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 5. c. 4. n. 3.* de quo etiamaliquid infra dicetur.

§. IV.

An, quâ & ratione impuberes ingredi possint Religionem, & in illam recipi, vel à parentibus offerri?

XLVIII.

XLVIII. Quæritur primò. An impuberes possint Religionem ingredi, & ad illam admitti? Resp. primò, possunt pueri, & puellæ Religionem ingredi, & habitum Regularem suscipere, etiam ante annos pubertatis, ut à mundi vanitate abstracti, regulari vitæ assuescant, ut docet *S.Tho. 2. 2. q. 189. art. 5.* ubi etiam *in Corpor. ad 3.* significat, quòd pueri rationis usum habentes, possunt voto Religionis se obligare, *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 5. c. 1. n. 7.* Ratio est, quia offerre se liberè ad perpetuum Dei servitium in omni ætate est licitum. Etsi verò quis per plures annos sic in Religione fuerit, non tamen verè, ac propriè dici, vel esse potest Novitius, sive in anno probationis, jure novo, nisi post pubertatis annos expletos, tum quia ante illam ætatem, non habent pueri, & puellæ liberum propriæ discretionis arbitrium, sed à parentum, & tutorum voluntate, ac imperio dependent: tum quia ante pubertatem, Religionis austeritates, præsertim circa votum castitatis, rectè experiri non possunt, ut supra dictum, & notat *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 37. n. 49.* nihilominus hi impuberes in Religionem suscepti, si infantiam excesserunt, sunt personæ Ecclesiasticæ, ita, ut gaudeant privilegio Canonis, *c. 21. §. Quamvis. de sent. excomm. in 6. Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 24.*

Resp. secundò, etiam infantes, ante usum rationis, possunt ingredi Religionem, & ab illa ejùsque Prælatis recipi, ut Religioso habitu induantur: sed nonnisi cum consensu parentum, *c. 1. & c. ult. caus. 20. q. 2. Suar. cit. Lib 5. c. 1. n. 10* Ratio est, quia infans, cùm proprium consensum necdum præstare possit, ob defectum judicij, ideo si absq; consensu parentum, quorum imperio, & voluntate regi debet, à Religione recipiatur, tam infanti: quàm ejus parentibus fit injuria, *Suar. c. l. n. 11.*

XLIX. Quæritur secundò. An, & quâ ratione possint parentes offerre, sive tradere Religioni liberos impuberes, vel ingressos revocare, & quem effectum habeat hujusmodi oblatio? Resp. primò, possunt parentes filios impuberes Religioni offerre, ut in ea non solùm sub regulari disciplina vivant, & educentur: sed etiam, ut suo tempore Religiosi fiant, & Professionem emittant, ut constat *ex cit. c. 1. caus. 20. q. 2.* Imò possunt parentes, quantùm in ipsis est, offerre infantes Religioni, ut perpetuò in ipsa permaneant, ut colligitur *ex cit. c. 1. caus. 20. q. 2.* Ubi indistinctè dicitur, quòd in qualibet minore ætate offerri Religioni possit filius, *& c. 2. ead. caus. q. 1.* nisi tamen per statuta alicujus Ordinis sit probibitum, impuberes admitti, ita, ut admissio sit irrita. *Sanch. Lib. 4. mor. c. 18. n. 8.* Ratio est, quia parens habet jus, & potestatem in filium suum, adeóq; potest de illo disponere in omnem usum justum, & licitum, ergo multò magis in eum usum, qui ad majus Dei obsequium, & cultum, & majus ipsius filij bonum spirituale ordinatur, *Suar. cit. Lib. 1. c. 1. n. 12.*

L. Resp. secundò, si parentes tacitè, vel expressè consenserunt in filij, vel filiæ impuberis ingressum in Religionem, consilium mutare, & eum, vel eam revocare non possunt, *cit. c. 1. caus. 20. q. 2.* si verò parentes non consenserunt, possunt revocare filium ingressum, ejùsque votum irritare; cùm puerilis ista ætas à parentum voluntate pendeat, *cit. c. 1. & c. 2. caus. 20. q. 2.* ita tamen, ut parentes, intra annum à tempore scientiæ computandum, reclamare, & filium repetere debeant: alioquin consensisse censebuntur, ut filium quamvis impuberem revocare non possint, prout expressè habetur *in c. Si quis; 2. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Moguntino, in quo statuitur: si quis ante annos legitimos, (seu ante pubertatis annos) sine » consensu parentum suorum, tonsuratus est (ut nimirum fieret Monachus, vel Canonicus Regularis, » *Gl. hic V. Eodem*) atque parentes ipsius intra annum » (& diem, *c. 2. caus. 20. q. 2. Gl. hic V. Intra annum*) apud » Principem (Papam scilicet) aut proprium Episcopum, vel apud Missum Dominicum (id est, Vicarium » Episcopi, qui gerit vices ipsius, *Gl. hic V. Ad Missum*) » non reclamaverint, in Clericatu (id est, in Religione Monachorum, vel Clericorum Regularium) permanere debet (quoad parentes, quia post annum, filium revocare non possunt, licèt ipse usq; ad pubertatem resilire possit, *Gl. hic V. Permaneat*) si verò aliquis, post annos pubertatis, per vim (illatam ipsi à » parentibus, *Gl. hic V. Per vim*) Clericus factus sit (id » est, Monachus, vel Canonicus Regularis) & nec ipse, » nec parentes ejus intra annum apud Superiores » prædictos reclamaverint, seu contradixerint, ibidem permanere in Religione cogitur. »

Ratio primæ partis, hujus cap. est; quia licèt ante annos pubertatis pueri Religionem profiteri non possint, *c. 1. h. t.* possunt tamen, cum consensu parentum, in Religionem recipi, ut in illa educentur; quia filij usque ad pubertatem in talibus subjacent arbitrio, & dispositioni parentum, *cit. c. 2. caus. 20. q. 2.* alioquin intra annum, & diem filium revocare possunt. Si tamen Monasterium, ita sit remotum, ut parentes intra annum filium impuberem commodè revocare non possint, longius temporis spatium ipsis concedendum erit, prout loci distantia exegerit, *Gl. in cit. c. 2. caus. 20. q. 2. V. At si annum, Sanch. cit. c. 18. n. 10.*

Ratio secundæ partis est; quia si pubes per vim ad Professionem in Religione adactus fuit, Professio quidem non tenuit, si tamen filius postea per annum integrum non reclamavit, non auditur ampliùs: sed permanere cogitur; quia ex mora, seu lapsu tanti temporis, præsumitur Professionem irritam ratificâsse, seu tacitè consensisse, si potuit reclamare, *Gl. fin. in cit. c. 2. h. t.* idque præsumptione juris, & de jure. Et hoc de jure antiquo Decretalium procedit: at verò hodie post Concil. Trident. tempus quinquennij conceditur, ad reclamandum, de quo infra.

LI. Notandum hîc præterea primò. Si impubes proximus pubertati ingrediatur Religionem, sine consensu parentum, non datur illis integer annus, ad reclamandum: sed id solùm tempus, quod superest usq; ad pubertatem; nam post hanc completam, libertum est, filijs ingredi Religionem, etiam contra voluntatem parentum, ijsque contradicentibus, ac proinde hi illos revocare ampliùs nõ possunt, *Sanch. L. 4. mor. c. 18. n. 12.*

Notandum secundò. Si impubes habens usum rationis, sine consensu parentum, ingressus sit Religionem, non possunt parentes ipsum, propriâ auctoritate, per vim inde extrahere: sed Superiorem adire, & apud eum reclamare debent, ut ipsius auctoritate filius reducatur, ut clarè colligitur *ex cit. c. 2. h. t.* Ubi tantùm conceditur illis potestas reclamandi, & adeundi Superiorem, *Silvest. V. Religio 2. q. 11. Sanch. cit. c. 18. n. 13. Barb. in cit. c. 2. n 5 h. t.* quia per vim extrahendo, inferrent injuriam Religioni, quæ jam est in possessione filij, qui ingressus est sine consensu parentum.

LII. Resp. tertiò. Effectus hujus oblationis

est, quòd filius impubes à parentibus oblatus Religioni, non potest, intra ætatem pupillarem, iterum egredi, etiam consentientibus parentibus, si Monasterium, sive Religio repugnat, cui per oblationem jus est acquisitum, ne impuberi recedere liceat, donec pubes factus sit. Et quamvis ad oblationem impuberis requiratur consensus parentum, tamen postquam illi in eam consenserunt, sive expressè, sive tacitè, non reclamando per annum, & diem, sicut ipsi parentes revocare filium non possunt, ita nec ipse impubes recedere potest, ante pubertatem completam, prout deciditur *in c. 2. caus. 20. q. 2.* Ubi dicitur: puella, si ante XII. annos ætatis, sponte suâ sibi velamen assumpserit, possunt statim parentes ejus, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint. At si annum, & diem id dissimulando convenerint, ulteriùs nec ipsi, nec ipsa mutare hoc poterunt (donec ad legitimam ætatem, seu pubertatem ipsa puella pervenerit, *Gl. ibid. V. Nec ipsa, Sanch. cit. c. 18. n. 29.*) Si verò Religio ex justa causa velit impuberem sibi oblatum, & receptum, etiam ante pubertatem expellere, potest id facere; quia non se absolutè obligavit, ad illum retinendum, usque ad pubertatem, quin illum ex justa causa possit dimittere, *Sanch. c. l. n. 30. Suar. cit. c. 1. n. 31.*

LIII. Porro aliud dicendum est, si impubes, sine parentum oblatione, vel imperio, Religionem ultrò ingressus fuit, & habitum Regularem suscepit, tunc enim liberè recedere potest, ante Professionem editam, » prout decernitur *in c. Significatum; 11. h. t.* Nam cùm » Alexandro III. significatum fuisset, quòd G. ante in- » ceptum annum XIV. ætatis, timore Ludimagistri, » habitum Religionis in Monasterio assumpserit, & in » sæculo pluribus annis vixerit. (*prout habetur in inte- » gra lectione hujus cap.*) Ideo mandat Papa Beluacensi » Episcopo, ut si inquisitâ veritate, intellexit, quòd » puer à parentibus oblatus Monasterio non fuerit, & » ante expletum XIV. annum ætatis, voti facti pœni- » tens, eum ab illo voto Professionis, quod fecisse di- » citur, absolutum pronuncier. Sin autem à parenti- » bus oblatus fuit, vel XIV. annum ætatis implevit, » cùm Religionem intravit (susceptо habitu) vel si » post XIV. annum, Professionem priùs à se factam ra- » tam habuit, eum ad eandem Religionem redire, vel » ad aliam transire compellat.

Hinc colligitur primò, quòd impubes intrans Monasterium, sine oblatione parentum, potest exire quandocùnque voluerit, ante Professionem editam. Si verò à parentibus oblatus fuisset, ante XIV. annum, exire non potuit, *Gl. hîc V. à parentibus oblatus, & Abb. n. 2.*

Colligitur secundò, Professio emissa, ante completam pubertatem, non obligat, nisi pubes factus eam ratificaverit; & sic ea, quæ ab initio non valent, tractu temporis convalescunt, non quidem ex solo cursu temporis: sed ex superveniente novo consensu, post sublatum impedimentum, sive ex nova causa confirmante, ut ait *Burtio apud Fagnan. hîc not. 2.* Et sic valet Professio ab impubere facta, non ex tunc, sed ex nunc, *Gl. hîc V. Ratam habuerit.*

LIV. Similiter quòd filius impubes oblatus à patre Religioni, pubes factus, egredi possit, & redire ad sæculum, decisum est *in c. Cùm simus; 14. h. t.* Nam » cùm quidam miles se, unà cum filio impubere, & » omnibus bonis suis, Monasterio obtulisset, filium » habitu Monachali indui voluit: sed filius non post multum temporis, Monasterio egressus, bona patris » sui, Religionem Professi, postulavit. Causâ hac ad » Cælestinum delatâ, Is respondit, si puer iste, post- » quam ad annos discretionis (XIV. scilicet annorum) » pervenit, & habitum Monachalem retinere nolit, » & ad hoc induci nequeat, cogendum non esse; cùm » ei liberum tunc fuerit habitum dimittere, & Mona- » sterium deserere, ac bona paterna, quæ ipsi ex suc- » cessione obveniunt, postulare.

Ex hoc cap. colligitur, quòd post Professionem patris in Monasterio, seu Religione, statim legitima portio debeatur liberis, non exspectatâ morte naturali patris; quia is per Professionem censetur civiliter mortuus, ideóque locus est successioni, & sine fundamento ullo asseritur, in casu hujus cap. patrem jam naturali morte defunctum fuisse, cùm filius bona ejus petivit; quia id nullo verbo indicatur: sed potiùs contrarium apparet ex integra ejus lectione, ut ex probabiliore sententia docet *Barb. in Collect. hîc n. 3. Fagnan. n. 7. 8. & seqq. & alij Canonistæ communiter*, de quo etiam aliquid dictum *supr. Tit. 27.*

LV. Quæritur tertiò. An non solùm pater: sed etiam mater, & tutores habeant potestatem, offerendi filium impuberem Religioni? Resp. primò, etsi juxta probabilem sententiam, quam tenet *Abb. inc. 2. n. 6. h. t. Sanch. cit. c. 18. nu. 16. & 19. & alij apud ipsum*, ad oblationem filij impuberis utriùsq; parentis consensus requiratur, ita, ut sicut sola mater, patre repugnante, non potest filium offerre Religioni: ita nec solus pater, contradicente matre; tum quia in his spiritualibus potiùs spectanda est potestas naturalis parentum, quàm civilis jure autem naturali tenetur filius utrique parenti obedire, & sub utriusque cura est, ac potestate, ideóque Deus, sine distinctione, præcepit patrem, & matrem honorare; Tum quia in re communi potior est conditio prohibentis, *Reg. Jur. 65. in 6.* & quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, *Reg. 29. eod. in 6.* tum denique quia *in c. 2. caus. 20. q. 1.* dicitur disjunctivè, si pater, vel mater filium filiamve, intra septa Monasterij, in infantiæ annis, regulari tradiderit disciplinæ: & *in c. 1. eod. caus. q. 2.* dicitur, si in qualibet minore ætate unus, aut ambo parentes dederint, &c. ergo unius tantùm parentis, sive patris, sive matris voluntas requiritur, & sufficit. Nihilominus tamen probabilius est, quòd mater non possit, patre vivente, ac contradicente, filium, filiamve impuberem offerre Religioni, aut sponte, sine consensu parentũ, ingressum revocare: quamvis si pater velit offerre, matre contradicente, valida, & licita sit ejus oblatio, vel filij Religionẽ ingressi revocatio, ut tradit *Gl. in c. 2. V. Mater, caus. 20. q. 1. & c. 1. V. Aut unus, eod. caus. q. 2. Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 5. c. 2. n. 9. & 10.* Ratio est, quia pater, non solùm jure humano, seu Civitio est, quia pater, non solùm jure humano, seu Civili: sed etiam naturali est caput uxoris, & totius familiæ, & ad illum principaliter spectat gubernatio domûs, & filiorum, quos habet in potestate: non item mater, § *Fœminæ, Instit. de adopt.* Unde pater in aliis etiam actionibus, vel studiis pertinentibus, ad educationem filiorum, potest de illis disponere, etiam matre repugnante, ut si agatur de filio ad hanc, vel illam artem applicando, ergo quando pater, & mater in re licita, & honesta, præsertim liberos, vel familiam concernente, dissentiunt, voluntas viri, seu patris, cujus potestas major est, præferri debet, quippe cujus voluntati uxoris voluntas debet esse subordinata, & sub-

subjecta, cujus ordinis, & juris inversio non potest pertinere ad favorem Religionis, *Suar. c. l. n.* 11.

Ex his jam patet Responsio ad primum, & principale fundamentum contrariæ sententiæ. Ad secundum dicitur, illam Regulam non procedere, quando agitur de favore Religionis, juxta *Gl. ibid. V. In re communi*: & tunc, solùm quando in re communi utraque pars æquale jus habet, non verò, si jus unius sit subordinatum alteri, sicuti potestas uxoris potestati viri, *Suar. c. l. n.* 10. Ad primum Textum in contrarium allatum respondetur, cum *Gl. ibid. V. Mater*, quòd vocula *vel* ibi accipienda est pro *Et*, nempe si pater, & mater consentiant, tum non est dubium, quin oblatio filij sit valida, & licita. Ad secundum respondetur, quòd unius parentis consensus sufficiat, si unus tantùm sit superstes, vel utriûsque, si ambo extiterunt: non autem ibi dicitur, quòd amborum consensus necessariò requiratur. Deinde etiam consensus matris sufficit, si pater non contradicat, etsi non positivè cooperetur ad oblationem filij; quia etiam mater habet jus, & potestatem præcipiendi filio, dum pater non contradicit, *Suar. c. l. c.* 2. *n.* 12. quare si pater quoque consentiat in oblationem filij impuberis, vel si is sit mortuus, tum mater offerre filium poterit, *cit. c.* 1. *caus.* 20. *q.* 1. *& c.* 1. *q.* 2. *Suar. c. l. n.* 9.

LVI. Resp. secundò, non tantùm parentes: sed etiam tutores potestatem habent, pupillum, seu impuberem offerendi Religioni, & sine consensu suo ingressum in Religionem revocandi, ut docet *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 8. *h. t. Sanch. cit. c.* 18. *n.* 25. *Suar. cit. c.* 2. *n.* 13. Idque sumitur *ex c.* 2. *caus.* 20. *q.* 2. Ubi tutores æquiparantur parentibus, & dicitur, quòd possint revocare pupillum, si non consenserunt in ingressum illius, non autem possint revocare, si etiam tacitè consenserunt, non revocando per integrum annum, & diem: ergo supponitur, quòd tutores possint tacitè offerre, non revocando, adeóque etiam expressè offerre, seu tradere Religioni. Ratio est, quia tutor pupilli est instar patris, & in ejus personâ potestatem habet, succeditq; patri quoad omnia, quæ ad gubernationem filij pertinent, ideóq; omnia etiã ejus vota irritare potest.

LVII. Quæritur quarto. An impubes etiam invitus à parentibus offerri, seu tradi possit Religioni? Negant *Abb. in c.* 2. *n.* 9. *h. t. Silvest. V. Religio* 2. *q.* 10. *Sanch. Lib.* 4. *mor. c.* 18. *n.* 26. ideóque docent, quòd si pater reluctantem filium impuberem, qui tamen infantiam excessit, & usum rationis habet, ad Religionem intrandam coëgit, is semper ab illa recedere possit, etiam ante annos pubertatis. Idque probatur, tum quia voluntarium militem diligit Deus, *c. Non est*; 10. *caus.* 15. *q.* 1. tum quia hæc oblatio impuberis, in ordine ad Professionem suo tempore emittendam, habet se, sicut sponsalia à parentibus facta, loco impuberis, in ordine ad matrimonium, suo tempore contrahendum, hæc autem sponsalia sunt irrita, nullámq; prorsus obligationem pariunt, nisi impubes expressè, vel tacitè consentiat, *c. Un. de despons. impub. in* 6. ergo etiam ex tali oblatione à parentibus facta, nulla oritur obligatio, & per consequens impubes, si reluctans oblatus fit, recedere poterit. Ratio utriûsque est, quia sicuti matrimonium, & Professio in Religione, cùm statum immutabilem tribuant, suâpte naturâ, spontaneum consensum requirunt: ita etiam sponsalia, & oblatio, cùm sint via quædam, seu dispositio ad statum matrimonij, & Professionis Religiosæ.

LVIII. Verùm opposita sententia est probabilior, nempe quòd etsi pater filium impuberem invitum obtulerit Religioni, adeóque coëgerit ingredi, is in ea permanere debeat, donec annos pubertatis compleverit, *Innoc. in c.* 2. *h. t. n.* 2. *Suar. cit. Lib.* 5. *c.* 2. *n.* 3. *Fagnan. in c. Cùm virum*; 12. *n.* 29. *& seqq.* Idque sumitur *ex dicto cap. h. t.* Ubi refertur, quòd quædam puella impubes à parentibus Monasterio oblata, seu tradita fuit, & licèt quandóq; contradixerit, tamen cùm pubes facta fuit, habitum Religionis induens, benedictionem accepit, quam recipiunt, quæ velantur, sive quibus velum Professionis datur: sed postmodum è Monasterio, egressa, se cuidam militi per matrimonium copulavit. Quæsitum ergo fuit, num ea ad Monasterium redire cogenda sit? Respondit Clemens III. cùm juxta Concilium Toletanum (*IV. c.* 84.) Monachum, aut paterna devotio (si sequatur ratihabitio filij, postquam pubes factus fuit, *Gl. hìc V. Paterna devotio*) aut propria Professio faciat: utrumvis horum fuerit allegatum, tenebit, ideóq; revertendi ad sæculum facultas penitus ei denegatur. Cùm itaq; non constet evidenter, nec probari possit, puellam, cùm habitum, & benedictionem accepit, quam, nonnisi in ætate discretionis constitutæ, & quæ velantur, accipiunt, contradixisse, non potest Monasticæ Professionis jugum excutere, præsertim si per ratificationem secutam, quod antea gestum est, roboratum fuerit. Non obstat Leonis I. Responsum (quod refertur *in c. Puellæ*; 8. *caus.* 20. *q* 1.) quòd puellæ, quæ non coactæ parentum imperio: sed spontaneo judicio, virginitatis propositum atq; habitum susceperunt, si postea nuptias eligant, prævaricantur: ex quo per sensum contrarium inferri potest, quòd puellæ, quæ coactæ, parentum imperio, virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere: hoc enim rectè de ea puella potest, ac debet intelligi, quæ in ætate nubili est constituta, tunc enim quia liberum habet arbitrium in electione propositi, non cogitur sequi parentum voluntatem.

Ex quibus verbis ultimis hujus cap. à contrario bene infertur, quòd si puella constituta sit, non in nubili: sed pupillari ætate, cogitur sequi voluntatem parentum, cùm in electione propositi liberum arbitrium non habeat: alioquî ratio inepta assignata esset, si puella, sive sit pubes, sive impubes, cogitur sequi voluntatem parentum: ideóq; necessariò dicendum est, quòd hoc casu, si pervenit ad ætatem nubilem, non teneatur sequi imperiũ parentum: secus si nondum pervenit, *Fagn. hìc n.* 32. Ratio est, quia sicut parentes possunt filium, vel filiam impuberem revocare ex Monastetio, si in ingressum non consenserunt, ut supra dictum: ita etiam possunt obligare, & cogere ad ingrediendum, & manendum in Religione, usq; ad pubertatem; quia ejusdem potestatis est ligare, & solvere: sicut etiam non attenditur contradictio impuberis à parentibus oblati in ingressu, ut inde dimitti debeat, si contradicat, *Fagnan. hìc n.* 34. *& 35.* sed exspectandum est, donec filius annos pubertatis sit assecutus; quia in ætate pupillari parentum voluntati filius circa gubernationem vitæ subjicitur; non tamen potest impubes ita cogi, vel offerri ad ingrediendum Religionem, ut sit obligatus ad profitendum, vel perpetuò manendum in illa; quia ad hoc nullus pubes, seu adultus potest obligari invi-

tus, sine suo consensu, nisi fortè in pœnam: sed solùm potest offerri Religioni, ut ibi vivat, donec maturo, ac perfecto judicio præditus possit eligere, num velit in eo statu manere, nec nè, *Suar. cit. Lib.5.c.2.n.4.*

LIX. Non obstat primò Textus *in cit. c. Puellæ*; 8. *caus.* 20. *q.*1. Et *quòd Deus diligat voluntarium militem, non coactum*; Quia id procedit in adultis duntaxat: non autem in constitutis infra annos discretionis, ut declarat *Gratianus ibid.* §. *Cùm ergo.* Non obstat secundò argumentum desumptum à sponsalibus, nempe parentes non possunt contrahere spontalia pro filijs impuberibus, nisi consentiant, ergo nec possunt eos non consentientes Religioni offerre: Negatur enim conseq. disparitas est; quia sponsalia de futuro sunt promissio, de matrimonio contrahendo: at oblatio non est promissio, de Professione facienda, ac proinde non habet se oblatio ad Professionem, sicut sponsalia ad matrimonium, *Suar. c. l. n.* 5. *& Fagnan. c. l. n.* 41. Deinde impuberes obligantur exsponsalibus, si habeant rationis usum: at filius impubes ex oblatione parentum, etsi consentiat, nullam contrahit obligationem, nec Religioni alligatur, etiam infra pubertatem: sed tantùm prohibetur exire, ob defectum discretionis, & judicij. Denique sponsalia requirunt consensum contrahentium, cùm sint reciproca promissio, ideóque ab infantibus, ante usum rationis contracta nulla sunt, ob defectum consensûs: sed oblatio non requirit necessariò consensum oblati, ideóque etiam infans, quamvis careat consensu, & usu rationis, tradi potest à parentibus Religioni, *c.2. caus.*20. *q.*1. *& c. ult. de temp. ordin. in* 6. *Fagnan. c. l. n.*40. *&* 2. *seqq.* Non obstat tertiò, quòd parentes possunt irritare votum filij impuberis, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.*189. *art.*5. & tamen nequeunt impuberem cogere, ad vovendum, *c. Integritas*; 13. *caus.* 32. *q.*1. ergo similiter, quamvis parentes possint extrahere filium impuberem ex Monasterio, non tamen possunt illum cogere ad ingrediendum. Nam Resp. neg. cons. quia cùm votum sit promissio facta Deo, de ratione intrinseca illius est, ut fiat spontaneâ voluntate, & libero consensu, ideóque infans, qui liberè consentire non potest, non obligatur voto, ut docet *S. Th.* 2. 2. *q.*88. *art.*9. At oblatio non requirit liberum consensum oblati, cùm etiam infans possit offerri, neque ex illa obligatur, sicut ex voto, si impubes sit doli capax, *Fagnan. c. l. n,* 37. *&* 2. *seqq.*

Ubi notandum præterea primò, puella impubes, quæ in casu *cit. c. Verùm*; à parente coacta, Religionem ingressa est, & postea adveniente pubertate, in Professionem expressè, vel tacitè consensit, non potuit petere restitutionem in integrum, ante annum xxv. ætatis, ut habitum Regularem, quem suscepit, deponere possit, sicut in aliis contractibus minorennis restituitur; quia non fuit læsa, siquidem ei nupsit, quo meliorem invenire non poterat, ut tradit *Gl. in c.*1. *V. In minoribus annis, caus.* 27. *q.*1. Minor autem non restituitur, nisi sit læsus, *l. Verùm*; 11. §. *Sciendum, ff. de minorib.* Accedit, quòd sicut matrimonium carnale, ita, & spirituale, videlicet Professio Religiosa, si semel sit validum, & ratum, non rescinditur, cùm sit vinculum indissolubile.

Notandum secundò. Parens, qui filium impuberem Religioni vovit, & obtulit, obligatur, quantùm in ipso est, persuadere filio, ut in Religione Professionem emittat; qui enim factum alienum promisit, vel vovit, sen tale, quod ab alterius voluntate pendet, censetur promisisse, se curaturum, seu diligentiam, quantùm moraliter poterit, adhibiturum, ut ab altero fiat, eâque curâ adhibitâ, vovens satisfacit suæ promissioni, etsi alter non faciat, *Sanch. Lib.* 4. *mor. c.*18. *n.* 27. *&* 5. *n.* 9.

LX. Cæterùm quæ hactenus circa oblationes impuberis, ejùsq; ingressum in Religionem dicta sunt, non sunt revocata, nec quidem quoad puellas impuberes, per *Conc. Trid. Sess.*25. *c.*17. *de Regul.* Ubi statuitur, ut si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major xii. annis sit, non antè eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia Professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, aut impedito, ejus Vicarius, aut alius, &c. Virginis voluntatem, an coacta, an seducta sit, &c. Nam ibi solùm est sermo de puella majore xii. annis, quòd duplex examen Episcopi subire debeat, unum, ante habitûs susceptionem, quem puellæ sæpe invitæ suscipiunt: alterum postea, ante Professionem, quam non rarò invitæ emittunt, licèt voluntariè habitum assumpserint, ob timorem parentum, vel verecundiam habitûs dimittendi: Non autem de puella impubere, sive minore xii. annis quippiam ibi statuitur, quòd non possit ingredi Religionem, vel admitti ad habitum Regularem suscipiendum; cùm ergo Jure communi Canonico id sit permissum puellis impuberibus, nec constet per Concil. Trid. id esse revocatum, adhuc hodie hujusmodi puellæ à parentibus oblatæ Religioni, habitum Regularem suscipere possunt, cùm correctio jurium, quatenùs fieri potest, sit vitanda, *c.*29. *de Elect. in* 6. *Sanch. cit. c.*18. *n.*34. *Suar. Lib.*5. *c.*1. *n.*9. *Fagnan. in cit. c. Verùm*; *n.*9. *& seqq.* Porro dictum Decretum ad puberes mares extendi non potest; quia in illo de solis puellis puberibus est sermo, *Sanch. c. l. n.* 32.

§. V.

De libertate ingrediendi Religionem, & egrediendi, quam habent Novitii.

LXI. Quæritur primò. An liberi, in consultis, & invitis parentibus, possint ingredi Religionem? Resp. etsi decens, & rationi naturali consentaneum sit, ut filij propositum ingrediendi Religionem parentibus, in quorum potestate sunt, aperiant, & causas proponant, modò id facilè fieri possit: si tamen parentes ingressum, aut Professionem impedire velint, ipsis etiam inconsultis, & invitis, licitè filij ingredi, & profiteri possunt, *Laym. Lib.*1. *tract.*5. *c.*4. *n.*1. *& alij communiter.* Idque sumitur *ex c. Cùm virùm*; 12. *h. t. in fin.* ubi de puella pubere dicitur, *Quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*; nam filij, postquam annos pubertatis, adeóque liberum discretionis arbitrium sunt assecuti, in ordine ad statum Religiosum, aut matrimonium inundum, non pendent à parentum voluntate, & imperio.

LXII. Quæritur secundò. An Novitij, intra annum probationis, liberè possunt exire, & ad sæculum redire? Respond. Novitij liberè è Religione egredi possunt, intra annum probationis, ante editam Professionem expressè, vel tacitè, ita ut à nullo egrediendi facultatem petere teneantur: nisi quis Religionem intraverit, habitumque Novitiorum assumpserit, animo vitam absolutè mo-

nas-

tandi, & Deo in Religione perpetuò serviendi, tunc enim, spectato Jure antiquo, ad sæculum redire non potuit: sed cogi debebat, ut Professionem emitteret in Religione, saltem laxiore, prout habetur *in c. Consulti; 20. h. t.* Ubi Innocentius III. ait, sæpiùs se consulum fuisse, utrùm is, qui Monasterium ingressus, habitum Novitij assumpsit, si ante Professionem emissam, intra tempus probationis, exire voluerit, licitè, & absque Apostasiæ nota, præsertim cum debita morum correctione, ad sæculum redire possit. Ad quod respondet Papa, distinguendum esse, vel enim absolutè voluit vitam mutare (ita ut evidenter id constet, *c. pen. h. t. Gl. hîc V. Absolutè*) ut sub habitu Regulari Deo deinceps famularetur: & tunc cogi debet, ut regulariter vivat, adeóque ut saltem ad laxiorem Regulam, seu Religionem transeat. Vel habitum Novitiorum accepit conditionaliter, & experiendi causâ, ut, si sibi placuerit, profiteatur Ordinis disciplinam: sin autem non placuerit, moribus emendatus, ad pristinum statum revertatur: & in hoc casu redire potest ad sæculum, non tamen ut sæculariter (id est, dissolutè, *Gl. hîc V. Sæculariter*) vivat. Ut ergo, quæ sit ingredientis intentio, plenius cognoscatur, debet in principio propositum, seu mentem suam declarare.

LXIII. Porro quòd *in cit. c. Consulti*; dicitur, si constet, aliquem Religionem intrâsse, habitúmque Novitiorum assumpsisse, animo vitam absolutè mutandi, seu à sæculari statu, ad Religiosum transeundi, quòd Religioni saltem in genere obligatus sit, quomodo intelligendum sit: variè explicant Dd. Vera & cæteris probabilior explicatio est, quam indicat *Gl. in c. 2. V. indiciis, h. t. in 6. & Abb. in cit. cap. Consulti, n. 3. h. t.* Quòd si quis olim ad Religionem se contulit, & habitum etiam Novitiorum induit, eo firmo proposito, ut vitam mutaret, & ad sæculum nunquam rediret, idque ex claris indiciis colligeretur, ut quia propterea Beneficio renunciavit, absque ulla protestatione: vel de bonis suis reipsâ disposuit, eò quòd ad sæculum redire nunquam vellet: vel quia coram testibus protestatus est, quòd velit in Religione Deo perpetuò servire, &c. tunc talis censetur, se obligare voluisse, ad perpetuò permanendum in obsequio Dei, & ideo cogi posse, ut saltem laxiorem aliquam Religionem ingrediatur. Oritur autem hæc obligatio, non ex nudo proposito, hoc enim nullam obligationem inducere potest, *c. 3. de voto.* Neque etiam ex eo, quòd propositum absolutè vitam mutandi, & Deo perpetuò in Religione serviendi, per subsequentem assumptionem habitûs Novitiorum solennizetur, & inducat Professionem: saltem tacitam, non quidem obligantem certo alicui Ordini: sed Religioni in genere, ita, ut non tantùm impediat matrimonium contrahendum: sed etiam dirimat postea contractum, ut plerique Canonistæ docent apud *Fagnan. in hoc c. n. 25.* quia Professio, nec expressè, nec tacitè fieri potest, nisi admittatur à Prælato Religionis; cùm sit veluti contractus reciprocus inter Professionem, & Religionem, qui non potest ex parte unius tantùm consistere, sive obligationem inducere: quin imò neque ex parte ingredientis Religionem, voluntaria susceptio habitûs Novitiorum inducere potest tacitam Professionem; cùm ille habitus non sit signum Professionis, sed solùm probationis. Sed neque oritur talis obligatio ex præcepto Ecclesiæ; quia tale non extat, nec potest ipsa Ecclesia alicui præcipere, ut perpetuò Religioni se tradat, cùm vota Religionis sint Evangelica consilia, quæ suaderi possunt: non autem præcipi. Itaque *Text. in cit. c. Consulti*; intelligendus est, non de nudo, seu simplici proposito: sed de proposito, promissione firmato, sive voto simplici Deo facto, non solùm ingrediendi: sed absolutè permanendi in Religione, omnino cedendo juri suo, quoad tempus probationis, qui enim cum tali voto ingreditur, obligatus est, vel in illa Religione perpetuò permanere, vel saltem, ad aliam laxiorem se conferre, cùm necdum illi Religioni solenni voto, seu Professione fuerit astrictus, *Sanch. Lib. 4. mor. c. 1. n. 20. Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 5. c. 11. n. 6. & Lib. 6. c. 19. n. 23. & seqq.*

LXIV. Præterea quòd Novitius liberè è Religione egredi possit, habetur etiam *in c. Statuimus; 23. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. statuit, Novitios in probatione positos, ante susceptum Religionis habitum, qui Professionem dari solet, vel ante Professionem emissam, ad priorem statum liberè (id est, nullâ petitâ licentiâ ab aliquo; liberè enim aliquid agere dicitur, qui à nemine prohiberi, vel impediri potest, ut apparet *ex cap. Multa; 28. de præb. Abb. hîc n. 2.*) redire possint, intra annum, nisi evidenter appareat, quòd tales voluerint absolutè vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino deservire: cùm quilibet renunciare possit ei, quod pro se introductum est. Porro ad omnem dubitationem removendam, statuit idem Pontifex, ut cùm in quibusdam locis Religiosis, Novitiorum habitus non distinguatur ab habitu Professorum: tempore Professionis, benedicantur vestes, quæ Professionibus dantur, ut saltem eâ ratione habitus Novitiorum ab habitu Professorum discernatur. Verùm quomodo habitus Novitiorum distinguatur ab habitu Professorũ, commodiùs infra declarabitur, quando de tacita Professione agetur. Illud hîc notandum, quòd tres casus excepti sunt, in quibus Novitius in probatione existens, non potest, etiam ante annum probationis expletum, è Religione egredi, spectato jure antiquo. Primò, si expressè sit professus. Secundò, si susceperit habitum Religionis, qui Professionibus tradi solet. Tertiò, si evidenter appareat, quòd intraverit, animo vitam absolutè mutandi, & Deo in Religione perpetuò serviendi, *Abb. hîc nu. 3.* ubi addit, quòd post annum non possit redire ad sæculum, ut per sensum contrarium *ex hoc cap.* colligitur. Idem etiam habetur *in cap. 2. h. t. in 6.* quòd nimirum ingressus Religionem, infrà annum probationis, liberè ad aliam Religionem transire, vel etiam omnino ad sæculum redire possit, nisi jam pubes factus, professus sit tacitè, vel expressè, vel ex evidentibus indiciis constet, aut probatum sit, eum vitam mutare voluisse. Quid autem intelligendum sit, per propositum mutandi vitam, dictum est supra *n. 62.* cui addi potest alia responsio, quam etiam affert, *Suar. Lib. 3. de Relig. Lib. 6. cap. 19. num. 27. Rodriq. Tom. 3. qq. Reg. q. 15. art. 12. in fine*, nempe non intelligi solum votum simplex DEO factum: sed habens conjunctam aliquam promissionem, vel oblationem factam ipsi Religioni, tum ad Professionem, etiam ante annum probationis, emittendam, quæ quidem non acceptabatur ab ipsa Religione, ideóque per illam

illam non constituebatur quis Professus, nec obligabatur ad certam Religionem in particulari: acceptabatur tamen talis oblatio ab ipsa Ecclesia, velut ipso jure, ad suscipiendum statum Religiosum, saltem in Religione aliqua laxiore: neque enim vi solius voti simplicis, videtur quis obligari posse, ad perpetuò perseverandum in aliqua Religione, etiam laxiore, nisi ex majore aliqua causa, seu vinculo sit obligatus alicui Religioni, saltem in genere.

LXV. Ubi præterea Notandum primò. Licèt Novitius libertatem habeat egrediendi, & ad sæculum redeundi, potest tamen, spectato jure antiquo, juri suo renunciare, & se ad perpetuò manendum in Religione obligare, si Religio, seu ejus Prælatus acceptet, ut colligitur *ex cit. c. pen. h. t. Gl. ibid. V. Nisi evidenter.*

Notandum secundò. Si Novitius è Religione egrediatur, non tenetur solvere expensas, quas in eo alendo Monasterium fecit, ut ex communi docet *Silvest. V. Religio 5. q. 8. Azor. p. 1. Lib 12. c. 3. q. 6. Suar. Tom. 3. Lib. 5. c. 11. n. 5. Sanch. Lib. 6. mor. c. 10. n. 4.* idque colligitur *ex cit. c. pen. h. t. & c. 2. eod. in 6.* ubi dicitur, quòd non debeat Novitius aliquatenus impediri, quò minùs liberè, intra annum, ad sæculum redire possit, quæ libertas exeundi impediretur, si ad expensas teneretur refundendas; nam si fortè eas solvendo non esset, detineri posset, donec eas solveret. Ratio autem est, quia probatio fit, non solùm in bonum Novitij, sed etiam ipsius Religionis, & si Religio ipsum aluit, etiam ipse eidem inservivit, & per accidens est, si ob morbum, vel aliam causam non servierit: vel si expensæ sustentationis mercedem servitij excedunt: & Monasteria plerumque fundata sunt, non tantùm ad alendos Professos, sed etiam Novitios.

LXVI. Limitant communiter Dd. nisi in ipso ingressu Novitius per pactum se obligârit, ad solvendas expensas Religioni, in sui sustentationem, tempore probationis, factas, prout fieri consuevit in Monasteriis Monialium; tunc enim licitè illæ exigi, & accipi possunt, ut colligitur *ex Concilio Trident. Sess. 24. c. 16. de Regul.* Ubi irritæ declarantur donationes, factæ ab ingredientibus, Monasterio, ante Professionem: excepto victu, & vestitu Novitij, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione sunt; si ergo potest aliquid Monasterio pro sustentatione Novitij dari, consequenter potest etiam de eo dando promissio fieri: ita tamen, ut etiamsi postea datum non fuerit, quod promissum est, non ideo impediatur Novitius, quò minùs liberè egredi possit, *Suar. cit. c. 11. n. 5. Sanch. c. l. n. 5.*

LXVII. Cæterùm hactenus dicta hodie locum habere non possunt, quia *ex Decreto Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 15.* Professio facta, ante annum probationis, post susceptum habitum, est nulla, nullàmque inducit obligationem, ad alicujus Regulæ Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscùnque effectus, adeóque is, qui emisit Professionem, intra annum probationis, vel cum voto simplici Religionis, aut oblatione factâ ad profitendum: sed non acceptatâ à Religione, est illam ingressus, vel qui renunciavit libertati egrediendi, ad nullam Religionem intrandam tenetur, nec in genere, nec in specie, ut *ex Declaratione Cardin. Conc.* tradit *Fagnan. in cit. c. Consulti 30. num. 42. h. t.*

LXVIII. Quæritur tertiò. An illi, qui intra annum probationis ad sæculum redeunt, licitè possint, ad Ordines, & Beneficia promoveri? Resp. affirmativè, ut constat *ex c. Postulásti; 21. h. t.* Nam cùm quæsitum fuisset, utrùm illi, qui in annis minoribus constituti (id est, infra annum XIV. *Gl. hic V. Minoribus*) Novitiorum habitum in Religione aliqua susceperunt: sed intra annum, Professione non facta, ad sæculum rediérunt, & ad Ordines Sacros sunt promoti, Episcopis suis hæc scientibus, in illis Ecclesiis possint ministrare, in quibus ab Episcopis sunt instituti? Respondet Papa, quòd propter hoc (scilicet quia tonsuram, & habitum Novitiorum in Religione gestârunt) ab Ecclesiis non sint removendi: sed liberè in illis possunt ministrare. Ex quo sequitur, quòd tales sic egressi, etiam ad beneficia Ecclesiastica sæcularia, & dignitates promoveri possunt, sicut quilibet alius Clericus sæcularis; ut notat *Abb. hìc n. 1. not. 1.*

§. VI.

De Obligationibus, Juribus, & Privilegiis Novitiorum.

LXIX. Quæritur primò. An Novitij obligentur ad observanda statuta, & præcepta Superiorum Regularium? Resp. primò, per se, & directè, ac sub culpa ad observationem Regularum, & præceptorum Superioris non obligantur: quamvis ex honestate, & magna decentia debeant subesse Religiosæ disciplinæ, dum in Religione permanent, *Azor. p. 1. Lib. 12. c. 2. q. 10. Suar. Tom. 3. Lib. 5. c. 16. n. 2. Sanch. Lib. 6. mor. c. 10. n. 7. & alij.* Ratio primæ partis est, quia Novitij nondum professi sunt Regulam, nec ullis votis obstricti: sed in probatione adhuc versantur, ad experiendum, an ad Professionem sint admittendi, nec nè: sicut etiam Catechumeni non obligantur Legibus Ecclesiæ, donec per Baptismum in Ecclesiæ gremium, tanquam vera ejus membra, sint admissi: Ratio secundæ partis est, tùm quia dignum est, ut qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus disciplinam, *c. 3. de statu Monach.* tum quia Novitij fruuntur privilegiis Religionis, ut infra dicitur, ergo debent etiam ejus onera sentire, & Leges servare; quia aliàs non possunt convenienter gubernari à Prælatis Religionis, & sequeretur magna turbatio, & confusio in Ordine, ad quod se tacitè, habitum suscipiendo, obligârunt.

Resp. secundò. Licèt Novitij ad regularem Ordinis observantiam sub culpa non obligentur, qui nondum sunt Regulares: possunt tamen Prælati Ordinum illis Leges ferre, statui Ordinum convenientes, ad quas saltem sub pœna obligentur, quamdiù in Religione permanent: sicut Clerici, qui in aliqua Diœcesi versantur, ejus Legibus obligantur, etsi inde recedere possint, *Laym. Lib. 4. tract. 5. c. 4. n. 3.*

Resp. tertiò, etsi Novitij statutis Regulæ non obligentur per se, ac directè: subjiciuntur tamen spirituali jurisdictioni Prælatorum Regularium, non tantùm quoad forum conscientiæ: sed etiam in foro externo, sicut alij Clerici sæculares jurisdictioni Episcopi subsunt: ac proinde non tantùm Prælati illos ob delictum commissum punire possunt: sed etiam illis omnia ea præcipere, etiam sub censuris, dum in probatione versantur, quæ potest Episcopus præcipere, quia

quia tale præceptum non fundatur in voto: sed in jurisdictione Ecclesiastica, *Suar. cit. c. 16. n. 18. Sanch. cit. c. 10. n. 11. & 12.* Ex quo infertur, quòd Novitij à Prælatis Ordinum excommunicari possunt; quia eorundem, dum in Religione manent, legitimus Judex Ecclesiasticus est, Prælatus Ordinis, cujus proinde justis præceptis obligantur, non vi voti: sed quia subjecti sunt ejus jurisdictioni spirituali, cujus proprius actus est, præcipere, *Laym. c. l. n. 3. & 4.* Et quidem Novitios subijci jurisdictioni Prælatorum Regularium exemptorum, certum est; quia hi quasi Episcopalem jurisdictionem habent in suos subditos, etiam Novitios: quòd verò attinet ad Prælatos Ordinum non exemptorum, quantam illi jurisdictionem exercere possint in Novitios, id desumendum est, ex concessione Episcopi, & cujúsque Ordinis consuetudine, *Laym. c. l. num. 4. in fine.*

LXX. Quæritur secundò. An Novitius, duranteanno probationis, retinere possit Beneficium Ecclesiasticum: an verò illud in ipso ingressu vacet, ita, ut statim alteri confetri possit? Resp. Non vacare: sed retinere ipsum illud posse, usque ad Professionem, prout statuit Bonifac. VIII. *in c. Beneficium; 4. h. t. in 6.* » Ubi dicitur: Beneficium illius, qui Religionem in» greditur, non est intra annum probationis alteri » conferendum: nisi ad id ipsius assensus accedat (tunc enim Beneficio renunciare censetur, & ideo licitè alteri confettur, ita ut renuncians repetere illud non possit, *c. 3. de renunc. Gl. hic V. Assensus*; vel nisi » constet (clarâ probatione, vel competentibus in» dicijs, *Gl. hic V.* aut constet) quòd vitam voluerit » absolutè mutare: vel nisi expressam Professionem » fecerit (in aliqua Religione approbata) vel tacitam, » scienter recipiendo habitum Professorum, (ubi ille » est distinctus ab habitu Novitiorum, *Gl. hic V. Pro*» *fessorum*;) sed intereà, dum annus probationis durat, » per alium (Vicarium scilicet ab Episcopo depu» tandum, *Gl. marg. hic*) eidem Beneficio deserviri de» bet (in Officijs Divinis, & in cura, si Beneficium sit » curatum, *Gl. hic. V. Debebat*;) assignatâ ipsi con» gruâ de proventibus Beneficij portione.

LXXI. Extenditur autem decisio hujus cap. 1. ut locum habeat, non solùm in Beneficijs minoribus, & simplicibus: sed etiam majoribus, & curatis; quia ratio decisionis etiam in his procedit, ne videlicet Novitius, si fortè è Religione egrediatur, uti liberè possit, Beneficio privatus existat, si illud tanquam vacans alteri collatum licitè fuisset, *Franc. in cit. c. Beneficium; n. 1. not. 1. Sanch. Lib. 7. mor. c. 4. nu. 3.* Extenditur secundò. Etiamsi in fundatione Beneficij expressum sit, ut, si Capellanus per certum tempus absit, ipsum Beneficium vacet; non enim id intelligendum est de eo casu, si absit ob Religionis ingressum: sed debet intelligi conformiter Juri communi, & in dubio favendum est Religioni, *Sanch. c. l. n. 4.* Extenditur tertiò. Ut non vacet Beneficium Novitij, durante probatione, sive ille in Beneficio habeat jus in re, quippe jam ei collato, & ab eo acceptato: sive jus ad rem tantùm; quia etsi fuerit collatum, nondum tamen ab eo sit acceptatum, nam eadem ratio utrobique militat; quia intrando Novitiatum, non elegit statum incompatibilem juri, sive in re: sive ad rem, per quem censeti possit illi juri renunciâsse, *Sanch. c. l. n 5.*

Extenditur quartò. Quòd etiam pensiones Ecclesiasticæ, quæ in titulum conferuntur, non vacant, ante editam Professionem; quia æquiparantur Beneficijs, & quoad extinctionem sequuntur naturam Beneficiorum, *Sanch. c. l. n. 13.*

LXXII. Extenditur quintò. Si Novitiatus, seu probatio, sive propter Regulam Ordinis, sive propter ætatis defectum, vel ob aliam justam causam ultra annum prorogetur, adeóque etiam Professio differatur, tum Beneficium non vacat, neque alteri conferri potest: sed ejus collatio etiam differri debet, ut docet *Sanch. c. l. n. 6. Laym. Lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 6. dict. 4.* Ratio est, quia ideo durante anno probationis, non vacat Beneficium Novitij, nec alteri conferri potest, ne Novitio adimatur libera facultas egrediendi è Religione, si privaretur Beneficio, quæ ratio etiam locum habet, si Novitiatus ex justa causa prorogetur: sicut & vice versâ, si ex dispensatione S. Pontificis tempus probationis remittatur, vel minuatur, statim emissâ Professione, vacat Beneficium, & alij conferri potest. Quare cùm in *cit. c. Beneficium*; dicitur, quòd Beneficium infra annum probationis alteri conferri non debeat, id intelligendum est sub hypothesi, si Novitiatus per annum tantùm duret, prout ordinariè fit: secus si prorogetur ex justa causa, tum enim etiam collatio Beneficij differenda est, usque ad Professionem; quia mens Concilij fuit, ne ante Professionem, Beneficia Novitij tanquam vacantia alijs conferantur, sicq; impediatur libera ejus egressio, *Sanch. cit. c. 4. n. 6.* Requiritur tamen causa justa, nam si sine illa differatur Professio, poterit Episcopus designare certum terminum temporis, intra quod Beneficio illi renunciare debet Novitius, eóq; termino finito, potest id tanquam vacans alteri conferre; quia ab eo termino non reputatur absens ab Ecclesia ex legitima causa, *Sanch. c. l.*

LXXIII. Hinc infertur primò. In Societate Jesu Beneficia Novitiorum non vacare, durante toto biennio probationis; quia cùm ex juris concessione prorogetur Novitiatus, censetur etiam prorogari, seu differri tempus vacationis Beneficij. Imò nec vacant Beneficia post biennium Novitiatûs, & vota simplicia edita à Scholasticis Societatis Jesu, ante solennem Professionem, vel vota Coadjutorum formatorum, per quæ Religiosi Societatis omnino fiunt inhabiles retinendi bona; quia Beneficia non vacant, nisi per professionem expressam, vel tacitam, juxta *cit. c. Beneficium*; per quam Professus redditur incapax retinendi bona, cujusmodi incapacitatem non inducunt vota simplicia post biennium Novitiatûs edita, ideòq; nec Beneficia per illa vacant, ut declaratum est *In Congregation. 1. Generali, Can. 1.* quamvis *ex Decreto Congregat. V. Generalis; can. 5.* post bienniû probationis, priusquam vota simplicia edantur, resignari debeant Beneficia, *Sanch. cit. l. 7. c. 4. n. 7.* Infertur secundò. Si Beneficia Novitiorum, durante tempore probationis, alijs conferantur, collatio non tantùm irrita est: sed nec confirmatur per secutam Professionem; quia Beneficia non vacabant tempore collationis, ideóq; cùm hæc ab initio fuerit irrita, non potest tractu temporis convalescere: sed novâ collatione est opus, *Sanch. c. l. n. 8.*

LXXIV. Notandum præterea primò. Exceptiones positæ in *cit. c. Beneficium; h. t.* hodierno jure locũ non habent; quia nec Professio ex pressa, nec tacita, nec vo-

voluntas absolutè mutandi vitam, ante expletum probationis annum, validè fieri potest, vel obligat juxta *Concil. Trident. Sess. 25. c. 15. de Regul.* Imò neque renunciatio Beneficij facta à Novitio intra annum probationis, valida est, nisi fiat cum licentia Episcopi, vel Vicarij ejus, intra duos menses proximè antecedentes professionem, ut constat ex *Concil. Trid. cit. Sess. c. 16.* ubi generatim statuitur, ut nulla renunciatio antea facta valeat; nam ratio, ob quam prohibetur renunciatio temporalium bonorum, durante probatione, habet etiam locum in renunciatione Beneficij; ne scilicet impediatur libertas egressûs, ob timorem amittendi Beneficij, cui est renunciatum, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 5. num. 38.* de quo infra *Suar. Tom. 3. Lib. 5. c. 16. nu. 12, Fagn. in c. pen. n. 18. h. t.*

LXXV. Notandum secundò. Licèt Novitio, cujus Beneficio annexum est jus eligendi, v. g. Canonico, competat etiam ipsum jus suffragij, sive electionis, vacante Prælaturâ, quia electio inter fructus Beneficij computatur: non tamen necessariò vocandus est ad electionem; quia cùm se ipsum sponte à sæculo segregaverit, meritò inter absentes, & remotos reputatur, qui nec solent, nec debent vocari, ut tradit *Gl. in cit. c. Beneficium; V. Conferendum; in fine, h. t. Ioan. Andr. & Franc. ibid. n. 2. Silvest. V. Religio 5. qu. 11. Suar. cit. c. 16. num. 16. Sanch. Lib. 7. c. 4. n. 10.* Ubi addit, quòd nec procuratorem ad eligendum constituere possit, quippe qui necessariò ad electionem vocandus non est. Si tamen Novitius velit electioni interesse, excludi non potest, quia jure electionis privatus non est, sicut nec reliquis Beneficij fructibus *Sanch. c. l. n. 11. Suar. c. l.* & alij. Quod autem dictum est, Novitium ad electionem Prælati necessariò vocãdum non esse, quia comodè regulariter adesse non potest, id procedit, si jure Collegij, cujus pars est, electio ad illum pertineat: secus est, si jure speciali, seu singulari, ratione Beneficij, vel Dignitatis suæ, jus eligendi, vel præsentandi ipsi competat: nam tunc intimanda est ipsi vacatio Prælaturæ, aut Beneficij; quia priore casu per ipsum Collegium sine Novitio, commodè fieri potest electio, vel præsentatio: non item posteriore, quando jure speciali, aut personali ipsi competit, *Gl. in cit. c. Beneficium; V. Conferendum; in fine, Suar. c. l. num. 16. Sanch. cit. c. 4. nu. 12.* sicuti etiam investituræ in Feudis, & Emphyteusibus, si ad Novitium jure singulari, aut personali pertineant, ab eodem conferri debent, cùm jura, & bona sua ante professionem retineat.

LXXVI. Notandum tertiò. Ex fructibus Beneficij, quod Novitio competit, assignanda est congrua portio ejus Vicario, qui Beneficio inservit, *cit. c. Beneficium; in fine*, ejúsque quantitas determinanda est, per Episcopum, seu Ordinarium, *Gl. ibid. V. Sed interim, Sanch. cit. c. 4. num. 14.* residui verò fructus reservari debent ipsi Novitio, quippe cùm adhuc sit verè Beneficiarius, nec propriè Religiosus, & capax dominij acquirendi, ratione quorum adhuc ad Officium Canonicum recitandum tenetur: exceptis tamen quotidianis distributionibus, quæ non, nisi personaliter residentibus dantur, ideóque ijs privatur Novitius, *Sanch. c. l. num. 18.* Neque verò residui illi fructus sunt reservandi Monasterio, pro alendo Novitio; quia hic non tenetur Monasterio solvere alimenta, sive in eo maneat, sive non, ut supra dictum: nisi contraria alicubi esset consuetudo legitimè præscripta, quæ servanda erit, *Sanch. c. l.* quare hi fructus beneficiales, si Novitius è Religione exiêrit, ipsi restituendi sunt, si verò professionem edidit, succedit in illis Monasterium, si successionis sit capax, sicut in alijs bonis Professi, nisi hic ante professionem aliter de illis disposuerit, *Sanch. c. l. n. 19.*

LXXVII. Quæritur tertiò. An Novitij possint uti privilegijs sui Ordinis? Resp. affirmativè; quia in favorabilibus Novitij comprehenduntur nomine Religiosorum, *Pellizar. in man. tr. 2. c. 7. q. 1.* & alij communiter. Et in specie primò. Novitij gaudent privilegio fori, ita ut coram Judice sæculari conveniri non possint, sive in causa civili, sive in criminali, sed coram Judice Ecclesiastico, scilicet coram Prælato Ecclesiastico, (saltem si Ordo sit exemptus) conveniri debeant, ab eóque puniri possint, si in Religione permanere velint, *Azor. p. 1. Lib. 12. c. 2. q. 11 Sanch. Lib. 6. mor. c. 10. n. 10. & 11.* Ratio est, quia Novitij, etsi Religiosi absolutè non sint, sunt tamen intra Religionem, & reputantur personæ Ecclesiasticæ, ideóque gaudent privilegio exemptionis à jurisdictione sæculari. Quòd si Monasterium non sit exemptum, tum, ob delicta, privata commissa contra Religionis regulas, & statuta, puniri quidem possunt Novitij à Prælato Ordinis: ob alia verò crimina ab Episcopo, *Laym. Lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 4.* Quamvis alij Dd. communiter, & indistinctè velint, Prælatum Ordinis habere jurisdictionem, ac potestatem cognoscendi, & puniendi Religiosorum suorum, & consequenter etiam Novitiorum delicta, etiam graviora, saltem, quæ depositionem ab Ordine non requirunt, idq; non jure communi: sed ex speciali privilegio, aut consuetudine, *Abb. in c. Cùm contingat 5 28. n. 21. de foro comp. Azor c. l. Navarr. Lib. 2. conf. 4. & 5. de foro comp. & in Comm. 1. de Regul. n. 63. Sanch. Lib. 6. c. 10. n. 11. & 12.*

Secundò. Novitij gaudent etiam privilegio Canonis, *Si quis suadente; 29. caus. 17. q. 4.* ita ut excommunicationem latæ sententiæ incurrat, si quis violentas manus in Novitium injiciat, prout expresè statutum est in *c. Religiosi; 21. §. Quamvis de sent. excom. in 6. Suar. tr. 3. Lib. 5. c. 11. nu. 12.* Tertiò. Novitij etiam nullo Ordine initiati, gaudent privilegio immunitatis à solvendis gabellis, & vectigalibus ex bonis patrimonialibus; quia admissi in Religionem sunt pars saltem latè sumpta Communitatis Ecclesiasticæ, adeóque tanquam personæ Ecclesiasticæ reputari debent, *Sanch. cit. l. 6. c. 10.* Imò & alijs privilegijs Regularium uti possunt Novitij. *Pellizz. c. l. q. 5. n. 12.* Denique possunt etiam Novitij absolvi à casibus reservatis, & cum illis dispensari in votis, & in præceptis jejunij, & Festorum, & lucrari Indulgentias Ordini concessas, *Cast. Palao p. 3. dis. 1. pun. 11.* & alij apud ipsum.

LXXVIII. Quæritur quartò. An Novitij è Religione dimitti possint, absque justa causa? Resp. non posse, quia licèt ex rigore justitiæ Novitius ingrediens non obligetur, ad permanendum, nec Religio, ad illum retinendum: ex alio tamen capite, non potest Religio illum licitè dimittere, sine justa causa; quia id foret contra debitam dispensationem Sacrorum Ministeriorum, & administrationem, si ij, qui digni sunt, & habiles ad Religionem, sine justa causa dimittantur. At verò ingrediens Religionem, cum sit sui juris, & arbitrij, & liberè de se disponere pos-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sit, non tenetur in Religione permanere, dum in probatione est: in his enim, quæ non ad justitiam commutativam, sed distributivam, vel charitatem pertinent, non est necessarium, ut detur mutua obligatio, *Suar. Lib. 5. c. 11. n. 5. Pellizar. cit. c. 7. q. 26 num. 60.* His adde, quòd suppositis omnibus requisitis, tam ex parte recipiendi, quàm ex parte Religionis, is qui potestatem admittendi habet, tenetur ex officio, & charitate petentem ingredi, admittere, si nulla subsit rationabilis causa excusans, *Suar. Tit. 3. Lib. 5. c. 10. n. 28.*

§. VII.

De dispositionibus, seu renunciationibus bonorum, quæ ante professionem à Novitiis fieri solent.

LXXIX. Præmittendum primò. Nomine Renunciationis hîc intelligitur dispositio, de proprijs bonis temporalibus, sive cessio eorum facta in favorem tertij, non quidem revocabiliter (qualis est, quæ fit per Testamentum, vel aliam ultimam voluntatem, legatum, donationem causâ mortis, hæc enim omni tempore à Novitio licitè fieri potest, ut dictum supra *Tit. 26. Sect. 2. §. 3. n. 53. & seq.*) sed irrevocabiliter, ita ut ea retractari ampliùs non possit: etiam ante professionem, ut ex infra dicendis patebit, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 5. n. 13. & seq.*

Præmittendum secundò. Novitij non tenentur disponere de suis bonis, ijsque renunciare, antequam emittant professionem: quia nullum extat jus, eos cogens ad hujusmodi renunciationem faciendam, nec ulla etiam ratio efficax convincit, illam necessariò fieri debere, & ideo si Novitij professionem edant, non factâ priùs renunciatione suorum bonorum, in Ordine Religioso successionis capace, ipse Ordo succedit, alioquin verò hæredes eorum ab intestato, *Sanch. cit. Lib. 7. c. 12 num. 4. Pelliz. c. l. q. 2.* & dictum supra *Tit. 27. §. 3. num. 37. & seq.*

Præmittendum tertiò. Quomodo Novitij de bonis suis disponere, ijsque ante professionem renunciare possint, extat Decretum Concilij Trident. » *Sess. 25. de Regular. c. 16.* his verbis: Nulla quoque » renunciatio, aut obligatio antea facta (id est ante » expletum probationis annum) etiam cum jura» mento, vel in favorem cujuscúnque causæ piæ, » valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vica» rij fiat, intra duos menses proximos ante professio» nem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sor» tiri, nisi secutâ professione: aliter verò facta, eti» amsi cum hujus favoris expressâ renunciatione, » etiam jurata, sit irrita, & nullius effectûs. Circa hoc Decretum multæ, & graves difficultates oriuntor, hoc loco breviter expediendæ.

LXXX. Quæritur igitur primò. Quænam renunciationes irritæ sint, non servatâ formâ præscriptâ in dicto Decreto. Resp. primò. Si donatio, seu renunciatio bonorum facta sit, ante ingressum Religionis: sed non intuitu ingressûs, sive sine animo ingrediendi Religionem, quia donatio, seu renunciatio perinde fieret, etsi Religionem non ingrediretur is, qui donat, aut renunciat: tum talis renunciatio non solùm jure antiquo: sed etiam novo est valida; quia Concilium Trident. tantùm prohibere voluit illas renunciationes, quæ fiunt intuitu ingressûs Religionis, adeóque impediunt liberum egressum, tempore probationis: non autem illas, quæ fiunt independenter ab ingressu, nec liberum egressum impediunt, quia eodem modo fierent, etiamsi renuncians non ingrederetur, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 5. n. 2.* & alij Dd. communiter. Quamvis in dubio talis donatio, seu renunciatio præsumitur facta, intuitu ingressûs Religionis, si in notabili quantitate sit facta, ita ut professione subsecutâ, non valeat; quia non est verisimile, quòd velit quis se privare notabili parte bonorum suorum, nisi ob causam secuturæ professionis, *Sanch. cit. Lib. 7. c. 1. n. 6. & 2. seqq.*

LXXXI. Resp. secundò. Probabile est, quòd renunciationes factæ, ante ingressum Religionis, seu assumptionem habitûs Religiosi, tamen intuitu ingrediendi, sive fiant propter ingressum, tanquam causam principalem, & finalem, ita ut professione non secutâ, quæ donata sunt, repeti possint, tanquam datum ob causam, causâ non secutâ: sive fiant ob causam impulsivam ingrediendi, quia nimirum ingrediens absolutè quidem vult renunciare bonis, eáq; donare, quamvis non donaret, nisi Religionem ingrederetur, qualis intentio præsumitur, si renunciatio, seu donatio non longo tempore ante ingressum facta sit) probabile, inquam, est, tales renunciationes, seu donationes comprehendi sub Decreto Concilij, ideóque eas etiam juratas, esse irritas, ut docet *Navarr. Lib. 3. consil. 82. h. t. Molin. tr. 2. de just. dis. 139. n. 14. Less. Lib. 2. c. 41. nu. 42. Laym. Lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 7. Rodriq. Tom. 2 qq. Reg. q. 48. artic. 8.* Probatur, tum quia Concilium generatim, & absolutè loquitur de renunciationibus, factis ante duos menses professionem præcedentes, non restringendo ad eas, quæ factæ sunt tempore Novitiatûs, ergo ad illud tempus Decretum hoc non est restringendum. Tum quia etsi Concilium non loquatur expressè, nisi de renunciatione facta à Novitio, tamen finis hujus decreti, æquè locum habet in renunciatione facta ante ingressum, seu Novitiatum, sed intuitu illius; quia per illam æquè tollitur Novitio libertas, ad egrediendum è Religione, si quidem non potest recuperare bona, etiamsi egrediatur, si renunciatio facta ante ingressum fuit valida, ac proinde talis renunciatio comprehenditur sub Decreto Concilij, tanquam facta in fraudem illius, quod aliàs finem suum non consequeretur. Nihilominus tamen contraria sententia, quòd renunciationes factæ ab existentibus in sæculo, ante ingressum Religionis: sed intuitu illam ingrediendi, non comprehenduntur sub Decreto Concilij, adeóque validæ sunt, est etiam probabilis quàm tenent *Menoch. de arbitrar. judic. centur. 5. casu 436. n. 4. Sanch. Lib. 7. cap. 5. num. 4. Vasq. de Testam. c. 6. §. 2. dub 12. num. 50. & 51. Fagn. in c. pen. n. 42. h. t. ex declar. Card. Conc.* Probatur, quia Decretum Concilij *in c. 16.* loquitur solùm de renunciatione facta ab ingresso, ipso tempore probationis: non autem de illa, quæ fit ab eo, qui adhuc degit in sæculo, ut colligitur ex contextu, & connexione, *cap. 16. cum cap. 15.* in quo etiam solùm est sermo de eo, qui jam est ingressus Religionem,

& professionem non emisit: deindè in *c.* 16. ita subijcitur, *nulla quoque renunciatio*, quæ verba cùm sint continuativa præcedentis cap. ut indicat particula *quoque*: ideò non possunt aliter intelligi, nisi de eo, qui jam est ingressus Religionem, sed professionem nondum emisit, *Menoch. c. l.* Deinde cùm Decretum Concilij sit correctorium Juris communis, auferens liberam facultatem disponendi de proprijs bonis, non debet extendi ad casum similem, non expressum, etiam ob paritatem rationis, juxta *c. Quæ à jure* 3. 28. & ibi *Gl. de R. I. in 6.* & licèt Lex etiam pœnalis, & exorbitans à Jure communi extendi possit ad alium casum non expressum, si aliàs Lex illa frustraretur fine suo, uti sumitur ex *c. Si Civitas*; 14. *de Sent. excomm. in 6.* & *c. 2. juncta Gl. V. Aliter facta de usur. in 6.* id tamen solùm procedit, si & ea, ad quæ fit extensio, commodè comprehendi possint, sub verbis Legis prohibentis: at in proposito, verba Decreti Concilij non possunt adaptari renunciantibus, existentibus adhuc in sæculo; cùm Concilium loquatur de Novitijs, qui habitum probationis susceperunt, & sunt personæ Ecclesiasticæ, ideóque sub nomine personarum sæcularium comprehendi non possunt, ac proinde etiamsi eadem ratio habeat locum in tali renunciatione, non tamen Lex ad illa extendi potest, *Fagnan. in cit. c. pen. n. 42. & 2. seqq. h. t.*

LXXXII. Respond. Tertiò. Renunciatio facta à Novitio, etiam post XVI. annum ætatis, sed ante duos proximè præcedentes professionem, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, comprehenditur sub dicto Decreto Tridentino, & invalida est, ut docet *Rodriq. cit. qu.* 48. *art.* 13. *Sanch. Lib.* 7. *c.* 5. *n.* 7. nam ratio Decreti illius æquè habet locum in majore XVI. annis, atq; in minoribus, ne scilicet impediatur libertas egrediendi è Religione, si totam, vel majorem partem suæ substantiæ, cui renunciavit, recuperare non possit. Idque colligitur etiam *ex continuatione cap.* 16. *cum cap.* 15. quæ in eo consistit, ut sicut nulla est professio, facta ante annum novitiatûs expletum, & ante XVI. ætatis expletum, secundùm *dictum cap.* 15. ita etiam nulla sit renunaiatio facta à Novitio, sine licentia Episcopi, & ante duos menses proximè præcedentes professionem, secundùm *dictum cap.* 16. sive fiat à Novitio ante XVI. ætatis annum: sive post illum; quia in hoc cap. nulla ætas requisita ad renunciationem præscribitur: sed solùm requiritur, ut fiat intra bimestre proximum professioni, ac proinde sufficit ad valorem renunciationis, ut quis sit in ea ætate, ut intra duos menses professionem emittere possit, adeóque ut expleverit XV. & X. menses, neque enim continuatio, & similitudo in Decretis continuatis debet esse in omnibus, *Sanch. c. l. num.* 8.

LXXXIII. Resp. Quartò. Etiam renunciatio bonorum facta à Novitio, sub conditione expressa, vel tacita, secuturæ professionis, ita, ut ea corruat, si professionem non emiserit, comprehenditur sub Decreto Concilij, adeóque sine forma in eo præscripta, est irrita, ut docet *Navarr. Lib.* 3. *Consil.* 82. *num.* 2. *& seqq. Sanch. cit. c.* 5. *num.* 17. *Laym. Lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *nu.* 8. *contra Molin. & Menoch.* Ratio est, tum quia eriam renunciatio facta, secundùm formam præscriptam in Decreto Tridentino, includit hanc tacitam cõditionem, ut professione non secutâ, ea sit omnino irrita, ut expressè ibid. decernitur, & tamen necessariò fieri debet secundùm illam formam; ergo similiter requiritur, ut servetur illa forma, si fuerit facta sub tali conditione expressa; quia taciti, & expressi idem est judicium, ut colligitur ex *l.* 3. *ff. de reb. cred.* & frustra exprimitur, quod tacitè subintelligitur, cùm pro expresso habeatur, uti sumitur ex *l. fideicommisso*, 12. §. *Si filio*; *ff. de legat.* 3. Tum quia etsi renuncians liberè possit exire, quia recuperabit bona, quibus renunciavit: non tamen sine difficultate, quia exibit plerúmque non sine querela, & indignatione eorum, v.g. consanguineorum, quibus bona sub conditione sunt donata, scilicet secuturæ professionis: si verò renunciatio facta sit in favorem Monasterij, hoc studebit Novitium inducere, ad profitendum, ne pateretur bonis illius: alia verò ratio est, de testamento Novitij; quia hoc semper potest revocari, etiamsi moneat in Religione, at renunciatio sub conditione secuturæ professionis facta, non potest revocari, nisi per egressum Novitij è Religione, *Sanch. c. l. n.* 17.

LXXXIV. Cæterùm ab hoc Decreto Concilij Tridentini excipiuntur Candidati, & Novitij Societatis Jesu; nam renunciationes bonorum, ac jurium ab ipsis factæ conformiter Constitutionibus ejusdem Societatis, videlicèt vel ante ingressum in quamcunque causam piam, vel post primum probationis annum, vel etiam post edita vota simplicia, quandocunque Superior jubet, eos se abdicare suis bonis, sine ulla spe illa bona recuperandi, validæ sunt, non obstante prædicto Decreto Concilij, *cit. c.* 16. in quo ibid. Societatem excepit ipsa S. Synodus ab illis, quæ in eo statuta sunt, videlicet ne renunciatio bonorum nisi intra duos menses proximos ante professionem fiat, & ut finito tempore Novitiatûs, Superiores Novitios ad profitendum admittant, vel ejciant, ut colligitur ex illis verbis, *per hæc*, id est, supra dicta, S. Synodus *non intendit aliquid innovare, aut prohibere; quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium illorum institutum &c. Less. cit. c.* 44. *nu.* 41. *Sanch. c. l. num.* 9. *Laym. cit. c.* 7. *nn.* 10. *in fine*, apud quos plura de hac re videri possunt.

LXXXV. Quæritur secundò. Quinam contractus, vel actus comprehendantur nomine renunciationis in Decreto Concilij Tridentini: ita, ut si fiant sine forma ibi præscripta, sint irriti? Respond. primò. Nomine Renunciationis hìc inprimis comprehenditur donatio inter vivos, ita, ut irrita sit facta sine forma in dicto Decreto præscripta, *Molin. in cit. disp.* 139. *num.* 15. *Menoch. c. l. n.* 7. *Sanch. Lib. 7. mor. c.* 5. *n.* 20. Ratio est, tum quia donatio est quædam species renunciandi proprijs bonis, à qua in effectu non differt: tum quia est quædam obligatio, cùm donans obligetur ad rem donandam irrevocabiliter: tum quia finis hujus Decreti non minùs habet locum in donatione, cùm in utraque impediatur libertas Novitij ad egrediendum.

Excipitur primò. Si durante probatione, aliquid tribuatur, seu donetur Religioni pro victu, & vestitu Novitij, prout excipit ipsum Concilium, *cit. c.* 16. Secundò. Si ultra victum, & vestitum, Monasterio, vel certæ personæ etiam Laicæ donatio modica fiat, spectatis facultatibus Novitij, licèt secundùm se aliàs esset notabilis, prout colligitur ex illis verbis Concilij: *ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majo-*

majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit: ergo requiritur, ut donatio sit facta in quantitate valde notabili, alioqui cessat finis Legis prohibentis donationem, & consequenter etiam ipsa Lex, *Sanch. c. l. num.* 22. Tertiò. Si per modum eleemosynæ aliquid tribuatur Monasterio, dummodo non sit magna: sed modica, quæ libertati egressûs obstare non potest, *Sanch. cit. loc.* Ubi addit, idem dicendum, si quid datum sit pro convivio, dato in ingressu Religionis, vel si quid non magni momenti oblatum sit DEO, aut Sanctis, *Sanch. c. l. num.* 28. Quartò. Si parentes, vel amici Novitij ex proprijs bonis aliquid etiam in magna quantitate tribuant, vel donent Monasterio, in gratiam Novitij, ut ipse benevolentiùs tractetur, vel faciliùs admittatur, valida est donatio; quia in dicto Decreto Tridentini requiritur, ut donatio fiat ex bonis ipsius Novitij, alioquî enim cessat ratio Concilij, cùm per donationem ex alterius bonis non minuatur libertas Novitij ad egrediendum, quippe cùm illa bona ad illum non pertineant, neque illa recuperare possit, ac debeat. *Suar. tr. 3. l. 5. c. 9. n. 16.* dummodo ea donatio fiat absolutè, non autem ut in legitimam portionem Novitij computetur: tunc enim ipse Novitius, & non parentes Monasterio donare censerentur, *Sanch. c. l. n. 23. Laym. cit. c. 7. n. 5. in fine.*

LXXXVI. Respond. secundò. Sub nomine renunciationis prohibitæ Novitijs, ante duos menses proximos professioni, comprehenditur etiam datio mutui, si quid scilicet ex bonis Novitij tribuatur Monasterio, sub titulo mutui; quia non minùs ex mutuo, quàm ex alia largitione impediri potest libertas Novitij ad egrediendum: tum ob difficultatem, quæ sæpe reperitur in recuperando eo, quod mutuò datum est: tum vel maximè, quia in tali mutuo virtualis quædam donatio includitur: non absoluta, sed sub conditione, si Novitius perseveret, tunc enim obligatio reddendi ex mutuo cessabit, *Suar. cit. c. 9. n. 16.* ubi addit, idem dicendum esse, etiamsi à Monasterio aliquod mutuum datum, sine difficultate, recuperari possit: non enim ideò cessat prohibitio Concilij; quia cessante fine Legis in particulari tantùm, non cessat obligatio Legis, apud quem plura de hoc legi possunt.

LXXXVII. Respond. tertiò. Etsi sub nomine renunciationis comprehenduntur omnes contractus lucrurativi: non tamen omnes onerosi, sed tantùm illi, in quibus non tantundem recipitur, quantum datum est, hi enim sine forma præscripta in Decreto Tridentini initi à Novitio, sunt irriti, ut si Novitius det pecuniam pro puella in dotem, pro qua nihil recipit: item si fidejubeat pro alio, etiam accepto pretio, quia exposuit proprium patrimonium periculo jacturæ, absque spe æqualis lucri, sive quòd tantundem recipiat, *Sanch. c. Lib. 7. c. 5. n. 34.* Aliud verò est dicendum, de contractibus reciprocis, in quibus mutuò aliquid datur, vel accipitur, nempe venditionis, permutationis, locationis &c. quia in his Novitius non fit pauper, nec quippiam perdit ex suis bonis; cùm tantundem recipiat, quantum dedit, ideo in illis cessat ratio prohibitionis, ne Novitius, amissis bonis suis, vel magnâ eorum parte, cogatur professionem emittere, *Sanch. c. l. nu.* 32.

LXXXVIII. Quæritur tertiò. Quæ solennitates requiruntur ad renunciationes, vel donationes Novitiorum. Respond. In Concilio Tridentino, *cit. Sess. 25. de Regular. c. 16.* duæ requiruntur, ut sint validæ, prima est, ut fiant cum licentia Episcopi (vel alterius Prælati, quasi Episcopalem jurisdictionem habentis, nullíque Episcopo subjecti in suo territorio, *Sanch. Lib. 7. c. 5. nu. 68.*) vel ejus Vicarij Generalis, qui etiam hanc potestatem, dandæ licentiæ, possunt alijs delegare; quia ea jure communi est annexa perpetuò, non personæ: sed dignitati, vel officio, adeóque est ordinaria, & delegari potest, *Sanch. c. l. n. 73.* Verùm hanc licentiam dare non possunt Prælati Regulares, licèt exempti sint, ut ex probabiliore sententia docet *Rodriq. Tom. 2. qq. Regul. quæst. 48. artic. 14. Sanch. c. l. num. 74. contra Navarr.* quia Concilium solam licentiam Episcopi, vel ejus Vicarij requirit, non addendo, *vel alterius Superioris*, uti expressit in *cap. 5. ead. Sess. de Regul.* ubi ad ingrediendum Monasteria Monialium, requirit licentiam Episcopi, vel alterius Superioris, nempe Prælati Regularis, si Monasterium sit exemptum. Et hic est unus ex casibus, in quibus etiam Religiosi exempti subijciuntur Episcopis. Requiritur autem prædicta licentia Episcopi, vel ejus Vicarij ad renunciationes Novitiorum, ut excludantur fraudes, metus, vel preces importunæ, quibus induci posset Novitius, ad relinquenda bona sua Monasterio, licentia enim Judicis tollit præsumptionem doli, & fraudis, *l. ult. ff. de eo quòd met. caus. &c. Rodriq. c. l. Sanchez c. l. num.* 64. Quamvis in quibusdam Religionibus non sit in usu, ut licentia petatur ab Episcopo: sed id per contrariam consuetudinem sit abolitum, ut notant *Rodriq. c. l. & Sanch. nu. 25.* quod maximè procedit, si renunciationes ex necessitate fieri debeant, propter Ordinis Constitutiones, ut apud Mendicantes, *Laym. cit. c. 7. num.* 14. Porro prædicta licentia non debet peti in scriptis; cùm nullam de scriptura mentionem faciat Concilium, neque tamen sufficit, eam esse petitam, sed requiritur etiam, ut sit obtenta; quia non dicitur cum licentia fieri, quando ea solùm est petita, nam, quando requiritur licentia tantùm petita, id exprimi solet, ut in *c. Licet; 18. h. t. Sanch. c. l. num.* 77. Debet autem ea licentia præcedere renunciationem, quia requiritur ad valorem actûs, nisi fieret sub conditione, si postea Episcopus approbet; tunc enim satis est, ut approbatio ex post facto superveniat, *Sanch. c. l. n.* 78. Denique etsi non requiratur expressa licentia: sed sufficiat tacita, habita tamen ex ratihabitatione de præsenti, quippe quæ requiritur ad valorem actûs, neque sufficit ratihabitio de futuro, *Sanch. c. l. num.* 79.

LXXXIX. Altera solennitas à Tridentino Concilio requisita est, ut renunciationes fiant, intra duos menses proximos ante professionem, adeóque non requiritur, ut fiant integro bimestri ante professionem: sed satis est, illas fieri intra tempus illud bimestre, quamvis immediatè ante professionem: nam finis, & ratio illius Decreti est, ut renunciationes fierent majore consilio, & deliberatione, quæ major est, quò longius est tempus probationis, & professioni propinquius, *Sanch. cit. c. 5. num.* 80. Imò valida est etiam illa renunciatio, quæ facta est à Novitio, intra illud tempus bimestre, etiamsi completâ ætate legitimâ, & finito anno probationis, ex

justa causa differatur professio, tum quia Lex ea, quæ frequentiùs contingunt, spectat, *l. Adea*; 5. *ff. de Legib.* professio autem frequentiùs fieri solet, completâ debitâ ætate, & anno probationis, ideò Decretum Concilij præcipiens intra duos menses proximos ante professionem, fieri renunciationem, intelligi debet, de duobus mensibus proximis illi tempori, quo regulariter fit professio. Tum quia talis renunciatio adhuc fit conformiter fini, ac intentioni Concilij, quæ fuit, ne Novitij temerè, & inconsultè bonis suis renunciarent: sed nonnisi postquam experti sunt difficultates Religionis, quod utique supponitur, quando jam x. integris mensibus fuerunt in probatione, *Sanch. c. l. n.* 82.

Porro etsi non omnino improbabile sit, quòd si ex dispensatione S. Pontificis, Novitius nono mense, vel minor XVI. annis, professionem facere possit, adeóque abbreviatum sit tempus professionis, aliàs jure præscriptum, hoc casu, etiam sufficiet renunciationem bonorum fieri bimestri, ante illud tempus professionis, adeóque intra mensem septimum, & octavum; quia dispensatio etsi stricti juris sit, extenditur tamen ad connexa, ut ex communi docet *Sanch. Lib.* 8. *de matr. dis.* 1. *n.* 19. Contrarium tamen probabilius est, nempe tali casu non posse fieri renunciationem bonorum, intra bimestre illud præcedens professionem: sed debere fieri proximè ante professionem, videlicet eodem die, vel præcedente, ut docet idem *Sanch. cit. c.* 5. *n.* 83. Ratio est, quia cùm in eo casu non possit fieri renunciatio, tempore designato à Concilio, nempe intra XI. & XII. mensem anni probationis, quia professio ex dispensatione anticipatur, & consequenter etiam renunciatio bonorum anticipari debet, quippe quæ post professionem amplius fieri non potest, ideo saltem curandum est, ut fiat proximè ante professionem, sicque Concilio derogetur, quàm minimùm fieri potest. Nec obstat fundamentum contrariæ sententiæ; quia dispensatio non extenditur ad accessoria separabilia: sed tantùm ad inseparabiliter connexa, ut docet *Sanch. cit. dis.* 1. *n.* 19. *&* 20. non est autem inseparabiliter connexum, ut renunciatio bonorum fiat, integris duobus mensibus ante professionem; cùm Tridentinum præscribens illud tempus, agat de professione facienda, post legitimam ætatem impletam, & transactum integrum annum probationis: non autem de ea professione, quæ fit in casu extraordinario, & per dispensationem, de quo in præsenti agitur, ac proinde ea dispensatio non debet extendi ad aliud bimestre tempus, præcedens professionem dispensativè anticipatam, *Sanchez c. l.*

§. VIII.

Aliæ nonnullæ quæstiones, circa renunciationes bonorum à Novitiis factas, proponuntur, & resolvuntur.

XC. Quæritur primò. An Novitius possit renunciare hæreditati patris, vel matris adhuc viventis, sine consensu illorum, & in favorem Religionis? Respond. primò. Tametsi renunciatio hæreditatis paternæ, vel maternæ nondum obtentæ: sed in futurum deferendæ, ipso jure sit invalida, si facta sit in favorem certæ personæ particularis, ut ea ipsi cedat, nisi consensus ejus, de cujus hæreditate agitur, accedat, isque usque ad mortem in ea voluntate perseveret, *l. ult. c. de pact.* Vel nisi juramento fuerit firmata talis renunciatio, seu pactum, *c. Quamvis*; 2. *de pact. in* 6. valida tamen est hujusmodi renunciatio, aut donatio, facta in favorem Religiosi Conventûs, vel alterius Communitatis, seu Collegij, etiam non requisito consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, *Sanch. cit. Lib.* 7. *c.* 2. *n.* 54. *& seqq. Laym. Lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 3. *qu.* 2. *limit.* 3. Ratio est, quia tum cessat periculum machinandi insidias vitæ alienæ, ob quod prohibita est talis renunciatio, beneficium enim collatum Communitati, non censetur singulis conferri, cùm singuli seorsim sumpti non sint Communitas. Si ergo cessare censetur periculum, seu votum captandæ mortis in omni Communitate, multò magis in Collegio Clericorum, de quibus nihil sinistrum facilè suspicari licet, *c. Absit*; 14. *junct. Gl. V. Sinistrum, caus.* 11. *quæst.* 3. præsertim verò in Conventu, aut Collegio Religiosorum, qui non censetur injustè alienis bonis inhiare, cùm propria propter Christum reliquerint, *Laym. c. l.*

Respond. secundò. Potest Novitius, ante professionem, renunciare hæreditati paternæ, vel maternæ, paciscendo cum parente, ut in præmium hujus renunciationis, quam ipse facit, in commodum ejusdem parentis, hic aliquam pecuniæ summam teneatur applicare pio loco, aut Conventui, quam sibi magis designat; quia cùm talis resignatio fiat ex quadam necessitate, propter Constitutiones Ordinis, uti fit in Religionibus Mendicantium, & pactum adjectum nullam imponat obligationem filio: sed solùm parenti, non est credibile talem dispositionem fuisse prohibitam in Decreto Concilij Tridentini, *Laym. c. l. qu.* 5. *n.* 14.

Respond. tertiò. Potest Novitius, in favorem causæ piæ renunciare hæreditati, si quæ illi ante mortem, vel professionem, undecúnque obvenerit, v. g. si quæ hæreditas mihi obvenerit, volo, ut ea pertineat ad pauperes, vel ad hoc Monasterium: tum enim si hæreditas aliqua delata sit Novitio, ante ejus mortem, vel professionem, etsi ab eo non fuerit adita, quia ignorabat mortem defuncti, cujus hæreditas ipsi est delata, Monasterium, vel pauperes, quibus donatio facta fuit, hæreditatem illam delatam petere, & accipere possunt, *Laym. c. l. nu.* 13. Ratio est, quia licèt aliud jure Civili statutum sit, in *l. Quæniam*; 7. *C. de jure deliber.* ubi dicitur, *Si quis ignorans mortis sororis suæ*, adeóque non aditâ ejus hæreditate, *è vivis excedat, non transmittere hæreditatem illius ad hæredes suos.* Hæc tamen Constitutio, quippe Civilis, non habet locum in causis pijs, in quibus procedi debet secundùm jus naturale, gentium, & Canonicum, quo spectato, valida est talis renunciatio, seu donatio.

Resp. quartò. Si Novitius hæreditati, sive patris, sive matris, vel alterius sibi obventuræ renunciet, & de ea disponat in favorem certæ personæ, vel etiam causæ piæ, v. g. Monasterij, inscijs parentibus, vel ijs, de quorum hæreditate agitur, & sine consensu illorum, & ante delatam sibi hæreditatem, adeóque ante

ante mortem parentis, vel alterius, cui aliàs succederet, si superstes esset, è vita discedat, vel in Religione professionem edat, tunc renunciatio, seu donatio illa omnino corruit, ita ut nihil debeatur ei, in cujus favorem facta fuit, *Sanch. Lib. 7 mor. c. 9. n. 25. Laym. c. 1. n. 13. in fine, & n. 15.* Ratio est clara, quia nemo potest plus juris in alterum transferre, quàm sibi competat, *Reg. 79. in 6.* at in proposito casu, filius, vivente patre, aut matre, vel quocúnque alio, de cujus hæreditate agitur, nullum habet jus ad bona illorum, cùm viventis non sit hæreditas, *arg. l. Qui superstites; 94. ff. de acquir. hæred.* Ergo si postea moriatur, vivente adhuc patre, vel matre, vel si professionem edat, non potest hæreditatem, sibi nunquam delatam, ad alios transferre; cùm sicut per mortem naturalem; ita etiam per mortem civilem, sive professionem omnino incapax sit factus hæreditatis capiendæ, & consequenter etiam illam transmittendi ad alios.

Resp. quintò. Si Novitius renunciet hæreditati nondum delatæ, sive acquisitæ, absolutè, & postea professionem edat in Religione, jus succedendi habente, valet renunciatio, etiamsi Monasterium non renunciaverit, sive consenserit in Novitij renunciationem, ita ut excludatur ab hæreditate, post professionem renunciantî delatâ. *Sanch. cit. Lib. 7 c. 6. n. 2.* Ratio est, quia Monasterium non succedit, nisi quatenus Professus ille, cujus personam repræsentat, jus habet succedendi: sed quando Novitius priùs absolutè renunciavit hæreditati, nullum jus succedendi habet, etiamsi professionem non emisisset, ergo nec Monasterium jus ullum habet, quippe quòd solùm succedere potest ex persona sui Professi.

XCI. Quæritur secundò. An renunciatio bonorum, vel donatio à Novitio facta, secundùm formam præscriptam à Concilio Trident. corruat, & effectum non habeat, si is moriatur, antequam professionem emisit, sed invalidam? Resp. primò. Probabilius est, quòd renunciatio bonorum, vel donatio facta à Novitio, etiam in favorem Monasterij, vel cujuscúnque alterius, corruat, non solùm, si professio non sit secuta, quia ipse est egressus è Religione, cámque deservit: sed etiam, quia morte præventus professionem non emisit, *Rodriq. cit. q. 48. art. 2. Sanch. cit. c. 5. num. 49.* & alij apud ipsum. Ratio est, quia Concilium expressè dicit: *ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secutâ professione*; quæ verba cum sint generalia, sic intelligi debent, quòd per illa ita intendit consulere libertati Novitiorum, ut quâcúnque ex causa non profiteantur, liberam habeant facultatem disponendi, de illis bonis, quibus renunciârunt, adeóque quòd non secutâ professione, ex quacúnque causa, renunciatio effectum non habeat. Et cum verba Decreti expressè requirant, ut renunciatio effectum non habeat, nisi sequatur professio, non sufficit, conditionem hanc impleri æquipollenter, quia secuta est mors, quæ æquivalet professioni, tanquam morti Civili: sed specificè impleri debet. Oppositum tamen etiam est probabile, quòd si Novitius moriatur ante professionem, renunciatio, seu donatio ab eo facta habeat effectum, ut docet *Suar. Tom. 3. de Rel. Lib. 5. c. 16. num. 11.* quia causa, propter quam Concilium ita statuit, est, ne minuatur libertas in professione facienda, vel omittenda, quæ cùm cesset, quando moritur etiam Novitius ante professionem, videtur etiam cessare dispositio Concilij.

Resp. secundò. Ut renunciatio, vel donatio à Novitio facta, sit firma, & effectum habeat, non sufficit, ut professio postea fiat: sed requiritur, ut sit validè emissa. *Sanch. cit. c. 5. n. 55.* & alij apud *Barb. Lib. 1. Jur. Eccles. c. 42. n. 238.* Ratio est, tum quia Concilium exigit, ut sequatur professio, verba autem debent intelligi cum effectu, adeóque ut sequatur validè professio; nam actum invalidum fieri, perinde est, ac si omnino non fieret: tum quia Concilium voluit consulere libertati Novitiorum, ad egrediendum: at verò, quando professio est irrita, professus verè adhuc est Novitius, & licitè potest egredi, adeóq; renunciatio etiam, seu donatio, non est firma, nec effectum habet, alioquin posset impedire liberum egressum Novitij, quòd est contra mentem Concilij. Porro ratificatâ postea professione, quæ invalidè fuit emissa, censetur quoque ratificata renunciatio, nisi professio fuerit invalida, ob defectum legitimæ ætatis; tunc enim sicut professio, ita etiam renunciatio sit nulla, si renuncians necdum explevit xv. annos, & x menses, ideóque cùm ab initio fuerit nulla, non potest postea confirmari, vel convalescere, per supervenientem legitimam ætatem, & aliam professionem validam, *Sanch. c. l. nu. 56. Pellizz. in man. Regul. tr. 2. c. 9. q. 22. n. 49. & 50.*

XCII. Quæritur tertiò. An renunciatio bonorum facta à Novitio, secundùm formam Concilij Trident. possit ab illo, ante professionem, revocari, si velit permanere in Religione? Resp. non posse, ut docet *Sanch. cit. c. 5. n. 58.* Ratio est, tum quia; si talis renunciatio posset revocari usque ad professionem, ea fieri posset, quocúnque tempore Novitiatûs, sine forma præscripta à Concilio Trident. quod ideo requirit certas solennitates, quia renunciatio, seu donatio statim est irrevocabilis, nisi deficiat conditio, sub qua facta est, videlicet si professio secuta non fuerit: tum quia non tantùm contractus onerosi; sed etiam lucrativi conditionati, adeóque donatio conditionata non potest revocari, pendente conditione; quia ex omni contractu conditionali non minùs oritur obligatio in spe, id est, positò quòd eveniat conditio: quàm ex contractu puro, & absoluto oritur obligatio in re, & absoluta, quia utérque contractus in suo ordine, & gradu est perfectus. Cùm ergo renunciatio Novitij contineat in se tacitam conditionem, ut non habeat effectum, nisi secuta fuerit professio, ea non potest revocari ab ipso Novitio, si velit permanere in Religione, siquidem semper interea, priusquam professio facta est, pendet conditio, sub qua facta est renunciatio.

XCIII. Quæritur quartò. An renunciatio, seu donatio bonorum facta, intuitu ingrediendi Religionem, vel etiam post ingressum, à Novitio minore xxv. annis, sine auctoritate Curatoris, & Decreto Judicis, aliisque solennitatibus, Jure Civili, aliàs requisitis ad dispositionem minoris, sit valida? Respond. affirmativè, etiamsi in favorem personæ privatæ sit facta, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 6. num. 19.* Probatur, quia in c. *De his*; 4. *de sepult.* dicitur, de volentibus transire ad loca Religiosa, liberum esse eis tunc bona sua, non tantùm Religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis. Ubi notan-

tandum, quòd tò *liberum* importat idem, quod sine Superioris, vel alterius auctoritate, licentia, ac dispensatione, ut tradit *Gl. recepta in Clement. 2. V. Liberè de jure Patron. & in Clem. fin. V. Libere de ætat. & qualit.* Imò etiam importat nullius contradictionem, vel juris impedimentum obstare, ut tradunt Dd. apud *Sanch. c. l.* Idque etiam colligitur ex *Auth. de Monachis §. Illud quoque; collat. 1.* ubi conceditur volentibus ingredi Religionem licentia, ut suis bonis uti, id est, de illis disponere possint, quocúnque voluerint modo, per quæ verba removentur omnes Legis, seu juris solennitates, ut constat ex *l. 1. ff. de Testament. milit. & l. 1. C. de SS. Eccles.*

SECTIO III.

DE PROFESSIONE RELIGIOSA.

§. I.

Quid sit Professio Religiosa, & quotuplex?

XCIV. Assertio 1. Professio dupliciter accipi potest, ut notat *Suar. Tom. 3. de Relig. Lib. 6. c. 1. num. 1.* Primo. Generaliter, & latè, pro actu illo, quo is, qui vult fieri Religiosus, Statum Religionis publicè, solenniter, & firmiter assumit, sive Professio fiat per vota solennia absolutè, ac irrevocabiliter (quomodo regulariter, & ordinariè fit in plerísque Religionibus) sive per vota simplicia, & dependenter ab aliqua conditione, quæ proinde dissolvi potest, ut est emissio votorum simplicium in Societate Jesu, post biennium probationis, factâ, ut dictum supra *num. 9. & 10. h. t.* Et in hac generali acceptione Professio, formaliter loquendo, est contractus, non merè humanus: sed Religiosus, & Sacer, per quem homo voluntariè se tradit DEO in Religione approbata, quoad certum modum, seu institutum vivendi, & quidem editis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ: idque interveniente Prælati Regularis acceptatione, qui dictam traditionem, nomine DEI, acceptet: quæ descriptio colligitur ex ijs, quæ fusè tradit *Suar. cit. Lib. 6. c. 2. num. 4. & seqq.* Et quidem quòd inprimis ad substantiam Religiosæ Professionis requiratur prædicta traditio, inde probatur; quia sola vota Religionis non sufficiunt, ad constituendum statum Religiosum, si quidem potest quis privatim ea edere, & tamen non ideo erit Professus, vel Religiosus: sed requiritur insuper, ut se privet jure, quòd habet in seipsum, quoad actiones, & bona sua, illùdq; transferat in alium, scilicet in Religionem, vel Prælatum ejus, ut tradit *Suar. cit. Lib. 6. c. 2. n. 6.* Idque propter DEUM, cui specialis obligatio ex illa oritur, & acquiritur, ideóque Professio non est pactum, vel donatio merè humana: sed Religiosa, & Sacra; quia principaliter fit DEO, licèt mediatè solùm; talis nim promissio, ac traditio immediatè fit ipsi Religioni, seu ejus Prælato, *Suar. c. l. num. 14.* Deinde quòd prætet illam traditionem, requiratur etiam ad Professionem promissio per tria vota: inde constat; quia hæc sunt de essentia Statûs Religiosi, ut supra probatum, & per consequens etiam de essentia Professionis, per quam quis formaliter constituitur in Statu Religioso, *Suarez c. l. num. 12.* Denique quòd etiam requitatur acceptatio à Prælato Regulari, facta nomine DEI, constat ex c. *Ad Apostolicam; 16. h. t.* ubi dicitur: *Si Conversus, seu Novitius professionem emittat, & Abbas acceptet, oriri obligationem*, eóque ordinari probationem, ut se invicem experiantur, adeóque Professio traditionem Profitentis, & acceptationem Prælati admittentis essentialiter requirit, *Suarez cit. c. 2. num. 5.*

Secundò. Accipitur Professio strictè pro illa, quæ fit per vota solennia, omnino absolutè, & irrevocabiliter ex utraque parte, prout ordinariè, & ferè semper fieri solet: & de hac potissimùm hîc nobis sermo erit, sive tria illa vota expressè emittantur: sive implicitè solùm, ut mox dicetur, *Suar. cit. c. 2. n. 12. & 13.*

XCV. Assertio 2. Professio Religionis duplex est, una expressa, altera tacita. Expressa est, quæ fit verbo, vel scripto, vel utróque simul. Tacita est, quæ fit sine voce, & scripturâ, excedendo unum, vel plures actus Professorum proprios, & utraque eandem obligationem parit, *Sanchez Lib. 5. moral. c. 3. num. 1.* & alij Dd. communiter. De priore nunc agemus, de posteriore verò postea.

§. II.

Quâ formâ, seu modo Professio expressa fieri possit, vel debeat?

XCVI. Assertio 1. Professio Religionis expressa potest emitti: non tantùm verbis (prout regulariter fit) sed etiam scripto, aut nutibus, seu signis; quia nullibi reperitur jure statutum, quòd necessariò per verba fieri debeat, nisi vi Instituti, vel Regulæ verba requirantur, *Sanchez Lib. 5. c. 3. num. 2.* Quare mutus à natura, qui deinde etiam surdus factus est, potest Professionem emittere, modò scripto, vel nutibus consensum exprimere valeat, sicut etiam talis contrahere potest matrimonium carnale, *Azor p. 1. Institution. Lib. 12. cap. 4. quæst. 1. Sanchez citat. loc.* Ubi addit, quòd si mutus simul sit cæcus à natura, est incapax Professionis; quia solis signis edoceri potest, quid sit Professio, quæ percipere nequit, si simul cæcus sit: Idémque est, si quis simul sit cæcus, & omninò surdus; quia talis solis verbis potest edoceri, quæ nequit percipere, si simul surdus sit, nisi antequam fieret surdus, didicerit, quid sit Professio. *Sanch. c. l. n. 2.*

XCVII. Hinc infertur, quòd ad valorem Professionis expressæ, nec Scriptura, nec certa verborum forma requiratur: sed ea quibuslibet verbis, vel alijs signis traditionem personæ professentis significantibus, & vicissim acceptationem Religionis, seu Prælati ejus nomine, fieri potest, prout fu-

mi-

„ mitur ex c. *Porrectum*; 13. *h. t.* Ubi Canonicus quidam voverat, se Monachum fore, & postea in „ morbum incidens, cùm timeret, ne voto non expleto, decederet, junctis manibus, se tradidit Abbati in Monachum & in Fratrem. Super hoc casu „ consultus Papa Clemens III. respondet, quòd cùm „ Monachum non faciat habitus, sed Professio Regularis: ex quo iste Canonicus se tradidit Abbati in „ Monachum, ac Fratrem, & ab eodem receptus est, „ talis compelli debet, ut Monachus fiat, vel maneat, „ & reddat Domino, quæ promisit.

Porro duplex est intellectus hujus cap. ut notat *Gl. hic V. Professio*, *& Abb. num.* 13. *&* 14. Unus est, quòd iste Canonicus fecerit tantùm votum simplex, intrandi Religionem, & profitendi, ideóque compelli debet, ut intret, & Monachus fiat. Alter, & verior intellectus, seu explicatio hujus cap. est, quòd dum iste Canonicus se tradidit Abbati in Monachum, & Fratrem, & ab eodem receptus est, Professionem saltem tacitam emisisse censetur, licèt non expresserit formam consuetam, ideóque compelli debet, ut Monachus fiat, id est, persistat, & maneat. Idque patet tum ex eo; quia si iste Canonicus emisisset tantùm votum simplex ingrediendi Religionem, non rectè diceretur de eo, quòd se reddidit, hoc est, tradidit potestati Abbatis, quod non fit, nisi per solennem Professionem, per quam quis se tradit Abbati, tanquam subditum, eique promittit obedientiam Religiosam: Tum etiam ex utraque ratione in hoc cap. subjuncta, scilicet, quòd habitus non faciat Monachum: sed Professio Regularis, & quòd à convertendo votum sit emissum, & ab Abbate receptum, hæc enim conveniunt Professioni tantùm, quæ cùm pendeat, non solùm ex voluntate Profitentis: sed etiam alterius recipientis, ad sui valorem requirit, ut recipiatur ab eo, qui habet potestatem incorporandi Religioni, sive ad illam admittendi: non autem convenit simplici voto, ingrediendi Religionem, quod pendet ex voluntate solius voventis, nec indiget alterius receptione. Tum denique, quia Canonicus iste priùs vovit, se fore Monachum, ac deinde morbo correptus, voluit reddere Deo, quod promiserat, ne voto non expleto, decederet: at si tradendo se in Monachum, Professionem non emisit, prius votum non explevit: sed ei solùm aliud votum simplex adjecit, quod absurdum est dicere, *Fagnan. in cit. c. Porrectum*; *n.* 40. *&* 3. *seqq.*

XCVIII. Notandum hîc præterea primò, quamvis ad valorem Professionis non requiratur scriptura, ut dictum, & patet ex *cit. c. Porrectum*, juxta probabiliorem explicationem, per scripturam tamen fieri solet, ac debet, prout præcipitur in *c. ult. caus.* 20. *q.* 1. & tradit *Gl. ibid. V. Scriptis*, ut scilicet de illa authenticè constet per propriam subscriptionem, vel subsignationem, si quis scribere nesciat, *Sanch. Lib.* 5. *c.* 3. *n.* 5. Ubi *num.* 6. ait, quòd tacitè Professus potest compelli, ut expressè profiteatur per scripturam, per quam possit ejus Professio probari. Imò juxta communem Ecclesiæ consuetudinem, solent vota Professionis, non tantùm scribi: sed etiam ex scripto publicè legi, teste *Suar. tom.* 3. *Lib.* 6. *c.* 12. *num.* 4. idque in Societate nostra est essentiale, ut habetur *p.* 5. *Constitut. c.* 3. *in declarat. lit. A.* & notat *Sanch. c. l.* Porro licèt Jure communi non requiratur, ut Professio fiat coram testibus, ideóque etiam sine illis valida sit; quia nihil de hac re decretum reperitur: ut tamen convenienter fiat, requiritur, ut coram sufficientibus testibus fiat, spectatâ naturâ contractûs, per quem assumitur specialis Status Ecclesiæ, ideóque ita fieri debet, ut de illo possit Ecclesiæ constare, *Suar. c. l. num.* 5.

Notandum secundò. Etsi ad Professionis valorem certa verborum forma non requiratur, debet tamen illa servari, quæ in Regula præcipitur, vel in Ordine consueta est, ita tamen, ut licèt aliis verbis fiat Professio, quàm in Regula præscribitur, ea non ideo sit irrita: sed quibuscúnque verbis, vel signis significantibus traditionem sui per vota substantialia Professio fiat, illa valida est, nisi in Regula à Sede Apostolica approbata exprimatur, Professionem aliâ formâ factam, esse irritam, *Azor p.* 1. *Lib.* 12. *c.* 5. *q.* 7. *in fine*, *Sanch. cit. c.* 3. *n.* 4. quia Ecclesia non minùs circa Professionem: quàm circa matrimonium, impedimenta dirimentia, seu conditiones, quæ sint de forma substantiali illius, statuere potest, *Io. Andr. in cit. c. Porrectum*; *num.* 3.

Notandum tertiò. Forma profitendi, juxta diversa Ordinum instituta, varia est, interdum enim tria substantialia Religionis vota exprimuntur, quandòque sola obedientia, secundùm Regulam promittitur (quoad ea scilicet, quæ ut præcepta continentur in Regula) aliquando stabilitas, & conversio morum, secundùm Regulam, in qua paupertas, & castitas continentur, *Azor cit. Lib.* 12. *c.* 4. *q.* 2. *Suar. cit. Lib.* 6. *c.* 12. *n.* 6. *Sanch. cit. c.* 3. *n.* 3.

XCIX. Notandum quartò. Valida est Professio Religionis, etiam non suscepto habitu Religioso, & Professorum proprio; quia habitus Monachum non facit, ut dicitur in *cit. c. Porrectum*; *h. t.* sed sola Professio Regularis, expressa, vel tacita, *c. unic. de voto in* 6. *Gl. in cit. c. Porrectum*; *V. Non faciat*, quæ resultat quandòque ex habitûs Religiosi susceptione, seu delatione, & ob illam facta præsumitur, *juxta c. Constitutionem*; 3. *h. t. in* 6. Nam Professio consistit in sui traditione Religioni, & acceptatione ejusdem per votum solenne: habitus verò Religiosus, etsi soleat esse plerùmque signum hujus traditionis, & consequenter etiam Professionis: non tamen res signata, videlicet Professio, pendet ab hoc signo, quoad sui valorem & substantiam. Et hinc neque Religiosi habitûs susceptio, aut gestatio semper est certum signum Professionis; nam si quis etiam longo tempore portet habitum Religiosum, extra Monasterium, sive Religionem, non censetur Professus, ut notat *Gl. in Clem.* 2. *V. In aliqua*; *h. t. arg. illius Text.* quia tunc cessat præsumptio tacitæ Professionis, nam si voluisset Professionem emittere, intrâsset Monasterium, *Fagnan. in cit. c. Porrectum*; *n.* 13.

Idque sumitur etiam ex c. *Ut Clerici*; 3. *h. t.* quod habetur in *Concilio Toletano IV. c.* 54. Ubi statuitur, ut Clerici, qui se habitu & nomine Monachos „ fingunt, cùm non sint, corrigantur, & compellantur, „ ut vel veri Monachi sint, (id est, fiant, profitendo „ Regulam Monachorum) aut veri Clerici remaneant, „ dimisso habitu Monachorum. *Gl. fin. hic & Innoc. ib.* „ *& Ioann. Andr. in fine*, *& Abb. n.* 3. *hoc cap.* intelligunt, & explicant de illis Clericis sæcularibus, qui non volentes profiteri, extra Monasterium & Congregationem

Monachorum habitum monachalem gestant: nam isti quamvis habitum deferant, non sunt tamen obstricti Religioni: sed compellendi sunt à Prælatis Ecclesiasticis, ut vel profiteantur Religionem, vel habitum Religiosum exuant: quanquàm idem *Abb. & alii hoc cap.* etiam intelligant, de illis Clericis, qui expressè protestati sunt, quòd per habitûs Religiosi gestationem non intendant profiteri Religionem, ideóque non potuit præsumi tacita Professio, quæ aliàs ex annali habitûs delatione præsumitur, nisi facta sit protestatio contra illam, de qua infra.

C. Assertio 2. Professio expressa potest fieri, etiam per Procuratorem, nisi Ordinis Regula contrarium statuat, *Azor cit. Lib. 12. c. 5. q. 5. Rodriq. tom. 3. qq. Reg. q. 17. art. 33. Suar. cit. c. 12. n. 22. Sanch. cit. c. 3. num. 7.* Ratio est, quia per Procuratorem fieri possunt omnia, quæ non specialiter per illum fieri interdicta sunt, *l. 1. §. Usus; ff. de Procurat. c. Potest quis; 68. de R. I. in 6.* at nullibi ex iis actibus, qui per Procuratorem fieri possunt, reperitur excepta Professio Religiosa, ut constat ex *Gl. in l. Pomponius; 40. ff. de procur. & Gl. in c. Qui ad agendum; 4. V. Vel paciſci eod. in 6.* Ubi inter casus exceptos non numeratur Professio. Quare sicut matrimonium, etsi per se sit indissolubile, per Procuratorem contrahi potest, ita etiam Professio emitti. Requiritur tamen, ut valida sit Professio, per Procuratorem nomine absentis emissa, ut speciale mandatum habeat ad Professionem emittendam, & quidem in Religione determinata, neque enim sufficit mandatum generale ad profitendum in quacúnque, nisi certa Religio exprimatur, saltem verbo, vel per epistolam, aut nuncium, etsi in mandato scripto non fuerit expressa: quamvis *Suar. c. l. num. 23.* putet, de rigore hanc conditionem non requiri. Secundò, ut Procurator per seipsum, nomine alterius, Professionem edat; non enim potest alium substituere ad hunc actum Professionis, nisi hoc specialiter ipsi sit concessum. Tertiò, ut tempore, quo fit Professio per Procuratorem, ejus potestas non fuerit revocata, quamvis per solum actum internum, vel per factum contrarium, & etiam ignorante Procuratore revocationem; requiritur enim ut consensus existat principalis, seu Profitentis, quando fit Professio, vel saltem, ut non fuerit revocatus. Quartò, ut constitutio Procuratoris non sit gravi metu extorta, *Sanch. cit. loc. n. 8. & alii citt.* Hinc sequitur, quòd Professio etiam ab absente per litteras fieri possit, sicut matrimonium, *Suar. c. l. n. 23.*

CI. Assertio 3. Professio expressa fieri potest, non tantùm absolutè: sed etiam sub conditione, sive de præsenti, vel præterito, quæ non suspendit actum, sive etiam sub conditione propriè dicta, pendente ex eventu contingenter, v. g. promitto paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam, si pater meus intra 8. dies consenserit, sicut potest sub tali conditione iniri matrimonium. Quare tali casu Professio, impletâ conditione, erit valida, modò ante conditionis eventum consensus non fuerit revocatus: deficiente autem conditione, etiam ipsa Professio corruit; quia intentio sic profitentis non alia fuit, quàm dependenter ab illa conditione se obligare, *Sanch. Lib. 5. c. 4. num. 87.* An autem tali casu, eveniente conditione, statim valeat Professio, sine novo consensu profitentis, & Religionis acceptantis, id pendet ex illa quæstione, an matrimonium sub simili conditione initum, post ejus eventum, valeat, sine novo consensu. Affirmat *Sanch. c. l. n. 88.* negat *Suar. cit. c. 12. num. 18. de quo alibi.*

Excipi debet, nisi conditio adjecta substantiæ Statûs Religiosi repugnet, tunc enim irrita est Professio, v. g. ut liceat bona sua retinere, tanquam propria, & independenter à voluntate Prælati, *Silvest. V. Religio; 3. q. 7. Azor cit. Lib. 12. c. 5. q. 2. Sanch. cit. c. 4 num. 92. Suar. cit. c. 12. num. 14.* Ratio est, quia deficiente parte substantiali contractûs, videlicet consensu, non potest valere contractus, & consequenter neque Professio, *c. Tua nos; 26. de spons.* Idem habetur statutum de matrimonio in *c. ult. de condit. appos.* à quo ad matrimonium spirituale, nempe Professionem valet argumentatio. Plura de hac re videri possunt apud Dd. citt.

CII. Cæterùm prædictis addendum, non requiri ad valorem, & substantiam Professionis, ut fiat in Ecclesia, vel Monasterio, sive intra Clausuram Religionis: sed ea potest extra fieri, ubicúnque, etiam in lecto, cùm nihil de loco reperiatur juxta statutum, *Abb. in c. Sicut 3 17. num. 3. h. t. Suar. cit. Lib. 6. c. 12. num. 24. Sanch. cit. c. 3. num. 12.* Potest etiam Professio fieri quocúnque tempore, sive matutino, sive vespertino, *Pellizar. in man. Regul. Tract. 3. c. 1. q. 17. num. 34.* Ratio est, quia hæ circumstantiæ sunt valde extrinsecæ, ideóque nulla fuit ratio, cur tanquam essentiales requirerentur, *Suar. c. l.* Denique etiam infirmitas corporis non impedit, quò minùs valida sit Professio, ut colligitur ex *cit. c. Porrectum; h. t.* & notat *ibid. Abb. num. 2.* Ideóque etiam in articulo mortis validè emitti potest Professio, dummodo Profitens integrum habeat judicium, ut patet ex *c. Sicut; 15. juxta Gl. V. Extramentem; h. t.*

§. III.

Quibus modis fieri possit Professio tacita Religionis?

CIII. Præmittendum ex *Gl. in Clement. 2. V. Incepit; h. t. & Abbate in c. Ex parte; 22. num. 3. h. t.* triplicem esse habitum Novitiorum. Primus est distinctus, ut quia alio habitu utuntur Novitii, alio Professi: & hic rursus subdividitur in patenter, seu manifestè distinctum, & latenter distinctum: distinctus patenter habitus est, qui vel colore differt, ut quia v. g. Novitii album, Professi nigrum habitum portant: vel scissurâ, ut in Ordine Minorum Novitii portant tunicam, sine assuto capucio, Professi cum illo: vel formâ seu figurâ, *cit. Clement. 2. h. t.* ut si Novitii deferant breviorem habitum, vel cum externo signo appensi panniculi. Habitus latenter distinctus est, quando vestes Novitiorum non benedicuntur, Professorum verò benedicuntur, *c. pen. h. t.* Secundus est habitus indistinctus, seu communis, ut quo Professi, & Novitii gestant eundem habitum, sine omni distinctione patente, & latente. Tertius est habitus indistinctissimus, sive communissimus, quando scilicet, non solùm Professi, & Novitii: sed etiam alii cùm

cùm illis in communi viventes simili vestitu utuntur, ut Clerici, qui sunt Capellani Monachorum, & Laici administri, qui Monachis, vel aliis Religiosis inserviunt.

CIV. Quæritur hunc primò. Quibus modis, spectato Jure Canonico Decretalium, fieri possit Professio tacita? Resp. tres communiter modi assignari solent, ut tradunt *Azor p. 1. l. 12. c. 4. q. 3. Sanch. Lib. 5. mor. c. 3. n. 19. & seqq. Laym. Lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 1. & alii Dd. communiter.* Primus est, si quis sciens, & sponte habitum proprium Professorum, & patenter distinctum ab habitu Novitiorum susceperit, & per triduum gestavit, is tacitè Professus censetur, prout sumitur ex » *c. Ad nostram 38. h. t.* Nam cùm intellexisset Alexan- » der III. quòd quidam Eremitæ pueros quosdam » suasionibus induxerunt, ut statim Religionis habi- » tum in eorum Monasteriis susceperint, ex quibus u- » num T. nomine, statim pœnituit, quòd habitum in- » duisset, qui puellam quandam sibi sub juramento » desponsavit: sed Eremitæ noluerunt permittere, ut » illam in uxorem duceret. Ad hoc respondet Papa, » & mandat cuidam Canonico à se delegato, ut si con- » stiterit, quòd dictus T. ante completum XIV. an- » num, susceptum Religionis habitum deposuerit, aut » si post XIV. annum, habitum sine probatione susce- » perit, & intra triduum deposuerit, cum ab impeti- » tione Eremitarum liberum pronunciet, & uxorem, » quam se ducturum juravit, postquam exivit è Mo- » nasterio, liberè ducere permittat, si alia causa ra- » tionabilis non obstet. Ex quo per sensum contrarium infertur, quòd si prædictus T. post pubertatem com- pletam, habitum Religionis per triduum gestâsset, non potuisset uxorem ducere; quia censeretur tacitè Pro- fessus, *Abb. hic n. 3. not. ult.* Ratio est, quia dubitari potest, quo animo, seu intentione facta sit talis habitûs susceptio; ideo jura requirunt, ut per triduum habitus Religionis proprius sit gestatus, antequam præsumatur, quòd animo profitendi fuerit susceptus ille habi- tus, quod triduum non requiritur in Professione ex- pressa, seu verbali, quippe in qua ab initio constat de intentione profitendi, *Gl. hic V. Statim pœnituit, & Abb. n. 4.*

CV. Similiter in *c. Is qui 31. in princ. h. t. in 6.* » statuitur, quòd is, qui ante XIV. ætatis annum (com- » pletum) Religionem ingressus fuit, infra sequentem » annum (scilicet XV. ætatis suæ, adeóque post pu- » bertatem adeptam) liberè egredi, & ad sæculum » redire potest: Nisi postquam XIV. annum comple- » vit, Professionem expressam faciat in anno sequenti » (nempe XV.) vel habitum Religionis suscipiat, qui » dari profitentibus consuevit: vel Professionem à se » priùs (hoc est, ante XIV. annum) factam, expressè » ratam habeat. Ratio est, quia licèt Novitius per plu- res annos steterit in Religione, ante pubertatem, nisi tamen fecerit Professionem expressam, post puberta- tem, vel tacitam, per susceptionem habitûs Profesio- rum, vel Professionem factam, ante annum XIV. rati- ficaverit expressè, vel tacitè, liberè reverti potest ad sæ- culum, *Franc. hic n. 2. & 3.*

CVI. Porro circa primum hunc modum tacitæ Professionis: Notandum primò, si quis olim, ante an- num probationis exactum, per spontaneam susceptio- nem habitûs Religiosi, seu proprii Professorum, ac distincti ab habitu Novitiorum, tacitam Professionem emisit, is non obligabatur quidem, ad permanendum in illa Religione in specie: obligabatur tamen ad Reli- gionem aliquam in genere ingrediendam, ita ut si Re- ligio, cujus habitum suscepit, nimis stricta, ac rigida ipsi videretur, ad aliam laxiorem licitè transire posset, prout sumitur ex *c. Super eo 39. h. t.* Nam cùm qui- » dam Clerici Religionis habitum (Professorum pro- » prium, & distinctum ab habitu Novitiorum, *ut* » *patet ex Rubrica seu Summa hujus cap.*) suscepissent » (eo animo, ac voto, ut ad sæculum amplius non re di- » rent, ut notat *Gl. hic in casu, & V. Susceperunt*) sed » ante Professionem (expressam) editam, ad sæculum » rediissent: Consultus super hoc Papa Alexander III. » respondit: si isti austeritatem Religionis, ad quam » se contulerunt, servare noluerint, ad mitiorem Reli- » gionem transire sunt cogendi, nec amplius in Eccle- » siis sæcularibus recipi debent, ne votum Domino » factum (quo sæculo generaliter renunciârunt, *Gl. hic* » *V. Ne contra votum*) transgrediantur. Veruntamen » si ante susceptum hujusmodi habitum, durante pro- » bationis tempore, recedere voluerint, retineri non » debent, secundùm Regulam S. Benedicti 58. ut in » eadem veste, in qua venerunt, dimittantur. Ita ex- » plicat hoc cap. *Gl. hic in casu, & Abb. n. 2.* Idque ex- pressiùs habetur in *c. Constitutionem 33. §. In aliis h. t. in 6. de quo supr. n. 33.*

CVII. Notandum secundò. Si annus probatio- nis legitimè sit transactus, tum non requiritur, ut habi- tus Professorum proprius per triduum gestetur: sed so- la susceptio habitûs patenter distincti ab habitu No- vitiorum, tacitam Professionem inducit, prout sumitur ex *c. Ad nostram 38. h. t.* ibi: *habitum sine probatione su- sceperit, & infra triduum deposuerit*, & apertiùs ex *cit. c. 3. junct. Gl. V. Infra probationis, eod. in 6.* Ratio est, quia gestatio habitûs Novitiorum proprii per triduum requiritur, deliberationis, & probationis causâ, quæ tunc cessat, quando annus probationis præcessit, tunc enim censetur cum deliberatione susceptus habitus il- le, *Abb. in cit. c. Ad nostram; num. ult. Sanch. Lib. 5. c. 3. n. 24.* Professio verò tacita inducta per susceptio- nem habitûs Professorum proprii, post annum proba- tionis exactum, obligat ad illam Religionem in spe- cie, cujus habitus est susceptus: & non tantùm ad ali- quam in genere; quia *cit c. Constitutionem 3. h. t. in 6.* loquitur tantùm de Professione tacita, per susce- ptionem habitûs Religionis, infra annum probationis, factâ, quòd obliget ad aliquam Religionem in gene- re, *Abb. in cit. c. Ad nostram; num. 5. Sanch. cit. c. 3. num. 27.*

Notandum tertiò. Ad inducendam Professio- nem tacitam, per voluntariam susceptionem habitûs Professorum proprii, & manifestè distincti ab habitu Novitiorum, in quo per triduum perseverat, non re- quiritur, ut intra Monasterium gestetur: sed idem est, si extra deferatur, cum licentia Prælati, & sub ejus- dem obedientia, *Azor Lib. 12. c. 4. q. 3. §. Altero mo- do, Sanch. c. l. n. 25.*

CVIII. Alter modus tacitæ Professionis est, si quis anno integro, eòque continuo, habitum in Re- ligione gestavit, in quo nulla patens, seu manifesta est distinctio inter Professorum, & Novitiorum habi- tum, talis, exacto anno, censetur tacitè Professus, ut docet *Azor p. 1. l. 12. q. 3. §. Tertio modo, & alii Ca- nonistæ communiter.* Idque probatur inprimis ex *c. Ex*

» *parte*; 22. *h. t.* nam Episcopus quidam quèstus fuit » Honorio III. in Diœcesi sua nonnullos esse, qui » pluribus annis habitum Monachalem gestârunt: sed » professionem non ediderunt: Unde cùm de eo, » quòd proprium possideant; & non secundùm Re- » gulam vivant, ab Episcopo, vel aliis arguuntur, se » excusant, & dicunt, quòd ad carentiam proprii, & » continentiam, aliàsque observationes regulares, » non teneantur; cùm habitus non faciat Monachum, » sed professio regularis. Ad hoc rescribit Papa, & » mandat eidem Episcopo, ut quoslibet Lege Diœce- sanâ (id est, jurisdictionis; nam Regulares non subsunt Episcopo, quoad Legem Diœcesanam, *c. Cùm pro utilitate*; 34. *caus.* 16. *q.* 1. *Gl. hic V. Diœcesanâ*) subjectos, » qui ita diversis viis ingredi, non verentur, ut post- » quam per annum Monachalem habitum gestârunt, » per Ecclesiasticam censuram eos compellat, ut Re- » gulam, secundùm Ordinis formam, profiteantur, ac » servent. Hinc colligitur, quòd is, qui per annum ha- bitum Monachalem, quando habitus Professorum & Novitiorum sunt indistincti (*ut patet ex Rubrica seu Summa hujus cap. & explicat Innocent. ibid.*) gestavit, in fine anni censetur ipso facto sive tacitè professio- nem emisisse: & quidem præsumptione juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio, nisi ante ex- pletum annum probationis, protestatio præcesserit, se non gestâsse habitum, animo profitendi: imò potest etiam talis compelli, ut expresè profiteatur; *Gl. hic V. Per annum*, *& ibid. Joann. Andr. n.* 1. *& Barb. n.* 2. *Azor c. l.*

Aliud verò dicendum est, si habitus Novitiorum sit distinctus, ab habitu professorum, tunc enim quam- vis longo tempore, v. g. per 20. vel plures annos habi- tum Novitiorum gestavit, nunquam censetur tacitè professus, nec ad expresè profitendum Regulam co- gi potest, nec obligatus est, ad Religionem aliquam in genere, *Innoc. hic & Joann. Andr. num.* 3. *Fagnan. num.* 2.

CIX. Præterea in *c.* 1. §. *Quòd si*; *h. t. in* 6. de- » cernitur, qui ante XIV. annum Religionem est in- » ingressus, & per totum annum sequentem (scilicet » XV. ætatis suæ, adeóque in pubertate) gestavit ha- » bitum Novitiorum, non distinctum ab habitu pro- » fessorum (nec patenter, & sensibiliter, nec latenter, » seu occultè) tacitè professus censetur, vel si quam » priùs Professionem fecerat, ratam habuisse: nisi ta- » lem habitum etiam alii in Monasterio, qui nec Novi- » tii, nec Professi sunt, communem tamen vitam cum » iis ducunt (ut Capellani servientes, & sæculares Cle- » rici, *Gl. hic V. Communem*) gestare soleant, *Abb. in cit. c. Ex parte*; *n.* 3. *h. t. Sanch. Lib.* 5. *mor. c.* 3. *n.* 32.

» At verò si quis post XIV. annum, adeóque jam » pubes factus, habitum Religionis assumpsit, & per » annum (continuum scilicet, *Gl. margin. hic*) gesta- » vit, is ex tunc verè Religionem talem professus esse, » præsumitur, si habitus Novitiorum, & Professorum » omnino sint indistincti (id est, nec patenter, nec la- » tenter distincti, *Gl. hic V. Distinguuntur*) etiam si a- » lii, qui cum iis in communi degunt, similibus vesti- » bus utantur, qualibus Novitii, & Professi, prout » statuitur in *cit. c.* 1. §. *Qui verò eod. in* 6. Ubi etiam » ratio diversitatis assignatur; quia si pubes, qui dis- » cretionem rationis jam habet, habitum Religionis » assumpsit, & per annum integrum portavit, cense- tur eam approbâsse: secus est de eo, qui ante annum discretionis, seu pubertatis, habitum Regularem as- sumpsit, is enim non censetur ideo Religionem ap- probâsse, & consequenter nec tacitam professionem fecisse. *Abb. c. l. Sanch. c. l. n.* 33. Ubi notat, in eo differre casum posterioris §. *Qui verò*; à casu prioris §. *Quòd si*; *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. quòd in §. *Quòd si*, sufficit habitum, ante pubertatem assumi, dummodò post pubertatem anno integro portetur: at in §. *Qui verò*, exigitur, ut habitus post pubertatem assumatur, & per integrum annum gestetur.

Porro per habitus distinctos, seu dissimiles in- telliguntur hoc loco, sive Professis & Novitiis paten- ter, seu manifestè diversi habitus seu vestes dentur; sive latenter, & occultè; quia vestes Professorum be- nedicuntur, non item vestes Novitiorum: Sive ali- quid aliud fiat, per quod habitus Novitiorum à pro- fessorum habitu discernatur, prout habetur in *cit. c.* 1. §. *fin. h. t. in* 6. ut quia dantur à certis personis, vel in certis diebus, aut formis, *Gl. ibid. V. Aliud.*

CX. Denique in *Clement. Eos qui*; 2. *h. t.* statu- tur, eos, qui de inceps in ætate discretionis constitu- ti (scilicet XIV. in viro, & XII. in muliere, & requi- ritur pubertas completa, nec prudentia, vel malitia sup- plet ætatem, *Gl. hic V. Ætate*) Novitiorum habi- tum in aliqua Religione (per Sedem Apostolicam approbatâ, *Gl. hic V. Religione*) per annum (inte- grum, etsi non sit necesse, ut annum illum excesserit, *Gl. hic V. Per annum*; portaverint) hoc ipso, censendos esse, Religionem illam professos. Nisi hujusmodi habitus in colore, scissura, vel forma patenter, seu vi- sibiliter distinctus sit ab habitu Professorum.

CXI. Pro declaratione hujus Constitutionis Notandum primò, si habitus Novitiorum non paten- ter, seu manifestè: sed latenter solùm, sive occultè di- stinctus sit ab habitu Professorum, tum Jure novo professio tacita, per annalem delationem talis habitus, post pubertatem, inducitur, ut docet *Navarr. Com- ment.* 4. *de Regul. n.* 74. §. *Advertendum*; *Azor cit. c.* 4. *q.* 3. §. *Tertio modo.* Et quoad hanc partem esse cor- rectum Jus antiquum, sentit etiam *Suar. tom.* 3. *Lib.* 6. *c.* 19. *n.* 18. *in fine.* Nam olim requirebatur, ut ha- bitus Novitiorum nec patenter, nec latenter per so- lam benedictionem esset distinctus ab habitu Profes- sorum, ad inducendam tacitam professionem, *juxta c.* 1. §. *fin. h. t. in* 6. quod nunc limitatum est per hanc *Clement. in fine*, ad patenter distinctum, adeóque si- sola benedictione distinguantur, id non obstabit, quò minùs tacita professio fiat. At verò, spectato Jure an- tiquiore, si quis ante pubertatem susceperit habitum in- distinctissimum, eum scilicet, quo non solùm Profes- & Novitii: sed etiam sæculares, qui cum iis in com- muni vivunt, uti solent, non censebatur tacitè pro- fessus, licèt per annum, illum, etiam post pubertatem completam, gestaverit, *juxta cit. c.* 1. §. *Quòd si*; *n.* 2. *in* 6. Si verò post pubertatem susceperit habitum, etiam communissimum, & indistinctissimum, censebatur ta- citè professus *juxta cit. c.* 1. §. *Qui verò*; Et per hanc Cle- mentinam quoad utramque hanc partem jus anti- quum non est correctum; quia correctio jurium ve- tanda est, quoad fieri potest: hæc autem Clementina loquitur de habitu communi, & patenter distincto, non autem de habitu communissimo, seu indistinctis- simo, loquitur enim de habitu Novitiorum, habitui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

litem, qui est adeo communis, ut eo utantur etiam ii, qui nec Novitii, nec Professi sunt, non potest dici propriè habitus Novitiorum; & sic c. 2. *in 6.* non est correctum per hanc Clementinam, quoad habitum indistinctissimum, quæ intelligenda est juxta distinctionem traditam in *cit. c. 2. h. t. in 6. Gl. hîc V. Portaverint, Abb. in cit. c. Ex parte; n. 2. h. t. Sanch. c. l. n. 33. in fine, & Suar. cit. c. 19. n. 20.* contra *Navarr. c. l.* Ratio differentiæ est; quia impuberes semper censentur operari cum imperfecta deliberatione, & ideo si communissimum seu indistinctissimum habitum assumant, non eo ipso præsumitur, quòd ex intentione Status Religiosi illum assumpserint: Secus est de puberibus, qui cum matura deliberatione censentur operari, & habitum assumere; *Suar. c. l.*

Notandum secundò. In Religionibus, in quibus habitus Novitiorum non est patenter distinctus ab habitu Professorum, Novitii circa finem anni probationis, vel habitum deponere, & egredi: vel si Ordinis Regulam diutiùs probare velint; protestari debent, se non animo profitendi gestare habitum illum: sed tantùm ulterius probandi Religionem; quia talis protestatio non est contraria facto: sed declaratoria animi, quo fit actus; *Gl. hîc V. Per annum & V. Professionem, Sanch. c. l. n. 35. Laym. cit. c. 5. n. 1.*

CXII. Tertius modus taciræ professionis est, si quis habitum professionis gestet, & in eo actum Professorum proprium exerceat, v. g. in Capitulo suffragium ferat, is tacitè, seu ipso facto professus censetur, ita, ut ad contrarium probandum, non admittatur, nec regredi possit ad vitam sæcularem; prout sumitur ex *c. Vidua; 4. h. t.* quod est desumptum ex *Concilio Trib urien si c. 25.* Ubi dicitur, si vidua velum conver» sionis (seu professionis) quamvis non sacrum, (nam » velum Sacrum, quod consecrationis dicitur, solis » Virginibus imponitur, *juxta Gl. in c. Devotis; 11. » caus. 20. q. 1.*) sponte sibi imposuerit, (quamvis » illud etiam possit recipere ab Episcopo, *Gl. hîc V. » Imposuerit*) & in Ecclesia inter velatas, seu Mona» chas oblationem Deo fecerit, (quia nimirum olim consuetudo fuit in quibusdam Ecclesiis, ut velatæ, seu Monachæ panem offerrent, qui à Sacerdote pro Eucharistia consecrandus esset, *Gl. hîc V. Oblationem*) » habitum Sanctimonialium retinere cogitur, licèt » juramento confirmare velit, eâ intentione sibi ve» lum imposuisse, ut deponere possit. Consentit *c. Vidua; 34. caus. 27. q. 1.*

CXIII. Pro explicatione Notandum primò, Professio tacita non dicitur ob solam taciturnitatem, quasi ex ea sola consensus præsumi possit, id enim verum non est; quia in præjudicialibus sola taciturnitas, etiam scientis, & præsentis, non habetur pro consensu, ut tradit *Bart. in l. Quæ dotis; 34. n. 21. & seqq. ff. solut. matr.* sed præterea requiritur actus positivus, qui vel ex rei natura, vel ex juris dispositione significet consensum, *Barb. in c. Cum virum; 12. n. 3. h. t.* Ut in proposito, si quis post annum probationis completum, habitum Professorum proprium induat, vel ad Capitulum admittatur, & unum, vel alterum actum Capitularem exerceat, censebitur hæc tacita, id est, sine verborum figura, ipso facto edita professio.

Notandum secundò. Licèt aliàs, ea, quæ in animo latent, neminique sunt cognita, præter operantem, per juramentum probari possint, *arg. c. Si verò; 4. de sent. excomm.* ubi *Gl. V. Propriâ manu*, ait, soli juramento creditur, quando de conscientia alicujus dubitatur; id tamen solùm procedit in ambiguis seu dubiis factis, quando incertum est, quo animo aliquid factum sit: At verò in casu *cit. c. Vidua*, non erat dubium: sed per circumstantias extrinsecas satis determinatum, adfuisse animum profitendi, ex quibus oriebatur præsumptio juris, ac de jure, contra quam non admittitur probatio directa, *cit. c. Vidua, Abb. ibid. n. 5.* admittitur tamen probatio indirecta, si quis probare velit, aliquam ex conditionibus requisitis, ad eam præsumptionem inducendam, deficere, *Fagn. in cit. c. n. 9. & 10. & in c. Significatum; 11. n. 17. eod.*

CXIV. Notandum tertiò. Ad hanc tacitam seu præsumptam professionem plures conditiones, requiruntur, ut tradit *Joann. Andr. in cit. c. Vidua; n. 3. & Abb. ibid. n. 5. & Barb. n. 2. Sanch. cit. c. 3. n. 14. & seqq. & alii communiter.* Prima est, ut actus, per quem tacita professio inducitur, fiat auctoritate, & consensu ejus, qui potest ad Religionem illam admittere, nam sicut expressa professio non potest fieri, nisi in manibus habentis potestatem recipiendi, ita nec professio tacita; quia difficiliùs cognoscitur consensus tacitus, quàm expressus: quamvis non requiratur ad professionem tacitam, factum aliquod Superioris admittentis, sicut ad expressam: sed sufficit etiam sola scientia, & patientia ejus, qui potest ad Religionem admittere, *Sanch. c. l. n. 14. Suar. tom. 3. Lib. 6. c. 19. n. 16. in fine.* Secunda conditio est, ut hujusmodi professio fiat sponte, ita ut non metu, vel violentiâ ad eam sit adactus, ut patet ex *cit. c. Vidua*; ibi: *si sponte velum professionis &c.* si enim metus gravis, seu vis illata irritam reddit professionem expressam; *c. 1. de iis, quæ vi metusve &c.* multò magis tacitam. Tertia, ut exercens actum sciat eum, sive de jure communi, sive saltem ex statuto, aut consuetudine Religionis illius, esse proprium Professorum, & ab illis tantùm exerceri solitum, & per illum induci tacitam professionem alioquí enim si id ignoret, deerit consensus tacitè profitendi; ignorantis enim nullus est consensus. Quarta conditio est, ut habeat verum, ac positivum propositum, profitendi per exercitium talis actûs, neque enim satis est, se habere merè negativè, ita ut non habeat quidem animum profitendi: sed neque contrarium non profitendi; quia tunc deficeret consensus internus profitendi. Quare si quis certò sciat, se animum profitendi non habuisse, in foro conscientiæ non obligatur: sed cessante scandalo, aut graviore damno, potest Religionem deserere; nam quando de veritate constat, cessat præsumptio. In foro tamen externo, si quis habitu Religionis assumpto, exercuit actum proprium Professorum, & postea alleget defectum interni consensûs, non audietur, ut patet ex *cit. c. Vidua, Fagnan. ibid. n. 30.* nisi expressè protestatus sit, se actum hujusmodi non exercere, animo profitendi, tum enim non potest esse locus præsumptioni tacitæ professionis; quia tacitum tollitur per expressum contrarium, *Gl. fin. in cit. Clem. 2. h. t.* Quinta conditio est, ut exercens actum Professis proprium, sit constitutus in legitima ætate, ad validam professionem requisitâ, id est, ut pubertatis annos excesserit, *juxta c. 3. in fine h. t. in 6.* Præter has quinque conditiones, addunt aliqui sextam, nempe ut exercens actum proprium Professorum, per triduum perseveret in illo proposito, eùmque in-

terea actûs exerciti non pœniteat, *juxta c. Ad nostram; 8. h. t.* & expressiùs in *cit. c. 3. in fine eod. in 6.* Ubi nova & unica forma tacitè profitendi præscribi videtur, nempe per susceptionem habitûs proprii Professorum, intra annum probationis, *in ætate legitima, cum perseverantia per triduum*, neque ulla ibi fit mentio de exercitio actûs professis proprii, & nullibi in jure declaratum est, exercitium talis actûs æquivalere perseverantiæ tridui, & ita docet *Ioann. Andr. in cit. c. Vidua; n. 7. Suar. cit. c. 19. n. 14. & 2. seqq.* Verùm *Abb. in cit. c. Vidua; n. 6. & Sanch. cit. c. 3. n. 21.* putant, distinguendum esse: vel enim cum habitûs Professorum proprii, intra annum probationis, susceptione, simul exercetur actus proprius Professis, & tunc non requiritur perseverantia per triduum, *juxta cit. c. Vidua*, in quo nulla fit de triduo mentio; quia exercitium actûs competentis solis professis, susceptio priùs habitu eorundem, non minùs operatur, quàm perseverantia per triduum, duo enim vincula fortiùs ligant, quàm unum. Si verò alterutrum solùm fiat, id est, vel habitus Professorum proprius tantùm suscipiatur, vel exerceatur tantùm actus solis Professis conveniens, tum opus est perseverantiâ per triduum, *juxta cit. c. Ad nostram; & c. 3. eod. in 6.* Et hæc sententia videtur probabilior.

His adjiciunt aliqui septimam conditionem, ut exercens actum, qui à solis Professis fieri solet, sit adhuc Novitius, sive in probatione; nam sicut habitus Professorum proprius, susceptus à non Novitio, sive sæculari Clerico, extra Religionem, non inducit tacitam professionem, *c. 3. h. t.* ita nec actus proprius Professorum, exercitus à non Novitio, quia talis adhuc sæcularis, non censetur habere animum profitendi, alioqui intra Religionem talem actum exercuisset, *Io. Andr. in cit. c. Vidua; n. 3. & Abb. n. 7.* quos sequitur *Fagnan. ibid. n. 18.* Alii verò distinguunt: vel enim exercet quis actum proprium Professorum, sine proprio habitu eorum: & requiritur, ut sit Novitius adhuc in probatione existens, non item, si utrumque concurrat, ut in *cit. c. Vidua*; ubi nulla de Novitiatu fit mentio, *Silvest. V. Religio; 3. q. 19. §. Primo ergo, Navarr. Comment. 4. de Regul. n. 73. Sanch. c. l. n. 23.*

Cæterùm supradictæ conditiones requiruntur etiam, ad illum modum tacitæ probationis, quæ fit per delationem habitûs Professorum patenter distincti ab habitu Novitiorum, *Sanch. c. l. n. 24.*

CXV. Quæritur 2. An & quibus modis Professio tacita fieri possit, jure novissimo, post Concilium Tridentinum? Resp. Professiones tacitæ non sunt sublatæ per dictum Concilium, dummodò fiant, transacto probationis anno integro, eòque continuo, & completis XVI. annis ætatis profitentis, prout requiritur *Sess. 25. c. 15. & 16. de Regul.* in quibus aliàs nullum verbum reperitur, tollens Professiones tacitas. Quare si quis hodie, post legitimam ætatem, & expletum probationis annum, susceptio habitu Religionis, exerceat unum vel plures actus de jure vel consuetudine solis Professis competentes: vel gestet habitum Professorum, patenter distinctum ab habitu Novitiorum: vel habitum Novitiorum, patenter indistinctum ab habitu Professorum, licèt latenter, sive occultè sit distinctus, concurrentibus simul conditionibus jure antiquo, & novo requisitis ad tacitam Professionem, & nullâ interveniente protestatione in contrarium, ille censendus est, tacitam Professionem edidisse, *Navarr. Lib. 3. cons. 28. n. 5. h. t. Azor cit. c. 4. q. 6. Rodrig. tom. 3. q. 17. a. 1. & 2. Sanch. cit. c. 3. n. 36. Barb. in cit. c. Vidua; n. 3. Laym. cit. c. 5. n. 1. in fine, & alii.* Ratio est, quia casus omissus semper manet sub dispositione juris communis, *arg. c. Susceptum; 6. de rescript. in 6.* ac proinde Professiones tacitæ, si fiant servatis iis quæ Concilium Trident. de novo decrevit servari in Professionibus, de cætero validæ erunt, sicut olim erant ante dictum Concilium, cùm non sint revocatæ, illud addendum, cùm hodie post Concil. Trident. Professio tacita fieri non possit: nisi post expletum annum probationis, ideo non est opus, ut habitus Professorum patenter distinctus ab habitu Novitiorum gestetur per triduum: neque etiamsi alius actus Professis proprius in habitu eorum exerceatur, requiritur gestatio per triduum; quia is, qui post factam probationem per integrum annum, susscipit habitum Professorum proprium, satis significat, se habere animum deliberatum profitendi, *Fagnan. in cit. c. Vidua; n. 20. & c. Ad nostram; n. 5. & 6.*

§. IV.

De conditionibus requisitis ad legitimam Professionem.

CXVI. Assertio 1. Prima conditio requisita ad legitimam Professionem, sive expressam, sive tacitam, est, legitima ætas, ita ut Professio non obliget, nec valeat, si fiat ante legitimam ætatem, prout statuitur in *c. Nullus; 1. h. t.* quod est desumptum ex *Concilio Moguntino can. 23.* Ubi decernitur, nullus tondeatur (scilicet ad profitendum, ut fiat Monachus, *Gl. hic V. Eodem*; vel alius Religiosus) nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate, de quo postea. Est autem legitima ætas, spectato Jure antiquo, ætas pubertati completæ, nempe annus XIV. completus in masculo, & XII. in fœmina, neque enim sufficit annum illum esse inceptum, ut constat ex *c. 1. junct. Gl. V. Caperit, caus. 20. q. 1. c. 1. & 2. eod. caus. q. 2. c. Ad nostram; ibi junct. Gl. V. Ante consummationem, c. Significatum; 11. & c. seq. & c. Cùm simus; 14. h. t. & c. 1. in princ. vers. in 6. Gl. in cit. c. 1. V. In Legitima ætate; h. t.* secundùm Canones, eadem ætas etiam ad valorem matrimonii carnalis est necessaria. Verùm *Concilium Trident. Sess. 25. c. 15. de Regul.* statuit, ut in nulla Religione, seu virorum, seu mulierum, fiat Professio ante annum XVI. ætatis expletum.

CXVII. Porro circa hanc primam conditionem Notandum primò, etsi in matrimonio carnali malitia suppleat defectum ætatis, *c. De illis; 9. & c. fin. de desp. impuber.* Non tamen in matrimonio spirituali, quod contrahitur inter profitentem, & Religionem, traditi *Gl. ult. in c. Postulasti; 20. in fine h. t. & in Clement. 2. V. Ætate eod.* & ex communi docet *Sanch. Lib. 5. mor. c. 5. n. 2.* quia id non reperitur statutum jure positivo de Professione, sicut de matrimonio carnali: & ratio esse potest nimia Religionis austeritas. Deinde si quis ante pubertatem, Professionem edidit, debet eam post pubertatem expressè ratificare, juxta *c. 1. h. t. in 6. in princ.* At verò jure novo Concil. Trident. postquam annum probationis, & annum XVI. ætatis complevit, licèt in matrimonio ab impubere inito, non requiratur expressa ratificatio: sed sufficiat tacita

tacita; illud enim adveniente pubertate ratificari censetur, hoc ipso, quòd cohabitans cum puella non contradicit, ut tradit *Gl. in c. Litteras*; 4. *V. Placere de desp. impub.* si verò quis jam pubes factus Professionem ediderit: sed ante annum XVI. vel annum probationis exactum, sufficit, si postea, cùm ad profitendum habilis factus est, eam tacitè ratificet, exercendo v.g. actus Professorum proprios, dummodo sciverit priorem Professionem irritam fuisse, *Navarr. Lib. 3. conf. 27. h. t. Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 37. n. 49.* Ratio est, quia quòd Professio, quæ irrita fuit ob defectum legitimæ ætatis, expresè ratificari debeat, nuspiam in jure decretum reperitur, nisi facta sit ante pubertatem.

CXVIII. Notandum secundò. In quibusdam Religionibus, in quibus vita & conversatio valde aspera est, nemo admittitur ad Professionem, nisi plenam pubertatem, id est, XVIII. annum, *juxta l. Adrogato*; 40. *ff. de adopt.* sit assecutus, prout habetur in *c. Quia in Insulis*; 6. *h. t.* quod est desumptum *ex Regi-* » *stro Gregorii I.* ubi ita rescribit; quia in Insulis aspe- » ra est Monachorum vita, ideo pueros ante XVIII. » annum, ad Professionem admitti, prohibemus. Ratio est, quia adolescentes ante illam ætatem non censentur satis idonei, ad asperitates vitæ Religiosæ perferendas. Loquitur autem hoc cap. non de majoribus Insulis: sed de solitariis, & angustis mari circumdatis, ut notat *Abb. hîc n. 3.* quamvis hanc Constitutionem per contrariam consuetudinem, etiam in Insulis rigidis abolitam esse referat *Io. Andr. hîc & Silvest. V. Religio*; 3. *q. 2.* Porro in illis Religionibus, in quibus præcipitur, ut Novitii ad Professionem non admittantur, nisi annum XVIII. (ut in Ordine Minimorum seu S. Francisci de Paula) vel etiam majorem ætatem, v. g. XX. annum saltem attigerint, tale statutum quidem servandum est: non tamen, si priùs admittantur, ideo Professio debet irrita censeri, modò ea sit facta post annos pubertatis, vel jure novo post XVI. annos; quia in *cit. c. Quia*; nullum est verbum irritans Professionem ante XVIII. annum factam: sed solùm id prohibet, ut notat *Abb. ibid. n. 4. & 5. Silvest. c. l. q. 4. Sanch. Lib. 5. c. 4. num. 3.* & Concilium Trident. non præcepit, ut Professio fiat anno XVI. completo, & non postea: sed solùm prohibuit, ne fiat ante illam ætatem completam, ideóque statuta Ordinum, quæ majorem ætatem requirunt, ad profitendum, non comprehenduntur sub illo decreto, nec ei adversantur, *juxta declarat. Cardin. Conc.* apud *Fagnan. in c. 1. h. t. n. 15.*

CXIX. Assertio 2. Altera conditio requisita ad legitimam Professionem est, ut spontaneâ, seu liberâ voluntate sit emissa, *juxta cit. c. 1.* ibi: *& spontaneâ voluntate h. t.* alioquî enim si Professio facta sit ex coactione, aut metu gravi, seu cadente in virum constantem, injustè incusso, ipso jure saltem Ecclesiastico est irrita, ut deciditur in *c. Præsens*; 4. *caus. 20. q. 3. & c. 1. de iis, quæ vi &c.* & docet *Suar. tom. 3. de Relig. c. 4. n. 3. Sanch. Lib. 4. mor. c. 3. n. 9. & 19. & alii communiter*, sicut idem etiam statutum est de matrimonio carnali. Ratio est, quia per Professionem, seu vota Religiosa suscipitur novus & immutabilis Status, & obligatio, ideóque convenit, ut omnino spontaneâ, ac plenè liberâ voluntate suscipiatur.

CXX. Notandum hîc primò. Sicut metus reverentialis, propter imperium, vel preces parentis, vel Superioris, per se solus non reddit matrimonium irritum, ita nec Professionem, ut docet *Abb. in c. Cùm virum*; 12 *n. 8. h. t. Sanch. Lib. 4. de matr. dis. 6. n. 18.* Nisi tamen conscientiæ sint timidæ, vel timor malæ tractationis, vel preces importunæ, seu sæpiùs repetitæ, vel magna, & diuturna offensio ejus, à quo hominis vita, aut fortuna pendet, spectatâ etiam conditione, ac dispositione personæ, utrùm timida sit, hæc enim si jungantur reverentiæ, quæ Superioribus deferri solet, æquivalet metui gravi, *Sanch. cit. Lib. 4. dis. 7. num. 5. & 7. Less. Lib. 2. c. 17. n. 35. Laym. Lib. 4. Tract. 5. c. 5. n. 6.*

Notandum tertiò. Si constet Professionem expressam vel tacitam seu præsumptam ab aliquo editam esse, & postea opponatur defectus ætatis, vel coactio, aut metus illatus, vel aliud impedimentum irritans Professionem, tum probatio ei incumbit, qui impedimentum allegat, seu opponit, ut docent *Io. Andr. in c. 1. & Abb. n. 4. h. t. Fagnan. ibid. n. 26.* Ratio est, tum quia in dubio præsumendum est pro valore actûs, quòd legitimè factus sit, donec contrarium ostendatur, *c. Abbate*; 25. *de V. S.* tum quia possessio stat pro Professione, ipsâque Religione, quæ hactenus hominem, ut Professum suum, aluit, & habuit. Non prohibetur tamen etiam altera pars v. g. Monasterium probationes suas afferre, quibus ostendat, quòd Professus habuerit ætatem legitimam, vel quòd spontaneâ, ac liberâ voluntate Professionem ediderit, *arg. c. Super hoc*; 5. *junct. Gl. V. Resignationis de renunc. Abb. in cit. c. 1. in fine h. t.*

CXXI. Notandum tertiò. Etiam Professio ex errore, vel ignorantia, aut dolo, circa substantialia Religionis, emissa, est irrita, & quidem jure naturali; quia talis error, seu ignorantia omnino tollit consensum substantialem, ut colligitur ex *c. Cùm dilectus*; 6. *de iis, quæ vi &c. Suar. cit. Lib. 6. c. 5. n. 3. & 4. & n. 8.* secus est, si error vel ignorantia solùm sit circa accidentalia; quia tunc adest sufficiens consensus, *Suar. c. l. n. 6.* Hinc infertur, non esse irritam Professionem ejus, qui morbum contagiosum v. g. gallicum, vel similem interrogatus tacuit, quamvis si aperuisset, admissus non fuisset; quia cùm non sit impedimentum irritans Professionem, ejus ignorantia, seu error in admittente non censetur substantialis, *Sanch. Lib. 5. mor. c. 4. n. 57.* Neque idcirco in pœnam jam Professus expelli potest; cùm non videatur causa adeo gravis, *Sanch. c. l. num. 58.* quod tamen limitat *Cast. Pal. p. 3. dis. 2. punc. 2. §. 2. n. 4.* Nisi adhibitis remediis per annum morbus non curaretur; tunc enim poterit expelli, tum ob culpam deceptionis: tum ob periculum infectionis aliorum.

Notandum quartò. Tamersi coactio per vim, aut metum, irritam reddit Professionem, ut dictum, non tamen ingressum in Religionem, probationis causâ; quia hæc nullo jure reperitur irritata, sicut Professio coactè facta; quia aliàs, si hæc valida esset, indissolubilis foret, nec injuria facta reparari posset: secus est de Novitiatu, ex quo egredi licet, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 37. n. 51.* Infertur tamen gravis injuria etiam ei, qui ad ingrediendum Religionem cogitur: ideóque *Concilium Trident. Sess. 25. c. 18. de Regul.* excommunicat omnes illos, qui quamcúnque mulierem invitam cogunt, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, cujuscúnque Religionis, vel ad emittendam Professionem, quique ad hoc eidem actui

vel

vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem præstiterint.

CXXII. Cæterùm ex eo quòd Professio liberâ voluntate fieri debeat, sequitur, quòd facta à furioso, vel amente non valeat, prout sumitur ex *c. Sicut*; 15. » *h. t.* Nam Innocentio III. relatum fuit, quòd Sa- » cerdos quidam, cùm gravi morbo laboraret, & ex- » tra se positus de vita desperaret, à simplici Monacho » habitu Monachali fuerit indutus, & ad Monaste- » rium delatus, qui paucis pòst diebus, cùm inciperet » convalescere, habitu depositò, cum licentia Abba- » tis à Monasterio recessit, ideóque petiit à Papa, ut » posset in Sacerdotali Ordine liberè à Religionis jugo » ministrare. Respondet Papa, licèt hæc duo inter » se repugnantia videantur, quòd aliquis extra se posi- » tus sit, & de vita desperet: Si tamen ita est, uti as- » seritur, Sacerdotem illum, cùm habitu indueretur, » extra se positum fuisse, ideóque non percepisse, quid » ageretur, nec consentire potuisse, ipsum à Monasti- » co Ordine liberum esse pronunciandum: nisi post- » quam mentis suæ factus est compos, spontaneâ vo- » luntate Professionem Monachalem ediderit. Ratio » per se patet; quia furiosus, seu amens liberâ volun- » tate consentire non potest, ideóque Professio ab eo » edita, irrita fuit.

CXXIII. Ubi Notandum primò. Si quis alienus à mente Professionem facit, non sufficit ad hoc, ut verè Professus fiat, si postea ad sanam mentem rediens, & conscius Professionis à se emissæ invalidè, taceat, vel non contradicat, aut habitum non deponat: sed necesse est, ut de novo spontaneâ voluntate profiteatur, vel tacitè, nempe per exercitium actûs proprii Professorum, distincti ab habitu Novitiorum, ex qua præsumi possit de novo tacita Professio, juxta supra dicta, & colligitur ex *cit. c. Sicut in fine*, & docet *Abb. ibid. n. 4. Silvest. V. Religio*; 5. *q.* 2. *Azor cit. Lib.* 12. *c.* 2. *q.* 5. *Sanch. cit. Lib.* 5. *c.* 4. *n.* 53. *contra Hostiens. & Io. Andr.* Ratio est, quia talis Professio fuit omnino irrita, adeóque perinde est, ac si nunquam facta fuisset, & consequenter non potest, cessante amentiâ, ratificari, nisi per novam Professionem expressam, vel tacitam. Verùm jure novo Concilii Tridentini, non potest Professio ab amente facta ratificari, nisi ante amentiam, anno continuo in probatione steterit, & postquam ad sanam mentem rediit, denuo expressam Professionem faciat, vel tacitam, v. g. per assumptionem habitûs proprii Professorum, etiam sine gestatione tridui, juxta suprà dicta, & tradit *Sanch. c. l.*

Notandum secundò. Licèt is, qui repugnantia proponit, audiri non debeat, *c. Sollicitudinem*; 54. *junct. Gl. fin. de appell.* tamen ex æquitate Canonica Papa in *cit. c. Sicut*, annuit petitioni, sub conditione, si ea pars propositionis, ex qua petitio & conclusio rectè formata est, vera existat, videlicet, quòd dum mentis impos esset, habitu Monastico fuerit indutus, *c. Abb. in cit. c. n.* 2.

CXXIV. Assertio 3. Tertia conditio requisita ad valorem Professionis est, ut ea ab aliquo habente potestatem incorporandi Religioni, acceptetur, nomine ipsius Religionis, expressè, vel tacitè, sive ipso facto, aut per signa, ut ex communi docet *Gl. in c. Porrectum*; 13. *V. Non faciat habitus*; *h. t. & ibid. Abb. n.* 10. *Suar. tom.* 3. *Lib.* 6. *c.* 11. *n.* 1. *&* 2. *Sanch. Lib.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 62. *Laym. Lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 5. & colligitur ex *cit. c. Porrectum*, ibi: *& recipitur ab Abbate*, & ex *c. Ad Apostolicam*; 16. ibi: *Abbate per se, vel per alium Professionem recipiente*, & paulò pòst per Professionem emissam *pariter & acceptam*, *h. t.* Ratio est, quia Professio est contractus onerosus, reciprocus, sive ultro citròque obligatorius, quo Professus se Deo dedicat, & Religioni tradit: & vicissim ipsa Religio obligatur Religioso ad eum alendum, & tractandum, juxta Ordinis institutum, ideóque utriûsque partis consensus requiritur, sicut in aliis reciprocis obligationibus, seu contractibus, utriûsque contrahentis consensus exigitur, *l. in omnibus*; 55. *ff. de oblig. & act.*

Porro etsi consensus Superioris acceptantis Professionem, metu etiam gravi, & injusto extortus sit, non tamen ideo irrita est Professio, ut docet *Suar. cit. c.* 4. 19. *& seqq.* quia cùm metus reddat irritam Professionem, non jure naturali: sed positivo solùm, hoc autem nihil constituerit de metu incusso Prælato, seu Superiori Professionem admittenti, ideò non debet fieri extensio de uno casu, vel persona, ad aliam; præsertim cùm non sit eadem ratio, tum quia vis, & metus facilè infertur Adolescentibus ingredientibus Religionem, non item ipsi Religioni, vel ejus Prælato, nisi in casu valde raro: tum quia Professio ex parte ingredientis est longè difficilior, & onerosior, quàm ex parte ipsius Religionis acceptantis.

Quarta conditio ad Professionem requisita, fuit, ut licitè fiat, est, ut quis sit sui juris, & nulli alteri obligatione aliquâ obstrictus, ratione cujus impeditur emittere Professionem, sine ipsius consensu, de quo agemus §. *seq.*

§. V.

De illis, qui prohibentur ingredi Religionem, vel in illa Professionem edere, propter obligationem, quâ alii sunt obstricti.

CXXV. Assertio 1. Episcopus non potest Episcopatum deserere, & transire ad Religionem, in eaque Professionem emittere; quia est obstrictus suæ Ecclesiæ, sicut maritus uxori, unde sicut maritus non potest deserere uxorem, absque ejus consensu, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, sine consensu Papæ, qui omnium Ecclesiarum curam habet, & hunc consensum sibi reservavit, ut ex communi docet *Less. Lib.* 2. *de just. c.* 41. *n.* 24. Qui tamen talem licentiam concedere non solet, nisi Episcopus, ad officium exequendum sit inhabilis, ut colligitur ex *c. Licèt*; 18. *h. t.* & expressius ex *c. Nisi*; 10. *de renunc.* Id autem intelligendum est, de Episcopo consecrato, vel etiam electo, & confirmato, etsi consecratus non sit; quia talis est etiam sponsus Ecclesiæ suæ, cui sine licentia Papæ, renunciare non potest, *c.* 2. *de transl. Episc.* adeóque nec Professionem edere, quæ supponit renunciationem Episcopatûs, *Suar. tom.* 2. *de Relig. Lib.* 6. *c.* 8. *n.* 2. Aliud est, de electo tantùm, qui solùm est, & dicitur Episcopus, cum addito, scilicet electus, & nondum spirituali conjugio obligatus est Ecclesiæ, ideóq; etiam sine licentia Papæ, sicut renunciare Episcopatui: ita & profiteri in Religione potest, *Suar. c. l. n.* 1. Idémque dicendum de Episcopo consecrato, qui nullum Episcopatum habet; quia illi legitimè renunciavit, in eo enim cessat ratio prohibitionis, nempe obli-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ligatio alicui Ecclesiæ, quod est impedimentum assumendi statũ Religiosum; *Suar. c. l. n. 4.* at verò Episcopi titulares, aut relegati non possunt transire ad Religionem, & in ea profiteri, sine licentiâ Papæ; quia sunt alligati certæ Ecclesiæ, etsi per accidẽs, ob infidelitũ occupationem, vel ob Tyrannorum persecutionem, non possint actu præesse suo Episcopatui, *Suar. c. l. n. 5. arg. c. Post translationem, 11. de renunc.* nisi fortè impedimentũ sit perpetuum, sine spe aliquando recuperandi Episcopatum, *Palao cit. dis. 1. pun. 2. §. 5. n. 3.*

CXXVI. An autem Professio facta ab Episcopo electo, & cõfirmato, sit valida, dubitatur. Affirmat *Suar. c. l. n. 7.* quia talis Professio non reperitur irritata ullo jure positivo, sed tantùm prohibita: sed neq; ex natura rei est invalida, cùm vinculum Professionis, & Episcopatûs non sint formaliter incõpatibilia, ita ut unũ dissolvat alterum, ut patet in eo, qui ex Religioso Professo fit Episcopus; manet enim Religiosus; adeóque ex natura rei possunt simul consistere, licèt talis Professio quoad actum, seu exercitium, repugnans muneri Episcopali, sit impedita. Quæ sententia etsi speculativè sit probabilis: tamen absolutè probabilius est, talẽ Professionem esse irritã, sine licentia Papæ factã; quia cùm Ecclesia prohibeat, ne Episcopus gregem suum, cui se obligavit, deserat, sine Papę licentia, ideo Deus talem Professionem repugnantem Ecclesiæ non acceptat, ut docet *Laym in c. Nisi cùm pridem 10. de renun.* & dictum supra *li. 1. Tit. 9. n. 53.* Ad rationẽ contrariam respõdetur, per illam solùm probari, quòd status Religiosus, & Episcopalis non sint incompatibiles de jure naturali, seclusâ pròhibitione juris positivi. Quòd verò attinet ad alios Prælatos, Episcopo inferiores, etiamsi quasi Episcopalem jurisdictionem habeant, ij sine licentia Papæ Religionem ingredi possunt, & in ea profiteri; quia nõ sunt spirituali conjugio, seu perpetuo vinculo obligati Ecclesiæ, & ad munus Pastorale, neq; ullo jure prohibetur illis ingressus in Religionem: quamvis saltem ex decentia debeant petere licentiam à Papa, si illi immediatè sint subjecti, vel à Superiore Ordinario, si non sint exempti, ut Abbas ab Episcopo, *Suar. c. l. n. 14.*

CXXVII. Assertio 2. Si parentes in extrema necessitate sint constituti, tum filius, non tantùm tenetur differre interim Religionis ingressum, & multò magis Professionẽ, donec parentibus sit provisum de necessaria sustentatione, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 101. art. 4. ad 4.* & *q. 189. art. 6. in corp.* & alij communiter: sed etiam postquam Religionẽ ingressus, & professus est, tenetur egredi, ut extremæ parentum necessitati subveniat, ut ex communi docet *Less. cit. c. 41. n. 34. Suar. cit. Lib. 6. c. 9. n. 5. Sanch. Li. 4. mor. c. 20. n. 14.* quia ad subveniendũ cuilibet etiam extraneo in extrema necessitate cõstituto, Religiosus tenetur egredi è Religione, si nullus alius adsit, qui succurrere possit; non enim Professio potest impedire obligationem charitatis, & misericordiæ, quæ est præceptum juris naturalis, ac Divini. Si verò parentes gravi solùm necessitate, ac inopiâ premantur, tum debet quidem filius differre Religionis ingressum, aut Professionem: probabilius tamen est, quòd non teneatur, nec possit egredi, ad subveniendũ parẽtibus, gravi inopiâ laborantibus, sine licentiâ Prælati, sive ea necessitas præcesserit Professionem, sive post illam acciderit, *Sanch. cit. c. 20. n. 17. Rodriq. Tom. 2. qq. Regul. q. 58. artic. 3. Laym. Lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 2.* & alij: Ratio est, tum quia obligatio filij, subveniendi parentibus est præceptum affirmativum; ideóq; non obligat, nisi juxta circumstantias personæ, temporis, & statûs assumpti, ergo, si huic obligationi satisfacere non possit, spectato statu Religioso, cessat in illo obligatio: quare sicut filius conjugatus non obligatur ad succurrendum parentibus in gravi necessitate, nisi salvo statu conjugali; ita nec ad id obligatur filius, nisi salvo statu Religioso, qui requirit, ut sine Prælati licentia egredi non possit: Tum quia nullus tenetur subvenire necessitati alicujus privati; cum jactura boni communis: at certum est, ex obligatione exeundi è Religione, illàmquè deserendi, sine Prælati licentia, magnum spirituale damnum, tum ipsi egredienti, tum toti Comunitati regulari provenire posse, si quidem multi, qui parentes inopes habent, anxij hæretent, an non obligati sint, ex Ordine egredi, etiam sine licentia Prælati, ideóque Religio privari posset Religiosis suis, aliàs sibi utilibus, ac proinde huic majori bono, conservandi quietem in Religioso Ordine, meritò bonum privatum parentum cedere debet.

CXXVIII. Ubi notandum primò. Religiosus Professus, obligatus est parentibus in gravi necessitate cõstitutis subvenire, quatenus salvo statu Regulari potest; quia cùm Religiosus non desinat esse filius, non liberatur ab hac obligatione, saltem quatenus cum assumpto statu est compatibilis, alióqui non esset magis obligatus, ad subveniendũ parentibus, quàm alijs extraneis, quod dici non potest, *Sanch. cit. c. 20. num 18.* Quare omnes illas actiones potest, ac debet filius exercere, in subsidium parentum egentium, quæ statui Religioso non repugnant: quales sunt dimittere habitũ, & vivere extra obedientiam Prælati Regularis: imò etiam potest Religiosus, obtentâ licentiâ à Prælato, egredi è Religione, & degere extra Monasterium, saltem retento habitu regulari: quin etiam hunc deponere, cum licentia Papæ, si id ad subveniendum parentibus, censeatur simpliciter necessarium; quia quoad substantiã statum Religiosum retinet, & sub obedientia Prælati manet, *Sanch. c. l. n. 22.* Porro cessante necessitate parentum, filius, qui egressus est, redire tenetur ad Religionem; quia tunc causa dispensationis cessavit; *Sanch. c. l. n. 26.*

Notandum secundò. Professio facta à filio, cujus parentes, hoc est pater, vel mater, vel etiam alij ascendentes graviter indigent, illicita quidem est, sed non invalida, cùm jure nullo reddatur irrita. Nec obstat, quòd votum ingrediendi Religionem editum, durante illâ necessitate, sit irritum, ergo etiam Professio. Negatur enim conseq. disparitas est; quia tale votum est de materia, seu objecto illicito; at assumpto statu, & traditione factâ Religioni, non est illicitũ, perseverare in illa, sed sub præcepto, & ideò Professio non est de re seu objecto illicito, quamvis peccetur, dũ ponitur impedimentum obligationi, erga parentes exequendę, & mutatione statûs, quod ante erat illicitum, fit licitum, *Sanch. c. l. n. 10.*

Notandum tertiò. Quæ dicta sunt de filijs, quorum parentes graviter indigent, etiam locum habent in parentibus; quia hi adhuc strictiùs obligati sunt, ut non priùs Religionem ingrediantur, quàm filijs, quæ necessaria sunt ad sustentationem, & educationem, provideant, *S. Thom. cit; qu. 189. art. 6. in corp.*

quia parentes per se obligati sunt, ut curam gerant filiorum, quorum sunt causa, & principium : sed filij propter necessitatem, ut indicat Apostolus 2. *Cor.* 12. Quod verò ad fratres, & sorores attinet, multò gravior necessitas requiritur, ut propter illam ingressum Religionis diu quis differre, vel intermittere debeat, multò minùs privando se tanto bono, jam Professus Religione egredi tenetur, *Sanch. c. l. n.* 30.

CXXIX. Assertio 3. Servus nec ingredi Religionem : nec in ea Professionem emittere potest, sine consensu domini, alioquî furtum committit, injustè se subtrahendo domini potestati, & illum privando jure, quod in ipsum habet. Quare si servus, sine licentia domini, Religionem sit ingressus, intra tres annos à domino repeti potest, eique reddendus est, cum omnibus, quæ attulit, fide tamen acceptâ, de impunitate, quòd servus ideo non punietur à domino. Si autem intra triennium (computandum, vel à tempore scientiæ, quo dominus id scire potuit, vel à tempore probationis inchoatæ, sive assumpti habitûs Regularis, ut alij volunt) servus non fuerit repetitus, postea repeti non potest, etsi nondum Professionem emisit, nisi dominus sit tam longè absens, ut inveniri non possit : sed tantùm ea, quæ servus in Monasterium secum attulit, domino sunt restituenda, prout statuitur in *c. Si quis* ; 3. *caus.* 17. *q.* 2. *& ibi Gl. fin.* quia tunc favore Religionis, si dominus intra triennium non repetat, censetur tacitè consensisse, ut in illa remaneat, *Gl. in cit. c. Si quis* ; *V. Intra triennium* ; dummodo Religio bonâ fide ipsum receperit, ignorans esse servum, *Sanch. Lib.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 44. Neque etiam tunc ad aliam compensationem domino tenetur, si non fuit in mala fide, ut colligitur ex *cit. c. Si quis in fine*, *Sanch. c. l. n.* 45. Quòd si intra triennium, Professionem edat malâ fide, conscius servitutis, vel fingens se liberum, potest à domino in servitutem revocari ; ne ex fraude sua lucrum reportet. Si verò Religio admittens in culpa fuit, sciens esse servum, vel dubitans, non præmissâ debitâ diligentiâ, ad inquirendam veritatem, admisit servum, tenetur ipsa Religio domino satisfacere, solutâ æstimatione servi, alioquin si bonâ fide admisit, sufficit, si ipsum servum reddat domino, *Sách. c. l. n.* 47. *Suar. cit. Li.* 6. *c.* 6. *n.* 4. atq; hæc procedunt, non tantùm in veris servis, seu mancipijs : sed etiam in servis originarijs, & ascriptijs, sive colonis fundo ascriptis, *Sanch. c. l. n.* 48. Porro talis Professio à servo, intra triennium, sine consensu domini, facta videtur esse, non tantùm illicita, sed etiam invalida, ut docet *Azor p.* 1. *Lib.* 12. *c.* 1. *q.* 3. *Leß. cit. c.* 4. *n.* 31. *Sanch. c. l. n* 49. quia servus nõ potest se omnino tradere Religioni, invito domino, subijciendo se Prælati obedientiæ, cùm totus sit domini quoad actiones utiles. Contrariâ tamen sententiam, nempe validam esse, tenet, *Suar. cit. c.* 6. *n.* 3. *Palao*, & alij; cùm nullo jure positivo sit irritata.

CXXX. Assertio 4. Is, qui debitis est obstrictus, ex justitia obligatus est, priùs debita solvere, antequâ Religionem ingrediatur, alioqui ad eam admitti non debet, & multò minùs ad Professionẽ, *Sách. l.* 4. *mor. c.* 19. *n.* 2. Quòd si debitor nõ sit solvendo creditoribus, probabilis tamen spes sit, quòd intra paucos annos, v. g. tres, vel duos, manens in sæculo poterit satisfacere creditoribus, ex acquisitis arte, vel industriâ, tũ nõ potest ingredi Religionem, cum damno creditorũ, & multò minùs in illa profiteri : si verò non sit probabilis spes, satisfaciẽdi creditoribus, intra breve tempus, vel non sine magna difficultate, tum potest statim ingredi, & post annum probationis exactũ, Professionem edere, modò bona, quæ adhuc habet, cedat creditoribus inter illos, pro rata debiti, dividẽda ; quia tunc cẽsetur debitor moraliter impotens ad solvẽdum, *Navarr. Comm.* 1. *de Reg. n.* 8. *Sanch. c. l. n.* 7. *&* 8. Porro etsi debitor, professionem emittendo Religionem, reddatur impotens ad solvendũ, qui tamen in sæculo manens esset solvendo, Professio nihilominus est valida ; quia persona debitoris non est ita pro debitis obstricta, ut ipsa sit quasi serva creditorũ : sed tantũ obligata est, ad satisfaciendũ ipsis ex bonis suis : ergo traditio, per quam debitor se tradit Religioni per Professionẽ, est valida, etsi sit illicita, & injusta, quatenus cedit in præjudiciũ creditorũ, *Sách. c. l. n.*

Similiter obligatus ad ratiocinia reddẽda, spectans Jure communi, non potest ad Religionẽ admitti, nec ad Professionem, donec rationes sint reddítæ, siquidẽ publica sint ratiocinia, spectãtia ad officiũ publicũ ; secus si privatorũ, ut colligitur ex *c. Legem* ; *un. dist.* 53. *& can. de obl. ad ratioc. Sanch. c. l. n.* 19. Imò post Constit. Sixti V. editã contra gravatus ære alieno supra vires, vel reddẽdis ratiocinijs obnoxios, neq; ij, qui privata ratiocinia nondũ reddiderunt, ex quibus lis, & molestia oriri posset, ad mitti debẽt, de qua *Suar. Tom.* 3. *l.* 5. *c.* 7. *n.* 20.

CXXXI. Cæterùm circa qualitates, sive cõditiones requisitas ad legitimam Professionem, addendũ primò. Ut is, qui illam emittit, nõ sit excõmunicatus, etiamsi non ideo sit irrita Professio ; quia nullo jure irritatur, etiamsi sit nominatim excõmunicatus, ut colligitur ex *c. Cùm illorum* ; 32. *de sent. excomm.* quia Professio non est propriè, ac directè, acquisitio Beneficij, sed status, *Sách. Li.* 5 *mor. c.* 4. *n.* 36. *Az. cit. l.* 12. *c.* 3. *q.* 9. Secũdò. Professio simoniacè facta, licèt sit illicita, est tamen valida, ut colligitur ex *c. Quoniam* ; 4. *de simonia*, *Nav. Comm.* 4. *de Reg. n.* 25. *Sanch. c. l. n.* 39. Tertiò. Morbus, vel senectus non est impedimentum, ob quod Professio validè, & licitè fieri non possit ; quia obligatio ad tria substantialia voti Religionis, non indiget viribus corporis : sed solo voluntatis affectu : reliqua autem præcepta Regulæ non pertinent ad substantiam Religionis, nec obligant, si adsit justa causa excusans, *Sanch. c. l. n.* 52.

§. VI.

Ad quos spectat potestas admittendi Novitios ad Professionem?

CXXXII. Assertio 1. Spectato Jure communi, receptio, seu admissio ad Professionem pertinet simul ad Abbatem, seu Prælatum Religionis immediatum, & ad Conventum, seu Capitulum, ita ut non solum consilium, seu consultatio cum Capitulo sit necessaria ad receptionem Professi, ut putat *Abb. in c. Apostolicam* ; 16. *n.* 11. *&* 12. *h. t. Silv. V. Religio* ; *q.* 13. *&* 18. *dicto* 4. *Navarr. Comment.* 3. *de Regul. n.* 5. (Qui tamen addunt, quòd Prælatus non teneatur sequi consilium Capituli) sed insuper etiam necessarius est consensus, saltem majoris partis Capituli, alioquin receptio est invalida, ut docet *Gl. in c. ult. in casu*, *& V. Protineat* ; *h. t. in* 6. & ibi. *Joan. Monach. Leß. tit.* 41. *n.* 61. *Rodriq. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 7. ubi ait, hanc esse communem observationem omniũ Religionum, *Sanch. Lib.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 65. *Laym. Lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 3. Idque colligitur ex *c. Ea quæ* ; 56. *De his quæ sunt à Præl. &c.* Ubi requiritur consensus majoris, & sanioris partis Capituli, ut præsentatio, vel collatio per Abbatem facta, sit valida. Ita

tio est, quia agitur de re attinente etiã ad Conventum, ne aliquis in corpus Religionis, & aliorum consortium recipiatur, qui idoneus non est, & detrimentum alijs afferre potest, ideóque illius etiam consensus, vel saltem majoris partis, quæ totum Capitulũ repræsentat, est necessarius. Quare nec totum Capitulum, repugnante Prælato, neq; hic repugnante majore parte Capituli, potest aliquem ad Professionẽ admittere, *Sanch. c.l.n.68. & 69.* adeóque Professio facta retractari debet, si postea ostendatur, majorem partem Conventûs justè, & rationabiliter cõtradixisse, nec postea ratã habuisse, *Rodriq.c.l.* secus si irrationabiliter cõtradixisset, tum enim admissio à Prælato facta subsistit, cùm ratio dictet, ut in re dubia, seu controversâ membra Capitis potiùs ductũ sequantur, quàm vice versâ, *arg.c.Nullũ; 9.caus.18.q.2.* ubi dicitur, quòd tota cura Monasterij apud Abbatem est, ita tamen, ut consiliũ, vel cõsensum Capituli etiã exigat in ijs, quæ ad illud pertinent, vel in ejus damnum cedere possunt: ut ex dictis patet.

« CXXXIII. Assertio 2. Si creatio Monachi, seu » susceptio ad Professionem ad solum Abbatem, seu » Prælatum spectet (nempe ex speciali consuetudine » præscripta, vel privilegio, nam de Jure communi ad » utrumq; spectat) tum eo defuncto, adeóq; vacante » Prelaturâ, Conventus Monachũ creare, seu aliquem » ad Professionem admittere non potest. Sin autem ad » utrumque simul creatio Monachorum, seu receptio » ad Professionem pertineat, tunc Conventus, si Sedes » vacet, admittere potest ad Professionem, prout statuitur in *c.Si ad solum; 6. & ult.h.t. in 6. junct.Gl.in casu.* Ratio prioris partis est; quia quę jure speciali, & extraordinario conveniunt Prælato, ea Sede, seu Prælaturâ vacante, non transeunt ad Capitulum, sive Conventũ, *Franc hic n.1.* & patet ex alibi dictis. Sicut etiam mortuo Prælato, Capitulum nõ potest conferre Beneficia, quorum collatio ad solum Prælatum, seu Episcopum spectat, *juxta c.un.§.Cùm verò, ne Sede Vacante & c.in 6.* Idque extendit *Gl.in cit.c.ult. V. Creari in addit.* etiamsi Prælatus possit admittere ad Professionem: sed nonnisi cum consilio, aut consensu Conventûs, tamen eo mortuo, ea potestas non transit ad Capitulum, *arg.cit. §. Cùm verò*; quando jure speciali tantùm ea facultas convenit Prælato. Posterior pars etiam colligitur ex *cit. c. unic. in princ.* ubi hoc ipsum similiter statuitur, de collatione Beneficiorum, pertinente comuniter ad Episcopum, & Capitulum: creatio autem Monachi, sive receptio ad Professionem, est veluti quædam Beneficij, seu Tituli Regularis collatio: Multò verò magis poterit Capitulum, seu Conventus, vacante Prelaturâ, recipere Novitium ad Professionem, si potestas admittendi ex consuetudine, vel privilegio, ad solum Conventum spectet, *Gl. fin. in cit. c. ult. h. t. in 6.* ubi ait, quia de hoc non erat dubitatum, ideo fuit omissum. Itaque disposítio *cit. c. ult.* intelligi debet, ut procedat in eo casu, quo Prælatus, & Conventus in solidum, ac seorsim possunt creare Monachos, & admittere Professionem sine altero, tunc enim Conventus, etiam vacante Prælaturâ, id potest: secus si solus Prælatus id præstare possit, licèt non sine consilio, seu consensu Conventûs. *Sanch.cit.c.4.n.67.*

CXXXIV. Assertio 3. Non tantùm Prælatus Regularis immediatus: sed etiam Superior, ac mediatus, ut Generalis Ordinis, aut Provincialis, potest admittere ad Professionem Novitios subditos, etiam contradicente Superiore, seu Prælato immediato, dummodo id faciat cum consensu Capituli, seu Conventûs Monasterij, *Sanch. cit.c. 4. nu. 71. Pellizar. in man. Regul.tr.3.c.3.n. 8.* Ratio est, quia Prælati Superiores, ac mediati in potestate cumulativè concurrunt cum localibus, & immediatis Superioribus, & potestas admittendi ad Professionem in Prælatis Superioribus, ac mediatis eminenter existit, atque per illos inferioribus Prælatis communicatur, ita, ut hi saltem quoad usum, & exercitium ab illis dependeant. Et hinc potest Prælatus Superior, v. g. Generalis, aut Provincialis, potestatem admittẽdi ad Professionem, inferioribus Prælatis, ex justa causa, & casu speciali, ita restringere, ut ipso inconsulto, receptio facta ad Professionem sit irrita, *Sanch. c.l.Palao cit.disp.2.pun.3.n.5.* idq; sumitur etiam ex *c. Exiit 53.§.Verum quia; post medium de V.S.in 6.* Porro hæc procedunt de Jure communi, nisi aliud sit specialiter statutum in aliquo Ordine, ut in Societate Jesu, in qua omnis potestas admittendi ad Professionem, & vota Religiosa, est penes Generalem, qui illam communicat solis Provincialibus generaliter, ad acceptanda vota biennij Scholasticorum, & ad Novitiatum, *Sanch.c.l.n.72. Palao c.l.n.3.*

CXXXV. Dubitatur hîc præterea primò. An Episcopus possit admittere ad Professionem Novitiòs? Respon. Si Religio sit exempta, non potest; quia nullam jurisdictionem, vel superioritatem in illam habet: Si verò non sit exempta, potest Episcopus ad illam admittere, juxta Regulam à Sede Apostolica approbatam; quia est proprius Prælatus, ac Superior illius non minùs, quàm Abbas, vel Provencialis in Religione exempta: modò tamen id faciat, cum consensu majoris partis Conventûs, *Abb. in c. Porrectum; 13.n. 12. h.t. Sanch. cit. c. 4. n. 74.* Dubitatur secundò, de Abbatissa, an ad Professionẽ admittere possit Moniales? Resp. Affirmativè; quia hæc acceptatio non est actus Ordinis nec, jurisdictionis spiritualis, pertinentis ad Ecclesiæ claves, cujus incapax est fœmina: sed est actus cujusdam superioritatis, quam Abbatissa habet in Moniales sibi subjectas, *Azor cit. Lib. 12. c.5.quæst.6. Sanch. cit. c.4. n.76.* Dubitatur tertiò. An Prælatus excomunicatus vitandus, possit validè admittere ad Professionẽ Novitios? Resp. Affirmativè; quia acceptatio Professionis nõ est actus jurisdictionis propriè dictæ: sed Superioritatis, ut jam dictũ, *Sanch. cit. c. 4. n. 78. ubi n. 79.* addit, idem esse, si sit suspensus ab exercitio hujus admissionis. Dubitatur quartò. An potestas admittendi ad Professionem, possit alteri delegari? Resp. posse, prout sumitur ex *c. Ad Apostolicam; 16.* ibi: *per se, vel alium Professionem recipiente; h.t.*, ubi nulla fit distinctio, quoad personam delegatã, ac proinde non solùm simplici Religioso: sed etiam Clerico sæculari, imò etiam Laico ea potestas delegari potest, sicuti potest Beneficium, alterius nomine, Laicus acceptare, *c. 1. de procur. in 6. Sanch. c.l.nu. 77. Rodriq.Tom.3.q.17.art.12.*

CXXXVI. Addendum prædictis circa admissionem ad Professionem. Primò. Si Professio irrita sit, ob defectum solius potestatis in admittente, satis est ad ejus valorem, ut is, qui eam potestatem habet, postea admissionem illam ratam habeat; quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, juxta *Reg. jur. 10. in 6.* dummodo Professio acceptata sit, nomine habentis potestatem admittendi; quia aliàs non potest habere locum ratihabitio, *ratum enim habere quis non potest, quod ejus*

nomine non est gestum, Reg. jur. 9. eod. in 6. Et modò Professus, ante ratihabitionem factam, per contrarium actum priorem voluntatem non mutaverit. Incipit autem hoc casu valere Professio, primùm ab eo tempore, quo rata fuit habita à Superiore; quia ante illam deest consensus habentis legitimam potestatem acceptandi Professionem, *Silvest. V. Religiò; 3. q. 14 in fine, Rodriq. cit. artic. 12. Sanch. c. l. n. 80.* ubi addit, idem dicendum de Conventu, vacante Prælaturâ, admittente aliquem ad Professionem, nomine futuri Prælati, si enim is postea ratam habeat, valebit Professio.

Addendum secundò. Quæ hactenus dicta sunt de admissione ad Professionem: pari modo intelligi debent, de admissione ad Novitiatum; quia hæc prima admissio tota ad secundam ordinatur, ideóque penes quem est potestas admittendi ad Professionem, est etiam potestas admittendi ad Probationem, prout usus quoque Religionum ita observat, *Suarez Tom. 3. de Relig. Lib. 5. c. 10. n. 9.*

Addendum tertiò. Episcopus non potest ordinariè compellere Abbatem, vel Abbatissam, & Conventum ejus, ut ad Monasterium, alioquin sibi subjectum, aliquem, vel aliquam recipiant; quia hæc potestas regulariter spectat ad immediatum Superiorem Ordinis, & ejus Conventum, *Rodriq. cit. q. 17. art. 7.* Excipe, nisi in Monasterio, præsertim Monialium, Episcopo subjecto sufficiens numerus non recipiatur, etsi plures commodè sustentari possent, tunc enim, post monitionem, & terminum assignatum elapsum, potest Episcopus defectum, & negligentiam Monasterij supplere; cùm ad ipsum spectet cura, & solicitudo, etiam Monasteriorum. *Franc. in c. ult. n. 3. h. t. in 6.*

§. VII.

De Effectibus, & prærogativis validæ Professionis.

CXXXVII. Quæritur primò. Qui sint Effectus Religiosæ Professionis? Resp. Primus est, quòd solennis Professio dirimat, non tantùm matrimonium posteà contrahendum: sed etiam antea contractum, & nondum consummatum, de quo infra *Lib. 4.* ex instituto agendum. Secundus effectus est, si uterque Conjux, vel etiam unus tantùm ex illis, Religionem ingredi velit, alter verò votum continentiæ edere, in sæculo manens, permittendum est divortium, ita ut ab invicem, quoad cohabitationem, & torum separari possint, prout sumitur ex *c. Veniens; 19. h. t.* Nam cùm quædam mulier matrimonium » cum quodam viro in facie Ecclesiæ contraxisset, » & diu eidem cohabitâsset, inter ipsos dissensio orta fuit, adeo, ut neuter ab altero conjugij debitum » peteret, idque juramento uterque confirmaret: » hujus autem divortij causam vir assignavit, quòd, » antequam mulierem illam in uxorem duceret, » ejus amitam carnaliter cognoverit, quod licèt plurimi assererent, Ecclesiæ tamen super hac re, fides » facta non est (quod si probatum fuisset, matrimonium non tenuisset: sed separari debuissent, » *Gl. hic V. Cognovisset*; postea utérque ad secundas » nuptias tranlivit: sed posterior maritus mulieris » mortuus est, priore adhuc vivente, tunc mulier in » arcto loco se inclusit, & conscientiâ urgente, consilium ab Innocentio III. petijt: Is causam hanc » quibusdam delegans, declaravit, inprimis juramentum illud à viro, & muliere editum, fuisse illicitum, (ideóque non servandum; quia si Conjuges mutuo consensu renuncient debito conjugali, » merè, & sine justa causa, aut ex indignatione, & discordia, non valet talis renunciatio, *c. Tua; 24. de jurejur. Gl. hic V. Illicitum*) & mandavit, ut virum superstitem, prævia monitione, compellant, » ut eâ, quam superinduxit, muliere dimissâ, priorem mulierem recipiat: postea verò super matrimonio illo controversiam audiant, & cognoscant; » si verò contra matrimonium nihil fuerit probatum, & vir, sæculo relicto, maluerit ad vitam » Regularem transire, licentia ei danda erit, ut etiam mulier in suo proposito permanere possit.

CXXXVIII. Ratio decisionis hujus cap. est, quia, cùm isti Conjuges in facie Ecclesiæ contraxerint matrimonium, idque consummârint, non potuerunt temerè, & sine justa causa, se separare ab invicem, seu divortium facere, ideóque, vel Officio Judicis, vel ad petitionem alterius conjugis, statim redire grandum fuit matrimonium; quia hoc ipso quòd » nus petit recipi ab altero conjuge, & iste recusat recipere, censetur spoliari jure suo conjugali, ideóque statim restitui debet, & recipi, non obstante exceptione, de impedimento dirimente; quia spoliatus quasi possessione juris sui, ante omnia restituendus est, & quæstio de jure proprietatis, sive valore matrimonij postea agitur, & decidi debet, *juxta c. Transmissa; 8. & c. Litteras; 13. de rest. spoliat. Abb. hic n. 5.* Neque etiam poterant in casu hujus cap. Conjuges hi transire ad alias nuptias, prætextu impedimenti dirimentis; quia illud non erat notorium, neque etiam sufficienter probari potuit; quia quando agitur de valore matrimonij, non sufficit fama, ut apparet ex *cit. c. Veniens*; & ex *c. Si duo; 4. caus. 35. q. 6.* sed requiritur plena probatio, *arg. c. 1. de consang.* Neque etiam sufficit confessio impedimenti, ab utroque Conjuge facta, *Sanch. lib. 2. de matr. dis. 45. n. 32. & 33.* quia matrimonij vinculum est indissolubile, ideo non potest mutuo consensu, vel renunciatione Conjugum dissolvi: sicut alij contractus. Porro si in casu hujus cap. mulier se voto perpetuæ continentiæ obstrinxit, tunc etiam cogi potest, ut in eo perseveret, nec potest virum, volentem Religionem intrare, impedire, alioquî vero, illâ invitâ, vir intrare non potest; quia separatio, seu divortium non valuit, *Gl. fin. hic, fund. Gl. marg. lit. B. & ibid. Abb. in fine.*

CXXXIX. Tertius effectus Professionis est, quòd simplex votum ingrediendi certam Religionem, & in ea profitendi, tollitur per posterius votum solennè Professionis editum, in alia quacúnque Religione etiam laxiore, ut constat ex *c. Qui post; 5. h. t.* ubi dicitur: qui post votum à se, de certâ Religione intranda, emissum, postea aliam Religionem, quamvis laxiorem, ingreditur, & in ea profitetur, potest, non obstante priore suo voto, quippe cui tanquam simplici per secundum solennè (Professionis scilicet) est derogatum, licitè in eadem permanere: sed ob votum prius non impletum, pœnitentia eidem est imponenda. Ratio est, quia minus vinculum, scilicet votum simplex tollitur, & dissolvitur per vinculum majus, & fortius; nempe

pot

per votum solenne Professionis. *Ioan. Monach. hîc*: sicuti simplex venditio tollitur per alteram posteriorem venditionem, secutâ traditione, *l. Quoties* 3 5. *C. de rei vindic.* & sponsalia de futuro contracta cum una muliere dissolvuntur per sponsalia de præsenti, sive matrimonium posterius, contractum cum alia, *c. Si inter* 3 1. *de sponsa.* & *c.* 1. *de sponsa duorum*; quia matrimonium est majus, & fortius vinculum, quàm simplex promissio sponsaliorum: quamvis talis peccet, & injuriam inferat primæ sponsæ de futuro, si contra fidem ei datam, cum altera contrahat posteà per verba de præsenti, ut habetur in *citt. juribus*. Ita in proposito, si quis vovit certam Religionem ingredi, postea autem ingrediatur aliam, etsi laxiorem, & in ea profiteatur, is voto quidem priore libetatur, & Professio valida est; quia votum solenne Professionis fortius est vinculum, per quod vovens se ipsum tradit Religioni, & hæc jus in ipsum acquirit in perpetuum, ideóque per illud dissolvitur prior simplex promissio, seu votum, peccat tamen; quia minus præstat, quàm vovit, seu promisit *S. Thom. 2. 2. qu. 189. artic 8. ad 3. Sanch. Lib. 4. moral. c. 16. num. 16; Laym. Lib. 4. tract. 5. c. 6. n. 6.* & alij communiter.

CXL. Ubi notandum primò. *cit. c. pen.* intelligendum esse, non de eo, qui certam Religionem vovit ingredi, ut eam tantùm experiatur: sed ut in ea etiam perseveret, & profiteatur, tunc enim peccat profitendo in Religione laxiore; quia cùm teneretur profiteri in strictiore, non implet totum, quod promisit: sed votum prius in minus cõmutat, minúsve præstat, quàm vovit, *Sanch. c. l. n.* 17. Si verò quis vovit, ingredi Religionem strictiorem, tantùm probandi causâ, ille non peccat, profitendo postea in laxiore; quia licitè potest commutare tale votum in votum profitendi, aut in ipsam Professionem in Religione laxiore; quia ratione prioris voti non tenebatur permanere in Religione strictiore: sed solùm illam experiri, & si displiceret, egredi poterat: at verò ratione posterioris voti obligatur in Religione laxiore permanere, quod majus est, ac melius, quàm ingredi strictiorem, cum libertate iterum exeundi, adeóq; prius votum in posterius votum profitendi in laxiore, & multò magis in ipsam Professionem Religionis laxioris, commutari potest; quia votum non infringit, qui in melius commutat, *c. 3. de jurejur. Sanch. c. l. n.* 18. *Laym. c. l. num.* 7.

Notandum secundò. Is, qui vovit ingredi certam Religionem, non satisfacit voto ingrediendi Religionem laxiorem, quæ penitus collapsa est, quoad substantialia, nisi spes sit proximæ reformationis: secus est, si in illa substantialia serventur, etsi non ita strictè, prout Regula exigit, *Sanch. cit. c. 16. nu.* 13. & 14. Similiter, si quis post votum ingrediendæ Religionis editum, militarem Religionem ingrediatur, in qua in communi non vivitur, voto non satisfecit, *Sanch. c. l. n.* 11. & 12.

Notandum tertiò. Is, qui edidit votum simplex certæ Religionis, satisfacit voto, si in aliam æquè strictam se recipiat; quia secundùm probabilem sententiam, licitum est, votum, propriâ auctoritate, in evidenter æquale commutare, *Sanch. c. l. n.* 26.

Sed contra supra dicta objici potest: Professio in Religione laxiore, non est contraria voto ingrediendi Religionem strictiorem, & in ea profitendi, quod vel ex eo patet; quia ingressus Religionem laxiorem, & illam Professus, semper potest transire ad Religionem strictiorem, & in ea profiteri; ergo cùm talis Professio non sit contraria priori voto, non potest illi derogare, nec illud tollere. Resp. Quamvis Professio in Religione laxiore non repugnet voluntati, & proposito transeundi postea ad Religionem strictiorem, & in ea profitendi, ideóque tale propositum non tollat; quia in tali Professione tacitè includitur illa conditio, nisi placuerit ad strictiorem, & perfectiorem Religionem transire: repugnat tamen voto, seu obligationi profitendi in alia Religione, nam Professio in qualibet Religione, continet obligationem perpetuò manendi in illa, cùm per illam se quis tradat Religioni in perpetuum, dum vixerit, cui obligationi manifestè contrarium est votum, seu obligatio profitendi in alia Religione: ac proinde licèt Professio in Religione laxiore non excludat libertatem transeundi ad strictiorem, & in ea profitendi: repugnat tamen voto, seu obligationi ingrediendi Religionem strictiorem, & in ea profitendi, quod votũ, seu obligatio cùm sit simplex, ideo ei derogatur per posterius votum solenne Professionis in Ordine laxiore, adeóq; nec tenetur talis Professus transire ad Ordinem strictiorem, *Sanch. c. l. n.* 16.

CXLI. Quartus effectus, per Professionem, & quælibet etiam simplicia vota Religionis filiusfam. liberatur patriâ potestate; cùm Religiosus omnino transeat in potestatem Regularium Superiorum, non tamen in ijs, quæ in damnum Religiosi cedere possunt; quia quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendũ, *Reg. jur. 61. in 6. Sanch. Lib. 5. mor. c. 5. n. 29.* & 30. & alij apud ipsum. Quintus est, per Professionem omnia vota, & juramenta pia priùs edita, ipso jure, exspirant, prout sumitur ex *c. 4. De voto*; de quo infra.

Sextus effectus est, per Professionem in Religione tollitur irregularitas proveniens ex defectu Natalium, quoad Sacros Ordines suscipiendos: non autem quoad Prælaturas, nec ad Beneficia curata, sine dispensatione, *Sanch. c. l. nu. 9.* de quo alibi dictum. Septimus est, per Professionem tollitur macula, seu inhabilitas ad actus temporales, ita ut damnatus de crimine perjurij v. g. vel furti, adhiberi possit, ad testimonium ferendum, aliósque actus legitimos, ut colligitur ex *Auth. de Monachis collat. 1. in princ. Sanch. c. l. nu.* 27. Octavus, est plenissima omnium peccatorum, antea cõmissorum, remissio, non quoad culpam, neque enim peccatorum culpas delet, cùm non sit Sacramentum: sed quoad pœnam temporalem correspondentem eis in purgatorio, si Professus tunc sit in gratia DEI; quia dum homo se totum, & omnia DEO per vota Religionis offert, & consecrat, tantum præstat, ut plus præstare non posset, & ideò plenissimè pro peccatis satisfacit, *Sanch. c. l. n. 2.* & 3. plures alij effectus Professionis sunt supra allati.

CXLII. Quæritur secundò. An per solennem Professionem amittatur Nobilitas Professi: Respon. non amitti, ut docet *Sanch. Lib. 7. mor. c. 12. n. 13.* & alij apud ipsum; quia Nobilitas proveniens ex natalibus, sive ex familia descendẽte ex majoribus, seu Illustribus est quoddam jus sanguinis, ac proinde naturale, & incommutabile, juxta *l. Jus agnationis* 3 4. *ff. de pact.* & ita etiam decidit Rota Romana, ut refert *Sanch. c. l.* Nec obstat, quòd Religiosus sit mortuus

mundo; quia non est mortuus quoad amissionē juriū naturaliū: sed solùm quoad contemptum illorū, & quoad possessionem propriæ voluntatis, & bonorum temporalium; Neque etiam obstat *Text. in c. Scripsit*, 26. *caus.* 27. *q.* 2. quia ibi solùm dicitur, per Professionem amitti Nobiles dignitates sæculares, ut Ducatum, Comitatum, quippe quæ per Professum administrari non possunt, *Sanch. c. l.*

§. VIII.

De indissolubilitate Professionis Religiosæ?

CXLIII. Quæritur primò. An, & quomodo Professio sit indissolubilis, tum ex parte Profitētis, tum ex parte Religionis? Resp. primò. Vinculum Professionis, ex parte Profitētis, est omnino indissolubile, ita ut solâ voluntate ipsius nunquam dissolvi possit. Est cōmunis & certa sententia apud *Suar. Tom. 3. de Rel. l. 6. c. 14. n. 2.* Probatur, tū quia Religiosus per Professionem se donat Religioni, donatio autem alteri facta non potest revocari, invito donatario: tum quia fit etiam servus Religionis, servus autem non potest, propriâ auctoritate, se asserere in libertatem: tum denique ideo Religiosi sunt Apostatæ, si Religionem deserant.

Resp. secundò. Professio Religiosa non potest, etiam ex parte Religionis, dissolvi quoad vinculum, ita ut Religio possit Professum, etiam invitū, dimittere, *Suar. c. l. n. 3.* idq; constat ex praxi Ecclesiæ, nam Religiosus quantumvis ejectus in perpetuū, manet tamen vinculo Religionis obstrictus, ita ut cogi possit à Religione, vel saltem à Papa, ut ad Religionem revertatur. Ratio est, quia Professio fit per contractum mutuum, & onerosum inter Profitentem & Religionem, quæ se obligat absolutè, & simpliciter ad alendum, & regendum Religiosum, ideóque non potest illum invitum solâ suâ voluntate dimittere.

Resp. tertiò. Sed neque mutuo consensu utriusque, Religionis, & Religiosi Professi, potest dissolvi vinculum Religionis, *Suar. c. l. n. 7.* ex communi, & patet ex usu, & traditione omnium Religionum: & in Ecclesia, non solùm non admittitur dissolutio vinculi Religiosi: sed neque quoad actualem subjectionem, & unionem Religiosi cum Religione, per modum mutuæ conventionis, seu pacti, sed solùm per modum justæ pœnæ.

CXLIV. Quæritur secundò. An, & quando Professio, quoad vinculum possit dissolvi per potestatem S. Ponrificis? Resp. Potest Papa per legitimam dispensationem relaxare vinculum Professionis, ita ut qui hactenus fuit Religiosus Professus, postea non sit Religiosus, neque votis ampliùs obstrictus, ut docet *Suar. tr. 3. Li. 6. c. 16.* & *c. 17. n. 5*, *Sanch. Li. 8. de matr. dis. 8. n. 7.* & alij communiter contra *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11.* Probatur, tum quia sæpius in hoc dispensārunt SS. Pontifices, prout videre est apud *Baronium anno Christi* 1041. & *Suar. cit. c. 17. n. 6.* tum quia Papa ex communi omnium Dd. sententia, potest dispensare in votis simplicibus, ergo etiam in votis solennibus; quia voti solennitas solùm Ecclesiæ Constitutione est introducta, *c. un. de vot. in* 6. Tum quia Petro, & ejus Successoribus universalissima potestas solvendi à Christo est tradita, *Matt.* 16. ac proinde quidquid naturâ suâ insolubile non est, per publicam potestatem, vel ab ipso Christo nō est prohibitum solvi, potest Papa solvere, Professio autem neutro modo est insolubilis. Nec obstat ratio S. Thomæ, quòd solennitas voti consistat in quadam cōsecratione, seu benedictione: non potest autem, quod semel sanctificatum est Domino, in alios usus profanos cōmutari: quia hoc verum est, quamdiu consecratio manet: potest tamen per Ecclesiæ auctoritatem fieri, ut res cōsecrata desinat esse consecrata, v. g. ut ex Calice consecrato, destructâ formâ, sed manente materiâ, fiat non consecratus. Simili modo non potest quidē S. Pontifex dispensare, ut Professus manens Religiosus, votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ non sit obstrictus; quia hæc ad essentiam Religionis pertinent, ut habetur in *c. Monasterium*; 6. *de stat. Monach.* potest tamen ex justa causa dispensare, ut ex Professo fiat non Professus, sive ut desinat esse Religiosus, seu votis obstrictus, *Sanch. c. l. n.* 10. Neque verò status Religiosus in aliqua consecratione consistit, distinctâ ab ipsa votorum obligatione, quę tolli potest per dispensationem, ut patet in voto annexo Ordinibus, & cōsequenter etiam consecratio, *Les. Li. 2. de jus. c. 40. n. 114.* Porro ad dispensandum cum Professo, ut matrimonium contrahere possit, requiritur gravissima necessitas, sive causa boni publici, nec sufficit bonum privatum ipsius Professi, ut v. g. vitetur periculum probabilissimum voti transgrediendi; quia talis dispensatio non potest fieri sine notabili detrimento status Religiosi, cuius bono non debet præferri bonum alterius privati, *Sanch. cit. dis. 8. n. 8.*

CXLV. Quæritur tertiò. An vinculum Professionis dissolvatur per promotionem Professi ad Episcopatū? Resp. non dissolvi, ita ut Episcopus omnibus tribus votis Religiosis maneat obstrictus, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Les. l. 2. c. 40. n. 113. Sanch. l. 6 mor. c. 8. n. 2.* & alij cōmuniter. Probatur; quia status Religiosus, quoad suam substantiam, nō pugnat cum statu Episcopali, nec ipsum dedecet, sed vel maximè juvat. Et quidem quoad votum continentiæ nō est dubium: votum autem obedientię manet in substantia: imò etiam in effectu erga S. Pontificem, tanquam Supremum omniū Religionum Ordinum Generalem, cui speciali voto obedientiæ tenentur obedire, præter obedientiam generalem, ab omnibus fidelibus debitam. Sed neque eximitur à voto paupertatis Professus Religiosus factus Episcopus; quia non fit dominus bonorum, seu redituum Ecclesiasticorum: sed solùm administrator, neque acquirit jus successionis in bonis patrimonialibus per assumptionem ad Episcopatū: sed illud antea habebat existēs in Religione, ita tamen ut jam omnia quæ acquirit, non Religioni: sed Ecclesiæ suæ Episcopali acquirat, juxta *c. un. caus.* 18. *q.* 1. quòd si Episcopus assumptus sit ex Ordine Mendicantium, extincti quidem aliquo modo fuit jus successionis: sed per promotionem ad Episcopatum revivisci, in commodum suæ Ecclesiæ, cui acquiritur dominiū rerum sic obtentarum, ipse verò habet earū administrationem, *Les. c. l. n. 113. in fine Sanch. c. l. Azor. p. 1, Lib. 12. c. 7. q. 2. & 3.* Porro cèt Religiosus Episcopus factus, tanquam in culmine Magisterij cōstitutus, liberetur a jugo Regulæ, *cit. can. caus.* 18 *q.* 1. ita ut à culpa, & pœna sit immunis, si nō servet: ex honestate tamē, & morali decētia, debet observare Regulā Ordinis sui, in ijs, quæ Dignitatem Episcopalem nō dedecent: sed cum ea bene consistūt, *Azor. c. l. num. 4. Sanch. cit. c. 6. n. 16. & 2. seqq.* Multò verò magis Religiosus, assumptus ad regimen Parochialis Ec-

cle-

cleſiæ, manet votis Religionis obſtrictus; quia & Regulam Ordinis ſui ſervare debet in omnibus ijs, quæ cum paſtorali munere, & laboribus conſiſtere poſſunt, & quidem ſub obligatione ad pœnam, imò & culpam, ſi Regula ita obliget, *Sanch. cit. c. 6. n. 36.*

CXLVI. Quæritur quartò. An Profeſſus poſſit præſcribere contra Profeſſionem à ſe emiſſam, & ſic ab illa ſe eximere? Reſp. Profeſſus Religionem, quamvis longo tempore in ſæculo maneat, imò nunquam intra Clauſtrum Religionis ſe receperit, & bona, quæ antea habuit, tanquam propria retineat: nunquam tamen contra Religionem præſcribere, aut vinculo Profeſſionis, quo ſe voluntariè obſtrixit, liberare ſe poteſt, *arg. c. Quod DEO; 4. cauſ. 33. qu. 5.* Ubi dicitur, quòd votum debet ſervari perſeverantèr uſque ad finem vitæ. Idque ſumitur ex *c. Sicut nobis; 17. h. t.* » Nam cùm quidam Clericus gravi ægritudine laboraret, ac de vita ſua deſperâſſet, habitum Canonicorũ Regularium petijt, & accepit; ſed neq; ad Eccleſiam Regularem tranſijt: nec bonis ſuis tanquam proprijs uti ceſſavit, ſcientibus Epiſcopo, & Canonicis Eccleſiæ Nazarenſis, à quibus habitũ ſuſcepe-» rat (unde tenebantur eum revocare, *Gl. hîc V. Et ſcientibus*) Conſultus de hac re Innocentius III. reſpondit, ſi dictus Clericus Regularem habitum petijt, & accepit, & ad obſervationem Religionis canonicæ, ſuâ ſe Profeſſione (expreſsâ, vel tacitâ, *Abb. hîc n. 4.* nam ſolus habitus non facit Monachum, *Gl. hîc V. Suâ ſe Profeſſione*) obligavit, per Eccleſiaſticam cenſuram cogendum eſſe, ad reaſſumendum habitum; nam quòd tanto tempore, extra vitam canonicæ obſervationis manſit, nõ in excuſationem ejus: ſed in majoris tranſgreſſionis augmentum meritò allegari poteſt. Ratio eſt, quia nullus annorum curſus, ſeu diuturnitas temporis excuſat in malefactis: ſed potiùs culpam auget, propter perſeverãtiam in malo; *Auth. Ut nulli Judicum &c. §. 1. verſic. Neq; verò. collat. 9.* ubi dicitur, *Malè adinventa, neque ex longo tempore confirmantur.* Et in *l. Inficiando; 67. §. Infans; ff. De furtis*; dicitur, *Et quid tam ridiculum, quàm meliorem furis conditionem eſſe, propter continuationem furti. Gl. fin. hîc.* Quare contra bonum obedientiæ, & contra Profeſſionem ſuam non potuit hic Religioſus præſcribere, ullo unquam tempore; quia ſemper fuit in mala fide, *Gl. hîc in notat. & Abb. n. 3.* & conſtat ex *l. 1. C. de ſervis fugit.* Putant tamen *Hoſtienſ. hîc V. Habitum, & Ioan. Andr.* & alij. Clericum hunc, non tantùm ſuſcepiſſe habitum Profeſſorum: ſed etiam Profeſſionem expreſſam feciſſe, *ut colligitur ex ſumma hujus cap. & ex ipſo Textu.*

CXLVII. Præterea ex hoc c. colligitur primò. Quòd Profeſſio emiſſa in gravi infirmitate, ac in mortis articulo obliget Profitentem, modò ſit adhuc mentis compos: idémq; eſt de matrimonio carnali, *Abb. hîc n. 2.* Colligitur ſecundò. Delictum ſubditi nõ excuſari, ob patientiam, & tolerantiam Superioris, *cit. c. Sicut*; ibi, *videntibus, & ſcientibus Epiſcopo &c.* Colligitur tertiò. Si Profeſſus iſte in ſæculo mortuus fuiſſet, Monaſterium in bonis ejus ſucceſſiſſet, eáq; vindicare potuiſſet; neque enim negligentia Prælati, qui eum non compulit, redire ad Monaſterium, obeſſe debet Eccleſiæ, ſeu Monaſterio, *Abb. hîc n. 6. contra Gl. hîc V. Et ſcientibus.*

§. IX.

An is, qui invalidè profeſſus eſt, teneatur ratificare Profeſſionem, & quæ requirantur, ad ratificationem Profeſſionis invalidæ?

CXLVIII. Aſſertio 1. Is, qui invalidè profeſſus eſt, etſi nequeat in foro externo probare impedimentum irritans Profeſſionem: non tamen tenetur illam ratificare, ſive bonâ fide, & ſine culpa ſua: ſive malâ fide, & culpâ ſuâ, v. g. fictè ſit profeſſus, ut docet *Sanch. Lib. 7. de matrim. diſ. 37. n. 38. & 39. Pellizar. in man. Præl. tr. 3. c. 1. num. 48.* & alij communiter. Ratio eſt, quia Religioſus ſtatus, eſt tam arduus, & ſublimis perfectionis, ut ſpontaneum, ac liberum conſenſum requirat, nec ullus invitus, etiamſi ob culpam ſuam Profeſſio fuerit irrita, cogi poſſit, ad illam ratificandam. Et licèt voluntatem habuerit profitendi, ſaltem exteriùs, & apparenter; quia tamen illa voluntas inefficax fuit, & nulliùs effectûs, ob impedimentum dirimens, vel defectum veri conſenſûs, non poteſt quis, vi illius, obligari ad obſervandum, quòd per talem Profeſſionem promiſit, nec ad denuò profitendum in foro conſcientiæ, & ſecluſo ſcandalo: quamvis, quia ſecundùm præſumptionem fori externi, talis Profeſſio habetur pro invalida, in illo foro cogi poſſit, ad obſervandum ea, ad quæ verus Profeſſus obligatur: de qua re plura videri poſſunt *apud Dd. citt.*

CXLIX. Aſſertio 2. Ad ratificationem Profeſſionis invalidæ requiritur primò. Ut ratificans ſciat Profeſſionem à ſe factam, irritam fuiſſe; *Azor. Lib. 12. c. 4. q. 7. Sanch. cit. diſ. 37. n. 59. Leſs. Lib. 2. c. 41. n. 65. Suar. Li. 7. c. 1. n. 4. Laym. cit. c. 5. n. 9.* quia ignorãtis nullus eſt conſenſus, & incogniti nulla voluntas. Excipe, niſi expreſsè apud ſe ſtatuat, ſe velle Profeſſionem à ſe emiſſam, eſſe validam, etſi fortè ab initio valida non fuiſſet, *Leſs. c. l.* Secundò requiritur novus conſenſus, per quem Profeſſio invalidè emiſſa ratificetur, & iterum edatur; cùm ſit nova Profeſſio, adeóque novâ intentione, ſeu voluntate fieri debet, *Sanch. c. l. n. 59.* Poteſt autem hæc ratificatio Profeſſionis fieri, vel expreſsè, vel etiam tacitè, & ipſo facto, permanendo v. g. in externo habitu Regulari, & ſub obedientia Religioſa, poſtquam ſcivit Profeſſionem priùs editam, fuiſſe irritam, *Suar. cit. c. 1. n. 6.* Nec obſtat *c. 1. in princ. h. t. in 6.* Ubi requiritur, ut Profeſſio priùs facta expreſsè rata habeatur. Nam ibi ſermo eſt, de caſu ſpeciali, nempe de eo, qui Profeſſionem emiſit, ante annos pubertatis completos; is enim ſtatim poſt expletum annum XIV. priorem Profeſſionem invalidam, ratificare nõ poteſt, niſi expreſsè: ſi verò poſt pubertatem expreſsè non ratificavit, poterit illam ratificare tacitè per integrum annum, poſt pubertatem eõpletam, deportando habitum Profeſſorum proprium, ut conſtat ex *eod. c. 1. Suar. c. l. n. 7.*

Tertiò. Communiter requiritur ad ratificandam Profeſſionem invalidam, nova acceptatio Prælati Regularis, conſcij nullitatis prioris Profeſſionis, ut ex tutiore, & probabiliore ſententia docet *Azor. c. l. Sanch. Li. 9. de matr. diſ. 37. n. 62.* Ratio eſt, quia Profeſſio eſt contractus mutuus, ſive mutua Religioſi, & Religionis obliga-

ligatio, sicut ergo, ut revalideturProfessio irrita, requiritur nova traditio Professionis, conscij nullitatis prioris Professionis: ita etiam nova Superioris acceptatio necessariò requiretur. Quamvis oppositum etiam sit probabile, ut censet *Sanch. cit. dis. 37. n. 64.* nempe non requiri novâ acceptationē, factam ab imediato Superiore Ordinis: sed satis est, quòd talis Professio sit acceptata per Papā, qui est SupremusGeneralis omniū Ordinum, *juxta c. Significatum*; 11. *h. t.* & *in c. 1. in princ. eod. in 6.* Ubi statutū est, Professionem irritam, defectu legitimę ætatis, convalescere per ipsius Professi ratificationem, vel annuam delationem habitûs Professorū, absque alia nova acceptatione ipsius Religionis.

§. X.

De iure, seu facultate reclamandi adversûs Professionem invalidam.

CL. De hac re extat Decretum Concilij Tridentini *Sess. 25. de Regul. c. 19.* in hæc verba: Quicúnque Regularis prætendat, se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velítque habitum dimittere, quâcúnque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur: nisi intra quinquennium tùm à die Professionis: & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si autem habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcúnque causam admittatur: sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Ita Concilium *c. l.* Circa quod Decretum plures occurrunt quæstiones hîc expediendæ.

CLI. Quæritur primò. An omnes Regulares possint reclamare contra Professionem invalidam? R. affirmativè, ut patet ex illa particula Decreti, *quicúnque*, quæ est particula universalis, adeóq; cōprehendit omnesReligiosos, etiâ scholasticos Societatis Jesu, qui Professionem non emittunt; quia & ipsi sunt veri Religiosi, ut patet ex Bulla Greg. XIII. Ascēdente Domino. Imò etiā Moniales, nam verbū si *quis*; tam masculos, quàm fœminas cōplectitur, *l. 1. ff. de V. S. Gl. in c. Si quis*; *29. caus. 17. q. 4.* Et generatim quæ de Monachis statuta in jure reperiuntur, ob paritatem rationis, ad Moniales etiam referri debent, ut colligitur ex *c. Cùm Virum*; 12. *h. t.* & quod est dispositum de Abbatibus, & Monachis, servatâ proportione, etiam extenditur ad Abbatissas, & Moniales: non autem vice versâ, quæ de Abbatissis, & Monialibus specialiter statuta sunt, extendi debent ad masculos, ut notat *Abb. in c. ult. n. 5. de stat. Monach.* Denique etiam quidam Ordines militares, qui strictè, & rigorosè non sunt Religiosi, comprehenduntur hoc Decreto, ut milites S. Joannis Hierosolymitani, *ex declarat. Cardin. Concil. apud Ioan. Gallem. nu. 1.* quia licèt hoc Decretū sit odiosum, respectu particulariū Religiosorum: est tamen valde favorabile toti Communitati Religionis, quippe factum, ut consulatur ipsius tranquillitati, & paci, ideóque extendendum, *Pellizar. in Man. Præl. tr. 33. c. 5. sec. 2. q. 3. n. 34.*

CLII. Quæritur secundò. Quot, & quæ conditiones requirantur ad legitimam reclamationem contra Professionem invalidam? Respond. Tres, ut constat ex dicto Decreto Tridentino. Prima est, ut ante reclamationem habitum non deponat, vel etiam cum habitu non discedat, sine licentia Superiorum. Id autem limitandum est primò, Nisi Professus justam dimittendi causam habeat, qui non potest obtinere facultatem reclamandi, nisi habitu deposito, vel nisi non permitteretur causam nullitatis Professionis proponere coram Superiore, ideóque habitu dimisso fugit, ut reclamet; Concilium enim intendit punire eum, qui sponte, ac temerè habitum dimittit, quod non facit, qui ex justa causa, ut facultate jure sibi concessâ liberè uti possit, habitum deponit, *Navarr. Comm. 4. de Reg. c. 21. Azor. p. 1. Lib. 12. c. 4. Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 17. nu. 3.* & alij commuiter Secundò. Limitandum est, saltem ex æquo, & bono, nisi habitum temerè dimissum iterum assumat; nimis enim durum, & inhumanum foret, perpetuò denegare audientiam ei, qui justam causam reclamandi habet, ideò præcisè, quia habitum temerè deposuit, hoc enim esset cogere liberum hominem, per totam vitam servire Religioni, cui non est obligatus, nec fortè est capax illius, ob defectō conditionis ad valorem Professionis requisitæ, *Navarr. c. l.* Accedit, quòd cùm per reassumptionem habitûs dimissi, Religio in possessione retinetur, audiendus erit, qui asserit, se invalidè professum esse, cùm spolium sit purgatum, *Sanch. c. l. n. 4.*

Secunda conditio requisita ad reclamandum est, ut causas nullitatis suæ Professionis, coram Superiore suo Ordinario deducat, ut habetur in dicto Decreto. Ubi nomine Superioris intelligitur immediatus Prælatus Regularis, qui Professionem ejus, qui reclamat, admisit, vel qui in ejus locum successit: nomine verò Ordinarij, venit Episcopus: in cujus Diœcesi situm est Monasterium, in quo reclamans Professionem emisit, vel VicariusGeneralis Episcopi, vel etiam alius Prælatus, quasi Episcopalem jurisdictionem habens in suō territorrio: & Sede, seu Prælaturâ vacante, etiam Capitulum, vel ejus Vicarius; *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 104. nu. 12.* ubi ait, quòd causæ nullitatis deducendæ sint conjunctim, sive copulativè, coram Superiore Ordinis, & Ordinario loci, ideóque si solus Superior Regularis declararet, Professionem esse nullam, ea declaratio invalida foret: nisi esset simul Ordinarius, aut quia Monasterium unitum est Episcopatui, *Barb. c. l. n. 11. Pellizar c. l. n. 35.* Tertia conditio ad reclamandum requisita est, ut id fiat, intra quinquennium, à die Professionis numerandum, juxta *Trident. Concil. in cit. Decreto*, quæ conditio in seqq. est declaranda.

CLII. Ubi notandum, quinquennium præscriptum à Concilio Tridentino, ad reclamandum contra Professionē invalidā, computandū est à die Professionis, adeóque in Professione expressa, à die, in quo ipsa facta est: in tacita verò, à die, in quo Religiosus tacitè est professus per habitum Novitiorum, & Professi communem, & solùm occultè distinctū, scienter, & sponte susceptum, & per integrum annum delatum, vel exercendo actum Professorum proprium, juxta supra dicta, *Azor cit. c. 4. qu. 10. in fine.* Major autem est controversia, an hoc tempus sit continuū, ita ut cesset à die Professionis, non obstante ignorantiā nullitatis Professionis, vel impedimento reclamandi intra quinquennium? an verò sit utile, ita ut non cur-

currat ignoranti, vel impedito : Prius affirmat, *Sanch. Lib. 7. dis. 37. de mat. n. 19. Pellizc. c. l. n. 45.* Idque probatur, tum quia Tridentinum dicit, quinquennium numerandum esse à die Professionis tantùm, quæ particula negat, & excludit omnes alios casus, præter expressos. Tum quia etsi tempus præfixum in odium negligentium, non currat ignoranti, vel impedito, *l. 1. C. de annal. except.* currit tamen, quando non in odium negligentis agere : sed in favorem alterius est præscriptum, ut tradit *Gl. communiter recepta in c. Statutum; 3. de præb. in 6.* At in proposito casu, tempus quinquennii præfixum fuit, non in odium negligentiæ invalidè Professi : sed in favorem Religionis, ut consulatur ejus tranquillitati & paci, ne scilicet litibus oppugnantium editæ Professiones perturbentur. Verùm contrariam, & negativam sententiam tenent *Navarr. Lib. 3. Consil. 23. n. 3. h. t. Suar. tom. 3. Lib. 7. c. 4. n. 6. Palao dis. 2. pun. 7. num. 5.* Qui docent, quinquennium esse computandum à die cognitæ nullitatis Professionis, seu cessantis impedimenti, vel impotentiæ reclamandi, adeóque non currere ignoranti, vel impedito; quia licèt Concilium dicat, illud esse computandum à die Professionis, tamen id intelligendum est per se, & nisi causa justa aliud suadeat : nam per accidens, interveniente probabili ignorantiâ, vel justo impedimento reclamandi, quod duravit toto quinquennio, vel ultra illud, invalidè Professus audiendus erit, etiam post quinquennium elapsum : non quidem, si solùm probare velit, priorem Professionem fuisse nullam : sed etiam, si allegare velit, & probare causam, ob quam toto illo tempore non potuerit Professionem ratificare, videlicet ob ignorantiam, vel aliud impedimentum reclamandi, *Suar. c. l. n. 9.* Non obstat, quòd hoc quinquennium non sit præscriptum in odium negligentis reclamare contra Professionem invalidam : sed in favorem Religionis; quia Concilium voluit concedere tempus quinquennii, ob præsumptionem, tanto tempore Professionem fuisse ratificatam ab invalidè Professo : sed si ignorantia nullitatis Professionis, vel impedimentum nullam reddens Professionem, toto quinquennio, duravit, tum cessat ea præsumptio : neque enim potest præsumi, illum ratam habuisse Professionem, quamdiu ignoravit nullitatem illius; cùm ignorantis nullus sit consensus : vel dum durat impedimentum irritans Professionem, cùm id sit impossibile, ratificari enim non potest, nisi sublato impedimento dirimente illam, ergo non debet tempus illud in hoc quinquennio computari : sed si adfuit ignorantia, vel impedimentum toto quinquennio, etiam post illud invalidè Professus audiri debet, jure ordinario, volens probare, se in illo tempore ratificare non potuisse, per quod eliditur, ac tollitur fundamentum, quo nitebatur illa præsumptio ratificatæ Professionis, *Suar. c. l. n. 9. Pal. c. l. n. 10.*

CLIV. Quæritur tertiò. Ex quibus causis possit Regularis reclamare contra Professionem à se emissam? Resp. posse reclamare contra Professionem invalidam, intra quinquennium, sive sit irrita ex defectu debiti consensûs, quia in amentia est professus, vel per vim aut metum injustum coactus : vel ob defectum integri anni probationis, aut legitimæ ætatis : vel ob diversitatem sexûs, ut si vir Professus sit in Monasterio mulierum, aut mulier in Monasterio virorum : sive ob defectum legitimi Superioris, non habentis potestatem acceptandi Professionem : sive ob quemcúnque alium defectum, vel impedimentum, *Pellizar. c. l. n. 38. Tambur. tom. 3. dis. 6. q. 26.*

Quæritur quartò. An etiam Religio, intra quinquennium reclamare possit contra invalidè Professum? Resp. affirmativè, tum quia dispositum de uno correlativorum, censetur etiam dispositum de altero, nisi in specie aliter in jure sit dispositum de uno, quàm de alio : cujusmodi Lex non extat in præsenti casu : tum quia etiam quoad hoc non debet Religio esse deterioris conditionis, quàm sit Religiosus, *Pellizc. l. n. 52.* Id autem solùm procedit, si Professio fuerit nulla, ob ignorantiam justam, & invincibilem Superiorum Regularium, alioquin si Superiores, admittentes Professionem invalidam, culpâ non vacent, non debent restitui, si reclamare, & causas nullitatis allegare velint, post elapsum biennium, *Fagnan. in c. 1. n. 45. & 2. seqq. h. t.*

SECTIO IV.

DE FACVLTATE TRANSEVNDI ex una Religione ad aliam.

§. I.

An possit Professus, seu Religiosus ab una Religione transire ad aliam, & quæ conditiones requirantur ad licitum transitum, ad aliam Religionem?

CLV. Assertio 1. Non licet Monacho, seu alii Religioso ex Monasterio, in quo Professionem edidit, temerè se transferre ad aliud Monasterium, seu ejusdem, seu diversi Ordinis, & sive Ordo ille sit laxior, sive æqualis, sive strictior, prout statutum est in *c. Ioannes; 5. h. t.* Ubi generaliter & indistinctè Papa Gregorius 11. » mandat, ut neq; Monacho de Monasterio in Monasterium temerè migrare liceat, neq; peculiare quippiam habere (nimirum peculium proprium, sine licentia Prælati, nisi causâ administrationis, permittente Superiore, *Gl. hic V. Peculiare, & Abb. n. 6. de quo infra*) alioquî qui temerè ad aliud Monasterium, » vel Ordinem transire præsumpsit; eidem Monasterio, » in quo priùs fuit, competente coërcitione adhibitâ, » reddi debet. Et quidem quoad priorem partem, quòd non possit Religiosus transire ex una Religione, propriâ auctoritate, ad aliam laxiorem, inde probatur; quia non potest quis votum de re meliore, commutare in votum de re minùs bona, sine justa dispensatione : neq; etiam transire ad Religionem æqualem; quia per hujusmodi transitum violatur jus acquisitum priori Religioni, *Suar. tom. 4. de Relig. l. 3. c. 9. n. 1.* Quæ ratio etiam probat, quòd neque ad Ordinem perfectiorem, aut strictiorem temerè transire possit Religiosus; quia per talem transitum violatur primum substantiale votum Religionis, quod est obedientia erga priorem Prælatum, promittit enim Monachus etiam loci stabilitatem, ut constat ex *c. Sicut; 13. de jurej. & c. Statuimus; 3. caus. 19. q. 3.* Ubi decernitur, quòd nec districtioris Religionis obtentu, ex eodem Claustro audeat Professus, sine Patris seu Abbatis permissione, recedere, *Io. Andr. hic n. 14. & Abb. n. 8.* Et hinc is, qui temerè & sine legitima licentia

centia, transit ad aliud Monasterium, etsi propriè non sit Apostata, cùm tria vota substantialia Religionis: tam in posteriore, quàm in priore Ordine observentur, & non habeat animum omnino recedendi à Religioso instituto, quod ad veram Apostasiam requiritur: potest tamen dici latè Apostata, quatenus violavit obedientiam priori Prælato promissam, *Io. Andr. & Abb. locis citt.* Porro temerè dicitur quis ex una Religione ad aliam transire, si ex levitate, vel inordinata animi passione transeat, vel non petitâ licentiâ, aut etiam non obtentâ in casibus, in quibus non sufficit licentiam petere, nisi etiam obtineatur, *Sanch. Lib. 6. mor. c. 7. n. 11. & seqq. de quo infrà.* Ratio posterioris partis est; quia Monachus quoad personam suam, est obligatus Monasterio, sicut servus domino suo, & uxor viro suo, *c. Non est; 11. de sponsal.* & filius patri suo, in cujus est potestate. *l. 1. ff. De liberis exhibend.* Sicut ergo tales personæ repeti, & vindicari possunt, ita & Monachus, nam licèt aliàs rei vindicatio nonnisi domino competat, *l. In rem; 23. ff. de rei vindic.* latiùs tamen accipiendo rei vindicationem, etiam datur, pro repetendo libero homine, alterius potestati subjecto, adjectâ tamen causâ, *l. 1. §. Per hanc. junct. Gl. V. Vindicare; ff. eod.* vel etiam revocari potest Monachus ex condictione *can. Statuimus; 3. caus. 19. q. 3.* vel imploratо Judicis officio, *Innoc. in cit. c. 18. n. 4. & Io. Andr. ibid. n. 9. Sanch. cit. c. 7. n. 99.*

CLVI. Cæterùm quòd Religiosi, qui Professionem ediderunt, ita astricti sint Monasterio suo, ut sine Abbatis licentia recedere non possint, nec transire ad alia Monasteria, habetur etiam in *c. Non est; 7. h. t.* Ubi Papa Alexander III. mandat Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per Galliam constitutis, ut Monachos & Conversos Cistercienses Ordinis, post Professionē suam, sine licentia Abbatum suorum per Episcopatus suos recipi non permittant: & si sine licentia Abbatum suorum, Monasterio exire præsumpserint, & admoniti non celeriter redierint, ipsos redire compellant. Ubi prohibetur primò, ne Episcopi, aliiq; Prælati tales Monachos, vel Conversos suscipiant, ad permanendum, sive ut diu apud eos morentur, juxta æstimationem, & arbitrium boni viri, *Gl. fin. hîc & Abb. n. 5.* Secundò, prohibetur, ne Episcopi illos recipiant in suis Ecclesiis, ita ut Beneficium sæculare, sine licentia Superiorum suorum Regularium, iisdem conferant, *c. 1. & 2. dist. 58. c. Quàm sit; 5. §. Nullus caus. 18. q. 2. Abb. c. l.* Tertiò, prohibetur, ne Professus in uno Monasterio, ad Professionem emittendam in alio Monasterio, sive ejusdem, sive diversi Ordinis, sine licentia Superioris sui recipiatur, *Gl. hîc in notatis & Abb. n. 3.* Porro appellatione Monachorum non comprehendi Conversos colligitur apertè ex hoc cap. ibi: *Monachos vel Conversos*, nam Conversi dicuntur, qui obtulerunt se & sua Monasterio, mutato habitu, & sunt hujusmodi Conversi Regulares, ac Professi, Laici tamen; quia non possunt promoveri ad Ordines, *Abb. hîc n. 2.*

CLVII. Assertio 2. Omnibus Religiosis licitum est, ab una Religione transire ad aliam strictiorem, si conditiones requisitæ adsint, prout sumitur ex *c. Licèt;* 18. *h. t.* Ubi Papa Innocentius III. ita rescribit: Licèt quibusdam Monachis & Canonicis Regularibus (*c. Non est; 7. h. t. & c. 2. & 3. caus. 19. q. 3.*) nec non & Hospitalariis ac Templariis à Sede Apostolicâ privilegium datum sit, ut eorum Professi ad alium locum, seu Monasterium, etiam arctioris Religionis, ipsis invitis, transire non liceat, ut unusquisque secundùm Apostolum (*1. ad Corinth. 7. & ad Ephes. 4.*) in ea vocatione permaneat, in qua vocatus fuit (nisi instinctu Spiritûs S. ad sanctiorem vitam vocetur, *Abb. hîc n. 1. not. 2.*) Quia tamen ubi Spiritus Dei, ibi & libertas est, *2. Cor. 3.* & qui Dei spiritu aguntur, non sunt sub lege; quia justo non est lex posita, nempe quia justus est liber à lege peccati, non autem à potestate Superioris, *Abb. hîc n. 1. not. 3.*) ideo hoc à ratione prædictis Ordinibus concessum esse videtur, ut ne quis ex temeritate, vel levitate in jacturam, seu injuriam Ordinis sui, sub prætextu majoris religionis, ad alium Ordinem transire possit, sicut frequenter à multis præsumptum fuit, non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui cum puritate, & humilitate cordis eam postulavit, ut non fictè: sed verèad frugem melioris vitæ transmigrare possit. Talis ergo postquam à Prælato suo transeundi licentiam postulavit, ex lege privata (charitatis ordinatæ erga se ipsum) quæ publicæ sive communi legi præjudicat, absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante contradictione indiscreti Prælati; quia privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate: præsertim cùm etiam Romanus Pontifex, qui supremam in Ecclesia obtinet potestatem, Archiepiscopis, & Episcopis cedendi licentiam ex justa causa petentibus sine difficultate, concedat. Quare omnes Regulares, quibus tale privilegium concessum est, noverint, se ad licentiam transeundi debitè postulantibus concedendam, de jure teneri; quia sicut subditus à Prælato, cum humilitate & puritate eam petere debet, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: sic Prælatus subdito, sine difficultate, eam concedere debet, nisi propositum divinitus inspiratum impedire velle videatur. Si verò probabiliter dubitetur, utrùm aliquis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire, Superioris judicium est requirendum, ne fortè Angelus Sathanæ in filium lucis se transformet. Eâ tamen Regulâ inviolabiliter observatâ, ut nullus, sine licentia Romani Pontificis, quacúnque occasione Præsulatum (hoc est, Episcopatum, nam Episcopus non potest Religionem intrare sine Papæ licentia, ut alibi dictum) deferre præsumat; quia sicut majus bonum minori bono præponitur: ita communis utilitas speciali, seu privatæ utilitati præferenda est. Et in hoc ipso casu rectè præponitur doctrina silentio, solicitudo contemplationi (id est, vita activa contemplativæ) & labor quieti. Ad quod designandum, Christus non de Rachele natus: sed de Lia; neque in domum suam Maria ipsum recepisse legitur: sed Martha. Unde quando Episcopus potest pariter præesse, & prodesse, non debet cedendi licentiam petere, aut obtinere. Cùm ergo R. Monachus ad FF. Ordinis Cistercienses transiêrit, non ut Ordini suo, ex quo transivit, derogaretur: sed ut apud Cistercienses vitam arctiorem duceret, mandat Papa Priori, & Conventui, ex quo transivit, ut quod de corde puro & conscientiâ bonâ, fidè que non fictâ, feciſſe noscitur, nullatenus ipsi sint molesti; quia charitas est fons proprius, cui non communicat, seu communicatur, quod alienum est à charitate. Hæc Constitutio declarabitur in seqq.

Hinc

CLVIII. Hinc colligitur primò. Quòd non tantùm viri, sed etiam fœminæ, adeóque Moniales possunt transire ad aliam Religionem strictiorem, ut constat ex c. 1. *caus.* 20. *q.* 4. *Abb. in c. ult. de stat. Monach. n.* 7. *Sanch. Lib.* 6. *mor. c.* 7. *in* 6. quia etsi *text. in cit. c. Licèt*; 18. *h. t.* de solis viris Religiosis loquatur; quia tamen rationes in eo allatæ, ob quas concedi debeat talis transitus, æquè procedunt in Monialibus, ideo etiam idem jus in illis obtinet: præsertim cùm quæ de Monachis jure statuta sunt, etiam in Monialibus locum habeant, nisi nominatim excipiantur. Secundò, non tantùm singuli Religiosi: sed etiam tota Religiosorum Communitas, sive Conventus se conferre potest ad Ordinem strictiorem, ejus habitum, & Regulam assumendo, prout sumitur ex c. 3. §. *Cæterùm de stat. Monach. Abb. ibid. n.* 2. *Rodriq. tom.* 3. *qq. Regul. q.* 52. *art.* 6. idque etiam liberè sine licentia Episcopi, *Sanch. l. n.* 7. contra *Abbat.* Tertiò, etiam Prælati Regulares, sive exempti, sive non exempti sint, possunt transire ad strictiorem Religionem; quia in *cit. c. Licèt*; *h. t.* soli Episcopi excipiuntur, illisque interdicitur transitus ad Religionem, non obtentâ Papæ licentiâ, adeóque non comprehenduntur ibi Prælati Regulares; quia exceptio firmat Regulam in contrarium, *Sanch. c. l. num.* 8. Quartò, etiam Religiosi conversi sive F F. Laici, & Oblati, qui se suaque obtulerunt, habitu non mutato, possunt transire ad strictiorem Religionem; quia in illa oblatione tacitè includitur ista conditio, nisi ad perfectiorem statum se conferre voluerint, *Sanch. c. l. n.* 9.

CLIX. Assertio 3. Spectato Jure communi, ad licitum transitum ab una Religione ad aliam, requiritur primò, ut transitus fiat ad Religionem perfectiorem, aut strictiorem.

Ubi Notandum primò. Nomine perfectioris Religionis hîc non intelligitur, quæ absolutè, & in se perfectior est, cujusmodi perfectio desumitur ex fine perfectiore, ad quam Religio aliqua ordinatur, & ex proportione mediorum, quibus utitur ad illum finem obtinendum, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *art.* 6. *in Corp.* sed potiùs in ordine ad transitum ab una Religione ad aliam, in foro Ecclesiæ, attenditur ad majorem austeritatem, an scilicet Religio sit strictior, & rigidior aliis, præsertim circa silentium, & solitudinem, ut ex probabiliore, & communiore sententia docet *Abb.* post *Joann. Andr. in c. Sanè*; 10. *n.* 8. *h. t. Azor p.* 1. *Lib.* 12. *c.* 15. *q.* 2. *Rodriq. tom.* 3. *qq. Reg. q.* 52. *art.* 4. *Less. Lib.* 2. *de just. c.* 41. *n.* 100. *Sanch. cit. c.* 7. *n.* 21. *Laym. Lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 10. & Canonistæ communiter, contra aliquos Theologos. Idque clarè colligitur ex *c. Licèt*; 18. ibi: *arctioris etiam Religionis obtentu transire, & in fine ejusd. c.* ibi: *ut apud eos vitam duceret arctiorem*: per quæ verba declaratur, qualis Religio intelligatur, quando paulò suprà in *eod. c.* dicitur, *liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere*, nempe quæ arctior, durior, seu strictior est, Idem constat ex *c.* 14. *caus.* 20. *q.* 4. ubi dicitur: *Virgines Sacræ, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam, ad aliud Monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit.* Idque ad vitandas lites, rectè statutum fuit; nam quæ Religio aliâ sit austerior, & strictior, magis patet, quàm quæ ad perfectiorem finem per media magis proportionata tendat.

Notandum secundò. Austeritas Religionis, ad quam transire licet, non est attendenda tantùm, secundùm primævam institutionem Regulæ: sed etiam secundùm Constitutiones postea adjectas, si ex illis reddatur strictior, quàm sit primæva Regula; *Io. Andr. in cit. c. Sanè*; *n.* 2. *h. t. & ibid. Abb. n.* 5. *Sanch. c. l. n.* 23. Deinde spectanda est non tantùm asperitas Regulæ, & Constitutionum secundùm se: sed etiam prælens observantia strictior, fieri enim potest, ut pristinum strictioris vitæ institutum in aliqua Religione observari desierit, & laxior vivendi modus introductus fuerit: tunc enim non censebitur ampliùs Religio strictior, & austerior, ad quam transire liceat, ut constat ex *cit. c. Sanè*; 10. ibi: *si locus, ubi nunc permanet, majoris Religionis* (id est, strictioris observationis) *quam Ecclesia Aromatensis existat h. t. Io. Andr. ibid. n.* 1. *& Abb. n.* 4. *Azor cit. c.* 14. *q.* 3. *& 8. Sanch. c. l. n.* 24. Ratio est, quia transitus iste permittitur, ad ducendam vitam strictiorem, ergo debet attendi, an de præsenti strictiùs in ea Religione, ad quam fit transitus, vivatur. Excipi debet, nisi in eadem Provincia sit aliud ejusdem Religionis Cœnobium, in quo arctior veteris Instituti observatio actu vigeat, ad quod transferri poterit, faciliùs enim permittitur transitus ex Monasterio ad Monasterium ejusdem, quàm diversi Ordinis, vel nisi probabilis spes sit, reformationis futuræ in priore Ordine, *Io. Andr. c. l. n.* 3. *Abb. n.* 7. *Azor c. l. q.* 8 *Sanch. c. l. n.* 25. Quòd si dubitetur, quæ Religio sit arctior, seu strictior, judicium Superioris requiri debet, *Abb. in cit. c. Licèt*; *n.* 3.

CLX. Secunda conditio requisita ad legitimum transitum, est, ut non fiat ex temeritate, vel levitate, vel ex passione inordinata, v. g. ex ira, vel odio erga Prælatum suum: sed ut ex charitate, seu Zelo majoris boni, seu perfectionis consequendæ, transire velit, ut habetur in *cit. c. Licèt*; *h. t.* Ubi etiam additur, si dubitetur, utrùm quis velit ad Religionem arctiorem, vel laxiorem transire ex charitate, an ex temeritate, ad judicem Superioris esse recurrendum, qui id ex concurrentibus conjecturis determinabit, *Sanch. Lib.* 6. *c.* 7. *n.* 11. *& 12.*

Tertia conditio est, ut talis transitus non fiat, cum notabili detrimento Religionis, seu Monasterii, in quo est Professus, ibi: *injacturam seu injuriam sui Ordinis*: nam si per talem transitum Religio, à qua transitur, notabile damnum, vel magnam infamiam incurreret, posset, petitâ restitutione, revocare Religiosum transeuntem; tum quia bonum commune Religionis relictæ debet præponderare privatæ utilitati Religiosi transeuntis: tum quia si Ecclesia læsa in rebus temporalibus potest petere restitutionem in integrum, multò magis poterit læsa in spiritualibus; & in translatione personæ sibi subditæ, *Abb. in cit. c. Licèt*; *n.* 12. *h. t. Sanch. c. l. n.* 11.

CLXI. Quarta conditio est, ut licentia transeundi ad strictiorem Religionem priùs sit petita à Prælato, non tamen requiritur, ut sit obtenta, *cit. c. Licèt*; §. *Talis ergo*; *h. t. Sanch. cit. c.* 7. *n.* 32. Circa quam conditionem notanda sunt sequentia, primò, hæc licentia necessariò & sub gravi obligatione est petenda, ut patet ex *cit. c. Licèt*; §. *Quocirca*; ibi: *subditus à Prælato, cum humilitate & puritate, debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur*, ubi verbum *debet* necessitatem præcepti importat; si ergo transeat, non petitâ licentiâ, præsumitur con-

temnere obedientiam, & non ex inspiratione Divina, sed ex levitate transire ad aliam Religionem, *Io. Andr. in cit. c. Licèt*; *n.* 5. *Abb. ibid. n.* 10. *Sanch. cit. c.* 7. *n.* 33. neque satisfit huic obligationi, si petatur licentia, post transitum ad Religionem strictiorem: sed ante illum peti debet; quia quoties ad actum aliquem requiritur, ut petatur licentia à Superiore, ea necessariò ante actum illum peti debet, *Abb. in cit. c. Licèt*; *n.* 11. *Azor cit. c.* 14. *q.* 6. *in fine*, *Sanch. c. l. n.* 34. Secundò, non statim, ac petita est licentia, fas est, transire ad Religionem strictiorem: sed debito tempore expectandum est responsum Prælati, seu Superioris, sicut & in aliis expectandum est, quando consilium, vel licentia peti debet, *c. Cùm in Veteri*; 52. *de Elect. Abb. in cit. c. Licèt*; *n.* 8. *Sanch. c. l. n.* 35. Tertiò, Religiosus petens licentiam transeundi, interrogari debet à Superiore, de causa movente illum, ad transeundum, eámque subditus exprimere tenetur, ut colligitur ex *cit. c. Licèt*; §. *Quocirca*, ubi dicitur, *Prælatum teneri subdito, sine difficultate, transeundi licentiam concedere, ne propositum divinitus inspiratum impedire videatur*: ergo debet certior fieri de causa transitûs, ut judicet, an, & quale sit illud propositum, & an licentiam concedere teneatur, necnè, *Sanch. c. l. n.* 36. Quartò, si Superior deneget petitam licentiam transeundi, non ideo potest Religiosus statim transire ad Ordinem strictiorem, cùm illam possit ex justa causa denegare: nam in *cit. c. Licet*; §. *Talis ergo*; tantùm conceditur transitus, etiam licentiâ non obtentâ, quando Superior protervè, ac indiscretè eam negat, ut constat ex illis verbis: *non obstante proterviâ indiscreti contradictione Prælati*. Quòd si Superior nullam causam assignet, cur neget transitum, subditi est eam petere, & si ille adhuc nolit causam exprimere, potest Religiosus etiam, eo invito, transire. Idémque est, si Superior judicans Religiosum justam habere causam transeundi, nihilominus deneget licentiam, vel taceat, vel alleget causam manifestè injustam, falsam vel frivolam; quia tunc jam constat de protervia, & indiscreta denegatione licentiæ: Si verò verisimilem causam alleget denegatæ licentiæ: ita, ut res sit dubia, tunc non licet subdito transire, lite quasi pendente, & re dubiâ existente: sed Prælatus Superior v. g. Episcopus, aut Generalis Ordinis adiri debet, & ad illum provocare potest transiens, ut ejus judicio res decidatur, *Ioann. Andr. in cit. c. Licèt*; *n.* 7. *& Abb. n.* 9. *Silvest. V. Religio*; 4. *q.* 1. Quintò, etsi justa causa transeundi adsit, non tamen potest Religiosus transire, nisi priùs quæratur aliqua Religio, quæ parata sit, illum recipere, alioquin si priùs recedat, est Apostata, cùm sub nullius sit obedientia, *Ioann. Andr. in c. ult. de renunc. n.* 7. *& Abb. ibid. n.* 3. Posset tamen Superior Religioso petenti transitum, statim dare licentiam exeundi è Monasterio, ita tamen ut sub obedientia illius manens quærat Religionem strictiorem, *Sanch. c. l. num.* 38. Sexto, transiens ad strictiorem Religionem non debet admitti, sine literis dimissoriis Prælati, seu Superioris Religionis prioris, *c. Statuimus*; 3. *caus.* 19. *q.* 3. Quòd si veniat Religiosus sine talibus literis, Superior prioris Religionis interrogari debet, an dederit ei licentiam transeundi, aut cur denegârit, qui si causam justam alleget denegationis: sed Religiosus velit in continenti probare, illam esse falsam, adiri debet Superior prioris Prælati, nec debet admitti Religiosus transiens, priusquam causa à Superiore prioris Prælati fuerit decisa, & transitus ab eo approbatus, *Ioann. Andr. in cit. c. Licèt*; *n.* 13. *Sanch. c. l. n.* 39.

§. II.

Quinam Superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam Religionem?

CLXII. Assertio 1. Si quis Zelo melioris boni ad Religionem strictiorem transire velit, potest illam licentiam dare Prælatus, seu Superior Ordinis non solùm mediatus, videlicet Provincialis, aut Generalis, sed etiam immediatus ipsius Conventûs seu Monasterii, *Gl. in c. Cùm singula*; 32. *V. Canonicè de Præb. in* §. *Abb. in c. Non est* 37. *n.* 6. *h. t. Silvest. V. Religio*; 4. *q.* 3. *Azor p.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 7. *Sanch. Lib.* 6. *mor. c.* 7. *n.* 59. *& alii*. Ratio est, quia Religiosus jus transeundi ad Religionem strictiorem habet, eò quòd votum Professionis non violet: sed in melius commuter, ideóque solùm requiritur, ut à Prælato Ordinis licentiam petat, ne bonum regularis obedientiæ contemnere videatur, ergo sufficit ab eo petere licentiam, præsertim quia in *cit. c. Licèt*; §. *Talis ergo*, plus non requiritur, quàm ut licentia petatur à Prælato suo: At immediatus Superior Conventualis, est verè Prælatus proprius. Neque verò tali casu est necessarium petere licentiam ab Episcopo, etiamsi Monasterium non sit exemptum, vel Monasterium strictius, ad quod transitur, sit in alia Diœcesi; quia nullo jure est expressum quòd peti debeat licentia ab Episcopo, ut ex probabiliore docet *Abb. in c. Non est*; 7. *n.* 6. *h. t. Sanch. c. l.* 60. Excipiuntur Moniales Claustrales, hæ enim licentiam petere debent, non tantùm ab Abbatissa sua: sed etiam à Prælato Regulari, cui subsunt, & insuper ab Episcopo, seu Ordinario, saltem si non sint exemptæ, *Rodrig. tom.* 3. *qq. Reg. q.* 52. *art.* 6. *Sanch. c. l. n.* 61. Tum quia *Concilium Trident. Sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.* statuit, ut Sanctimonialibus, post Professionem, exire non liceat à Monasterio, quocúnque prætextu, nisi ex legitima causa, ab Episcopo approbanda. Tum quia licentia à Prælato petenda est, Abbatissa autem non est Prælata propriè; cùm jurisdictionem strictè dictam non habeat, neque judicare de causa transitûs, cum sit res gravis, mulieribus est concessum.

Sed neque consilium, & multò minùs consensus Capituli, seu Conventûs ad licentiam hanc concedendam requiritur, tum quia in *cit. c. Licèt*; solùm exigitur ut petatur licentia à Prælato Ordinis: tum quia nec ipse Prælatus potest impedire hoc casu transitum, cùm ipsum jus illum concedat: nec Prælatus licentiam concedens alienat Religiosum: sed ipse Religiosus se alienat, sive transfert ad aliam Religionem, utens jure suo, *Sanch. c. l. n.* 62. quamvis aliqui Dd. dicant, tutius esse petere, etiam à Conventûs consensum.

CLXIII. Prædictis addendum primò. Hanc licentiam transeundi, Superiores immediati Religionum, v. g. Priores & Quardiani petere debent à Provinciali suo, & hic à Generali, ac denique iste à Papa, *Silv. c. l. q.* 3. *Azor cit. c.* 14. *q.* 7. *Sanch. c. l. n.* 59. Secundò, hæc potestas dandi licentiam, transeundi ad Religionem strictiorem in quibusdam Religionibus est reservata Provinciali, vel Generali, ita ut ab ipsis illa petenda

petenda sit, nec ab immediato Superiore peti possit, *Suar. tom. 4. de Relig. Lib. 3. c. 10. n. 30.* Idque certum est, si ex concessione S. Pontificis ea reservatio facta sit, *Palao p. 3. tract. 16. disp. 4. pun. 15. § 3. n. 6.* Tertiò, Religiosi militares, qui in Claustris vitam communem non agunt, possunt transire ad Religiones Claustrales, sine licentia suorum Superiorum; ex decisione Rotæ apud *Barb. in cit. c. Licèt; n. 10. h. t.*

CLXIV. Porro quod dictum est, Prælatum immediatum dare posse licentiam, transeundi ad Religionem strictiorem, id procedit, si quis ex bono zelo transeat, nam si ex levitate, vel passione inordinata transeat, etiam ad strictiorem Ordinem, Prælatus Religionis Papâ inferior licentiam ad id dare non potest, si nulla alia legitima causa concurrat; quia quamvis per talem transitum votum mutetur in majus bonum, est tamen jus acquisitum Priori Religioni, & sine justa causa fit alienatio rei ipsi acquisitæ: accedit, quòd in *cit. c. Licèt*; non concedatur talis transitus: nisi ex zelo majoris boni fiat, *Sanch. c. l. n. 63.*

CLXV. Assertio 2. Si quis ad aliam Religionem parem, sive æquè strictam transire velit; tum vel adest legitima causa transeundi, v. g. propter infirmitatem, vel inimicitias, vel non. Priore casu, in Ordinibus exemptis, Abbas, vel alius Superior quasi Episcopalem jurisdictionem obtinens, & immediatè Papæ subjectus, potest eam facultatem concedere. Si verò immediatus Superior alteri Superiori Prælato Regulari subsit, v. g. Prior, vel Quardianus, tum mediatus Superior, nempe Provincialis, vel Generalis dispensativè licentiam transeundi dare potest; quia in Ordinibus exemptis jus in Professum toti Ordini, vel saltem Provinciæ acquiritur, ergo illum alienare, seu transferre non potest ad alium Ordinem, etiam æqualem, immediatus Prælatus Conventûs, sicut neque illum transferre potest ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium: sed solùm is, qui toti Ordini, vel saltem Provinciæ præest, ut tradit *Gl. in cit. c. Cùm singula; 32. V. Canonicè. Abb. in cit. c. Non est; V. Canonicè, Silv. V. Religio; 4. q. 3. Rodriq. cit. q 52. art. 9. Sanch. c. l. n. 65.* Episcopus verò quoad Ordines non exemptos, qui immediatè ipsius jurisdictioni subsunt; hanc licentiam dare potest, ita tamen, ut præter consensum Episcopi, requiratur etiam consensus Abbatis, seu Prælati Regularis Monasterii non exempti, *arg. c. Non est; 7. ibi, sine licentia Abbatum suorum; h. t. & c. Statuimus; 3. caus. 19. q. 3.* quem Episcopus cogere potest, ad consentiendum, si necessitas id exigat.

Requiritur tamen præterea in transitu ad Religionem æqualem, etiam consensus Capituli, seu Conventûs, tam respectu exemptorum: quàm non exemptorum; quia in hoc casu intervenit quædam veluti alienatio personæ, & est unum ex negotiis gravioribus, quæ sine Capituli consensu, expediri non possunt, *Sanch. cit. c. 7. n. 66.* & sicut ad Abbatem simul & Conventum spectat Religiosum recipere, & Ordini incorporare: ita & ab Ordine dimittere, vel ad alium transferre. Nec obstat, quòd in transitu ad Religionem strictiorem non sit necessarius consensus Conventûs, ut suprà dictum; quia in illo casu Religiosus non alienatur: sed in melius commutatur, auctoritate Superioris, nec tunc requiritur licentia Abbatis: sed satis est, si ea petita sit, & Religiosus auctoritate propriâ à jure ipsi concessâ se transfert; secus est in transitu ad Ordinem æqualem, in quo requiritur, ut licentia sit obtenta, nec fit commutatio in melius, & ita intervenit aliqua alienatio personæ, ad quam consensus Capituli requiritur, *Fagnan. in c. ult. n. 18. & 19 de renunciat.*

Posteriore verò casu, si nulla adsit justa causa transeundi ad Religionem æqualem, solus Papa potest licentiam dare, *Abb. c. l. Sanch. c. l. n. 64.* Quia etsi hoc casu fiat commutatio voti in bonum æquale, tamen sine justa causa aufertur jus acquisitum priori Religioni, ex qua transivit Professus, ideóque etiam talis licentia Papæ non excusabit in foro conscientiæ, *Sanch. c. l.* Verùm potest Papa dare licentiam transeundi ad Religionem strictiorem, sine alia justa causa; quia ipsa major austeritas Religionis sufficiens causa videtur, *Sanch. c. l. n. 64. in fine.*

CLXVI. Assertio 3. Probabilius est, posse Prælatum Papâ inferiorem v. g. Ordinis Provincialem, vel saltem Generalem in Ordinibus exemptis, vel Episcopum in Monasteriis non exemptis, ex justa causa sufficienter cognita, dare licentiam transeundi, etiam ad laxiorem Religionem, tametsi Papa facilè adiri posset, ut docet *Abb. in cit. c. Non est; num. 6. Navarr. Lib. 3. consil. 56. Silvest. V. Religio; 4. q. 2. Azor p. 1. l. 12. c. 15. q. 1. Less. Lib. 2. c. 41. n. 102. Sanch. cit. c. 7. n. 68. & alii.* Eandem licentiam dispensativè dare potest etiam Prælatus exemptus, & soli Papæ subjectus, quippe qui quasi Episcopalem jurisdictionem in suos exercet, *Less. c. l. n. 103.* Ratio est, quia talis potestas censetur necessaria, ad rectam gubernationem Religionis, & videtur, id concessum esse in *c. 3. caus. 19. q. 3.* Ubi ex permissione Patris, sive Abbatis, & totius Congregationis, potest Canonicus Regularis transire ad Monachatum; neque est certum, quòd ibi tantùm sit sermo de transitu ad strictiorem Ordinem: Requiritur tamen etiam consensus Capituli, ob rationem suprà allatam, *Sanch. c. l. n. 70.* quem tamen negare non potest, si justa & necessaria causa adsit: quamvis tutius sit, ut in casu transitûs ad Religionem laxiorem petatur licentia à Papa, si periculum non sit in mora. Neque dictis obstat *Concil. Trident. Sess. 25. c. 19. de Regul.* ubi in fine dicitur: nemo etiam Regularis, cujuscúnque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem Religionem; quia mens Concilii non fuit, abrogare legitimas translationes: sed solùm illas, quæ sine justa causa, vel consensu Conventûs, vel non præmissâ causæ cognitione, fiunt, ut olim interdum fieri solebat, *Navarr. cit. consil. 56.* quomodo etiam intelligi debet *Extrav. 1. h. t. de quo infrà.* Quamvis *Fagnan. in cit. c. ult. n. 27 & 35. de renunciat.* dicat, solum Papam posse ex causa dispensare, ut fiat transitus ad Religionem laxiorem, alioquin non rectè prohiberet Concilium transitum, ad laxiorem Religionem; quia sine justa causa, nec ad parem, nec ad strictiorem transire licet. Porro in foro externo, ut fides habeatur licentiæ concessæ, transeundi ad Ordinem laxiorem, requiritur scriptura, seu testimonium authenticum justæ causæ legitimè cognitæ, *Navarr. c. l. & Sanch. n. 69.*

CLXVII. Assertio 4. Solus Papa potest dare licentiam, transeundi ad Religionem laxiorem, si nulla justa causa existat: quamvis talis licentia non excuset in foro conscientiæ; cùm neque Pontifex relaxare possit vota sine causa, cujusmodi relaxatio intervenit in tali transitu, *Less. c. l.* proderit tamen in foro exte-

no, ne quis transeunti litem moveat, vel aliam molestiam inferat, *Sanch. c. l. n. 67.* Porro causæ transeundi ad Religionem laxiorem sunt, primò, infirmitas, seu debilitas corporis, ob quam statuta Ordinis servare, ejùsque rigorem ferre non potest, ut etiam notat *S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 8. in corp.* Secundò, si odia, & simultates in Religione strictiore vigeant. Tertiò, si ipse aliis fratribus sit exosus, malè tractetur, nullâ datâ causâ, quam non emendavit. Quartò, si in Ordine strictiore collapsa sit disciplina, *S. Thom. c. l. Less. c. l. Sanch. n. 72.* Quamvis *Fagn. c. l. n. 39. & 40.* has causas non admittat, præter infirmitatem, vel debilitatem provenientem ex austeritate ipsius Regulæ.

CLXVIII. Notandum hîc præterea primò, ut quis transire possit ad aliam Religionem, æquè strictam, & multò magis ad laxiorem, non sufficit licentiam à Superiore esse petitam: sed opus est, etiam esse obtentam; quia in *c. Licèt; 18. h. t.* specialiter conceditur, ut, in transitu ad strictiorem Religionem sufficiat, licentiam esse petitam, etsi non sit obtenta, ideóque ad alios transitus non debet extendi, *Less. c. l. n. 102. Sanch. c. l.*

Notandum secundò. Privilegium Regularibus quibusdam à Sede Apostolica concessum, ne ab eorum Ordine ad aliam Religionem, etiam strictiorem, liceat transire, intelligendum, est juxta Juris communis dispositionem, ut scilicet sine petita licentia, aut temerè seu ex levitate, vel cum jactura, aut injuria prioris Ordinis, non sit permissum transire ad aliam Religionem, prout habetur in *cit. c. Licèt in princ. h. t.* Nam si tale privilegium absolutè & generatim, prout verba sonant, intelligeretur, nempe quòd nunquam licitum sit, à tali Ordine transire ad alium etiam strictiorem, etiamsi quis desiderio sanctioris vitæ transire intendat, tunc tale privilegium repugnaret Ecclesiasticæ traditioni, imò etiam ipsi inspirationi Divinæ, & legi propriæ charitatis, quæ præponderare debet publicæ utilitati, ut dicitur in *cit. c. Licèt*, id est, etiamsi quis multis prodesse posset in sæculo, vel in Religione laxiore, nihilominus tamen ex amore spiritualis perfectionis licitè, & rectè ingreditur Religionem, vel transit ad strictiorem Religionem, *Abb. in cit. c. Licèt; n. 1. Sanch. Lib. 6. c. 7. n. 12.* Excipi debet, nisi in privilegio expressum sit, ne ad aliam quamcúnque Religionem transire liceat, nisi à Superiore licentia fuerit petita, & obtenta, tum enim cùm indubitatè constet de intentione Papæ privilegium concedentis, non potest habere locum ulla conjectura, vel interpretatio contra clara verba, *Io. Andr. in cit. c. Licèt; n. 2. Sanch. c. l. n. 10.* Idque potest facere S. Pontifex, ob bonum publicum alicujus Religionis, si ad ejus conservationem multum expedire videatur, ut nulli permissum sit transire ad aliam Religionem, etiam strictiorem, nisi Ordinis Superior, causâ cognitâ, consenserit, & licentiam dederit, quale privilegium habet Societas Jesu ex concessione Pauli III. Pii IV. & Pii V. ut nullus ad alium Ordinem transire possit, præterquam Carthusianum, nisi de expressa licentia Præpositi Generalis, ut habetur in *Compend. privileg. V. Apostatæ; n. 9. Sanch. cit. l. n. 28.* Ubi addit, hoc privilegio gaudere omnes Mendicantes per participationem: id verò negat *Fagnan. in c. Licèt; 18. n. 22. h. t.* quia hujusmodi communicationes non extenduntur ad ea, quæ sunt difficilis concessionis, ex declar. S. Congreg. Concil. & Rotæ.

Notandum tertiò. Facultas à quocúnque Prælato concessa alicui, ex justa causa, transeundi ad aliam Religionem, intelligi debet de Religione strictiore, vel æquè strictâ: non autem de laxiore, ut docet *Navarr. Lib. 3. consil. 57. h. t. Rodriq. cit. q. 52. a. 11. Sanch. Lib. 6. c. 7. n. 74.* Ratio est, quia talis facultas potest habere hunc effectum, ut vi illius possit quis transire ad Religionem æquè strictam, ad quam, sine illa, non posset transire, ergo non potest habere hunc effectum; ut licitum sit transire ad laxiorem, cùm in hoc transitu diversa sit ratio. Quod tamen limita *Sanch. c. l.* nisi in facultate concessa adjecta esset particula universalis, ut liceat transire ad quamcúnque Religionem; quia sub tam generali concessione comprehenditur etiam Religio laxior. Porro sub generali, & absoluta facultate, à Papa concessa transeundi ad aliam quamcúnque Religionem laxiorem, non comprehenditur licentia transeundi ad Ordines militares, vel etiam Hospitalarios; quia licèt sint veræ Religiones à Sede Apostolica approbatæ: non tamen sub generali nomine Religionum comprehenduntur, nisi exprimantur, *Rodriq. cit. q. 52. a. 11. Sanch. c. l. num. 35.* contra *Navarr. c. l.*

CLXIX. Notandum quartò. Si una ex conditionibus jure requisitis, ad legitimum transitum, sive quia non ex bono zelo, sed ex levitate aut temeritate Professus transiit ad alium Ordinem: sive quia Religio, ad quam transiit, non est strictior: sive quia prioris Religionis privilegium Pontificium transivit: sive quia non est petita licentia transeundi: si inquam, vel una ex his conditionibus desit, tametsi transiens in altero Ordine ad Professionem admissus fuerit, Professio non tantùm illicita est: sed etiam invalida, & transiens à Prælato priore revocari potest, ut fusè probat *Sanch. cit. c. 7. n. 88. & seqq.* Ratio est, quia propter publicum cujùsque Religionis bonum SS. Canones ab una Religione ad aliam, & liberationem à prima Professione, non aliter permittunt, nisi sub prædictis conditionibus, & colligitur ex *c. 2. caus. 19. q. 3.* & clariùs ex *c. Licèt; 18. h. t.* Ubi in fine solùm permittitur transitus ad Religionem strictiorem, si fiat corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ: tum enim transiens molestari non debet: sed si vel una ex dictis conditionibus deficiat, non potest dici, transitum fieri modo prædicto, adeóque tunc potest, qui transiit, revocari à Prælato priore, & Professio est irrita; quia transitus factus est, nullo jure permittente, *Sanch. cit. c. 7. n. 70.* Præterea quòd Professio etiam sit irrita, quando non est petita licentia transeundi, et cætera adsint, colligitur ex *cit. c. Licèt in fine*, ubi dicitur, *transeuntem ad Ordinem strictiorem revocandum non esse*, si constet eum bono animo & fide transisse, cujusmodi animus præsumi non potest, quando, non petitâ licentiâ, transiit: sed potiùs quòd ex temeritate & levitate transierit, adeóque tunc revocandus est, *Sanch. c. l. n. 95.* & docet etiam *Abb. ibid. n. 10. Azor cit. c. 14. q. 6. Less. cit. c. 41. n. 101.*

Excipit *Sanch. c. l. n. 92.* cum *Io. Andr. in cit. c. Licèt; n. 22. & Abbat. n. 12.* quòd si cæteræ conditiones adsint, videlicet bonus Zelus, & petita licentia, sed Religioni per talem transitum grave damnum inferatur, tunc transitus, & Professio in altero Ordine n. 8

erit quidem valida: sed Ordo graviter læsus potest petere restitutionem in integrum: de quo tamen meritò dubitari potest, tum quia in *cit. c. Licèt*; omnes prædictæ conditiones requiruntur, & sub eodem verborum tenore ponuntur, ergo non est ratio, quare ob defectum unius potiùs, quàm alterius conditionis, transitus, & Professio in posteriore Ordine sit invalida: sed vel ob defectum cujusliber ex prædictis conditionibus, vel nullius omnino, erit invalida. Tum quia is, qui cum gravi damno Religionis desertæ transit, peccat, adeóque non potest dici zelo melioris frugis, & corde puro & conscientiâ bonâ transire, ut advertit *Palao p. 3. Tract. 16. disp. 4. pun. 16. §. 4. n. 2.* Verùm contrariam sententiam, quòd Professio in posteriore Religione facta, propter defectum unius ex prædictis conditionibus, & specialiter ob non petitam licentiam, non sit invalida: sed tantùm illicita, ideóque transiens, post Professionem in strictiore Religione emissam, non sit revocandus: sed pro qualitate culpæ puniendus, docent *Silvest. V. Religio*; 4. *q.* 1. *Suar. tom.* 4. *de Relig. Lib.* 3. *c.* 10. *n.* 22. *Palao c. l.* Ratio est, tum quia talis transitus ad Religionem strictiorem, jure naturæ, est validus; quia commutatur votum in melius, & in substantia non est contra priorem Professionem: etsi sit vitiosus, & illicitus, ob pravam circumstantiam finis extrinseci, vel damni Religionis desertæ, vel quia est contra obedientiam debitam Prælato. Neque etiam talis transitus reperitur irritatus, jure positivo, seu Canonico, cùm in *cit. c. Licèt*; & alibi nullum sit verbum irritans. Et hæc sententia probabilitate non caret, ut fatetur etiam *Sanch. c. l.*

Notandum quintò. Si Religiosus temerè transivit ad aliam Religionem, v. g. non petitâ licentiâ, vel eâ justè denegatâ, cùmque postea facti pœniteat, ac redeat, tenetur eum Religio iterum recipere, ut docet *Innoc. in c. Ioannes*; 5. *h. t. & Ioann. Andr. ibid. n.* 13. *Sanch. cit. c.* 7. *n.* 105. Quia Religiosus Professus juri suo, nec expressè, nec tacitè renunciare potest, propter spirituale matrimonium, per traditionem personæ suæ cum Religione contractum. Aliud est de Clericis sæcularibus, qui Beneficiis suis renunciare possunt, *c. Quod in dubiis*; 8. *de renunc. Innoc. c. l.* Idem verò dicendum est, si Professus transivit ad aliam Religionem laxiorem, vel æqualem, sine legitima facultate, debet enim reversus ad priorem Religionem recipi, ob eandem, imò majorem etiam rationem, cùm tunc certum sit, Professionem in posteriore Ordine factam, fuisse irritam, *Sanch. c. l. n.* 106.

§. III.

An & quatenus permissum sit, vel prohibitum, ex certis Religionibus transire ad alias?

CLXX. Quæritur primò. An Canonicus Regularis possit transire ad Ordinem Monachalem, vel vice versâ, Monachus ad Canonicos Regulares? Resp. primò, potest Canonicus Regularis transire ad Ordinem Monachorum, dummodo in Monasterio, ad quod vult transire, strictior sit observantia, prout sumitur » ex *c. Sanè*; 10. *h. t.* Nam cùm quidam Canonicus » Regularis, post Professionem factam, inde fugiens à quodam Abbate in Monachum receptus fuisset, » consultus super hoc Papa Alexander III. Respondit, » si locus seu Monasterium, in quo nunc versatur, majoris religionis, seu strictioris observationis sit, » ipsum ibi permittendum esse, remanere: alioquin » verò, ut ad priorem suam Ecclesiam redeat, esse » compellendum. Porro non sufficit hoc casu, ut Regula Ordinis, ad quam fit transitus, secundùm se, & ex primæva sua institutione sit strictior: sed requiritur, ut de præsenti strictior observatio in ea vigeat, ut docet *Io. Andr. hîc n.* 1. *& Abb. n.* 4. & patet ex supra dictis: nam non est permissum transire ad aliam Religionem, nisi ex zelo majoris boni, qui tunc apparet, si regularis observantia in Ordine, ad quem Professus se conferre vult, sit arctior, alioquî enim, non majoris religionis: sed dissolutionis causâ, videbitur moveri, ad transeundum.

Sed contra obstare videtur primò, *Text. in c.* 1. *& 2. seqq. c.* 19. *q.* 3. Ubi severè prohibetur, ne Canonici Regulares Monachi fiant: Consentit c. *Intelleximus*; 12. *de ætat. & qual. &c.* Verùm id decretum fuit, secundùm veteris Ecclesiæ morem, nam olim Clerici Monachi non erant, nec Divina Mysteria tractabant: sed soli orationi & contemplationi vacabant, & ideo, si quis tunc ex Canonico Regulari Monachus fieret, censebatur descendere, & ex Clerico Laicus fieri: At verò nunc, cùm Monachi etiam fiant Clerici, & Sacra Ministeria obeant, ideo hodie transire licitum est, ex Ordine Canonicorum Regularium, ad Ordinem Monachorum, ubi etiam nunc arctior est observantia Regularis, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 2.

Objici potest secundò. Quòd in casu *cit. c. Sanè*; Canonicus ille Regularis fugit, cùm igitur, non petitâ licentiâ, discesserit, potuit revocari à Prælato suo, eique restitui debuit, ut tradit *Gl. in cit. c.* 2. *V. Monachus*; *caus.* 19. *q.* 3. Sed responderi potest, cum *Gl. jam cit. Abb. in cit. c. Sanè*; *n.* 2. quòd Papa in casu illius cap. quasi dispensativè permiserit, ut Professus, sine licentia petita, transiens ad strictiorem Ordinem, in eo permanere possit, ut colligitur ex illis verbis, *remanere permittas*, quandoquidem per hoc priori Religioni leve fit præjudicium, cum etsi ei restitueretur, mox iterum ad strictiorem Religionem redire posset, petitâ, etsi non obtentâ licentiâ. Deinde dici potest, quòd fortè Canonicus iste licentiam transeundi petiérit à Prælato suo, licèt id in specie facti non fuerit expressum, qui tamen eam injustè negavit, & ad permanendum cogere voluit, ideóque is fugere, ac discedere potuit, & se conferre ad Ordinem Monachorum: vel etiam, ob metum injustum, & gravem, non fuit ausus petere licentiam. Sed etsi dicatur, quòd Canonicus ille transiens ad Ordinem Monachorum malè egerit, si tamen postea, quando revocatur à Prælato prioris Religionis, excipiat, allegando notoriam, & indubitatam causam, ob quam licitè potuit transire, nec à Prælato rationabiliter impediri, tunc manere debet in posteriore Religione; quia spoliatus non restituitur, si notoriè constet, nullum jus ipsi competere: sed spoliatori, ut docet *Abb. in c. In literis*; 5. *n.* 10. *de restit. spol.* Denique *Innoc. in cit. c. Sanè*; & alii Dd. apud *Sanch. num.* 94. Respondent, si aliquis bono aliàs zelo, etsi non petitâ licentiâ, ad Ordinem strictiorem transierit, ideóque malè egerit, in illa tamen permanere

posse

posse, nec esse revocandum, juxta sententiam supra allatam.

CLXXI. Resp. secundò, ab Ordine Monachali non est, vice versâ, permissum transire, ad Ordinem Canonicorum Regularium, ut colligitur ex *cit. c. Sanè*, & constat ex *c. Licèt*; 18. *h. t.* & docet *Suar. tom.* 4. *de Relig. Lib.* 3. *c.* 10. *num.* 11. idque certum est apud omnes, postquam Monachi, secundùm præsentem consuetudinem Ecclesiæ, sunt assumpti in Clerum. Ratio est, quia non licet transire ab Ordine strictiore ad laxiorem, spectato Jure communi, & sine dispensatione: atqui Ordo Monachorum strictior est, quàm Ordo Canonicorum Regularium, ut expressè habetur in *c. Quod Dei*; 5. *de stat. Monach.* Ergo *&c.* Excipi debet, nisi fortè in Ordine Monachorum, cujus Regula strictior est, illa non observaretur: sed remissiùs, vel laxiùs in ea viveretur, quàm in Ordine Canonicorum Regularium, tunc enim à tali Ordine Monachali transire liceret ad Ordinem minorem, seu secundùm Regulam laxiorem, quæ tamen meliùs observatur, tametsi hoc casu necessarium videatur Superioris judicium, *Io. Andr. in cit. c. Sanè*; *n.* 3. *Abb. ibid. n.* 7.

CLXXII. Quæritur secundò. An spectato Jure communi, ex Ordine Mendicantium permissum sit transire, ad Ordinem Monachalem, seu non Mendicantem, vel ad alium Ordinem Mendicantem? Resp. » primò, nullus Religiosus Ordinum Mendicantium » quorumcúnque, vigore cujuscúnque licentiæ, etiam » Indulti Apostolici, vel Nuncii Sedis Apostolicæ, » aut Pœnitentiarii Papæ, ad Ordinem Monachorum, » seu non mendicantium (excepto Carthusianorum » Ordine) quovis prætextu, transire audeat, sub pœ» na excommunicationis, quam tam recipientes: » quàm transeuntes, seu recepti, ipso facto, incurrunt: » cujus absolutio Romano Pontifici (præterquam in » mortis articulo) est reservata. Insuper Professio in » posteriore Ordine emissa, est irrita, & transiens in» tra XV. dies, à die monitionis computandos, ad » priorem Ordinem redire tenetur, ex quo, sive cum » licentia, sive sine illa recessit, alioquin tanquam » notorius Apostata excommunicatus ab omnibus » reputari debet. Deinceps verò nullus ex Ordinibus » Mendicantium in aliquem Monasticum Ordinem » (Carthusiensium excepto) recipiatur, sine specia» li licentia Sedis Apostolicæ, sub iisdem pœnis, & » secus facta ipso jure sunt irrita, prout statutum est in *Extravag. Viam*; 1. *quæ est Martini IV. h. t.* Idque decretum fuit, ob publicum bonum, & conservationem Ordinum Mendicantium, *ut ibid. dicitur*: nam quamvis aliquis Ordo Monachorum sit strictior, quàm aliquis ex Ordinibus Mendicantibus; quia tamen tales transitus rarò ex bono zelo proficiscuntur, & felicem exitum sortiuntur, ut notat *Io. Andr. in c. Licèt*; 18. *n.* 2. *h. t.* ideo talis transitus absolutè fuit prohibitus, nisi S. Pontifex, causâ cognitâ, specialem licentiam transeundi, concesserit.

CLXXIII. Ubi Notandum primò. Quamvis *Less. Lib.* 2. *c.* 41. *n.* 104. *& Sanch. Lib.* 6. *c.* 7. *n.* 68. putent, hanc Constitutionem, vel quoad hoc, usu non esse receptam, vel intelligendam esse de transeuntibus, sine legitima causa, ut colligitur ex illis verbis: *fucatis coloribus*, & paulò post, *ut liberiùs degant, & Beneficia Monastica consequi valeant*, adeóque posse, etiam sine dispensatione Papæ, transire Religiosos Mendicantes, ex justa causa, ad alium Ordinem non Mendicantium: Oppositum tamen, nempe per hunc Extravag. ablatam esse facultatem dandi Prælatis Regularibus, docet *Azor p.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 12. *Suar. disp.* 22. *de renunc. sec.* 5. *n.* 16. & alii apud *Barb. in cit. Extravag.* 1. Verùm in praxi illa in pluribus locis non est usu recepta. Ex concessione verò Gregorii XIII. in Bulla, quæ incipit, Cùm aliàs, die 22. Septembris anno 1582. possunt Religiosi Societatis Jesu, etiam Professi, de licentia Præpositi Generalis, ad quovis alios Regulalares Ordines transire, etiam non Mendicantes, quæ tamen facultas non communicatur aliis Ordinibus, qui aliàs sua privilegia cum Societate participant.

Notandum secundò. Cùm à Papa in privilegiis concessis pluribus Ordinibus Religiosis, in quibus prohibetur transitus ad aliam Religionem, etiam strictiorem, ordinariè excipi soleat Ordo Carthusianorum; & vice versâ, ab his nunquam reperiatur concessus transitus ad alium Ordinem, sub motivo arctioris Religionis: consequens est, Religionem Carthusianorum, licèt in quibusdam aliquæ Religiones sint rigidiores, tamen omnibus consideratis, censeri omnium Religionum absolutè strictissimam, idque propter perpetuam abstinentiam à carnibus in omnibus eveniibus, Chorum item perpetuum, & silentium, atque perpetuam clausuram, *Sanch. cit. c.* 7. *n.* 29.

CLXXIV. Resp. secundò, de Jure communi, ex uno Ordine Mendicantium potest licitè fieri transitus ad alium Ordinem Mendicantium, servatâ formâ jure præscriptâ; quia talis transitus non est prohibitus, modò transitus fiat ad Religionem Mendicantium perfectiorem, aut strictiorem, non tantùm secundùm Regulam primitus institutam: sed etiam, quoad præsentem observationem, juxta suprà dicta, *Mirand. in Man. Prælat. Reg. tom.* 1. *q.* 31. *a.* 7. *conclus.* 1. *& 2. ubi concl.* 3. addit, in dandis hujusmodi licentiis spectanda esse singularum Regularum Religionum Mendicantium privilegia, vi quorum prohibentur transire ad alium Ordinem, etiam Mendicantium, & an sint in usu, nec ne revocata.

CLXXV. Quæritur tertiò. An Religiosus assumptus ad Clericatum, seu ad Chorum deputatus possit ad statum FF. Laicorum sive Conversorum transferri? Resp. de jure communi posse, ut docet *Sanch. Lib.* 6. *c.* 7. *n.* 80. *Pelliz. in man. Tract.* 3. *c.* 5. *Sec.* 3. *n.* 138. Ratio est, tum quia per talem translationem non mutatur status Religionis substantialiter: sed solùm accidentaliter, cùm Religiosus Laicus iisdem votis obligetur: tum quia si potest Prælatus Regularis dare facultatem, transeundi ad aliam Religionem laxiorem, ergo multò magis ad inferiorem statum, intra eandem Religionem, qui etsi sit humilior, est tamen asperior. Requiritur autem, ut talis translatio fiat à Provinciali vel Generali, cum consensu Conventûs in Religionibus exemptis, vel ab Episcopo in non exemptis, ex justa causa: qualis est punitio delicti, ingens desiderium vitæ humilioris, inhabilitas ad literas addiscendas, & Ministeria Sacerdotalia obeunda, *Sanch. c.* 7. *n.* 83. neque tamen talis translatio fieri potest cum Clerico Religioso, qui jam in Sacris Ordinibus est constitutus: Et in hac re Ordinis cujusque statuta sunt inspicienda, an talem translationem admittant, necne, *Pelliz. c.* 5. *n.* 138.

CLXXVI.

CXXXVI. Quæritur quartò. An Prælatus inferior possit Religiosum professum in uno Monasterio compellere, ut transeat in aliud ejusdem Ordinis, intra, vel extra Provinciam? Resp. si Religio, ejùsque Monasteria, vel Collegia faciant unum Corpus, sub uno Capite totius Ordinis, videlicet Generali, tum Professus in uno Monasterio transferri potest à Provinciali ad aliud Monasterium ejusdem Provinciæ, vel etiam à Generali ad aliud alterius Provinciæ, modò talis translatio malo animo, vel ex odio non fiat. Si verò Monasteria ejusdem Professionis, & Regulæ non habeant unum Caput: sed singula subsint suis Abbatibus, vel Prioribus, sub Episcopo, vel immediatè sub Papa, tum spectato Jure communi, Regulares professi non possunt cogi, ad transeundum ab uno Monasterio ad aliud, etiam ejusdem Ordinis, sive intra, sive extra Provinciam, *Navarr. Comment. 4. de Regul. n. 22.* Ratio est, tum quia tales Religiosi non voverunt obedientiam, & Regulam, nisi in hoc Monasterio, in quo Professionem ediderunt: tum quia hoc solùm Monasterium tenetur alere suos Professos, ergo etiam hi soli tenentur illi servire; tum quia non possunt cogi ad relinquenda jura alimentorum, ipsis quæsita in Monasteriis, in quibus sunt Professi, nec privari, sine culpa sua.

§. IV.

Quænam Jure Canonico interdicta sunt Religiosis transeuntibus, etiam licitè, ad alias Religiones?

CLXXVII. De his agitur *in Clement. Ut Professores; 1. h. t.* Ubi inprimis statuitur, ut Religiosi, seu Professi mendicantes quilibet, qui ad Mendicantium Ordines, etiam auctoritate Apostolicâ hactenus transiverunt, vel in posterum (quamvis nunc Prioratus, administrationes, & officia, aut curam animarum, vel regimen quodcùnque obtineant) inibi vocem, aut locum in Capitulo non habeant, etiamsi hoc ipsis ab alijs (Capitularibus) liberè concedatur. Ad Prioratus quoque, administrationes, aut quæcùnque officia sic translati, in posterum non admittantur, etiam tanquam Vicarij, seu Ministri, vel locum aliorum tenentes: & nec animarum curam, & regimen possint pro se, vel pro alijs exercere. Et quicquid in contrarium attentatum fuerit, ipso jure, irritum decernitur, non obstantibus quibusvis privilegiis. Ratio autè prohibitionis hujus redditur *in princ. hujus Clement.* videlicet, ut Professi Ordinum mendicantium libentiùs, in qua vocati sunt, vocatione, id est, Religione, persistant, & transeuntes ad non mendicantium Ordinem in eo quietiùs conversari studeant, quò in ipsis discordiarum, & schismatum productiva ambitio reprimatur.

CLXXVIII. Circa prædictam Constitutionem Notandum primò. Nomine Mendicantium, adversùs quos ea lata est, comprehenduntur ij, quibus in Regula, aut Constitutionibus à Sede Apostolica approbatis interdictum est, reditus, & bona immobilia possidere in communi, quamvis illicitè contra prohibitionem illa obtineant, vel licitè ex dispensatione Sedis Apostolicæ, sicuti hodie *in Concilio Trident. Sess. 25. c. 3. de Regul.* dispensatum fuit, quoad hoc, cum omnibus Mendicantibus, præter Minores de observantia, & Capucinos; quia quoad alia retinent omnia privilegia Mendicantium, & privilegium unum tollens, non tollit aliud, *Sanch. cit. c. 7. num. 115.* Deinde comprehenduntur, non solùm quatuor Ordines Mendicantes expressi *in c. Unic. §. Sanè, de Relig. domib. in 6.* sed etiam alij, qui postea à Sede Apostolica pro Mendicantibus Ordinibus sunt declarati; quia Lex generalis, & perpetua, non tantùm præsentes: sed etiam futuros obligat, *Sanch. c. l. num. 117.*

CLXXIX. Notandum secundò. Hæc Constitutio pœnalis non extenditur ad illos Ordines mendicantes, qui non sunt simpliciter approbati: sed cum hac limitatione, ut nullum in posterum ad Professionem admittant, & possint ad quosvis alios Ordines approbatos transire (juxta *cap. un. §. Confirmatos, de Relig. domib. in 6.*) Nam hi expressè excipiuntur *in cit. Clement. 1. §. fin. h. t.* quia in his cessat ratio allata *in princ. ibid.* non enim expedit, eos manere in vocatione, seu Religione, in qua vocati sunt, *Gl. fin. ibid. Sanch. c. l. num. 111.* Secundò, non comprehendit hæc pœnalis Constitutio Mendicantes, transeuntes ad aliam Mendicantem Religionem, vel si non mendicantes transeant ad quamcùnque aliam Religionem; quia dicta Clementina loquitur solùm de Mendicantibus transeuntibus ad non mendicantes, *Gl. ibid. V. Mendicantium.* Tertiò, non comprehenduntur hoc Decreto Mendicantes transeuntes ad Carthusiam; quia *in cit. Clement.* est sermo de transeuntibus, virtute alicujus privilegij, etiam Apostolici, ad Religionem minorem, seu laxiorem, adeóque ad non mendicantem: at jure communi permissum est, transire ad Religionem strictiorem, etsi mendicans non sit, *Extravag. 1. h. t. Sanch. c. l. nu. 110.* Quartò, nec comprehenduntur mendicantes Novitij, nec invalidè Professi, ita, ut licitè possint ad aliam Religionem transire, cùm ad priorem non sint obligati; dicta enim Clement. expressè loquitur de Professis, qui tenentur in priore vocatione persistere, *Gl. ibid. V. Ut Professores, Sanch. c. l. num. 112.* Quintò, non comprehenduntur, nomine Mendicantium, illi, quibus ex Regula, vel Constitutionibus à Sede Apostolicâ approbatis, non est interdictum possidere reditus, & bona in communi, licèt actu mendicent, ut constat *ex cit. c. un. §. Confirmatos, de Rel. dom. in 6. Sanch. c. l. nu. 113.* Sextò, non debet extendi hæc Constitutio ad Religiosos mendicantes, qui legitimè transiêrunt ad non mendicantes; quia dicta Clement. loquitur de permanentibus in Ordine non mendicante, *Sanch. c. l. n. 118.* Septimò, non comprehenduntur hoc decreto Moniales Ordinum mendicantium, ut Prædicatorum, & Minorum; quia non ex privilegio: sed ex Regula sua possunt habere reditus, & bona in communi, *Sanch. cit. loc. num. 116.* Licèt contrarium teneat *Gl. in cit. Clement. 1. V. Quoslibet.* Octavò, denique putant nonnulli, quòd pœnæ *cit. Clement.* sint extendendæ ad eum, qui ex Ordine Mendicantium est assumptus ad Episcopatum: sed eo postea deposito,

cum facultate Papæ, transiit ad Ordinem non mendicantem, eò quòd liberatus sit à jugo prioris Ordinis. Sed contrarium est verius, quia per assumptionem ad Episcopatum non amisit statum mendicitatis, licèt ejus exercitium fuerit suspensum, adeóque transiens postea ad Ordinem non mendicantem, in priore vocatione non persistit, & consequenter pœnis dictæ Constitutionis subjacet, *Sanch. cit. loc. num.* 119.

CLXXX. Notandum tertiò. Prima pœna *in dicta Clement.* contra Mendicantes transeuntes ad non mendicantes lata, est privatio vocis, & loci in Capitulo: quod intelligendum est, de privatione vocis, tam activæ, quàm passivæ; quia Textus indistinctè, & generaliter loquitur, *Navarr. in Comment. 4. de Regul. nu.* 34. *Sanch. Lib. 6. c. 7. n.* 120. Verùm de quo Capitulo hoc intelligendum est? Probabilius est, quòd adverbium *inibi* referri debeat ad Ordines non mendicantes, ita, ut si transeuntes ad illos, in his Ordinibus Prioratum, vel Regimen habeant, careant voce, & loco in Capitulo: secus si obtineant extra Religionem, v. gr. in Ecclesia sæculari Cathedrali, vel Collegiata, tum enim non privantur voce in Capitulo illius Ecclesiæ, idque ex eo colligitur, quòd post adverbium *inibi* ponitur virgula in Codicibus correctioribus, *Gl. ibid. V. Inibi*, *Sanch. cit. loc. num.* 121.

Porro quod dictum est, eos, qui administrationem, Prioratum, aut Regimen in Ordinibus non mendicantibus obtinent, privari voce in Capitulo, id intelligendum est, non de particulari Capitulo Conventûs Regularis: sed de Capitulo Generali, vel Provinciali, quòd in illo vocem non habeant. Vel non de Prælatis, qui præsunt toti Conventui: sed de alijs Prioribus inferioribus, & ipsis subjectis, qui administrationem aliquam habent: hi enim non habent vocem in Capitulo etiam particulari ipsius Conventûs, quorum etiam consensus ad gravia negotia Monasterij non est necessarius, *Gl. in cit. Clem. V. Inibi*, *Sanch. c. l. n.* 122. Deinde transiens ex Ordine Mendicante, ad non mendicantem privatu loco in Capitulo ad electiones, & tractatus habendos congregato: non autem ad correctionem, & disciplinam Regularem; quia æquum non esset à tali Capitulo, quod in bonum Religionis, & Religiosorum ordinatur, Religiosum excludere, *Sanch. c. l. n.* 123. loco autem in Choro, & alijs Conventibus, extra Capitulum, non privantur hujusmodi translati; quia pœna loquens de loco in Capitulo, non debet extendi ad alia loca, *Gl. in cit. Clem. V. Locum*, *Sanch. c. l. n.* 124. Denique hæc privatio vocis, & loci in Capitulo habet locum, non tantùm in ijs, qui tempore hujus Constitutionis latæ, ex Mendicantibus transierunt ad non mendicantes: sed etiam in illis, qui in posterum transituri sunt, ut constat ex verbis illis: *Transibunt in posterum*, *Sanch. c. l. n.* 125.

Notandum quartò. Altera pœna exprestà *in cit. Clem.* 1. est, quòd sic transeuntes reddantur inhabiles ad Prioratus, administrationes, & officia quæcùnque, etiam tanquam Vicarij, & locum aliorum tenentes, & ne animarum curam, & regimen possint per se, vel pro alijs exercere. Ubi prohibentur exercere illa officia, non tantùm intra Religionem: sed etiam extra illam, si hujusmodi officia per Religiosos non mendicantes extra Religionem solita sint exerceri, *Sanch. c. l. nu.* 126. quia Textûs *in cit. Clem.* loquitur generaliter, & prohibet indistinctè quæcùnque officia exerceri à talibus transeuntibus: tum etiam quia ex ejusmodi munerum assumptione discordiæ, & schismata orirentur; nam Religiosi, qui primò Ordinem intrârunt, si viderent Religiosos ex alio Ordine ad suum transeuntes, assumere administrationes, & officia sibi competentia, ipsis invidèrent, & exinde sequerentur multa alia inconvenientia: ad quæ evitanda, emanavit supra dicta Constitutio, *Gl. magna, in cit. Clem.* §. *Item propter.* Porro nomine Officiorum hîc intelliguntur omnia munera, per Religiosos exerceri solita, ut Sacristæ, Oeconomi, Ostiarij, Cellarij, Syndici, & similia; quia in *cit. Clem.* 1. universaliter prohibentur exerceri quæcùnque officia, quæ communiter à non mendicantibus exerceri solent, *Navarr. c. l. num.* 127. Et hinc Religiosi sic transeuntes non possunt etiam exercere munus prædicandi publicè, & solenniter, nec Officium Professoris Theologiæ, vel Juris Canonici, vel aliarum Facultatum; quia hæc omnia dicuntur & censentur in Religione officia, *Navarr. cit. loc. Sanch. c. l. num.* 128. possunt tamen hujusmodi Religiosi suscipere gradum Magisterij, Licentiæ, vel Doctoratûs; quia hi gradus non sunt officium aliquod, vel administratio, *Sanch. c. l. n.* 131.

Huc præterea pertinet, quod *in Concilio Tridentino Sess.* 14. *cap.* 11. *de reform.* statuitur, ut omnes Religiosi in Claustro Ordinis, ad quem sunt translati, sub obedientia sui Superioris perpetuò maneant, & sic translati, etiamsi fuerint Canonici Regulares, sint omnino incapaces ad Beneficia sæcularia, etiam curata. Idque procedit, quamvis ad strictiorem Ordinem sint translati, vigore cujusvis facultatis, *Less. cit. cap.* 41. *num.* 205. *Sanch. Lib.* 6, *cap.* 7. *num.* 108.

§. V.

Aliæ quæstiones circa translationem Religiosorum ab uno Ordine ad alium resolvuntur.

CLXXXI. Quæritur primò. An legitimè translatus ab uno Ordine ad alium, ut sit Prælatus ipsius, debeat de novo in illo Professionem emittere? Resp. debere de novo profiteri, expresè, vel tacitè, ac proinde finito officio Prælaturæ, per renunciationem, vel depositionem, manet Professus posterioris Monasterij, ut docet *Navarr. Lib.* 3, *Con.* 60. *h. t. Rodriq. Tom.* 3. *q.* 52. *ar.* 26. *Sanch. Lib. c.* 7. *num.* 85. *Mirand. in man. Præl. q.* 31. *concl.* 1. & 2. Ratio est, tum quia translatus ab una Ecclesia, vel Monasterio ad aliud, perdit omnia jura prioris Ecclesiæ, vel Monasterij, *c. Si quis* 3. *caus.* 21. *q.* 2. *c. Nec pro cujusliber* 37. *caus.* 16. *q.* 1. ergo habet jus in alio, ad quod est translatus, alioquî utroque esset privatus, quod haud æquum foret. Tum quia Professus translatus ad alium Ordinem, ut sit Prælatus, hoc ipso, quòd eligitur, & confirmatur, tacitè profitetur observantias illas, quæ ultra tria vota substantialia servandæ sunt, adeóque fit Professus ejusdem Ordinis. Idem-

Idémque dicendum de eo, qui est translatus ab uno Ordine ad alium, ut sit ibi simplex Monachus, seu Professus.

CLXXXII. Quæritur secundò. An legitimè translatus ab una Religione ad aliam, obligatus sit ad vota specialia in priore Religione emissa, v. gr. an translatus à Religione Minorum, teneatur à carnibus abstinere, etiamsi in Religione, ad quam transijt, licitum sit vesci carnibus? Respond. non teneri, quia illa vota specialia sunt annexa Professioni, quæ cùm cesset per legitimam translationem, ideo etiam hæc vota velut accessoria cessant, *Sanch. cit. loc. num.* 87.

CLXXXIII. Quæritur tertiò. Ad quod Monasterium, seu Religionem pertineant bona Religiosi licitè transeuntis ab una Religione ad aliam diversam? Resp. primò, si utrumque Monasterium, seu utraque Religio, ex qua fit transitus, & ad quam transitur, sit bonorum in communi capax, omnia bona priori Monasterio, seu Religioni, ratione Professi, seu Religiosi acquisita, tam quoad proprietatem, quàm usumfructum apud illud manent, sive ad aliud Monasterium diversi Ordinis transeat, sive ad Episcopatum assumatur, post Professionem validè emissam. At verò omnia, quæ obveniunt Religioso post transitum ad aliud Monasterium, vel Religionem, & Professionem in illa validè emissam, acquiruntur posteriori Monasterio, sive Religioni, *Silvest. V. Religio* 4. *q.* 10. *Azor. p.* 1. *lib.* 12. *c.* 15. *q.* 2. *Molin. tract.* 2. *de justit. disp.* 140. *num.* 29. *Sanch. Lib.* 7. *mor. cap.* 32. *num.* 8. *& 9. & alij apud ipsum cit.* Idque probatur *ex Auth. de Monachis*, §. *Si verò relinquens*, *c.* 7. *coll.* 1. Ratio est, tum quia cùm per Professionem in priore Religione, seu Monasterio omnia bona Professi absolutè, & omnino independenter à futuro transitu illius ad aliam Religionem sint acquisita, *Auth. Ingressi*, *C. de SS. Eccles.* Ubi absolutè dicitur, per ingressum, seu Professionem omnia bona Professitentis dedicari Deo, seu Monasterio acquiri, ergo non debet prius Monasterium bonis jam absolutè, & perfectè acquisitis privari, ob transitum Religiosi ad aliud. Tum quia cùm Religiosus transiens ad aliud Monasterium post Professionem, posteriori acquirat, & ipsi inservire debeat, quippe jam omnino absolutus à priore; ideo posterius Monasterium illum alere debet, nec potest dici ipsi onerosus, cùm obligatus sit ipsi inservire, & acquirere. Tum denique quia spes succedendi in hæreditate necdum delatâ, non est verè, & reipsâ acquisita priori Monasterio, ante mortem ejus, cui succeditur, v. g. patris, ac proinde cum Professo transeunte ad aliud Monasterium, etiam ipsa spes succedendi in hæreditate deferenda, sed nondum delata, ad illud transit, *Gl. in c. un. V. Restituat*, *caus.* 18. *q.* 1. *Sanch. cit. loc. num.* 16.

CLXXXIV. Resp. secundò, si Religiosus ex Ordine bonorum incapace, legitimâ auctoritate, transeat ad Ordinem bonorum capacem, vel vice versâ, ut si Minor de observantia transeat ad Ordinem Carthusiensem, vel Dominicanus ad Ordinem Minorum: tum bona absolutè, & perfectè acquisita priori Monasterio capaci, vel si erat incapax, Professi hæredibus ab intestato, qui ante transitum Religiosi jam adiêrant hæreditatem, manet penes prius Monasterium capax: vel si erat incapax, penes hæredes ab intestato; quia jure jam perfectè acquisito, propter subsequentem transitum ex Ordine incapace ad capacem, vel à capace ad incapacem bonorum, non debent privari, *Sanch. cit. c.* 32. *num.* 20. Si verò Religiosus ab uno Monasterio, vel Religione transferatur ad aliud, non ut ibi profiteatur: sed ut pœnitentiam agat, ob unum, vel plura delicta, tum quoad bona priori Monasterio acquisita, ususfructus pertinet ad Monasterium posterius, non integer: sed quoad necessaria alimenta Religiosi: proprietas verò remanet penes prius Monasterium, cum qua, illo Religioso mortuo, vel redeunte, ususfructus consolidatur, ut colligitur *ex cap. De lapsis* 35. *caus.* 16. *q.* 6. *& cap. Si quis*; 30. *junct. Gl. V. Cautioni*, *caus.* 27. *q.* 1. *Silvest. & Azor. locis citt. Molin. cit. disp. num.* 28. *Sanch. c. l. nu.* 46. *&* 47. Ubi *num.* 48. excipit, nisi Religiosus ille ita deserviret Monasterio, in quo pœnitentiam agit, ut servitia præstita alimentis æquivalerent. Sed & illa bona, quæ tempore illius detentionis, acquisita sunt Religioso, pertinent ad prius Monasterium, detractis solùm alimentis, casu quo debeantur posteriori Monasterio; quia hic est professus in priore Monasterio, & solùm pœnitentiæ causâ detinetur in posteriore, sola autem Professio dat jus ad bona Professi, juxta *Auth. Ingressi*, *C. de SS. Eccles. Sanch. c. l. n.* 49.

CLXXXV. Illud postremò addendum, licèt transitus ab una Religione ad aliam, si serventur conditiones supra traditæ, sit licitus: non tamen est laudabilis, nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem fiat, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *in Corp.* tum quia consilium Apostoli, 1. *Corinth.* 7. est, ut unusquisque, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: tum quia hujusmodi mutationes, ac transitus inconstantiæ indicium præbent, & rarò in melius proficere sinunt; nam faciliùs proficit aliquis in Religione, cui assuevit, seu quam expertus est, quàm in illa, cui non assuevit: tum denique quia ex tali transitu plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur, & infamia aliqua inuritur Religioni desertæ, *S. Thom. cit. loc. Sanch. Lib.* 6. *mor. c.* 7. *num.* 1.

SECTIO V.

DE RELIGIOSIS FUGITIVIS Apostatis, & ejectis.

§. I.

In quo differant Religiosi fugitivi, Apostatæ, & ejecti, & an Religio teneatur illos quærere, & revocare?

CLXXXVI. Assertio 1. Religiosi fugitivi propriè dicuntur, qui à Monasterio, seu Ordine recedunt, sine Superiorum licentia, ut sint extra potestatem, & obedientiam, & ad tempus liberè vagentur, cum animo tamen ad Religionem redeundi: Apostatæ verò sunt, qui à Monasterio, seu

Ordine recedunt, animo excutiendi jugum Religionis in perpetuum, & omnino deserendi Institutum: nam si hic animus perpetuò recedendi ab Ordine desit: sed fugiant animo, ad tempus vagandi, extra Religionem: sed postea redeundi ad eandem, tunc erunt quidem fugitivi, sed non Apostatæ, *Azor. p. 1. lib. 12. c. 16. q. 1. Sanch. Lib. 6. mor. c. 8. num. 2. & alij apud ipsum.* Quod tamen limitat *Suar. Tom. 4. de Relig. c. 1. num. 21. & 2. seqq.* si Religiosus habuit animum citò reassumendi habitum, & redeundi ad Religionem, nam si fugeret, ac dimitteret habitum, cum animo vivendi, ac permanendi stabiliter, extra Religionem, longo tempore v. g. per 3. vel 4. annos, vel indeterminatè, donec aliquod diuturnum negotium perficiat: censendus erit verus Apostata, etiamsi animum habeat redeundi, finito illo tempore, vel negotio: nam tunc præsumitur, animum revertendi amisisse, *arg. §. Pavonum, Instit. de rer. divis.* & reputatur, ac si nunquam animum revertendi habuisset: quanta autem debeat esse illa temporis mora, judicio prudentis æstimabitur, *Suar. cit. c. 1. n. 25. Tambur. Tom. 3. de jure. Abb. dis. 8. q. 1. n. 13.* Quare nomen *fugitivi* dupliciter accipitur, vel latè, prout comprehendit fugitivos, qui non sunt Apostatæ, & qui sunt verè Apostatæ: & secundùm hanc acceptionem, omnis quidem Apostata est fugitivus: sed non vice versâ; omnis fugitivus est Apostata. Vel accipitur strictè, ac propriè, prout opponitur Apostatæ: & tunc fugitivus dicitur ille, qui ab Ordine discedit ad tempus, sine licentia sui Prælati, ut liberè vagetur, animo tamen redeundi ad Religionem, & talis non est Apostata, sed solùm fugitivus, *Azor. cit. c. 16. q. 1. Less. Lib. 2. c. 41. num. 109. Sanch. cit. c. 8. n. 2.*

Denique ejecti Religiosi sunt illi, qui non sponte recedunt: sed ob culpam suam è Religione exire compelluntur, de quibus infra.

CLXXXVII. Hinc infertur primò, quòd is, qui à Religione recedit, animo nunquam redeundi ad illam, sit verus Apostata, etiamsi habitum Regularem retineat; quia sicut habitus Monachum non facit, sed Regulæ Monasticæ Professio: Sic Apostatam reddit recessus à Monastica Professione, etiamsi habitus non deponatur, *Azor. cit. Lib. 12. c. 17. q. 6. Sanch. cit. c. 8. n. 4.* Contrà verò non est Apostata, sed solùm fugitivus, qui deposito habitu, ad tempus à Religione discedit, animo ad illam redeundi, *Sanch. c. l.* Similiter non est propriè dictus Apostata, qui habitum Religionis aliâ veste superindutâ tegit; quia solus animus recedendi in perpetuum à Religioso Instituto verum Apostatam constituit, *Sanch. c. l. n. 5.*

Infertur secundò, inter Regulares fugitivos » numerantur etiam illi, qui à suis Conventibus (si- » ne licentia Superioris) recedunt, etiam prætextu » ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, » aut vocati fuerint, prout id prohibetur *in Concilio* » *Tridentino Sess. 25. c. 4. de Regul.* Ubi etiam additur: » Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obten- » to, repertus fuerit, ab Ordinariis locorum tan- » quam desertor sui Instituti puniatur. Quod tamen decretum intelligendum non est de ijs Religiosis, qui à Superiore iniquè tractantur, & vexantur, ij enim si aliud remedium non habeant, licitè fugere possunt è Monasterio, inscio Superiore, vel etiam eo invito, exire, alium Superiorem adeundi gratiâ, ut per illum ab iniqua oppressione liberentur; idque ob justam defensionem, jure naturæ omnibus concessam: ac proinde tales Regulares non sunt desertores sui Instituti, nec Apostatarum pœnas incurrunt, modò certò, & evidenter constet, vel probari possit, Religiosum injustè vexari à Superiore suo, nec habere aliud remedium, nisi ut Superiorem Prælatum adeat, & seipsum apud illum tueatur, *Navarr. in Comment. de Regul. num. 51. ad 4. Azor. cit. Lib. 12. c. 11. q. 7. Sanch. cit. c. 8. num. 17. & 18.*

Infertur tertiò, quòd fugitivus non incidit in pœnas Apostatis jure impositas, etiamsi habitum dimittat, cùm verus Apostata non sit.

CLXXXVIII. Illud hîc addendum, etsi Religiosi cujuscùnque Ordinis, qui se ultra mare ad loca, in quibus pauci fideles, respectu infidelium, commorantur, sine licentia sui Superioris per- tentes ipsius literas concessas conferant, veri Apostatæ non sunt, tamen ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, prout statuit *in Extrav. Ut nostram; 2. h. t. inter communes*, Ubi etiam Papa præcipit ipsis Superioribus, ne hujusmodi licentiam concedant, nisi viris literatis, providis, & expertis, & ut Ecclesiarum Prælati in illis partibus tales transeuntes ad prædicandum, & celebrandum Divina, non admittant, nisi per patentes literas Superioris sui, de licentia se illuc conferendi, ipsis plenam fidem fecerint: sed eos tanquam Apostatas capiant; vel capi faciant, donec de licentia speciali constet. Denique mandat, ut Prælati, quoscùnque Religiosos reperierint, publicè, vel privatim docentes, vel prædicantes, quæ Fidei sunt contraria, incarcerent, & secundùm Canonum statuta castigent, summariè procedendo, & sine strepitu judicij: non obstantibus exemptionibus, & alijs privilegiis quibuscùnque.

CLXXXIX. Assertio 2. Abbates, seu Prælati Religionum tenentur fugitivos, seu Apostatas, & ejectos ex Ordine requirere, & revocare, eosque cogere, ut ad Monasterium, seu Ordinem revertuntur, prout sumitur *ex c. Ne Religiosi, 24. & ult. h. t.* Ubi Papa Gregorius IX. ne Religiosi vagandi occasionem habentes, propriæ salutis detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statuit, ut ij, qui Capitulis Generalibus præsident, secundùm statutum *Concil. Generalis Lateranensis sub Innocentio III. c. 22.* (quod refertur *in c. pen. de stat. Monach.*) seu Abbates, seu Priores fugitivos suos, & ex Ordine ejectos annuatim solicitè requirant. Qui si in Monasteriis suis, secundùm Regulam Ordinis, recipi possint, monitione præviâ, per Ecclesiasticam censuram, compellantur ad redeundum, salvâ Ordinis disciplina: (hoc est, impositâ eis pœnitentiâ, prout Regula illius Ordinis requirit, & præcipit; *Gl. hic V. Salva Ordini*) Quòd si hoc Regularis Ordo non patitur, tunc Apostolicâ auctoritate provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo id fieri possit, alioquin in alijs ejusdem Ordinis Religiosis domibus, ad agendam ibi pœnitentiam collocentur, & vitæ necessaria eisdem ministrentur. Si verò hujusmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes esse, re- pere-

» pererint, eos excommunicent, & curent ab Ec-
» clesiarum Prælatis publicè denunciari, eos tam-
» diu excommunicatos fore, donec mandato eorum
» parentes ad Monasterium revertantur.

CXC. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Non solùm Præsides Capitulorum generalium, qui toti Ordini, vel Provinciæ præsunt: sed etiam locales, seu immediati, Abbates, aut Priores singulorum Monasteriorum, quot annis, fugitivos (quo nomine etiam Apostatæ hîc comprehenduntur, ut tradit *Silvest. V. Apostasia, q. 6.*) & ejectos suos inquirere, & reducere debent, si commodè possint, ne peccatis eorum obnoxij fiant, *Azor. p. 1. Lib. 12. c. 17. q. 2. in fine, Sanch. Lib. 6. mor. c. 9. num. 11.* Quare hæc cura reducendi fugitivos, & Apostatas primò, & principaliter pertinet ad proprios Prælatos Ordinum: non autem ad Episcopos, seu Ordinarios, nisi Prælati Regulares auxilium eorum imploraverint: vel fugitivi, & Apostatæ in Diœcesi eorum, cum scandalo deliquerint: vel Prælati Ordinum in ijs reducendis negligentes extiterint, *Mirand. in man. Præl. Tom. 1. q. 51. art. 3. Laym. Lib. 4. tract. 5. c. 13. n. 7.*

Notandum secundò. Prælati Regulares etiam potestatem habent Religiosos suos fugitivos, & Apostatas, ubique locorum, capiendi, & incarcerandi, ut docet *Navarr. Commentario; 3. de Regul. num. 50. ex communi.* Ratio est, tum quia quicùnque rem aliquam possidet, si ab eo auferatur, potest illam; propriâ auctoritate, recuperare, cùm jus habeat ei insistendi, prout possessionem definit *Bartol. in l. Si quis; 17. §. Differentia, num. 4. ff. de acquir. poss.* tum quia dominus possidet, & capere potest servum fugientem, ubicùnque illum invenerit, *l. 1. §. Per servum, ff. eod.* ergo idem potest Prælatus Regularis, respectu subditi sui fugitivi, vel Apostatæ; idque confirmatur etiam ex quibusdam concessionibus à SS. Pontificibus Religionibus factis, de quibus *Tambur. Tom. 3. de Jure Abb. disp. 8. q. 3. n. 2.*

Notandum tertiò. Quod dictum est, Regulares fugitivos, & Apostatas, ac ejectos, requirendos, & revocandos esse: id limitandum est, dummodo ea reductio, & receptio non fit contraria Regulæ Ordinis; nam interdum Ordo prohibet tales recipi, prout *in Regula S. Benedicti; 29.* prohibetur, ne ij, qui ter fugitivi facti sunt, denuò recipiantur. Nihilominus tamen etiam tali casu fugitivi, & Apostatæ, monitione præviâ, per censuram Ecclesiasticam compellendi sunt, ut in suo Monasterio in locis competentibus, hoc est, non in communi consortio: sed separati ab alijs, in arcto ergastulo, seu Camera, si id sine gravi scandalo fieri possit, permaneant, ad agendam ibi pœnitentiam: alioquî verò in alijs ejusdem Ordinis Religiosis domibus collocentur, & necessaria alimenta ijs ministrentur, *Abb. in cit. c. ult. num. 2. h. t. Sanch. cit. cap. 9. num. 12. & 13.* per scandalum autem hîc intelligitur, si ob eam receptionem, cæteri Religiosi ita offenderentur, ut nolint commorari cum talibus fugitivis, vel ejectis: vel id determinandum est judicis arbitrio, *Sanch. cit. loc. num. 13.* Porro quia sæpe contingere potest, ut nullum aliud Monasterium ejusdem Ordinis velit recipere fugitivos, vel Apostatas, aut ejectos ex alijs Monasteriis, neque ab horum Prælato cogi possint, alij Prælati ad recipiendum, si Ordo unum Caput, sive Præpositum Generalem non habeat, ideò *in cit. c. ult. h. t.* mandat Papa, ut tali casu, Prælati fugitivorum, & ejectorum per delegatam auctoritatem Apostolicam procedant, *Abb. in cit. c. ult. n. 4.*

CXCI. Notandum quartò. Si Religiosus fugitivus, aut ejectus in alio Monasterio ejusdem Ordinis est collocatus, tum vel priori Monasterio, ex quo fugit, aut ejectus est: aut posteriori, in quo est inclusus, bona attulit: & æquum est, ut ex ijs alatur, juxta *cap. De lapsis; 5. caus. 16. q. 6.* Vel non attulit bona, aut non sufficientia ad alimenta necessaria: tum ali debet expensis prioris Monasterij, quod si id non habeat, unde eum alat, præbebit alimenta posterius Monasterium. Si verò neutrum Monasterium alimenta præstare possit, Præpositus Generalis, vel Capitulum Generale providebit, & imperabit alicui Monasterio, ad id sufficienti, ut ex misericordia alimenta subministret: sicut enim per auctoritatem delegatam Papæ imperari potest alteri Monasterio, ut fugitivum, vel ejectum recipiat, ad agendam pœnitentiam: ita etiam imperari poterit, ut alimenta ei suppeditet, si aliunde haberi non possint. Denique in defectum aliorum mediorum, tenetur Episcopus subvenire ex generali obligatione, quâ tenetur providere pauperibus, *Silvest. V. Apostasia, q. 10. Azor. cit. cap. 17. q. 3. Sanch. cit. cap. 9. num. 14.* Hæc autem procedunt in Monasteriis, in quibus Professi Titulos Regulares, & jus sustentationis habent: at verò in ijs Monasteriis, quæ nec in communi bona habere possunt, ut in Ordine Minorum, si quis ex uno Monasterio fugitivus, aut ejectus, in altero Monasterio auctoritate Superiorum collocetur, & includatur, hoc posterius illum alere debebit, *Sanch. cit. loc.* His adde, quòd Monasterium fugitivos, & justè ejectos, dum in fuga, vel extra Religionem sunt, alere non teneatur, adeóque nec solvere: quæ alij in alimenta pro ipsis expenderunt, sicut nec pater alere tenetur filium, qui suâ culpâ aufugit ab ipso, nec maritus uxorem, quæ temerè ab ipso recessit, juxta *Gl. in cap. Significavit; 4. V. Materiam, de divort. Sanch. cit. c. 9. nu. 20. & 21. Barbos. in Collect. in cit. c. ult. num. 4. h. t.* Nec obstat, quòd tales fugitivi, & ejecti quicquid acquirunt, dum vagantur, non sibi, sed Monasterio acquirunt; quia Monachus potest prodesse Monasterio, non autem obesse, *Tambur. cit. disp. 8. q. 5. num. 2.*

CXCII. Notandum quintò. Constitutio *cit. c. ult. h. t.* intelligi debet, non de Religiosis ejectis injustè, sive defectu potestatis in dimittente: sive defectu causæ: sive ob juris Ordinem non servatum, ut multi putant: sed de justè ejectis ex Ordine, & per sententiam definitivam ritè latam; tum quia hi propriè ejecti dicuntur, non illi, qui injustè ejecti sunt: tum quia si ageretur hîc de Religiosis injustè ejectis, non præciperetur Prælatis, ut illos annuatim requirerent, sed potiùs, ut statim illos reducerent ad Religionem; quia injustè spoliatus illico restitui debet. Prælati verò, qui Religiosos ex Ordine injustè ejiciunt, sunt spoliatores, adeóque tenentur illos statim revocare ad Religionem, & restituere, & non primùm post annum, alioquin sunt in mora restituendi, sicut fur. Tum quia *in cit. c. ult.*

agitur de illis ejectis, qui secundùm Ordinem Regularem, non possunt ampliùs recipi in suis Monasteriis: hi autem non sunt injustè ejecti, nam istos Religio tenetur recipere, sed justè ejecti: tum quia *in cit. cap.* dicitur, ejectos, si recipi non possint in suis Monasteriis, concludendos esse in arctis ergastulis, & Cameris, vel in alijs Monasteriis, ad agendam ibi pœnitentiam: hæc autem convenire possunt tantùm Religiosis justè ejectis, non autem injustè, tales enim benignè recipiendi sunt, & tractandi, in compensationem injuriæ ipsis illatæ: tum denique quia præcipitur, ut ejecti ponantur in locis competentibus apud Monasteria, si id sine gravi scandalo fieri possit, quia nimirum ejectus tot, & tanta delicta commisit, ut reliqui Monachi nolint manere in Monasterio, si ille revertatur, ut explicat *Hostiens. in cit. c. ult. V. Gravi scandalo*, ergo est ibi sermo de ejectis justè, & ob culpam eorum, *Abb. ibid. n. 2. Sanch. cit. c. 9. nu. 17. Barb. in cit. c. ult. n. 3. Fagnan. ibid. n. 17. & seqq.* contra *Navarr. & alios.*

CXCIII. Cæterùm Constitutionem *cit. c. ult.* hodie ferme consuetudine abrogatam esse, cùm sit juris humani, asserit *Azor. cit. cap. 17. q. 1. Sanch. cit. c. 9. num. 18. Laym. cit. c. 13. num. 7.* Neque enim Prælati Religionum Religiosos ejectos, quot annis, solent inquirere, vel revocare, ideóque servanda esse quoad hoc statuta Religionum, & jus naturale, quod solùm injustè ejectos revocandos esse, dictat. Quòd verò ad fugitivos, & Apostatas attinet, tenentur Prælati Ordinum eos inquirere, reducere, & corrigere, juxta Regulæ, & Constitutionum præscriptum, quatenus sine Ordinis detrimento commodè fieri potest, *Sanch. c. l. num. 18. & Laym.* At verò *Fagnan. in cit. c. Abb. num. 4. & pluribus seqq.* multis contendit, hanc obligationem, quæ incumbit Prælatis inquirendi, & reducendi fugitivos, & ejectos, oriri ex Jure Divino, quo tenentur omnes, quibus animarum cura commissa est, oves suas curare, & errantes reducere: fugitivi verò, & ejecti ex Ordine non desinunt esse subditi Prælatorum Regularium, ideóq; consuetudo contraria non revocandi illos, cùm nutriat peccatum, tam ex parte Prælatorum: quàm subditorum, qui extra Religionem vagando, propriæ salutis detrimentum incurrunt, ut dicitur *in cit. c. ult. in princ.* non valet.

Veruntamen ex eo non sequitur, quòd Prælati teneantur, singulis annis, fugitivos, seu Apostatas, vel justè ejectos inquirere, & revocare: nam vel nullus aufugit, aut ejectus est, & tunc non est, quod inquirant, vel revocent: vel aliquis aufugit, ac ejectus est: & hoc casu, non debent expectare tempus unius anni, ad inquirendum, sed statim curare, ut ad Claustrum revocetur, & reducatur: quòd si post inquisitionem factam, inveniri, & capi nequeat, non videtur necessarium, ut quot annis inquiratur: sed sufficit, possibilem diligentiam adhibere, juxta occurrentes occasiones, ad illum revocandum, & reducendum, *Suar. Tom. 4. de Relig. tract. 8 lib. 3. c. 2. n. 17. Tambur. cit. dis. 8. q. 3. num. 5.* Illud certè negari non potest, quòd prædicta Constitutio reducendi fugitivos, vel justè ejectos, non obliget Prælatos, quando eorum revocatio afferret alijs Religiosis scandalum: tum enim si desperata sit eorum correctio, & ob imminens alijs periculum, bonum commune Religionis præferendum est, *Sanch. cit. c. 9. n. 19. Tambur. c. l. n. 5.*

Denique novissimè jussu Urbani Papæ VIII. in Congregatio Concilij die 21. Septemb. Anno 1624. Constitutionem Gregorij IX. *in cit. c. ult. h. t.* innovavit, ac præterea declaravit, illam in ijs quoque vindicare sibi locum, ac servandam esse, qui juste, definitivè, ac juris ordine servato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi, subsit spes evidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarij, prout videre est apud *Barb. in cit. c. ult. in fine h. t. & Fagnan. ibid. num. 69.* Quare tum demum Prælati Regulares tenentur justè ejectos inquirere, & reducere, si appareat, expulsos emendatos esse, aut sit spes evidens emendationis, *Fagnan. cit. loc.*

§. II.

An Religio habeat potestatem ejiciendi subditos Regulares, & ob quas causas: & an Religiosus ejectus nihilominus obligetur ad vota Religionis, aliásque observationes Regulæ?

CXCIV. Assertio 1. Potest Ordo Religiosis subditos suos, etiam Professos, expellere è Religione ex causa justa, & gravi, ut ex communi Dd. sententia docet, *Navarr. Comment. 2. de Regul. num. 33. Azor. p. 1. lib. 12. c. 16. q. 2. Less. Lib. 2. c. 41. num. 106. Sanch. Lib. 6. mor. c. 9. num. 3.* & constat ex communi praxi Religionum, & multis privilegijs SS. Pontificum id Ordinibus concedentibus. Idque supponitur etiam *in c. ult. h. t.* Ubi statuitur, ejectos quærendos esse à Superioribus: & *in c. Cum ad Monasterium; 6. de statu Monach.* præcipitur, ut Regularis proprietarius è Monasterio expellatur, & *in c. ult. eod.* jubentur etiam expelli rebelles, & contumaces. Ratio est, quia resecandæ sunt carnes putridæ, ne sanas inficiant, *c. Resecandæ; 16. caus. 24. q. 3.* bonum enim commune præferri debet privato. Est autem hæc potestas expellendi, quoad exercitium, penes Prælatum Monasterij, cum consensu majoris partis Conventûs, & in Ordinibus, qui Caput generale habent, penes Generalem, vel ex ejus commissione, penes Provincialem, cum consensu majoris partis Capituli Provincialis, *Miran. in man. Præl. Tom. 1. q. 5. art. 1. concl. 2.*

CXCV. Porro causæ justæ, ob quas Professi è Religione ejici possunt, sunt sequentes. Primò, si Professus notoriè sit incorrigibilis, ita, ut in crimine eodem, vel similibus, æquè gravibus, vel gravioribus, sine emendatione persistat, & ter monitus non desistat, & hæc causa sola jure communi est expressa. Secundò, si committat crimen infame, propter quod, sine gravi Ordinis detrimento, in eo tolerari non potest. Tertiò, si reticuit impedimentum, vel defectum valde gravem, propter quem graviter decepta fuit Religio, ita, ut dolus commissus causam dederit admissioni: tunc enim Religio non ten-

tenetur eum retinere, *Less. c. l. Azor. c. l. q. 3. Sanch. n. 4. & 5.*

Etsi verò, de rigore loquendo, etiam Moniales expelli possint, propter incorrigibilitatem, non est tamen consultum, nec consuetum, ut Monialis Professa, ob crimen expellatur, ideóque id non leve scandalum pareret. Quare potiùs, si aliter corrigi non possit, in perpetuo carcere detinenda erit, ne alijs sit offendiculo: quàm ejicienda cum gravi scandalo publico, & ansa præbeatur etiam alijs Monialibus, fingendi se incorrigibiles, ut Monasterium deserere possint, *Sanch. cit. c. 9. num. 6.* Vel posset etiam Monialis, propter incorrigibilitatem, ad aliud Monasterium transferri, *Mirand. tract. de Monial. q. 3. a. 2. in 4. casu. Barb. in cit. c. ult. h. t. n. 16.*

Ex dictis infertur, quòd si Religio Professum dimittat, sine justa causa, peccat contra justitiam, & tenetur illum recipere; quia Professio est contractus reciprocus, per quem Religiosus obstrictus est, ad permanendum in illa: & vicissim Religio obligatur ad illum retinendum, nisi justam expulsionis causam præbuerit, *Less. cit. loc. num. 107. Sanch. cit. loc. num. 7. & 8.*

CXCVI. Assertio 2. Religiosus Professus per justam sententiam definitivam in perpetuum ejectus è Religione, cùm maneat verus Religiosus, obligatur adhuc ad substantialia vota Religionis, ut ex communi docet *Azor. cit. Lib. 12. c. 16. q. 4. Less. cit. c. 41. num. 112. Sanch. Lib. 6. cap. 9. num. 25.* quia Prælatus Regularis Papâ inferior non potest ex Monacho facere non Monachum: Et quidem voto castitatis manere obstrictum, certum est. Quòd verò attinet ad votum paupertatis, non potest sibi Professus ejectus alicujus rei dominium acquirere, nec propriè dictum usumfructum, qui in jure consistit: sed nudum usum, & administrationem rerum sibi ad victum, vestitum, & habitationem necessariarum, comparare potest, *Azor. c. l. Less. cit. c. 41. num. 112. Sanch. cit. c. 9. n. 45.* Quare bona, quæ sive injustè, sive etiam justè ejectus, propriâ industriâ, vel aliorum donatione, aut legato acquisivit, ad Monasterium pertinent, si bonorum sit capax; quia Ordo per culpam, & justam punitionem Professi sui non debet privari jure, quod antea habebat in omnia bona ab ipso acquisita. Aliud est de servo, quia is per dimissionem, sive ejectionem à Domino fit omnino liber, & dominij capax, ideóque non ampliùs Domino acquirit, *Molin. tract. 2. de justit. dis. 140. nu. 33. & 36. Less. c. l.* Contrarium tamen tenet *Navarr. Comment. 2. de Regul. num. 33. Azor. cit. cap. 16. q. 9.* qui dicunt, non Monasterio, cujus membrum, seu pars justè ejectus esse desiit: sed Ecclesiæ acquiri, vel Diœcesanæ, si alicubi Beneficium habeat, vel Romanæ, si nullum habeat Beneficium, ideóque post mortem ejecti, posse Papam, vel Episcopum ejus bona tanquam vacantia vindicare: quam sententiam in praxi obtinere, arbitratur etiam *Laym. Lib. 4. tract. 5. c. 13. num. 3.* quia ejectus per justam sententiam nullam ampliùs cum Monasterio communionem habere censetur, licèt prior de jure videatur verior.

CXCVII. Quòd verò ad Religiosum fugitivum attinet, dubium non est, illum acquirere Monasterio, seu Ordini, qui eum non expulit: sed is, propriâ auctoritate, discessit. Ubi tamen distinguendum est, cum *Abbate in c. ult. n. 3. h. t.* Vel fugitivus talis servit alicui Ecclesiæ sæculari, & tunc ad eandem Ecclesiam pertinent bona, quæ intuitu ejusdem Ecclesiæ acquisivit, *arg. c. Cùm in officiis 7. & c. Relatum 12. de testam.* sicut etiam docet *Azor. cit. c. 16. q. 8.* quæ verò intuitu personæ suæ acquisivit, pertinent ad Religionem, ex qua aufugit, saltem si non fuit legitimè promotus ad Ecclesiam sæcularem. Vel nulli Ecclesiæ servit, sed aliud Monasterium intravit, & tunc acquirit Monasterio, si bonorum in communi sit capax, vel primo, ex quo aufugit, vel secundo, quoad ea, quæ acquisivit, postquam ad aliud Monasterium est legitimè translatus, & in eo ptofessus, *Laym. cit. c. 13. num. 3. §. Alia verò.* Et hæc multò magis locum habent in Apostata, qui acquirit omnia Monasterio, seu Ordini suo, cùm ab ipsius potestate non sit liberatus, *Laym. c. l.* Porro licèt bona Apostatarum, & fugitivorum ex Monasteriis incapacibus bonorum in communi, pertineant ad Syndicum, seu Procuratorem Monasterij, expendenda in ejusdem utilitatem: Veruntamen si Apostatæ, aut fugitivi suis bonis priventur, vel moriantur, antequam ad Religionem sint reducti, ipsorum bona, non ad Monasterium, etiamsi alias bonorum sit capax: sed tanquam spolia ad Cameram Sedis Apostolicæ spectant, ex Constitutione Pij IV. & Gregorij XIII. apud *Mirand. in man. Tom. 1. q. 51. art. 7.*

CXCVIII. Denique quod attinet ad votum obedientiæ, ejecti Religiosi, ac Professi, neque ab eo sunt omnino soluti, ac liberi, etiam quoad Prælatos Regulares, quamvis magnâ ex parte cesset ejus executio; quia de facto non habent Superiorem, à quo dirigantur: parati tamen esse debent, ad obediendum illis, si in Ordinem denuò recepti fuerint. Neque verò ejusmodi ejectus tenetur, loco Prælati Regularis, ex vi voti sui, obedire Episcopo, in cujus Diœcesi habitat, ut docet *Navarr. Comment. 2. de Regul. num. 35.* quia non tenetur ad aliam obedientiam, nisi quam vovit, non autem vovit obedientiam extra Religionem ipsi Episcopo, ergo non tenetur illi obedire plus, quàm alij Clerici Episcopo suo, *Mol. cit. dis. 140. n. 35. Less. c. l. n. 114. Sanch. cit. c. 9. n. 29. Laym. cit. c. 13. n. 4.*

CXCIX. Assertio 3. Religiosus, seu Professus ejectus justè per sententiam, in perpetuum, præter tria substantialia vota Religionis, non obligatur ad alias observantias Regulæ, v. g. jejunia, & abstinentiam à carnibus, & Vigilias Ordinis, item ad Horas canonicas, si in Sacris Ordinibus non sit constitutus: sed ab his est liber, etiamsi sub peccato mortali obligent, donec denuò recipiatur, ut ex probabiliore sententia docet *Navarr. Comment. 2. nu. 36. & Lib. 3. Conf. 79. h. t. Less. cit. c. 41. n. 115. Sanch. Lib. 7. c. 9. num. 52. & 53. Laym. cit. c. 13. num. 5. Barb. in c. ult. n. 12. h. t.* Ratio est, quia hæ observantiæ non comitantur Professionem trium votorum substantialium, absolutè, & inseparabiliter: sed statum vitæ Regularis, seu quatenus servari debent sub Regula, à quo tamen statu Regulari ipse est ejectus: sicuti etiam Regularis factus Episcopus, non tenetur ad ullas observantias Regulares ex obligatione Legis: sed solùm ex honestate quadam morali, quæ sub culpa non obligat, ut dictum supra. Nec obstat, quòd non sit æquum, ut justè ejectus, ob culpam, ex illa com-

commodum reportet, dum liberatur ab obſervantiis Regulæ. Nam quamvis per ſe non debeat quis ex delicto ſuo referre commodum: per accidens tamen id fieri poteſt, ob defectum alicujus principalis, cui aliqua obligatio acceſſoriè annexa fuit, ut in propoſito, obligatio ad obſervantiam Regulæ eſt annexa ſtatui Regulari, & perſeverantiæ in illo, quæ cùm deficiat per legitimam, & perpetuam ejectionem Religioſi, ſeu Profeſſi, conſequenter etiam, & per accidens deficit, & ceſſat obligatio hæc acceſſoria, *Sanch. c. l.*

CC. Hinc infertur primò, quòd talis ejectus in perpetuum, non teneatur deferre habitum ſuæ Religionis; quia cùm eo ſpoliatus ſit per ſententiam, in pœnam delicti, non poteſt illum geſtare: id enim cederet in ignominiam ipſius Religionis. Secus eſt, ſi non ſit habitu ſpoliatus; quia tunc poteſt, & debet illum deferre, delatio enim habitûs non eſt annexa obligationi ad obſervantias Regulæ, nam & Regularis factus Epiſcopus eſt ab illis liber, & tamen debet ferre habitum ſuæ Religionis, *Leſſ. c. l. nu.* 112. *Sanch. c. l. n.* 55. *Laym. c. l.*

Infertur ſecundò, neque tenentur ſic ejecti ad ſervandum votum quartum, annexum Profeſſioni, ut in Religione Minimorum votum ſolenne, veſcendi toto anno cibis quadrageſimalibus, vel in Religione FF. B. Mariæ de mercede, votum redimendi captivos; nam cùm tales ejecti liberi fiant à Profeſſione, ſeu principali obligatione vitæ Monaſticæ, & talia vota emittantur, ut acceſſoriè illi annexa, liberantur etiam ab eorum obligatione, ita, ut dum extra Religionem ſunt, eorum obligatio ſit ſuſpenſa, præſertim quia eorum obſervatio, mutato ſtatu Regulari, valde difficilis redderetur, *Sanch. c. l. num.* 56.

§. III.

An Profeſſus ejectus per ſententiam in perpetuum, teneatur redire ad Religionem ſuam, vel ingredi aliam, & ad id compelli poſſit?

CCI. Aſſertio 1. Profeſſus Regularis ob crimen ejectus per ſententiam, in perpetuum, obligatus eſt in conſcientia, ut ſe corrigat, & correctus petat iterum recipi in Ordinem ſuum, vel Monaſterium, poteſtque per Superiores cogi ad redeundum, *Leſſ. Lib. 2. c. 41. num. 111. Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 3. c. 5. num. 6. Sanch. Lib. 6. mor. c. 9. num. 25. Laym. cit. c. 13. num. 7. & alij*, contra *Navarr. Lib. 3. conſil. 80. h. t. Azor. cit. Lib. 12. c. 16.* qui docent, ejectum per publicam ſententiam poſſe tutò manere extra ſuum Ordinem, ita, ut neque à Confeſſario in foro interno: neque ab Ordinario, in foro externo, poſſit cogi, ad redeundum; quia jure poteſt ſe conformare juſtæ ſententiæ: Sed probatur prior ſententia, tum quia *in c. ult. h. t. in fine*, ſtatuitur, quòd ſi fugitivi, vel ejecti redire nolint, poſſint excommunicari tanquam inobedientes, & tamdiu eos excommunicatos fore, ac publicè denunciandos eſſe, donec revertantur, ergo ſupponitur ibi, eos teneri redire, alioquì per cenſuras Eccleſiaſticas ad id cogi non poſſent. Tum quia Profeſſus ejectus non liberatur ab obligatione votorum, ut ſupra dictum, ergo tenetur mores corrigere, & ſe idoneum reddere, quatenus poteſt, ut iterum recipiatur in Ordinem, in quo ſua vota, convenienter Profeſſioni, & ſtatui Regulari ſervare poſſit, ex vi enim Profeſſionis ſuæ, tenetur manere in Religione usque ad mortem. Tum quia ſi ejectus ob crimen in ſæculo manere poſſet, neque redire teneretur, præſertim à Superiore revocatus, tum ſententia, ac pœna ejectionis ipſi reo prodeſſet, & ex iniquitate ſua commodum referret, contra *l. Iniquum 12.* ibi: *Nemo de improbitate ſua conſequitur actionem, ff. de furtis.*

CCII. Non obſtat primò, quòd ſervus ejectus à Domino, deſinat eſſe ſub poteſtate domini; Nam Dominus poteſt ſervum liberè manumittere, ideóque ejectus ab illo fit abſolutè liber: ſed Profeſſus non poteſt abſolvi à Profeſſione Regulari, & ab obligatione votorum. Secundò, non obſtat, quòd injuſtum videatur, ut per ſententiam ejectus in perpetuum, revocetur invitus ad ſuam Religionem, quamvis enim ob culpam ſuam fuerit ejectus, quia tamen illa jam punita fuit per ipſam ejectionem, non decet ulteriùs puniri, cogendo eum redire. Sed reſpond. quòd cogatur redire, id non fit in pœnam prioris delicti: ſed tanquam effectus conſequens ipſam obligationem Profeſſionis, à qua non eſt abſolutus, idque juſtum eſt, ne ex culpa ſua liberationem à votis conſequatur. Neque verò per ſententiam ejectionis, Religioſus ejectus abſolutus fuit à vinculo Profeſſionis Regularis, & ab obligatione redeundi, ſi redire jubeatur, & correctus admittatur. Sicut ergo maritus innocens, etſi uxor adultera ejecta ſit, & dimiſſa per ſententiam divortij, poteſt tamen eandem revocare, & illa redire cogitur: ita etiam Profeſſus ejectus, ob crimen, poteſt revocari ab Ordine, & redire cogitur; quod enim in alicujus favorem introductum eſt, non debet in ejus damnum retorqueri, *Reg. Jur. 16. in 6. & l. 6. C. de Legib.* Si autem, poſt ſententiam ejectionis, non liceret Religioni revocare ejectum, tum illa non in ejus favorem: ſed potiùs diſpendium cederet, & in favorem Rei ejecti, qui ex illa commodum libertatis à jugo Religionis obtineret. Neque etiam dici poteſt, hoc caſu, non ſervari ſententiam latam; quia hæc ſub illa conditione lata fuit, ut ejectus teneretur redire, ſi revocetur, *Sanch. cit. loc. num.* 30. *Laym. cit. loc.*

CCIII. Hinc deducitur primò, quòd Religioſus ejectus, ſi ſit paratus corrigi, ſecundùm Ordinis diſciplinam, & plenè emendatus fuerit, adeóque ceſſârit cauſa ejectionis ipſius, poſſit cogere Religionem, ut iterum admittatur, idque ne utriùsque contrahentis, Religionis, & Religioſi Profeſſi, diſpar ſit conditio: niſi tamen Religio juſtas non admittendi cauſas habeat, ut quia probabiliter grave ſcandalum timeretur ex tali admiſſione, vel quia ejectus rediens jam inhabilis eſt factus ad officia Ordinis, &c. *Leſſ. cit. c. 41. nu. 112. Mirand. in man. Tom. 1. q. 52. art. 7.* Ubi tamen requirit, ut id fiat, præcedente licentiâ, ac diſpenſatione S. Pontificis, & alij apud *Sanch. cit. c. 9. n. 32.* Licèt ipſe probabiliter contrarium teneat; quia per juſtam ſententiam in perpetuum eſt ejectus: nec mirum, ſi diſpar ſit Religionis, & ejecti conditio: hæc enim diſparitas oritur ex delicto

licto ejecti, sicut in matrimonio eadem disparitas reperitur inter conjugem adulterum, & innocentem, hic enim post sententiam divortij potest cogere adulterum, ad redeundum: non autem adulter innocentem.

Deducitur secundò, quòd ejectus per sententiam definitivam, si ad Ordinem redeat, & in eum denuò admittatur, non teneatur novam Professionem emittere; quia à tribus votis substantialibus non fuit absolutus: sed eorum obligatio solùm, quoad aliqua, fuit suspensa ad tempus, quo extra Religionem manet, adeóque prior Professio per ejectionem non fuit extincta: neque etiam ab observantia Regulari fuit omnino liberatus: sed solùm, quamdiu in Religionem non fuit iterum receptus, *Rodr. Tom. 1. p. 30. art. 29. Sanch. cit. c. 9. n. 33.*

Porro talis ejectus, postquam rediit, restitui debet in eum locum, & gradum honoris, ac antiquitatis, in quo erat ante ejectionem; quia prior Professio non fuit extincta: sed solùm, quoad aliqua suspensa, dum iterum reciperetur, nisi tamen ob præcedentia delicta per Superiores antiquo loco, & gradu privetur, *Sanch. c. l. n. 33.* Etsi contrarium teneat *Rodr. cit. loc.*

CCIV. Assertio 2. Si ejectus per justam sententiam definitivam in sua Religione non admittatur, non tenetur aliam ingredi: sed potest in sæculo manere, *Azor. cit. c. 16. q. 7. Less. c. l. n. 111. Sanch. cit. c. 9. n. 34. Laym. cit. c. 13. n. 6. & alij.* Ratio est, quia non est Professus Religionem in genere: sed hanc, ergo ad hanc solùm, vel ad nullam obligatur; quia aliam non vovit, nec per ipsum jam stat, quin ad illam, quam professus est, revertatur.

CCV. Assertio 3. Potest Religiosus Professus in perpetuum ejectus, si post emendationem non admittatur ad Religionem, à qua ejectus est, transire ad aliam, etiam laxiorem, quamvis non petitâ licentiâ Prælati, à quo ejectus est, *Navarr. Lib. 3. consil. 78. h. t. Rodriq. cit. q. 30. art. 22. Sanch. c. l. n. 36. Laym. c. l. num. 8.* Probatur, quia talis ejectus liberatus est ab obedientia, & Regularibus observantijs prioris Religionis, ita, ut liberè in sæculo manere possit, si per ipsum non stet, quò minùs ad suam Religionem redeat, ergo multò magis potetit transire ad aliam quamcùnque Religionem. Et hinc etiam, invito Superiore prioris Religionis, si eum correctum recipere nolit, potest transire ad aliam Religionem; quia voluntas Superioris, dum non vult illum admittere ad priorem Religionem, nec permittere, eum transire ad aliam, est irrationabilis, *Sanch. c. l. n. 37.* Porrò tali casu, si Religiosus ejectus transeat ad aliam Religionem, debet, post exactum annum probationis continuum, de novo in illa Professionem emittere, post quam non potest ampliùs revocari à Prælato prioris Religionis; quia tunc desiit esse Religiosus ejusdem, & posteriori est obligatus per Professionem, in illa emissam, *Sanch. c. l. n. 38.*

CCVI. Assertio 4. Etsi Professus justè ejectus non possit à Prælato ejiciente absolutè compelli, ut ad aliam Religionem transeat, in eáque profiteatur: bene tamen potest Professus, ob justam causam ejici, eâ conditione, ut aliam Religionem ingrediatur, quam conditionem, si ejectus acceptavit, tenetur aliam ingredi: vel si non ingrediatur, aut ingressus, tempore Novitiatûs, ab ea recedat, tenebitur ad priorem redire, quippe non impletâ conditione, sub qua solùm à priore fuerat absolutus, seu dimissus, *Sanch. cit. c. 9. n. 42. & 43.* Ratio primæ partis est, quia Professio Religiosa debet esse plenè voluntaria, seu libera, sicut matrimonium, ergo non potest quis cogi, ad profitendum in alia, ad quam se non obligavit, Quare etsi quis ob delicta sua, etiam invitus, detrudi possit in Monasterium, ad agendam in eo perpetuam pœnitentiam, c. *Quoniam*; 40. *de Simon.* non tamen potest cogi, ut in illo profiteatur. Ratio secundæ partis est, quia talis non absolutè compellitur, ad aliam Religionem ingrediendum: sed optio ei datur, ut vel ad aliam Religionem transeat, vel ad suum Ordinem emendatus regrediatur. Et ad hoc justè ejectos, etiam Ordinarij locorum, sub prædicta disjunctione, compellere possunt; quia plerumque Religionem Professi, non sine animarum suarum periculo, & aliorum scandalo, in sæculo vivunt, ideóque meritò coguntur, vel ad suum Ordinem redire, vel si per ipsos stet, quò minùs redeant, ad alium Ordinem transire, *Laym. cit. c. 13. n. 9.*

CCVII. Notandum hîc præterea primò. Hactenus dicta procedunt, non solùm in ijs, qui justè, & suâ culpâ ejecti sunt per legitimam sententiam: sed etiam qui injustè; liberati enim sunt, dum extra Ordinem manent, ab obligatione Regularis observantiæ, sicut alij justè ejecti, quia hæc exemptio non pendet ab eo, an justè, vel injustè sint expulsi: sed ex eo, quòd impossibile ipsis sit, vel nimis difficile, extra Religionem servare Regulam, quæ non obligat positos extra statum Regularem, & si justè ejecti liberantur tali obligatione, multò magis liberari debent injustè ejecti. Et licèt injusta ejectio non sit valida ad exonerandam Religionem, quò minùs sic ejecti vera illius membra maneant: est tamen valida, ad exonerandum ejectos, ita ut liberentur ab obligatione Regularis observantiæ, quamdiu extra Religionem vivunt, *Sanch. cit. c. 9. n. 57.*

Notandum secundò. S. Congregatio Cardinalium Concilij apud *Fagnan. in c. ult. n. 59. h. t.* statuit, ut in posterum à Religionibus nullus ex Regularibus ejici possit: nisi sit verè incorrigibilis, qualis non censetur, nisi præter ea, quæ à SS. Canonibus, & Religionum statutis, hac in re, præscripta sunt, unius etiam annni spatio, in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus: quo elapso, si nihilominus non resipuerit, ejici tandem possit, de quo plura videri possunt apud *Fagnan. c. l.*

TITVLVS XXXII.

DE CONVERSIONE CONIVGATORVM

Actum est Titulo præcedente generatim de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem: quia verò interdum etiam conjuges converti, seu Religionem ingredi volunt, circa quod peculiares difficultates occurrunt; ideo de ijs in Titulo proximè sequente agitur.

§. I.

Quæ conditiones requirantur, ut coniux, post matrimonium consummatum, licitè possit Religionem ingredi?

I.

AD hanc quæstionem respondetur, non potest conjux, post matrimonium consummatum, Religionem ingredi, & in ea Professionem emittere, nisi alter conjux det licentiam: & tunc si hic sit senex, & extra incontinentiæ periculum, secundùm Episcopi judicium, versetur, in sæculo permanere permittitur: dummodo in facie Ecclesiæ, videlicet coram Episcopo, & testibus, perpetuam continentiam voveat. Sin autem conjux remanens sit juvenis, aut non extra incontinentiæ periculum versari videatur, etiam ipse Religionem ingredi debet. Ita statuitur *in pluribus capp. h. t.* Nam inprimis *in c.* » *Præterea* 1. *h. t.* habetur, quidam Laicus conjugatus, cum uxoris licentia, & permissione, ignorante Episcopo, Monasterium, præsentibus Sacerdotibus, & Monachis, est ingressus, & Professionem fecit: uxor autem in sæculo permansit, & in habitu sæculari, & ad Religionem non transiit, neque continentiæ votum edidit. Unde quæsitum fuit, num maritus ab Episcopo suo ad forum uxoris revocari possit? Respondet Alexander III. si ita est, quòd uxor nec ad Religionem transiit (cùm non posset esse in sæculo, sine suspicione turpitudinis, *Gl. hîc V. Transierit*) neque continentiam perpetuam servare promisit, (manendo in domo propria, si est senex, *Gl. hîc V. Promiserit*) maritus è Monasterio possit, ac debeat revocari

II. Similitèr *in cap. Cùm sit* 5. *h. t.* statuitur, cùm SS. PP. Constitutioni (*c. Sunt qui dicant* 19. *& c. Agathosa* 21. *caus.* 27. *q.* 2.) contrarium sit, ut maritus uxore suâ, vel uxor marito suo in sæculo relicto, ad Religionem transeat; ideo idem Papa Alexander III. prohibet Episcopo Exonensi, ne in Episcopatu suo maritum, vel uxorem ad Religionem transire permittat, nisi etiam alter ingredi consentiat, adeóque uterque ad Religionem migraverit. Veruntamen si uxor senex sit, & sterilis (ratione ætatis: non naturæ, *Gl. hîc V. Sterilis*) ita, ut sine suspicione incontinentiæ in sæculo manere possit, dissimulare poterit Episcopus, ut vir ad Religionem transeat, dummodo uxor in sæculo manens, perpetuam castitatem promittat.

III. Idem habetur statutum *in c. Uxoratus* 8. *h. t.* Ubi etiam Alexander III. mandat, ut uxoratus ad Monasterium, sine licentia uxoris, non recipiatur: neque sufficit, uxorem licentiam dare, nisi integræ opinionis existat, ita, ut nulla sit suspicio, illam ad secunda vota, vel alias nuptias transituram, vel incontinenter victuram: tum enim illa in propria domo, cum filiis suis, & familia, poterit permanere, si publicè in Ecclesia votum continentiæ edat. Sin autem talis fuerit, ut incontinentiæ suspicione non careat, tum à sæculari hominum conversatione remota, in loco Religioso, ubi DEO serviat, edito voto continentiæ, perpetuò commoretur. Ulteriùs prohibet Papa, ne Monachi mulierem aliquam tonsurare, vel ad habitandum cum ipsis, admittere præsumant.

IV. Denique *in cap. Ad Apostolicam* 13. *h. t.* Innocentius III. rescribit: cùm vir, & uxor, per copulam conjugalem, veluti una caro sint effecti, non potest unus eorum ad Religionem suscipi, altero in sæculo remanente, nisi etiam iste perpetuam continentiam promittat. Imò etiam, mutato vitæ statu, Religionem ingredi debet, nisi in ea sit ætate, ut sine suspicione, seu periculo incontinentiæ, in sæculo remanere possit.

V. Pro explicatione horum capp. Notandum primò. Ut Professio conjugati in Religione validè fiat, non est necessaria licentia Episcopi; nam *in c. Si vir* 23. *caus.* 27. *q.* 2. Ubi dicitur: *Si vir, & uxor divertere, pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat*, non dicitur Professio, sine licentia Episcopi facta, ut notat *Gl. ibid. V. Conscientia*; ubi ait, quòd generaliter consuetudo id ita interpretatur. Idque apertè etiam colligitur *ex cap.* 1. *in fine, h. t.* argumento à contrario sensu: ubi dicitur, si vir, ignorante Episcopo: sed cum licentia uxoris, Professionem fecit, non posse, nec debere revocari, si uxor

uxor ad Religionem transiit, vel perpetuam castitatem vovit, ergo ob defectum licentiæ Episcopi non est invalida Professio conjugati, *Abb. in cit. c. 1. num. 3. Sanch. Lib. 7. de matr. disp. 32. num. 3.* Imò neque licentia Episcopi requiritur ex præcepto, ad Professionem conjugati: sed solùm ex honestate, & consilio, & ad majorem securitatem; quia cùm per ingressum Religionis fiat matrimonij consummati, quoad torum, separatio, non decet, ut id fiat, sine licentia Episcopi, cùm sit Sacramentum in Ecclesia Dei, *Sanch. c. l.* in praxi tamen observari solet, ut licentia Episcopi exigatur, sicut notat *Laym. Lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 7. n. 3.*

Notandum secundò. Ad licitam Professionem conjugati non satis est, si alter conjux sit adhuc juvenis, & Religionem ingrediatur, ut ibi inclusus à vagationibus arceatur: sed requiritur, ut etiam Professionem emittat, ut colligitur *ex c. Uxoratus*; 8. ibi: *Et in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur, h. t.* Nam si ingrederetur solùm, ad vitandas occasiones vagandi, includeretur in Monasterio velut in carcere: non autem intraret, ut Deo serviat. Idem clariùs patet *ex c. Cùm sis*; 4. ibi: *Nisi uterque ad Religionem migraverit, h. t. & ex c. 1. eod. ibi: Nisi uxor ad Religionem transierit*, non autem transit, si non profiteatur, & *ex c. Agathosa*; 21. *in fine*, ibi: *Postquam copulatione Conjugij viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, & ex parte in sæculo remanere*: At non dicitur converti: sed in sæculo manere, si non profiteatur *Abb. in cit. c. Uxoratus*; *num. 3. & in c. Accedens*; 17. *num. 2. h. t.* ubi ait, *in illo cap.* narrari factum, non statui jus, *Sanch. cit. disp. 32. num. 4.* sed neque sufficit ad Professionem conjugati, si alter conjux senex in sæculo manens, edat votum continentiæ ad tempus, dum nimirum conjux Professus in vivis fuerit: sed requiritur, ut edat perpetuum votum continentiæ, ut constat, *ex cit. c. 1. h. t.* ibi: *Aut perpetuò castitatem servare promiserit, & ex c. Apostolica*; 13. ibi: *Nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat, h. t. Joan. Andr. ibidem n. 1. Sanch. c. l. n. 5.*

Notandum tertiò. Si vir, cum licentia uxoris, profiteatur Religionem, non redditur votum simplex continentiæ ab uxore in sæculo factum solenne, ita, ut reddat irritum matrimonium post obitum viri Professi, ab uxore initum; tum quia id nullo Textu Juris Canonici probari potest: tum quia deest intentio voventis, uxor enim non vovet, nisi simplex votum continentiæ edere: neque aliam fieri potest votum solenne, nisi per Professionem in Religione approbata, vel susceptionem Ordinis Sacri, *c. Unic. de voto, in 6. Sanch. cit. disp. 32. num. 8.* contra plures Canonistas.

VI. Notandum quartò. Ad hoc, ut alter conjux, cum voto perpetuæ continentiæ, remanere possit in sæculo, non sufficit, quòd sit senex: sed insuper requiritur, ut non sit suspectus de periculo incontinentiæ; quia SS. Canones non attendunt solam ætatem: sed etiam, ut non sit de eo suspicio incontinentiæ, ut constat *ex cit. c. Cum sis*, ibi: *Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo*; & *cit. c. Uxoratus*; ibi: *Si autem talis, quæ suspicione non careat*: & *in cit. c. Ad Apostolicam*; ibi: *Nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione valeat in sæculo remanere.* Et *in c. Significavit*; 18. *h. t.* ibi: *Si est ita, & est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit*; ergo cujuscùnque ætatis sit conjux remanens in sæculo, si tamen de eo sit suspicio incontinentiæ, non sufficit, quòd votum perpetuum continentiæ ediderit; quia Canones periculo incontinentiæ consulere voluerunt. Quare in conjuge sene non præsumitur quidem periculum incontinentiæ, si tamen constaret, tale periculum subesse, cessaret illa præsumptio, & non posset remanere in sæculo, cum solo voto continentiæ, altero conjuge Religionem professo, *Sanch. c. l. num. 9.* Sed neque sufficit prædictum votum continentiæ, si conjux manens in sæculo sit juvenis, etsi alioquî sit honestæ vitæ, ut nullum hîc, & nunc periculum incontinentiæ subsit; nam juventus est inconstans, & variis casibus incontinentiæ exposita, *Abb. in c. Conjugatus*; 5. *num. 4. h. t. Sanch. c. l. num. 10.* Nec denique sufficit prædictum votum, etsi uxor manens in sæculo sit senex, nec suspecta de incontinentia, si tamen sit suspecta de alijs perversis moribus, ut si timendum sit, ne viri curâ destituta, fiat venefica, vel usuraria, &c. quia tunc non expedit saluti animæ uxoris, ut vir profiteatur in Religione, ideóque id permitti non debet: quamvis si contra fiat, teneat Professio viri; quia principaliter spectatur in proposito periculum incontinentiæ, quod adversatur fidei conjugali, quod est unum ex tribus bonis matimonij, *Joan. Andr. in cit. cap. Ad Apostolicam*; *num. 3. & ibid. Abb. num. 4. h. t. Sanch. c. l. num. 11.*

VII. Notandum quintò. Si uxor, quæ licentiam dedit marito ingrediendi Religionem, sit senex, sive talis ætatis, ut de ejus incontinentia non sit suspicio, tunc ipsa non potest cogi, ad ingrediendam Religionem: sed satis est, si perpetuum continentiæ votum edat coram Episcopo, ut constat *ex c. Significavit*; 18. *h. t.* Ubi refertur, quòd mulier » quædam dedit viro suo licentiam intrandi Religionem, coram Decano S. Quiriaci, vices Archiepiscopi Senonensis in hac causa fungente, qui tamen priùs illi injunxit, ut edito continentiæ voto, promitteret, se illam perpetuò servaturam: » post factam verò Professionem à viro, idem Decanus volebat mulierem illam cogere, ut Religionem intraret, quod tamen priùs ipsi non fuit indicatum, alioquî ipsa licentiam viro non dedisset. Hoc intellecto, innocentius III. respondit, si ita est, uti narratur, & mulier talis sit ætatis, ut de illa suspicio incontinentiæ haberi non » possit, dum votum continentiæ observat, ad intrandum Monasterium invita compelli non potest. » Ratio est, quia ipsa voto suo ad profitendum in Religione, nec expressè, nec tacitè se obligavit.

VIII. Porro *ex hoc cap.* à contrario sensu inferunt *Innocent. ibid. & Abb. num. 3. in fine, Sanch. cit. disp. 32. num. 12.* quòd si mulier sit talis ætatis, ut de ea suspicio haberi non possit, & continentiam perpetuam vovit, coram Episcopo, postea verò incontinenter vivat, ad ingrediendum Monasterium compelli debeat, non quidem, ut in eo profiteatur: sed ut pœnitentiam agat, & à periculis incontinentiæ arceatur. Verùm rectiùs cum alijs distinguitur; nam vel mulier senex, fuit conscia juris, quòd si vir ingrediatur Religionem, ipsa manens in

sæculo debeat vovere perpetuam continentiam, vel ingredi Religionem: & tum dando licentiam viro, censetur se obligare ad id, quod jus requirit, videlicet ad Religionem ingrediendum, nisi in sæculo manens perpetuam continentiam voveat, ideóque si hanc non servet, ad Monasterium ingrediendum, & in eo profitendum, præsertim post monitionem, compelli potest; quia eo ipso, quòd promisit continentiam perpetuam, tacitè promisit, intrare Religionem, & in ea profiteri, si continentiam in sæculo non servet, *Gl. in cit. cap. Significavit*; *V. Talis ætatis, h. t. & alij apud Innocent. ibid. in fine*, *Abb. in cap.* 1. *num.* 8 *h. t.* Vel mulier senex non fuit conscia hujus juris, neque de eo certificata, ut *in casu cit. c. Significavit*; & tunc, etsi incontinenter vixerit, non potest compelli, ad Religionem ingrediendam, ac profitendam; quia nemo ordinariè cogi potest, ad Religionem, nisi expresse, aut tacitè promiserit, *arg. c. Integritas*; 13. *caus.* 32. *q.* 1. *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 8. *& 9. h. t.* Quòd verò tali casu mulier includenda sit, ad agendam pœnitentiam, de eo *in cit. c. Significavit*; nihil dicitur, colligitur tamen *ex c. Gaudemus*; 19. *eod.* Sed hodie id ferme in usu non est, quia hujusmodi inclusio, sine magna difficulate, & gravi onere Monasteriorum, executioni mandari non potest. Quare ad Episcopum spectabit, providere, ut tali casu mulier in alio loco constituatur, in quo honestè, & continenter vivat, *arg. c. De Benedicto*; 5. *caus.* 32. *q.* 1. Neque verò *ex cit. cap. Significavit*; potest desumi argumentum à contrario sensu; quia Papa aliud ibi non statuit, nisi mulierem, si ita est, ut narratur, compellendam non esse, ut Monasterium ingrediatur: quid autem fieri debeat, si mulier talis incontinenter vivat, de eo Papa ibi nihil meminit; quia neque id ipsi propositum fuit, & res majorem indaginem exigit.

IX. Notandum sextò. Si conjux ingressus Religionem, cum licentia alterius conjugis, durante Novitiatu, ante Professionem, exeat, debet redire ad conjugem, qui mansit in sæculo, etiamsi hic votum perpetuæ castitatis emiserit; quia & licentia ingrediendi, & votum continentiæ censetur factum, dependenter à Professione secutura alterius, ideóque si ea non sequatur, cessat obligatio voti, ob defectum causæ, & conditionis, *Sanch. Lib.* 7. *de matr. dis.* 32. *num.* 13.

Notandum septimò. Si unus ex conjugibus, sine alterius licentia, Professionem emittat, & manens in sæculo illam velit ratificare, tum non tenetur ingredi Religionem, quamvis juvenis sit: sed satis est, si in sæculo continentiam voveat. Quòd si id nolit, non potest ratificare Professionem alterius conjugis: sed debet illum repetere; quia jus non permittit, ut unus conjux sit in Religione, alter verò extra illam vivat in sæculo, sine voto continentiæ, *Abb. in c. Placet*; 12. *num.* 6. *h. t. Sanch. c. l. num.* 14. Idémque est, si manens in sæculo vivat incontinenter, *Navarr. Lib.* 3. *cons.* 6. *n.* 3. *Sanch. cit. loc.*

§. II.

An Professio emissa à coniuge, cum licentia alterius coniugis manentis in sæculo, sive cum voto castitatis, sive etiam sine illo, sit valida?

X. Assertio 1. Quamvis adhoc, ut conjux licitè Religionem ingrediatur, & in illa profiteatur, non sufficiat licentia alterius conjugis: sed etiam requiratur, ut alter simul ingrediatur Religionem, vel saltem perpetuam continentiam voveat, manens in sæculo, si extra periculum continentiæ esse videatur, ut constat *ex c. Cùm sis*; 4. *h. t.* Nihilominus tamen valida est Professio, si conjux manens in sæculo emisit votum castitatis, etiamsi sit juvenis, & suspectus de incontinentia, modò cum ejus consensu alter conjux Religionem ingressus sit, & professus, ut est communi, & certa sententia docet *Sanch. Lib.* 7. *de matr. dis.* 33. *num.* 2. Ratio est, quia non requiritur ad substantiam Professionis, ut alter conjux etiam Professionem emittat, quando est juvenis, & suspectus de incontinentia: sed solùm id exigitur, ut Professio legitimè, & licitè fiat, ut ex dicendis magis patebit.

XI. Assertio 2. Sed etsi conjux manens in sæculo nullum votum castitatis edidit, valida tamen est Professio ingressi Religionem, cum licentia, & libero consensu alterius conjugis, ut docet *Gl. in cap. Ex parte*; 9. *V. De jure, h. t. & ibid. Abb. num.* 2. *& 5. & alij communiter*, tam Theologi, quàm Canonistæ apud *Sanch. c. l. num.* 4. Idque probatur *ex cap. Agathosa*; 21. *caus.* 27. *q.* 2. Ubi disjunctivè dicitur, virum in Monasterio remanere debere, adeóque Professionem esse validam, si cum uxoris voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare, hoc est, ingredi Religionem promiserit, *Gl. ibid. V. vel ipsa*; ubi ait: hic habes, quòd consensus uxoris sufficit, licèt ipsa expressè non voveat, nec intret Religionem, ut maritus possit intrare Religionem. Idem etiam sumitur *ex cit. c. Ex parte*; *h. t.* Nam cùm quidam positus in infirmitate, consentiente uxore suâ, votum castitatis edens, habitum Monachalem susceperit; postea sanus factus, uxorem retinuit, eâque defuncta, aliam duxit. Ad quòd Urbanus III. respondet, licèt prædictus vir, uxore suâ in sæculo remanente, ad Religionem transire de jure non potuerit, eâ tamen mortuâ, votum suum, sine salutis suæ periculo, violare non potuisse; ideóque mittat Papa, si verum sit, quod asseritur, virum compelli per excommunicationem debere, ut mulierem illâ, quam postea duxit, dimissâ, ad Monasterium suum revertatur, sub Regulari habitu deinceps Deo servaturus.

Ex quo apertè colligitur, quòd Professio viri fuerit valida, licèt cùm solo consensu uxoris, Religionem intraverit, ipsáque in sæculo remanente, alioquî secundum matrimonium fuisset validum. Ratio est, quia ad substantiam, ac valorem Professionis unius conjugis non requiritur, vel Professio, vel voti

votum continentiæ alterius conjugis: sed solùm, ut legitimè, & licitè fiat, nullibi enim irritatur Professio aliter facta, hoc est, facta sine Professione, vel voto continentiæ alterius conjugis, & multa prohibentur fieri, quæ tamen si facta fuerint, tenent, *cap. Ad Apostolicam 5 16. de Regul. Gl. in c. Uxoratus; 8. V. Nullatenus, h. t.* Nec obstat, quod *in eod. cap.* dicitur, quòd uxoratus, sine licentia uxoris, quæ integræ opinionis existat (adeóque continentiam promisit, *Gl. hic in casu*) nullatenus recipi debeat ad Religionem; nam particula *nullatenus* non semper reddit actum nullum, præsertim si extet aliud jus, declarans illum actum esse validum, ut sit in proposito, *Sanch. cit. disc. 33. n. 7.*

XII. Hinc colligitur primò, si maritus tali modo Religionem ingressus, & Professus (scilicet cum licentia quidem uxoris: sed quæ nec promisit ingredi Religionem, nec continentiam, sive sit senex, sive juvenis) ab Episcopo revocetur, ut ad uxorem redeat, etsi non possit exigere debitum conjugij, tenetur tamen illud reddere uxori, alioquî frustra revocaretur ex Religione; quia non consuleretur periculo incontinentiæ uxoris: & quamvis uxor, concedendo licentiam, videatur juri suo conjugali renunciâsse; quia tamen renunciatio ista non fuit legitimo modo facta, adeóque non sufficiens, & perfecta, ideo voti obligatio, ex parte viri, suspenditur ad hunc effectum, ut reddere debitum teneatur: non tamen petere possit; nam cùm Professio sit valida, vir obligatur solenni voto castitatis, & ex parte sua continere debet: non item uxor, quæ nullum votum castitatis edidit, ratione cujus prohibeatur, debitum petere, *Abb. in cit. c. Uxoratus; n. 8. & Sanch. cit. disc. 33. n. 6.*

Colligitur secundò, maritus revocatus ex Monasterio, quia Professio fuit illicitè facta, ob defectum unius, vel alterius conditionis in jure requisitæ, ex parte uxoris, eique restitutus, nec licitè, nec validè, mortuâ uxore, potest aliud matrimonium contrahere: sed ad Monasterium redire cogitur; quia Professio fuit valida, prout patet *ex cit. c. Exparte; h. t.* Ubi vir Professus jubetur, muliere postea ductâ dimissâ, ad suum Monasterium reverti, ac proinde matrimonium posterius fuit irritum, alioquin manere debuisset penes mulierem postea ductam, *Sanch. cit. disc. 33. n. 5.*

XIII. Porro circa revocationem mariti professi è Religione, notandum præterea primò: Si uxor, de cujus licentia, maritus Professionem emisit, vovit continentiam perpetuam, manens in sæculo, non potest ejus vir ex Monasterio revocari, sive uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia: sive sit juvenis, & suspecta, utroque enim casu tenet irrevocabiliter Professio viri; quia uxor, concedendo licentiam viro, & vovendo perpetuam continentiam, cessit juri suo conjugali: idque colligitur *ex c. 1. h. t.* Ubi, ut concedatur revocatio viri Professi, requiritur, ut uxor, nec ad Monasterium transierit, neque continentiam perpetuam voverit, ergo si Religionem ingressa sit, vel vovit continentiam, non conceditur revocatio viri, *Abb. in cit. c. 1. n. 8. & c. Significavit; 18. n. 3. Sanch. cit. disc. 33. n. 9. Fagnan. in cit. c. 1. n 2.*

XIV. Notandum secundò. Si uxor manens in sæculo, non edito voto continentiæ, dedit licentiam viro, ingrediendi Religionem, tum vel fuit conscia juris disponentis, virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens voveat perpetuam continentiam, si sit senex, & non suspecta de incontinentia: vel ingrediatur Religionem, si sit juvenis, & suspecta; & tunc non potest vir professus revocari, si uxor, nec ad Religionem transiit, neque continentiam pepetuam vovit, juxta *cit. cap. 1. h. t.* quomodo illud intelligit, & explicat *Abb. ibid. num. 4. & 8. & in c. Exparte; 9. num. 4. h. t. Sanch. cit. disc. 33. nu. 14.* Ratio est, quia uxor conscia juris, dando licentiam profitendi viro, censetur se obligâsse ad id, quod jus requirit, videlicet, quòd & ipsa Monasterium ingredi velit, si sit juvenis: vel perpetuam continentiam servare in sæculo, si senex sit, & à suspicione incontinentiæ aliena; nam qui vult aliquid, censetur velle omne id, per quod pervenitur ad illud, *c. Prudentiam; 21. de offic. deleg.* Sed ingressus mariti in Religionem non potest irrevocabiliter fieri, nisi uxor, vel ingrediatur etiam Religionem, vel saltem in sæculo manens voveat perpetuam continentiam, ergo dando licentiam, censetur ad alterutrum se obligâsse, adeóque virum professum revocare non potest.

Id autem procedit solùm in uxore, juris hujus ignarâ, nam si vir concessit licentiam ingrediendi Religionem uxori, non vovens expressè continentiam, sive fuerit hujus juris conscius, sive ignarus, non potest revocare uxorem; quia censetur licentiam dando, tacitè vovisse continentiam, cùm in viro non præsumatur, nec excuset ignorantia juris, saltem in foro externo, juxta *Reg. Jur. 13. in 6.* sicut in muliere, *Abb. in cit. c. 1. num. 9. Sanch. c. l. num. 14.* idque sumitur etiam *ex c. Quì uxorem; 10. caus. 33. q. 1.* Ubi dicitur: *Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat: sed similiter convertatur:* Ubi non dicitur, maritum vovisse: sed consensum uxoris Professioni dedisse, & tamen cogitur similiter profiteri; quia vir præsumitur conscius juris, *Gl. ibid. V. Convertatur, in fine.* Verùm alij non improbabiliter docent, generaliter, & indistinctè, uxorem posse revocare virum professum, si liberè consensit, & non vovit continentiam; quia *in cit. c. 1. h. t.* indistinctè conceditur revocatio viri Professi, quando uxor manens in sæculo non vovit continentiam, & in eo se fundat Pontifex, non in ignorantia juris, & ita tenet *Gl. fin. ibid. & Joan. Andr. in c. Exparte; 9. n. 4. Vers. in 4. casu h. t.*

Porro quando uxor consensit quidem in Professionem viri: sed in sæculo mansit, cùm tamen esset juvenis, aut suspecta de incontinentia, tum distinguendum est, vel enim edidit votum, ingrediendi Religionem, & debet illam profiteri: vel vovit solam continentiam, & tunc si est juris conscia, compellitur profiteri, *arg. cit. c. Qui uxorem;* quia censetur tacitè ad id se obligâsse, dum marito licentiam dedit, & ipsa vovit continentiam: Vel fuit juris hujus ignara: & tunc non potest cogi ad Professionem; quia nec expressè, nec tacitè eam promisit: compelletur tamen, Monasterium ingredi, vel in alio loco constitui; non ut ibi maneat, velut inclusa in carcere, cùm nihil deliquerit: sed ut honestam vitam ibi ducere possit, cùm uxor juvenis, viro Religionem ingrediente, non possit in sæculo manere, propter periculum incontinentiæ, *Abb. in cit. c. 1. nu. 8. h. t. Azor. p. 1. lib. 12. c. 1. q. 6. §. Si quæras; 2. Sanch. c. l. num. 27.* Aliud est in viro, qui cogitur profiteri Religio-

ligionem, etiamsi sit juris ignarus; quia ignorantia juris illum non excusat, nisi sit minor, miles, rudis, &c. *Abb. c. l. & Sanch. c. l. num. 27.* In dubio autem mulier præsumitur juris ignara, nisi probetur, illam de eo esse certificatam, ut colligitur *ex cap. Cùm sis 34. in princ. h. t.*

XV. Notandum tertiò, quando uxor sponte consensit in viri Professionem, non edito voto continentiæ, tunc ipsa in sæculo manens, non potest quidem revocare virum professum, per actionem propriè dictam; quia consentiendo in viri ingressum, cessit juri suo, ideóque ampliùs actionem non habet: potest tamen implorare Judicis officium, allegato periculo incontinentiæ, ex Canonis Constitutione, & sic petere, ut maritus ipsius è Religione revocetur, ipsique restituatur, *Abb in cit. c. 1. num. 8. & c. Uxoratus; 8. num. 6. Azor. c. l §. Si quæras; 1. Vers. Si iterum, Sanch. cit. dis. 33. num. 18.* Neque tamen etiam, casu, quo revocari potest conjux Professus, potest is, propriâ auctoritate, exire è Religione; quia cùm sit verè Professus, subjectus est obedientiæ sui Prælati, *Sanch. c. l. num. 15.* Porro conjux, qui licentiam concessit alteri conjugi, ingrediendi Religionem, potest illum revocare, si res sit integra; quia conjux alter nondum est Professus, nec valebit Professio, post illam revocationem facta, quia sine legitima licentia est emissa, *Sanch. c. l. n. 19.*

§. III.

An Professio mariti, invitâ, vel ignorante uxore, & vice versâ, uxoris, invito, vel ignorante marito, post consummatum matrimonium, sit valida, & ad quid obliget?

XVI. Assertio 1. Quamvis Professio conjugis, absque consensu alterius conjugis, & multò magis eo invito, & contradicente, post matrimonium consummatum, absolutè loquendo, non valeat, ideóque mortuo altero conjuge, Religionem intrare non teneatur: habet tamen talis Professio vim, & obligat, instar simplicis voti continentiæ, ita, ut conjux vovens non possit petere conjugij debitum, licèt reddere teneatur, & post mortem alterius conjugis, ad perpetuam continentiam servandam obligetur, » prout sumitur *exc. Quidam; 3. h. t.* Nam cùm quidam Monasterium intrâsset, & in eo Professionem » edidisset, invitâ uxore, & ab illa è Monasterio repetitus fuisset: quærebatur, an eâ mortuâ, ipse » cogatur reverti ad Monasterium, an verò aliam » uxorem ducere possit? Respondet Papa Alexander » III. quòd votum (scilicet solenne Religionis) non » tenuit: sed irritum fuit, ideóque ratione illius voti, seu Professionis, non tenetur ad Monasterium » redire: non tamen potest aliam uxorem ducere: » (si hæc præmoriatur) promisit enim, se non petitu- » rum debitum conjugale, quod vovere in ejus erat » potestate; & ideo quoad hoc, sive hanc partem, » votum ejus tenuit: at verò non reddere debitum » conjugi petenti, non erat in ejus, sed mulieris potestate, teste Apostolo 1. *ad Corinth. 7. Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Ratio prioris partis est, quia conjux non habet dominium sui corporis, ideóque non potest illud transferre in Religionem, invito altero conjuge; quia id cederet in præjudicium illius, ac proinde Professio facta, sine ejusdem consensu, est irrita: sicut & validè Professus non potest inire matrimonium; quia non potest tradere uxori suum corpus, cujus non est dominus post Professionem. Ratio secundæ partis est, quia præsumptio juris est, conjugem profitentem, altero conjuge invito, voluisse se obligare, quantum potuit, ita, ut si actus non valeat, ut solenne votum Professionis: saltem valeat, quatenus potest, nempe ut votum simplicis continentiæ, juxta illud commune pronunciatum. *Si non valet, quod ago, valeat, sicut valere potest:* vel si non valeat totaliter, sive quoad totum, valeat saltem quoad partem, *Abb. hic n. 3.* At verò maritus, invitâ uxore, potest se obligare ad duo, nempe ut conjugij debitum non petat, & ut monialis uxore, servet continentiam: quare cùm Professio Religiosa ad omnem continentiam se extendat, & hæc duo in illa tanquam pars in toto contineantur; ideo Jus præsumit, ob favorem Divini cultûs, quòd maritus saltem hæc duo promittere voluerit, si Professio ejus irrita fuerit, *Laym. Lib. 5. tract. 11. p. 3. c. 7. n. 3. in fine*, quæ tamen præsumptio cessat in foro conscientiæ, si conjux profitendo Religionem, intentionem non habuit, vovendi continentiam, nisi dependenter à valore Professionis, tunc enim neque ad servandam perpetuam continentiam obligabitur, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 34. n. 2. & 3.*

XVII. Assertio 2. Non tantùm si conjux, sciente, & contradicente altero conjuge: sed etiam illo ignorante, Professionem in Religione fecit, absolutè loquendo, invalida est Professio, ita, ut post mortem illius ad Religionem redire non cogatur, prout statuitur *in c. Placet; 12. h. t.* Nam mulier quædam, putans maritum suum mortuum esse, habitum Religionis assumpsit, & Professionem emisit, » postea verò, reverso viro, ex Monasterio educta » fuit: Unde quæsitum fuit, an ea post mortem viri, » ad Regularem observantiam compelli debeat? Re- » spondet Cœlestinus III. quòd licèt votum ejus (so- » lenne Professionis) absolutè non tenuerit, sive validum non fuerit (quia uxor obligata remansit viro, » ad reddendum debitum, *c. 1. c. Una; 6. caus. 32. q. 5. Gl. in cit. c. Placet; V. Usquequaque non tenuerit*) » eatenus tamen obligavit mulierem, quatenus se » poterat obligare, promisit enim intrando Mona- » sterium (& suscipiendo habitum Religiosum, animo profitendi) se carnis debitum non exacturam, » quod in ejus potestate erat positum: at verò redire ad sæculum, in ejus potestate non fuit, & ideo » quantum ad ipsam, tenuit votum mulieris, quod » post viri obitum, non desiit esse validum, cùm » ad eum casum tunc pervenerit, à quo efficax principium habere poterat. Quare consultius erit mulieri, & ad salutem congruentius, ut ad Monasterium revertatur, in quo cum bona intentione habitum Religionis suscepit, & Professionem fecit. » Si verò ad hoc induci non possit, non debet invita » ad id cogi. Ratio decisionis est, quia quamvis » Professio edita à conjuge in Religione, non valeat in

præ-

præjudicium alterius conjugis ignorantis, vel non consentientis: valet tamen, quoad præjudicium Professentis, in cujus potestate erat, vovere continentiam, quoad debitum non petendum, & non contrahendum, post mortem hujus conjugis, aliud matrimonium, ut ex dictis patet.

XVIII. Pro declaratione prædictorum 2. capp. Notandum primò. Licèt conjux, qui sine consensu alterius conjugis, Professionem emisit, peccet, cùm violet votum simplex continentiæ, quod ex juris præsumptione censetur feciſſe, independenter à Professionis valore: tamen matrimonium postea initum, est validum; quia id votum non fuit solenne: sed simplex tantùm, & Professio fuit invalida, votum autem solenne esse non potest, nisi in vera, & valida Professione, vel Sacri Ordinis susceptione, *Abb. in cit. c. Quidam; n. 4. Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 34. n. 5.*

Notandum secundò. Professio facta, sine consensu conjugis, non valet tanquam votum simplex continentiæ, prout dicitur *in cit. c. Quidam*; ibi: *Votum non tenuit, unde ratione voti, ad Monasterium non tenetur redire h. t.* Ubi discrimen ponitur inter votum castitatis, & votum permanendi in Religione, quòd prius partim obliget, nempe in præjudicium voventis: partim non obliget, quatenus scilicet cedit in præjudicium alterius conjugis spoliati jure suo. Posterius autem non teneat, si autem partim teneret, partim non, nullum foret discrimen inter votum castitatis, & Religionis in ea Professione factum: & ratio discriminis est, quia votum castitatis patitur divisionem, ita, ut vovens, stante matrimonio, non possit petere debitum; quia ad petendum non obligat matrimonium, teneatur tamen petenti reddere. At verò conjugatus, durante matrimonio, perpetuò inhabilis est, ad tradendum se Religioni, sive per votum simplex, sive solenne; cùm utrumque obliget ipsum, ad abstinendum à conjugio, ideóque Professio conjugati non valet, nec ut votum solenne, nec ut simplex, sine consensu alterius conjugis, *Sanch. cit. dis. 34. n. 10.*

XIX. Notandum tertiò. Conjux potest alterum conjugem, sine licentia ipsius professum ex Religione repetere, & revocare, juxta *cit. c. Quidam; 33. & c. Placet; 12. h. t.* quia non potest invitus jure suo privari. Idque procedit, etsi ambo communi consensu continentiam voverint; quia nec tunc licitum est, sine licentia alterius, ipsis transire ad Religionem, *Sanch. cit. dis. 34. nu. 6.* Quin imò conjux, sine consensu alterius, Professus, potest, cognitâ nullitate Professionis suæ, etiam proprià auctoritaae exire, & Religionem deserere, tametsi alter conjux ipsum non repetat, ut docet *Abb. in c. Accedens; 17. num. 3. h t. Sanch. c. l. num. 15.* idque videtur colligi *ex eod. cap.* & melius *ex c. Notificásti; 2.* ibi: *Non enim violentiâ, sed ex pari voluntate, & consensu hoc fieri debet, junct. Gl. fin. & ex c. Una; 6. cauſ. 33. q. 5.* ubi *Gl. V. Corrigenda*, ait, hinc sumi argumentum, quòd si alter, sine licentia alterius, intret Religionem, proprià auctoritate potest exite. Ratio est, tum quia Professio fuit irrita: tum quia etsi bonâ fide professus sit conjux, putans alterum obiisse, vel etiam sine ejus consensu id sibi licere, nihilominus tamen potest: imò tenetur (si commodè potest) proprià auctoritate exire, & se restituere conjugi, jure suo spoliato: tum denique quia non potest præsumi consensus conjugis spoliati ex eo solùm, quòd conjugem professam non revocet; quia potest illam non repetere, ex ignorantia juris sibi competentis, vel vitandæ litis causâ, &c. *Sanch. c. l. nu. 15.* Licèt contrarium teneat *Gl. in cit. c. Placet; V. In ejus potestate, h. t. Arg. illius cap.* ibi: *Redire verò ad sæculum in ejus potestate non erat: sed in potestate mariti.* Nam id ita intelligendum est, quòd non erat in uxoris potestate, deserto marito, profiteri, nec redire ad statum conjugalem: sed hoc esse in potestate mariti, qui poterat consentire in Professionem uxoris: intendit enim ibi Papa probare, Professionem non tenuisse, etsi votum castitatis fuerit] validum; quia nimirum in uxoris potestate fuit, non petere debitum, at manere in Religione, non erat in ejus potestate: sed mariti, aliàs ratio illa esset frivola, *Sanch. cit. loc. Zæsius in Comment. in Decret. h. t, n. 6.*

Notandum quartò. Professio emissa, invito, vel inscio altero conjuge, remanente in sæculo, non ratificatur per consensum illius ex post facto præstitum: sed opus est, ut de novo profiteatur Religionem; quia Professio ab initio irrita, non potest solo tractu temporis, convalescere, sine nova ratificatione, *l. Quòd ab initio; 29. ff. de Reg Jur. Sanch. cit. loc. num. 16.*

XX. Notandum quintò. Si conjux in sæculo manens nunquam expresè, vel tacitè consensit in Professionem conjugis sui, quia semper contradixit, vel semper ignoravit, vel si scivit, non reclamavit, quia non potuit commodè contradicere, illo mortuo, non confirmatur Professio conjugis: sed necesse est, ut ratificatio viventis conjugis, post mortem alterius conjugis accedat, sive ut nova emittatur Professio; cùm prior omnino nulla fuerit, ideóque ab initio irrita, non possit convalescere, sine nova ratificatione, *Gl. in c. Consuluit; 10. V. Transiens, h. t. Sanch. cit. dis. 34. nu. 18.* Idémque dicendum, si conjux Professus, sine consensu alterius, ignorans mortem illius, in Religione permansit: sed postea certior de illa factus, vult exire, & resilire, tunc enim id potest; quia cùm prior Professio fuerit irrita, ad illam requiritur novus consensus, qui non potest poni in ignorante mortem conjugis, ignorantis enim nullus est consensus, *Sanch. c. l. n. 19.* At verò si conjux, qui ignorans mortis alterius conjugis Professionem emisit, postea conscius mortis illius, in Religione mansit, censetur tacitè, & ipso facto ratificare Professionem; quia qui, cessante impedimento irritante Professionem, nempe soluto matrimonio, scienter in Monasterio permanet, non potest non videri ratificare, & approbare Professionem, si faciat ea, quæ ad inducendam tacitam Professionem, post annum probationis, requiruntur, & sufficiunt, *Sanch. c. l. n. 20. Zæs. c. l. n. 9.*

XXI. Notandum sextò. Etsi conjux ingressus sit Religionem sine licentia conjugis: non tamen hic etiam potest ingredi, & validè profiteri, sine licentia conjugis priùs ingressi, & si ingressus sit, potest revocari; quia Professio ipsius est etiam invalida,

lida, neque delictum priùs Professâ, quòd commisit profitendo, sine licentia conjugis, dat jus alteri conjugi divertendi, seu se separandi à conjuge priùs Professo; cùm non sit delictum, ob quod licitum sit divortium, & permissum est ingresso, ac Professo, sine consensu conjugis relicti in sæculo, propriâ auctoritate ad illum redire, quâ potestate nullibi reperitur à Jure privatus, *Sanch. c. l. n. 33. Zæs. c. l. n. 10.*

Notandum septimò. Si uterque conjux Religionem ingrediatur, & profiteatur, non obtentâ mutuâ licentiâ, tum videtur valida utriúsque Professio, ita, ut neuter alterum revocare possit; cùm neuter possit conqueri se spoliatum ab altero, quia ipso facto censentur sibi mutuò licentiam dedisse. Quod tum demum procedit, si uterque fuerit conscius Professionis alterius; quia non potest videri non consensisse: secus est, si uterque inscius fuit Professionis alterius, tunc enim neutra Professio est valida, & uterque exire potest è Religione, & alterum repetere; quia neuter habuit licentiam alterius, & Professio prioris Professi non potuit esse valida, ob defectum consensûs alterius, neque potuit ratificari, sine novo consensu: sed neque posterioris Professio valere potuit; quia cùm prioris Professio non valuerit, non potest posterior validè profiteri, sine consensu prioris, *Sanch. cit. dis. 34. n. 24. Zæs. c. l. n. 8.* Non obstat, quòd quilibet conjux seipsum spoliavit, ideóque non possit restitutionem petere; quia conjux etiam seipsum spolians potest petere restitutionem, si rediens non admittatur, ex tunc enim censetur spoliatus, *Sanch. c. l.*

§. IV.

An Professio coniugati facta, cum licentia alterius coniugis: sed per metum, aut dolum obtentâ, sit valida: & an etiam, si sit facta, altero coniuge sciente: sed tacente, ac dissimulante, teneat?

XXII. Assertio 1. Si licentia Religionem profitendi ab altero conjuge per metum gravem, & injustum sit extorta, Professio postea secuta est invalida, prout constat *ex c. 2. junct. Gl. V. Licentiam, caus. 33. q. 5.* Ubi cùm vir per metum gravem licentiam uxoris, ad profitendum in Religione extorsisset, post Professionem exivit, & quæsivit à Papa Alexandro II. an liceret ei uti uxore suâ? Respondit Papa, non directè: sed per consequentiam ostendit, talem Professionem nullam esse, eò quòd Professio conjugati, non violentiâ: sed communi consensu spontaneo fieri debeat, *Gl. in casu ibid.*

Idem habetur statutum *in c. Accedens; 17. h. t.* „ Nam mulier quædam proposuit Innocentio III., „ quòd postquam vir eam sibi matrimonio copulâsset, idem volens assumere habitum Monachalem, „ postulaverit ab eadem, ut tam pio ipsius proposito „ assentiretur: quæ tandem propter multa verbera, „ & alia gravamina sibi à marito illata, asserente se „ ipsam dimissurum, petitioni ipsius assensit (invita, „ & coacta, ut patet ex præcedentibus, *Gl. hîc V. Votis;*) cumque idem vir in Cistercienſi Ordine habitum assumpsisset, mulier in domo Monialium, „ non assumpto habitu Religionis, neque voto Conversionis, seu Professionis emisso, permansit. Postea dictus ejus maritus, deposito habitu Religionis, ad sæculum rediit, ideóque mulier instanter petiit, ut ab ipso marito reciperetur. Quare „ Papa mandat Delegato suo, ut si res ita se habeat, „ dictus vir ad uxorem recipiendam, & affectum „ conjugalem ei exhibendum, remotâ appellatione, cogatur. Ratio est, quia conjugatus non habet potestatem transferendi sui dominium in Religionem per Professionem, sine licentia alterius conjugis, quâ is cedat jure suo, licentia autem per metum, seu vim injustam extorta, invalida est, ac similà licentia data fuisset, cùm non coacta: sed spontanea, ac libera conjugis voluntas requiratur, *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 35. n. 3. & 8.*

XXIII. Hinc colligitur primò, quòd maritus professus, cum licentia uxoris: sed per metum, aut vim extortâ, non peccat, etsi propriâ auctoritate iterum exeat; quia Professio ejus irrita fuit, *Abb. in cit. c. Accedens; num. 3. Sanch. c. l. num. 5.* & matrimonium ab ipso, post mortem uxoris, cum alia intum, est validum, licèt peccet contra simplex votum continentiæ, *Sanch. c. l. num. 6.* nec possit petere debitum conjugale; quia renunciavit juri suo, quod in uxorem habuit, intrando Religionem, licèt reddere teneatur, *Gl. fin. in cit. c. Accedens;* nec tenetur, post mortem conjugis illum revocantis, ad Religionem redire, cùm voto Religionis, sive Professionis non obligetur, *Sanch. c. l. num. 4.* imò etsi vir, vivente uxore, non fuerit ab illa revocatus, potest post ejus mortem exire, *Sanch. c. l. num. 7.* quæ omnia patent ex supra dictis.

Colligitur secundò, per hoc, quòd *in casu dicti c. Accedens;* uxor diu tacuit, & virum ex Monasterio non revocavit, non potest censeri ratificâsse, seu consensisse in Professionem illius; quia in casibus valde præjudicialibus taciturnitas, ac dissimulatio non habetur pro consensu, aut licentiâ datâ præsertim quando vis, seu coactio intervenit, *Gl. ibid. V. Processu temporis, & Abb. num. 5.* & hinc etiam *in casu ejusdem cap.* uxor fuit audita, & ei concessum, ut revocaret virum, non ex eo, quia cùm juvenis esset, votum Professionis non emisit: sed quia motu coactâ consensit, seu licentiam dedit, *Abbas cit. loc.*

XXIV. Assertio 2. Si conjux, cùm licentiâ alterius conjugis: sed per gravem, & injustum dolum impetratâ, Religionem professus fuit, Professio contracta non debet irrita, ut docet *Jo. Andr. in c. Ex parte; 3. n. 4. h. t. & alij,* quos citat, & sequitur *Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 35. num 9. & 10.* idque apertè colligitur ex *c. Veniens; 16. h. t.* Nam cùm vir quidam olim proposuisset intrandi Monasterium concepisset, pluribus Sacerdotibus præsentibus, apud uxorem suam institit, ut assensum impertiri vellet: & insuper rogavit Sacerdotes, ne significarent mulieri, quòd etiam ipsam oporteat relinquere sæculum, & Monasterium ingredi, si viro suo daret licentiam ingrediendi Monasterium. Cùm autem ipsa virum rogaret, ne ab ipsa discederet, vir asseruit, quòd nisi licentiam ab ipsa obtinere posset, sibique con-

» consentiret, non solùm se eidem: sed etiam toti » mundo inutilem reddere vellet. Tunc demum » ipsa mulier, mariti, & astantium precibus ac fleti- » bus victa, caput illius manu suâ Altari supposuit; at- » que ita illâ præsente tonsuratus fuit, & Monaste- » rium est ingressus, ac finito probationis tempore, » solennem Professionem fecit: mulier verò in sæcu- » lo manens cum viris inhonestis adultèrata fuit. Su- » per hoc casu consultus Innocentius III. à marito, » an in Monasterio licitè permanere possit? Respon- » dit Papa, & mandat quibusdam super hac causâ » delegatis, ut si ita se res habeat, sicut narratum est: » prædictum virum, in Monasterio, quod intravit, » liberè permanere permittant: Nam licèt non mo- » dicum deliquerit, captiosè mulierem circumve- » niendo, ut assensum daret; quia tamen ipsa caput » viri sponte Altari supposuit, & postea incontinen- » ter vixit, maritum revocare non potest; cùm ipsius » intentio ac petitio per exceptionem commissæ for- » nicationis seu adulterii elidi possit: præsertim cùm » antequam fornicata esset, maritum ex Monaste- » rio repetere, ac revocare intermiserit. Ex quo a- pertè colligitur, quòd mulier ista jus & actionem habuerit, revocandi maritum, eò quòd captiosè seu dolosè inducta fuit, ad consensum seu licentiam dandam marito ingrediendi Religionem, ac profitendi, & sic consensus ejus, ac licentia data non fuit valida; quia per dolum impetrata: fuit tamen petitio ipsius per exceptionem repulsa, propter adulterium, seu fornicationem admissam, ac proinde si fornicata non fuisset, maritum revocare potuisset; quia non sponte, sed dolo inducta consensit, *Abb. in cit. c. Veniens*; *num.* 4. contra *Gl. ibid. V. Captiosè*; quæ dicit, quòd si continuisset, fuisset audita, revocans maritum, eò quòd non promiserit intrare Religionem, nec etiam continentiam perpetuam voverit, cùm esset juvenis, cujus contrarium *ead. Gl. asserit in c. Uxoratus*; 8. *V. Nullatenus*; *h. t.* Ubi ait, quòd uxor non possit repetere virum ex Monasterio; quia renunciavit juri suo, dando licentiam.

XXV. Hinc sequitur primò. Quòd Professio conjugis facta, cum licentia alterius dolo impetratâ, sit ipso jure nulla, ut docet *Innocent. in cit. c. Veniens in princ. & Joann. Andr. ibid. num.* 2. *Sanch. cit. dis.* 35. *num.* 10. Quia licentia dolo extorta, fuit ipso jure irrita. Nam quamvis dolus non vitiet Professionem, sicut nec matrimonium carnale, nisi contingat circa substantiam Professionis; quia tunc solùm tollit liberum consensum: non autem si versetur tantùm circa accidentalia, tunc enim etsi quis dolo inductus sit, ad meliorem vitam seu statum perfectiorem eligendum, non obest dolus; quia non tollit liberum consensum, ut docet *Sanch. Lib.* 10. *de matr. dis.* 9. *num.* 20. & 21. At verò aliud dicendum est, de licentia per dolum injustum extorta, ab altero conjuge; ea enim talis esse debet, per quam conjux liberè cedat jure suo, illùdque remittat: dolus autem liberum consensum tollit, quoad ipsam cessionem, sive remissionem juris conjugalis, si enim dolus abfuisset, alter conjux non consensisset, ideòque talis licentia per dolum obtenta, est irrita, & consequenter etiam ipsa Professio. Quare neque vim simplicis voti Religionis habet talis Professio: sed solius continentiæ, seu castitatis, ita ut vi illius debitum petere non possit talis Professus conjux, nec post mortem conjugis aliud matrimonium licitè inire, etsi initum validum foret, *Sanch. cit, dis. n.* 10.

Sequitur secundò. Quòd cùm tali casu Professio conjugati sit irrita, ipse sponte ex Religione exire possit. Sed neque talis Professio ab initio nulla, propter conjugis in sæculo manentis adulterium, vel per mortem illius convalescet: nisi novus consensus seu ratihabitio prioris Professionis accedat, cum aliis requisitis, *Suar. c. l. n.* 11.

XXVI. Assertio 3. Si conjux, altero conjuge nec expressè consentiente, nec positivè dissentiente aut repugnante: sed tacente aut dissimulante, Religionem professus sit, ea Professio quidem invalida est, quia licentia seu consensus alterius conjugis non intervenit; cùm taciturnitas seu dissimulatio in rebus magni præjudicii non habeatur pro consensu: attamen si conjux in sæculo manens conjugem Professum in vita non revocavit: sed semper tacuit, & dissimulavit, eo mortuo, ipso facto, veluti impedimento matrimonii sublato, validari Professionem & ratam effici, plerique Dd. traduntapud *Sanch. Lib.* 7. *de Matr. dis.* 35. *num.* 15. Idque probant ex *c. Consuluit*; 10. *h. t.* Ubi cùm quæsitum fuisset ex Clemente III. an si vir ad » Religionem transiit, & in ea ultra annum permansit, & postquam ad domum transiit Regularem » (non uxor, sed ipse maritus, *Gl. hic V. Transierat*; » hoc est, Professionem regularem emisit) uxor mortua sit, ipse vir habitum sæcularem iterum assumere, & aliam uxorem ducere, vel ductam retinere » possit? Respondet Papa, quòd vir ille nec habitum » Regularem, quem assumpsit, abjicere: nec aliquam » sibi matrimonio jungere possit: quòd si matrimonium contraxit, illud dirimendum esse, quem » Textum *Gl. marg. hic lit. C. & Abb. n.* 1. *Navarr. Lib.* 3. *Cons.* 5. *n.* 5. *h. t. & alii communiter*, apud *Barb. hic n.* 2. ita intelligunt, quòd Professus Religionem, sciente, & tacente, seu dissimulante uxore, eâ mortuâ, ad sæculum redire non possit: sed in Religione permanere debeat, eò quòd uxor, tacendo usque ad mortem, consensisse videatur.

XXVII. Verùm probabilius est, tali casu Professionem viri, per solam mortem uxoris in vita tacentis, nec revocantis maritum, non fieri validam: sed requiri ut uxore mortuâ, vir per novum consensum Professionem priùs à se invalidè emissam ratificet, ut docet *Gl. in cit. c. Consuluit*; *V. Transiens*; *Innocent. in fine ibid. Sanch. c. l.* Ratio est, quia cùm prior Professio fuerit irrita, ob defectum licentiæ uxoris, non potest ea postea convalescere, nisi novus consensus expressus, vel tacitus, adeóque nova Professio, ad cujus formam substantialem pertinet consensus, accedat: sicut idem etiam requiritur, ad matrimonium carnale, quod priùs irritum fuit, revalidandum, ut docet *Sanch. Lib.* 2. *de matr. dis.* 35. *num.* 2. & alii apud ipsum.

Porro ad hoc ut conjux invalidè professus, ob defectum datæ licentiæ ab altero conjuge, censeatur ratificare velle Professionem, duo sunt necessaria. Primò, ut Professus sciat priorem Professionem, ob hunc defectum, fuisse invalidam, ut docet *Navarr. Lib.* 3. *cons.* 28. *n. ult. de Regular. Sanch. Lib.* 1. *de matrim. Disput.* 16. *n.* 7. Secundò, ut sciat quoque impedimentum matrimonii per mortem conjugis sublatum

jam esse, *Sanch. Lib. 2. de matrim. Disp. 36. n. 3.* Ratio utriûsque est; quia non potest quis velle ratum habere id, quod ignorat esse invalidum, nam si quis putet matrimonium, vel Professionem validam fuisse, non habet ullam causam, cur velit novo consensu illam ratificare, cùm supponat jam priùs illam esse validam, adeóque novâ ratificatione, seu consensu non indigere. Si verò sciat Professionem esse invalidam, nesciat autem impedimentum, per mortem conjugis in sæculo relicti, esse sublatum, non potest habere animum ratificandi Professionem, cùm non possit velle id, quod putat jure non esse possibile.

Quare dicendum est cum *Gl. in cit. c. Consuluit*; *V. Transiens in 2. Resp. h. t.* quòd in casu illius cap. maritus, qui Professionem emisit, sine debita licentia uxoris, illam, cognitâ ejus morte, ratam habuerit, saltem tacitè ipsòque facto, dum non reclamavit, nec verbis, nec ullo signo: sed non modico tempore in Religione perseveravit, & actus Professorum proprios exercuit, ideóque ad sæculum redire non potuit, nec aliud matrimonium inire: Et hinc non obstat *Concil. Trident. Sess. 25. c. 19. de Regul.* Ubi conceditur quinquennium, ad allegandum, & probandum Professionem editam fuisse nullam; quia ex eo, quòd quis perseveravit in Religione non modico tempore, v. g. per unum annum, non potest præsumi, illum ratificâsse Professionem: sed quòd post illud tempus, nemo in externo foro audiendus sit, si probare velit, Professionem à se editam, fuisse nullam. Si verò intra quinquennium alleget quis causam, ob quam Professio sit nulla, Judex de illa cognoscere debet, & examinare, an ea per subsequentem ratificationem fuerit purgata, necnè.

§. V.

An votum simplex continentiæ ab uno coniuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque communi consensu emissum, sit validum, ac licitum, & ad quid obliget?

XXVIII. Assertio 1. Si uxor perpetuam continentiam vovit, cum consensu viri, ad tempus tantùm, ita ut ipse perpetuam continentiam non voverit, transacto eo tempore, uxor compelli debet, ad cohabitandum viro, & conjugii debitum reddendum, ut constat ex *c. Charissimus*; 11. *h. t.* Nam uxor Regis Sueciæ (in quibusdam Codicibus legitur Scotiæ, in aliis Sueviæ) gravi infirmitate detenta, continentiam vovit, cui etiam vir ejus Rex consensum dedit, ad tempus (fortè ad annum, vel donec esset sanata) sed cùm illa sanitati restituta esset, marito cohabitare matrimonialiter recusabat. Consultus super hac re Cælestinus III. Respondit, & mandavit: si dictus Rex consensum tantùm ad tempus præbuit, maximè si ipsemet perpetuam continentiam non vovit; Reginam compellendam esse, ut Regi cohabitet, & se mutuò maritali affectu tractent. Ratio est, quia licèt uxor obligetur ex voto continentiæ edito, etiam sine consensu mariti in proprium præjudicium, ita ut conjugii debitum exigere non possit: non tamen potest vovere castitatem, cum præjudicio mariti, nisi is consentiat, & juri suo renunciet, *c. 1. & seqq. caus. 33. q. 5.* cui in casu proposito, tantùm ad tempus, Rex renunciavit, ideóque saltem eo elapso, potuit conjugem cogere, ad reddendum debitum.

Ex quo per sensum contrarium colligitur, quòd si Rex non ad tempus tantùm: sed absolutè, & in perpetuum consensisset in votum uxoris, cum proposito renunciandi juri suo, non potuisset Reginam compellere, ad cohabitandum, & debitum reddendum, ut tradit *Gl. in c. Manifestum*; 11. *V. Nisi auctor cit. caus. 33. q. 5. & ibid. Gratianus* §. *Ex præmissis*; ubi ait, *Quod continentiæ vota, nec mulier, sine consensu viri, nec vir, sine consensu mulieris, Deo reddere potest. Laym. Lib. 4. Tract. 4. c. 7. n. 15.* Quamvis contrarium teneat *Abb. in cit. c. Charissimus*; *n. 5. h. t. & Sanch. Lib. 9. de matr. dis. 40. n. 17.* Ubi ait, quòd vir possit irritare votum castitatis ab uxore factum, cum licentia sua. Sed contra est, quia quod attinet ad usum Conjugii, mariti & uxor ad paria judicantur, sive æquali jure gaudent, cùm non minùs uxor habeat potestatem in corpus mariti, quàm vice versâ, teste Apostolo 1. *ad Cor. 7. v. 4.* Ubi uxorem viro æquiparat dicens: *Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ratio est, quia sic servatur æqualitas & justitia contractûs matrimonialis: quare si unus conjux, sive vir, sive uxor, semel alteri dedit facultatem, vovendi castitatem, absolutè, & simpliciter, ac in perpetuum, censetur renunciâsse juri suo, quod in ipsum habuit; cùm absoluta castitas non possit servari, cum obligatione reddendi debitum conjugale, ideoque datam licentiam revocare non potest. Veruntamen quoad gubernationem domûs, & alia, præter debitum conjugii, uxor subdita esse debet marito, tanquam capiti suo, ideóque si uxor, etiam cum consensu viri, abstinentiam à carnibus, vel longam peregrinationem vovit, potest maritus irritare votum ipsius, ut ab uxore non possit ampliùs impleri; quia dando licentiam, non censetur se abdicâsse potestate suâ gubernativâ, adeóque etiam prohibendi, quod priùs concesserat, *Laym. c. l. n. 14.* & alii communiter, & habetur etiam apud Gratianum in *cit.* §. *Ex præmissis.*

XXIX. Ubi Notandum præterea primò. Cum in *cit. c. Charissimus*; dicitur, *maximè si non idem vir continentiam vovit perpetuam, particula maximè* accipi debet, non inclusivè, ita ut etiam ea, quæ præcedunt, concludantur: sed accipi debet exclusivè, id est, tantùm, ut notat *Gl. fin. ibid. & Innocent. ibid.* ita ut sensus sit, quòd non obstante eo, quòd Rex ad tempus consensum dederit, modò perpetuam continentiam non voverit, Regina compelli debeat, ad cohabitandum, si Rex id petat.

Notandum secundò. In casu ejusdem cap. vel tempus, ad quod Rex consensit in votum uxoris, jam elapsum fuit, & potest indubitatè debitum rursus exigere: vel nullum certum tempus designavit: sed tantùm dixit, contentum se esse, ut voveret ad tempus, adeóque sibi liberum esse, licentiam datam revocare, quandocúnque voluerit, ut indicat *Joann. Andr. ibid.* alioquî verò, si maritus uxori voventi continentiam ad certum tempus, v. g. per quadragesimam, consentiat, animo renunciandi juri suo, tum non potest istam licentiam revocare, saltem licitè; quod enim juris est de toto, quoad totum: idem est de parte, quoad

ad partem : uxor tamen tenetur viro revocanti licentiam, reddere debitum, *Abb. in cit. c. Charissimus; num. 5.*

XXX. Assertio 2. *Si maritus & uxor, adeóque ambo perpetuam continentiam, mutuo consensu, voverunt, ad observationem voti ambo sunt obligati, ita ut neuter votum revocare possit, juxta c. Quod Deo; 4. caus. 33. q. 5.* ubi dicitur: *quod Deo, pari consensu, ambo voveratis, usque in finem reddere debuistis: à quo proposito, si ille lapsus est, tu saltem instantissimè persevera. Abb. in cit. c. Charissimus; num. 6.* & neuter potest petere, aut reddere debitum, sine violatione voti & gravi peccato; quia uterque renunciavit omni juri conjugali, quod in alterum habebat quoad debitum, *Sanch. Lib. 9. de matr. disp. 37. n. 16. Laym. cit. c. 7. n. 16.*

§. VI.

An, si coniuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque, vel alter eorum Religionem profiteatur, possit unus alterum repetere, seu revocare?

XXXI. Ad hanc quæstionem respondetur negativè, prout sumitur ex c. *Dudum*; 21. *h. t.* Ubi quidam maritus contra uxorem suam litem movit coram Auditore à Gregorio IX. dato. Is proposuit, quòd mulier, cum qua matrimonium contraxerat & consummaverat, indebitè recusaret ipsi matrimonialiter adhærere, ideóque eam sibi restitui postulavit. Ad quod ex parte mulieris fuit responsum, quòd ipse vir, pro animæ suæ salute, præsentibus duobus Sacerdotibus Religiosis, & adhibitis quinque testibus fide dignis, omni juri, quod in mulierem habuerat, purâ, & spontaneâ voluntate penitus renunciârit, & illud resignârit, in manibus alterius Sacerdotis, qui nomine Ecclesiæ resignationem hujusmodi recepit, quòd idem vir castitatem se servaturum promiserit, & pauperum Hospitalis de Ponte obsequio se devoverit, solenni edito voto, ac promissione: & datâ insuper licentiâ mulieri monasterium intrandi: sed & ipsâ vicissim promittente, ac licentiam dante viro, & omne jus, quod in illo habebat, resignante, prout hæc omnia per instrumentum publicum manu Notarii confectum probata sunt. Verùm dictus maritus opposuit, quòd casu amisso prædicto instrumento, aliud formatum sit in prima persona, cùm prius in tertia fuerit, atque plura verba in uno inserta sint, quàm in altero fuerant. Addebat, quòd cùm mulieri iratus esset, prout verba & verbera indicabant, nondum quiescente calore iracundiæ, & à quibusdam deceptoriè illectus, promiserit, ac se devoverit Hospitali, qui asserebant, quòd in illo cibis ad libitum vesci, & proprium retinere posset: sed & dictum Notarium promisisse, quòd in eodem Hospitali ardorem, quin & appetitum libidinis extinguere posset, & ideo quicquid hac in re fecisset, id factum fuisse, sub spe promissionis, & sub ea conditione, ac modo, si continentiam servare posset. Verùm contra hæc vicissim opponebatur, utrùm Tabellio in prima persona (v. g. concedo hanc rem) vel in tertia (v. g. Titius contrahens concessit hanc rem) instrumentum confecerit: dummodò substantia veritatis non sit mutata, etiamsi eadem prorsus verba non ponantur, quæ in priore instrumento erant posita, nihil interesse. Insuper tametsi dicto marito spes aliqua, quâ se illectum ait, facta fuerit: eo tamen tempore, quo res ista coram Sacerdotibus & testibus gesta fuit, ipsum purè, simpliciter ac voluntariè pro amore Dei & salute animæ suæ processisse ad vovendum, ideóque obligatum esse, ut à consortio sæcularium hominum separatus vitam mutet, cùm se ejus ætatis esse, asserat, ut sine suspicione incontinentiæ in sæculo remanere non possit. His utrinque propositis, Papa Gregorius IX. ex consilio Cardinalium, mulierem ab impetitione mariti per sententiam absolvit, perpetuò eidem silentium indicens.

XXXII. Hinc colligitur primò. Quòd conjuges possunt, mutuo consensu, continentiam vovere, & renunciare sibi invicem omni juri conjugali, quod unus in alterum habet, salvo tamen manente substantiali vinculo matrimonii, & factâ solùm separatione quoad torum, & cohabitationem, *Abb. hìc n. 3.*

Colligitur secundò. Si maritus petat sibi restitui uxorem, quæ ab ipso receßit, tanquam spoliatus: uxor verò excipiat de renunciatione per votum continentiæ, mutuo consensu, editum: vi cujus uterque renunciavit juri tam petendi, quàm reddendi debitum, & ad hoc incontinenti probandum se offerat: hoc casu, uxor marito illam repetenti restitui non debet: sed priùs de causa proprietatis cognosci, eáque examinari debet, *Jo. Andr. hìc n. 2.* Idque quia periculum subest violandi votum, si restitutio statim fieret, præsertim si conjux, vel uxor, quæ repetitur, Religionem ingressa, & professa fuerit, tunc enim multò minùs repeti, & revocari potest, *Vivian. hìc in Ration. & Barb. num. 1.*

Colligitur tertiò. In casu *cit. c. Dudum*, etiam maritus compellendus erat, ad ingrediendum Religionem, si adhuc juvenis fuit, & suspectus de incontinentia, maximè si hoc promiserit, *Gl. fin. hìc & Barb. ibid. num. 1.* & patet ex suprà dictis: quòd autem in *eód. c.* Papa non mandavit, ut maritus Religionem ingrederetur, causa fuit; quia hoc ab ipso non petebatur: sed solùm ut mulier ab impetitione mariti libera pronunciaretur.

§. VII.

An, si unus coniugum adulterium commisit, possit alter coniux innocens licitè transire ad Religionem, vel Ordines sacros suscipere, etiam adultero invito?

XXXIII. Assertio 1. *Si uxor recedens à viro suo alteri adhæreat, & adulteretur,* potest maritus innocens Religionem ingredi, & in ea profiteri, invitâ adulterâ, ita ut ab hac revocari nunquam possit, prout habetur in c. *Constitutus*; 15. *h. t.* Nam quidam Acolythus puellam aliquam in facie Ecclesiæ in uxorem

» rem duxit. & matrimonium consummavit: postea » verò ortâ, inter ipsum & puellæ amicos, controver- » siâ, ipsa alteri cuidam viro copulata fuit. At verò » dictus Acolythus usque ad Sacerdotii gradum pro- » motus fuit, ac demum conscientiâ eum remorden- » te, Ordinis Cistercienſis habitum assumpsit. Re » hacintellectâ, Innocentius III. Episcopo cuidam » mandat, ut si res ita se habeat, prædictam mulie- » rem ab altero viro, cui per adulterium conjuncta » est, recedere, & ne priorem conjugem jam Mona- » chum effectum impediat, quò minùs Regulare vo- » tum, sive Professionem suam adimplere possit, per » censuram Ecclesiasticam compellat. Idem sumi- tur ex *c. Agathosa*; 21. *caus.* 27. *q.* 2. & ex *c. Veniens*; 16. *h. t.* Ubi dicitur, quòd non possit revocari ma- ritus professus Religionem, cum licentia uxoris, per me- tum, vel dolum extortâ, si ipsa postea fuerit fornicata, & vir professus sit innocens, cùm ipsius intentio ex- ceptione commissæ fornicationis elidi possit, ut su- prà dictum. Ratio est, quia licèt per adulterium non dissolvatur matrimonium, quoad vinculum, si inter conjuges fuit consummatum, adulter tamen amittit omne jus conjugale, quoad torum, & cohabi- tationem, quod solùm impedimento erat conjugi in- nocenti, quò minùs Religionem ingredi, & in ea pro- fiteri posset, *Sanch. Lib.* 10. *de matr. dis.* 11. *n.* 2. ubi *n.* 3. addit, quòd conjux innocens etiam simplex votum ca- stitatis edere possit, invito adultero; quia hic cùm jus exigendi debitum non habeat, id prohibere non po- test, *Laym. c. l. n.* 12.

XXXIV. Assertio 2. Quando viro licitum est, transire ad Religionem, invitâ adulterâ, tum etiam vir innocens, invitâ uxore adulterâ, Sacros Ordines suscipere potest, nisi aliud obstet, ut quia vir est bi- gamus, vel aliàs irregularis. Idque sumitur ex *cit. c. Constitutus*; in quo Acolythus ille ad gradum Sacerdo- tii fuit promotus, quod bene fieri potuit, quia uxor illius publicè fuit adulterata, ideóque amisit omne jus, quod in eum habebat, *Gl. ibid. V. Ad gradum Sacer- dotii, & Abb. n.* 5. *Sanch. cit. dis.* 11. *n.* 6. & alii apud ipsum. Nec refert, quòd in casu *cit. c. Constitutus*; Acolythus ille, cum remorsu conscientiæ, sine licen- tia uxoris adulteræ, fuerit Sacerdotio initiatus: nam scrupulus ille vanus fuit, & sine sufficiente funda- mento, potuit enim ad Ordines Sacros promoveri, si- ne uxoris licentia, propter ejus adulterium, *Sanch. c. l. n.* 17.

XXXV. Notandum hîc præterea primò. Ad hoc, ut vir possit profiteri in Religione, vel ad Sa- cros Ordines promoveri, invitâ adulterâ, ita ut ab il- la revocari non possit, non sufficit adulterium occul- tum, saltem in foro externo: sed requiritur, ut sen- tentia divortii præcesserit, vel ut adulterium ita publi- cum sit, ac notorium, ut conjux innocens, etiam non exspectatâ sententiâ divortii, propriâ auctoritate, pos- sit deserere cohabitationem adulteræ, sine metu resti- tutionis; quia tunc hanc facultatem habet ab ipso Deo, *c.* 2. *caus.* 32. *q.* 1. & patet ex *c.* 19. *Matth.* Ubi Chri- stus dicit, quòd uxor dimitti non possit, nisi ob forni- cationem, *Abb. in cit. c. Constitutus*; *n.* 4. *& in c. Gau- demus*; 19. *n.* 5. *h. t. Sanch. c. l. n.* 5. *&* 10.

Notandum secundò. Si Conjux innocens sta- tum non mutavit, non potest adulter, sine expressa vel tacita ipsius licentia, Religionem profiteri, vel Sa- crum Ordinem suscipere, etiamsi institutum sit di- vortium, alioquî etiam post Professionem revoca- ri poterit conjux adulter; nam cùm conjux innocens habeat jus, sibi reconciliandi adulterum, eúmque re- vocandi, non potest huic juri ipsius, eo invito, per Pro- fessionem, vel Ordinis susceptionem adulteri præju- dicari, *Sanch. Lib.* 10. *de matr. dis.* 10. *n.* 12. *& Laym. Lib.* 5. *Tract.* 10. *p.* 3. *c.* 7. *n.* 12.

Notandum tertiò. Potest conjux adulter, cum licentia expressa, vel tacita innocentis, transire ad Re- ligionem, vel Sacros Ordines suscipere, etiamsi insti- tutum sit divortium: & tametsi conjux innocens Re- ligionem non ingrediatur, nec votum castitatis emi- tat: sed in sæculo maneat, sine ullo voto; quia jura, quæ prohibent mutationem statûs, ex parte unius conjugis, altero manente in sæculo, saltem sine vo- to castitatis, loquuntur in casu, quo matrimonium integrum & illæsum permanet: non in casu, quo per- petuum divortium est institutum inter conjuges: Nam cùm conjux innocens sit liber ab obligatione reddi- di debitum conjugale, potest ad Religionem tran- sire, vel Ordines suscipere, etiamsi conjux adulter statum non mutet. Quòd verò adulter non ita li- berè possit ingredi Religionem, vel Ordines susci- pere, id fit ob favorem innocentis, ne jure recon- ciliandi sibi adulterum conjugem, mutato statu illius, privetur: quare si huic favori suo renuncier conjux in- nocens; quia de consensu ipsius expresso, vel tacito ap- paret, potest conjux adulter liberè ingredi, & in illa profiteri, vel Ordines etiam Sacros suscipere, *Sanch. cit. dis.* 10. *n.* 15.

XXXVI. Cæterùm prædictis addendum, et- si maritus, qui se ab uxore adultera separavit, non teneatur illam, etiam emendatam recipere: laudi- biliter tamen facit, si post emendationem, ex cha- ritate illam recipiat, ideóque de hoc monendus est ab Episcopo, licèt ad id compelli non possit, ut colligitur ex *c. Gaudemus*; 19. *h. t.* & tradit *ibid. Gl. V. Ceciderunt*; *& Abb. n.* 3. *&* 4. & constat etiam ex *c. Significâsti*; 4. *de divortiis.* Quòd si maritus in- nocens, postquam monitus, & rogatus fuit, ut ad- ultetam conjugem post emendationem recipiat, id facere nolit: tum uxor in Monasterium includi de- bet, ad perpetuam pœnitentiam ibi agendam, pro- ut habetur in *cit. c. Gaudemus*; ubi Gregorius IX. rescribit, & præcipit, ut mulieres, quæ relicto ma- ritali toro, in adulterium lapsæ sunt (& de eo per » sententiam Judicis condemnatæ, vel publicè in eo » deprehensæ sunt, *Gl. hîc V. In claustris*;) si eorum » mariti, postquam ab Episcopo loci diligenter mo- » niti sunt, eas, etsi ad frugem melioris vitæ sunt con- » versæ, recipere propter Deum noluerint, in Clau- » stris cum Religiosis mulieribus collocentur, ut per- » petuam pœnitentiam ibi agant.

Idque etiam Jure Civili in *Auth. Sed hodie*; C. *Ad leg. Jul. de adulter.* in pœnam delicti statuitur est, nempe, *ut mulier adultera priùs verberata in mo- nasterium mittatur, quam intra biennium viro recipere li- cet: quo transacto, vel viro, priusquam eam reducere, si revocaret, mortuo, adultera tamen, monastico habitu re- scepto, ibi dum vivit, permaneat.* Quamvis non fiat Monacha, cùm habitus non faciat Monachum vel Mo- nachum.

nacham, *Gl. ibid. V. Habitu; junct. Gl. marg.* Sed hæc hodie fermè observari non solent.

XXXVII. Porro si hoc casu conjux innocens semel iterùmque (juxta prudentis arbitrium) monitus, nolit adulteram conjugem, post emendationem, recipere, potest adulter Religionem ingredi ac profiteri, vel etiam Ordines Sacros suscipere, ita ut post Professionem, vel Sacerdotium ab innocente conjuge revocari non possit. Ratio est, quia tunc conjux innocens videtur tacitè concedere licentiam mutandi statum adultero, solùm enim innocens habet jus adulteram recipiendi, & revocandi ad pristinum usum matrimonii: si autem id nolit, etiam post emendationem adulteri, tunc irrationabiliter negat illi reconciliationem, & mutationem statûs, adeóque adultero liberum erit, transire ad statum Religiosum, vel Sacerdotii, vel etiam simplex castitatis votum emittere, nec postea potest ab innocente revocari; quia res jam non est integra, nec is conqueri potest, qui sæpe monitus noluit illum recipere, *Sanch. cit. dis.* 10. *n.* 16.

§. VIII.

An propter adulterium spirituale, videlicet Apostasiam à Fide, sive hæresin, in quam unus coniugum lapsus est, possit alter coniux, non solùm se ab illo separare: sed etiam, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel Sacros Ordines suscipere?

XXXVIII. Assertio 1. Si unus conjugum infidelis, aut hæreticus notoriè factus sit, potest alter in Fide persistens, etiam propriâ auctoritate, se ab eo separare, si pertinax sit, & resipiscere nolit: imò jure naturali, ac Divino ad id obligatur, si ex cohabitatione periculum perversionis sibi, vel liberis suis imminere videat; cùm jus naturæ præcipiat, vitare proprium animæ periculum, idque convenienter Apostolo ad *Titum* 3. *hæreticum hominem, post unam & secundam correptionem* (quæ proinde admonitio, seu correctio præcedere debet divortium) devita. Idque constat etiam ex *c. Idololatria*; 5. *& c. seq. caus.* 28. *q.* 1. *& c. ult. h. t. & c.* 2. *c. De illa*; 6. *& c. seq. de divort.* & ex communi tradit *Sanch. Lib.* 10. *de matr. dis.* 15. *n.* 5. 6. *&* 10.

XXXIX. Assertio 2. Si conjux in infidelitatem, aut hæresin lapsus, judicio Ecclesiæ damnatus sit, sive per legitimam sententiam Judicis Ecclesiastici, hæreticus sit declaratus, ideóque alter conjux fidelis ab eo sit separatus: non tantùm conjux innocens, seu Catholicus liberatur ab obligatione reddendi debitum conjugale, *arg. c. ult. de hæret.* sed etiam si alter conjux ad Fidem Catholicam revertatur, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri potest, prout statuitur in *c. Mulier*; 21. *& ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita rescribit: mulier, quæ in Fide remansit, potest, nolente viro, qui ab infidelitate reverti-
tur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem liberè convolare, seu transire.

XL. Assertio 3. Si uxor hæretica per Ecclesiæ judicium sit damnata, potest vir Catholicus, non tantùm Religionem ingredi: sed etiam Sacros Ordines suscipere, etiam invitâ conjuge hæreticâ, sicut potest ob carnale adulterium uxoris, *arg. cit. c. Constitutus*; *h. t.* cùm tunc etiam licitum sit conjugi Catholico absolutum & perpetuum divortium instituere, *Sanch. cit. dis.* 15. *n.* 21.

XLI. Notandum hîc præterea primò. Sunt, qui putant conjugem fidelem, propriâ auctoritate, à conjuge infideli, aut hæretico recedentem, obligatum esse, conjugem hæreticum, etiam per sententiam condemnatum, post ejus pœnitentiam & emendationem, recipere: Si verò præcedente judicio Ecclesiæ ab illo discessit, ad id non esse obligatum, si velit Religionem ingredi, secus si velit in sæculo manere, ut tradit *Gl. in cit. c. ult. V. Iudicio Ecclesiæ*; *h. t.* & alii apud *Sanch. Lib.* 10. *de matr. dis.* 15. *num.* 18. Idque probari videtur, tum quia in *cit. c. ult.* etiam uxor, quæ judicio Ecclesiæ separata fuit à viro, in hæresin lapso, si is revertatur ad Fidem, non est omnino libera à jugo & obligatione conjugali, nisi Religionem ingrediatur: ergo à contrario sensu, si is non ingrediatur; sed in sæculo maneat, non omnino eximitur: sed conjugem hæreticam emendatam recipere debet. Tum quia Christus *Matth.* 19. ait, quòd propter solam fornicationem conjugem dimittere licitum sit, videlicet absolutè & in perpetuum.

Verùm probabiliùs, & rectiùs distinguitur, utrùm divortium seu separatio conjugis fidelis ab infideli seu hæretico, sine judicio Ecclesiæ, ac propriâ auctoritate, sit facta: an verò cum Ecclesiæ auctoritate, & per sententiam latam divortium sit institutum? Nam priore casu, tenetur conjux Catholicus conjugem resipiscentem, seu ab hæresi revertentem mox ad consortium conjugale recipere, & ad id compelli debet: in posteriore verò casu, conjugem per sententiam semel ob hæresin condemnatum, etiam emendatum non tenetur recipere: sed potest liberè & in perpetuum ab eo separatus manere, prout expressè deciditur in *c. De illa* 36. *de divort.* sicut posset, ob adulterium carnale ab altero conjuge patratum, *Sanch. cit. dis.* 15. *n.* 19. *Laym. c. Lib.* 5. *Tract.* 10. *c.* 7. §. *Contrariam tamen*; & alii plures apud *Sanch. c. l.* Idque satis apertè colligitur ex *cit. c. ult. h. t.* Nam ibi in pœnam hæretici per judicium Ecclesiæ damnati, uxori Catholicæ conceditur facultas, liberè transeundi ad Religionem, ac proinde ad id cogenda non est: sed optio seu electio ei relinquitur, num velit Religionem ingredi, an verò malit in sæculo vivere, separata à conjuge ab hæresi ad Fidem reverso. Quare Pontifex in *cit. c. ult.* non dixit, conjugem fidelem posse, etiam nolente viro ad Fidem reverso, liberè transire ad Religionem, quasi velit restringere illam facultatem divertendi à viro, sive illum etiam emendatum non recipiendi, ad illum casum solùm, quo transierit ad Religionem: sed exprimens casum difficiliorem, supposuit minùs difficilem? si enim solùm dixisset, conjugem Catholicum exemptum esse, ab obligatione reddendi debitum conjugale, non inde

sequeretur, quòd etiam licitè possit transire ad Religionem, potest enim conjux, ratione contractæ affinitatis, vel cognationis spiritualis, perdere jus exigendi debitum, ita ut alter reddere ei non teneatur: & tamen non ideo talis, qui est liber à reddendo debito, potest licitè transire ad Religionem. At verò dum S. Pontifex dicit, conjugem Catholicum liberè posse ingredi Religionem, supponit, necessariò illum esse absolutè exemptum ab omni obligatione conjugali, non tantùm reddendi debitum: sed etiam cohabitandi; hæc enim obligatio obstat ingressui Religionis, per quam impediretur executio prioris obligationis cohabitandi jure debitæ, *Sanch. c. l.*

Confirmatur, quia Ecclesia potest in pœnam hæresis privare aliis juribus hæreticos, *juxta c. ult. de hæretic.* ergo etiam illo jure, quod conjux habet in corpus conjugis. Neque verba Christi *Matth. 19.* sunt contraria: Nam propter solam fornicationem dimitti potest conjux quoad torum & cohabitationem, absolutè & in perpetuum, ita ut conjux per seipsum dimittere possit adulterum ex natura, & legibus contractûs matrimonialis, *Laym. c. l.* Ubi addit, quòd Ecclesia, si id necessarium judicet, ad vitandum periculum animæ, præcipere possit conjugi Catholico, ut conjugem hæreticum ad Fidem reversum ad consortium conjugale recipiat.

XLII. Notandum secundò. Ad hoc, ut conjux fidelis licitè transire possit ad Religionem, non opus est, ut hæreticus damnatus, si reversus sit ad Fidem, etiam ad Religionem transeat, vel votum continentiæ edat in sæculo; tum quia per facultatem concessam conjugi Catholico, non debet inferri vis aliqua conjugi hæretico resipiscenti: tum quia in *cit. c. ult. h. t.* dicitur, conjugem in Fide persistentem liberè transire posse ad Religionem, quod liberè non posset, si requireretur, ut etiam transeat conjux hæreticus, ad Fidem conversus, si enim hic nollet profiteri, nec Catholicus posset: neque etiam alter cogi potest ad profitendum, cùm Professio debeat esse libera, *Sanch. c. l. n. 22.*

XLIII. Notandum tertiò. Etsi *Joann. Andr. & Abb. in cit. c. ult. n. 5. h. t.* & alii plerique Canonistæ existiment, quòd si unus conjugum ob hæresin per sententiam sit damnatus, alter verò conjux sit fornicatus, sive adulterium commiserit, delictum compensari possit cum delicto, ideóque adulter compelli debeat ad recipiendum conjugem ad Fidem reversum: Contrarium tamen est probabilius, ut docet *Sanch. Lib. 10. de matr. dis. 16. num. 3.* nempe compensationem non habere hîc locum; quia injuriæ & causæ instituendi divortium, ob fornicationem, sive adulterium, & ob lapsum in hæresin, sunt omninò diversæ rationis: nam ratio, sive causa & radix instituendi divortium, ob adulterium conjugis, est fides conjugalis violata; & divisio carnis in aliam, ideóque directè ac principaliter fit in favorem conjugis innocentis. At verò jus sive facultas instituendi divortium, postquam lapsus in hæresin, est de illa per judicium Ecclesiæ damnatus, principaliter ac directè non conceditur in favorem conjugis fidelis: sed infligitur in pœnam, ob injuriam Deo illatam.

§. IX.

An, & quo iure dissolvatur matrimonium ratum per Professionem?

XLIV. Assertio 1. Matrimonium ratum, sive per verba de præsenti contractum: sed non consummatum dissolvitur, quoad vinculum, per solennem Professionem in Religione approbata, etiam altero conjuge invito, factam, prout constat ex *c. Veniens, 4. h. t.* Ubi Papa Alexander III. rescribit: si post matrimonium per legitimum consensum verbis de præsenti contractum, unus conjugum, quamvis altero repugnante, Religionem ingressus, & professus fuerit (sicut quidam Sancti à nuptiis sunt vocati, prout legitur de S. Alexio, Thecla, S. Cæcilia, &c. liis) alter conjux in sæculo manens, si moriatur continentiam servare nolit, licitè potest ad secundas nuptias transire, dummodò carnalis commixtio inter eos non intervenerit (adeóque matrimonium non fuerit consummatum) quia cùm non sint una caro effecti, separari possunt ab invicem, ita ut unus ad Deum transeat, & alter in sæculo remaneat. Et quo patet, quòd primi matrimonii vinculum solvitur per ingressum Religionis, ut notat *Gl. fin. hic*, nempe cum effectu, secutâ Professione, *Sanch. Lib. 2. de matr. dis. 18. n. 3.* Idem habetur in *c. Desponsatam; 27. & seq. caus. 27. q. 2. & c. Ex publico; 7. & c. Ex parte; 3. h. t.* & novissimè id etiam definitum est in *Concilio Tridentino Sess. 24. de Sacram. matr. can 6. Si quis dixerit, matrimonium ratum: non consummatum, per solennem Religionis Professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit.* Idque confirmatur etiam ex antiquissimo usu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione à Christo derivata. Ratio est, non quòd copula carnalis sit de substantia matrimonii; cùm non concubitus: sed consensus nuptias faciat, *Reg. 30. in ff.* sed quia per matrimonium ratum inducitur tantùm quædam conjunctio, sive vinculum spirituale, cui subest tacita conditio resolutiva, nisi sequatur mors spiritualis, seu civilis, quæ fit per solennem Professionem in Religione approbata, *Zæs. in Comment. h. t. n. 17.* Ratio autem à priori est; quia matrimonium ratum mutuo consensu contractum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per dilectionem charitatis, quæ non tam firma est, cùm per peccatum mortale solvatur, saltem à singulis membris: at verò matrimonium copulâ carnis consummatum, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, quæ perpetua est, & nunquam solvenda, ideóque nullo etiam casu unquam dirimitur quoad vinculum; ratum verò matrimonium dissolvi potest per solennem Professionem, *Laym. Lib. 5. Tract. 10. p. 3. c. 11. n. 2. & 3. & alii.*

XLV. Assertio 2. Probabilius est, matrimonium ratum solvi per solennem Professionem in Religione emissam, Jure solùm Ecclesiastico: sed antiquissimo à temporibus Apostolorum introducto, ut docent *Less. l. 2. c. 41. n. 69. Laym. cit. c. 11. n. 3. Zæs. in Comment. h. t. n. 18. Fagn. in c. Ex parte; 14. n. 8. h. t. & alii.* Probatur, tum quia matrimonium, spectatâ rei naturâ, est insolubile, & non potest mutuo consensu dissolvi, nec ex aliis causis, ex quibus alii contractus dissolvuntur;

tum quia per Professionem non dissolvitur jus servitutis; cùm Professio servi, invito Domino, facta, sit, invalida, ergo neque per Professionem jure naturæ solvitur matrimonium ratum. Sed neque solvitur immediatè jure Divino positivo, ut putat *Sanch. Lib. 2. disp. 19. n. 3.* Quia aliàs etiam per votum simplex Religionis deberet matrimonium ratum solvi; nam votum simplex & solenne, jure Divino, sunt ejusdem rationis, cùm solennitas votorum ex sola Ecclesiæ Constitutione sit introducta, ut patet ex *c. un. de voto in 6.* Porro in *c. Ex publico; 7. h. t.* solùm dicitur, ex S. Scriptura colligi, illud *Matth. 19.* de uxore non dimittenda, nisi ob fornicationem, intelligendum esse tantùm de matrimonio consummato: similiter in *c. Ex parte; 14. h. t.* solùm dicitur, Sanctos quosdam deseruisse sponsas suas ex revelatione Divina.

XLVI. Atque hinc infertur primò. Quòd per solennem Religionis Professionem tantùm: non verò per propositum, vel etiam votum simplex perpetuæ continentiæ servandæ in sæculo, dissolvatur matrimonium ratum, & non consummatum, prout constat ex » *c. Ex parte; 14. h. t.* Nam cùm quædam mulier coram duobus Abbatibus, cum solenni benedictione ac Litania, velum viduitatis assumpsisset: (sicut » fieri consuevit) Nobilis quidam proposuit, quòd » priùs dictam mulierem per nuncios, verbis de præsenti, interpositâ etiam arrhâ (quæ intervenire potest in contractu matrimonii, non autem pœna ei » adjici, *c. Gemma; 29. de sponsal. Gl. hìc V. Arrha;*) » sibi desponsârit. Mulier de hoc interrogata ab Archiepiscopo Lugdunensi, confessa est, se in illum » consensisse: sed quia audiêrat, eum leprâ percussum » esse, dixit, se ab eo recessisse (quæ tamen non erat » justa causa, solvendi matrimonium ratum, de quo » alibi) Ad quod respondet Papa Innocentius III. etsi » videri possit, quòd matrimonium inter legitimas » personas, per verba de præsenti contractum, iis volventibus, in nullo casu dissolvi possit, ita ut alteri » ad secundas nuptias transire liceat, etiamsi unus » conjugum, inter quos est ratum matrimonium, fiet hæreticus, & nollet fideli cohabitare, sine contumelia Creatoris (hoc enim casu non solvitur inter eos matrimonium, quoad vinculum, attamen quoad torum, & cohabitationem divortium instituti potest, ac debet *c. Quanto; 7. de divort. Gl. hìc V. Ratum conjugium;*) præterquam si ex Divina revelatione, quæ » omnem Legem superat (Lex enim privata inspirationis S. Spiritûs Legi publicæ, etiam Divinæ, circa ea, quæ non sunt juris naturalis, aut per se mala, prævalere debet, ac præferri, *c. 2. caus. 19 q. 2.*) aliud cognoscatur, sicut à quibusdam Sanctis factum esse, legitur, quòd conjuges suas reliquerint, etiam invitas. Veruntamen cùm non sit ab Antecessorum Pontificum vestigiis recedendum, qui super hac re consulti responderunt, licere alteri conjugi, altero inconsulto, ad Religionem transire, ita ut alter ex eo » tempore legitimè aliud matrimonium inire possit; » ideo hoc ipsum in proposito casu observandum esse: » quamvis falsa fuerit causa lepræ, cùm sine tali causa » (impulsiva scilicet, *Gl. hìc V. falsa sit causa*) solo Religionis ingrediendæ intuitu, id facere potuisset. » Porro licèt prædicta mulier videatur, per solennem » veli susceptionem, habitum Religionis induisse (susceptio autem veli, sive habitûs non facit Monachum: sed Professio, *Gl. hìc V. In veli susceptione*) si tamen dicat, se propositum tantùm castitatis concepisse, & ideo in domo privata remanere velit: nihilominus tamen matrimonium consummare debet: nisi votum Religionis ingrediendæ, seu Professionem edendi emiserit, tunc enim compelli potest, ut relicto sæculo, Religionem ingrediatur.

Ubi Notandum primò. Ut matrimonium ratum, non consummatum dirimatur per Professionem alterius conjugis, tria requiruntur. Primò, ut emittantur tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ. Secundò, ut hæc vota emittantur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi Religioni. Tertiò, ut fiat in aliqua Religione, à Sede Apostolica, approbata, *Fagn. in cit. c. Ex parte; n. 15. h. t.*

Notandum secundò. Ecclesia potest etiam statuere, ut matrimonium ratum dissolvatur, si alter conjugum labatur in hæresin, sicut constituit, ut dissolvatur matrimonium etiam consummatum, si unus ex duobus infidelibus convertatur ad fidem, *c. Gaudemus; 8. de divort. Abb. in cit. c. Ex parte; n. 7. Fagnan. ibid. n. 5.*

XLVII. Infertur secundò. Matrimonium ratum, etsi dirimatur per Professionem solennem, trium vel quatuor votorum in Societate Jesu: non tamen per vota Coadjutorum Formatorum in eadem; quamvis enim sint publica, sive publicè emittantur, non tamen sunt solennia, sed simplicia: multò minùs dirimitur matrimonium ratum præcedens per vota simplicia Scholasticorum, & Coadjutorum temporalium, non Formatorum, quæ nec publica sunt, nec solennia, ut docet *Suar. tom. 4. de Relig. Tract. 10. Lib. 4. de vot. simpl. c. 2. n. 4. & seqq. Sanch. Lib. 2. dis. 18. n. 6.* Nam quamvis Gregorius XIII. in Constitutione, quæ incipit, Ascendente Domino, statuerit, ut vota simplicia Societatis dirimerent matrimonium contrahendum, sive postea subsequens, quem effectum antea non habebant: nullam tamen mentionem facit, de matrimonio priùs contracto, adeóque quoad hoc impedimentum nihil mutavit: sicut etiam votum castitatis, etsi solenne, Ordini Sacro annexum dirimit matrimonium postea contrahendum: non autem priùs contractum, *Extrav. unic. de voto, de quo infrà*; quia scilicet plus est, dirimere matrimonium jam contractum: quàm dirimere contrahendum: & in hoc posteriore prius non continetur, & difficilius est solvere ligatum, quàm impedire, ne ligetur, *Suar. c. l. n. 6.* Accedit, quòd in Societate Jesu, longo tempore, post vota simplicia edita, finito biennio Novitiatûs, fiat solennis Professio, & ideo per illa non dissolvitur matrimonium ratum præcedens, ne uxor diu expectare cogatur, ut ex *declarat. S. Congreg. Concil.* refert *Barb. in Collect. in c. 2. in fine h. t.*

XLVIII. Infertur tertiò. Per Professionem Ordinum militarium, qui sunt verè ac propriè dictæ Religiones per tria vota substantialia Religionis emissa, dirimitur quoque matrimonium ratum, & non consummatum, quales communiter censentur esse milites S. Joannis Jerosolymitani, & Melitenses: non item illi, qui castitatem conjugalem tantùm vovent, & servant; quia hæc prærogativa dirimendi matrimonium ratum, solùm concessa est, Religioni propriè, ac simpliciter dictæ, *Navarr. Lib. 3. Consil. 2. h. t. Sanch. Lib. 2. de matr. c. 18. dis. 18. n. 8.* & alii apud *Barb. in collect. in c. Ex publico; 7. n. 3. h. t.* quamvis universim matrimonium ratum non dissolvi per Professionem quorumcúnque

cúnque Ordinum militarium, teneant nonnulli apud *Barb. c. l.*

§. X.

Intra quod tempus licitum sit sponsis de præsenti, ante matrimonium consummatum, ingredi Religionem?

XLIX. Assertio unica, sponsus, vel sponsa de præsenti, ante consummationem matrimonii, si velit ingredi Religionem, debet cautionem præstare, quòd intra duos menses, vel transibit ad Religionem, vel redibit ad conjugem, eique adhærebit, prout decernitur in *c. Ex publico*; 7. *h. t.* Nam cùm mulier » quædam à marito suo discessisset, ea causa delata » fuit ad Episcopum Veronensem, qui pro matrimo» nio sententiam tulit, & præcepit mulieri, ut ad ma» ritum rediret, eique conjugalem affectum exhibe» ret: cùm autem renueret, ab ipso fuit excommuni» cata. Postea verò mulier asseruit, quòd licèt à dicto » viro fuerit desponsata, non tamen ab ipso fuerit car» naliter cognita, seque ad Religionem transire vel» le. Id significatum fuit Alexandro III. qui manda» vit Episcopo Brixiensi, ut si prædictus vir eam car» naliter non cognovit, & illa ad Religionem transi» re velit, receptâ ab ea sufficiente cautione, quòd » intra duos menses, vel ad Religionem transire, vel » ad maritum redire velit, eam ab excommunica» tione absolvat: & si ad Religionem transierit, u» terque ab altero recipiat, quod ab altero accepit. » (hoc enim fieri debet, quoties matrimonium dis» solvitur ex justa causa, *Gl. hìc V. Restituat*;) Neque » his obstare debet, quod Dominus in Evangelio di» xit, *Matth. c. 5. & 19.* Non licere viro uxorem di» mittere, nisi ob causam fornicationis; quia hoc in» telligi debet, de matrimonio per carnalem copulam » consummato, sine qua non fit conjunctio. »

L. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si post contractum matrimonium per verba de præsenti, unus conjugum alteri cohabitare, aut conjugii debitum reddere nolit, potest per censuram excommunicationis ad id compelli, *Abb. hìc n. 2. & in c. Litteras*; 13. *n.* 29. *de restit. spol.* Ubi ait, quòd vi adduci possit in domum mariti: si verò excipiat, quòd Religionem ingredi velit, cùm matrimonium non fuerit consummatum, debet Judex ei præfigere terminum duorum mensium, intra quem ingredi debet, vel ad virum redire, acceptâ de hoc sufficienti cautione, nempe per pignora vel fidejussores, *Gl. hìc V. Sufficienti*; præterquam si aliam cautionem præstare non posset, quàm juratoriam, tunc enim illa sufficeret, *Gl. ibid. & Abb. n.* 11.

LI. Notandum secundò. Probabilius est, quòd hoc tempus bimestre detur conjugi, ad deliberandum de Religionis ingressu, & non ad profitendum, ita ut elapsis duobus mensibus, statim profiteri debeat: sed annus integer ei concedi debet ad probationem, etiam spectato jure antiquo, quo durante, revocari non potest ab altero conjuge, ut docet *Sanch. Lib. 2. de matr. disp. 24. n. 4.* & alii apud *Barb. in Collect. in cit. c. Ex publico*; *n. 8. h. t.* idque multò magis obtinet in locis, ubi Concilium Trident. est receptum. Probatur, tum quia annus probationis non datur tantùm in favorem ingressi, ut ipse Religionem experiatur: sed etiam in favorem Religionis, ut ipsa possit Novitium commodè probare, quo jure non potest, nec debet privari, etsi possit Novitius, ob proprium factum, eo privari. Tum quia Jus concedit sponsis de præsenti facultatem ingrediendi Religionem, ergo hoc ipso concedit illis etiam tempus jure præscriptum, ad probandam illam. Quare quando in *cit. c. Ex publico dicitur*, quòd alteruter conjux, ante consummatum matrimonium, possit intra duorum mensium spatium transire ad Religionem, id intelligendum est, de transitu, probationis causâ, & per assumptionem habitûs Novitiorum non autem per emissionem Professionis. Idque, ut vi» detur Juris antiqui correctio, quo annus probationis datur ingredientibus Religionem, *c. Ad Apostolicæ*; 16. *de Regul.* Nihil obstat, quòd sit grave alteri conjugi tanto tempore continere; quia non potest dici, læsi fieri injuria ab eo, qui jure suo utitur, & quidem cujus alter conjux non fuit ignarus. Ex quo sequitur, quòd sponsus per 4. annos, debeat expectare sponsam duodennem, donec profiteatur; cùm profiteri nequeat post Concil. Trident. ante annum XVI. expletum, *Barb. c. l.*

Alii verò distinguunt, vel enim conjux, post matrimonium ratum, Religionem ingreditur, cum licentia alterius conjugis, & annus ei danduseset ad probationem; quia cùm consenserit in ingressum, videtur etiam consensisse in tempus ordinarium probationis: vel ingressus est, sine licentia alterius conjugis, & tum non habet plus temporis ad probationem, nisi duorum mensium, quibus elapsis, statim profiteri debet, prout distinguit *Gl. in c. Desponsatam*; 27. *V. Monasterium caus.* 27. *q.* 2. & alii apud *Fagnan. in cit. c. Ex publico*; *n.* 16. Alii denique distinguunt, vel conjux vult transire ad Ordinem Mendicantium: & tunc conceditur illi annus integer, ad profitendum, sive cum alterius conjugis consensu transierit, sive sine illo; quia annus probationis in Ordinibus Mendicantium, etiam de jure antiquo abbreviari, seu restringi non potest, *c. 2. de Regul. in 6.* Vel conjux transiit ad Ordinem non Mendicantium, tum si alter conjux remanens in sæculo non consentiat, cogetur ille infra duos menses profiteri; quia cùm ingressus sit, & Religionem receperit, invito altero conjuge, videtur renunciâsse, tam ingrediens: quàm Religio anno probationis, quod olim fieri poterat in Ordinibus non mendicantium, *c. Statuimus*; 3. *junctò c. 2. de Regul. in 6.* valde enim verisimile est, quòd Jus voluerit restringere annum probationis, favore conjugis in sæculo remanentis, ne cogeretur expectare per XIV. menses, cum periculo incontinentiæ, *Fagnan. c. l. n.* 19. *& seqq.*

Verùm hodie per Concilium Tridentinum *Sess. 25. de Regular. c. 15. junctò c. 22.* omnes hæ distinctiones sunt sublatæ, secundùm quod in quâcúnque Religione, tam Mendicantium: quàm non Mendicantium, nulla est Professio facta, ante annum probationis expletum, cui ampliùs renunciari non potest, juxta sententiam *S. Congreg. Concilii apud Fagnan. c. l. n.* 31. Decretum enim irritans, appositum in aliqua dispositione, facit, ut ei renunciari non possit, *c. Dilectus*; 25. *circa fin.* & ibi *Gl. V. Hujusmodi clausula de præb.* & quia Concil. Trident. generaliter prohibet, ne ante annum

annum fiat Professio, nullúmq; casum excipit, adeóque etiam in hoc casu irrita erit Professio; quia Lex universalis negativa universaliter est intelligenda, *c. Solitæ* 36. §. *fin. de majorit. & obed.* & talis Lex generalis posterior corrigit priorem specialem, idque etiam ex ratione Decreti Tridentini colligitur, quæ in quovis casu locum habet, ne scilicèt, si admittantur aliqui ad Professionem, antequam Religio ipsos, & ipsi Religionem bene probârint, postea turbas, & scandala excitent, *Sanch. cit. disput.* 24. *quæst.* 2. *num.* 7.

LII. Notandum tertiò. Si conjux, qui ante matrimonium consummatum Religionem ingressus est, intra annum probationis, ad aliam Religionem, illam quoque experjendi causâ transeat, Judex debet illi terminum præfigere, videlicet unius anni, quo finito, in illa Religione profiteatur, vel ad Conjugem relictum redeat; ne alioquin hic conjux diu expectare debeat, nec aliud matrimonium interim inire possit, *Sanch. cit. dis.* 24. *n.* 9.

Notandum quartò. Tempus bimestre concessum, ad deliberandum de ingressu Religionis est arbitrarium, ita ut à Judice possit restringi, seu abbreviari, vel prorogari ex justa causa, ut docet *Gl. in cit. c. Ex publico*; *V. Infra duorum*; *h. t. Ioan. Andr. ibid. num.* 8. *Abb. n.* 11. Nam quamvis quando præfigitur certus terminus à Lege, sine ministerio, seu operâ Judicis, is non possit brevius, vel longius tempus definire; quia Judex non est supra Legem: aliud verò est, quando terminus assignatur ministerio, seu mediante operâ Judicis, ut in *cit. c. Ex publico*; ubi jus non designat tempus bimestre, sed mandatur Judici, ut ipse designet, *Sanch. cit. dis.* 24. *n.* 12. Non tamen Judex, sine causa justa, recedere debet à spatio duorum mensium, cùm sit terminus juris, *Abb. c. l. & alij.* Currit autem hoc tempus bimestre à tempore contracti matrimonij, vel potiùs à die præfixionis termini factæ à Judice, ut notat *Gl. in cit. c. Ex publico*; *V. Infra duorum*; *Sanch. c. l. num.* 21. & colligitur ex hoc c. Dum Papa mandat Episcopo, ut ab uxore recipiat sufficientem cautionem, quòd intra duos menses, vel ad Religionem transibit, vel ad virum redibit; cùm ergò requiratur ministerium hominis non potest, tempus bimestre currere ipso jure à die initi matrimonij: sed à die, quo à Judice præfixus est terminus, *Fagn. in cit. c.* 7. *n.* 26.

LIII. Notandum quintò. Si conjux, sive sponsus de præsenti Religionem ingredi cogitet, potest duobus primis mensibus nolle matrimonium consummare, etiamsi alter conjux id exigat. Et quamvis ob auctoritatem DD. probabile sit, posse conjugem, etiamsi Religionem ingredi nolit, intra duos primos menses, negare debitum conjugi, eò quòd possit intra illud tempus propositum in melius commutare, & velle Religionem ingredi, licèt ab initio nollet, ut docet *Sanch. cit. dis.* 24. *num.* 25. Contrarium tamen est probabilius, ut post *Navarr.* & *Coning.* docet *Layman. Lib.* 5. *tract.* 10. *cap.* 11. *num.* 3. *not.* 1. quia per contractum matrimonium uterque conjux statim tradit potestatem sui corporis alteri, nisi jus aliquem casum excipiat, vel aliter inter partes expressè fuerit conventum: atqui jus excipit illum solum casum, quo alteruter conjux Religionem ingredi cogitat, ut patet ex *cit. c. Ex publico.* Ergo &c. Nec refert, quòd propositum in melius mutare possit; quia de hoc in jure nulla fit mentio, neque jus considerat ea, quæ nonnisi rarissimè accidunt, *l. Nam ea* 5. *ff. de legib.*

LIV. Notandum sextò. Etiam post transactum bimestre, vel tempus à Judice præscriptum, ad consummandum matrimonium, potest adhuc uterque conjux, si matrimonium consummatum non sit, Religionem ingredi; quia Canones absolutè dant facultatem ingrediendi Religionem, quolibet tempore, ante matrimonium consummatum, ita ut Professio semper dirimat matrimonium ratum, & tantùm præfigunt bimestre, ut possit conjux compelli à Judice ad consummandum matrimonium, vel ingrediendum Religionem: non autem ut eo elapso, non possit ampliùs ingredi Religionem, hoc enim nullibi dicitur: imò mulier illa *in cit. c. Ex publico*; cui potestas transeundi ad Religionem datur, jam diu ante matrimonium contraxerat. Est tamen adhuc discrimen inter tempus illud bimestre, & reliquum tempus; quia toto tempore bimestri licitè talis conjux debitum negat, non item eo transacto, nisi statim Religionem ingrediatur; quia tunc jam exspiravit tempus deliberandi: quare post bimestre, tenetur conjux debitum reddere alteri, & ad id compelli potest, si Religionem non ingrediatur, *Sanch. cit. dis.* 24. *n.* 27. Porro etsi Judex potest sub pœna excomunicationis alteri conjugi præcipere, ut intra certum tempus Religionem ingrediatur, vel matrimonium consumet, quam reipsa incurret, si intra tempus definitum non pareat: Veruntamen, si etiam post illud tempus elapsum, conjux ingressus sit Religionem, revocari non debet, valétque Professio, & post ingressum absolvendus est ab excommunicatione, ut tradit *Gl. in cit. c. Ex publico*; *V. Infra duorum*; *in fine*, & *Sanchez c. l. num.* 28.

§. XI.

An sponsa de præsenti possit Religionem ingredi, si à sponso sit carnaliter cognita per copulam violenter extortam?

LV. Assertio 1. Si sponsa de præsenti à sponso carnaliter sit cognita, per vim ei illatam, post elapsum bimestre, vel aliud tempus arbitrarium à jure, vel Judice præscriptum conjugi volenti ingredi Religionem, ad deliberandum de ingressu ejusdem, tum illa non potest postea ingredi Religionem, in quo omnes conveniunt. Ratio est, quia tunc sponsus cogendo sponsam, ad consummandum matrimonium, utitur jure suo, exigendo sibi debitum, neque potest sponsa justè id denegare, adeóque consummato jam matrimonio, non licet uxori, invito marito, transire ad Religionem. Neque verò hoc casu, vi deflorando sponsam, peccat sponsus, saltem si tentatis alijs medijs obtinendi consensum sponsæ in consummationem matrimonij, ipsa fuerit reluctata, alioquî verò peccaret: sed solúm ratione modi, quia vis non debet inferri,

nisi repugnanti, *Sanch. Lib. 2. de matrim. disp. 22. nu. 13. Fagnan. in cit. c. Ex publico; num. 35.* ubi *num. 36. & 37.* addit, hoc locum habere, si sponsa nondum intravit Religionem: si verò ingressa est, tunc non sufficit, lapsos esse duos menses: sed debet sponsus per integrum annum, qui prærequiritur ad Professionem emittendam, expectare, quo transacto, poterit eam repetere, & egressam, si matrimonium consummare nolit, per vim cognoscere, dummodo Professionem nondum expressè, vel tacitè emiserit, per quam solvitur vinculum matrimonij nondum consummati.

LVI. Assertio 2. Probabilius est, quòd sponsa per vim oppressa, & carnaliter cognita à sponso, ante elapsum tempus bimestre, vel aliud arbitrarium: vel si ipsa jam ingressa est Religionem, adhuc tamen est intra annum probationis: possit nihilominus ingredi Religionem, vel jam ingressa emittere Professionem, etiam invito sponso, ut docet *Abb. in c. 2. num. 9. h. t. Sanch. cit. disput. 22. num. 6. Fagn. cit. loc. n. 78. & seqq.* & alij apud ipsos. Ratio est, tum quia sponsus deliquit, & gravem injuriam intulit sponsæ, cùm non habeat jus, copulam extorquendi ante bimestre, vel aliud tempus præfixum, quo adhuc potest denegare debitum, adeóque non debet per violentiam privari jure suo. Tum quia delinquens non debet esse melioris conditionis, quàm innocens, neque ex delicto suo commodum referre. Tum quia propter adulterium, & lapsum in hæresin, potest uxor virum deserere, & ingredi Religionem, manente vinculo matrimonij, ut supra dictum, ergo etiam propter violentiam conjugi illatam, non obstante matrimonij consummatione, potest sponsa perpetuum divortium facere à viro, etiam ipso invito, ita ut ipse maneat ligatus vinculo matrimonij: potest tamen fœmina violenter cognita, per accidens impediri ab ingressu Religionis, ratione damni, quod proli ex illa copula genitæ inferri posset, si Religionem ingrederetur, quæ fortè sine matre commodè educari non posset *Sanch. c. l. n. 7.* Limitat hoc *Fagn. c. l. num. 33. & 34.* nisi sponsa, nondum elapso tempore bimestri, vel alio arbitrario, non excipiat, se ad Religionem transire velle: sed simpliciter renuat matrimonium consumare, vel aliam causam alleget, quàm transitum ad Religionem, v. g. quòd nolit virginitatem perdere, tunc enim vir, postquam adhibuit alia media, ad obtinendum consensum sponsæ in copulam, potest sine peccato vim ei inferre; quia exceptio, quam quis habet, ei non prodest, si non opponatur, sed perinde est, ac si eam non habuisset, ac proinde hoc casu non poterit talis conjux ingredi Religionem, vel in ea profiteri, post matrimonium jam legitimè consummatum. Verùm hoc non admittit *Sanchez c. l.* quia ipse putat, quòd sponsa, post consensum mutuum de præsenti non teneatur, ante elapsum bimestre, reddere debitum, etiamsi tunc non intendat ingredi Religionem, quod tamen rejecimus §. *præced.*

LVII. Notandum hîc præterea primò. Non tantùm si sponsa de præsenti per vim absolutam: sed etiam si per gravem metum solùm sit violata à sponso, nihilominus ingredi potest, intra tempus præscriptum, Religionem; quia non ob defectum liberæ, seu spontaneæ voluntatis: sed ratione injuriæ sponsæ illatæ, & ob injustitiam à sponso commissam, conceditur sponsæ ingressus in Religionem, quæ etiam subest, quando per metum gravem copulam extorsit, *Sanchez cit. disp. 22. n. 6.*

Notandum secundò. Aliqui dicunt, per copulam vi extortam non consummari matrimonium; quia matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per assumptionem carnis, quam repræsentare potest sola copula carnalis voluntaria: non violenter extorta, sicut unio Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis fuit voluntaria; quia ad consummationem matrimonij duo requiruntur, consensus animorum, & commixtio corporum: sicut ergo vis absoluta impedit consummationem, seu perfectionem matrimonij spiritualis, ob defectum liberi consensus, ita multò magis impedit consummationem matrimonij carnalis. Neque obstat', quòd ex copula violenta oriatur affinitas, *c. Discretionem; 6. de eo, qui cognovit consanguin. uxor.* Non enim propterea efficiuntur una caro, ut notat *Gl. in c. Ite; 12. V. Erunt; caus. 32. quæst. 4. Fagnan. c. l. num. 39. & seqq.* Verùm alij admittunt, quòd conjuges etiam per copulam violentam fiant una caro, sicut Christus per carnem est unitus Ecclesiæ. Nam quamvis copula vi extorta, non repræsentet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quoad modum; cum hæc unio est voluntaria: repræsentat tamen illam quoad substantiam', *Sanchez c. l. num. 4.* Deinde etsi sponsa corrupta à sponso suo, si postea ingreditur Religionem, non possit consecrari inter Virgines, cùm virginitatem amiserit: potest tamen Professionem emittere, *Fagn. in cit. c. Ex publico; n. ult. &c.*

§. XII.

An, & quâ ratione coniugatus possit, vel non possit Ordines suscipere, vel etiam ad Episcopatum assumi?

LVIII. Assertio 1. Conjugatus non potest ad sacros Ordines promoveri, nisi uxor licentiam dederit, & continentiam voverit, prout decernitur *c. Conjugatus; 5. h. t.* Ubi Papa Alexander III. ita rescribit: nullus Conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam professente fuerit absolutus: ubi idem indistinctè statuitur de conjugio, seu matrimonio, sive consummato, sive non. Et in *c. Sane; 6. in princ. h. t.* dicitur: *Si conjugati ordinari voluerint, uxoris voluntas prius requirenda.* Ratio est, quia si vir Ordinem sacrum susciperet, & statum mutare posset, sine consensu uxoris, id cederet in grave præjudicium ejusdem, *Sanch. Lib. 7. de matr. disp. 38. n. 2.* Extenditur autem, quòd non solùm ad sacros: sed nec ad minores Ordines possit promoveri conjugatus, sine uxoris licentia, & aliis requisitis, de quibus infra, prout jure posteriore statutum est in *c. ult. de temp. Ordin. in 6. & ibi Gl. V. Definitum, Gl. in cit. c. Conjugatus; V. Ad sacros,* ubi ex eo, quòd de solis Ordinibus sacris ibi fit mentio, non rectè infertur, quòd ad Ordines minores promoveri possit; quia argumentum à contrario infensu nihil probat, quando contrarium Lege, vel Con-

nons

none est decisum, ut docet *Everh. in locis legal. loco* à contrario sensu; 82. *n.* 4. ut in proposito, *Sanch. c. l. n.* 6. Et quamvis Ordinibus minoribus non sit annexum votum continentiæ, & nihil ex hac parte obstet, eos suscipere, post matrimonium contractum, repugnat tamen, propter specialem juris prohibitionem, *Sanch. c. l. n.* 10. Nec potest conjugatus etiam primam tonsuram accipere, nisi velit quoque ad sacros Ordines promoveri, *cit. c. ult. de temp. Ordin. in* 6. *Abb. in cit. c. Conjugatus* 5 *n.* 2. *h. t. Sanch. c. l. n.* 9.

LIX. Porro ad hoc, ut vir Ordines suscipere possit, præter licentiam uxoris, requiritur etiam, ut illa in sæculo manens, perpetuam continentiam voveat, si senex sit, & extra periculum incontinentiæ versetur. Si verò sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem profiteri debet, *Gl. à plerisque recepta in cit. c. Conjugatus V. ab uxore, Abb. ibid. num.* 4. *Sanch. cit. Li.* 7. *dis.* 39. *n.* 6. & sumitur ex *c. Episcopus*; 6. *dis.* 77. quod est desumptum ex *Concilio Agathens. c.* 16. & 17. ubi dicitur: *Sanè si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissâ, postea quam pariter conversi fuerint, ordinentur.* Ubi etsi *Gl. V. Religione dicat*; eo nomine intelligi castitatem, hæc tamen expositio violenta est, & vim infert litteræ; sicut ergo, si vir ingrediatur Religionem, sufficit, si uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia, ut votū continentiæ edat in sæculo: si verò juvenis sit, vel suspecta de incontinentia, requiritur ingressus ipsius in Religionem, juxta *c. Cum sit*; 4. *c. Uxoratus*; 8 *c. Ad Apostolicam*; 13. *h. t.* ita idem dicendum, si vir ad Ordines promoveatur. Ratio est, quia si uxor juvenis Professi in Religione, compellitur ingredi Religionem: multò magis uxor Clerici sæcularis promoti ad Ordines; quia faciliùs potest talis Clericus uxorem invisere, ideóque majus subest periculum incontinentiæ, quàm ex parte Professi in Religione, *Sanch. cit. dis.* 39. *n.* 6. & alij apud ipsum. Et hinc etiam, si illi conjuges sint suspecti de incontinentia, non sunt permittendi simul habitare in eadem domo: Si verò non sint suspecti, satis est, si in separatis cubiculis degant, juxta *c. Episcopus*; 6. *dis.* 77. *Sanch. cit. dis.* 39. *n.* 8. Quare juxta supra dictam distinctionem intelligi debet *cit. c. Conjugatus*; *h. t.* in quo solùm requiritur, ut uxor continentiam promittat, ad hoc, ut vir promoveri possit ad Ordines, etiam sacros: nam id verum est, quando uxor est senex, nec suspecta de incontinentia, *Sanch. c. l. n.* 9. Nec obstat, quòd conjuges possint in sæculo manere, si communi consensu continentiam voveant, quo casu, neuter petere potest, nec reddere debitum, ergo etiam vir poterit promoveri ad Ordines sacros, edito ab uxore voto continentiæ, etsi in sæculo maneat. Verùm diversa hîc est ratio, quando enim uterque conjux, edito, communi consensu, voto castitatis, periclitaretur de incontinentia, posset facilè peti, & obtineri dispensatio: non item si vir in sactis Ordinibus sit constitutus, ita facilè dispensari potest, ut ad uxorem redeat, *Sanch. c. l.*

» LX. Assertio 2. Per susceptionem Ordinis
» sacri, impeditur quidem matrimonium contra-
» hendum, & dirimitur etiam matrimonium, si post
» (susceptionem sacri Ordinis) contractum fuerit,
» secundùm statuta Canonum; non tamen dissolvi-
» tur matrimonium priùs contractum (per legiti-
» mum viri, & mulieris consensum) etiamsi per car-
» nis copulam non fuerit consummatum. Quare au-
» ctoritate Apostolicâ prohibet Papa Ioan. XXII. ne
» quisquam, durante matrimonio, nondum etiam
» consummato, aliquem ex sacris Ordinibus præsu-
» mat suscipere, nisi prout sacris Canonibus est con-
» cessum: (scilicet cum uxoris licentia Religionem
» ingredientis, vel saltem votum castitatis emit-
» tentis, si absque periculo, & suspicione inconti-
» nentiæ in sæculo maneat) quòd si quis hoc fecerit,
» is dissoluto etiam matrimonio, nec in suscepto (du-
» rante matrimonio) Ordine ministrare, nec ad Su-
» periores Ordines ascendere, nec ad aliquod Benefi-
» cium Ecclesiasticum promoveri poterit, nisi ali-
» quam ex Religionibus approbatis ingrediatur, &
» ejus Regulam expresè, vel tacitè profiteatur: quo
» casu Diœcesanus, sive Episcopus loci, in quo talis
» Religionem ingressus est, cum illo in supra dictis
» dispensare potest (nempe, ut in suscepto Ordine
» ministrare possit, &c. ad altiores promoveri &c.) ni-
» si aliud canonicum impedimentum obsistat, ita
» statuitur *in Extravag. Antiquæ unic.* Ioan. XXII. *de*
» *voto.* Ubi in fine subjungitur, quòd conjugatus
» sic ordinatus, per Diœcesanum instanter monendus
» sit, ut si matrimonium nondum sit consummatum,
» Religionem ingrediatur: quòd si renuerit, & spon-
» sa ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam ad
» consummandum matrimonium cōtractum, est com-
» pellendus. Ex quo patet, quòd tali casu, vir non te-
netur ingredi Religionem: sed tantùm monendus sit ad ingressum; *Gl. hîc V. Præcipimus*; *Sanch. Lib.* 7. *de matrim. c.* 38. *n.* 18. Porro ratio differentiæ, cur matrimonium ratum, & non consummatum dirimatur per solennem Professionem in Religione: non verò per susceptionem sacri Ordinis, est, tum quia Jus de sola solenni Professione hoc statuit. *Extravag. Antiqua* ibi. *Cùm nec Jure Divino, nec per sacros Canones reperiatur hoc statutum*, ideóq; censetur prohibitum, *Gl. ibid. V. Statutum*; & *V. Est censendum.* Tum quia votum continentiæ Ordini sacro, non ex natura Ordinis: sed ex constitutione Ecclesiæ annexum, est per accidens solenne, & susceptio Ordinis non inducit mortem Civilem, sicut solennis Professio, cùm ordinatus maneat sui juris, *Sanch. Lib.* 2. *de matrimon. disp.* 18. *num.* 9.

LXI. Notandum hîc præterea primò. Si vir ad Ordines sacros promotus sit, sine licentia uxoris, quia ipsa contradixit, vel ignoravit, vel cum licentia, sed metu gravi, aut dolo expresâ à viro, vel etiam illâ tacente, & dissimulante: his omnibus casibus, potest uxor revocare virum; quia requiritur licentia libera, & spontanea, & taciturnitas non haberur pro consensu in re ardua, & alteri præjudiciali, *Sanch. Lib.* 7. *de matr. dis* 38. *n.* 11. 13. & 15. & tunc revocatus, ante matrimonium consummatum, cogitur quidem matrimonium consummare, & tenetur petenti reddere debitum; quia non potuit, sine præjudicio uxoris, sacros Ordines suscipere: non tamen potest petere; quia obligatur voto castitatis annexo Ordini sacro suscepto, ideóque tenetur abstinere, quantùm lex matrimonij permittit, idque procedit etiam post matrimonium consummatum, *Sanch. cit. dis.* 38. *n.* 20. & 22. & alij apud ipsum.

Notandùm secundò. Si vir sacris Ordinibus sit initiatus, invita, & ignorante uxore, non potest, post mortem illius, valide inire aliud matrimoniũ: quamvis is, qui sine licentia uxoris est professus Religionem, & ab ipsa revocatus, post mortem illius, ad alias nuptias transire possit, saltem validè, etsi non licitè, propter simplex votum continentiæ, juxta c. *Placet* 12. *h.* Ratio diversitatis est; quia Professio est irrita, ideóque per illam non potest dirimi matrimonium subsequens: At verò Ordo sacer, etiam sine licentia uxoris, est validè collatus, cui, ejúsque characteri ex Ecclesiæ constitutione est annexum solenne votum continentiæ, per quod subsequens matrimonium dirimitur, ideóque matrimonium contractum, post Ordinem sacrum validè susceptum, est irritum, *Abb. in cit. c. Placet*; *n.* 7. *Sanch. cit. dis.* 38. *num.* 24.

LXII. Notandum tertiò. Si vir cum uxoris spontanea licentia, ad Ordines etiam sacros sit promotus: sed sine alijs jure requisitis, non potest ab illa revocari ad consortium conjugale; cùm sit obligata ad continentiam perpetuò servandam, hoc ipso enim, quòd licentiam dedit viro, suscipiendi Ordines, censetur etiam vovisse continentiam, & privata usu conjugij, & consequenter etiam jure revocandi virum, *Sanch. Lib.* 7. *dis.* 39. *n.* 11. Et in hoc consentiunt omnes, tam Theologi: quàm Canonistæ, teste *Fagnan. in cit. c. Conjugatus*; *n.* 8. *h. t.* Limitat tamen *Sanch. c. l. n.* 12. Dummodò uxor sciverit, quæ jure requirantur ad legitimum transitum viri ad Ordines, alioquin, si ignoravit, poterit revocare virum; cùm non possit tum censeri, voluisse se obligare ad continentiam, sive illam vovere, etsi aliqui hanc limitationem non admittant.

Notandum quartò. Quando vir, cum licentia spontanea uxoris, Ordines sacros suscepit, tum uxor, eo mortuo, non potest validè aliud matrimonium inire, ut constat ex c. *Quia sunt*; 10. *dis.* 28. ubi *Gl. fin.* ait: *supple, & eum ordinatum, uxore sciente.* Ratio est, non quòd votum simplex continentiæ ab uxore editum fiat solenne per actionum communicationem, & quia facti sunt una caro: sed quia ex Ecclesiæ constitutione, ob reverentiam Ordinis sacrilu- scepti à viro, cum licentia uxoris voventis castitatem, ipsa quoque reddita est inhabilis, ad aliud subsequens matrimonium ineundum, *Azor. p.* 1. *l.* 13. *c.* 14. *q.* 11. *Sanch. cit. Lib.* 7. *c.* 40. *n.* 3. Idque procedit etsi uxor nullum edidit votum castitatis; quia in cit. *c. Quia sunt*; id matrimonium irritatur, nullâ factâ mentione voti, neque enim irritatur ratione voti, sed ex constitutione Ecclesiæ. Quòd si vir Ordines sacrum susceperit, uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud matrimonium validè inire; quia delictum viri non debet præjudicare uxori, *Sanch. c. l. n.* 4. qui *n.* 5. addit, idem dicendum, si consensu tacito tantùm uxoris, vir sit Sacris initiatus, illâ scilicet sciente, & dissimulante; quia dissimulatio in re ardua, & præjudiciali non reputatur consensus, licèt *Gl. fin. in cit. c. Quia sunt*; dissentiat.

LXIII. Assertio 3. Conjugatus non potest ordinari Epicopus: nisi uxor ejus continentiam, priùs professa, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat, prout statuitur in c. *Sane* 6. *h. t.* adeóque non satis est, illam in sæculo manere edito voto continentiæ. Ratio desumitur, tum ex Dignitatis Episcopalis excellentia, ob quam decebat, ut uxores Episcoporum, quatenus eorum status permittit, etiam ad perfectioris vitæ statum assumerentur, adeóque ut in Religione inter Moniales profiterentur: tum ne uxor in sæculo permanens sæpe alijs mulieribus associata, visitet Episcopum, & ab eo gratias, ad ditandos consanguineos, impetret, *Abb. in cit. c. Sanè* 3 *nu.* 2. *Sanch. Lib.* 7. *de matrim. dis.* 41. *num.* 2. Quare licèt conjugatus fiat Episcopus, non tamen ideò dissolvitur matrimonium ratum, priùs consummatum; quia non potest dici mortuus spiritualiter, cùm neque absolutam obedientiam, neque paupertatem voveat, *Barbos. in cit. c. Sanè*; *n.* 3. *h. t.* Porro ut maritus possit ad Cardinalitiam Dignitatem promoveri, non requiritur ingressus uxoris in Religionem, nec plus, quàm requiratur ad Ordines à viro suscipiendos, quia non reperitur jus speciale in hoc casu aliquid decernens, nec ratio, quæ ad aliud statuendum cogat, *Sanch. cit. dis.* 41. *n.* 4.

TITVLVS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Postquam in Titulo præcedente actum est de Conversione Coniugatorum fidelium, ad statum Religiosum, per Professionem editam in Religione, nunc subiicitur hic Titulus, in quo agitur de Conversione Coniugatorum infidelium ad fidem, utrùm uno ex coniugibus converso ad Fidem, matrimonium illorum, & quomodo dissolvatur?

I.

ASSERTIO 1. Si vir infidelis occidat maritum uxoris fidelis, sive Christianæ, ejusdem insidijs, & machinationibus, non potest is illam postea ducere in uxorem, etiamsi hæc istud fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa matrimonio, ad Fidem convertatur, prout statuitur, *in c. Laudabilem*; 1. *h. t.* In quo de duobus interrogatus fuit Papa Cælestinus III. Primò, Saraceni, dum in captivitate essent Christianarum mulierum, maritos quarundam Christianarum mulierum occiderunt, earundem insidijs, & machinationibus, qui postea dictarum mulierum operâ ad Fidem

» Fidem sunt conversi: unde quærebatur, an has mu-
» lieres de jure ducere possint in uxores? Respondet
» Papa, ex Regula Concilij Triburiensis (quòd re-
» fertur in *c. Si quis; 5. caus. 31. quæst. 1.*) quòd si hæ
» mulieres in mortem maritorum suorum malitiosè
» fuerint machinatæ, Saracenis occisoribus, etiamsi
» earum operâ ad Fidem conversi sint, non possint
» nubere, & adhærere, neque, si ei adhæserint, to-
» lerari debeant; cùm tale damnum tali lucro Eccle-
» sia compensare non velit. Alterum, quod fuit pro-
» positum Papæ, est: quidam Saraceni in bello Chri-
» stianos occiderunt, & Christiani vicissim Saraca-
» nos: postea verò Saraceni ad Fidem conversi uxores
» eorum, quos in bello occiderunt, sibi matrimonio
» copulârunt: & vicissim Christiani occisorum Sara-
» cenorum uxores, postquam ad Fidem sunt conver-
» sæ, acceperunt, quæ tamen cognitâ morte prio-
» rum conjugum, divortium instanter petiêrunt.
» Respondet Papa: cùm hæ mulieres, virorum suo-
» rum interitum non procuraverint, matrimonium
» inter illas personas licitè contrahi potuisse, & quæ
» ita contraxerunt, divortium petere non posse. Ra-
tio prioris partis est; quia justum est, ut quis punia-
tur in eo, in quo deliquit, ideóque marito prohibe-
tur, ne possit ducere in uxorem illam, cujus ma-
chinatione maritum occidit. Ratio posterioris par-
tis est, quia cùm tales mulieres non procurârint eæ-
dem mariti, non prohibentur contrahere matrimo-
nium cum eo, qui ex alia causa ipsum occidit.

II. Pro explicatione hujus c. notandum primò. Dispositio hujus Decretalis non debet restringi ad infideles; sed locum habet etiam in fidelibus; nam si Christianus quispiam occidat maritum alicujus, non potest ducere in matrimonium ejus uxorem, si & ipsa morti mariti cooperata sit: secus si non sit cooperata, prout etiam habetur in *c. Si quis; 5. & c. seq. cit. caus. 31. q. 1.* Nam hoc impedimentum provenit ex atroci delicto, gravius autem est delictum, si fidelis occidat fidelem, quàm si infidelis infidelem. Et quamvis in *cit. c. 1.* sit sermo de uxore fideli, cujus machinatione per Saracenum maritus ejus occisus est: non tamen constituitur vis in eo, quòd occisus fuerit infidelis, sive Saracenus, nam idem fuisset, si Christianus occisus fuisset: sed dubitatum potiùs fuit de infidelibus, propter lucrum conversionis subsecutum, cujus gratiâ matrimonium illud est initum, *Abb. in cit. c. 1. n. 4. Sanch. Lib. 7. de matr. dis. 78. n. 9.*

Notandum secundò. Potest Ecclesia ex justa causa, statuere impedimentum dirimens matrimonium, ut colligitur ex *cit. c. 1. h. t.* & notat *Abb. ibid. n. 4. & alij communiter.* Ubi inducitur impedimentum dirimens matrimonium, ob crimen machinationis mortis alterius conjugis, quod quidem non potest per se, ac directè afficere, seu inhabilem reddere hominem infidelem, in pœnam delicti commissi tempore infidelitatis, quo non fuit subjectus Ecclesiæ: potest tamen indirectè, seu peraccidens; quia hoc impedimentum per se, ac directè afficit, & inhabilem reddit mulierem fidelem, quæ cooperata est uxori in necem mariti, ut in perpetuum nequeat illum in matrimonium accipere, tametsi ad Fidem fuerit conversus, ac proinde etiam consequenter, & indirectè impeditus est fidelis, illam in uxorem ducere; sicuti etiam de facto irritum est matrimonium fidelis cum infideli, non ob impedimentum infidelis: sed ob impedimentum Ecclesiasticum, quod afficit ipsum fidelem, ne contrahere possit cum infideli, *Sanch. cit. dis. 78. n. 3.* Et hinc si uterque, non solùm occisor: sed etiam mulier, quæ ipsi cooperata est in mortem sui mariti, sit infidelis, & postea ambo ad Fidem convertantur, nullum erit impedimentum, quò minùs inter se contrahere possint matrimonium; cùm ante Baptismum, tempore infidelitatis, non potuerint ligari, seu affici hoc impedimento ab Ecclesia inducto: neque etiam in ipso Baptismo, cùm in hoc peccata antea commissa, & pœnæ eis annexæ deleantur, & remittantur, *Barb. in cit. c. 1. n. 3.*

Notandum tertiò. Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona, neque est committendum delictum, propter bonum aliquod, etiam spirituale, ex eo consequens: ideóque mulieres, quarum machinationibus Saraceni occiderunt maritos illarum, non effugerunt impedimentum canonicum, in pœnam criminis inductum, etsi per illas occisores ad Fidem sint conversi; quia tale lucrum spirituale cum homicidio ab ipsis patrato non compensatur, *arg. c. 1.* & ibi *Gl. V. Periculosissimè*; & *V. Hæc compensatio*; *dis. 14. Abb. in cit. c. 1. n. 5. Barbos. nu. 4. h. t.* sic non est committendum furtum, ut ex eo detur eleemosyna.

III. Notandum quartò. Ad incurrendum hoc impedimentum dirimens matrimonium, requiritur, ut vel uxor cum viro aliquo conspirârit in mortem mariti sui, vel maritus cum aliqua muliere in mortem uxoris suæ, ita ut uxor cum viro aliquo, vel maritus cum muliere activè concurrerit, sive cooperatus fuerit, v. g. mandato, consilio, vel ipsius facti executione ad necem mariti, vel uxoris, & quidem spe, ac intentione matrimonij, post mortem conjugis, contrahendi, ut colligitur ex *c. Si quis; 5. & c. seq. caus. 31. q. 1. Sanch. cit. dis. 78. n. 8. & 19.* Idque sumitur ex fine, ob quem impedimentum hoc dirimens matrimonium est inductum, nempe ut præscindatur occasio, quæ frequenter contingere potest, dum duo, qui se invicem amant, in necem conjugis conspirant, eâ intentione, ac desiderio, ut post mortem illius, inter se matrimonium conttahere possint. Verùm ad impedimentum hoc matrimonij incurrendum, non sufficit ratihabitio occisionis conjugis factæ, ut si v. g. uxor postquam rescivit, virum aliquem maritum suum occidisse, eâ intentione, ut matrimonium cum ipsa contraheret, id ex post facto approbet, & ratum habeat; quia edictum hoc statuens impedimentum matrimonij contrahendi prohibitorium est, ideóque non debet extendi, ultra casum expressum, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. 1. h. t.* Quamvis ergo certum sit, quòd mandans, seu consulens homicidium, inter insidiantes, & machinantes numeretur, *c. Si qua mulier; 6. caus. 31. q. 1.* nullibi tamen id jure expressum est, de ratum habente: quare licèt ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur, *Reg. 10. in 6.* tamen id solùm fit fictione juris, nam spectatâ rei veritate, ratihabitio non est mandatum, vel activus consensus, seu influxus in necem conjugis, ideóque huic fictioni juris in hoc Decreto prohibitorio, & pœnali, sive in pœnam criminis edito, non est locus. Deinde ut ratihabitio ejus, quod meo nomine factum est, retrotrahatur, & mandato æquiparetur, necessarium est, ut quis utroque tempore sit habilis, ad mandan-

dum, & quo mandatur, & quo actus exercetur. Sic v.g. si quis nomine infantis occidat hominem, & is postea major factus, id ratum habeat, non habebitur pro mandante; quia infans non poterat tunc mandare. Item, si constituto certo termino, ad aliquid agendum, quisquam alterius nomine id facit, qui id postea, cùm tempus ad agendum concessum est elapsum, ratum habet, non censebitur mandâsse; quia post terminum illum, non poterat id verè facere, adeóque nec fictè, sive juris fictione, *l. Bonorum*; 24. *ff. Rem ratam habere*; cùm fictio non debeat plus posse, quàm veritas: sic in casu proposito, quandoquidem ad hoc impedimentum incurrendum requiritur machinatio, sive cooperatio in necem conjugis, post mortem illius, non potest conjux superstes machinari in necem illius, nec mandare illam, ideo non potest, nec debet ratihabitio illius mandato æquiparari, *Abb. in cit. c. 1. n. 10. h. t. Sanch. cit. dis. 78. n. 6.* Non obstat, quòd ex generali Regula traditâ à *Gl. & Bart. in l. 1. §. Sed etsi; ff. de vi & vi arm.* in delictis ratihabitio postea facta, mandato æquiparatur, etiam in ordine ad pœnas juris incurrendas, ut constat ex *c. Cùm quis; 23. de sent. excomm. in 6.* Ubi statuitur, eum qui Clerici occisionem, suo nomine, factam (id enim requiritur, ut ratihabitio mandatum censeatur) postea ratum habet, excommunicationem contrahere. Nam ab hac Regula excipi debet, nisi per Legem pœna, sive impedimentum, & inhabilitas aliqua specialiter sit decreta, eò quòd aliquis ad delictum activè concurrerit, sive cooperatus fuerit, tum enim is, qui ratum habet factum, non debet æquiparari mandanti; cùm ne physicè, nec moraliter in factum influxerit, ad præteritum enim, quod jam est transactum, non datur potentia.

IV. Notandum quintò. Ad impedimentum hoc dirimens matrimonium contrahendum, requiritur primò. Ut uterque, qui matrimonio jungi volunt, cooperetur ad necem alterius conjugis, sive per se occidendo, sive per alium: nec satis est, ut consilio, vel mandato solùm ad conjugis mortem alter cooperetur: & tunc non requiritur insuper, ut interveniat adulterium inter illos, ut colligitur ex *c. 1. h. t.* Ubi quidâ Saraceni persuasionibus uxorum fidelium maritos earũ occiderunt, nec tamen de adulterio cum illis commisso ulla fit mentio: secus est, si alter ex ijs, qui conspirârunt in necem conjugis, absque alterius cooperatione, mandato, vel consilio, conjugem occidat, tunc enim etiam adulterium intervenire debet, *Sanch. cit. dis. 78. n. 9.* Secundò. Requiritur, ut conspirantes cooperentur neci alterius conjugis, animo, seu intentione, ineundi matrimonium inter se; nam si ad se ulciscendum, vel ob aliam causam id faciunt, non contrahitur hoc impedimentum, *Sanch. c. l. n. 13.* Satis tamen est, si alter ex machinantibus mortem conjugis, intendat inire matrimonium, *Sanch. c. l. n. 14.* Tertiò. Requiritur, ut reipsa occisio sequatur ex illorum machinatione; nam si culpâ Medici, aut Chirurgi, vel negligentiâ ipsius vulnerati sequatur mors, nullum inde consurgit impedimentum dirimens matrimonium, ut colligitur ex *c. Si quis; 5.* ibi: *occidisse notetur*, & *ibid. Gl. V. Occidisse. caus. 31. q. 1.* adeóque exigitur actus consummatus, & cum effectu, *Sanch. c. l. n. 7. Barb. in Collect. in c. 1. h. t. n. 6.*

V. Assertio 2. Si infidelium conjugum unus ad Fidem convertatur, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles assignanda est parenti converso, prout decisum habetur in *c. Ex litteris; 2. h. t.* Nam Judæus aliquis ad Fidem Christi conversus, uxore suâ in Judaismo remanente, petijt à Judice, ut filius quadriennis sibi relinqueretur, ad Fidem Catholicam, quam susceperat, perducendus. Sed uxor excepit, quòd cùm puer adhuc infans sit, ideóque magis materno: quàm paterno indigeat solatio, sibique ante partum onerosus, in partu doloroso, & post partum laborioso fuerit, & propterea etiam legitima maris, & fœminæ conjunctio magis matrimonium, quàm patrimonium nuncupetur, sive non à patre, sed à matre nomen acceperit; ideo dictum puerum apud ipsam convenientiùs mansurum. Re delatâ ad Papam Gregorium IX. Is respondit: cùm filius non in matris, sed patris potestate consistat, cujus & familiam sequitur: & in tali ætate non debeat filius permanere apud eas personas, de quibus possit esse suspicio, quòd salutem, vel vitæ illius insidientur: atq; pueri post triennium suæ ætatis, apud patrem, si suspectus non sit, ali debeant, & educari: matérq; pueri, si apud ipsam permaneret, posset illum trahere ad errorem infidelitatis; idcirco, & maximè in favorem Fidei Christianæ, patri dictum puerum esse assignandum.

VI. Notandum primò. Filij nati ex uno parente Christiano, sive patre, sive matre: altero verò pagano, vel Judæo, jure possunt Baptismo ablui, nolente, & annuente parente Christiano, etsi alter infidelis reclamet, ut colligitur ex *c. 2. h. t. & c. Judæi 10. caus. 28. q. 1. Azor p. 1. Lib. 8. c. 25. q. 3. Sanch. Lib. 7. de matrim. dis. 73. nu. 16.* Ratio est, quia licet aliàs secundum Leges Civiles, filij sint in potestate, & curâ patris, §. *ult. Instit. de patr. potestat.* non in potestate matris, *l. Mulierum; 6. Instit. de adopt.* Tamen ubi de Fidei bono agitur, nulla habetur ratio patriæ potestatis: ac proinde mater fidelis jus habet, filium offerendi ad Baptismum, etiam patre Ethnico reclamante: quin imò etsi utérque parens, tum infidelis, tum etiam fidelis filium nolint baptizari; quia licet fidelis non vult displicere conjugi infideli: nihilominus tamen ipsa Ecclesia jus habet, compellendi conjugem fidelem, ut filium offerat ad Baptismum; eo ipso enim, quòd parens conversus ad Fidem sit jam de foro Ecclesiæ, per consequens etiam filij ejus, *Gl. in cit. c. Judæi; V. eod. Azor c. l. & Sanch. c. l. n. 11.* Id autem solùm procedit, si proles nondum sit doli capax, alioquî verò si sui compos sit, cogi non debet ad Fidem: sed suæ libertati relinqui, ut definitur in Concilio Toletano, relato in *c. De Judæis; 5. dis. 45. Sanch. c. l.*

VII. Notandum secundò. Quamvis filius minor triennio apud matrem educandus sit, facto divortio inter conjuges: post ætatem triennij verò apud patrem, qui jus habet in filium, ut penes ipsum, & sub cura ejus permaneat, *l. Nec filium; 9. C. de patr. potestat.* Id tamen non procedit, si parens fidelis est, & alter infidelis, tunc enim infans, etsi triennio minor sit, tradi debet educandus patri fideli, & quamvis sit major triennio, matri fideli, *arg. cit. c. 2. h. t.* Idq; ob Fidei favorem, summa enim est ratio, quæ pro Re-

Religione facit, *l. Sunt personæ* 43. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* nam præcipuè spectandum est commodum filij, seu apud quem parentem tutiùs, & sine periculo perversionis, mansurus sit, *Gl. fin. in cit. c. 2. h. t. Abb. ibid. nu.* 8. *Sanch. cit. dis.* 73. *nu. ult. & Lib.* 10. *dis.* 20. *nu.* 1. Deinde si unus parens sit locuples, alter inops, illi, qui alere potest, tradi debet filius, ad quod Judicis arbitrio opus est, *l. unic. C. de divort. facto.* Denique jure novissimo *Auth. si patr. C. eod.* spectandum est, uter causam divortij dederit; si enim pater apud matrem filij educari, vel ali debent impensis patris, modò ad secundas nuptias non transierit: si verò culpâ matris divortium factum sit, educabuntur, & alentur filij apud patrem, sed impensis matris, *Sanch. cit. dis.* 20. *num.* 4. *Barbos. in cit. c* 2. *nu.* 8. *h. t.* Porro de materia hujus Tituli plura infra *Lib.* 4. ubi ex instituto de illa agitur.

TITVLVS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

Actum est supra de Regularibus, & solenni voto Professionis eorundem; ideo nunc tractatur de voto in genere, eiúsque relaxatione. Sed quoniam materia hæc de votis alioquin propria Iuris Canonici, & ex eiusdem fontibus, ac principiis emanans, à Theologis copiosè explicatur, ideo nos ferme ea tantùm afferemus, quæ in Capitulis huius Tituli continentur, & ad illa intelligenda inserviunt, qui etiam extat in Sexto, & Extravag. Ioannis XXII.

§. I.

De voto in genere, & præcipua eius divisione in solenne, & simplex.

I.

ASSERTIO 1. Votum communiter definitur, *Promissio de opere meliore DEO deliberatè facta:* ad quod secundùm *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *artic.* 1. *in Corp.* Tria necessariò requiruntur. 1. Deliberatio. 2. Propositum. 3. Promissio. In qua perficitur ratio voti, non enim obligatur quis ex sola deliberatione, nec ex solo proposito, nisi subsequatur promissio, quæ quidem licèt homini fieri non possit, nisi per verba, vel alia signa exteriora, tamen DEO potest, per solam internam cogitationem, ac mentem, *S. Thom. c. l.* Quare votum, seu promissio in hoc distinguitur à simplici proposito, quòd illa in se continet voluntatem, se alteri obligandi: non item simplex propositum, quantumvis firmum sit: & licèt sit de bono opere faciendo in honorem DEI: non tamen est votum, nisi promissione firmetur, sive accedat animus, & intentio se obligandi, prout sumitur ex *l.* 2. *ff. de pollicit.* & ex *c.* » *Litteraturam*; 3. *h. t.* Nam cùm Mag. A. in aliquo » periculo mortis constitutus esset, hæc verba protu- » lit: *non diu hic morabor*, proponens in animo, quòd » Religionis habitum aliquando suscipere vellet: » sed quia id postea opere non implevit, ideo dubi- » tavit, an vi hujus propositi teneretur Religionem » intrare, & Alexandrum III. super hoc consuluit. » Qui respondit: quòd si ampliùs in voto non processit, transgressor censeri non possit, si non im- » pleat quod dixit. Idque ob defectum intentio- » nis, seu voluntatis, se obligandi, *Abb. hîc n.* 3. »

II. Assertio 2. Votum solenne est, quod ab Ecclesia, ut tale acceptatur, & voventem inhabilem reddit in perpetuum, & immutabiliter (spectatâ Lege ordinariâ, & seclusâ dispensatione Pontificiâ) ad matrimonium contrahendum, & ad dominia rerum acquirenda, vel retinenda. Simplex autem votum est omne aliud, quod talem solennitatem, & vim non habet, nec reddit inhabilem ad matrimonium, vel dominium bonorum, sive publicè, sive privatim emittatur. Talia vota solennia tantùm sunt duo, in ordine ad dirimendum matrimonium subsequens, videlicet votum Religiosæ Professionis, & votum continentiæ, quod majoribus, sive sacris Ordinibus est annexum. Reliqua autem vota omnia simplicia dicuntur, quæ ab Ecclesia vim, matrimonium sequens dirimendi, non acceperunt, ut constat ex *c. Quod votum unic. h. t. in* 6. Nam cùm quæsitum fuisset ex » Bonifacio VIII. quodnam votum debeat dici solenne, & ad dirimendum matrimonium efficax: (quod ideo fuit additum, quia potest etiam votum solenne dici, quod efficax est, ad dirimendum matrimonium, sive inhabilem reddit ad dominium acqui- » rendum in perpetuum) Respondet Papa, quòd vo- » ti solennitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est in- » venta, sive introducta: at verò matrimonij, ab ip- » so Ecclesiæ Capite, & rerum omnium Conditore » DEO in Paradiso, & in statu innocentiæ, (id est, » ante peccatum primorum parentum) instituente » unionem, & indissolubilitatem acceperit. Ideo » per modum sanctionis declarat dictus Papa, illud » solum votum solenne dici debere, quantùm ad » matrimonium posteà contractum dirimendum, » quod »

» quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri
» Ordinis, vel per Professionem expressam, aut taci-
» tam, factam in aliqua Religione per Sedem Apo-
» stolicam approbatâ. Reliqua vota, tametsi quæ-
» dam eorum matrimonium impediant contrahen-
» dum (ne scilicet licitè contrahatur) & quantò ma-
» nifestius sunt emissa, tantò propter plurium scan-
» dalum, & exemplum, durior pœnitentia eorum
» transgressoribus imponi debeat, non tamen re-
» scindere possunt matrimonia postea contracta.

III. Notandum primò. Licèt Papa matrimonium per copulam carnalem consummatum non possit dissolvere, potest tamen contrahentes inhabiles reddere, ne contrahant, & sic potest inducere impedimentum dirimens matrimonium postea contractum, *Franc. hîc n.* 1. *not.* 3.

Notandum secundò. Quilibet Ordo sacer habet ex constitutione Ecclesiæ annexum solenne votum castitatis, per quod matrimonium postea contractum irritatur, *Franc. hîc n.* 1. *not.* 4.

IV. Notandum tertiò. Quod hîc dicitur, Vota simplicia non habere vim dirimendi matrimonium postea contractum, id procedit usque ad tempus Bonifacij VIII. qui hanc Constitutionem edidit. Sed posteà Gregorius XIII. anno 1584. In Bulla Ascendente Domino; constituit, & declaravit eos omnes, qui vota Religionis simplicia in Societate Jesu ediderunt, ad contrahendum matrimonium esse inhabiles, & contractus hujusmodi nullos, ac irritos esse, subintelligi, quamdiu hæc vota durant, & nisi per legitimam potestatem, à Societate, solutis votis, dimittantur, *prout habetur in eadem Bulla.* Neque verò ad hoc, ut quis constituatur verus Religiosus, necessariò requiritur ista inhabilitas ad contrahendum postea matrimonium: tum quia etiam olim vota Religiosa non irritabant matrimonium subsequens, ita ut invalidum esset matrimonium Monachi, vel Monialis: sed solùm illicitum, & sacrilegum, prout docuit *Gratianus*; *caus.* 27. *quæst.* 1. *in fine*, *argum. c. Nuptiarum*; 41. & *cap. seq. ibid.* sicut etiam olim Religionem professi adhuc erant capaces dominij rerum temporalium, adeo ut etiam per ultimam voluntatem de ijs disponere potuerint, ijsque ab intestato succedi posset, ut constat ex *l. Generali*; 13. *C. de SS. Eccles.* & *l. Si qui*; 20. *C. de Episc.* & *Cleric.* Tum quia ante editam cit. Constitutionem Ascendente Domino; Coadjutores formati, spirituales, & temporales Societatis, & Scholastici, qui post biennium probationis, tria vota simplicia in Societate ediderunt, erant veri Religiosi, non minùs, quam Societatis Professi: & tamen necdum erant inhabiles ad matrimonium contrahendum, ita ut matrimonium postea subsecutum fuerit irritum: sed solùm illicitum, & sacrilegum, ut constat ex *cit. Constit. Ascendente*; ubi tanquam novum jus statuitur ista inhabilitas, ad contrahendum matrimonium, & tanquam impedimentum dirimens, de quo idem Gregorius in priore Constitutione, quæ incipit. Quantò fructuosiùs; edita anno 1582. In quo idem Papa Institutum confirmaverat, nullam hujus impedimenti dirimentis fecit mentionem, ut notat *Suar. Tom.* 4. *de Relig. Lib.* 4. *de votis simplic. c.* 1. *n.* 3. Ratio est, quia hoc impedimentum dirimens matrimonium non est annexum voto castitatis, nisi ex constitutione Ecclesiæ, *cit. c. unic. h. t. in* 6. quippe quæ potestatem habet impedimenta matrimonij dirimentia augendi, vel minuendi, prout definivit Conc. *Trid. Sess.* 24. *de Sacr. matr. can.* 3. & 4. Et de facto hoc impedimentum dirimens matrimonium subsequens, voto Clericorum, qui in Sacris sunt constituti, ex constitutione Ecclesiæ adjunctum fuit, licet non dirimat matrimonium non consumatum, priùs contractum, ut constat ex *Extrvvag. un. h. t.* de quo supra. Ergo similiter potuit Ecclesia hoc impedimentum dirimens matrimonium subsequens, adjungere alicui statui, & voto Religioso; nam etiam vota simplicia edita in Societate, quamdiu durant, & non relaxantur, vera vota sunt, & tam verum statum Religiosum constituunt: quàm vota solennia, *Suar. c. l. num.* 8. Quare hoc impedimentum, quòd vota simplicia in Societate edita, vim habeant dirimendi matrimonium subsequens, postea primùm introductum, & statututum fuit, maximè ad Apostatarum, post dita hujusmodi vota, ad matrimonium transeuntium, temeritatem magis coërcendam, ne scilicet Religiosi facilè possent à suscepto statu, cum detrimento Religionis, ipsâ invitâ, recedere, & matrimonium sacrilegum contrahere, cum jactura etiam propriæ salutis, ideo meritò inhabiles facti sunt, ad illud contrahendum, *Suar. c. l. n.* 9.

Neque verò ex eo, quòd dicta vota Coadjutorum, & Scholasticorum Societatis edita, habeant vim dirimendi matrimonium subsequens, sequitur illa esse solennia, *arg. cit. c. un. h. t. in* 6. Nam ad votum solenne requiritur, ut habeat vim dirimendi matrimonium perpetuò, & indissolubiliter, ut colligitur ex *cit. c. un.* in quo votum solenne comparatur matrimonio carnali, cujus vinculum, adeóque & impedimentum contrahendi aliud matrimonium, est omnino indissolubile: hoc solo discrimine, quòd indissolubilitas matrimonij, ex jure Divino ortum habeat: illa verò solennitas voti, per quam indissolubiliter quasi matrimonium spirituale contrahitur, per Professionem Religiosam, proveniat ex jure Ecclesiastico. At verò vota simplicia Societatis non continent impedimentum matrimonij indissolubile; cùm dissolvi possint ipsa vota, & consequenter ijs extinctis, etiam tollitur impedimentum dirimens matrimonium ei adjunctum: ideóque etiam hæc vota non comprehenduntur sub nomine spiritualis matrimonij, sicuti Professio solennis Religionis, *Suar. c. l. n.* 8.

V. Ex dictis infertur, votum solenne, & simplex non distingui inter se essentialiter, ex utriusque voti natura: sed solùm accidentaliter, seu extrinsecè ex sola Ecclesiæ constitutione, ut constat ex *cit. c. unic. h. t. in* 6. & docet *Azor p.* 1. *lib.* 12. *c.* 6. *quæst.* 1. *Sanch. Lib.* 7. *de matr. dis.* 27. *n.* 2. & *Lib.* 5. *mor. c.* 1. *num.* 6. & alij Dd. plerique. Ratio est, quia votum simplex apud DEUM non minùs obligat, quàm solenne, prout habetur in *c. Rursus*; 6. *Qui Clerici, vel voventes &c.* Ergo per se, & spectato jure naturali, ac Divino, utrumque votum solenne, & simplex æqualiter obligat: peraccidens verò solum votum solenne magis obligat, quàm simplex, ex constitutione Ecclesiæ, quæ ipsi voto secundùm se spectato est extrinseca, & accidentalis, sicut & ipsæ solennitates per Ecclesiam inventæ ipsi voto sunt extrinsecæ, & accidentales, *Sanch. c. l. num.* 7.

Con-

Consistit autem ipsa voti solennitas in eo, quòd tanquam solenne acceptetur ab Ecclesia, & cum solennitatibus ab Ecclesia præscriptis, ita ut ab utraq; parte tam voventis, quàm Ecclesiæ acceptantis, tanquam vinculum perpetuum, & viâ ordinariâ indissolubile obliget: licèt etiam votum solenne dissolvi possit: sed nonnisi viâ extraordinariâ, & difficillimè, ac rarissimè, cùm vota simplicia per ordinariam potestatem dispensandi dissolvi, & relaxari possint: quamvis Ecclesia etiam statuere posset, ut absque perpetua, & utrinque indissolubili obligatione, votum quoddam solenne esset, adeóque res tota pendet ex Constitutione Ecclesiæ, *Sanch. cit. c. 1. n. 11. & 13.*

VI. Porro nonnulli Dd. solennitatem voti in eo dicunt consistere, in eòque votum solenne à simplici differre, quòd per illud jure Ecclesiastico dirimatur matrimonium subsequens, non autem per votum simplex. Verùm hic est effectus voti solennis, ut constat ex *cit. c. un. de voto in 6.* adeóque supponit, jam votum solenne constitutum: deinde votum castitatis emissum in Societate, post biennium probationis, est simplex, & tamen jure novo Ecclesiastico, per illud dirimitur matrimonium subsequens: denique hoc soli voto castitatis competit, cùm tamen etiam alia vota sint solennia, ut paupertatis, obedientiæ &c. *Sanch. cit. c. 1. n. 10.* Itaque vota Religionis solennia sunt, quæ sub certa Regula, à Sede Apostolica approbata emittuntur juxta ritum ab eadem Regula præscriptum, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetua, & viâ ordinariâ indissolubili. At verò vota simplicia, etsi sint ex parte voventis perpetua, non tamen acceptantur ut solennia, & perpetua ex parte Ecclesiæ vel Religionis, & viâ ordinariâ dissolvi possunt, *Sanch. c. l. num. 11.*

§. II.

Vtrùm, & quando votum obliget, & impleri debeat, & an etiam interveniente impedimento?

VII. Assertio 1. Quamvis ab initio liberum sit, cuique vovere, vel non, post votum verò factum, illud necessariò implendum est, ut constat ex *c. Licèt 6. in princ. h. t.* ubi dicitur: *Licèt universis liberum sit arbitrium in vovendo*, usque adeo tamen solutio necessaria est, post votum, *ut sine salutis propriæ dispendio, alicui resilire non liceat*, quemadmodum etiam contractus ab initio sunt liberæ voluntatis, ex postfacto tamen necessitatis, *l. Sicut 5. C. de oblig. & action.*

VIII. Assertio 2. Votum absolutè, & nullo præfixo tempore determinato, editum, statim obligat, & impleri debet, cùm primùm spectatis circumstantiis commodè impleri potest, ut ex communi docet *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 3.* & sumitur ex *cap. 23. Deuteron. V. 21.* ubi dicitur: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, & Eccles. c. 5. V. 3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*, & colligitur etiam ex *c. Non est 5. h. t.* Ubi requiritur auctoritas & dispensatio quædam Superioris, ad hoc, ut is, qui votum distulit adimplere, non censeatur esse transgressor voti sui. Ratio est, quia omnis promissio absolutè, & sine ulla determinatione, seu limitatione, facta, statim obligationem parit, ita ut solvi, sive impleri debeat, quod promissum est, cùm primùm, juxta prudentis arbitrium, commodè fieri potest, *arg. l. Eum qui 41. §. Quoties ff. de V. O. & §. Omnis stipulatio*, & ibi *Gl. V. Confestim*; id est, statim *Instit. eod. & Reg. jur. 14. in ff.* ubi dicitur, *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.*

IX. Assertio 3. Ex justa tamen causa differri potest voti executio, ut constat ex *cit. c. Non est 5. h. t.* Ubi Innocentius III. ita rescribit, non est censendus voti transgressor, qui, quod vovit, auctoritate Sedis Apostolicæ, distulit adimplere. Quare cùm Rex Hungariæ, perturbato Regni statu, non modicum damnum passurus esset, si Archiepiscopus Strigonienſis, cujus consilio & auxilio Rex multùm juvabatur, votum suum Jerosolymam proficiscendi, tunc exequeretur: ideo mandat Papa dicto Archiepiscopo, ut non priùs iter illud instituat, quàm Regnum ipsum fuerit tranquilitati pristinæ restitutum, vel ab ipso S. Pontifice mandatum acceperit proficiscendi. Cur autem, licèt in casu hujus cap. adfuerit justa causa differendi executionem voti, nihilominus etiam Papæ auctoritas & dispensatio fuerit necessaria, ratio est, vel quia Archiepiscopus dubitabat, num justa causa adsit differendi votum: in dubio autem, si certò non constet, an votum obliget, necnè, ad Superiorem est recurrendum, & notat *Gl. in c. Magnæ 7. V. Noluisti tamen h. t.* Ubi ait, quòd nemo debet interpretari votum suum, nisi certus sit, quòd non sit obligatus. Vel quia Papa auctoritatem suam interponere voluit, ad pacificandam conscientiam, præsertim quia fieri potuit, ut postea non esset opportunitas, votum exequendi, vel impotentia illud implendi.

Porro justa, & sufficiens causa differendi executionem voti, quod caret certo tempore, est etiam illa, si spes sit fore, ut postea commodiùs, quietiùs & cum majore devotione votum impleatur, ut docet *Sanch. Lib. 4. mor. c. 14. n. 8.* Excipi debet primò: nisi probabile periculum sit, secuturum postea, si votum differatur, perpetuum, vel valde diuturnum impedimentum illud exequendi, tunc enim vovens, culpâ suâ, ei periculo se exponit, *Sanch. c. l. n. 17.* Secundò, nisi opus, seu obsequium voto promissum, sit successivum, & perpetuum, v. g. ingrediendi Religionem, suscipiendi Sacros Ordines, inserviendi perpetuò Xenodochio; tunc enim oblatâ opportunitate exequendi votum, si id differatur per negligentiam, tantum obsequii, & cultûs Deo promissi, detrahitur, quanta est mora temporis, quo differtur voti executio, quod in aliis votis temporalibus non contingit: sed integrè postea solvuntur, *Sanch. c. l. n. 22.*

X. Assertio 3. Si impedimentum occurrat, per quod difficilis redditur voti executio, tum vel temporale est; & votum differri debet, donec commodè, ac quietè executioni mandati possit: vel perpetuum occurrit impedimentum; & tum votum redimendum est seu commutandum, aut in eo dispensandum, prout sumitur ex *c. Quod super his 8. h. t.* Nam cùm quidam assumpsissent signum S. Crucis in subsidium Terræ sanctæ (id est, vovissent proficisci Jerosolymam, ad succurrendum Terræ sanctæ:) man-

» davit Papa Innocentius III. ut ad signum Crucis, » quod abjecerunt, reassumendum, & votum suum » exequendum compellerentur: sed quia quidam, ob » infirmitatem, vel paupertatem, aliàmvè justam » causam, votum suum utiliter non poterant adim- » plere, ideo quæsivit Episcopus Cantuarienſis, quid » de illis agendum esset? Respondet Papa, quòd de- » biles & inopes magis in defectum, quàm profe- » ctum, illuc accedant; quia debiles pugnare non » possunt, & inopes mendicare coguntur: nisi fortè » sint Nobiles & Magnates, ut suis expensis secum du- » cere possint bellatores: vel artifices, & agricolæ, qui » de laboribus suis sibi victum necessarium quærere » possint, & terræ sanctæ subsidia ministrare. Qua- » re distinguendum est, utrùm impedimentum tem- » porale, an verò perpetuum habere existimentur: » nam prioribus dilatio concedenda est: (expectan- » dum enim est, donec impedimentum cessaverit) » posterioribus verò redemptio, seu commutatio est » injungenda, ita ut æstimato labore, quem sufferre » debuissent, & expensis, quas secundùm facultates » suas facturi essent, tantundem in subsidium Terræ » sanctæ transmittant, exequentes per alios, quod per » se non possunt. Præterea attendendum est, quâ » potissimùm intentione votum ediderint, an ad » succurrendum Terræ sanctæ, ut ea ab infidelibus » armis recuperetur: an verò peregrinationis, & de- » votionis causâ, ad visitanda sancta illa loca: vel » etiam quia in satisfactionem pro suis peccatis, ta- » lis peregrinatio, pœnitentiæ loco, ipsis à Sacerdo- » te injuncta fuit: Nam prioribus permittendum est, » ut votum redimant, seu commutent; quia spectatâ » eorum principali intentione, nempe succurrendæ » Terræ sanctæ, melius est, ut si inhabiles sint ad pu- » gnandum, etsi habiles sint ad eundum, seu profi- » ciscendum, expensas itineris transmittant, quàm » ut eas in via inutiliter consumant. At verò poste- riores (qui scilicet Religionis, seu devotionis causâ, votum peregrinationis ediderunt, vel quibus pro satisfactione suorum peccatorum, loco pœnitentiæ, » iter peregrinationis est injunctum) etsi inhabiles » sint ad bellandum, seu pugnandum: si tamen habi- » les sint ad eundum, seu proficiscendum in Terram » sanctam, melius est, ut peregrinentur seu profici- » scantur, quàm ut votum redimant, submittendo » expensas itineris in subsidium Terræ sanctæ. Quod » verò ad mulieres attinet, (scilicet non voventes) » iis permittendum est, ut si remanere noluerint, vi- » ros suos sequantur: illis verò (quæ etiam voverunt » profectionem Hierosolymitanam) concedendum » est, ut votum suum pecuniis redimant, nisi divites » sint, ut suis expensis secum deducere possint bel- » latores.

XI. Pro intellectu hujus cap. Notandum primò. Quando in eo dicitur, quòd illis, qui propter impedimentum perpetuum, non possunt ire Hierosolymam, redemptio sit injungenda, ita ut nihilominus teneantur expensas, quas eundo facturi essent, mittere in subsidium Terræ sanctæ, per impedimentum non debet intelligi absoluta impotentia, seu impossibilitas, quæ si perpetua sit, omnino liberat ab obligatione voti, sicut à qualibet alia promissione, cùm ad impossibile nemo possit obligari: sed intelligi debet de impedimento, per quod redditur difficilior voti impletio, seu executio, ideóque sufficiens & justa causa est ad voti redemptionem, seu commutationem, ob quam, omnibus spectatis, utilius, ac decentius censeatur, votum pecuniis redimere, adeóque commutare, quàm peregrinari Jerosolymam, ut colligitur ex *cit. c. Quòd super*; & docet *Suar. Lib. 4. de voto c. 11. n. 17. Sanch. Lib. 4. mor. c. 2. n. 25.* Quamvis hoc peculiariter statutum fuisse videatur, ut si votum proficiscendi, seu peregrinandi Jerosolymam, ob interveniens impedimentum, sive justam aliquam causam, commutandum esse videatur, tunc non aliter, quàm realibus subsidiis, sive subministratis sumptibus redimi debeat, ut colligitur ex *cit. c. Quòd super; & c. seq. h. t.* Idque statutum fuit propter necessitatem, quæ tunc temporis erat, defendendi Terram sanctam contra hostes Fidei, *Laym. Lib. 4. c. 3. num. 14 in fine.*

Notandum secundò. Votum mixtum ex personali & reali (cujusmodi est peregrinationis Jerosolymitanæ, quæ tum laborem, molestiàmque corporis, animìque devotionem, tum sumptus itineris in se continet) dupliciter fieri potest. Primò, ita ut quod est reale in voto, v. g. sumptus itineris, promittatur dependenter ab opere personali, ipsâ scilicet profectione seu peregrinatione, devotionis causâ, suscepta: & tunc si ipse proficisci simpliciter sit impeditus, omnino liberatur voto, ita ut nec sumptus transmittere debeat. Secundò, si id, quod est reale in voto, fuit promissum, etiam principaliter & secundùm se, ac sine dependentia à sua profectione; ut si quis vovit proficisci in Terram sanctam, allato secum pecuniario subsidio in bellum contra hostes Fidei: tunc enim etsi ipse sit impeditus proficisci, tenetur pecuniarium illud subsidium nihilominus mittere, quippe quod principali intentione promissum fuit, ob bellum contra hostes Fidei: duo enim in sensu diviso sunt promissa, nempe quòd ipse proficisci velit, & quòd velit afferre secum certam pecuniam in subsidium belli, & utrumque aquè principaliter, & posterius independenter à priore, *Suar. cit. c. 11. n. 18 & 19.*

Notandum tertiò. Si uxor virum peregrè proficiscentem sequi velit, tenetur is illam secum ducere, si diu absens sit futurus, & non desint sumptus necessarii, ad illam secum ducendam, & sine aliis gravibus incommodis id fieri possit, prout sumitur ex *c. Quòd super in fine, & c. Ex multa 9. §. Quod autem, h. t.* Ubi licèt sermo sit tantùm de viro proficiscente, ad succurrendum Terræ sanctæ: tamen idem est in quacúnque alia viri profectione, cùm eadem sit ratio; secus est, si vir proficiscatur, statim rediturus, vel nullibi diu commoraturus: sed semper iter facturus sit, tunc enim nimis difficile foret, & incommodum, illam secum ducere, *Sanch. Lib. 9. de matrim. disp. 4. n. 14.*

§. III.

An, & qualiter hæres teneatur implere & exequi vota defuncti, quæ ipse non implevit?

XII. Assertio 1. Vota merè personalia defuncti non tenetur hæres implere, & exequi, tenetur tamen reali-

realia, imò & mixta vota, id est, partim realia, & partim personalia, si id, quod est in voto reale, sit separabile ab eo, quod est personale, & per se ac independenter ab eo promissum: sed nonnisi juxta vires hæreditatis aditæ, & salvâ legitimâ liberis debitâ, quæ votis aut legatis gravari non potest, *Sanch. Lib. 4. mor. c. 15. n. 25. 30. & 31. & n. 36. Suar. Lib. 4. de voto c. 11. n. 2. & seqq. Tambur. p. 1. Lib. 3. in Decal. c. 12. §. 4. n. 3.* v. g. si quis vovit, militare contra hostes Fidei, & tres milites socios secum adducturum in subsidium belli: hæres ipsius non tenetur proficisci ad bellum: sed solùm mittere promissos socios, seu milites in subsidium belli: nisi defunctus promisisset hos tres milites principali intentione, propter suum comitatum, adeóque cum dependentia à sui profectione, tunc enim si defunctus non est profectus in bellum, neque hæres ipsius tenebitur tres milites mittere. Ratio primæ, partis est, quia obligatio voti personalis respicit actiones voventis, adeóque cum persona extinguitur, neque ad hæredes ejus transire potest, còsque obligare. Ratio secundæ partis est, quia hæres, adeundo hæreditatem, illam suscipit cum obligationibus, & oneribus realibus ipsi hæreditati annexis, adeóque non quidem ex vi voti & Religionis: sed ex justitia & quasi contractu obligatur, omnia onera realia defuncti solvere; cujusmodi etiam est obligatio, seu onus adimplendi vota realia defuncti, ut constat ex *c. Ex parte; 18. de censib.* Ubi deciditur, quòd Successores teneantur, ad solvenda vota realia Antecessorum: & expressiùs ex *l. 2. ff. de pollicit.* Ubi in fine dicitur: *Qui decimam partem bonorum vovit, si decesserit, ante se positionem, hæres illius hæreditario nomine Decimæ obstrictus est: voti enim obligationem ad hæredem transire constat.*

XIII. Assertio 2. Si hæres jussa, seu vota realia defuncti ab eodem hærede acceptata, monitus à Judice, intra annum, exequi intermittat, omni commodo hæreditario, quod à defuncto consequi posset, est privandus, juxta *Auth. Hoc amplius; C. de fidejussorib.* Ubi tamen excipitur debitum naturale, seu legitima portio jure naturæ debita liberis. Idque etiam sumitur ex *c. Licèt; 6. h. t.* Nam Rex Hungariæ, cùm in extremis positus esset, votum, quod voverat Domino, Jerosolymitanam Provinciam cum forti manu (scilicet militum) adeundi, fidei filii sui Andreæ Ducis, sub interminatione maledictionis paternæ, commiserat exequendum: assumpto Crucis signaculo (nam olim solebant ii, qui votum peregrinationis ad Terram sanctam ediderant, mox Crucem in pectore gestare, in signum editi voti, sicut nunc Crucigeri solent) sine ulla dilatione, votum patris impleturum promisit. Sed postea patre mortuo, exercitum, quem contra inimicos Fidei ducere debuisset, contra fratrem suum Regem Hungariæ convertit (*ut habetur in integra lectione hujus cap.*) Quare Innocentius III. admonuit prædictum Andream Ducem, eique mandavit, ut omnibus aliis postpositis, usque ad Festum Exaltationis S. Crucis, assumptæ Crucis debitum exoluens, propositum iter Jerosolymitanum arripiat, & humiliter prosequatur: ne alioquin, si onus à patre sibi injunctum, & sponte acceptatum, quolibet prætextu, detrectaverit, paternâ se reddat successione indignum, & hæreditatis emolumento privetur, quippe cujus onera sustinere recusaverit: & sciat, quòd etiam anathematis, seu excommunicationis vinculo subjacebit: & jure, quod ipsi, si dictus Rex (frater ipsius Ducis Andreæ, contra quem exercitum converterat) sine prole decederet, in Regno Hungariæ ordine genituræ competeret, privandus sit: regnùmque ipsum ad fratrem ejus minorem, postpositâ appellatione, sit devolvendum.

XIV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Hoc votum Regis Hungariæ fuit mixtum, partim scilicet personale, quatenus ipse promisit, se in propria persona, iturum ad Terram sanctam: & ut sic non potuit transire ad personam filii, aut hæredis, nec illum obligare: partim verò fuit votum reale, quatenus promisit, se quoque allaturum subsidium Terræ sanctæ per manum militarem, & sumptus necessarios in illam expeditionem suppeditaturum. Quare cùm dictus Rex Hungariæ, dum viveret, hoc votum non implevisset, voluit, ut post mortem suam illud impleretur à filio secundò genito Andrea, non solùm quoad realem: sed etiam personalem obligationem illius voti, ideóque hanc utramque obligationem ipsi filio exposuit, ejùsque fidei commisit, qui etiam, non tantùm illam sponte acceptavit: sed etiam voto ipsemet ad exequendum, se obligavit: ac proinde tum ex fide datâ patri, eàque juramento firmatâ, tum ex voto Deo edito, votum hoc paternum filius hic exequi obligatus erat, & non ex vi præcisè obligationis patris, vel quia paternam hæreditatem accepit, ut rectè notavit *Molin. Tract. 2. de justit. dis. 626. n. 8. §. Quod attinet;* Ubi addit, valde credibile esse, Regem, ante mortem suam, sumptus necessarios ad illud bellum contra hostes Fidei filio reliquisse, & copias militares tradidisse, quibus tamen ille post mortem patris, dolosè contra fratrem primogenitum, qui Patri in Regno Hungariæ successerat, sit usus, ei bellum inferendo.

Notandum secundò. Potest Judex Ecclesiasticus, & multò magis S. Pontifex, sub pœna excommunicationis, vel privationis bonorum, compellere ad executionem voti, vel juramenti ad piam causam editi, etiam Laicos, ut constat ex *cit. c. Licèt; h. t.* & ibi *Abb. n. 3.* & ex *c. Quod super; 7. in fine de fide instrum.* & ex *c. Ex parte; 18. de censib.* sicuti etiam Episcopus potest cogere executores ad ea, quæ ipsis jussa sunt à defuncto, implenda, præsertim ad pias causas, *c. Si hæredes; 6. & c. Tua; 17. de testam.* Quin imò S. Pontifex etiam de contentionibus & litibus ortis inter Reges, & Principes Christianos, præsertim si pacis fœdera, & juramenta violari dicantur, cum damno Reipubl. Christianæ, cognoscere potest, ut constat ex *c. Novit; 13. de judic.*

XV. Notandum tertiò. Quamvis hæredes teneantur implere vota realia defuncti, quæ ille non implevit, ut si quid vovit Deo, in redemptionem captivorum, vel aliud opus pium, sicut & cætera debita defuncti solvere tenentur, ut si quid promisit liberaliter alicui privato: tamen illa vota realia non debent solvi ex bonis pertinentibus ad Coronam Regni, aut Provinciam; quippe quæ sicut aliis donationibus merè liberalibus & gratuitis, ita etiam votis realibus gravari non possunt: sed hæc ex aliis bonis patrimonialibus, aut propriis Regis, vel Principis defuncti solvi debent, si quæ reliquit, de quibus Rex vel Princeps, pro suo arbitrio, disponere potest, non solùm liberaliter donando: sed etiam vota realia edendo, quæ inter gratuitas donationes numeranda sunt, nam bonis Regni aut Provinciæ non

potest onus imponi, nisi quod in bonum publicum ejusdem cedat. Unde in *cit. c. Licèt*; Rex Hungariæ onus implendi votum suum non injunxit filio suo primo genito, qui ei successit in Regno, adeóque in bonis ad Coronam Regni pertinentibus: sed filio secundò genito, quoad alia bona propria defuncti, *Mol. cit. dis. n. 9.* Sed neque hæc vota realia fieri possunt, nisi ita, ut salva maneat portio legitima ascendentibus, & descendentibus debita; quia hæc non potest per merè liberales & gratuitas donationes, sive hominibus, sive Deo factas, imminui, essent enim illæ inofficiosæ, quippe in hæredum necessariorum præjudicium cedentes, *Mol. c. l. Sanch. cit. c. 15. n. 38.* Itaque supponi debet, quòd in casu *cit. c. Licèt*; Dux Andreas, præter legitimam portionem ex bonis patrimonialibus defuncti patris ipsi debitam, etiam alia bona & commoda ex paterna hæreditate acceperit, quibus ipso jure privatus fuisset, si patris votum ipsius fidei commissum executus non esset. Veruntamen quia dictus Dux Andreas sponte se sub juramento obligavit ad votum, quod tamen postea, non solùm non implevit: sed etiam bellum injustum fratri Regi intulit, ideo in justam pœnam, hæreditate paternâ, & jure, quod in Regnum Ungariæ, si pater ejus Rex sine prole decederet, competeret, privari poterat, *Mol. c. l. num. 9. in fine.*

XVI. Notandum quartò. Successio in Regno non defertur jure hæreditario: sed potiùs jure genituræ, sive sanguinis; quia nimirum Regnum non acquiritur alicui tanquam hæredi ab immediato Antecessore, sive à persona defuncti, cui in Regno succeditur, neque ex illius dispositione, & voluntate: sed ex pacto sive providentia ipsius Reipublicæ, seu Communitatis, quæ Regnum instituit, adeóque ex prima Regni institutione, quæ ita facta est, ut ad primogenitum, ejùsque descendentes deferatur: iis verò deficientibus, ad secundò genitum, ejùsque descendentes Regnum devolvatur, & perveniat, *Mol. cit. dis. 626. n. 8. §. Quod autem Regnum*: idque sumitur ex *cit. c. Licèt*; *h. t.* Ubi dicitur, Andream jure genituræ, quod ipsi in Regno Hungariæ (si primogenitus sine prole mascula decederet,) competit, privandum fore, si voti paterni executionem intermiserit: hoc autem jus competens secundò genito non potest esse, vel dici hæreditarium, nam vel Regnum Hungariæ jam erat hæreditario jure devolutum ad Andream: & hoc dici non potest, cùm illud ad fratrem suum natu majorem, ac primogenitum pervenerit, & pertinuerit. Vel quòd Regnum jure hæreditario sit devolvendum ad Andream, si primogenitus sine liberis decedat, quod etiam dici non potest; quia hoc jus non potuisset allegari, vivente adhuc fratre primògenito, neque enim viventis est, vel datur hæreditas, ideóque eo jure hæreditatis devolvendæ, quod vivo adhuc fratre, necdum habuerat, privari in pœnam non potuisset. Itaque dicendum est, quòd jus ad Regnum sub conditione quidem, seu in defectum fratris, & ejus descendentium, jam tum competebat ipsi secundò genito, non tamen jure hæreditario: sed ex pacto & primæva institutione Regni, cujus proinde privationem minatus est Pontifex Andreæ, si voti paterni executionem intermiserit, devolvendam ab ipso ad tertium frattem natu minimum, *Mol. cit. dis. n. 8. in fine*, *Barb. in cit. c. Licèt*; *n. 18. & 20.* Idem etiam colligitur ex *c. 2. de suppl. negl. Prælat. in 6.* ibi: *Qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, jure Regni succederet*, id est, jure, seu consuetudine Regni deferente ejus successionem fratri Regis, sine filio decedenti, tanquam proximiori consanguineo, adeóque jure sanguinis, ut explicat *Barb. c. l. n. 18.* Ex quo infertur, quòd possit quis immediato seu ultimo possessori Regni succedere, etiamsi ipsius hæres non sit, aut hæreditatem bonorum patrimonialium ipsius repudiet; quia succedit in Regno, aut Provinciis jure genituræ, seu propinquitatis sanguinis, juxta pactum seu institutionem primitus factam: non jure hæreditario, bona enim hæreditaria & patrimonialia sunt omnino distincta à bonis pertinentibus ad Regnum vel Provinciam, *Mol. c. l. n. 8.* quemadmodum idem etiam contingere potest in Feudis, quæ sunt ex pacto & providentia, juxta dicta supra *Tit. 20.* & in Majoratibus ac Fideicommissis, ut explicat *Mol. tract. 2. de just. dis. 617. n. 2. & seqq.*

XVII. Notandum quintò. Filius primogenitus seu nepos Regis in successione Regni, præferri debet patruis suis, sive fratribus patris secundò, aut posterioribus genitis ex Rege avo, prout sumitur ex *cit. c. Licèt*; *h. t.* Nam Rex Ungariæ decessit, relictis tribus filiis, & post mortem ejus successit filius primo genitus, & non secundò genitus, *Abb. ibid. num. 7.* Idque procedit, etiamsi filius primògenitus sit mortuus, patre adhuc vivente, *Abb. c. l. n. 8.* Neque enim hoc casu per mortem primogeniti jus succedendi transmittitur ad nepotem; quia propriè, ac per se loquendo, nepos hic non habet jus succedendi in Regno ab avo: sed tantùm ac nascitur, consequitur hoc jus ex conditionibus & pactis in prima institutione Regni præscriptis, ut si pater suus decesserit, jure propinquitatis sanguinis succedat in Regno, *Molin. cit. dis. 626. n. 15.* In qua re spectari debent Leges fundamentales cujùsque Regni, in quibus certa forma, seu modus successioni est præscriptus, & institutus, cui standum est, *Mol. c. l. n. 8. Quod autem Regnum in fine.*

§. IV.

An ille, qui vovit ingredi Religionem, vel etiam profiteri, possit licitè, ante votum impletum, Episcopatum suscipere?

XVIII. Respondetur, is qui vovit Religionem, & postea non impleto voto, Episcopatum suscipit, transgressor est voti, & tenetur renunciare Episcopatui, & ad Religionem se conferre, ut votum impleat, ita ex communiore sententia docet *Hostiens. in summa h. t. n. 14. Azor p. 1. l. 11. c. 16. q. 2. & c. 22. q. 2. Less. Lib. 2. c. 40. n. 89. Sanch. Lib. 4. mor. c. 17. n. 5. Suar. tom. 3. de Relig. Lib. 1. c. 19. n. 3. Laym. Lib. 5. Tract. 5. c. 6. n. 15.* & alii plures. Idque statutum habetur in *c. Per tuas*; *10. h. t.* secundùm verum ejus intellectum, quem tenet *Innocent. ibid. V. Resignes*; Nam quidam Clericus, vel Canonicus votum solenniter emisit (id est, publicè sive coram aliis præsentibus, tanquam testibus, licèt propriè non fuerit votum solenne: sed simplex editum de facienda Professione, ut notat *Innocent. ibid. in princ.*) se in Gratianopolitana Ecclesia habitum Regularem susceperum, & postea

» postea in manibus Prælati, sive Præpositi ejusdem » Ecclesiæ promisit, se intra duos menses, postquam » à Sede Apostolica redierit, votum à se emissum im- » pleturum. Cùm autem termino jam transacto, vo- » tum non implevisset, adeóque voti transgressor fa- » ctus fuisset, vocatus fuit ad Regimen Ecclesiæ Ge- » bennensis. Re delatâ ad Innocentium III. Is consu- » luit, ut si ipse conscientiam suam sanare velit, Ec- » clesiæ illius Regimen resignet, & reddat Altissimo » vota sua. Quòd si postea Capitulum ejusdem Ec- » clesiæ ipsum canonicè elegerit, poterit electionem » de se factam acceptare. Ratio hujus decisionis est, quia qui absolutè tenetur implere votum, peccat, fa- ciendo aliquid, quo se reddit moraliter impotentem, ad implendum votum: sed qui vovit ingredi Religio- nem, acceptando Episcopatum, consentit in statum, per quem redditur impotens ad executionem voti, vi- delicet ad ingressum Religionis; cùm Episcopus ad Religionem transire non possit, sine licentia Papæ, quam is etiam ordinariè & sine gravi causa concedere non potest, *juxta c. Nisi cùm pridem*; 10. *de renunciat.* ergo vovens Religionem, acceptando Episcopatum, propriâ voluntate, & sine dispensatione, ante imple- tum votum, reus est voti, & contra illud peccat, & consequenter relicto Episcopatu, Religionem ingre- di debet, ut votum suum impleat, *Suar. cit. c. 19. n. 11.*

XIX. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Qui ad certam diem, vel intra certum tempus, aliquid dare, vel facere vovit, si id absque justa causa seu impedimento, ultra illud tempus differat exequi, peccat contra votum, illùdque transgreditur; quamvis etiam, post elapsum illum terminum, id, quod voto promisit, nihilominus exequi debeat, prout sumitur ex *cit. c. Per tuas*; *h. t.* Ratio est, quia sic vovens duo pro- misit, unum principaliter, nempe se hoc vel illud datu- rum, aut facturum: alterum secundariò, scilicet se intra certum tempus id daturum vel facturum, seu ultra illud non dilaturum, *Jo. Andr. in cit. c. Per tuas*; *n. 5.* Unde sequitur, tametsi hoc posterius omiserit, sive ob justam, sive injustam causam, nihilominus tamen prius, velut principaliter intentum, implere teneatur, *l. Celsus*; 23. *§. Si idem ait*; *ff. de recept. arb.* Ubi dicitur, ei, qui jus- sus est dare decem, certo tempore, duo præcipi, unum de dando, alterum eo tempore, ac proinde si negligat posterius, obligari ad prius. Aliud est, si quis vovit vel promisit, se aliquid daturum, vel facturum depen- denter à certa die, v. g. se jejunaturum in vigilia alicu- jus Sancti, in honorem ejusdem, tunc enim si non je- junet illo die, peccat quidem, & est transgressor voti, eo tamen transacto, si votum non exoluit, omnino ex- tinguitur eius obligatio. Ratio est, quia tunc tempus est circumstantia intrinsecè afficiens ipsam rem, per votum promissam, atque per modum unius utrumque sub voto includitur, & prius dependenter à posteriore promittitur: cùm ergo illo die transacto, impossibile sit, rem promissam præstare cum illa circumstantia, ces- sat voti obligatio, *Sanch. Lib. 4. mor. c. 14. n. 25.*

Notandum secundò. Etsi Episcopatus sit altior & perfectior status: non tamen potest votum Religio- nis, propriâ voluntate voventis, commutari in Epi- scopatum, tanquam meliorem; quia Episcopatus est status perfectionis potiùs alienæ, quàm propriæ, hoc est, non tam in ordine ad propriam salutem, quàm aliorum consubditorum; quia hominem per se non perficit, & meliorem reddit: sed potiùs perfectum esse supponit, & exigit: neque est medium ita aptum ad perfectionem propriam obtinendam, sicut status Re- ligiosus, ideóque ipsi voventi melius est, Deòque gra- tius (excepto casu necessitatis, si alius æquè idoneus ad regendam Ecclesiam non adsit) Religionem ingre- di, quàm Episcopale munus suscipere, quod periculis propriæ salutis non caret, ergo vovens ad hoc tenetur: neque potest votum suum in Episcopatûs susceptio- nem commutare, *Suar. cit. c. 19. n. 23. Sanch. cit. c. 17. Laym. cit. c. 6. n. ult.* Deinde quamvis non repu- gnet, ut Religiosus fiat Episcopus; quia solùm eximi- tur ab obedientia suorum Prælatorum, & subjicitur S. Pontifici, de cætero manens Religiosus: non tamen decet, ut Episcopus fiat Religiosus: deberet enim priùs fieri Novitius, & ex Magistro discipulus, & in operibus humilibus versari, quæ Dignitatem Episco- palem minùs decent, & insuper renunciare Episcopa- tui, quod sine licentia S. Pontificis fieri nequit, *Sanch. c. l.* Quòd si vovens Religionem, ante Profe ssionem, fiat Episcopus, privabitur statu Religioso contra prius votum, nisi relicto Episcopatu, Religionem ingre- diatur, ut votum impleat, *Suar. cit. c. 19. n. 23. in fine.*

XX. Notandum tertiò. Quamvis Papa in *cit. c. Per tuas*; non videatur præcepisse, ut vovens, resigna- to Episcopatu, Religionem ingrediatur: sed tantùm consilium dedisse; cùm usus sit verbo, *consulimus*: clarè tamen significat, ipsum ad hoc in conscientia ob- ligatum fuisse, ex illis verbis, *si tuam sanare desideras con- scientiam*: consilium verò, sine læsione conscientiæ, negligi potest. Utitur verò verbo *consulendi*; quia non procedebat, ut judex, non præcipiendo, & cogendo: sed paternè monendo, & declarando obligationem conscientiæ, *Innoc. ibid. V. Consulimus*, *Sanch. cit. c. 17. n. 1. Suar. cit. c. 16. n. 4.*

XXI. Notandum quartò. Qui vovit Religio- nem ingredi, & postea ad Episcopatum assumptus est, obligatus est in conscientia, ad resignandum Episcopa- tum, ut patet ex *cit. c. Per tuas*; Ubi tamen distinguen- dum est, vel enim electus tantùm est, & electionem de se factam acceptavit, uti factum esse in casu *cit. c.* Putat; *Jo. Andr. ibid. n. 3.* secundùm unum intelle- ctum; & tunc liberè potest renunciare Episcopatui, etiam sine auctoritate Papæ, *juxta c. 2 de transl. Episc.* Vel qui voto Religionis obstrictus est, non tantùm ele- ctus fuit in Episcopum, & in electionem sui consensit: sed etiam confirmatus fuit, aut etiam consecratus: & hoc casu, tenetur licentiam transeundi ad Religionem petere à Papa, sine cujus dispensatione, transire non po- test, propter vinculum quasi spiritualis conjugii inter ipsum Episcopum, & Cathedralem Ecclesiam contra- ctum, ut constat ex *cit. c. 2. de transl. Episc. & c. Nisi cùm pridem*; 10. *de renunc.* & docet *Azor cit. c. 22. q. ult. Sanch. cit. c. 17. n. 6. Suar. cit. Lib. 1. c. 20. num. 2. Laym. cit. c. 6. n. ult.* eritque tunc in arbitrio Papæ po- situm, vel concedere licentiam intrandi Religionem, vel dispensare in voto Religionis.

Porro si Episcopus electus, & confirmatus Eccle- siam suam utiliter administret, & regat, vel utilis futu- rus putetur, votum Religionis ab ipso editum suspen- sum est, ejùsque obligatio interim cessat, nam sicuti votum simplex ingrediendi Religionem per subse- quens vinculum carnalis conjugii consummati, non quidem omnino tollitur: suspenditur tamen, & impe-

ditur ejus executio, & obligatio, durante matrimonio, & iterum obligabit, si conjux moriatur: ita etiam idem votum Religionis per superveniens vinculum conjugii spiritualis, quod contrahitur per assumptionem Episcopatûs, accedente confirmatione, suspenditur, & impeditur, *arg. cit. c. 2. de transf. Episc.* Ubi dicitur, fortius esse hoc spirituale vinculum, quàm carnale, ideóque durante statu Episcopali, impeditus est vovens Religionem, ab executione voti, ita tamen ut obligatus maneat, si ab Episcopatu eum deponi, vel inutilem fore contingeret, ad votum Religionis exoluendum, dummodò adhuc ad illam habilis sit: sicut ad hoc ipsum obligatus est, qui post votum ingrediendi Religionem, matrimonium carnale contraxit, & consummavit. Ex quo sequitur, quòd hoc casu frustra licentia à Papa peteretur, transeundi ad Religionem; quia non potest Papa tali casu renunciationem Episcopatûs admittere, vel licentiam transeundi ad Religionem concedere, ut constat ex *cit. c. Nisi cùm pridem de renunc.* Si verò Episcopus, Ecclesiæ utilis non est, ideóque Papa renunciationem Episcopatûs admittere potest: hoc casu, tenetur Episcopus voto Religionis priùs obstrictus licentiam illam ingrediendi petere, & plerumque etiam votum suum proponere, & explicare; quia cùm Episcopus, suscipiendo Episcopatum, votum suum transgressus fuerit, dum sponte sibi injecit impedimentum illud exequendi: ideo tenetur impedimentum illud tollere, quatenus de jure potest, si speret, se id efficaciter præstare posse, petendo licentiam à Papa, Religionem ingrediendi, eique votum suum manifestando, quia ob id existimat, Papam faciliùs renunciationem sui Episcopatûs admissurum.

§. V.

Quis vota commutare, vel in iis dispensare possit: & quæ vota, ac qualiter commutari possint?

XXII. Assertio 1. Quilibet Superior Ecclesiasticus, videlicet Episcopus, vel alius Prælatus Episcopali jurisdictione seu potestate in suos subditos præditus, causâ cognitâ, potest vota redimere, seu commutare, vel in iis dispensare, prout sumitur ex *c. De peregrinationis; 1. h. t.* Nam cùm quæsitum fuisset ex Alexandro III. An vota peregrinationis, ob occurrentem necessitatem, eleemosynis redimi, aut in aliud opus bonum commutari possint? Respondet Papa, id pendere ex arbitrio, seu judicio ejus, qui præsidet (nempe Episcopi, seu Prælati Ecclesiastici) qui diligenter consideratâ qualitate personæ voventis, & causâ commutationis, dijudicet, videlicet an ob infirmitatem, vel abundantiam divitiarum, vel ob aliam causam probabilem, melior, Deóque magis accepta sit futura peregrinatio, an verò recompensatio, seu in aliud commutatio, & ita commutet, aut dispenset, vel non. Ubi Notandum, licèt quidam dicant in hoc cap. non agi de dispensatione; sed tantùm de commutatione voti, id tamen verum non est; nam quamvis Pontifex de sola redemptione, seu commutatione voti interrogatus fuerit, & ideo de ea respondit; nihilominus tamen in fine ita concludit: *& secundum hoc habet exinde dispensare*, per quæ verba significare voluit, posse Episcopum vel dispensare, vel admiscere commutationem, prout res postulaverit, vel ipse expedire judicaverit, *Suar. Tract. de voto Lib. 6. c. 10. n. 6. Sanch. Lib. 4. mor. c. 38. n. 6.*

Porro præter Prælatos Ordinarios, etiam alii ex delegatione, aut privilegio Papæ, habent potestatem vota commutandi, aut in iis dispensandi, ut ex eorum privilegiis patet.

XXIII. An verò Archiepiscopus possit dispensare in votis Coëpiscoporum Suffraganeorum? dubitatur. *Suar. Lib. 6. de vot. c. 11. n. 3.* ait, ex jure probari non posse talem potestatem dispensandi competere Archiepiscopo, cui ipsi Episcopi Suffraganei non sunt propriè subjecti, quoad spirituale regimen pertinæ suæ: sed solùm in quibusdam actibus pertinentibus ad externam gubernationem Ecclesiæ, prout sumitur ex *c. Pastoralis; 11. de Offic. Jud. ord.* ideóque condendam esse consuetudinem. Multi tamen Dd. affirmant posse Archiepiscopum vota Coëpiscoporum suorum dispensando relaxare, etiam extra tempus visitationis, cùm hi ipsi sint immediatè subjecti, quæ sententia probabilis est, præsertim cùm nulla ratio manifesta sit in contrarium, *Sanch. Lib. 4. mor. c. 38. n. 15.* Illud magis certum est, Archiepiscopum non posse dispensare in votis, cum subditis Suffraganeorum fuerum, saltem extra tempus visitationis, *Sanch. c. l. n. 12.* qui *n. 14. ibid.* id extendit, ut neque dispensare possit Archiepiscopus, dum actu visitat; quia nullam potestatem habet in subditos Suffraganeorum Archiepiscopus, præter illa, quæ ipsi specialiter jure concessa sunt; nullibi autem conceditur ipsi potestas dispensandi, vel solùm absolvendi à peccatis, *c. fin. de censib. in 6.* cum qua non est necessariò conjuncta potestas dispensandi in votis, vel aliis, ut patet in Parochis; unde nec Literas dimissorias ad Ordines dare potest Archiepiscopus subditis suffraganeorum, dum visitat.

XXIV. Assertio 2. Si opus, in quod commutatio fieri petitur, sit evidenter melius, Deóque gratius, non requiritur Superioris auctoritas: sed propriâ voventis auctoritate id commutari potest; quia promissum non infringit, qui in melius illud commutat, *c. de jurejur.* Ratio est, quia Deus melius bonum acceptat, loco minoris, quippe sibi gratius. Secus est, si opus, in quod commutatio facienda esset, non sit melius, vel dubitetur, an sit melius, tunc enim in illud non potest fieri commutatio sine Superioris voluntate, *Sanch. Lib. 4. mor. c. 49. n. 7.* & colligitur ex *cit. c. 1. h. t.* Ubi dicitur, à Prælati arbitrio pendere, an peregrinatione promissâ, melior sit recompensatio, ac Deo acceptior, consideratâ qualitate personæ, & causâ commutandi; quæ consideratio non est necessaria quando opus, in quod fit commutatio, est evidenter melius, ideóque tunc non requiritur ulla Superioris auctoritas, *Sanch. c. l. n. 4.* Idem etiam colligitur ex *c. Scripturæ; 4. h. t. de quo infra.*

XXV. Assertio 3. Omnia vota commutari possunt, non tantùm in evidenter melius: sed etiam in evidenter æquale, sive æquè bonum, saltem interveniente Superioris auctoritate: non autem propriâ auctoritate voventis, ut ex probabiliore sententia docet *Sanch. cit. c. 49. n. 12. Suar. Lib. 6. de voto c. 19. n. 3.* & alii: ratio est, quia tametsi opus subrogatum sit æquale operi promisso per votum, secundum se: at hoc ipso, quòd hoc opus sit promissum, melius est, quàm non

non promissum. Deòque gratius censetur, si promissio in sua specie impleatur, & fideliter reddatur, adeóque non potest arbitrio voventis commutari in non promissum, commutaretur enim in minus bonum; præterquam quòd difficillimum sit, in commutando attingere æqualitatem. Verùm auctoritate Superioris fieri potest commutatio voti in opus æquale; quia alioqui nunquam haberet locum potestas commutandi, nam si fiat in opus minùs bonum, potiùs est dispensatio, quàm commutatio, in opus melius potest etiam propriâ auctoritate fieri, ut supra dictum.

Contrarium tamen, quòd etiam, propriâ auctoritate, commutari possit votum in opus evidenter æquale, sive æquè bonum, est etiam probabile, ut tenet *Tambur. Lib. 3. in Decal. c. 16. §. 5. n. 14.* & alii apud *Sanch. c. l. n. 10.* Tum quia si res, sive materia voti sit evidenter æqualis, seu æquè bona, non potest non esse æqualiter grata Deo: tum quia etiam homini per æquale satisfit, si ipse non sit invitus, sed consentiat, & accepter, quod de Deo præsumi potest, ob ejus benignitatem: neque opus voto promissum est melius, quoad substantiam: sed solùm quoad promissionem, quam Deus remittere præsumitur: præterea possunt vota commutari, etiam in notabiliter minus bonum, auctoritate Superioris: sed tunc non est unda commutatio: sed intervenit etiam dispensatio; quia pars voti remittitur, *Tambur. c. l. n. 8.*

XXVI. Excipitur primò. Quòd vota specialiter reservata S. Pontifici non possunt commutari etiam in opus evidenter melius, nec in aliud reservatum, v. g. votum peregrinationis Romanæ in votum castitatis; quia eo ipso quod est reservatum arbitrio Superioris, non est relictum arbitrio, sive dispositioni voventis, *Tambur. c. l. n. 4.* Excipitur secundò, quòd non possunt commutari vota, quæ in favorem, sive utilitatem tertii sunt edita, & ab eo acceptata, v. g. si quis vovit dare certo pauperi 10. aureos in eleemosynam, non potest id in aliud melius opus, arbitrio suo, commutare, v. g. in Missas pro eo dicendas; quia per acceptationem jus est acquisitum tertio, cui non semper id, quod melius est, etiam magis gratum, & acceptum est: secus si ejusmodi votum non fuerit acceptatum ab eo, in cujus gratiam est editum: ut si quis vovit, se daturum calicem certæ pauperi Ecclesiæ, quem ejus Rector, vel alius ejus loco non acceptavit, potest illum dare alteri Ecclesiæ pauperiori, *Tambur. c. l. n. 5. & 6. & alii apud eund.*

XXVII. Assertio 4. Omnia vota edita, etiam reservata S. Pontifici, per Professionem solennem in Religione, ipso jure, tum Ecclesiastico: tum naturali & Divino, in melius Deòque gratius obsequium commutantur, & omnino extinguuntur, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 17. ad 1. Sanch. Lib. 5. mor. c. 5. n. 38. & alii communiter.* Idque sumitur ex *c. Scripturæ; 4. h. t.* Nam cùm quæsitum fuisset ex Alexandro III. » (*prout habetur in integra lectione hujus cap. & Gl. magn. ibid.*) utrùm ij, qui voverunt Sepulchrum » Domini, vel aliorum Sanctorum limina visitare: sed » votum non impleverunt, ob infirmitatem, vel aliam » causam rationabilem, possint Religiosum habitum » assumere, & ad Professionem suscipi? Respondet » Papa affirmativè; quia reus violati voti censeri non » debet, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat. Ubi etiam ratio indicatur; quia per Professionem Religiosam in perpetuum & totale obsequium Dei irrevocabiliter offeruntur, ideóque omnia alia particularia obsequia Deo promissa, ac debita, in illa, meliore ac eminente quadam ratione continentur, sicuti si quispiam variis debitis alteri obligatus, omnia bona sua, quæ habet, vel habiturus est, seque totum in servum perpetuum ei offerret, ac traderet, is plenissimè satisfeciisse censeretur, & priora debita ipso facto ac jure extingueret, *Sanch. cit. c. 5. n. 38.*

XXVIII. Extenditur autem primò. Ut tradita doctrina locum habeat, non tantùm in votis v. g. jejuniorum, orationum, peregrinationum, & aliorum in sæculo emissis: sed etiam tempore Novitiatûs; extinguuntur enim per subsequentem Professionem ipso jure, absque alia intentione, illa commutandi, sive etsi vovens nihil de hoc cogitet, *Sanch. cit. loc. n. 39.*

Extenditur secundò. Ad omnia vota, non tantùm personalia: sed etiam realia, quatenus sunt promissiones, & obligationes erga Deum: quare votum peregrinationis v. g. in Terram sanctam per Professionem tollitur, non tantùm quoad laborem profectionis: sed etiam quoad subsidium Terræ sanctæ. Verùm quatenus hujusmodi vota, aut juramenta realia edita sunt in favorem, seu commodum Ecclesiæ, vel alterius Communitatis, vel etiam hominis privati, & acceptata, per Professionem Religionis non extinguuntur, cùm parti jus sit acquisitum, nisi huic juri suo renunciet, neque enim Deo gratum est obsequium, si quid ei promittatur cum derogatione juris alterius, seu injuriâ erga alium, ob quam causam etiam talia vota neque per commutationem vel dispensationem ordinariè relaxari possunt, *Sanch. cit. c. 5. n. 43.*

Extenditur tertiò. Ut procedat etiam in votis emissis à Professo, si is transeat ad aliam Religionem strictiorem; est enim nova traditio, novàque Professio, & sic in illa eminenter, seu virtualiter continentur opera particularia per priora illa vota simplicia debita, *Sanch. c. l. n. 40.*

Extenditur quartò. Quòd non solùm vota temporalia extinguantur per Professionem: sed etiam vota perpetua; quia in illis est eadem ratio; Nec obstat *cit. c. Scripturæ; h. t.* quia ibi nomine temporalis obsequii intelligitur particulare, quo non in omnibus & per omnia vovens se tradit, & dedicat Deo, *Sanch. cit. c. 5. n. 49.* Ubi aliam etiam Responsionem dat, quòd ibi fiat mentio temporalis obsequii; quia de voto temporali, nempe peregrinationis Jerosolymitanæ interrogatus Pontifex, de illa respondit: idque ob paritatem rationis, etiam ad perpetua vota à Dd. extenditur.

XXIX. Cæterùm per vota simplicia in Societate Jesu edita Scholasticorum, post biennium Novitiatûs, vel etiam Coadjutorum formatorum, quæ publica sunt, sed non solennia, non penitus ipso jure, & facto extinguuntur priora vota in sæculo, vel tempore Novitiatûs, vel etiam in Societate, ante solennem Professionem, emissa: sed potiùs suspenduntur tantùm; quia non obligant in perpetuum reciprocè: sed tantùm ex parte voventis, ideóque si quis è Societate dimittatur, illa reviviscunt; quia per illa non traditur Religiosus irrevocabiliter & in perpetuum Divino obsequio in Religione: sed conditionaliter, ex parte Societatis, quamdiu in ea permanserit; nisi tamen vo-

vens

vens intenderit, vota sua priora commutare in vota simplicia Religionis, tanquam in aliquid melius, Deóque gratius, *Sanch. c. l. n. 54. & 55.*

XXX. Assertio 5. Vota quoque puerorum, seu impuberum commutatione, vel dispensatione indigent, prout sumitur ex *c. Venientis 2. h. t.* Nam quidam R. nomine proposuit Alexandro III. quòd ipse in puerili adhuc ætate constitutus (& doli capax, *Gl. hîc V. In puerili*) dispoſue.it, [illegible] (ut ex subsequentibus colligitur) voverit Jerosolymam profisci, & ideo alicui, qui Sepulchrum Domini visitare constituit, fidem dedit, & vicissim ab eo recepit, quòd in via fideles invicem socii existere vellent. Re delatâ ad Papam, ipse consuluerans, quòd in ætate tenera, facilitate potiùs, quàm ex discretionis arbitrio promiserit, eum à voto absolvit: ita tamen ut idem votum eleemosynis redimat, & juxta consilium Papæ, toto vitæ suæ tempore, uni pauperum Christi (dummodo ad id facultates ejus suppetant) debeat providere.

XXXI. Notandum primò. Votum à puero seu impubere editum validum est, & obligationem parit, modò doli capax sit, sive usum rationis habeat, ita ut mortaliter peccare possit; nam qui potest se obligare Diabolo, potest etiam obligare se Deo, ut ait *Gl. in c. Mulier; 14. V. Mulier caus. 32. q. 2.* idque colligitur *ex cit. c. 2. h. t.* quia alioquî non potuisset illi impuberi imponi redemptio, seu commutatio voti, si ipsius votum non obligâsset, seu validum fuisset, *Gl hîc V. In puerili.* Potest autem votum impuberis facilè per dispensationem relaxari, imò alia causa non requiritur ad dispensandum, quàm quòd sit ab impubere editum, hoc ipso enim præsumi potest ex levitate, & imprudentia esse editum, cùm impuberes maturo consilio, ac judicio careant, adeóque sufficiens causa dispensationis adest, ut constat ex *cit. c 2.* & tradit *ibid. Abb. n. 2. & 3.* Nec refert, quòd Pontifex in hoc voto pueri non usus sit dispensatione: sed commutatione; nam potuisset absolutè per dispensationem illud relaxare (cùm vota impuberum etiam à parentibus & tutoribus irritari possint) voluit tamen admiscere commutationem aliquam; quia id conforme est ordinario stylo, seu consuetudini Ecclesiasticæ, quæ est partim dispensare, partim commutare, & consultius est etiam ipsi voventi, *Sanch. Lib. 8. de matr. dis. 20. n. 13.*

XXXII. Notandum secundò. Rectè potuit Pontifex *in casu dicti cap. 2.* puerum illum absolvere à voto peregrinationis, non obstante, quòd fidem socio priùs dederit, illíque obligatus fuerit, ad eum comitandum, ut notat *Gl. hîc V. Socii fideles:* tum quia etsi Papa non possit laicis, temporali suæ jurisdictioni non subjectis, per se ac directè auferre bona & jura temporalia ipsis acquisita: potest tamen accessoriè, & in consequentiam in illis ipsis præjudicare, quatenus illa connexa sunt cum jure spirituali, super quo Papa plenam potestatem habet: sicut in casu proposito, obligatio illa comitandi erat accessoria ad votum, quod fuerat principale: ideóque per se cessabat, cessante obligatione voti: tum quia non fuerat præjudicium pecuniâ æstimabile, nec propriè fuit societas, cùm hæc contrahatur ad quæstum seu lucrum, *l. 7. & l. seq. ff. Pro socio*; ideóque duo isti potiùs comites dicendi erant, quàm socii, *Joann Andr. hîc n 4. & Abb. ibid. n. 4.* Confirmatur exemplo. Si duo v. g. votum edant, de ingrediendo simul Religionem, & postea alter pœnitens impetret dispensationem à voto, ipse non infert injuriam socio; quia non impedit ipsum, quò minùs Religionem ingredi, vel peregrinationem instituere possit, etsi non cum hoc socio. Tum denique, quia ut *ex integra lectione hujus cap.* patet, uterque socius Papam accesserunt, & consilium ab eo super hac re petiêrunt, adeóque etiam socius contentus fuit, ut ille qui adhuc impubes voverat, absolveretur à voto, jamque suo sponte renunciavit.

§ VI.

An, & quâ ratione commutari possit votum peregrinationis Jerosolymitanæ, & à quo relaxari?

XXXIII. De hoc voto agitur inprimis in *c. Magnæ 7.* Nam cùm Comes Campaniæ in ultramarinis partibus versaretur, & Ecclesia Trecensis contra Ecclesiasticam libertatem multùm gravaretur: Episcopus Trecensis considerans, quòd per alium eidem Ecclesiæ non possit facilè subveniri, statuit ad illum proficisci, ideóque assumpto signo Crucis, iter peregrinationis Jerosolymam est ingressus: sed in via intellexit, quòd dictus Comes mortuus fuerit, & licèt videret intentionem suam jam esse frustratam, noluit tamen sine consilio Sedis Apostolicæ, peregrinationem cœptam intermittere: sed Romam profectus, intentionem suam, & statum Ecclesiæ suæ Papæ Innocentio III. exposuit. Is respondit, in hoc negotio commutationis, & dispensationis in voto, tria consideranda esse: nempe quid liceat, secundùm æquitatem: quid deceat, secundùm honestatem: & quid expediat, secundùm utilitatem (quasi dicat, in hoc negotio id esse eligendum, ac præferendum, quod omnibus spectatis, tum publicâ, tum privatâ voventis: maximè spirituali utilitate: æquitas, honestius & utilius videbitur) sanè non videbatur esse licitum, ut voto suo contravenire, cùm scriptum sit: *vovete & reddite Domino Deo vestro Ps. 75.* Item non decebat; quia Christus in Evangelio dixit, *Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Dei.* Sed neque videbatur expedire; quia quod agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum. Postea proponi Pontifex rationes, ob quas Episcopus non videtur exequi debere votum suum, nempe tum propter ætatem, cùm vix possit sustinere labores: tum propter necessitatem Ecclesiæ Trecensis, cui est obligatus: & licèt ipsum votum, secundùm se, sanctum sit, non tamen sine licentia Sedis Apostolicæ vovere potuit. Deinde ostendit ex Veteri Testamento, vota quædam remitti posse, seu commutari in aliud opus pietatis, non obstante oblocutione pravorum hominum, exemplo Christi dicentis: sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum, *Matth. 15.* Tandem concedit Episcopo licentiam votum peregrinationis commutandi hoc pacto, ut expensas, quas in eundo, morando, & redeundo esset facturus, transmittat in subsidium Terræ sanctæ: laborem verò itineris orationibus, & jejuniis compenset: subdit que rat onem; quia cùm Episcopus præcipuè, pro libertate Ecclesiæ suæ pericletum Comitem consequenda, votum hoc peregri-

nationis

» tionis emiserit, eo nunc per mortem sublato, ces-
» savit causa, ideóque etiam cessare debet effectus.

XXXIV. Pro majore declaratione hujus cap. Notandum primò. Prælatus Ecclesiasticus, etiam S. Pontifex, non potest, pro suo arbitrio, vota DEO facta, sine justa causa, commutare, vel in ijs dispensare, alioquin ejusmodi commutatio, vel dispensatio, sine justa causa facta, non tantùm illicita foret: sed etiam invalida, ut ex communi docet *Sanch. lib. 4. mor. c. 45. n. 3.* quia potestas dispensandi, per quam non jus proprium remittitur: sed jus DEO acquisitum, & relaxatur non lex propria, sive à se condita: sed Lex Superioris, sive DEI, concessa est Prælatis Ecclesiasticis, non in destructionem: sed in ædificationem, ideóque illâ uti debent, tanquam dispensatores fideles, non absque justa causa necessitatis, vel utilitatis.

Notandum secundò, Non potest Episcopus, cùm ad personalem residentiam sit obligatus, vovere longam peregrinationem, nisi cum hac tacita conditione, quæ ipsi voto inest, si S. Pontifex licentiam dederit, ad quam proinde petendam, vi voti sui, est obligatus, ut colligitur ex *cit. c. Magnæ*; & docet *Abb. ibid. nu. 10. Suar. lib. 3. De voto; c. 4. n. 4. & 6. Sanch. lib. 4. mor. c. 25. n. 36. & 39.* Ubi ait in casu *cit. c. Magnæ*; votum peregrinationis Jerosolymitanæ ab Episcopo emissum, fuisse validum, neque enim ibi dicitur esse irritum: sed potiùs supponitur esse validum, ideóque à Papa fuit commutatum, quia justa causa suberat: qui *n. 42.* addit, olim licuisse Episcopis, etiam sine licentia Papæ, proficisci in Terram sanctam in ejus subsidium; quia tunc generaliter omnibus id licitum fuit: & cùm hodie aditus ad illam non pateat, opus est licentiâ S. Pontificis, *Barb. in Collect. in cit. c. Magnæ; n. 11. h. t.*

XXXV. Notandum tertiò. Votum mixtum, quod est partim personale, partim reale, (quale est peregrinationis, quia tum laborem corporis: tum expensas itineris in se continet) rectè commutatur in alia opera pietatis, partim personalia, nimirum in orationes, vel jejunia, habitâ ratione laboris, quem peregrinaturus subire debuisset: partim realia, videlicet in eleemosynas, aut donationes ad alias pias causas, habitâ ratione expensarum, quas eundo, & redeundo facere debuisset, ut colligitur ex *cit. c. Magnæ; Laym. lib. 4. tr. 4. c. 8.*

Notandum quartò. Cessante causâ finali, & principali, ac intrinsecâ, ob quam factum est votum, cessat obligatio voti; quia tunc cessat voluntas se obligandi. *arg. c. Cùm cessante; 60. de appell.* non autem cessante causâ voti impulsivâ tantùm, & secundariâ, sive extrinsecâ, tametsi aliquis absque ea non vovisset, ideò cessat votum, si causa finalis propriè dicta, & principalis persistat, quamvis interdum sit motivum ad faciliùs dispensandum, *Suar. lib. 4. de voto; c. 18. n. 3. Sanch. lib. 4. mor. c. 2. n. 42.*

XXXVI. Porro causa finalis principalis cujuscúnque voti non est cultus DEI, sive augmentum Divini honoris in communi; sed ut exercendus per talem actum virtutis, qui à vovente intenditur, ac promittitur, & dat speciem actui, ideóque est finis operis, non solius operantis, sive finis non tantùm actûs vovendi, sive quo quis vovet: sed etiam actûs voto promissi, quo fine cessante, cessat etiam obligatio voti. V.g. si quis vovit peregrinari pro salute amici ægri, & is moriatur, ante cœptam peregrinationem, non obligatur voto, quippe cessante causâ finali, & principali ipsius voti, etiamsi talis peregrinatio aliàs etiam foret grata DEO, *Suar. cit. c. 18. nu. 4. 5. & 6.* At verò causa impulsiva voti est finis operantis tantùm, non operis, sive finis actûs vovendi, non verò actûs promissi, ideóque non est simpliciter, & propriè dictus finis, nec eo cessante, cessat obligatio voti, *Suar. c. l. n. 8.* Exemplum hujusmodi causæ impulsivæ voti habetur in *cit. c. Magnæ; h. t.* Nam Episcopus Trecensis vovit DEO peregrinationem, in subsidium Terræ sanctæ, licèt ad hoc votum emittendum fuerit præcipuè motus, & impulsus, ut Comitem Campaniæ in illis partibus commorantem invisere posset, eúmque rogare, ut auxilium afferat Ecclesiæ suæ: eo verò mortuo, non censebatur extinctum votum peregrinationis illius; quia non cessavit intrinsecus, & objectivus finis, seu motivum principale hujus voti, nempe causa Religionis, & subsidij offerendi Terræ sanctæ, quæ adhuc durabat: licèt, quia causa impulsiva, & secundaria cessavit, Papa potissimùm motus fuerit, ad commutationem prædicti voti faciendam, *Abb. in cit. c. Magnæ; n. 14. Laym. cit. c. 8. n. 2.* Quamvis *Sanch. in cit. c. 2. nu. 37. & 43.* putet, invisionem Comitis non fuisse causam impulsivam tantùm: sed finalem, ac principalem, illámque commutationem non fuisse factam ex necessitate: sed solùm ad cautelam, sive majorem conscientiæ securitatem: sed prius est probabilius, ac verius.

XXXVII. Præterea de hoc voto peregrinationis Jerosolymitanæ agitur in *c. Ex multa; 9. h. t.* quod continet declarationem *cap. Quod super; 8.* immediatè præcedentis, quod supra allatum, & explicatum est, *n. 10. & seq. h. t.* Ubi dicitur de Cruce signatis, illos vota redimere posse, qui perpetuo impedimento detinentur: Unde quæsivit Archiepiscopus Cantuariensis, utrùm id, quod in illa Decretali dicitur, jus generale constituat, ut passim quibuslibet Prælatis liceat illos, qui eorum jurisdictioni sunt subjecti, secundùm formam ibi expressam absolvere. Ad quod respondet Innocentius III. *in hoc cap.* rescriptum illud continere Jus commune, & generale ad omnes pertinens: (nam, & universim rescriptum, seu placitum Principis Legis vigorem habet, *l. 1. ff. de Constit. Princ.*) Deinde ibi etiã dicitur, quòd per viros Religiosos, ac provisos poterit dispẽsari in voto ultramarino, ideóque quæritur, quinam intelligantur per viros Religiosos: Episcopi an Regulares? Respondet Papa hîc, quòd potestas dispensandi, nec ad Episcopos pertineat, nec ad Regulares: sed ad eos tantùm, quibus id à Sede Apostolica specialiter est delegatum, seu commissum. Ex quo colligitur, quòd votum peregrinationis ultramarinæ in subsidium Terræ sanctæ, Sedi Apostolicæ sit specialiter reservatum, ita, ut nemo, sine speciali commissione Papæ, in eo possit dispensare, vel illud in aliud commutare, *Abb. hîc n. 3.*

XXXVIII. Secundò. *In Decretali. Quòd super; 8. h. t.* dicitur, votum in subsidium Terræ sanctæ editum, ab eo, qui ad pugnandum inhabilis est: habilis tamen ad proficiscendum, redimendum esse: quæsivit ergo Archiepiscopus, an id dictum

» ctum comprehendat etiam Nobiles, & Magnates, » qui etsi propriâ manu pugnare non possint, sunt » tamen consilio strenui, & præsentes rem adjuvare, » vel multos secum bellatores ducere possunt? Re- » spondet Papa in *cit. c. Ex multa*, §. *Secundò quæsiviſti*; » ex priore ejus rescripto (nempe ex *cit. c. Quod su-* » *per*;) satis colligi, talia vota redempta non esse: » nam ibi dicitur, quòd debiles, & inopes magis in » defectum, quàm profectum accedant: ex quo se- » quitur, vota illorum, qui etsi per se pugnare non « possunt, si tamen proficiscì, & maturo consilio, ac » præsentiâ suâ juvare possunt pugnantes, redimenda » non esse.

Tertiò. Quod dictum est in *præced. Decretali in fine, de mulieribus*; ut quæ remanere voluerint, sequi viros non cogantur: id intelligendum est, de illis, quæ ad talem peregrinationem se voto non obstrinxerunt, *cit. c. Ex multa*; §. *Quod autem*; *h. t.*

» XXXIX. Additur *ibid.* §. *In tanta*; quòd ma- » riti, etiam sine consensu uxorum, votum peregri- » nationis in subsidium Terræ sanctæ emittere, il- » lúdque etiam liberè (independenter scilicet ab eo- » rum consensu, & non requisitâ licentiâ) implere » possint: admonendæ tamen sunt mulieres, ut ul- » trò consentiant. Estque hic casus specialissimus, ut notat *ibid. Gl. V. Viri præter uxorum*, ob magnam necessitatem, afferendi subsidium Terræ sanctæ, cùm aliàs regulariter maritus nullum votum edere possit, præjudicans juri conjugali, cujusmodi est, v.g. votum longæ peregrinationis, nimiæ abstinentiæ &c. *Abb. in cit. c. Ex multa*; *nu.* 8. Contrà verò uxor non potest tale votum peregrinationis in subsidium Terræ sanctæ emittere, marito contradicente; tum quia uxorem peregrinari dedecet, & ipsa cum majore discrimine castitatis, & minore commodo Ecclesiæ peregrinatur, & vir est caput uxoris, quæ ipsi subdita est, ideòque dispositum de viro, non debet quoad hoc extendi ad uxorem, *Sanch. lib. 9. de matr. dis.* 4. *n.* 16. *&* 17. licèt contrarium teneat *Abb. in cit. c. Ex multa*; quòd non debet uxor, sine licentia mariti, exequi tale votum, si sit juvenis, & suspecta de incontinentia: secus si sit senex, & possit bellatores secum ducere.

XL. Denique in *cit. c. Ex multa*; §. *fin.* statui- » tur, cùm Clerici, ob Clericatûs statum, & Offi- » cium, inhabiles censeantur ad pugnandum; ideò » magis expedit, ut votum peregrinationis in sub- » sidium Terræ sanctæ redimant, quàm ut ad illud » exequendum cogantur: nisi vel consilio strenui » sint, vel prædicationis officio instructi, aut ad Ma- » gnatum obsequia deputati (quos proinde ex debi- » to officij sequi tenentur, *Gl. hìc V. Obsequio*;) vel » denique ita divites, ac potentes fuerint, ut expen- » sis suis, aliquos secum bellatores adducere possint. Hæc autem intelligi debent de voventibus; non » ijs, quibus labor peregrinationis in pœnitentiam à » Sacerdotibus est injunctus, hi enim peregrinatio- » nem exequi tenentur. Ex quo infertur, quòd Cle- » rici propriâ manu pugnare non debent, *Gl. in cit.* §. *de Clericis*; *V. Inhabiles*; *h. t.* & habetur etiam in *c. Quicúnque*; 4. *&* seqq. *c. Reprehensibile*; 19. *caus.* 23. *q.* 8. Quamvis Clerici possint interesse bello, & castra sequi, ut pugnantes in bello justo, consilijs, vel officio prædicationis, vel alijs modis adjuvent, ut constat ex *cit.* §. *De Clericis*.

XLI. Postremò de eodem voto peregrinationis in subsidium Terræ sanctæ agitur in *c. Postulatis*; 11. *& ult. h. t.* Ubi habetur, quòd duo Priores, seu » Præpositi Regulares, quorum alter Cruce signatus » erat: alter verò Cruce insigniri desiderabat, perebit » ab Honorio III. ut liceat illis vigesimam partem » proventuum, suarum Ecclesiarum, pro succursu » Terræ sanctæ, deputatam secum deferre. Respondet » Papa, si Ecclesiæ eorum, ob absentiam hanc, gra- » viter non lædantur, ipsique utiles futuri sint Terræ » sanctæ verbo, (scilicet prædicationis) pariter & » exemplo bonæ vitæ (quod conscientiæ ipsorum » relinquitur) non solùm posse eos; sed etiam te- » neri votum peregrinationis implere, relictis ido- » neis procuratoribus (qui vice eorum negotia Eccle- » siarum suarum, tam in judicio: quàm extra judi- » cium administrent, *Gl. hìc in not.*) & sic licebit il- » lis vigesimam illam partem Terræ sanctæ subsidio » deputatam, in usus profectionis suæ impendere. »

XLII. Notandum primò. Olim omnes Clerici tam Regulares, quàm Sæculares tenebantur solvere vigesimam partem redituum, in subsidium Terræ sanctæ, ut illa liberetur à Saracenis. Verùm qui personaliter eò proficiscebantur Cruce signati, ab id non tenebantur: sed expensas profectionis inde deducere poterant, ut tradit *Gl. hìc V. Vicesimam*.

Notandum secundò. Quamvis olim, quando ex generali concessione omnes Clerici, sive Sæculares, sive Regulares, poterant proficisci ad succurrendum Terræ sanctæ, tunc Prælati etiam Regulares tale votum peregrinationis edere poterant, sine petita Superioris licentia, siquidem sine gravi damno Ecclesiarum suarum abesse possent, juxta *cit. c. ult. h. t.* At verò nunc, cessante illâ generali licentiâ succurrendi Terræ sanctæ, neque Prælati Sæculares, neque Regulares, sine licentia Superioris sui, Episcopi, vel Papæ, tale votum edere possunt: sicut & alij Beneficiarij, aut Religiosi, sine Superioris sui licentia, longam peregrinationem vovere, aut instituere non possunt, ut constat ex *c. Magnæ*; 7. *h. t. Abb. in cit. c. ult. nu.* 2. *Suar. lib.* 4. *de voto*; *c.* 4. *n.* 12. *Sanch. lib.* 5. *mor. c.* 25. *n.* 44. *&* 45.

TIT.

TITVLVS XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORVM REGVLARIVM.

Actum est præcedentibus Titulis de Regularibus, quoad ingressum in Religionem, quæ & conversio dici solet, & de illorum votis, ac Professione: nunc verò de statu, & conversatione eorundem Regularium hic Titulus subiicitur. Status hîc accipitur pro vitæ conditione, seu vivendi ratione, per quam aliquis immmobiliter, & perpetuò vitæ Religiosæ, seu obsequio Divino obstringitur, ut ex S. Thom. 2. 2. q. 183. artic. 1. notat. Less. Lib. 2. de iustit. c. 41. n. 1. Nam Monachi, & Canonici Regulares perpetuò obstringuntur Regulæ, quam sunt Professi, ut secundùm illius præscriptum vitam instituant, c. Ad Monasterium 5 6. h. t. Differunt inter se, non tantùm in habitu, & aliis accidentalibus: sed præcipuè in eo, quòd Monachi strictiori Regulæ, Canonici Regulares laxiori subiiciuntur. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

§. I.

Quænam Iure communi Canonico statuta sunt circa Monachos, & Canonicos Regulares?

I.

INprimis Monachi, aliique Regulares, spectato Jure communi Canonico, & seclusis exemptionis privilegijs, subjecti sunt Episcopis, ad quos proinde correctio disciplinæ spectat, prout sumitur ex *c. Theodosius 5 1. h. t.* Ubi Papa Gregorius I. rescribit Archiepiscopo Neapolitano, & mandat, ut alicui Monasterio, nec ipse, nec Presbyteri, seu Clerici ejus aliquid, præter diligentem disciplinæ correctionem, molestiæ inferant, neque aliquid eorum, quæ fidelium devotione ipsis Monasterijs obvenerint, vendicare sibi audeant, cùm id Monachis ibi servientibus proficere debeat, quicquid à fidelibus ipsis offerri contigerit.

II. Ubi notandum primò. Licèt Monasteria alioquin Episcopo subjecta à Lege Diœcesana sint exempta, videlicet quoad præstationes Cathedradici, charitativi subsidij, & similium, idque in favorem Religionis, *c. 1.* & ibi *Gl. in summ. caus. 10. qu. 1. c. Cùm pro utilitate 5 34. caus. 16. qu. 1. c. Dilectus 5 18. de Offic. Ordin.* à Lege tamen jurisdictionis Episcopi non sunt exempta, nisi speciale privilegium habeant, *cit. c. Dilectus 5* & ibi *Gl. V. De Lege jurisdictionis, junct. Gl. marg. lit. B.* Ideóque Episcopus jus habet Monachos, aliósque Regulares non exemptos visitandi, corrigendi, puniendi, ita tamen, ut prima correctio ad Prælatum Religionis spectet, qui si in corrigendo negligens sit, tum demum illa potestas ad Episcopum devolvitur, *c. Quanto 5 7.* & ibi *Gl. V. Si Prælati; de Offic. Ord. Ioan. Andr. in c. 1. n. 2. h. t.* Et patet ex alibi dictis. Sed neque quoad Legem Diœcesanam, Monasteria sunt exempta, si populum habeant, sive Parochias, aut Capellas sibi incorporatas: tunc enim ratione harum, pendere debent solitas præstationes, nisi & hæ Capellæ sint exemptæ, *Gl. in cit. c. Dilectus 5 V. de Lege jurisdictionis, Gl. in cit. c. 1. V. Disciplinæ, & ibid. Abb. num. 5. h. t.* Ubi tamen id limitat quoad ea, quæ concernunt populum: nam in alijs, quæ non concernunt populum, Monasterium manet exemptum à Lege Diœcesana.

Notandum secundò. Episcopus non debet Monasteria gravare, aut reditus eorum minuere, nec oblationes, quæ fiunt in Ecclesijs, & locis Religiosis, sibi vendicare, *cit. c. 1. h. t. c. Quam sit 5 5. caus. 18. q. 2. Abb. in cit. c. 1. n. 4. h. t.*

III. Secundò. In *c. Monachi 5 2. h. t.* (quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. habito *c. 18.*) statuitur, ut Monachi non recipiantur » in Monasterijs pro pretio, nec peculium permittantur habere: nec singuli in oppidis, aut villis, » per Parochiales Ecclesias quascúnq; habitare permittantur: sed in majore Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant, neque soli inter sæculares homines versentur. Quòd si verò aliquis pro » sui receptione in Monasterium aliquid dederit, ad » sacros Ordines non ascendat; qui verò receperit, » ab Officio suspendatur. Qui autem peculium habuerit (id est, proprium, *Gl. marg. hîc*) nisi Abbas » ejus administrationem ei permiserit: ab Altaris » Communione removeatur: & qui in extremis cum » peculio inventus fuerit, & dignam pœnitentiam » non egerit, neque Oblatio pro ipso fiat, neque inter Fratres Ecclesiasticam accipiat sepulturam: » idque etiam in omnibus Religiosis præcipitur observari. Abbas autem, qui diligenter ista non ca- »

» verit, Officio privandus erit. Prioratus etiam, &
» obedientiæ (v.g. Officium Custodis, Procuratoris
» &c.) nulli pro pretij donatione tradantur: alio-
» quin dantes, & accipientes ab Officio, seu Mini-
» sterio suo deponantur: Priores autem, seu Præ-
» lati, cùm in Ecclesijs Conventualibus per electio-
» nem Capitulorum suorum fuerint constituti, mu-
» tari non debent: nisi ob manifestam, & ratione-
» bilem causam, videlicet si fuerint dilapidatores
» bonorum, aut incontinenter vixerint, aut simile
» quid egerint, ob quod amovendi meritò videan-
» tur: vel denique si ob necessitatem majoris Officij
» administrandi, cum Fratrum consilio, fuerint
» transferendi.

IV. Hinc colligitur primò. Non posse aliquid pro susceptione ad statum Religiosum, etiam ad probationem, vel pro Professione in Religione accipi, tanquam pretium; cum status Religiosus sit spiritualis, & consequenter simonia foret, contra jus Divinum, pecuniam, vel aliud temporale, & pretio æstimabile pro illo dare, vel accipere. Non est tamen per se, & ex rei natura illicitum, aliquid accipere, vel exigere pro sustentatione personæ, quæ ad statum Religiosum susciptur: imò concessum, si Monasterium sit inops, & Regula Ordinis id permittat, vel consuetudine diuturnâ id obtentum fuerit: uti fit in Monasterijs Monialium; quia tunc non datur aliquid temporale pro ipso statu spirituali, sed pro onere alendi personam, quod est temporale, & pretio æstimabile. Si verò Monasterium sit dives, & sufficientes reditus habeat, ad alendos Religiosos, videtur esse simonia, saltem juris Ecclesiastici, ob prohibitionem Ecclesiæ, quæ gratis eos recipi præcipit; quia tunc videtur aliquid accipi pro ipsa susceptione ad statum Religionis, ut colligitur ex *c. Non satis*, 8 *c. Veniens*; 11 *c. Dilectus*; 30. *c. Quoniam*; 40. *c. De Simon. Suar. Tom.* 1. *de Relig. Lib.* 4. *de Simon. c.* 17. *n.* 4. *& seqq. Leß. Lib.* 2. *c.* 35. *n.* 68. *& seqq. Laym. Lib.* 4. *tr.* 10. *c. ult. n.* 39.

V. Colligitur secundò. Quòd Monachi, & alij Religiosi non possint habere peculium propriè dictum, sive proprium patrimonium, aut bona, de quibus liberè, sive quoad proprietatem, sive quoad usumfructum, disponere possint, sine ulla dependentia ab alterius voluntate. Possunt tamen habere peculiū latè sumptum, quoad solam administrationem, & usum facti, dependentem à voluntate Superioris, qui concessum usum, & administrationem eisdem auferre, vel pro arbitrio revocare possit *Abb. in cit. c.* 2. *nu.* 4. *h. t. Azor p.* 1. *lib.* 12. *c.* 9. *q.* 1. & alij communiter. Sic Regularis obtinens Beneficium, cum legitima licentia, habet administrationem redituum, quos ad sustentationem decentem, & superfluos, ad pias causas applicare potest. Item, si Regularis, extra Monasterium degat, v.g. in peregrinatione, vel studiorum causâ in Academia, licitè potest pecuniam in sui sustentationem, & moderatas eleemosynas insumere, secundùm facultates Monasterij, & præsumptam voluntatem Superioris. Similiter potest etiam Prælatus Religioso concedere ad usum proprium bona mobilia, & utensilia, ut libros, vestes &c. donec ab eo revocentur: modò convenientia sint paupertati, quam professus est, & non sint superflua, *Laym. Lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 7. *q.* 3. *n.* 12. Quin imò spectato Jure Canonico communi, potest Superior Regularis alicui Religioso concedere etiam bona stabilia: sed ad administrationem, seu usum duntaxat ab ipsius voluntate dependentem, & pro arbitrio ejus revocabilem, v.g. ut Religiosus aliquis ex bonis, sive Monasterij, sive à parentibus, & propinquis assignatis, certos reditus, seu census percipiat, ex quibus se vestiat, & alat, & quod supereſt in alios usus pios, & honestos impendat, ut colligitur ex *c. De viduis*; 4. *caus.* 27. *qu.* 1. *& c. Insinuante*; 7. *Qui Clerici, vel voventes &c.* & docet *Abb. in c. Cùm ad Monasterium*; 36. *n.* 8. *h. t. Azor cit. q. qu.* 2. & alij plerique. Ratio est, quia id non repugnat voto paupertatis, cùm dominium, sive proprietatem hujusmodi censuum non habeat talis Regularis; sed solum usumfructum, seu usum, ad nutum Superioris semper revocabilem.

VI. Verùm hoc per Concilium Trident. *Sess.* 25. *c.* 2. *de Regul.* ubi dicitur, *nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam*, revocatum esse docet *Azor c. l. Molin. tract.* 2. *de Iustit. disp.* 276. *num.* 6. *Leß. Lib.* 2. *c.* 4. *n.* 30. *Suar. Tom.* 3. *de Relig. Lib.* 8. *c.* 14. *n.* 8. *Rodriq. Tom.* 3. *qq. Reg. q.* 29. *art.* 12. & fusè ostendit *Fagn. in cit. c.* 2. *n.* 44. *& seqq.* Ratio est, quia reditus, seu census annui inter bona stabilia numerantur, *Clem.* 1. *§.* 8. *Cumque annui*; *de V. S.* Addit Concilium *c. l. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.* Ubi cùm Concilium excipiat à Regula negativa, quæ prohibet alicui Regulari concedere bona stabilia in administrationem, solos Officiales ad nutum amovibiles, sequitur, illam prohibuisse simplici Religioso, non Officiali: alioqui eodem modo esset permissa administratio ad nutum revocabilis simplici Religioso, atque Officiali Monasterij, & sic Regula non differret ab exceptione, cùm tamen de natura exceptionis sit, ut sit contra Regulam, ita ut non comprehendat casus exceptos, *Fagn. c. l. n.* 52.

Contrarium tamen tenet *Navarr. Comment.* 3. *de Regul. n.* 15. *&* 18. *Sanch. Lib.* 7. *mor. c.* 22. *n.* 11. *Mirand in man. Præl. Tom.* 1. *q.* 28. *art.* 8. *Barb. in cit. c.* 2. *n.* 3. *h. t.* nempe in dicto Decreto Trident. Conc. non constitui novum jus: sed solùm declarari jus antiquum, & prohiberi, quod semper prohibitum erat, tum ne tales reditus Religiosis privatis, qui non sint Officiales Ordinis, assignentur ad usus profanos, vel superfluos, aut sine justa, ac rationabili causa: tum ne illis relinquantur, independenter à Prælati voluntate, & irrevocabiliter. Quæ posterior sententia eatenus saltem ob Dd. auctoritatem admitti potest, ut talis consuetudo in quibusdam Monasterijs, præsertim Monialium, adhuc vigeat, ea non debeat absolutè damnari: licèt consultum foret, ut Superiorum auctoritate tolleretur, dummodo aliâ ratione Regularibus de necessaria sustentatione provideatur. *Laym. cit. c.* 7. *n.* 13.

VII. Colligitur tertiò. Monachi non debent soli in Ecclesijs Parochialibus habitare: sed in Conventibus suis, vel saltem cum aliquibus Fratribus sui Ordinis, v.g. in Prioratibus, aut domibus eorum, juxta *c. ult. de Capell. Monach.*

Colligitur quartò, Priores Conventuales, qui per electionem Capituli, & confirmationem Superioris constituuntur, non possunt amoveri sine justa cau-

sa;

sa; quia sunt veri Prælati, & Dignitatem habent, sicut Abbates, *c. Nisi* 3 10. *de præb.* & jus est ipsis acquisitum in Prioratibus, nemo autem jure suo sine causa privari debet, *Gl. in cit. c. 2. V. Non mutentur*; *h. t.* Aliud est, de Prioribus Claustralibus, qui per electionem canonicam non constituuntur, nec in Prioratibus confirmantur, *c. Porrecta*; *6. de confirm. util.* Hi enim obedientiarij sunt, & ad nutum Abbatum suorum amoveri possunt, ut infrà dicetur, *Abb. in cit. c. 2. n. 9. h. t.*

VIII. Tertiò. In *c. Cùm ad Monasterium* 3 *6. h. t.* Papa Innocentius III. de Monachis plura statuit, Primò, circa vestes, ne lineis camisijs, seu indusijs, utantur, quibus tamen uti possunt Canonici Regulares, de quo videri potest *Rodrig. Tom. 2. Regul. qq. q. 77. art. 1.* Secundò, de paupertate, nam in virtute obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicij districtè prohibet, ne quis Monachorum (idem est, quoad hoc de alijs Regularibus) proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet Superiori suo. Si verò proprietatem habere aliquis deprehensus fuerit, regulari monitione præmissâ, è Monasterio expellatur, neque ampliùs recipiatur, nisi secundùm Monasticam disciplinam pœnitentiam agat. Verùm hæc pœna jam locum non habet, ne præbeatur vagandi occasio, sed proprietarius in ergastulo ad pœnitentiam agendam est concludendus, *juxta c. ult. de Regul. Abb. in cit. c. Cùm ad Monasterium*; *n. 13. Sanch. Lib. 7. mor. c. 20. n. 12.*

» Præterea in *eod. c. Statuitur*; Quòd si in morte apud aliquem reperta fuerit proprietas, ipse cum ea, in signum perditionis, sive damnationis æternæ, extra Monasterium, in sterquilinio subterretur, sive sepeliatur (secundùm exemplum *S. Gregorij I. Lib. 4. Dialog. c. 10.*) non tamen est necessarium, ut tota proprietas, sive totum peculium reperium: sed satis est, si pars illius, cum Religioso proprietario sepeliatur, ad terrorem aliorum, *Io. Andr. hic nu. 4. Abb. nu. 15. Sanch. c. l. nu. 11.* Neque enim pecunia in magna quantitate est abijcienda, & perdenda. Quare, si alicui Monacho, vel Regulari specialiter aliquid datum fuerit, id Abbati, Priori, vel Cellario resignet, ut additur in *cit. c. Cùm ad Monasterium.* Quòd si in vita fuerit repertum penes Religiosum proprium quid, id debet converti in utilitatem Ecclesiæ, vel Monasterij, *Gl. hîc V. In morte.* Prædicta autem pœna non incurritur ab ijs, qui dant pecuniam, vel aliquid aliud, sine licentia Superioris, alienant, aut absumunt: sed ij, qui accipiunt, & retinent; quia de his solùm loquitur dictum cap. *Sanch. c. l. num. 11.*

Alia pœna decreta est in *Concil. Trident. Sess. 25. c. 2. de Regul. in fine*, ut, si Religiosus aliquid, ut proprium habere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, aut passivâ voce privatus sit, atque etiam aliter, juxta suæ Regulæ, & Ordinis Constitutiones, puniatur.

» Tertiò. In eodem cap. decernitur, ut silentium servetur continuum, maximè in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio: in Claustro verò certis horis, & locis, secundùm consuetudinem Monasterij laudabiliter observatam.

» Quartò. Decernitur de cibis, & abstinentia à carnibus, ut in Refectorio nullus omnino carne vescatur. Abbas in quibusdam solennitatibus non egrediatur cum Conventu ad edendas carnes, extra Refectorium, paucis ibi relictis. Sed nec extra Refectorium, nisi in Infirmaria, carnium esum sibi licere sciant. Potest tamen Abbas interdum ex Indulgentia aliquos Fratrum, modò hos, modò illos vocare, & in Camera sua illos meliùs habere. Porro debiles, & infirmi, qui medicinâ aliquâ indigent, non seorsim in Cameris: sed omnes in Infirmaria carnes edant, vel alia necessaria accipiant. Potest etiam Abbas, vel Prior alicui debili, vel delicato, qui non potest communibus cibis esse contentus, de speciali aliquo cibo, etiam in Refectorio, sine scandalo providere. Ex quo infert *Gl. hîc V. Indulgentia*; quòd Abbas potest dispensare in Regula Monachali, quantùm ad esum carnium, scilicet extra Refectorium, *Fagn. hîc n. 18.*

IX. Quintò. Statuuntur etiam quædam in *eod. c. §. Tales autem*; de Administrationibus, & Officijs committendis, videlicet, ut ij, quibus committuntur, sint fideles, & discreti, nec alicui committatur aliqua Obedientia, vel Officium perpetuò obtinendum, quod tanquam ipsi locetur, sed ita committatur, ut, cùm oportet, is ab eo amoveri, ipsúmque Officium, sine contradictione, revocari possit. Ex quo infertur, quòd hujusmodi Regularis obedientiarius ad nutum, & libitum Abbatis sui, etiam sine justa causa, revocari possit, vel amoveri ab Officio, vel Beneficio Regulari: nec potest talis obedientiarius agere contra Abbatem, eum amoventem, tanquam spoliatus, petendo restitutionem in pristinam possessionem, (nisi ex malitia, & odio ipsam revocaret; tunc enim posset implorare Officium Superioris) quia Abbas spoliando nullam illi injuriam fecit, sed usus est jure suo: quamvis possit contra alium, si quis eum amoveat, vel expellat, agere de spolio; cùm verè possideat, & ille jus eum amovendi non habeat, *Sanch. Lib. 7. mor. c. 29. n. 111. & 112. & 115. Fagn. in cit. c. Cùm ad Monasterium*; *n. 33. & seq.* Ubi loquitur de Prioribus manualibus, & ad nutum amovilibus. Idémque dicendum, si Religiosus spolietur vestibus, aut libris, non à Prælato suo: sed ab alio, qui jus illa auferendi non habet. Porro per mortem Prælati non censetur revocatus hujusmodi obedientiarius: sed durat adhuc ejus Officium, donec à Successore, vel alio Superiore amoveatur; quia revocatio non fit, nisi per contrariam priori voluntatem, *Sanch. c. l. n. 13.*

X. Additur denique in *eod. cap. §. Prior autem in fine*, quòd Prior Claustralis, præ cæteris, post Abbatem, potens esse debeat in opere, & sermone, ut exemplo vitæ, verbóque doctrinæ FF. suos instruere possit in bono, & à malo revocare: zelúmque Religionis habens, secundùm conscientiam, delinquentes corripiat, & castiget, & obedientes foveat, & confortet. Abbas verò (cui omnes in omnibus reverenter obediant) frequenter, quantùm poterit, sit cùm Fratribus in Conventu, & vigilem curam, ac solicitudinem de omnibus gerat. Quòd, si prævaricator Ordinis fuerit, aut contemptor, vel negligens, aut remissus, ab Officio deponendus, & alio modo secundùm Regulam castigandus erit; cùm non solùm propria: sed etiam aliena offensa de suis manibus requiratur.

» Neque potest Abbas super habenda proprietate » cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio » proprietatis, sicut & custodia castitatis (adde, & » obedientiæ) adeo est annexa Regulæ, seu statui » Monachali (& cuicúnque Religioso Ordini,) ut in » ea nec S. Pontifex possit licentiam indulgere, seu » dispensare. Id verò intelligendum est, quòd non possit dispensare in sensu composito, ita, ut verus Religiosus maneat, & simul proprium habeat, vel continentiam non servet; nam hæc sunt de essentia status Religiosi, ideóque non possunt ab eo tolli, salvâ ejus substantiâ: potest tamen in sensu diviso, ex gravi, & justa, ac necessaria causa, S. Pontifex dispensare in omnibus tribus votis Religiosæ Professionis, iisque relaxatis, potestatem dare, habendi proprium, ducendi uxorem, vivendi suo arbitratu, sine dependentia ab aliquo Superiore: imò hæc, relaxatis votis, sunt per se licita, & sic potest facere ex Monacho non Monachum, ex Religioso non Religiosum, extrahendo eum à Religione, ita, ut Monachus, vel Religiosus esse desinat, *Abb. in cit. c. Cùm ad Monasteruum; n. 21. h. t. Sanch. Lib. 8. de matrim. dis. 8. nu. 12. Barb. in cit. c. n. 13. & seq.* & novissimè *Fagn. ibid. num. 44. & seqq.* & alij apud ipsos, & dictum supra, *Tit. 31.*

XI. Porro quod dicitur in *cit. c. Cùm ad Monasterium*; Religiosum proprietarium post mortem sepeliendum esse, extra Monasterium, idem similiter statutum est in *c. Super*; 4. *h. t.* Ubi refertur, quòd » quidam Canonicus Regularis in mortis articulo » constitutus, proprium, quod contra Regulam » clanculum habuerat, licèt à Priore suo monitus, » resignare noluerit, & sic mortuus est, & inter alios » FF. sepultus fuit. De hac re interrogatus Clemens » III. respondit, quòd Canonicus iste, non tantùm » Christianâ sepultura fuerit privandus: sed etiam, si » sine maximo scandalo fieri potuit (nam ob scandalum vitandum multa fiunt, & omittuntur, quæ aliàs non fierent, vel omitterentur, dummodo sine peccato gravi possint fieri, vel omitti, *Gl. hic V. Maximo scandalo*;) ex ipsa Ecclesia projici debuisset. » Hoc verò, si imposterum fortè contingat, in simi- » libus casibus est agendum. Nimirum, ut quicùnque Regularis proprium habens, in morte inventus fuerit, ejus corpus in loco sacro non sepeliatur: imò etiam, si sepultus fuerit, exhumetur, & abijciatur: modò ossa illius ab alijs discerni possint, juxta *c. Sacris*; 12. *de Sepult. Gl. in cit. c. Super*; *V. Projici.* Verùm ad hanc pœnam incurrendam, non sufficit, quòd Regularis aliquis in morte repertus fuerit, pecuniam apud se habuisse: sed necessarium est, ut de facto priùs cognoscatur, & constet, aut probetur, quòd, ut propriam illam tenuerit, ita ut à violatione Religiosæ paupertatis factum excusari non possit, *Barb. in Collect. hîc n. 2.* Notat autem *Abb. hîc n. 2.* quòd etsi hic Canonicus monitus non fuisset, nihilominus sepulturâ privari debuisset.

§. II.

Quænam præterea Iure Canonico statuta sunt, tum circa Monachos, tum circa Canonicos Regulares, vel alios etiam Religiosos?

XII. De his agitur in reliquis Capitulis hujus Tituli, & inprimis in *c. Recolentes*; 3. *h. t.* Ubi Papa Alexander III. monet, & hortatur Cistercienses, ut Domus illorum, quæ à prima sui origine sunt fundatæ, constitutis terminis suis sint contentæ, si enim relictis Originalibus Ordinis sui Institutis, ad communia aliorum Monasteriorum jura transire velint, tunc oportebit illos communi cum alijs jure, sive eisdem Legibus censeri; quia dignum, & æquum est, ut qui similem cum alijs vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus disciplinam. Deinde ait, quòd Domus, sive Monasteria illa, quæ relicto suo Instituto, ad Cistercienſium Ordinem se transtulerunt, eorum consuetudinibus, & Regulis se conformare debeant: & ideo relictis possessionibus, vel commutatis, quas Cistercienſium Institutum non admittit, sic se in omnibus Religioni illorum accommodent, ut sicut se in Societatem Ordinis, & habitûs susceptos volunt; ita etiam in paupertate, seu sæcularium rerum abjectione, se conformes reddant.

XIII. Pro intellectu hujus cap. Notandum primò. Licèt Ordo Cistercienſis Regulam S. Benedicti teneat, arctiorem tamen paupertatem olim profitebatur, quàm cæteri Sectatores S. Benedicti, ita, ut non possent possidere Villas, Ecclesias, Altaria (id est, Beneficia Altarium, & Parochiarum omnes) nec fidelitates susçipere (id est, homagia à vasallis Feudum ab eisdem obtinentibus) nec tributarias tenere (id est, jurisdictiones in subditos exercere, mulctas exigere, & tributa à subditis colligere) ut patet ex *cit. c. Recolentes*; *& ibi Gl.* non tamen erant omnino incapaces immobilium bonorum, ut hortorum, & agrorum, ex quibus sustentationem necessariam caperent, prout videre est, apud *Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 2. de variat. Relig. cap. 3. nu. 5.* Postea verò SS. Pontifices plura privilegia dicto Ordini Cistercienſi concesserunt, per quæ molendina, villas, vineas, vasallos, Ecclesias, Decimas, jurisdictiones, jura, census, & reditus &c. possidere possunt, ut refert *Enr. Rodriq. Tom. 3. qq. Reg. q. 75. art. 1.*

XIV. Notandum secundò. Quod in *cit. c. Recolentes*; dicitur in specie de Ordine Cistercienſium, eos teneri Regulam observare, secundùm Originalia Instituta, sive primævam Institutionem Religionis; id generaliter hodie statutum est de omnibus Religionibus à Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 1. de Regul.* ubi præcipitur: *Ut omnes Regulares, tam viri; quam mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant.* Nec refert, quòd in *cit. c. Recolentes*; Papa utatur his verbis: *Precibus, & monitis exhortamur &c.* quia huic exhortationi, seu consilio Papæ parendum est, ut notat *ibid. Hostiens. V. Exhor-*

hortamur, & Gl. in c. Ad aures; 7. V. Consilio de ætat. & qual. ait: hoc est consilium reverentiæ, cui obediendum est: secus in consilio perfectionis. Nam verba exhortatoria impropriè accipienda sunt, pro præcipere, quando subjecta materia est de præcepto, *c. Rogo; 25. junct. Gl. V. Rogo; caus. 11. qu. 3. Abb. in c. 4. n. 3. de Constit. Fagn. hic n. 3.*

Ex quo inferunt communiter Dd. quòd si Regula Ordinis negligentiâ Superiorum sit laxata, & disciplina collapsa, possint Superiores instituere reformationem, & ad primum rigorem, ac pristinam severitatem observandam, omnes Professos compellere, ijque teneantur, se accomodare Regulæ reformatæ, licèt arctiori; tum quia per Professionem renunciârunt propriæ voluntati: tum quia non consuetudinem, quæ fortè in ingressu viguit, professi sunt: sed Regulam, ad quam observandam, se obstrinxerunt, & sciverunt, vel scire debuerunt, vivendi normam subinde mutari, & inde profitendo se obligare censentur, saltem tacitè, ad reformationem, majorémque austeritatem, si ex causa contingat illam induci, *Innoc. in c. Super eo; 9. V. Austeritatem; de Regul. Abb. in c. Ad nostram; 3. nu. 4. de appell. Ioan. Monach. in c. 1. de Regul. in 6. n. 7. & ibid. Probus nu. 14. & seq. Zæs. in Comment. ad Decretal. h. t. n. 9. Fagn. in cit. c. Recolentes; nu. 5. & seqq.* Ubi dicit, hanc sententiam, uti veram, & communem amplexatam esse Rotam: imò etiam probâsse S. Congregationem Concilij: & multò magis hoc procedit, si auctoritate S. Pontificis fiat reformatio ad pristinum rigorem Regulæ. Excipit tamen *Innocent. c. l.* nisi Professus esset impotens ad servandam Regulam reformatam, tunc enim posset cum eo dispensari, ut transeat ad Ordinem laxiorem, & minùs rigidum. Porro S. Pontifex, sicut potest Religiosis etiam strictiorem vitam indicere, quàm eorum Regula requirat: ita etiam potest primævum ejus rigorem, & asperitatem relaxare, & mitigare, prout colligitur ex *cit. c. Recolentes; Fagn. ibid. n. 8.*

XV. Notandum 3. Privilegium concessum Religiosis, ob specialem rationem, v. g. ob strictam vitam illorum, si ab eo vitæ instituto recedant, amittitur, ita, ut communi cum alijs jure censeri debeant, *c. Generaliter; 40. junct. Gl. marg.* ubi ait: quòd privilegium datum Religiosis, cessante Religione, cessat, *caus. 16. q. 1.* quia tunc cessat causa, & finis, ob quem concessum est privilegium, & est quidam abusus privilegij, privilegium autem meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate, *c. Ubi; 7. dist. 74.* Et hinc Jurisconsulti dicunt, quòd Studiosi, si in Academia non studeant, aut frequentent, privilegijs Studiosorum non gaudeant.

Notandum quartò. Potest integer Conventus, sive Monasterium, aut Domus Religiosa, se ex toto transferre ad arctiorem Ordinem, saltem cum auctoritate, ac licentia Ordinarij, seu Episcopi, prout sumitur, ex *cit. c. Recolentes, §. Cæterum; h. t. & ibid. Abb. n. 2.* Quamvis *Fagn. ibid. n. 24. & seqq.* putet, hanc translationem fieri non posse, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, alioquí enim etiam integer Ordo, seu Religio, sic transire posset ad aliam, sine licentia Papæ, quod dici non potest; quia sicut solus Papa potest novum Ordinem, seu Religionem approbare, ita etiam solus potest infirmare, seu supprimere: sed per hujusmodi totalem translationem, & aggregationem unius Ordinis, cum altero factam, manet Ordo aggregatus, seu incorporatus alteri, suppressus, & translatus in Corpus, & naturam Religionis, cui est agreggatus, seu incorporatus, ut colligitur ex *cit. c. Recolentes;* quod sine auctoritate Papæ, fieri non potest, *Fagnan. n. 33. & 36.* Verùm aliud est de integro, seu toto Ordine: & aliud de uno Monasterio, vel Domo, alioquî enim non liceret, etiam sine licentia Papæ, unum Monasterium unire, seu incorporare alteri, quod dici non potest.

Notandum 5. Si nigri Monachi, quibus villas, vasallos, rusticos, &c. possidere, concessum est, vi Regulæ, *c. Auditis; 15. de præsc.* Regulam, & habitum alborum Monachorum assumere velint, debent tales possessiones commutare, v. g. cum agris, aut hortis, quos Monachi albi possidere possunt, *Gl. in cit. c. Recolentes; V. Veletiam commutatis; h. t. Ioan. Andr. ibid. n. 7.*

XVI. Præterea in *c. Quòd DEI; 5. h. t.* statuitur, quòd Canonici Regulares in Ecclesijs Parochialibus, seu Curatis sæcularibus præfici possint: Ubi habetur, quòd Plebanus S. Gavinij Officium suum » resignans, coram Canonicis Regularibus S. Victoris Bononiensis, promissionem fecit (sive votum » edidit, de suscipienda Religione, *Gl. hic V. Promissionem;*) Professionem tamen solennem non fecit, » neque habitum Religionis assumpsit. Sed Parochiani ejus considerantes illum laudabiliter præ- » fuisse, ab Episcopo Florentino impetrârunt, ut post » voti executionem, sive susceptum habitum, editámque Professionem) Officium Parochiale ibi- » dem retinere posset. Sed & Sedis Apostolicæ Legatus eorum petitioni annuit, & ipsemet quoque » Prior, seu Prælatus Monasterij, permanendi licentiam dedit. Quamobrem Parochiani ab Innocentio III. petiverunt, ut quod à Cardinale Legato, » & Episcopo concessum fuit, ipse ratum haberet. » Respondet Papa, licèt in Concilio Lateranensi sub » Alexandro III. relato in *c. 2. h. t.* cautum sit, ne Mo- » nachi per Villas, & Oppida, in quibuscúnque Parochialibus Ecclesijs ponantur singuli; quia tamen » id specialiter non cavetur, de Canonicis Regularibus, qui licèt à SS. Monachorum consortio non re- » putentur alieni, Regulam tamen laxiorem habent: » Sed & ipsi Monachi, secundùm antiquiores Canones, ad Ecclesiarum Parochialium regimen, & in » Presbyteros ordinari possunt, eò quòd prædicationis Officium (quod est privilegiatum) exercere » debeant: ideo huic postulationi se annuere, hac » conditione, ut, dum plebani Officium exercet, si » commodè fieri possit, unum Canonicum Regu- » larem secum habeat, ad cautelam, ut ejus in his, » quæ DEI sunt, & ad Regularem observantiam » pertinent, consortio, & solatio perfrui possit.

XVII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Quamvis aliàs Monachi, & Canonici Regulares in multis æquiparentur, ut notat *Gl. hic V. Laxiori; & Abb. num. 2.* ita, ut quæ in jure, sub ratione statûs Religiosi sunt statuta, etiam ad Canonicos Regulares, & omnes alios Religiosos in communi viventes extendi debeant, *arg. c. 2. §. Qui verò; h. t.* Aliud verò dicendum est de ijs, quæ de Monachis statuta sunt, ob speciale eorum institutum, quo à Canonicis Regularibus distinguuntur, nimirum quoad soli-

solitudinem, vitam contemplativam, & strictiorem disciplinam, prout colligitur ex *cit. c. Quod DEI*; Ubi Pontifex ait, quod de Monachis Decretum in Concilio Lateranensi, ne singuli ad Ecclesias Parochiales quascúnque promoveantur, id ad Canonicos Regulares non esse transferendum.

XVIII. Notandum secundò. Olim spectato Jure Canonico antiquo, poterant Monachi Parochijs, & animarum curæ præfici, si id Ecclesiæ necessitas, vel utilitas postularet, *c. In Parochia*; 31. *c. Cùm pro utilitate*; 34. *c. Ne pro cujuslibet*; 37. *caus.* 16. *q.* 1. Idque propter Prædicationis Officium exercendum, seu animarum curam, quæ est privilegiata, *cit. c. Quod DEI*; *Sanch. lib. 7. mor. c. 29. n. 39. & 40*, postea tamen hoc fuit immutatum, quoad Monachos: non item quoad Canonicos Regulares, qui adhuc poterant Parochijs, seu Ecclesijs curatis præfici, ut constat ex *cit. c. Quod DEI*. At verò Jure novo, & hodierno, nec Monachi, nec Canonici Regulares, nec ulli alij Religiosi ad Ecclesias Parochiales, vel alias curatas sæculares (nisi Monasterijs sint unitæ) sine Papæ dispensatione, assumi possunt, nec in perpetuum: nec ad tempus, ex Decreto Gregorij XIII. relato à Congreg. Concil. apud *Sanch. cit. c. 29. n. 71. Barb. in cit. c. Quod DEI*; *n.* 3. & dictum supra, *Tit. 5. n.* 118. Multò minùs verò Regulares obtinere possunt Beneficia non curata, seu simplicia, *Fagn. in cit. c. 5. n.* 18. *h. t.* Porro *Gl. in cit. c. Quod DEI*; *V. Regimen, & ibi. Abb. nu. 9. Sanch. lib. 6. mor. c. 6. n. ult.* statuunt, hoc discrimen inter Monachos, & Canonicos Regulares, quòd illi, quando præficiuntur Parochiæ sæculari, cum legitima auctoritate (videlicet Pontificiâ, secundùm hoc tempus) debent secum habere socium Ordinis sui, juxta *c. 2. h. t.* ibi, *singuli*, id est, soli. Non item Canonici Regulares, nisi tunc, quando socium commodè habere possunt, juxta *cit. c. quòd DEI*. Verùm *Gl. in Clement. 1. §. Ad hæc*; *V. Ad Claustrum*; *h. t. Ioan. Andr. in cit. c. 5. h. t.* & alij sic distinguunt: vel Ecclesia Parochialis, cui præficitur Religiosus, sive Monachus, sive Canonicus Regularis, non est plenè subjecta Monasterio: & tunc non est necessarium, ut is, qui ei præfectus est, secum habeat socium sui Ordinis, cùm ab observationibus Ordinis magnâ ex parte sit liber. Vel Ecclesia Parochialis est unita Monasterio, eique subjecta, tunc si ei præficiatur Religiosus Obedientiarius, seu Vicarius ad nutum Abbatis amovibilis, debet habere secum socium Ordinis; quia ab obedientia, & observationibus Regularibus minùs est liber. Quare Canones, qui dicunt, Monachos non debere esse solos, sine socio, in Parochijs, de Obedientiarijs, & ad nutum revocabilibus intelligi debent; non de perpetuò institutis. Sed huic expositioni obstat, quòd in *cit. c. 2. h. t.* dicitur, Monachos non debere singulos, sive solos poni, per quascúnque Parochias, quæ cùm sit particula universalis, omnes Parochias complectitur, etiam illas, quæ sunt extra sua Monasteria, & illis non unitæ; *Sanch. cit. c. 6. in fine.*

XIX. Denique in *Clement. Ne in agro*; 1. » *h. t. in princip.* interdicitur Monachis nigris, no- » tabilis, & superfluus excessus & exquisitus or- » natus in vestibus, cibis, & potibus, equis, & » lectis, & describitur modus, ac forma habitum » Monasticum deferendi, §. *Statuimus*; *ibid.* Se- » cundò præcipitur, ut singulis mensibus, saltem semel, confiteantur, sive in Monasterijs, sive extra morentur: & primâ Dominica cujusliber » mensis communicent, nisi ex causa (quam Ab- » bati, Priori, aut Pœnitentiarijs Monasteriorum a- » periant) ad eorum arbitrium abstineant, vel acce- » dant, *cit. Clem.* §. *Sanè*; quâ lege tenentur omnes » Monachi, non solùm nigri, ut Benedictini: sed etiam » ij, qui albis vestibus utuntur, ut Cistercienses, Camaldulenses &c. *Gl. hìc V. Singuli*, *Azor p. 1. lib. 11. c. 19. qu.* 16. Tertiò, ut is, qui præest, per se, vel per » alium vulgari sermone Regulam in Capitulo expo- » nat, & Novitijs fidelis, & diligens instructor depu- » tetur, *cit.* §. *Sanè*; *in fine.* Quartò. Prohibentur » Monachis aucupationes, & venationes, & ne eis » intersint, nec aves, aut canes venaticos, per se, vel » per alios, intra Monasterium, vel Clausuram ha- » beant, *cit. Clem. 1.* §. *Porro.*

Pœna autem, quam incurrunt Monachi ni- » gri, non utentes habitu, & vestitu, juxta formam » ibi præscriptam, est, quòd, si Abbas, vel Prior non » habens Abbatem proprium fuerit, à Beneficiorum » collatione per annum suspenditur: si verò nullam » administrationem habet, inhabilis fit ad illam, in- » tra annum, vel ad Ecclesiasticum Beneficium ob- » tinendum, *cit. Clem. 1.* §. *Si quis autem.* Si qui verò » eorum Religiosorum venationi, aut aucupationi » clamorosæ, vel aliàs cum canibus, vel avibus, ex » proposito interfuerint, dictas pœnas suspensionis, » & inhabilitatis per biennium ipso facto incurrant, » *cit. Clem.* §. *Si qui verò*; quæ pœna ad alios Religiosos non extenditur, ut notat *Suar. disp. 35. de censur. Sect. 6. n.* 10.

Item Monachi, aut Canonici Regulares ad- » ministrationem non habentes, qui se conferunt ad » Curias Principum, ut Prælatis, aut Monasterijs » damnum aliquod inferant, ipso facto, sententiam » excommunicationis incurrunt, *cit. Clem. 1.* § *Quia verò*; ubi in fine additur, eandem excommunica- » tionem incurrere Monachos, qui intra septa Mo- » nasteriorum, sine licentia Abbatum suorum, ar- » ma tenent: quæ pœna non afficit Canonicos Re- » gulares; cùm de illis hìc nulla fiat mentio, sicut su- » pra, *Gl. hìc V. Monachos*; *Suar. dis. 23. censur. Sect. 5. n. 4. & seqq.* apud quem plura de hoc legi possunt.

XX. Præterea in *cit. Clem. 1.* §. *Ad hæc* pro- » hibetur, ne Monachi singuli, in singulis admini- » strationibus, vel Prioratibus sibi commissis, habi- » tare præsumant. Quòd, si proventus Prioratuum, » seu administrationum hujusmodi non sufficiant ad » duos alendos, dicti Prioratus, vel administrationes » locis alijs vicinioribus ad eorum Monasteria perti- » nentibus, vel ipsorum Monasteriorum Officijs, » (v.g. Sacristiæ, Cellariæ, & similibus) aut inter se » invicem, cum consilio, & assensu Abbatum, per » locorum ipsorum Ordinarios uniantur; nisi per Ab- » bates illi Prioratus, vel administrationes sufficien- » tes reddantur ad duos alendos, scilicet Priorem, » vel Administratorem, & socium *Gl. hìc V. Duobus.*

Porro Prioratus Conventuales non debent » conferri, vel committi alicui, nisi XXV. annum at- » tigerit: alij verò, qui curam animarum habent an- » nexam, etsi exercendam per sæculares Presbyteros, » non possunt cuipiam conferri, nisi XX. annum per- » gerit, (si verò curam deberet exercere per seipsum, » necesse foret attigisse XXV. annum, *Gl. hìc V. Esto*) »

De- »

» Debent autem Priores in Ecclesiis Conventuali-
» bus, intra annum à tempore collationis sibi factæ,
» & possessionis adeptæ computandum, ad Sacer-
» dotium promoveri, vel infra xxv. ætatis annum,
» si non Conventuales Prioratus eis fuerint commis-
» si: alioquin cessante rationabili causâ, eo ipso, si-
» ne prævia monitione, prædictis Prioratibus sunt
» privati, qui pro eâ vice ipsis iterum conferri non
» possunt. Sed neque debet Prioratus aliquis, vel
» administratio alicui committi, vel conferri, nisi
» expressè fuerit professus Ordinem Monachalem,
» & tenentur, qui hujusmodi Prioratus, vel admi-
» nistrationes obtinent, extra Monasteria, in ipsis
» residere, non obstante quacùnque contrariâ con-
» suetudine; nisi ex studiorum, vel alia rationabili
» causa, ad tempus à residentia excusentur, quæ o-
» mnia statuta habentur *in cit. Clem.* 1. §. *Cæterùm, h. t.*

Insuper statuitur *in eadem Clement.* §. *Ad am-*
» *pliationem*, ut Monachi singuli, ad monitionem
» Abbatis, omnes Sacros Ordines suscipiant, nisi
» legitimam excusationem habeant, & ut in scien-
» tia proficere possint, in singulis Monasteriis, qui-
» bus ad hoc suppetunt facultates, constituatur Ma-
» gister, qui eas in primitivis scientiis diligenter in-
» struat. Postremò *in cit. Clement.* 1. §. *ult. h. t.* con-
» firmantur, & innovantur Constitutiones Decreta-
» les, quæ extant *in c. Cùm ad Monasterium*; 6. *& in*
» *c. In singulis*; 7. *h. t. de quo* §. *seq.*

§. III.

De Conciliis, sive Capitulis Provincialibus Regularium celebrandis, singulis trienniis, eorúmque correctione, ac visitatione.

XXI. De his agitur *in c. In singulis*; 7. *& c. Ea quæ*; 8. *& ult. h. t.* Et inprimis *in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. cap.* 12. (quod refertur » *in cit. c. In singulis*; *h. t.*) statuitur, ut in singulis Re-
» gnis, seu Provinciis, Concilia, seu Capitula de tri-
» ennio in triennium (id est, quolibet triennio) ce-
» lebrentur, salvo jure Diœcesanorum Episcopo-
rum, (quoad correctiones, visitationes, & procu-
rationes, *Gl. hîc V. Salvo Jure*) qui tamen sæpiùs,
quàm singulis trienniis, visitare, & Synodum Diœ-
cesanam cogere possunt, *Joan. Andr. hîc nu.* 3. Non
sufficit autem, in fine primi triennij celebrare unum
Capitulum Provinciale, & statim post principium se-
cundi triennij alterum, id enim potiùs esset, celebra-
re Capitula Provincialia de sexto in sextum annum,
non de triennio in triennium: sed inter unum, & al-
terum Capitulum, debet intercedere intervallum
trium annorum, *Joan. Andr. hîc n.* 2. *& Abb. not.* 1.
» Secundò, ad tale Capitulum omnes Abbates, &
» Priores, seu Præpositi, qui proprios Abbates non
» habent, nec hujusmodi Capitulum celebrare con-
» sueverunt, venire tenentur (sive exempti sint, sive
» non exempti, *Gl. hîc V. Non consueverunt*) nisi le-
» gitimè fuerint impediti. Convenire autem debent
» in uno ex Monasteriis ad hoc opportuno (habitâ
» ratione distantiæ quoad omnes, *Gl. hîc V. Ad hoc*
aptum) & cum eo moderamine, ut nullus eorum »
plus, quàm sex evectiones (hoc est, equos) & octo »
personas adducat. Tertiò, constitui debent qua- »
tuor Abbates, qui universo Capitulo præsint, Præ- »
lationis tamen auctoritatem non habeant, ideó- »
que, cùm expediêrit, mutari possunt, & alij con- »
stitui à Capitulo sequente. Debent autem hi »
Præsidentes esse viri pietate, scientiâ, & zelo ani- »
marum præditi, atque in Capitulis Provincialibus »
celebrandis exercitati, & si tales in Provincia non »
sint, aliunde advocari debent, *cit. c. pen.* §. *Advo-* »
cent. h. t. Ubi Pontifex propterea jubet, duos Ciste- »
riensis Ordinis Abbates vicinos advocari, ad præ- »
standum auxilium, & consilium, qui alios duos »
sibi associent. »

XXII. Quartò, hujusmodi Capitulum, »
aliquot certis diebus, continuè celebretur, in quo »
diligens fieri debet tractatus de reformatione Or- »
dinis, & observantia Regulari: & quod statutum »
fuerit in Capitulo, illis quatuor approbantibus, in- »
violabiliter observetur, sine omni excusatione, »
contradictione, & appellatione: & nominatim »
etiam locus, sive Monasterium, in quo, post ela- »
psum triennium, sequens Capitulum debeat cele- »
brari, designetur. Putat verò *Abb. hîc num.* 4. »
necessarium esse, ut id, quod majori parti Capituli
visum fuerit, ab omnibus quatuor Præsidibus appro-
betur, ita, ut unicus eorum contradicendo, impe-
dire possit, *arg. hujus Textûs*, ibi, *Illis quatuor appro-*
bantibus; quia isti quatuor in Capitulo, quasi unius
loco sunt, cùm vicem Romani Pontificis repræsen-
tent, & habeant hanc potestatem ex dispositione
quasi extraordinaria, ideóque etiam, qui in Conci-
lio Generali, loco Papæ præsident, omnes consen-
tire debent, & unius contradictio actui gerendo ob-
sistere potest. Contrarium tamen tenent *Hostiens. hîc V. Concordi, & Joan. Andr. num.* 10. Si major pars
præsentium consentiat, scilicet tres, non esse recur-
rendum ad S. Pontificem: secus si duo tantùm; quia
satis concordare censentur, *arg. l. Quod major*; 19. *ff.*
Ad municip. Idque benignius est. Deinde dicitur hîc,
appellatione remotâ, observandum esse, quod sta-
tutum fuit; quia cùm hæc inquisitio fiat, causâ correc-
tionis, & reformationis, non potest habere locum
appellatio, nisi modum excederent: imò nec recu-
satio, cùm enim elegerint hos Præsides, personas
eorum approbârunt, *Gl. hîc V. Et appellatione re-*
motâ.

XXIII. Quintò, decernitur *in dicto cap. pe-*
nult. §. *Et qui convenerint, h. t.* Ut Abbates conve- »
nientes vivant communiter, faciendo omnes com- »
munes expensas, secundùm proportionem (pro »
numero scilicet personarum, & equorum, & se- »
cundùm facultates cujuslibet, *Gl. hîc V. Propor-* »
tionaliter, junct. Gl. marg. lit. B.) & si non omnes »
in eisdem poterunt, saltem plures simul in diver- »
sis domibus commorentur. Sextò, eligantur »
etiam in eodem Capitulo Religiosæ, ac circum- »
spectæ personæ, quæ singulas Abbatias ejusdem »
Regni, vel Provinciæ, non solùm Monachorum: »
sed etiam Monialium, secundùm formam sibi »
præscriptam, auctoritate Apostolicâ (delegatâ, vî »
hujus Constitutionis, *Gl. hîc V. Vice nostrâ*) visitent, »
corrigentes, & reformantes, quæ correctione, & »
refor-

» reformatione viderint indigere, ita, ut si Rectorem loci cognoverint, ab administratione penitus amovendum, id denuncient Episcopo proprio, ut illum amovere curet: quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Sedem Apostolicam, *cit. cap. pen. §. Ordinentur, h. t.*

Ex quo patet, quòd Præsidentes isti Abbatem, vel Præpositum ab officio, vel administratione deponere non possint: sed ad Episcopum Ordinarium referre debeant, si Monasterium non sit exemptum, vel ad Sedem Apostolicam, si sit exemptum. Septimò, quæ de Capitulis celebrandis à Monachis, hîc dicta sunt, etiàm à Canonicis Regularibus observari debent, *cit. c. pen. §. Hoc ipsum.* At verò illi Ordines, qui Generale Caput, seu unum Generalem Præpositum Ordini habent, ejus jussu, & auctoritate visitari possunt, & solent.

» Octavò, quæ per dictos Visitatores nequeunt expediri, ad Apostolicæ Sedis judicium referenda sunt, cæteris irrefragabiliter observatis, quæ concordi fuerint deliberatione provisa, *cit. c. pen. §. Si verò.* Nonò, Episcopi Diœcesani Monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cùm ad ea prædicti Visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione: quàm quod correctione sit dignum, & valde caveant, ne per eos dicta Monasteria indebitis oneribus graventur, *cit. c. pen. §. Porro.* Ex quo colligitur, quòd Episcopus, seu Ordinarius per hos Visitatores non impediatur, quin ipsemet quoque visitare possit: quamvis etiam illi possint visitare, etiamsi Episcopus non fuerit negligens, *Gl. hîc V. Ut cùm.*

» Decimò, denique *in fine dicti cap. pen.* præcipitur Episcopis, & Præsidentibus Capitulorum, ut Advocatos, Patronos, Vicedominos, Rectores, Consules, Magnates, Milites, & quoslibet alios per censuras Ecclesiasticas, appellatione remotâ, compescant, ne Monasteria in rebus, vel personis offendere præsumant, & si offenderint, ad satisfactionem compellere, non intermittant.

XXIV. Cæterùm novissimè *Concilium Tridentinum Sess 25. c. 8. de Regular.* statuit, ut Monasteria omnia, quæ Generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Regulares Visitatores: sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueverunt, teneantur, intra annum à fine præsentis Concilij, & deinde quolibet triennio, sese in Congregationes redigere, juxta formam Constitutionis *Innocentij III. in Concilio Generali in cit. c. In singulis*; præscriptam, *h. t.* Ubi nihil aliud statuitur, quàm, ut hujusmodi Regulares, singulis trienniis, celebrent Capitulum Provinciale, secundùm formam *in cit. c. In singulis*; præscriptam, non autem præcipitur, ut Monasteria hujusmodi se invicem, vel alijs Monasteriis, aut Congregationibus jam institutis uniant, seu aggregent, *Fagnan. in cit. cap. pen. num. 8. h. t.*

XXV. Præterea *in cap. Eaquæ; 8. & ult. h. t.* Honorius III. circa Visitationem, & correctionem » in Capitulis Provincialibus decernit, primò, ut » Visitatores, secundùm statutum *Concilij Generalis Lateranensis* (quod refertur *in cap. præced.*) in » Capitulo Generali, seu Provinciali constituri, » de statu Monachorum, Observationibus Regula- » ribus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reform- » ment, quæ viderint corrigenda, & reformanda; » Monachos autem per Abbatem loci corrigi faci- » ant (nam correctio Monachi primo loco ad Abbatem spectat, c. *Quanto 57. de Offic. Ord. Gl. hîc V. Per Abbatem*) eisque pœnitentiam injungi, juxta Regulam S. Benedicti, & Apostolica Institu- » ta, non secundùm pravam consuetudinem, quæ » quasi pro lege in quibusdam Monasteriis inolevit. Sin verò Visitatores Monachos contumaces, & rebelles invenerint, tunc juxta modum » culpæ (quæ quò major fuerit, eò major etiam debet esse pœna, seu vindicta, *Gl. hîc V. Eod.*) auctoritate Apostolicâ, per censuram Ecclesiasticam » eos coërceant, sine personarum delectu, seu respectu: aut etiam tanquam ovem morbidam ejiciant, ne sanas oves inficiant. Secundò, si Abbates in corrigendo, juxta Visitatorum mandatum, & Ordinis Regulam, sive in se ipsis, sive » Monasteriis corrigendis, reperti fuerint negligentes, proclamentur, & corripiantur, & ita puniantur publicè in Capitulo Generali, ut eorum pœna alijs sit in exemplum, *cit cap. ult. §. Si verò.* » Quòd si Abbas non exemptus à Visitatoribus nimis negligens, & remissus fuerit repertus, id sine mora Diœcesano loci significent, ut abillo assignetur fidelis, & providus Coadiutor, usque ad » Capitulum Generale, seu Provinciale. Sin autem dilapidator sit, vel ob aliam causam amovendus, postquam à Visitatoribus id Diœcesano significatum fuerit, per illum amoveatur, absque » strepitu judicij, à regimine Abbatiæ, ac interim » Monasterio provideatur de idoneo Administratore, qui temporalium curam gerat, donec ipsi » Monasterio de Abbate fuerit provisum. Quòd si forsan Episcopus hoc facere noluerit, vel neglexerit, Visitatores, vel Præsidentes id Sedi Apostolicæ significent. Atque hæc eadem circa Abbates, seu Prælatos exemptos fieri debent, per » Visitatores, vel Præsidentes Capitulo Generali, » seu Provinciali, ita, ut si amovendi videantur, » per dictos Visitatores, vel Præsidentes idoneus » Administrator Monasterio deputetur, ipso Abbate ab Officio suspenso, & depositione ipsius Sedi Apostolicæ reservatâ. Illorum verò excessus, » & alia, quæ significanda esse, videbuntur, per fideles, & prudentes nuncios eidem Sedi à Præsidentibus denuncientur, quibus ex communi contributione Abbatum, juxta cujuslibet facultatem, » sufficientes expensæ ministrentur, ita habetur in » *cit c. ult. §. Quòd si. Abbas h. t.*

XXVI. Hinc colligitur primò, quòd Abbas, seu Prælatus, non ob quamlibet negligentiam, & Regularis disciplinæ neglectum, possit, ac debeat deponi: sed, si fuerit magna, ac supina negligentia, ut tradit *Gloss. in cap. Cùm ad Monasterium, 5. V. Negligens, h. t. Joan. Andr. in cit. c. ult. num. 7. & Abbas ibid. num. 3. h. t.* cujusmodi magna negligentia censenda est, si sæpiùs monitus se non emendavit.

Colli-

Colligitur secundò, quando agitur contra Prælatum, in ordine ad depositionem ab Officio, non est necessarium, ut instituatur, seu accuratè servetur ordo judiciarius, sive processus ordinarius: sed sufficit, si summariè, ac de plano, inspectâ rei veritate, procedatur, *cit. cap. ult.* ibi: *Absque judiciorum strepitu, h. t.* Ratio est, quia Prælati Regulares, sicut & omnes aliæ personæ Religiosæ faciliùs, ac liberiùs, atque ex levioribus causis possunt ab officiis, & administrationibus amoveri, quàm Sæculares, *cap. Qualiter* 3 24. *in fine, de accusat. & cap. Per tuas*; 32. *in fine, de Simon. Gl. in cit. c. ult. V. Absque judiciorum strepitu, h. t. Abb. ibid. n.* 3.

Colligitur tertiò, si Prælatus, ob dilapidationem bonorum, vel aliam culpam, aut magnam negligentiam ab Officio deponatur, non succedit in administratione Capitulum: sed interim Administrator in temporalibus deputari debet, donec alius Prælatus constituatur; quia tali casu plerumque etiam Capitulum, seu Conventus est suspectus, ne Prælato consenserit, nam ut ait *Innocent. in cap. Cùm dilecti*; 18. *V. Episcopo, de accus.* Caput malum malam præsumptionem facit de membris; cùm ergo tunc sit præsumptio contra Capitulum, non est tutum, ut ipsi administratio committatur, *Joan. Andr. in cit. c. ult. n.* 10. *h. t.*

XXVII. Tertiò, decernitur *in dicto cap. ult.* » §. *Sequentes*, ut Visitatores posteriores diligenter » inquirant de prioribus Visitatoribus, ac eorum ne- » gligentias, & excessus referant sequenti Capitu- » lo Generali, ut juxta culpam publicè pœnam de- » bitam recipiant. Idémque etiam de Abbatibus » præsidentibus Capitulo generali est observan- » dum. Quartò, præcipitur, ut Præbendæ, sive » Beneficia, v. gr. Capellaniæ in Monasteriis non » conferantur ab Abbatibus, & Monachis Clericis » sæcularibus; quia per Regulares commodiùs ad- » ministrari possunt, quàm per Sæculares, & multa in- » convenientia sequuntur ex cohabitatione Sæcula- » rium cum Religiosis. Illi autem Clerici Sæculares, » qui jam recepti sunt ad Beneficia, in Monasteriis » non habeant vocem, aut locum in Capitulo, nec » in refectorio, vel dormitorio, nec Monachorum » cœtibus se importunè misceant: sed Beneficiis suis » sint contenti. Et si qui, ex prædictis Clericis, » fuerint criminosi, per Episcopum Diœcesanum, » non exempti: per Visitatores verò, & Præsiden- » tes, exempti eisdem Beneficiis priventur, *cit. cap. ult.* §. *Præcipimus.* Quintò, denique hæc omnia » etiam in Monasteriis, quæ non habent proprios » Abbates: sed Priores (de quibus suprà) nec non » in Monialium, quoad ea, quæ Abbatissis, & Mo- » nialibus congruunt, observari debent, *cit. c. fin.* §. *ult.* Nam regulariter statutum de Abbatibus, & Monachis, censeri debet etiam statutum, servatâ proportione, de Abbatissis, & Monialibus: sed non vice versâ, *Abb. in cit. cap. ult. num.* 5. Nam licèt masculinum comprehendat fœmininum: non tamen è converso, *l. Ita*; 45. *in princ. ff. de legat.* 2. ubi *Gl. V. Vocabulo*, ait, quia quod minùs dignum est, dignius non continet. Verùm de Monialibus mox plura.

§. IV.

De receptione Monialium, & benedictione, seu consecratione illarum.

XXVIII. Quæritur primò. Quid Jure Canonico statutum sit, circa receptionem Monialium? Respond. circa receptionem Monialium extat Constitutio Bonifacij VIII. *in c. Periculoso*; 1. §. *Sanè, de stat. Regul. in* 6. Ubi districtè prohibetur, ne in » Monasteriis Ordinum non mendicantium (qui sci- » licet bona in communi possident) plures de cætero » Sorores, seu Moniales: quàm quot ex bonis, seu » proventibus earundem, absque penuria, sustenta- » ri possunt, recipiantur: si secus actum fuerit, id » irritum decernitur. Ex quo patet, si ultra nu- » merum Monialium, quæ ali possunt, aliquæ recipi- antur, irrita est receptio. Aliud tamen est, quoad hoc, in Monasteriis virorum; nam etsi etiam in illis plures, quàm sustentari possunt, recipi non debeant, *cap. 1. de Institut.* si tamen fuerint recepti, non est invalida receptio; quia viri cœtibus hominum se immiscere, & sibi ad vitam necessaria comparare possunt, *Gl. in cit.* §. *Sanè, V. Irritam.*

XXIX. Verùm *Concil. Trident. Sess. 25. c. 5. de Regul.* generaliùs ita præcipit: In Monasteriis, » & Domibus, tam virorum: quàm mulierum, sive » bona immobilia possideant, sive non possideant, » is tantùm numerus constituatur, ac inposterum » conservetur, qui, vel ex reditibus propriis Mo- » nasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis com- » modè possit sustentari. Ubi notanda est diffe- » rentia, inter sustentari, seu vivere, absque penuria, prout dicitur *in cit.* §. *Sanè*, & inter commodè sustentari, prout requiritur *in Decreto Concilij Trident.* Nam is cum penuria vivit, qui patitur defectum necessariorum alimentorum, ideóque mendicare cogitur: is verò non commodè vivit, qui non potest se sustentare, spectatâ consuetudine Regionis, & qualitate, ac statu personæ, etsi non cogatur mendicare, nec patiatur defectum necessariorum alimentorum, *Gl. in cit.* §. *Sanè, V. Absque penuria.* Additur *in cit. Decreto Trident.* ac prohibe- » tur, ne de cætero Monasteria & Domus Regu- » larium erigantur, sine Episcopi, in cujus Diœ- » cesi erigenda sunt, licentiâ priùs obtentâ? Quod » etiam olim statutum reperitur *in c. Quidam*; 10. *& c. De Monachis*; 12. *& seqq. caus.* 18. *q.* 2. Hanc verò licentiam Ordinarij locorum dare non possunt ad novos Conventus, præsertim Mendicantium, erigendos, nisi priùs constiterit, utrùm in ea Civitate, vel loco commodè sustentari possint, sine populi, & aliorum in eodem loco existentium Religiosorum Mendicantium justa querela, ac detrimento, ideóque etiam ipsi, & alij omnes, quorum interest, vocari, & audiri debent, prout decernit *Clemens VIII. in Constitutione editâ anno* 1603. *die* 23. *Julij*, & extat apud *Piasec. in praxi Episcop. p.* 2. *c.* 3. *art.* 6. *num.* 33.

Porro nihil obstat, quò minùs hodie supra numerum Monialium, quæ ex reditibus commodè sustenta-

stentari possunt; recipiantur sufficienter dotatæ, neque ideo erit invalida receptio, quia consuetudine id passim ita observatur: & Jus antiquum, ac Decretum Concilij intelligendum est, ne plures, quàm commodè ali possint, recipiantur indotatæ, vel cum expensis Monasterij. Neque id Simoniacum est, cùm dos non detur, tanquam pretium receptionis: sed ut stipendium necessarium ad vitæ sustentationem, ut docet *Navarr. tract. de redit. Eccles. q. 1. Monito 5 62. Azor. p. 1. l. 13. c. 9. q. 1. Sanch. Lib. 7. mor. c. 23. num. 4. & 5.*

XXX. Quæritur secundò, quid Jure Canonico statutum sit, de benedictione, seu consecratione Abbatissarum, & aliarum Monialium? Respond. primò, *in Clement. 2. §. Statuimus, de Statu Regul. in 6.* „ decernitur, ut quævis ad Regimen Abbatiarum „ assumptæ in Monasteriis, in quibus Abbatissæ so- „ litæ sunt benedici, intra annum, à suæ confirma- „ tionis tempore computandum, munus benedi- „ ctionis suscipiant, alioquin, nisi causa rationabi- „ lis subsit (ob quam benedictæ non sunt, intra tem- „ pus præscriptum) jure suo excidunt, & tunc pro- „ visio de Abbatissis per illos, ad quos id pertinet (vi- „ delicet ad Collegia, seu Capitula, ad quæ spectat jure communi electio, *c. ult. caus. 16. c. 1. de Elect.* vel „ ex jure speciali provisio, *Gl. hîc V. Per illos,*) ipsis „ Monasteriis canonicè est facienda.

Notandum primò. Non omnes Abbatissæ possunt, aut debent benedici: sed illæ tantùm, quæ sunt perpetuæ, & si quæ aliæ solitæ sunt benedici; inspicienda enim est, quoad hoc, consuetudo, seu mos Monasterij, *Gl. hîc V. Solitæ: Navarr. Lib. 3. consil. 2. Azor. Lib. 13. c. 10. q. 4.* causas autem, ob quas excusantur à benedictione recipienda, intra tempus præscriptum, enumerat *Gl. hîc V. Rationabilis*, de quibus supra *Lib. 1. Tit. 6. Sec. 8. §. 7. q. 7.* ubi de benedictione Abbatissarum plura dicta sunt.

Notandum secundò. Hæc pœna privationis decreta *in cit. §. Statuimus*; non habet locum in Abbatibus, de quibus ibi nihil dicitur, *Gl. in cit. c. Statuimus 5 V. Cecidisse*, neque etiam in Abbatissis triennalibus, seu temporalibus, quæ benedici non solent, *Navarr. c. l. n. 2.* sicut nec Priorissæ, *Silvest. in summ. V. Abbatissa, n. 4. in fine.*

XXXI. Resp. secundò, quod verò attinet ad benedictionem, seu consecrationem Monialium, sciendum est, multiplex velum eis dari solere, ut notat *Gl. in c. Devotis 5 11. V. Velamen junct. Gl. marg. caus. 20. q. 1.* inter quæ duo sunt præcipua. Primum est velamen nigrum Professionis, quod olim dabatur anno ætatis XII. completo, *c. Puella 5 2. caus. 20. q. 2.* hodie verò nonnisi XVI. anno completo, juxta *Concil. Trident. c. 15. de Regul.* quo Professio fieri potest, & hoc datur omnibus Professis, sive virgines sint, sive viduæ. Secundum est velum Consecrationis, quod olim dabatur anno ætatis XXV. *c. Placuit 5 14. caus. 20. q. 1.* quamvis ex universali consuetudine possint ante illum consecrari, teste *Barb. de offic. Episc. alleg. 27. num. 57.* differt autem hæc consecratio à Professione, quia Professio ab omnibus emittitur, sive virgines sint, sive non, *c. Omnes fœminæ 5 36. caus. 27. q. 1.* Consecrationis verò velum imponitur solis virginibus, *cit. c. Placuit 5 & c. Virgines 5 15. caus. 20. q. 1.* Item à solo Episcopo possunt virgines consecrari, *c. Sanctimonialis 5 24. dist. 23. cap. 1. §. Ad Episcopum, dist. 25.* nec id delegari potest alteri, nisi à Papa, *Silvest. c. l. nu. 3. q. 2.* Professio verò in manibus, etiam Sacerdotis emitti potest, *cap. ult. caus. 20. q. 1.* Sed nec Abbatissa: nec alia Sanctimonialis potest viduæ imponere velum, *c. Statuimus 5 3. caus. 20. q. 2.* ubi id sub pœna excommunicationis est prohibitum. Neque etiam omnes Professæ, & virgines consecrantur, quia Moniales Mendicantium, & aliæ quædam non consecrantur ab Episcopo: imò nec corrupta etiam violenter consecranda est, etsi violata laureolam Virginitatis non perdat; quia non constat Ecclesiæ illam plenè dissensisse, ideo jubetur humiliter à velo consecrationis abstinere, *Silvest. c. l. q. 1.* Fieri autem debet consecratio virginum in Epiphania Domini, vel in Dominica in Albis, & in Natalitiis Apostolorum, & in diebus Dominicis, *c. Devotis 5 11. & cap. Virgines 5 14. caus. 20. q. 1.* nisi tempore necessitatis, nempe imminente languore, vel mortis periculo, tunc enim quovis tempore consecrari possunt, *Silvest. c. l. q. 3.* Quamvis secundùm quosdam, etiam in alijs Festivitatibus virgines consecrari posse, tradit, *Laym. in c. 1. de temp. ordin. §. Alterum.*

Præter dicta, tertium velum est Ordinationis, quod olim dabatur Diaconissis, ad inchoandum officium, ac Homilias legendas, nec ante annum XL. *cap. Diaconissam 5 23. caus. 27. q. 1.* hodie autem hæc ordinatio fit, quando Moniales consecrantur, seu velantur. Quartum velum est Prælationis, quod olim Abbatissis dabatur, anno LX. ætatis, *c. Juvenculas 12. & ibi Gl. V. Sexagenariam, & Gl. marg. caus. 20. q. 1.* postea verò anno XXX. completo, *c. indemnitatibus 43. in princ. de Elect. in 6.* sed hodie juxta *Concil. Trident. Sess. 25. c. 7. de Regul.* XL. anni requiruntur ad Abbatissam eligendam, nisi magna esset inopia personarum. Quintum est velum Continentiæ, & observationis, quod est viduarum, *c. Vidua 5 34. caus. 27. q. 1.* & potest dari etiam virginibus, licèt virginale velum non possit dari viduis, nec quidem cum dispensatione Episcopi, *cit. c. Devotis 5 11. caus. 20. q. 1. Silvest. c. l. in princ.* Addunt nonnulli sextum velum Conversionis, seu probationis, quod datur in susceptione habitûs Regularis, ante Professionem, & est communiter album.

§. V.

De Clausura Monialium.

XXXII. Quæritur primò. Quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium, quoad egressum illarum ex Monasteriis? Resp. de hoc extare Constitutio Bonifacij VIII. *in c. Periculoso; unic. de statu Regul. in 6.* Ubi in primis præcipit omnibus Mo- „ nialibus præsentibus, & futuris, cujuscùnque Re- „ ligionis sint, vel Ordinis, ut sub perpetua de cæ- „ tero clausura in suis Monasteriis permanere debe- „ ant, ita, ut nulli earum, sive expressè, sive tacitè „ sint professæ, ex ulla ratione, vel causa ex Mona- „ steriis egredi liceat: nisi evidenter constaret de „ aliqua, quòd ob morbum contagiosum cum alijs, „ absque gravi periculo, aut scandalo, commorari „ non posset.

Hanc

Hanc Constitutionem Bonifacij VIII. cùm in plurimis locis, vel non recepta, vel desuetudine abolita fuisset, renovavit *Concil. Trident. Sess. 25. c. 5. de Regular.* his verbis: Nemini autem Sanctimonialium liceat, post Professionem, exire è Monasterio, etiam ad breve tempus, quocùnque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbandâ, indultis quibuscùnque, & privilegiis non obstantibus. Eandem Constitutionem tum Bonifacij VIII. tum Concilij Tridentini confirmavit, & declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit, Circa Pastoralis, edita anno 1566. die 19 Maij, & in alia Bulla, cujus initium: Decori; edita anno 1569. Calend. Febr. & Gregorij XIII, cujus initium, Deo SS. Virginibus, anno 1573. die 21. Jan. quæ legi possunt apud *Quarantam in summa Bullarij V. Monasteria Monialium fol. 440. & pluribus seqq.*

XXXIII. Porro circa priorem partem prædictæ Constitutionis Bonifacij VIII. quoad prohibitionem egrediendi è Monasterio, Notandum primò. Illam obligare omnes Moniales, quæ expressè, vel tacitè sunt professæ, aut in posterum profitebuntur; sive antè promiserint clausuram, vel servârint: sive non, est enim Constitutio nova, & non supponit obligationem: sed imponit, ut probat *Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 1. de oblig. Relig.* quatenus subditi sunt, *c. 8. num. 11. & 14. Sanch. Lib. 6. mor. c. 15. num. 12.* Quare etiam Moniales conversæ, quæ ad ministeria, seu servitia domestica sunt deputatæ, si emittant tria substantialia vota Religionis, ad clausuram obligantur, *Suar. c. l. num. 17. Sanch. c. l. num. 13.* Possunt tamen, ex concessione Pij V. *in cit. Bulla, Circa Pastoralis*; si Monasteria Monialium sufficientes reditus non habeant, ita, ut eleemosynis fidelium ad suam sustentationem indigeant, Moniales aliquæ conversæ, etiam Professæ exire, ad eleemosynas colligendas, si sint ætatis 40. annorum, & in domo contigua Monasterio extra illud habitent, & non ingrediantur claustrum, extra casus in earum Constitutionibus expressos, nec egrediantur suis Domibus, nisi de licentia Episcopi, vel earum Superiorum, etiam ad eleemosynas colligendas. Quòd si verò postea Monasteriis, quacùnque ratione, de sufficiente sustentatione provisum fuerit, Conversæ istæ ad clausuram reducantur, nec ampliùs exire permittantur, subintellige ad eleemosynas colligendas. *Gregor. XIII. in cit. Bulla Deo Sacris, Suar. cit. loc.*

Notandum secundò. Non obligari ad clausuram illas Virgines, quæ per votum continentiæ Deo sunt consecratæ, & simul collegialiter vivunt: vel etiam obedientiam voto simplici, ac privato, vel etiam pacto alicui promiserunt, non tamen in statu aliquo tanquam Religioso ab Ecclesia approbato degunt, tribus votis substantialibus obligatæ; cùm tales non sint Sanctimoniales professæ, *Suar. c. l. n. 15. Navarr. Lib. 3. consil. 6. num. 10. h. t. Sanch. cit. c. 15. num. 14. & 15.*

Notandum tertiò. Novitiæ Monialium non obligantur ad clausuram; cùm non sint Religiosæ, nec Professæ, ideóque è Monasterio egredi possunt, cum Superiorum licentia, v. gr. ad recuperandam valetudinem, nec per talem egressum annus probationis interrumpitur, si habitum retineant: secus est, si absque licentia egrediantur, tunc enim recedunt ab obedientia, & consequenter interrumperetur probatio, *Suar. c. l. num. 16.* de quo plura supr. Tit. 31.

XXXIV. Quæritur secundò. Quænam sint justæ causæ, ob quas licentia concedi potest Monialibus, egrediendi ex clausstro? Resp. Bonifacius VIII. *in cit. c. unic. de stat. Reg. in 6.* unicam causam expressit, videlicet, si Monialis laboret tali morbo, ut cum alijs, absque gravi periculo, aut scandalo, cohabitare non possit, cùm ergo adjecta sit clausula exclusiva, nulla ex causa, *sive ut quacunque ex causâ non sit facultas egrediendi*, nisi ob talem morbum, sequitur omnes alios morbos dissimiles, videlicet, qui non contagiosi, nec Communitati graves, aut periculosi, exclusos esse: ac proinde non esse Monialibus permittendam licentiam, exeundi ob morbum, qui ipsi ægrotanti quidem est gravis, & periculosus, ita, ut Medicorum judicio necessariò egredi debeat, ad recuperandam valetudinem, si ille morbus cæteris Monialibus non sit periculosus; quia tunc non subest eadem ratio, & sic non debet fieri extensio, ob similitudinem rationis, ad morbum periculosum soli ægrotanti, non enim voluerunt Pontifices consulere commoditati Monialium in particulari: sed toti Communitati, ejùsque commoditatem præferre clausuræ, ita docet *Gutic. Lib. 1. can. q. q. cap. 14. num. 7. & seqq. Rodriq. Tom. 1. qq. Reg. q. 49. Sanch. cit. c. 15. num. 32.* Consentit Pius V. *in cit. Bulla Decori*, ubi ait: *Ordinamus ut nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarúmve Monialium de cætero etiam infirmitatis, &c. aliâve occasione, aut prætextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, epidemiæ* (id est, morbi pestiferi, vel aliter contagiosi) *à Monasteriis exire: sed nec in prædictis casibus, extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere.*

Contrarium tamen probabiliùs tenet *Navarr. Comment. 4. de Regul. num. 49. Azor. p. 1. l. 13. cap. 8. q. 1. §. Tertiò quæres, Suar. cit. Lib. 1. c. 9. n. 9.* nempe quòd Monialis, cum licentia Episcopi, exire possit ex clausstro, ob morbum sibi soli periculosum, etsi alijs contagione non obsit, ita, ut Medici judicent, eam morituram, nisi exiêrit; quia humanæ leges tam severè non obligant, ut mortis periculum ad illas servandas, subire cogamur. Certè cùm leges humanæ de ijs ferantur, quæ communiter evenire solent, non de ijs, quæ in rarissimo, & extraordinario casu contingunt, rarissimum autem sit, ut evidenter constet, morbum ita constitutum esse, ut si Monialis in Monasterio maneat, sit moritura, non autem si exeat, & aërem mutet, ideo si talis casus extraordinarius aliquando contingat, is per epijchiam exceptus censeri debet, *arg. l. Non ad ea 35. & l. Neque Leges; 10. ff. de Legib.* ita, ut Episcopus exeundi licentiam dare possit: quamvis aliàs ordinatiè non quævis infirmitas, etiam periculosa ipsi ægrotanti, si Communitati non sit noxia, sit justa causa, dandi licentiam exeundi, ut ex dictis patet.

XXXV. Præter causam infirmitatis expressam *in cit. c. unic. h. t. in 6.* aliam causam exeundi è clausstro adjecit Pius V. *in cit. Bulla Decori*, nempe ob magnum, seu periculosum incendium, quæ adjecta fuit, non corrigendi: sed declarandi causâ, tam Decretum Concilij Tridentini: quàm Constitutionem Bonifacij VIII. *in cit. c. un.* ut ex verbis ipsius

Bullæ Pij V. patet, & notavit *Sanch. cit. c. 15. n. 31.* ubi ait, Concilium Trident. nomine causæ legitimæ approbandæ ab Episcopo, non intellexisse quamcùnque, quæ Episcopo legitima videtur: sed commisit Episcopi arbitrio, determinare, an ea causa morbi sit talis, qualis requiritur in Constitutione Bonifacij: Pius V. verò declaravit, causam incendij non excludi, *in cit. c. un. h. t. in 6.* eò quòd hæc sit similis, imò multò magis urgens, & necessaria causa exeundi ipso jure naturali concessa, ob manifestum vitæ periculum. Et quidem non tantùm si tale periculum, v. g. incendij toti Communitati immineat: sed etiam uni soli, nisi fugiat. Ex quo infertur, quòd Moniales exire possint è claustro, ob alias etiam causas similes, vel magis urgentes, v. g. ob hæreticorum, vel aliorum hostium incursiones; quia per dictionem taxativam, *tantùm*, non excluduntur casus similes, in quibus eadem, seu similis, aut magis urgens ratio militat, *Azor. p. 1. Lib. 13. cap. 8. q. 1. §. Tertiò quæres, Sanch. cit. c. 15. num. 37.* & alij apud *Barb. in Collect. in cit. c. un. h. t. in 6. nnm. 14. & 16.* Ubi ait, quòd tempore belli possunt Moniales exire è Monasterio, seque in locum tutum recipere.

Sunt & aliæ, præter allatas, causæ justæ, ob quas Monialibus licet exire è claustro, non expressæ, *in cit. c. un. & Bulla Pij V.* Talis causa est primò, ut Monialis in alio Monasterio ejusdem Ordinis fiat Abbatissa, vel Magistra Novitiarum. Secundò, si Abbatissa egrediatur, ad fundandum aliud Monasterium. Tertiò, si transferatur Monialis ad aliud Monasterium, correctionis causâ, quia in proprio commodè corrigi non potest. Quartò, si Moniales ab uno Monasterio ad aliud transire velint, strictioris observationis causâ. Quintò, si totum Monasterium transferendum sit in locum commodiorem, v. gr. ex rure in oppidum, vel urbem, juxta præceptum *Concilij Trident. c. 5. de Regul. Sanch. cit. c. 15. n. 45. & seqq. Barb. c. l. n. 17. & 2. seqq.*

» XXXVI. Prædictis addendum primò, Ab-
» batissæ, & Priorissæ, quæ ratione Feudi, quod
» Monasterium ab ipsis tenet, Principibus, aut Do-
» minis sæcularibus homagium, seu fidelitatis Sacra-
» mentum præstare debent, si non possint obtinere,
» ut per Procuratorem illud præstent, personaliter ex
» Monasterio exire possunt, cum honesta, ac decen-
» te societate (comitantibus illam duabus, vel plu-
» ribus ex antiquis Monialibus, & Capellanis ipsius)
» ita tamen, ut præstito homagio, ac juramento fi-
» delitatis, statim ad Monasterium revertantur, prout statuitur *in cit. c. un. §. Verùm de stat. Regul. in 6. & ibi Gl. V. Societate*: id verò moraliter intelligendum est; nam brevis mora extra Claustrum non est prohibita, v. gr. unius, vel alterius diei, ut colligitur ex verbis in fine adjectis, *sic quòd in fraudem residentiæ, sive moræ claustralis nihil omnino fiat:* quibus verbis indicatur, prohiberi solùm moram notabilem, quæ in clausuræ fraudem cederet, *Sanch. cit. c. 15. num. 60.*

» Addendum secundò, monet insuper, & hor-
» tatur Pontifex *in cit. c. un. §. Porrò*, ut Principes,
» ac Domini sæculares, qui jurisdictioni tempo-
» rali præsunt, Abbatissas, & Priorissas, & alias
» Moniales curam, seu administrationem gerentes permittant, per Procuratores suos in suis Tribu-
» nalibus litigare, ne evagandi occasio ipsis Moniali-
» bus detur: alioquî si contrarium præsumpserint,
» per suos Ordinarios Ecclesiasticos censuris Eccle-
» siasticis compellantur; cùm sit Juri contrarium,
» & honestati, quòd mulieres, præsertim Religiosæ,
» per seipsas in judicio litigare cogantur, & pericu-
» lum animarum inducat. Episcopis verò, & alijs
» Prælatis quibuscùnque injungitur, ut omnes cau-
» sas Monialium, spirituales, & temporales, per
» Procuratores earum, in suis Curiis tractari fa-
» ciant: ita, ut nec volentes personaliter ad judi-
» cium vocentur. *Gl. ibid. V. Tractari.*

XXXVII. Quæritur tertiò, ad quem pertineat, dare licentiam Monialibus exeundi è Claustro? Resp. Superior, qui debet cognoscere, & approbare causam, ob quam Monialibus licet egredi è Monasterio, & licentiam exeundi dare, est Episcopus, vel alius Ordinarius loci, qui in eo jurisdictionem quasi Episcopalem habet, tametsi Monasteria Monialium alioquî sint exempta: in Ecclesiis tamen exemptis, etiam necessaria est licentia Prælati Ordinis, videlicet, Generalis, vel Provincialis, jux. cujusque Ordinis Institutum, *Suar. cit. Lib. 1. cap. 3. num. 13. Sanch. Lib. 6. mor. c. 15. num. 28.* Idque patet *ex Concil. Trid. cit. Sess. 25. c. 5.* Ubi generaliter, & indistinctè ait: *Nemini Sanctimonialium liceat exire è Monasterio, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda*: & clariùs habetur *in cit. Bulla*, & motu proprio Pij V. nam postquam dixit, nulli Monialium licere exire, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ, subjungit: *quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum jurisdictione exempta esse, reperiantur, cognita, & expressè in scriptis approbata sit.* Quare ea, quæ ad clausuram Monialium pertinent, universim, & erga omnes exemptas, & non exemptas Episcopis sunt commissa, *in Concilio Trident. c. 5. Suar. Tom. 4. de Relig. Lib. 1. de variis Relig. c. 12. nu. ult. in fine.* Quanquàm *Rodrig. Tom. 1. qq. Regul. q. 49. n. 6.* referat, dictam Bullam Pij V. in Hispania non esse receptam, quoad hoc, quòd in exemptis Monasteriis licentia exeundi peti debeat ab Episcopo loci.

Imò quidam Dd. apud *Sanch. cit. c. 15. num. 44.* dicunt, approbationem hanc, & licentiam exeundi pertinere ad Episcopum in Monasteriis sibi, aut Sedi Apostolicæ immediatè subjectis: ad solos verò Superiores Regulares in Monasteriis exemptis, quæ Regularibus subduntur, & ita intelligunt prædictum Decretum Concilij Tridentini, inter quos est *Navarr. Lib. 3. cons. 5. num. 6. h. t.* Sed prior sententia est probabilior; quia *in cit. Bulla Pij V.* præter alios Ordinum Superiores, requiritur etiam, ut licentia data sit per Episcopum, seu alium loci Ordinarium: nomine autem Ordinarij loci, nequaquam comprehenduntur Superiores Regulares, *Sanch. c. l. n. 38.*

Addit idem *cit. cap. 15. num. 30.* etiam Vicarium Generalem Episcopi posse hanc licentiam exeundi dare: nisi Episcopus specialiter sibi reservaverit, cùm & Vicarius sit Ordinarius. Porrò si ne-

cessitate

necessitas exeundi manifesta sit, & Superior pro petenda licentia adiri non possit, sine periculo, tunc Monialis, etiam eo inconsulto, licitè exire potest; quia necessitas non habet legem, *Sanch. cit. cap.* 15. *num.* 62.

» XXXVIII. Cæterùm Episcopi, iisque Su-
» periores, & alij Ordinarij locorum, in Monaste-
» riis Monialium, sibi ordinario jure subjectis, suâ
» propriâ auctoritate: in ijs verò, quæ exempta
» sunt, & immediatè Papæ subjecta, Sedis Aposto-
» licæ auctoritate: Abbates verò, & alij Prælati Re-
» gulares, tam exempti, quàm non exempti, in
» Monasteriis hujusmodi sibi subjectis, de clausura
» convenienti, ubi non est, ipsorum Monasterio-
» rum expensis, & fidelium eleemosynis, quas ad
» hoc procurent, faciendâ, & de ipsis Monialibus
» includendis, quàm primùm commodè poterunt,
» provideant: rebelles, & contumaces per censu-
» ram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, com-
» pescendo: invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc
» auxilio Brachij Sæcularis: Veruntamen per hoc in
» Monasteriis exemptis, Ordinariis locorum, quo-
» ad alia, nulla est jurisdictio, vel potestas attribu-
» ta, prout statuitur *in cit. c. un.* §. *ult. de stat. Reg. in* 6.
» Idque renovatum fuit *in Concilio Tridentino Sess.* 25.
c. 5. *de Regul.*

XXXIX. Quæritur quartò, quæ pœnæ sint decretæ in Moniales violantes clausuram, iisque cooperantes, vel faventes? Resp. duplex, ut constat *ex cit. Bulla Pij V.* Prior est excommunicatio major, ipso facto, sine alia declaratione, incurrenda, & Papæ reservata, lata non solùm adversùs Moniales aliter, quàm concessum est, egredientes: sed etiam licentiam aliter concedentes, & comitantes, recipientes, &c. Posterior pœna est privatio dignitatum, administrationum, & officiorum obtentorum, & inhabilitas ad illa, & alia in posterum obtinenda: quæ tamen pœna solùm decreta est, adversùs Moniales aliter egredientes, & Superiores indebitè licentiam exeundi concedentes, *Sanch. cit. c.* 15. *num.* 63. ad quam autem pœnam privationis incurrendam, requiritur sententia declaratoria Judicis, ut probat idem *Sanch. c. l. num.* 65. nomine dignitatum autem, officiorum, & administrationum intelliguntur illa, quæ adjunctam habent Superioritatem aliquam, ut est, esse Generalem, Provincialem, aut Superiorem localem: non autem alia officia, ut est, esse Concionatorem, Confessarium, vel Professorem Theologiæ, *Sanch. c. l. num.* 66.

§. VI.

Quid Jure Canonico statutum sit, circa Clausuram Monialium, quoad ingressum aliarum personarum in earum Monasteria?

XL. De hoc ita statutum legitur *in cap. un. de*
» *statu Reg. in* 6. *post princ.* Nulli aliquatenus inho-
» nestæ personæ, nec etiam honestæ ingressus, vel accessus pateat ad Moniales, nisi rationabilis, & » manifesta causa exigat, & illius, ad quem perti- » net, specialis licentia accedat: ut sic à publicis, & » mundanis conspectibus separatæ, liberiùs DEO » servire valeant, &c. Quod Decretum innovavit » *Concilium Tridentinum cit. Sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.* ubi dicitur: *Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexûs, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentiâ in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœnâ, ipso facto incurrendâ. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet, in casibus necessariis: neque alius ullo modo possit; etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel inposterum concedendi.*

XLI. Circa has Constitutiones, & Decreta notandum primò. Non prohiberi ingressum pueris, ac puellis, qui necdum usum rationis adepti sunt; quia in illis cessat ratio prohibitionis, nempe periculum, ne incitentur Moniales ad peccatum: aliud verò est de amentibus, jam puberibus, qui ad peccatum incitare, turpiter jocando, vel turpia loquendo, & Moniales perturbare possunt, ideóque ingredi Monasteria, permitti non debent, & quamvis ipsi intrando, non peccent: peccant tamen Moniales, eos admittentes, *Azor. p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *q.* 5. *Sanch. Lib.* 6. *mor. c.* 16. *num.* 5. *&* 8. Non est autem prohibitum Monialibus, ut famulas sæculares, si alias, quæ velint profiteri, & perpetuò in Monasterio manere, habere non possint, recipiant, non tantùm ad breve tempus: sed etiam ad longum, si Ordinis Regula, vel consuetudo non repugnet, ita tamen, ut nunquàm è Monasterio egrediantur, donec omnino dimittantur, *Rodriq. Tom.* 1. *qq. Reg.* 44. *art.* 4. *Mirand. tract. de Monial. q.* 2. *art.* 5. *concl.* 2. *Suar. Tom.* 4. *de Relig. Lib.* 1. *de oblig. Relig. cap.* 10. *n.* 18. *& seqq.* Item concessum est, ut cum Episcopi, vel Superioris licentia, in Monasteriis puellæ recipiantur, ut in illis educentur, & instruantur, licèt nolint Religiosum habitum suscipere, ita tamen, ut ultrà xxv. ætatis annum in Monasterio non retineantur, & nequeant clausurâ egredi, & semel egressæ non possint denuo admitti, *Rodriq. Tom.* 1. *q.* 46. *art.* 10. *Mirand. cit. q.* 2. *art.* 6. *concl.* 1. *Sanch. cit. cap.* 16. *num.* 61. Mulieres verò nuptæ: imò etiam viduæ in Monasteriis Monialium non sunt deinceps recipiendæ, nisi Moniales fieri velint, *Barb. Lib.* 1. *Jur. Ecclesiast. cap.* 44. *num.* 99. *&* 101. *& alij apud ipsum.*

XLII. Notandum secundò. Nomine clausuræ, sive claustri, hîc intelligitur omnis locus, sive sit area, sive hortus, sive conclave, in quem Monialibus licet ingredi; cùm enim illis prohibitum sit, exire extra claustrum, consequenter omnis locus, in quem ingredi possunt, est intra claustrum, adeóque omnes aliæ personæ, sive viri, sive fœminæ, in talem locum licitè ingredi non possunt: nam hoc est, quòd præcipuè intendunt, SS. Canones prohibere, ne scilicet Moniales cum alijs personis sæcularibus in eisdem locis possint convenire, colloqui, & conversari: ideóque etiam prohibitum est, ne ex Monasterio Monialium pateat janua, sive egressus ad eam Ecclesiæ partem, in qua Sæculares sunt, ut colligitur *ex cit. cap. unic. h. t. in* 6. ibi: *Nulli aliquatenus*

tenus inhoneſtæ, nec honeſtæ perſonæ ingreſſus, vel receſſus pateat ad Moniales, & *ex Concilio Trident. c. l. Ingredi intra ſepta Monaſterij nemini liceat*, *Suar. cit. cap.* 10. *num.* 8.

Notandum tertiò. Cauſa, ob quam ingreſſus in Monaſteria Monialium conceditur, debet eſſe, non ſolius utilitatis: ſed alicujus ſufficienter apparentis neceſſitatis, cui aliter commodè occurri non poteſt, ut patet *ex cit. c. un.* ibi: *Niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat*, & *Concil. Trident.* ibi: *In caſibus neceſſariis.* Sufficit autem neceſſitas moralis, etſi non ſit ſtrictiſſima, ſive abſolutè neceſſaria, *Suar. cit. cap.* 16. *num.* 40. *Mirand. cit. q.* 2. *art.* 4. *concl.* 2. Minor autem cauſa requiritur, ad concedendam licentiam fœminis, quàm viris; quia horum ingreſſus eſt minùs decens: item facilius conceditur ingreſſus matri, aut ſorori: quàm aliis fœminis, *Sanch. cit. loc. num.* 41. Porro licentia ingrediendi Monaſteria Monialium, danda eſt Sacerdotibus, ad Sacra-cramenta infirmis miniſtranda, Medicis, & Chirurgis: item Fabris, & Operariis ad ædificia, & ſimilia opera neceſſaria perficienda, quibus addunt aliqui, etiam Sartores, ad conficiendas veſtes, *Sanch. cit. loc. num.* 43. Et Sacerdos quidem, ſaltem Regularis, adminiſtraturus Sacramenta cum ſocio ingredi poteſt, etiam ſine licentia, *Sanch. c. l. n.* 46. *&* 47.

XLIII. Notandum quartò. Hanc licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium, concedere poteſt Epiſcopus, auctoritate ordinariâ, quoad Monaſteria ſibi ſubjecta: delegatâ verò à Sede Apoſtolica, quoad Monaſteria immediatè eidem Sedi ſubjecta: ad Prælatos verò Regulares Ordinis ſpectat, hanc licentiam dare, ſi Monaſteria exempta ab Epiſcopo ipſis immediatè ſubjiciantur; quia *Concil. Trident. cit. cap.* 5. disjunctivè requirit licentiam Epiſcopi in Monaſteriis ſibi ſubjectis, aut immediatè ſubjectis Papæ: vel Superioris Regularis, ſcilicet in Monaſteriis ipſis immediatè ſubjectis, & tunc ejus licentia ſufficit, quoad ingreſſum in Monaſteria Monialium, etſi quoad egreſſum ipſarum Monialium, requiratur etiam licentia Epiſcopi, *Suar. cit. cap.* 10. *num.* 11. *&* 12. *Sanch. cit. cap.* 16. *num.* 13. & patet ex ſupra dictis. Nomine autem Superioris Regularis, intelligitur hoc loco Generalis, vel Provincialis, vel etiam immediatus Superior, ſive Prælatus Conventualis, ſeu Abbas, aut Prior Monaſterij virorum, cui Moniales ſunt ſubjectæ; quia *in cit. c. unic. h. t. in* 6. ſolùm dicitur, *niſi de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentiâ, nulli ingreſſus, vel acceſſus pateat ad easdem*: quis autem ſit ille, ad quem ea pertinet, ibi non exprimitur: quare hac in re ad Regulam, & Conſtitutiones proprias cujusque Religionis recurrendum eſt, *Suar. cit. cap.* 10. *num.* 13. *Sanch. c. l. num.* 15.

Porro Epiſcopus, vel Prælatus Ordinis, qui licentiam ingrediendi alijs dare poteſt, etiam ipſemet eâdem facultate uti, in caſibus neceſſariis non prohibetur, ut patet *ex Bulla Gregorij XIII.* quæ incipit, Dubiis; & apud *Quarant. cit. loc. fol.* 447. habetur. Ubi tamen id limitatur, ut Epiſcopi, aliique Prælati, nonniſi paucis, Senioribus, ac Religioſis perſonis comitati ingrediantur, *Sanch. cit. cap.* 16. *num.* 25. Debet autem prædicta licentia ingrediendi Monaſteria Monialium, eſſe ſpecialis, id eſt, ſpecialiter conceſſa ad ingreſſum, nec ſufficit generalis, ut conſtat *ex cit. c. unic.* ibi, *ſpeciali licentiâ, h. t. in* 6. *Sanch. cit. loc. num.* 28. & inſuper requiritur, ut ſit in ſcriptis obtenta, ut patet *ex Concil. Trident. c. l.* ut proinde non ſufficit licentia verbis expreſſis conceſſa, & multò minùs tacita, *Sanch. c. l. n.* 29.

Notandum quintò. Ingredientes Clauſtra Monialium, ſine licentia Epiſcopi, vel Superioris in ſcriptis obtenta, pœnam excommunicationis, ipſo facto, incurrunt, ut conſtat *ex Concil. Trident. cit. cap.* 5. quæ tamen non eſt reſervata Papæ, *Sanch. cit. cap.* 16. *num.* 71. de hac pœna excommunicationis, ſicut & de alijs Decretis *in Bulla Gregorij XIII.* quæ incipit, *Ubi gratiæ*; *anno* 1575. editâ, videri poteſt *Sanch. c. l. n.* 71. *& ſeqq.*

XLIV. Notandum ſextò. Etſi *in cit. c. unic. h. t. in* 6. prohibitus ſit, non tantùm ingreſſus; ſed etiam acceſſus ad Monaſteria Monialium, extra caſus neceſſarios, ut patet ex disjunctione, *ingreſſus, vel acceſſus*, & colligitur *ex c. Monaſteria* 8. *de vit. & honeſt. Cleric.* tamen ea Lex, ſaltem quoad acceſſum, non fuit recepta, neque *Concilium Trident. c. l.* illam innovavit, quoad hanc partem, cùm de acceſſu nullam faciat mentionem, *Suar. cit. cap.* 10. *num.* 26. Ubi addit, neque Pius V. in ſuis Bullis illam Conſtitutionem innovâſſe; cùm loquatur ſolùm de egreſſu & ingreſſu. Ex quo infertur, accedere, etiam ſine juſta cauſa, ac licentia Superioris, Monaſteria Monialium: imò etiam illa frequentare, non eſſe culpam gravem, ſecluſis circumſtantiis ſcandali, malifinis, &c. quia ſecundùm ſe non eſt materia gravis, & pœnæ decretæ contra frequentantes Monaſteria Monialium, non habent locum, niſi in ijs, qui poſt monitionem Epiſcopi, ſunt contumaces, *Sanch. cit. cap.* 16. *nu. ult.* Sed & univerſim loquendo, Conſtitutiones, ac Decreta condita de clauſura Monialium, & ingreſſu intra ſepta Monaſteriorum earundem, non ſunt ubique recepta in Germania, ſaltem ſecundùm omnem prohibitionis modum, ut notavit *Leym. Lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 12. *num.* 3. Nam adhuc in plurimis Monaſteriis Monialium, tùm viri, tùm mulieres ingredi ſolent domos, & habitationes, intra ſepta Monaſterij, quamvis extra proprias habitationes, ac clauſtrales cellas ipſarum Monialium, ad quas tamen facilè admitti ſolent mulieres, etiam ſæculares.

XLV. Notandùm ultimò. Non ita viciſſim graviter prohibitum eſſe ingreſſum mulierum in Monaſteria virorum, ſicut prohibitus eſt ingreſſus virorum in Monaſteria Monialium; nam neque in jure Canonico, neque in alijs Decretis SS. Pontificum invenitur generalis Lex, ſeu Conſtitutio prohibens ſub gravi culpa ingreſſum mulierum in Monaſteria virorum, ideóque in hac re ſpectanda ſunt peculiaria Inſtituta Religionum, ut notat *Suar. in diſc.* 22. *de cenſur. Sec.* 6. *n.* 12. Nam in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. in quibus excommunicantur omnes fœminæ, quæ ingrediuntur Monaſteria virorum Regularium; vel Religioſi admittentes ad Monaſteria ſua fœminas, non prohibetur abſolutè, & ſimpliciter ingreſſus mulierum: ſed ſolùm ingredientes, vel admittentes, prætextu alicujus privilegij, ſeu facultatis ipſis conceſſæ, ad ingrediendum Monaſteria virorum (quæ privilegia revocantur) cenſuram excommunicatio-

nis

nis incurrunt, *Suar. c. l. num.* 11. & 13. Deinde in prædictis Bullis Pontificum non comprehenduntur Imperatrices, & Reginæ, earumque filiæ, & aliæ fœminæ quæcunque, quæ illas comitantur, *Sanch. Lib. 6. mor. cap.* 17. *num.* 5. & 6. Secundò, neque fœminæ fundatrices in illis Ordinibus, in quibus est consuetudo, illas admittendi, *Sanch. c. l. num.* 3. Tertiò, quando aliqui Religiosi privilegium habent, admittendi fœminas valde Illustres, *Laym. cit. cap.* 12. *num.* 5. Quartò, admitti possunt fœminæ, cum reliquo populo, intra septa Monasterij virorum, ad Divina officia, & Ecclesiasticam sepulturam, *Sanch. cit. cap.* 17. *num* 22. apud quem plura de hoc legi possunt, & apud *Laym. c. l. num.* 4. & *seqq.*

§. VII.

Quid Jure Canonico statutum sit circa visitationem Monialium?

XLVI. De hac re agitur *in Clement. Attendentes*; 2. *h. t.* Ubi *in princ.* Clemens V. in Concilio Viennensi præcipit, ut singula Monialium Monasteria, non exempta, per Ordinarios, auctoritate Ordinariâ: exempta verò, quæ Sedi Apostolicæ, & nulli alij sunt subjecta, auctoritate Apostolicâ delegatâ: alia verò exempta (quæ subsunt Prælatis Ordinum exemptorum, *Gl. hic V. Alia*) per illos, quibus subsunt, singulis annis debeant visitari. Ubi *Gl. V. Debeant*, notat, quòd hoc verbum habeat vim præcepti, & necessitatem, seu obligationem importet. Hæc Constitutio innovata fuit per *Concil. Trident. Sess.* 25. *de Regul. cap.* 9. per quod Decretum nulla jurisdictio concessa est Episcopis in Monasteria, Sedi Apostolicæ immediatè subjecta in temporalibus: sed solùm in spiritualibus, juxta *Declarat. Congreg. Concil. apud Ioan. Gallemart. ibid. n.* 2. *Barb. hic n.* 2. Deinde exponit *Papa in §. Visitatores autem*, officium visitantium in reformandis Monialibus, si reformatione indigeant, & in specie, in quibus reformari debeant.

XLVII. Præterea *in cit. Clem.* 2. §. *Illas quoque*, præcipit Pontifex, ut illæ quoque mulieres, quæ vulgò Canonicæ sæculares dicuntur, & ut sæculares Canonici vitam ducunt: non tamen propriis bonis renunciant: sed illa retinent, nec Professionem aliquam Religionis faciunt (cujusmodi plures Parthenones Virginum Nobilium extant in Germania) per locorum Ordinarios, si exemptæ non fuerint, suâ proprià, & ordinariâ: si verò exemptæ fuerint, Apostolicâ auctoritate, visitentur. Per hoc tamen non intendit Pontifex, earum statutum, Regulam, seu Ordinem approbare, prout etiam habetur *in cap. Indemnitatibus*; 43. §. *pen. de Elect. in* 6. Non tamen etiam eam vivendi rationem, & institutum improbat, aut damnat: Et quia verè, ac propriè Religiosæ non sunt, cùm ttibus votis substantialibus non sint obstrictæ, licèt simul congregatæ, in eadem Domo, sub una Abbatissa, seu Præposita vivant, ideo nullâ lege clausuram servare coguntur, ut notat *Azor. p.* 1. *lib.* 13. *c.* 9. *q.* 5.

Rursus *in eadem Clement.* §. *Ipsos autem*, præscribitur numerus personarum, quas Visitatores Monialium secum ducere possunt, videlicet duos Notarios, & personas duas suæ Ecclesiæ, (Cathedralis, vel inferioris) & quatuor alios viros (sive Clericos, sive Laicos, non enim distinguitur in textu) honestos, & maturos ætate: quamvis secundùm prohibitionem *Congreg. Episc. & Regular.* Laici nequeant interesse visitationi Monialium, ut refert *Fagnan. in cap. Ut juxta*; 17. *num.* 23. *de offic. Ordin.* Denique *in §. ult. dictæ Clement.* 2. decernitur, ut si aliqui ipsos Visitatores impedire in suo officio præsumpserint, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam incurrant, non obstantibus quibuslibet contrariis privilegiis, statutis, & consuetudinibus: cujus tamen absolutio non est reservata Papæ, ideóque ab illa absolvere potest Ordinarius, ut tradit *Gl. fin. hic.*

TITVLVS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, VT EPISCOPO SINT SVBIECTÆ.

I.

POstquam de Professione, & statu Religiosorum actum est, restat nunc, ut de eorum Domibus, & Ecclesiis quoque agatur. Nomine autem Religiosæ Domûs, latè loquendo, comprehenduntur etiam Ecclesiæ, seu Templa, & ædes Sacræ, quæ ad cultum Dei ritè sunt dedicatæ, seu consecratæ. Propriè autem, ac strictè loquendo, Religiosæ domus dicuntur Monasteria, & Collegia Religiosorum: item Hospitalia auctoritate Episcopi erecta, seu instituta, ut sunt Xenodochia, in quibus peregrini, vel pauperes suscipiuntur, & gratis aluntur: Nosocomia, in quibus ægroti sustentantur, & curantur: Orphanotrophia, in quibus pueri, & puellæ educantur, & similia. Item Confraternitates, & alia Collegia pia, quæ ad opera pietatis, & misericordiæ exercenda, auctoritate Episcopi, sunt instituta, & plerumque Ecclesiis, seu Templis cohærent, Religiosæ Domus vocantur. Quare latiùs patet nomen Domûs Religiosæ; quia omnes Domus Sacræ, sunt quidem etiam Religiosæ, largè sumpto hoc nomine; sed non omnes

Domus Religiosæ sunt Sacræ, ut notat. *Hostiens. in summa n. 2. h. t.* Extat hîc Titulus etiam in Sexto, *Clementinis*, & *Extravagantibus Joannis XXII.* & *Communibus.*

§. I.

Cuinam, spectato Jure communi, Ecclesia, & Monasteria sint subiecta?

II. Assertio 1. Omnes Ecclesiæ Parochiales, eisque annexæ Filiales, & Capellæ subjectæ sunt Episcopo, intra cujus Diœcesin sunt sitæ, ita, ut Episcopus, si constet, vel ostendi possit, Ecclesiam aliquam in Diœcesi sua sitam esse, fundatam habeat intentionem super omnibus Episcopalibus juribus, quoad spiritualia: nisi ostendatur, Ecclesiam illam speciali jure præscriptionis, vel Apostolici privilegij esse exemptam, seu jurisdictioni Episcopi subtractam, ut constat *ex c. Omnes Basilicæ*; 10. *caus.* 16. *q.* 7. idem habetur *in c. Cùm olim*; 18. *junct. Gl. V. Præscriptione munitum, & V. Tenorem, de præscript. & c. Cùm Venerabilis*; 7. *h. t.* Aliud est, quoad temporalia, sive fructus, & proventus Ecclesiæ; nam de his non potest Episcopus ad libitum disponere, seu illos in proprios usus convertere, etiamsi Ecclesia in Diœcesi ipsius sit sita, nisi legitimè probaverit, etiam illos ad se pertinere, prout sumitur *ex cit. c. Cùm Venerabilis*; » Ubi habetur, quòd Episcopus Sabinensis ab Abbate Farbenensi petebat Ecclesiam S. Angeli, cùm » omnibus pertinentiis, & possessionibus, asserens » ad se, tam inspiritualibus: quàm in temporalibus, » illam pertinere. Et inprimis allegavit Jus commune, quia cùm sita sit in sua Diœcesi, consequenter spectare debeat ad ipsius potestatem, & jurisdictionem spiritualem. Quòd verò etiam in » temporalibus ad se dicta Ecclesia pertineat, exhibuit Instrumentum publicum, in quo continebatur, Episcopum H. Abbati Farbenensi, & duobus ejus successoribus dictam Ecclesiam, cum suis » pertinentiis, locâsse pro annua pensione quatuor » solidorum Papiensium. At verò ex parte Monasterij propositum fuit, Instrumento illi nullam fidem habendam esse, propter superlinearem scripturam, & rasuram in loco suspecto factam, ubi » videlicet annotatio temporis recensetur, id est, » annus, & dies, vel Indictio, *Gl. hîc V. Annotatio temporis.* Quòd verò ad locationem attinet, ex qua Episcopus probare volebat, jus proprietatis ad se pertinere, responsum fuit: licèt testes deposuerint, se vidisse, Ecclesiam S. Angeli quatuor solidos Episcopo persolvisse: nullam tamen per id Monasterio præjudicium generari; cùm non appareat, dictam pensionem, ex parte Monasterij, sive ejus nomine esse solutam: præsertim cùm non ostenderint testes, tanto tempore fuisse solutam, quantum ad legitimam præscriptionem requiritur. Item sicut ad proprietatem rei non sufficit, locationem factam esse, ita nec solutio, nec perceptio pensionis, prout habetur *in integra lectione hujus cap.*

» His intellectis, quia cognovit Innocentius III. » Ecclesiam S. Angeli in Diœcesi Sabinensi esse sitam, Jus Episcopale in omnibus spiritualibus eidem in dicta Ecclesia adjudicavit, exceptis ijs, quæ » per authentica scripta, seu Instrumenta ei subtracta esse, ostendi possunt. Quia verò Instrumentum, per quod Episcopus eandem Ecclesiam, quoad temporalia, sibi vendicare voluit, insufficiens » fuit, ad probandum, quippe de jure suspectum, » ob prædicta, ideo quoad temporalia, Abbatem, » & Conventum Farbenensem ab impetitione Episcopi absolvit.

III. Hinc Colligitur primò, ad dominium rei probandum, non sufficit, quòd locans rem illam locaverit alteri, *l. Ad probationem*; 23. *& l. Si quis*; 25. *C. de locat. cap. Inter*; 6. §. *Per instrumenta, de fide instrum. Gl. hîc V. Locavisse.* Nam etiam res alienam conductor alteri, æquè idoneo, locare potest, nisi in locatione prohibitum fuerit, *l. Si mo*; 6. *C. eod.*

Colligitur secundò, si rasura appareat in loco suspecto Instrumenti, hoc vitiatur, ita, ut fidem non faciat, nec legitimam probationem, cujusmodi locus suspectus censetur, si fiat rasura in anno Diei, vel Indictionis, *c. Inter dilectos*; 6. §. *Sed contra, de instrum. de quo plura ibid.*

IV. Assertio 2. Sicut Ecclesiæ sæculares, ita & Ecclesiæ, ac Monasteria Religiosorum Episcopo, in cujus Diœcesi sunt sita, subjecta sunt: nisi legitimè probetur, illa, sive per privilegium, sive per præscriptionem ab ejus jurisdictione esse exempta, ut constat *ex cap. Monasteria*; 17. *caus.* 18. *q.* 2. & sumitur *ex cap. Cùm dilectus*; 8. *h. t.* Nam cùm » controversia orta esset inter Episcopum Aurien» sem, & Abbatem, atque Conventum cujusdam » Monasterij, quod situm erat in Diœcesi Episcopi, » super subjectione ejusdem, quam Abbas, & Con» ventus negabant, ideóque ad Sedem Apostolicam » appellârunt: Episcopus, non obstante appellatio» ne, sententiam suspensionis, & excommunica» tionis in Abbatem: in Monasterium verò senten» tiam interdicti tulit. Sed quia Procurator Mona» sterij Romam venit, sine mandato Procuratorio, » aut literis ratihabitionis, ideo Innocentius III. cau» sam hanc quibusdam Judicibus delegavit, subhac » forma: ut si constiterit, Abbatem ad Sedem Apo» stolicam legitimè appellâsse, antequam Episcopus » in eum prædictas sententias censurarum tulit, vel » Monasterium à jurisdictione ejusdem Episcopi ex» emptum esse, sententias illas pronunciet, esse irri» tas: non obstante, quòd dictus Abbas ab Episco» po circumventus, sine Fratrum suorum, seu Con» ventûs consensu, obedientiam ipsi promiserit; » cùm fraus, & dolus ei patrocinari non debeant. » Quòd si verò Abbas in probatione exemptionis de» fecerit, neque legitimâ præscriptione se tueri pos» sit, licèt probet, se ante prædictas sententias cen» surarum latas, appellâsse: nihilominus tamen pro» nuncient, Monasterium Episcopo Aurien. subjacere, in cujus Diœcesi situm est. Sin autem idem » Abbas in probatione appellationis priùs interpo» sitæ defecerit: attamen exemptionem, aut legi» timam præscriptionem ostenderit, tum & ipsum » Abbbatem, & Monasterium ab impetitione Epi» scopi absolvant.

V. Hinc colligitur primò, quòd omnes Ec-

clesiæ

clesiæ Sæculares, & Regulares, eô ipsô quòd sunt in Diœcesi sitæ, illius Episcopo sunt subjectæ: nisi probetur, eas esse exemptas, ut ex communi docet *Azor. p. 1. lib. 12. cap. 19. q. ult.* quia jurisdictio Ordinarij per totam Diœcesin juris præsumptione extenditur: cùm enim jurisdictio solo cohæreat, ideo dominus territorij habet pro se fundatam intentionem, ex juris præsumptione, ob quam probatio contrarij rejicitur in adversarium, ut probet libertatem, & exemptionem jurisdictionis, prout sumitur *ex cap. ult. de Offic. Archid. Gail. Lib. 2. observ. 22. nu. 9. Barb. in Collectan. in cit. c. Cùm dilectus; n. 4. & 5. h. t.*

Colligitur secundò, censuræ latæ, post interpositam appellationem, contra appellantem, sunt ipso jure irritæ, sive sit judicialis, sive extrajudicialis appellatio, *Abb. hic num. 2.* Ratio est, quia censuræ non feruntur, nisi in contumacem, non autem censetur contumax, qui postquam appellavit ad Superiorem, in ea causa, in qua appellavit, Judicis, ad quem provocavit, judicio, & sententiâ stare, paratus est, & non tantùm ejus, à quo appellavit. Præterea excommunicatio lata contra exemptum, est ipso jure nulla, licèt ipse non appellaverit; quia per exemptionem omnino liberatur à jurisdictione Superioris, cui priùs erat subjectus, *Abb. hic n. 3.*

Colligitur tertiò, ut sententia excommunicationis, vel actus alterius jurisdictionis sit validus, non satis est, quòd aliquis sit in possessione superioritatis, seu jurisdictionis, si titulo, & jure sit destitutus, ut colligitur *ex hoc cap.* in quo licèt Abbas ab Episcopo circumventus, sine consensu Conventûs, se Episcopi jurisdictioni subjecerit, excommunicatio tamen, sicut & suspensio ab Episcopo in eum lata, irrita fuit declarata, *Abb. hic n. 4. & 6.*

VI. Assertio 3. Ecclesia sita in Diœcesi Episcopi, subjecta est eidem, & tenetur præstare omnia jura Episcopalia, etiamsi ea jure incorporationis, aut patronatûs possideatur, à quibuscùnque Religiosis: nisi legitimè à juribus Episcopalibus fuerit exempta, ut constat *ex cap. Constitutus 5 6. & ibi* » *Gl. in casu, & Abb. num. 1. h. t.* Ubi talis casus » proponitur: Episcopus Albanensis coram Papa In- » nocentio III. constitutus, petiit ab Abbate, & » Conventu Cryptæ ferratæ jura Episcopalia sibi » competentia in Ecclesia Castri, in qua Monaste- » rium Jus patronatûs habebat, eò quòd intra suam » Diœcesin illa Ecclesia sita esset. Verùm Procu- » rator Monasterij opposuit, quòd etsi Ecclesia illa » sita sit intra Diœcesin Albanensem, non tamen ob- » ligetur Episcopo ad aliquod jus Episcopale, eò » quòd Dominicus, olim Episcopus Albanensis o- » mnes Ecclesias ad Monasterium illud pertinentes, » & in Diœcesi ipsius sitas, & quicquid juris, sive in » Monasterio, sive in Ecclesiis habebat, in Em- » phyteusin, sub annua octo denariorum pensione, » Monasterio concesserit, ita, ut Abbati, & Fratri- » bus, à quocùnque vellent Episcopo, tam ordina- » tionem Clericorum: quàm consecrationem Alta- » rium, sive in Monasterio: sive in dictis Ecclesiis, » accipere liceret: insuper etiam tertiam partem » mortuariorum remisit; eàque omnia Cœlestinus » Papa Antecessor Innocentij III. confirmavit. Sed » etsi Ecclesia illa aliquando fuisset Episcopo Alba- » nensi subjecta, tamen Monasterium legitimâ præ- » scriptione se tueri posset, cùm per annos 40. ipsam » pacificè possederit. Ad hæc Procurator Episcopi » replicando, respondit, concessionem Episcopi » Dominici non tenere, quippe continentem Simo- » niacam pravitatem; cùm enim tertiam mortua- » riorum, & tam in Ordinationibus Clericorum, » quàm in Consecrationibus Altarium, plenam li- » bertatem Monasterio indulserit, quæ jura quædam » spiritualia sunt, & in compensationem, certam » pensionem acceperit, vitium Simoniæ incurrit, » ideóque contractus hujusmodi irritus fuit: Con- » firmatio verò Sedis Apostolicæ subreptitiè impe- » impetra fuit, cùm in ea nulla facta fuerit mentio » pensionis. His relatis, Papa declaravit, cùm inso- » litum, vel novum non sit, ut, si Episcopus Ecclesias » pijs locis concedat, aliquid pensionis, seu censûs » nomine, in eis sibi reservet: sed ut Romanus Pon- » tifex, cùm exemptionis privilegium, vel prote- » ctionis præsidium Ecclesiis indulget, gratìs acci- » piat censum gratìs oblatum: atque in Literis Apo- » stolicis, propter Successorum memoriam, etiam » quantitas censûs exprimatur: idcirco se Oecono- » mum Monasterij Oeconomo Episcopi, nomine Ec- » clesiæ, ad solvendam prædictam pensionem, juxta » ratam portionem, quæ eandem Ecclesiam contin- » git, & restituendam portionem per 40. annos sub- » tractam, per sententiam definitivam condemna- » re: & eundem Oeconomum Monasterij ab impe- » titione Oeconomi ejusdem Episcopi, super alijs » articulis absolvere, perpetuum illi silentium im- » ponens. »

VII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Jura Episcopalia possunt universaliter peti, nec est necessarium, ea in specie exprimere in libello actionis, est enim actio universalis, sicut petitio hæreditatis, *l. 1. & seqq. ff. de petit. hæred.* Verbi gratia, peto jura Episcopalia in hac Ecclesia mihi debita, vel peto Ecclesiam hanc, cum suis spiritualibus juribus, cùm sit intra Diœcesin meam sita, *Abb. hic num. 3.*

Notandum secundò. Potest Episcopus Ecclesiæ, intra Diœcesin suam sitæ, beneficium, seu privilegium exemptionis ab omnibus juribus Episcopalibus concedere, saltem si Papa ex certa scientia id confirmet, ut docet *Gl. in cit. c. Constitutus 5 V. à quacùnque, & V. Confirmavit, Abb. ibid. n. 10. & in c. Cum Venerabilis 5 21. n. 5. de censib.*

Notandum tertiò. Episcopus, quando alicui concedit exemptionem à juribus Episcopalibus, vel jurisdictionem Ecclesiasticam, potest aliquam pensionem, sive censum annum sibi reservare, absque vitio Simoniæ; quia non accipit tanquam pretium, sive in compensationem concessæ exemptionis, vel jurisdictionis spiritualis: sed in signum præteritæ subjectionis, & recognitionem beneficij accepti, prout sumitur *ex cit. cap. Constitutus*, & tradit *Gl. ibid. in notand. & V. Recompensationem, & Abb. num. 17. Suar. Tom. 1. de Relig. Lib. de Simon. cap. 24. num. 37.* dummodo non sit reservatus census magnæ, seu notabilis quantitatis, tum enim conferetur potiùs accipi in recompensationem jurium spiritualium remissorum, forétque contractus Simoniacus, *arg. c. Etsi 5 18. de Simon. Abb. c. l.*

VIII. Notandum quartò. Si in contractu ponantur verba, quæ ad varias ſpecies contractuum trahi poſſunt, tum non debemus contractum interpretari, ſecundùm verba appoſita: ſed potiùs ſecundùm naturam contractûs, ut docet *Abb. in cit. cap. Conſtitutus; num. 22. h. t.* Quia verba interpretari oportet ſecundùm ſubjectam materiam, ita, ut ſi hæc id exigat, etiam improprianda ſint, ſive in ſignificatione impropria accipienda, *Barboſ. in cit. cap. Conſtitutus; num. 3. h. t.* idque clarè patet *ex eod. cap.* Nam quamvis Oeconomus Monaſterij excipiendo propoſuerit, Eccleſiam conceſſam fuiſſe ipſi Monaſterio ab Epiſcopo in Emphyteuſin, ſub annua penſione octo denariorum: tamen ex natura contractûs, ſeu conventionis apparebat, non ſub annua penſione, ſive canone emphyteutico, ſed ſub cenſu annuo fuiſſe conceſſam, adeóque non contractum emphyteuticum, ſed cenſualem eſſe celebratum: inter quos hoc eſt diſcrimen, quòd in contractu cenſuali transferatur totum jus, ſive dominium directum, & utile in accipientem, cum onere, ut accipiens certum cenſum annum ex re ſolvere teneatur: in Emphyteuſi verò transfertur ſolùm dominium utile, ſive uſusfructus, dominio directo, ſeu proprietate remanente penes concedentem; nam cenſum ſolvimus ex re noſtra, penſionem verò, ſivè canonem ex re aliena, *Gl. hic V. Juxta ratam, Abb. num. 20. & Barb. num. 9. & dictum ſupr. Tit. 18. Sec. 2. §. 1. num. 31.* Deinde ſi in Emphyteuſi non ſolvatur penſio, ſive canon per biennium, vel triennium, res emphyteutica incidit in commiſſum: in contractu verò cenſuali, etſi cenſus per multos annos non ſolvatur, non amittitur res: ſed poteſt cenſuarius compelli, ad ſolvendos præteritos cenſus; quia in hoc contractu totum dominium transfertur in accipientem, *Abb. in cit. cap. Conſtitutus, num. 21.* & conſtat *ex eod. cap.* in quo nulla fit mentio de pœna commiſſi, ideóque Papa Monaſterium condemnavit ſolùm ad cenſus præteritos per 40. annos ſubtractos ſolvendos Epiſcopo, ratione Eccleſiæ, quæ cùm Papæ confirmatione, pleno jure, ac libertate, Monaſterio conceſſa fuit, *Gl. hîc V. Juxta ratam.*

Porrò licèt in literis confirmationis Papalis nulla facta fuerit mentio penſionis, ſive cenſûs annui ab Epiſcopo reſervati: non tamen ideo confirmatio fuit ſubreptitia, & invalida; quia cenſûs conſtitutio non pertinebat intrinſecè, & eſſentialiter ad conceſſionem libertatis, ſive exemptionem à juribus Epiſcopalibus, ab Epiſcopo factam: & quamvis de cenſu expreſſa mentio facta fuiſſet, nihilominus Papa confirmâſſet exemptionem, neque ideo difficiliùs annuiſſet, ut notat *Abb. in cit. cap. 6. num. 5. h. t.* Itaque in caſu hujus cap. cenſus annuus liberâ partium voluntate fuit conſtitutus, ita, ut gratìs daretur, & gratìs etiam daretur exemptio à juribus Epiſcopalibus, ut patet *ex cit. c. §. Cùm autem*, ibi: *Gratìs accipiamus cenſum gratìs oblatum h. t.*

IX. Aſſertio 4. Si dubitetur de aliqua Eccleſia, in cujus Diœceſi ſita ſit, tum ea ſubjecta eſt illi Epiſcopo, qui antequam Eccleſia illa ædificaretur, in incolas illius loci, ſeu territorij jura Epiſcopalia exercuit, vel Sacramenta quædam contulit, prout ſumitur *ex cap. Nunc autem; 1. h. t.* & tradit *Gloſ. ibid. in notat.* Nam cùm quædam Eccleſia ædificata eſſet in confinibus duorum Epiſcopatuum, & dubitaretur, quisnam Epiſcopus Eccleſiam illam nuper ædificatam dedicare, ſeu conſecrare debeat: Gregorius Papa reſpondit, inquirendum eſſe, quis Epiſcoporum, antequam Eccleſia illa fundaretur, incolas ejus loci baptizaverit, & ad quem, quot annis, concurrerint ad conſignationem, id eſt, confirmationem Chriſmatis (nam olim ſingulis annis Epiſcopus viſitare debebat omnes Parochias ſuæ Diœceſis, niſi fuiſſet impeditus, *c. Epiſcopum 11. cauſ. 10. q. 1.* & tunc etiam Sacramentum Confirmationis conferebat pueris, & alijs, *Ioan. Andr. hic num. 2.*) nam is etiam ad Conſecrationem Eccleſiæ vocandus eſt, neque enim locorum terminis hæc res definiri debet. Ratio deciſionis eſt, quia in dubio pro poſſeſſore eſt præſumptio, quòd ipſi jus competat, ita, ut onus probandi proprietatem in adverſarium transferatur, *arg. cap. Ad Sedem 15. & c. Sæpe 18 de reſtit. ſpol. Abbas in cit. c. 1. n. 2. h. t.*

X. Notandum hîc primò. Si quis acquirit poſſeſſionem, vel quaſi, unius articuli juriſdictionalis, exercendo actum aliquem ſub generali ratione, v. gr. ratione ordinarij officij, quod gerit, eò ipſò acquirit poſſeſſionem univerſalem totius juriſdictionis, ſive aliorum ſimilium, ad idem officium pertinentium: niſi alius ſit in poſſeſſione quoad alios articulos, vel aliorum ſimilium jurium, *arg. cap. Auditis; 15. de præſcript. Innoc. in cit. cap. 1. h. t. & ibid. Ioan. Andr. num. 4. & Abb. num. 3.* & ſumitur *ex eod. cap.* Nam ex eo quòd conſtet, vel probetur, Epiſcopum in certo loco exercuiſſe juriſdictionem Epiſcopalem, conferendo duo Sacramenta, Baptiſmi, & Confirmationis, acquiſivit poſſeſſionem omnium jurium Epiſcopalium in eodem loco. Similiter ſi quis diuturno tempore præſentavit Rectorem, ſeu Parochum in aliqua Eccleſia, cenſetur abſolutè acquiviſſe jus patronatûs in illa, ſi probari non poſſit, jus præſentandi ad alium pertinere, *Abb. in cit. cap. 1. n. 4.* Aliud verò eſt, ſi Epiſcopus unum actum juriſdictionis exercuit in Hoſpitale; non enim inde poteſt inferri, quòd abſolutè ille locus ſit Religioſus, & Epiſcopo ſubjectus, etiam quoad alia jura Epiſcopalia, ſi in alijs articulis, ſeu juribus non fuit ſubjectum Epiſcopo: ſed juriſdictioni ſæculari, dantur enim multa Hoſpitalia, quæ Religioſa loca non ſunt, ac proinde in tali loco non plus præſcriptum fuit ab Epiſcopo, quàm probatum fuerit, ipſum poſſediſſe. At Eccleſia eſt locus Sacer, & Religioſus, qui neceſſariò debet eſſe ſubjectus alicui Epiſcopo, vel Prælato Eccleſiaſtico, ideóque præſumptio eſt pro eo, qui ibi exercuit aliqua jura Epiſcopalia, etiam quoad alia, niſi probetur alium in alijs juribus in poſſeſſione fuiſſe. *Abb. in cit. c. 1. n. 5.*

Notandum ſecundò. Ex terminis, ſeu limitibus territorij temporalis non poteſt determinari, an Eccleſia aliqua pertineat ad hujus, vel illius Epiſcopi jurisdictionem ſpiritualem; quia jurisdictio temporalis nihil habet commune cum Diœceſi, & jurisdictione ſpirituali, *Barboſ. in cit. cap. 1. num. 2. & 3. h. t.* Sed neque ex terminis, ſeu finibus Diœceſis certò definiri poteſt, quòd Eccleſia intra illos ſita, pertineat ad Epiſcopum Diœceſanum, poteſt enim unus Epiſcopus per præſcriptionem, ſaltem immemorialem, vel 11. annorum, cum titulo, Eccleſiam ſitam

sitam in aliena Diœcesi acquirere, ut patet ex dictis supr. *Tit. 29. §. 2. n. 9.*

§. II.

Cui Episcopo sit subiecta Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis?

XI. Respondetur, talis Ecclesia, vel Monasterium manet subjectum Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium unitum est situm; quia hujusmodi unio censetur fieri, salvo jure Episcopi, in cujus Diœsi Ecclesia, vel Monasterium unitum existit, & sine illius præjudicio, prout sumitur *ex c. Quia Monasterium; 2. h. t.* » Nam cùm quoddam Monasterium situm in » fundo Martiano Provinciæ Campaniæ, per hostiles » incursiones fuisset penitus desolatum, & destitu- » tum, ita, ut nec unus quidem Monachus, qui ali- » quam ibi curam gerere posset, remanserit (*prout ha- » betur in integra lectione hujus cap. apud S. Gregorium in » Registro l. 9. Epist. 67.*) statuit idem Pontifex, illud » Monasterium, cum omnibus rebus suis, & actio- » nibus, quæ ei competunt, Monasterio Abbatis A- » gapiti unire, ita, ut res dicti Monasterij tenendi, & » à detinentibus vendicandi liberam facultatem ha- » beat, & inibi etiam Monachos deputare possit, qui » cessante hostilitate, opus Dei celebrare, & decenter » deservire possint. Veruntamen dictum Monaste- » rium Papa ita ordinationi Abbatis commisit, ut » non Episcopus Surrentinus, in cujus Civitate Mo- » nasterium ejusdem Abbatis est situm: sed Episco- » pus Mucerinus, cujus est Diœcesis, adeóque tan- » quam Ordinarius, & Diœcesanus loci jurisdictio- » nem in eo habeat, nam Papa ita ordinationem il- » lius loci disponit, ut tamen jura sua singulis Epi- » scopis inviolata serventur.

Idémque est, si Monasterium, vel alia Ecclesia uniatur alteri Ecclesiæ, vel Monasterio exempto. Ratio est, quia Papa non intendit per privilegium, vel concessionem gratiæ juri alterius derogare: nisi hoc exprimat, & quoniam Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servetur, *c. Pervenit; 39. cauſ. 11. q. 1. Gl. in cit. c. 2. V. Cujus est Diœcesis, h. t.*

XII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si Monasterium aliquod penitus sit desertum, quia omnes Religiosi discesserunt, vel mortui sunt, tum potest Papa, vel etiam Episcopus loci, ob causam prædictam, vel aliam legitimam, & justam causam necessitatis, vel utilitatis, præcedente tractatu, & consensu Capituli Cathedralis, aliisque juris solennitatibus adhibitis (cùm sit species quædam alienationis) tale Monasterium unire alteri Monasterio, vel Ecclesiæ etiam extra Diœcesin sitæ, *arg. c. Sicut; 8. de excess. Præl. Abb. in cit. c. 2. n. 2. h. t.*

Notandum secundò. Etsi Monasterium aliquod sit desolatum, quia omnes Professi illud deseruerunt, animo non redeundi, vel morte sunt sublati, si tamen Monasterium adhuc extet, vel tametsi sit destructum, spes tamen sit, illud iterum aliquando restaurandum, tale Monasterium, vel Ecclesia omnes res suas, jura, & actiones retinet, ex juris dispositione; quia principali remanente, saltem benignâ juris fictione, remanent etiam accessoria ad illud pertinentia: ac proinde si tale Monasterium, vel Ecclesia per legitimam auctoritatem Ecclesiasticam in alium locum transferatur, vel alteri Monasterio, aut Ecclesiæ uniatur, omnia simul jura, actiones, & privilegia ei competentia, ac veluti adhærentia transferuntur, vel acquiruntur illi Monasterio, vel Ecclesiæ, cui unio facta est, ut colligitur *ex cit. cap. 2. h. t.* & indicat *ibid. Joan. Andr. num. 1. V. Desolatum, Azor. p. 2. lib. 9. cap. 3. q. 13.*

XIII. Notandum tertiò. Si Monasterium aliquod, vel alia Ecclesia per legitimam auctoritatem accessoriè uniatur, seu incorporetur Monasterio alterius Diœcesis (cujusmodi unio facta est in casu *cit. c. 2. h. t.*) tunc Monasterio principali, cui facta est unio, acquiruntur omnes res, jura, & actiones Monasterij uniti, ita, ut Prælatus Monasterij majoris, seu principalis sit etiam Prælatus Monasterij minoris, sive uniti, quippe quod veluti extinctum censetur. Et hoc casu ad Abbatem, & Conventum principalis Monasterij pertinet, constituere Priorem, seu Vicarium Monasterij minoris, seu uniti, qui ejus curam actualem habeat, & Prælato Superiori est subjectus. Imò etiam ad eundem Abbatem majoris Monasterij, cui facta est unio, pertinebit confirmare Priorem, seu Vicarium Monasterij minoris, sive uniti, si fortè ex consuetudine electio illius permissa sit Conventui Monasterij uniti, ut docet *Garc. tr. de Benef. q. 12. c. 2. n. 50.* At verò hoc casu, ad neutrum Episcopum, sive Monasterij majoris, sive minoris pertinet confirmatio: nam quamvis jurisdictio, & alia jura salva maneant Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium unitum est situm: tamen confirmatio, & institutio, aut collatio cessat, nec habere potest locum in Ecclesia, vel Monasterio unito, ex natura unionis accessoriæ; cùm Ecclesia sic unita non vacet: sed per unionem subjiciatur Abbati, seu Prælato majoris Monasterij, cui unio facta est, adeóque veluti extinguatur, *Garc. c. l. n. 52.* Itaque ex unione accessoriè facta necessariò sequitur confirmationem, vel institutionem Prioris, seu Vicarij in Monasterio unito, non posse competere Episcopo, qui enim vult unum, consequenter censetur etiam velle, quæ intrinsecè, & necessariò ei annexa sunt: ergo hoc ipso, quòd Episcopus consensit in unionem Ecclesiæ sibi subjectæ, cedit juri confirmandi, quod non potest habere locum in Beneficijs unitis, ob rationem jam dictam. Verùm confirmatio Abbatis, seu Prælati majoris Monasterij, sive principalis utique spectat ad Episcopum, si Monasterium non sit exemptum, *Garc. c. l. nu. 54.* & quidem ad eum solum, in cujus Diœcesi Monasterium est situm.

Notandum quartò. Si Monasterium, vel alia Ecclesia Episcopo subjecta alteri Monasterio extra Diœcesin sito, vel Ecclesiæ exemptæ incorporetur, aut conferatur, tunc Monasterium, vel Ecclesia, cui incorporatio, vel collatio facta est, Episcopi jurisdictioni, in cujus Diœcesi Monasterium, vel Ecclesia unita, sita est, subjicitur respectivè tantùm, videlicet in ijs, quæ pertinent ad illud Monasterium, aut Ecclesiam subjectam: quemadmodum etiam in rebus civilibus contingit, ut etsi quis secundùm se nulli Im-

peratori, Regi, aut Principi sit subjectus: sed omnino exemptus: si tamen possessiones habeat in alicujus Principis jurisdictione, aut territorio, respectu earum, sive in rebus, & causis ad illas pertinentibus ipsi subjectus esse debet, *Laym. in c. ult. num. 6. de Confirm. util.*

Notandum quintò. Episcopus in Monasterio unito alteri Monasterio, vel Ecclesiæ, extra Diœcesin, retinet quoque jus visitandi illud, ipsósque Regulares in eo habitantes, sicut ante unionem eos visitare poterat. Excipi debet, nisi unio facta sit Monasterio Ordinis exempti, & in Monasterio unito Religiosi ejusmodi collegialiter sub immediato aliquo Priore, aut Præposito degant, tum enim Episcopus eos visitare non potest, *Laym. in qq. canon. de Prælat. Ecclesiast. Elect. & potest. q. 208. in respons. 2. in fine.*

§. III.

An Ecclesiæ Regulares possint mutari in Ecclesias Sæculares, sive Monasteria in Collegia Clericorum Sæcularium?

XIV. Ad hoc respondet Papa Innocentius III. » *in cap. Inter quatuor 5. h. t.* quamdiu Monasteria » per Regulares ordinata manere possunt, non sunt » ad Sæculares Clericos transferenda: sed si Regu- » lares defuerint, adeóque in eorum defectum, in » Monasteriis Clerici Sæculares ordinari, sive con- » stitui possunt. Quare nullus Prælatus Papâ inferior potest Monasteria, in quibus vivunt Religiosi, ad statum Sæcularem reducere: etiamsi in ijs disciplina Regularis sit collapsa, nisi reperiri non possint Religiosi, per quos illa reformentur. Ratio est, ne in via Dei, in qua de virtute in virtutem ascendendum est, fiat descensus: sed potiùs ascensus: esset autem descensus, si Monasteria mutarentur in Collegia Clericorum sæcularium, cùm Regulares strictiorem vitam profiteantur, quàm Clerici Sæculares, *Joan. Andr. hic num. 1.* Et quia ratio hæc generalis est, ideo etiam hæc Constitutio locum habet, non tantùm in Monasteriis, seu Domibus Monachorum: sed etiam Canonicorum Regularium, & aliorum Religiosorum, *Joan. Andr. cit. loc. V. Monasteria.*

XV. Ubi notandum præterea primò. In hac re iste ordo servandus est, ut scilicet ab Episcopo ordinatio, & reformatio fiat per Religiosos ejusdem Monasterij. Secundò, in eorum defectum evocandi sunt Religiosi strictioris observantiæ, ex alijs Monasterijs ejusdem Ordinis. Tertiò, si nec illi haberi possint, reformatio Monasterij fieri debet per Religiosos alterius Ordinis, juxta *cap. Relatum 37. Ne Clerici, vel Monachi, &c.* Quia Tituli, & Beneficia Regularia per Religiosos: non per Sæculares regi, & ordinari debent, dummodò id fieri possit. Quartò, denique si per Regulares reformatio Monasterij institui non possit, tum Sæculares Clerici in locum eorum sufficiendi, & ibi collocandi sunt; quia **necessitas non habet legem**, *Gl. in cit. cap. Inter; V. Per Regulares, h. t. Joan. Andr. ibid. num. 2. & Abb. n. 1.* Et hic quidem ordo observandus est ab Episcopis; quia ipsi, extra necessitatem, statum Ecclesiæ mutare non possunt, nisi in casibus à jure concessis: at verò Papa, ex justa causa, licitè potest in Monasterio, in quo v. g. ejus Professi malè vivunt, illos amovere, & inibi collocare Clericos Sæculares, non observato prædicto ordine, ut colligitur *ex cit. cap. Inter.*

Notandum secundò. Sicut in Ecclesiis, & Beneficiis Regularibus institui possunt Clerici Sæculares, adeóque ex Ecclesia Regulari fieri potest Sæcularis: ita è converso, ob defectum Sæcularium Clericorum, ex Ecclesia Sæculari fieri potest Monasterium, vel alia Ecclesia Regularis, & in ea Regulares institui possunt, *Glos. fin. in cit. cap. Inter; Barb ibid. n. 2. in fine h. t.*

§. IV.

De Xenodochiis, seu Hospitalibus, & similibus piis locis.

XVI. Quæritur primò. An Hospitalia sint Beneficia, & in titulum conferri possint? Resp. Hospitalia non sunt Beneficia, nec Beneficij nomine veniunt, etiamsi Ecclesiæ, vel Capellæ eis sint annexæ, vel decimas, aut alia jura spiritualia habeant, ut constat *ex Clement. 2. de præb.* & tradit *Garc. tract. de Benef. p. 1. c. 3. n. 1. & alij communiter.* Ratio est, quia non sunt fundata in spirituali titulo, sicut præbendæ Clericales, ideóque eorum administratio, quoad bona temporalia, etiam Laicis committi potest, & eorum Rectores, non Beneficium: sed Officium, seu administrationem habere dicuntur, *in Clement. 2. §. Ut autem, h. t. Garc. c. l.* Ubi tamen *num. 2.* id limitat, nisi Hospitalia hujusmodi alicui Ecclesiæ, seu Beneficio Ecclesiastico, non æquè principaliter: sed accessoriè essent unita, tunc enim censerentur, & venirent nomine Beneficij; quia tum tanquam accessoria sortiuntur naturam principalis. Et hinc » ulteriùs infertur, quòd Hospitalia non possunt, » etiam in titulum Beneficij, Clericis Sæcularibus » conferri, non obstante contrariâ consuetudine, » quæ à jure reprobatur: nisi in eorum fundatione » aliter fuerit constitutum; vel per electionem (à Su- » periore confirmandam) hujusmodi locis de Recto- » re sit providendum, prout statuitur *in Clement. » Quia contingit; 2. §. Ut autem*, & ibi *Glos. V. Per Electionem, h. t.*

XVII. Quæritur secundò. Quinam possint constitui Rectores Hospitalium, & ad quid, ratione Officij sui, obligentur? Resp. primò, Religiosi non possunt esse Rectores Hospitalium, nisi sint annexa Ecclesiæ curatæ; quia jure non est permissum, ut Monachus, vel Religiosus, extra Monasterium, ad Ecclesias sæculares assumatur: nisi propter curam animarum, *Gl. in cit. Clement. 2. V. Sæcularibus, h. t.* Excipi etiam debet, nisi Hospitale esset subjectum alicui Monasterio, & ab Abbate Monachus in eo constitueretur Administrator, tanquam obedientiarius, & ad nutum revocabilis, *Abb. in cap. 3. num. 4. h. t.* Vel nisi Religio sit principaliter ordi-

nata

nata, seu instituta ad Hospitalitatem exercendam, tunc enim tales Religiosi Hospitali præfici possunt, etiamsi curatæ Ecclesiæ non sit annexum, *Silvest. V. Hospitale, q. 5. num. 6. dicto* 1. At verò Clerici sæculares possunt esse Rectores Hospitalium, quamvis illa ipsis concedi non possint in titulum Beneficij, ut ante dictum. Denique etiam Laici possunt præfici Hospitalibus, modò sint viri idonei, providi, & boni testimonij, *cit. Clement. 2. §. Ut autem*, ibi: *Sed eorum gubernatio viris providis, idoneis, & boni testimonij committatur, Abb. c. l. & Silvest.*

» XVIII. Resp. secundò, ad officium eo-
» rum, quibus gubernatio, seu administratio Ho-
» spitalium committitur, pertinet, ut loca ipsa, & bo-
» na eorum, ac jura utiliter regere sciant, velint, &
» valeant, & eorum proventus, ac reditus in perso-
» narum miserabilium usum fideliter dispensent, &
» bona prædicta in alios usus non convertant. Item
» ut instar Tutorum, & Curatorum, juramentum
» præstent, & de locorum ipsorum bonis (mobili-
» bus, & immobilibus) inventaria conficiant, &
» Ordinariis, seu alijs, quibus hujusmodi loca sub-
» sunt, vel ab eis deputandis, singulis annis de ad-
» ministratione sua rationem reddant. Quòd si se-
» cus quid fuerit attentatum (scilicet si Hospitalia
» conferantur in Beneficium Clericis sæcularibus,
» vel gubernatio, seu administratio non conferatur
» viris idoneis) ipsa collatio, provisio, seu ordina-
» tio irrita erit, ita statuitur *in cit. Clement. 2. §. Ut*
» *autem, h. t.* Quæ autem jam dicta sunt, non de-
» bent extendi ad Hospitalia Ordinum militarium,
» aut aliorum etiam Religiosorum: sed eorum Re-
» ctores, secundùm suorum Ordinum statuta, & an-
» tiquas observantias, providere pauperibus, &
» hospitalitatem debitam exhibere, procurent, &
» ad hoc per Superiores eorum cogi debent, non
» obstantibus quibuscùnque statutis, & consuetu-
» dinibus, *cit. Clement. 2. §. Præmissa verò.* Deni-
» que additur *in §. fin. h. t.* servandas esse antiquas
» consuetudines talium locorum, circa Divina offi-
» cia, & Sacramenta ministranda pauperibus, etiam
» per Rectores Parochiales, si Hospitale ex antiqua
» consuetudine Altare, Cœmiterium, & proprium
» Sacerdotem, aut Parochiam habeat: licèt aliàs de
» jure communi Hospitalia pertineant ad Parochiam
» Ecclesiæ matricis, in qua sita sunt, *Gl. in cit. §.*
Ut autem, V. Parochiales, h. t. Abb. ibidem num. 24.
Cæterùm prædicta Constitutio Clementis V. in Con-
cilio Viennensi innovata fuit *à Concilio Trident. Sess.*
» *7. cap. 15.* Ubi decernitur, curent Ordinarij, ut
» Hospitalia quæcùnque à suis Administratoribus,
» etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & dili-
» genter gubernentur, servatâ formâ Concilij Vienn.
» *in Clement. Quia contingit, h. t. & Sess. 25. cap. 8.*
» *de reform.*

XIX. Quæritur tertiò. An, & quâ ratione Hospitalia, & alia loca pia subjiciantur curæ, & juris-dictioni Episcopi? Resp. primò, Xenodochia, seu Hospitalia, quæ Episcopi auctoritate sunt erecta, & alia similia loca pia, seu Religiosa, subsunt jurisdi-ctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt constituta, ita, ut ille fundatam habeat, de jure communi, intentionem super omnibus Hospitalibus, ac pijs locis suæ Diœcesis, quoad earum subjectionem, & ordinationem, prout sumitur *ex c. De Xenodochiis; 3.* & ibi *Gl. in casu, & V. In quorum Diœcesi, h. t.* Nisi ea ju- »
re speciali, nempe, vel statuto in prima fundatio- »
ne hujusmodi locorum per Diœcesanum, cum »
consensu Patroni, appositо: vel ex consuetudine »
legitimè præscripta (spatio 40. annorum cum ti- »
tulo) vel privilegio Sedis Apostolicæ, ad alios per- »
tinere, probentur, *cit Clement. Quia contingit; 2.* »
§. Nos incuriam, & ibi *Gl V. Appositо, & V. Legiti-*
mè, h. t. de quo plura infra.

Quare Episcopus curate debet, ut res, & bona Hospitalis, vel altetius loci pij, ad eos fines, seu usus pios applicentur, ad quos à fidelibus sunt fundata, ac destinata, prout habetur *in cit. cap. De Xenodochijs; h. t.* Ubi Eugenius Papa statuit de Xe- »
nodochijs, & alijs similibus locis, ut per solicitu- »
dinem Episcoporum, in quorum Diœcesi existunt, »
ad easdem utilitates, sive usus, ad quos ea loca »
constituta sunt, ordinentur, sive applicentur. Ne- »
que verò Episcopus ex locis Sacris, & Religiosis, ultra id, quod jure concessum est, quippiam sibi vendicare, vel appropriare debet, nihilque ab eorum Rectoribus exigere potest, ultra jura antiquitus consueta, *cap. Quia cognovimus; 6. caus. 10. q. 3. c. Conquerente; 16. de offic. jud. ord. Joan. Andr. in cit. cap. 3. h. t. num. 3.*

XX. Notandum hîc præterea primò. Prædicta procedunt in Hospitalibus pijs, seu Religiosis, quæ videlicet Episcopi auctoritate sunt fundata, & instituta: nam alioquî etiam Sæculares Domini Hospitalia ædificare, & fundare possunt, illáque suæ, & hæredum, seu successorem suorum curæ, ac dispositioni subjicere, in quibus proinde Episcopus, seu Diœcesanus loci se immiscere non potest; cùm sint Hospitalia, non Ecclesiastica, seu Religiosa: sed profana, ac sæcularia, sine auctoritate Episcopi, erecta, *Abb. in cit. cap. 3. num. 3. h. t.* Ubi tamen id limitat, nisi Patronus Hospitalis, ad quem ejus cura, & gubernatio pertinebat, sit mortuus, tunc enim cura illius ad Episcopum devolvitur, ad quem pertinet executio ultimarum voluntatum, saltem in defectum aliorum executorum. Porrò signum, ex quo cognosci potest, an sit Hospitale Religiosum, seu Ecclesiasticum, esse solet, si illi adjuncta sit Ecclesia, seu Capella, habens Altare, & campanam, ad convocandum populum, & ibi per Sacerdotem quandóque celebretur, ut tradit *Gl. in Clement. 2. §. fin. V. Altare, h. t. Barb. in cap. Ad hæc; 40. num. 6. h. t. Zerol. in praxi Episc. V. Hospitale in resp. ad 2. dub.* Quamvis aliàs etiam Oratorium adjungi possit Hospitali exstructo, sine auctoritate Episcopi, v. g. ad suscipiendos pauperes: non tamen ita, ut Sacrificium Missæ in eo liceat celebrare, sine facultate Episcopi, *Innocent. in cit. c. Adhæc, & ibid. Jo. Andr. n. 5. & Abb. n. 6.*

XXI. Notandum secundò. Aliud præterea discrimen est inter Hospitale Religiosum, seu pium, quod publicâ Episcopi auctoritate est constructum: & inter Hospitale, quod privatâ solùm auctoritate est erectũ, nempe quòd prius in profanos usus ampliùs converti non possit: posterius autem destrui, & in alium usum etiam profanum liberè converti possit, prout sumi-

tus

» tur *ex c. Ad hæc*; 4. *h. t.* Nam cùm quæsitum esset ex » Papa Urbano IV. utrùm hospitalis Domus possit » in sæcularem habitationem, seu domum commu- » tari? Respondet, si locus ad usum hospitalitatis, » & pauperum provisionem, sicut moris est, auctori- » tate Episcopi fuit destinatus, non debet ampliùs ad » mundanos usus deputari, cùm sit Religiosus; si- » cuti hoc ipsum de vestibus, & vasis ligneis, & alijs » utensilibus ad Divinum cultum Religionis per Epi- » scopum deputatis, antiqua consuetudo indubi- » tanter observat, & SS. PP. Sanctiones edocent. Ratio decisionis est, quia privata persona locum Sacrum, seu Religiosum facere non potest, *l. In tantum* 3. 6. §. *Res Sacræ*, *l. Sacra* 9. *ff. de rer. divis. Gl. in cit. cap. Ad hæc*; *V. Auctoritate Pontificis*; *& ibidem Abb. num.* 2. Et hinc licèt Jure Civili eò ipsò, quòd alicujus mortui hominis corpus in certum locum illatum est, & in eo sepultum manet, locus ille fiat Sacer, seu Religiosus, juxta *l.* 2. *C. de Relig. & sumpt. fun.* Secus tamen est, de Jure Canonico, secundùm quod nullus locus censetur Sacer, vel Religiosus, nisi auctoritate Episcopi ad pios usus fuerit deputatus, *Gl. in cap. Ecclesiastico*; 14. *V. Si terram*, *caus.* 13. *q.* 2. *Abbas c. l. num.* 2. *& 3. Azor. p.* 2. *Lib.* 3. *cap.* 3. *q.* 2.

XXII. Cæterùm sicut locus Sacer, seu Religiosus, Episcopi auctoritate, erectus non potest ampliùs ad usus profanos applicari: ita & utensilia Ecclesiæ consecratæ dirutæ, mappæ Altaris, &c. ad usum profanum ampliùs adhiberi non debent, *cap. Lingua*; 38. *cap. Altare*; 39. *& c. Vestimenta*; 40. *dist.* 1. *de consecr.* quia quod DEO dicatum est, non debet ampliùs ad humanos usus applicari, *Gl. in cit. c. Ad hæc*; *V. Mundanis usibus.* Unde neque Episcopia, neque Monasteria in habitacula sæcularium, sive domos privatas, & non Religiosas converti possunt, *c. Quæ semel*; 4. *& c. seq. c.* 19. *q.* 3. & colligitur *ex cit. c. Ad hæc*; quia inter loca Sacra, & Religiosa numerantur. Aliud verò dicendum est, de Hospitalibus, quæ Episcopi auctoritate non sunt ædificata, uti per sensum contrarium infertur *ex cit. cap. Ad hæc*; & notat *Gl. in cit. Clem.* 2. *V. Altare*, *h. t. & Abbas c. l. num.* 4. quod tamen ita intelligendum est, ut quis possit domum suam, quam sine Episcopi auctoritate, ad suscipiendos pauperes, ac peregrinos destinavit, rursum in usus proprios convertere, ac commutare, si necdum Hospitale fundavit, & per donationem inter vivos factam ad id se non obligavit, *Abb. cit. loc.* quòd si domum suam per donationem mortis causâ in usus pauperum reliquit, idque ante mortem non revocavit, tenetur hæres exequi voluntatem defuncti, & ad id Episcopus eum compellere potest; quia etsi Hospitale, sine Episcopi auctoritate, constitutum, non sit locus Sacer, seu Religiosus, est tamen locus pius, & ut sic subjicitur jurisdictioni Ecclesiæ, & gaudet privilegiis causæ piæ, cùm pietatis causâ sit institutum, *Barb. in cit. cap. Ad hæc*; *num.* 2. *h. t.* ubi *num.* 3. addit, quòd relicta ad pias causas, etiam solvi possint hujusmodi Hospitalibus, sine Episcopi auctoritate, institutis. Deinde hoc solùm procedit, si Hospitale, sine auctoritate Episcopi, erectum, sit perpetuum, ita, ut à Domino, seu Patrono non possit ampliùs revocari, tunc enim censeri debet locus pius, seu Religiosus, & gaudet privilegiis Ecclesiæ, secus si non sit perpetuum, sed revocari possit, *Garc. tract. de benef. p.* 5. *c.* 1. *n.* 60. & patet ex dictis.

XXIII. Respond. secundò, spectato Jure » communi, ad Episcopos, seu Diœcesanos loco- » rum etiam pertinet (nisi speciali statuto, consue- » tudine, aut privilegio, hæc cura ad alios spectet, » (de quo supra) ut Hospitalia studeant, secundùm » eorum fundationes reformare, & quæ occupa- » ta, deperdita, & alienata indebitè sunt, ad sta- » tum debitum reduci faciant, atque ut ad misera- » bilium personarum receptionem, & debitam su- » stentationem, juxta facultates, & proventus ipso- » rum Hospitalium, eorundem Rectores compel- » lant: qui si in hoc negligentes fuerint, vel defi- » ciant, tunc Ordinarij locorum, per seipsos, vel » alios, eosdem Rectores non exemptos, proprios » exemptos verò, & alios privilegiatos, Apostoli- » câ auctoritate, ad id compellant. Contradictores » quoslibet, & præbentes eisdem consilium, auxi- » lium, vel favorem, per censuram Ecclesiasti- » cam, & alijs juris remedijs compescendo (in- » vocando etiam, si expedire videbitur, Brachium » sæculare) ita tamen, ut per hoc exemptionibus, » seu privilegijs ipsis, quoad alia, nullum præjudi- » cium generetur, prout statuitur *in cit. Clement.* 1. » *in princ. h. t.*

XXIV. Quæritur quartò. Quænam Hospitalia, & alia pia loca visitationi Episcopi subsint, vel non? Resp. primò, Episcopi, seu Diœcesani locorum habent jus visitandi omnia Hospitalia, cum Episcopi auctoritate, erecta, & Collegia quæcumque, & Confraternitates Laicorum, etiam Scholas, & omnia alia pia loca, intra Diœcesin eorum, sita, etiamsi sint exempta, eorumque cura, seu administratio ad Laicos pertineat; non obstante quacumque consuetudine etiam immemoriali, privilegio, aut statuto, prout decrevit *Concil. Trident. Sess.* 22. *cap.* 8. *de reform.* Quin imò Episcopus, non tantùm potest visitare Hospitalia, & alia pia loca: sed etiam singulis annis, ab illorum administratoribus tam Ecclesiasticis, quàm Laicis rationes exigere potest, consuetudinibus, & privilegijs quibuscunque in contrarium sublatis: quòd si ex consuetudine, vel privilegio, aut statuto aliquo loci, alijs ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum ijs adhiberi etiam debet Ordinarius, ex Decreto *Concil. Trident. cit. Sess.* 22. *c.* 9. *de reform.* Veruntamen per facultatem cuicessam Episcopis, visitandi Hospitalia, & alia pia loca non prohibentur eadem visitare Judices, seu Domini sæculares, si non tantùm cura, seu administratio, sed etiam hoc jus visitandi aliàs eis legitimè competat, juxta *Declarat. S. Congreg. Concil. apud Jo. Gallemart. cit. c.* 8. *n.* 2.

Excipiuntur primò, Hospitalia, & alia pia loca, quæ sub immediata Regum protectione existunt: hæc enim ab Episcopo visitari non possunt, sine eorum licentia, juxta *Concil. Trident. cit. Sess.* 22. *cap.* 8. Excipitur secundò, nisi in lege fundationis cautum sit, ut Hospitale, vel locus pius non subsit Episcopo, tunc enim ab illo visitari non potest, ut colligitur *ex cit. Clem.* 2. ibi: *Vel statuto in ipsarum fundatione loco-*

locorum appositio; *h. t.* & ex *Trident. cit. Sess. c. 9.* Excipiuntur tertiò. Hospitalia, & alia pia loca Ordinum militarium, & aliorum Religiosorum, hæc enim Episcopus visitare non potest, nec à Regularibus rationes administrationis exigere, *cit. Clement. 2. §. Præmissa*; *h. t.* & ex *Trident. cit. Sess. 22. c. 9.* quod de Sæcularibus Administratoribus, sive Ecclesiasticis, sive Laicis: non de Regularibus loquitur.

XXV. Resp. secundò. Hospitalia, & alia hujusmodi pia loca, sine auctoritate Episcopi, ædificata, seu instituta, non subsunt visitationi Episcopi Diœcesani; quia non sunt loca Religiosa, seu Ecclesiastica, ut colligitur ex *c. Ad hæc*; 4. per sensum contrarium *h. t.* & ex communi tradit *ibid. Fagn. nu.* 51. Idque procedit, etiamsi adjunctum habeant Oratorium; quia cuique privato licet in domo propria exstruere Oratorium, etiam sine consensu Episcopi, dummodò non habeat formam Ecclesiæ, nec ibi Missæ celebrentur, *c. Unicuique* 32. & *c. seq. dist.* 1. *de consecr.* Et quamvis in *Concil. Trident. cit. Sess.* 22. *c.* 8. dicatur, Episcopos, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatos habere jus visitandi omnia Hospitalia, & pia loca, etiam exempta, & etiamsi cura eorum ad Laicos pertineat: additur tamen, *in casibus à jure concessis*, *& juxta SS. Canonum statuta*: per quæ verba restringitur Decretum illud Concilij Trident. ad terminos Juris communis: quare sicut loca pia, non religiosa, seu non Ecclesiastica, de Jure communi, non subsunt jurisdictioni Episcopi, ita nec post Concil. Trident. Ac proinde Ordinarius non habet jus visitandi Hospitalia, & alia loca pia, quæ à Laicis reguntur, nisi in casibus à jure communi permissis, juxta *declar. Congreg. Concil. apud Gallem. in cit. c. 8. nu. 2. & Fagn. in cit. c. Ad hæc*; *num.* 54. *h. t.*

XXVI. Excipitur primò. Quòd etsi Patrono superstite, non possint ab Episcopo visitari hujusmodi Hospitalia, aut loca, privatâ auctoritate, erecta, ac fundata, cùm non sint propria loca Religiosa, seu Ecclesiastica: sed subsint omnia dispositioni ipsius Fundatoris, ut supra dictum: eo tamen mortuo, visitari possunt ab Episcopo; quia cùm sint loca pia, quippe causâ misericordiæ, & pietatis in pauperes, peregrinos, & ægros instituta, ideo ad solicitudinem Episcopi spectat, ut hujusmodi piæ defunctorum voluntates executioni mandentur, juxta *Auth. de Eccles. Titul. §. Si quis autem pro redemptione*; *collat. 9. Abb. in c. 3. nu. 3. h. t.* & alij apud *Fagnan. in cit. c. Ad hæc*; *n.* 55. *eod.*

Excipitur secundò. Potest etiam Episcopus ab Administratoribus hujusmodi Hospitalium, & aliorum locorum piorum, quæ sine auctoritate Episcopi erecta sunt, rationes exigere, non quidem jure communi: sed ex Decreto *Concil. Trid. cit. Sess.* 22. *c.* 9. Nam Decretum illud non restringitur ad casus, à jure concessos, sicut Decretum visitandi in *cap.* 8. immediate præcedente: sed generaliter, & indistinctè loquitur, & unum casum tantùm excipit, cùm in fundatione expressum est, ut Episcopus non possit rationes administrationis exigere. Quare prædictum Decretum *cap.* 9. habet locum in casibus etiam à jure non permissis, adeóque Episcopus habet potestatem exigendi rationes ab Administratoribus hujusmodi Hospitalium, unâ tamen cum illis deputatis, quibus ex consuetudine rationes reddendæ sunt, *juxta declarat S. Congreg. Concil. apud Gallem. cit. c. 8. nu. 2. & Fagnan. c. l. n.* 57. apud quem plura de hac re legi possunt.

§ V.

De Institutione novorum Ordinum Religiosorum.

XXVII. Quæritur primò. An liceat novum Ordinem Religiosum instituere, sine approbatione Ecclesiæ, vel S. Pontificis? Respon. Religiones antiquæ olim ab initio solâ expressa approbatione Episcoporum pro suis Diœcesibus, & postea ipso usu tacitè, respectu totius Ecclesiæ, sunt inductæ; quia tunc illud non erat Episcopis prohibitum, nullum enim tale jus extat, nec ex traditione, aut historijs ostendi potest, ut tradit *Suar. Tom. 3. de Relig. lib. 2. c.* 17 *n.* 4. Ratio est, quia approbatio Religionis est necessaria ad bonos Ecclesiæ mores, ne illicitus, aut scandalosus vivendi modus suscipiatur, aut irrepat: ergo per se loquendo, examen hujus rei, & approbatio pertinet ad quemlibet Episcopum in sua Diœcesi; quia in his rebus, quæ ad ordinariam gubernationem pertinent, unusquisque Episcopus potest in suo Episcopatu, quod S. Pontifex in universa Ecclesia: nisi ab ipso specialiter reserventur, aut prohibeantur, *Suar. c. l. n.* 5. Verùm post Concilium Lateranense, habitum sub Innocentio III. nulla verè & propriè dicta Religio institui potest sine facultate, seu approbatione S. Pontificis, ut docet *Suar. cit. lib. 2. c. 16. nu.* 8. & alij Dd. communiter. Idque constat ex *c. Ne nimia*; 9. *& ult. h. t.* quod est desumptum ex *dicto Concilio Lateranensi*, *c.* 1. *&* 3. ubi statuitur: Ne nimia » Religionum diversitas gravem in Ecclesia DEI con- » fusionem inducat, prohibemus, ne quis de cæte- » ro novam Religionem inveniat: sed quicúnque » ad Religionem converti, seu transire voluerit, u- » nam ex approbatis assumat. Similiter qui volue- » rit Religionem demum de novo fundare, Regulam, » & institutionem accipiat ex approbatis: sicuti, nec » novum Collegium potest institui, inconsulto Princi- » pe, *Gl. hîc V. Novam Religionem.*

XXVIII. Idem statutum habetur in *c. Religionum*; *unic. h. t. in* 6. quod est desumptum ex Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio x. habito. Ubi repetitâ Constitutione Innocentij III. in Concilio Generali Lateranensi latâ, districtè prohi- » betur, ne quisquam de cætero novum Ordinem, » aut Religionem inveniat, vel habitum novæ Reli- » gionis assumat: ideóque omnes Religiones, & Or- » dines Mendicantes, qui post dictum Concilium » Lateranense adinventi sunt, & Sedis Apostolicæ » confirmationem, seu approbationem non accepe- » runt, perpetuò prohibentur, & quatenus proces- » serunt, revocantur. »

Præterea *ibid. §. Confirmatos*; statuitur, ut » illi Ordines Mendicantium, qui post idem Conci- » lium Lateranense instituti: sed per Sedem Apostolicam confirmati sunt, quibus ad congruam susten- » tationem reditus, aut possessiones habere, per Re- » gulam, quam profitentur, est interdictum: sed » incerta mendicitas victum tribuere solet, subsistunt » quidem, ita ut Ordinum eorundem Professis li- » ceat »

» ceat in illis remanere, si velint: (nisi ad aliam Re-
» ligionem transire malint: non autem ad sæculum
» redire poterunt, *Gl. hîc V. Si velint*;) attamen ne-
» queunt aliquem ad eorum Professionem admitte-
» re: nec de novo domum, vel locum aliquem ac-
» quirere (quamvis si legetur illis domus, ut eam
» vendant, bene possint illam recipere, *Gl. hîc V.*
» *Domum*;) nec domos, seu loca (profana, de alijs
» enim non erat dubium, *Gl. hîc V. Loca*;) quæ ha-
» bent, alienare, absque Sedis Apostolicæ licentia:
» sed ea dispositioni Sedis ejusdem reservantur, in
» subsidium Terræ sanctæ, vel pauperum, vel alios
» pios usus per Ordinarios (ex speciali Papæ manda-
» to, vel licentia, *Gl. hîc V. Ordinarios*) vel eos, qui-
» bus Sedes ipsa commiserit, convertenda. Quòd
» si contra Decretum hoc actum fuerit, personarum
» receptio, locorúmque, aut domorum acquisitio,
» eorundémque, vel aliorum bonorum (immobi-
» lium, & mobilium, *Gl. hîc V. Cæterorúmque, & in*
» *addit.*) alienatio invalida erit, & qui contra fece-
» rint, sententiam excommunicationis incurrant.
» Insuper personis eorundem Ordinum omnino in-
» terdicitur, quoad extraneos, Officium Prædica-
» tionis, audiendæ Confessionis, & recipiendi alios
» ad sepulturam. Porro præsens Constitutio ad Or-
» dines Prædicatorum, & Minorum, (quos evidens
» ex eis Ecclesiæ universali proveniens utilitas ap-
» probat) non extenditur. Sed & Eremitarum S.
» Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum insti-
» tutio dictum Concilium Generale Lateranense an-
» tecessit, in solito, seu integro statu suo permane-
» re debent, prout habetur *in cit. c. unic.* §. *Sanè*;
h. t. in 6. Est autem hîc sermo solùm, de quatuor Or-
dinibus Mendicantibus, institutis ante Concilium
Lateranense sub Innocentio III. & Lugdunense sub
Gregorio X.

» Denique quod attinet ad Ordines Mendican-
» tium, post Conciliũ Lateranense approbatos, con-
» ceditur singulis personis generalis licentia, trans-
» eundi ad alios Ordines approbatos, si velint, ita
» ut nullus Ordo (collectivè, sive simul totus) ad
» alium Ordinem, vel Conventus ad alium Conven-
» tum se suáque bona totaliter transferat, absque Se-
» dis Apostolicæ licentiâ obtentâ. Prout deciditur,
in cit. c. unic. §. *fin. h. t. in 6.* ubi *Gl. notat. in addit.* li-
cere singulariter, quod non licet universaliter.

XXIX. Hinc infertur, quòd prædictæ Con-
stitutiones, tum Concilij Lateran. in *c. ult. h. t.* tum
Concilij Lugdunens. in *c. unic. eod. in 6.* non tan-
tùm prohibeant institui Religionem novam, sine ap-
probatione Sedis Apostolicæ: sed etiam sic institutam
irritent, ita, ut qui post prohibitionem Concilij La-
teranensis sub Innocentio III. Religionem de novo
inventam, & à S. Pontifice non approbatam sunt sec-
tati, non sint veri Religiosi, aut Professi; quia Re-
ligio, ejúsque Professio ipso jure fuit irrita, *Gl. in cit.*
c. unic. V. Professionem; *Suar. cit. lib. 2 c. 16. n. 9.* &
tradit etiam *Gl. in cit. c. unic. in princ. V. Processerunt*;
dum addit, *de facto*, id est, non jure, nec verè: sed
tantùm quoad speciem, & factum externum: ac pro-
inde etiam verbum, *revocamus*, ibidem positum, si-
militer exponi debet de facto, non de jure, quasi
dicat Pontifex, *revocamus*, id est, tales Congrega-
tiones, & Sectas, sine S. Pontificis approbatione,
institutas, irritas esse declaramus, cùm de jure non
subsistant. Quod etiam apertè colligitur ex *Clem.*
unic. de voto; *in 6.* ubi significatur, illam tantùm Pro-
fessionem Religiosam censeri, quæ sit in Religione
aliqua, per Sedem Apostolicam approbatâ.

XXX. Idem colligitur ex *Clement. Cùm de quí-*
busdam; *1. h. t.* Ubi de quibusdam mulieribus, vul-
gò Beguinæ appellatis declarat Pontifex, illas verè
Religiosas non esse; quia nulli obedientiam pro-
mittunt, nec proprijs renunciant, nec profitentur
aliquam Regulam approbatam, earúmque statum
perpetuò prohibet, & abolet, & insuper vetat, sub
pœna excommunicationis, ipso facto, incurrendæ,
ne mulieres quæcúnque statum Beguinarum jam
assumptum ulteriùs sectentur, vel de novo assu-
mant: sicut etiam Religiosi in hoc dantes eis con-
silium, auxilium, vel favorem, ipso facto, sunt
excommunicati, *cit. Clem. 1.* §. *prædictis verò.* Ad-
ditur in fine, quòd per hoc Pontifex non inten-
dit prohibere, quin fideles aliquæ mulieres, quæ
sive promissâ, sive non promissâ continentiâ, in suis
hospitijs honestè conversantes, Domino deservire
voluerint, id licitè facere valeant.

XXXI. Præterea in *Extravag. Sanctæ Romanæ*
unic. Ioan. XXII. h. t. Religio Fratricellorum, seu
Fratrum de paupere vita, sive Beguinorum, qui
se dicebant esse de tertio Ordine S. Francisci, quæ
sine Sedis Apostolicæ approbatione introducta est,
tanquam Secta, non vera Religio damnatur, & re-
probatur, & quicquid ab illa sub nomine Religio-
nis actum est, nullius fuisse, & esse decernitur fir-
mitatis, atque sectantes eorum ritum, sectam, &
statum, vel de novo assumere præsumentes, sicut
& Episcopi, aliique Prælati prædictum ritum vi-
vendi, & habitum permittentes, excommunica-
tionis sententiam ipso jure incurrunt.

XXXII. Cæterùm supra dictis non obstat,
quòd in *cit. Constitutione Concilij Lateranensis, inc. sol.*
h. t. sicut & *Lugdunensis* in *c. unic. eod. in 6.* non ha-
beatur expressum verbum *irritandi*; quia nihilomi-
nus ex ratione adjecta, & ex materia, ac modo pro-
hibitionis colligi potest, quæ fuerit Legis, seu Con-
stitutionis illius intentio: Ratio enim prohibitionis
dictæ Constitutionis Concilij Lateranensis fuit, ne
nimia Religionum diversitas gravem confusionem
pariat, seu inducat, ut habetur in *princ. cit. c. ult.* Hæc
autem non inducitur ex eo, quòd fiant, seu institu-
antur: sed ex eo, quòd permaneant, ac durent; ergo
Lex illa, seu Constitutio, non solùm intendit prohi-
bere, ne fiant, seu inveniantur tot Religiones diver-
sæ: sed etiam intendit facere, ne existant, seu subsi-
stant: hoc autem obtineri non potest per solam pro-
hibitionem, ne fiant, seu instituantur tot Religio-
nes: sed requiritur, ut per legem jam factæ, seu in-
stitutæ irritentur, ita ut jure sint invalidæ, *Suar. cit.*
c. 16. n. 10.

XXXIII. Quæritur secundò. An sub prædi-
cta prohibitione, ac irritatione novarum Religio-
num, comprehendantur etiam omnes Congregatio-
nes virorum, ac mulierum, quæ in communi sub cer-
ta Regula, ritu, aut habitu, sine Sedis Apostolicæ li-
centia, seu approbatione devotionis, seu pietatis
causâ vivunt: licèt tria vota substantialia Religionis
non ediderint, adeóque propriè Religiosi non sint?

Resp.

Resp. Affirmativè, ut tradit *Abb. in c. 2. n. 11. in fine de foro compet. & p. 1. consil. 55. Suar. cit. c. 16. nu. 22. contra Felin. in c. Ecclesia*; 10. *de Constit. nu. 1.* Idque probatur ex *cit. c. un. h. t. in 6. in princ.* Ubi universim prohibetur, ne quis novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, sine confirmatione Sedis Apostolicæ: talis autem Congregatio, sub certo vivendi modo, Regulâ, aut habitu, licèt verè, ac propriè Religiosus status, seu Religio non sit: Ordo tamen propriè dici potest, quippe qui latiùs patet, quàm Religio: & consequenter cadit sub prohibitionem Concilij Lugdunensis, in *cit. c. unic.* ubi prohibetur non tantùm, ne quis novam Religionem: sed etiam, ne novum Ordinem, vel habitum novæ Religionis assumat. Idque confirmatur etiam ex *cit. Extravag. Sancta*; *unic. Ioan. XXII.* Ubi prohibitio Concilij Lugd. cum eadem extensione, & disjunctione novi Ordinis, aut Religionis refertur, & Beguinas contra Legem illius Concilij deliquisse declaratur. Supponitur ergo ibi, talem modum vivendi in communi, sine approbatione Papæ, esse prohibitum in Concil. Lugdunensi, sub Gregorio x. in *c. un. h. t. in 6.* & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *in c. ult. extr. eod.* Ratio est (quia non minor confusio, & periculum sequi poterat ex multiplicatione Religionum, adeóque meritò prohibitio, & irritatio Concilij Lateranensis, sub Innocentio III. ad istos etiam Ordines, sive Congregationes fuit extensa, *Suar. c. l. n. 23.* Idem etiam confirmatur *ex c. Indemnitatibus*; 43. §. *Supra dicta, de elect. in 6.* ubi Pontifex ait: *Suæ intentionis non esse, Institutum, & Ordinem, seu Regulam Canonicarum sæcularium, per hoc approbare:* per quod satis indicatur, ad statum, & firmitatem talium Congregationum in communi viventium, necessariò requiri approbationem S. Pontificis.

XXXIV. Notandum hîc præterea primò. Si viri, vel mulieres sub certa forma vivendi, seu Regula, nullis Religiosis votis astricti, & sine Sedis Apostolicæ licentia, simul in communi degant, omnia hujusmodi personarum pacta, seu promissiones, quæ in ordine ad talem Congregationem erigendam, vel assumendam fiunt, sunt nullæ, & irritæ, ita, ut liberè resilire, & discedere possint: ac proinde etiam votum obedientiæ ab illis editum, est irritum; imò etiam votum castitatis, si fiat intentione servandi illam, solùm in tali Congregatione, & dependenter ab illa; quia tale votum includit conditionem turpem, sive illicitam, quippe editum, cum relatione ad talem Congregationem, & dependentiâ ab illa, quæ jure prohibita est, & irrita, *Suar. cit. c. 16. nu. 24.* Est tamen talibus personis consulendum, ut vel Religionem approbatam ingrediantur, vel saltem in sæculo castitatem servent, si tamen nolint, matrimonium contrahere non prohibentur. Atque hæc confirmantur ex Bulla Urbani VIII. anno 1630. editâ, in qua prohibuit, & abrogavit Congregationem quarundam mulierum, in communi viventium, quæ vulgò Jesuitissæ vocabantur; quia Institutum Societatis Jesu, sine licentia, seu approbatione Sedis Apostolicæ, æmulari præsumebant.

XXXV. Notandum secundò. Non est prohibitum, quin tum viri solitariam vitam separatim, & privatim agere possint, edito etiam voto castitatis, ac obedientiâ promissâ, v. g. Episcopo: tum etiam, ut mulieres possint, promissâ continentiâ, vel etiam eâ non promissâ, seorsim, & in privatis ædibus, servato certo vivendi modo, ac ritu, DEO servire, & pœnitentiam agere, prout habetur in *Clement. 1. in fine h. t.* & tradit *Gl. in cit. c. un. V. Habitum*; *eod. in 6. Abb. in cit. Consil. 55. Suar. c. l. num. 25.* Ratio est, quia ex privato modo vivendi separatim aliquarum personarum, etiamsi in exteriore habitu, & moribus sit varietas, non sequitur tamen confusio, vel perturbatio, vel errandi periculum, sicut ex modo vivendi in communi, *Suar. c. l. nu. 26.*

Quin imò etiam in *Extravag. Ratio unic. inter communes*; *h. t.* permissum fuit à Joanne XXII. ut » mulieres honestæ, quæ non sunt culpabiles, nec » suspectæ, in suis, vel parentum, vel conductitijs domibus, simul habitent sub habitu Beguinarum, » obedientes Ordinarijs locorum, & Parochis, ac viventes sine scandalo, & errore, nec debent tales ab » Ordinarijs molestari, ideo hujusmodi fœminæ sub » prohibitione in *Clem. 1. h. t.* non sunt comprehensæ: *cit. Extravag. Ratio*; §. *Verùm quia.*

XXXVI. Postremò hoc loco addendum, quod habetur in *c. ult. in fine h. t.* Ubi prohibetur, ne quis » in diversis Monasterijs locum habere præsumat, » ita, ut sit Monachus, vel Professus in ijsdem, neque etiam Abbas, sive Prælatus pluribus Monasterijs præesse potest. Ratio est, quia si Professus » unius Monasterij in aliud legitimè transferatur, aut in Abbatem, vel Præpositum Regularem alterius Monasterij assumatur, nullam communionem habet cum priore Monasterio, cùm non sit ampliùs ex Corpore, sive Collegio illius, & consequenter amittit etiam jus, ac Titulum Prioris Monasterij, *arg. c. Constitutis*; 47. *de Elect.* & ibi *Abb. n. 2.* quod intelligendum est, si Monasteria sint penitus separata, secus, si unita, & unum ab altero dependeat, eíq; sit subordinatum, *Abb. in cit. c. ult. nu. 5. h. t.*

sed hoc aliò pertinet.

TITVLVS XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORVM RELIGIOSORVM.

Quia Monachi, aliíque Religiosi, præter Monasteria aliáque loca: quandóq; Capellas obtinent, seu Parochias plebanas; ideo de istis subiicitur hic Titulus, qui etiam extat in Sexto. Porro Capellæ nomine in Iure Canonico, ut notat Azor p. 2. Instit. lib. 3. c. 8. q. 2. aliquando significatur Altare, aliquando verò Oratorium, sive sacra ædicula à Templo seiuncta, vel ipsi Templo annexa, & adhærens: aliquando sacra ædicula intra Templum constructa, & ferreis, aut ligneis Cancellis clausa, unum, aut plura Altaria continens. Aliquando denique Capella appellatur quælibet Ecclesia, etiam Parochialis, per se, & seorsim existens, dummodo non sit Collegiata, ut ex Gonzales refert Barb. in Collect. ad Rubr. huius tit. Hîc potissimùm accipitur pro Ecclesia Parochiali unita, seu incorporata Monasterio, sive Ecclesiæ Regulari.

§. I.

De Capellanis constitutis in Capellis, seu Parochiis, quæ Monasteriis sunt unitæ.

I.

Quæritur primò. An, quando Monasterium, seu Ecclesia Regularis habet populum, sive curam animarum annexam, ei præfici possit Monachus, seu Regularis? Respon. Si Ecclesia, ubi Monachi collegialiter habitant, annexam habeat curam animarum, exercendam erga populum, ea non per aliquem ex Monachis: sed per Sacerdotem seu Capellanum sæcularem administrari debet, ab Episcopo institutum, ad nominationem, seu præsentationem Abbatis, & Conventûs, prout sumitur ex c. *In Ecclesijs*; 1. *h. t.* ubi Urbanus III. ita rescribit: » In Ecclesijs, in quibus Monachi habitant, populus » non per Monachum regatur: sed Capellanus ab E- » piscopo instituatur, ex consilio Monachorum, qui » populum regat, ita, ut ex solius Episcopi arbitrio, » ejus Capellani ordinatio, ac depositio, & totius vitæ » conversatio pendeat. Et ita intellexerunt hoc cap. *Abb. hîc n.* 1. *Silv. V. Religio*; 7. *quæst.* 7. Addit *Abb. hîc num.* 4. hunc esse casum, in quo Clericus sæcularis instituitur in Ecclesia Regulari, nempe ratione curæ exercendæ, quæ Monasterio competit, ita tamen, ut non fiat unus ex Collegio Regularium: sed habeat Beneficium personale.

II. Ubi prætera notandum, dispositionem dicti cap. 1. habere locum, secundùm jura antiqua, & considerato mero statu Monachorum; nam regulariter Monachi nõ debent præfici curæ Ecclesiæ sęcularis, ne detur illis occasio vagandi: sed solùm propter necessitatem, si non reperiantur idonei Clerici sęculares, possunt curæ plebis pręfici, & sic Textus iste est intelligendus: non item, si necessitas non urgeat; quia alij idonei Sacerdotes haberi possunt; nam quando Parochia aliqua est unita Monasterio, pleno jure, id est, quoad spiritualia, & tẽporalia, tum cura animarum non est collata ipsi Collegio, seu Conventui Monachorum; cùm sint ibi, non ut ipsi curam illam exerceant: sed ut regulariter vivant, ac proinde cum est unita, non ipsis Monachis: sed potiùs Ecclesiæ ipsorum, ideóque Presbyter curam exercens, ab Episcopo institui debet: sed cum consilio Monachorum, & ad præsentationem eorum, *Abb. in cit. c.* 1. *nu.* 5. *h. t.* Verùm spectato Jure hodierno, si Ecclesia Parochialis Monasterio pleno jure sit unita, non prohibentur Abbates, seu Prælati Regulares ibi constituere Vicarium Regularem, ab Episcopo examinandum, & approbandum, qui ex Monasterio curam erga plebem administret, & exerceat, nisi in litteris fundationis expressum sit, ut per Vicarium sæcularem Parochia administretur, vel nisi ex recepta, & diuturna consuetudine Vicarius sæcularis in Ecclesia unita institui debeat, & intitulari, per quem Parochia administretur, *Laym. in qq. Canon. de Præl. Eccles. elect. quæst.* 206. *resp.* 1.

III. Consentit *Concil. Trident. Seß.* 25. *cap.* 11. *de Regul.* ubi decernit, ut in Monasterijs, seu Domibus virorum: seu mulierum, quibus imminet cura animarum circa personas sæculares, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam Regulares, quàm Sæculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & administrationem Sacramentorum pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita, nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, & prævio examine per eum, aut Vicarium faciendo, exceptis quibusdam Monasterijs, de quibus ibidem.

IV. Quæritur secundò. An, & in quibus Capellanus, seu Vicarius, sive Sæcularis, sive Regularis,

ris, qui in Capella, seu Parochia Monasterio unita est constitutus, subjectus sit jurisdictioni Episcopi? Respond. Si Parochia Monasterio sit unita, seu incorporata jure plenissimo, sive quoad omnia, ita ut etiam populus ab Episcopi jurisdictioue sit exemptus, & Prælato Monasterij subjectus, tunc Episcopus Diœcesanus nihil juris habet in tali loco: sed tota jurisdictio ad Abbatem, seu Prælatum pertinet; quippe cùm ibi quasi Episcopalem jurisdictionem exerceat, & loco Episcopi, seu Ordinarij sit, ut docet *Innocent. in c. 1. h. t. & Laym. in cit. q. q. de Præl. Eccles. elect. qu.* 108. *resp.* 1. Et dictum supra *Tit.* 5. *n.* 217. Si verò in Capellis, seu Parochijs, quæ Monasterio pleno jure, id est, quoad spiritualia, & temporalia, sunt unitæ: sed non jure plenissimo, quia populus in spiritualibus Episcopo Diœcesis est subjectus, tum si Capellanus, seu Vicarius sæcularis sit instituendus, præsentatio spectat ad Monasterium: examinatio autem personæ, approbatio, & institutio, correctio, & visitatio, & consequenter etiam destitutio, sive depositio, ad Episcopum loci spectat, prout statuitur in c. 1. *h. t. Joan. Andr. ibid. n.* 1. *& Abb. nu.* 2. *& 6.* Idem etiam constat ex c. *Presbyteri; unic. h. t. in* » 6. ubi decernitur: Presbyteri, qui ad curam po- » puli à Monachis in eorum Ecclesijs præsentantur » Episcopis (cujusmodi præsentatio fieri debet à Præ- » lato, & Conventu de jure communi, *Gl. hìc V.* » *Præsentantur*;) & ab ipsis instituuntur, cùm debe- » ant esse perpetui (non enim Beneficia dantur ad tempus, *Gl. hìc V. Perpetuò*; & colligitur ex *c.* 2. *dist.* 70. perpetuum autem dicitur, quod durat ad hominis vitam, *l.* 1. *ff. Pro socio*) non possunt ab eisdem » Ecclesiis, nisi per Episcopos, (vel eorum Vicarios » speciale ad hoc mandatum habentes, vel per eo- » rum delegatos, *Gl. hìc V. Per Episcopos*;) & qui- » dem ex causa rationabili amoveri, non obstante » quovis contrario statuto, vel consuetudine. Ratio est, quia talis Parochia, quoad curam animarum, seu plebis manet sæcularis, & Episcopo subjecta, nam Episcopus curam animarum, & jurisdictionem spiritualem in populum abdicare, seu deponere non potest, *arg. l. pen. ff. de Offic. Præsid.* & c. *Cùm venerabilis* 21. *de censib. Franc. in cit. c. unic. n.* 3. §. *Sed si ad Monachos.*

Porro non potest per ullam consuetudinem, vel statutum introduci, ut Prælati Episcopis inferiores, vel alij Clerici, etiam in Dignitate constituti deponere, vel amovere possint Clericos, seu Ministros institutos, & intitulatos in Ecclesijs curatis, quæ etiam quoad institutionem Ministrorū, sunt subjectæ Episcopo, *Franc. in cit. c. un. n.* 2. *not.* 4. *& n.* 3. *in fine*: esset enim hoc directè contrarium Episcopali jurisdictioni, & Ecclesijs noxium, si alius Prælatus inferior Clericos ab Episcopo institutos, eidémque subjectos posset deponere, ideóque sola consuetudo, vel statutum non potest tribuere potestatem, revocandi institutionem factam ab Episcopo. Veruntamen per privilegium, vel legitimam præscriptionem possunt Prælati inferiores, non tantùm jus instituendi: sed etiam destituendi, seu deponendi acquirere: etiam privativè sive excluso Episcopo, *Gl. in cit. c. unic. V. Consuetudine*; *Laym. in Concl. Canon. de jurisd. ordin. Concl.* 77.

V. Illud hoc loco addendum, si in Capella, seu Parochia, Monasterio unita, quoad temporalia, & spiritualia, ita tamen, ut populus ab Episcopo non sit exemptus: sed ejus spirituali jurisdictioni subjectus; si inquam, in tali Parochia sit positus Vicarius Religiosus Obedientiarius, tunc illum amovere, seu revocare potest Abbas, seu Prælatus Monasterij: quamvis etiam Episcopus, ex justa causa, petere possit à Prælato, ut amoveatur, si nimitum non videatur esse idoneus. Sed & talis Vicarius Regularis, etiamsi sit ex Monasterio exempto, & sic absolutè non subsit Episcopo, respectivè tamen, sive in ijs rebus, quæ ad curam Ecclesiæ, & Parochianorum, & Sacramentorum administrationem pertinent, v. g. utrùm nomina Baptizatorum, matrimonio junctorum in libris scribantur, an Fabrica Ecclesiæ, & domus Parochialis conservetur &c. subest Episcopo; ita ut in his ab eo visitari, corrigi, & puniri possit, ut constat ex Bulla Leonis x. in Concilio Lateranensi editâ, quæ habetur apud Quarantam in *Summ. Bullarij. V. Privilegia Regularium*; *fol.* 509. *& ex Concil. Trident. Sess.* 25. *c.* 11. *de Regul.* juxta declarat. *Congreg. Concil. apud Gallem. ibid. n.* 3. *& ex Bulla Gregor. XV.* quæ incipit, *Immutabili*, ante medium edita anno 1622. *Laym. in qq. Can. de Præl. Eccles. elect. q.* 208. *resp.* 2.

§. II.

An, & qualiter una Ecclesia non Cathedralis possit vendicare sibi ius in alia Ecclesia?

VI. De hac re agitur in *c. Dilectus*; 2. *h. t.* ubi talis casus proponitur. Syndicus Ecclesiæ Parochialis S. Cæciliæ petivit à Procuratore Ecclesiæ S. » Laurentij subjectionem in Scrutinijs (id est Cathe- » chismis, vel exorcismis, qùi olim fiebant per 20. » dies, ante Baptismum, *c. Ante* 3 54. *& c. seq. dist.* 4. » *de consecr. Gl. hìc V. In scrutinijs*;) Baptismate, & » Capitulis, (id est, Synodis, seu Conventibus, *Gl.* » *hìc V. Capitulis*;) & similibus, simul possessorium, » & petitorium judicium intentando (super diversis) » cùm enim Ecclesia S. Laurentij sita sit, intra fines » Parochiæ S. Cæciliæ, ajebat Syndicus ejusdem, il- » lam, de jure communi, subjectam esse Parochiæ, in » qua sita est; quia nec privilegium exemptionis ha- » bet, nec præscriptionem allegare pro se potest, cùm » Ecclesia S, Cæciliæ fuerit in possessione, adeóque » præscripserit in omnibus prædictis, prout se per te- » stes probatutum dicebat. Præterea cùm coram Pa- » pa Cælestino III. super prædictis quæstio verteretur, M. Presbyter S. Laurentij sponte confessus fuit, » quoad Scrutinium, & Baptisma se subjectum esse » Ecclesiæ S. Cæciliæ: & cùm ex parte ejusdem Ec- » clesiæ testes producti, essent jurare parati, se prædi- » ctum Presbyterum diversis temporibus ad Capi- » tulum vocâsse, ipsúmque venisse, idem Presbyter » hoc ipsum confessus fuit. Quare Cælestinus Papa » Ecclesiæ S. Cæciliæ jus Capituli restitui jussit, quo » se spoliatum fuisse, conquerebatur, salvo jure pro- » prietatis S. Laurentij. Ex his itaque Syndicus Ec- » clesiæ S. Cæciliæ, tum proprietatem, quoad Scru- » tinium, & Baptisma, tum possessionem, quoad Ca- » pitulum, voluit probare. Ad hæc procurator S. »

» Laurentij ex adverso respondit, illam Ecclesiam » immediatè ad Romanam Ecclesiam pertinere; cùm » enim Monialium fuerit Monasterium, & generaliter » servetur in Urbe, ut nullum Monasterium Titulari, seu Sæculari Ecclesiæ sit subjectum, ideóque » incongruum esse videbatur, ut Regulares Sæcularibus subijciantur: præterquam quòd Romanus Pontifex, usque ad tempus illud, in ea liberam institutionem, & destitutionem exercuerit: (& nuper » M. Scriptorem in ea instituerit. Cùm ergo ex » eo appareat, quòd Jus commune assistat Ecclesiæ S. Laurentij, ideo Syndico S. Cæciliæ contrarium affirmanti, fidem non esse adhibendam, nisi » speciale privilegium exhibuerit. Quòd autem dixit, Ecclesiam S. Laurentij intra Parochiam S. Cæciliæ sitam esse, idem Oeconomus penitus negat, » additq;, etsi verum id esset, satis tamen ex prædictis » se esse defensum; confessionem autem Presbyteri » M. factam super Scrutinio, & Baptismo Ecclesiæ S. » Laurentij non potuisse præjudicare, cùm nondum » coram Cælestino Papa lis fuerit contestata. *Prout* » *ista habentur in integra lectione hujus cap.*) His » utrinque propositis, & auditis, Innocentius III. » Oeconomum, seu Procuratorem S. Laurentij Syndico Ecclesiæ S. Cæciliæ, quoad Baptismum, & » Scrutinium condemnavit, ita tamen, ut per hoc » Ecclesiæ Romanæ nullum præjudicium generetur, » si quando jus suum persequi velit. In institutione autem, & destitutione, & Capitulo, eundem » Procuratorem ab impetitione Syndici penitus absolvit, eidem Syndico super hoc perpetuum silentium imponens.

VII. Pro explicatione hujus cap. notandum primò. Si subditus requisitus deneget alicui obedientiam, seu subjectionem, in cujus ipse possessione fuit, potest hic contra illum instituere Interdictum recuperandæ possessionis, prout sumitur ex *cit. c. 2. h. t.* & tradit *ibid. Abb. n. 2. not. 3.* Nam Procurator Ecclesiæ S. Cæciliæ dicebat, illam esse spoliatam possessione subjectionis, & obedientiæ ex eo, quòd Ecclesia S. Laurentij eam denegârit, quam tamen antea præstare solebat: hoc ipso enim, quòd subditus ei, qui in possessione jurisdictionis, aut obedientiæ existit, obedire recusat, tanquam subditus ipsi non sit, censetur eum spoliare, ideóque illi competit remedium recuperandæ possessionis, *Innoc. in c. Suborta; 21. de sent. & re judic.*

Notandum secundò. Ex eo, quòd Ecclesia aliqua, præsertim Collegiata, seu Conventualis, sit posita intra fines alicujus Parochiæ, non rectè infertur, illam esse subjectam eidem Parochiæ, neque hæc habet intentionem, seu præsumptionem fundatam in jure communi, super subjectione Ecclesiæ sitæ intra fines illius: ideóque in *cit. c. 2. h. t.* Syndicus Parochiæ S. Cæciliæ, qui fuit actor, non plus per sententiam obtinuit, quàm ab ipso fuit probatum, maximè per allegationem confessionis factæ à Presbytero, seu Rectore Ecclesiæ S. Laurentij, *Abb. hîc nu. 3. & num. 11.* Nec obstat *c. Constitutus; 6. supr. de Relig. domib.* Nam loquitur de Episcopo, sive de Ecclesia Cathedrali, non de inferiore: & nullibi reperitur jure expressum, quòd in hoc cap. à Syndico S. Cæciliæ allegatum fuit, de jure communi Ecclesiam sitam in aliqua Parochia, subjectam esse eidem, *Innoc. in cit. c. 2.* ubi ait, hoc jus, ubi sit, ignoro. Et quamvis Parochiani Ecclesiarum, seu Capellarum, quæ non habent Fontem Baptismalem, debeant infantes suos mittere ad Ecclesiam Parochialem, sive Matricem, pro Baptismo recipiendo: non tamen inde necessariò sequitur, ipsas Ecclesias, seu Capellas esse absolutè subjectas illi Parochiæ: & licèt etiam Parochiani Capellarum debeant Sacramenta recipere ab Ecclesia Parochiali Matrice, seu principali: non tamen Presbyteri, seu Rectores earundem teneantur ea recipere ab illa, adeóque nec eidem Ecclesiæ subditi esse debent: sed subijciuntur ipsi Episcopo loci, *Innoc. in cit. c. 2. n. 4. Abb. ibid. num. 11. & 12.* Similiter cùm Monachi, seu Religiosi hoc tempore, secundùm receptam consuetudinem, ipsimet Presbyteros proprios habeant [illegible] Sacramenta suis ministrent, non decet, eos subesse, aut Ecclesiam illorum alicui Ecclesiæ Parochiali: sicut etiam Monasterijs Monialium ab Episcopo plerúmque proprij Sacerdotes assignari solent, *Abb. in cit. c. 2. n. 17.*

Notandum tertiò. Confessio Rectoris Ecclesiæ, quæ Collegium non habet, facta in judicio Ecclesiæ nocet: non item confessio Ecclesiæ Collegiatæ, quæ Conventum habet, tunc enim requiritur confessio totius Collegij, *Abb. in cit. c. 2. nu. 4.* Ratio est, quia Rectori Ecclesiæ non Collegiatæ, v. g. Parochialis, competit jus agendi in judicio pro juribus suæ Ecclesiæ: non autem Prælatus Ecclesiæ Collegiatæ, sine Collegio, seu Conventu agere potest in judicio, saltem in causis arduis, seu gravis momenti, ideóque neque confessio solius Prælati obest Ecclesiæ.

VIII. Notandum quartò. Si Clericus, vel Religiosus citatus ad Capitulum, vel Synodum, non sponte, & ultro: sed tanquam obligatus comparet, sine protestatione, exinde probari potest possessio subjectionis, ut docet *Gl. in cit. c. 2. V. Vocatum; & ibid. Abb. n. 8.* Necessarium tamen est, ut sæpius vocatus ad Capitulum, comparuerit, quia potuit quandóque venire ex mera libertate, & non tanquam obligatus, *Abb. c. l.* nisi tamen ex circumstantijs appareat, semel tantùm citatum paruisse, & venisse quasi obligatum, tum enim etiam per unum talem actum, potest citans possessionem subjectionis acquirere.

Notandum quintò. Etsi Monasterium, aliáve Ecclesia mutet statum, quia v. g. ex Regulari fit Sæcularis, aut vice versâ, non idcirco amittit subjectionem, vel exemptionem: sed manet subjecta illi, cui priùs fuit, vel exempta, sicut priùs, ut docet *Io. Andreas in cit. c. 2. num. 12. & Abb. nu. 9.* Ex quo infertur, si Ecclesia non exempta: sed subjecta Episcopo uniatur Monasterio exempto, manet subjecta, sicut priùs *c. ult. de confirm. util.* & viceversâ, si Ecclesia exempta, & Romano Pontifici immediatè subjecta uniatur Ecclesiæ non exemptæ, exemptionem suam non amittit, *arg. cit. c. 2. h. t.*

Notandum sextò. Si controversia sit de subjectione alicujus Ecclesiæ, & sententia lata sit contra Ecclesiam, quæ allegabat, se exemptam, non ideo præjudicatur Sedi Apostolicæ, quòminùs illa probare possit, Ecclesiam illam immediatè sibi esse subjectam, uti sumitur ex *c. Ad audientiam; 13. de præscript.* & exutius sumitur ex *c. Ad audientiam; 13. de præscript. & exceptionib.* & ex *c. Suborta; 21. de sentent. & re judic. Gl. in cit. c. 2. V. Generetur; h. t. Abb. ibid. nu. 18.* Re-

Ratio est, quia res inter alios acta, alijs præjudicare non debet, *toto Tit. Cod. Res inter alios acta &c.*

§. III.

De Monachis, non ponendis solis in Prioratibus, & eorum ab illis revocatione.

IX. De his agitur inprimis in *c. Ex parte; 3. h. t.* Ubi habetur, quòd Abbas, & Conventus Rivenensis questi sunt Honorio III. quòd Episcopus Venetensis velit ipsos compellere, ut in quibusdam suis Prioratibus Diœcesis dicti Episcopi, plures Monachos instituerent, in quibus singuli hactenus Monachi positi erant, cùm tamen facultates Prioratuum non sufficiant, ad plures alendos. Afferebant autem Litteras Apostolicas, in quibus mandatum fuit Abbati S. Albani, ut ipse inquireret de facultatibus Prioratuum, & si eas sufficientes comperiat, plures Monachos in singulis Prioratibus institui curet: sin minùs, inhibeat Episcopo, ne Abbatem, & Conventum molestet, super pluribus in eisdem instituendis, *prout habetur in integra lectione hujus cap.* Unde Abbas, & Conventus dixerunt, sibi per Litteras Apostolicas concessum esse, ut in singulis eorum Prioratibus, singuli Monachi degerent (sicut antea solebant) si facultates pro plurib̃ non sufficiant. Respondet Honorius III. cùm id repugnet Concilio Lateranensi (sub Alexandro III. quod refertur in *c. 2. De Statu Monach.*) de quo nulla in prædictis Litteris fit mentio, ideo non credere se hujusmodi Litteras à Sede Apostolica emanâsse. Si autem propter occupationes nimias fortâsse emanârint, nolle se per illas Concilio Generali derogari.

X. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Quamvis Leges prohibitoriæ, sicut & pœnales, aliàs sint stricti juris, & interpretationis, tamen propter identitatem rationis extendi debent etiam ad casum non expressum, si ex illa colligi possit, mentem, seu intentionem Legislatoris fuisse, etiam illum casum sub prohibitione comprehendere, licèt verbis formalibus non sit expressus. Exemplum habetur in *cit. c. Ex parte; h. t.* ubi dicitur, repugnare Concilio Lateranensi, si Monachi soli, sine quibusdam Socijs, seu Fratribus, commorentur inter Sæculares in Prioratibus; cùm tamen Decretum Concilij Lateranensis in specie non loquatur de Prioratibus: sed de Ecclesijs Parochialibus: sed quia ratio prohibitionis in Lege expressa, eodem modo etiam locum habet in Prioratibus, ideo juxta mentem Concilij censeri debent, etiam implicitè comprehendi Prioratus in illo Decreto prohibitorio, *Abb. in cit. c. 3. n. 1. h. t.*

Notandum secundò. Si quis impetret Litteras à Sede Apostolica, contra Jus commune, vel Decretum Concilij Generalis, censentur illæ subreptitiè esse impetratæ, & non valent: nisi in Litteris expressa fiat derogatio Juris illius, vel Decreti Concilij Generalis, vel specialis de illo mentio fiat, prout sumitur ex *cit. c. 3.* Non enim solet Papa facilè concedere privilegia, vel gratias, contra Jus commune, & Decreta Concilij Generalis, quamvis absolutè possit etiam illi derogare, *Gl. fin. in cit. c. Ex parte.*

XI. Præterea in *c. Ad audientiam; 4. & ult. h. t.* Honorius III. cùm intellexisset, quòd nonnulli Monachi Episcopis Lege Diœcesanâ (id est, jurisdictionis, *Gl. hîc V. Diœcesana;*) subjecti, in quibusdam Prioratibus habitent solitarij, contra statutum Generalis Concilij (Lateranensis relati, in *c. 2. De statu Monach.*) mandavit Archiepiscopo Burdegalensi, ut illorum Abbates, vel Priores, præmissâ monitione, per Ecclesiasticam censuram compellat, ut, vel Monachos ad Claustrum revocent, & in ijs Ecclesiis per sæculares Clericos deserviri curent, vel si in illis manere Monachos velint, alios Monachos eisdem associent, cum quibus vitam Regularem ducere possint.

XII. Hinc colligitur primò. Quòd correctio Monachorum primo loco spectet ad Abbatem, & quidem excluso Episcopo, ita ut præventioni inter illos non sit locus, ideóque in *cit. c. ult.* Papa mandat Archiepiscopo, tanquam Ordinario loci, non ut ipse compellat Monachos redire ad Claustra: sed ut ipse compellat Abbates, ut ipsi Monachos ad Monasteria revocent: quamvis in defectum Abbatis, seu Prælati, Episcopus possit supplere ejus negligentiam, & ipse revocare, vel corrigere Monachos, *c. Quanto; 7. de Offic. judic. Ordin.* Aliud est in Prælatis Sæcularibus, habentibus subditos Clericos; cum illis enim Episcopus simul concurrit in exercenda jurisdictione, ita ut sit locus præventioni, *Abb. in cit. c. ult. h. t. n. 1.*

Colligitur secundò. Quòd in optione Abbatis sit, ut, vel Monachos, qui in Prioratibus soli habitant, ad Claustrum revocet, vel Socios Regulares eis adjungat, *Abb. in cit. c. ult. num. 1.* Quòd si facultates Prioratûs, ad plures Monachos ibi sustentandos, non sufficiant, potest Abbas, vel alius Prælatus Regularis cogi ab Episcopo, ut per Sæculares Clericos regatur: quamvis aliàs non possit Prælatus Regularis Prioratus solitos gubernari per Regulares, committere Clericis Sæcularibus, *Abb. c. l.*

Porrò etsi juxta *Concil. Lateran.* in *c. 2. de statu Monach.* & *c. Ex parte; 3. secundùm integram ejus lectionem*, & *c. ult. h. t.* non unus tantùm: sed plures Socij adjungi debeant Monachis habitantibus in Parochijs, vel Prioratibus: id tamen jam à pluribus seculis non est observatum, ac proinde secundùm jus, vel morem hodiernum, si Ordo permittat, ut Monachus, extra Monasterium degens, Prioratum aliquem, vel Parochiam Monasterio unitam administret, satis est, si unus Socius Regularis ei adjungatur, non obstante Constitutione Pij V. editâ anno 1567. die 15. Novembr. in qua requiritur, ut cum Vicario Regulari ad nutum amovibili, alij saltem 4. Monachi habitent. Verùm unum sufficere, vivâ voce declarâsse Gregorium XIII. refert *Quaranta in Summa Bullarij V. Vicarius perpetuus, fol. 638.*

TITV-

TITVLVS XXXVIII.

DE IURE PATRONATUS.

I.

QUia in Superioribus Titulis hujus Libri dictum fuit de Præbendis, & Dignitatibus, de Ecclesiis Parochialibus, Domibus Religiosis, & Capellis, in quibus frequenter fit institutio Clericorum ad præsentationem Patroni; ideo de Jure Patronatûs hoc loco, & Titulo tractatur. Nomen Patroni autem in Jure variè accipitur, ut notavit *Abb. ad rubr. hujus Tituli.* Primò. Pro Advocato, & Jus patronatûs pro Jure advocatiæ: cujusmodi Patroni sunt, qui patrocinium causarum forensium, quæ in judicio agitantur, suscipiunt, de quibus fit mentio in *l. Rem*, 14. §. *Patroni*; *C. de judic.* & alibi, & dictum supra, *Lib.* 1. *Tit.* 37. Secundò accipitur Jus patronatûs pro eo jure, quod competit Domino, manumittendi servum suum, sive dimittendi eum liberum, pro quo beneficio manumissionis acquirit Dominus, qui & Patronus dicitur, Jus, seu potestatem in personam servi manumissi, (qui & Libertus dicitur) ad obedientiam, & operas sibi præstandas, quod Jure Civili est introductum, de quo extat Titulus in Digestis de jure patronatûs, & Cod. de bonis libert. & jure patronatûs. Verùm de his Patronis, & patronatibus hoc loco non agitur. Tertiò. Igitur Jus patronatûs accipitur pro Jure, seu potestate à SS. Canonibus concessâ præsentandi aliquem ad Ecclesiâ, vel Ecclesiasticum Beneficium, quod est proprium hujus loci. Extat hic Titulus etiam in Sexto, & Clementinis.

SECTIO I.

DE DEFINITIONE, ET DIVISIONE Iuris Patronatûs, & modis, quibus acquiri, & à quibus personis obtineri potest.

§. I.

Quid, & quotuplex sit Ius Patronatûs, & utrùm sit Ius simpliciter spirituale: an verò potiùs temporale?

II. Assertio 1. Jus patronatûs est, *Jus, seu potestas nominandi, sive præsentandi Clericum promovendum, ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*, ita definitur apud *Hostiens. in Summa*; *h. t. n.* 1. Qui tamen addit, ad *Beneficium simplex*, quod alij Dd. communiter omittunt, cùm multi Patroni Jus habeant nominandi, & præsentandi etiam ad Beneficia curata, ad Dignitates, & Personatus: imò etiam ad Ecclesias Episcopalis, Metropolitanas, & Cardinalitias, ut Reges Hispaniæ, Galliæ, & Poloniæ, ut notavit, *Azor p.* 2. *Instit. mor. lib.* 6. *c.* 19. *q.* 1. Verùm per Beneficium simplex, Hostiensis intellexit Beneficia non electiva, seu quæ Prælaturæ non sunt, sive sint simplicia, ut Capellaniæ, sive Curata, ut Plebaniæ, seu Parochiæ, quæ patronata Beneficia vocantur, & conferuntur per institutionem Ordinarij, dependenter à præsentatione Patroni: præsentationes autem, quæ fiunt ad Dignitates, & Prælaturas, non fiunt ex præscripto Juris communis: sed ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel consuetudine legitimè præscripta.

Dicitur autem Patronatus Jus præsentandi, vel propriè, & formaliter, quando præsentatur instituendus: vel virtualiter; quia etsi in Ecclesia Conventuali, seu Collegiata Patronus jus eligendi non habeat, post electionem tamen factam, ejusdem consensus requiri debet, & sic virtualiter, sive æquivalenter præsentat electum, juxta *c. Nobis*; 25. *sanct. Gl. V. Honestius*; *h. t.* de quo infra. Dicitur quoque ad Beneficium vacans; quia sicut institutio, ita etiam præsentatio ad Beneficium non vacans irrita est, *c. Illud*; 8. *h. t. Zæs. in Comment. h. t. n.* 2.

Aliam definitionem, seu descriptionem Juris patronatûs afferunt *Ioan. Andr. & Abb. ad rubr. hujus Tit.* videlicet, *Est jus honorificum, onerosum, & utile, competens alicui in Ecclesia; quia de consensu Diœcesani, vel Prælati Ecclesiastici, eam fundavit, construxit, vel dotavit, seu ipsemet, seu is, à quo causam accepit, nempe hæres Patroni*, quæ definitio in sequentibus declarabitur.

III. Assertio 2. Jus patronatûs est duplex, Ecclesiasticum, & Civile, sive Sæculare, prout sumitur ex *c. Cùm autem*; 24. *h. t. Azor cit. c.* 19. *q.* 3. Ecclesiasticum est, quod Collegio Ecclesiastico, aut personæ Ecclesiasticæ, ratione Ecclesiæ, aut Dignitatis, seu Beneficij Ecclesiastici, quod habet, competit; nam quamvis originem traxerit ex bonis patrimonialibus Laici, si tamen, vel ab initio, vel postea fuerit translatum fundatione, testamento, donatione, aut quovis alio modo in Ecclesiam, vel in Collegium Ecclesiasticum Canonicorum Regularium, aut Sæcularium, vel in personam Ecclesiasticam, ratione Ecclesiæ, Dignitatis, aut Beneficij, Jus patronatûs Ecclesiasticum censeri debet, *Garc. tract. de Benef. p.* 5. *c.* 1. *nu.* 553. Jus patronatûs sæculare, sive laicale est, quod Universitati, aut Collegio non sacro, vel personæ privatæ, sive Laico, sive Clerico, non ratione Ecclesiæ, vel Ecclesiastici Beneficij: sed tatione proprij patrimonij, competit, cùm & Clericus possit hoc Jus possidere, ratione proprij patrimonij, *Covarr. pract. qq. c.* 36. *n.* 2. Addi potest tertia species Juris patronatûs, scilicet mixtum ex utroque, quod scilicet simul Ecclesiæ, vel Clerico, intuitu Ecclesiæ, & Laico competit, vel quod partim ratione Ecclesiæ, partim ratione patrimonij cõpetit. In quibus autè Patronatus Ecclesiasticus, & Laicus differant, ex infra dicendis patebit.

IV. Cæterùm sicut patronatus Laicus, qui fuit fundatus in bonis sæcularibus, si transferatur in Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, fit patronatus Ecclesiasticus, & illius naturam assumit, ut jam dictum: ita vice versâ, dicendum videtur, quod si Patronatus Ecclesiasticus, qui est fundatus ex bonis Ecclesiasticis, titulo oneroso, v. g. permutationis, auctoritate Apostolicâ, transeat ad Laicum, desinit esse pa-

Patronatus Ecclesiasticus, & sit sæcularis; quia attenditur persona, quæ præsentat, & possidet Jus præsentandi, & secundùm conditionem illius, censendus est esse Ecclesiasticus, vel sæcularis, *Barb. Lib. 3. Iur. Eccl. c. 12. n. 16. & alii apud ipsum*: quemadmodum etiam si Laicus, justo titulo, & adhibitis requisitis juris solennitatibus, acquirat bona Ecclesiastica, illa desinunt esse Ecclesiastica, & fiunt laicalia, & patrimonialia, juxta conditionem personæ laicalis, cui adhærent. Dixi supra *titulo oneroso permutationis*; quia si Jus patronatûs Ecclesiasticum acquisitum sit à Laico, titulo lucrativo, v. g. donationis, tum illud retinet suam originalem naturam, & manet Ecclesiasticum. At verò si Laicus acquisivit Jus patronatûs Ecclesiasticum ab Ecclesia, titulo oneroso, scilicet permutationis cum alio jure patronatûs simili, tunc Jus patronatûs Laicum, datum Ecclesiæ, fit Ecclesiasticum: & consequenter datum ab Ecclesia Laico fieri debet laicale: alioquin in nimis magno lucro versaretur Ecclesia, si & illud quod dat, & id quod accipit, maneat Ecclesiasticum, *arg. cap. unic. §. Sed si diversum de alienat. feud. in Usib. feud.* Ubi dicitur, Ecclesia enim cultrix & auctrix justitiæ, non patitur contra justitiam aliquid fieri in se, vel in alterum, *Barb. c. l.* An autem patronatus mixtus assumat naturam patronatûs Ecclesiastici, infra dicetur.

V. Assertio 3. Jus patronatûs, vel secundùm se, & ex objecto suo, est simpliciter, & intrinsecè merè spirituale: vel potiùs non est merè, & simpliciter spirituale: sed solùm antecedenter annexum spirituali. Prius tenet *Suar. Lib. 4. de Simon. c. 26. n. 7. & 8. Laym. Lib. 4. tr. 21. c. ult. §. 5. n. 60.* Ratio est, quia tum ex parte principii, à quo originem trahit Jus patronatûs, quod est spiritualis, seu Ecclesiastica potestas, per quam Beneficia sunt instituta: tum ex parte proprii actûs, & objecti, ac termini, ad quem ordinatur ipsa actualis præsentatio (nempe ad Beneficium Ecclesiasticum, quod est Jus spirituale) per quam præsentatus proximè capax fit institutionis in Beneficio spirituali, ita ut, si idoneus sit, necessariò instituì debeat, *c. Significasti*; 18. *h. t.* Adeóque ratione utriúsque, tum principii effectivi, tum objecti, seu finis intrinseci, Jus præsentandi est Jus merè spirituale. Neque obstat aliquid in se spirituale ordinari ad aliud spirituale dignius, ita ut idem sit spirituale, & annexum spirituali: sicut vasa & vestes consecratæ res sunt spirituales principaliter; quia ad Sacrificium Missæ, & Sacramenta antecedenter ordinantur: & possunt etiam Laici spiritualia jura possidere per privilegium, & beneficium ab Ecclesia illis concessum. Posterius verò, quòd Jus patronatûs secundùm se, & intrinsecè sit Jus non merè spirituale: sed temporale, annexum tamen spirituali, docet *Gl. in c. Quanto*; 3. *V. Connexa de judiciis*; *& ib. Abb. n. 6. Azor cit. c. 19. q. 2. Garc. tr. de Benef. p. 5. c. 9. n. 6.* & alii plerique Canonistæ, & habetur in *c. De jure*; 16. *h. t.* ubi dicitur, *Jus patronatûs esse spirituali annexum*; quia scilicet tanquam præambulum quoddam ordinatur, ad Jus spirituale obtinendum, videlicet ad institutionem in Beneficio, quam præsentatio antecedere debet. Et licèt per electionem, confirmationem, vel institutionem tribuatur electo Jus ad Beneficium, scilicet Jus ad rem, vel Jus in re confirmato vel instituto, ideóque Jus eligendi, confirmandi, & instituendi sint potestates, ac jura simpliciter spiritualia: non tamen Jus præsentandi; quia per præsentationem nullum Jus seu potestas confertur præsentato in Beneficio, vel ad Beneficium: sed tantùm ut possit in illo institui ab Ordinario; cùm Patronus Laicus, etiam post præsentationem factam, sed nondùm acceptatam ab eo, cui fit præsentatio, possit adhuc resilire, & alium præsentare, *c. Cùm autem*; 24. *h. t.* de quo infra. Neque verò omnis præparatio, seu dispositio ad finem seu rem spiritualem est simpliciter & merè spiritualis, nisi sit proxima: Jus patronatûs verò nonnisi remotè, & inchoativè ordinatur ad jus spirituale, videlicet ad institutionem in Beneficio, *Abb. c. l. n. 7. Azor c. l.* Utraq; hæc sententia est probabilis: sed posterior videtur probabilior, & Juri Canonico conformior. Porro Jus patronatûs competens alicui, ratione Hospitalis fundati, auctoritate Episcopi, dicitur annexum spirituali, non quòd sit annexum juri præsentandi ad Beneficium, cùm Hospitale non sit Beneficium, ut supra dictum, sed ideo dicitur annexum spirituali: quia adhæret Ecclesiæ, quæ est res spiritualis, *Garc. cit. c. 9. n. 7. & 8.*

§. II.

Quibus modis acquiratur Jus patronatûs?

VI. Assertio 1. Tribus potissimùm modis acquiritur Jus præsentandi in Ecclesia, vel Beneficio, videlicet fundatione, constructione, & dotatione, idq; tam per Laicos, quàm Clericos, ut tradit *Gl. communiter recepta in c. Piæ mentis*; 26. *V. eod. caus. 16. q. 7. Abb. ad rubr. h. t. n. 6. Silv. V. Jus patronatûs* 3 q. 1. *Azor cit. c. 19. q. 3. & alii Dd. communiter*, unde versus tritus apud *Gl. cit. Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus.* Fundâsse Ecclesiam propriè dicitur, qui dedit fundum, sive terræ solum, in quo Ecclesia constructur, sive ædificetur, ut colligitur ex *c. Decernimus*; 32. *cit. caus. & q. c. Abbatem*; 4. *caus. 18 q. 2. c. Nobis*; 25. *in fine h. t.* Construxisse dicitur, qui Ecclesiam ædificavit, *c. Monasterium*; 33. *junct. Gl. V. eod. cit. caus. 16. q. 7. cit. c. Nobis in princ. h. t.* Ubi dicitur, *si quis Ecclesiam, cùm assensu Episcopi, construxit, ex eo Jus patronatûs acquirit*; Dotâsse dicitur, qui annuos reditus sufficientes assignavit, *c. Filiis*; 31. *cit. caus. & q.*

VII. Porro circa hos tres modos acquirendi Jus patronatûs, Notandum primò. Si unus idémque Ecclesiam fundavit, exstruxit, & sufficienter dotavit, tunc ipse unus Jus patronatûs acquirit: sed tribus ex causis. Possunt tamen etiam plures esse Patroni ejusdem Ecclesiæ, ex diversis titulis, ut si unus fundavit, alius ædificavit, tertius dotavit, prout satis clarè colligitur ex *cit. c. Filiis*; *caus. 16. q. 7.* Ubi disjunctivè fit mentio ejus, *qui construxit, vel dotavit Ecclesiam*: ergo alterutrum sufficit, vi propositionis disjunctivæ, ad Jus patronatûs acquirendum. Imò si plures simul concurrant ad fundandam, ædificandam, & dotandam Ecclesiam, omnes æqualiter & in solidum Ius patronatûs acquirunt, quamvis unus plus contulerit, & alius minus, *Gl. in summa, V. Laici*; *dis. 63.* dummodo omnes simul sufficientem, & competentem dotem dederint, etsi non singuli seorsim sufficientem. Jus enim simpliciter ait, dotatione patronatum acquiri, non distinguendo, unusnè, an plures Ecclesiam dotent. Si tamen unus tantùm dotet Ecclesiam, non tamen sufficienter, ad alendos Ministros Ecclesiæ, & luminaria, & familiam, is patronatûs Jus non acquirit: sed benefactor dicitur, nõ Patronus, *Gl. in c. Quicunq*; 30. *V. Aliquid*; *cit. caus. 16. q. 7. Abb. ad rubr. h. t. n. 6. Azor cit. c. 19. q. 6. Garc. cit. c. 9. n. 52. &*

52. & 54. Ubi addit, idem esse, si plures concurrant in fundatione & constructione, ut declaravit *S. Congreg. Concilii super cap. 4. Sess. 21. de ref.* apud eundem.

VIII. Notandum secundò. Per solam fundationem, seu soli assignationem, non acquiritur statim Jus patronatûs: sed tum demum, si secuta fuerit constructio, & dotatio Ecclesiæ, vel ab ipso fundatore, vel ab alio, non enim potest quis dici Patronus Ecclesiæ, quæ nondum est, & fortè neque erit, *arg. c. pen. de Eccles. ædif. Garc. cit. c. 9. n. 44.* ubi *n. 45. & 46.* addit, si Ecclesia vel Capella cœpta sit ædificari; quia v. g. primus lapis, cum consensu Ordinarii, est positus, statim videtur acquiri Jus patronatûs, etiam ante perfectionem ædificii, nam tale ædificium inceptum, est locus pius, & Religiosus, maximè si ibi fixa sit Crux, ideóque capax est juris patronatûs: etsi quoad exercitium id ei non competit, donec fuerit perfecta Ecclesia: & si is, qui cœpit ædificare, non perficiat, Jus patronatûs non illi, sed perficienti acquiritur.

Notandum tertiò. Sub constructione comprehenditur etiam reparatio, seu reædificatio, nam si quis Ecclesiam penitus destructam, vel collapsam, ita ut novâ consecratione indigeat, reparet, & reædificet, cum Episcopi consensu, acquirit in illa Jus patronatûs; quia perinde est, ac si ab initio exstruxisset, priórque Patronus Jus patronatûs amittit, si hoc ex sola constructione ortum habuit, *arg. l. Quid tamen; 10. §. pen. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Ubi habetur, quòd si quis domum vel navim funditus dirutam reparavit, prior dominus usumfructum in ea ampliùs non habeat. Veruntamen si per partes Ecclesia sit reædificata, licèt denique tota nova facta sit, primus exstructor non desinit esse Patronus; quia eadem Ecclesia esset censetur, *arg. cit. l. Quid tamen; §. 1. Vers. plenè, Azor cit. c. 19. q. 10.* addit *Gl. in c. Quoniam 3. V. Fundatores; h. t.* Si Ecclesia collapsa, vel diruta ex eadem materia restauretur ab alio, verius esse, priorem non manere Patronum, licèt eadem videatur esse Ecclesia, & priori succedat; quia obligatio vel jus semel extinctum in re pereunte, nunquam ampliùs revivisceit *l. Qui res; 98. §. Aream; ff. de solut.* Ubi dicitur, *in perpetuum sublata obligatio restitui non potest*, & colligitur ex *cit. l. Quid tamen; §. pen. ff. quib. mod. usufr.* Porro æquum est, ut antequam Episcopus consentiat, ut alius Ecclesiam penitus dirutam, seu collapsam reædificet, antiquum Patronum requirat, an ipse velit reædificare, nec nè, ipsùmque aliis præferat, cùm ad illum, qui Ecclesiam ad esse produxit, id primo loco spectet, *arg. c. ult. de locat. Fagnan. in cit. c. Quoniam; n. 57. h. t.* Quòd si Ecclesia non sit penitus destructa: sed tantùm refectione aliquâ indigeat, tunc non acquiritur Jus Patrono reficienti, *Gl. in cit. c. Quoniam; V. Fundatores; Azor cit. c. 19. q. 5. Garc. cit. c. 9. n. 51.*

IX. Notandum quartò. Similiter si dos, vel fundus alicujus Ecclesiæ omnino pereat, antiquus Patronus ex nova dotatione, vel fundi assignatione ab alio facta non recuperat Jus patronatûs: sed ille acquirit, qui novam dotem, vel fundum assignat: quamvis Jus patronatûs consurgens ex dotatione, vel fundatione non amittatur ex sola destructione Ecclesiæ, si dos salva sit, aut fundus, & spes sit Ecclesiæ reparandæ: Quin etiam destructâ Ecclesiâ, is qui dotavit, vel fundavit, retinet Jus patronatûs, adeóque si Ecclesia reædificetur, erunt tres Patroni: sed ex diversis causis, *Abb. in cit. c. Quoniam 3. n. 11. Fagn. ib. n. 59. & 60.* Rationem dat *Abb. c. l.* Quia si duæ, vel plures causæ concurrant ad aliquem effectum, quarum quælibet per se sufficit, non extinguitur effectus, propter defectum alterius causæ tantùm.

X. Notandum quintò. Etsi *Gl. in c. Piæ mentis 26. V. eod caus. 16. q. 7.* putet, Jus Patronatûs non posse constitui, vel acquiri, post consecrationem Ecclesiæ, tum quia Patronus est quasi pater dictus, qui rē à non esse ad esse producit: tum quia Jus patronatûs est quasi servitus, seu onus quoddam, quod reis sacræ imponi non potest, *l. Ca- 4. ff. Communia prædior.* Verius tamen est, eum, q ecclesiæ constructæ: sed necdum dotatæ, post ejus consecrationem, dotem assignat, fieri Patronum, modò cum consensu Episcopi id fiat; quia favore Ecclesiæ patronatus quasi retrotrahitur, perinde ac si ab initio ante consecrationē Ecclesiæ constitutus fuisset, *arg. c. Tanta; 6. Qui filii sint legit. Abb. in cit. c. Quoniam; n. 9. h. t. Azor cit. c. 19. q. 8. Garc. cit. c. 9. n 55.* Hoc autem procedit, si is, qui Ecclesiam fundavit, vel exstruxit sine dote, mortuus sit, vel ad eum comodè non pateat accessus, tunc enim Patronus fit, qui Ecclesiā longè antè consecratam dotavit: alioquî enim prior fundator vel constructor, si consultus velit esse Patronus, simul Patronus fiet, *Azor c. l.*

Notandum sextò. Etsi quis Ecclesiæ aliquid donet, vel leget, si tamen id non faciat, expressè, vel tacitè, animo fundandi, seu construendi, aut dotandi Ecclesiam: sed solùm animo donandi, aut benefaciendi, non acquirit Jus patronatûs; quia censetur esse potiùs benefactor, quàm Patronus, jura autem indulgent Jus patronatûs, non benefactori, sed dotanti, *cit. c. Filius caus. 16. q. 7. Abb. in cit. c. Quoniam; n. 3. Garc. c. l. n. 60.* Porro is, qui fundat, exstruit, vel dotat Ecclesiam, acquirit Jus patronatûs, etiamsi illud sibi non reservârit, dummodo expressè illud non remiserit, ut ex communi docet *Azor cit. c. 19. q. 9. Garc. c. l. n. 62.*

XI. Notandum septimò. Ut Jus patronatûs ex prædictis causis acquiratur Ecclesiæ, requiritur, ut cum Episcopi Diœcesani, sive Ordinarii auctoritate, & consensu, Ecclesia fuerit constructa, vel fundata, aut dotata, *c. Nobis 3 25. in princ.* ibi: *cum assensu Diœcesani construxit, h. t. c. Nemo; 9. dist. 1. de consecr. Azor cit. c. 19. q. 7. Garc. cit. c. 9. n. 71.* Ratio est, quia nemo potest Ecclesiam vel Capellam ædificare, sine consensu Episcopi loci, *cit. c. Nemo; & c. Auctoritate; 4. de privil. in 6.* Ideòq; si sine consensu ædificet, non debet ex suo delicto beneficium seu privilegium consequi, *Abb. in cit. c. Nobis; n 2. h. t.* sufficit tamen si consensus interveniat ex postfacto, ut si Templum, sine consensu Episcopi, ædificatum, is postea acceptet, & consecrari jubeat, Jus patronatûs acquiritur ei, qui ædificavit, *Garc. c. l. n. 71. Barb. de offic. Episc. alleg. 70. n. 21.* qui consensus præstari debet ab Ordinario illius loci, in quo fundatur, vel ædificatur Ecclesia, *Barb. cit. alleg. n. 23.* nomine autē Ordinarii intelligitur quilibet Prælatus, etiam non Episcopus, dumodo Episcopalem jurisdictionem habeat, ubi Ecclesia ædificatur, *Barb. c. l. n. 30.* Imò etiam Capitulum Cathedrale, Sede vacante, potest dare consensum volenti ædificare Ecclesiam, isq; sufficit ad Jus patronatûs acquirendum, *Garc. c. l. n. 79. Barb. c. l. n. 32.* non item Vicarius Generalis Episcopi, sine speciali mandato ejusdem, *Garc. c. l. n. 75. Barb. c. l. n. 33.* His adde, quòd etiā tacitus, sive præsumptus consensus Ordinarii sufficit ad Jus patronatûs acquirendū ex diuturnitate temporis, saltem 30. annorū, *Menoch. l. 3. de præs. præs. 90. n. 15. & 16. & l. 6. præs. 79. n. 3.* Ubi ait, quando Ecclesia jam diu habet campanam, Altaria & his similia, præsumitur auctoritate Episcopi constructa, *Barb. in Collect. in cit. c. Nobis; n. 2. h. t.*

Notan-

Notandum octavò. Quamvis *Azor cit. c.* 19. dicat, acquiri Jus patronatûs etiam ex augmento dotis, si quis dotem non sufficientem suppleat, & augeat: Contrariũ tamen docet *Zerola in praxi Episc. p.* 2. *V. Jus patronatûs in princ. Garc. cit. c.* 9. *n.* 122. de jure non acquiri: sed necessarium esse, ut in totum Ecclesia de novo dotetur: quamvis ex privilegio Apostolico etiam ex augmento dotis acquiri possit Jus patronatûs, *Garc. c. l. n.* 123.

XII. Assertio 2. Præter prædictos tres modos, quibus jure communi acquiritur Jus patronatûs, potest hoc obtineri etiam ex privilegio concesso à Romano Pontifice; quia v. g. aliquis de Ecclesia, & Christiana Republica bene meritus est, etiamsi Ecclesiam non fundaverit, vel exstruxerit, vel dotaverit. At verò Episcopi, aliique Prælati Papâ inferiores tale privilegium concedere non possunt, ut constat ex *c.* 2. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. *Azor cit. c.* 19. *q. ult.* Nam hujusmodi privilegium est sublatum per *Concilium Trident. cit. Sess.* 25. *c.* 9. *de ref.* ut notat *Garc. cit. c.* 9. *n.* 119. ubi *n.* 118. ait, Jus patronatûs concessum ex privilegio, esse sublatũ per Concilium, etiamsi in eo dicatur, quòd sit ejusdem prorsus naturæ, ac roboris, ac si ex fundatione ac dotatione cõpeteret, cùm sit ad instar, & non propriè ex fundatione, aut dotatione, ut censuit *S. Congr. apud eund. c. l.*

Quare ut ratum, ac firmum sit tale privilegium, per quod Jus patronatûs alicui conceditur à S. Pontifice, necesse est, ut in eo addatur clausula derogatoria Decreto Concilii Tridentini, per quod talia privilegia sunt sublata, *Azor c. l.* Porro an per legitimam præscriptionem acquiri possit Jus patronatûs, dictum est supra *l.* 2. *tit.* 26. *n.* 117. *& seq.*

XIII. Restant adhuc aliæ duæ quæstiones circa Jus patronatûs, competens ex constructione Ecclesiæ, hoc loco expediendæ. Prima est, an si quis in fundo alieno, inscio, aut invito domino, exstruat Ecclesiam, Jus patronatûs acquiratur ædificanti, an verò domino fundi? Videtur acquiri domino fundi; quia omne quod inædificatur, solo cedit, *l. Adeò* 7. *§. Cùm in suo; ff. de acquir. rer. dom.* Sed contrarium dicendum est, nempe Jus patronatûs Ecclesiæ ædificatæ in alieno solo acquiri constructori, non domino fundi, qui tamen potest Ecclesiam in fundo suo ædificatam, ipso inscio & invito, propriâ auctoritate, destruere, vel occupare, si nondum consecrata sit, *arg. l. Quemadmodum* 29. *§.* 1. *Vers. aliud est; ff. Ad leg. Aquil. & l. Sed si* 27. *in princ. ff. de servit. præd. urban. c.* 1 *& 2. de novi oper. nunciat.* Neq; enim per ædificationem Ecclesiæ, domino invito, vel inscio auferri debet dominium fundi sui: id enim quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri non potest, *l. Si non debet* 74. *ff. de R. J.* Neque verò hoc casu solum cedit ædificio, favore Religionis; quia favor Religionis tantus esse non debet, ut ob illum præjudicium alteri adferatur, *c.* 1. *& 2. de oper. novi nunciat. Canis. in c. Quoniam* 3. *h. t. n.* 4. de quo plura infra *Tit.* 48. Dixi, si Ecclesia nondum sit consecrata; nam si consecrata fuerit, non potest à domino fundi occupari, vel demoliri, licèt æstimatio fundi à construente solvenda sit domino, *arg. c. Comperimus* 2. *caus.* 14. *q.* 6. *Abb. in cit. c.* 1. *n. ult. de novi oper. nunciat.* Nec obstat, quòd dominus fundi ossa defuncti ab alio illata non possit, propriâ auctoritate, effodere, sine Pontificali decreto, *l. Ossa* 8. *in princ. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Nam id publicæ utilitatis causâ receptum est, ne insepulta cadavera jaceant, *l. Sunt personæ* 43. *ff. Eodem.* His adde, quòd dominus fundi Ecclesiam ædificare possit in fundo feudali, vasallo etiam invito, cùm & alienare eum possit, ipso invito, ita tamen, ut hoc casu æstimatio fundi vasallo præstetur, vel aliud æquivalens feudum à domino detur, quod non æquè permissum est vasallo, *cap. un. l.* 2. *feud. tit.* 9. *& cap. unic. in princ. Vers. habito Tit.* 55. *Canis. c. l. n.* 5.

XIV. Altera quæstio est, an si Parochus, vel alius Clericus ex reditibus Beneficii sui Ecclesiam, vel Capellam ædificet, acquirat Jus patronatûs in illa? Resp. acquiritur quidem ipsi ad vitam ejusdem: post mortem verò illius, pertinet ad Ecclesiam, ex cujus reditibus Ecclesia, vel Capella ædificata fuit: sicut etiam ipsa succedit in omnibus aliis juribus, ex bonis Beneficii sui à Clerico acquisitis, *juxta c. ult. de pecul. Cleric. & c. Relatum*; 12. *de Testam.* Nomine autem Ecclesiæ, si hæc Collegiata non sit, acquiritur Jus patronatûs ipsi successori defuncti in Beneficio: si verò Ecclesia sit Collegiata, Jus patronatûs ad totum Collegium Clericorum spectat, *juxta cit. c. Relatum in fine.* Quòd si Clericus ex bonis patrimonialibus Ecclesiam exstruat, non sibi tantùm: sed etiam hæredibus suis Jus patronatûs acquirit. Si verò Clericus in proprio fundo, ex reditibus Beneficii sui Ecclesiam ædificet, eo vivente, jus patronatûs ad ipsum in solidum pertinet: post mortem verò ipsius, partim ad hæredes illius, partim etiam ad Ecclesiam, ratione redituum Beneficialium, pertinebit, *Canis. c. l. n.* 6. Porro is, qui exstruxit Ecclesiam, etsi postea à judice cogatur, ad eandem dotandam, acquirit Jus patronatûs; quia ab initio liberè ædificando, se huic oneri subjecit, quemadmodum etiam qui liberè donavit, non amittit beneficium legis, ne ultra, quàm commodè facere potest, condemnetur, etiamsi à Judice ad solvendum cogatur, *l. Inter* 19. *§. Is quoque; ff. de re judic. & l. In Condemnatione* 173. *in princ. ff. de R. I. Canis. c. l. n.* 12.

§. III.

Quinam sint capaces Juris patronatûs, sive quibus competere possit, vel non?

XV. Assertio 1. Non tantùm Clerici: sed etiam Laici sunt capaces Juris patronatûs, iisq; hoc jus competit ex concessione Ecclesiæ, & quidem ex gratia, non ex debito, prout sumitur ex *c. Quoniam*; 3. ibi: *in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, h. t.* & notat *Abb. ibid. n.* 2. Nam Jus patronatûs est spirituale, vel saltem spirituali annexum, Laici verò non sunt capaces jurium spiritualium, nisi ex concessione, & donatione Ecclesiæ. *c. Tua*; 25. *de decimis*, quibus Ecclesia hoc jus concessit, ut allicerentur fideles ad opera pietatis, & fundandas, ac dotandas Ecclesias, & Beneficia Ecclesiastica.

XVI. Assertio 2. Non solùm mares, sed etiam fœminæ sunt capaces Juris patronatûs, *c. ult. de conces. præb. Abb. in c.* 1. *n.* 3. *& c. Nobis*; 25. *n.* 3. *h. t. Azor p.* 2. *Lib.* 6. *c.* 21. *q.* 10. quia juxta Canones acquirit hoc jus, si quis Ecclesiam fundavit, exstruxit, vel dotavit: at verò vocabulo *si quis*, etiam *si qua* comprehenditur, ut ait *Gl. in c. Generali*; 13. *V. Universos*; *de Elect. in* 6. & masculinum concipit, sive continet etiam fœmininum *Gl. in Clement.* 1. *V. Homines de Elect. Abb. c. l.* nisi subjecta materia aliud suadeat, ut in feudo, in quo fœminæ sub masculino genere non continentur, propter naturam feudi, ut alibi dictum.

XVII. An autem si Jus patronatûs annexum sit bonis, ab uxore marito in dotem datis, jus præsentandi

ad maritum pertineat, dubitatur! Negat *Azor cit. c. 21. q. 16.* quia cùm verum & naturale dominium dotis penes uxorem maneat, penes ipsam etiam manebit jus præsentandi, bonis dotalibus annexum, adeóque ad maritum non transit. Nec refert, quòd rerum dotalium fructus, & emolumenta ad maritum spectent, præsentare autem, est quidam fructus & emolumentum patronatûs: Nam non est talis fructus, qui conferat ad onera matrimonij sustinenda, cùm non sit fructus pecuniâ æstimabilis: sed quidam honor, ideóque nil mirum, si hujusmodi fructus, cum dote, ad maritum non transeat.

Contrarium tenet *Garc. p. 5. c. 9. n. 177. Laym. Lib. 4. Tract. 2. c. 13. q. 7. n. 18. Zæsius in Comment. h. t. n. 36.* nempe jus præsentandi, ad solum maritum, & non ad uxorem spectare, durante matrimonio; quia cùm non solùm fructus, *c. Per vestras; 7. de donat. inter vir. & uxor. c. Salubriter; 16. de usur.* sed etiam dominium rerum dotalium, saltem civile, & juris fictione sit penes maritum, *l. Doce; 9. C. de rei vind. l. Cùm dotem; 10. C. de jure dotium.* non solùm fructus, qui commoditatem pretio æstimabilem, ad onera matrimonij sustinenda præstant: sed & alij omnes ad eum pertinere debent, etsi eam commoditatem non afferant; cùm de Jure Civili maritus absolutè censeatur esse dominus, in ordine ad omnes effectus, præter exceptos in jure, in quo jus patronatûs non excipitur. Deinde hìc non consideratur jus patronatûs per se: sed quatenus transit accessoriè cum bonis in dotem datis, quibus est annexum, nam jus præsentandi cum universitate rerum & jurium transit, *c. Ex literis; 7. h. t.* ergo cum dominio rerum dotalium, sive vero, & naturali, sive civili tantùm, consequenter etiam transit jus patronatûs illis annexum, adeóque ad solum maritum spectabit, præsentare, & non ad uxorem, *Garc. c. l. n. 177. 179. 180. & 183.* Aliud est in tutore, respectu pupilli, cùm tutor non habeat dominium rerum pupillarium: sed solùm administrationem, illud verò sit penes pupillum, eique fructus cedant, ideóque etiam jus patronatûs, *Garc. c. l. n. 182.* Et hæc sententia posterior videtur probabilior. Illud certum est, si jus patronatûs annexum sit aliis bonis, uxoris in dotem non oblatis: sed paraphernalibus, ac propriis, tum ad ipsam solam pertinet præsentatio, nec maritus potest se immiscere, nisi ex urbanitate uxor eum simul præsentare permittat, *Garc. c. l. n. 185. Laym. c. l.*

XVIII. Assertio 3. Non solùm puberi: sed etiam impuberi competere potest jus patronatûs, *Azor cit. c. 21. q. 14. Laym. c. l.* Nam cùm pupillus sit capax hæreditatis, & legati, potest in illum jure successionis ex testamento, vel ab intestato jus patronatûs transire. Porro si pupillus sit infans, id est, infra septennium, non ipse: sed tutor, nomine ipsius, præsentare debet, *Garc. cit. c. 9. n. 193.* Si verò sit major septem annis, tum vel est adhuc infra annos pubertatis, vel suprà: si infrà, tum æquum est, ut præsentatio fiat cum tutoris auctoritate; cùm tutor detur etiam ad actiones personæ regendas, si tamen impubes major septennio præsentet, sine tutoris auctoritate, valet præsentatio, sicut & sponsalia de futuro, ita, ut si præsentetur à pupillo, etsi minùs dignus sit (modò idoneus sit) præferri debeat præsentato à tutore, etiam digniori; quia pupillus est quasi dominus juris patronatûs, & tutor non administrat spiritualia, *Azor cit. q. 14. Garc. c. l. n. 186.* Potest tamen tutor absolutè præsentare, tametsi pupillus sit major septennio, cùm habeat potestatem in personam & bona pupilli, nisi hic rationis discretione præditus contradicat, vel alium ante institutionem præsentet, *Garc. c. l. n. 194.* Quòd si verò Patronus sit pubes, minor tamen XXV. annis, tum non potest præsentare curator, nec ejus præsentatio est valida, nisi ex mandato minoris fiat; quia curator non datur minori, præsertim quoad Ecclesiastica, & spiritualia: sed bonis temporalibus illius administrandis, *Garc. c. l. n. 195. & 196.*

Similiter si filiusfamilias sit Patronus, præsentatio ad ipsum spectat, non ad patrem; quia in spiritualibus & quasi, non attenditur patria potestas, neque illi subjicitur filius, *Garc. c. l. n. 198.* Sed neque potest pater præsentare pro filio, tanquam pater & conjuncta persona, etiam cum cautione de rato; tum quia ad præsentandum requiritur speciale mandatum: tum quia in causa spirituali, qualis est ista, etiam pater, vel alia persona conjuncta non admittitur sine mandato, etiam cum cautione de rato, nisi fieret ratificatio intra tempus datum, ad præsentandum à tempore ratificationis, *Garc. c. l. n. 201. & pluribus seqq.*

XIX. Assertio 4. Non tantùm legitimè nato: sed etiam spurio, vel alii illegitimo competere potest jus patronatûs, ut colligitur ex *c. Piæ; 26. & c. seq. & c. Filiis; 31. caus. 16. q. 7.* In quibus generatim statuitur, ut quicúnque Christianus fundaverit, exstruxerit, vel dotaverit Ecclesiam, jus patronatûs acquirat, nec reperitur ullum jus scriptum, quod illegitimum hoc jure privet. Deinde cùm spurius, seu illegitimus sit capax hæreditatis, vel legati relicti ab extraneo, potest hæreditate, vel legato etiam jus patronatûs acquirere, quippe quod cum rerum universitate transfertur. Idémque est, si spurio, vel illegitimo donetur, vel vendatur res aliqua, cui annexus est Patronatus, *Azor cit. c. 21. q. 15.*

XX. Assertio 5. Judæus, aut paganus, seu infidelis est incapax juris patronatûs, ac proinde etiamsi Ecclesiam fundaverit, exstruxerit, vel dotaverit, vel exstrum emerit, cui annexus est patronatus, illum non acquirit, ut tradit *Gl.* recepta in *c. Frigentius; 27. V. Qui Christianis, caus. 16. q. 7. arg.* illius *text. & c. Piæ; 26. & c. Quicúnque fidelium; 30. ead. caus. & q.* Ubi dicitur, Christianos homines, sive fideles, si Ecclesias fundaverint, vel exstruxerint, jus patronatûs acquirere, *Azor cit. c. 21. q. 7.* Si tamen infidelis, vel Judæus funder Ecclesiam, tenetur illam dotare, & illa fit liberæ collationis, *Fagnan. in c. Nobis; 25. n. 9. h. t.* Sed neque hæreticus est capax juris patronatus, ut docet *Jo. Andr. in c. Nobis; 25. n. 3. h. t. & ibid. Abb. n. 3. Azor c. l. q. 8.* Ratio est, quia Patronatus est jus Ecclesiasticum, hæreticus autem est extra Ecclesiam, ideóque non competit ei hoc jus, & honor in Ecclesia ei annexus, *c. Didicimus; 31. caus. 24. q. 1.* Quare si Patronus in hæresin lapsus præsentavit, alia præsentatio fieri debet, si tamen postea ad Catholicam Fidem reversus fuerit, recuperat jus patronatûs, nisi per sententiam sit privatus, ac damnatus ob hæresin, *Gl. in c. Maximum; 19. V. Dignitate; caus. 1. q. 7.* Accedit, quòd omnia bona hæretici ipso jure confiscantur, *c. Cùm secundùm; 19. de hæretic. in 6.* & consequenter etiam jus patronatûs ad Fiscum transit, *Azor c. l.*

XXI. Assertio 6. Ligatus majore excommunicatione

catione non amittit jus patronatûs, quod ante excommunicationem habebat, ejus tamen usu & exercitio privatur, donec fuerit absolutus, *Azor cit. c. 21. q. 9.* potest tamen Episcopus consentire, ut excommunicatus toleratus, & non vitandus Ecclesiam ædificet, isque jus patronatûs acquirat: sed exercitium non habebit, ante absolutionem, *Jo. Andr. in cit. c. Nobis 3. n. 3. h. t.* Quòd si Prælatus excommunicatus Ecclesiam ædificet, vel dotet, nullum dubium est, jus patronatûs acquiri Ecclesiæ, v. g. Monasterio. Porro Patronus in excommunicatione positus, sive Ecclesiasticus sit, sive Laicus, præsentare non potest, adeo, ut institutio ab Episcopo facta, ad præsentationem talis Patroni, irrita sit, ut docet *Covarr. in c. Alma 3 p. 1. §. 7. n. 9. Vers. 12. effectus.* Ratio est, quia excommunicato prohibitum est omne exercitium, & usus juris Ecclesiastici: sed præsentatio est usus, seu exercitium talis juris; quia per præsentationem, saltem postquam admissa est ab Episcopo, seu Ordinario, acquiritur jus & actio ad petendam institutionem in Beneficio, ad quod aliquis est præsentatus. Tum quia electio ab excommunicatis facta, est irrita, *c. un. Ne Sede vacante in 6.* Atqui præsentatio in jure æquiparatur electioni, ita ut quæ de hac statuta sunt plerúmque etiam locum habeant in præsentatione, secundùm *Gl. in c. ult. V. Electione de Elect. in 6.* quia etiam præsentatio aliquod jus tribuit, licèt minus, quàm electio.

XXII. Ubi tamen notanda est differentia inter excommunicatum vitandum, & non vitandum, quoad præsentationem: nam ipsi excommunicato nunquam licita est præsentatio, sive sit denunciatus, & vitandus, sive non; quia illi *per Extravagantem Constantiensem Ad evitanda*, nullus factus est favor: præsentatio verò facta ab excommunicato vitando invalida est, sive Patronus sit Ecclesiasticus, sive Laicus: ac proinde hoc casu, si excommunicatus sit in mora legitimè præsentandi, Episcopus liberè conferre potest Beneficium, quasi utendo jure præsentandi ad se devoluto, ne Ecclesia damnum patiatur: si verò excommunicatus non sit vitandus, sed toleratus, tum non potest Episcopum obligare, ad acceptandam præsentationem ab ipso factam; quia quamvis liceat communicare cum tali excommunicato, nemo tamen ad id obligatur: acceptatio autem præsentationis, est quædam communicatio cum Patrono excommunicato: potest tamen Episcopus præsentationem ab excommunicato non vitando factam admittere, si velit, non solùm validè: sed etiam licitè; quia non tenetur vitare talem excommunicatum, adeóque nec prohibetur acceptare ejus præsentationem, *Suar. dis. 14. de censur. sec. 2. n. 30.* Neque verò etiam excommunicato currit tempus ad præsentandum præscriptum, si non sit in mora petendæ absolutionis; quia tunc est legitimè impeditus, cui tempus non currit, *c. Quia; 5. de conceff. præb. c. un. §. 1. Ne Sede vacante in 6. Zæs. h. t. n. 58.*

SECTIO II.

QVÆ JVRA COMPETANT Patronis, & quam potestatem habeant, vel non habeant in Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis?

§. I.

An competat Patronis Jus seu potestas liberè disponendi de Ecclesiis, & Juribus ac bonis earum, quarum sunt Patroni?

XXIII. Assertio 1. Patroni Laici, vel etiam Ecclesiastici non habent potestatem bona Ecclesiarum, quarum sunt Patroni, administrandi, vel de illis liberè disponendi, instituendo, vel destituendo Clericos in Ecclesiis patronatis, *Abb. in c. Præterea; 4. n. 1. h. t.* Idque probatur ex *eodem cap.* quod est desumptum ex *Concil. Lateran. sub Alexandro III. c. 14.* Ubi dicitur: quia in tantum quorundam Laicorum processit audacia, ut Episcoporum auctoritate neglectâ, Clericos in Ecclesiis instituant, & removeant: possessiones quoque, & alia bona Ecclesiastica, pro suo arbitrio, distribuant, eos (post monitionem canonicam) anathemate feriendos, sive excommunicandos, decernimus. Ratio est, quia Laici nullam habent potestatem, disponendi de rebus Ecclesiasticis, *c. 2. de judic.*

Idem statutum habetur in *Concilio Tridentino Sess. 25. c. 9. §. Patroni autem de ref.* de Patronis, sive Clericis, sive Laicis, his verbis: Patroni Beneficiorum cujuscúnque Ordinis & Dignitatis, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quæcúnque Clericorum, vel Laicorum existant, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum quorumcúnque Beneficiorum, etiamsi verè de jure patronatûs ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus nullavè causâ, vel occasione se ingerant: sed illos liberè Rectori seu Beneficiato, non obstante etiam quacúnque consuetudine, distribuendos dimittant. Ubi etiam additur: si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur (quæ proinde videtur esse excommunicatio latæ sententiæ) & dicto Jure patronatûs, ipso jure, privati existant. Ex quo infertur, quòd si Patronus Laicus Ecclesiam, vel Capellam fundavit, administratio gazophylacii non ad ipsum: sed ad Rectorem & Ministros Ecclesiæ, vel ab ipso deputatos pertinere debeat, *Læym. Lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 11.*

XXIV. Similiter Clericus, qui Ecclesiam à Laico, sine proprii Episcopi auctoritate, accepit, sive in illa se institui, aut investiri permisit, communione privandus est, sive excommunicandus: & si in delicto perstiterit, ab Ordine & Ministerio Ecclesiastico deponendus est, prout statuitur in *cit. c. Præterea; in fine h. t.* Et sic non est ipso jure seu facto excommunicatus, vel suspensus, qui recipit Ecclesiam à Laico: sed excommunicari, & suspendi debet, ut notat *Gl. fin. hic.*

Porro is, qui à Laico in Beneficio est institutus, seu investitus, si postea canonicam institutionem impetrare velit, vitium intrusionis in petitione exprimere debet; quippe per quod inhabilis factus est ad Beneficium, in quod est intrusus, *Abb. in cit. c. Præterea; n. 2. h. t.* quin imò talis neq; ad aliud Beneficium vel dignitatem Ecclesiasticâ promoveri potest, prout in simili habetur in *c. Quisquis; 43. de Elect.* Ubi dicitur, si quis per abusum potestatis sæcularis electus consensû dare præsumpserit, ejus electio ipso jure est irrita, & electus ineligibilis redditur, ita ut ad nullam Dignitatem Ecclesiasticam eligi possit, ut notat etiam *Gl. fin. in cit. c. Præterea.*

XXV. Simile decretum extat in *c. Si quis*; 16. *caus.* 16. *q.* 7. *& inc. Relatum*; 21. *h. t.* Ubi cùm relatum fuisset Alexandro III. quòd nonnulli Clerici, occasione Laicæ recognitionis, (quia v. g. dominus loci Jus patronatûs habet) non requisitâ Episcopi auctoritate, Beneficia Ecclesiastica in Parochiis sibi vendicare præsumunt: idcirco Papa, quoniam tales non intrant per ostium, sed aliunde ascendunt, nec digni sunt, qui Pastoris nomine, ac prærogativâ gaudeant: mandat Archiepiscopis & Episcopis Angliæ, ut si Clerici illi commoniti non resignaverint, ab Officio & Beneficio (nisi Episcopali concessione fuerint muniti) suspendantur seu removeantur: etsi neque tunc destiterint, excommunicentur, neque ante condignam satisfactionem absolvantur, *prout habetur in integra lectione hujus cap.*

Ex quo patet, quòd qui non canonicè seu legitimè obtinent Ecclesiastica Beneficia: sed per Laicam potestatem, illi non tantùm titulum, ac jus veri Pastoris, Rectoris, vel Beneficiarii non acquirunt: sed neque eo nomine gaudere debent, ita ut non Prælati, vel Rectores simpliciter: sed cum addito, intrusi, vel prætensi vocari debeant; nam nomina rebus convenire debent, §. *Est & aliud Instit. de donat. Abb. in cit. c. Relatum*; *n.* 2. *h. t.* Porro decisio dicti cap. renovatur in *Concilio Trident. Sess.* 14. *c.* 13. *de refor.* Ubi ita statuitur: Non liceat Patrono, cujusvis privilegii prætextu, aliquem ad Beneficia sui juris patronatûs, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præsentare, aliàs præsentatio ac institutio forsan secutæ nullæ sint, & esse intelligantur.

XXVI. Additur præterea in *cit. c. Relatum*, §. *Ad hoc*; *h. t.* Quoniam quidam Laici Ecclesias possessionibus suis spoliant, ut sic viros Ecclesiasticos coram Judice sæculari faciant litigare: ideo mandat Papa dictis Archiepiscopis, & Episcopis, ut publicè sub interminatione anathematis (sive cominatione excommunicationis) id prohibeant: si quis verò hujus prohibitionis contemptor existat, eum excommunicationi subdant. Hinc patet, quòd illi, qui Ecclesias spoliant, aut bona illarum invadunt, non sunt excommunicati, ipso jure: sed sunt excommunicandi, quousque destiterint, & satisfecerint, *c. Conquestus*; 16. *junct. Gl. fin. de for. compet. Gl. fin. in cit. c. Relatum & Abb. ibid. n.* 4. *&* 5.

Consentit *Concil. Trid. Sess.* 22. *c.* 11. *de refor.* Ubi contra eos, qui bona, jura, vel jurisdictiones Ecclesiarum, vel aliorum piorum locorum usurpare, aut in proprios usus convertere, præsumpserint, vel impedire, ne ad eos perveniant, ad quos de jure pertinent, sententia excommunicationis, ipso facto, decernitur, ejùsque absolutio Papæ reservatur: & additur, quòd si Patronus Ecclesiæ ita delinquat, eum ultra prædictas pœnas, etiam jure patronatûs eo ipso privatum esse.

XXVII. Assertio 2. Patroni, non tantùm non habent jus seu potestatè instituendi, aut destituendi, seu amovendi Clericos in Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis, *juxta cit. c. Præterea*; *h. t.* etiamsi Patroni Ecclesiastici sint *c.* 2. *de suppl. negl. Præl.* sed neque concedere, seu liberè conferre possunt Ecclesias, vel Beneficia, in quibus jus Patronatûs habent: sed præsentare tantùm illas possunt, prout constat ex *c. Transmissæ*; 31. *&* *ult. h. t.* Nam cùm Capitulum Ecclesiæ Eboracensis Ecclesiam quandam vacantem, in qua Jus patronatûs Canonici illi obtinebant, R. Clerico concessissent, ipsi postmodum mutatâ voluntate, L. Clericum Archiepiscopo Eboracensi præsentârunt ad eandem Ecclesiam, post appellationem ab eodem R. ad Sedem Apostolicam interpositam. Unde quæsivit Archiepiscopus, utrùm Clericum illum sibi præsentatum debeat instituere, non obstante appellatione prædicti R. cui priùs collatio Ecclesiæ illius facta est ab eodem Capitulo? Respondet Papa Gregorius IX. quòd cùm ex vi juris patronatûs, non concessio, sive collatio: sed præsentatio solùm pertineat ad Patronum, illum præsentatum instituere poterit Archiepiscopus in Ecclesia illa, ad quam est præsentatus, utpote potiorem (quia alter cui collatio facta est, nullum jus habuit, *Gl. fin. hîc*) dummodo ei aliquod aliud canonicum (scilicet impedimentum) non obsistat.

XXVIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò, ad Patronum, quamvis Ecclesiasticum, non pertinet potestas concedendi seu conferendi Ecclesiam vel Beneficium: sed præsentandi tantùm, ut præsentatus ab Episcopo instituatur: ac proinde concessio, seu collatio à Patrono etiam Ecclesiastico facta, non habet vim præsentationis, ut apertè colligitur ex *cit. c. ult. h. t.* Nam si haberet effectum præsentationis, non potuisset, in casu proposito, Capitulum alium postea præsentare, cùm Patronus Ecclesiasticus non possit variare, *c. Cum autem*; 24. *h. t. Abb. hîc n.* 2. Et hinc Episcopus, vel alius, ad quem spectat institutio, non debet admittere literas præsentationis, in quibus Patronus, sive Ecclesiasticus, sive Laicus, se vocat Collatorem Ecclesiæ, vel Beneficij, vel concessionem, seu collationem sibi competere, *Abb. hîc n.* 5. Qualis mos obtinet etiam in quibusdam Diœcesibus Germaniæ, qui aboleri deberet; nam ex abusu vocabulorum facilè consequitur etiam abusus potestatis, maximè in Laicis, ita ut hac occasione multæ Simoniæ committantur, & Ecclesiastica immunitas violetur.

XXIX. Notandum secundò. Præsentatio facta à Capitulo in casu hujus cap. etiam post appellationem interpositam à Clerico, cui collatio priùs facta est, valida fuit; quia per talem concessionem, seu collationem nullum jus fuit ipsi appellanti acquisitum, cùm fuerit ipso jure invalida, ob defectum potestatis conferendi, ideóque non præstitit impedimentum secundæ præsentationi, quam idem Capitulum postea fecit, *non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, Reg. jur.* 52. *in* 6. non enim Capitulares priorem Clericum præsentârunt, quod facere poterant: sed contulerunt ei Ecclesiam, quod facere non poterant, ideóque nec appellatio illius tenuit; quia ejus non intererat, appellare, cùm nullum jus haberet ad Ecclesiam, vel Beneficium, vi illius collationis, quippe invalidæ, nam Patronus quâ talis, Ecclesiam, vel Beneficium donare, seu conferre non potest: sed solùm præsentare, *Gl. in cit. c. ult. V. Post appellationem, & V. Ex vi juris patronatûs.*

XXX. Notandum tertiò. Potest quis retractare etiam proprium factum, si id invalidum sit, vel cedat in præjudicium Ecclesiæ, vel tertiæ personæ, vel in damnum animæ, ac salutis propriæ, ut colligitur ex hoc, *ult.* & docet *Abb. ibid. n.* 3. & constat ex alibi dictis.

Notandum quartò. Pœna decreta à Lege non debet extendi, etiam propter identitatem rationis, ideòque etsi Capitulum in casu dicti, *c. ult.* illicitè, & invalidè contulerit Ecclesiam: non tamen debuit privari pote-

potestate præsentandi, pro illa vice; quia ea pœna jure decreta est in eos, qui scienter inhabilem eligunt, adeóque electionem faciunt irritam, *c. Cùm Vintonienſis; 25. de Elect.* Ratio est, tum quia Capitulares isti correxerunt factum suum, præsentando, prout debebant: tum quia non peccârunt eligendo, cùm non elegerint; sed contulerint, ideóque puniri non debebant in eo, in quo non peccaverunt, neque enim pœnæ extendendæ sunt ultra casum expressum, *Gl. in cit. c. ult. V. Ex vi juris patronatûs in fine, Abb. ibid. n. 8.* Ubi tamen addit, quòd isti Capitulares puniri possunt pœnâ extraordinariâ.

§. II.

An ius eligendi, vel præsentandi competat Patrono in Ecclesia Collegiata, seu Conventuali, & quanam iura, præterius præsentandi, eidem debeantur?

XXXI. Assertio 1. Is, qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, vel dotavit, et quidem Patronus illius, non tamen jus eligendi Prælatum habet, ideóque suffragium ferre non potest in electione: præsertim si Laicus sit, nec Prælati electioni interesse debet, neque assensus illius, ante electionem, requirendus est, prout sumitur ex *c. Nobis; 25. h. t.* & ibi *Gl. in casu*, Nam » cùm quæsitum fuisset ex Papa Clemente III. utrùm » si aliquis Ecclesiam construxit, efficiatur Patronus, & » num is ad electionem Rectoris, unâ cum Clericis, » sit admittendus, an repellendus, quamvis Patronus » longam consuetudinem alleget, secundùm quam in» terfuerit electioni? Respondet Papa, si quis cum » consensu Diœcesani, Ecclesiam construxit, ex eo jus » patronatûs ipse acquirit: Verùm si Ecclesia Conven» tualis sit, non electioni faciendæ: sed jam factæ, ho» nestiùs Patroni assensus petitur: præterquam si juris» dictionem obtineat, secundùm quam partes suas in» terponere debeat electioni tractandæ. Secus autem » est in Capella, in qua à Patrono unus Presbyter eli» gitur, & præsentatur Episcopo loci, ut ab eo insti» tuatur. Ratio autem, cur Patronis Laicis non competat jus eligendi in Ecclesiis Collegiatis, sive Conventualibus (sicut nec jus instituendi, vel destituendi in quibusvis Ecclesiis) est; quia Laici, cùm jurium spiritualium non sint capaces, nullam habent de rebus & Personis Ecclesiasticis disponendi potestatem, *c. 2. de judic. c. Tua; 25. de decimis:* nisi quatenus ipsis à SS. Canonibus, vel Sede-Apostolica fuerit commissum, aut concessum. Est autem Patronis Laicis concessum jus præsentandi, non autem eligendi; quia posterius est multò majus, & potentius jus, magisque spirituale, quàm prius: nam præsentatio Beneficiarii immediatè dirigitur ad Superiorem Ecclesiasticum, ut præsentatum instituat in Ecclesia, vel Beneficio, per quam institutionem is acquirit propriè jus ad Beneficium, ut colligitur ex *c. Quod autem; 5. h. t.* At verò electio proximè dirigitur ad electum, ipsique jus tribuit, *c. Quod sit; 6. de Elect. in 6.* ideóque etiam per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi conjugale vinculum, sive matrimonium spirituale contrahi, seu inchoati censetur, *c. Cùm inter; 21. de Elect. Laym. in qq. Canon. de Præl. Eccles. Elect. q. 21. & dictum supr. l. 1. tit. 6. n. 19.*

XXXII. Assertio 2. Sed neque Jus patronatûs, sive nominandi, aut præsentandi Prælatum seu Rectorem in Ecclesia Collegiata Laicis est concessum: sed solùm in Capella, sive Ecclesia non Collegiata, tametsi Parochialis sit, ut colligitur ex *cit. c. Nobis; 5* & tradit *ibid. Abb. n. 3. & Barb. n. 4. Laym. c. l.* Ratio est, quia Prælati Ecclesiarum Collegiatarum in dignitate sunt constituti, & præcipuum in iis locum obtinent, ac jurisdictionem in foro externo exercent, etiam in ipsos Clericos, ideo non decet, ut Laici eos constituant, & Clericis obtrudant.

XXXIII. Notandum hîc primò. Per nullam consuetudinem, etiam immemorialem, potest Laicus, quamvis sit Ecclesiæ Patronus, acquirere jus eligendi ad Prælaturam in Ecclesia Collegiata, ut constat ex *c. Massana; 56. de Elect.* & tradit *Gl. communiter recepta in cit. c. Nobis; V. Nisi aliter; h. t.* Quia id cederet in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, si electio, vel constitutio Prælatorum Ecclesiasticorum potestati Laicorum concederetur. Præterquam si impetratum sit privilegium Sedis Apostolicæ, per quod Laicus reddatur capax, possidendi jura spiritualia: vel nisi extet constans fama talis privilegii obtenti, cum bona fide, & lapsu temporis immemorialis, tunc enim eligit, non auctoritate propriâ & seculari: sed potiùs Ecclesiasticâ, & Apostolicâ, *Laym. in qq. Canon. q. 20. Resp. 3.* Verùntamen potest per consuetudinem, pactum, vel fundationem introduci aut constitui, ut consensus, vel saltem consilium Patroni Laici, etiam ante electionem sit requirendus: vel ut Laicus, unâ cum Clericis, interesse possit tractatui de electione instituenda, ita tamen ut liberam eligendi facultatem Clericis relinquat, & defensionis solùm causâ assistat, ut electio ritè, tranquillè, & ordinatè peragatur, ut colligi videtur ex *cit. c. Nobis*; & tradit *Io. Andr. ibid. n. 12. h. t. Laym. in c. Sacrosancta; 21. n. 1. de elect.* ubi tamen *n. 2.* addit, secundùm modernam Ecclesiæ praxin, non videri permissum, ut Laicus etiam Patronus, tractatui electionis interfit, unâ cum Clericis, & si fortè hujusmodi consuetudo olim tolerata fuit, postea tamen correctam fuisse, ut tradit *Gl. in cit. c. Sacrosancta; V. In Laicum*; & colligitur ex *c. Cùm terra; 14. de Elect.* Plura de requirendo consensu Patroni in electione dicta sunt, *cit. Lib. 1. Tit. 6. n. 236.*

XXXIV. Notandum secundò. Non potest, vi solius consuetudinis, etiam immemorialis, Patronus Laicus acquirere Jus nominandi, vel præsentandi Prælatum, seu Rectorem in Ecclesiâ Collegiata, absque concessione, seu privilegio S. Pontificis; cùm Laicus sit incapax talis juris spiritualis, sine concessione Prælati Ecclesiastici, quod Episcopus quidem potest concedere Patrono Ecclesiastico, non autem Laico: sed solus Papa, *juxta Gl. in cit. c. Nobis; V. Nisi aliter; h. t.* quâ ratione ex concessione Papæ facultas nominandi, aut præsentandi Episcopos Archiepiscopo Toletano, competit Regibus Hispaniæ: & Galliæ Regibus in Delphinatu potestas nominandi Episcopos, aliòsque Prælatos, eòsque præsentandi S. Pontifici, *Laym. in qq. Canon. cit. q. 20.* Veruntamen potest Patronus, etiam Laicus, in fundatione per pactum, seu conditionem appositam, cum auctoritate Episcopi, & consensu, seu acceptatione Ecclesiæ, sibi reservare jus nominandi, seu præsentandi Prælatum, etiam in Ecclesia Conventuali, *Barb. in cit. c. Nobis; n. 5. §. Limita; h. t.* Multò magis Patrono competit jus præsentandi ad præbendas

das, seu Canonicatus, & Capellas, aliàque Beneficia simplicia, quæ existunt in eadem Ecclesia Conventuali, cùm jura seu Canones solùm excludant Patronum ab electione, vel præsentatione Prælati in Ecclesia Conventuali, *Abb. in cit. c. Nobis*; *n. 6. in fine*, *Barb. c. l.* sumitur autem hîc Ecclesia Conventualis latè, pro qualibet Ecclesia Collegiata, sive Sæculari, sive Regulari, cùm aliàs propriè & strictè solæ Ecclesiæ Religiosorum appellentur Conventuales, quæ habent Conventum Regularem, *Abb. c. l. n. 3.*

XXXV. Notandum tertiò. Episcopus non potest, ordinariè loquendo, Capellam, vel Ecclesiam parochialem patronatam, invito Patrono, commutare in Ecclesiam Collegiatam; quia id cederet in præjudicium Patroni, *arg. c. Monasterium*; *33. & c. seq.* Ubi dicitur, quòd Episcopus non potest auferre Ecclesiam à dispositione Patroni, eo invito, *caus. 16. q. 7.* sicut ergo, invito Patrono, non potest auferri Jus præsentandi directè: ita nec indirectè, convertendo Ecclesiam patronatam in Collegiatam: quomodo etiam dominus rei non potest usum rei mutare, etiam in melius, invito usufructuario, *l. ult. in fine ff. De usu & habit.* Si verò, ob aliquam necessitatem, talis Ecclesia convertatur in Collegiatam, ita ut Patronus non possit contradicere; quia non potest impedire majus Ecclesiæ bonum: sed magis illud promovere debet: hoc casu, non tantùm ad Canonicatus, & Beneficia simplicia: sed etiam ad Prælaturam in eadem Ecclesia Jus nominandi seu præsentandi retinet, nisi tempore fundationis, vel postea consenserit, ut fieret Ecclesia Collegiata, sine protestatione, sive reservatione juris sui, tunc enim electio Prælati, seu Rectoris ad Collegium Clericorum tantùm pertineret, *Gl. in cit. c. Nobis*; *V. In Capella*; *h. t. Abb. ibid. num. 10.*

Notandum quartò. Inter electionem, & præsentationem hoc est discrimen, ut colligitur ex *cit. c. Nobis*; *h. t.* quòd electio fiat à Collegio, seu Ecclesia habente Conventum, per quam Jus acquiritur Prælato electo, ita tamen, ut si idoneus sit, & canonicè electus, à Superiore confirmari debeat, antequam confirmationem non habet plenum Jus in Prælatura, nec exercitium illius, *Abb. in cit. c. Nobis*; *n. 4.* præsentatio verò regulariter solùm fit ad Beneficia non electiva, sive quæ Prælaturæ non sunt, nec Jus tribuit irrevocabile, antequam sit acceptata, de quo plura infra.

» XXXVI. Assertio 3. Propter fundationem quo-
» que Ecclesiæ servatur, ac debetur fundatori seu Pa-
» trono honor processionis: & si ad inopiam vergat,
» ab Ecclesia illi modestè succurrendum est, sicut in
» SS. Canonibus (*c. Quicunque*; *30. caus. 16. q. 7.*) est
» constitutum, ita statuitur in *cit. c. Nobis*; *in fine h. t.*

Ubi Notandum primò. Consistit in primis honor, qui debetur Patrono in eo, quòd ei venienti ad Ecclesiam Clerici debeant obviam ire processionaliter, eùmque excipere, dummodo ratione statûs personæ id ei conveniat, ut quia Rex est, vel magnus Princeps, *Gl. magna in c. un. in notatis h. t. in 6.* Item quia honoratior locus Patrono in processionibus, & sessionibus in Ecclesia, & aliis similibus actibus, debetur præ cæteris Laicis, *Abb. in cit. c. Nobis*; *n. 5. h. t.* Gl. verò *in c. Piæ mentis*; *26. V. eod. caus. 16. q. 7.* & plures alii per honorem processionis hîc intelligunt eum, quo Patronus, unâ cum Clerico, quem præsentare vult, procedit ad Episcopum, ut ab eo instituatur. Porro dominum temporalem loci, qui contentiosam jurisdictionem fori externi obtinet, etiam in patronata Ecclesia debere præcedere Patronum, præsertim si jurisdictionem habeat in ipsum etiam Patronum, putat *Fagnan. in cit. Nobis*; *21. n. 21. & seqq.* An autem Patrono Ecclesiæ is honor debeatur, ut in Jus vocari non possit, nisi præmissâ veniæ petitione, sicut de parentibus, & Patronis libertorum jure cautum reperitur, dubitari potest. Sed verius est, id quidem decens esse, non autem necessarium; cùm nullibi id de hoc Patrono jure expressum sit, *Zæs. in Comment. in Decret. h. t. n. 27.*

XXXVII. Notandum secundò. Si Patronus ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè succurrendum est, id est, moderatum subsidium præbendum, habito respectu ad facultates Ecclesiæ, & ad qualitatem personæ, *Gl. fin. hic.* censetur autem ad inopiam tendere, si Patronus se, uxorem, filios, & familiam suam ex propriis bonis, vel aliunde v. g. ex officio, vel opere suo, quod licitè & honestè exercere possit, commodè & pro statu suo sustentare non possit, *arg. l. Si quis*; *5. §. Sed si filius*; *ff. de agnosc. liber. Barb. in cit. c. Nobis*; *n. 7.* quamvis *Gl. in cit. c. Quicunque*; *V. Adinopiam*, *& Azor Lib. 6. c. 20. q. 3.* & alii quidam putent, non deberi alimenta Patrono, nisi ad summam egestatem devenerit, non tenetur autem Ecclesia alere Patronum, nisi ex bonis superfluis, si aliquid supperat ultra ea, quæ necessaria sunt ad Fabricæ & Ministrorum sustentationem, quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succurri debet, *arg. cit. l. Si quis*; *§. Alimenta*; *ff. dicto tit.* Ubi declaratur, quomodo libertus ex gratitudine teneatur alere Patronum, & liberos ejus, si ad inopiam deveniant, *Abb. in cit. c. Nobis*; *n. 6.* Ubi addit, Patrono competere actionem, ad petenda alimenta, si inops sit. Quòd si plures sint Patroni, omnibus subveniendum est, secundùm qualitatem personarum, præcipuè tamen ei, qui plus dedit Ecclesiæ, fundando, vel dotando, *Zæs. in Comment. h. t. n. 28.*

XXXVIII. Notandum tertiò. Competit etiam Patrono Ius, vel potiùs onus tuendi, vel defendendi Ecclesiam, *c. Filiis*; *31. caus. 16. q. 7.* Ubi dicitur, quòd Patronus Ecclesiæ solicitudinem gerere debeat, ideóque Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex bonis Ecclesiæ defraudantem, vel ejus bona dilapidantem, vel honestè commonere, vel Episcopo denunciare debeat, & in *can. seq. ead. q.* decernitur, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem bonis, curam permittantur habere solicitam, v. g. ne reditus Ecclesiæ patronatæ in alios usus convertantur, quàm secundùm præscriptum fundationis: ut ædes sacræ, & parochiales reparentur, & conserventur: ut officia Divina celebrentur, juxta ordinationem Fundatoris &c. *Laym. Lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 9.*

§. III.

An Patronus possit Jus patronatûs alienare, vel pensionem aliquam exigere, aut aliud onus, seu gravamen imponere Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis?

XXXIX. Respondetur, Patronus non potest, propriâ auctoritate, sine consensu Ordinarii, seu Diœcesani

sani Jus patronatûs alienare, nec aliquid temporale ab Ecclesia patronata, vel Beneficio exigere, nec aliud onus ei imponere, nisi pensio aliqua in prima fundatione, cum consensu Episcopi, Patrono fuerit reservata, prout statuitur *in c. Præterea*; 23. *h. t.* Ubi Papa » Lucius III. ita rescribit: quoniam Advocati Ecclesiarum (id est, Patroni, *Gl. hîc V Advocati*;) Jus » advocationis (sive patronatûs) titulo donationis, » vel emptionis, vel alijs, pro suo arbitrio, initis con- » tractibus (puta permutationis, vel cujuscúnque » alterius, per quod dominium transferatur, *Hostiens. hîc V. Aliisque*;) in alios transferre præsumunt: item » Fodrum (id est, collectas, quas Patroni impone- » bant Ecclesijs, *Gl. hîc V. Eodem*;) albergarias (co- » gendo scilicet Ecclesias, ut unum, vel plures mili- » tes recipiant, eisque de quotidiana sustentatione » provideant, vel pretium victualium solvant, *Hosti- » ens. hîc V. eod.*) regium (id est tributum, quod Regi » debetur, *Gl. hîc V. eod.*) & similia, tâquam à proprijs » rusticis (nempe semel, vel sæpiùs in anno) ab Eccle- » sijs extorquent, aut exigunt; ideo statuit idem Pa- » pa, ut Advocati, seu Patroni, vel Vicedomini, sive » Custodes, vel guardias habentes, aut quocúnque » alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesia- » rum cessent, nihilque ab ipsis, præter antiquos, & » moderatos reditus à locorum Episcopis institutos, » (vice tributi, sive pensionis, & hoc ante consecra- » tionem Ecclesiæ, non post, *Gl. hîc V. Institutos*;) exi- » gant, aut, si aliud exegerint, excommunicationi » subdantur. Contractus quoque hujusmodi (sci- » licet donationis, venditionis, & alios similes, de » quibus suprà) quos fecerunt, vel facient, nullum » vim, ac robur habere decernimus.

XL. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Quamvis Jus Patronatûs, & Advocatiæ, propriè, & strictè loquendo, sint distincta jura, ut tradit *Gl. in cit. cap. Præterea*; *V. Ius advocationis*; *h. t.* plerumque tamen, pro ijsdem sumuntur, & in jure æquiparantur, ut notat *Hostiens. in cit. c. V. Non habere*; & *Ioan. Andr. ibid. num.* 5. Utrumque enim non ex debito: sed ex gratia ab Ecclesia est concessum: neutrum potest vendi, per se, ac seorsim, quamvis utrumque accessoriè vendi, vel transferri possit, venditis, aut translatis bonis, quibus tale jus est annexum: neutrum etiam donari potest Laico, sine consensu Episcopi, utrumque verò liberè donari potest Loco Religioso, aut Prælato, nomine Ecclesiæ, sine consensu Episcopi, *Hostiens. hîc V. eod.* Quamquàm *Innocentius in cit. c. Præterea*; putet, esse discrimen inter Jus patronatûs, & advocationis, quòd prius quidem liberè donari possit Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ personæ, non item posterius; cùm multum intersit Ecclesiæ, qualem Advocatum habeat.

XLI. Notandum secundò. Quamvis Jus patronatûs, vel Advocatiæ, si annexum sit Universitati bonorum, accessoriè, unâ cum bonis alienari, & transferri possit, prout infra dicetur: non tamen potest per se, ac seorsim alienari, sive transferri in aliam personam, vel Ecclesiam, sine consensu Episcopi, seu Prælati Ecclesiastici, ut colligitur ex *cit. c. Præterea*; & consensu etiam Capituli, seu Conventûs, si Ecclesia sit Collegiata: præsertim verò jus Advocatiæ, in qua electa est industria, & potentia personæ.

Quod verò ad fructus, seu reditus annuos, aliaque commoda temporalia attinet, quæ Patronus, vel Advocatus justè percipere potest; quia v. g. tempore fundationis, cum Episcopi consensu, sunt reservata, vel ex antiqua consuetudine legitimè præscriptâ, obtenta, distinguendum est: vel enim ij reditus, aut commoda sunt certa, & determinata, v. g. certa pars fructuum, vel certa pensio annua: tum illi reditus, vel commoditates vendi, aut locari possunt alteri personæ, quæ illas percipiat, nomine, & auctoritate Patroni, vel Advocati, ita, ut Titulus, seu Jus patronatûs, vel Advocatiæ maneat penes ipsum venditorem, vel locatorem, *arg. c. ult. Ne Prælati vites suas &c.* sicuti etiam commoditas ususfructûs vendi potest alteri, jure ususfructûs remanente penes usufructuarium, *l. Necessariò*; 8. §. *ult. ff. de peric. & comm. rei vend.* Vel reditus illi, aut commoditates sunt incertæ; & tunc vendi possunt, sicut fructus incerti, ut jactus retis, partus ancillæ, & fructus nascituri, vendi possunt, *l. Si jactum* 12. *ff. de act. empt. Io. Andr. in cit. c. Præterea*; *num.* 5. *& ibid. Abb. num.* 9. *&* 10. *h. t. Azor. p.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. *qu.* 22. Excipiendum tamen videtur, nisi sint operæ, vel præstationes, non absolutè reales: sed personales, debitæ personæ Patroni, vel Advocati Ecclesiæ, v. g. ut alimenta ei præstentur, vel ut ipso adveniente, aut transeunte, Ecclesia, vel ejus subditi vecturas, aut angarias præstent, hæc enim non possunt vendi alij; quia inhærent personæ Parroni, vel Advocati, cui talia obsequia debentur, *Abb. c. l. num. ult.* præterquam quòd id cedat in magnum præjudicium Ecclesiæ, si tales exactiones vendantur alijs, qui majoris lucri, vel commodi sui causâ, plus vexare solent Ecclesias, vel earum subditos.

XLII. Notandum tertiò. Prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ, ne Patroni, vel Advocati Ecclesiarum in recognitionem juris patronatûs, vel advocatiæ, aliquid ab illis exigant, neque tributa, vel collectas militum, vel ullum servitium, v. g. alendi canes venaticos, vel alia jumenta, ipsis imponant, neque ullis alijs oneribus, vel exactionibus gravent, *cit. c. Præterea*, & ibi *Abb. num.* 4. *h. t.* & habetur etiam in *c.* 1. & *c. Grave*; 15. *infra de censib.* Ratio est, quia talia à subditis exigi, illisque hujusmodi onera imponi solent, ut indicatur in *cit. c. Præterea*; ibi: *tanquam à proprijs rusticis*; &c. Ecclesiæ autem, eorúmque Ministri non subijciunrur sæculari potestati, ut per se patet. Excipitur, nisi Patronus in fundatione sibi reservet, cum auctoritate, & consensu Episcopi, pensionem aliquam annuam, quæ tamen moderata esse debet, spectatâ fundationis, & redituum Ecclesiasticorum quantitate, ita ut dos Ecclesiæ necessaria nequaquam minuatur. Quòd si tempore fundationis, cum consensu Episcopi, imposita sit Ecclesiæ pensio immoderata, vel quæ ex postfacto fiat multùm onerosa Ecclesiæ, illa ad debitam moderationem reducenda erit, *Abb. in cit. c. Præterea*; *nu.* 7. *h. t.* Consentit *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 3. *in fine de ref.* Ubi præcipitur, ut Patroni visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu Fabricarum proventibus se non immiscean̄t, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competit. Simile Decretum extat *Sess.* 25. *c.* 9. *de reform.*

XLIII. Notandum 4. Patronus, sive Fundator Ecclesiæ potest in ipsa fundatione, cum consensu Episcopi, honestam conditionem apponere, etiam contra Jus commune, & interdum cum derogatione Juris Episcopalis. Sic v. g. Episcopus, ad petitionem Patroni, Jus confirmandi Prælatum alicujus Ecclesiæ, quod aliàs Jure communi competit ipsi Episcopo, seu Ordinario, transferre potest in alium, ut ad aliud Monasterium, vel Prælatum ejus pertineat, prout sumitur ex *c. Cùm dilectus* 8. *de consuet.* & docet ibid. *Abb. nu.* 5. *& Laym. nu.* 2. & ex *c. Verùm* 4. *de condit. appos.* Requiritur autem primò. Ut id fiat tempore fundationis, ut docet *Gl. in cap.* 2. *V. Non pertinere*; *caus.* 10. *qu.* 1. Cùm enim quilibet rei suæ sit moderator, & arbiter, ideò in donatione, seu fundatione, ac traditione facta Ecclesiæ, potest quis non aliter velle donare, aut fundare, nisi cum certa conditione, modò ea sit licita, & honesta: at verò post factam fundationem, non potest talis conditio apponi, vel exigi, ut tradit *Gl. cit. juxta l.* 4. *C. de donat. quæ sub modo &c.* ubi dicitur, *Perfecta donatio conditiones postea non capit.* Secundò. Requiritur, ut id fiat, cum consensu Episcopi, quia Fundator, cùm sit privata persona, non potest suâ voluntate, aut auctoritate propriâ, Canones immutare, prout habetur in *c. Requisisti* 5 15. *ante medium de testament.* præsertim in præjudicium ipsius Episcopi: sed post factam fundationem non potest Episcopus mutationem instituere, etiamsi petat, & consentiat Patronus Ecclesiæ, quando Jus v. g. confirmandi Prælatum jam acquisitum fuit Episcopali dignitati, ut confirmatio pertineat ad alium Prælatum, nisi adsit justa causa, seu necessitas, cum consensu Capituli, aliisque adhibitis, quæ necessaria sunt, ad alienationem juris Ecclesiæ acquisiti: ante fundationem verò Ecclesiæ, non est jus confirmandi acquisitum Ecclesiæ, ideóque potest, ad petitionem Patroni, cum consensu Episcopi, ad alium transferri *Glos. in cit. c. Cùm Dilectus*; *V. Constitutum*; & *ibid. Abb. nu.* 5. 10. *&* 11.

SECTIO III.

DE MODIS, QVIBVS IVS PAtronatûs in alium transferri potest.

Quatuor sunt modi, quibus Jus patronatûs in alios transferri potest, ut tradit *Gl. in c. Piæ mentis* 5 26. *V. eod. in fine*, & Dd. communiter, videlicet successione, sive jure hæreditario, donatione, permutatione, & venditione, de quibus agemus in §§. *seqq.*

§. I.

An, & quâ ratione Jus patronatûs per successionem hæreditariam transferri in alios possit?

XLIV. Assertio 1. Jus patronatûs ad quosvis hæredes Patroni, cum Universitate bonorum, quibus est annexum, transire potest, & quidem tam ex testamento, quàm ab intestato, & non solùm ad hæredes suos, sive descendentes: sed etiam ad hæredes extraneos, sive sint mares, sive fœminæ; quia *Text. in c.* 1. *h. t.* indistinctè loquitur de hæredibus Patroni, nullâ expressâ differentiâ sexûs, *Abb. ibid. num.* 2. *& 3. Silvest. V. Jus patronatûs*; *qu.* 4. *dicto* 3. Ex quo infertur primò. Quòd, si filia sit hæres cum fratre, æquè cum illo in Jure patronatûs succedat; Secundò. Si filius non sit hæres patris sui, quia repudiavit hæreditatem, non succedit etiam in Jure patronatûs, quia hoc velut accessorium sequitur hæreditatem. Tertiò. Si solus primogenitus succedat in hæreditate patris, cæteri filij etiam à Jure patronatûs excluduntur: sicut, & filia, quæ renunciavit hæreditati paternæ, solâ dote contenta. Quartò. Si pater filium, vel filiam, in certa re instituit, extraneum verò hæredem universalem scripsit, Jus patronatûs, non ad filium, vel filiam: sed ad extraneum hæredem transibit; quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet, & institutus in re certa habetur loco Legatarij, *l. pen. C. de hær. instit.* Ideóque cum hæres non sit, non consequitur Jus patronatûs, *Abb. in cit. c.* 1. *nu.* 2. *Silvest. c. l. Azor p.* 2. *lib.* 6. *c.* 20. *qu.* 9. §. *Quæres.* Excipi debet, nisi institutus sit in re certa, quæ continet universitatem, v. g. in villa, castro, pago, civitate, & similibus, quibus inest Jus patronatûs, quod cum illa transit quoque ad eundem institutum, juxta *c. Ex litteris* 5 7. *h. t. Canisius in c.* 1. *&* 2. *num.* 5. *eodem.*

XLV. Assertio 2. Si plures hæredes sint unius Patroni Ecclesiæ, Jus patronatûs inter se dividere non possunt, ita, ut unus in una parte, alius in alia Presbyterum collocet, sive nominet: sed Jus patronatûs, sive præsentationis ex æquo, sive in solidum ad quemlibet hæredem transit, etiamsi in æqualibus partibus sint hæredes instituti, adeóque omnes Patronatûs effectus competunt singulis hæredibus, præter præsentationem, quæ ita omnibus est communis, ut tamen unus per se seorsim præsentare non possit: sed omnes simul, & communiter, prout sumitur ex *c. Perlatum*; 1. *in princ. h. t.* ubi dicitur: *quòd Ecclesia inter hæredes patroni dividi non debeat*, & tradit *Gl. V. Non debeat.* Ubi rationem dat, quia Jus patronatûs est simplex; & indivisibile, quoad substantiam, est enim Jus incorporale, incorporalia verò dividi non possunt, sicut nec servitutes reales, *l. Viæ*; 17. *ff. de servit.* Ideóque Jus patronatûs ita competit pluribus, ut sit penes singulos in solidum, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 7. *Azor cit. c.* 20. *qu.* 9.

Porro tripliciter intelligi potest, Jus patronatûs non posse dividi inter hæredes Patroni, ut notat *Abb. c. l. num.* 6. Primò. Quòd non possint hæredes Patroni inter se convenire, ut unus habeat Patronatum in una parte Ecclesiæ, alius in alia, v. g. Unus in uno Altari, alius in alio, qui sensus colligitur ex integra lectione *cit. cap.* 1. Secundò. Quòd Patroni non possunt reditus, & possessiones Ecclesiæ inter se dividere. Tertiò. Quod ipsummet Jus patronatûs non possit dividi inter hæredes; cùm sit incorporale, ac indivisibile, sed in solidum sit penes unumquémque hæredum,

XLVI.

XLVI. Cæterùm, ut faciliùs provideatur Ecclesijs, & ut evitentur discordiæ, quæ facilè oriri possunt inter Patronos, dum unus hunc, alius illum Clericum vult præsentare, permissum est in *Clemet. Plures*; 2. §. *Et ut faciliùs*; *h. t.* ut Patroni Jus præsentandi inter se dividant ratione temporis, sive liberè (hoc » est, sine Superioris auctoritate, *Gl. hîc V. Liberè*;) » inter se conveniant de Rectore, ab eis alternis vici- » bus præsentando, sive in una Ecclesia, sive in pluribus: vel si plures, quàm duo sint Patroni, unus primâ vice, quâ Ecclesia aliqua vacat, alter secundâ, tertius tertiâ vice præsentet, *Gl. hîc V. Alternis vicibus*; vel, si plures, quàm duo sint Patroni, annos, aut menses inter se dividant, ita, ut v. g. in mensibus in numero paribus pertineat præsentatio ad Titium, in imparibus ad Cajum. Vel, ut Patroni divisionem instituant, ratione locorum, seu Ecclesiarum; & ita inter se conveniant, ut unus eorum in hac Ecclesia, alius in alia præsentet, *Gl. hîc. V. Liberè*; *Abb. in cit.* » *c. 1. nu. 6.* Additur in *cit. Clement. 2. in fine*, quòd » ob eandem causam (scilicet facilioris provisionis » Ecclesiarum) permissum sit, ut Patroni possint » plures Clericos ad vacantem Ecclesiam præsentare » simul, vel successivè, *Gl. hîc V. eòd.*) eâ lege, ut u- » nus ex illis ab Episcopo (vel alio habente potesta- » tem instituendi) eligi possit, vel admitti. Ubi *Gl.* » *V. Præsentare* ait, id intelligendum esse de Patro- nis Laicis, vel Clericis præsentantibus, ratione patrimonij sui, qui variare possunt, seu uno præsentato, alium præsentare, de quo infra.

XLVII. Assertio 3. Si plures hæredes extent plurium Patronorum originalium, tum illi in jure præsentandi succedunt, non per capita (sicut in bonis libertorum Patroni Jure civili succedunt, §. *Sed nostra Instit. de succes. libert.*) sed per stirpes, ita ut hæredes, etsi plures unius Patroni, unam tantùm vocem, sive suffragium in præsentando habeant, ut docet *Abb. in c. 1. nu. 5. h. t. Silv. V. Patronatus*; *qu. 4. dicto 4. Azor tit. c. 26. q. 9. in fine*, & alij Dd. communiter. Idque statutum habetur in *cit. Clem. 2. In princ. h. t.* Ubi di- » citur: plures ab uno ex Patronis Ecclesiæ relicti » hæredes (sui, vel extranei, cùm hîc non distingua- » tur, *Gl. hîc V. Hæredes*) vocem duntaxat unius ha- » bebunt in præsentatione Rectoris, vel alterius Cle- rici, cùm sit eadem ratio, ut addit *Gl. hîc V. Rectoris*; v. g. tres sunt Patroni ex diversis titulis ejusdem Ecclesiæ, Titius ex fundatione, qui post se reliquit unum filium: Cajus ex constructione Ecclesiæ, qui reliquit post se duos filios: Sempronius ex dotatione ejus, ex quo superstites sunt quatuor filij: hoc casu, filius Titij habebit unam vocem in præsentando, & & duo filij Caij unam tantùm vocem habebunt, quia succedunt in locum parentum suorum, quorum personas repræsentant. Quære qui à tribus personis ex 4. filijs Sempronij, adeòque majore parte stirpis, seu familiæ, fuerit præsentatus, habebit unum suffragium: quòd, si filius Titij alium, & duo filij Caij, aut etiam unus tantùm ex illis alium voluerint præsentare, censebitur præsentatio fieri in discordia, nec suffragia plurium prævalebunt; quia plures computantur tantùm pro uno, si uni succedant. Igitur hoc casu, ut præsentatus à tribus filijs Sempronij acquirat Jus ad Ecclesiam, vel Beneficium, necesse est, ut, vel à filio Titij, vel à duobus filijs Caij, etiam præsentetur: secus est, si plures filij, vel hæredes succedant, non uni, sed pluribus, & diversis Patronis; tunc enim plura suffragia habent, sive plures dent pluribus, sive unus pluribus, *Gl. in cit. Clement. 2. V. Ab uno*; v. g. unus idémque Titio, & Cajo diversis Patronis, duo enim habet suffragia.

XLVIII. Quod ut meliùs intelligatur, notandum primò. Si plures Patroni habeant simul Jus patronatûs, & in præsentando non consentiant, tum distinguere oportet, vel enim hoc ius pertinet ad plures divisim, seu seorsim ad singulos, vel ad plures conjunctim, sive ut universos, ut docet *Abb. in c. Quoniam 3. n. 13. h. t.* Priore casu, si pertineat ad plures, ut singulos, seu singulares (quod in dubio præsumendum est, ut tradit *Garc. de benef. p. 5. c. 9. num. 222.*) prout accidit, si plures sint Patroni ex diversis causis, videlicet unus ex fundatione Ecclesiæ, alius ex ædificatione, alius ex dotatione: vel, si unius Patroni originalis plures filij, aut hæredes sint, quamvis ex partibus inæqualibus instituti, tunc quilibet per se, ac seorsim præsentare potest, & is, in quem plures, comparatione aliarum partium, consentiunt, admittendus est, & alijs præsentatis præferri debet, v. g. si Jus præsentandi spectet ad XII. ut ad singulos divisim, ac seorsim, & unus sex suffragia habuit, alter IV. tertius duo, tunc primus instituendus erit; quia sex sunt major pars, non respectu totius numeri, scilicet XII. sed respectu partium minorum, videlicet IV. & duo. Idque probatur ex *c. Quoniam*; *3. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *cap. 17.* Ubi dicitur: quoniam in quibusdam locis fun- » datores Ecclesiarum, aut hæredes eorum, potesta- » te, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutun- » tur: & cùm una Ecclesia unius debeat esse Recto- » ris, ob dissentiones suas plures præsentant, ideo » præsenti Decreto statuimus, ut si fortè in plures, » seu diversas partes, vel personas vota, seu suffra- » gia Fundatorum, sive Patronorum divisa sint, ille » præficiatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meri- » tis, & plurium suffragijs approbatur: Sin autem id » sine scandalo fieri nequeat, Episcopus Ecclesiam » ordinet, (constituendo in eo Rectorem) sicut ipsi » meliùs, sive consultiùs videbitur. Ut, si v. g. is, qui » præsentatur, Parochianis sit exosus, ideòque institu- tioni illius se opponant, tunc enim Episcopus alium instituere poterit, *arg. c. ult. dist. 63. Abb. hîc num. 5.* quamvis etiam hoc ipso casu, si Patroni alium idoneum præsentare velint, id ipsis concedendum sit, ut ex infra dicendis patebit. Simile statuitur in *c. Cùm teneamur*; *6. de præb.* ubi dicitur: si sine scandalo non possit provideri Beneficium, cui Papa mandavit, non esse mandandum executioni.

Additur in *cit. c. Quoniam*; *in fine*, ut id ip- » sum etiam faciat Episcopus, si inter aliquos de ju- » re patronatûs quæstio orta sit, & intra quatuor » menses non fuerit definita, de quo infra. »

Posteriore verò casu, si Jus patronatûs spectet ad plures conjunctim, sive collectivè, aut ut ad Collegium, tunc præsentatio concorditer fieri debet à majore parte conjunctorum, sive totius Collegij; ita, ut suffragia minoris partis non valeant: v. g. si ad XII. spectet jus præsentandi, requiritur, ut VII. consentiant in unum: si verò VI. præsentent unum: IV. alium, & reliqui duo alium præsentent, nulli ex illis, vi talis

præsentationis, jus acquiretur; quia non est præsentatio facta à majore parte totius Universitatis, sive Collegij, *Abb. in cit. c. Quoniam; 13. h.t. Azor. cit. lib. 6. cap. 21. q. 20.*

XLIX. Notandum secundò. Si jus præsentandi pertineat ad plures, ut conjunctos jure Universitatis, seu Collegij, tunc non valet præsentatio, nisi collegialiter, sive à congregatis sit facta; quia Collegium, sive Universitas non est, nisi congregetur, simúlque conveniat. Quare hoc casu omnes absentes vocandi sunt, alioqui præteriti, seu neglecti agere possunt contra præsentationem, & petere, ut rescindatur, *arg. c. Quod sicut; 28. & c. Bonæ; 36. de elect. Azor cit. c. 21. q. 21.* nisi postea eam consensu suo ratificaverint, *arg. c. Cura; 11. h.t.*

Notandum tertiò. Quando Jus præsentandi pertinet ad plures hæredes diversorum Patronorum in stirpes, qui habentur pro uno, & unam tantùm vocem habent, juxta *Clement. 2. h.t.* quamvis decens sit, eos simul congregari, & convenire, ad præsentandum tamen absolutè id non est necessarium: sed possunt etiam seorsim dare sua suffragia, *Ioan. Andr. in cit. c. Quoniam; n. 4. h.t. Garc. cit. c. 9. nu. 222.* Quamvis contrarium teneat *Abb. in cit. c. Quoniam; in fine*, & alij apud *Garc. c. l. n. 223.* qui putant, tametsi plures præsentent, ut singuli, necessarium esse, ut simul congregentur, & conveniant; quod verum est, si vi statuti, vel consuetudinis soliti sint simul convenire, ut nimirum singulorum rationes audiantur, *Garc. c. l. num. 226.*

L. Cæterùm illud hoc loco addendum, si Patroni, vel hæredes eorum inter se discordent in præsentando, ideóque Ecclesia careat Rectore, debet Episcopus imperare in Ecclesia cessationem à Divinis Officijs, prout statuitur in *c. Perlatum; 1. h. t.* Nam cùm perlatum esset ad Synodum Cabilonensem, habitam sub Imperatore Carolo magno (ut refert *Gl. margin. hîc*) quòd inter hæredes alicujus Fundatoris, seu Patroni discordiæ ortæ essent, ideóq; Ecclesiæ quædam fuerint in plures partes divisæ, ita ut singulæ partes suos haberent Presbyteros (*prout habetur in antiqua lectione hujus cap.*) idcirco S. Synodus statuit, Ecclesiam inter Patronos dividi non debere: sed si simultates, sive discordiæ inter illos ortæ sint, propter quas Sacerdos ibi Officio suo canonicè fungi non possit, & res aliter componi nequeat, prohibendum esse ab Episcopo, ne in ea Ecclesia Missarum solennia celebrentur, donec ad concordiam redeant hæredes, & Ecclesia Sacerdotem canonicè institutum habeat, qui liberè suum Ministerium exercere possit. Ubi tamen distinguendum est, ut tradit *Abb. hîc in fine*: vel enim est contentio inter Patronum, & Episcopum, & tunc Episcopus ponere debet Oeconomum, sive Administratorem, aut Vicarium temporalem in Ecclesia, donec controversia fuerit composita, *arg. c. Cùm vos; 4. de Offic. Judic. Ord.* Vel contentio est inter Patronos super Jure patronatûs, tunc Episcopus exspectare debet, donec tempus, à jure præfixum ad præsentandum, elapsum fuerit, post quod Episcopus Rectorem in Ecclesia liberè instituet, *juxta c. Quoniam; 3. in fine h. t.* dummodo sine scandalo id fieri possit, *Gl. fin. in cit. c. 1.* Si verò post elapsum hoc tempus, Patronus Presbyterum in Ecclesia institutum ab Episcopo non admittat, tunc demum recurrendum est ad remedium hujus cap. nempe, ut indicatur cessatio à Divinis, *Innocent. hîc in fine.*

LI. Præterea in *c. Quæcúnque; 2. h.t.* (quod est desumptum ex Concilio Triburiensi *c. 32.* & refertur in *c. Si plures; 36. caus. 16. q. 7.*) decernitur, si contingat, Patronos inter se dissidere in præsentatione Presbyteri, debet Episcopus, si aliter Ecclesiæ non possit consulere, tollere inde Reliquias, & ostia Ecclesiæ claudere, ut nullus in ea sacrum Mysterium celebret, donec idoneum Presbyterum eligant, sive constituant. Porro illæ solùm Reliquiæ sunt tollendæ ex Ecclesia, quæ sunt extra Altare in arca inclusæ: non autem illæ, quæ Altari sunt inclusæ; nam per illarum amotionem sigillum violaretur, & Altare execraretur, ut notat *Gl. hîc V. Reliquiæ*; & *Abb. num. 1.* Ex quo etiam colligitur, quòd Patroni non possint velle, ut in una Ecclesia plures instituantur Presbyteri; quia unius Ecclesiæ, vel Beneficij, unus tantùm debet esse Rector, vel Presbyter, *c. Cùm non ignores; 21. de præbend.* neque Jus, & Titulus Beneficij dividi potest, *c. Majoribus; 8. c. Dilectus; 25. eod. Abb. in cit. c. 2. n. 2. h.t.*

§. II.

Ad quos præterea Ius patronatûs, per successionem transire possit?

LII. Quæritur primò, An Jus patronatûs gentilitium, id est reservatum illis, qui sunt de familia, seu agnatione Fundatoris, extinctâ familiâ, transeat ad hæredes extraneos? Respon. primo. Si Fundator expressè voluit, ut Jus patronatûs tantùm pertineret ad illos, qui sunt de familia, sive ad agnatos, non autem ad eorum hæredes, tunc ad hæredes extraneos non transit: sed extinctâ familiâ, etiam Jus patronatûs extinguitur, & Ecclesia fit libera: sicuti, si Jus patronatûs sit relictum filijs masculis tantùm, exclusis fœminis, deficientibus masculis, non transit ad fœminas: sed extinguitur, *Fagnan. in c. 1. num. 22. & 23. h.t.* Ratio est, quia Patronus in fundatione Ecclesiæ potest remittere Jus patronatûs in totum, vel pro parte, in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, ut infra dicetur.

LIII. Resp. secundò. Si Jus patronatûs sit concessum à Fundatore illis, qui sunt de familia, simpliciter, & absolutè, non additâ particulâ taxativâ *tantùm*, vel simili, tunc extinctâ familiâ, transit ad hæredes agnatorum, etiam extraneos, non ex provisione hominis: sed ex provisione Legis, quæ regulariter non tollitur per provisionẽ hominis: cùm ergo Jus patronatûs ex provisione Juris communis, transeat ad hæredes, etiam extraneos, ut supra dictum, sequitur, quòd provisio hominis concedentis Jus patronatûs illis, qui sunt de familia, non obstet, quin illis deficientibus, ex provisione Legis ad extraneos hæredes transeat, si reservatio familiæ facta sit, non taxativè, seu exclusivè, sed demonstrativè solùm: vel ut summùm reservatio facta esse intelligitur, cum ea restrictione, ut Jus patronatûs ad extraneos hæredes non transeat, durante fa-

familiâ: secus verò illâ deficiente; quia tunc casus à Fundatore omissus, relinquitur Juris communis dispositioni, *Fagnan. c. l. num. 25. & 26.* qui ait, ita resolvisse *Rotam die 6. Junij anno 1578.* Aliud est de Jure patronatûs concesso Universitati, seu Collegio, quod non potest transferri ad eos, qui sunt extra Universitatem, seu Collegium; quia Universitas non habet hæredem, vel successorem, sicut ultimo de familia succedi potest, *Fagnan. c. l. n. 27.*

LIV. Quæritur secundò. An Jus patronatûs transeat ad Fideicommissarium universalem? Resp. communis sententia Dd. negat apud *Molin. tr. 2. de Iust. dis. 188. num. ult.* transire: sed ait remanere penes hæredem directum, *Covarr. in c. Raynutius; 16. §. 9. num. 8. de Testam. & lib. 2. var. resol. c. 18. nu. 8. Barb. in c. 1. nu. 10. h. t. Garc. de benef. p. 5. c. 9. nu. 17.* ubi *num. 18. & 19.* ait, Jus patronatûs personale, & non annexum bonis, non transire ad Fideicommissarium, quamvis ex testantis judicio, & expressâ voluntate possit Fideicommissarius consequi Jus Patronatûs, accedente licentiâ Episcopi. Fundamentum hujus communis sententiæ est, tum quia ad Fideicommissarium non transeunt alia jura, quàm quæ continent commodum pecuniarium: cujusmodi non est Jus patronatûs, quod ad honorem potiùs pertinet, & ideo apud primum, ac directum hæredem ex præsumpta Testatoris voluntate manere debet: Tum quia Jus sepulchri non transit ad Fideicommissarium, sed penes hæredem manet, *l. Quia perinde; 42. ff. ad SC. Trebell.* etiamsi ab indigno auferatur hæreditas, *l. Si quis; 33. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Tum quia Jus patronatûs, quod competit in libertos, restitutâ hæreditate, non transit: sed apud liberos Patroni manet, *l. Si Patroni 55. in princ. ff. ad SC. Trebell.* Ergo sicut ista jura non comprehenduntur sub restitutione facienda Fideicomissario, cùm non veniant jure hæreditario, ita nec Jus Patronatûs Ecclesiæ.

LV. Nihilominus tamen contraria sententia affirmativa est valdè probabilis, quam post *Gomez & Molin. Juristam* tenet *Zæsius in Comment. h. t. nu. 12. & Molin. noster; c. l.* ait, hanc sententiam, quòd Jus patronatûs transeat ad Fideicommissarium, sufficienter probari. Et revera argumenta allata pro communi sententia negativa efficaciter id non probant; nam inprimis Jus patronatûs Ecclesiasticum continet, non solùm honorem: sed etiam commodum pretio æstimabile, est enim utile Patrono, cùm si ad inopiam vergat, debeat ali ex bonis Ecclesiæ, & possit in dotem dari mario, ad quem pertinet præsentatio, durante matrimonio, quæ est instar fructûs Juris patronatûs, ut supra dictum *num. 17.* Neque etiam refert, quòd Jus patronatûs non acquiratur jure hæreditario, nam suapte naturâ sequitur eum, ad quem universa bona transeunt, non tanquam aliquid hæreditarium: sed tanquam aliquid annexum rerum universitati, cum qua transit. Denique non est etiam paritas inter Jus hujus patronatûs, & jura sepulchri, vel patronatûs Civilis; nam Jus sepulchri tantùm sequitur hæredem, & Jus patronatûs in libertos tantùm ad hæredes, sive liberos in potestate patris constitutos transit, ut patet ex *Tit. Instit. de assignat. libertor. §. Datur autem*; at Jus patronatûs, de quo hîc, competere potest, etiam non hæredi, non quidem jure successionis, sive hæreditario: sed jure accessionis, sequitur enim Universitatem rerum, cui est annexum, & cum ea transit etiam ad emptorem, vel alium, ad quem bona perveniunt etiam Titulo particulari, v. g. donationis, ut postea dicetur. Porro certum est, Jus patronatûs transire ad universalem bonorum possessorem, qui est veluti hæres, & succedit in universum jus defuncti, jure Prætorio, & in effectu, est plenus hæres. *l. 2. & 3. §. 1. & 2. ff. de bonor. possess.* Imò etiam in usufructuarium universitatis bonorum hoc jus transit, *Barbos. in c. Ex litteris; 7. nu. 7. h. t.*

LVI. Quæritur 3. An in divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus patronatûs? Resp. Probabilius est, non posse, ut docet *Abb. in c. Querimoniam; 9. num. 3. h. t.* Ratio est, vel enim bona hæreditaria dividuntur inter hæredes æqualiter, & tunc non est ratio, cur uni potiùs adjudicetur, quàm alteri: ideoque cùm sit jus indivisibile, manere debet penes omnes hæredes in solidum, unde etiam prohibetur divisio Ecclesiæ inter hæredes in *c. 1. h. t.* Vel inæqualiter bona hæreditaria dividuntur inter hæredes, & tunc si daretur Jus patronatûs *ei*, qui minorem partem hæreditatis accepit, videretur ei ad judicari, adcompensationem inæqualitatis bonorum, & sic quodammodò commutaretur cum rebus temporalibus, & æstimationem reciperet, quod Simoniacum foret. Et hinc etiam, si quis nihil habeat in bonis, non potest cedere Jus patronatûs creditoribus; quia non recipit æstimationem, *Abb. c. l. nu. 4.* Non obstat *cap. Ex insinuatione; 14. h. t.* quia illud loquitur de libera cessione Patroni alteri Compatrono, sine pretio factâ, ut nonnulli illud cap. explicant, de quo infra. Non obstat secundò. Quòd utilius sit Ecclesiæ, habere unum, quàm plures Patronos; quia cùm jura permittant plures, non pertinet ad Judicem ex pluribus unum Patronum constituere, *Zæs. h. t. num. 13.*

LVII. Quæritur quartò. An publicatis bonis omnibus Patroni, & Fisco addictis, ob crimen v. g. læsæ Majestatis, vel hæresis, Jus patronatûs quoque transeat ad Fiscum, etiam sæcularem, isque in eo succedat? Respond. Etsi Princeps sæcularis non possit per se, ac directè privare Patronum Jure patronatûs, ob delictum Patroni; quia Laicus Jus patronatûs habet, non ex concessione Principis sæcularis, sed Ecclesiæ: si tamen bonorum universitas, cui Jus patronatûs annexum est, confiscetur ob delictum Patroni, tunc accessoriè, ac indirectè etiam Jus patronatûs ad Fiscum, sive Ecclesiasticum, sive sæcularem transit: ac proinde, si pater commisit crimen læsæ Majestatis, omnibus bonis confiscatis, Jus patronatûs, non ad filios ejus, sed Fiscum Principis transit. Nec refert quòd sit spirituale, vel quasi spirituale; quia illius ex speciali gratia, & beneficio Ecclesiæ est capax Laicus, & ad extraneum hæredem, etiam Laicum transit, cujus loco est Fiscus, *arg. l. Si totum; 82. ff. de acquir. hæred.* Veruntamen, si Jus patronatûs sit personale, seu per se, & singulariter consistat, non annexum ulli Castro, vel alijs bonis, tunc sub confiscatione omnium bonorum temporalium non continetur Jus patronatûs, adeóque manebit penes delinquentem, donec per sententiam Judicis Ecclesiastici eo privetur, tanquam indignus, & tum Ecclesia sit libera, *Abb. in c. Cùm Laici; 10. nu. 3. h. t. Silvest. V. Jus patronatûs q. 5. dicto; 6. Azor cit. c. 20. q. 14. Barb. in c. Ex litteris; 7.*

nu. 9. & 10. h. t. Garc. cit. c. 9. nu. 26. & 2. seqq. ubi *num. 29. & seqq.* addit, quòd post latam sententiam privatoriam Judicis Ecclesiastici, si Jus patronatûs pertineat ad familiam, seu agnatos consanguineos, ad illos transeat, juxta dispositionem Fundatoris: si verò est hæreditarium, quod etiam ad extraneos hæredes transmitti potest, extinguitur Jus patronatûs, & Ecclesia fit libera. Sin autem Patronus, cujus bona sunt confiscata, per sententiam Judicis non sit privatus, tum Jus patronatûs hæreditarium transit ad hæredem ex testamento, vel ab intestato ipsius condemnati, eo defuncto: præterquàm ob crimen hæresis, in quo ipso jure privatus existit Patronatu, *c. Ut commissi; 12. §. Privandi; de hæret. in 6.*

LVIII. Quæritur quintò. An Jus patronatûs possit transferri ad alium, per legatum in Testamento relictum? Respon. affirmativè, ut docet *Ioan. Andr. in c. Cùm sæculum; 13. num. 2. h. t. & ibid. Abb. n. 6. Silvest. c. l. qu. 4. dicto; 6. Azor cit. c. 20. qu. 10.* nam sicuti Jus patronatûs potest donari inter vivos, ut infra dicetur: ita & Testamento legari per se, & solitariè; quia legatum est quædam donatio à Testatore facta, *princ. Instit. de legat.* Et quidem si Ecclesiæ legetur, non requiritur, ut interveniat consensus Episcopi, sicut & in donatione inter vivos: si verò legetur Laico, vel Clerico, nomine proprio, debet accedere consensus Episcopi, sicut etiam requiritur, si Laico donetur. Quamvis autem consultum sit, ut Episcopi consensus interveniat, tempore conditi testamenti, vel saltem ante mortem Testatoris: absolutè tamen sufficit, si accedat ex post facto, vel etiam post mortem Testatoris, idque favore ultimæ voluntatis. Veruntamen antequam consensus Episcopi accessit, Jus patronatûs existit penes hæredem; quia per solam dispositionem Laici nō potest hujusmodi jus in alium transferri: & jura tantùm permittunt, ut Jus patronatûs transferatur in filios, vel hæredes: non autem in Legatarios, *c. Filijs; 31. caus. 16. q. 7. Abb. c. l.* & alij Dd. *citt.*

LIX. Quæritur sextò. An Jus patronatûs possit etiam per hæreditariam successionem transire ad Monasterium, seu Religionem? Resp. affirmativè, idque duplici modo. Primò. Si Monasterium, sive Religio bonorum in communi capax instituatur hæres à Patrono Laico, tunc enim accessoriè cum universitate bonorum hæreditatis, transibit etiam Jus patronatûs. Secundò. Si Patronus Laicus fiat Religiosus, Jus patronatûs ad ipsum spectans, transfertur in Monasterium; quia per talem ingressum omnia ipsius bona acquiruntur Monasterio, & consequenter etiam Jus patronatûs, *Tambur. Tom. 3. de Iure Abbat. disp. 9. q. 28. nu. 1. & 2.* Porro, si Jus patronatûs jure sanguinis delatum sit ad Patronum, qui Religionem ingressus est, Monasterium Jus præsentandi habebit tantùm, durante vitâ Monachi; quia post ejus obitum defertur ad hæredes ipsius consanguineos, *Garc. cit. p. 5. c. 1. n. 555. & Tambur. 2. c. l. n. 2.*

§. III.

An, & quo pacto Ius patronatûs per donationem ad alios transferri possit: & an etiam Ecclesiæ concedi possit?

LX. Assertio 1. Patronus Laicus (cui scilicet Jus patronatûs competit jure proprio, ac privato, sive Laicus sit, sive Clericus) potest liberè, adeóque non requisito consensu Episcopi Diœcesani, Jus patronatûs concedere Ecclesiæ, Monasterio, vel alij Religioso loco, aut etiam Clerico nomine Ecclesiæ, vel Dignitatis, quam obtinet, prout habetur in *c. Illud; 8. h. t.* ibi: *Licèt Religioso loco Ius patronatûs conferendi liberam habeat facultatem.* Et expressiùs statuitur in *c. Si Laicus; unic. in princ. eod. in 6.* ubi dicitur: Si » Laicus Jus patronatûs Ecclesiæ sibi competens, ei- » dem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco Religioso duxerit » conferendum, hujusmodi collatio (seu liberalis, » & gratuita donatio) quamvis absque assensu Epi- » scopi facta fuerit, efficax est censenda, ita tamen, » ut per talem collationem, seu donationem juri Epi- » scopi, qui eidem assensum non præbuit, nihil dero- » getur, quò minùs scilicet institutionē in tali Eccle- » sia habeat, ut explicat *Gl. Magna; ibid.* Ratio autem, cur si Patronatus à Laico donetur Ecclesiæ, non requiratur consensus Episcopi, est; quia tunc Ecclesia, vel Beneficium redit ad naturam suam, liberata à manu Laicorum, *Vivian. in Ration. hic.*

Porro, etsi consensus Episcopi in donationem Juris patronatûs accessit, nequaquam tamen præjudicatur Juri Episcopali, ut notat *Ioan. Andr. in cit. c. unic. nu. 10.* Nisi etiam Episcopus, cum consensu Capituli, adhibitis canonicis solennitatibus, Ecclesiam concesserit alicui Religioso loco, juxta *c. Pastoralis; 7. de donat.*

Et hinc etiam, si alicui Patrono, non jure proprio, ac patrimoniali: sed jure Ecclesiæ competeret Jus patronatûs, tunc illud alienare, vel donare alteri non posset, sine Superioris auctoritate, & alijs solennitatibus jure requisitis ad alienationem Jurium Ecclesiasticorum, ut patet ex *Tit. Decretalium, de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

LXI. Assertio 2. Patronus Ecclesiæ non potest Jus patronatûs per se, & singulariter concedere, seu donare Laico, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ, sine consensu Episcopi, alioquî donatio est invalida, ut colligitur ex *cit. c. unic. h. t. in 6.* per sensum contrarium, & tradit ibid. *Franc. n. 2. Abb. in cit. c. Illud, num. 5. Azor cit. c. 20. qu. 5.* & alij plerique. Ratio diversitatis est, quia gravius periculum, seu damnum inferri potest Ecclesiæ, si Jus patronatûs concedatur, seu donetur Patrono Laico, eò quòd Laici magis soleant gravare Ecclesias, quàm Clerici: & si Clerici excedant, faciliùs potest illos Ecclesia compescere, quàm Laicos; ideóque meritò ad mutationem Patroni Laici, requiritur consensus Episcopi, ut videat, an expediat Ecclesiæ mutare Patronum, & ne fortè concedatur Jus patronatûs Tyranno, & valde potenti, qui vexat Ecclesiam, & an non fortè interveniat fraus, & non liberalis donatio fiat: sed ficta venditio *Abb. c. l. num. 5. & 6.*

Por-

Porro sufficit, si Episcopus concessionem, seu donationem Juris patronatûs à Patrono Laico, vel Clerico, ut privatâ personâ factam, ex post facto suo consensu, & auctoritate approbet, ita; ut tametsi ab initio fuerit invalida, ex eo tamen tempore, quo consensus accessit, de jure subsistat, sive convalescat; nam ad præteritum non est potentia, adeóque impossibile est, ut Episcopus concessionem, seu donationem illam, quæ penitus irrita fuit, ita ratam habeat, ut ab initio valuerit, *quod enim ab initio vitiosum est, non potest tractatu temporis convalescere*, *Reg. jur.* 18. *& Reg.* 29. *in ff.* ac proinde talis actus per ratihabitationem postea supervenientem est validus, non ex tunc! sed ex nunc, *Abb. in c. Cura*; 11. *n.* 2. *h. t. Azor cit. c.* 20. *q.* 5. non autem sufficit consensus tacitus Episcopi, non enim in actu odioso ex taciturnitate consensus præsumitur, *Abb. c. l. nu.* 4. quamvis etiam oppositum probabile sit; cùm actus iste potiùs censeatur esse favorabilis, quàm odiosus, quandoquidem Jus patronatûs conceditur, ut excitentur fideles ad fundationes, & donationes pias, & scientia ejus, qui potest contradicere, & non contradicit, inducit consensum, juxta ea, quæ tradunt Dd. in *Reg. qui tacet*; 142. *ff. de R. I. Zæs. in Comment. h. t. n.* 19.

LXII. Assertio 3. Potest Patronus Laicus, Jus patronatûs, quod in Ecclesia habet, non solùm alteri: sed etiam eidem Ecclesiæ donare, prout expresè dicitur in *cit. c. unic. h. t. in 6.* & tunc Ecclesia erit Patrona sui ipsius, ut ait *Gl. ibid. V. Eidem*; dummodo plures Ministros habeat. Idque verum est, si Ecclesia habeat Jus patronatûs, quoad Beneficia sibi incorporata, sive sit Ecclesia Collegiata, sive non Collegiata, ita tamen, ut plura Beneficia habeat; nam tunc Jus patronatûs est quidem servitus Beneficiorum, at respectu Ecclesiæ, & Rectoris ipsius, qui Jus præsentandi ad Beneficia Ecclesiæ suæ incorporata habet, non est servitus: sed potestas quædam, seu facultas, ac veluti privilegium quoddam. Si verò Patronus remittat Jus patronatûs ipsi Beneficio, v. g. Capellaniæ, tanquam serviturem ei impositam, tunc confunditur, & extinguitur hæc servitus, ipsúmque Beneficium fit liberæ collationis; non enim potest eadem res habere servitutem erga seipsam, sive servire sibi ipsi *l. Si quis ædes*; 30. *ff. de servit. præd. urban.* ubi dicitur, *Si quis ædes, quæ suis ædibus serviebant, emerit*, confusa, & sublata servitus censetur, *Franc. in cit. c. unic. n.* 4. Similitet, si Patronus Parochiæ non Collegiatæ, in qua unicus est Presbyter, seu Parochus, remittat Jus patronatûs, quod ipsi competebat, illud extinguitur, & libera collatio ad Episcopum pertinebit; *Gl. in cit. c. unic. V. Eidem*; & colligitur ex *c. Significavit*; 41. *de testib. Ioan. Andr. ibid. n.* 5. Idémque dicendum est, si à Laico donetur Episcopo Jus patronatûs, ratione Dignitatis suæ, in aliqua Ecclesia, vel Beneficio: tunc enim, si ad eundem spectabat jus instituendi, post factam donationem, seu remissionem Juris patronatûs, Ecclesia illa, sive Beneficium fiet liberæ collationis; alioquî enim Episcopus deberet sibi ipsi præsentare, & postea præsentatum instituere, quod est inconveniens: nisi tamen donans haberet Compatronum; nam hoc casu Episcopus tanquam Patronus præsentabit Rectorem, cum Compatrono, & postea tanquam Ordinarius, seu Diœcesanus eum instituet, *Lapus in cit. c. unic. num.* 5. *h. t. in* 6.

LXIII. Assertio 4. Potest Patronus Compatrono suo, etiam privato, sine Episcopi consensu, Jus patronatûs donare, seu remittere, *Gl. in c. Ex insinuatione*; 14. *V. Contulisset*; *h. t. Barb. ibid. num.* 4. *& in c. Illud*; 8. *num.* 4. *eod. Azor cit. c.* 20. *qu.* 6. contra *Io. Andr. & Abb. in cit. c. Ex insinuatione*; *num.* 5. ubi ait hoc videri æquius: sed oppositum esse jure verius. Ratio autem hujus assertionis est: tum quia hæc non est propria alienatio, seu Juris patronatûs in alium translatio, cùm novus Patronus Ecclesiæ non constituatur: sed alter Compatronus tollatur, ita, ut Jus patronatûs, quod penes duos erat in solidum, penes unum tantùm maneat: tum quia per talem cessionem nihil damni, vel incommodi infertur Ecclesiæ; quia Jus patronatûs nõ transfertur in alium Ecclesiæ ignotum, aut suspectum hominem: sed donatur Patrono socio, quia uterque jam Patronus erat: imò sic minùs gravatur Ecclesia, cui magis utile est, unum habere Patronum, quàm duos.

LXIV. Assertio 5. Quamvis Patronus Laicus possit Jus patronatûs ei competens Ecclesiæ, vel Collegio sacro concedere, seu donare, ut supra dictum: non tamen potest Laicus, quantumvis Regiâ potestate præditus, Ecclesias patronatas alicui Clerico, Monasterio, vel Religioso loco concedere, seu donare, nec in titulum, nec in proprietatem, sive per modum incorporationis, sine auctoritate Episcopi. Idque probatur primò ex *c. Quod autem*, 5. §. *de cætero*; *h. t.* Ubi Alexander III. ita rescribit: Si Laici Clericis, vel Collegijs sacris concessiones, vel donationes faciant, per Instrumenta super ijs confecta, in hæc, vel similia verba: concessi, vel dedi Ecclesiam; & præsente chartâ firmavi, nihil agitur, si Episcopi consensus non accesserit; quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, *Gl. in cit.* §. *de cætero*; *in notat.*

Porro, si Patronus Laicus simpliciter, & absolutè concedat Ecclesiam loco Religioso, vel Clerico, in dubio præsumendum est, quòd voluerit donare jus, quod in illa habet, videlicet Jus patronatûs; nemo enim dare velle censetur, quod non habet, *arg. c. Pastoralis*; 7. *de donat. & l. Si domus*; 71. §. *Si fundus*, *ff. de legat.* 1. Ubi Testator legandorum, videtur legare omne jus, quod in re habebat. Si verò Patronus Laicus intentionem habuit, conferendi Ecclesiam in titulum, vel proprietatem, tota donatio, vel concessio est irrita, ita, ut ne quidem Jus patronatûs transferatur, non ob defectum consensûs Episcopi, ut putat *Gl. in cit.* §. *de cætero*; *V. Si consensus*; quia hic non est necessarius, ut constat ex *c. Illud*; 8. *h. t.* & *c. un. eod. in* 6. Sed quia Patronus, quod agere potuit, scilicet Jus patronatûs, donare non voluit: quod autem voluit, nempe Ecclesiam donare in titulum, vel proprietatem, non potuit, & ideo totus actus illius invalidus fuit, juxta *c. Cùm super*; 23. *in fine de offic. deleg. l. Is qui*; 15. *ff. de acquir. hæred. l. Non ignorans*; 10. *C. de donat.* Cùm enim Patronus non habeat proprietatem Ecclesiæ, non potest illam in alium transferre, nemo enim dat, quod non habet, *Abb. in cit. c. Quod autem*; *n.* 9.

LXV. Secundò idem probatur ex *c. Illud*, 8. *h. t.* Ubi habetur, quòd quidam Laicus (v. g. Patronus, vel Dominus Territorij) inconsulto Episcopo, Ecclesiam non vacantem concessit, & donavit Monasterio, vel alteri Religioso loco: & postea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

» ſtea cùm vacaret Eccleſia, idem Laicus præſenta-
» vit Clericum, quem Epiſcopus Diœceſanus inſti-
» tuit. Conſultus Papa Alexander III. reſpondit,
» quòd prior illa conceſſio Eccleſiæ facta Monaſterio
» impedire non poſſit, quò minùs poſterior Clerici
» præſentati inſtitutio rata ſit, & firma, cùm prior
» conceſſio fuerit ipſo jure irrita; tum quia de re, ſeu
» Eccleſiâ non vacante facta eſt, tum quia Laicus,
» ſine auctoritate Epiſcopi, nulli poteſt Eccleſias da-
» re (nec in titulum, nec in proprietatem, *cit. c.*
» *Quod autem*; §. *De cætero*; *h. t.* quamvis Patronus
» Laicus liberam habeat facultatem conferendi Jus
» patronatûs loco Religioſo (liberè autem agere
» quis dicitur, ſi ſine ullius alterius conſenſu, aut li-
» centia agere poſſit, adeóque etiam ſine conſenſu Epi-
» ſcopi Laicus donare poteſt Jus patronatûs Loco Re-
» ligioſo, *Gl. hîc V. Licèt Religioſo*, *Abb. num.* 5. & di-
» ctum ſupra.) Si verò Laicus Jus patronatûs, va-
» cante Eccleſiâ, Religioſo loco contulerit, & ali-
» quis ſine præſentatione Religioſorum ejuſdem lo-
» ci, fuerit in Eccleſia inſtitutus, ejus inſtitutio, ſe-
» cundùm juris rigorem, eſt irritanda. Ratio prio-
ris partis eſt; quia non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *Reg. jur.* 25. *in* 6. *Gl. hîc V. Aliquatenus impedire*: ideóque non obſtante eo, quòd Laicus Patronus Eccleſiam, ſine Epiſcopi conſenſu, Religioſo loco donavit, ſed poſtea eâ vacante, ſuam donationem retractans, Clericum præſentavit, ejus præſentatio admitti, & præſentatus inſtitui debuit, quippe cùm prior donatio Eccleſiæ ipſo jure fuerit irrita. Et ſic poteſt quis hoc caſu pœnitere, & contra factum proprium agere, dicendo, illud eſſe irritum, ut notat *Gl. in c. Cùm Laici*; 10. *V. Pœnitentia*; *h't.* ſicut etiam Capitulares, ſi indignum elegerunt ad Prælaturam, poſſunt, & debent, etiam poſt publicatum ſcrutinium, alium eligere dignum, niſi poſt, communi nomine, promulgatam electionem, privationem juris eligendi, pro ea vice, incurrerint. *c. Perpetuæ*; 7. *de Elect. in* 6. Quòd, ſi verò Patronus Laicus, Epiſcopo conſulto, ſive cum ejus conſenſu, & approbatione, Eccleſiam non vacantem Loco Religioſo conceſſit, ſeu donavit in proprietatem, illam eidem incorporando, tum valet ea donatio, ſeu conceſſio, *Gl. hîc V. De ea non vacante*; quia facta eſt, non Laici: ſed potiùs Epiſcopi auctoritate, ut colligitur ex *cit. c. Illud*; per ſenſum contrarium, ibi: *Inconſulto Epiſcopo*, ergo eo conſulto valet: nam Laicus, propriâ auctoriate, ſine Epiſcopi conſenſu, Eccleſiaſtica jura conferre non poteſt, nemo enim dat, quod non habet, *cit. c. Quòd autem*; §. *De cætero*; & conſtat ex *c. Si quis*; 12. *& ſeqq. cauſ.* 16. *qu.* 7. Quod tamen ita intelligendum eſt, ut ea conceſſio, ſive incorporatio Eccleſiæ vacantis, etiam cum conſenſu Epiſcopi, facta, nullum effectum habeat, vivente ejus Rectore, eique nullum præjudicium inferatur, neque is amoveri poſſit, juxta *Clement.* 2. *de reb. Eccl. non alien. Abb. in cit. c. Illud.*; *nu.* 7. *in Gl.* 3. Ratio poſterioris partis eſt; quia præſentatus à legitimo Patrono Jus & actionem habet, erga Epiſcopum, ut ab illo, ſi idoneus eſt, inſtituatur, ſi ergo aliquis in Eccleſia, ſine præſentatione legitimi Patroni, inſtitutus fuit, inſtitutio irritati, vel irrita declarari debet, ut infra dicetur.

LXVI. Tertiò cum prædicto *cap. Illud*; conſentit, quod ſtatutum habetur, in *c. Cùm Laici*; 10. *h. t.* Videlicet, ſi Laici, Epiſcopis neſcientibus, » aut non conſentientibus, Eccleſias Clericis con- » cedunt, in quibus habent Jus patronatûs, & poſtea » pœnitentiâ ducti, alios Clericos ad eaſdem Eccle- » ſias Epiſcopis præſentant, & illi, ad eorum præſen- » tationem, ab Epiſcopis in eiſdem Eccleſijs inſtitu- » untur: horum debet inſtitutio conſiſtere, qui au- » ctoritate Epiſcopi ſunt inſtituti, conceſſione prio- » re, quæ nulla eſt (adeóque non impedit ſecun- » dam) penitus reſciſsâ; non enim licet Laicis Cle- » ricos in Eccleſijs; præſumptione, ſeu auctoritate » propriâ ordinare: imò, nec Clerici Patroni Eccle- » ſiam ordinare, ſeu conferre poſſunt, *Gl. fin. in cit. c. Cùm Laici*; & conſtat ex *c. ult. h. t.* Porro hoc eſt diſcrimen inter caſum prædicti utriuſque cap. quòd in caſu *cap. Illud*; Patronus Laicus Eccleſiam Religioſo loco conceſſit in proprietatem, ſive ei incorporavit: in poſteriore verò *cap. Cùm Laici*; Clerico Eccleſiam, propriâ auctoritate, & ſine conſenſu Epiſcopi, conceſſit in titulum, *Abb. ibid. n.* 2. Laicus verò neutrum facere poteſt, id eſt, nec in proprietatem: nec in titulum Eccleſias concedere; quia ſpiritualia jura ſunt extra limites poteſtatis Laicæ, *c.* 2. *de judic.* & *c. Tua*; 25. *de decim.* niſi ſpecialiter per Prælatos Eccleſiaſticos poteſtas in Jura ſpiritualia ipſis committatur, *c. Quod autem*; 5. §. *Cætero*; *&* §. *Illud*; 8. *h. t.*

LXVII. Quartò ſimiliter in *c. Cura*; 11. *h. t.* mandat Alexander III. ut nemo ex Religioſis, & » alijs etiam Clericis, Eccleſias ex Laicorum dona- » tione (niſi Epiſcopi Diœceſani auctoritas, & con- » ſenſus interveniat) præſumat, ſibi vendicare, aut » ita acquiſitas retinere: præterquam, ſi legitimâ » præſcriptione (40. annorum, quæ ſola procedit » contra Eccleſiam, *Gl. hîc V. Legitima*; ſit munitus, » vel Diœceſani conſenſus poſtea acceſſerit; cùm e- » nim Laici non poſſint in alios, niſi jus quod habent » transferre, ideo hujuſmodi conceſſiones penitus ir- » ritæ cenſendæ ſunt. »

LXVIII. Ubi notandum primò. Sermo hîc eſt de Eccleſijs, Monaſterijs, & alijs Eccleſijs Collegiatis in proprietatem conceſſis, ſive eiſdem incorporatis, & unitis, ut patet ex ſuperſcriptione hujus capi: nam quòd donatio, ſeu Eccleſiarum conceſſio facta locis Religioſis, intelligenda ſit de Eccleſijs, in proprietatem conceſſis, conſtat ex *c. Conſultationibus*; 4. *ſupr. de donation.* nam licèt Eccleſiæ ſæculares Clericis concedi poſſint in titulum: non tamen Monaſterijs, & Eccleſijs Collegiatis, & quidem nonniſi diſpenſativè, quando Laici iſtas Eccleſias tenebant de facto, & erant potentes, ut ex illorum manibus eripi non poſſent: aliàs verò Laici Eccleſias conferre, vel donare non poſſunt, etiam interveniente conſenſu, vel ratihabitatione Epiſcopi; quia nemo dare poteſt, quod non habet, *Abb. hîc nu.* 1. *& Barb. in Collect. num.* 3. Ubi addit, ſi Eccleſiæ, de quibus eſt ſermo, non in proprietatem: ſed in titulum concederentur, tales donationes, propter illorum incapacitatem, reprobarentur, quamvis conſenſus Epiſcopi interveniſſet.

Notandum ſecundò. Religioſi, & alij Clerici Eccleſias è manu Laicorum, ſine auctoritate Prælati Eccleſiaſtici, adeóque non canonicè acceptas, aut ſibi incorporatas, poſſunt per viam præſcriptionis acquirere, ut colligitur ex hoc *c. Abb. ibid. nu.* 1. *not.* 2.

Sed

Sed contra objici potest, isti Religiosi, aut Clerici vel habuerunt bonam fidem, vel malam: non bonam, ratione ignorantiæ; quia ignorantia seu error juris, præsertim adeo manifesti, non prodest in usucapionibus, licèt facti ignorantia prosit; *l. Juris*; 4. *ff. de jur. & facti. ignor.* isti autem contra prohibitionem Canonum acceperunt Ecclesias è manu Laicorum, *c. Si quis*; 10. *& seqq. caus.* 16. *q.* 7. ergo errârunt in jure; adeóque fuerunt in mala fide; malæ fidei autem possessor nullo tempore præscribere potest. Duplex est responsio, prout videre est apud *Gl. in cit. c. Curâ V. Legitima*; *Innoc. Ioann. Andr. & Abbas. ibid. num.* 5. *&* 6. Una est, licèt primi, qui Ecclesias illas acceperunt à Laicis dominis, non potuerint incipere præscriptionem, quia fuerunt in mala fide; at successores eorum, qui laborabant probabili ignorantiâ, existimantes consensum Episcopi interveniisse, præscribere potuerunt, cùm non in jure: sed in facto errârint. Et sic vitium Prælati antecessoris, non nocet successori in Prælaturâ quoad præscriptionem, licèt mala fides defuncti noceat hæredi universali, *l. Cùm hæres*; 11. *ff. de diverf. & temp. præscript. l. Vitia*; 11. *C. de acquir. poss.* Ratio diversitatis est, quia hæres censetur una eademque persona cum defuncto: non item Successor in dignitate, ac Prælaturâ cum Antecessore; quia nimirum hæres omne jus suum accipit à defuncto, non autem Successor ab Antecessore: sed à Superiore, qui eum instituit in dignitate, aut confirmavit; *Abb. in cit. c. Curâ*; *n.* 5. Altera responsio est, quòd in hoc casu intervenerit error, non in jure, sed in facto; nam isti Religiosi, & Clerici putârunt, Prælatum Ecclesiasticum consensisse, sivè ex commissione & auctoritate ipsius, donationem seu incorporationem factam fuisse; quia v. g. à fide dignis id audiverint, vel quia fama constans hujusmodi donationis factæ erat in vicinia: vel quia in instrumento super illa à Laico domino facto & dato, de consensu Episcopi fit mentio &c. at verò justus ac probabilis error, quo quis putat, titulum interveniisse, præbet causam præscribendi, licèt nullus intervenerit; ut constat ex *l. 2. in princ. & l. Quod vulgò*; 11. *junct. Gl. ff. Pro emptore*, *Abb. c. l. n.* 6. ubi plures alias responsiones adfert.

LXIX. Quintò denique concordat cum prædictis, quòd statutum habetur in *c. Nullus*; 17. *h. t.* Ubi » dicitur: nullus Laicus decimas, Ecclesias (quas de » facto detinet; *Innocent. hic in fine*) & quæcúnque » juris Ecclesiastici, seu spiritualia sunt, sine concessione Episcopi sui, Monasteriis, vel Canonicis sivè » Clericis conferre potest. Si verò Episcopus ob improbitatem, vel avaritiam consentire nolit, Romano » Pontifici nuncietur, ut, quod offerendum est seu donandum, cum ejus licentiâ, donetur. Ubi *Gl. fin.* addit, nisi justa causa subsit, ob quam Episcopus id negavit; quia tunc nec Papa hoc concederet, nec compelleret Episcopum, ad dandam licentiam.

LXX. Hinc colligitur primò. Si Episcopus, aliúsve Prælatus petitam licentiam, ob justam causam necessitatis aut utilitatis, irrationabiliter neget, adiri debet ejus immediatus Superior, qui illum ad licentiam, seu consensum dandum compellat, *Innoc. in cit. c. Nullus & ibid. Jo. Andr. n.* 3. *& Barb. n.* 5. idque universim procedit, quando unius consensus requiritur in favorem, & gratiam alterius, isque nolit consensum præstare, sine legitima causa, *Abb. hic n.* 1. Porro in casu *cit. c. Nullus*; non immediatus Episcopi Superior, videlicet Archiepiscopus, seu Metropolitanus; sed Papa adeundus fuit; quia Episcopus iste erat exemptus, videlicet Episcopus Adonensis, ad quem directa fuit ista Decretalis, ut refert *Quarantâ in summâ Bullar. V. Archiepiscopi auctoritas*; *n.* 21. *fol.* 76. *in fine*. Si verò Episcopus non sit exemptus & consensum deneget, sine justa causa, tum adiri potest Archiepiscopus, non quidem ad hunc finem; ut ipse præstet licentiam, & auctoritatem, in defectum Episcopi; quia Archiepiscopus non potest supplere negligentiam, ac defectum Coëpiscoporum suorum, nec jurisdictioni illorum se immiscere, nisi in casibus jure expressis: sed ut compellat Episcopum sibi subjectum ad officium suum debitè exequendum, *Abb. hic n.* 2. *&* 3. Si verò inferior aliquis Prælatus, aut Officialis sine legitimâ causa, negat licentiam, tunc adiri potest Superior v. g. Episcopus, cui negotium quoque subjectum est; ut vel ipsemet det licentiam, vel inferiorem compellat ad dandum.

Colligitur secundò: Quòd Laicus nullum Jus spirituale, vel spirituali annexum conferre possit, sine auctoritate, & consensu Episcopi: si tamen contulerit, & posteà subsequatur consensus Episcopi, valet talis donatio; *Gl. in cit. c. Nullus in notat. & V. Conferat. h. t.*

§. IV.

An, & quomodo Jus patronatûs per venditionem transferri possit?

LXXI. Assertio 1. Jus patronatûs non potest per se & solitariè vendi aut emi, sine vitio Simoniæ, ut constat ex *c. De jure*; 16. *h. t.* Ubi Papa Alexander III. » mandat, si A. Jus patronatûs emptione comparavit, » ut contractus ille irritus decernatur, cùm enim Jus » patronatûs sit spirituali annexum, inconveniens est » illud vendi, per se scilicet, & seorsim, ut addit *Gl.* » *ibid. V. Vendi.* Ratio est, quia Jus patronatûs vel est intrinsecè spirituale, vel saltem spirituali annexum, ideóque etiam spirituale censetur propter connexionem cum spirituali, *c. Quanto*; 3. & ibi *Gl. V. Connexa de Judic.* ergo sicut res spiritualis, ita etiam Jus patronatûs pretio temporali æstimari non potest, adeóque nec vendi, aut emi, sine Simonia; quia omnis pactio vel conventio, quæ fit circa spiritualia, vel spiritualibus connexa, labem Simoniæ semper continet, *c. Quæsitum*; 5. & ibi *Gl. V. Simoniæ de rer. permutat.* & in pœnam venderis, & emens Jus patronatûs illud amittere, eòque privari debet, *c. Quia Clerici*; 6. *h. t.* & Ecclesia, vel Beneficium sit liberæ collationis, *Jo. Andr. ibid. n.* 5. *& Barb. n.* 5. & alii: & hinc etiam in *Concil. Trident. Sess.* 25. *c.* 9. *de reform.* prohibetur Patronis, ne » Jus patronatûs venditione, vel alio quovis titulo in » alios, contra canonicas sanctiones, transferre præ- » sumant: si secus fecerint, excommunicationis (si » personæ singulares sint) & interdicti (si universitates » fuerint) pœnis subjiciantur, & dicto jure patronatûs ipso jure privati existant. Est autem venditio & emptio Juris patronatûs, ipso jure irrita, ut tradit *Gl. in cit. c. de jure*; *V. Irritum*; *h. t.* ac proinde verba illa textûs: *contractum illum irritum esse decernat*, non significant, esse irritandû, sivè annullandum: sed irritum, sivè nullum declarandum. Porro pretium datum pro jure patronatûs,

nec emptor acquirere debet, cùm emerit malâ fide, & contra interdicta SS. Canonum: nec venditor retinere; quia non debet locupletari cum jactura emptoris, *juxta Reg. jur.* 48. *in* 6. sed illud applicari debet Ecclesiæ, cui per Simoniam injuria est illata, *Abb. in cit. c. De jure*; *n.* 3. *in fine*; *Barb. ibid. n.* 5.

LXXII. Assertio 2. Potest Jus patronatûs vendi, vel potiùs per venditionem transferri, per accidens & concomitanter, vendendo rem temporalem, in qua est universitas, cui Jus patronatûs accessoriè est annexum, nisi hoc specialiter sit exceptum, prout sumitur » ex *c. Ex literis*; 7. *h. t.* Ubi habetur, quòd Abbatissa » & Moniales Monasterii Vintonensis quandam Villam, in qua Ecclesia sita erat, alicui militi concesserunt ad firmam, id est, locaverunt. Vacante deinde Ecclesiâ, miles ille Episcopo præsentavit G. Clericum, & postea Abbatissa Monasterii alium » præsentavit eidem, quem Episcopus recipere noluit, » quare ipsa apud Archiepiscopum Cantuariensem » questa fuit. Archiepiscopus autem; quia putabat » præsentationem à milite factam Episcopo, irritam » fuisse, in virtute S. Obedientiæ mandavit Episcopo, » ut Clericum præsentatum ab Abbatissa recipiat, & » in possessionem inducat, (*prout habetur in integra le-* » *ctione hujus cap.*) Delatâ denique hac controversiâ » ad Alexandrum III. Is mandavit Judicibus à se delegatis, si ipsis constiterit, quòd villa prædicta militi concessa fuerit ad firmam, sive locata, non excepto jure patronatûs: vel quòd antequam de jure » patronatûs inter Abbatissam & militem controversia, seu lis mota fuit, G. Clericus ab Episcopo, ad mi» lius præsentationem, institutus fuerit in prædicta » Ecclesia, ei, (si aliàs sit idoneus) eandem Ecclesiam adjudicent, ita, ut si accidat, Abbatissam in ju» re proprietatis obtinere causam adversùs militem, » institutus ab Episcopo eidem Abbatissæ, tanquam » Patronæ suæ circa temporalia respondere debeat, » reddendo illi rationes administrationis suæ. Ex quo patet, quòd Jus Patronatûs transeat cum universitate rei, quæ venditur, locatur, vel alio titulo in alium transfertur. Ratio est, quia tunc emptio, vel alius contractus non gratuitus, censetur initus super rebus temporalibus, & non super jure patronatûs, quod simul transfertur, & transit, tanquam accessorium sequens suum principale; quia est velut accidens rebus inhærens: & sic magis dignum, scilicet Jus patronatûs potest accedere minùs digno, nempe rebus temporalibus, ita ut licèt in se sit dignius, tamen ratione accessionis sit minùs dignum, *Abb. in cit. c. Ex literis*; *n.* 2. *& in c.* 3. *n.* 4. *de Consecr. Eccl.* Ubi addit, quòd Ecclesia, quæ est merè spiritualis, non possit accessoriè transire cum rebus temporalibus.

LXXIII. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò. Nomine Universitatis rei, cum qua transit Jus patronatûs, hoc loco intelligitur, non res aliqua particularis: sed quæ continet jura universitatis, ut est, civitas, castrum, pagus, villa, aut fundus, cui jura, ut jurisdictio, servitutes, onera, & actiones &c. ad eam pertinentia annexa sunt, *Abb. in cit. c. Ex literis*; *num.* 10. *Azor p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 8. Ex quo infertur primò, si quis fundum, qui universitatem non continet, sive cui nulla jura annexa sunt, intra cujus fines Ecclesia sita est, vel Palatium habens Capellam vendat, transire Jus patronatûs ad emptorem, sive ad Ecclesiam pateat aditus per ipsum fundum, vel Palatium, sive non; quia talis fundus, vel Palatium non est quid universum, sive universitatem continens, sed res particularis. *Innoc. in cit. c. Ex literis*; *n.* 3. *Abb. ibid. num.* 14. *& Fagnan. num.* 19. *& 2. seqq.* Aliud est de jure sepulchri, quod quis habet in fundo, ad quod non patet aditus per viam publicam: sed nonnisi per ipsum fundum, eo enim vendito, etiam Jus sepulchri transit ad emptorem, *l. Si mercedem*; 53. §. *Si cum fundum*; *ff. de action. empt.* quia sepulchrum nullum usum habet, nisi ut dominus mortuus in illud inferatur, in eòque sepeliatur. At jure patronatûs potest uti Patronus, præsentando, quamvis Ecclesiam in eo fundo sitam non ingrediatur; quia ab emptore fundi ingredi prohibetur, ut notant Dd. citt. Porro Jus patronatûs transit in quemcúnque cum universitate, cui adhæret, etiam sine auctoritate, & consensu Episcopi, *Abb. in c. Illud*; 8. *n.* 4 *h. t.* Sunt tamen nonnulli Dd. qui putant Jus patronatûs accessoriè transferri, etiam si non adhæreat universitati, sive rei, quæ continet in se jura universitatis: sed etiam rei particulari, ut si fundans Ecclesiam, vel Capellam statuat, Jus patronatûs spectare ad dominum talis fundi, vel Palatii: tunc enim vendito, vel alienato tali fundo, vel Palatio, accessoriè transit Jus patronatûs inseparabiliter ei annexum, ut colligitur ex *cit. c. Ex literis*; ibi: *Villa, in qua Ecclesia sita est*: Accedit, quòd etiam fundus rei universalis nomine continetur, *l. Cùm fundus*; 10. *ff. de legat.* 2. Sed id intelligi debet de fundo, cui jura aliqua annexa sunt.

LXXIV. Infertur secundò. Venditâ universitate bonorum, vel omnibus bonis, non transit Jus patronatûs in emptorem, si illud non cohæreat universitati bonorum: sed personæ venditoris, adeóque sit personale primariò personæ competens, ut ex probabiliore sententia docet *Suar. Lib.* 4. *de Simon. c.* 28. *n.* 19. *Garc. c.* 9. *n.* 16. *Zæs. in Comment. h. t. n.* 23. Ratio est, tum quia, cùm Jus patronatûs hoc casu non cohæreat accessoriè ipsis rebus venditis, non potest, ex vi venditionis illarum, censeri venditum, & transitum ad emptorem, nec sub tali venditione comprehensum: sed Jus omnino separatum à bonis venditis, & adhæret soli personæ venditoris; tum quia si ex vi venditionis omnium bonorum, etiam venderetur, & transferretur Jus patronatûs, tum transiret, quia censeretur tanquam pars universitatis bonorum, & per se vendita partialiter, sicut aliæ partes bonorum, quod Simoniam saperet. Aliud verò est de hæreditate, cum qua transit etiam Jus patronatûs; quia licèt non transeat ex vi bonorum, quæ relinquuntur hæredi, transit tamen ex vi juris hæreditarii, sive ipsius hæreditatis, quæ est successio in universum Jus defuncti, *l. Hæreditas*; 62. *ff. de R. I.* cujus personam hæres repræsentat, non autem emptor. Unde etiam hæres succedit in jure sepulchri, non item emptor, *l. Quia perinde*; 40. *ff. Ad SC. Trebell.* ac proinde ab uno ad alium non potest fieri extensio, vel illatio, *Suar. c. l. n.* 20. Quòd si Jus parronatûs cohæreat, non personæ, sed ipsis bonis, tum venditis omnibus bonis, transit etiam Jus patronatûs ad emptorem, *arg. l. Bonorum*; 208. *ff. de V. S.* Ubi dicitur, *bonorum appellatio, sicut hæreditatis universitatem demonstrat*, *Abb. in cit. c. Ex literis*; *num.* 12. *h. t.* & hoc sensu vera est communis Canonistarum sententia. Requiritur tamen, ut res tem-

temporales, quibus adhæret Jus patronatûs, ratione hujus non cariùs vendantur, alioquî enim venderetur etiam per se, quod Simoniacum foret, *Suar. cit. c. 28. n. 12. & 13.*

LXXV. Infertur tertiò. Venditio Universitatis v. g. Castri facta, cum expressa mentione de jure patronatûs, ut vendo hoc Castrum cum jure patronatûs, vel etiam vendo hoc Castrum, & Jus patronatûs; etsi videatur esse invalida; quia Jus illud, non accessoriè, sed per se vendi videtur, ac æquè principaliter, licèt partialiter, propter expressionem, vel particulam copulativam *Et*. Nihilominus tamen probabile est, talem contractum non esse vitiosum, nec simoniacum, non solùm in foro interno conscientiæ, si bona adsit intentio, non vendendi Jus patronatûs, & pretium non excedat valorem rei, secundùm se spectatæ, ut tenet *Azor cit. c. 20. q. 8. in fine*, sed etiam in foro externo: nec enim refert, quibus verbis contractus sit conceptus, si verba bonum sensum habere possint, qui excusat à delicto, quòd scilicet ideo expressum sit Jus patronatûs in venditione, ut non putetur esse reservatum, sive exceptum, & à re vendita separatum; quia verba, quæ sensum habere possunt, tum malum, qui continet delictum, tum bonum, qui excludit: in posteriore potiùs sensu accipienda sunt, quàm in priore, cùm dubia in meliorem partem interpretanda sint, *c. 2. de R. I. Navarr. Lib. 5. Consil. 6. num. 7. & 8. de hæret.* si ex aliis circumstantiis aliud verisimiliter non colligatur, *Navarr. Lib. 3. Consil. 3. h. t. Suar. cit. c. 28. n. 18.* Ubi ait, optimam formam vendendi esse hanc: *vendo Castrum, vel villam, non excepto jure patronatûs*: quamvis enim eò ipsò, quod non excipitur, censentur translatum, *juxta cit. c. Ex literis*; & quia accessorium sequitur principale: nihil tamen obesse potest, quòd in venditione id ipsum exprimatur; quia expressio ejus, quod tacitè ipso jure inest, non potest vitiare actum: sed majoris declarationis gratiâ expressum, sive adjectum videtur, *arg. l. 3. ff. de legat. 3.*

LXXVI. Notandum secundò. Contractus, per quem Jus patronatûs accessoriè transit in alium, debet esse quædam alienatio, sive talis contractus, per quem transferatur dominium directum, vel saltem utile, & possessio, uti fit in concessione ad firmam, seu locatione ad longum tempus, in qua transit possessio, & omnis utilitas rei locatæ in conductorem, & consequenter etiam Jus patronatûs, tanquam accessorium, ut ex communi docet *Abb. in cit. c. Ex literis; n. 5.* Si verò ad modicum, seu breve tempus castrum quoddam v. g. alicui locetur, Jus patronatûs, seu facultas præsentandi non transit ad conductorem: sed manet penes locantem; quia tunc non transfertur utile dominium, nec possessio: sed nuda detentio rei; cùm colonus conductus ad modicum tempus, non suo: sed domini locantis nomine possideat rem locatam, *l. 2. C. De præscript. 30. vel 40. ann. Abb. c. l. Azor p. 2. l. 6. c. 20. q. 11.* Licèt contrarium teneat *Barb. in cit. c. Ex literis; n. 4. h. t.* quia in locatione, etiam ad modicum tempus, transit commoditas rei locatæ in conductorem, ita ut illi liceat uti, frui re conductâ, ut constat ex *l. Ex conducto; 15. ff. Locati*; ideóque videtur etiam, transire in ipsum Jus præsentandi, vel ipsa præsentatio, quæ est quædam commoditas, & veluti fructus juris patronatûs, idque etiam probabile censet *Abb. c. l.* quia conductor, sive colonus possidet rem locatam naturaliter, dominus verò sive locator civiliter, adeóque videtur, ratione naturalis possessionis, posse præsentare, sicut cæteros fructus percipit: idque confirmari potest ex *cit. c. Ex literis*; quod absolutè & indistinctè loquitur, non distinguendo inter locationem ad longum, vel breve tempus. Verùm prima sententia est receptior, & melioribus nititur fundamentis, ut fatetur ipse *Barb. c. l. n. 4. in fine.* Illud tamen concedi potest, quòd locator possit conductori, etiam ad breve tempus, committere, sive concedere facultatem, ut non proprio: sed locantis nomine præsentet: sicut debitor potest committere creditori, ut in Castro oppignorato, cui Jus patronatûs annexum est, ipsius debitoris nomine præsentationem faciat, *Laym. Lib. 4. Tract. 2. cap. 13. in fine.*

Notandum tertiò. Si is, qui est in possessione juris patronatûs, aliquem præsentavit, cum bona fide, & præsentatus est institutus ab Ordinario, tametsi postea appareat, præsentantem revera non habuisse Jus præsentandi, non tamen potest removeri; quia institutio facta, ad hujusmodi præsentationem, valida fuit, & per illam institutus verum Jus, ac titulum acquisivit in Ecclesia, prout sumitur ex *cit. c. Ex literis*, & tradit *Abb. ibid. n. 3.* & habetur etiam in *c. Consultationibus; 19. h. t.* de quo plura infra.

LXXVII. Notandum quartò. Si lis sive controversia sit mota, ac instituta super jure patronatûs, ante factam præsentationem, tum vel est mota super possessione, quia negatur reum conventum possidere Jus patronatûs: & non debet admitti præsentatio, lite pendente; quia super hoc ipso est quæstio, & si probatum fuerit, ipsum non possidere, præsentatio invalida foret, *arg. c. 2. de in integr. restit.* & ibi *Gl. V. Electionem.* Vel lis mota est super proprietate juris patronatûs, quia nimirum actor dicit, illud sibi competere, licèt reus sit in possessione, vel quasi: & tum præsentatio quidem à possessore bonæ fidei facta admitti potest: sed præsentatus, pendente lite, non debet institui à Superiore, postquam lis fuit contestata: sed differenda est institutio usque ad exitum causæ, ut per sensum contrarium colligitur ex *cit. c. Ex literis*; quia iste miles fuit in possessione juris præsentandi, cum bonâ fide, & præsentavit, ante motam controversiam de proprietate hujus juris, sive ante litem contestatam, & institutio præsentati tenuit: secus ergo est, si post motam controversiam, sive litem contestatam, fuisset præsentatus: tunc enim debuisset quidem præsentatus admitti à Superiore; quia ratione possessionis potuit præsentare, sicut & alios fructus percipere: sed institutio non tenuisset. Ratio est, quia possessor, etiam bonæ fidei, tenetur fructus percepros restituere, post litem contestatam: sed si præsentatus institueretur, lite pendente, & succumberet, is, qui præsentavit in proprietate juris patronatûs, non posset restituere fructum, sive effectum suæ præsentationis, qui est institutio; cùm legitimè institutus non possit amoveri, ideóque propter impotentiam restituendi, differenda est institutio, usque ad eventum litis, *Gl. in cit. c. Ex literis; V. Vel antequam in fine, & ibid. Abb. num. 8. & 9. h. t. Azor p. 2. l. 6. c. 21. q. 18.* Si verò possessor ante litis contestationem præsentavit, tunc institutio fieri debet, etiamsi lis postea supervenerit; quia possessor bonæ fidei plus juris habet in fructibus,

ante litem contestatam, quàm postea, *Laym. Lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 19.*

LXXVIII. Notandum quintò. Beneficiarius præsentatus à Patrono Ecclesiastico debet ei reddere rationes, de administratione redituum temporalium Ecclesiæ, vel Beneficii ipsi commissâ, non quidem strictè & in specie, quantum v. g. expendat quotidie pro victu: sed in genere, prout significatur in *cit. c. Ex literis in fine h. t.* non autem potest Patronus Laicus exigere rationes etiam temporalium, à Rectore vel Beneficiario; quia Ecclesiasticus Patronus pinguius Jus habet in Ecclesiis, & Beneficiis, ac Beneficiatis patronatis, quàm Patronus sæcularis, *Abb. in cit. c. n. 3. not. 3.* Præterea Patronus Ecclesiasticus habet administrationem & custodiam reddituum temporalium, vacante Ecclesiâ, aliòve Beneficio, ideóque Oeconomum, seu Administrationem reddituum ibi constituere potest, *arg. c. 3. §. In Ecclesiis de privil. & c. In Lateranensi; 31. de præb.* & docet *Innocent. in c. Cùm vos 34. n. 1. de Offic. Jud. Ordin. & ibid. Joann. Andr. n. 15. & Abb. n. 8.* At verò Patronus Laicus, ne quidem vacante Ecclesiâ, vel Beneficio, reddituum administrationem & custodiam habet, & consequenter nec Oeconomum deputare potest, nisi per privilegium Papale, vel per consuetudinem à Sede Apostolica approbatam id obtinuerit, *juxta c. Generali; 13. de Elect. in 6.* & colligitur per sensum contrarium ex *cit. c. Cùm vos; Io. Andr. ibid. n. 15. & Abb. n. 4.* Ubi monet, id bene notandum esse; quia sæpe Laici Patroni administrationes ejusmodi, aut custodias fructuum contra jura sibi vendicant.

§. V.

An & quâ ratione Jus patronatûs permutari, vel in feudum, aut emphyteusin, vel in pignus dari possit?

LXXIX. Assertio 1. Jus patronatûs cum alio simili Jure permutari potest, accedente consensu Episcopi, qui sicut in donatione: ita etiam in permutatione intervenire debet, ut dispiciat, an mutatio Patroni sit cessura in commodum Ecclesiæ; quia etiam permutatio rerum spiritualium inter se non potest fieri, sine auctoritate Superioris, seu Prælati Ecclesiastici, *c. Quæsitum; 5. de rer. permut. Silvest. V. Ius patronatûs, q. 5. dicto 2. Zæs. in Comment. h. t. n. 25.* Non verò potest Jus patronatûs, cùm sit Jus quoddam rei spirituali annexum, commutari cum re, vel jure merè temporali, quod nec spirituale est, nec spirituali annexum, *c. Ad quæstiones; 6. & c. ult. de rer. permut. Azor p. 2. l. 6. c. 20. q. 7.*

LXXX. Assertio 2. Si Jus patronatûs successione, vel alio modo ad alium Patronum transferatur, non potest is statum Ecclesiæ, vel ejus Rectorem mutare, nec possunt, pro voluntate Patronorum, Ecclesiæ permutari, prout sumitur ex *c. Querimoniam; 9. h. t.* Ubi » dicitur: absurdum omnino videtur, ut ad singulas » Patronorum, secundùm humanam conditionem » mutationes, etiam Ecclesiarum ordinationes (id » est, institutiones, *Hostiens. hîc V. eod.*) mutentur: » vel si Advocati, seu Patroni Ecclesiarum vicissitudines facere præsumant, ubi *Gl. fin. & Hostiens.* hîc » per vicissitudines intelligunt permutationes, non enim licet Patronis, præsertim Laicis, si plures Patronatus diversarum Ecclesiarum habeant, eos inter se dividere, vel permutare, sine consensu & auctoritate Episcopi; quia Patroni tantùm habent Jus præsentandi, & potestatem defendendi res Ecclesiæ, & denunciandi excessus Rectoris, vel Beneficiati Episcopo: non autem eis competit potestas ordinandi, vel disponendi quippiam circa res, vel personas Ecclesiæ, cùm in ipsorum potestate ac dispositione Ecclesia, aut res Ecclesiasticæ non sint, *c. 2. c. Noverint; 6. caus. 10. q. 1. Gl. in cit. c. Querimoniam; V. Mutationes; & Hostiens. V. Præsumantur in fine.* Nec obstat, quòd resoluto jure auctoris, resolvitur etiam jus successoris: sed Patronus antiquus fuit auctor juris, quod habet Rector, vel alius Beneficiarius in Ecclesia, ergo resoluto jure illius, etiam jus istius censeri videtur resolutum; Nam Rector institutus in Ecclesia, vel Beneficio non habet Jus principaliter à Patrono: sed à Superiore instituente, ideóque non potest, mortuo antiquo Patrono, amoveri à Patrono novo, sive successore, *Abb. in cit. c. Querimoniam; n. 7.* Hinc etiam infertur, quòd Patroni non possunt permutando transferre Jus patronatûs in personam Laicam, vel etiam in Clericum, nomine proprio, ac privato, sine consensu & auctoritate Episcopi, *Azor cit. c. 20. q. 7.* Quia Patronus non habet potestatem disponendi de juribus spiritualibus vel quasi spiritualibus, nisi quatenus ipsi à SS. Canonibus est concessum, nullibi autem reperitur expressum, quòd Jus patronatûs liceat transferre permutatione in Laicum, vel etiam Clericum, non Ecclesiæ, sed proprio suo nomine, sine consensu Episcopi: quamvis non sit prohibitum, quò minùs si duo fratres vel cohæredes sint Patroni ejusdem Ecclesiæ, vel Beneficii, possit unus alteri Patronatum cedere, vel inter se convenire, etiam sine consensu Episcopi, ut alternis vicibus Rectorem præsentent, vel unus in una Ecclesia, alter in alia, *Barb. in cit. c. Querimoniam; n. 4. h. t.* & patet ex supra dictis *num. 63.*

LXXXI. Assertio 3. Jus patronatûs dari potest in feudum, vel Emphyteusin, ut est communis sententia Dd. sed nonnisi cum universitate rei, in qua Jus patronatûs est constitutum, & cui inseparabiliter cohæret: sicut enim feudum, unâ cum universitate, v. g. Castro, oppido, pago, vendi potest, & eâ venditâ, dominium directum transit in emptorem, utile verò in feudatarium: ita etiam Jus patronatûs, quod est veluti fructus, & commodum rei, accessoriè & in consequentiam in feudatarium transfertur, *Silvest. V. Ius patronatûs; q. 5. dicto 5. Azor cit. c. 20 q. 12.* Idque sumitur ex *c. Cùm sæculum; 13. h. t.* Ubi Alexander III. » rescribit Hospitalariis, & prohibet, ne si ratione fun- » dorum emptorum, vel aliter acquisitorum, Ius pa- » tronatûs in Ecclesiis acquirant, Ius parochiale (sive » Episcopale) Episcopo minuere præsumant. Ex quo » patet, si quis fundum feudalem emptione, vel alio titulo acquirat, is etiam Ius patronatûs ei annexum, per accidens & concomitanter acquirit, nisi specialiter sit exceptum, *Gl. hîc V. Emptorem*; ita tamen ut salva maneant jura Episcopalia, quæ Patronus etiam Clericus, vel Religiosus exemptus (*ut in casu hujus cap.*) imminuere, vel se iis immiscere non potest, *Gl. fin. hîc*, ubi ait, quòd Religiosi isti plus juris non debent habere,

bere, quàm illi, à quibus jus acceperunt, & sic Episcopo Jus suum integrum remanere debet, neque enim per talem translationem Ecclesiæ ordinatio, seu institutio mutari debet, *Abb. hîc n. 2.* similiter etiam Jus patronatûs in emphyteusin dari potest, *Azor c. l.*

LXXXII. Assertio 4. Si Universitas bonorum, v. g. Civitas, vel Castrum cum pertinentibus, cui Jus patronatûs annexum est, creditori in pignus detur, seu hypothecæ nomine concedatur, Jus patronatûs in eum non transit, ita ut creditor suo jure, aut nomine præsentare non possit, prout sumitur ex *c. Cùm Bertholdus*; 18. & ibi *Gl. V. Patrono de senten. & re judic.* Ratio est, quia si Jus patronatûs transiret ad creditorem, tunc per accidens & accessoriè hoc casu, unâ cum civitate vel Castro alienato, seu translato transiret, *arg. c. Ex literis*; 7. *& c. Cùm sæculum*; 13. *h. t.* At verò per pignoris constitutionem res tradita non alienatur, vel transfertur, quoad dominium directum, cum hoc maneat penes debitorem: nec quoad dominium utile, cùm creditor non habeat Ius percipiendi fructus ex re oppignorata: sed eos restituere debet, vel in sortem computare, *c. 1. de usuris.* inter quos fructus numeratur etiam præsentatio, quæ postquam facta, & acceptata est, retractari non debet, nec ad præsentationem Patroni legitimè à Superiore institutus removeri potest, ideóque hujusmodi fructus restitui, non potest, neque etiam præsentatio in sortem computari potest; quia hoc Simoniacum foret, siquidem pretio æstimaretur, & in compensationem rei temporalis daretur, *Silvest. c. l. n. 6. q. 5. dicto 5. Azor cit. c. 20. q. 13. Zæsius in comment. h. t. n. 38.* Verumtamen si alicui per pactum non merè antichriseos: sed adjecto contractu censuali, aut venditionis, cum pacto redimendi, civitas vel castrum sit oppignoratum, ita ut fructus percipere possit, adeóque dominium utile ad creditorem pertineat, (donec pignus reddatur, quem contractum non usurarium: sed licitum esse censet *Laym. Lib. 3. Tract. 4. c. 16. n. 17.*) hoc casu Ius patronatûs potest transire ad creditorem, cui Ius præsentandi interim competit, sicut & alia jura, ac commoditates; quia ipse tunc civitatem, vel pagum sibi oppignoratum possidet titulo, ac jure hypothecæ, *Laym. in cit. c. Bertholdus*; n. 4. *de sent. & re judic. Canis. in c. Quoniam*; 3. *h. t. n. 24.*

SECTIO IV.

DE PRÆSENTATIONE, SIVE ipso actu præsentandi, eiúsque circumstantiis.

§. I.

An præsentatio facta à possessore Juris patronatûs, etsi Jus proprietatis non habeat, valida sit?

LXXXIII. Assertio 1. Præsentatio facta ab eo, qui tunc erat in quasi possessione juris patronatûs, & communiter credebatur esse Patronus, & consequenter etiam institutio ad talem præsentationem facta, tenet, ac subsistit, licèt postea constet, quòd verus Patronus non fuerit, prout statutum habetur in *c. Consultationibus*; 19. *h. t.* Ubi Papa Alexander III. ita rescribit: si aliquis Clericus ab Ordinario Iudice (nempe Episcopo) in Ecclesia fuerit institutus, ad præsentationem illius, qui ejusdem Ecclesiæ credebatur esse Patronus (& erat in quasi possessione juris patronatûs, *Gl. hîc V. Credebatur*;) postea verò Ius patronatûs alius evicerit in judicio (probans Ius præsentandi ad se spectare) institutus non debet ab Ecclesia removeri, si tempore præsentationis suæ, is qui eum præsentavit, Jus patronatûs Ecclesiæ possidebat (bonâ fide, *Gl. hîc V. Possidebat*;) cùm ei, ad quem Ius patronatûs pertinet, nullum inposterum præjudicium fiat. Si verò Præsentator non fuit in possessione juris patronatûs: sed tantùm credebatur esse Patronus, cùm verè non esset, poterit institutus ab eadem Ecclesia removeri. Ratio prioris partis est, quia quod legitimè factum est, non debet retractari, seu irritari, licèt ad eum casum deveniat, à quo incipere non potuit. *c. Præcepta*; 12. *junct. Gl. V. Postmodum*; *dis.* 55. *& l.* 2. *ff. De itinere actúque privato, Gl. hîc V. Removeri.* Ratio verò posterioris partis infra adferetur.

Porro idem statutum habetur de Electione in *c. Querelam*; 24. *supr. de Elect.* ubi *Gl. V. Super jure*; ait, si electus à non domino, impugnetur, quòd sit electus à non domino, sive ab eo, ad quem Ius eligendi non spectabat, sufficit ei probare, quòd eligens erat in possessione juris eligendi, licèt alter obtineat postmodum in judicio petitorio. Idem quoque statutum est in *c. Cùm olim*; 7. *de caus. possess. & propr.* de jure conferendi, ubi *Gl. in notandis*; ait: ille, qui est electus, sive institutus ab eo, qui est in pacifica possessione instituendi, seu conferendi, obtinet ex sola possessione, licèt postea appareat, Ius proprietatis ad alios pertinere.

LXXXIV. Assertio 2. Ut institutio, ad præsentationem ejus, qui non est Patronus, valeat, duo requiruntur copulativè, videlicet, ut communiter reputetur Patronus, & ut sit in possessione præsentandi, adeóque solus error communis sine possessione, non sufficit, ut actus gestus à non possessore valeat. Et ita limitanda est lex *Barbarius 3. ff. de offic. Prætor.* & similia jura, quæ disponunt, gesta à non habente potestatem valida esse, si adsit titulus putativus, & communis error; procedunt enim tum demum, si cum communi errore concurrat possessio vel quasi possessio proprietatis seu potestatis, *Abb. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 3. *not.* 2. Non sufficit autem nuda possessio: sed requiritur etiam, ut is, qui præsentat, sit in possessione, cum bona fide, ratus, Ius præsentandi sibi competere. Ratio est, quia possessor bonæ fidei fructus bonâ fide consumptos non tenetur restituere, etiamsi postea verus dominus resciatur, nisi quatenus locupletior factus est; quia hi fructus pertinent ad possessorem, non ad dominum, §. *Si quis à non domino*, & ibi *Gl. Instit. de rer. divis.* At verò actus præsentationis est veluti quidam fructus juris patronatûs, qui per præsentationem, & subsequentem institutionem videtur quodammodo consumptus: ac proinde si possessor bonâ fide præsentavit, præsentatio, ac institutio, cùm sit actus transiens, ex quo præsentator non est factus locupletior, retractari non debet, neque institutus amoveri. Secus est, si malâ fide facta sit præsentatio, aut institutio, adeóque præsentans scivit, Ius præsentandi sibi non competere; quia possessor malæ fidei obligatus est, etiam fructus non extantes, seu consumptos restituere, *cit.* §. *Si quis à*

non domino; c. *Gravis*; 11. *de restit. spoliat. Abb. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 3. & 4. *Azor p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 17. & §. *Quæres.* Nec obstat, quòd etiam bonæ fidei possessor fructus rei naturales, suos non faciat, *l. Fructus*; 55. *ff. de usuris*; nam præsentare, non est fructus naturalis juris præsentandi: sed reducitur ad fructus industriales; quia cùm debeat præsentari idoneus, intra tempus legitimum, hominis industria in præsentando requiritur: sed etsi esset fructus naturalis, si tamen sit consumptus, & possessor non est inde factus locupletior, non tenetur ad restitutionem, *Abb. c. l. num.* 3.

Ex quo jam patet ratio posterioris partis hujus cap. nam si præsentans non erat in possessione, non potuit hunc fructum præsentationis facere suum: sicut ergo is, qui occupat possessionem alterius, tenetur restituere omnes fructus, c. *Non liceat*; 20. & ibi *Gl. V. Et cum fructibus caus.* 12. *q.* 2. *cit. c. Gravis de restit. spol. l. Si Navis*; 22 *ff. de rei vindic.* Ita etiam tenetur præsentans non possessor hujus juris, restituere hunc veluti fructum juris patronatûs, quod fit per amotionem instituti, *Abb. c. l. n.* 3. *in fine.*

LXXXV. Notandum hîc præterea primò. Institutus, ad præsentationem illius, qui est verè Patronus, licèt non sit in possessione juris præsentandi, validè est institutus, adeóque amoveri non potest, si nullus alius in possessione sit, ut docet *Abb. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 3. *in notat.* & colligitur ex *fine illius cap.* per sensum contrarium: ex quo etiam infertur, quòd fructus fundi pertinent ad dominum, sive proprietarium, licèt is non sit in possessione fundi, dummodo nullus alius in ea existat. Quòd si alius sit quidem in possessione juris præsentandi: sed malâ fide, tum vel notorium est, quòd alter injustè possideat Jus præsentandi: & hoc casu præsentatus à vero Patrono admitti, & instituì debet; quia iste utitur hoc jure, non ut possidens: sed ut dominus, seu proprietarius, *Innocent. in c. Cumana*; 50. *num.* 6. *de Elect. Gutierez Lib.* 5. *pract. qq. q.* 42. *num.* 48. Vel non est notorium, ipsum injustè possidere, & tum non debet præsentatus à verò Patrono admitti, aut instituì, nisi præmissâ cognitione super jure proprietatis, & post latam sententiam pro vero Patrono; cùm possessor etiam malæ fidei propriâ, seu privatâ auctoritate, vel non servato juris ordine, non sit spoliandus possessione suâ, *Innoc. in c. In literis*; 5. *n.* 2. *de restit. spoliat.*

LXXXVI. Notandum secundò. Si quis per Judicis sententiam obtinuit Jus patronatûs: sed malâ fide, sciens id sibi non competere, tunc cognito postea errore, & sententiâ retractatâ, etiam institutio facta ad ejus præsentationem, rescindi debet, ut docet *Innoc. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 2. & *ibid. Io. Andr. n.* 3. *Abb. n.* 6. *Azor cit. q.* 17. Qui ajunt, quoad hoc constituendum esse discrimen inter eum, qui à legitimo Superiore publicum officium, seu potestatem, v. g. Prælaturæ, Judicis, vel Tabellionis, est consecutus, cum vitio occulto, ob quod potestatem nullam reipsa habet, vel impeditam, quoad exercitium: & inter eum, qui publicum officium non gerit: sed privatum tantùm, seu privatam potestatem exercet, cujusmodi est Patronus; nam prioris gesta propter communem errorem, & publicam utilitatem, sunt valida, tametsi intrusus sit, & malâ fide officium exerceat, sciens se invalidè ad officium esse promotum, ob latentem defectum, *juxta l. Barbarius*; 3. *ff. de offic. Prætor.* Posterioris verò gesta sunt invalida, cùm in eo deficiat publica utilitas: nullùmque jus extat, quod statuat acta privatorum, qui cum occulto vitio, seu latente defectu, malâ fide, illa exercent, propter sententiam, & auctoritatem Judicis, sive quia publicâ auctoritate Judicis vel Superioris, consecuti sunt possessionem, esse valida, *arg. l. Iulianus*; 60. *ff. de condict. indeb.* Ubi dicitur, si verus & naturalis debitor in judicio sit absolutus, & per errorem solverit, repetere illud non potest; quia naturâ debitor permanet, sive naturaliter adhuc debet, *Gothofr. ibid. lit. M. & Gl. in l. Exceptio*; 28. *ff. De except. rei judic. V. Expertus*; & Dd. ibi tradunt, quòd sententia Judicis reipsa non facit dominum; qui non est dominus, nec tollit etiam dominium à vero domino. Verùm contrarium docet *Barbos. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 2. *h. t.* Nempe, quòd actus etiam sive gesta privata, propter communem errorem, seu existimationem sint valida, aliàs enim id vergeret in magnum detrimentum humani commercii & contractuum, si ob vitium latens invalida forent, adeóque in damnum publicum: præterquam si scientia impedimenti, adeóque mala fides adsit, & actus privatus cedat in notabile detrimentum tertii, ut in proposito, si præsentatio facta ab eo, qui tantùm credebatur esse Patronus, per illum actum is constitueretur verus possessor juris præsentandi, cum magno præjudicio veri Patroni.

Notandum tertiò. Possessio juris patronatûs acquiritur ex unica præsentatione, bonâ fide factâ, & admissâ, *Garc. Tract. de Benef. p.* 5. *c.* 5. *num.* 59. & *in Collectan. hîc n.* 6. Non autem quasi possessio præsentandi transit ad hæredes præsentantium, sine novâ approbatione, *Barb. in Collectan. hîc n.* 5. & *l.* 3. *Iur. Eccles. c.* 12. *n.* 190.

LXXXVII. Assertio 3. Si duo sint præsentati ad eandem Ecclesiam, vel Beneficium, unus ab eo, qui erat in possessione præsentandi, alter verò à vero Patrono, habente proprietatem juris præsentandi, tum ille instituendus est, qui à possessore bonæ fidei præsentatus fuit: nisi tempore præsentationis, & ante institutionem factam liquidè constaret de defectu proprietatis possessoris, sive Jus patronatûs ad alium de jure spectare: tum enim præferendus est, & instituendus præsentatus ab ipso proprietario; quia proprietas cognita absorbet causam possessionis, eique prævalet, *c. Cum dilectus*; 6. *de caus. poss. & propriet. Abb. in cit. c. Consultationibus*; *n.* 9. *Barb. ibid. n.* 3. Quòd si possessor fuit in mala fide, neutriùs præsentatio valet: non proprietarii, seu veri Patroni; quia is non erat in possessione, ideóque præsentare non potuit, alio existente in possessione præsentandi, nec licet propriâ, ac privatâ auctoritate spoliare etiam intrusum, sive invasorem & malæ fidei possessorem, *c. In literis*; 5. *de restit. spol.* Neque etiam tenet præsentatio possessoris, cùm sit malæ fidei possessor, *Abb. c. l.*

LXXXVIII. Cæterùm hactenus dicta procedunt, spectato Jure communi Decretalium. Verùm hodie juxta *Decretum Concilii Trident. Sess.* 25. *c.* 9. *de ref.* Ad valorem præsentationis, vel institutionis non sufficit, ut præsentans communiter reputetur Patronus, & sit in quasi possessione juris præsentandi, nisi doceat de titulo, & proprietate juris patronatûs, ex fundatione, aut dotatione, qui ex authentico Instrumento

mento ostendatur, vel etiam ex multiplicatis præsentationibus supra hominum memoriam, secundùm formam præscriptam ab eodem Concilio, de quo videri potest *Garc. cit. c. 5. n. 137. & seqq. Fagnan. in cit. c. Consultationibus; n. 8. & seqq. h. t.* Non tamen habet locum Decretum hoc Concilii Tridentini, si non sit controversia de titulo seu proprietate juris patronatûs, de quo jam ex actis constat: sed solùm vertitur quæstio inter duos vel plures præsentatos, ad quem ex præsentantibus Jus patronatûs pertineat, veluti si controvertatur, quis eorum successerit in jure patronatûs, tum enim inter præsentatos præferendus est præsentatus ab eo, qui est in pacifica & immediata possessione juris præsentandi, *juxta cit. c. Consultationibus, ex decisione Rotæ apud Garc. cit. loc. num. 140. & seqq. Fagnan. c. l. num. 16.*

§. II.

An Patronus possit præsentare seipsum, vel filium suum, si sit idoneus, item si plures sint Patroni, an unum ex seipsis, ac denique, an semper dignus, vel dignior præsentari debeat?

LXXXIX. Assertio 1. Patronus Ecclesiæ vacantis, vel Beneficii, etiamsi Clericus sit, & idoneus, seipsum ad illam præsentare non potest, prout constat » ex *c. Per nostras; 26. h. t.* Ubi cùm quæsitum fuisset » ex Innocentio III. utrùm Clericus ad vacantem Ec- » clesiam, in qua Jus obtinet patronatûs, seipsum, si » idoneus sit, possit præsentare? Respondet Papa, » cùm nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ Præla- » tionis officiis (hoc ipso enim tanquam ambitiosus » repelli debet, *c. In scripturis; 9. caus. 8. q. 1. c. Sicut* » *is; 3. caus. 1. q. 6. Gl. hic V. Ingerere*;) ideo nullus se » potest ad Personatum alicujus Ecclesiæ præsentare, » quantumcúnque idoneus sit, & quibuscúnque stu- » diis & meritis adjuvetur. Rationem dat *Gl. ibid. V. Præsentare*; quia nemo oritur à seipso, *c. Didicimus; 31. junct. Gl. V. A seipso ortus; caus. 24. q. 1.* sed distinctio esse debet inter dantem, & accipientem, *c. ult. de Institut. & l. 1. ff. de auctorit. tut.* adeóque etiam inter præsentantem, & præsentatum, sicut & inter baptizantem, & baptizatum, *c. Debitum; 4. de baptism.*

XC. Extenditur autem primò. Quòd neque ad Beneficium simplex Patronus seipsum præsentare potest; quia licèt Papa in *cit. c. Per nostras;* loquatur de præsentatione ad personatum: tamen eadem ratio, in qua fundatur decisio hujus cap. ne videlicet Clerici seipsos præsentantes incidant in vitium ambitionis, etiam locum habet in Beneficiis simplicibus, & consequenter etiam eadem juris dispositio, *Ioann. Andr. hic n. 3. Abb. n. 2. Barb. n. 7. & alii communiter.* Et quamvis pauper Clericus possit petere, & rogare, ut sibi provideatur de Beneficio, si idoneus sit, *c. Cùm secundùm; 16. de præb.* non tamen potest seipsum præsentare ad illud; quia videtur hoc postulare ex debito, cùm præsentatus debeat instituì, si dignus sit, & ferre judicium de persona sua propria, & auctoritatem præstare sibi ipsi, quæ omnia prohibita sunt in *Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. c. Qualiter; 17. de Elect. c. ult. de Instit. Abb. c. l.*

Extenditur secundò. Quòd Patronus neque per alium à se delegatum, sive cui, pro ea vice, potestatem præsentandi commisit, possit præsentari, neque etiam procurator constitutus à Patrono potest præsentare ipsum Patronum, ut docet *Ioann. Andr. in c. Ex insinuatione; 14. n. 3. h. t. Parisius l. 9. de resign. Benef. q. 17. n. 113.* quia Delegatus & Procurator quicquid agit, quâ talis, non suo, sed sui principalis, sive demandantis nomine agit, cujus vices gerit, ideóque ipse principalis seipsum præsentare censeretur: sicut etiam procurator, seu mandatarius seipsum præsentare non potest, nec cui data est facultas eligendi, seipsum eligere, *Paris. c. l. n. 103. & seq.* Cæterùm si Patronus alteri potestatem præsentandi legitimè concessit, & totaliter in eum transtulit, ita ut omnino se abdicaverit eâ potestate: & alter possit, saltem pro ea vice, ac nomine proprio præsentare, tum potest ab eo præsentari etiam ille, qui desiit esse Patronus, & hoc Jus in alium transtulit, *Ioann. Andr. in cit. c. Ex insinuatione; n. 3.*

XCI. Hinc infertur, quòd Episcopus, Ecclesiâ vel Beneficio, in quo Patronus Jus præsentandi habet, vacante, sponte & motu proprio, instituere ipsum Patronum possit, si idoneus sit, sive illud ipsi conferre. Idque duobus potissimùm modis, primò, si Patronus Clericus, pro ea vice, liberè renunciet juri suo præsentandi, & Episcopus absolutè, & sine ullo pacto præcedente, Beneficium conferat Patrono, valida & licita erit collatio, maximè si præ aliis dignus videatur, dummodo scandalum absit: imò etiam posset hoc casu Patronus Clericus rogare Episcopum, ut sibi provideat de illo Beneficio, si Beneficium non sit curatum, & Patronus sit egens, *Abb. in cit. c. Per nostras; n. 4.* Secundò, si Episcopus priùs conferre velit Beneficium Patrono, isque illud acceptet, adeóque ex postfacto in collationem consentiat; tunc enim non censetur se ingerere; quia non oritur à seipso: sed ab Ordinario superiore vocatur, cui vocationi ipse consentire potest, alioquin Patronus deterioris conditionis foret, quàm alii Clerici, ipsìque obesset, quòd Ecclesiam fundavit, quod non est dicendum. Accedit, quòd præsentatio interdum fit ex postfacto, & quandoque etiam institutio Episcopi valet, sine præsentatione, ut ex infra dicendis patebit, *Io. Andr. c. l. n. 2. & Abb. n. 3.* Sic etiam electus, sui electioni consentire potest, & interdum accedendo aliorum suffragiis coëligere, si electio palam fiat, & non per viam clandestini scrutinii, *Abb. c. l. n. 4.*

XCII. Assertio 2. Potest Patronus filium suum, si idoneus sit, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium, in quo ipse Jus patronatûs habet, prout colligitur ex *c. Consuluit; 15. h. t.* Ubi statuitur, quòd Clerici » Ecclesias à parentibus suis fundatas, propriâ aucto- » ritate, sibi retinere non possint; cùm Sanctuarium » Dei jure hæreditario obtineri non possit, (hoc est » Ecclesiæ, Beneficia, jura & bona Ecclesiastica jure hæ- reditariæ successionis acquiri non possunt, *c. 1. de præb. c. 2. de conces. præb. c. Apostolica; 7. caus. 8. q. 1.*) Neque etiam Patroni Laici Ecclesias (vel Beneficia Ec- » clesiastica) filiis aut aliis quibusdam concedere pos- » sunt (scilicet auctoritate propriâ) *Gl. hic V. Concedant;* Ubi addit, sed Patronus potest filium præsentare ad Ecclesiam Episcopo; quia ad Patronum spectat

& tat sola præsentatio, non autem concessio seu collatio; nullibi autem reperitur prohibitum, Patrono præsentare suum filium, ideóque concessum esse, censeri debet, *c. Cùm apud; 23. de sponsal. Abb. hîc n. 3. & Barb. in Collect. ibid. n. 3. Azor p. 2. c. 21. q. 2.* Idque sumitur ex *l. Illud; 5. ff. Quod cujusq. univers. nom.* Ubi habetur, quòd pater filio, & filius patri suffragium, sive vocem electionis dare possit. Non obstat, quòd patet & filius una persona censentur, *l. ult. C. de impuber. & aliis subst. Gratianus in c. Contradicimus; 21.* ibi: *cùm una caro probetur pater & filius, caus. 33. q. 3.* & filius quicquid acquirit, non sibi, sed patri acquirit, §. 1. *Instit. per quas personas &c. l. Cùm oportet; 6. & l. ult. C. de bonis, quæ liberis &c.* ergo pater, præsentando filium, videtur in effectu præsentare seipsum; quod non est concessum: Sed respondetur, quòd pater & filius non sunt una persona reipsa, & physicè: sed solùm juris fictione, & ideò ubi Jus eos pro eadem persona non habet, rei veritas potiùs, quàm juris fictio spectatur. Neque filius patri acquirit in spiritualibus: sed tantùm in bonis profectitiis, sive ex patris substantia acquisitis, & in bonis adventitiis, quoad usumfructum, *cit. l. Cùm oportet; Abb. in cit. c. Consuluit; n. 3. & Azor c. l.*

Ex quo colligitur primò. Quòd rationes, ob quas Patronus prohibetur præsentare seipsum, cessent in filio, cùm in veritate sit alia persona; adeóque etiam in eo cessat vitium ambitionis; quia præcisè acceptat, quod confertur, sicut alii præsentati. Accedit, quòd filius Patroni non debeat esse deterioris conditionis, quàm alii extranei, sive non filii, qui per Patronum præsentari possunt; *Barb. in cit. c. Consuluit; num. 3.* Colligitur secundò. Quòd Episcopus filio suo legitimè nato, si idoneus sit, Ecclesiam, vel Beneficium conferre potest, *Abb. in c. Quia; 6. n. 6. h. t.* ergo multò magis pater præsentare filium ad Beneficium poterit.

XCIII. Porrò illud Jure Canonico severè prohibitum est, ne Clerici emant, vel etiam alio titulo, etsi aliàs justo, acquirant Jus patronatûs, cum ea intentione, & ad illum effectum, ut filii, vel nepotes eorum in Ecclesiis patronatis ab iisdem præsententur, alioquin eodem jure patronatûs sunt spoliandi, prout statutum est in *c. Quia Clerici; 6. h. t.* Ubi Alexander III. » sic rescribit: Quia Clerici quidam Advocatias (id » est, Jus patronatûs) Ecclesiarum comparant, sive » emunt, (per se tantùm sive seorsim, nam cum uni- » versitate bonorum vendi potest, *Gl. hîc V. Compa- » rant*;) vel quocúnque modo possunt, sibi acquirunt, » ut postea eorum filii, aut nepotes ad easdem Eccle- » sias vacantes præsententur, id severiùs prohiben- » dum esse, mandat Pontifex, eòsque, qui Advocatias » sive Patronatus ita acquisierint, appellatione postpo- » sitâ, iis privandos esse. Ratio est, quia tales emptores, vel aliter acquirentes Jus patronatûs, cum prædicta intentione, Simoniam mentalem committunt, ideóque pœnam spoliationis seu privationis incurrunt, & Ecclesia sit libera, *Gl. margin. hîc lit. D.* cui per talem emptionem Simoniaca injuria facta est, *Gl. hîc V. Spoliando; Abb. n. 5. Silvest. V. Jus patronatûs; n. 6. q. 5. dicto 4.* Ubi addit, quòd si bona temporalia, quibus annexum est Jus patronatûs, principaliter emantur, propter hoc Jus consequendum, esset Simonia ex parte emptoris. Verùm tales ementes, vel acquirentes spoliandi sunt jure patronatûs, non de facto, ac violenter, sine judiciali cognitione, seu processu, ut nonnulli intelligunt apud *Abbat. hîc n. 4.* sed per sententiam latam à Judice aliquando declaratoriam criminis, ut si Jus patronatûs per se tantùm, ac solitariè sit emptum, tunc ipso jure sunt privati: vel per sententiam condemnatoriam Judicis, si aliter sit acquisitum per titulum aliàs justum, sed cum intentione, ut acquirentium filii, aut nepotes præsententur, eodem privati debent, *Barb. in cit. c. Quia Clerici; n. 4. h. t.*

XCIV. Assertio 3. Si plures sint Patroni Clerici, vel unus Laicus, & alter Clericus, possunt unum ex seipsis præsentare, si alioquin idoneus est, ut tradit *Gl. fin. in cit. c. Consuluit; 15. h. t. Abb. ibidem in fine, Azor cit. c. 21. q. 3.* Idque sumitur ex *c. Cum in jure; 33. de Elect.* Ubi habetur, quòd compromissarii unum ex seipsis eligere possint, ita quidem, ut ipse aliis Compromissariis, à quibus nominatus est, consentiens, numerum eligentium augeat, & sic accessoriè seipsum coëligat: ergo similiter unus ex Patronis alteri, vel pluribus Compatronis ipsum nominantibus, seu præsentantibus consentire, & sic aliis accedendo, seipsum simul præsentare potest; quia tunc præsentatio non habet originem ab ipsomet, qui præsentatur: sed ab alio, vel aliis inchoatur, quibus ipse compatronus consentire, & sic præsentationem de se factam complere, & consummate potest, quod nullo jure est prohibitum. Quin imò generatim loquendo, quando plures ad certum aliquod officium sunt deputati, quibus data est facultas eligendi alios ministros seu officiales, possunt ipsi unum, vel plures ex numero suo eligere; juxta generalem regulam traditam ab Abbate in *cit. c. Consuluit; n. 4. h. t. arg. l. Ubi absunt; 19. ff. de tutoribus datis;* Ubi dicitur, quòd decuriones possunt dare tutores, & unum ex se sive suo Corpore dare seu constituere: sicut etiam Electores unum ex seipsis sive suo Corpore eligere possunt, *c. Ne pro defectu; 41. & seq. de Elect.*

XCV. Assertio 4. Patronus semper debet ad Beneficia, & Ecclesias præsentare dignum, & idoneum, alioquin si indignum nominet, vel præsentet, lethaliter peccat; quia muneri suo non satisfacit, & Ecclesiæ damno afficit, ac magno incommodo, & Episcopus illum admittere non debet, *Azor cit. c. 21. q. 4.* Ubi addit, quòd Patronus inquirere debeat in vitam & mores Clerici sibi ignoti, antequam eum præsentet. Porrò præsentandus debet esse dignus, & idoneus, tempore præsentationis, ac proinde Laicus quippe incapax non potest ad Beneficia præsentari; quia per præsentationem datur alicui Jus ad rem, sive actio ad Beneficia, quod Laicis competere non videtur; sicut ergo Laicus incapax est collationis, ita & præsentationis ad Beneficium, *Barb. in c. Significavit; 18. h. t. n. 8. & 9. h. t.* Ubi tamen cum Rota excipit, nisi Laicus præsentatus, post breve temporis intervallum, Clericali ordine insigneretur, nam tunc præsentatus, non est penitus indignus & inhabilis, si ante institutionem Clericalem consecraram acciperet, ut tradit etiam Panisius *l. 4. de resign. Benefic. q. 2. n. 5. & 6.*

Præterea si ex prima fundatione aliquis ex certa familia, vel loco sit præsentandus, si unus sit dignior cæteris, ille præsentari debet, etiamsi aliunde dignior assumi posset; quia non potest Patronus contravenire primæ institutioni Fundatoris. At verò ex duobus vel pluribus ex certa familia, vel loco nominandis, si unus sit dignior cæteris, ille præsentari debet, alioquin peccat, præsentando dignum, omisso digniore, ut ex communi Dd. sententia docet *Azor cit. c. 21. q. 5.* quia

Patroni

Patroni est, rem Ecclesiæ utiliter gerere, quod nō facit, si minùs idoneum præsentet. Quamvis etiam probabile sit, non esse peccatum, saltem grave, præsentare minùs dignū, præterito digniore, ad Canonicatus Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatę, & alia Beneficia simplicia: secus verò, si præsentatio fiat ad Beneficia Curata, & dignitates Ecclesiasticas, ut tenēt plures apud *Azor. c. l.*

Illud hoc loco addendum, quod statutum est *in Concil. Trident. Sess. 24. c. 18. de reform.* ubi §. *Si verò; de præsentandis ad Ecclesias Parochiales sic decernitur:* » Si Ecclesia juris patronatûs Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, » quem Patronus digniorem inter probatos ab Exa- » minatoribus judicabit, Episcopo præsentare tenea- » tur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, » quàm ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus » solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei » præsentat, ad quem institutio spectat. Quòd si Jus » Patronatûs Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono » præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, exa- » minari, & non, nisi idoneus reputatus fuerit, admit- » ti. Item *Sess. 7. c. 13. de reform.* generaliter statuitur, » ut à quocùnque præsentati, ad quævis Ecclesiastica » Beneficia non instituantur, nisi priùs à locorum Or- » dinariis examinati, & idonei reperti fuerint, nō ob- » stante quovis privilegio, vel consuetudine, etiā im- » memoriali, vel appellatione, exceptis nominatis ab » Universitatibus, seu Collegiis Generalium studiorū.

§. III.

An Patronus licitè possit in præsentando variare, sive mutare sententiam, alium præsentando, ante institutionem priùs præsentati?

XCVI. Assertio 1. Patronus laicus variare potest, id est, postquam unum idoneum præsentavit, si res adhuc sit integra, seu nondum institutio illius in Ecclesia, vel Beneficio facta sit, alium idoneum præsentare potest, prout inprimis probatur *ex c. Quod autem; 5. in princ. h. t.* Nam cùm quæsitum esset ex Alexandro III. » si Clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam à Patro- » no sit præsentatus: sed ab Episcopo Diœcesano non » sit admissus, sive institutus: postea verò alius Cleri- » cus, etiam idoneus præsentatus, & institutus sit ab » Episcopo, qui & corporalem obtinuit possessionem, » utrùm priore Clerico Ecclesiam, vel Beneficium pe- » tente, posterior removeri debeat, an verò posterior » priori præferri? Respondet Papa, quòd in isto casu » melior sit conditio possidentis, quoniam antequam » præsentatio ab Episcopo Diœcesano approbata est, » ratum non est, quod à Patrono fuit inchoatum. Id verò intelligendū est, si Laicus præsentet: secus si per- sona Ecclesiastica, *Gl. hic V. Possidentis*, ut infra dice- tur. Ratio patet ex Textu, quia Clericus præsentatus, antequam ab Episcopo est receptus, & institutus, non habet Jus in re: sed tantùm ad rem, ideóque posterior præsentatus: sed admissus, & institutus priùs præ- sentato præfertur, quippe qui potius Jus habet, & pos- sessionem etiam est adeptus, *Gl. hic V. Possidentis, in fine.*

XCVII. Idem habetur statutum *in c. Cum autem; 24. h. t.* Ubi Lucius III. rescribit: si Ecclesiæ Advocatus » (id est, Patronus, pro quo hic Advocatus accipitur) » Clericum idoneum Episcopo præsentavit, cùmque instituī postulavit: postea verò alium æquè idoneum » ad eandem Ecclesiam præsentet: tum distinguendū » est, num Laicus fuerit, cui jus præsentandi com- » petit, an verò Ecclesiastica persona; nam in Patrona- » tu laico, judicio Episcopi relinquitur, quem ex duo- » bus præsentatis instituere velit. At verò in Patro- » natu Ecclesiastico, si nimirum Collegium, vel per- » sona Ecclesiastica, ratione Ecclesiæ, Jus præsentandi » habeat, qui prior est tempore, potior est jure. Con- » sentit *c. Pastoralis; 29. h. t.* de quo infra. »

XCVIII. Pro explicatione horum capp. Notandum primò. Quando dicitur, Clericum præsentatum à Patrono Laico, ante Episcopi receptionem, & institu- tionem, non habere jus in re: sed tantùm jus ad rem, ita, ut agere possit, ac petere, ut in Ecclesia, vel Bene- ficio, ad quod est præsentatus, instituatur, si idoneus sit, juxta *c. Cùm Bertholdus; 18. junct. Gl. V. Adversus, de sent. & re judic.* id limitandum est, dummodo Pa- tronus Laicus voluntatem suam non mutet, præsen- tando alium idoneum, tunc enim conceditur optio Episcopo, ut instituat, quem maluerit, sive primum, sive secundum, juxta *cit. c. Quod autem; 5. & c. Cùm au- tem; 24. h. t.* quo in casu utrique præsentato jus, & actio acquiritur: sed indeterminatè solùm, ita ut unus eorum ab Episcopo institui debeat. Postquàm verò præsentatus, sive primo, sive secundo loco, institutus est ab Episcopo, plenum jus in Ecclesia, vel Beneficio consequitur, etiamsi realis institutio, sive possessionis traditio non sit facta; nam in rebus istis, & juribus spi- ritualibus per solam verbalem institutionem, seu col- lationem jus in re acquiritur, tametsi actualis immis- sio in possessionem nondum sit facta, juxta *c. Si tibi; 17. de præb. in 6.* ita, ut taliter institutus præferendus sit priùs præsentato, & non instituto: ac proinde si post- quam præsentatus est verbaliter institutus, alius insti- tuatur, etiam cum traditione possessionis, hæc poste- rior institutio est invalida: licèt aliud sit in rebus pro- fanis, *l. Quoties; 15. C. de rei vindic.* Ubi dicitur, quòd si eadem res duobus sit vendita, potior habeatur quo- ad dominium, is, cui priùs tradita est. Quare cùm *in cit. c. Quod autem*; dicitur, quod in isto casu melior sit conditio possidentis, factum duntaxat narratur, non quòd de jure sit necessarium, ut fiat traditio posses- sionis, ad acquirendum plenum jus in re instituto, *Abb. in cit. c. Quod autem; n. 7. & 8.*

XCIX. Notandum secundò. Duobus modis po- test fieri præsentatio, ut notat *Barb. in cit. c. Quod au- tem; n. 2.* Vel simul præsentando plures, ut Episcopus unum ex illis eligat, quem instituat: Vel duos, aut plu- res successivè, & diversis temporibus, præsentando u- num post alterum, & tunc præsentans alterum, non censetur recedere à primo, vel illum rejicere, sicut ille, qui constituit duos Procuratores, diversis tempori- bus, videtur revocare priorem, *l. Si quis; 31. §. ult. ff. de procurat. c. ult. extra eod.* ut censet *Gl. in cit. c. Cùm au- tem; V. Alium, h. t.* non enim Patronus præsentans al- terum, recedit à primo præsentato: sed alterum cu- mulat cum primo, hoc est, primo secundum addit, ut notat *Io. Andr. in cit. c. Cùm autem; n. 6.* ac proinde variatio à Patrono Laico fieri potest, non privativè, re- jiciendo omnino priorem præsentatum: sed cumula- tivè, ita, ut in Episcopi electione sit, utrum ex duo- bus idoneis præsentatis, ei gratificando, velit institue- re, quæ facultas Episcopo non daretur, si Patronus o- mnino revocâsset priorem præsentatum, tum enim

non posset illum instituere, *Abb. in cit. c. Cùm autem; n. 2.* & alij Canonistæ communiter: si verò Patronus Laicus non variâsset, præsentando alium, Episcopus ab ipso præsentatum instituere debuisset, *Gl. marg. in cit. cap. Quod autem; lit. D.* Et præsentatio secundi absolutè facta censetur in dubio, si Patronus de hoc nihil expressit, nec aliunde apparet, ipsum à priore præsentatione resilire voluisse, factâ cumulativè, non privativè, ut sic actus potiùs valeat, quàm pereat, *Barb. in cit. c. Cùm autem; n. 2. in fine.*

Notandum tertiò. Patronis Laicis, antequam instituat Episcopus, permissa censetur variatio, semel tantùm, & pro prima vice, *arg. l. Boves; 89. §. 1. ff. de V.S.* Ubi dicitur, hoc sermone, *dum nupta erit*, primæ nuptiæ significantur: idque colligitur *ex cit. c. Cùm autem*; ibi: *alium æquè idoneum*, & ibi, *quis eorum alteri præferatur*, adeóque loquitur de duobus successivè, & non de pluribus, *Fagn. ibid. n. 8.* Ratio est, quia variatio odiosa est, adeóque restringenda, & æquitas ita suadet, ad vitandam infinitatem, & confusionem, *Garc. tract de Benef. p. 5. c. 9. n. 214. Barb. in cit. c. Cùm autem; n. 2. h. t.* Nec obstat *Clem. 2. §. fin. h. t.* quia debet intelligi, quando plures simul præsentantur, non successivè, *Garc. c. l. n. 216.* Id verò limitandum est, nisi prima præsentatio sit nulla, ut si facta sit coram non habente potestatem instituendi; quia tunc, sicut Patronus potest præsentare secundum, rejecto primo, *arg. c. Cùm Laici; 10. h. t.* ita potest præsentare tertium, accumulando eum secundo; prima enim præsentatio, quippe nulla, non debet computari in numero præsentationum; quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *Fagnan. cit. c. Cùm autem; n. 9 & 2. seqq.* Contrarium tamen, quòd Patronus absolutè, & universaliter, non solùm secundum: sed etiam tertium, & quartum, vel plures simul, & successivè, quot voluerit, præsentare possit, docet *Gl. in cit. Clem. 2. V. Plures, & V. Præsentare, Decius ibid. à n. 31. Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 13. in fine.* quia Patronus, cùm tertium, & quartum præsentat, non recedit à prioribus præsentatis: sed eos addit, & aggregat illis, & quò plures nominat, eò utiliùs rem Ecclesiæ gerit, ut ex pluribus unus eligatur è Prælato, ad quem institutio pertinet: sed prior sententia est communior, & probabilior.

C. Notandum quartò. Episcopus præsentatos à Patronis, si idonei non fuerint, non potest, nec debet admittere, seu instituere: sed repellere, ut colligitur *ex cit. c. Cùm autem*; à sensu contrario, *h. t.* & tradit *Conc.* » *Trid. Sess. 25. c. 9. de ref. §. Ad hæc*, Ubi dicitur, liceat » Episcopis, præsentatos à Patronis, si idonei non » fuerint, repellere: quòd si ad inferiores institutio » pertineat (speciali jure) ab Episcopo tamen insti- » tuendi examinentur, alioquin institutio ab infe- » rioribus facta, irrita sit, & inanis.

Porro si ex duobus cumulativè præsentatis, ab eodem Patrono, sive successivè, & divertis temporibus, unus sit dignior altero, non est locus gratificationi: sed Episcopus præferre debet eum, qui est magis idoneus, seu dignior: nisi duo æquè idonei reputentur, tunc enim potest Episcopus eligere, & instituere quem voluerit, juxta *cit. c. Cùm autem*; ibi: *alium æquè idoneum*, ergo non habet locum optio, si alter sit magis idoneus, & dignior, ut colligitur etiam *ex c. Licet; 15. caus. 8. q. 1* Ubi dicitur, meliorem, & sanctiorem esse eligendum, *& c. Si fortè; 36. dist. 93.* Ubi dicitur, si vota sint paria in electione, præferendus sit, qui majoribus juvatur meritis Consentit *c. Quoniam; 3. h. t. Abb. in cit. c. Cum autem; n. 5. h. t.* contra *Jo. Andr. ibid. n. 2.* Quòd si verò duo à pluribus Compatronis in pari numero sunt præsentati, tum non debet, nec potest Episcopus instituere digniorem, neque etiam gratificationi est locus, si sint æquè idonei, & multò minùs potest Episcopus extraneum instituere, si tempus ad præsentandum, à jure præfixum, nondum sit elapsum; quia præsentatio utriûsq; est invalida, adeóque per illam neutri præsentato jus est acquisitum ad institutionem: nam ad validam præsentationem requiritur, ut sit facta à majore parte Patronorum, & ut præsentatus in discordia Patronorum, non solùm majoribus adjuvetur meritis: sed etiam plurium approbetur consensu, *c. Quoniam; 3. h. t.* ac proinde cùm præsentatio prima fuerit invalida, licitum est, Patronis Laicis variare, & aliam præsentationem facere, etiam in toto, recedendo à prima, *arg. c. Cùm Laici; 10. h. t.* Neque hoc casu potestas ordinandi Ecclesiam, vel conferendi Beneficium devolvitur ad Episcopum, nisi elapsum sit tempus legitimum Patronis Laicis ad præsentandum præfixum: quo durante, non potest Episcopus instituere unum ex duobus invalidè præsentatis, & Patronis auferre jus, quod habent, recedendi à prima præsentatione, quæ irrita fuit, *Fagnan. in cit. c. Cùm autem; 24. h. t. n. 23. & seqq.* ubi præterea *n. 27. & 28.* excipit, si duo Patroni ab initio convenerunt, præsertim sub juramento, se non variaturos, nec alium præsentaturos; tunc enim tali promissioni contravenire non possunt, cùm à jure non sit reprobata, *Clement. 2. in fine, h. t.* ac proinde casu hoc poterit Episcopus ex duobus præsentatis à duobus Patronis eligere, quem voluerit, etiamsi tempus ad præsentandum Laicis Patronis præscriptum, non sit elapsum, imò & extraneum hoc casu instituere Episcopo licebit. Nec obstat *Text. in cap. Venerabilem; 34. §. Quòd autem, de Elect.* quia loquitur de eo casu, in quo electores sunt moniti, & expectati, adeóque potestas devoluta est ad Papam, *Gl. ibid. V. Favere, Fagnan. c. l.*

Deniq; si duo Patroni, unus Clericus, alter Laicus, primò unum præsentârunt: sed postea Laicus variando præsentet alium, nõ potest Episcopus instituere secundum: sed primus institui debet, cùm ipse sit potior, quippe præsentatus ab utroq; Patrono, secundus verò tantùm à Laico: & licèt Patronus possit variare, præsentando in præjudiciũ priùs præsentati, non tamen in præjudiciũ Compatroni, *Abb. in cit. c. Cùm autem; n. 4. h. t.*

CI. Assertio 2. Si præsentatus à Patrono Laico rejiciatur ab Episcopo, ideóque appellet ad Papam, & interim Patronus alium præsentet, isque instituatur ab Episcopo, hic præferendus est priùs præsentato; quia melior est conditio ejus, qui ab Episcopo » institutus est, etsi posteriore loco fuerit præsentatus, » prout sumitur *ex c. Pastoralis; 29. h. t.* Nam cùm » ex Innocentio III. quæsitum fuisset, an Clericus » ad aliquam Ecclesiam vacantem à Patrono Laico » præsentatus: sed Episcopus Diœcesanus ipsum non » admisit, ex hujusmodi præsentatione aliquid ju- » ris in illa consequatur: & si ille præsentatus ad Se- » dem Apostolicam appellaverit, & post appellatio- » nem ab ipso interpositam, idem Patronus alium » præsentaverit, & Episcopus secundum præsenta- » tum instituerit, iste ab Ecclesia removendus sit? » Idem Innocentius volens inhærere vestigiis Ale- » xandri (aliàs Lucij, *Gl. marg. hic*) qui distinguens » inter »

„ inter præsentatos à Laico, & Clerico Patronis (*in* „ *cit. c. Cùm autem; 24. h.t.*) & inter præsentatos à Laico, „ conditionem possidentis censuit esse meliorem (*in* „ *cit. c. Quod autem; h.t.*) respondit, quòd institutio „ secundo loco præsentati à Patrono Laico firma, & „ rata esse debeat. Sed quia Episcopus idoneum Cle„ ricum malitiosè recusavit, admittere, ad providen„ dum eidem de competente Beneficio compellen„ dus est, ut in eo puniatur, in quo deliquit. Ratio decisionis est, quia cùm Patronus Laicus jure variare possit, & præsentare secundum, ideo ei, qui priùs præsentatus est, jus appellandi non est concessum, ad hunc effectum, ut alius non præsentetur, & instituatur, quamvis valeat ejus appellatio, usque dum secundus præsentetur, & ab Episcopo instituatur: tunc enim non jam obstat appellatio, cùm Patrono à jure permissum sit variare, adeóque non potuit appellari contra Patronum, ne alium præsentaret, *Gl. hîc V. Appellaverit, & Abb. ibid. n. 2. & 6.*

Excipitur tamen *in fine hujus cap.* Nisi is, qui posteriùs est præsentatus, instituatur ab Episcopo ex malitia: tunc enim, qui priùs fuit præsentatus, appellare, vel per viam querelæ adire Superiorem potest, ut Episcopus compellatur, de alio competente Beneficio sibi providere, *Abb. hîc n. 5.*

Censetur autem Episcopus malitiosè non admisisse primò præsentatum, si illum, ante præsentationem secundi, sine justa causa, repulit, videlicet sine examine, vel postquam in examine idoneus est repertus. Item si post præsentationem secundi, hunc instituit, & prætulit priùs præsentato, tametsi is magis idoneus esset, *arg. c. ult. dist. 63. & c. Cùm autem; 24. h.t.* Ubi requiritur, posteriùs præsentatum esse æquè idoneum ad hoc, ut institui possit: si igitur priùs præsentatus magis sit idoneus, potest ex concessione *cit. c. Pastoralis; h.t.* petere, ut aliud sibi Beneficium conferatur, *Abb. hîc n. ult.*

CII. Cæterùm licèt jure concessum sit Patrono Laico, variare, sive postquam unum præsentavit, alium præsentare, ut dictum: excipiendum tamen est primò, nisi lis contra priorem præsentatum, de cujus habilitate controversia est mota, adhuc pendeat, tunc enim Patronus etiam Laicus, lite pendente, alium præsentare non potest, *arg. c. 1. Ut lite pendente; in 6.* Ubi id statuitur de electione, quòd lite pendente super alicujus electione, ad aliam electionem procedi non possit: atqui eadem est ratio de præsentatione, ne scilicet, lite pendente, mutatio aliqua fiat: accedit, quòd electio, & præsentatio in jure in plerisque æquiparantur, *Franc. in cit. c. 1. n. 3. Covarr. pract. qq. c. 36. n. 7. Garc. cit. c. 9. n. 217.* idémque est, si lis pendeat super titulo Beneficij, *Barb. in c. Cùm autem; 24. num. 3. h.t.*

Excipitur secundò, si Patronus Laicus, uno præsentato, juravit, se non præsentaturum alium; tum quia omne juramentum servandum est, quod sine dispendio salutis æternæ servari potest: tum quia promissio de præsentando alternatim, servanda est, *Clement. 2. h.t.* ergo multò magis servanda est promissio jurata, de nõ præsentando altero, *Zas. in Comm. n. 49. h.t.*

CIII. Assertio 3. Patronus Ecclesiasticus, cui scilicet jus præsentandi competit, (nomine, & jure Ecclesiæ, non patrimonij) non potest variare, præsentando alterum: sed is instituendus est, qui primò est præsentatus, si sit idoneus, prout statutum est *in cit. c. Cùm autem; in fine, h.t.* Rationem dat *Innoc. & Abb. ibid. n. 3* quia præsentatio Patroni Ecclesiastici habet vim electionis, sicut ergo eligentes variare non possunt, *c. Publicato; 58. de Elect.* ita nec præsentantes, qui scilicet nomine, & jure Ecclesiæ tales actus quasi ex officio exercent, ideóque cùm officio suo semel functi sunt, acquiescere debent, *arg. c. Si tibi; 17. de præb. in 6.* Ubi id ipsum traditur de collatione: quæ ratio non habet locum in Patrono laico; quia is suo proprio jure, ac nomine præsentat, ideo fortius Jus Patronus laicus habere censetur.

CIV. Est & aliud præterea discrimen inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum; nam si Patronus Laicus indignum præsentet, non ideo pro ea vice, est privatus jure præsentandi; sed mandari ei debet, ut alium, cúmque idoneum præsentet, prout colligitur *ex c. Cùm vos; 4. de offic. Jud. Ordin.* Si enim Laicus Patronus præsentando indignum, eâ vice, privatus esset, tum Episcopus statim providere posset de Rectore, vel Beneficiato Ecclesiæ, aut de Beneficio, nec opus foret interim Oeconomum, seu Administratorem constituere, qui Ecclesiæ, aut Beneficij vacantis fructus colligat, eósque in Ecclesiæ utilitatem convertat, aut Successori reservet, prout statuitur *in cit. c. Cùm vos*; Ubi certò præsupponitur, indignum fuisse præsentatum à Patrono Laico, & tamen non devolvitur ad Episcopum, jus providendi de Rectore Ecclesiæ: sed solùm jus constituendi Oeconomum, ergo Patronus non fuit privatus jure præsentandi: idque confirmatur; quia si licitum est Patrono sæculari variare, & alium præsentare, quando præsentavit idoneum, multò magis licitum est, si præsentavit indignum, ut ait *Joan. Andr. in cit. c. Cùm vos; n. 12.* Quia variatio à jure præcipuè conceditur, quando actus est illicitus: quamvis aliqui contrarium teneant, apud *Fagnan. in cit. c. Cùm vos; n. 39.* quando Patronus scienter præsentavit indignum. Verùm cùm nullibi reperiatur de jure cautum, quòd Patronus Laicus, scienter præsentando indignum, sit pro ea vice, ipso jure, privatus potestate præsentandi; non debet hæc pœna privationis expressa de eligentibus scienter indignum, extendi ad præsentantes scienter indignum, præsertim cùm diversa sit ratio; nam eligentes tribuunt jus in re: præsentantes solùm jus ad rem. Accedit, quòd cum Laicis mitiùs sit agendum, ne à fundationibus Ecclesiarum retrahantur: neque in hac re attendendæ sunt LL. Civiles, contrarium disponentes; quia disponunt in materia Ecclesiastica, seu spirituali, vel spirituali annexa, scilicet de jure patronatûs, *Fagnan. in cit. c. Cùm vos; n. 46. & seqq.* Ubi etiam addit, hanc sententiam approbâsse S. Congreg. Concilij.

Aliud verò est dicendum de Patrono Ecclesiastico, nam si Collegium, vel persona Ecclesiastica, cui competit jus præsentandi, nomine Ecclesiæ, scienter præsentet indignum, privatus est ipso jure, vel saltem privandus per sententiam Judicis, jure præsentandi, eâ vice, & ad proximum Superiorem devolvitur libera collatio, *arg. cap. Cùm in cunctis; 7. §. Clerici, de Elect. & c. 2. de suppl. negl. Præl.* ut docet *Gl. recepta, in cit. c. Cùm vos; V. Minùs idoneæ, de offic. Ord.* & ibid. *Innoc. in princ. Abb. nu. 1. Silvest. V. Jus patronatûs, q. 7. dicto 2. Laym. Lib. 4. tract. 2. c. 13. num. 7. Barb. in Collect. in c. Cùm autem; 24. n. 5. h.t.* Ratio est, quia Patronus Laicus est minùs expertus

circa Ecclesiastica, & minus tempus habet ad præsentandum, quàm Clericus, ideóque & variare potest; & non privatur potestate præsentandi, licèt indignum præsentet, *Gl. in cit. c, & Silvest. c. l.*

§. IV.

Intra quod tempus præsentatio fieri debeat à Patrono, sive Laico, sive Ecclesiastico?

CV. Assertio 1. Si Patronus sit Laicus, intrà quatuor menses præsentare debet: si verò sit Ecclesiasticus, intra sex menses, numerandos à die vacationis cognitæ, alioquî si intra hoc tempus præsentatio non fiat, Ecclesia, vel Beneficium, pro ea vice, liberè conferri potest ab Episcopo, vel alio Prælato, ad quem pertinet jus, seu potestas instituendi, prout sumitur, de quatuor mensibus, *ex c. Quoniam; 3. in fine, & c. Cùm propter; 27.* ibi: *infra quatuor menses*: de sex mensibus verò, *ex c. Eam te; 22.* ibi: *si infra sex menses, postquam vacaverit, h. t.* & expressiùs de utroque Patronatu statuitur *in c. unic. §. Verùm eodem, in 6.* & docet *Abb. in cit. c. Eam te; n. 3. & in cit. c. Cùm propter; n. 4. Franc. in cit. c. un. §. Verùm, in princ. & n. 2. Silvest. V. Jus patronatûs, q. 6. dicto 1. Azor. p. 2. lib. 6. c. 21. q. 11. & alij DD. communiter.* Ratio diversitatis est, quia æquum est, ut qui in uno gravatur, in alio sublevetur: cùm ergò Laicus Patronus possit variare, & postquam unum præsentavit, præsentare alium, ideo debebat in alio gravari, ita, ut non haberet, nisi quatuor menses ad præsentandum: sed Patronus Ecclesiasticus non potest variare, ideo debuit in alio sublevari, ut haberet longius tempus ad præsentandum, videlicet sex menses, *Gl. Magna, in cit. c. un. h. t. in 6.*

Porro non sufficit, quòd intra prædictum tempus quadrimestre, vel semestre, Patronus designet, vel nominet Clericum præsentandum: sed requiritur, ut actu ipsum præsentet, per se ipsum, vel per literas præsentationis ei datas, quas præsentatus offerre debet Superiori, ad quem spectat institutio; cùm possit etiam per literas præsentatio fieri, absente Patrono, *Franc. in cit. c. un. §. Verùm, not. 1.* Quare si Patronus Ecclesiasticus, qui variare non potest, duobus dedit literas præsentationis, & unus ex illis priùs obtulit illas Episcopo, quàm alter, prior instituí debet, *Gl. Magna, in cit. c. un. in fine.*

CVI. Assertio 2. Hoc tempus quadrimestre, vel semestre non currit, adeóque non obest Patrono ignoranti, vel legitimè impedito, ut docet *Abb. in cit. c. Cùm propter; n. 3. h. t. Azor. cit. c. 21. q. 11. Silvest. cit. q. 6. dicto 1. & alij plerique*; nam regulariter tempus præfixum ad eligendum, vel conferendum Beneficium non currit ignoranti, aut impedito, *cap. Quia diversitatem; 5. de concess. præb.* nec debet quis, sine sua culpa, privati jure, quod habet, vel possidet. Currit autem prædictum tempus, etiam diebus feriatis, cùm sit continuum, *Barb. de offic. Episc. alleg. 32. num. 127. & in Collect. c. Cùm propter; 27. num. 3. h. t.* Item incipit currere, tempore vacationis cognitæ, *Franc. in cit. §. Verùm, not. 2. & alij communiter.*

CVII. Assertio 3. Patronus Ecclesiasticus, v. g. Monasterium, vel Clericus, cui jus præsentandi competit, ratione Ecclesiæ, Dignitatis, vel Beneficij Ecclesiastici, habet tempus semestre ad præsentandum, etiamsi à Laico acquisiverit jus patronatûs, ac proinde si Patronatus laicus transferatur ad Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, efficitur Ecclesiasticus, prout statuitur *in cit. c. unico; §. Verùm, h. t. in 6.* ubi dicitur: licèt Patronus laicus ad præsentandum tempus quadrimestre duntaxat habeat: Ecclesia tamen, vel Monasterium, cui à Laico facta est collatio juris patronatûs, tempus habet semestre. Et universim, quantùm ad præsentationem attinet, non ut Laicus: sed ut Ecclesiasticus Patronus judicari debet Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, in quam translatio juris patronatûs facta est.

CVIII. Idémque dicendum, si Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, & Laicus sint Compatroni, simúlque habeant jus præsentandi, tum enim etiam Laicus habet sex menses, ad præsentandum, propter communionem cum Ecclesia, vel Clerico, ut docet *Gl. fin. in cit. c. un. §. Verùm, h. t. in 6. Abb. in cit. cap. Eam te; num. 3. Silvest. cit. q. 6. dicto 2. Garc. p. 5. c. 9. n. 210. & alij communiter.* Ratio est, tum quia dignius trahit ad se minùs dignum; tum quia, universim loquendo, socius per se non privilegiatus, propter communionem cum socio privilegiato, in re, aut jure communi, & indivisibili, commodum, & privilegium alterius socij participat, ita, ut consequatur per alium, quod per se non consequeretur, juxta *l. Si communem; 9. ff. quemadm. servit. amitt.* Ubi qui communem fundum habet cum pupillo, servitutem viæ in eo retinet, licèt neuter illâ usus fuerit, propter pupillum; ubi *Gl. margin.* ait, quòd privilegium unius consortis, videlicet pupilli, prodest alteri consorti, etiam non pupillo; sive majori in rebus indivisibilibus. Similiter, si duo sint Patroni, unus Ecclesiasticus, alter Laicus, non poterit etiam contra Laicum præscribi Jus patronatûs, minore tempore, quàm contra Ecclesiam, videlicet 40. annorum, ut docet *Franc. in cit. c. un. §. Verùm, num. 8. & Anchar. ibid. in fine.* Ratio regulæ datæ est, quia quando res communis individua est, æquius est, ut socius, propter socium privilegiatum, commodum consequatur, quàm ut socius privilegiatus damnum patiatur, propter socium non prigilegiatum, hoc enim æquum est, ut in re individua non ferat quis damnum, ratione rei, quæ illi cum altero communis est, *Covarr. pract. qq. c. 36. n. 5. §. Tertiò.*

CIX. Ubi præterea notandum primò. Jus patronatûs ab initio originem trahens à Laico, sidonatione, testamento, legato, vel alio quovis titulo, postea transferatur in Ecclesiam, vel Collegium Ecclesiasticum, ita, ut ad illud pertineat præsentatio, tale Jus patronatûs censetur Ecclesiasticum, & non Sæculare, ut patet *ex cit. c. un. §. Verùm, Covarr. cit. c. 36. n. 5. §. Secundò.* Et è converso, si Jus patronatûs spectans ad Ecclesiam, transeat cum universitate bonorum in laicum, quoad præsentationem censetur esse sæculare, seu laicum; quia mutatâ personâ, mutatur rei natura, seu conditio, ità ut si persona sit Ecclesiastica, etiam ipsum jus sit tale, quoad præsentationem: & viciſſim si persona sit laica, etiam jus quoad præsentationem, & similes conditiones, censeri debet laicum, & sæculare; quia in Laicum est trans-

translatum, *Barb. in c. Propter; 27. n. 3. h. t. Zæs. in Comment. n. 51. & 52.*

Notandum secundò. Si duo sint Compatroni, unus Clericus, alter Laicus, & hic præsentavit Titium, Clericus Cajum, poterit Laicus postea variare, & alium præsentare; quia nullibi id reperitur, esse prohibitum; nec debet quis privari jure suo, propter adjunctionem alterius. Nec refert, quòd in isto casu Patronus Laicus reputetur tanquam Ecclesiasticus, ideóque habet tempus semestre ad præsentandum; sicut Patronus Ecclesiasticus. Nam id tantùm procedit, quoad commodum, quod consequitur propter adjunctionem alterius Clerici: non autem quoad incommodum, sive privationem alicujus juris sibi aliàs competentis; *Zæs. in Comment. h. t. n. 47.*

CX. Verùm contrà id, quod dictum est, Patronatum à Laico translatum in Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, ratione Beneficij sui, fieri Ecclesiasticum, obstare videtur, quòd sicut res transit cum onere suo, *cap. Ex literis 35. de pignor.* ita etiam transit cum suis privilegiis, juribus, & affectionibus: & is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet; juxta *Reg. Jur. 46. in 6.* ergo si Clericus succedat in Jure patronatûs Laico, quod ab illo accepit, uti debet jure Laici, adeóque quatuor tantùm menses, ad præsentandum habebit. Sed respondetur cum Dyno *in cit. Reg. num. 10. & Franc. in cit. §. Verùm, n. 3.* distinguendo: vel est onus, jus, aut privilegium, quod rei secundùm se, tanquam ejus affectio cohæret: & tunc transit ad quemvis possessorem, vel successorem. Vel est onus, jus, aut privilegium personale, quod rei secundùm se non adhæret: sed solùm per accidens, seu in ordine ad personam, in cujus favorem est inductum, vel concessum, & id ad successorem aliúmve possessorem non transit: sed tum persona mutatur, juxta *Reg. Jur. 7. in 6. Privilegium personale personam sequitur, & Reg. 68. in ff.* Tale jus personale est tempus quadrimestre, quod Laicis; & semestre, quod Ecclesijs, & Ecclesiasticis Patronis jure concessum est, ad præsentandum in favorem eorum. Plura alia similia exempla extant in Jure. Veluti primò, si Ecclesia domum, vel agrum immunem à tributis, & vectigalibus solvendis, vendat Laico, is fit tributis obnoxius: sicut etiam vice versâ, si Laicus subjectus domino loci, domum, vel agrum exactionibus, & tributis obnoxium vendat Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, is fit liber ab hujusmodi oneribus solvendis, ut tradunt Dd. *in l. Cùm quis; 38. ff. de solut.* quia mutatâ conditione personæ, mutatur etiam qualitas, sive conditio rei; *Anchar. in cit. cap. un. not. 6. h. t. in 6. Laym. Lib. 4. tract. 9. cap. 6. num. 4.* Secundò, immunitas à solvendis decimis concessa Religiosis, non transit ad alios Successores, etiam conductitios colonos, *c. Ex parte; 10. & c. seq. de decim.* Tertiò, Si propter negligentiam Patroni Laici non præsentantis, intra quatuor menses, collatio Beneficij ad Superiorem, seu Ordinarium devolvatur, vel quia Papa Beneficia vacantia in Curia, intra mensem, non contulit; juxta *c. 3. de præb. in 6.* utroque hoc casu Ordinarius habet semestre, ad conferendum, *Franc. in cit. §. Verùm; n. 3. eod. in 6.* Plura hujusmodi exempla adferri possunt.

§. V.

An post tempus ad præsentandum iure definitum, elapsum, lite adhuc pendente, Episcopus liberè instituere possit, sine præsentatione Patroni?

CXI. Ad hanc quæstionem respondetur, si inter Patronos lis, sive controversia orta sit de jure præsentandi, eáque intra quatuor menses, à die vacationis Beneficij numerandos, si Patronatus Laicus sit: aut intra sex menses, si Patronatus Ecclesiasticus sit finita non fuerit: tunc Episcopus, vel alius Ordinarius, ad quem jus instituendi speciali jure spectat, liberam institutionem facere potest; prout constat *ex c. Quoniam; 3. h. t.* Ubi in fine dicitur, si de jure patronatûs quæstio inter aliquos emerserit, & cui competat, & illa infra quatuor menses non fuerit definita: ex tunc Episcopus ordinet Ecclesiam, sive in ea instituat Rectorem. Idem statuitur *in cap. Si verò; 12. h. t.* Ubi Alexander III. ita rescribit: si Ordinatio Ecclesiæ ad alicujus Episcopi institutionem spectet, & duo inter se de jure patronatûs contendant, debet quidem interim differri ordinatio Ecclesiæ, sive institutio Rectoris: sed non ultra tempus legitimum à jure definitum: (videlicet quatuor mensium in patronatu Laico, & sex in Ecclesiastico) quo finito, Episcopus personam idoneam, appellatione remotâ, in eadem Ecclesia instituere potest, ita tamen, ut is postea ab eo, qui Jus patronatûs in judicio evicerit, repræsentetur.

Idque statutum est, quia Ecclesiæ, & Beneficia Ecclesiastica diu vacare non debent. Et est hic unus ex casibus, in quo Episcopus potest instituere Rectorem in Ecclesia patronata, sine præsentatione, *Abb. hic num. 3.*

CXII. Ubi notandum primò. Si Patroni contendant super jure patronatûs, debet Episcopus differre institutionem Rectoris in Ecclesia, usque dum elapsum sit tempus, ad præsentandum præfixum, modò constet, Ecclesiam esse patronatam: secus si non constet, tum enim Episcopus statim potest conferre Ecclesiam, sive instituere Rectorem, etsi contendentes de hoc petant, ut differatur institutio, *Abb. hic num. 3.*

Notandum secundò. Clericus, sine præsentatione institutus, debet postea præsentari Episcopo à Patrono, qui jus patronatûs in judicio obtinuit, non quòd per talem præsentationem de novo acquiratur jus aliquod ipsi præsentato, sed ut eum tanquam Patronum judicialiter pronunciatum agnoscat, adeóque tali agnitione constituatur in quasi possessione ipsius juris patronatûs, *Gl. fin. in cit. c. Si verò; & Abb. ibid. n. 4.* Ubi addit, si verus Patronus, qui obtinuit causam in judicio, non velit præsentare jam priùs institutum ab Episcopo, id isti non nocebit; quia jam plenum jus acquisivit ex institutione Episcopi, juris auctoritate factâ.

Hinc colligitur etiam, quòd in juribus incorporalibus, seu spiritualibus, ut eligendi, conferendi, præ-

di, præsentandi, quasi possessio per unicum actum acquiritur, v. g. unam præsentationem, vel unam agnitionem Clerici instituti, *Gl. hîc V. Repræsentetur*, & *Barb. num. 7.* & docet *Covarr. pract. qq. c. 14. num. 2. §. Tertiam.*

» CXIII. Similiter *in c. Eam te*; *22. h. t.* decer-
» nitur: si de jure patronatûs alicujus Ecclesiæ lis, vel
» controversia judicialis sit orta inter aliquos, & in-
» tra sex menses, postquam Ecclesia vacaverit, ea fi-
» nita non fuerit, Episcopus personam idoneam in-
» stituere potest. Intelligi autem debet hæc Constitu-
tio de Patronis Ecclesiasticis; nam in Laicis sufficiunt quatuor menses, juxta *c. Quoniam*; *3. in fine*, & *c. Cùm propter*; *27. h. t.* & tempus hoc semestre currit, non à tempore motæ litis: sed à tempore vacationis Ecclesiæ, ut expresè habetur *in cit. c. Eam te*, & docet *Abb. ibid. n. 3.* Idque statutum est, quia propter litem, & contentionem Patronorum de jure præsentandi, non debet differri Ordinatio Ecclesiæ, eáque carere Rectore, ultra tempus à jure præscriptum ad præsentandum, *Abb. hîc n. 3.* Quòd si Patronus Ecclesiasticus, sive Clericus, & Laicus litigent de ipso jure patronatûs, tum debet differri institutio Rectoris per sex menses; tum quia dignius trahit ad se minùs dignum: tum quia socius propter communionem gaudet jure, seu privilegio socij, Laicus Patronus privilegio Clerici, si privilegiatus socius jure suo uti non possit, sine consocio, *Joan. Andr. in cit. c. Eam te*; *num. 1. h. t. Abb. ibid. num. 3. & dictum supra.* Idque procedit, quando Patrono Ecclesiastico competit Jus patronatûs, nomine Ecclesiæ, sive titulo Ecclesiastico, ratione Beneficij sui; nam si illi competeret, ratione patrimonij sui, tum etiam Clericus non haberet longius tempus, ad præsentandum, quàm Laicus, scilicet quatuor menses, *Abb. c. l. n. 4.*

Cæterùm si lis sit inter Episcopum, & Patronum, an Ecclesia, vel Beneficium sit patronatum, necnè, tunc Episcopus Oeconomum, seu Administratorem constituere debet, *Glos. in cit. cap. Eam te*; *Versic. Si verò contentio*; nisi notoriè constet, non esse patronatum: & Episcopus sit in quasi possessione providendi, tunc enim potest, ac debet statim providere illi Ecclesiæ, vel Beneficio de Rectore, vel Beneficiario, *Barb. in Collectan. in cit. c. Eam te*; *nu. 6.*

CXIV. Præterea *in cap. Cùm propter*; *27. h. t.*
» Innocentius III. mandat, ut si de jure patronatûs
» quæstio, sive lis judiciaria emerserit inter Patro-
» nos, eáque intra quatuor menses, si Patronatus
» sit laicus, (juxta *cap. Quoniam*; *3. & c. Eam te*; *22.*
» *h. t.*) non fuerit finita, & tunc non differat Episco-
» pus Ecclesiam illam ordinare, sive de persona ido-
» nea ei providere, ita tamen, ut per hoc nullum in-
» posterum præjudicium generetur illi, qui Jus evi-
» cerit patronatûs, scilicet in futuris vacationibus.
» Idque statutum est, ne Ecclesia, vel Beneficium diu
» vacare debeat.

Est autem hoc speciale in casu isto, quòd tempus jure definitum, ad præsentandum (videlicet quadrimestre, vel etiam semestre) currat à die vacationis Ecclesiæ, vel Beneficij, etiam sine culpa, aut negligentia Patroni, qui lite pendente, non potest aliquem præsentare. Ratio hujus specialis constitutionis est, quia quis sit verus Patronus, sive is, cujus ex litigantibus præsentatio admittenda sit, non apparet: sed ignoratur, alioquin verò generalis Regula est, quòd tempus jure præfixum ad eligendum, conferendum, vel præsentandum, non currat legitimè impedito, si de ejus jure certò constet, *cap. Quia diversitatem*; *s. junct. Glos. V. Suspensionis*, *de concess. præb. l. 1. §. ult. C. de annali except. l. In rebus*; *30. C. de jure dotium*, ubi habetur, quòd tempus non currat agere impedito, *Abb. in cit. cap. Cùm propter*; *num. 2. & 3. Barb. ibid. n. 2. in fine.*

CXV. Notandum hîc primò. Quamvis Patronus, lite pendente super jure præsentandi, post transactum tempus à jure præscriptum ad præsentandũ, privetur, pro ea vice, potestate præsentandi, & libera collatio Ecclesiæ, vel Beneficij patronati ad Episcopum devolvatur, ut dictum: non tamen electio Prælati, ob motam litem judiciariam, de jure eligendi, ultra tempus, ad eligendum à jure definitum, videlicet tres, vel sex menses, protrahitur, nec ideo eligentes privantur, pro ea vice, potestate eligendi, neque etiam hoc casu, libera provisio ad Episcopum, ad quem pertinet electum confirmare, devolvitur, ut docet *Joan. Andr. in c. Quoniam*; *3. num. 7. h. t. & Abb. ibid. n. 6. Azor. p. 2. lib. 6. c. 21. q. 12.* quia id de electione non est in jure expressum, sicut de præsentatione, lite pendente, factâ: sed potiùs contrarium significatur *in c. 2. de in integr. restit.* Ubi longo tempore fuit litigatum super jure eligendi, neque tamen potestas eligendi devoluta fuit ad Superiorem, ob litis pendentiam. Neque etiam ob similitudinem rationis, id, quod statutum est de præsentatione, extendere licet ad electionem; cùm dispar sit utriûsque ratio: partim quia Jus præsentandi ex gratia est concessum: at verò Jus eligendi non innititur gratiæ, sed concessioni Juris communis, & magis debitum est, *cap. 1. de Elect. c. Quanto*; *10. dist. 63.* & pinguius, seu firmius, ac potentius est jus eligendi, quàm præsentandi, ideóque priori difficiliùs, posteriori verò faciliùs, si justa causa id exigat, derogatur: partim quia non ita grave præjudicium infertur Patronis, si lite pendente, alius instituatur, pro ea vice, ab Episcopo: infertur autem magnum præjudicium, si Collegio Electorum, vel toti Communitati, seu Civitati, contra ejus voluntatem, obtrudatur Episcopus, vel Prælatus, quem non optatum contemnat, aut oderit, prout dicitur, *in cap. ult. dist. 63.* ideóque meritò aliud statutum est, cùm lis mota est de jure præsentandi, & aliud, cùm de jure eligendi, *Abb. c. l.* Et hinc etiam, si lis mota sit de jure præsentandi inter Patronos, tempus quatuor, vel sex mensium currit, quantumvis legitimè impedito, tametsi in culpabili mora non fuit, nec ullam negligentiam commiserit: at verò tempus ad eligendum constitutum, non currit legitimè impeditis, ut ex dictis patet.

CXVI. Notandum secundò, Prædicta Constitutio, quòd si lis sit mota inter Patronos, super jure præsentandi, nec finita intra quadrimestre, vel semestre tempus, possit liberè providere Episcopus, non habet locum, si lis sit mota inter præsentatos, quis eorum v. gr. sit magis idoneus: vel inter Patronos, & Episcopum: vel inter Patronos, & præsentatos; quia cùm sit Constitutio exorbitans à jure communi, & odiosa, non debet extendi ad casus non expressos, *Joan. Andr. in cit. c. Quoniam*; *n. 7. in fine*, & *Abb. ibid. n. 7. & Barb. n. 6.* Non tamen possunt Patroni,

troni, durante lite inter duos præsentatos, alium tertium præsentare, sine vitio attentati, nec etiam alium in locum unius ex præsentatis mortui, lite pendente, juxta *cap. 2. Ut lite pendente*; *in 6.* quia propter litis pendentiam impeditur variatio, aliàs Patronis Laicis concessa, sive nova præsentatio, ne lites prorogari contingat, cum dispendio Ecclesiarum, *Covarr. pract. qq. c 36. n. 7. §. Tertiò quoque, Barb. Lib. 3. Iur. Eccles. c. 12. n. 173.*

SECTIO V.

DE POTESTATE EPISCOPI, & S. Pontificis circa Ecclesias, & Beneficia patronata, & de amissione Juris patronatûs.

§. I.

An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel præsentatione Patroni, valida sit institutio: & , an possit fieri præsentatio ad Ecclesiam non vacantem?

CXVII. Assertio 1. Ordinariè, & regulariter, talis institutio est ipso jure irrita, ut constat *ex c.* » *Decernimus; 32. caus. 16. q. 7.* Ubi dicitur: si spretis » Fundatoribus, Rectores ibidem (in Ecclesiis, quas » fundârunt) præsumserit Episcopus ordinare, & » ordinationem irritam esse, & alios in eorum loco, » quos ijdem Fundatores condignos elegerint, esse » ordinandos, seu substituendos. Consentit quod » statuitur *in c. Illud; 8. in fine, h. t.* Ubi dicitur, si ali- » quis, sine præsentatione Fratrum ejusdem loci, » (quibus Jus patronatûs collatum fuit à Laico) fue- » rit in Ecclesia institutus, ejus institutio, secun- » dùm rigorem juris, est irritanda, id est, irrita decla- » randa, sive irritanda, quoad factum, ut explicat *Abb. ibid. n. 2. Azor. p. 2. lib. 6. c. 22. q. 4.* Dicitur autem irritanda de rigore juris; quia ex æquitate non esset irrita, neque rescindenda, cùm jus Patroni pendeat ex gratia: sed hîc præfertur rigor æquitati, postulante id Patrono, *Abb. c. l.*

CXVIII. Idem sumunt Dd. communiter *ex c.* » *Ex insinuatione; 14. h. t.* Nam cùm O. Clericus » questus esset Alexandro III. quòd cùm ei frater » ipsius jus patronatûs, quod in quibusdam Ecclesiis » habebat, liberaliter contulisset: nihilominus ali- » quos eas Ecclesias, sine ipsius assensu, ausos esse » occupare, & detinere; ideo mandat Papa, ut si » ita est, detentores earum, monitione præmissâ, » compellantur easdem Ecclesias Clerico illi resti- » tuere (de facto, quia nihil juris habuerunt in illis, » cùm non fuerint præsentati, *Innocent. hîc V. Restitu-* » *ant*) ut per eum liberè, & pacificè ordinari possint. Ex quo colligitur, quòd institutio Episcopi, absque præsentatione Patroni facta, sit nulla; quia hîc obtinentes Ecclesiam patronatam, absque præsentatione Patroni, dicuntur occupatores, & detentores, & restituere debent Ecclesias, quas sine consensu Patroni obtinuerunt, ut tradunt communiter Interpretes hîc. *Hostiens. Jo. Andr. & Abb. n. 3.* Item quòd Patronus, latè loquendo, dicitur ordinate Ecclesias, scilicet quoad præsentationem Rectoris, *Jo. Andr. hîc nu. 6. & Abb. n. 3.* Verùm quamvis hoc probabiliter dicatur, certò tamen *ex cit. cap. Ex insinuatione*; id colligi, vel inferri non potest; quia cùm ibi dicatur Clerico O. competere liberam potestatem, ordinandi Ecclesias, id propriè intelligi non potest de Patrono, ratione patronatûs, ut constat *ex c. ult. h. t.* sed verisimile est, quòd Clericus ille fuerit Rector alicujus Ecclesiæ, cujus nomine ipsi jus patronatûs à fratre suo, quod in quibusdam Ecclesiis habebat, donatum fuit, & sic non erat opus consensu Episcopi, cùm donatio juris patronatûs fuerit facta Clerico, intuitu Ecclesiæ: non privato nomine, ut notat *Hostiens. hîc V. Contulisset, & Ioan. Andr. nu. 1.* Et quamvis iste Rector non fuerit Episcopus, fortè tamen ex speciali jure, v. gr. præscriptionis, habuit potestatem ordinandi, sive instituendi Ministros in illis Ecclesiis: & sic ex dicto cap. nihil certi inferri potest, cùm casus illius non sit satis expressus.

CXIX. Porro quòd dictum est, institutionem, seu collationem ab Ordinario factam, spreto Patrono, sive sine ejus consensu, esse ipso jure irritam: id limitari debet, dummodo Patronus, intra tempus ad præsentandum concessum, reclamet, & contradicat: alioqui provisio Ordinarij, post elapsum prædictum tempus, ex tunc firma erit, & convalidatur, per supervenientem ex post facto consensum Patroni; quia si sciens institutionem esse factam, sine sua præsentatione, non contradicat, censetur tacitè illam approbare, & ratam habere, *arg. c. Suggestum; 20. h. t. & cap. 2. de his, quæ fiunt à Præl. &c. Paris. Lib. 8. de resign. Benefic. q. 10. n. 10. Zerola in praxi Episc. p. 1. V. Jus patronatûs, dub: 8. Garc. p. 5. c. 9. n. 232. Barbos. in c. Illud; 8. num. 9. h. t.* Ratio est, quia nullitas collationis ab Ordinario facta, sine consensu Patroni, est inducta in favorem ipsius Patroni, adeóque tum demum nulla est, si ipse voluerit, & contradixerit, *Garc. c. l. n. 238.* Sed & probabile est, quòd institutio ab Episcopo facta, Patrono præsente, & tacente, sit valida, etiamsi expressè non consentiat, nec ullum ipse præsentet; quia tunc, si commodè contradicere possit, vel præsentare, & sciens non fecerit, censetur tacitè consentire: secus est, si ob metum ab Episcopo incussum, vel ejus præsentiam, & dignitatem reveritus, taceat, *Azor. cit. lib. 6. cap. 22 q. 8.* Sufficit autem, si Patronus ex intervallo institutioni ab Episcopo factæ consensum præstet, *Azor. c. l. q 7.*

CXX. Cæterùm plures sunt casus, in quibus institutio Rectoris, vel Beneficiarij ab Ordinario facta, absque consensu, & præsentatione Patroni, est valida, quos recensent *Barb. Lib. 3. Iur. Eccles. cap. 12. num. 65. & seqq.* Quorum primus est, si Patronus per negligentiam intermittat, intra tempus à jure definitum, præsentare Rectorem, vel Beneficiarium, tum enim Ordinarius instituere potest, jure devoluto: sed pro una vice tantùm, ita ut deinceps Patronis jus integrum servetur, ut patet ex supra dictis, & *ex c. 2. in fine de suppl. negl. Præl.* Dummodo priùs constet, tempus ad præsentandum jure concessum à die scientiæ, sive notæ vacationis numerandum, esse elapsum: quæ

scientia

scientia debet esse certa, ut devolutioni sit locus, nec sufficit verisimilis, aut interpretativa, *Garc. tract. de Benef. p. 10. cap. 2. num. 34.* & jus præsentandi conservatur etiam in uno ex Patronis, qui non habuit hujusmodi scientiam vacationis, alijs Compatronis propter scientiam exclusis, *Garc. c. l. n. 41.* juxta decisionem Rotæ, *Barb. c. l. num. 165. & 2. seq.* Secundò, si à Patronis præsentatio in discordia fiat, ita, ut non possit ex præsentatis, sine scandalo, institui, tunc Episcopus poterit Ecclesiæ providere de Rectore, *Barb. c. l. num. 171.* Plures alij casus, in quibus Episcopus instituere, vel providere potest Ecclesiæ, vel Beneficio, sine præsentatione Patroni, supra allati sunt.

CXXI. Assertio 2. Non tantùm præsentatio: sed etiam promissio à Patrono facta de præsentatione facienda, antequam Ecclesia, vel Beneficium vacat, illicita est, & irrita, nullámque omnino obligationem parit: sed eâ non obstante, postquam vacat Ecclesia, & tempus præscriptum, ad præsentandum, est elapsum, Episcopus institutionem facere potest, *arg. cap. 2. & 3. de concess. præb. & cap. 2. eod. in 6.* Ubi id decernitur de collatione, vel promissione facta ad Ecclesiam, vel Beneficium nondum vacans; quia votum ingerit, & occasionem præbet captandæ alienæ mortis, *Garc. tract. de Benef. p. 10. c. 1. num. 4. Barb. Lib. 3. Iur. Eccles. cap. 12. num. 205.* Ubi ait, quòd nec ante vacationem Ecclesiæ, Patronus potestatem præsentandi concedere possit. Neque etiam valet consuetudo contraria, etsi immemorialis; quippe quæ irrationabilis est, & iniqua: nec præsentatio facta à Patrono, ante vacationem Ecclesiæ, vel Beneficij, obstat præsentationi postea factæ, cùm prior invalida fuerit: non præstat autem impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *Reg. Iur. 52. in 6. Garc. c. l. n. 4. & 5.*

§. II.

An Episcopus possit Ecclesiam, vel Beneficium patronatum donare, vel unire alteri Ecclesiæ, vel Beneficio: & , an Episcopo donari possit à Patronis Jus Patronatûs in Ecclesiis alienæ, vel propriæ Diœcesis?

CXXII. Assertio 1. Non potest Episcopus Ecclesiam, vel Beneficium, quod est juris patronatûs, concedere, vel unire Ecclesiæ, vel Beneficio, sine consensu Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici, v.g. unam Ecclesiam Parochialem alteri Parochiali, vel unam Capellam alteri Capellæ, vel unam Parochiam Monasterio, vel Canonicatibus, ad augendas præbendas Canonicorum, juxta c. *Exposuisti; 33. de præb.* & docet *Abb. in c. Suggestum; 20. n. 1. not. 2. h. t.* Ubi ait, non sufficere consilium Patroni, *Rebuff. in praxi Benefic. Tit. de Unionibus, n. 28. & in Gl. 11. n. 6. Azor. p. 2. lib. 6. c. 28. q. 12. Garc. tract. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 202. Laym. Lib. 4. tract. 2. c. 3. n. 12. in Corollar. 2.* Ratio est, quia Patronus per talem unionem amittit jus præsentandi, ideóque cùm cedat in præjudicium ipsius, sine consensu ejusdem, talis unio fieri non potest. Idque sumitur inprimis ex c. *Monasterium; 33. caus. 16. q. 7.* ubi *Gl. V. à dominio*, ait, quòd Episcopus, invito Patrono, ex Ecclesia Parochiali facere Monasterium non potest; quia derogaretur juri præsentandi, si Prælatus Monasterij per electionem constitueretur. Idem statutum est *in cap. Suggestum; 20. h. t.* Nam cùm quidam Patronus quarundam Ecclesiarum, cum auctoritate Archiepiscopi Eboracensis, Ecclesias illas concessisset Ecclesiæ S. Petri, quæ illi in Præbendam sunt assignatæ: Canonici de Novoburgo concessionem illam irritare conati sunt; quia donationem, seu concessionem illam priùs sibi factam esse, asserebant; quæsitum ergo fuit, quænam concessio valeret? Respondet Papa Alexander III. licèt in donationibus, seu concessionibus Ecclesiarum requirendus sit, & exspectandus Patronorum consensus: quia tamen Ecclesiæ, nisi auctoritas Pontificalis (sive Episcopalis, *Gl. hic V. Auctoritas*) intervenerit, canonicè concedi non possunt; ideo prior concessio, si cum consensu Patroni, & auctoritate Diœcesani Episcopi, facta est, aut etiam postea ejus assensus fuerit subsecutus, posteriori concessioni præferenda est: alioquin illa debet præferri, quamvis posteriùs facta sit, quæ cùm consensu Domini fundi, sive Patroni, & Episcopi auctoritate facta est.

CXXIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Non potest Episcopus Ecclesiam, vel Beneficium concedere in proprietatem, sive per modum incorporationis alteri Ecclesiæ, vel Beneficio, nec ex reditibus Ecclesiæ patronatæ in alia Ecclesia præbendas, seu Beneficia erigere, sine consensu Patroni, etiamsi per hoc Jus patronatûs non amitteret; quia posset adhuc præsentare ad illas: sed quia Patroni interest, ne bona, & reditus Ecclesiæ patronatæ alienentur, vel uniantur, aut supprimantur, ideo in hoc casu se opponere potest, *arg. cap. Filiis; 31. caus. 16. q. 7. Abb. in cit. c. Suggestum; num. 3.* Excipi debet, nisi ob urgentem necessitatem talis unio, vel translatio redituum Ecclesiæ patronatæ fiat: tunc enim Patrono etiam contradicente, illa fieri potest, cùm enim Jus patronatûs ipsi ab Ecclesia ex gratia; & non ex absoluto debito concessum sit, ideo non potest impedire, quò minùs subveniatur magnæ necessitati Ecclesiæ, vel etiam utilitati, *Abb. inc. Nobis; 25. n. 10. h. t. Laym. cit. c. 13. n. 12.* Quare potest Episcopus, etiam contradicente Patrono, applicare reditus Ecclesiæ patronatæ ad utilitatem ejusdem, v.g. erigendo novum Beneficium; tum quia nullum præjudicium per hoc fit Patrono, cui jus præsentandi integrum manet: tum quia tota ordinatio, & dispositio circa bona Ecclesiæ patronatæ, non ad Patronum, sed ad Episcopum spectat, *cit. c. Filiis; § Ipsis tamen, & cap. Noverint; 6. caus. 10. q. 1.* ideóque Patronus se immiscere non debet, nisi appareat jura, & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, aut imminui, vel in alium finem, aut usum, locum, vel personam, contra institutionem, transferri, *Innocent. in c. 3. n. 3. de privil. Abb. in cit. c. Suggestum; n. 3. Laym. cit. c. 13. n. 12. Corol. 2.*

Notandum secundò. Si concessio, seu unio alicujus Ecclesiæ, vel Beneficij priùs facta sit: sed non canonicè, seu legitimè, quia Patroni consensus non fuit requisitus, & multò magis si à Patrono, sine auctoritate Episco-

Episcopi, facta sit, *juxta c. Illud*; 8. *h. t.* tunc illâ non obstante, valet posterior concessio, seu unio ejusdem Ecclesiæ vel Beneficii legitimè facta, *cit. c. Suggestum.* Ratio est, quia concessio sive unio invalidè seu illegitimè facta, censetur esse inanis, & invalida, & ideo non potest præstare impedimentum concessioni, seu unioni legitimè factæ, *arg. Reg. 52. in 6.* sicut etiam prior collatio Beneficii invalida non præstat impedimentum posteriori validæ, *Gl. in c. Nostris 5 6. V. Non vacaret de conces. præb.*

Notandum tertiò. Concessio Ecclesiæ, per modum incorporationis, sive unio à Patrono alteri Ecclesiæ facta, potest per subsequentem Episcopi consensum ratificari, seu confirmari, ita, ut ex eo tempore fiat valida, prout sumitur ex *cit. c. Suggestum*; *junct. Gl. V. Subsecutus*; & multò magis valida est concessio, seu unio, vel collatio Beneficii patronati, facta ab Episcopo, si consensus Patroni ex postfacto accedat. Porro hoc est discrimen inter concessionem, & collationem Beneficii factam à Patrono, sine auctoritate Episcopi, & inter concessionem aut collationem factam ab Episcopo, sine consensu Patroni, quòd illa omnino irrita sit, ob defectum substantialis requisiti, videlicet auctoritatis Episcopalis. At verò concessio sive unio, aut institutio Episcopi, sine consensu Patroni, spectato mero jure naturali, valida censetur; quia consensus Patroni ad illam solùm requiritur, ut accidentalis & extrinseca conditio, ideóque actus ab initio fuit validus, juxta ea, quæ dicta sunt supr. *Tit. 10. hoc Libro.*

» CXXIV. Assertio 2. Si Episcopi, post pro-
» motionem suam (scilicet ad Episcopatum, adeó-
» que ratione Episcopalis dignitatis) præsentationes,
» (id est, Jus patronatûs) ad Ecclesias à Patronis ea-
» rum pro Ecclesiis sibi commissis obtinuerint, per-
» sonæ idoneæ, quas ad eas vacantes præsentaverint
» (Episcopi Patroni facti) admittendæ sunt, & in-
» stitui debent, prout statuitur in c. *Significásti*; 18.
» *h. t.*

Duplex est intellectus sive sensus hujus cap. Primus, isque communior, est, quem tenet *Gl. hic V. Significásti*; quòd Patronus potest Episcopo, nomine Ecclesiæ suæ Cathedralis, sive intuitu Dignitatis Episcopalis, liberè donare Jus patronatûs, sive præsentandi ad Ecclesias in alia Diœcesi sitas: & tunc personæ idoneæ, quas Episcopus, cui Jus patronatûs donatum fuit, ad Ecclesias vacantes præsentaverit, admitti, & institui debent ab Episcopo alterius Diœcesis, in qua Ecclesiæ sunt sitæ, & cui sunt præsentatæ: & quòd hîc sermo sit de Ecclesiis alterius Episcopatûs, colligitur ex illis verbis textûs: *quas ad Ecclesias vacantes præsentaverint.* Nam Episcopi, de quibus hîc est sermo, in suis propriis Diœcesibus non præsentarent: sed conferrent, ut notat *Joann. Andr. hîc num. 2. & Abb. num. 3.* Si verò Episcopo, vel alteri Clerico, non ratione, sive nomine Ecclesiæ suæ, (quod in dubio præsumitur) sed ratione personæ suæ privatæ, Jus patronatûs donaretur, tunc ad talem donationem requireretur consensus Episcopi Diœcesani, ut notat *Joann. Andr. hîc num. 3.* & patet ex supra dictis. Potest autem, saltem ex hodierna consuetudine, Patronus præsentare etiam extraneum, modò aliàs sit notus, & idoneus, *Joann. Andr. hîc in fine & Abb. num. 3.* Alter intellectus, seu sensus hujus cap. est: Si Episcopo donetur Jus patronatûs, sive præsentandi à Patrono, in Ecclesiis suæ Diœcesis, tum vel institutio Clericorum in illis Ecclesiis pertinet ex jure speciali ad Prælatum inferiorem: & huic debet Episcopus Clericos præsentare ab eo instituendos: vel institutio pertinet ad ipsum Episcopum: & hoc casu, præsentatio confunditur cum institutione, adeóque Episcopus liberè conferet Ecclesias, vel Beneficia, in quibus Jus patronatûs de novo est ipsi acquisitum, sicut alia Beneficia non patronata: præterquam si habeat socium Compatronum, tunc enim cum ipso præsentabit, tanquam Compatronus, instituet autem tanquam Ordinarius Diœcesanus, *Joann. Andr. in cit. c. Significásti*; *num. 4. & Abb. num. 3. h. t arg. l. Si consul. 3. ff. de adopt.* ubi Gl. marg. & Dd. dicunt, quòd duarum, vel plurium personarum vicem subire quis possit in voluntaria jurisdictione: sic unus plures tutelas gerere potest, *Gl. marg. ibid.* Porro illud hoc loco etiam quæri potest, an præsentatio fieri possit Episcopo, extra Diœcesin suam constituto.

CXXV. Resp. etsi possit Episcopus, vel alius loci Ordinarius, extra Diœcesin suam, aut territorium, Beneficia conferre, & alia exercere, quæ ad jurisdictionem voluntariam pertinent, & sine judiciali causæ cognitione fieri possunt, *juxta l. 2. ff. de offic. Proconsul. & l. ult. ff. de offic. Præfect. Urb*; non tamen potest præsentatos à Patronis instituere; quia ad id requiritur aliqua judicialis causæ cognitio, nempe inquisitio super vita, moribus, & litteraturâ præsentati, ut docet *Azor p. 2. Lib. 6. c. 25. q. 12. Zæsius in Commentar. in Decret. h. t. n. 53.*

§. III.

An Episcopus præsentatum à Paracho ad titulum suæ Ecclesiæ ordinandum, irrequisito Patrono, admittere, & intitulare, possit ac debeat?

CXXVI. Ad hanc quæstionem respondetur, si Rector Ecclesiæ Parochialis, sive Parochus (id enque est de alio Beneficiato) Clericum Episcopo præsentet, ad titulum Parochialis sui Beneficii, quod patronatum est, in sacris ordinandum, & Patronus consensum non det, valida quidem: imò & licita est præsentatio, adeóque ea ab Episcopo admitti potest, ac debet: nullum tamen Patrono præjudicium generatur, quin vacante Ecclesiâ Parochiali, alium idoneum ad illam præsentare possit, prout decernitur in c. *Postulásti*; 30. *h. t.* Ubi ex Innocentio III. quæsitum fuit, utrùm Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam præsentare » possint, ad titulos suarum Ecclesiarum ordinandos, » etiam non requisitis Patronis: & si in his Patronorum consensus non sit requirendus, utrùm illis Jus » eligendi, sive præsentandi salvum maneat, ita ut » cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, hujusmodi intitulati non sint aliis, quos Patroni præsentaverint, » præferendi! Ad primam quæstionem Papa directè non respondet, (ut notat *Gl. hîc in casu.* Ad secundam verò ait, per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generari, quin possint alios ad » Ecclesias illas, cùm vacaverint, præsentare, quos »

» volunt, nisi illi cum assensu Patronorum intitulati » fuissent, sive ad titulum Beneficii ordinati. Per quod tacitè etiam, & indirectè ad primam quæstionem est responsum, quòd nimirum Clerici possint validè, ac licitè præsentari à Parocho, vel alio Beneficiato ad titulum sui Beneficii ordinandi, etiamsi illud patronatum sit, etiam Patrono irrequisito, sine præjudicio tamen ejusdem, quoad Jus præsentandi alium ad Beneficium, *Gl. hic V. Utrùm electio.*

CXXVII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò, Rector Ecclesiæ Parochialis, vel alius Beneficiarius Clerico ordinato ad titulum Parochiæ, vel Beneficii, ex reditibus ejusdem necessaria alimenta submministrare debet, donec Beneficium Ecclesiasticum consequatur, *c. Per tuas; 37. de Simonia*, ideóque etiam talis Clericus inservire debet Ecclesiæ, à qua necessariam sustentationem accipit, & ad id cogi potest à Parocho, vel Beneficiato præsentatore, ut docet *Abb. in c. Conquerente; 6. num. 5. de Cleric. non resid. & in cit. c. Postulâsti; num. 2. h. t.* Quamobrem Episcopus cavere debet, ne tales præsentationes admittat, nisi Ecclesia sufficientes reditus habeat, non tantùm ad honestè alendum ipsum Rectorem: sed etiam alium Clericum ordinatum ad titulum sui Beneficii. Quòd si Rector præsentans nec ex reditibus Beneficii Parochialis: nec ex propriis bonis alere possit Ordinatum, Episcopus illi de necessariis alimentis providere debet, ne egeat, *arg. c. 2. & c. Episcopus; 4. & c. Cùm secundùm; 16. de præb. Ioann. Andr. in cit. c. Per tuas; n. 2. de Simon. & Abb. ibid. n. 5.* Ex quo sequitur, quòd plures possunt esse ordinati ad titulum unius Ecclesiæ, vel Beneficii, non tamen omnes erunt Rectores; quia unius Ecclesiæ, vel Beneficii unus tantùm debet, & potest esse Rector, vel Beneficiarius, cùm Jus & titulus Beneficii dividi non possit, *c. Majoribus; 8. & c. Dilecto; 4. de præb.* sed ordinati illi Jus habent exigendi alimenta ex reditibus illius Ecclesiæ, donec aliter illis provisum fuerit, *Abb. in cit. c. Postulâsti; n. 3. h. t.*

Notandum secundò. Per præsentationem Clerici à Parocho factam Episcopo, ut ordinetur ad titulum Beneficii sui parochialis, non fit præjudicium Patrono, sive Laico, sive Ecclesiastico, quò minùs postea vacante Ecclesiâ Parochiali, quemcúnque voluerit, Clericum idoneum præsentare possit Episcopo, ut in ea instituatur, præterito illo, qui ad titulum Parochiæ fuit ordinatus, & ob præstitum servitium Ecclesiæ, necessariam sustentationem, sive pensionem aliquam ex reditibus Ecclesiæ accepit, prout constat ex *cit. c. Postulâsti*; Idque procedit, non solùm si Patronus non consentiat in præsentationem ordinati ad titulum Parochiæ: sed etiam si consensum dedit, neque enim per hoc sibi præjudicat, quò minùs alium ad vacantem postea Parochiam præsentare possit, ut contra *Gl. in cit. c. V. Verùm electio*; docet *Abb. ibid. num. 6. & 7.* quia alioquin præsentatus ad titulum Beneficii Parochialis consequeretur Jus expectativæ ad Beneficium vacaturum, & promissionem haberet, adeóque Jus quæsitum succedendi post mortem Rectoris præsentantis in Parochia, quod SS. Canonibus adversatur. Nec obstat, quòd in fine *cit. c. Postulâsti*; adjiciatur exceptio, *nisi de Patronorum processisset assensu.* Nam ut bene notat *Abb. c. l.* quamvis aliàs ordinariè loquendo, clausula exceptiva ad proximè præcedentia referri debeat, non ad remotiora: id tamen limitari debet, nisi ex relatione ad proxima sequatur aliquod absurdum: ut in proposito, si Patronus teneretur, ratione consensûs in præsentationem ordinati ad titulum Parochiæ, etiam postea illa vacante, ipsum præsentare Episcopo in Rectorem instituendum in eadem Parochia, sequeretur, quòd hujusmodi Intitulato, seu ordinato ad titulum Parochiæ indirectè daretur Jus ad ipsam Parochiam, antequam vacaret. Itaque clausula illa referri debet, non ad proximè dicta: sed ad remotiora, videlicet ad id, quod dictum fuit, nullum præjudicium generari Patrono, ita ut sensus sit, quòd Patrono nullum præjudicium generetur, nisi consenserit in præsentationem à Rectore Parochiæ factam, ut ordinetur præsentatus ad titulum Beneficii Parochialis, tunc enim Patronus sibi præjudicat, ita ut non possit petere, ut ordinatus ille inde amoveatur: nec impedire, quòminùs necessaria sustentatio ipsi præbeatur ex reditibus Ecclesiæ Parochialis: salvo tamen manente ipsi Patrono jure præsentandi alium idoneum Clericum ad Parochiam, ut tanquam Rector perpetuus in illa instituatur.

Notandum tertiò. Quamvis Rector alicujus Ecclesiæ, vel Beneficii possit, sine consensu Patroni, Clericum idoneum præsentare, ut sacris Ordinibus initietur ad titulum illius Beneficii, & consequenter ut ex reditibus illius Beneficii necessariam sustentationem accipiat, ut ex hactenus dictis patet: attamen si ille Rector Beneficii talem præsentationem fecit sine consensu Patroni, tunc illo Rectore mortuo, ejusdem Successor à Patrono præsentatus, & ab Episcopo institutus, non tenetur ex reditibus Ecclesiæ, vel Beneficii à præmortuo Rectore præsentato pensionem aliquam dare: sed illa obligatio necessariæ sustentationis dandæ tantùm durat, ad vitam Rectoris præsentantis; cederet enim in præjudicium Patroni, si Beneficium, ad quod ipse Jus præsentandi habet, ejúsque reditus minuerentur: sive quatenus, non ad Rectorem, sed ad Fabricam v. g. Ecclesiæ destinati sunt, annuâ pensione, sine ejus consensu, & seclusâ necessitate, gravarentur: ideóque ad tale onus, sive pensionem annuam perpetuam, quæ scilicet solvenda sit ad vitam pensionarii, imponendam Beneficio Patronato, non sufficit voluntas Rectoris Ecclesiæ, vel Beneficii: sed etiam requiritur consensus Patroni, ut post *Hostien.* tradit *Ioann. Andr. in cit. c. Postulâsti; n. 9. & Abb. n. 5. h. t. Covarr. pract. qq. c. 36. num. 10.* Ubi addit, etsi Rector Ecclesiæ, vel Beneficii possit, absque consensu Patroni, Vicarium temporalem, vel ad vitam ipsius Rectoris constituere: non tamen perpetuum Vicarium, etiam cum auctoritate Episcopi, sine consensu Patroni.

§ IV.

Qualem præterea potestatem habeat Episcopus, vel non habeat circa Ecclesias, & Beneficia patronata?

CXXVIII. Assertio 1. Episcopi, seu » Diœcesani præsentatum aliquem (instituendum » ad regimen Ecclesiæ, vel curam plebis) à quacún- » que persona Ecclesiastica Jus præsentandi ad Ec- » clesiam »

» cleſiam aliquam habentæ, admittere non debent, » niſi intra certum terminum competentem, per ipſos » Diœceſanos præſentantibus præfigendum, ipſi præ- » ſentato fuerit coram eis congrua de proventibus Ec- » cleſiæ portio aſſignata: quam ſi intra terminum (à » Diœceſano ſtatutum) ipſi præſentantes aſſignare ne- » glexerint: ex tunc (id eſt, elapſo illo termino) Diœ- » ceſani (niſi aliud canonicum impedimentum ob- » ſtet) præſentatum admittere debent, poteſtate aſ- » ſignationis hujusmodi in pœnam præſentantium » (qui eo jure ſeu poteſtate privantur) ad ipſos Diœ- » ceſanos devolutâ, ne factum ipſorum præſentan- » tium noceat præſentato. Præcipitur autem ipſis » Diœceſanis, ut debitam portionis aſſignandæ mo- » derationem (ſeu taxationem) odio, vel favo- » re, (præſentati vel præſentantium) vel aliàs (præ- » mio aut timore) ſcienter non excedant. Porro » ſi Prioratuum, vel aliorum, tam Regularium, » quàm ſæcularium locorum Eccleſiis, in quibus » Religioſi vel alii, ad quos eorum reditus perti- » nent, omnia onera ſupportare conſueverunt (quia » ſcilicet ipſi præſentantes ſolvunt jura Epiſcopa- » lia, & onera hoſpitalitatis ſubeunt, quæ aliàs » ipſis Presbyteris, aut Vicariis perpetuis incumbe- » ret, ſi ipſis congrua portio à præſentantibus aſſi- » gnata fuiſſet) præmiſſa nullatenus obſerventur: ſed » tunc ſolùm Religioſi, & alii præſentantes, prædi- » cta onera ſubire, & ipſos Presbyteros, & Vicarios » decenter tractare, & ſufficientem ac congruam » eis ſuſtentationem præſtare tenentur. Ad quæ » omnia obſervanda Religioſi prædicti, & alii quili- » bet ab eisdem Diœceſanis per Eccleſiaſticam cen- » ſuram compellendi ſunt, non obſtantibus exem- » ptionibus, aut aliis quibuslibet privilegiis, con- » ſuetudinibus, vel ſtatutis. Ita decernitur in *Clem. Ut Conſtitutio*; 1. *h. t.* per quam declaratur Conſtitu- tio Clementis III. vel IV. in *c.* 1. *de præb. in 6.* quibusdam adjectis, & *c. De Monachis*; 12. *extra eod.*

CXXIX. Porro diſpoſitio hujus Clement. non habet locum in Religioſis, & Cleticis, qui habent tantùm Jus præſentandi; quia tunc Rector habet omnes proventus: ſed locum obtinet in iis, qui præſenta- tionem habent, unâ cum temporalibus proventi- bus, ut notat *Gl. hìc V. Ius præſentandi, & Abb ibid. num.* 2. Ubi præterea notandum, Rectores, vel Vica- rii perpetui præſentati, & inſtituti in Eccleſiis, vel Beneficiis, debent habere congruam ſuſtentationem, & unde jura Epiſcopalia ſolvere poſſint, alioquin Epiſcopus Diœceſanus eis congruam portionem aſſi- gnare debet, etiamſi Religioſi, vel alii, qui reditus Eccleſiarum percipiunt, ſint exempti: Quòd ſi verò Vicarii perpetui, & inſtituti in Prioratibus, vel Ec- cleſiis non teneantur portare onera jurium Epiſcopa- lium, nec exercere hoſpitalitatem: ſed ea incum- bunt Rectori principali, v. g. Prælato Monaſterii, vel iis, qui eos præſentârunt, tunc non debet eis certa portio reditum aſſignari: ſed ſufficit, ſi congrua ſu- ſtentatio in victu, & veſtitu eis tribuatur, ut colligi- tur ex *cit. Clem.* 1. *h. t.* & tradit ibi *Gl. in caſu & in notat. Laym. in qq. Canon. de Præl. elect. num.* 209. *in fine.*

CXXX. Aſſertio 2. Non poteſt Epiſcopus qualitates, ſeu conditiones Beneficii in prima funda- tione appoſitas, nec quidem cum conſenſu Patroni ſucceſſoris, ſaltem in totum, ſeu in perpetuum muta- re; quia ad ſolum Papam pertinet fundatorum diſ- poſitiones, ob juſtam cauſam, mutare, ut conſtat ex *Clem.* 2. *in princ. de Relig. domib.* Ubi dicitur, *Ea, quæ ad certum uſum* (ſive per donationem inter vi- vos, ſive per ultimam voluntatem, *Gl. ibid. V. Largitione*;) *ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent: non ad alium etiam pium,* (*Gl. ibid. V. Ad alium*;) *ſalvâ quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate, converti*, ſcilicet per Diœceſanum, *Gl. ibid. V. Converti.* Et in *c. Tua*; 17. *de teſtam.* dicitur: *In omnibus piis voluntatibus per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum de- functi voluntatem univerſa procedant.* Unde de omni- bus ultimis voluntatibus, modò juſtæ, & rationabi- les ſint, & inſuper certæ, & indubitatæ, hæc regu- la ex Baldo & aliis traditur apud *Laym. Lib* 4. *tract.* 2. *c.* 13. *q.* 6. *num.* 13. *Ubicunque diſpoſitio defuncti certa eſt, reſpectu cauſæ, perſonæ, loci &c. ab Epiſco- po alterari non poteſt.* Ratio eſt, quia natura is æ- quitas poſtulat, piam & ultimam voluntatem de- functi obſervari, *l.* 1. *C. de SS. Eccleſ. &* c. *Ultima*; 4. *cauſ.* 13. *q.* 2.

CXXXI. Porro quamvis ſolus Papa ex pleni- tudine poteſtatis ſuæ, in totum, & perpetuam muta- tionem in Beneficio patronato facere poſſit, ex cau- ſa rationabili, etiam contra primi fundatoris volun- tatem: probabile tamen eſt, quòd etiam Epiſcopus, cum conſenſu Patroni, ſeu hæredis fundatoris, quip- pe qui ipſum fundatorem repræſentat, ex cauſa ju- ſta, ob quam à conditione Beneficii requiſita in fundatione rationabiliter recedendum videatur, per Epijchiam interpretari, & interdum etiam, pro u- na, aut altera vice diſpenſare, & ſic interpretando, aut diſpenſando, mutationem aliquam, quoad u- nam vel alteram conditionem in prima fundatione appoſitam, facere poſſit: non autem penitus eas tol- lere, & immutare, ut docent *Abb. in c. Cùm acceſſiſ- ſent*; 8. *num.* 5. *de Conſtit. Navarr. Lib.* 3. *conſil.* 6. *num.* 4. *de Cleric. non reſid. Laym. cit. c* 13. *num.* 17. Etſi contrarium teneat *Garc. de Benef. p.* 7. *c.* 1. *num.* 107. *& ſeqq.* propter Concilium Triden. in *Seſſ.* 25. *c.* 5. *de ref.* Ubi ſtatuitur: quando ex Beneficiorum quorumcúque erectione, ſeu fundatione, aut aliis conſtitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt injuncta in Beneficiorum collatione, ſeu in quacúnque alia diſpoſitione, eis non de- rogetur, ubi S. Congregatio Concilii declaravit, non licere Epiſcopis, etiam accedente conſenſu Pa- tronorum, derogare qualitatibus in fundatione ap- poſitis, apud *Ioann. Gallem. ibid. num.* 3. Verùm, ut notavit *Laym. c. l.* Concil. Trident. non novum ali- quod Jus condidit: ſed quod ante prohibitum erat, declaravit, & renovavit, ne Epiſcopis liceret juſtis fundatorum voluntatibus derogare; exigua autem, vel nulla derogatio cenſetur fieri, ſi Epiſcopus, pro una vice, in conditione Beneficii diſpenſet, ob juſtam cau- ſam, propter quam, ſi fundator adhuc viveret, fa- cilè id etiam conceſſurus eſſet: ita tamen ut etiam Pa- tronus tanquam ſucceſſor fundatoris, conſenſum præſtet, vel talis ſit neceſſitas, ut rationabiliter con- ſenſum negare non poſſit. Ut ſi v. g. in prima fun- datione Capellaniæ expreſſum ſit, ut illa nonniſi Sa- cerdotibus conferatur, nunc autem alius idoneus non adſit, niſi Subdiaconus aliquis, qui intra annum

ad Sacerdotium promovendus sit, poterit illa huic conferri, cum consensu Patroni, *Laym. c. l.*

CXXXII. Hinc infertur primò. Si in prima fundatione alicujus Beneficii hæc conditio sit adjecta ut non possit conferri, vel ad illud præsentari, nisi aliquis ex familia fundatoris, vel ex certa gente, aut natione, tum si nullus idoneus reperiatur ex illa familia, potest conferri alteri, vel alius idoneus præsentari, *Navarr. Lib. 1. Consil. 7. n. 2. edit. 2.* Infertur secundò, si in fundatione Capellaniæ requiratur, ut in certo loco, vel Altari Missa celebretur, non potest in alio loco sacrificium offerri, *Abb. p. 2. Consil. q. 6. in respons. ad 3.* nihil tamen obstat, quo minùs Capellanus possit semel, vel iterum alibi celebrare, si Patronus velit, vel necessitas id exigat, *Laym. c. l. n. 16.*

Infertur tertiò. Episcopus, etiam cum consensu Patroni, non potest certum Missarum, vel Præbendarum numerum in prima fundatione præscriptum minuere: neque obligationem residendi personaliter requisitam in fundatione alicujus Beneficii, tollere: nisi in casu necessitatis, si reditus non sint sufficientes, ad tale onus præstandum, vel ferendum: tunc enim potest id facere, cum consensu Patroni, vel etiam eo invito, si requisitus nolit consentire, *Abb. in c. Nos quidem; 3. n. 6. de testam. Azor p. 2. l. 6. c. 24. q. 6. Garc. cit. c. 1. n. 224. & 2. seqq. Laym. c. l. n. 16.* quia cessantibus reditibus, cessare debet Ordinatio testatoris. Idémque est de reductione Anniversariorum, quæ tamen reductio, sive Anniversariorum, sive aliarum Missarum certo numero celebrandarum, quibus singulis diebus satisfieri nequit, vel ob multitudinem, vel ob tenuitatem eleemosynæ, pro illis celebrandis assignatæ, fieri debet ab Episcopis in Synodo Diœcesana: itèmque ab Abbatibus, & Generalibus Ordinum in Capitulis Generalibus, *juxta Concil. Trid. Sess. 25. c. 4. de ref.* Verùm hoc decretum Concilii in pluribus Episcopatibus non est usu receptum, in quibus semper fiunt hujusmodi reductiones, sine Synodo, non tantùm quoad Missas Capellaniarum: sed etiam quoad dotationes Ecclesiarum, teste *Garc. c. l. n. 36.*

Infertur quartò. Quòd Episcopus (nisi id gravissima causa exigat,) non possit tollere Insignia fundatoris, posita in Ecclesia, vel Capella, quam construxit, aut dotavit, & multò minùs ejus hæres, vel successor: neque successor, si alterius familiæ sit, sua Insignia eo loco ponere potest, ne memoria primæ fundationis aboleatur. Eadémque ratio est, de sepulchro fundatoris, constituto pro se, & suis descendentibus, sive hæredibus sanguinis, ut in eo sepeliantur, *Laym. c. l. num. 14.*

Cæterùm ad Episcopum etiam pertinet, examinare litteraturam, mores, & vitam eorum, qui præsentantur ad Ecclesias parochiales à Patronis, sive Laicis, sive Ecclesiasticis, per deputatos in Synodo examinatores, alioquin earum institutio irrita est, *juxta Concil. Trid. Sess. 24. c. 18. de ref. Et Sess. 7. c. 13. de refor.* statuitur, ut præsentati, electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis ad quævis Ecclesiastica Beneficia, non instituantur, nec confirmentur, nec admittantur, nisi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti, præsentatis tamen & electis seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

§. V.

An S. Pontifex, citra Patroni consensum, possit Beneficia conferre, & an etiam Legatus Papæ possit iuri Patronatûs derogare?

CXXXIII. Assertio 1. Potest Papa, ex plenitudine potestatis Papalis, cuivis Patronatui, non tantùm Ecclesiastico: sed etiam Laico derogare, objectam causam: quamvis non censeatur Patronatui Laico unquam velle derogare: nisi id in litteris Apostolicis specificè sit expressum. Attamen Patronatui Ecclesiastico faciliùs derogari, & Beneficia ejus collationi Papæ reservari possunt, ac solent, ut docet *Gl. communiter recepta in Clement. 2. V. Apostolicis; de præb. Abbas in c. Cum dilectus; 28. n. 11. in fine h. t. Covarr. pract. qq. c. 36. n. 1. Azor p. 2. l. 6. c. 23. q. 1. 2. & 3.* & est communis Dd. sententia. Ratio discriminis inter utrumque Patronatum est, tum quia licèt Jus patronatûs etiam Laicis fundatoribus ex gratia ab Ecclesia concessum sit, ideóque absolutè loquendo, Ecclesiæ auctoritate iterum iis auferri possit: non tamen ita facilè Patronatui Laicorum derogari solet; tum ne Principes, & Domini sæculares à piis fundationibus retrahantur, si passim eorum juribus derogetur: tum quia cùm Prælati Ecclesiarum plus juris habeant in bona Ecclesiastica, quàm in bona Sæcularium, sive Laicorum, æquum est, ut etiam plus juris habeant in Patronatum, qui ex Ecclesiasticis bonis, quàm qui ex sæcularibus, & patrimonialibus bonis originem trahit.

CXXXIV. Assertio 2. Si Jus patronatûs, secundùm originem suam, Ecclesiasticum sit: sed Laico competat ex speciali privilegio, aut consuetudine legitimè præscriptâ, potest ei à Papa derogari, per clausulam etiam generalem, v. g. *Ad cujuscunque Patroni præsentationem Beneficia pertineant*, ut ex communi docet *Covarr. c. l. n. 5. §. Quantò; Azor cit. c. 23. q. 4.* quia tunc cessat ratio, ob quam Jus Canonicum prohibuit, derogari Ecclesiis & Beneficiis patronatis Laicorum, cùm Laici nihil ad illas Ecclesias, vel Beneficia contulerint. Si verò Jus patronatûs simul ad Clericum, ratione Ecclesiæ, & Laicum pertineat: tunc à Papa derogari non potest, per clausulam generalem, nullâ speciali mentione Laici Patronatûs factâ; quia etiamsi hujusmodi Patronatus mixtus, quoad commoda & privilegia, Ecclesiasticus censeatur; quid dignius trahit ad se minùs dignum: quoad damna verò, odia & pœnas, & consequenter quoad derogationes ac reservationes perinde habetur, ac si simpliciter Laicus patronatus esset, *Covarr. c. l. n. 5. §. Tertiò; Azor cit. c. 23. q. 5.* Si denique Jus patronatûs ad duos Ecclesiasticos, seu Clericos, ratione Ecclesiæ, & unum Laicum pertineat, v. g. ad Decanum Ecclesiæ, Priorem Monasterii, & Titium Laicum, tunc derogari ei potest, etiam per clausulam generalem, cùm majore ex parte sit Patronatus Ecclesiasticus, ut censet *Covarr. c. l. q. 5. §. Sed quid si*; sed de hoc meritò dubitari potest, de quo paulò post.

CXXXV. Assertio 3. Legatus Sedis Apostolicæ à Latere potest sibi reservare Ecclesiam, vel Beneficium primò vacaturum, illùdque, cùm vacat, conferre

ferre certæ personæ, irrequisito Patrono Ecclesiastico: non autem inconsulto, aut invito Patrono Laico, vel Clerico, cui Jus præsentandi competit, ratione patrimonii, prout statutum est in *c. Cùm dilectus*; 28. *h. t.* » Ubi habetur, quòd Episcopus Hostiensis Apostolicæ Sedis Legatus mandavit Archidiacono Carnotensi, ut Ecclesiam, quæ primò vacaverit in Archidiaconatu suo, donationi, seu collationi suæ reservaret, prohibendo eidem, ne alicui eam conferret, de qua V. Clerico suo providere volebat. Cùm autem Ecclesia de Berovilla ibi vacaret, Archidiaconus contra mandatum Legati, Subdiaconum G. præsentavit ad illam Episcopo Diœcesano, qui tamen non fuit admissus: Legatus hoc audiens, cassavit quod Archidiaconus fecerat, & Ecclesiam illam (de Berovilla) prædicto V. concessit sic vacantem. Posteà vacavit quædam Præbenda in Ecclesia S. Martini Diœcesis Carnotensis, quæ assignari debebat de jure Clerico H. Episcopus verò Diœcesanus considerans, quòd Præbenda S. Martini magis congrueret prædicto Clerico V. & Ecclesia de Berovilla magis Clerico H. dictam præbendam assignavit V. Clerico Legati: Ecclesiam verò de Berovilla, post assignationem ipsius V. ad præsentationem Archidiaconi, prædicto Clerico H. concessit. Unde orta fuit controversia inter Clericum H. & Subdiaconum G. cui Archidiaconus Ecclesiam de Berovilla contulerat, & uterque ad Ecclesiam Romanam accesserunt, diu super dicta Ecclesia litigando. Papa Innocentius III. auditis ex utraque parte propositis, considerans, quòd etsi Archidiaconus Carnotensis prædictum G. Subdiaconum præsentavit, tanquam Laicus (ratione patrimonii, *Gl. hîc V. eod.*) ipse tamen non fuit admissus ab Episcopo Diœcesano: sed dictus H. ab eodem Archidiacono præsentatus, & ab Episcopo institutus fuit: ideò juxta statutum Papæ Alexandri III. (in *c. Quod autem*; 5. *h. t.*) non primus: sed secundus Jus obtinebit in Ecclesia memorata. Si verò Archidiaconus prædictum G. Subdiaconum, tanquam Clericus (ratione Ecclesiæ) præsentavit, quod tanquam Clericus fecerat, subeat juris dictioni Legati, ac proinde præsentatio non valuit; quia contra prohibitionem Legati, qui donationi suæ collationem ipsius Ecclesiæ reservavit, ad eam non poterat, tanquam Clericus, præsentare: (secus si tanquam Laicus; quia tunc posset præsentare, non obstante reservatione Legati, *Gl. hîc V. Clericus*;) Quare Papa præsentationem ipsius G. minùs canonicè factam, irritam decrevit, & eâ non obstante, pronunciavit, concessionem ipsius Ecclesiæ Clerico H. factam, canonicam extitisse, ideóque eidem dictam Ecclesiam, cum fructibus medio tempore perceptis, adjudicavit, adversario perpetuum silentium imponens.

CXXXVI. Ex hoc cap. Colligitur primò. Quòd duæ sunt differentiæ inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum, nam hic subest jurisdictioni Legati Papæ, ideóque is potest derogare juri patronatûs Ecclesiastico & reservare suæ collationi Beneficium patronatum, illùdque conferre alicui, Patrono irrequisito, & invito: secus est in Patrono Sæculari. *Abb. in cit. c. Cùm dilectus*; *n.* 3. *& ibid. Barb. n.* 3. *Azor cit. l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. *Sanch. L.* 7. *moral. c.* 29. *n.* 169. Deinde Patronus Ecclesiasticus variare non potest, sive uno præsentato, alium præsentare, sicut potest etiam Clericus, si sit Patronus, ratione patrimonii sui; quia tunc præsentat, ut Laicus, & non ut Clericus; *Abb. in cit. c. n.* 4.

Colligitur secundò. Clericus, quoad bona patrimonialia & propria, reputatur ut Laicus, ut notat *Gl. marg. in cit. c. Cùm dilectus*; ideóque Prælati Ecclesiastici, sicut & ipse S. Pontifex, non censentur plus juris, & potestatis habere in illa, quàm Imperator, vel Princeps Sæcularis in bona subditorum Laicorum, ita ut sicut Imperator non potest, sine justa causa, privare Laicum, suis bonis patrimonialibus: ita nec Papa Clericum, *Abb. in cit. c. Cùm dilectus*; *n.* 5. Et hinc etiam Jus patronatûs, quod ortum habet ex bonis patrimonialibus Clerici, ut Laicum reputatur: Ecclesiasticum verò, quod ex bonis Ecclesiæ provenit, ut colligitur ex *cit. c.* ibi; *tanquam Clericus.*

Colligitur tertiò. Is, qui in injustè possidet Beneficium; sine institutione Episcopi, illud restituere debet; cum fructibus medio tempore perceptis, si tamen malæ fidei possessor fuit: secus, si bonæ fidei, *Abb. in cit. c. n.* 7. *Barb. ibid. n.* 7.

Colligitur quartò. Non potest Legatus Papæ, etiam à Latere, derogare juri patronatûs mixto, quod est partim Sæculare, partim Ecclesiasticum, idque ob favorem Patroni Laici, ne hujusmodi Patroni à fundandis, & dotandis Ecclesiis avocentur: potest autem Legatus à Latere derogare Patronatui Laico, si non ex fundatione, vel dotatione: sed ex privilegio solùm, vel ex consuetudine legitimè præscripta alicui competat, *Azor cit. c.* 28. *q.* 12. *Sanch. c. l. Barb. in cit. c. n.* 3. Verùm hujusmodi derogationes seu reservationes prohibitæ sunt per *Concil. Trident. Sess.* 24. *c.* 19. *de reform.* sicut etiam in Germania nullus est usus reservationum propter Concordata.

CXXXVII. Illud postremò hoc loco prædictis addendum, cùm quæritur, an Patronatus mixtus totus Laicalis, an verò Ecclesiasticus censeri debeat, tum distinguendum est, & attendendum, quænam qualitas in casu, de quo quæritur, sit magis privilegiata, & favorabilis ipsi Patronatui; secundùm illam enim judicandus est, esse Ecclesiasticus, vel Sæcularis, sive Patroni utrinque sint in æquali numero Clericorum & Laicorum: sive major pars sit Clericorum, ita ut qualitas, seu conditio prævaleat, quæ magis favet Patronatui, etiamsi plures sint Clerici, quàm Laici: v. g. si tres sint Compatroni, unus Clericus, & duo Laici, omnes habent semestre ad præsentandum; quia tunc favorabilior est conditio Patronatûs Ecclesiastici, quàm Laicalis. E contrario verò, si plures sint Compatroni, unus Laicus, & duo, vel tres Clerici, Jus patronatûs censetur totum Laicale, ad effectum derogationis, ita ut Legatus à Latere ei derogare non possit, nec conferre talia Beneficia Patronata, sicut conferre non potest Beneficia Patronatûs, merè laicalia, vel mixta, in æquali numero Clericorum & Laicorum, *Fagnan. in c. Cùm propter*; 27. *n.* 26. *& seqq. & n.* 63. *h. t.* Ratio autem, cur in Patronatu mixto prævaleat conditio, quæ magis favet patronatui, est, quia si non privilegiatus concurrat in materia individua cum privilegiato, ille utitur privilegio istius: sic in duos Laicos potest compromitti, etiam in causa Ecclesiastica, propter adjunctionem unius Clerici, *c. Per tuas*; 9. *de arbitr.* Sic cadavera excommunicatorum, si à reliquis fidelium discerni non possint, exhumari non debent *c. In sacris*; 12. *de sepult.*

Item reſcriptum ab uno impetratum, ratione communionis, omnibus ſuffragatur, *l. 1. ff. de diverſ. reſcript.* cauſa individua unius Clerici, & plurium Laicorum, agi debet coram Judice Eccleſiaſtico, *Bart. in l. Præcipimus; 32. §. Proinde; n. 2. C. de appell.* ex præſentatione unius tantùm ex Compatronis, omnium poſſeſſio conſervatur, & generaliter privilegium uni ex ſociis conceſſum trahitur ad omnes, *Fagn. in cit. c. Cùm propter; n. 53. & pluribus ſeqq.* Præterea in præjudicialibus mixtum aſſumit naturam ejus ſimplicis, per quod alterius Jus non tollitur ex communione, adeóque ob mixturam unius, vel plurium Clericorum, Laicus non debet privari jure ſuo, *Fagnan. c. l. n. 41. & 2. ſeqq.* Non obſtat, quòd dicitur, dignius trahere ad ſe minùs dignum, & pars major minorem: Nam hoc verum eſt tunc ſolùm, quando favorabilius eſt, ut dignius trahat ad ſe minùs dignum, & pars major minorem: non autem ſi favorabilius ſit, ut dignius, & majus trahatur à minore, ut fit, quando favorabilius eſt, ut Eccleſiaſticus Patronus ſequatur conditionem Laicalis, etiamſi ſint plures Clerici, quàm Laici, ut patet in exemplis, v. g. olei conſecrati, quod ſi miſceatur dolio olei non conſecrati, totum fit conſecratum, *c. Quod in dubiis; 3. de conſecr. Eccleſ.* & unius appellatio omnibus prodeſt, ſi defenſio communis ſit, & eadem ſit ratio vincendi, *l. Si quis; 10. §. fin. ff. de appell. Fagnan. c. l. n. 66.* Non obſtat, quòd Jus patronatûs competens Univerſitati Scholarium dicitur Eccleſiaſticum, ſi in illa ſint plures Clerici, quàm Laici: & è converſo, ſit Laicale, ſi plures ſint Laici, quàm Clerici, ergo non eſt attendenda qualitas, quæ prodeſt: ſed ea, quæ in numero prævalet: nam hoc procedit in iis tantùm, in quibus eſt favor major, ut trahat, & non trahatur, aliàs ſecus, *Fagn. c. l. n. 70.* Denique aliud eſt in mixtis naturalibus, ubi quod potentius eſt, prævalet, ſive proſit, ſive obſit, *Fagn. c. l. n. 65.*

§. VI.

Quibus modis Jus patronatûs amittatur, vel extinguatur?

CXXXVIII. Amittitur hoc Jus variis modis, prout videre eſt, apud *Barb. Lib. 3. Iur. Eccleſ. c. 13. n. 254. & ſeqq. Zæſ. in Comment. h. t. n. 68.* & colligitur ex dictis. Veluti primò, per liberam ceſſionem alteri factam, vel per remiſſionem hujus juris, *c. 1. in princ. h. t. in 6.* Nam Patronus, ejùsque hæres, aut ſucceſſor poteſt, pro arbitrio ſuo, renunciare juri patronatûs, & collationem Eccleſiæ, vel Beneficii liberam efficere; quia in hoc caſu proprio juri renunciat, & talis renunciatio cedit in favorem Eccleſiæ, *Laym. cit. c. 13. n. 14.* Similiter poteſt Patronus minuere, vel omnino tollere eas conditiones, quæ in ipſius Patroni tantùm favorem, ſive commodum, contra, vel præter Jus commune, à fundatore ſunt appoſitæ, v. g. ut Eccleſia ſervitium aliquod præſtet Patrono: quin & novæ conditiones, quæ Eccleſiæ utiles ſint, ab hærede Patroni, cum Epiſcopi conſenſu, apponi poſſunt, *Laym. c. l.* Non tamen poteſt conditiones à fundatore appoſitas, ob cultum Divinum, vel familiæ ſuæ honorem, & commodum, hæres, vel ſucceſſor, etiam cum conſenſu Epiſcopi, mutare, vel omnino tollere contra defuncti voluntatem, *Laym. ibid.* Secundò, amittitur Jus patronatûs, ſi Patronus patiatur Capellam converti, ſeu commutari in Eccleſiam Collegiatam, in qua non poteſt locum habere præſentatio: ſed electio, cui ſe immiſcere non poteſt Patronus, ſuffragium dando; quamvis interponere poſſit ſuas partes in tractatu electionis, *c. Nobis; 25. h. t.* & ibi: *Gl. V. In Capella, de quo ſupra n. 31. & ſeqq. h. t.* Tertiò, amittitur Jus patronatûs, ſi Eccleſia patronatui obnoxia alteri Eccleſiæ, vel Monaſterio uniatur, ſine reſervatione juris patronatûs, tunc enim Eccleſiâ alteri unita cenſetur quaſi extincta, & conſequenter etiam Jus patronatûs in illa competens Patrono, *Zæſ. c. l. n. 5.* Quartò, amittitur per non uſum longiſſimi, vel etiam longi temporis, ſi nimirum Patronus, ceſſante legitimo ejus impedimento, nullum Rectorem ad Eccleſiam vacantem præſentavit: & interea ſaltem duabus vicibus Rector, ſine præſentatione, fuit inſtitutus, tunc enim Eccleſia liberæ collationis efficitur, *Barb. cit. c. 13. n. 107.* Quintò, extinguitur, extinctâ familiâ fundatoris, ſi Jus patronatûs pro illis, qui ſunt de familia, ſive Agnati fundatoris, ſit conceſſum, de quo dictum ſupr. *n. 52. & ſeq. h. t.* Sextò, extinguitur, ſi Eccleſia patronatui obnoxia penitus deſtruatur, ſine ſpe reædificationis, vel reditus omnino deficiant; quia rei non exiſtentis nullæ ſunt qualitates, *Zæſ. c. l. n. 4.* Septimò, amittitur etiam Jus patronatûs, propter crimen commiſſum à Patrono, ut ſi Rectorem, vel alium Clericum ipſius Eccleſiæ, per ſe, vel per alium occidere, vel mutilare præſumpſerit, tum enim jure patronatûs privatur ipſo jure, *c. pen. §. Sacri de pœnis*, ipsùmque Jus patronatûs extinguitur, nec ad hæredes ejus tranſit: ſed Eccleſia fit libera, *Gl. ibid. V. Proſus amittant.* Octavò, ſi Patronus fiat hæreticus, Jus patronatûs amittit; quia privatur omnibus bonis, & conſequenter etiam jure patronatûs: idémque eſt de Schiſmaticis & Apoſtatis, & fautoribus hæreticorum, *Barb. c. l. n. 260.* Denique qui Simoniacè acquiſivit Jus patronatûs, eo privandus eſt, *arg. c. Quia Clerici; 6. h. t.*

TITVLVS XXXIX.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

Quia Jus patronatûs est onus quoddam, ac veluti servitus imposita Ecclesiis, & Beneficiis, quippe cùm remisso, vel ablato iure patronatûs, Ecclesia, vel Beneficium liberæ collationis fiat: ideo nunc de aliis oneribus, seu servitutibus Ecclesiarum, & Beneficiorum, videlicet censibus, exactionibus, & procurationibus, hic Titulus subiungitur, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

SECTIO I.
DE CENSIBUS.

I.

PRima pars hujus Rubricæ, seu Tituli est de Censibus. Census autem generaliter significat, quicquid annuatim in certa quantitate seu summa præstatur, ut notat *Hostiens. in summa h. t. n.* 1. eâque ratione etiam tributum comprehendit, *l. Ætatem*; 3. *ff. de censib.* Verùm omissis significationibus minùs usitatis, frequentiùs sumitur Census primò, pro annuo canone seu pensione, quam emphyteuta præstat, in recognitionem directi dominii, de quo supra actum *Tit.* 18. *hoc Libro sec.* 2. §. 2. Secundò, accipitur frequenter pro pensione, quæ solvitur ex contractu, per quem traditur alicui res pleno jure, ita ut in accipientem transferatur directum, & utile dominium, reservatâ tamen priori domino pensione aliquâ, sive ex fructibus, sive in pecunia, sive in alia re æquivalente, annuatim solvendâ, qui census reservativus appellatur, prout videre est apud *Molin. Tract. 2. de justit. disp.* 381. *n.* 2. Tertiò, accipitur census pro annuâ pensione, quæ præstatur alicui, etiam supremo Principe inferiori, ratione subjectionis, fundationis, aut alterius justæ causæ, *Mol. c. l. n.* 1. quæ acceptio est propria hujus loci. Est ergo census, prout hîc accipitur, onus reale Ecclesiæ impositum, vel quælibet pensio, aut reditus annuus, qui ex proventibus Ecclesiasticis, ab Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis debetur, & solvitur Superioribus Prælatis, in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa, prout in sequentibus magis declarabitur.

§. I.

An ex præstatione annua censûs factâ Episcopo, ab aliqua Ecclesia, vel Monasterio, rectè colligatur, & probetur eiusdem subiectio, & quomodo census peti, & probari debeat?

II. Assertio 1. Ex sola annua solutione censûs non probatur subjectio alicujus Ecclesiæ, vel Monasterii, aut quasi possessio subjectionis, nisi vel in solutione expressum sit, eam fieri, ratione subjectionis: vel nisi hoc ipsum ex circumstantiis loci, temporis, personarum, præsumptivè appareat, ut si quis eodem loco, tempore ac modo, quo alii subditi, censum solvat; quia solutio indeterminata ex circumstantiis determinari solet, ut docet *Abb. in c. ult. n.* 4. *de cauſ. poſſ. & propr. & ibid. Laym. n.* 6. *Card. Tuschus V. Census concl.* 190. *n.* 1. *&* 2. Et sic intelligi debet, quod dicitur in c. *Omnis*; 2. *h. t.* ubi dicitur: *ideo tributa præstatis*; *quia hæc est probatio subjectionis:* est enim tributum, seu census signum subjectionis, si id expressum sit, vel si concurrant conjecturæ, seu præsumptiones denotantes subjectionem, nam alioquin etiam ex aliis causis, seu titulis potest solvi census annuus, v. g. in signum libertatis, vel exemptionis à jurisdictione Episcopi à Papa acceptæ, *juxtà c. Recipimus*; 8 *de privil.* Vel in signum protectionis, seu advocatiæ; quia à Papa Ecclesia aliqua recepta est, sub ejus protectione, *cit. c. Recipimus*; *Hostiens. in summa n.* 2. *h. t.* Potest etiam fieri, ut Prælatus, fundando Ecclesiam, sibi & Ecclesiæ suæ reservârit pensionem annuam, non in signum subjectionis: sed in signum fundationis, & juris patronatûs, *arg. c. Præterea*; 23. *de jure patron.* Denique quandoque etiam ex conventione præstatur census annuus, adeóque non semper ex solutione censûs arguitur, seu probatur subjectio, *Tusch. c. l. n.* 1.

III. Assertio 2. Qui petit censum, tanquam sibi debitum, exprimere debet rationem, sive causam, ob quam sibi debeatur; quia census, cujus causa ignoratur, non est ex obligatione solvendus: sed constare debet, quare, & quando census solvi debeat, prout sumitur ex *c. Pervenit*; 5. *h. t.* Nam cùm Abbas Faxinonensis Ecclesiam Carpensem deprædatus fuisset, occasione cujusdam censûs, quem dictus Abbas ab Ecclesia Carpensi petebat: Archipresbyter Carpensis se opponens, dicebat, quòd nullam causam sciret, ob quam solvere deberet illum censum, prout habetur *in integra lectione hujus cap.* Quæsivit ergo ex Papa Paschali II. quid juris esset? Respondet Papa, quòd census ignorantiæ (id est, cujus causa ignoratur, *Gl. hîc V. eodem*) nec Divinis (id est, Canonicis, *Gl. hîc V. eod.*) nec humanis legibus invenitur: (subintellige, quòd solvi debeat sine causa, *Gl. fin. hîc*) oportet quippe, ut omnis census, ad quid & quando persolvi debeat, præsciatur. Ratio est, quia qui petit aliquid, causam petendi allegare debet, *Gl. hîc in notat.*

IV. Pro

IV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si agatur judicio petitorio super jure censûs solvendi, vel alterius servitii præstandi, tum si actor alleget & probet annuam præstationem censûs factam esse, per tantum tempus, cujus initii memoria non extat, non requiritur, ut alleget, vel probet alium titulum, vel causam legitimam; quia cursus temporis immemorialis habet vim tituli, & inducit præsumptionem juris, quòd ex causa legitima census fuerit impositus, *l. Hoc jure 3. §. Aquæ ductus; ff. De aqua quotid. Abb. in c. ult. n. 7. de caus. possess. & prop. & in cit. c. Pervenit; n. 3. h. t. Covarr. in Reg. possessor p. 2. §. 4. n. 4.* Excipe, nisi ex circumstantiis appareat, non fuisse annuam pensionem solutam tanquam debitam; quia v. g. semper facta fuit solutio, cum protestatione, quòd non fiat ex obligatione, ut docet *Mascard. de probat. concl. 279. n. 16.* ideo enim dicunt Dd. per voluntarios, seu non obligatorios actus nunquam induci præscriptionem. Si verò annua præstatio censûs non fuit facta per tempus immemoriale, tum vel nulla certa causa præstationis, seu solutionis assignari potest: & hoc casu, nec possessio juris exigendi censum acquiritur, multò minùs præscriptio, *l. Creditor; 7. C. De usuris; cit. c. Pervenit; h. t. Abb. in cit. c. ult. n. 7. de caus. poss. & prop.* Vel causa præstationis censûs assignatur, ut quia solutio annua facta est, tanquam debita, videlicet ratione subjectionis, aut pensionis reservatæ in fundatione: sed ea aliter probari non potest, nisi præsumptivè, ex cursu longissimi temporis 30. vel 40. annorum, vel longi temporis 20. aut 10. annorum: hoc casu, vel Jus commune Canonicum resistit possessori, vel actori in petitorio, v. g. ut Ecclesia aliqua sit pensionaria alicui Laico: & tunc præscriptio contra Ecclesiam non perficitur, nisi tempore immemoriali, sine titulo; vel 40. annis cum titulo, v. g. pacti appositi in fundatione, *juxta c. 1. de præscr. in 6.* si probetur, pensionem annuam solutam esse tanquam debitam, per modum censûs 40. annis, etiamsi causa priùs allegata in specie probari non possit, ut docet *Mascar. cit. concl. 279. n. 1. & 9.* quia si Jus commune non resistat, possessori, vel actori, tum ipsa ordinaria, seu singulis annis repetita præstatio, sive solutio censûs inducit præsumptionem causæ, seu tituli, ac proinde sufficit, solutionem factam esse, tanquam debitam ex aliqua causa, sive solventem habitum fuisse pro censuario, seu qui ex certa causa annuum censum debeat, etsi in specie illa probari non possit, *Laym. in cit. c. ult. n. 5. de caus. possess.* Jure Civili verò, in rebus privatorum sufficit, probare censum seu pensionem annuam per 20. annos inter absentes, vel 10. inter præsentes, tanquam debitam solutam fuisse, etiamsi causa allegata aliter probari non possit, *arg. l. Cùm de 6. ff. de usur. Abb. in cit. c. Pervenit; n. 3. h. t. Masc. c. l. n. 3.*

V. Notandum secundò. Si census sive pensio realis solvatur, ratione certæ rei, v. g. fundi, & censuarius sive pensionarius recuset illum censum vel pensionem solvere, quasi ad eum solvendum non sit obligatus: tunc si dominus censûs probare possit, sibi censum antea solutum fuisse, tanquam debitum: sed postea denegatum, ac veluti subtractum, potest agere judicio possessionis recuperandæ, & tanquam spoliatus possessione juris percipiendi censum annuum, in qua hactenus fuit, petere, ut restituatur in jure suo, quo fuit spoliatus: quamvis postea censuarius possit super jure seu proprietate solvendi censûs litem movere, quia spoliatus primò restituendus est, quàm de jure proprietatis respondere teneatur in judicio, *juxta c. ult. de ord. cognit. & c. Cùm olim; 7. de caus. poss. & prop.* & ita sumitur ex *c. Querelam; 24. in fine de Elect. Gl. ibid. V. Statum; & Abb. n. 14. Laym. in cit. c. Querelam; n. 6. de Elect. & in cit. c. Pervenit; num. 3. h. t.* Porro quamvis possessio, vel quasi possessio hujusmodi annui censûs sive debiti ab initio oriri, sive acquiri non possit, sine causa & titulo saltem colorato: potest tamen continuari, etiamsi causa ac titulus ignoretur, nec origo debiti ostendi possit: dummodo probari possit, longo tempore, annuum censum solutum fuisse, tunc enim possessor in sua possessione, vel quasi percipiendi censum defendi debet, & si spoliatus fuit, quia census non est solutus, restituendus est, donec decidatur quæstio proprietatis super jure censûs, *Innocent. in cit. c. Pervenit; Ioann. Andr. ibid. num. 8. & Abb. n. 3.* Non obstat, quòd temporis decursus non sit modus aptus, ad inducendam obligationem, vel debitum: sicut enim tempus non tollit obligationem, *l. Obligationum; 44. §. Placet; ff. de action. & oblig.* ita nec inducit. Nam respondetur, tametsi ex solo cursu temporis non oriatur obligatio, seu debitum, cujusve possessio: ex eo tamen, quòd diuturno tempore uniformiter facta sit præstatio, sive solutio alicujus censûs, tanquam debiti, oritur præsumptio præcedentis causæ, sive tituli, ex quo obligatio, seu debitum, vel saltem ejus possessio, aut quasi possessio originem traxit, cum bona fide, ut constat ex *c. Cùm de in rem verso; 6. ff. de usur.* Ubi dicitur, ideo solvendas esse usuras, quòd eas ipse dominus longo tempore præstitisset, *Ioann. Andr. in cit. c. Pervenit; n. 5. Laym. in cit. c. Querelam; n. 6. §. Neque obstat.*

VI. Notandum tertiò. Licèt *Abb. in cit. c. Pervenit; num. 3.* & Legistæ communiter putent, quòd in censibus & præstationibus personalibus, ob denegatam solutionem censûs, priùs, etiam longo tempore, factam, non possit agi judicio possessorio, eò quòd non possit obtineri possessio præstationis, aut debiti merè personalis, cùm libera persona, & quod ei inhæret, possideri non possit: Nihilominus tamen contrarium verius est, & tradit *Innocent. in cit. c. Querelam; num. 3. & 4. & Felin. in c. Conquestus; 16. n. 4. de foro comp. Laym. in cit. c. Querelam; n. 6. §. Verùm;* ita, ut si quis tanquam personaliter obligatus, ad solvendum censum, vel pensionem annuam, eam aliquamdiu solverit Titio, postea verò solvere cesset, aut recuset, Titius tanquam spoliatus jure suo interdictum possessorium, saltem utile instituere possit, & petere, ut restituatur: idque colligitur ex *cit. c. Querelam;* Ubi absolutè dicitur, pensionem annuam debitam ab Ecclesia Salvatoris per multos annos solutam fuisse: postea verò unicâ vice denegatam, & subtractam, ideóque Rector dictæ Ecclesiæ ad illam pensionem deinceps solvendam condemnatus fuit. Ratio est, quia certum est, quòd in persona ejusque industria constitui possit obligatio solvendi censum, aut pensionem annuam ex ejusdem personæ lucris, ratione alicujus causæ præcedentis, v. g. pacti, seu contractûs, ultimæ voluntatis, fundationis: nam ita census & Decimæ personales constituuntur, item tributa personalia, quæ Magistratui penduntur, *l. 1. C. de fideicom.* sæpe etiam testator gravat hæredem suum ad annuam pensio-

pensionem alteri personæ solvendam, *l. Si legatum*; 3. §. *ult. ff. de annuis legat.* Sicut ergo persona debitoris obligata est, ad solvendum censum annuum, ita ex altera parte creditor habet jus petendi, & exigendi illum. Si ergo creditor illum censum, tanquam sibi debitum, ex aliquibus causis supra dictis exigat, & recipiat, acquirit possessionem, vel quasi possessionem hujus juris, sive statum quendam obligationis erga se, ideóque in illa quasi possessione defendi debet, vel si eâ spoliatus sit, ante omnia, restitui, *Laym. in cit. c. Querelam*; *n. 6.* §. *Ostendi autem.* Et quamvis absolutè loquendo, persona libera non possit possideri, quatenus scilicet libera est: potest tamen persona libera obligari, ad aliquid dandum, vel faciendum, singulis annis, vel quoties justa causa id exigit, ut sic enim libera non est: & per consequens alteri parti, videlicet creditori acquiri potest, quasi possessio exigendi hoc jus, quo si privetur, interdictum possessorium, saltem utile, ei competit. Sic etiam non tantùm liberti: sed etiam liberæ personæ obligari possunt, ad operas obsequiales præstandas suis Principibus, aut Dominis, quæ si denegentur, conceditur ijs interdictum recuperandæ possessionis, *Laym. c. l. in fine.* Et universim in rebus incorporalibus, sive iuribus, spoliationem, & consequenter etiam interdictum recuperandæ possessionis locum habere posse, docet *Innocent. in cit. c. Querelam*; *n. 4. de Elect.*

§. II.

Virùm Monasteriis, vel aliis Ecclesiis novus census imponi possit, &, an etiam à Patronis, Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis?

VII. Assertio 1. Non potest ab Episcopo novus census imponi Monasteriis, neq; etiam alijs Ecclesiis sæcularibus imponi possunt novi census, nec veteres » augeri. Prior pars constat *ex c. Scientes*; 3. *h. t.* Nam » quidam Abbas conquestus est Papæ Gregorio, quòd » Presbyter (id est, Episcopus, *Gl. hìc V. Presbyter*) Massæ, novo Monasterio consuetudines (vel census, seu » pensiones, *Hostiens. hic*) velit imponere. Unde » Papa mandat cuidam Cantori, ut si ab initio (scilicet tempore fundationis, ex justa causa, & cum » auctoritate Episcopi, *Gl. hìc V. Ab initio, & Ioan. Andr. num. 2.*) non fuerint impositæ, de cætero » non permittat, de novo imponi. Ratio est, quia impositio censûs, cùm sit onus quoddam, spectat ad legem Diœcesanam, à qua omnia Monasteria sunt exempta, adeóque etiam ab omnibus hujusmodi oneribus, & præstationibus, *cap. 1. q. 1. c. Inter cætera*; *6. q. 23. caus. 10. Abb. in cit. c. Scientes, num. 3. h. t. Gl. in cap. Dilectus*; 18. *V. De lege jurisdictionis de Offic. Iud. Ordin.*

VIII. Altera pars patet *ex cap. Prohibemus*; *7. h. t.* quod est desumptum *ex Concilio Lateranensi* » *sub Alexandro III., cap. 7.* Ubi prohibetur, ne ab » Abbatibus, Episcopis, vel alijs Prælatis (Papâ inferioribus) novi (id est, qui ab initio impositi non » fuerunt) census Ecclesiis imponantur, nec veteres » augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare præsumant: sed libertatem, quam sibi » majores, seu superiores conservare desiderant, » etiam ipsi minoribus suis, sive inferioribus conservent. Si quid autem contra prædicta factum fuerit, irritum habeatur. Nam ut ait, *Gl. hìc in notatis*, » quod tibi non vis fieri (scilicet gravari censibus) alteri non facias, etsi inferiori.

IX. Notandum primò. Quando prohibentur imponi census novi, id intelligi debet, de censibus realibus, & perpetuis, & sine justa causa impositis: non autem de personalibus, & temporalibus, qui durant tantùm ad vitam Rectoris Ecclesiæ, vel tempus brevius, *Joan. Andr. in cit. c. Prohibemus*; *n. 1. V. Imponatur, Abb. in c. Cum venisset*; *9. n. 9. de restit. spol.* Ratio differentiæ est, quia priore casu, Ecclesia perpetuò oneratur, & fit censualis, quod prohibetur in dicto Concil. Lateran. in posteriore verò non Ecclesia, sed ipsa solùm persona Rectoris obligatur, quod non est prohibitum, in cit. Concil. *Barb. in dicto cap. Prohibemus*; *num. 3.*

Notandum secundò. Rector, vel alius Beneficiatus non potest super rebus suæ Ecclesiæ, vel Beneficij, non solùm ijs, quæ sunt ad cultum, & Ministerium Divinum dicatæ: sed etiam in bonis temporalibus, & immobilibus, ut sunt domus, vineæ, prædia, & alia hujusmodi, imponere, & constituere censum perpetuum, sine debitis solennitatibus, nempe ex legitima causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, & interveniente auctoritate Episcopi, cum consensu Capituli Cathedralis, *arg. c. Tua*; 8. *& c. seq. de his, quæ fiunt à Præl. & c. Abb. in c. Significavit*; 23. *num. 2. h. t.* Ubi addit, si Ecclesia, cui census imponitur, sit Collegiata, requiritur etiam consensus ejusdem, nisi Ecclesia inferior nolit consentire, tunc enim Episcopus nihilominus, ex causa urgente, potest imponere.

X. Porro quòd ad imponendum censum de novo Ecclesiis, requiratur etiam auctoritas Episcopi, habetur etiam statutum *in cap. Præterea*; 8. *h. t.* Nam quidam Rectores Ecclesiarum, collusione quadam » factâ cum Religiosis, qui habebant in illis Ecclesiis jus patronatûs (ut notat *Gl. ibid. in casu*) solverunt eisdem Ecclesiis annuam pensionem, & illi » eam receperunt, Episcopo ignorante: quæritur, » an Rectoribus illis defunctis, Successores pensionem illam solvere teneantur? Respondet Papa Alexander III. quòd Monachi illi non sunt audiendi, » volentes recipere pensionem illam, si Episcopi, » vel ejus Officialis, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & assensum super hoc interveniisse non » constiterit; non enim simplices Sacerdotes, vel » Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, auctoritate suâ, facere censuales, præsertim (id est, *maximè* (quamvis alij explicent *tantùm*, nempe quòd » tantùm in vita sua possint se obligare, ad censum » solvendum) post ipsorum decessum, sive mortem. »

XI. Hinc patet primò, quòd sine consensu Episcopi, vel alterius similis Prælati, pensiones censuales de novo non possint imponi Ecclesiis, nec veteres augeri, *Gl. in cit. c. Præterea*; *in not. junct. Gl. fin.* Ratio est, quia impositio censûs est quædam alienatio juris Ecclesiæ, & servitutis cujusdam in ea constitutio, ideóque sine consensu Superioris, & rationabili causa, fieri non potest; ex quo sequitur à contrario sensu, quòd cum consensu Episcopi, & ex causa legitima,

possit census de novo imponi, *Abb. in cit. c. Præterea; n. 2. & 3.* Patet secundò, quòd Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiatus non possit Ecclesiæ, vel Beneficio suo imponere censum, ultra vitam suam, ita tamen, ut ipse solùm obligatus sit personaliter, ad solvendum censum: non autem Ecclesia, & per consequens neque Successores illius in Beneficio, *Gl. in cit. cap. Præterea; in notat. Abbas ibid. nu. 4.* Verùm novo Jure, Clericus Beneficiatus neque censum super fructibus Beneficij sui, duraturum ad vitam ipsius, imponere potest, saltem ubi recepta est Constitutio Pauli II. *in Extravag. unic. de reb. Eccles. non alien.* Ubi prohibentur locationes, & obligationes bonorum Ecclesiasticorum, ultra triennium, *Barb. in cit. cap. Prohibemus; n. 5. h. t.*

XII. Notandum tertiò. Census antiquus Ecclesiis, sive bonis illarum impositus non debet augeri, *cit. c. Prohibemus*; ibi: *Nec veteres augeantur:* Nam vel solvitur Superiori in signum subjectionis, & tunc non debet augeri; quia sive multum, sive parum solvatur, æquè per ejus præstationem recognoscitur subjectio. Vel solvitur privato, & tunc non est propriè census, de quo hîc est sermo, nec debet augeri, auctis bonis; quia in contractu censuali plenum dominium rei transit in accipientem, adeóque augentur facultates illius, qui debet censum, non ejus, cui debetur, ac proinde meritò non debet augeri census. Aliud est in pensione, quam quis solvit ratione fructuum, quos percipit ex re, seu fundo alieno, ut conductor, sive colonus, is enim auctis fructibus, etiam augere debet pensionem, sicut, si patiatur magnum damnum fructuum, diminuitur pensio, *Abb. in cit. c. Prohibemus*; *n. 3. h. t.*

XIII. Cæterùm prædicta Constitutio Concilij Lateranensis, *in cit. c. Prohibemus*; *h. t.* extenditur, quòd etiam Episcopus Ecclesiæ, de manu, seu potestate Laici per ipsum liberatæ, non possit ideo novum censum imponere, prout decernitur *in c. Ecclesiis*; *9. h. t.* Nam quandoque Laici obtinent Ecclesias, quas Episcopi liberant ex manibus eorum: quæritum ergo fuit, utrùm plus juris habere debeant in istis Ecclesiis, quàm in alijs? Respondet Papa Alexander III. quòd nullam exactionem, sive censum Episcopi illis Ecclesiis imponere possint ex eo, quòd illas de potestate Laicorum eripuerint, præter Cathedraticum, & alia jura Episcopalia, quæ alijs Ecclesiis imponuntur, sive ab ijs exiguntur. Ratio dubitandi fuit, quia sicut Episcopus, tempore fundationis, vel acceptæ libertatis ab oneribus Episcopalibus, potest certum censum constituere, & imponere Ecclesiis, juxta *c. Constitutus*; *6. de Relig. dom. & c. Præterea*; *23. de jure patron.* ita etiam videbatur, quòd si Episcopus liberet Ecclesiam ex potestate Laici, in compensationem hujus beneficij, possit imponere novum censum, cùm eam quasi de novo ad libertatem reduxerit è servitute Laici. Sed contrarium deciditur *in cit. c. Ecclesiis*; quia Episcopus ad hoc tenebatur ex officio suo, in eo autem, quòd quis necessariò facit, sive ex obligatione, non censetur liberalitatem exercere, *l. Rem*; *18. in fine, ff. de adim. legat.* ideóque neque præmium, vel remunetatio ei debetur, *Gl. hîc in princ. & Abb. ibid. n. 1.* Tripliciter autem potest intelligi, quomodo Ecclesiæ ab Episcopis ex manibus Laicorum sint liberatæ, ut notat *Abb. hîc n. 2.* vel quia fructus illarum Laici de facto percepe-
» runt: vel quia, ad petitionem Episcoporum, cesserunt
» juri patronatûs, ut liberæ collationis fierent: vel quia
» censum in fundatione reservatum remiserunt.

XIV. Assertio 2. Clerici, qui per collusionem
» constituunt Ecclesiam censualem, sive novum cen-
» sum ei imponunt, ab illa amoveri debent, prout sumi-
» tur *ex cap. Cùm Clerici*; *11. h. t.* Nam quia quidam
» Clerici, collusione factâ cum Religiosis, Ecclesias,
» quas obtinent, citra auctoritatem Episcopi Diœce-
» sani, eas constituunt censuales, sive censum ab ipsis
» solvendum imponunt, eo pacto (quamvis etiam si-
» ne pacto id facere non possent, *Jo. Andr. hîc n. 1.*) ut
» post mortem eorum, eædem Ecclesiæ, ad præsenta-
» tionem eorundem Religiosorum, ad filios, & ne-
» potes ipsorum Clericorum possint transferri: ideo
» præcipit Papa, ut qui inventi fuerint, talia facere, ab
» ijsdem Ecclesiis, appellatione remotâ, removean-
» tur. Est autem collusio occulta, & dolosa pactio,
» inter actorem, & reum, per quam alter in judicio su-
» perari, se finit *Gl. hîc V. Collusione*, quamvis etiam extra judicium talis collusio fieri possit, *Abb. hîc. n. 1.*

XV. Hinc colligitur primò, pœna illorum, qui Ecclesiam censualem constituunt, sine auctoritate Episcopi, est, ut illâ debeant privari, si id fecerint per collusionem, quæ tamen non præsumitur, si interveniat auctoritas Episcopi, qui si ex justa causa, & ex officio suo id faciat, purgatur omne vitium collusionis; quia Episcopus potest, ex justa causa, Ecclesiam facere censualem, *Joan. Andr. hîc nu. 2. Abb. num. 2.*

Colligitur secundò, quòd tales Clerici, de rigore juris, etiam possunt, ac debent deponi ab Officio, & Beneficio, ob commissam Simoniam; solvebant enim censum, ut filij, vel nepotes eorum consequantur Ecclesias, adeóque dabant temporale pro spirituali obtinendo, *c. Cùm Clerici*; *6. junct. Gl. fin. de pactis:* Quin etiam tales Religiosi privandi sunt jure præsentandi, quo sunt abusi, *Joan. Andr. hîc, & Abb. num. 1.*

XVI. Assertio 3. Si quis juravit, se censum novum Ecclesiæ impositum soluturum, is, qui recepit juramentum, cogi potest, ad illud juranti remittendum, ut decernitur *in c. Significavit*; *13. h. t.* Nam
» cùm Monachi quidam Clericum aliquem ad Regi-
» men cujusdam Ecclesiæ elegissent (id est, præsen-
» tâssent, *Joan. Andr. hîc n. 1.*) ipsum juramenti vin-
» culo obstrinxerunt, de solvendo eisdem annuum
» censum trium marcharum, quas Antecessor ejus
» solverat: sed postea Episcopus Diœcesanus, in pe-
» riculum Ordinis sui (id est, sub obedientia) Cle-
» rico illi interdixit, ne censum illum eis solveret:
» nisi priùs constiterit, quòd Episcopali auctoritate
» fuerit impositus. Re delatâ ad Papam Lucium III.
» is mandavit cuidam à se Delegato, ut si constiterit,
» prædictum censum, auctoritate Episcopi, & non
» de novo fuisse impositum, præcipiat Episcopo, ut
» prohibitionem suam, sine dilatione, relaxet: Si
» verò census ille de novo sit impositus: sive cùm au-
» ctoritate Episcopi, sive sine illa: Monachos illos
» compellat, ut dictum Clericum, appellatione re-
» motâ, à juramento absolvant. Ex quo patet, quòd,
» etiam auctoritate Episcopi, novus census Ecclesiis imponi non possit, quod intelligi debet, sine ratio-
nabili, & justa causa, juxta *c. Prohibemus*; *7. h. t. Glos. fin. hîc*

fin. hîc. Ratio decisionis est, quia impositio censûs est quædam alienatio jurium Ecclesiæ, & servitus, per quam illa gravatur: res autem, & jura Ecclesiæ, sine justa causa, & requisitis solennitatibus, alienari non possunt, neque etiam juramentum præstitum, de solvendo annuo censu, ab Ecclesia servandum est, cùm cedat in præjudicium Ecclesiæ, *Viviam. in Ration. Juris Pontif. hîc.*

XVII. Sed jam ulteriùs hîc quæritur, quomodo in casu *cit. cap. Significavit*; Monachi potuerunt ab Episcopo privari, lite pendente, possessione censûs, in qua fuerunt; quia Prædecessor moderni Rectoris illum solverat? *Abb. hîc num. 3. & 4.* triplicem adfert responsionem. Prima est, quòd per solutionem censûs à Rectore factam, potuerit possessio transferri in Monachos, eò quòd sine consensu Episcopi, facta sit, sine cujus auctoritate census imponi non potest. Secunda, quæ est etiam *Innocentij hîc num.* 1. Licèt Monachis acquisita fuerit possessio censûs; quia tamen ea clam, sive ignorante Episcopo, acquisita fuit, ideo potuit Episcopus, postquam id scivit, solutionem censûs Rectori interdicere. Tertia, hæc possessio erat contra jus, ideo Monachi spoliati illâ possessione, non poterant petere restitutionem, nisi probarent, quòd ex probabili titulo, seu causa illam possessionem acquisiverint, juxta *cap. 2. de restit. spol. in 6.* Hinc infertur, quòd quando Clerici solvunt census, vel alia onera contra jus, tunc non obstante illâ possessione facti, Episcopus possit illis interdicere, ne illa onera deinceps solvant, *Abb. c. l. num.* 4.

XVIII. Cæterùm jus percipiendi censum potest etiam acquiri præscriptione? sed quia talis præscriptio est contra jus, eique jus resistit, ideo requiritur, ut præscribens, præter 40. annorum possessionem, in censu Ecclesiastico, habeat titulum, & bonam fidem, vel quòd tanto tempore possederit, cujus initij memoria non extat, *Abb. in cit. c. Significavit; num. 5. h. t.* Quòd si census ab initio sit impositus, sive ab antiquo: sed postea legitimâ præscriptione sit sublatus, non potest Episcopus de novo illum imponere, nisi ex justa causa. Quamvis autem non possit præscribi census, qui solvitur Principi, in recognitionem supremi dominij, sicut nec ipsa subjectio, *l. Comperit; 6. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Potest tamen præscribi census debitus inferiori, v. g. Ecclesiæ, vel Pattono, *Abb. c. l. n. 6.*

XIX. Assertio 4. Sed neque Patroni, sive Laici: sive etiam Ecclesiastici, seu Clerici, novum censum Ecclesiis, seu Beneficiis patronatis imponere possunt, nec veterem augere, ut constat *ex cap.* » *Gravis; 15. h. t.* Ubi refertur, quòd quidam Ec- » clesiastici, seu Religiosi, habentes jus præsentan- » di in Ecclesiis, nolunt ad eas vacantes aliquos » præsentare, nisi aut novum censum Ecclesiis il- » lis imponant: aut veterem augeant, contra Con- » stitutionem Concilij Lateranensis (*in cap. Prohi-* » *bemus; 7. h. t.*) & ad solutionem illius Presby- » teros instituendos juratoriâ, aut fidejussoriâ cau- » tione compellunt. Quare Clemens III. Papa » mandat quibusdam, ut si constiterit, contra Con- » stitutionem ejusdem Concilij, super Ecclesiis, » vel earum censu, quippiam à tempore dictæ Con- » stitutionis, fuisse attentatum, in irritum revo- » cent, (nam Constitutiones ad futura tantùm ex- » tenduntur: non ad præterita, nisi exprimatur, *Glos. hîc V. à tempore Constitutionis*) & Presbyteros, » qui super his juramenta illicita præstiterunt, con- » gruâ satisfactione impositâ, curent absolvi (id » est, absolutos declarari, *Gl. hîc V. Absolvi*). Et qui » contra formam Canonum de cætero super his ve- » nire præsumpserit (propriâ auctoritate, sine con- » sensu Episcopi, & justâ causâ, constituendo Ec- » clesias censuales) canonicè puniantur. »

XX. Ubi notandum primò. Quòd post fundationem, etiam ad petitionem Patroni, non possit novus census imponi Ecclesiis, ut colligitur *ex hoc c. Abb. hîc num. 2. & dictum Tit. præced. num. 43.* Quænam autem conditiones in prima fundatione Ecclesiæ, vel Beneficij apponi possint, tradit *Barb. in hoc cap. num. 3. & 4.*

Notandum secundò. Juramentum, quo quis promittit, se soluturum censum de novo impositum, vel veterem aucturum, non valet; quia juramentum, præstitum in præjudicium juris Ecclesiæ, Rectorem ejusdem obligare non potest, cùm potiùs perjurium, quàm juramentum censeri debeat, *Gl. hîc V. Juratoria, & Abb. num.* 3. Ubi addit, quòd talis absolvitur à peccato, quia temerè juravit. Neque etiam fidejussio tenet; cùm sit accessoria ei, quod non tenet: sed prohibitum est, videlicet constitutio novi censûs, vel veteris augmentum, *Glos. hîc V. Fidejussoria.*

Notandum tertiò. Pœna eorum, qui contra hanc Constitutionem novos census imponunt, vel veteres augent, est, ut Ecclesiis priventur, sive ab ijs amoveantur, si post prohibitionem scienter hoc fecerint, *Gl. fin. hîc*: vel pœna erit arbitraria, cùm certa in jure, hoc casu, non sit expressa, ut tradit *Hostiens. hîc.* Nec obstat *cap. Quia Clerici; 11. h. t.* Ubi infligitur pœna privationis, nam ibi per collusionem fuit census impositus, & intervenit etiam Simonia: hîc non. Quòd si quis promitteret novi censûs solutionem, ut præsentaretur ad Beneficium, pactum Simoniacum foret, & privaretur Ecclesiâ, vel Beneficio, *Abb. hîc n. 4.*

§. III.

In qua moneta solvendi sunt census, seu pensiones, & alia debita pecuniaria?

XXI. Pro solutione hujus difficilis, & intricatæ quæstionis, quæ plurimas, & gravissimas lites, ante annos circiter 50. in multis Tribunalibus per Germaniam excitavit: notandum est, quòd dupliciter potest mutari moneta: vel intrinsecè, quoad bonitatem, seu valorem intrinsecum, quia nimirum mutatur materia, aut pondus ipsius pecuniæ, dum deterior materia admiscetur, v. g. argento plumbum, aut cuprum, vel de justo pondere detrahitur. Vel solùm mutatur extrinsecè, quoad valorem, seu æstimationem extrinsecam impositam à Lege publica Principis, vel alterius Magistratûs jus cudendi monetam

netam habentis, ita, ut pluris, vel minoris fiat, sive æstimetur, manente eodem pondere, & materiæ bonitate.

XXII. Assertio 1. Si mutetur bonitas, aut valor monetæ intrinsecè, videlicet in materia, aut pondere, solutio censûs, vel alterius debiti pecuniarij fieri debet in moneta antiqua, quæ currebat tempore impositi, sive constituti censûs, vel debiti contracti, si adhuc extet: alioquin in nova, seu præsenti, quæ nunc currit, secundùm æstimationem tamen monetæ antiquæ, sive in ea quantitate, quæ illi æquivaleat, ut docet *Bartol. in l. Paulus* 39. *n.* 6. *ff. de solution. Abb. in c. Quanto*; 18. *n.* 12. *de jurejur. & in c. Olim*; 20. *h. t. num.* 4. *Gabriel in conclus. commun. lib.* 3. *de solut. concl.* 1. *nu.* 1. *Fachin. Lib.* 2. *Controv. cap.* 10. §. *Restat postrema quæstio*, *Laym. Lib.* 3. *Theol. mor. tract.* 3. *p.* 1. *cap.* 5. *num.* 19. *Fagnan. in cit. cap. Olim*; *num.* 4. *& alij Dd. communiter.* Idque sumitur *ex cit. cap. Olim*; 20. *h. t.* Nam cùm inter » Episcopum Toletanum, & Clericos plebis Rupi- » næ controversia super Synodatico versaretur, cau- » sa illa commissa fuit Episcopo Tudertino, & Col- » legis ipsius: coram quibus, ex parte Episcopi, pro- » positum fuit, quòd ijdem Clerici Antecessoribus » ipsius Episcopi tres denarios Papienses, in Festo » Nativitatis, & tres in Festo Resurrectionis Do- » mini, pro Synodatico solvere consueverint: nunc » verò tantùm tres Lucēses denarios, pro sex denarijs » Papiensibus solvunt, cùm tamen unus denarius Pa- » piensis valeat sex Lucenses; ideóque petebat Epi- » scopus, eos compelli, ad solutionem Papiensium, » quia etsi primo anno Lucenses denarios accepe- » rit, semper tamen postea protestatus est, salvo » jure suo, ut per hoc non fieret ei præjudicium, » quoad denarios Papienses. Ex adverso verò pro- » positum fuit, quòd etsi aliquando denarij Papi- » enses pro Synodatico fuerint persoluti, jam per » 45. annos, & ampliùs, tam huic Episcopo, quàm » Præcessoribus ejus Lucenses denarij soluti fuerint, » & sic nitebantur Clerici præscriptione se tueri: » (prout habetur in integra lectione hujus cap.) » Causâ remissâ ad Papam Innocentium III. Ipse » respondit: cùm constet, quòd denarij Papienses » olim pro Synodatico solvebantur, idque ex eo » probatur, quia Lucenses denarij postea soluti » sunt pro ijsdem: nam ex dictis testium, & con- » fessione Advocati alterius partis, scilicet Cleri- » corum, non revocatâ, evidenter apparet, quòd » tempore Lotharij Præcessoris hujus Episcopi, pro » Synodatico Papiensis moneta soluta fuerit, & à » tempore dicti Lotharij nonnisi tempus 36. anno- » rum, ut summùm effluxerit: & probatum etiam » sit, quòd tres Lucenses, qui pro uno Papiensi sol- » vebantur, post mortem ipsius Lotharij, quinque, » vel sex denarios valebant, quales hodie sunt in » usu. Insuper videns Papa, quòd propter mone- » tæ mutationem acciderit, ut usque ad tempus » moderni Episcopi, Lucenses dati fuerint pro Sy- » nodatico, sicut erant in usu; idcirco Papa Pro- » curatorem adversæ partis, nomine Clericorum » prædictæ plebis, ad solutionem denariorum Pa- » piensium, vel æstimationem eorum pro Synoda- tico, per definitivam sententiam condemnavit. » Ratio decisionis hujus cap. est, quia justitia com- mutativa exigit, ut in omni debito pecuniario, tan- tundem in eadem specie, genere, & qualitate, seu bonitate solvatur, sicut in obligationem deductum est. Si ergo nummi antiqui, qui tempore contra- ctûs in usu erant, intrinsecè mutati sunt in novos deteriores, non potest solutio fieri in novis, aut secundùm æstimationem eorum: sed veteres, quales promissi, vel novi secundùm æstimationem veterum, solvendi sunt: alioquî non tantundem, secundùm idem genus, speciem, vel qualitatem, & bonitatem redderetur, si debitor solveret novos numos deterio- res, secundùm æstimationem eorum. Sicut etiam vice versâ, si novi nummi meliores, ac ponderosiores sint, non cogitur debitor solvere novos: sed satis est, si veteres, quales promissi sunt, vel novos, se- cundùm veterem æstimationem solvat, *Laym. cit. c.* 5. *num.* 19. Idque clarè patet ex *cit. c. Olim*; nam obligatio contracta fuit pro Synodatico solvendi de- narios Papienses, qui etiam ab Episcopo petiti fue- runt, ut constat ex textu, ideóque Papa condem- navit Clericos, ad solvendum Papienses, vel si non extent, ad æstimationem eorum: licèt in libello ex- actionis æstimatio eorum petita non fuerit, de qua in petitione Episcopi nulla facta est mentio, *Abb. in cit. c. Olim*; *num.* 5. *h. t.*

XXIII. Extenditur autem tradita doctrina in *cit. c. Olim*; primò, ut procedat, si moneta mutata sit, quo- ad intrinsecam bonitatem, sive nova moneta intrin- secè immutata sit, quoad bonitatem materiæ, & deterior cusa sit, quàm fuerat antiqua, ut in casu *cit. c. Olim*; sive nova sit intrinsecè aucta, & melior facta, ut in casu *cap. Cum Canonicis*; 26. *h. t.* Nam u- troque casu debet solutio fieri, secundùm veterem mo netam, vel si ea non extet, secundùm ejusdem æsti- mationem, & valorem intrinsecum, quem habuit tempore contractûs, nullâ habitâ ratione augmenti, vel diminutionis novæ monetæ, ut docet *Gl. in cit. Cum Canonicis in notat*, ubi ait, quod census, seu pen- sio solvenda sit, secundùm quod ab initio fuit consti- tuta, sive moneta nova fuerit diminuta, ac deterior facta: sive augmentata, & melior facta, quàm an- tiqua; semper enim initium spectatur, & solutio facienda est, secundùm æstimationem antiquæ mo- netæ, *Gabr. cit concl.* 1. *nu.* 18. *Fagn. in cit. c. Olim*; *n.* 6. Idque sumitur ex *cit. c.* 26. *& pen. h. t.* Ubi habetur, quòd Rector cujusdam Ecclesiæ certam summam » pecuniæ, sive pensionem annuam Canonicis ma- » joris, sive Cathedralis Ecclesiæ, aliquot annis sol- » vit, secundùm monetam antiquam: postea alia » moneta major, sive melior cusa fuit: Canonici » exigebant sibi solvi pensionem illam in moneta » meliore ex integro. Consultus Papa Gregorius IX. » mandat quibusdam, ut Canonicos illos solutione » prioris pecuniæ (in qua pensio ab initio fuit con- » stituta, & non in nova, quæ major est, & me- » lior, *Gl. hîc V. Solutione*) vel si antiqua non sit in » usu, æstimatione pensionis antiquæ jubeant esse » contentos: nam ut ait *Gl. jam cit.* Si moneta immi- nuta, sive intrinsecè deterior facta fuisset, nollent illam recipere, ergo nec auctam, seu meliorem fa- ctam exigere debent.

XXIV.

XXIV. Veruntamen nonnulli intelligunt hoc cap. quando vetus moneta, sive veteres nummi, non tantùm quoad intrinsecam bonitatem: sed etiam, quoad extrinsecum valorem Lege publicâ taxatum, sunt mutati, & aucti, prout videre est apud *Covarr. de Collat. veter. numism. cap. 7. §. unic. num. 2, in fin. concl. 3.* tunc enim sunt omnino distincti nummi novi à veteribus, ideóque solvendi sunt veteres nummi, aut novi, secundùm veterum æstimationem. Sed hoc bene refellit *Fachin. cit. c. 10.* nam sive in casu *cit. c. pen. h. t.* vetus moneta reprobata fuerit, sive non: sed mansit in sua veteri æstimatione: ex eo non sequitur, novam monetam, non solùm quoad intrinsecam bonitatem: sed etiam quoad extrinsecum valorem, auctam, & meliorem factam fuisse: sed cùm esset quoad intrinsecam bonitatem melior, non esse solvendam loco veteris, ac proinde videndum, quanti antiqua valuerit, & ejus æstimationem præstandam esse: alioquin si Canonici illi meliorem monetam exegissent, non solùm quoad bonitatem materiæ intrinsecam: sed etiam quoad valorem exrrinsecum, & majorem æstimationem, seu pretium impositum, nimis injusta fuisset eorum exactio; quia non solùm in meliore moneta sibi solvi, sed etiam si valor extrinsecus, seu æstimatio aucta fuisset, ultra summam sibi debitam, sive plus debito exegissent, quod non est præsumendum, & Pontifex eos coarguisset, *Fach. c. l.* apud quem plura de hoc legi possunt.

XXV. Extenditur secundò. Solutio censûs fieri debet, secundùm antiquam monetam, tametsi creditor pluribus vicibus receperit solutionem in alia nova moneta, etiam sine omni protestatione: nihilominus enim sibi non præjudicat, quoad antiquam monetam, *Innocent. in cit. c. Olim; V. Protestatus, & Hostiens. Fagn. ibid. num. 7. & 8.* & patet ex dicto c. *Olim*; in quo Episcopus acceperat denarios Lucenses, plus, quàm 30. annis, & tamen sibi non præjudicavit, quoad Papienses, quia præscriptio non erat completa.

Extenditur tertiò. Etiam legatum relictum in testamento, si v. gr. 1000. ducati sint legati, si postea superstite adhuc Testatore, mutatio pecuniæ facta sit, quoad intrinsecam bonitatem, solvendum est secundùm quantitatem, vel æstimationem monetæ, quæ erat tempore conditi Testamenti, *Abbas in cit. c. Olim; num. 4. Fagnan. ibid. num. 9. & 10.* Idémque dicendum per quemcúnque contractum, aliamvè dispositionem, vel etiam per condemnationem judicis, debitum fuerit contractum, si mutatio monetæ, quoad intrinsecam bonitatem, facta sit, semper solutio fieri debet in moneta, quæ fuit tempore debiti contracti: vel si ea non extet, in moneta, quæ modò currit, secundùm æstimationem tamen monetæ antiquæ, *Abb. c. l. num. 4. Fagn. ibid. nu. 13.*

XXVI. Limitatur autem supra posita assertio, ut non procedat, si per tempus sufficiens, ad legitimam præscriptionem, semper solutio facta sit, non in moneta veteri: sed nova, & currente tempore solutionis, & secundùm ejusdem valorem, & æstimationem, ut patet ex *cit. c. Olim ibi: nonnisi 36. annorum ad plus tempus effluxerit*: ergo à contrario sensu infertur, si Lucenses denarij per 40. annos soluti fuissent pro Papiensibus, præscriptum fuisset in solutione Papiensium, adeóque protestatio Episcopi non valuisset, *Gl. ibid. V. Nonnisi; 36. Innoc. in fine, & Joan. Andr. ibid. & Abbas num. 6. Gabriel. c. l. concl. 1. num. 25.* Quamvis *Hostiens. ibid. V. Et à tempore*, dicat, hoc casu, non currere præscriptionem, propter malam fidem. Idque verum est, si in casu dicti *c. Olim*; Clerici solvebant denarios Lucenses scienter, loco Papiensium; tunc enim nunquam præscribere poterant, cùm haberent malam fidem: secus si solverant eos tantùm pro Lucensibus, quia putabant se ad alios solvendos non teneri: & tunc potuerunt præscribere, quia bonam fidem habebant, quomodo intelligi potest opinio Hostiens. & aliorum Dd. qui illam sequuntur, *Gabriel. c. l. num. 28. Fagnan. c. l. num. 18.* Porro quod dictum est de præscriptione 40. annorum, id habet locum in præscriptione contra Ecclesiam, ut in casu *cit. c. Olim*; at contra privatum sufficit præscriptio minoris temporis, scilicet 30. annorum, si per tot annos semper facta fuit solutio in nova moneta, secundùm valorem, & æstimationem ejusdem currentis tempore solutionis, *Gabriel. c. l. num. 25. Fagn. c. l. n. 21.*

XXVII. Assertio 2. Si moneta, seu pecunia, manens eadem, intrinsecâ bonitate materiæ, ac pondere, solùm extrinsecè mutetur, & vel augeatur, quoad impositum valorem, seu æstimationem: vel minuatur: tum non consentiunt inter se Dd. quomodo solutio fieri debeat. Prima sententia, & quidem communior Dd. est, quòd hoc casu solutio fieri debet, secundùm valorem, seu æstimationem monetæ, quam habet tempore solutionis: non contracti debiti, adeóque talis mutatio monetæ fiat, commodo, vel incommodo creditoris, ita, ut si tempore solutionis auctus sit valor extrinsecus monetæ, augmentum illud lucro creditoris cedat; sicut & diminutio ipsius damno. V. gr. centum taleros imperiales quis mutuò dedit alteri, cùm valeret tunc talerus 18. baccos, hoc pacto adjecto, ut tantundem in proba moneta, sive eâdem, sive aliâ æquivalente restituatur) sed postea manente eadem bonitate intrinsecâ, singuli taleri valeant sesquiflorenum: hoc augmentum cedit creditori, ita ut tempore solutionis ipsi debeant restitui 150. floreni, licèt tempore contracti mutui, centum taleri tantùm valerent 120. florenos. Sicut vice versâ, si taleri, tempore dati mutui, valebant sesquiflorenum, & postea devenerunt ad florenum, & 20. cruciferos, sufficiet, si debitor solvat pro centum taleris acceptis, 120. florenos. Ità docet *Bartol. in cit. l. Paulus numer. 6. ff. de solution. Covarruv. in collat. veter. numism. cap. 7. §. unic. concluf. 4. num. 3. Gabriel. cit. lib. 3. de solution. concluf. 2. numer. 1. Gail. lib. 2. observation. 73. numer. 9. Fachin. lib. 2. cap. 9. in quæst. 1. Fagnan. in cit. c. Olim; numer. 22. & 23.* & alij, qui tamen id limitant: modò nulla debitoris mora intervenerit in solvendo, alioquin damnum ex diminutione pecuniæ proveniens, ad eum pertinebit.

Fundamentum præcipuum hujus sententiæ est; quia hoc casu bonitas intrinseca monetæ non mutatur: sed tantùm æstimatio, seu valor extrinsecus: in hoc autem inspiciendum est tempus solutionis, *l. Cùm quid* 3. *junct. Gl. fin. l. Vinum* 22. *ff. de reb. credit.* Ubi dicitur, quòd vinum mutuò acceptum restituendum sit, secundùm eandem æstimationem, non quæ tempore contractûs erat (nisi debitor fuerit in mora) sed quæ tempore redditionis, seu solutionis. Ergo etiam debitor pecuniæ, qui v. gr. in taleris, vel ducatis mutuum accepit, nulla eorum in specie factâ designatione: vel factâ quidem, sed numero incerto, non tenetur, ad eam æstimationem extrinsecam solvendam, quæ tempore contractûs major fuit, neque liberatur, solvendo valorem, seu æstimationem, quæ fuit tempore contractûs, si postea creverit valor talerorum, vel ducatorum extrinsecus. Limitant autem traditam doctrinam, si expressè conventum sit, ut pecunia reddatur, v. gr. tot floreni, vel tot ducati in eadem æstimatione, quâ dati sunt: tum enim æstimatio, non quæ est tempore solutionis: sed quæ fuit tempore promissionis, seu contractûs, attendi debet.

XXVIII. Verùm contraria sententia est probabilior, nempe quòd in mutuo, aliisque contractibus, ac debitis pecuniariis, quando expressè conventum non fuit, ut certa species monetæ, sive talis materiæ, ac formæ certo numero corporum solveretur, solutio fieri debeat, secundùm valorem, seu quantitatem, quæ tempore contractûs data, & accepta fuit à debitore, ita tamen, ut sive valor extrinsecus pecuniæ postea crescat: sive decrescat, ea mutatio fiat commodo, vel incommodo debitoris, adeóque is tantò pauciores nummos solvere cogatur, quantò magis eorum valor extrinsecus est auctus, vel tantò plures, quantò magis eorum valor est diminutus, *Covarr. cit. §. unic. num. 3. in fine, Molin. tract. 2. de justit. dis. 312. conclus. 1. num. 2. & 3. Silvest. V. Solutio, q. 2. dicto 1. Mynsing. cent. 4. obs. 1. Laym. cit. cap. 5. num. 15. & alij apud ipsum.* Ubi ait, hanc sententiam praxi, & consuetudine Imperij esse receptam; nam pro debitis etiam antiquissimis hodie taleri, & ducati, secundùm æstimationem, seu valorem pro tempore currentem solvuntur. V. gr. si quis mutuò det centum ducatos, valentes eo tempore 200. florenos argenteos Rhenenses, ex pacto, ut tantundem in proba moneta reddatur, non quidem in specie: sed in eadem mensura, seu quantitate, vel ut in auro quidem solvatur: non tamen designato certo numero corporum, sive ut reddantur centum in specie ducati: sed solùm æstimatio illorum solvatur: hoc casu, si valor extrinsecus ducatorum decrescat, id oberit debitori, ita, ut debeat plures ducatos numerare, quàm acceperit, nempe tot, quot nunc secundùm præsentem valorem faciunt 200. florenos. Si verò valor extrinsecus ducatorum auctus est, ita, ut unus ducatus valeat duos florenos, cum dimidio, qui antea duos tantùm florenos valebat, id proderit debitori; quia pauciores numerabit, & solvet, scilicet tot solùm, quot secundùm præsentem æstimationem auctam facient 200. florenos. Idque non necessariò in specie (nisi conventum sit, ut in auro fiat solutio) sed in alia proba moneta. Unde cùm dicitur in hac specie facti, tempus solutionis esse spectandum, id ita intelligendum est, quòd solutio fieri debeat, secundùm valorem intrinsecum monetæ, seu pecuniæ, quem habet tempore solutionis, licèt ea tantùm quantitas, quæ tempore contractûs credita fuit, solvenda sit, v. g. 200. floreni argentei, quibus centum ducati tum æstimati fuerunt, ut *ex Aston: Fabro* docet *Laym. c. l.*

Ratio hujus sententiæ est, quia pecunia, si aliud non sit expressum, in mutuo, vel quovis alio contractu, aut debito pecuniario, considerari debet, secundùm valorem, quem tempore contractûs habebat, ita, ut tanta quantitas sit reddenda, quanta data fuit; sive postea pecunia illa, quoad valorem extrinsecum, augeatur, sive decrescat: utrumque enim æquè cedere potest in damnum, vel commodum, tam debitoris; quàm creditoris, adeóque æqualis, ex natura rei, utriúsque partis est conditio. Tum quia verisimillimum est, contrahentes de valore, seu æstimatione imposititia pecuniæ, quæ certa fuit tempore contractûs, cogitâsse: non de incerto futuro valore, qui erit tempore solutionis, de quo vix cogitare poterant. Tum quia in omnibus contractibus, in quibus dominium transfertur, inspiciendus est valor, quem res habuit tempore traditionis, ut scilicet commodum, & incommodum semper ad dominum spectet, atque inter contrahentes æqualitas servetur. Tum denique, quia ideo Lege publicâ Magistratûs augetur, vel diminuitur æstimatio, seu valor extrinsecus pecuniarum, ut secundùm illum mercationes, & solutiones debitorum fiant: ergo si Lex determinans valorem, sive æstimationem est justa, ut supponitur, ea servari potest, ac debet: alioquin, si is qui debet, v. gr. unum ducatum, qui tempore contractûs æstimatus fuit duobus florenis argenteis; sed postea quoad valorem extrinsecum, & impositivum, auctus fuit ad tres florenos, integrum ducatum solvere deberet, vel locô illius, tres florenos, unoforeno plus solvere deberet, quàm promissum, sive in obligationem deductum fuerat, ut bene notavit *Laym. cit. c. 5. n. 15.*

XXIX. Ad fundamendum oppositæ sententiæ respondent Dd. citt. magnum esse discrimen inter vinum mutuò datum, & inter pecuniam numeratam; nam pecuniæ æstimatio plerumque certa est, & definita publica Lege Magistratûs, neque facilè mutatur; at verò pretium vini est incertum, & sæpius variatur. Deinde valor extrinsecus, seu æstimatio impositivia, est de substantia monetæ, seu pecuniæ, *l. 1. ff. de contr. empt.* vini æstimatio non est de substantia vini, non enim vinum ideo melius est, quia pluris æstimatur, ergo à vino non rectè sumitur argumentum ad monetam. Et sic patet responsio ad LL. supra allatas in oppositum.

XXX. Porro prædicti Dd. fortè conciliati posse, videntur, si dicatur, Auctores primæ sententiæ non voluisse negare, quin debita solvi possint, secundùm valorem extrinsecum, qui est tempore solutionis, si is stabili, & perpetuâ Lege, vel communi populi consensu, & approbatione, fuerit auctus: sed tum demum, si absque decreto, & constitutione legitimi Magistratûs, valor extrinsecus creverit, v. g. improbâ fœneratorum, & campsorum consuetudine.

ne. Vel si auctus sit valor extrinsecus pecuniæ, lege quidem publicâ: non tamen stabili, & perpetuò duraturâ: sed tantùm ad breve tempus, quamdiu v. g. bellica necessitas durat, tum enim antiqua debita nequaquam, secundùm augmentum valoris extrinseci, solvenda sunt; quia pecunia publicam, & perpetuam æstimationem habere debet, *l. 1. ff. de contrah. empt. Covarr. cit. §. un. n. 4. concl. 6. Laym. cit. c. 5. n. 15. in fine ex Rebello, & n. 16. limit. 1. & 2.*

XXXI. Assertio 3. Si valor extrinsecus pecuniæ multùm, & notabiliter augeatur, propter intrinsecam depravationem materiæ, tum antiqua debita solvenda sunt, non secundùm augmentum valoris extrinseci, quod pecuniæ habent tempore solutionis: sed secundùm intrinsecam bonitatem, & valorem veteris monetæ, ex receptissima sententia Dd. apud *Laym. cit. cap. 5. num. 16. limit. 3.* Si verò merè extrinsecus valor monetarum, quæ justo metallo, ac pondere cusæ sunt, modicè tantùm sit auctus: tum justè fit talis auctio, prout ducatorum, & thalerorum æstimatio, propter majorem opportunitatem, & commoditatem negotiandi, & transportandi, quam habent, comparatione minutiorum monetarum, quæ intrinsecè non sunt vitiatæ, justâ ratione, super valorem suum intrinsecum, secundùm se spectatum, augetur: modicè tamen; quia si monetæ habeant intrinsecam bonitatem materiæ, & justum pondus, non est ratio, cur earum valor extrinsecus multùm augeatur, vel minuatur, atque secundùm talem auctionem modicam valoris extrinseci, etiam antiqua debita solvi possunt, *Laym. cit. c. 5. n. 17.*

XXXII. Assertio 4. Si propter intrinsecam monetarum depravationem valde enormem (præsertim si talis mutatio pecuniæ non diu sit duratura, nec publicâ lege stabili statuta) ideóque extrinsecus valor bonarum monetarum augeatur, v. gr. thalerorum, vel ducatorum: tum antiqua debita, secundùm valorem, seu bonitatem intrinsecam monetarum, quam habuerunt, tempore contractûs, solvenda sunt, ac proinde veteres, & non novi adulterini nummi solvi debent, ut ex communi Dd. sententia tradit *Laym. Lib. 3. tract. 3. p. 1. cit. c. 5. n. 25.* Ubi rationem dat, quia tam enormis mutatio, & æstimationis, seu valoris inæqualitas, est contra institutionem, & veritatem nummi, sive pecuniæ, & cedit in grave damnum Communitatis, & est impedimentum omnium commerciorum, quorum causâ pecunia est introducta, adeóque justâ, & stabili lege decerni non potest.

XXXIII. Similiter è contrario, si propter depravatas monetas, v. gr. cupreas, vel æreas, valor ijs extrinsecè impositus, & enormiter excedens valorem bonitatis intrinsecæ diminuatur: & per consequens etiam extrinsecus, seu impositivus valor bonarum monetarum, secundùm proportionem, decrescat: tum debita, secundùm valorem intrinsecum, quem monetæ habuerunt, tempore contractûs, solvenda sunt, ac proinde debitor vitiatos nummos, quales accepit à creditore, ei restituere debet: non autem bonos, & quoad intrinsecum valorem longè meliores, etsi quoad extrinsecum valorem aliquamdiu eandem æstimationem habuerint: Ratio est, quia contrariorum eadem est ratio contraria, adeóque quod dictum est de augmento pecuniæ, idem, servatâ proportione, dicendum est de diminutione ejusdem, *Laym. cit. aap. 5. num. 26.* Ubi fusè, & bene plures quæstiones circa mutationem pecuniæ tractat, & explicat.

XXXIV. Assertio 5. Si in mutuo, vel alio contractu, aut dispositione, expressè actum, vel conventum sit, ut certa species monetæ, & certo numero reddatur, tum superveniens mutatio monetæ, quoad valorem extrinsecum, in commodum, vel in damnum creditoris cedit, cui in eadem specie tot numero corpora, tempore constituto, solvi debent, quot in pactum, & obligationem deducta sunt. Est communis sententia Dd. apud *Covarr. cit. §. unic. n. 5. concl. 7. Abb. in cit. c. Quanto 3 18. num. 5 de jure jur. Molin. cit. disp. 312. nu. 9.* Ubi ait, hoc interdum fieri solere, timore variationis monetarum, quoad valorem, *Laym. cit. c. 5. num. 13.* V. gr. si quis centum ducatos mutuò accepit, secundùm numerum corporum, non secundùm æstimationem: hoc pacto, ut in specie centum corpora ducatorum redderet mutuanti: is centum ducatos solvere tenetur, sive valor eorũ extrinsecus auctus fuerit, sive diminutus, est enim hæc lex conventionis justa, ideóque servanda, *l. 1. ff. de pact.* Neque verò idcirco iste contractus mutuum non erit, quòd talis videatur esse debitor speciei, non generis; non enim debitor eosdem numero ducatos, sed alios ejusdem materiæ, & formæ reddere tenetur: adeóque ducati certæ materiæ, & formæ per modum generis debentur; quia non ijdem numero ducati debent restitui, sed alij similis materiæ, & formæ.

XXXV. Porro in proposito casu, creditor non tenetur pro ducatis, quos mutuos dedit, & in eadem specie sibi reddi pactus est, aliam argenteam monetam, quamvis probam, & ejusdem æstimationis, recipere; quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, *l. 2. §. Mutui datio, ff. de reb. cred.* Excipitur primò, nisi forsan species monetæ promissæ reprobata sit, vel omnino perierit, tunc enim alia ejusdem æstimationis solvi potest, ac debet, *arg. cit. a. Olim*; & ibi *Gl. fin. h. t. & Abb. num. 4. Mynsing. cit. cent. 4. obs. 1. n. 6.* Neque verò hoc casu, propter interitum speciei, debitor omnino liberatur; cùm videatur impossibilis solutio, & per debitorem non stet, quòd non solvat in illa specie. Nam in contractibus, præsertim onerosis, & reciprocis, debitor ad duo tenetur, nempe ad solvendam æstimationem pecuniariam, & simul ad solvendam illam æstimationem in certa specie monetæ: ergo licèt posterior obligatio, propter interitum speciei, non possit impleri: tamen prior, & quidem principalis, nihilominus durat; sunt enim hæ duæ obligationes dividuæ, & separabiles, nec utilis per inutilem vitiari debet, juxta *Reg. 37. in 6. Laym. cit. c. 5. n. 14.* Ubi addit, quòd in promissione merè liberali pendeat ex intentione promittentis, utrùm se ad certæ speciei monetam obligare voluerit principaliter: an verò solùm accessoriè, ita ut etiamsi species nummorum non extet, nihilominus æstimationem ejus solvere velit, id quod in dubio præsumitur.

Excipitur secundò, si certum sit, creditoris non interesse, sive in moneta, de qua conventum est, sive in alia proba, & usuali solutio fiat, tunc enim cogendus videtur, ad aliam speciem recipiendam, *arg. l. Paulus; 99. ff. de solutionib.* Ubi dicitur, debitorem, (vel

credi-

creditorem, ut legendum ait, *Gothofr. ibid. lit. N.*) non esse cogendum, in aliam formam nummos accipere, si inde damnum passurus est; ergo à contrario sensu videtur, cogi posse, si damnum passurus non est, *Laym. c. l.* quod tamen sic accipiendum est, si moneta, quæ ex pacto debetur, facilè haberi non possit, *arg. l. Si se; 4. §. Ait Prætor; 3. ff. de re judic. Mynsing. cit. obs. 1. n. 6.* alioqui si æquè facilè haberi possit aurea moneta, de qua solvenda conventum est, standum est pacto; quia contractus ex conventione legem accipiunt, *l. 1. §. Si convenit, ff. de deposito.* Neque obstat, quòd consuetudo generalis permittat, pro aureis nummis mutuò acceptis, argenteos in eadem quantitate, & æstimatione solvere: sicut & pro debito cujusvis monetæ aliam quamcùnque æquivalentem, ac probam solvere licet, modò non sit minutissima; hæc enim consuetudo tunc obtinet, cùm specialiter non convenit, ut in certa specie solutio fiat: sed illud tantùm expressum fuit, nummos aureos creditos esse; *Covarr. cit. §. unic. concl. 1. n. 1. Laym. c. l.* Alioquî verò, etiam jure communi, statutum est, debitorem pro aureis nummis argenteos solvere posse, nec ideo aliud pro alio solvere videtur; tum quia nummi aurei, & argentei in eadem quantitate functionem recipiunt, eundémque usum, & utilitatem præstant, *arg. l. Quæ extrinsecus; 65. ff. de V. O.* in omnibus enim monetis ratio quantitatis, sive valoris impositi habetur, *l. 1. ff. de contrah. empt.* tum quia debitorem summa æquitas defendit, quoties creditoris non interest, *cit. l. Paulus; 99. junct. l. 2. §. Item unus, ff. de aqua, & aquæ, pluv. arc. Fach. Lib. 2. contr. c. 49.*

§. IV.

Quomodo solvenda sunt ea, quæ ex voto debentur?

» XXXVI. De hoc agitur *in c. Ex parte; 18. h. t.* Nam » propositum fuit Papæ Innocentio III. Quòd quidam in Archiepiscopatu Compostellano voverunt, » Ecclesiis solvere certas mensuras, sive sextarios grani, seu frumenti: in illo autem loco reperiuntur diversæ mensuræ, sive sextarij, majores, & minores; » Unde quæsitum fuit, an secundùm majorem, vel » minorem mensuram, vota sint exolvenda, prout » format casum *hujus c. Abb. hîc.* Quia verò nonnulli vota illa (annua) B. Jacobi, continuè persolve» runt, ad communem terræ mensuram, secundùm » quam emunt, & vendunt incolæ: quidam verò, » qui à longis retro temporibus ab eorum solutione » cessârunt, nunc inceperunt solvere vota illa, ad » quandam mensuram minimam, & ignotam, & se» cundùm illam solvere volunt: ideo Papa respon» dit, cùm non constet, ad quam mensuram antecessores eorum persolverint, distinguendum esse: u» trùm habitatores Regionis illius, qui vota illa con» tinuè persolverunt, ad unam, & eandem, mensu» ram solverint, an ad varias, & diversas? In primo » casu, & illi ad eandem solvere sunt cogendi: In » secundo casu, si ad diversas mensuras solvere con» venerunt, & illi volunt solvere ad minorem, non » sunt cogendi, ut ad majorem solvant; quia cùm » hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, beni» guiùs sunt à Viris Ecclesiasticis exigenda, ne videantur lucris temporalibus, tanquam exactores, » inhiare.

» XXXVII. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò. Si aliqui voverunt, se daturos alicui » Ecclesiæ, vel pauperibus, annuatim unam mensuram tritici, v. g. non determinando, de qua mensura id intellexerint, obligantur tum ipsi, tum Successores eorum, seu posteri solùm ad minimam mensuram solvendam: nisi generalis consuetudo Terræ, sive Regionis sit, ut ad unam, & eandem certam mensuram, omnes, vel major major pars populi, hujusmodi vota solvant, prout sumitur *ex cit. c. Ex parte; h. t.* Hispani enim DEO voverunt, se soluturos Ecclesiæ Compostellanæ, in honorem S. Jacobi Apostoli, annuatim certas mensuras frumenti, & deinde votum solvebant in mensuris minimis. Respondet Pontifex non esse cogendos, ad solvendas majores, nisi omnes priùs eandem communem mensuram solvere sint soliti: Idque etiam sumitur *ex l. Nummis; 75. ff. de legat. 3.* Ubi dicitur: *Nummis indistinctè legatis, exiguiores legati videntur, si neque ex consuetudine, (loquendi) patrisfamilias, sive testatoris defuncti; neque ex consuetudine Regionis: neque ex contextu, sive verbis testamenti, apparere possit, quales legati sint.* Consentit *l. Si servus; 50. §. ult. ff. de legat. 1. Abb. in cit. cap. Ex parte; n. 2. & 3.* Ubi ait, quòd verba dubia prolata, etiam in voto, accipiunt interpretationem ex usu, seu consuetudine Patriæ. Ratio decisionis hujus cap. est, tum quia in obscuris minimum est sequendum, *Reg. Jur. 30. in 6. & l. Semper; 9. ff. eod.* tum quia votum strictè interpretari oportet, ut in quantum fieri potest, minùs obliget, idque ut occasio, & periculum sacrilegæ violationis vitetur, *Abb. c. l. num. 4. Sanch. Lib. 4. moral. c. 13. n. 8. & c. 11. n. 3.*

XXXVIII. Sed contrà obstare videtur primò Text. *in l. Titia; 38. §. Seia, ff. de auro, & argento legato.* Ubi dicitur, quòd legatum factum Ecclesiæ, strictiùs interpretari oporteat, ita ut si quis legavit Ecclesiæ calicem, vel imaginem, non debeat intelligi de æreâ, sed potiùs de argentea legata: Ergo similiter si quis vovit Ecclesiæ dare certas mensuras tritici, non de minoribus: sed de majoribus mensuris votum id intelligi debet, in favorem Religionis, & causæ piæ. Sed respondetur imprimis, in casu illius Legis non fuisse in Templo illo, nisi aureas, & argenteas imagines positas, ut patet *ex* ipso Textu; cùm ergo in eo Templo non essent æreæ statuæ, non poterat legatum de æreâ intelligi; quia constabat voluntatem testatoris non esse, ut ærea ibi collocaretur, *Sanch. cit. cap. 13. num. 8.* Et hinc, cùm quis calicem legavit, vel promisit certæ Ecclesiæ, debet aureum, vel argenteum dare, non æneum; quia intelligitur legatus, vel promissus calix aptus ad cultum Divinum, qualis non est æneus, *c. Ut calix; 45. dist. 1. de consecr. Abb. in cit. c. Ex parte; n. 4. h. t. Azor. p. 1. lib. 11. c. 20. q. 10. Sanch. c. l. n. 13.* Deinde, esto in legatis id definitum esset, ut id, quod majus, vel pretiosius est, dari debeat: non tamen idem obtinet in votis. Ratio discriminis est, quia in legatis fit interpretatio contra hæredem, & non contra ipsum testatorem, qui liberaliter reliquit rem legatam, & ideo respectu hæredis fit stricta interpretatio, cedens in majus gravamen illius; quia per id non derogatur libertati testantis, qui præsumitur, favore piæ causæ, legare voluisse id, quòd

id, quod majus, vel melius est. At verò in votis sit interpretatio contra ipsum voventem, qui liberaliter promisit, ideóq; mitior, & benignior debet fieri interpretatio, in favorem libertatis ipsius; nam cùm sponte promiserit, non videtur cogendus, ab subeundum gravius onus in re ambigua: tum etiam ne nimia videatur esse exactio, & ne cæteri voventes à munificentia in Ecclesiam avocentur, *Abb. c. l. Azor c. l. Sanch. c. l. Suar. tom. 2. de Relig. Lib. 4. de voto c. 7. n. 10.*

Objici potest secundò. Incertitudo rei promissæ aut legatæ vitiat actum, ita ut nullam obligationem pariat, ut patet ex *l. Triticum 3 94. ff. de V. O.* Ubi dicitur, si quis promittat triticum in genere, nulla oritur obligatio, si non constet de certo genere, vel quantitate tritici. Vel si quis promittat opus fieri, v. g. insulam, & non exprimat locum, ubi fieri debeat, *l. Qui insulam; 90. ff. eod.* vel si legetur animal in genere, ut notat *Gl. in l. Legato 3 37. V. Possimus 3 ff. de legat. 1.* ergo idem dicendum est in proposito, nempe votum, propter incertitudinem rei promissæ, vitiari. Respondet *Abb. in cit. c. Ex parte 3 num. 5.* neg. conseq. quia incertitudo rei promissæ non vitiat obligationem in spiritualibus, & Ecclesiasticis, sicut in profanis, & ideo ex æquitate canonica non vitiatur talis obligatio: sed debet reduci ad arbitrium boni viri, sive Superioris, à quo consideratis circumstantiis, fiet certa determinatio: sicut etiam dotis promissio, ob nimiam generalitatem, favore ejusdem, non vitiatur: sed determinari debet, secundùm facultates patris dotantis, & dignitatem personæ mariti, *l. Cùm post 3 69. §. Gener 3 ff. de jure dotium.* Sed neque jure Civili improbantur, & irritantur omnes promissiones, & legata, propter incertitudinem rei in genere, & indeterminatè promissæ: sed tunc tantùm, quando tam generalis, & incerta fit promissio, ut dando rem ferè nullius æstimationis, & pretii, possit impleri, ut notat *Suar. cit. c. 7. num. 18.* Adde, quòd in casu *cit. c. Ex parte*, votum fuit factum de certa mensura, nempe uno sextario frumenti annuatim præstando: sed non constabat, de quo sextario, majore, an minore: ideo voventes, dando modicum quid frumenti infra sextarium minorem, votum non implevissent, *Abb. ibid. num. 5.*

Objicitur tertiò. In *c. Cùm dilecti 3 16. de donat.* dicitur, quòd in Beneficiis plenissima facienda sit interpretatio, nempe in piis donationibus, & legatis, ergo etiam in votis, ut in majorem cultum Dei cedant. Resp. id verum esse, si ex verbis, & materia subjecta, de intentione voventis constet, ut in illo *c. Cùm dilecti* supponitur. In dubio verò amplissima interpretatio facienda est, adversùs voventem, servatâ tamen verborum, & materiæ proprietate, & quantum præcisè necessarium est, ad implendum id, quod ad Dei cultum promissum est. Accedit, quòd Regula illa habet locum in beneficiis Principum, & Nobilium, ut in privilegiis: votum autem non est beneficium: sed obsequium hominis erga Deum, *Suar. c. l. n. 13.*

XXXIX. Notandum secundò. Si constet de consuetudine majoris partis totius Civitatis, vel Communitatis, illa servanda est, etiamsi minor pars aliud hactenus observârit, *arg. c. 1. de his, quæ fiunt à major. part. cap.* ut in proposito casu, si omnes, vel major pars populi ad eandem mensuram votum solvit: si verò plures solverunt, tam ad unam, quàm ad aliam diversam mensuram, ita tamen, ut non constituant majorem partem totius Civitatis: tunc sive sint plures, sive pauciores, si non constet de mensura Antecessorum, volentes solvere minorem, non debent cogi, ad solvendam majorem mensuram; nam non potest induci consuetudo ex facto minoris partis Communitatis, *Abb. in cit. c. Ex parte; num. 6. & 7. h. t.*

SECTIO II.

DE EXACTIONIBVS.

Secunda pars Rubricæ hujus Tituli est de Exactionibus, quarum nomine veniunt tributa, aliæque similes collectæ pecuniariæ, seu pensitationes, quæ vel à Principibus sæcularibus imponuntur, iisque præstantur: vel ex præcepto SS. Canonum Prælatis Ecclesiarum penduntur, eæque sunt, vel ordinariæ, vel extraordinariæ, de illis priùs, de extraordinariis postea agemus.

§. I.

Quænam sint exactiones ordinariæ Episcopis, seu Prælatis Ecclesiasticis à subditis Clericis, vel Laicis præstandæ?

XL. Assertio 1. Inter exactiones ordinarias numeratur inprimis Canonica portio, id est, pars à SS. Canonibus instituta, & approbata, quæ ex relictis, & proventibus Ecclesiis obvenientibus detrahitur, & Prælatis debetur: eâque duplex est, una Episcopalis, quæ debetur Episcopo ex omnibus Legatis, quæ fiunt quibuscúnque Ecclesiis, aut piis locis suæ Diœcesis, *c. De his; 7. & c. seq. caus. 10. q. 1.* & aliis locis, de qua actum est supra *Tit. 26. sect. 4. §. 4.* Altera est Canonica portio Parochialis, quæ debetur Ecclesiæ Parochiali, seu Rectori ejus, ex omnibus, quæ obveniunt, ratione funeris, alteri Ecclesiæ, in qua ejus Parochianus sepelitur, de qua egimus supra *Tit. 28. §. 6.*

Secunda exactio, sive tributum Ecclesiasticum est Synodaticum, prout vocatur in *c. Olim; 20. h. t.* Quia in Synodo singulis annis celebranda, ab omnibus ad illam vocatis præstari consuevit: sive Cathedraticum; quia solvitur Episcopo, in honorem Cathedræ Episcopalis, *c. Conquerente; 16. junct. Gl. V. Duos solidos de Offic. Iud. Ordin.* quod Episcopus exigere potest à singulis Ecclesiis suæ Diœcesis (præterquam à Monasteriis, *c. Inter cætera 3 8. caus. 10. q. 3.*) sed non ultra duos solidos, sive aureos, *c. 1. cit. caus. & q.* & ibi *Gl. V. Duos solidos*: qui solvendi sunt, secundùm taxam, sive æstimationem illius monetæ, quæ antiquitus, sive ab initio solvi consuevit, *Gl. in cit. c. Conquerente; V. Duos solidos*; Aliquando tamen plus, vel minus exigitur, *Gl. in cit. c. 1. V. Duos solidos*; non tamen plus, quàm vetusti moris esse, constiterit, *c. Nec numerus 3 5. cit. caus. 10. q. 3.* quia in ejus solutione attendenda est propria cujusque Ecclesiæ, vel diversarum Cathedralium Ecclesiarum justa, & rationabilis consuetudo, *Piasec. in praxi Episc. p. 2. c. 2. art. 2. n. 11.* &

olim quidem solvebatur in Festo Nativitatis, & Resurrectionis Domini, *c. Olim*; 20. *h. t.* Neque contra Cathedraticum ullo tempore præscribi potest, ut in totum non solvatur; quia debetur in signum subjectionis, & honorem Dignitatis Episcopalis, *Gl. in c. Pastoralis*; 7. *V. Cathedraticum*; *& ibid. Abb. n.* 7. *de donat. Piasec. c. l. Barb. Lib.* 3. *Jur. Eccles. c.* 20. *n.* 5. *& seqq.*

Tertia exactio ordinaria est quarta decimationum, quæ de jure communi debetur Episcopo ex omnibus decimis suæ Diœcesis, erâtque olim quandoque medietas, sive dimidia pars, *c. Antiquos*; 8. *caus.* 10. *q.* 1. quandoque tertia pars, *c. De his* 3 7. & ibi *Gl. V. Tertia*; *& c. Decrevimus*; 10. *cit. caus. & q.* Postea verò statutum fuit, ut quarta tantùm debeatur ex omnibus decimis, nullis factis deductionibus, *c. Conquerente*; 16. *de Off. Ordin. c. De quarta* 3 4. *de præscript. c. Cùm olim* 3 19. *h. t.* & ibi *Gl. V. Quartæ omnium*; Ubi ait, hodie in hac re potiùs spectandam esse consuetudinem cujùsque loci, quæ in pluribus Diœcesibus per desuetudinem est omnino abrogata, ut etiam dictum supr. *Lib.* 1, *Tit.* 31. *n.* 105. Quarta exactio ordinaria est Procuratio præstanda in Visitationibus, de qua infra.

XLI. Assertio 2. Prædicta tributa, sive onera, & alia jura Episcopalia præstari debent Episcopo ab omnibus Ecclesiis, in cujus Diœcesi sunt sitæ, prout » sumitur ex *c. Cùm olim*; 19. *h. t.* Nam Episcopus » Cæsar-Augustanus conquestus est apud Papam con- » tra quendam Abbatem, ratione duarum Ecclesia- » rum, quas ipse possederat, quòd ipsum in illis Ec- » clesiis, quartis decimarum, procurationibus, & aliis » quibusdam juribus Episcopalibus defraudâsset: » Abbas verò, & Conventus opponebant, illas Eccle- » sias non esse in Diœcesi dicti Episcopi. Item pro- » ducebant instrumentum quoddam, in quo conti- » nebatur, quòd Episcopus illas Ecclesias, vel fortè » quædam jura in illis Abbati concesserat: at verò con- » tra quædam instrumenta compositionum producta » ab Episcopo excipiebat Abbas, quòd per metum » Regium illæ compositiones emanaverint, (vel fortè » dicebat, illa instrumenta esse falsa, ut refert *Gl. hìc*) » His auditis, Papa Innocentius III. rescribit, cùm » probatum sit, quòd dictæ Ecclesiæ in Diœcesi Epi- » scopi Cæsar-Augustani sint constitutæ, & non solùm » per alia (fortè per testes, *Gl. hìc V. Per alia*;) sed » etiam per hoc, quòd in instrumentis compositio- » num expresè dicatur, quòd dictus Abbas, tam » quartam decimarum: quàm cætera jura Episcopa- » lia, ipsi Episcopo præstare debeat, ideo se ipsum Ab- » batem ad integram solutionem quartæ omnium de- » cimarum, nullis factis deductionibus, & ad præstan- » das procurationes, & alia jura Episcopalia, in præ- » dictis Ecclesiis condemnare. Etsi enim in uno in- » strumento compositionis continebatur, quòd de- » ductiones aliquæ faciendæ sint; quia tamen idem » Abbas instrumentum illud reprobavit, & impu- » gnavit, ideo non debuit ex illo beneficium, seu com- » modum consequi; cui tacitè renunciâsse videbatur. » Præterea absurdum erat, quòd negaret, illam Eccle- » siam in Diœcesi dicti Episcopi constitutam esse, » cùm tamen instrumenta exhiberet Prædecessoris sui, » in quibus continebatur, quòd Ecclesiam illam con- » cesserit Monasterio, vel aliquid juris in illa, per quod » expresè patebat Jus Episcopale, & quòd esset in ejus » Diœcesi.

XLII. Hinc colligitur primò. Qui producit instrumentum, censetur omnia in illo contenta consiteri, eâque, quæ sunt contra illum, potest pars adversa allegare, in favorem suum contra producentem, ut *in casu hujus cap.* Abbas per instrumentum probare voluit, quòd ab Episcopo ipsi Jus aliquod concessum fuerit in Ecclesiis, quas possidebat; hoc ipso fatebatur, illas Ecclesias esse sitas in Diœcesi Episcopi, ipsique subjectas; nam qui concedit alicui Jus in re aliqua, præsumitur esse dominus illius rei, saltem quoad illum, cui fit concessio, *Abb. hìc n.* 7. *&* 8. Unde quia dictus Abbas sibi ipsi contrarius fuit, non erat audiendus, saltem in eadem instantia judicii, ut notat *Gl. hìc V. Ostendebat.*

Colligitur secundò. Si quis nitatur, aliquid reprobare in judicio, non debet ex eo commodum consequi, *arg. c. Præsentium*; 31. *de testib.* Quod verum est, si usque ad sententiam definitivam in ejus reprobatione persistat, *arg. l. Papinianus*; 8. §. *Meminisse*; *ff. de inoff. testam. Gl. in cit. c. Cùm olim*; *V. Beneficium*; *h. t.* ut in proposito casu, in secunda compositione inter Episcopum, & Abbatem factâ continebatur, ut jura Episcopalia integrè solvantur Episcopo; cui tamen postea adjectum fuit, quòd ex illis juribus fieri debeant aliquæ deductiones, v. g. ut pars tertia assignetur Abbati; sed quia Abbas impugnavit instrumentum illud compositionis, & pars ejusdem continens favorem Episcopi, nempe integram solutionem jurium Episcopalium, separabilis erat à parte continente favorem Abbatis impugnantis, nempe ut fierent deductiones ex juribus Episcopalibus; ideo Abbas non debuit consequi aliquod commodum ex illo instrumento, quod impugnavit, & cui hoc ipso tacitè renunciavit: sed totum Jus Episcopale, absque detractione aliqua, adjudicatum fuit Episcopo, *Abb. hìc n.* 11.

Colligitur tertiò. Probatio, quæ fit per instrumentum, dicitur patere, & id, quod per illud probatur, esse notorium, *Abb. hìc n.* 9. Unde *in fine hujus cap.* legendum non est *patebat*, sed, *patebat*, *Gl. fin. hìc.*

§. II.

An prædium, vel fundus Ecclesiæ in dotem assignatus, liber sit ab omni servitio, tributo & onere?

XLIII. Assertio 1. Fundus dotalis, sive Ecclesiæ assignatus in dotem, debet esse immunis ab omni servitio, & tributo temporali, sive sæculari: non autem Ecclesiastico, prout decernitur in *c. Sancitum*; 1. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Guarmacensi, vel ut etiam legitur, Vormacensi, & refertur in *c. Sancitum* 3 25. *caus.* 23. *q.* 8. Ubi dicitur: Sancitum est, » ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer, absque » ullo servitio, tribuatur. Et Presbyteri in eis (scilicet » Ecclesiis) constituti, non de decimis, neque de ob- » lationibus fidelium, neque de domibus, neque de » areis (aliàs atriis) vel de hortis juxta Ecclesiam posi- » tis, neque de prædicto manso aliquod servitium fa- » ciant, præter Ecclesiasticum. Si verò aliquid amplius » (scilicet illo manso) habuerint, inde Senioribus (id » est, dominis) debitum servitium pendant, id est, » censum, vel tributum; *Gl. hìc V. Servitium.*

XLIV. Por-

XLIV. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Mansus dicitur tantum spatium terræ, sive fundi, quod duobus bobus per annum arari, & coli potest; *Gl. hîc V. Mansus*; sed hoc loco mansus appellatur dos, sive fundus dotalis Ecclesiæ pro sustentatione Ministrorum, & aliis necessariis Ecclesiæ constitutus, qui debet esse liber, & exemptus ab omni servitio, sive tributo & onere temporali, sicut & domus, areæ, horti & alia bona sita prope Ecclesiam, *Innoc. hîc in princ. & Abb. n. 5.* Quamvis aliàs mansus interdum etiam accipiatur pro eo, ex quo unus rusticus, cum familia sua, possit sustentari, quod tamen non sufficit ad sustentationem Ecclesiæ: interdum etiam mansus appellatur fundus, ex quo percipitur frumentum & vinum, ad Eucharistiam conficiendam, *Gl. in c. Secundùm canonicum*; 24. *V. Mansus*; *caus.* 23. *q. ult.*

Notandum secundò. Cùm quæritur, an bona data Ecclesiæ libera sint ab omni servitio, censu, seu tributo: tum distinguendum est inter censum, vel tributum de novo impositum, & antiquum: nam novum tributum temporale, & sæculare Ecclesiasticis bonis imponi non potest, *c. Quanquàm*; 4. *h. t. in 6. & aliis locis.* Si verò bona Ecclesiæ in dotem data ab antiquo fuerunt tributaria, sive tributis obnoxia, tum vel erant tributaria ipsi Patrono, vel aliis non Patronis. Si primum, tum simpliciter, & absolutè ea donando Ecclesiæ, censetur illa tributa & onera remisisse, jure ita disponente in *cit. c.* 1. *h. t.* quin imò, etsi expressè talia tributa, seu onera in fundatione Patronus sibi reservâsset, retentio illa, quoad dotem necessariam Ecclesiæ, invalida foret; quia adversatur Juri Canonico in *cit. c.* 1. *h. t.* secus est, si amplissimam dotem dedisset Ecclesiæ, & plus quàm necessariò requiratur: tum enim, cum consensu Episcopi, posset sibi in fundatione servitium aliquod, vel tributum, seu pensionem reservare, *Abb. in cit. c.* 1. *n.* 6. & patet ex *c. Præterea*; 23. *Tit. præced.* Si secundum, nempe si bona Ecclesiæ in dotem data, ab antiquo sint tributis obnoxia aliis, quàm Patrono, tum vel Patronus contulit illa, cum consensu dominorum, & hi censentur Jus remisisse, quod in illis habent, *arg. l. Gajus*; 39. *ff. de pignor. act.* saltem quoad dotem necessariam: nam aliàs censeretur dominus fundi solùm consensisse, ut bona illa transeant ad Ecclesiam cum onere suo, *arg. c. Ex literis*; 5. *de pignor. & l. Sicut*; 8. §. *Non videtur*; *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. sol.* Ubi habetur, quòd si, sciente creditore, rem sibi obligatam, debitor vendat, per hoc non videtur remittere Jus suum; quia sciebat ubique pignus sibi durare. Vel bona data sunt Ecclesiæ in dotem, dominis eorum contradicentibus, & non valet, quod agitur, *arg. c. ult. de locato*; quod extenditur etiam ad prædium emphyteuticum tributarium: nec fundus fit liber à tributo, quamvis Ecclesia talem fundum recipere non deberet pro dote, *Innocent. in cit. c.* 1. *h. t.* Si verò, dominis ignorantibus, concessio in dotem facta sit, tum vel fundator est bonæ fidei, quia ignoranter etiam hoc fecit, & hoc casu, dominis solvenda sunt tributa, sicut priùs: Vel fundator est malæ fidei, quia scivit bona illa esse tributaria aliis, & tunc ad æstimationem solvendam, est cogendus, *Gl. fin. in c. Secundùm canonicam*; 24. *caus.* 23. *q. ult. Abb. in cit. c.* 1. *n.* 7. Illud certum est, quòd fundus, in quo ædificatur Ecclesia, debet esse liber ab omni servitio, tributo & onere reali, temporali, & sæculari, sicut & Cœmeterium, *Gl. in cit. c. Secundùm*; *& Abb. c. l.*

Porro *Barbosa in cit. c.* 1. *n.* 4. *h. t.* absolutè & indistinctè docet mansum Ecclesiæ, sive fundum, qui collatus est Ecclesiæ, ad necessariam ejus dotationem, & alia bona, juxta illam posita, esse omnino libera ab omni censu, tributo, & onere reali, temporali, sive sæculari: quamvis ab initio, antequam ad Ecclesiam pertinerent, tali oneri essent obnoxia; cùm per specialem Generalis Concilii constitutionem hæc bona fuerint exempta ab omni servitio, & onere, quæ sententia etiam probabilis est; quia favet illi textus in *cit. c.* 1. in quo solùm excipitur servitium, sive tributum Ecclesiasticum, à quo bona data Ecclesiæ in dotem non sunt libera: & Regula illa, quòd res transeant cum suo onere reali, etiam ad Ecclesiam, non habet locum in hoc casu, propter specialem Constitutionem Concilii, nam potest Jus, ob causam ad bonum commune pertinentem, subditos privare re propriâ, & alteri dare, *Barb. c. l.*

Notandum tertiò. Ecclesia ex bonis sibi in dotem assignatis debet præstare servitium, sive tributum Ecclesiasticum, *cit. c.* 1. *h. t.* cujusmodi est Cathedraticum, subsidium charitativum, & similia jura Episcopalia, *arg. c. ult. caus.* 18. *q.* 2.

XLV. Assertio 2. Ecclesia ex bonis, quæ ultra necessariam dotationem, ei donata sunt, debet præstare, ac pendere debita servitia etiam dominis temporalibus, & sæcularibus, prout statuitur in *cit. c.* 1. *in fine h. t. junct. Gl. V. Senioribus*; quod intelligendum est, de tributis & aliis oneribus merè realibus, quæ ipsis rebus sunt imposita, iisque perpetuò annexa, ut si fortè fundus ad Ecclesiam pertinens habet onus perpetuum, certum quid solvendi, vel faciendi: item ratione feudi, nam si terra, nomine feudi, adeóque onere reali solvendi tributa, seu collectas, sive steuras Imperatori, titulo supremi dominii obligata ad Ecclesiam transeat, onus hoc simul transfertur; quia res transit cum onere suo *c. Ex literis*; 5. *de pignor. Gl. margin. in cit. c.* 1. *lit. D. h. t. Abb. ibid. in fine*, nam Ecclesia & personæ Ecclesiasticæ, ratione feudalium bonorum, ac jurium, etiam sæcularibus dominis subjiciuntur, *c. Verùm*; 7. *de foro compet.* & supra dictum *Tit.* 2. Et de his servitiis, tributis, & aliis oneribus merè realibus, ac perpetuis præstandis ab Ecclesia, intelligendi sunt antiqui Canones: secus est de tributis, collectis, & aliis oneribus temporalibus, & extraordinariis, & ipsis rebus non annexis, ab his enim exempta est Ecclesia, etiam jure Civili, *Auth. Item nulla*; *C. de SS. Eccles. Abb. in c.* 1. *in fine h. t.* de quo plura infra *Tit.* 49.

§. III.

Quis possit imponere collectas, & exactiones novas, & extraordinarias, & quibus illæ imponi non possint?

XLVI. Assertio 1. Imperatores, Reges, & alii Principes, in temporalibus Superiorem non agnoscentes, tantùm possunt exigere, & imponere novas collectas, contributiones, & vectigalia, quamvis peccent, si id faciant, sine justa causa: alii verò inferiores Principes, & Magistratus id non possunt, nisi ex concessione supremi

Principis, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus initii memoria non extat, tale Jus, vel alia Jura regalia acquisiverint, ac præscripserint, ut docet *Gl. in c. Innovamus* 10. *junct. Gl. marg. V. Regum*; *lit. B. h. t. & ibid. Ioann. Andr. n.* 1. *& Abb. n.* 1. *& 6. Suar. dis.* 21. *de cens. sec.* 2. *n.* 36. & habetur in *l. Vectigalia*; 10. *ff. de Publ. & vectigal. & l.* 2. *& 3. C. Vectigalia nova & c. & in c. Super quibusdam*; 26. §. *Præterea de V. S.* & ibi *Gl. V. Imperatorum*; & constat etiam ex *Tit.* 56. *Feudorum*; ubi inter Regalia numerantur etiam vectigalia.

» Idque sumitur etiam ex *c. Innovamus*; 10. *h. t.* » Ubi Alexander III. sic statuit: Nec quispiam alicui » (in antiquis rectiùs legitur *alicubi*) novas pedagio- » rum exactiones, sine auctoritate, & consensu Re- » gum, & Principum, statuere aliquo modo præsumat. » Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus » non destiterit, Communione Christianâ, donec sa- » tisfaciat, careat.

XLVII. Ubi Notandum primò. Pedagia dicuntur, quæ dantur à transeuntibus in locis constitutis à Principe, pro rebus, quæ vehuntur, vel portantur: & quandòque etiam solvuntur pro personis transeuntibus, & alio nomine in jure Civili vocantur vectigalia. *l.* 1. *ff. de Public. & vectig. Gl. in cit. c. Super Quibusdam*; *V. Pedagia*; *Hostiens. in cit. c. Innovamus*; *V. Pedagiorum*; *& Ioann. Andr. n.* 1. *Abb. n.* 3. Dicitur autem pedagium, sive vectigal, tributum & census, nam si solvatur Principi, non differt tributum & census: secus si privato pro re censuali, tunc enim tributum differt à censu, *Abb. c. l.* Quidagia verò, de quibus fit mentio in *c. Quanquàm*; 4. *h. t. in 6. & in c. Super quibusdam*; 26 *de V. S.* dicuntur illa tributa, quæ dantur pro salariis iis, qui transeuntes per loca periculosa comitantur, & securè eos deducunt; *Gl. in cit. c. Quanquàm*; 10. *princ. & Gl. in cit. c. Super quibusdam*; *V. Pedagia*; nunc verò tam pedagia: quàm quidagia promiscuè accipiuntur pro illis tributis, quæ exiguntur, & solvi debent à transeuntibus pro rebus vel mercibus, quæ exportantur, vel importantur in Provinciam vel Civitatem, solùm ratione transitûs.

Notandum secundò. Pœna Canonica decreta in eos, qui, sine legitima auctoritate, imponunt nova vectigalia, vel gabellas, est excommunicatio, (major scilicet) à qua absolvi non debent, nisi satisfecerint, sive id, quod ratione vectigalis illicitè impositi, extortum est, restituerint. Porro tales excommunicantur etiam *in Bulla Cœnæ Domini Excomm.* 5. quæ est reservata Papæ, *Suar. c. l.* ubi *n.* 37. ait, hanc censuram etiam incurrere supremos Principes, si nova injusta tributa imponant. Hinc infertur, quòd etiam Laici imponentes nova vectigalia, seu gabellas injustè aut illicitè, sint subjecti jurisdictioni Ecclesiæ; quia illos excommunicat: excommunicatio autem non potest fieri, nisi in subditos, vel qui forum sortiuntur, ratione delicti, *Abb. hîc n.* 2. pœna verò civilis est, quòd tales exilio perpetuo puniri debent, *l. ult. C. Vectigalia nova & c.*

XLVIII. Assertio 2. Vectigalia, & aliæ similes collectæ & tributa, tametsi aliàs licitè, & justè imponi possint, ab Ecclesiis & Clericis, seu Ecclesiasticis personis exigi non possunt, nec ab illis solvi debent, prout expressè statuitur in *c. Quanquàm*; 4. *h. t. in 6.* » Ubi Bonifacius VIII. ita rescribit: quanquàm pe- » dagiorum exactiones, tam Jure Canonico (*c. Super quibusdam*; 26. *de V. S.*) quàm Jure Civili (*l. Non* » *solent*; 3. *Cod. Vectigalia nova*;) regulariter meritò » sint damnatæ: tantò tamen districtiùs, ne ab Eccle- » siis & personis Ecclesiasticis talia exigantur, prohi- » beri oportet; quantò si id fiat, major est transgres- » sio, (quàm si exigantur à Laicis.) Cùm igitur Eccle- » siæ & personæ Ecclesiasticæ, ac res ipsarum (scilicet » Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum) non » solùm Jure humano (positivo) sed & Divino (nam » ut legitur *Gen.* 47. sola Terra Sacerdotalis erat libera à tributo solvendo Regi Pharaoni: & 1. *Esdræ c.* 7. pro- » hibetur, ne Sacerdotibus & Levitis & Ministris Do- » mûs Dei vectigal, aut tributum imponatur, *Gl. hic V. Divino*;) à sæcularium personarum exactionibus » sint immunes: ideo idem Papa, juxta Constitutio- » nem Alexandri IV. (quæ extat in *c.* 1. *h. t. in 6.* & » cujus mens pro parte hîc declaratur, *Gl. hic V. Con-* » *stitutionem*) statuit, Ecclesias & personas Ecclesiasti- » cas ad pedagia & quidagia penitus non teneri, nec » ad solvendum talia, pro rebus suis propriis, quas » non causâ negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, » seu transmittunt. Insuper strictè prohibet idem Pa- » pa, ut nec Collegium, nec Universitas, nec aliqua » etiam singularis persona, cujuscúnque sit dignita- » tis, aut status, ab Ecclesiis, aut personis Ecclesiasti- » cis, pro ipsis personis, aut rebus prædictis (propriis » scilicet, quas negotiationis causâ non deferunt, » *Gl. hic V. Prædictis*;) talia exigat, vel extorqueat, » per se vel per alium, sive suo nomine, sive alieno, » aut eas ad hujusmodi persolvenda compellat: non » obstante contrariâ consuetudine, quorumcúnque, » quæ corruptela veriùs dicenda est. Qui verò contrà » fecerint, si personæ fuerint singulares, (etiam Epi- » scopi; quia *c.* 4. *de sent. excom. in 6.* loquitur non de excommunicatione, sed de censuris suspensionis & in- terdicti, *Gl. hic V. Singulares*;) excommunicationis: » si autem Collegium (etiam Ecclesiasticum) vel Uni- » versitas Civitatis, castri vel loci alterius cujuscúnque, » ipsa Civitas, Castrum, vel locus interdicti sententias » ipso facto incurrant, (in Collegium enim vel Univer- sitatem sententia excommunicationis proferri non de- bet, *c. Romana*; 5. *in fine de sentent. excom. in 6. Gl. hic V. Universitas*;) nec absolutionem ab hujusmodi ex- » communicatione, vel interdicti relaxationem obti- » neant, donec exacta plenè restituerint, & compe- » tenter satisfecerint. »

XLIX. Prætetea in *Clement. Præsenti*; 3. *h. t.* præscribitur executio *cit. c. Quanquàm*; & præcipi- » tur, ut Diœcesani locorum sententias excommuni- » cationis (quoad singulares personas) & interdicti » (quoad Collegia & Universitates) contra eos, qui, » suo vel alieno nomine, exigunt vel extorquent pe- » dagia, vel quidagia ab Ecclesiis, vel personis Eccle- » siasticis, pro earum rebus propriis (vel personis, *cit.* » *c. Quanquàm*) quas non negotiandi causâ deferunt, » vel deferri faciunt, à jure prolatas, postquam de his » ipsis constiterit, omnino publicent, vel à suis sub- » ditis publicari faciant, donec exacta restituerint, & » competenter satisfecerint. Ubi *Gl. V. Constiterit*; no- » tat, quòd pars, contra quam fit publicatio, citari de- beat; quia Clausula *si constiterit*, importat cognitionem judicialem, cum citatione partium, quæ requiritur in sententia declaratoria pœnæ, ipso jure incurræ, *Barb. in cit. Clem. n.* 5. *& 4.*

L. No-

L. Notandum hîc præterea primò. Etsi Clerici non teneantur solvere vectigalia & gabellas; quia hoc est onus personale, personæ autem Ecclesiasticæ non sunt subjectæ Laico Magistratui, *Abb. in cit. c. Innovamus; n. 4. h. t.* Si tamen res suas deferant, negotiationis causâ, non gaudent hoc privilegio immunitatis à solutione vectigalium, ut colligitur ex *cit. c. Quanquàm; h. t. & Clem. ult. eod.* à contrario sensu, & sumitur etiam ex *c. ult. de vita & honest. Cleric.* Sed hanc immunitatem statim, ipso facto, sine alia monitione, perdunt, ut puniantur in eo, in quo deliquerunt: licèt aliàs Clerici negotiatores, ut amittant privilegium Clericale, debeant moneri, *juxta cit. c. ult. de vit. & honest. Cler. Franc. in cit. c. Quanquàm; n. 4. & 5.* non dicuntur autem negotiari Clerici, si deferant, vel vendant fructus & reditus Beneficiorum suorum, ac proinde gabellas de illis solvere non tenentur, *Barb. in cit. c. Quanquàm; num. 6.* quamvis emptores talium reditum ab illis solvendis non sint immunes, *Gl. in cit. Clem. 3. V. Non negotiandi*; sed neque exigi possunt ab Ecclesiasticis personis hujusmodi vectigalia ex fructibus bonorum patrimonialium, quos deferunt, vel transmittunt in alium locum; quia bona patrimonialia Clericorum sunt æquè exempta, *c. Similiter; 18. caus. 16. q. 1. Gl. in cit. c. Quanquàm; V. Ipsarum; Suar. disp. 23. de censur. sec. 4. n. 21.* Ubi addit, idem dicendum, si Clericus res, quas emit, bonâ fide, ad usus suos, sine animo negotiandi, postea, quia illis non indiget, aliò transmittat, ut vendantur.

Notandum secundò. Qui Clericos ad Vectigalia solvenda compellunt, vel ab eis exigunt, excommunicationem incurrunt: sed nulli reservatam, *Suar. c. l. n. 7. Barb. c. l. n. 7.* & interdictum Ecclesiasticum, quod fertur in Collegium, vel Universitatem, exigentem, vel compellentem, est locale, non personale, sive id fiat à Collegio, aut Universitate sæculari, sive Ecclesiastica, *Barb. c. l. n. 8.* sed de tributis, & collectis, pluribus infra agetur *Tit. 49.*

LI. Assertio 3. Præter Clericos & alias personas Ecclesiasticas, non tenentur solvere tributa, seu collectas & exactiones extraordinarias, pauperes, & cæci, ut de his habetur statutum in *c. Licèt; 4. h. t.*
» Nam quidam cæcus conquestus est apud Gregorium
» Papam, quòd ipse compellebatur ad solvendas col-
» lectas, pariter cum aliis, nullâ habitâ ratione suæ cæ-
» citatis; ideo mandat Papa Episcopo loci, ut hoc
» fieri non permittat; quia nimis inhumanum est,
» eum, quem cæcitas gravat, collectas imponendo af-
» fligere, cùm ei debeat potiùs ex collectis, si neces-
» tas esset, subveniri; quia ut *Gl. ibi notat in casu*, af-
» flictio non est addenda afflicto.

LII. Notandum hîc primò. Quamvis aliqui Dd. putent, hunc cæcum fuisse de temporali jurisdictione Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ad cujus Episcopum rescripsit hîc Papa Gregorius, ideóque potuisse Papam de causa illius, tametsi Laici, cognoscere; quia tamen hoc solùm est, divinare, ideo probabilius est, quòd causa hujus cæci delata fuerit ad S. Pontificem, tum quia causæ miserabilium personarum ad Ecclesiasticum judicium sive forum spectant, illæque possunt implorare auxilium Ecclesiæ, *c. 1. & 2. dist. 87.* tum quia agebatur hîc de violentia cæco illata, qui campo spoliatus fuit, adeóque de peccato, & sic etiam, hoc respectu, poterat de illa causa Ecclesiasticus Judex cognoscere, *arg. c. Novit; 13. de judic. Gl. hic V. Non promittes, & Hostiens. ibid.*

Notandum secundò. Duplex est expositio hujus cap. Primò, ut intelligatur de cæco, qui simul sit pauper: Secundò, ut intelligatur de cæco tantùm, & non paupere, quòd non sit gravandus collectis, quæ expositio communior est Dd. & probabilior; quia decisio hujus cap. non fundatur in paupertate: sed in cæcitate, nam per se certum est, pauperem, seu inopem excusari à collectis solvendis, ac proinde si intelligeretur de cæco paupere, decisum fuisset aliquid, de quo nunquam fuit dubitatum, *Fagnan. hic nnm. 9. & seqq. h. t.*

Notandum tertiò. Cæci, qui utroque oculorum lumine orbati sunt, aliique morbo corporali perpetuo laborantes, excusantur à muneribus, seu oneribus personalibus, quæ imponuntur personis, *l. 1. & 2. C. Qui morbo se excusant; Lib. 10.* sicut & pauperes, quibus tenuis census est, *l. fin. C. de his, qui num. liber. vel pauper. excus. lib. 10.* Non autem sunt immunes ab oneribus realibus, si ordinaria sint, hoc est, talia, quæ lege vel constitutione perpetuâ imponuntur, adeóque certam, invariabilem, & ordinariam ac perpetuam præstationem habent. Unde si cæci, vel alii perpetuo morbo laborantes, obtineant terram censualem, vel tributariam, censum, vel tributum ei impositum solvere debent. Aliud est de oneribus realibus: sed extraordinariis, quæ interdum per accidens, & extra ordinem imponuntur personis, pro rebus, seu propter res, ac proinde certam ac stabilem præstationem non habent, ad hæc enim hujusmodi personæ miserabiles præstanda non obligantur, *arg. l. Cui; 12. ff. de munerib. & l. un. C. de vacat. publ. mun. l. 10. Hostiens. in cit. c. Licèt in fine h. t. & ibid. Abb. n. 4.* & fusè *Fagnan. n. 16. & seqq.* Porro hoc Privilegium cæcis, & gravi morbo laborantibus concessum, non extenditur ad filios; quia conceditur ratione necessitatis, quæ in filiis cessat, *Gl. fin. in cit. c. Licèt, & Abb. ibid. fine.*

§. IV.

An, & quâ ratione Episcopi, aliique Prælati iis inferiores possint collectas extraordinarias subditis suis imponere, vel ab iis exigere?

LIII. De hoc ita statutum habetur in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quod refertur in *c. Cùm Apostolus; 6. §. Prohibemus; h. t.* His verbis: pro-
» hibemus etiam, ne Episcopi subditos suos talliis (id
» est, collectis) & exactionibus gravare præsumant. Su-
» stinemus autem, propter multas necessitates, quæ
» aliquoties superveniunt, ut si manifesta, ac tationa-
» bilis causa exiterit, cum charitate, moderatum ab
» eis auxilium postulare valeant. Cùm enim dicat
» Apostolus (2. *ad Corinth. c. 12.*) *non debent filii the-*
» *saurizare parentibus, sed parentes filiis:* multùm lon-
» gè à paterna pietate esse videtur, si Præpositi subdi-
» tis suis graves existant, quos in cunctis necessitati-
» bus, Pastoris more, debent fovere. Archidiaconi
» verò (id est, Archipresbyteri rurales *Gl. hic*) nullas
» exa-

» exactiones, sive tallias in Presbyteros, seu Clericos » exercere præsumant. Ex quo infert *Abb. hîc n. 2.* Regulam generalem, quòd nullus Prælatus Ecclesiasticus, citra Papam, potest collectas (extraordinarias scilicet, nam aliud est de Cathedratico, portione Canonicâ, & collectis ordinariis Episcopo debitis, ut patet ex supra dictis §. 1.) subditis imponere. Excipitur in *cit.* §. *Prohibemus*; quòd Episcopi possint, ex manifesta, & rationabili causa, moderatum auxilium, cum charitate, à subditis exigere, quod vulgò charitativum subsidium vocatur, quo suis consulant necessitatibus, circa quod occurrunt aliquæ quæstiones hoc loco expediendæ.

LIV. Quæritur itaque primò. Qui nam possint exigere hujusmodi subsidium charitatis? Resp. possunt inprimis Episcopi, electi, & confirmati: etsi consecrati non sint, & qui similem Episcopali jurisdictionem in Clericos, ac Beneficiarios sibi subjectos habent, hoc subsidium exigere, ac proinde etiam iis Superiores, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ in Diœcesibus propriis: non autem Suffraganeorum, nisi ex consuetudine id eis competat, *Azor p. 2. l. 9. c. 14. q. 5. Barb. de offic. Episc. alleg. 87. n. 7. & 9.* Debet autem Episcopus, quando exigere vult hoc subsidium, id facere, cum consensu Capituli sui: imò secundùm aliquos, ipsorum etiam Clericorum, *arg. c. Novit; 4. & c. Quanto; 5. de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. &c. Barb. c. l. n. 11.* Secundò, etiam Capitulum Cathedrale, Sede Episcopali vacante, tale subsidium exigere potest, sicut & Administrator generalis, datus à Papa, Sede vacante, vel Episcopo à Papa datus Coadjutor, *Azor c. l. Barb. c. l. n. 10. & 13.* non autem Vicarius Generalis Episcopi, sine speciali ejus mandato, *Azor c. l. Barb. c. l. n. 12.* Tertiò, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, & Legatus Papæ à Latere in Ecclesiis suæ Provinciæ, habent etiam Jus exigendi hoc subsidium: non autem Prælati Episcopo inferiores: nisi id eis competat ex privilegio, vel consuetudine, *Azor c. l. Barb. n. 14. & 2 seqq.* Quartò, Commendatarius perpetuus Ecclesiæ Cathedralis potest petere subsidium, *Azor c. l. Barb. num. 20. & 21.* Item Præpositus Generalis totius Ordinis Regularis, *Barb. c. l. n. 19.* Denique Rom. Pontifex hoc subsidium petere potest ab omnibus Clericis, & Ecclesiis; cùm sit Ordinarius Curatorum, & Episcopus universalis Ecclesiæ, *Barb. c. l. n. 22. & seq.*

LV. Quæritur secundò. Ex quibus causis charitativum subsidium exigi possit? Resp. in genere loquendo, causa exigendi hoc subsidium debet esse manifesta, & rationabilis, *c. Conquerente; 16. in fine de Offic. Ordin. & cit.* §. *Prohibemus; h. t.* cujusmodi in specie est pro debitorum solutione, quæ in utilitatem Ecclesiæ sunt contracta: item si opus sit multis sumptibus pro consecratione Episcopi, Fabricâ Ecclesiæ, negotiis communibus Diœcesis pertractandis: pro profectione ad Papam, vel Imperatorem, ob Ecclesiæ suæ: vel etiam totius Ecclesiæ Universalis commune bonum: pro itinere ad Limina Apostolorum visitanda, ad Concilium Generale, vel etiam Provinciale, pro defensione Ecclesiæ contra hostes &c. *Azor cit. c. 14. q. 4. Barb. cit. alleg. 87. n. 29. & seqq.* Quòd si dubitetur, an causa justa publicæ utilitatis, vel necessitatis adsit, Superioris arbitrio, id determinandum est, cùm nihil certum in jure sit definitum, *Gl. in cit.* §. *Prohibemus*; *V. Rationabilis*; vel partium consensu arbitri sunt constituendi, *Azor c. l. q. 4. in fine Laym. Lib. 3. tract. 3. p. 1. c. 3.* §. *unic. n. 9. Barb. c. l. n. 28.* Potest autem, ex prædictis causis Episcopus, non solùm semel: sed sæpius, quoties causa rationabilis subest, tale subsidium exigere, modò subditi non graventur plus, quàm par est, *Azor c. l. q. 8. Barb. c. l. n. 26.* Porro quantum debeat solvi, & exigi possit, nomine subsidii charitativi, non est jure aliquo definitum, nisi quod moderatum esse debeat, *Navarr. Lib. 3. consil. 5. num. 1. h. t.* Ideóque id etiam Judicis arbitrio relinquitur, utillius quantitatem determinet, juxta qualitatem loci, quantitatem annuorum reddituum, & expensarum, quæ ab Episcopo fieri debent, aliàsque similes circumstantias, *Menoch. de arbitr. judic. casu 179. n. 4.*

LVI. Quæritur tertiò. A quibus personis charitativum subsidium exigi possit? Resp. hoc subsidium inprimis exigi potest ab Ecclesiis, & Clericis Beneficiatis Episcopo subjectis; nam est onus mixtum, adhærens personis, in ordine ad Ecclesias & Beneficia, ex quibus reditus Ecclesiasticos percipiunt. Quare Clerici nullum Beneficium habentes, non obligantur ad præstandum subsidium charitativum, etsi bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia in Diœcesi obtineant, *Azor cit. c. 14. q. 6. Laym. cit. c. 3.* §. *unic. n. 11. Barb. cit. alleg. n. 48.* non verò potest exigi à Laicis, ut colligitur ex *c. Quia cognovimus; 6. caus. 10. q. 3.* Nec obstat, quòd dicitur in *cit.* §. *Prohibemus; h. t.* posse Episcopum à subditis petere hujusmodi subsidium; id enim intelligendum est de Ecclesiasticis, *juxta cit. c. Conquerente; de offic. Ord.* nam propriè ac strictè loquendo, Laici Diœcesani non dicuntur subditi Episcopi absolutè, licèt quoad aliqua, in spiritualibus scilicet, Episcopo subjiciantur, *Azor cit. q. 6. & Barb. c. l. n. 40. & 41.* Clericus autem pensionarius, cujus Beneficium pensione gravatum est, tenetur hoc subsidium solvere pro rata, nisi pensio ipsi assignata sit libera ab omnibus oneribus, & contributionibus, uti ordinariè esse solet, *Azor cit. q. 6.* §. *Si quæras; Laym. c. l. num. 11.*

Præterea Capitulum, seu Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel etiam Collegiatæ sæcularis, spectato Jure communi, obligantur, ad hoc subsidium Episcopo præstandum, ut colligitur ex *Extrav. 1.* §. *Præmissis*; ibi *eorumque Capitulis h. t. inter communes*; nam æquum est, ut membra subveniant Capiti suo, *Laym. c. l. n. 12. Barb. c. l. n. 43.* Est autem hoc subsidium solvendum, tantùm ex reditibus Beneficiorum Ecclesiasticorum: non autem ex distributionibus quotidianis, quæ nomine fructuum, seu reddituum Beneficialium non continentur, *Barb. c. l. n. 44.* Verùm Monasteria, & Ecclesiæ Regularium, etiam non exempta, ad hoc subsidium, spectato Jure communi, non tenentur; quia pertinet ad Legem Diœcesanam Episcopi, à qua Monasteria Regularium sunt exempta: nisi ratione Ecclesiarum sæcularium, vel Capellarum habentium populum, quæ antequam unirentur Monasterio, solvere consueverunt hoc subsidium charitatis, & alia jura Episcopalia, tunc enim illæ nihilominus debent Episcopo Diœcesis solvere hoc subsidium, de quibus est sermo in *Clem. 1. & 2. h. t.* Ratio est, quia nunquam præsumitur, quòd talis unio facta sit, cum præjudicio jurium Episcopalium, *Azor c. l. q. 6.* §. *Item non potest; 1. & 2. Laym. n. 13. Barb. cit. alleg. n. 45. & 2. seqq.* & di-

& dictum supr. *Lib. 1. Tit. 31. n. 109.* Sed neque Clerici pauperes, qui scilicet ultra commodum, & honestum victum, nihil habent, possunt cogi, ad tale subsidium præstandum, *Azor c. l. §. Quid dicendum; Barb. c. l. n. 49.* quia nimium gravarentur. Denique si Ecclesia sita in una Diœcesi, habeat prædia, & reditus suos in alia Diœcesi, subsidium charitativum solvi debet Episcopo illius Diœcesis, in qua Ecclesia sita est, prout sumitur ex *cit. c. Conquerente; 16. de offic. Ordin.* quia tale subsidium non est onus reale, adhærens ipsi prædio, qualia sunt tributa agris imposita: sed est onus adhærens personæ, in ordine ad prædia, seu reditus Ecclesiasticos, & debet præstari à Clericis, ratione Ecclesiarum, quas habent, *Azor c. l. q. 6. §. Quid dicendum; Barb. c. l. n. 51. Laym. c. l. n. 11. in coroll. 4.*

LVII. Quæritur quartò. Utrùm Episcopus subsidium charitativum possit remittere, & an contra illud præscribi possit? Resp. non posse remittere omnino, sive in totum; quia ejusmodi subsidium debetur ex vi Juris communis, & publici, quod privatorum pactis tolli non potest: tum quia talis remissio cederet in damnum Ecclesiæ, aliorùmque gravamen: potest tamen Episcopus semel, atque iterum remittere, ex justa causa, unum, vel alterum Clericum eximendo ab hoc onere, saltem ad tempus, vel etiam convenire cum Ecclesiis, & Clericis, ut subsidium istud aliâ ratione compensetur, *Azor cit. c. 14. q. 7. Laym. c. l. n. 14.* Et hinc inferunt Dd. contra hoc Jus non posse temporis diuturnitate præscribi; quia subsidium istud ex naturali æquitate, & ex Lege charitatis debetur, contra quam nulla datur præscriptio, *Azor cit. q. 7. §. Ex his colligitur*; Sed *Laym. c. l. n. 15.* putat, etsi ordinario tempore non possit contra hoc Jus præscribi, posse tamen tempore immemoriali; quia non est contra charitatem, aut dictamen rectæ rationis, quòd Ecclesia aliqua à communibus alioquin oneribus eximatur, sive per privilegium S. Pontificis: sive per aliquam compositionem cum Episcopo factam, ergo etiam per præscriptionem temporis immemorialis, cum bona fide, immunitas à subsidio charitativo usucapi, seu acquiri potest, plura de hoc *Laym. c. l.*

LVIII. Postremò hoc loco addendum est, quòd circa exactiones illicitas statutum est in *c. Ea quæ; 12. h. t.* Ubi habetur, quòd quidam Archidiaconi, pro-
» pter visitationem B. Petri, collectam denariorum
» faciebant per Archidiaconatus suos, & eâ occasio-
» ne, Ecclesias, & Parochias valde gravabant; id pro-
» hibet Papa Alexander III. ne deinceps faciant: quòd
» si secus fecerint, id, quod videntur habere, aufera-
» tur ab eis, id est, officio suo privari debent, videli-
» cet Archidiaconatûs, vel potiùs officio collectandi, *Abb. hîc n. 2.* Ratio est, quia sub specie tributorum, non debent illicitæ exactiones fieri, *l. Illicitas; 6. §. Illicita; ff. de Offic. Præsid. Gl. hîc V. Gravetis*; & privilegium meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate, *c. Privilegium; 63. caus. 11. q. 3. & Gl. fin.* hîc, verba ultima textûs ita explicat, ne dum quæretis occupare, quod vestrum non est, perdatis, quod vobis competere videbatur. Potest autem decisio hujus cap. intelligi generaliter de omnibus Collectoribus, quòd debent officio privari, si limites excedant, & subditos immoderatis collectis gravent, *Abb. hîc in fine.*

SECTIO III.

DE PROCURATIONIBVS.

Tertia pars Rubricæ hujus Tituli est de Procurationibus, quo nomine veniunt eæ expensæ, quæ præstari debent illis Prælatis, quibus ex officio incumbit, visitare Ecclesias, sive Sæculares, sive Regulares.

§. I.

An, cur, & quomodo procurationes sint præstandæ visitantibus Ecclesias, & Clericos: & an etiam exigi, & recipi possint in pecunia?

LIX. Assertio 1. Procurationes solvi debent, ratione visitationis, *c. Procurationes; 23. h. t.* Idque ideo statutum est à SS. Canonibus; quia cum visitantes spiritualia seminent in utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, ideo meritò ab eisdem præstantur procurationes, & temporalia in sustentationem, nam qui spiritualia seminat, non est magnum, si metat carnalia, seu temporalia, cùm nemo cogatur suis stipendiis militare, juxta Apostolum 1. *ad Corinth. 9.* & habetur etiam in *c. Cùm ex officii; 16. de præscript.* Unde licèt Episcopi, aliique Prælati reditus amplos habeant, qui sufficerent etiam ad sumptus visitationum: nihilominus tamen procurationes eis solvendæ sunt, tum in signum subjectionis: tum ut ipsi magis alliciantur ad visitationem, quam aliàs facilè negligerent, si suis impensis eam obire deberent: sicut etiam Canonicis dantur quotidianæ distributiones, ut intersint Officiis Divinis, licèt ad id obligentur. *Abb. in cit. c. Cùm ex officii; n. 9. & cit. c. Procurationes; n. 5. h. t.* Quæ absque Simoniæ vitio Prælati accipere possunt procurationes, quando visitant; quia dantur illis, non in pretium correctionis, seu visitationis: sed tanquam debitum stipendium laboris, ut ait *S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3.*

LX. Assertio 2. Procurationes ab Ecclesiis tempore visitationis solvendæ, debent esse moderatæ, habitâ facultatum earundem ratione, ita ut Ecclesiæ nequaquam graventur, prout habetur in *cit. c. Conquerente; 16. de offic. Ordin. c. Sopitæ; 14. in fine, c. Procurationes; 23. c. Cùm nuper; 25. h. t.* Et hinc, cùm quidam Prælati, dum Ecclesias visitarent, ita eas gravarent in procurationibus exigendis, ut interdum subditi Ecclesiastica ornamenta vendere, vel obligare
» compellerentur, & brevis hora longi temporis vi-
» ctum consumeret: ideo statuit Concilium Latera-
» nense (sub Alexandro III. *c. 4.* quod refertur in *c.*
» *Cùm Apostolus; 6. in princ. h. t.* Ut Prælati prædicti
» Parochias visitantes, pro diversitate Provinciarum,
» & secundùm facultates Ecclesiarum, procurationes
» recipiant: & Archiepiscopi quidem numerum 40.
» vel 50. tam personarum: quàm evectionum, sive
» equorum non excedant: Episcopi 20. vel 30. Car-
» dinales 25. Archidiaconi verò 5. vel 7. Decani con-
» stituti sub Episcopis (sive Archipresbyteri rurales)
» duobus equis contenti existant. Nec ducant secum
» canes venatorios, & aves, & ita procedant, ut non
» quæ sua sunt: sed quæ Jesu Christi, quærere videan-
» tur:

» tur : nec sumptuosas epulas quærant : sed cum gra-
» tiarum actione recipiant, quod honestè,& compe-
» tenter eis fuerit ministratum. Additur *in fine cit. c.*
» *Cùm Apostolus* ; §. *Sanè* ; quod de prædicto numero
» personarum,& equitum,secundùm tolerantiam,di-
» ctum est, in illis locis poterit observari, in quibus
» ampliores sunt reditus,& facultates Ecclesiarum : in
» pauperioribus autem locis eam teneant mensuram,
» ut ex accessu majorum minores non debeant aggra-
» vari : & illi,qui paucioribus equis uti solebant ; non
» existiment, sibi indulgentiam, seu potestatem esse
» concessam,pluribus equis utendi ; nam, ut ait *Gl. fin.*
ibid. quod provisum est ad levamen, extendi non de-
bet ad gravamen, *arg. c. Licèt* ; *6. dist.* 45.

Hanc Constitutionem Concilii Lateranensis in-
novavit, & extendit *Concil. Trid. Sess.* 24. *c.* 3. *de ref.*
» his verbis : monentur omnes,& singuli, ad quos vi-
» sitatio spectat, ut paternâ charitate, Christianòque
» zelo omnes amplectantur : ideóque modesto con-
» tenti equitatu,famulatùque, studeant quàm celerri-
» mè visitationem ipsam absolvere,debita tamen cum
» diligentia ; interìmque caveant, ne inutilibus sum-
» ptibus cuiquam graves onerosique sint.

LXI. Assertio 3. Procurationis nomine præstari debent ab illis, qui visitantur, victualia, quæ scilicet pertinent ad victum, hoc est, cibum,& potum honestum,& sufficientem pro ipso Visitatore, ejùsque moderato comitatu, & pabulum pro equis ac jumentis, quibus utitur, in quibus suppeditandis consuetudo Patriæ, seu Provinciæ, facultates subditorum, qui visitantur, & Visitatoris conditio spectanda est. *Azor p.* 2. *Instit. l.* 3. *c.* 42. *q.* 7. §. *Quæres* ; *Zerola in praxi Episc. p.* 1. *V. Visitatio ad dub.* 6. Vecturæ autem equorum, aut jumentorum sarcinas deferentium solvi non debent, nisi Visitator sit Prælatus à S. Pontifice delegatus : tunc enim solvi debent mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno loco ad alium transire commodè possit. *Azor c. l. q.* 8. *Barb. de offic. Episc. alleg.* 73. *n.* 57.

LXII. Assertio 4. Olim ab iis, qui præstare procurationes victualium debebant, invitis non poterant procurationes exigi in pecunia, *c. Relata* ; 9. *caus.* 10. *q.* 1. sed à volentibus dare bene poterant accipi in pecunia, & certa summa taxari, *c. Relatum* ; 9. *caus.* 10. *q.* 3. *Gl. in c. Felicis* ; 3. *V. Concedimus* ; *h. t. in* 6. Postea verò Innocentius IV. in *c. Romana* ; 1. §. *Procuratio-*
» *tiones* ; *h. t. in* 6. constituit, ut procurationes quidem Visitator recipiat, prout est in priscis Canoni-
» bus constitutum (*cit. c. Relatum* ; *c. Cùm Apostolus* ;
» 6. *c. Sopitæ* ; 14. *c. Cùm nuper* ; 26. *h. t.*) nullam tamen pecuniam ipse, vel aliquis ex ejus familia, occasione alicujus officii (v. g. scriptoris, sigillatoris,
» vel similis, *Gl. hìc V. Officii* ;) aut consuetudinis,
» aut quolibet alio modo, earum nomine : sed in victualibus tantùm expensas moderatas recipiat. »
» Caveat insuper,ne ipse Visitator, vel quisquam suo-
» rum aliquod munus, quodcúnque illud sit, & qua-
» litercúnque offeratur, præsumat accipere, ut non,
» quæ sua sunt, videatur quærere : sed quæ Christi. Idémque statutum est de Delegato,nisi quòd hic esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi possunt, recipere possit, *c. Statutum* ; 11. §. *Insuper de re-*
» *script. in* 6. *Gl. hic V. Aliquod munus.* Quòd si quid
» contrà fuerit præsumptum, seu attentatum, reci-
piens maledictionem (id est, pœnam æternam, »
quæ debetur pro peccato mortali ; cùm maledictio »
Papæ excommunicationem non inducat, *Jo. Andr.* »
hìc n. 8. *& Franc. n.* 3. *not.* 4.) incurrat, à qua num- »
quam, nisi duplum restituat, (illi, à quo accepit) »
liberetur, idque ut in his omnis fraus penitus evite- »
tur, quæ nulli patrocinari debet, *c. Sedes* ; 15. *de re-* »
script. Jo. Andr. hìc n. 8. »

LXIII. Ubi Notandum primò. Visitator non potest etiam esculenta,& proculenta accipere,ultrà necessaria victualia pro quotidiano victu, & quæ in loco visitationis non absumuntur, sed aliò deportantur : esculenta verò, quæ ibi absumuntur, possunt recipi, *Jo. Andr. in cit. c.* 1. *n.* 7. *h. t. in* 6. ubi tamen addit, non posse exigi ; sine peccato. Notandum secundò, Notarius Episcopi potest justum salarium accipere à Visitatis, ratione decretorum,& ordinationum in visitatione factarum, quas expedit, si non sit de familia Visitatoris, nec salarium ex publico habeat, nec consuetudo habeat, vel statutum decernat, ut gratis officium præstet in visitationibus ; nam licèt etiam Ordines gratis conferri debeant, Notario tamen solvitur stipendium pro scriptura, quâ fidem facit de collatis Ordinibus,si salarium non habeat ex publico, *Navarr. Lib.* 3. *consil.* 1. *h. t. Zerol. in praxi V. Visitatio* ; *dub.* 4.

LXIV. Porro prædictam Constitutionem Innocentii IV. in *cit. c.* 1. §. *Procurationes* ; Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi, quod refertur in *c. Exigit* ; 2. *h. t. in* 6. quia non bene observabatur, quatenus præcipit, procurationes non esse recipiendas in pecunia, nec munera à Visitantibus, eorùmque familiaribus, pœnâ adjectâ, de novo confirmavit,statuens, ut universi,& singuli (nam prior Constitutio »
solùm de Archiepiscopis loquebatur, quæ hìc ad »
omnes alios Visitatores extenditur, *Gl. hìc V. Statuen-* »
tes ;) qui ob procurationem ratione visitationis si- »
bi debitam (aliud ergò est de aliis procurationibus, »
quæ debentur Legatis, seu Nunciis Sedis Apostoli- »
cæ, vel ratione consuetudinis, vel pacti appositi in »
fundatione, vel consecratione, in quibus non ha- »
bet locum dicta Constitutio, *Gl. hìc V. Visitatio-* »
nis ;) exigere pecuniam, id est, ab invito extor- »
quere, vel etiam à volente sponte recipere, vel a- »
liàs munera accipere, vel non impenso visitatio- »
nis officio, procurationem in victualibus, vel ali- »
quid aliud, occasione procurationis, accipere : & sic »
Constitutionem prædictam violare præsumpserint, »
duplum ejus, quod receperunt, Ecclesiæ illi, à qua »
receperunt, intra mensem reddere teneantur : alio- »
quin ex tunc, id est, elapso mense, Patriarchæ, Ar- »
chiepiscopi, Episcopi, si illud duplum, ultra prædi- »
ctum tempus, restituere differant, ingressu Eccle- »
siæ sunt interdicti. Inferiores verò Visitatores ab »
Officio, & Beneficio sunt suspensi, quousque quo- »
ad duplum hujusmodi gravatis Ecclesiis plenè satis- »
fecerint : nec ulla in hoc dantium remissio, liberali- »
tas, seu gratia valet, vel eis prodest : quò minùs sci- »
licet exigentes procurationes in pecunia, vel accipien-
tes munera etiam sponte oblata, in duplum restituere
teneantur.

Ubi addendum, si hujusmodi Visitatores prohibiti ab ingressu Ecclesiæ, durante interdicto, moriantur, non sunt sepeliendi in Cœmiterio, seu loco sacro : nisi pœnituerint, & si interim celebrent in Ecclesia, seu mini-

ministrent in suo officio, fiunt irregulares, *juxta c. Is cui*; 20. *de sent. excomm. in 6. Gl. hic V. Interdictum.* Inferiores verò Visitatores ab Officio, & Beneficio suspensi, si interea celebrent, ut priùs, fiunt irregulares, nec poterunt ab alio, quàm à Papa absolvi, *c. 1. de sent. & re judic. in 6, c. 1. de sent. excomm. in 6. Gl. hic V. Suspensos*; donec plenè duplum restituerint: factâ autem restitutione, statim sunt absoluti, sine alia sententia absolutoria: quamvis si dubium sit de satisfactione, opus erit declaratione, illam esse factam, *Gl. hic V. Quousque*; *junct. addit.*

LXV. Verùm hanc ipsam Constitutionem Gregorii X. in *cit. c. 2. h. t. in 6.* sicut & Innocentii IV. Bonifacius VIII. (qui tamen id solùm principaliter prohibuerat in Archiepiscopis) cùm cognosceret, vel ex ipsa rerum experientia, illam non posse ubique, sine maximo Ecclesiarum, quæ visitantur, & Prælatorum, qui visitant, incommodo servari: (quia sæpe contingit, ut Clerici visitandi nec domum habeant, quæ commodè Episcopum visitantem capere possit, nec suppellectilem ad eum usum necessariam, nec possint, sine gravi dispendio, victualia ad locum competentem deferri, vel aliò transmitti, *Gl. hic V. Dispendia*;) eandem Constitutionem ex parte immutavit, in *c. Felicis*; 3. *h. t. in 6.* & statuit, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii ad quos ex officio spectat visitatio (idem est de iis, quibus ex commissione, seu delegatione competit potestas visitandi; cùm utrobique eadem sit ratio, *Gl. hic V. Officio*;) possint à Rectoribus Ecclesiarum, & locorum visitatorum, si pro sumptibus moderatis faciendis, ratione visitationis, loco victualium, certam pecuniam sponte offerant, licitè eandem accipere, illis diebus, quibus officium visitationis personaliter exercent. Si verò non ipsi Ordinarii Visitatores personaliter ac per se: sed per alios delegatos visitent, tum non ipsi: sed ab iisdem deputati victualia, vel pro illis pecuniam accipere poterunt, *juxta c. Si Episcopus*; 6. *de Offic. Ordin. in 6. Gl. hic V. Officio.*

Addit Bonifacius VIII. in *cit. c. 3. h. t. in 6.* Quòd non liceat Visitatori, nisi unam procurationem recipere, unâ eadémque die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura: etiamsi quilibet locus visitatus ab illo sufficeret ad integram procurationem solvendam, cùm eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro illis diebus, quibus spiritualia subministrat. Ubi *Gl.* addit *V. Persolvendam*; quòd alioquin etiam posset, unâ die, visitare totam Civitatem, & tot procurationes accipere, quot sunt ibi Ecclesiæ, quod absurdum foret, esset enim accessorium majus suo principali.

Denique subjungitur in fine *cit. c. Felicis*; 3. *eod. in 6.* Quòd cætera in prædicta Constitutione Gregorii X. contenta maneant in suo robore, & incorrecta, seu immutata, nempe quæ statuta fuerunt in illa circa exactiones, quòd non liceat procurationes, etiam in victualibus, recipere à locis visitatis, nec à visitantibus, vel eorum famulis munera sint recipienda, unâ cum pœnis ibi decretis, *Gl. fin. in cit. c. 3.*

LXVI. Cæterùm prædictæ Constitutiones Decretales confirmantur à *Concilio Trid. Sess. 24. c. 3. de ref.* his verbis: Caveant, ne ipsi (ad quos visitatio spectat) aut quisquam suorum, quicquam procurationis causâ, pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcúnque sit, etiam qualitercúnque offeratur, accipiant, non obstante quacúnque consuetudine, etiam immemoriali: exceptis tantùm victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderatéque, pro temporis tantùm necessitate, & non ultra, erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum: an verò prædicta victualia subministrare: salvo item jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisque piis locis, aut Ecclesiis non parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud à Visitatoribus accipiatur: sed omnia gratis fiant, id ibi observetur. Quòd si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is, præter dupli restitutionem, intra mensem faciendam, aliis etiam pœnis, juxta Constitutionem Concilii Generalis Lugdunensis, quæ incipit, *Exigit* (& habetur in *c. 2. h. t. in 6.*) nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali, arbitrio Synodi, absque ulla spe veniæ, mulctetur.

§. II.

Quibus Prælatis, & quando: ac quâ ratione præstari debeant procurationes?

LXVII. De hoc agitur in *c. Procurationes*; 23. *h. t.* Quod est desumptum ex Concilio Generali Lateranensi *c. 33.* Nam quia Prælati quidam aliquando accipiebant procurationes, causâ visitationis, nec tamen visitabant, ideo statuit Concilium Lateranense, ut procurationes, quæ debentur, ratione visitationis, Episcopis, vel Archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam Sedis Apostolicæ Legatis, aut Nunciis, nullatenus absque manifesta, & necessaria causa ab eis exigantur, nisi quando personaliter officium visitationis impendunt: & tunc quoad personas & equos, servetur modus, & mediocritas statuta in Concilio Lateranensi (sub Alexandro III. & habetur in *c. Cùm Apostolus*; 6. *h. t.*) hoc adhibito moderamine circa Legatos, seu Nuncios Sedis Apostolicæ, ut si apud locum vel Ecclesiam aliquam moram longiorem, & necessariam fecerint, ne locus ille nimiùm aggravetur, procurationes moderatas ab aliis Ecclesiis, vel personis recipiant, quæ nondum fuerant procurationibus gravatæ, ita tamen, ut numerus procurationum non excedat numerum dierum, quibus hujusmodi moram fecerint: & si una Ecclesia non sufficiat sola, duæ, vel tres conjungantur, ut contribuant ad unam procurationem. Porro Visitatores non quærant, quæ sua sunt: sed quæ Jesu Christi, prædicationi, & exhortationi, correctioni, & reformationi vacando, ut referant fructum, qui non perit. Qui autem contra hoc statutum venire attentaverit, & quod accepit, reddat, & tantundem Ecclesiæ, quam tali modo gravavit, impendat.

LXVIII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò, Procuratio, ratione visitationis, debetur, non

tantùm Episcopis, iisque Superioribus, ut Archiepiscopis, Legatis aut Nunciis Sedis Apostolicæ visitantibus: sed etiam Archidiaconis, & aliis inferioribus Prælatis, *C. Mandamus*; 6. *junct. Gl. V. Visitandas de Offic. Archidiac.* quod intelligendum est, dummodo habeant Ecclesias sibi subjectas ex speciali jure, v.g. privilegio, vel consuetudine; nam aliàs de jure communi omnes Ecclesiæ Episcopo loci sunt subjectæ, *Abb. hîc n. 2.*

Notandum secundò. Procuratio alia debetur, ratione visitationis, ut hîc: Alia ratione consuetudinis præscriptæ, *c. Servitium*; 31. *caus.* 18. *q.* 2. *c. Cùm venerabilis*; 21. *in fine h. t.* Alia ratione pacti, quod appositum fuit in ipsa fundatione, *c. Quanto*; 16. *h. t. c. Præterea*; 23. *de jur. patron.* Alia ratione privilegii, *arg. c. Accedentibus*; 12. *de excess. Prælat. Gl. in cit. c. Procurationes*; *V. Visitationis*; *junct. Gl. marg. lit. E. h. t.* Potest addi quinta species procurationis, quæ debetur Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ, quando transeunt, etsi non visitent, *c. Cùm instantia*; 17. §. *Sanè*; *h. t. Hostiens. hîc V. ratione visitationis*; de quo infra.

Notandum tertiò. Prælati tenentur personaliter visitare, nec possunt id munus alteri committere: nisi ex manifesta & necessaria causa, *cit. c. Procurationes*; ibi: *absque manifesta & necessaria causa*, ut si Episcopus ipsemet omnia loca visitare non possit, propter nimis latam & diffusam Diœcesin *Gl. ib. V. Personaliter*; Quòd si Episcopus legitimè, impeditus propriam Diœcesin per alium visitat, procuratio non illi solvi debet: sed Visitanti, *c. Si Episcopus*; 37. *de Offic. Ord. in* 6. *Gl. in cit. c. Procurationes*; *V. Personaliter*; *& Abb. n.* 5. *in fine*, quia qui nõ facit visitationis officium, non debet recipere procurationis beneficium, *Hostiens. ibid. V. Quando personaliter.*

LXIX. Concordat *Textus in Extravag. Vel electionis unic. h. t. inter communes* §. *Si verò*; Ubi dicitur, quòd Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati, aliæque personæ Ecclesiasticæ ex privilegio Apostolico per alios visitare, & procurationes recipere valeant in pecuniâ numerata, ubi *Gl. V. Ex privilegio*; ait, sine privilegio verò id non possunt, aliàs contrà facientes punientur, *juxta c.* 3. *h. t. in* 6. *Fagnan. in cit. c. Procurationes*; *n.* 6. *h. t.* Porro in *cit. Extrav.* Papa Benedictus XII. certum modum, metam ac terminum sumptibus procurationum, pro cujùsque Provinciæ varietate, & Visitatorum dignitate, statuit ac præscribit, & taxat, quid in singulis Provinciis à quibusvis Ecclesiiis per Prælatos, pro exactionibus procurationum, & charitatis subsidio sit accipiendum, *Vivian. in Ration. Iur. Pont. in cit. Extravag.* quæ tamen in pluribus locis non est usu recepta, sed passim in desuetudinem abiit, ideóque circa illam non est immorandum.

LXX. Notandum quartò. Episcopi, aliique Prælati in visitatione debent esse contenti modesto equitatu, & famulatu, ne inutilibus sumptibus visitatis graves, & onerosi sint, prout etiam habetur in *c. Apostolus*; 6. *h. t.* Unde Visitatores non possunt exigere expensas factas in eundo ad locum, ubi visitant, vel emendo equos, in locum demortuorum, nec ferraturas equorum, nec vestes, ac similia; quia horum procuratio excederet procurationes debitas solùm ad dies, quibus fit visitatio, *Hostiens. in cit. c. Procurationes*; *V. Numerus procurationum*; *Abb. ibid. n.* 4.

Notandum quintò. Numerus procurationum commensurari debet numero dierum, quibus durat visitatio, neque illorum numerum excedere, *Hostiens. in cit. c. Procurationis*; *V. Numerus procurationum*, *Fagn. ib. n.* 18. Et hinc si Episcopus, unâ die, visitet duas Parochias, quarum quælibet ad integram procurationem sufficit, non duas, sed unam tantùm accipere potest; quia tam Jus antiquum, quàm novum solùm voluit visitantibus prospicere de quotidiano necessario victu, *Gl. in Clement.* 2. *V. Unâ die*; *h. t. Zerola in praxi V. Visitatio*; §. *Ad dubium*; 6.

Notandum sextò. Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ datur procuratio, non principaliter, ratione visitationis, sed quia subeunt alia etiam munera, seu onera, adeóque etiamsi non visitent, *juxta c.* 2. *de Legat. in* 6. *Abb. hîc n.* 5. Quòd si una Ecclesia non possit integram procurationem solvere Legato, vel Nuncio, plures concurrere debent ad unam procurationem solvendam, *cit. c. Procurationes*; de quo infra.

Notandum septimò. Prælati exigentes procurationem, cùm personaliter non visitant, non tantùm tenentur sic exactum restituere Ecclesiis, à quibus id acceperunt, sed etiam tantundem in pœnam transgressionis, adeóque puniuntur in duplum, *cit. c. Procurationes*; *in fine*, *& in c.* 2. *eod. in* 6. de quo infra. Nec obstat *text. in c. Quoniam*; 7. *dist.* 18. Ubi imponitur pœna quadrupli. Sed omissis aliis responsionibus, verior est illa, quòd text. allegatus loquatur in alio casu, nempe de Archiepiscopo, qui aliquid aufert Episcopo in bonis, quæ secum defert, dum proficiscitur ad Concilium Provinciale; is enim solvere debet quadruplum, quæ responsio consonat ipsi litteræ, *Abb. in cit. c. Procurationes*; *n.* 6. *Fagn. n.* 23. *&* 24.

§. III.

Quænam Ecclesiæ, vel loca Ecclesiastica, aut personæ, & quibus teneantur solvere procurationes, vel non teneantur?

LXXI. Assertio 1. Omnes Ecclesiæ, sive sæculares, sive etiam regulares, Monasteria, aut personæ item Capellæ in Ecclesiis Collegiatis erectæ, & Oratoria publica, Episcopi auctoritate, institutæ solvere debent impensas procurationum Episcopo Diœcesin personaliter visitanti, vel alteri Visitatori: nisi speciali bus privilegiis sint exemptæ, ut docet *Azor p.* 2 *l.* 3. *c.* 41. *q.* 1. *&* 2. *& alii communiter*; nam licèt Monasteria exempta sint à lege Diœcesana Episcopi, *c. Dilectus*; 18. *de Offic. Ordin. Junct. Gl. V. De lege jurisdictionis*; quia tamen procuratio annexa est visitationi, *c. Cùm Venerabilis*; 21. *h. t.* ideo solvenda est etiam à Monasteriis, quæ visitationi Episcopi sunt subjecta, *Abb. in c. Sopitæ*; 14. *h. t.* & dictum supr. *Lib.* 1. *Tit.* 31. *n.* 107.

LXXII. Idque extenditur primò, Quòd etiam Archiepiscopo visitanti Provinciam à Monasteriis Provinciæ non exemptis procurationes solvi debeant, ut constat ex *cit. c. Sopitæ*; *h. t.* Nam cùm inter Archiepiscopum Ravennensem, & Monasteria Bononiæ super procurationibus, quas ab eis exegerat, contro-
versia verteretur: Eâ ad Sedem Apostolicam delatâ, Archiepiscopus asserebat, procurationes istas ab aliis Monasteriis suæ Provinciæ, sibi, sine contradictione, præstari, eàsque Præcessoribus suis in Monasteriis Bononiensibus exhibitas fuisse, per testes idoneos probavit. Quare Papa Lucius III. videns intentio-
nem

» nem Archiepiscopi jure communi fundatam esse (*c. Devenimus* ; 10. & *c. Placuit* ; 12. *caus.* 10. *q.* 10. quod solum sufficit, *Gl. hîc V. Iure communi*; Nec obstat *c. Luminoso*; 6. *caus.* 18. *q.* 2. quia loquitur de Monasteriis » exemptis, *Gl. ibid. V. Luminoso*;) & Antecessorum » suorum consuetudine adjuvari, (adeóque duplici » jure, quorum utrumque per se sufficeret, *Gl. hîc V.* » *Consuetudine*;) ideo prædicta Monasteria condemna- » vit ad procurationes, secundùm facultates eorum » (quod semper considerandum est; *Gl. fin. hîc*) dicto » Archiepiscopo, & Successoribus ipsius præstandam. Ratio decisionis est, quia idem Jus locum habere debet in aliis etiam similibus; & quia pro Episcopo stabat; non solùm Jus commune: sed etiam generalis consuetudo, ea extendenda erat ad alias etiam Ecclesias similis conditionis, cùm non esset contra Jus commune, *Gl. hîc V. Iure communi, junct. Gl. margin. lit. D. Innoc. ibid. V. Exhibitas.* Id autem intelligi debet, quando Archiepiscopus causâ visitationis & correctionis venit ad Monasteria: secus, si ex alia causa veniat; nempe ob propria negotia; tunc enim procuratio ei solvi non debet, etiamsi per illam Diœcesin iret ad aliam Ecclesiam visitandam, *Gl. fin. hîc junct. Gl. marg. lit. E. Io. Andr. in fine ibid.*

LXXIII. Extenditur secundò. Quòd Episcopus non tantùm ab Ecclesiis suæ Diœcesis: sed etiam ab Ecclesiis Civitatis Episcopalis, quas visitat, procurationem possit exigere, & recipere, prout sumitur ex » *c. Venerabili*; 24. *h. t.* Nam inter Episcopum Cenomanensem ex una parte, & Abbatem, ac Conventum » de Cultura, ex altera, super procurationibus præstandis, quas Episcopus ab eis exigebat, ratione visitationis, quæstio vertebatur, quæ à Sede Apostolica » commissa fuit quibusdam Judicibus: coram quibus » Abbas & Conventus dicebat, se nō teneri ad solvendas procurationes, eò quòd Monasterium suum in » Cenomanensi Villa (id est, Civitate, nam appellatione villæ quandoque comprehenditur civitas, ut apud Gallos, licèt in significatione lata, & impropria, propriè enim villa appellatur locus ruralis, *Hostiens. hîc V. eod.* » *& Abb. n.* 1.) sit situm, & eidem Episcopo procu- » rationes hactenus non solverit. Judices consulue- » runt Papam Lucium III. qui mandavit, ut compel- » lant Abbatem, & Monachos, ad solvendas eidem E- » piscopo procurationes: nisi aliud rationabile osten- » derint, videlicet privilegium exemptionis. *c. Cùm instantia*; 17. *h. t.* vel si allegarent præscriptionem, nomine alterius, eámque probarent; *c. Cùm ex officii*; 16. *de præscript.* vel impotentiam, & tantam paupertatem, ut procurationes solvere non possint. tunc enim suis sumptibus debet Episcopus visitare, *Gl. fin. hîc & Hostiens. in fine.*

LXXIV. Porro utraque allegatio facta in *cit. c. Venerabili*; ab Abbate, & Monasterio erat potiùs contra Monasterium: quàm pro illo; nam si Monasterium situm erat in Civitate Episcopali, sequitur, quòd illi Episcopo jure communi subjectum erat; & consequenter is potuit, ratione visitationis, exigere procurationes ab illo, *Gl. hîc V. In villa*: nec allegare etiam poterat præscriptionem; quia hæc non habet locum in procuratione, quæ ratione visitationis debetur, *cit. c. Cùm ex officii*; *de præscr. & cit. c. Cùm instantia*; *h. t. Gl. hîc V. Hactenus non solverunt, & Abb. not.* 1. & 2. Ratio autem dubitandi, cur non posset Episcopus exigere procurationes à Monasterio, hæc esse videbatur; quia cùm Monasterium situm fuerit in Civitate, seu loco Residentiæ Episcopalis, poterat, finitâ visitatione, se statim ad domum propriam conferre, adeóque non debebat petere, quod domi erat expensurus, quamvis non visitâsset, *arg. c. Cùm omni*; 10. *de vita & honest. Cleric.* Nihilominus tamen in *cit. c. Venerabili*, contrarium deciditur, quia impensæ procurationum solvuntur, non solùm ob victûs necessitatem, sed etiam ratione officii visitandi, cui annexa est procuratio, & insignum subjectionis, quæ ratio locum habet, tam in Ecclesiis Civitatis, quàm Diœcesis, *Abb. in cit. c.* 24. *n.* 2. *h. t. Azor cit. c.* 42. *q.* 4.

Verùm post Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 3. *de ref.* videtur contrarium dicendum, quòd victualia procurationum non debeantur Episcopo, si à visitatione mox ad domum propriam redire possit; ut videtur colligi ex illis verbis, *pro temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministranda, Barb. de offic. Episc. alleg.* 73. *n.* 46. *& in cit. c. Venerabili*; *n.* 2. *h. t.* & quòd, dum Episcopus visitat Clerum Civitatis, ubi sita est Cathedra, seu Sedes Episcopalis, nulla procuratio illi debeatur, sæpius etiam respondit S. Congregatio, ut refert *Piasecius in praxi Episc. p.* 2. *c.* 3. *a.* 8. *n.* 15.

LXXV. Extenditur tertiò. Quòd omnes Ecclesiæ etiam Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ procurationes solvere teneantur, nisi per speciale privilegium sint exemptæ; prout statuitur in *c. Cùm instantia*; 17. *h.* Nam Primicerius, & Clerus Mediolanensis » conquesti sunt apud Papam Innocentium III. quòd » cùm ipsi Legatos, & Nuncios Sedis Apostolicæ reve- » renter recipiant, & procurationes eis præstent, Or- » dinarii, aut Canonici Majoris Ecclesiæ Mediolanen- » sis id facere renuant, & ad expensas faciendas subsi- » dium impertire denegent, ideóque in procurationi- » bus exhibendis plus æquo ipsi graventur. Respondet » Papa, quòd cùm omnes Ecclesiæ Legatis, & Nunciis » Sedis Apostolicæ procurationes impendere teneantur, se nullam ab earum præstatione habere velle ex- » cusatam: nisi forte per speciale privilegium Sedis A- » postolicæ sit exempta, quod tamen Papa se non crede- » re ait: (quia Romana Ecclesia non solet alicui » contra se privilegium dare, *arg. l. Iubemus*; 10. *C. de SS. Eccles. Gl. hîc V. Concedimus*;) etiamsi longissimo » tempore procurationem non præstiterit; cùm in ta- » libus locum non habeat præscriptio, quia & Papa à » provisione, & solicitudine pastorali circa omnes Ec- » clesias nunquam cessat. Addit idem Pontifex in *cit.* » *c. §. Sanè*; se in his procurationibus exhibendis eum » modum, & ordinem velle observari, ut nulla Eccle- » sia vel Prælatus, se indebitè prægravari rationabiliter » conqueratur; quia illud semper observandum est, » ut secundùm facultates Ecclesiarum procuratio præ- » stetur, *c. Inter cætera*; 8. *caus.* 10. *q.* 3. *& aliis cc. supr. citt. Gl. hîc V. Indebitè prægravari*; Si verò Clerici ex » communi collecta expensas Legatorum, & Nuncio- » rum Sedis Apostolicæ facere voluerint, hoc eis Papa » non prohibet, ita tamen, ut per hoc nullum præju- » dicium generetur Legatis, & Nunciis suis, quò minùs » possint, à quocúnque voluerint, procurationes sibi » debitas postulare: & si quis in hoc fuerit ultra suam » facultatem gravatus, id ipsi ab aliis restauretur (ces- » sis ipsi actionibus à Legato, *arg. l. Cùm possessor*; 5. *ff. de censib.* vel conditione ex hoc canone, *arg. l. un. C. de*

condict. ex lege: de facto tamen dant Legati litteras patentes ei, qui procurationem eis præstitit, ut ab aliis recipiat, quod ultra partem suam expendit, *Gl. hîc V. Ab aliis & Hostiens. ibid.*) Nunciis tamen Sedis Apostolicæ in necessariis expensis præstandis parere debet, quicùnque fuerit requisitus, ita ut in fraudem nihil penitus fiat, nec per communes Ministros compellantur procurationem recipere (quia particularis coactio & solutio non modica incommoda habet, *l. Plenè*; 3. *ff. fam. herciſc. Gl. fin. hîc*) Qui verò contumaciter eis restiterint, per Ecclesiasticam censuram sunt compellendi.

LXXVI. Notandum hîc primò. Tam Legati (à Latere scilicet) quàm Nuncii Sedis Apostolicæ licitè exigunt procurationes, non tantùm destinati ad certum locum, seu Provinciam: sed etiam transeuntes per loca, in quibus non sunt Legati, *c. Ego*; 4. *de jurejur Gl. in cit. c. Cùm instantia*; *V. Requisitus*; *& Abb. ibid. n.* 2.

Notandum secundò. Contra procurationes debitas, ratione visitationis, Prælatis, & Legatis, seu Nunciis Sedis Apostolicæ, nullo unquam tempore etiam longissimo, & immemoriali præscribi posse, prout habetur in *cit. c. Cùm instantia*; *h. t. & in c. Accedens*; 11. *& c. Cùm Officii*; 16. *supra de præscript.* & pluribus explicatum *Lib.* 2. *Tit.* 26. *n.* 23. *&* 2. *seqq.* item *n.* 26. *& seq.* Ubi etiam dictum, quòd procurationes, quæ debentur ratione consuetudinis, vel privilegii, vel pacti, possunt præscribi, *Hostiens. in c. Procurationes*; 23. *in princ. h. t.* quia in his cessat ratio, ob quam non currit præscriptio procurationis debitæ Episcopo, ratione visitationis; quia cùm hæc sit annexa visitationi, sicuti Jus visitandi nunquam præscribitur, ita nec Jus exigendi procurationem debitam, ratione visitationis; quia de connexis est idem judicium, *cit. c. Cùm ex officii de præscript.* Neque verò in his, quæ suâpte naturâ, præscribi non possunt, præscriptio etiam immemoralis temporis æquivalet, vel æquiparatur privilegio: alioquì enim etiam Laici jura spiritualia præscriptione temporis immemorialis acquirere possent, quod est falsum, cùm Laicus juris spiritualis non sit capax, *Abb. hîc n.* 4. *Azor p.* 2. *l.* 3. *c.* 42. *q.* 14. Ubi tamen addit, ex communi consensu Dd. possessionem longissimi temporis, vel immemorialis prodesse, dummodo possessor non se fundet in nuda præscriptione: sed in privilegio, vel aliquo alio legitimo titulo, qui ex tam diuturna possessione præsumitur, licèt aliter probari non possit, *arg. l. Cùm de in rem*; *ff. de usuris*. Videri etiam potest, quod dictum *Lib.* 2. *cit. Tit.* 26. *n.* 26. *in fine*. Atque hæc procedunt, spectato Jure communi, nam hodie ex Decreto *Concilii Tridentini Sess.* 24. *c.* 3. *de reform.* præscribi potest contra procurationem, ut peti non possit, ubi viget consuetudo, illam non dandi, nam ibi sic statuitur: In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quicquam aliud à Visitatoribus accipiatur: sed omnia gratis fiant, ibi id observetur.

Verùm *Fagnan. in c. Venerabili*; 24. *n.* 25. *&* 3. *seqq.* ait, quòd si consuetudo non solvendi procurationem non sit generalis, in loco, vel Provincia: sed in una tantùm, vel altera Provincia procurationes non solebant dari Episcopo, nihilominus ei liceat procurationem exigere; quia Concilium in §. *In iis*; non loquitur de præscriptione: sed de consuetudine, ad quam requiritur, ut sit generalis in loco, cùm sit Jus non scriptum universaliter constitutum, præscriptio verò ex consensu singulari inducitur. Ex quo infert, quòd Jus antiquum commune prohibens præscribi posse procurationes, quoad talem præscriptionem particularem, per Concil. Trident. non sit correctum.

Notandum tertiò. Legatus vel Nuncius Apostolicus non tenetur recipere procurationem à singulis Clericis visitatis, pro rata parte, quæ illos contingit: sed potest totam nunc ab uno Prælato, nunc ab alio exigere: gravatus tamen ultra facultates habet regressum contra alios, à quibus repetere potest, quod plus, quàm debebat, expendit, *Abb. in cit. c. Cùm instantia*; *n.* 4.

LXXVII. Extenditur quartò. Quòd Religiosi quicúnque pro Monasteriis, & Ecclesiis, quæ ad eos, quocúnque titulo, sunt devoluta (ut donatione, permutatione, vel præscriptione, non item vendizione, quæ hîc locum habere non potest, *Gl. in Clement.* 1. *V. Titulo*; *h. t.*) procurationes Legatorum Sedis Apostolicæ, ac jura Episcopalia, & alia præstari ab ipsis, antequam ad eos pervenirent, solita, (vel ex impositione facta tempore fundationis, vel ex antiquo usu, & consuetudine, vel quia res aliqua habens onus aliquod pervenit ad Ecclesiam, ad quâ transivit cum suo onere, *Gl. hîc V. Solita*;) promptè solvere studeant: nisi forte privilegio Sedis Apostolicæ, seu exemptione (ab Episcopali jurisdictione, quâ tamen non obstante, exempti tenentur ad procurationes Legatorum Papæ, *Gl. hîc V. Exemptione*;) vel ex alia causa legitima (v. g. compositione, *Gl. hîc V. Legitima*;) ad illas ostenderint, se non teneri. Privilegia verò, seu exemptiones hujusmodi (generales, vel à prædictis juribus, *Gl. hîc V. Exemptiones*;) ad Monasteria, seu Ecclesias, quæ ad Religiosos in posterum (post Concilium Viennense) pervenire continget, extendi non debent. Ita statuitur in *Clem. Cùm sit*; 1. *h. t.* Ratio prioris partis innititur in dicta *Clem.* 1. *in princ. quia naturæ consonum est, illos non recusare onera, qui rerum commoda amplectuntur. l. Secundùm naturam*; 10. *ff. de R. I.* Loquitur autem hæc Constitutio solùm de Religiosis, ac proinde in Sæcularibus non habet locum, quatenus novum Jus inducit, *Gl. hîc V. In posterum.* Ratio posterioris partis est, quia hujusmodi privilegia & exemptiones tendunt in damnum & præjudicium juris Episcopalium, & aliorum, quibus de jure communi onera illa sunt solvenda, ac proinde meritò restricta sunt, ut non habeant locum, nisi in Ecclesiis acquisitis ante Concilium Viennense: non autem extenduntur ad acquisitas post illud, *Gl. fin. hîc, & Vivian. in Rat. hîc in fine.*

LXXVIII. Extendunt nonnulli quintò. Quòd non solùm Clerici, qui visitantur: sed etiam Laici teneantur solvere procurationes, eò quòd ipsi etiam visitantur, & Beneficia spiritualia recipiunt: pro quo facit *Text. in c. Cavendum*; 3. *caus.* 10. *q* 3. Ubi agitur de visitandis subditis, tam Clericis, quàm Laicis, & solùm prohibetur, ne immoderatè, & cum scandalo aliquid procurationis nomine exigatur: & ideo *Gl.* ibi *V. Subditos*; per eos intelligit Laicos, & per socios, Clericos. *Azor cit. c.* 42. *q.* 3. Contrarium tamen tenet *Gl. in c.* 1. *V. Laicos*; *h. t. in* 6. Nempe Laicos, suo nomine, non teneri ad impensas procurationum, & sic usu, seu consuetudine esse receptum, quam vis Parochi nomine, si is inops sit, teneantur, *Azor c. l.*

LXXIX. Assertio 2. Inprimis Ecclesiæ, seu loca, aut personæ Ecclesiasticæ speciali privilegio Sedis Apostolicæ à procuratione solvenda exemptæ, vel generaliter ab omnibus oneribus ejusmodi, aut ab omni juris-

jurisdictione ac jure Episcopali exemptæ, quamvis nulla de procuratione mentio fiat in privilegio exemptionis, non tenentur procurationem solvere, nec Episcopo, nec Archiepiscopo, (quippe cui non plus juris competit in his, quæ ad visitationem spectant, quàm Episcopo) quamvis non obstante tali exemptione, adhuc teneantur, ad solvendas procurationes debitas Legatis, aut Nunciis Apostolicis visitantibus Provinciam aut locum, ut constat ex *clt. c. Cùm instantia*; *h. t. & Clem. 1. eod.* & ibi *Gl. V. Exemptione*; *Azor cit. c. 42. q. 11. § Quæres*; *Barb. Lib. 3. Iur. Eccles. c. 22. n. 27.* Aliud est, si exemptio, seu immunitas solùm detur à certis oneribus, nullâ factâ expressâ mentione de procuratione, *Azor c. l.*

Secundò Hospitalia, & alia hujusmodi pia loca Episcopi auctoritate instituta, quamvis possint visitari ab Episcopo: non tamen tenentur solvere procurationem, ut tradit *Piasec. in praxi p. 2. c. 3. art. ult. n. 16. Barb. cit. alleg. 73. n. 50.* Ratio est, quia licèt hujusmodi loca Ecclesiastica sint, & subjecta Diœcesanis, quoad jura Episcopalia, quia tamen bona iis locis assignata, & reditus, etsi amplissimi, ad alios usus pios sunt deputati, nempe in alimenta pauperum, infirmorum, peregrinorum, & eorundem Rectores, seu Ministros alendos, *Clem. 2. de Relig. domib.* ideo ne contra Fundatorum intentionem fiat, meritò ad hujusmodi procurationis onus non tenebuntur. Nec refert, quòd etiam bona, & reditus Beneficiorum sint in usus pauperum expendendi, & tamen ex iis solvenda est procuratio; quia non omnes, sunt expendendi, ut patet ex *c. Vobis*; *23. c. Concessa*; *26. & 2. seqq. cauſ. 12. q. 2.* At omnes reditus Hospitalium sunt particulariter deputati in usus pauperum, & in salarium eorundem Ministrorum, qui non tenentur gratis iis servire: & ita major pars Cardinalium Concilii censuit, procurationem ex Hospitalibus non deberi, ut testatur *Fagnan. in c. c. Venerabili*; *24. h. t. n. 34. & seqq.*

LXXX. Tertiò, non possunt procurationes exigi, nec solvi debent ab Oratoriis privatis, prout constat ex *c. Auctoritate*; *27. & ult. h. t.* Ubi Papa Gregorius » IX. prohibet, ne quis ex eo, quòd Religiosi aliqui in » Oratoriis, quæ in Gangriis, hoc est, in Oratoriis ruri » sitis, sive in villis ac prædiis habent, interdum cele» brant, procurationes, quæ ratione visitationis de» bentur, ab illis exigere, vel extorquere præsumat. Ratio est, quia hujusmodi procuratio non præstatur, nisi cùm Prælatus visitat locum, causâ correctionis: sed in gangriis istis, sive oratoriis privatis nulla fit visitatio: sed Prælatus, causâ visitationis, accedit Caput, vel Ecclesiam parochialem, in qua Religiosi habitant: & licèt ibi quandoque Monachi celebrent, non tamen ibi consueverunt morari: sed conversi solùm, causâ colendi agros Monasterii, ideóque cùm nulla ibi fiat visitatio, nulla etiam propterea, quòd aliquando ibi celebretur, præstari debet procuratio, quippe, quæ de jure est annexa visitationi, *Gl. hîc V. Ratione visitationis*; *Hostiens. ibid. in princ.*

LXXXI. Porro hæc est inter Oratorium, & Ecclesiam differentia, quòd Ecclesia dicitur, quæ principaliter deputatur ad celebrationem Missæ, & ad orandum, & consecratur per Episcopum, cui etiam constituta est certa dos, pro Clericis in illa deservientibus, & pro aliis Ecclesiæ necessitatibus, *c. Nemo*; *9. dist. 1. de consecr.* Oratorium verò non consecratur, nec constituitur ei dos, nec erigitur principaliter, ut ibi celebretur: sed tantùm, ut oretur, ideóq; sine licentia Episcopi, non potest in istis Oratoriis privatis Missa celebrari, *c. Unicuique*; *3. junct. Gl. V. Non licet*; *cit. dist. 1.* Nec in magnis festivitatibus, nec possunt habere campanam publicam, ad convocandum populum: possunt autē erigi à quovis Laico, sine auctoritate Episcopi. *Innoc. Hostiens. & Abb. in cit. c. ult. n. 3.* Hinc sequitur, ex eo, quòd in aliquo loco interdum Missa celebretur, non rectè inferri, illum esse locum publicum, sive publicâ auctoritate Episcopi erectum, adeóq; Religiosum, & Ecclesiasticum: nisi actus celebrandi sit publicus, ita ut omnes indifferenter ad Missam admittantur, *Abb. c. l. n. 2.* Porro Capellæ, & Oratoria privata, possunt ab Episcopo visitari, si velit, etiamsi absque Episcopi auctoritate sint instituta, ut dispiciat, an decenti modo sint constructa, & ornata, ac honorificè habeantur, *Azor cit. c. 40. q. 13.*

LXXXII. Quartò Episcopus, vel alius Visitator non debet à pauperibus Ecclesiis, vel Clericis procurationē exigere: sed propriis sumptibus visitationem obire; quia nec judex exigit sportulas à pauperibus, *Auth. de mandat. Princ. § Sit tibi quoq*; *Collat. 3. Gl. in c. Cùm instantia*; *17. V. Prægravari*; *h. t. & Abb. ibid. n. 7.* Idq; procedit, si notoriè constet de impotentia, seu paupertate Ecclesiæ vel Clerici: in dubio verò potest Episcopus exigere juramentum à Rectore Ecclesiæ, vel Clerico, se impotentē esse, ad solvendam procurationem: vel sub conditione excomunicare, nisi solverit procurationem, secundùm facultatem suam, *Abb. in c. Procurationes*; *23. n. 7. h. t.*

Illud hîc addendum, si Episcopus obeat Diœcesin, ut Sacramentum Confirmationis tantùm conferat, non potest procurationem exigere, prout S. Congreg. Concil. decidit, teste *Barb. cit. alleg. 73. n. 53.*

§. IV.

Alia quædam ad procurationes pertinentia proponuntur, & explicantur.

LXXXIII. Assertio 1. Non potest Jus procurationis, ratione visitationis debitæ, expressè aut per pactum remitti ex toto, & in perpetuum ab Episcopo; nam sicut ipsa visitatio in totum remitti nō potest, ita nec procuratio ei annexa, quia est Jus publicum, quod pactis privatorum tolli non potest, *l. Jus publicum*; *38. ff. de pact. Gl. in Clem. 2. V. Compositiones*; *h. t.* potest tamen Episcopus, vel alius Visitator procurationem ipsam, quoties visitat, remittere, ita ut suis impensis id oneris sustineat, sola enim potestas remittendi in posterum, & futuris temporibus prohibita est, & ablata Episcopis, *Abb. in c. Cùm ex Officii*; *16. n. 14. & 15. de præscript. Azor p. 2. l. 3. c. 42. q. 11. § Pacto quoque.* Item possunt pacta, & conventiones fieri super modo procurādi, & numero procurandorum, quæ servandæ erunt, *Gl. in cit. Clem. 2. V. Compositiones*; *Azor c. l. § Item potest.* Potest quoque per pactum remitti illa procuratio, quæ non jure communi debetur: sed speciali, sive ex consuetudine, aut præscriptione, sive ex privilegio, sive ex pacto, solvi debet ei, qui prius Prælatus non est; talis enim procuratio non est Jus publicū, ideo remitti potest, *Azor c. l. § Potest quoq;*

LXXXIV. Cæterùm quamvis Episcopus possit Ecclesiæ inferiori remittere, seu condonare servitia, quæ ipsi ab illa debentur, ex justa causa, & cum consensu Capituli, quia aliàs non potest Episcopus alienare jura Ecclesiæ suæ, *c. Pastoralis*; *11. de donat. Abb. in c. Cùm Ve-*

nerabilis; 21. *n.* 1. *h.t.* Non tamen in generali remissione servitiorum sibi debitorum, censeri debet visitationem & procurationem illi annexam remisisse, prout sumitur ex *cit. c. Cùm Venerabilis*; *h. t.* Nam ortâ controversiâ » inter Episcopum Faventinum, & Priorem S. Ste- » phani, super juribus Episcopalibus, Prior exhibens » instrumentum quoddam, in quo expressè contine- » batur, quòd Episcopus Faventinus olim ab omni » exactione, tam suâ: quàm suorum Successorum, di- » ctam Ecclesiam prorsus absolvit, & remisit eidem » spallas (fortè porcinas, *Io. Andr. hîc V. eod.*) quas » ipse, & Antecessores ipsius ab eadem Ecclesia reci- » pere consueverant, & quòd aliud servitium ei non » imponeret: reservato sibi, & Ecclesiæ suæ uno cereo » trium librarum, annuatim, pensionis nomine, sole- » vendo. Quia verò visitationi annexa est procuratio, « & Episcopus ratione Episcopalis jurisdictionis, » quam in ea habet, tenetur prædictam Ecclesiam, » causâ correctionis, visitare, nec censeatur quasi no- » vum imponi, quod ab ipsa fundatione de jure com- » muni intelligitur impositum: ideo Papa Innocen- » tius III. statuit, ut idem Episcopus, cùm ad illam Ec- » clesiam, causâ correctionis, accesserit, moderatam » ab eo procurationem recipiat, bis in anno: sed nihil » aliud, præter pensionem, & procurationem præsi- » ctas, exigere, vel extorquere præsumat. Ratio deci- sionis est; quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus, *Reg.* 81. *in in 6. Gl. hîc V. de Iure communi*: & quantum- cúnque generaliter Episcopus eximat Ecclesiam, non censetur remisisse jurisdictionem, seu coercitionem & correctionem morum, Cathedraticum, visitatio- nem, & procurationem: & universim hujusmodi gene- ralis remissio servitiorum, non debet extendi ad jura ac servitia, quæ omnes Ecclesiæ jure communi debent: sed ad ea solùm servitia, quæ ex jure speciali debebat aliqua Ecclesia, & alia servitia, quæ de novo extraordi- nariè imponuntur, *Innocent. hîc* Addit verò *Abb. in cit. c. Cùm Venerabilis*; *n.* 3. *h. t.* prædictis quatuor juribus, quæ non comprehenduntur sub remissione ab Episco- po quantumcúnque generalibus verbis factâ, alia qua- tuor, videlicet reverentiam, sive observantiam sibi de- bitam ab inferioribus Ecclesiis, & Clericis: institutio- nem in Ecclesiis & Beneficiis curatis: charitativum sub- sidium, ac denique ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, & recipere debent subditi ab Episcopo. Porro sicut potest Episcopus etiam bis in anno visitare, si necessitas, vel utilitas iteratam visitationem exposcat: ita & bis pro- curationem exigere, ut patet ex dicto cap. ibi: *mode- ratam ab ea procurationem accipiat bis in anno. Gl. hîc V. eod.* vel fortè in fundatione illius Ecclesiæ, de qua est sermo in isto cap. fuit hoc onus impositum, & conven- tum, ut bis in anno illam Episcopus visitaret, & procu- rationem reciperet, *Gl. fin. hîc, & Abb. n.* 6.

LXXXV. Assertio 2. Si ab Ecclesia aliqua, cum consensu Patroni, in fundatione, procuratio, nullâ ad- jectâ quantitate determinatâ, alteri Ecclesiæ solvenda sit imposita, illa non debet augeri: sed secundùm mo- dum solitum, sive consuetum solvi, nisi facultates Ec- clesiæ gravatæ, ita notabiliter creverint, ut absque ma- gno gravamine, majorem procurationem solvere pos- » sit, prout sumitur ex *c. Quanto*; 16. *h. t.* Ubi dicitur, » quòd Fundatores Monasterii Bellæ villæ in ipsa fun- » datione Monasterii constituerunt, ut Fratres, seu Re- » ligiosi illi Domino servientes, Fratribus S. Irenæi u- nam procurationem, singulis annis solverent, quam- » vis ab eis nihil (temporale, vel spirituale) teneant, » seu habeant, propter quod hujusmodi procuratio » eis debeat præstari (adeóque merè liberaliter fuerit » exhibita, debita tamen, postquam fuit constituta à Fun- datoribus, qui ab initio possunt censum, seu pensionem imponere, *Gl. hîc V. Voluntate*; *& Innoc. V. Liberaliter*) quę procuratio ab initio, propter paucitatem Mona- » chorũ S. Irenæi, Monasteriũ Bellæ-villæ non grava- » bat: sed postea in tantum crevit numerus eorundem, » ut ad procurationem vix sufficerent quatuor mar- » chæ (argenti) quæ pro una fieri consuevit. Quare » Monachi Bellæ-villæ sibi à Papa Innocentio provi- » deri postulârunt: quibus Papa indulsit, ne ultra pri- » mam mensuram in procuratione in posterum præsi- » ctis Fratribus sint obligati: sed hi expensis, quæ con- » sueverunt fieri, sint contenti: nisi facultates Mo- » nasterii in tantum excreverint, ut sine notabili gra- » vamine, majorem procurationem possint solvere. » Ratio hujus decisionis est, quia cùm procuratio, nullâ certâ quantitate præfixâ, fuerit constituta, debebatur solùm conveniens, seu mediocris, *arg. l. Qui lancem*; 31. *ff. de auro, & argen. leg.* ut quia aucto numero Religio- sorum, pro quibus procuratio erat præstanda, nimiùm gravata fuit Ecclesia debens procurationem, ideo judi- cis officium implorare potuit, ut ad mediocritatem re- duceretur procuratio, & secundùm primâ mensuram, pro tot solùm Fratribus, seu Monachis solveretur, pro quot ab initio solvi consueverat; quia non est verisimi- le, quòd quis velit se nimiùm gravare: præsertim quia ex mera liberalitate processit hæc obligatio, ideóque subveniendum est, ut non obligetur, cum magno suo gravamine, nec conveniatur, ultra quàm facere possit; *l. Inter eos*; 19. §. *Is quoque*; *ff. de rẽ judic. Gl. hîc V. In- dulgemus*; *& Abb. n.* 9. Si verò determinata quantitas procurationis ab initio constituta fuisset, illa non auge- retur, etiam auctis facultatibus, *arg. c. Relatum*; 9. *caus.* 10. *q.* 3. Non enim, quod ab initio constitutum fuit, facilè mutari debet, *Gl. hîc V. Indulgemus*; *in fine.*

LXXXVI. Hinc infertur resolutio unius casûs, qui in praxi sæpe occurrere potest: quidam paterfamilias convenit cum pistore, vel molitore, ut pro se, & tota fa- milia suâ, panes certo pretio teneatur pinsere, vel mole- re: quæritur, an auctâ familiâ, teneatur pro eodem pre- tio panes pinsere, vel molere, sicut priùs? Resp. affirma- tivè, nam sicut talis pistor, vel molitor perciperet lu- crum, si numerus personarum familiæ imminueretur; ita etiam sentire debet damnum, si illarum numerus augeatur, cùm lucrum, & damnũ pari passu procedant, & contrariorum eadem sit disciplina, *l. Inter*; 83. §. *Sa- cram*; *ff. de V. O. Abb. in cit. c. Quanto*; *n. ult. h. t.* Quamvis contrarium teneat *Barb. in Collect. hîc n.* 7. *arg. hujus c.* cujus tamen dispositio processit ex indulgentia; quia obligatio orta fuit ex mera liberalitate: stricto autem jure tenebatur Monasterium Bellæ-villæ procuratio- nem solvere pro omnibus Fratribus alterius Monaste- rii, etiam aucto eorum numero, sive facultates Eccle- siæ Bellæ-villæ fuerint auctæ, sive diminutæ, *Abb. in cit. c. Quanto in fine.*

» LXXXVII. Assertio 3. Si in aliquo loco, vel Dicœce- si in procurationibus, & aliis servitiis præstandis, certum quid non sit statutum, attendenda est consuetudo vici- narum Ecclesiarum, prout sumitur ex *c. Super eo*; 22. *h. t.* Nam cùm ferè tota Compostellana Provincia ad ju- » risdictionẽ Metropolitanæ Ecclesiæ Compostellanæ » de novo

de novo esset conversa (postquam enim illamoccupâverant Saraceni, Rex Castellæ eam recuperavit, & sic jure postliminii fuit restituta, & denuo subjecta jurisdictioni Archiepiscopi Compostellani, *Hostiens. hîc in princ.*) quæsivit prædictus Archiepiscopus à Papa Innocentio III. quâ ratione ei obsequia, & servitia præstare debeat, cùm Provinciam, vel ejus partem visitat, & qualiter in procurationibus & aliis providere? Respondet Papa, quòd illud observare teneatur, quod in vicinis Provinciis observatur. Nam quamvis jure communi sit statutum, ut procurationes, & alia servitia Episcopo, & Archiepiscopo debeantur ab Ecclesiis Diœcesis, vel Provinciæ, non tamen est statutum, ut ubique in eadem quantitate præstentur, *Gl. in c. Cùm olim*; 19. *V. Quartæ omnium*; *h. t. Vivian. in Ration. in cit. c. Super eo*; ideóque attendenda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum. Ex hoc cap. colligunt generaliter Dd. quòd, quando non adest specialis consuetudo, & propria alicujus Civitatis, vel loci, spectanda sit consuetudo vicinorum locorum, sive Diœcesium aut Provinciarum, *juxta c. Cùm olim*; 6. *de consuet.* Quod tamen limitat *Abb. hîc*, nisi consuetudo sit valde onerosa; nam negligentia unius loci non debet obesse alteri loco, qui nullam negligentiam commisit. Sic etiam in dubio servandæ sunt leges Regni vicinioris, & secundùm eas judicandum, si in eo loco non sit lex particularis, *Barb. hîc n.* 3.

LXXXVIII. Assertio 4. Archiepiscopus, qui jure Metropolitano, vel Legationis Apostolicæ visitat Provinciam suam, potest debitas procurationes, juxta facultates Ecclesiarum, exigere, & illos, qui eas denegant, excommunicare: prout statuitur in *c. Cùm nuper*; 25. *h. t.* Nam cùm Archiepiscopus Beneventanus visitaret Provinciam suam, tam auctoritate propriâ (quod ei competit de jure communi; *c. Sopitæ*; 14. *h. t.* etiamsi Episcopus Suffraganeus non sit negligens in visitando, *Gl. marg. hîc lit. B. & Abb. in fine*, contra Gl. ordinariam) quàm auctoritate Papæ, cujus auctoritate procurationes exigebat, Clerici nolebant ei illas exhibere. Quare conquestus est Papæ Gregorio IX. Qui mandavit eisdem, ut cùm idem Archiepiscopus Provinciam suam, sive auctoritate propriâ, sive Pontificiâ visitaverit, procurationes ratione visitationis debitas (alias non tenentur, *c. Procurationes*; 23. *& c. Venerabilis*; 21. *h. t. Gl. hîc V. eod.*) secundùm facultates Ecclesiarum, ipsi exhibeant: alioquin sententias censuratorum, quas ipse rité tulerit in rebelles, ratas habebit Papa, & eas faciet inviolabiliter observari; quia justum & æquum est, ut sicut Superior suas sententias servari cupit: sic & inferiorum ratas habeat, & servari curet, *c. Cùm ab Ecclesiarum*; 3. *& c. Ad reprimendam*; 8. *de Off. Ord. Hostiens. hîc in fine.*

LXXXIX. Hinc colligitur primò. Quòd quis quandoque possit Ecclesias, & Clericos duplici jure visitare, ut in casu hujus cap. Archiepiscopus, tum jure Metropolitano, tum jure Legationis; quia erat Legatus Papæ: quo casu procedere potest, ac debet, secundùm formam & potestatem mandati accepti, quod exactè servandum est, *c. Cùm dilecta*; 22. *de rescript. c. Venerabilis*; 7. *de confirm. util.* Quòd si sit Legatus, licèt non appelletur ad ipsum, potest nihilominus per simplicem querelam adiri, *c.* 1. *de Offic. Legat. Hostiens. hîc V. Sive nostra.*

Colligitur secundò. Si Archiepiscopus eodem anno bis visitet Provinciam, diverso jure, bis poterit exigere procurationem, *Abb. hîc not.* 1. potest autem Episcopus, vel alius Visitator exigere procurationem, vel in fine anni, collectis fructibus, vel potiùs quandocúnque voluerit, tempore visitationis, *Abb. hîc not.* 3.

Porro an excommunicatio lata ab Episcopo in Abbatem, seu Prælatum (idémque est de interdicto lato in Conventum) qui eum visitare volentem, renuit recipere, & procurationem præstare: sed allegans exemptionem à jurisdictione Episcopi, appellavit ad Sedem Apostolicam, seque obtulit ad probandum exemptionem: an inquam, talis excommunicatio, non obstante appellatione Prælati factâ ab Episcopo, sit valida, & justa, ita ut nihilominus possit Episcopus visitare Monasterium, & procurationem exigere, gravis est quæstio, quam tractat *Abb. in c. Venerabili*; 24. *not. ult. h. t. Hostiens. in c. Procurationes*; 23. *h. t. col.* 1. 2. *& 3.* & novissimè *Fagnan. ibid. n.* 24. *& pluribus seqq.* qui videri possunt.

§. V.

De visitatione, ob quam debentur procurationes.

De Visitatione Episcopi dictum est supra *lib.* 1. *Tit.* 31. *sec.* 3. §. 8. Ubi explicata sunt Capitula, quæ in illo Titulo de Visitatione tractant, nunc verò hoc loco de Visitatione in genere agemus, de qua etiam in hoc Tit. agitur.

XC. Quæritur primò. Quinam Jus, & potestatem habeant visitandi? Resp. Officium visitandi ad eos pertinet, qui jurisdictionem Ordinariam in Ecclesias, vel Clericos obtinent, quales sunt post Romanum Pontificem, Patriarchæ ac Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in suis Provinciis, & Diœcesibus. Secundò, Legati Pontificii à Latere, sive Cardinales ex Officio Legationis sibi à Sede Apostolica demandato, visitare possunt. Item Legati nati, quibus Legatio Apostolica competit, ratione Dignitatis, in qua sunt constituti, ac denique etiam Legati missi, sive Nuncii Pontificii, si visitandi munus ipsis specialiter sit impositum, vel si urgens aliqua necessitas visitationem postulet, *Azor p.* 2. *l.* 3. *c.* 40. *q.* 6. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 72. *n.* 21. Tertiò, Archidiaconi, Decani, & alii inferiores Episcopo in illis Ecclesiis, in quibus Jus visitandi longâ consuetudine legitimè præscriptâ, acquisiverunt, *Concil. Trid. Sess.* 24. *c.* 3. *de reform. Azor c. l. q.* 7. Ubi ait, quòd etiam Plebani jurisdictionem habentes visitare possint. Quartò, Capitula Ecclesiarum Cathedralium, quibus ex legitima præscriptione, vel privilegio Sedis Apostolicæ, Jus visitandi competit, etiam vivente Episcopo, visitare possunt, *Concil. Trid. c. l.* At verò, Sede vacante, potest Capitulum visitare illas Ecclesias, & personas, quas Episcopus jure Ordinario, visitare poterat: non autem illas, quas jure speciali, aut delegato; cùm omnis jurisdictio Ordinaria, spiritualis & temporalis, tunc ad Capitulum transeat, ut ex communi docet *Azor cit. c.* 40. *q.* 8. Quintò, Abbates, Priores, & alii Superiores Regularium Jus visitandi habent in Monasteriis, & aliis locis ipsis subjectis, *Azor c. l. q.* 9. *Barb. c. l. n.* 23.

XCI. Quæritur secundò. An Episcopus visitare possit Ecclesias, & personas Ecclesiasticas, etiâ exemptas

vel

vel Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis? Resp. Ecclesiæ exemptæ à jurisdictione Episcoporum, & aliorum Ordinariorum, vel sunt sæculares, vel regulares. Si sæculares, Episcopus potest illas visitare, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, *juxta Concil. Trident. Sess. 7. c. 8. de ref.* etiamsi sint commendatæ, & sive curam animarum annexam habeant, sive non, *Conc. Trid. Sess. 21. c. 8. de ref. Fagn. in c. Grave*; 19. n. 11. *de Offic. Iud. Ordin.* Si verò Ecclesiæ exemptæ sint regulares, in quibus observantia regularis viget: tum, si curam animarum adjunctam habeant, visitari possunt ab Episcopo Diœcesano, ejùsque jurisdictioni subsunt, in iis tantùm, quæ curam animarum, & administrationem Sacramentorum concernunt, *Concil. Trid. Sess. 25. c. 11. de Regul.* Si verò curam non habent, visitari non possunt ab Episcopis, etiamsi sint commendatæ; cùm facultas visitandi Monasteria, qualitercúnque commendata, restringatur ad ea tantùm, in quibus non viget regularis observantia, *Concil. Trid. cit. Sess. 21. c. 8. de ref. Fagnan. c. l. n. 16. & 17.* Quòd si in dictis regularibus Ecclesiis exemptis, regularis observantia non vigeat, tunc si commendatæ sint, ab Episcopis visitari possunt, ac debent, sive curatæ sint, sive non, idque tanquam à Delegatis Sedis Apostolicæ, *cit. Sess. 21. c. 8.* Exceptis iis Monasteriis, seu Prioratibus, quæ suorum Ordinum Capitibus subsunt, ut declaratur in *Conc. Trid. Sess. 25. c. 20. de Regul.* Si verò non curatæ, nec commendatæ sint, Episcopi nullam habent potestatem visitandi illas, *cit. c. 20. in fine, Fagn. in cit. c. pen. n. 17.*

XCII. Similiter personæ Ecclesiasticæ exemptæ, vel sunt Sæculares, vel Regulares. Si sæculares, vel curam animarum habent, vel non: priore casu, sunt subjectæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi Diœcesani in iis, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 11. de Regul. Fagnan. in cit. c. pen. n. 28. de Offic. Iud. Ordin.* posteriore casu, Clerici sæculares exempti visitari, & tunc puniti, & corrigi possunt ab Episcopo, seu Ordinario loci, auctoritate delegatâ à Papa, non obstante cujusvis personalis privilegii prætextu, *juxta Concil. Trid. Sess. 6. c. 3. de ref.* Si verò personæ exemptæ sint Regulares, tum vel degunt extra Claustra, vel intra illa: si extra, ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato visitari, corrigi ac puniri possunt, *juxta Trid. cit. Sess. 6. c. 3.* Sed in visitatione tantùm, secundùm *declarat. S. Congreg. Card. teste Fagnano in cit. c. pen. n. 31. cit. tit.* Si verò Regulares exempti degant intra Claustra, tunc generatim loquendo, non subsunt jurisdictioni, vel visitationi Episcopi, *juxta Concil. Trid. Sess. 25. c. 20. in fine de Regul. Fagn. c. l. n. 34.*

XCIII. Denique quod attinet ad Ecclesias nullius Diœcesis, hoc est, quæ neque sunt de Diœcesi, quia sunt exemptæ à jurisdictione Episcopi loci: neque etiam in Diœcesi, quia habent territorium separatum, cum omnimoda jurisdictione quasi Episcopali Prælati sui in Clerum, & populum, excluso Episcopo Diœcesano, ut tradit *Gl. communiter recepta in Clem. unic. V. Diœcesanis; de foro compet.* hæ, inquam, Ecclesiæ, quæ nullius sunt Diœcesis, vel sunt itidem Sæculares, vel Regulares. Si prius, tum vel sunt omnino extra fines cujusque Diœcesis, sive ex prima origine, sive ex privilegio, sive ex præscriptione (de quo videri potest, *Fagnan. in c. Nullus*; 3. *num. 12. & seqq. de Parochiis*) & tunc potest, ac debet eas visitare Episcopus, cujus Ecclesia Cathedralis est proximior, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, *juxta Concil. Trid. Sess. 24. c. 9. de ref.* Vel sunt intra fines alicujus Diœcesis, & tunc visitare illas potest Episcopus, intra cujus Diœcesis fines existunt, qui potest etiam eorum subditos ordinare, iisque dimissorias ad Ordines concedere, *juxta Concil. Trident. Sess. 23. c. 10. & declarat. S. Congreg. Concil.* apud *Fagnan in cit. c. pen. num. 21.* Si verò Ecclesiæ nullius Diœcesis sint Regulares, tunc Episcopus non potest illas visitare; quia *Concil. Trident. Sess. 24. c. 9.* loquitur tantùm, de Ecclesiis sæcularibus. Idque procedit, sive Ecclesiæ sæculares nullius Diœcesis sint curatæ, sive non; quia quod statuitur *Sess. 25. c. 11. de Regul.* non habet locum in Ecclesiis nullius Diœcesis, ut patet ex illis verbis, *subsint jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita.* Idémque est, sive sint commendatæ, sive non, *Fagnan. in cit. c. pen. num. 19.* Similiter personæ nullius Diœcesis, vel sunt Sæculares, & Episcopus vicinior, vel intra cujus Diœcesis fines existunt, potest eas visitare, juxta distinctionem supra datam, *Fagnan. c. l. num. 22.* Vel sunt Regulares, & non subsunt Episcopi visitationi, etiamsi curam animarum exerceant: nec Episcopus potest ullam auctoritatem in eos exercere; quia Decretum *Concilii cit. Sess. 24. c. 9.* restringitur ad Ecclesias sæculares tantùm: nisi in duobus casibus, quoad Ordines conferendos, & Litteras dimissorias dandas, *juxta Trid. Sess. 23. c. 10. de ref.* & patet ex supra dictis, *Fagnan. c. l. num. 24. & seqq.* apud quem plura de hoc videri possunt.

XCIV. Quæritur tertiò. Quoties Visitatio fieri possit, aut debeat? Resp. semel in anno ordinarii, ut patet ex *c. Decrevimus*; 10. *& c. seq. caus. 10. q. 1. & c. Conquerente*; 10. *de Offic. jud. Ordin.* Ubi inter jura Episcopalia numeratur annua Visitatio, idémque statuitur in *Concil. Trid. Sess. 7. c. 8. de ref.* Potest tamen etiam sæpius in anno fieri, si opus fuerit, & nova causa emerserit, ut de Visitatione Monasteriorum statutum est in *c. Visitandi*; 28. *& seq. caus. 18. q. 2.* & ibi *Gl. V. Quoties*; *& c. Mandamus*; 6. *de Offic. Archid. & ibid. Gl. V. Sæpius Visitare.* Capitula autem Cathedralium Ecclesiarum, & aliarum majorum, illorúmque personæ à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis per se ipsos solos, vel aliis, quibus videbitur, adjunctis, ratione, quoties opus fuerit, visitari possunt, etiam auctoritate Apostolicâ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, & juramentis, & concordiis obstantibus, ptout habetur in *Concil. Trid. Sess. 6. c. 4. de ref.*

XCV. Quæritur quartò. Quo ordine, & modo facienda sit Visitatio? Resp. de hoc agitur in *c. Romana*; 1. *h.t. in 6.* Ubi Innocentius IV. de modo, quo Archiepiscopus procedere debet in visitatione, sic statuit: Inprimis Archiepiscopus volens visitare suam Provinciam (per se, vel per alium, cùm per se id non potest, *Gl. hîc V. Visitare*;) debet priùs Ecclesiæ suæ Capitulum, ac Civitatem, & Diœcesin propriam, seu Metropolitanam plenè visitare (ita ut nulla Parochia remaneat non visitata: dummodo commodè visitari possit, & visitationis causa subsit, *Gl. hîc V. Plenè*;) & non solùm majores, sed etiam minores Ecclesias: nec Clericos tantùm, sed etiam populos.

Et si

» Et si commodè, vel absque difficultate, ad unam-
» quamque Ecclesiam accedere non possit, ex pluri-
» bus locis ad unum congruum (& sufficientem ad
» omnes recipiendos, quatenus erit possibile) Cleri-
» cos, & Laicos studeat convocare.

Hinc colligitur primò. Quod etiam Ecclesiæ minores, hoc est, non curatæ visitari debent, ut inquiratur de vita, & conversatione Ministri, seu Rectoris, & quomodo Ecclesiam, & ipsius jura gubernet, *Ioan. Andr. hîc V. Minorum*; *& Franc. num.* 1. *not.* 3. Colligitur secundò. Quòd non tantùm Clerici: sed etiam Laici visitandi sint ab Archiepiscopo, vel Episcopo: quod intelligendum est, quoad crimina Ecclesiastica, matrimonia, & alia, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent: in aliis verò corrigendis non invadet jurisdictionem Judicis sæcularis, *c. Novi*, 13. *de Jud. Joan. Andr. hîc V. Populorum, & Franc. n.* 1. *not.* 4. Porrò quomodo Laici visitandi sint, & quid de illis inquirendum, tradit *Azor p.* 2. *lib.* 3. *c.* 41. *q.* 3.

» XCVI. Deinde (id est, post visitatam suam
» Civitatem, & Diœcesin) liceat Archiepiscopo per
» totam Provinciam, vel ejus partem (si non possit
» totam) visitationis Officium exercere, Civitates,
» & Diœceses, Suffraganeos suos, & eorum subditos,
» Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum Capitula,
» & Monasteria: Ecclesias, & alia Religiosa, ac pia
» loca) ut Hospitalia, & similia) Clericos, & popu-
» los, sive Laicos, liberè visitando, (scilicet non ob-
» stante contradictione, præscriptione, vel appella-
» tione, *Gl. hîc V. liberè*) ac procurationes recipere
» à locis tantùm visitatis, prout habetur in *cit. c.* 1.
§. *Deinde*; *h. t. in* 6.

Ubi notandum primò. Si Archiepiscopus, & Episcopus concurrant in visitando, ambo simul sunt admittendi; cùm id jure non sit prohibitum, & si discordent in sententia, tenebit sententia lata pro reo: nisi actoris favorem contineat. Quòd, si Ecclesia non sufficit utrìque, admittetur primò veniens: si verò concurrant, & non appareat, quis primò venerit, videtur Episcopus præferendus, cui specialiùs cura incumbit, *c. Regenda*; 4. *caus.* 10. *qu.* 1. Quamvis aliqui velint, præferendum Archiepiscopum, *arg. c. Quirefistit*; 97. *& c. seq. caus.* 11. *q.* 3. Si verò Episcopus concurrat simul cum Prælato ipsi subjecto, ad quem spectat etiam visitatio, præferendus est Episcopus: nisi consuetudo aliud habeat, *Ioan. Andr. hîc nu.* 1. *& Franc. in cit.* §. *Deinde*; *n.* 3.

Notandum secundò. Quando Archiepiscopus visitat unam Diœcesin, si transeat per aliam, illi, apud quos transit, non tenentur solvere procurationem; quia tantùm Ecclesiæ visitatæ tenentur illam præstare. Idémque est etiam de Ecclesiis ejusdem Diœcesis, si eas non visitet, *Innoc. hîc n.* 4.

» XCVII. Præterea in *cit. c.* 1. §. *Exquo*; deci-
» ditur, si Archiepiscopus cœperit visitare unam Diœ-
» cesin suæ Provinciæ, non poterit illam dimittere,
» & incipere aliam visitare: quod, si fecerit, non po-
» terit reverti, causâ visitationis ad illam, sive totam,
» sive partem ejus visitaverit, priusquam omnes reli-
» quas ipsius Provinciæ Diœceses in toto, vel in par-
» te (quas securè visitare poterit) & suam denuo visi-
» taverit: (ut sic secundùm modum supra præscri-
» ptum, visitationem secundam incipiat, *Gl. ibid.*
» *V. Sua denuo*) Quòd si fortè aliqua Diœcesis, vel
Ecclesia plus alijs visitatione indigeat; tunc intermissâ visitatione aliarum, redeat ad eandem, si à loci Diœcesano fuerit requisitus, (quia alioquî per exitum ex illa Diœcesi visitationi illius anni renunciâsse videtur, *Gl. V. Requisitus*;) vel de omnium, aut majoris partis Episcoporum ejusdem Provinciæ consilio, aut assensu processerit, ad quod ijdem se pronos exhibere debent, ne animarum fructus negligatur. Si verò malitiosè in his difficultatem faciunt, tum Archiepiscopus confidenter hoc petere debet à Sede Apostolica.

Porro postquam Archiepiscopus semel omnes Provinciæ Diœceses visitavit, licitum est ei, visitationem reiterare, secundùm modum supra præscriptum: priùs tamen requisito consilio Suffraganeorum suorum, & coram eis datâ suâ definitione in scriptis, ut possit etiam esse nota alijs, quamvis adhoc non interveniat ipsorum Suffraganeorum consensus: (ubi enim requiritur alicujus consilium, non est necessarius ejus consensus, *Franc. hîc num.* 1.) debet tamen Archiepiscopus in posteriore visitatione illas Ecclesias, eósque Clericos, & populos priùs visitare, qui non fuerant ab eo in priore visitati (præsumuntur enim magis indigere) nisi magis opportunum fuerit, alios visitare, ita habetur *in cit. c.* 1. §. *Postquam*; *h. t. in* 6. ubi *Gl. V. In scriptis* 5 recenset plures casus, in quibus de jure scriptura requiritur.

XCVIII. Insuper in *cit. cap.* 1. §. *Sanè* statuitur; ut Archiepiscopus proposito verbo DEI (per se, vel per alium, *Franc. hîc not.* 1.) inquirat de vita, & conversatione Clericorum, qui ministrant in Ecclesiis, & alijs locis Divino cultui deputatis, & de cæteris, quæ spectant ad ipsorum Officium, absque coactione, & qualibet exactione juramenti, ad ipsorum emendationem per salubria monita, sive levia, sive aspera, juxta datam sibi à DEO prudentiam diligenter intendens. Quòd, si de aliquibus (de quibus interrogati de plano nihil respondent, *Gl. hîc V. De aliquibus*;) orta fuerit infamia contra eos, tunc Ordinarijs ipsorum denunciet Archiepiscopus (si viderit expedire) ut super his solenniter (secundùm formam præscriptam in *c. Qualiter*; 24. *de accusat*;) inquirant. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egent, Archiepiscopus liberè corrigat, infligendo pœnam debitam (scilicet jure statutam: nisi ex causa fiat commutatio, aliàs àrbitraria infligi debet, *Gl. hîc V. Debitam*;) quia in notorijs meritò notari potest negligentia Ordinariorum.

Ubi notandum primò. Licèt Archiepiscopus possit visitandos compellere, ad veniendum, & dicendum veritatem de his, super quibus inquiritur, & obediendum in ijs, quæ ad eorum Officium pertinent; quia aliàs frustratoria esset ejus jurisdictio, & inefficax, si nullam coërcitionem haberet; & quia cui committitur principale, & accessorium committitur: non tamen potest eos cogere, ad jurandum. Quod procedit in visitatione, sive inquisitione generali: secus in speciali, *Innocent. hîc nu.* 5. *Ioan. Andræ ibid. nu.* 3. *& Franc. n.* 1. *not.* 2.

Notandum secundò. Ad denunciationem Archiepiscopi debent Ordinarij, sive Episcopi Suffraganei inquirere contra subditos suos infamatos de cri-

crimine; quia licèt Archiepiscopus sit Ordinarius. Judex totius Provinciæ; *c. 2. caus. 9. qu. 3.* non tamen potest cognoscere causas subditorum Suffraganeorum, nisi in casibus jure expressis, *c. Pastoralis; 11. in princ. de Offic. Ordin.* inter quos non est casus infamationis, *Gl. ibid. V. Exceptis quibusdam articulis.* Episcopus tamen ad solam denunciationem Archiepiscopi inquirere tenetur, alioquin ille poterit Episcopum ad id cogere: imò in defectum hujus poterit ipse Archiepiscopus inquirere, & supplere ejus negligentiam, *Innoc. in cit. c. 1. nu. 5. V. Denunciet; h. t. in 6. Franc. ibid. num. 2. not. 4.* Licèt aliqui contrarium teneant.

Notandum tertiò. Archiepiscopus potest notoria crimina subditorum Suffraganei, quæ examinatione, & probatione non indigent, punire, prout sumitur ex *cit. c. 1. §. Sanè; in fine*, & quidem etiamsi ad ipsum appellatum non sit, & extra visitationem, saltem si Episcopus sit negligens in puniendo. Quarant. *in summ. Bull. V. Archiepiscopi auctoritas; nu. 24.* qualis censendus est, si crimina sint notoria, tunc enim ejus negligentia in illis puniendis notari potest, *cit. c. Sane; in fine; Barb. in Collect. ibid. num. 15. h. t. in 6.*

XCIX. Denique in §. *ult. cit. c. 1. h. t. in 6.* » præcipitur, ut hæc visitandi forma ab omnibus, etiam Episcopis, aliisq; Prælatis, ordinario jure sibi » subjectos visitantibus (scilicet Archidiaconis, Decanis &c.) plenè observetur; quia est eadem ratio in Episcopis, & alijs Sæcularibus Prælatis visitantibus, quæ est in Archiepiscopis, scilicet, ne ex » illorum accessu ad visitandum, Ecclesiæ nimiùm » graventur; *c. Cùm Apostolus; 6. h. t.* Additur tamen *in fine cit. c. 1.* salvis, & exceptis rationabilibus, & approbatis Religiosorum consuetudinibus, & Regularibus institutis, juxta *c. Insinguli; 7. de stat. Monach.* De quibus supra *Tit. 35.*

C. Cæterùm prædicta Constitutio Innocentij IV. *in c. 1. in 6.* declaratur, & extenditur à Bonifacio VIII. *in c. Perpetuo; 5. & ult. eodem in 6.* Nempe Archiepiscopum posse liberè suam Provinciam visitare, licèt ejus Suffraganei non sint negligentes, & iterare visitationem, ac procurationes recipere à locis visitatis, non obstante consuetudine, si quæ fortè ab ipsis Suffraganeis, vel ab alijs (nempe subditis eorum) allegetur. Potest etiam idem Archiepiscopus, dum visitat, confessiones subditorum Suffraganeorum audire, & confitentes absolvere (quin & litteras Indulgentiarum per totam Provinciam dare, *c. pen. de pœnit. & remiss.*) & ipsis pœnitentias salutares injungere. Hodie verò juxta Decretum *Conc Trid. Sess. 24. c. 3. de reformat.* non possunt Metropolitani, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesin, visitare Cathedrales Ecclesias, neque Diœceses suorum Comprovincialium, nisi causâ cognitâ, & probatâ in Concilio Provinciali.

CI. Postremò addendum, quod habetur statutum in *Clement. Ad nostram; 2. h. t.* Nempe, ut, si » Episcopi ad Monasteria Cistercienſium venerint, » (idem videtur de alijs, ob identitatem rationis, » *Gl. hîc V. Supra dicta*) non visitationis: sed hospitalitatis causâ, contenti sint victualibus, quæ charitatis gratiâ eis fuerint ministrata. Si verò veniant causâ visitationis, recipiant procurationes sibi debitas de jure communi, vel consuetudine, » vel privilegio, vel alio jure speciali (scilicet pacto, vel onere impositio tempore fundationis, *Gl. hîc V. Speciali*;) & si velint, possunt comedere carnes: non tamen intra septa Monasterij, vel saltem non intra Portam Regularem. Possunt autem » Visitatores Fragmenta, sive Reliquias, quæ de mensa ipsorum colliguntur, ac supersunt, pauperibus » in eleemosynam erogare. Ab alijs autem gravaminibus, Ordinibus exemptis, præsertim Cisterciennsibus, inferri solitis, diligenter abstineant, »

TITVLVS XL.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

Ecclesia fundata, constructa, & dotata consecratur, ut in ea ritè DEUS colatur, & populus Christianus opera Religionis exerceat, idque ex antiquissima, & perpetua Ecclesiæ Catholicæ consuetudine. Cùm igitur in præcedentibus Titulis actum sit de Iure patronatûs, quod per fundationem, constructionem, aut dotationem Ecclesiæ acquiritur, & de Censibus, qui plerumque tempore Consecrationis Ecclesiæ, imponi solent; ideo nunc hic Titulus subiungitur, qui etiam extat in Sexto.

§. I.

A quo, quando, & qualiter consecrari possint Ecclesia, & an requiratur ad Consecrationem Ecclesiæ dotatio?

I.

ASSERTIO 1. Solus Episcopus potest consecrare Ecclesias, *c. Nemo; 9. & c. Nullus; 15.* ibi: *In sacratis ab Episcopo locis, dist. 1. de Consecr.* & quidè ab Episcopo proprio, non alieno, nisi cum licentia proprij; quia Episcopus extra Diœcesin Ecclesias consecrare non potest, sine

sine consensu Episcopi loci, ut colligitur ex *c.* 2. ibi: *In Diœcesi tua*; *h. t.* Et quamvis Consecratio ab alieno Episcopo, facta sit valida, ipse tamen Episcopus puniendus est, ita ut uno anno, à Missarum celebratione cessare debeat, *c. Episcopus* 5 28. *caus.* 7. *qu.* 1. *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 2. *h. t.* Nec potest Episcopus delegare potestatem consecrandi Ecclesias alteri simplici Presbytero, sive non Episcopo; cùm ea potestas non sit jurisdictionis: sed Ordinis Episcopalis, ideóque Clericis non Episcopis delegari non potest, *c. Aqua*; *h. t. Silvest. in summa*; *V. Consecratio*; 2. *q.* 1. *Azor p.* 2. *lib.* 9. *c.* 4. *q.* 1.

II. Assertio 2. Ecclesiæ consecrari possunt qualibet die, non tantùm diebus Dominicis, sive Festivis: sed etiam profanis, *Silvest. c. l. qu.* 2. *Azor c. loc. q.* 3. & habetur in *c. Tua*; 2. *h. t.* Ubi Innocent. III. » ita rescribit Tornacensi Episcopo: In Diœcesi tua » licet tibi Ecclesiis Dedicationem, sive Consecratio» nem impendere, tam diebus Dominicis; quàm pri» vatis, sive non festivis. Nam quamvis Consecrationes Episcoporum, Clericorum, & Virginum nonnisi certis diebus fieri possint: ad Consecrationem tamen Ecclesiarum non est præscripta certa dies; cùm enim Consecratio hæc fiat in re inanimata, non est opus, servare tantam solennitatem: at Consecratio sacrarum personarum, est dignior, & firmior, *Abb. in cit. c.* 2. *n.* 2. *not.* 2. *h. t.*

III. Assertio 3. Episcopus Ecclesiam consecrare non debet, nisi Sacrificium Missæ celebret, idque ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ Romanæ, *c. Omnes*; 3. *c. De fabrica*; 24. *dist.* 1. *de consecr.* quamvis id ad substantiam Consecrationis non requiratur: sed illa rata, & firma sit, etiamsi Episcopus Consecrator Missam non celebraverit, *Silv. c. l. n.* 1. *Azor cit. c.* 4. *q.* 2. Porro Ecclesia semel consecrata regulariter non est iterum consecranda *c. Ecclesiis*; 20. *cit. dist.* 1. nisi omnino non constet de Consecratione, vel de ea dubitetur, *c. Ecclesiæ*; 18. *ead. dist.* de quo infra.

IV. Assertio 4. Ecclesia non est consecranda, nisi priùs ei de dote competente fuerit provisum, » prout sumitur ex *c. Cùm sicut*; 8. *h. t.* Nam cùm » Regina Hungariæ quandam Ecclesiam fundâsset, » & consecrari fecisset: sed illam non dotavit, rescri» bit eidem Papa Honorius III. Cùm Ecclesia non » sit consecranda, nisi de dote ei provisum fuerit, » tantò magis ad dotandam illam Ecclesiam se libe» ralem exhibere debet, quantò fortiùs ex debito » jam ad id tenetur.

V. Ubi notandum primò. Ecclesia non est etiam fundanda, seu ædificanda, nisi priùs competens dos ei fuerit assignata, *c. Nemo*; 9. *dist. de Consecr.* quòd si id in fundatione omissum fuit, ut in casu *cit. c. Cùm sicut*; non debet consecrari, nisi dos ei fuerit priùs assignata, ad quod ex debito, sive quasi contractu obligatur ipse Fundator, vel qui eam fecit consecrari, & hæredes ejus, *cit. c. Cùm sicut in fine*, & ibi *Gl. V. Consecranda*; & habetur etiam in *Auth. de Eccl. Tit.* §. *Si quis autem*; *collat.* 9. Sicut, qui fecit aliquem ordinari, tenetur Titulum sustentationis ei assignare, *c. Cùm secundùm* 5 16. *de præb.*, & quemadmodum pater tenetur dotare filiam, *l. fin. de promiss. dot.* Ita, & Fundator Ecclesiæ, qui quodammodo censetur pater, quia Ecclesiam de non esse ad esse deduxit: sed in defectum Fundatoris, vel facientis consecrari, si is Ecclesiam dotare non possit, tenetur ad id Episcopus, vel ex bonis, & reditibus Ecclesiæ suæ, si sine gravi læsione ejusdem id fieri possit, *arg. c. Adostolicæ* 5 9. *de donat.* alioquin delictum personæ in Ecclesiæ damnum redundare non debet, *c. Venerabilis*; 6. §. *Intelleximus*; *de except.* & ex patrimonio suo, *Hostiens. in cit. c. Cùm sicut* 5 *V. Tanquam ex debito*, & *Abb. nu.* 2. & 3.

Porro contra Fundatorem, aut Patronum Ecclesiæ, qui fecit Ecclesiam consecrari, competit condictio ex Canone dicti, *c. Cùm sicut* 5 per quam is compellatur, ad assignandam dotem, adeóque hoc casu Ecclesiasticus Judex habet jurisdictionem in Laicum, *Hostiens. in cit. c. V. Teneris*; & *Abb. num.* 2. Excipiuntur Ecclesiæ Religiosorum Mendicantium, quæ sine dote ædificari possunt. Idémque est de Ecclesiis, quæ ædificantur in Monasterijs annuos reditus habentibus, *Silvest. V. Ecclesia*; 2. *q.* 2. *Azor p.* 2. *lib.* 9. *c.* 3. *q.* 7. *in fine.*

VI. Notandum secundò. Dos assignanda Ecclesiæ, debet esse competens, quæ scilicèt sufficiat pro luminaribus, *c.* 1. *caus.* 1. *qu.* 2. & ad honestam sustentationem Presbyteri, seu Parochi, cum uno Clerico Ministro, si sit Ecclesia Parochialis, vel Capella, *cit. c. Nemo* 5 *dist.* 1. *de Consecr. junct. G. V. Custodum*; habitâ ratione Decimarum, Oblationum, & aliarum obventionum spiritualium. Si autem Ecclesia sit Collegiata, debet dotari secundùm numerum Clericorum, & Ministrorum instituendorum in illa Ecclesia, & qualitatem Collegij, *cit. c.* 1. *caus.* 1. *q.* 2. Neque tamen requiritur ab initio dos tanta, quæ sufficiat etiam ad hospitalitatem exercendam, & jura Episcopalia solvenda 5 quia Ecclesia impotens non tenetur ad ista præstanda, donec ad pinguiorem fortunam pervenerit, *Hostiens. in cit. c. Cùm sicut*; *V. Consecranda*; *Abb. ibid. nu.* 4. & 5. *Azor cit. c.* 3. *qu.* 7. *contra Glos.*

§. II.

In quibus casibus Ecclesia execretur, ita, ut novâ Consecratione indigeat?

VII. Tres casus recensentur à *Gl. in c. Proposuisti* 5 4. *V. Reconciliari*; *h. t.* & *Abb. ibid. nu.* 6. & 2. *seqq. Silvest. V. Consecratio*; 2. *quæst.* 4. *Azor cit. lib.* 9. *c.* 4. *qu.* 5. Primus est, si nesciatur, vel dubitetur, an Ecclesia aliqua fuerit consecrata, nec nè, nec appareat aliquod indicium, sive argumentum, ex quo probari possit, vel præsumi, illam esse consecratam. Censetur autem, vel præsumitur consecrata, si id constiterit ex instrumento dotationis confecto, vel ex scriptura in columna, vel tabula aliqua marmorea inserta, vel ex Crucibus depictis in parietibus Ecclesiæ, vel etiam si unus Testis adsit, qui testatur, se vidisse: imò etiam, secundùm quosdam, se audivisse, Ecclesiam esse consecratam, *c. Solennitas* 5 16. *junct. Gl. V. Nec certi Testes*, & *c. Ecclesiæ* 5 18. *de Consecr. dist.* 1. Ubi dicitur, quoties de Ecclesiarum Consecratione dubitatur, eas consecrandas esse, nec timendam esse iterationem;

quia non monstratur, esse iteratum, quod nescitur factum: & debet tunc Episcopus, sub conditione (non quidem verbis expressâ, sed mente retentâ) Ecclesiam consecrare, si non est consecrata, *Gl. in cit. c. Solennitates*; *V. Facit.* Et hinc colligunt Dd. communiter hanc regulam, quòd ubi non agitur de præjudicio alterius, etiam scriptura in lapide, vel unus testis, & aliæ hujusmodi semiplenæ probationes plenam fidem faciunt: sicut etiam in dubio parvuli baptizandi sunt: nisi vel unus sit, qui testificetur, eos baptizatos esse; *c. Parvulos*; 110. *de Consecr. dist.* 4. *Abb. in cit. c. Proposuit*; *nu.* 6. *h. t. Silvest. V. Consecratio qu.* 3. In dubio autem non præsumitur Ecclesia consecrata, ob solam diuturnitatem temporis; *Barbos. in cit. c. Proposuisti*; *nu.* 6.

VIII. Secundus casus, in quo Ecclesia propter execrationem novâ consectatione indiget, est, si Ecclesia igne sit exusta, ita, ut parietes interiores fuerint combusti, vel devastati, & abrasi ex toto, vel ex majore parte; *c. Ecclesiis*; 20. *dist.* 1. *de consecr.* & ibi: *Gl. V. Altaria*; quia Consecratio consistit in exteriore parte, seu superficie parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus Crucis signum apponitur; ideóque ex combustione, vel notabili abrasione parietum violatur Consecratio, etiamsi parietes nõ corruerint, *Abb. in cit. c. Proposuisti*; *num.* 7. *h. t. Silvest. V. Consecratio*; *qu.* 4. *Azor cit. q.* 5. Porro, si ligna Ecclesiæ consumpta sunt vetustate, vel ex alia causa tectum Ecclesiæ sit destructum, parietibus tamen illæsis, non ideo debet Ecclesia denuo consecrari, *c. Ligneis*; 6. *h. t.* quia in parietibus, in quibus fiunt Cruces, & inunctiones, consecratur Ecclesia, & non in tecto, *Gl. ibid. V. Parietibus. junct. Gl. marg. lit B.*

IX. Tertius casus est, si totum Ecclesiæ ædificium, sive casu fortuito, sive consulto destruatur, aut corruat, non tantùm quoad tectum: sed etiam quoad parietes, ita ut vel ex toto, vel saltem ex majore parte destructi sint, ideóque denuo reparari debeant: tunc enim Ecclesia amisit Consecrationem, & de novo est consecranda; quia Ecclesia restaurata, nec physicè nec moraliter est eadem Ecclesia, quæ antea erat, *prout sumitur ex c. De fabrica*; 24. & ibi *Gl. V. Instauranda*; id est, *Reconsecranda*; & *V. Innovata*; *dist.* 1. *de Consecr. Abbas in cit. c. Proposuisti*; *num.* 8. *h. t. Silvest. cit q.* 4. §. *Tertius*; *Azor cit. c.* 4. *q.* 5. & alij Dd. communiter. Idque procedit, etiamsi ex ijsdem lapidibus sit restaurata, ut tradunt Dd. *citt.*

Si verò parietes Ecclesiæ, non simul, & in totum: sed paulatim per partes minores, seu parvas destruantur, aut corruant, ita tamen, ut nunquam major pars simul destructa sit, an Ecclesia denuo sit consecranda, non conveniunt Dd. Quidam affirmant, *Innoc. in rubr. h. t. nu.* 1. & *Abbas in c. Proposuisti*; 4. *n.* 8. *eod.* Ratio eorum est, quia tunc non manet eadem Ecclesia, quæ antea fuit, secundùm rei veritatem: sed solùm secundùm fictionem, per quam navis ex toto reparata eadem censetur, quæ fuit antea, in veritate autem non est eadem: at in istis spiritualibus attendi debet veritas, & non jurisfictio: in veritate autem non est eadem Ecclesia, quæ ex toto, vel ex majore parte est refecta, licèt successivè, & per partes, & negari non potest, quin Consecratio, quæ in antiquis parietibus erat, sit sublata.

Alij verò negant, denuo esse consecrandam, *Gl. in cit. c. Proposuisti*; *V. Reconciliari*; *Host. ibid. column.* 2. *Silvest. cit. qu.* 4. *& Azor cit. c.* 4. *quæst.* 6. *Barbos. in c. Ligneis*; 6. *nu.* 3. *h. t.* Ratio est, quia licèt Ecclesia ex nova materia paulatim, & successivè à primis fundamentis per partes parvas, seu minores reparetur, censetur tamen eadem semper Ecclesia: sicut non solùm secundùm Canones, & Leges: sed etiam rei veritatem, navis, quæ paulatim per partes successivè reparatur, eadem est, quæ antea, *l. Quod in rerum natura*; 24. *in fine*; *ff. de legat.* 1. & eadem semper est Civitas, licèt successivè omnes cives moriantur, & alij nascantur, & in eorum locum succedant, *l. Proponebatur*; 76. *ff. de judiciis.* Sic idem est homo, non tantùm quoad animam, sed etiam quoad corpus, licèt partes ejus quotidie per calorem naturalem consumantur, & novæ generentur; & ratio est, quia partes, quæ de novo accedunt, seu accrescunt, fiunt una & eadem res cum partibus, quibus adjunguntur, & constituunt unum totum. Neque verum est, Consecrationem antiquam omnino sublatam esse: sed quoties addita fuit nova pars parva parieti antiquo, Consecratio ei inhærens extensa fuit, quantùm ad virtutem supernaturalem, & spiritualem ad novam partem adjectam; illâque etiam facta est sacra: nam in ijs, quæ fiunt per additionem, vel accessionem partium, dignius trahit ad se, quod minus dignum est: sive ut *Gl.* ait in *in c.* 1. *V. Altare*; *in fine h. t. Sacrum trahit ad se non sacrum*; Sic oleum non consecratum potest commisceri oleo consecrato, seu benedicto, *c. Quod in dubijs*; 3. *in fine h. t.* & totum fit consecratum; quia sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum, *Gl. in cit. c. V. Consecratum.* Idémque dicendum, si aqua benedicta aquæ non benedictæ misceatur, *Silv. V. Aqua benedicta*; *q.* 3. qui ait, id solùm verum esse, si oleum non sacrum; vel aqua profana in minore quantitate admisceatur oleo sacro, vel aquæ benedictæ: secus si in majore, vel æquali quantitate admisceatur; quia virtus spiritualis, & supernaturalis rei dignioris, sive sacræ, attingit minùs dignum, seu non sacrum, eique effectum suum communicat, si virtus ejus naturalis sit major: & sic oleum, vel aqua non sacra in minore quantitate commixta oleo sacro, fit sacrum: non item, si in majore, vel æquali quantitate admisceatur; alioquin sequeretur, per guttam olei cõsecrati, vel aquæ benedictæ totum vas olei non consecrati, vel aquæ non benedictæ, cui infunditur, consecrari, quod est absurdum, *Silvest. cit. quæst.* 3. *Barbos. in cit. c. Quod in dubiis*; *nu.* 6. Ita similiter, si parvæ parti parietis Ecclesiæ consecratę addatur magna pars non consecrata, ista non fit consecrata; quia major pars non trahitur ad formam partis minoris: sed è contrario pars minor trahitur ad formam partis majoris, *Silvest. V. Consecratio*; *qu.* 4. *in fine*, *Azor cit. c.* 4. *quæst.* 6. *in fine.* Porro etsi hoc casu, quo Ecclesia per partes parvas successivè est reparata, non indigeat novâ reconsecratione: putant tamen aliqui, egere reconciliatione per aspersionem aquæ benedictæ. Verùm id nullo jure expressum habetur, quamvis tutius, & magis pium sit, ut reconcilietur, ut tradit *Hostiens. in cit. c. Proposuisti*; *vers. Sed nunquid eget*, *Silv. V. Consecratio*; 2. *qu.* 5. *in fine.*

§. III.

§. III.

Quot, & quibus modis polluatur, sive violetur Ecclesia, ita, ut in ea Divina Officia celebrare non liceat, priusquam reconcilietur: ac quomodo, & à quo Ecclesia polluta reconcilianda sit?

X. Assertio 1. Polluitur Ecclesia pluribus modis. Veluti primò, per homicidium factum in Ecclesia, *c. Proposuisti* 3 4. *h. t.* Idque voluntarium, & injuriosum; vel saltem contra Religionem, seu reverentiam loco sacro debitam, commissum. Dicitur primò. *Voluntarium*; quia, si quis casu occidatur, dum v. gr. trabs, vel lapis decidit è tecto, vel pariete, vel si impos mentis se ipsum occidat, non violatur Ecclesia. Dicitur secundò. *Injuriosum*; quia, si quis alterum occidat, ob necessariam defensionem sui ipsius, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non violatur Ecclesia: secus, si illud excedat. Polluitur verò etiamsi sine sanguinis effusione homicidium fiat, ut, si quis laqueo suspendatur, vel suffocetur. Dicitur tertiò. Vel saltem contra Religionem &c. quia etiam per mortem reo illatam, per sententiam judicis, polluitur Ecclesia; quia est contra reverentiam, & libertatem Ecclesiæ: imò etiam, si Martyr ob Fidem in Ecclesia occidatur; nam quamvis per Sanctorum mortem, sive Martyrium Ecclesia consecretur, *c. Quamvis* 3 *3. dist.* 21. & ibi: *Gl. V. Consecrárunt*; & *c. Fundamenta*; 17. *post princ.* §. *Isti sunt*: *de Elect. in* 6. ibi: *Urbem ipsam glorioso cruore Martyrij Christo consecrárunt*: cædes tamen illis illata ex actione occidentis persecutoris, & injuriosum, & sacrilegum est homicidium; *Gl. in cit. c. unic. V. Sanguinis in fine h. t. in* 6. *Abbas in c. Proposuisti*; 4. *num.* 2. *h. t.* quamvis ipse putet, per occisionem Sancti, Ecclesiam non pollui: sed minùs rectè; quia nō polluitur præcisè ob sanguinem effusum: sed ob iniquam effusionem, adeóque non passio: sed actio injusta polluit Ecclesiam, *Silvest. V. Consecratio*; 2. *qu.* 5. *In primo casu*; *Azor p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæst.* 1. & alij communiter. Porro probabilius est, quòd, si quis lethali ictu in Ecclesia accepto, etiam citra sanguinis effusionem, extra Ecclesiam moriatur, violari Ecclesiam; quia tota actio injuriosa; & causa mortis per se illativa intra Ecclesiam est posita, quæ redundat in reverentiam loci sacri, quamvis nonnulli Dd. contrarium teneant. Secus est, si quis extra Ecclesiam vulneretur, & ad illam confugiens, mors intra illam sequatur; tunc enim non violatur Ecclesia, *Gl. in cit. c. unic. V. Sanguinis*; *Silvest. cit. qu.* 5. *in* 1. *casu*, *Azor cit. c.* 5. *qu.* 1. §. *Si quæras*; multò minùs violatur, si quis supra tectum Ecclesiæ, vel in subterraneo loco sub Ecclesia occidatur; quia non intra Ecclesiam, *Silvest. c. l.* & *Azor c. l.* Violatur autem, si quis seipsum sanæ mentis occidat, vel vulneret, *Silvest. c. l.*

XI. Secundò polluitur Ecclesia per vulnera in illa inflicta, citra mortem, sive per humani sanguinis effusionem, *cit. c. Proposuisti*; ibi: *& aliquando vulnera inferuntur*, & *c. ult.* ibi, aut *sanguinis effusione*, *h. t.* & in *c. un. in princ. eod. in* 6. Requiritur autem primò, Ut sit copiosa sanguinis effusio, ut patet ex hoc ipso verbo *effusio*, quod abundantiam significat: unde non violatur Ecclesia, si paucæ guttulæ effluant, *Abb. in cit. c. Proposuisti*; *num.* 3. *h. t.* Neque etiam, si ob percussionem pugno, vel alapâ factam, magna copia sanguinis effluat solùm è naribus; quia nares sunt organum, unde sanguis nimis facilè emittitur. *Diana p.* 6. *tract.* 6. *resolut.* 24. & alij apud ipsum. Secundò requiritur, ut sanguinis effusio voluntariè facta sit; quia non polluitur Ecclesia, si casu facta sit, aut citra mentis consensum, v. gr. ab amente, vel etiam, si jocosè tantùm, non per injuriam facta sit; *Gl. in cit. c. unic. V. Sanguinis*; *h. t. in* 6. Porro, si vulnus inflictum sit in Ecclesia, licèt sanguis extra illam effluxerit, polluitur Ecclesia; quia causa efficax effluxionis jam est posita in Ecclesia, & per accidens est, quòd in illa sanguis non effundatur, sed extra illam; ut ex probabiliore sententia docet, *Silvest. cit. qu.* 5. *in* 2. *casu*. *Azor. cit. qu.* 1. §. 2. Secus est, si quis extra Ecclesiam vulneretur, & in Ecclesia sequatur sanguinis effusio; cùm ibi causa effusionis non sit posita. Neque etiam polluitur Ecclesia per aliam, quamvis corporalem injuriam, vel percussionem in illa factā, citra sanguinis effusionem; quia Canones solùm faciunt mentionem de homicidio, & de vulneratione, cum sanguinis effusione, ideóque in hac materia odiosa, ac pœnali non est extensio facienda ad percussionem, sine sanguinis effusione, *Abb. in cit. c. Proposuisti*; *nu.* 4. *Silvest. & Azor loc. citt.*

XII. Tertiò polluitur Ecclesia per adulterium, vel aliam illicitam copulam carnalem, & quamcúnque voluntariam illicitam seminis effusionem, intra Ecclesiam factam, *C. Significásti*; *de adult. c. Ecclesiis*; 20. *dist.* 1. *de consecr. c. unic. in princ. h. t. in* 6. Unde, si in somnis fiat, non violatur Ecclesia, *Gl. in cit. c. Ecclesiis*; *V. Semine*; violatur autem per actum conjugalem in ea factum, quia licèt is per se, sine peccato, exerceatur, non tamen sine injuria, & irreverentia loco sacro illatâ, propter quam per justam occisionem hominis violatur Ecclesia. Excipi debet casus necessitatis, ut si Conjuges diu in Ecclesia inclusi esse cogantur, cum probabili periculo turpis pollutionis: sicut enim per humani sanguinis effusionem, ad conservandam vitam corporalem, non violatur Ecclesia: ita neque per effusionem humani seminis, factam ad conservandam vitam spiritualem, *Silvest. V. Consecratio*; *qu.* 5. §. *Tertiùs casus est*. *Azor cit. c.* 5. *qu.* 1. §. *Tertiò polluitur*. Requiritur tamen, ut seminis effusio sit magna, & notabilis, non modica tantùm distillatio, & ut sit publica, sive publicè innotuerit; nam per occultam non violatur Ecclesia, quamdiu manet occulta, sicut pro occulto crimine non imponitur solennis, & publica pœnitentia, neque Ecclesia de occultis judicat: idque colligitur ex *cit. c. Significásti*; ubi vis ponitur in publica detectione. Si verò fornicatio, vel seminis effusio occultè facta in Ecclesia, postea publicè innotescat, ex eo tempore habetur Ecclesia pro polluta, & necessariò reconciliari debet, *Sylvest. c. l. Azor cit. c.* 5. *qu.* 2. Ubi ait, idem dicendum, de alijs supradictis casibus, in quibus polluitur Ecclesia, haberi pro polluta, postquam ei cœperunt esse notorij per rei evidentiam, aut confessionem Rei judicialem.

XIII. Quartò polluitur Ecclesia, si in illa sepeliatur fidelis excommunicatus, *c. Consuluisti; 7. h. t.* quod licèt loquatur de Cœmeterijs, eadem tamen; imò major est ratio prohibitionis in Ecclesia; cùm per sepulturam excommunicati non minùs irreverentia inferatur Ecclesiæ, quàm Cœmeterio, *Silvest. cit. qu. 5. §. Quartus casus est. Azor. cit. c. 5. §. Quartò polluitur.* Id verò intelligi debet post Concil. Constantiense, de nominatim excommunicato, ac denunciato, aut notorio Clerici percussore, de quo plura sunt dicta supr. *Tit. 28. §. 7. hoc Lib.* Et hinc non polluitur Ecclesia, per sepulturam hæreticorum in Germania; quia non sunt nominatim, & publicè denunciati: sed tolerati. Porro quamvis aliàs excommunicatio, & interdictum in jure æquiparentur, *c. 1. & ibi Gl. V. Observari; de sentent. excommun. in 6.* & personaliter, ac nominatim interdictus non debeat sepeliri in loco sacro, *c. Is; Cui; 20. eod. in 6.* quin, & cadaver illius sepultum exhumandum sit, si ab alijs discerni possit, *c. Ecclesiam; 28. & ibi Gl. fin. dis. de cons.* Non tamen per interdicti sepulturam violatur Ecclesia, aut reconciliatione indiget; cùm id nullo jure sit expressum, *arg. c. Is; qui 18. de sentent. excomm. in 6.* Neque enim pœnæ sine juris textu induci, vel extendi debent: neque æquiparatio habet locum in pœnalibus: præsertim quia excommunicatio multò gravior est, quàm interdictum, quippe quæ privat omni communicatione: non item interdictum, *Laym. lib. 5. tr. 5. c. 5. nn. 8. Zæs. in Comment. h. t. n. 11.*

XIV. Quintò polluitur Ecclesia per sepulturam hominis infidelis, aut non baptizati, quo casu non tantùm Missas in ea celebrare non licèt) priusquam reconcilietur) & corpus defuncti pagani foràs projici, & Ecclesia mundari debet, *c. Ecclesiam; 27.* sed etiam parietes, & tigna debent radi, *c. Ecclesiam; 28. dis. 1. de Consecr. Silvest. c. l. & Azor c. l. §. 5. Polluitur.* Verùm *Abb. in c. Consuluisti; 7. n. 4. h. t.* putat, non esse, hoc casu, radendos parietes; quia violaretur per id Ecclesia, ita ut denuo consecranda esset, & in *cit. c. Ecclesiam*; sermonem esse tantùm, de Ecclesia nondum consecrata: quod verum est, si ita radantur parietes, ut omnis crusta, vel secundùm majorem partem auferatur: secus, si tantùm dealbentur, tunc enim non execratur Ecclesia, ut Consecrationem perdat, cùm hæc in parietibus sit, & crusta, quæ permanent, *Laym. c. l. nu. 15.* Potest tamen infans non baptizatus, si in utero matris mortuus sit, unà cum fideli matre sepeliri in Ecclesia; quia est pars ventris, & mater cum fœtu unum corpus censetur, *Azor cit. c. 6. q. 1. §. Quid dicendum, Laym. cit. c. 5. n. 8. in fine.* Porro inter tres priores, & duos postetiores modos violandi Ecclesiam jam allatos, hæc est differentia, quòd priores tres non fiant sine culpa: ad posteriores verò duos non requiritur culpa, sed sufficit factum, ut videlicet corpus defuncti excommunicati, vel infidelis in Ecclesia sepeliatur, *Layman. cit. c. 5. num. 8. in fine.*

XV. Addunt aliqui sextum casum, in quo Ecclesia polluatur, videlicet si ab Episcopo notoriè excommunicato sit consecrata, vel benedicta, *Silv. V. Benedictio; qu. 6. Azor cit. c. 5. qu. 1. in fine.* Sed verius est, illam non ideo pollui; cùm hæc violatio nullum in jure fundamentum habeat, ut fatetur ipse *Azor c. l.* & lex pœnalis ad casum non expressum non sit extendenda. Et sicut Baptismus ab excommunicato, aut hæretico ministro collatus, est validus, & iterari non debet: ita etiam Ecclesia ab excommunicato, aut hæretico Episcopo validè consecratur. Neque ideo reconcilianda est, dummodo Minister, seu Episcopus Fidem SS. Trinitatis tenuerit, *c. Ecclesiis; 20. dis. 1. de Consecr.* Accedit, quòd violatio sit posterior Consecratione, quam supponit tanquam formam, seu habitum, ergo impossibile est, ut eadem actione simul Ecclesia consecretur, & violetur, *Laym. cit. c. 5. num. 9.*

XVI. Prædictis addendum primò. Ut Ecclesia censeatur violata, debet unus ex actibus supra allatis fieri intra illud spatium, quod pertinet ad interius corpus Ecclesiæ, ab interiore tecto usque ad pavimentum, & à summa Ara, usque ad parietem oppositum, ac proinde comprehenduntur etiam Capellæ, intra Ecclesiam constitutæ, quæ proprio muro à reliquo Corpore Ecclesiæ non sunt sejunctæ, & ad cultum Divinum sunt deputatæ, *Sanch. lib. 9. de matrim. dis. 15. num. 25.* non tamen comprehenduntur Cameræ Ecclesiæ adhærentes; quia non constituunt unum corpus cum Ecclesia: nec ad cultum Divinum deputantur: nec tectum, aut turris Ecclesiæ, nec Sacristia; quia non ad Officinum Divinum: sed ad custodiam sacrarum vestium deputatur, nec spelunca sub Templo constructa; quia est extra Ecclesiam, nisi sit fornix Ecclesiæ, ad sepulturam fidelium deputatus, sicut Ecclesiæ solum, *Sanch. c. l. nu. 26. & seqq.*

XVII. Addendum secundò. Si alia percussio, etsi enormis, intra Ecclesiam fiat, citra sanguinis effusionem, vel si quis capitis condemnatus inde extrahatur, & suspendatur, vel si furtum in Ecclesia fiat, non polluitur Ecclesia; quia id nullo jure est expressum, & quòd in certis casibus violetur Ecclesia, & non in alijs, id solo Jure Ecclesiastico statutum est, non Divino, aut naturali, *Azor cit. c. 5. q. 3.*

XVIII. Addendum tertiò. Etiam Ecclesia non consecrata polluitur humani seminis, aut sanguinis effusione, prout statuitur in *c. Si Ecclesia; 10. & ult. h. t.* modò tamen auctoritate Episcopi locus ille ad Divinum cultum sit dedicatus, *Gl. hic V. Non consecrata*; ex quo enim talis Ecclesia est ad Divinum cultum deputata, & protinus consecranda, habetur pro consecrata in favorem ejusdem, sicut miles proximè cingendus habetur pro cincto, sive pro milite, *l. pen. ff. de testam. milit.* ubi *Gl. marg. lit. D.* ait, paria sunt aliquid esse factum, vel in proximo faciendum, in materia scilicet favorabili, & privilegiata, *Abb. in cit. c. ult. num. 2. h. t.* Item polluitur, si in ea excommunicatus, vel non baptizatus sepeliatur, *c. Ecclesiam; 27.* & *c. seq. dist. 1. de consecr. Gl. in cit. c. ult. V. Non consecrata*; *Silv. V. Consecratio; 2. q. 6. Azor cit. c. 5. q. 4.* & ita Ecclesia non consecrata gaudet eodem privilegio, quo consecrata, quamvis aliter reconcilietur, quàm consecrata, *Gl. in cit. c. ult. in notat.* de quo infra. Verumtamen, si Ecclesia, seu locus aliquis consecratus, vel auctoritate Episcopi benedictus non sit, etsi sit ab eodem ad publica Officia Divina deputatus, nunquam violari, ut reconciliatione indigeat, docent plures Dd. apud *Laym. cit. c. 5. n. 2.* Ubi ait, hanc sententiam nunc in praxi observari.

XIX. Assertio 2. Ecclesia consecrata, si polluta fuerit, reconciliari potest, ac debet, per aspersionem

gonem aquæ, cum vino, & cinere (& sale, juxtà Pontificale Romanum) benedictæ, prout constat ex *c. Proposuisti* 3; 4. *in fine h. t.* Si verò nondum sit consecrata: sed tantùm benedicta ab Episcopo, potest reconciliari, per aspersionem simplicis aquæ benedictæ, ut patet ex *cit. c. ult. h. t.* ubi dicitur, si Ecclesia non consecrata (ad consecrandum tamen ædificata, ideóque ad DEI cultum publicè destinata *Hostiens. hîc V. eod.*) cujuscúnque fuerit, semine (humano, sive Clerici, sive Laici, sive fidelis, sive infidelis, aut hæretici, *Hostiens. V. eod.*) aut sanguinis effusione polluta, aquâ exorcitatâ protinus lavetur, ne Divinæ laudis organa suspendantur, & quàm citò fieri poterit, est consecranda.

Ex quo colligitur 1. Quòd non sit necessarium, ut talis Ecclesia reconcilietur per aquam ab Episcopo solenniter benedictam: sed per simplicem Sacerdotem; quia solùm dicitur, esse protinus lavandam aquâ exorcizatâ, ergo non oportet, vel Episcopum exspectare, vel aquam ab eo benedictam adferri, *Azor cit. c. 5. qu. 5. Barbos. in cit. c. ult. num. 2. h. t. & de Offic. Episc. alleg. 28. nu. 57.* Colligitur secundò. Quòd in Ecclesia non consecrata, si polluta fuerit, antequam reconcilietur, nedum Missa: sed nec ullum Officium Divinum celebrari licitè possit; cùm, ut hîc dicitur, *Organa Divinæ laudis sint in illa suspensa, Abbas ibid. num. 4. Silvest. V. Consecratio; qu. 7.* Neque tamen, qui in Ecclesia polluta celebrat, etiam scienter, ideo irregularitatem incurrit, ut patet ex *c. Is. qui* 3; 18. *de sentent. excomm. in 6.* Neque Ecclesia polluta est interdicta, *Abb. c. l. Silvest. c. l. quæst. 9. Azor cit. c. 5. qu. 6.*

» XX. Assertio 3. Si Ecclesia consecrata pol- »
» luta fuit, ea reconciliari potest, ac debet, aquâ per »
» Episcopum benedictâ, & quidem ab Episcopo pro- »
» prio, vel ex ejus mandato, per alium Episcopum: »
» per simplices verò Sacerdotes hujsmodi reconcilia- »
» tio fieri non potest (etiam aquâ per Episcopum »
» benedictâ) non obstante contraria consuetudine, »
» quæ potiùs corruptela est dicenda; quia licèt Epi- »
» scopus committere valeat, ea quæ sunt jurisdictio- »
» nis (cujusmodi sunt judicare, conferre Beneficia, in »
» ijs instituere, & omnia alia facere, ad quæ agenda li- »
» beram potestatem accepit in confirmatione, juxta *c.* »
» *Transmissam is; de elect.*) quæ tamen Ordinis Epi- »
» scopalis sunt, non potest inferioris gradûs Cleri- »
» cis demandare, ut est Ordinatio Clericorum, Con- »
» secratio Virginum, & Ecclesiarum, & similia, de »
» quibus in *c. Quamvis* 4. *dist.* 68. Ita statuit Gregorius »
» IX. in *c. Aqua*; 9. *h. t.* & ibi *Gl. V. Jurisdictionis*; Ra- »
» tio differentiæ est, quia Ordo non per commissionem, »
» seu nudâ voluntate: sed per manûs impositionem, seu »
» Consecrationem confertur, *c. unic. de Sac. Unct. c. fin. de Sacram. non iter.* adeóque facto opus est; quia ne- »
» cessaria est visibilis, & exterior unctio, vel alia actio, »
» *Gl. hîc V. Jurisdictionis*; & *Hostiens. V. Ordinis Episcopalis.* Verùm S. Pontifex potest reconciliationem »
» Ecclesiæ etiam simplici Sacerdoti committere; quia »
» in ijs, quæ sunt juris, seu potestatis Episcopalis, ex »
» dispositione, seu ordinatione Ecclesiastica, & merè »
» humana, Papa habet plenitudinem potestatis, *c. Pro-* »
» *posuit* 4. *de conc. præb.* ideóq; eam alteri etiam delegare »
» potest: quæ autem ex dispositione, seu Lege Divina, »
» certo Ordini sunt concessa, ea non possunt, etiam ab »
ipso S. Pontifice committi non habenti illum Ordinem, ut tradit *Gl. in cit. c. 1. V. Concedimus; dist. 95. Abb. in cit. c. n. 2. & ult. Azor cit. c. 6. q. 5.*

Additur in *cit. c. Aqua*; *in fine h. t.* Quod au- »
tem mandantibus Episcopis, super reconciliatio- »
ne hactenus factum est per eosdem (scilicet simpli- »
ces Sacerdotes, qui ex mandato Episcoporum re- »
conciliabant Ecclesias pollutas) misericorditer to- »
leramus. Ubi *Gl. fin.* opponit, quòd videatur, non »
obstante istâ tolerantiâ Papæ, Ecclesiam pollutam esse iterum conciliandam per Episcopum, eò quòd reconciliatio fiat per simplicem Sacerdotem nulla fuerit: sicut, si quis ordinetur ab eo, qui non habet potestatem ordinandi, iterum ordinari debet, *c. Presbyteri*; 2. *dist.* 68. Sed dicendum est, cum *Gl. ib.* quòd per hanc tolerantiam Papa ratam habuit reconciliationem factam per simplicem Sacerdotem, ita, ut ex tunc incipiat valere, cùm priùs nulla fuisset.

XX. Assertio 4. Si Ecclesia non consecrata: sed benedicta tantùm, vel publicè deputata ad cultum Divinum, polluta fuit, ea reconciliari potest aquâ etiam non benedictâ ab Episcopo, sive aquâ lustrali benedictâ per simplicem Sacerdotem, *Silv. c. l. qu. 8. Azor cit. c. 5. q. 8.* Nam, si Papa Gregorius in *cit. c. ult. h. t.* voluisset, ut lotio Ecclesiæ pollutæ fieret per Episcopum, id expressisset, sicut expressit in *c. præced.* cùm idem eidem scripserit. Item, quia ibi præcipitur, ut lavetur aquâ exorcizatâ, scilicet tantùm, quæ benedicitur per simplicem Sacerdotem, & non cum aqua benedicta ab Episcopo, & cum vino, ac cinere, per quem reconciliatur Ecclesia consecrata, *c. Proposuisti*; 4. *h. t.* Denique ibi additur, ut protinus lavetur, quod non posset dici, sibi deberet exspectari mandatum Episcopi. Cæterùm reconciliatio Ecclesiæ pollutæ debet fieri, expensis illius, qui eandem violavit, si sciatur, quis sit, & solvendo sit: si verò ignoretur, vel non sit solvendo, tum recurrendum est ad consuetudinem, vel statutum loci, sive Ecclesiæ: quibus deficientibus, in Rectorem, seu Parochum hoc onus rejicitur: vel, si ipse pauper sit, in Parochianos, ac denique in defectum omnium prædictorum, ipse Episcopus suis sumptibus Ecclesiam reconciliare debet, *Abb. in c. Proposuisti*; 4. *num. ult. h. t. Barbos. in c. pen. n. 2. h. t.*

§. IV.

De Consecratione, & execratione, ac violatione Altaris.

XXII. Præmittendum primò. Duplex est Altare (quod non ligneum, aut terreum: sed lapideum, esse debet, *c. Altaria*; 31. *dist.* 1. *de consecr.* Consecratum ab Episcopo, *c. Nullus*; 25. *eod. dist. c. Quamvis*; 4. *dist.* 68. vel etiam à Sacerdote simplici: sed nonnisi ex speciali concessione S. Pontificis, *Azor p.* 1. *lib.* 10. *c.* 27. *q.* 4. & alij communiter) Unum stabile, sive fixum, sic dictum; quia alicui loco, seu basi, calce, seu alio modo affixum est. Alterum est mobile, seu portatile, quod etiam viaticum appellatur in *c. ult. de privil. in 6.* Inter quæ Altaria illud est discrimen, quòd Altare mobile per se consecratur: & hoc constare debet ex unico lapide integro tantæ magnitudinis, ut pedem calicis cum patena, saltem quoad majorem partem, capere possit. Altare verò immobile,

seu

seu fixum consecratur non per se: sed quatenus basi affixum est, cujus saltem tabula, seu Ara superior debet esse lapidea, *Abb. in c. 1. nu. 3. h. t. Silvest. V. Altare; in princ. Laym. lib. 5. tr. 5. c. 6. n. 3.*

Præmittendum secundò. Etsi Consecratio legitimè facta in re animata, scilicèt homine, nunquam amittatur, ut patet in baptizato, & ordinato, qui etiam post mortem manet baptizatus, aut ordinatus. Res verò inanimatæ, ut Ecclesiæ Altaria, vasa sacra, &c. semel ritè consecratæ Consecrationem amittere possunt, ut iterum conferari debeant. Ratio disparitatis est, quia Consecratio in homine operatur suum effectum interiùs, & invisibiliter in anima, *c. unic. De sacra Unct.* Consecratio verò, quæ fit in rebus inanimatis, consistit in signis visibilibus, & interioribus, ut in Altaribus lapideis, vel muris, in quibus fiunt Cruces, & inunctiones, ideóque per violationem Consecrationis execrari possunt, seu Consecrationem amittere, *Abb. in cit. c. 1. n. 1. not. 3. h. t.*

XXIII. Quæritur nunc primò. Quando, sive in quibus casibus Altaria execrentur, sive Consecrationem amittant, ita ut iterum consecrari debeant? Resp. Altare, sive immobile, ac fixum, sive mobile, Consecrationem amittit primò. Si mensa superior, sive lapis superpositus, qui sigillum continet, vel lapis ipse Altaris portatilis, enormiter, seu notabiliter fuerit confractus, aut etiam diminutus, tunc enim denuo debet consecrari, prout sumitur ex *c. Ad hæc; 1. c. Quod indubiis; 3. & c. Ligneis 6. h. t.* Censetur autem Altare enormiter, seu notabiliter fractum, sive mobile, sive fixum, si ad usus, ad quos est consecratum, sit ineptum, vel inutile, adeóque fractura tanta sit, ut in nulla integra parte Altaris calix, cum patena, secundùm majorem partem, consistere possit: vel, si propter fracturam lapidis, aut mensæ superioris, Altare nimis deforme sit, quod in dubio Episcopi judicio definiri debet: secus est, si modica sit fractura, tunc enim Altare consecrationem non perdit, *Abb. in cit. c. Ligneis; n. 1. not. 2. Silv. V. Altare; q. 8. n. 6. Azor cit. c. 27. q. 12. Laym. cit. c. 6. n. 4.* Ratio est, quia, si fractura sit notabilis, tunc Altare quoad formam mutatum est, eámque amisisse censetur, *Gl. in cit. c. 1.* & consequenter etiam Consecrationem, forma enim dat esse rei, quâ amissâ, etiam ipsa res perit. Quòd, si in alijs fractura fiat, salvâ tamen magnitudine mensæ, aut lapidis, ut moraliter rem æstimando, capere possit calicem, cum patena: vel etiam, si mensæ lapideæ Altaris aliqua additio fiat, vel diminutio, seu detractio, non amittitur Consecratio; quia enormis fracturæ, & notabilis additionis, vel demptionis eadem est ratio, *Laym. cit. c. 6. nu. 4.* Et hinc neque amittitur Consecratio Altaris, si cornua illius sint fracta, in quibus inunctio fieri solet, licèt, id asserat *Silvest. c. l.* sed absque ullo juris fundamento: nam quamvis in Consecratione Altaris cornua Chrismate injungi soleant, tota tamen mensa Altaris, sive Ara ex illa inunctione consecrata redditur, ideóque, si in reliquis partibus ita integra maneat, ut adhuc idonea sit, ad capiendum calicem, cum patena, non debet censeri Consecrationem amisisse: præsertim cùm execratio Altaris in dubio casu non sit præsumenda, neque Consecratio iteranda, *Laymann. cit. c. 6. nu. 5. §. Id verò*; modò constet, illam semel ritè factam esse: alioqui enim, si dubitetur, an Altare fuerit aliquando consecratum, nec nè, consecrari debebit, sicut supra de Ecclesia dictum fuit, *Abbas in c. Proposuisti 3. num. 9. h. t.* Porrò, si ad mensam consecratam Altaris fixi novus lapis addatur, unus, vel plures, tunc ita id fieri debet, ut calix, & patena, non in lapide de novo addito: sed in veteri consistat, nam dictum illud *Glossæ in c. Si motum; 19. V. Altare; dist. 1. de Consecr.* & in *c. Quod in dubijs; 3. V. Non consecratum; h. t.* non sacrum, si minus principale sit, accessione ad sacrum effici sacrum, sicut pannus non sacer, si assuatur ad vestem sacram, fit sacer, hoc, inquam, dictum locum habet tantùm in liquoribus, & ijs, quæ per mixtionem confunduntur, ut docet *Abbas in cit. c. Quod in dubiis 3. num. 4. in fine*; Vel etiam in ijs artificiatis, quorum partes seorsim rationem, & appellationem totius non retinent, ut Ecclesia, calix, casula, &c. At verò, si partes lapidis sint homogeneæ, nihil obstare videtur, quò minùs una ejus pars sacra, alia non sacra sit, *Laym. c. l. n. 5.*

XXIV. Alter casus, in quo Altare fixum Consecrationem amittit, est, si lapis, seu mensa superior consecrata à basi, seu inferiore structura, cui est affixa, vel columnis, quibus innititur, amoveatur, prout habetur in *c. Si motum; 19. dist. 1. de Consecr. & cit. c. 1. in princ. & c. Quod in dubiis; 3. & c. Ligneis; 6. h. t.* Nam, ut ait *Gl. in cit. c. Si motum; V. Altare*; Consecratio ipsius Altaris (immobilis, seu fixi) præcipuè cõsistit in Cõsecratione mensę, sive lapidis superioris, & inferioris structuræ; ergo, si illa cõjunctio tollatur, execratur, & profanatur Altare, ita, ut denuo consecrari debeat. Quod tamen ita intelligendum est, si tot lapides basis, seu columnarum, qui immediatè contingunt mensam, seu Aram, illique adhærent, & super quibus illa innititur, tollantur, ut reliqua pars Aræ, quæ basi suæ adhærens permanet, justæ magnitudinis, & altitudinis suæ formam amittat, tunc enim execratur Altare: non item etsi omnes lapides inferiores tollantur, & alij immittantur: dummodo mensa superior, & lapides illam immediatè attingentes maneant immoti, in quantitate sufficiente ad retinendam formam Altaris, & consequenter etiam Consecrationem, *Gl. marg. in cit. c. Si motum; lit. C. Silv. c. l. q. 8.* Ex quo infertur, quòd, si tota mensa superior lapidea, simul cum lapidibus principalibus, seu columnis, quibus immediatè affixa est, & innititur, moveatur de loco in locum, Consecrationem non amittat; quia non separatur à basi, seu structura inferiore. Idémque est, si tabula, seu mensa superior Altaris non sit affixa basi, seu structuræ inferiori, & de loco ad locum transportetur, non enim execratur Altare; quia ipsa mensa tunc est Altare portatile, *Gl. in cit. c. Si motum; V. Altare; Silvest. c. l. qu. 10.* Et hinc etiam apparet discrimen inter Altare fixum, & mobile, seu portatile; quia hoc non perdit Consecrationem, tametsi separetur à ligno, cui est inclusum, lignum enim non apponitur lapidi, nisi ad ornamentum, vel ad custodiam lapidis, neque est capax Consecrationis; cùm non sit lapis, *Abbas in c. 1. num. 3. h. t. Silv. c. l. qu. 9. Laym. cit. c. 6. num. 3.* Ubi tamen excipit, nisi in ligno sigillum, sive loculus Reliquiarum sit inclusus: tunc enim per separationem ligni à lapide videtur execrari Altare portatile, ut plures putant, de quo paulò post.

XXV.

XXV. Cæterùm hactenus dicta circa consecrationem & execrationem, seu violationem tum Ecclesiarum, tum Altarium, desumuntur ex pluribus capitulis hujus Tit. supra allegatis. Veluti primò, ex » *c. Ad hoc*; 1. *h.t.* Ubi dicitur: si Altare motum fuerit, aut solùm lapis super positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus fuerit (enormiter, *Gl. hîc*) debet denuo consecrari, non tamen ideo Ecclesiæ consecratio reiterari debet, licèt id quidam Canones innuere videantur; ut in *c. Si motum*; 19. *dist.* 1. *de consecr.* Ubi dicitur, *si motum fuerit Altare*, id est, mensa, sive tabula Altaris, denuo *consecretur Ecclesia*, id est, Altare, alia enim est consecratio Ecclesiæ, alia Altaris, & hæc sine illa sæpe fit, *Gl. in cit. c. Si motum*; *V. Ecclesia*; *& Gl. fin. in cit. c.* 1. *h. t.*

XXVI. Porro ex hoc cap. probare volunt plures Canonistæ, quòd detur tertius casus, in quo Altare, sive fixum, sive mobile, perdit consecrationem, videlicet si frangatur, vel spolietur sigillum, sive sepulchrum Altaris, id est, loculus, in quo continentur Reliquiæ Sanctorum. Verùm hîc non dicitur, per fractionem sigilli Altare consecrationem amittere: sed si mensa, seu lapis frangatur, in quo sigillum, sive SS. Reliquiæ continentur, ut notat *Laym. incit. c. 6. n. 9.* Quin imò valde probabile est, quòd SS. Reliquiæ non necessariò requirantur, & ex præcepto Ecclesiæ, ad legitimam formam consecrationis Altaris; quia non extat clarus Textus, ex quo illa necessitas, vel præceptum convinci possit. Nam in *c. Placuit*; 26. *dist.* 1. *de consecr.* solùm superstitiones, seu incertorum Martyrum erectæ memoriæ, ac cultus prohibentur, ut constat ex *Concilio Carthaginensi V. can.* 14. Et inde solùm colligitur, quòd Ecclesia, sine SS. Reliquiis, non sit consecranda, ut notat *Gl. ibid. V. Reliquiæ.* & dato etiam, quòd olim præceptum extiterit, ut omnibus etiam Altaribus Reliquiæ imponerentur: id tamen contrariâ consuetudine est abrogatum; quia jam non semper haberi possunt Reliquiæ certæ, & exploratæ pro tanta Altarium multitudine, *Laym. cit. c. 6. num.* 8. Ubi tamen *num.* 9. addit, servandam esse nihilominus Ecclesiarum consuetudinem communi Dd. sententiâ confirmatam, ut censeantur Altaria per fractionem, seu amotionem sigilli, seu sepulchri Reliquias continentis execrata, ideóque iterum consecranda sint.

XXVII. Secundò in *c. Quod in dubiis*; 3. *h. t.* » dicitur: Altare, in quo tabula Pontificali ministerio consecratur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet iterum consecrari. Item oleum non consecratum, potest consecrato oleo commisceri, de quo dictum supra.

» Tertiò in *c. Proposuisti*; 4. *h. t.* dicitur, quòd » propter homicidia facta, vel vulnera illata in Ecclesia, illa non debet iterum consecrari: sed manente Ecclesiâ, & Altari, reconciliari poterit per aquam, cum vino, & cinere benedictam, de quo » etiam supra.

» Quartò in *c. Ligneis*; 6. *h. t.* dicitur: si tectum, » aut ligna Ecclesiæ sint consumpta (vetustate, vel » ex alia causa) parietibus tamen illæsis, & in sua integritate permanentibus: & si tabula, seu mensa » principalis mota, vel enormiter læsa non fuerit, » quamvis modicam in extremitate passa sit fracturam: ob prædictam causam, nec Ecclesia, nec Altare » denuo debet consecrari. Hæc capitula ulteriore ex- » plicatione non indigent; cùm omnia constent ex iis, quæ supra dicta sunt.

XXVIII. Quæritur secundò. An execratâ, vel pollutâ Ecclesiâ, etiam Altare execretur, vel polluatur, & vice versâ. Resp. si Ecclesia consecrationem amittat, non ideo etiam Altare illam perdit: & è converso, si Altare sit execratum, adhuc Ecclesia consecrata manet, prout habetur in *c.* 1. *in fine h. t.* Ratio est, quia consecratio Ecclesiæ consistit in parietibus, & separata est à consecratione Altaris, & tam hoc, quàm Ecclesia distinctâ consecratione sunt consecrata: unde Ecclesia execrari potest, ac violari, combustis, vel collapsis parietibus, consecratione Altaris integrâ manente: & vice versâ, potest destrui Altare, vel per motionem, aut fractionem execrari, & violari, parietibus Ecclesiæ permanentibus illæsis, ideóque non debet denuo consecrari, *Abb. in c. Proposuisti*; 4 *num.* 10. *h. t. Silvest. V. Altare*; *q. ult. Azor cit. c.* 27. *q. ult.* §. *Quæres.* Aliud verò est quoad pollutionem, nam pollutâ Ecclesiâ, omnia Altaria fixa, seu stabilia (non item mobilia) in illa existentia censentur polluta: & vice versâ, vel uno Altari polluto, etiam Ecclesia tota polluitur. Ratio est, quia pollutio, in quocúnque loco Ecclesiæ contingat, totam Ecclesiam afficit, adeóque etiam omnia in eo posita, seu contenta; cùm sit unum totum, seu corpus individuum, & consequenter non potest etiam in Altaribus celebrari, ante reconciliationem, cùm sint in corpore Ecclesiæ, *Abb. c. l. num.* 10. *Silv. c. l.* Ex quo ulteriùs infertur, quòd iisdem modis, quibus polluitur Ecclesia, etiam polluantur Altaria intra Ecclesiam existentia, v. g. per sanguinis, vel humani seminis effusionem sacrilegam, ita ut Episcopali reconciliatione indigeant, si quidem Ecclesiâ pollutâ, etiam ipsa Altaria polluuntur, *Mirand. in man. Prælat. tom.* 2. *q.* 39. *art.* 7.

» XXIX. Prædictis addendum, quòd in una Missa, » & una eadémque Ecclesia plura Altaria simul con- » secrari possunt, sicut & plures simul Episcopi, prout habetur in *c. Cùm sis*; 5. *h. t.* Dixi in una Ecclesia, quia si plura Altaria sint in diversis Ecclesiis, non possunt simul consecrari; quia non sunt præsentia, cùm forma consecrationis præsentiam rei consecrandæ requirat, *Abb. in cit. c. Cùm sis*; *h. t.* Ubi addit, quòd consecratio Altarium fieri possit quolibet die, sicut & Ecclesiæ: consecratio autem Episcopi, nonnisi die Dominico, ut alibi dictum.

§. V.

De Consecratione, pollutione, & reconciliatione Cœmeterii.

XXX. Quæritur primò. An, & quomodo Cœmeterium consecretur, aut benedicatur? Resp. Cœmeterium, (qui est locus auctoritate Episcopi designatus ad corpora fidelium sepelienda) eodem modo consecratur, vel benedicitur, quo Ecclesia: & Ecclesiâ consecratâ, etiam Cœmiterium ei conjunctum præsumitur consecratum; quia simul cum ipsa Ecclesia eodem ritu consecratur, ut patet ex Pontificali

Romano: quamvis etiam seorsim soleat consecrari, vel benedici, & quidem nonnisi ab Episcopo proprio, vel alieno, cum consensu proprii, consecrati, vel benedicti debet, *Silvest. V. Cœmeterium*; n. 1. *Azor p. 2. l. 9. c. 6. q. 1. Mirand. cit. c. 39. art. 1. concl. 1.*

XXXI. Quæritur secundò. Quibus modis Cœmeterium polluatur, & reconcilietur? Resp. primò, polluitur, & violatur iisdem modis, quibus Ecclesia, videlicet per sanguinis, vel seminis humani effusionem, *c. Si Ecclesiam unic. in princ. h. t. in 6.* Item, quando in eo sepelitur corpus excommunicati, ut constat ex *c. Consuluisti*; 7. *h. t.* Vel si in eo sepeliatur infidelis, aut non baptizatus: & præterea speciatim si polluatur Ecclesia, cui Cœmeterium est conjunctum, sive contiguum, de quo infra *Silvest. V. Cœmeterium*; n. 2. *q. 1. Azor cit. c. 6. q. 2. Mirand. cit. q. 39. art. 2. & alii communiter.*

XXXII. Resp. secundò. Cœmeterium eodem quoque modo reconciliatur, quo Ecclesia; nam si per Episcopum solenniter, sicut Ecclesia, sit consecratum, & polluatur, seu violetur, uno ex quinque modis supra allatis, tum reconciliari debet ab Episcopo per aquam solenniter ab eo benedictam, prout » decernitur in *cit. c. Consuluisti h. t.* Ubi dicitur, Cœ- » meteria, in quibus excommunicatorum corpora » sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione » aquæ solenniter benedictæ, sicut in Dedicationi- » bus Ecclesiarum fieri consuevit. Si verò Cœmeterium ab Episcopo non est solenniter consecratum: sed tantùm benedictum, vel ejus auctoritate deputatum, ut in eo corpora fidelium sepeliantur (potest enim solâ Episcopi auctoritate, sine alia consecratione, certus locus terræ deputari ad sacram sepulturam) tum à Parocho, seu Rectore ejus Ecclesiæ, aquâ à se benedictâ reconciliari poterit, *juxta c. ult. h. t. Laym. Lib. 5. Tract. 5. c. 5. num. 12. §. Porro; Barb. Lib. 2. Iur. Eccles. c. 9. num. 11.* Si verò pollutum sit Cœmeterium, non per se: sed ob Ecclesiam pollutam, cui conjunctum est, reconciliatâ Ecclesiâ, erit etiam reconciliatum Cœmeterium, *Barb. c. l.* & alii apud ipsum. Porro hoc interest inter Ecclesiam, vel Cœmeterium consecratum, aut benedictum tantùm, quòd benedictio Ecclesiæ, vel Cœmeterii, destructis, aut combustis parietibus, non amittitur, sicut consecratio; cùm benedictio solo inhærere censeatur, quod semper idem manet, prout sumitur ex *l. 73. ff. de contr. empt.* Ubi dicitur: æde sacrâ terræ motu dirutâ, locus ædificii non est profanus, & ideo venire non potest, *Laym. cit. c. 5. n. 15.*

XXXIII. Quæritur tertiò. An pollutâ Ecclesiâ, polluatur etiam Cœmeterium, & vice versâ? Resp. de hoc ita rescribit Bonifacius VIII. in *c. Si Ecclesiam unic. h. t. in 6.* Si Ecclesiam pollui sanguinis » (humani) aut seminis effusione contingat (vel alio » ex modis supra allatis) ipsius Cœmeterium, si con- » tiguum sit eidem (contigua autem dicuntur, quo- » rum extrema se contingunt, vel juxta *Aristotelem 5. Phys.* quorum terminus est unus, *Gl. hic V. Contiguum in addit.*) censetur esse pollutum, ideóque an- » tequam reconciliatum fuerit, non debet aliquis in » eo sepelii: secus si remotum fuerit ab eadem. Ra- tio prioris est, quia Cœmeterium, si contiguum sit, est accessorium Ecclesiæ, & sic sequitur naturam sui principalis, *Reg. 46. in 6.* ut illo polluto, etiam ipsum polluatur. Ratio posterioris est, quia si Cœmeterium sit remotum, & in separato, ac distante loco, non censetur esse accessorium Ecclesiæ: sed per se ac seorsim esse consecratum, aut benedictum.

Contrà verò, polluto Cœmeterio, quamvis » Ecclesiæ contiguo, non debet Ecclesia reputari pol- » luta; ne minùs dignum majus, aut accessorium » principale ad se trahere videatur, *cit. c. un. §. Non sic; h. t. in 6.* Hoc enim esse non debet: sed potiùs » contrarium, *Gl. hîc V. Principale.* Sin autem duo, » vel plura Cœmeteria, quamvis sibi cohærentia, in- » termedio tamen pariete sejungantur, tunc unoco- » rum violato, alterum (licèt ab uno ad aliud per » portam intermediam pateat accessus) non propter- » ea reputabitur violatum, *cit. c. unic. §. fin.* quia pa- » ries intermedius divisionem inducit, *Gl. hic V. Pariete:* Sicut si domus habeat parietem intermedium, cen- sentur duæ domus, licèt priùs fuerit una, *l. Si quis; 6. §. Planè; ff. Communia prædior. Silv. V. Cœmeterium; n. 3. q. 2. Azor cit. c. 6. q. 3.*

XXXIV. Porro si in porta illâ intermedia humanus sanguis, vel semen effundantur, tunc si porta uni ex illis Cœmeteriis est vicinior, illud tantùm pollutum censetur: si verò porta illa sit in medio eorum, tunc illud, cujus gratiâ paries, & porta facta est, pro polluta habebitur, quasi sit accessio illius, arg. desumpto ex *l. Cùm aurum*; 19. (aliàs incipit, Etsi non sunt) §. *Perveniamus; ff. De auro & argent. legat.* Ubi dicitur, *Illud spectamus, quid cujusque rei ornandæ causâ adhibetur, ut accessio cedat principali.* Sin autem dubitetur, cujus causâ sit paries exstructus, & porta facta, videtur principaliter utrumque factum, ut duo distincta Cœmeteria faciant, non accessorii, ac proinde utrumque Cœmeterium pollutum est; quia tunc porta in pariete facta, utriúsque causâ, aperta esse videtur, *Silvest. c. l. Azor cit. c. 6. q. 3. §. Quid si.*

TIT.

TITVLVS XLI.

DE CELEBRATIONE MISSARVM, ET SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

Dictum est Tit. præced. de Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris: sed quia in Ecclesia consecrata Missæ celebrantur, & Eucharistia administratur, & alia Divina Officia peraguntur, ideo hic Titulus subiungitur, qui etiam extat in Clementinis, & Extravagantibus communibus. Verùm quia ea, quæ in hoc & seqq. Titulis usque ad XLVII. inclusivè, traduntur, pleraque satis clara sunt, ideo quæstionibus, quæ à Canonistis, & Summulistis aliàs hîc tractari solent: sed à Casistis etiam passim explicantur, omissis, nos fermè tantùm singulorum Capitulorum Summam, & quæ ad eorum explicationem pertinent, breviter proponemus.

§. I.

Proponuntur Capitula, quæ ad celebrationem Missarum, & Sacramentum Eucharistiæ pertinent.

Cap. Quidam; 2.

I.

» IN hoc cap. quod est desumptum ex Concilio Triburiensi, prohibetur, ne Laici ex consuetudine per singulos dies Missas peculiares (hoc est, votivas) v.g. de S. Trinitate, vel de S. Michaële audiant: sed de eo die (hoc est, Missam de feria, vel » Festo occurrente illo die) audiant, nisi quis aliquando velit audire propter reverentiam S. Trinitatis, & » non pro alia devotione (superstitiosa, v.g. quasi melius sit Missas istas votivas audire, quàm alias. *Gl. fin. hic*, vel quòd magis profint, ad meliores segetes impetrandas; vel quid simile, *Abb. hic n.* 1.) tales Missas speciales audire.

Hinc non rectè infertur, fideles in diebus festis ex præcepto obligari, ad audiendam Missam propriam illius diei, nec illi satisfacere, audiendo Missam votivam: neque enim hîc improbantur Missæ votivæ: sed solùm ne dicantur propter superstitiosam devotionem, omissâ Missâ de feria, vel festo occurrente; *Fagnan. hic n.* 3. Unde juxta Missale Romanum Missæ votivæ dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quovis die, si Officium non sit duplex, vel Dominica.

Cap. Consuluisti; 3.

II. Quæsitum fuit ex Innocentio III. utrùm Sacerdos possit plures Missas celebrare, uno eodémque » die? Respondet Papa, quòd sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam celebrare, excepto die Nativitatis Domini, & ex causa necessitatis, dummodo Sacerdos adhuc sit jejunus, nec ablutionem sumpserit, *Abb. hic n.* 3. *in fine*. Duas autem causas necessitatis magis principales referunt Dd. hîc apud *Barb. num.* 5. Prima est, ob necessitatem præbendi viaticum morituro, si hostia consecrata non adsit. Altera est, si Sacerdos præficiatur pluribus Ecclesiis Parochialibus, ubi tamen standum est legitimæ locorum consuetudini.

Cap. Consilium; 4.

III. In diebus festis, quando celebratur in » honorem S. Spiritûs, B. Virginis, vel S. Crucis, » (vel etiam alterius Sancti) non debet dici Hymnus » Angelicus (scilicet Gloria in excelsis) nec Symbolum, id est, Credo, licèt propria præfatio dicatur: » ut inter Commemorationem (quæ fit extra proprium diem festum) & solennitatem festi differentia ostendatur. Nec etiam dicitur, Te Deum laudamus » in Laudibus Matutinis, prout rescripsit idem » Papa Innocentius.

Cap. Ex parte; 5.

IV. Sacerdos, postquam totum Sacramentum » Eucharistiæ sumpsit, debet semper infundere vi- » num, & sumere (& manus vino abluere, *Gl. hîc V.* » *Perfundere*;) nisi cùm eodem die aliam Missam debet celebrare, tunc enim vinum ablutionis sumendo, non posset ampliùs eodem die celebrare.

Cap. Cùm Marthæ; 6.

V. Verba, quæ in Canone Missæ reperiuntur, » & à nullo Evangelistarum leguntur expressa, cujusmodi sunt in Consecratione calicis, *Mysterium fidei,* » *& æterni Testamenti.* Item *elevatis oculis in cœlum*: » credendum est Apostolos à Christo, & Successores » eorum, ab Apostolis accepisse; quia multa, tam ex » verbis, quàm ex factis Christi Domini, inveniuntur ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli, vel verbo, » vel facto expressisse leguntur: sicut & ipsi Evangelistæ inter se mutuò suppleviſse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa. Ubi pluribus » exemplis specificè hoc ostendit. Ita respondit Innocent. III. Archiepiscopo Lugdunensi in hoc *cap. in princ.*

VI. Præterea in Sacramento Eucharistiæ hæc » tria sunt distinguenda, videlicet forma visibilis, ve- » ritas corporis, & virtus spiritualis. Primum est » forma, sive species panis & vini, & Sacramentum »

» (id est, signum rei sacræ) & non res: Sacramentum » tamé geminę rei (quia scilicet species duo designant, » veritatem Corporis & Sanguinis Christi, & unitatem » inter Christum, & Ecclesiam, adeóq; hoc primum est » figura tantùm, sive signum) secundũ, id est, Corpus » & Sanguis Christi, est Sacramentum unius, scilicet » unitatis inter Christum, & Ecclesiam, quæ est Cor- » pus Christi mysticum, quam designat, sive signifi- » cat: & simul est res alterius, scilicet specierum pa- » nis, & vini, per quas designatur Corpus & Sanguis » Christi, & ita est signum, & signatum. Tertium est » virtus unitatis, & charitatis, quæ est res, & non Sa- » cramentum: sed res gemini Sacramenti, scilicet ve- » ri Corporis Christi, quod est Sacramentum, signifi- » cans unitatem inter Christum, & Ecclesiam, & spe- » cierum panis, & vini, quæ sunt Sacramentum signi- » ficans mysticum Corpus Christi: & ita istud ter- » tium est tantùm signatum per illa duo, scilicet spe- » cies panis & vini, & Corpus Christi: non autem » signans. Ita habetur in *cit. c. Cùm Marthæ*; §. *Di- stinguendum est*; & ibi *Gl. & Hostiens. col. 3. & 4. & Abb. n. 2.*

VII. Quæsivit præterea Archiepiscopus Lugdu- nensis ex Papa Innocentio III. utrùm in Consecratio- ne aqua cum vino in Sanguinem convertatur, prout habetur in *cit. c. Cùm Marthæ*; §. *Quæsivisti etiam*; *h. t.* » Ad hoc respondit Papa, varias esse de hac re opinio- » nes apud Scholasticos; quidam enim dicunt, quòd » vinum & aqua, quæ commiscentur in Calice, Divi- » nâ virtute mutentur in Sanguinem Christi, ut in hoc » Sacramento plenè sit veritas (id est, Caro & Sanguis) » & figura (id est, species panis & vini) Alii verò te- » nent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in San- » guinem (ita ut desinat ibi esse aqua & vinum) cùm » in vinum priùs transeat mixta vino: licèt Physici » contrarium asserant, qui aquam à vino per artifi- » cium posse separari affirmant. Alii denique dicunt, » quòd aqua non transit in Sanguinem: sed remanet » prioris vini accidentibus circumfusa, ita ut vini sa- » porem assumat, quod inde probatur; quia si post » Calicis consecrationem, aliud vinum mittatur in » Calicem, illud non transit in sanguinem, nec san- » guini commiscetur: sed accidentibus prioris vini » commixtum, circumfunditur Corpori Christi, quod » sub eis latet, non humectans circumfusum. Ex his » tribus opinionibus Papa illam probabiliorem cen- » set, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem » transmutari, ut expressiùs elucescat proprietas Sa- » cramenti, ideo enim vino aqua admiscetur, ut po- » pulus, (juxta illud *Apocal. 7. aquæ multæ sunt populi multi, & c. Cùm omne*; 7. *dis. 2. de consecr.*) Christo ad- » unetur. Verùm per hoc Papa non prohibuit, nec reprobavit alias opiniones, hoc ipso, quòd non certam dixit hanc opinionem: sed solùm probabiliorem, *Gl. hìc V. Illa probabilior & Hostiens. ibid. col. pen.* Et col- ligitur ex *c. Litteras*; 13. *de restit. spol.* Ubi relatis plu- ribus diversis opinionibus, dixit Pontifex: *Nos au- tem ad præsens nullam ex prædictis sententiis reproba- mus.* Idémque etiam clarè innuitur hîc *Vers. Sed nec inconveniens creditur, aut absurdum, si aqua in Corpore Christi esse credatur, cùm legatur, de ipsius Latere proces- sisse.* Noluit verò rem hanc definire Papa, cùm nec ad fidem, nec ad mores pertineat.

» Denique in hoc cap. §. *Tertio loco additur*; quòd oratio, quæ in Festo S. Leonis Papæ in secreta dici- » tur, immutata est; quia olim dicebatur, *Annue no- » bis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit ob- » latio:* hodie verò dicitur, *ut intercessione B. Leonis hæc » nobis prosit oblatio*, idque ideo; quia Sancti nostris » non indigent: sed nos potiùs ipsorum orationibus » indigemus. Unde & dicitur, injuriam facit Marty- » ri, qui orat pro Martyre: idémque de aliis Sanctis » sentiendum. »

Cap. De homine; 7.

VIII. Sacerdos, qui sibi gravis facinoris con- » scius est, si fictè celebrat, omittendo verba Conse- » crationis, & panem ac vinum purè sumit, gravius » peccat, quàm qui in peccato mortali verè celebrat, » & conficit Sacramentum; quia hic solum Deum of- » fendit: ille non tantùm Deum, cui non veretur illu- » dere, offendit: sed etiam populum decipit. »

Cap. In quadam; 8.

IX. Declarat Papa Innoc. III. Christum fuisse » verum Deum contra Arianos, & verum hominem » constantem, non phantastico tantùm corpore: sed » vero contra Manichæos, & utrumque probat ex il- » lo 1. *Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo,* » *Pater, Verbum, & Spiritus S.* per hoc intendens o- » stendere, quòd Christus sit verus Deus. *Et tres sunt,* » *qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & san- » guis*, per hoc intendens ostendere, quòd Christus » sit verus homo. Definit etiam, quòd ex Latere Christi » vera aqua, & non phlegma profluxit: alioquin non » fuisset ostensum verum regenerationis Sacramen- » tum, cùm per Baptismum non regeneremur in » phlegmate: sed in aqua. Neque per hoc posset » etiam verè probari, quòd in Sacramento Eucharis- » tiæ admiscenda sit aqua vino, si ex Latere Christi non » aqua, sed phlegma profluxisset. »

Cap. Sanè; 10.

X. Præcipit districtè Honorius III. ut à Sa- » cerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo & » obsignato, honorificè, devotè, ac fideliter, (sub » fidelibus clavibus) asseruetur. Item ut quilibet Sa- » cerdos plebem suam doceat, ut cùm in Missa ele- » vatur S. Hostia, se reverenter (flexis genibus) incli- » nent: idémque faciant, cùm ea defertur ad infir- » mos, quam in decenti habitu, superpositò mun- » do velamine, ferat, & referat, manifestè, & hono- » rificè ante pectus, cum omni reverentia ac timore, » semper lumine præcedente. Prælati verò hujusmo- » di mandati transgressores graviter punire debent » (pœnâ arbitrariâ, cùm certa hîc non statuatur, » *Gl. fin. hìc*) si & ipsi Divinam velint effugere ul- » tionem. »

Cap. Cùm Creatura; 11.

XI. In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, » in quibus plures sunt Sacerdotes, duæ Missæ cele- » brari conventualiter debent, una pro anniversario » defunctorum: (si occurrat) altera de Festo, vel fe- » ria, secundùm congruentiam temporis, prout sta- » tuit hîc idem Honorius III. ubi tamen per anniversa- rium non intelligitur officium, quod fit pro defun- cto, anno revoluto à die mortis suæ: sed generatim Sacrificium Missæ, quod fit quotidie prò defunctis, *Barb. hìc n. 2.*

Cap. Te referente; 12.

XII. Episcopus tantùm in die Cœnæ Domini » debet

» debet Missam celebrare in sua Ecclesia Cathedrali, » & Chrisma conficere. Ex quo colligit *Gl. fin. hîc* quòd Missa pertineat ad substantiam confectionis Chrismatis, sicut requiritur ad substantiam collationis Ordinum.

Cap. Pernicosus; 13.

» XIII. In Sacrificio Missæ plus vini, & in majo- » re quantitate apponendum est in Calice; quàm a- » quæ, secundùm generalem Ecclesiæ consuetudi- » nem: & contraria consuetudo, secundùm quam » plus aquæ, quàm vini, apponitur, damnatur, pro- » ut hîc respondit idem Honorius III. Mixtio tamen aquæ non requiritur in Sacrificio Missæ ex necessitate Sacramenti: sed solùm ex præcepto Ecclesiastico, ut constat ex *Concilio Trident. Sess. 22. c. 7. de Sacrificio Missæ.*

Cap. Litteras; 14. & ult.

» XIV. Si quis Presbyter in pane fermentato (si » quidem Sacerdos Latinus fuerit, non Græcus) vel » in vase, seu Calice ligneo, vel fine igne, sive lumi- » ne, vel fine aqua vino admixta Missam celebrare » ex aperta malitia, vel nimia desipientia, hoc est, » crassa ignorantia præsumpserit, Officio & Benefi- » cio perpetuò est privandus. Præsertim si id sæ- pius, & ex consuetudine fecerit, *Abb. hîc num. 1.* Ex quo colligitur, quòd dolus & crassa ignorantia æquiparantur in ordine ad depositionem, *Abb. hîc num. 3.*

Extravag. Discipulorum unic. inter communes.

In hac Constitutione à Joan. XXII. certæ preces in Missa dicendæ, pro Ecclesiæ necessitatibus illius temporis cum Indulgentia XX. dierum indicuntur.

§. II.

Proponuntur Capitula, quæ ad Divina Officia pertinent.

Cap. Presbyter; 1. h. t.

XV. In hoc cap. quod est desumptum ex Concilio Agathensi, & refertur etiam in *c. Presbyter; 2. » dist. 91.*) statuitur, ut Presbyter Horas Canonicas » dicat horis competentibus, sive congruis ac debi- » tis (cessante legitimo impedimento) etsi ex justa » causa possit eas per solvere manè, usque ad vesperas » inclusivè, & peractis horis, & infirmis visitatis, si vo- » luerit, exire ad opus rurale, ut postea possit iterum » necessitatibus peregrinorum, & hospitum infirmo- » rum & defunctorum succurrere, usque ad statutam » horam, pro temporis qualitate.

Ex quo patet, quòd Presbyteris, aliisque Cleri- cis pauperibus permissum sit, agriculturam exercere, vel alio artificio honesto victum & vestitum sibi quæ- rere, absque officii sui detrimento, ut habetur etiam in *c. Clericus; 3. dist. 91.* Porro Horæ Canonicæ recitandæ sunt, juxta ordinem in hoc cap. præscriptum, videlicet, Matutinum (& Laudes) deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.

Cap. Dolentes; 9.

XVI. In Concilio Lateranensi habito sub In- » nocentio III. c. 17. quod refertur in hoc cap. pro- » hibetur, ne non solùm Clerici minores: sed etiam » Prælati Ecclesiastici vacent usque ad mediam no- » ctem comessationibus superfluis, vel confabula- » tionibus illicitis; & ne Matutinum continuâ syncopâ, id est, syllabarum concisione, sive abbreviatione, aut omissione, transcurrant. Reprehenduntur » etiam illi, qui Missam vix quater in anno celebrant, » & quod deterius est, interesse contemnant: item si- » lentium in Choro non servant, externis collocutio- » nibus cum Laicis intenti. Hæc similia sub pœna » suspensionis (non latæ sententiæ: sed ferendæ, *Gl. » hîc V. Sub pœna*;) prohibentur, & districtè præcipi- » tur, in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium, » nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus » dederit, studiosè (quoad pronunciationem oris, » scilicet distinctè, & sine mutilatione, aut omissio- » ne verborum, *Gl. hîc V. Eodem*;) & simul devotè » (quantùm ad attentionem cordis, *Gl. fin. hîc*) ce- » lebrent. Ubi notandum, quòd per Clericos minores hîc non intelliguntur ij, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti: sed minores dicuntur comparativè ad Prælatos, & ad eorum differentiam: ij enim si in sacris Ordinibus sint constituti, vel etiam in minoribus, Beneficiati tamen sint, tenentur ad Horas Canonicas recitandas, *Hostiens. hic in princ. & Joan. Andr. ibid. Suar. tom. 2. de Relig. Lib. 4. c. 16. n. 13. Fagnan. hîc n. 3.*

Clement. Gravi; 1. h. t.

XVII. Prælati Ordinarii locorum, ad quos » spectat correctio, & si illi sint negligentes, Superio- » res eorum solicitè curare debent, ut in Cathedrali- » bus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis » debitis, devotè psallatur: & in aliis Ecclesiis conve- » nienter ac debitè Divinum officium diurnum, & » nocturnum celebretur; & omnes abusus tollan- » tur: contradictores per censuram Ecclesiasticam » (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliis- » que opportunis remediis compescendo, facientes, » prout ad eos spectat, in his & aliis, quæ ad Divi- » num cultum, & morum reformationem pertinent, » ac Ecclesiarum, & Cœmeteriorum honestatem re- » spiciunt, statuta SS. Canonum, ad quæ scienda di- » ligens curent adhibere studium, inviolabiliter ob- » servari.

Clement. Dignum; 2. eod.

XVIII. Clerici, etiam Religiosi, comensa- » les ac domestici Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, » vel Pontificum, seu Episcoporum, gratiam, & com- » munionem Sedis Apostolicæ habentium, possunt se » ipsis in Divinis officiis accomodare, ut illud, quod » iidem Cardinales, vel Episcopi officium (quoad ri- » tum, v.g. Ambrosianum, item sive dicant de Festo, » vel de feria) licitè dicere valeant, nec ad dicendum » aliquod aliud teneantur.

TITVLVS XLII.

DE BAPTISMO, ET EJVS EFFECTU.

Quia in præced. Tit. actum est de Sacramento Eucharistiæ, quâ nihil in Sacrificiis majus esse potest, c. Nihil 5. 8. dist. 2. de consecr. ideo agitur nunc de Baptismo, quod est Sacramentum unicè necessarium ad salutem, eiùsque effectu. Extat hic Titulus etiam in Clementinis.

§. I.

De forma Baptismi, & immersione, sive aspersione aquæ, & aliis quibusdam ad Baptismum pertinentibus.

Cap. Si quis; 1. h. t.

I.

„ SI quis puerum ter in aqua immerserit, (id est, immergendo dixerit:) In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. amen: & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs „ sancti, amen, non est puer baptizatus, prout rescripsit Alexander III. in *cit. c. 1. Si quis; h. t.*

Ubi Notandum primò: Quòd hæc forma sit necessaria ad valorem, & substantiam Baptismi, ut ex hoc cap. colligunt communiter Dd. ita ut quoad substantialem sensum, seu significationem verborum, illam mutare non liceat, salvâ Baptismi substantiâ; nam ut ait *Gl. fin. hîc*, ubi aliquid deest, quod est de substantia rei, sive quod exigitur ad esse rei, nihil actum est: sed totus actus est invalidus: pronomen autem *Ego* non est de substantia formæ; quia hæc vox *baptizo*, plenum facit sensum sine hoc pronomine Ego, *Gl. hîc V. Ego te baptizo, & alij Dd. communiter*, multò minùs necessaria est particula, *amen*.

Notandum secundò. Etsi olim trina immersio in aquam fuerit in usu Ecclesiæ, & ex præcepto Apostolorum facienda, ita ut Pater nominaretur in prima immersione, Filius in secunda, Spiritus S. in tertia: non est tamen de necessitate Sacramenti, ac proinde, sive Baptismus administretur immersione corporis in aquam, eâque trinâ, vel etiam unâ tantùm, *c. De trina; 80. dist. 4. de consecr.* (Ubi in fine dicitur, quòd in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una, potest Divinitatis singularitas, seu unitas designari:) sive conferatur aspergendo, vel affundendo aquam corpori baptizandi, validus est Baptismus. In qua re tamen in praxi observanda est cujusque Provinciæ, seu loci consuetudo, *Abb. hîc num. 4. Barb. in Collect. num. 5.* Licèt verò plures possint unicâ aspersione aquæ validè baptizari, dicendo, Ego vos baptizo in nomine Patris &c. modò singuli aquâ saltem paucis guttis aspergantur, non tamen possunt plures simul aliquem baptizare, sub hac formâ, *nos te baptizamus in nomine Patris, &c. Barb. hîc n. 6.*

II. Verùm circa formam verborum Baptismi nonnulli Canones sibi invicem adversari videntur; nam *in hoc cap.* & in *c. Multi; 82. & c. seq. dist. 4. de Consecr.* dicitur, quòd non sit baptizatus, nec Christianus, qui non est immersus aquæ, vel ablutus aquâ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. Contra verò in *c. A quodam; 24. eod. dist.* Nicolaus I. Papa, cùm ex eo quæreretur, quid de iis agendum esset, qui baptizati fuerunt à quodam, de quo nesciebatur, utrùm Judæus, Paganus, an Christianus esset: respondit, si in nomine S. Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sint, constat, eos non esse denuò baptizandos. Ergo Baptismus collatus in nomine Trinitatis, vel Christi tantùm, non expressis tribus personis Divinis, est validus. Sed respondetur in primis cum *Gl. in cit. c. A quodam; V. Trinitatis, & in cit. c. 1. V. In nomine Patris; h. t.* Quòd valeat Baptismus collatus in nomine Trinitatis, expresso scilicet nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. cùm ex præcepto Christi *Matth. ult.* ad valorem Baptismi requiratur, ut tres personæ Trinitatis explicitè invocentur, & exprimantur, prout constat etiam ex *cit. c. Multi; junct. Gl. V. Trinitatis, & c. seq.* Quod verò attinet ad Baptismum collatum in nomine Christi, prout legitur in Actibus Apostolorum c. 2. & 19. Respondet *S. Thom. 3. p. q. 66. art. 6 & Gl. hîc V. In nomine Patris; & in cit. c. A quodam; V. Trinitatis*; quòd in primitiva Ecclesia Baptismus fuerit collatus in nomine Christi, ut amplificaretur nomen ejusdem, ex dispensatione ipsius Christi ad tempus concessâ: sed postea iterum revocatâ; quia in nomine Christi implicitè continentur tres personæ Divinæ, scilicet pater ungens, & filius unctus, & Spiritûs S. per quem est unctus.

Sed probabilior responsio est, quòd semper Baptismus fuerit administratus, & collatus, cum expressa invocatione Divinarum personarum, sicut præcipitur *Matth. c. ult.* quando autem in Actibus Apostolorum dicitur, Baptismum fuisse administratum in nomine Christi, & in *cit. c. A quodam*; non esse rebaptizandos, qui sunt baptizati in nomine Christi, per hoc solùm, & non aliud significatur, quàm quòd Baptismus administretur, & conferatur in nomine, id est, in fide, virtute, & meritis Christi, à quibus Baptismus collatus, cum invocatione trium personarum Divinarum, omnem suâ vim, & originem habet, in cujus signum aqua ex latere Christi in cruce profluxit, ut ex *Henriq. Suar. Bellarm.* tradit

tradit *Barbosa hîc n. 9.* Potest etiam dici, quòd quando Nicolaus Papa ait, non esse rebaptizandos baptizatos in nomine Christi tantùm, id ita intelligendum, si loco filii exprimatur nomen Christi, dicendo v. g. *ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritûs S.* talis enim forma Baptismi ubique esset valida, *Barb. c. l.*

Cap. De quibus; 2.

» III. Si probabile dubium sit, an quis sit baptizatus, nec nè, is baptizandus est sub conditione, seu » formâ hîc expressâ: *si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum es baptizatus, ego te baptizo &c.* Idque procedit, sive dubium fuerit facti, ut si reperiatur infans expositus, sine ullo testimonio, vel indicio, illum fuisse baptizatum: sive fuerit dubium juris, ut si quis fuisset baptizatus in nomine Christi tantùm, vel Trinitatis, non expressis tribus personis Divinis, *Abb. hîc n. 3.* Idémque dicendum est de aliis Sacramentis, quæ iterari non possunt, *Abb. hîc n. 2.*

Cap. Debitum; 4.

IV. Nemo potest seipsum baptizare, etiam instante necessitatis articulo, prout sumitur ex hoc cap. » Nam cùm quidam Judæus in mortis articulo constitutus, & inter Judæos esset, nec Christianum habere posset, seipsum immersit in aquam, dicens, ego » me baptizo, in nomine Patris &c. quæsitum fuit, » an iste Sacramentum Baptismi receperit? Respon» det Papa Innocentius III. quòd cùm inter baptizantem, & baptizatum debeat esse distinctio, ut » colligitur ex verbis Christi *Matth. ult. Ite, & baptizate omnes gentes &c.* prædictus Judæus ab alio de» nuo sit baptizandus, ut ostendatur, quòd alius de» beat esse, qui baptizatur, & alius, qui baptizat: » unde & Christus, non à seipso: sed à Joanne baptizari voluit: quamvis si dictus Judæus statim decessisset, in Cœlum evolâsset, non propter Sacramen» tum Fidei: sed propter Sacramenti Fidem, (id est, » propter contritionem, & fidem vivam, cum voto » Baptismi, adeóque propter Baptismum flaminis, » *Gl. hîc in notat. & Barb. n. 2.*) Addit Papa aliam ratione, cur non possit quis baptizare seipsum, etiam » in articulo necessitatis; quia sicut in carnali generatione ex viro & fœmina, alius est, qui carnaliter gi» gnit, & alius, qui carnaliter gignitur: sic & in spiri» tuali generatione, quâ quis ex aqua & Spiritu S. re» nascitur (*juxta illud Joann. 3. nisi quis renatus fuerit &c.*) alius debet esse, qui spiritualiter generet, » & alius, qui spiritualiter generetur. Sanè cùm cor» pus exterius, aut cor interius baptizatur, necesse est, » ut utrobique possit inveniri paternitas, & filiatio, » quibus baptizans, & baptizatus ad invicem referan» tur: natura enim correlativorum est, quòd simul non » possint consistere in eodem subjecto, *Gl. fin. hîc.*

V. Ex quo infertur primò, Quòd non possit quis alium baptizare, nec de sacro fonte levare, & sic esse pater spiritualis ipsius, nisi possit esse pater carnalis ejusdem, adeóque sit major illo 18. annis, & excedat illum plenâ pubertate, sicut adoptans debet esse major adoptato 18. annis, §. *Minorem Instit. de adopt.* *Abb. hîc num. 3.* Secundò, infertur, quòd patrinus levans è sacro fonte non requiratur ad substantiam Baptismi: sed solùm ad solennitatem; quia in hoc cap. ad spiritualem generationem requiritur solùm alius baptizans, *Abb. c. l.* Tertiò, si quis seipsum immergat in aquam, vel eâ superfundat, alio dicente, Ego te baptizo, non valebit Baptismus; quia si ipse baptizans non immergat, vel abluat baptizandum; non verificatur forma verborum, *ego te baptizo*, *Abb. hîc n. 5.*

Cap. Non ut apponeres; 5.

VI. Quæsitum fuit ex Innocentio III. an illi » parvuli sint baptizati, quos in articulo mortis con» stitutos, propter aquæ penuriam, & absentiam Sa» cerdotis, aliqui simplices in capite & pectore, ac in» ter scapulas, loco Baptismi, aspersione salivæ liniverunt? Respondet Papa, quòd cùm in Baptismo duo » semper, videlicet verbum (sive forma Baptismi, quæ » in verbis consistit) & elementum (materia scilicet, » quæ est aqua, juxta illud S. August. *accedit verbum* » *ad elementum, & fit Sacramentum*, prout refertur » in *c. Detrahere*; 54. *caus. 1. q. 1.*) necessariò requirantur: dubitari nõ debet, illos non suscipere verum » Baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum (scilicet verbum & aqua) sed eorum alterum tantùm est omissum; quia quando plura requiruntur ad substantiam alicujus actûs, deficiente uno, totum deficit, & corruit, *Abb. hîc n. 3.* Hinc infertur, quòd materia remota Baptismi sit aqua naturalis, non sputum, seu saliva, aut alius liquor specie differens ab aqua naturali, *Abb. hîc n. 2. Barb. n. 2.*

Cap. Licèt; 6. *& ult.*

VII. Prohibet Innocentius III. in Concilio » generali Lateranensi, sub pœna excommunicationis » & suspensionis ab omni Officio & Beneficio Eccle» siastico, ne Græci Altaria, in quibus celebrârunt Sa» cerdotes latini, reputent inquinata, ideóque illa non » lavent, antequam in iis iterum sacrificent. Item ne » baptizatos à Latinis, rebaptizare præsumant. Porro » si Latini utantur formâ Græcorum, validè baptizant, etsi illicitè, & graviter peccent, non servando ritum Ecclesiæ suæ in re gravi, ut ex *Suar.* docet *Barb. hîc num. 2.*

Clement. Præsenti unic. eod.

VIII. Prohibetur in Concilio Viennensi, ne » de cætero Baptismus conferatur in Aulis, vel Cameris, vel aliis domibus privatis: sed in Ecclesiis tan» tùm, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter depu» tati: nisi baptizandi Regum, vel Principum liberi » extiterint: (quod *Gl. hîc V. Regum*; extendit etiam » ad Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum & » aliorum Potentatum liberos) vel talis necessitas e» merserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam abs» que periculo (sive pueri baptizandi, sive ob hostili» tatem, vel locum obsessum, *Gl. hîc V. Periculo*;) ac» cessus haberi. Qui autem secus præsumpserit (ba» ptizando in talibus locis) aut suam in hoc præsen» tiam (ex proposito, *Gl. hîc V. Præsentiam*;) ex» hibuerit, hic per Episcopum suum puniatur (ar» bitrariè) ut alii similia attentare non præsumant. »

§. II.

De effectu Baptismi.

IX. De hoc agitur in *c. Majores*; 3. *h. t.* Ubi » Papa Innocentius III. inprimis ait, majores Ecclesiæ causas, præsertim quæ ad articulos Fidei spectant, ad Sedem Apostolicam referendas esse, quia » soli Petro, & ejus Successoribus data est à Christo » potestas

» potestas regendi universalem Ecclesiam, c. *Quamvis*; 3. *dist.* 21. c. 1. & 2. *dist.* 22. Quænam autem sint hujusmodi causæ majores reservatæ jurisdictioni & dispositioni Papæ, videri potest apud *Fagnan. in* c. 1. *de Offic. Iud. Ordin. num.* 55. *& seqq.* Deinde declarat Papa, Sacramentum Baptismi utiliter conferri parvulis, licèt actu non credant, nec intelligant, nec actu diligant: nam illud *Jac.* 5. *Charitas operit multitudinem peccatorum, & Luc.* 7. *remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, de adultis intelligi debent. Baptismus autem successit circumcisioni, per quam remittebatur quidem culpa originalis: sed non aperiebatur Cœlum, quod usque ad mortem Christi obseratum erat, sicut per Baptismum patet ingressus in Regnum Cœlorum, *cit.* c. *Majores*; §. *Ad id autem.* Porro parvulis fides, gratia, & charitas, aliæque virtutes infunduntur, quoad habitum: non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam, §. *Illud verò hoc cap.* Sed quoniam duplex est peccatum, originale & actuale, illud, quod absque consensu contrahitur, etiam sine consensu, per vim Sacramenti remittitur parvulis: actuale, quod cum consensu contrahitur, sine consensu etiam non relaxatur, seu remittitur, §. *Verùm in hoc cap.* Quamvis autem in Baptismo peccatum originale dimittatur parvulis, qui consentire non possunt: non tamen adultis, amentibus, vel dormientibus, qui non priùs consenserunt in Baptismum, remittitur peccatum actuale, imò nec originale; tum quia Dei opera non sunt imperfecta, ac proinde peccata, non ex parte: sed ex toto dimittit: tum quia pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: pœna verò actualis peccati (mortalis) est cruciatus perpetuæ gehennæ: unde si dimitteretur alicui primum, non dimisso altero, is non careret visione Dei, propter originale dimissum: & tamen perpetuò cruciaretur in gehenna, propter reatum peccati actualis, non dimissi: quæ cùm sint incompossibilia, non possunt simul subsistere: imò sibi invicem adversantur hæc duo, originale remitti, & actuale remanere, ita habetur in hoc cap. §. *Sed adhuc.* Ubi tamen rectè *Gl. V. Propter originale*; notat, quòd etiam propter peccatum actuale mortale incurratur pœna damni, sive carentia visionis Dei: & sic argumentum hoc non procedit absolutè: sed solùm ex hypothesi, posito per impossibile, quòd adultus propter peccatum actuale non privaretur visione Dei: sed propter originale tantùm, tunc sequeretur hoc absurdum, & impossibile, quòd videlicet Deum videbit, ex quo originale est sublatum: & perpetuò cruciabitur in gehenna, ex quo actuale remanet: & ideo etiam in Baptismo non tollitur, actuali remanente, peccatum originale; quia non prodesset, *Hostiens. hìc V. Primum.*

Denique in §. *Item quæritur hoc cap.* Dicitur, quòd is, qui per terrorem suppliciorum, ac pœnarum ad Baptismum violenter trahitur, & ne aliud detrimentum, seu damnum incurrat, Sacramentum Baptismi suscipit, characterem recipit: quia conditionaliter vult, licèt absolutè non velit: (vult enim baptizari, ut supplicia, vel pœnas evitet, coacta autem voluntas, est voluntas, *c. Meritò*; 1. *caus.* 15. *q.* 1. *Gl. hìc V. Conditionaliter volens*;) proinde etiam cogendus est, ad observantiam Fidei Christianæ. *Juxta c. de Judæis*; 5. *dist.* 45. Quod est desumptum ex Concilio Toletano. Sicut & ille, qui fictè accedit ad Baptismum accipit Sacramentum, qui quamvis non ore, corde tunc dissentit. Ille verò, qui nunquam consentit (in Baptismum) sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, ideóque si baptizetur, non erit baptizatus: sicut & ille, qui penitus contradicens & reclamans, cogitur violenter thura offerre idolis, non est reus alicujus criminis. Dormientes autem, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, contradixerunt, & nihilominus baptizantur, non recipiunt characterem Sacramenti; quia in illis intelligitur propositum contradictionis perdurare. Si verò non contradicebant: sed erant Cathecumeni, habentes propositum Baptismi suscipiendi: tales si baptizantur in amentia, vel somno (uti consuevit Ecclesia eos in necessitatis articulo baptizare) recipiunt characterem Sacramenti; quia non posuerunt obicem contrariæ voluntatis. Ratio est, quia semper præsumitur prior voluntas durare, nisi probetur mutata, *Gl. hìc V. Perdurare.*

Porro quod supra dictum est, eos, qui fictè suscipiunt Baptismum, recipere Sacramentum, & characterem, quia scilicet ore exprimunt, se velle baptizari, etsi corde dissentiant, ac nolint: id ita intelligendum est; quia præsumuntur in foro externo recipere Baptismum, secundùm *Gl. hìc V. Perdurare*; *junct. Gl. marg. lit. B.* ideóque & cogi possunt, ad observantiam Fidei, & legis Christianæ: quamvis si verè dissentiant, revera non recipiant Sacramentum Baptismi, nec characterem.

TITVLVS XLIII.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

I.

Hic Titulus tria continet Capitula. In primo, statuitur, si quis Presbyter ordinatus, (de facto, quia qui de jure non est ordinatus, non est censendus Presbyter, *Gl. hìc V. Ordinatus*;) deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. Idem habetur in *c. Si quis*; 60. *caus.* 1. *q.* 1. Ratio est, quia nullum Ordinem recepit, cùm Baptismus sit janua omnium Sacramentorum, *c. ult. h. t. Gl. hìc V. Iterum ordinetur.* Quòd si talis nolit de novo ordinari, manet Laicus, & si ma-

si matrimonium contrahat, illud validum est, quamvis non licitè contraheret, cùm tacitè videatur edidisse simplex votum continentiæ, *arg. c. Cùm quidam; 12. de convers. conjug. Abb. hîc in fine.*

Aliud verò dicendum est de eo, qui ordinatus fuit, cùm non esset priùs confirmatus: nam validè nihilominus est ordinatus; quia Ordo non necessariò supponit characterem Sacramenti Confirmationis, etsi ex Decreto Concilij Tridentini *Sess. 23. c. 4. de reform.* prohibeantur initiari primâ Tonsurâ, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt, *Azor p. 2. lib. 3. c. 48. q. 1. Barb. hîc n. 3.* Ubi addit, quòd etsi non confirmatus ordinetur, vel primam Tonsuram suscipiat, non ideo incurrat aliquam censuram, cùm nulla tali transgressioni sit annexa.

II. *In cap. Apostolicam; 2.* dicitur, quòd etiam is, qui non est baptizatus, salvari possit, si probabiliter credat, se esse baptizatum: nam cùm quidam Presbyter mortuus esset, postea compertum fuit, quòd non fuerit baptizatus: Quæsitum fuit à Papa Innocentio III. an ab Ecclesia haberi debeat pro baptizato, ita, ut pro eo posset orare, siquidem bonâ fide putavit, se esse baptizatum? Respondet Papa, si Presbyter ille in Fide S. Matris Ecclesiæ, & in confessione nominis Christi perseveravit, & decessit, ab originali peccato solutus (imò, & ab actuali, *Gl. hîc V. Ab originali*) gaudium cœlestis patriæ est adeptus, dicente S. Augustino (prout refertur in *c. Baptismi, 34. dist. 4. de Cons.*) Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis: sed terminus, sive articulus necessitatis excludit. Idémque asserit S. Ambrosius *in lib. de obitu Valentiani*: & sic Ecclesia potest preces, & Hostias DEO offerre, pro memorato Presbytero.

III. Notandum primò. Peccatum originale dimittitur, non tantùm in Baptismo fluminis, sive aquæ: sed etiam in Baptismo sanguinis, cùm quis pro Fide Christi occiditur, *c. Baptismi vicem; 34. dist. 4. de Consecr.* & in Baptismo flaminis, id est, Spiritûs Sancti, cùm quis invisibiliter baptizatur interiùs per Fidem Christi, *cit. c. Baptismi*, & desiderium, seu votum, saltem implicitum, Baptismi fluminis, quem suscipere non potest, vel ob impedimentum necessarium; vel ob probabilem ignorantiam; quia putat, se esse baptizatum, quippe natus à Christianis parentibus, & inter Christianos in Fide Christi fuit educatus, *Gl. hîc V. Ab originali; Abb. hîc not. 1.* Nec obstat, quòd in *c. Firmissimè; 3. dist. 4. de Consecr.* dicitur, neminem posse sine Sacramento Baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filij &c. salvari; quia hoc verum est de eo, qui potest baptizari, & non baptizatur, *Gl. cit. hîc.*

Notandum secundò. Baptismus flaminis à reliquis Baptismis in eo etiam differt, quòd Baptismus fluminis, & sanguinis, tam parvulis: quàm adultis prodest, si Baptismum fluminis non contempserunt, aut neglexerunt: at verò Baptismus flaminis prodest adultis tantùm, qui in Fide Christiana, & charitate decesserunt: parvulis autem non prodest; quia cùm ipsi non sentiant, seu non intelligant, non habent Fidem Christianam, nec charitatem, actualem scilicet, etsi habitualem habeant, *c. Majores, 3. de Bapt. Abb. hîc in Gl. 1.*

Notandum tertiò. Sacerdos, qui non est baptizatus, probabiliter tamen credit, se baptizatum, non potest conficere Sacramentum Altaris, sive consecrare, nec absolvere à peccatis, nec Ordinem recipere: piè tamen credendum est, Christum Summum Sacerdotem supplere quoad effectus Sacramentorum, neq; permissurum, hoc ita occultum permanere, cùm inde maximum Ecclesiæ oriri possit periculum, ut cum S. Th. docet *Silv. V. Baptismus; 6. n. 3. Barb. hîc n. 2.*

Notandum quartò. Licèt aliàs communis error, seu opinio faciat, ut gesta valeant, juxta *l. Barbarius; 3. ff. de Offic. Præt.* Id autem solùm verum est in ijs, quæ pendent à jurisdictione: non autem in ijs, quæ pendent à potestate Ordinis, & in Sacramentis; in istis enim attenditur veritas, & nõ opinio, *Abb. hîc in fin.*

IV. Denique, quòd non baptizatus, non possit suscipere Ordines, habetur etiam in *c. Veniens; 3. & ult. h. t.* Nam quidam credens, se ritè baptizatum, ad omnes Ordines fuit promotus, etiam ad Sacerdotium: sed tandem comperit, quòd non fuerit secundùm formam Evangelij (præscriptam, *Mat. ult.*) baptizatus, idque exposuit Innocentio III. Papæ, qui illum jussit ritè baptizari: deinde disputatum fuit, utrùm Ordines susceptisset? Quidam enim dicebant, cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum (*c. Præter; 6. §. Verùm; in fine, dist. 32. junct. Gl. V. Necessariò;*) ante susceptionem Baptismi, non recipiatur aliud Sacramentum; quia ubi fundamentum deficit, superædificari non potest. Sed contra esse videtur, quòd non solùm per Sacramentum Fidei (in cujus perceptione gratia confertur, *Gl. hîc V. eod.*) sed etiam per solam Fidem Sacramenti Baptismi efficitur quis membrum Christi, & qui Christum habet per Fidem (quam quis habet de ipso Sacramento, quod credit, se suscepisse, *Gl. hîc V. Per Fidem*) etiamsi Sacramentum Baptismi non habeat, habet utique fundamentum, nempe ipsum Christum, & ita superedificari posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quælibet Ecclesiastica Sacramenta; cùm illud non sit generaliter verum, quòd Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum: neque de novis (id est, de Sacramentis novi Testamenti) neque de veteribus, sive veteris Testamenti: quoniam & Sacramentum Conjugij, (*c. Gaudemus; 3. de divort. c. Deinde; 3. dist. 26.*) & Eucharistiæ à non baptizatis (scilicet Baptismo fluminis: sed baptizatis Baptismo flaminis, cùm illi quoad gratiam baptizati intelligantur, & fructum Sacramenti Eucharistiæ accipere possint, *Gl. V. eod.*) recipi potest. Præterea Sacramentum Ordinis Pontificalis, & Sacerdotalis, & Levitici (Vet. Testamenti) ex institutione sua præcessit Baptismum, propter quod forsitan videri posset, quòd ante Baptismum hujusmodi Ordines possint ritè conferri, maximè his, qui baptizati esse creduntur, quod tamen non est verum, *Gl. hîc V. videtur.*) Verùm quia in Concilio apud Compendium celebrato, (quod refertur in *c. 1. h. t.*) constitutum est, ut, si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur; ideo Papa volens sequi in hoc dubio casu, quod est tutius, mandat Episcopo Ferrariensi, ut iste non baptizatus denuo baptizetur, & singulis Ordinibus, usque ad Sacerdoti-

» dotium, (inclusivè) initietur, & in Officio Sacer-
» dotis ministrare permittatur; quia non intelligitur
» iteratum, quod ambigitur, vel nescitur factum:
» nec malè de Sacramento (Baptismi) sentitur, cùm
» non ex Religionis contemptu: sed ob necessita-
» tem (vel ignorantiam facti) non suscipitur. Cer-
» tè de illo, qui natus est ex Christianis parentibus,
» & inter Christianos est in Fide educatus, tam vio-
» lenter præsumitur, quòd baptizatus fuerit, ut hu-
» jusmodi præsumptio pro certitudine sit habenda,
» donec evidentissimis argumentis contrarium fue-
» rit probatum.

V. Hinc colligitur primò. Quòd Baptismus flumi-
nis nihil prosit, non tantùm, si omnino non confe-
ratur: sed etiam cùm non ritè, secundùm formam
Ecclesiæ confertur; quia paria censentur, aliquid om-
nino non fieri, vel non ritè fieri, *Abb. hìc n.* 1. Colligi-
tur secundò, quòd actus, qui necessariò, ac specificè de-
bet impleri, seu fieri, si dubitetur, an sit factus, iterari
debeat, *Abb. hìc n.* 2. Colligitur tertiò. Quòd valde
vehemens præsumptio, quæ stat pro aliquo, transfe-
rat onus probandi contrarium in adversarium, adeó-
que admittitur contra illam probatio: sed nonnisi e-
videntissima, *Abb. hìc n.* 3. *&* 4.

TITVLVS XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORVM SACRAMENTORVM.

I.

» IN hoc Titulo duo continentur Capitula, in quorũ primo, quod est desumptum ex Concilio Generali Lateranẽsi, *c.* 29. statuit In-
» nocentius III. ut in cunctis Eccle-
» siis Chrisma, (hoc est, Oleum
» mixtum balsamo, benedictum ab Episcopo, pro Sa-
» cramento Confirmationis, & Oleum simplex be-
» nedictum, pro Sacramento extremæ Unctionis,
» quo inunguntur infirmi) & Eucharistia, fideliter
» sub clavibus asserventur: alioquin si is, ad quem
» spectat custodia, incautè, & negligenter ea custo-
» diêrit, tribus mensibus ab Officio suspendi debeat:
» & si per ejus incuriam aliquid nefandum cõtigerit
» (v. g. furtum sacrilegum, vel sortilegia) graviore
» pœnâ (ad arbitrium Judicis; cùm hìc non deter-
» minetur, *Gl. hìc V. Gravior*;) punietur. Ex quo
patet, quòd quis propter culpam, & negligentiam
commissam in Officio, tenetur ad omnia damna re-
sarcienda, quæ ex illa culpa sequuntur, ita, ut puniri
possit, ac si ipse illa intulisset; nam qui occasionem
damni dat, damnum dedisse videtur, *c. Sæpe* 50. *dis.* 50. *l. Qui occidit* 30. §. *In hac quoque*; *ff. ad leg. Aquil. Gl. cit. loc. Abb. hìc n.* 2.

II. Præterea in *c. Relinqui*; 2. *eodem*, idem
Innocentius III. in dicto Concilio Lateranensi, *c.*
19. prohibuit, ne supellectilia, sive propria Cleri-
corum, sive aliena Laicorum, in Ecclesiis ponan-
tur, seu admittantur: nisi propter hostiles incur-
sus, aut repentina incendia, vel alias necessitates
urgentes, ad eas oporteat habere refugium: ita ta-
men, ut cessante necessitate, hujusmodi res ex Ec-
clesia removeantur, & ad pristina loca reportentur;
nam, quod ob certam causam concessum est, debet
illâ cessante, revocari, *Abb. hìc not.* 3. Præcipit
quoque Papa, ut Oratoria, vasa, Corporalia, ac
Pallæ Altaris, & vestimenta Ministrorum Ecclesiæ
munda, & nitida conserventur; nimis enim absur-
dum videtur in sacris hujusmodi sordes negligere,
quæ dedecerent etiam in vestibus profanis, sive
privatorum. Ex quo textu infert, *Abb. hìc not.* 2.
quòd tempore necessitatis possunt Ecclesiæ, seu Tem-
pla muniri contra hostes, & defendi per milites, *quia quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. Quod non est*; 4. *infra de Reg. Jur.*

TITVLVS XLV.

DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORVM.

Extat hic Titulus etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

§. I.

De Veneratione, & Canonizatione Sanctorum.

I.

» DE hac agitur in *c. Audivimus*; 1. *h. t.* Ubi re-
» fertur, quòd quidam hominem quendam in
» ebrietate occisum, quasi Sanctum venerabantur.
Verùm Papa Alexander III. mandavit, ne illum
præsumant de cætero colere; partim quia pro occi-
sis in ebrietate (si ea sit voluntaria, ac plena, pri-
vans omnino usu rationis, adeóque peccatum mor-
tale, *Gl. hìc V. Cùm vix*) non orat, aut vix orat Ec-
clesia: partim quia licèt per eum miracula fierent,
non liceret, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ,
illum pro Sancto venerari.

II. Pro explicatione hujus cap. notandum pri-
mò.

mò. Neminem posse publicè coli pro Sancto, nisi canonizatum. Est autem Apotheosis, sive Canonizatio ritus, quo aliquis Sanctus per Papam Albo, seu numero Sanctorum adscribitur, & publicè, ac solenniter, canonicè, & regulariter) præmissâ scilicet diligenti inquisitione super vitę, morúmque probitate, & miraculorum veritate, juxta *c. Venerabili*; 52. *de testib.*) declaratur, definitur, ac statuitur, ut tanquam Sanctus ab omnibus honoretur, & de ipso, sicut de alijs Sanctis ejusdem conditionis certâ die, quotannis, solenne Officium celebretur, ut tradit *Hostiens. hîc V. Venerantur; post princ.* Hoc autem procedit, quoad publicam venerationem, & cultum; nam privatim, & in occulto, bene potest quis colere, & invocare eum, quem putat esse sanctum, *Abb. hic num.* 3.

III. Notandum secundò. Solus Romanus Pontifex potest aliquem in Sanctorum numerum, seu Catalogum referre, prout apertè sumitur ex hoc *c.* & ex communi docet *Azor p.* 2 *Instit. lib.* 5. *c.* 6. *q.* 1. Rationes autem plures affert *Hostiens. hîc col.* 3. *& Gl. in c. unic. V. Sedis Apostolicæ*; *h. t. in* 6. Primò. Quia hæc est una ex majoribus causis, quæ referendæ sunt ad Sedem Apostolicam, *c. Majores*; 3. *in princ. de Baptism.* Secundò. Quia Miracula attribuuntur Fidei, sicut & opera, quæ testantur alicujus sanctitatem, Fidei Ecclesiæ innituntur, ergo hæc examinare, & approbare, pertinet ad solum Papam, cujus est quæstiones Fidei definire, *c. Quoties*; 12. *caus.* 24. *qu.* 1. Tertiò. Quia ad Papam spectat, declarare dubia SS. Scripturarum, *c. Per Venerabilem*; 13. §. *Rationibus*; *Qui filii sint legitimi, &c.* Ergo multò magis dubia Sanctitatis; quia circa majora majus periculum vertitur, ideóque cautiùs est agendum, *c.* 3. *in princ. de elect. in* 6. Quartò. Ne populum decipi contingat, propter multorum Episcoporum simplicitatem, *arg. hujus c.* Quintò. Ne Sancti nimiùm multiplicentur, & sic devotio crescat, & sanctitas vilescat, *arg. c. Episcopi*; 3. *dist.* 80 Addi potest alia ratio ex S. Augustino, apud *Fagnan. hîc num.* 27. quia sicut solius Christi est, homines sanctificare: ita solius Papæ, qui est Vicarius Christi, hominum Sanctitatem manifestare, & approbare: & cùm solus Papa sit Caput totius Ecclesiæ, ita, & ad illum solum spectat, toti Corpori Ecclesiæ proponere aliquem colendum, ut Sanctum. *Incent. hîc nu.* 2.

Ex quo infertur, quòd Episcopi non possint canonizare aliquem, etiam pro suis Diœcesibus tantùm: imò nec Legatus à Latere, ne quidem ex speciali commissione S. Pontificis; quia is non potest delegare alteri res Fidei. Nec denique etiam Concilium Generale, absque Romani Pontificis auctoritate, *Barbos. in cit. c.* 1. *n.* 7. *&* 8. & alij apud ipsum.

IV. Notandum tertiò. Ad Canonizationem alicujus Sancti requiritur, tum Fidei, & aliarum Virtutum merita, sive Sanctitas morum: tum miracula, quæ excedant vires, & potentiam naturæ, ita tamen, ut sola miracula non sufficiant, sine vitæ probitate; quia quandóque etiam per malos, & peccatores fiunt miracula, saltem apparentia, *c. Teneamus*; 56. & *c. Prophetavit*; 79. *caus.* 1. *q.* 1. ut patet in Magis Pharaonis, & *Matth.* 7. dicitur, *Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & tamen audient à Christo, nunquam novi vos.* quandóque etiam fiunt miracula ex dono DEI, & non ex merito, ut in Regibus Franciæ, ideóque numeratur miraculorum virtus inter gratias gratis datas, quæ non supponunt in operante necessariò gratiam sanctificantem. Tum quia Fides præ cæteris virtutibus, in miraculis operatur, ita, ut aliqui propter fidem, quam habent, operentur miracula, etiam sine charitate, juxta illud *Apostoli* 1. *Cor.* 13. *Etsi habeam omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem, autem non habuero &c. nihil mihi prodest*, cùm fides sine charitate sit mortua. Tum denique, quia alioqui facilè possent decipi fideles, si sola miracula sufficerent ad Canonizationem, cùm hæc sint deceptioni obnoxia, & difficulter possint vera à falsis quandóque discerni, *Innocent. hîc num.* 1. *Hostiens. col.* 2. *& Abb. num.* 4. Neque tamen etiam sola vitæ probitas sufficit, sine miraculis, licèt sufficiat ad finem beatitudinis: sed miracula etiam requiruntur in testimonium sanctitatis, juxta Constitutionem Gregorij IX. quæ incipit. Cùm dicat Dominus, cujus verba refert *Fagn. in cit. c.* 1. *n.* 13. *h. t.*

Porro, quod dictum est, ad Canonizationem Sancti requiri, ut priùs diligenter inquiratur, & cognoscatur de sanctitate vitæ, & miraculis, id intelligendum est: si quis in SS. Confessorum numerum sit referendus. Sin autem in numerum SS. Martyrum, tunc inquirendum est de miraculis ab eo patratis, & de causa passionis ipsius, num videlicet in Fidei Christianæ testimonium, vel propter Legem DEI, aut Virtutem aliquam, mortem obierit. *Hostiens. in summa*; *h. t. num.* 3. *Silvest. V. Canonizatio*; *quæst.* 2. *Azor cit. c.* 6. *qu.* 7. §. *Si verò.* Nunc verò ista inquisitio, & examen accuratum commissum est Congregationi Cardinalium, quæ est instituta circa Ritus, & Ceremonias. Modum autem, & ordinem procedendi in Canonizatione Sanctorum exponit *Hostiens. in cit.* 1. *h. t. col.* 1. *&* 2.

V. Præterea in *cap. Gloriosus*; *unic. h. t. in* 6. Bonifacius VIII. præcipit, ut Festa XII. Apostolorum, IV. Evangelistarum, & IV. Doctorum Ecclesiæ, scilicet Gregorij, Augustini, Ambrosij, & Hieronymi, annis singulis, sub Officio duplici solenniter celebrentur.

VI. In *Clement.* verò, si Dominum *unic. h. t.* præcipitur in virtute *S.* Obedientiæ, ut Festum Corporis Christi solenniter, & devotè celebretur, singulis annis. Feriâ V. post Octavam Pentecostes, & certæ Indulgentiæ conceduntur ijs, qui in Festo, vel infra Octavam, Officio, vel Horis Canonicis intererunt. Notat autem hîc *Barb. n.* 5. Quòd annus Ecclesiasticus, quantùm ad Indulgentias, computetur à primis Vesperis, usque ad secundas Vesperas diei sequentis inclusivè.

VII. Item *in Extravag. Cùm præexcelsa*; 1. *h. t. Inter communes*, Sixtus IV. statuit, ut qui, in ipso die Conceptionis B. Mariæ Virginis, & per ejus Octavas, Missam, & Officium ejusdem imaculatæ Conceptionis devotè celebraverint, & dixerint, eadem Indulgentias consequantur, quas lucrantur Christi fideles in Festo Corporis Christi, juxta *Clement. unic. h. t.*

VIII. Denique in *Extravag. Grave nimis*; 2. *eod.* Idem Papa statuit, Prædicatores Verbi DEI, vel quicúnque alij, qui præsumunt asserere, mortaliter peccare, vel esse hæreticos illos, qui defendunt B. Virg.

» B. Virginem DEI Matrem esse conceptam, sine
» peccato originali: & vice versâ hæreticos esse, vel
» mortaliter peccare eos, qui asserunt, esse conceptam
» in peccato orginali: item qui affirmant, peccare
» graviter eos, qui Festum immaculatæ Conceptio-
» nis celebrant, aut Concionibus hujusmodi inter-
» sunt, sententiam excommunicationis, ipso facto,
» incurrere, Papæ reservatam; cùm nondum sit à Ro-
» mana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.

Hanc Constitutionem innovavit Concilium Tridentinum *Sess. 5. in Decreto de peccato Originali, in fine.* Idque postea Paulus V. extendit, die 31. Aug. Anno 1617. prohibens, ne in posterum ullus audeat, in publicis Concionibus, Lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscúnque actibus publicis asserere, quòd Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, ita tamen, ut negativam opinionem, quòd non sit concepta in peccato originali, in publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, sub censuris, & pœnis prædictarum Constitutionum, *Barbos. in cit. c. Extravag. 2. n. 3. h. t.*

§. II.

De Reliquiis Sanctorum, earúmque veneratione.

IX. De his agitur in *c. Cùm ex eo; 2, & ult. h. t.* quod est desumptum ex Concilo Generali Laterá-
« nensi sub Innocentio III. Nam quoniam quidam
» Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas in-
» differenter, ac passim ostendunt, propter quod
» sæpe Christianæ Religioni detrahitur; ideo statuit
» Concilium, ut antiquæ Reliquiæ de cætero extra
» capsam non ostendantur, nec venales exponantur.
» Inventas autem de novo nullus publicè venerari
» præsumat, nisi priùs auctoritate Romani Pontifi-
» cis fuerint approbatæ. Prælati verò Ecclesiastici
» non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, ve-
» nerationis causâ, accedunt, vanis hujusmodi fi-
» gmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in ple-
» risque locis, occasione quæstûs, fieri consuevit.

X. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò. Reliquias Sanctorum vendi non posse, prout habetur hîc, & in *l. Nemo 3. C. de SS. Eccles.* Ratio est, tum quia res sacræ, quales sunt Reliquiæ, non sunt in dominio alicujus, nec pretij æstimationem recipiunt, *l. Sacra; 9. in fine, ff. de rer. divis.* adeóque nec vendi possunt; quia sine pretio non consistit venditio, §. *Item pretium; Instit. de empt. & vendit.* Tum quia spiritualibus annexa vendi non possunt, sine labe simoniæ, *c. Querelam; 15. de Simon. c. De jure; 16. de jure patron. Gl. hîc V. Venales; not. 1.* Idque indubitatum est, si vendantur ratione Benedictionis, aut pluris, ratione illius: secus, si ratione solius materiæ, ex qua conficiuntur, v. g. Agnus Dei, vel impensarum in eis conficiendis, aut deportandis factarum, *Sanch. lib. 2, mor. c. 43. n. 29.*

Notandum secundò. Reliquiæ Sanctorum non debent exponi, sive extra capsam, seu loculum, in quo sunt conditæ, populo ostendi; ne detur occasio detractoribus obloquendi, dum videntes ossa, pelle, & carnibus denudata, dicunt, hic, si fuisset Sanctus, non fuisset ita corpus ejus corruptum; cùm tamen meminisse deberent, omnibus generaliter dictum, *Gen. 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris*, exceptis illis, qui ex speciali gratia à corruptione sunt præservati, *Hostiens. hic V. Extra Capsam, & Abb. notat. 2.* præsertim verò prohibetur hujusmodi expositio Reliquiarum, quæstûs gratiâ, ut largiores fiant oblationes; nam, & Reliquiæ exinde vilescunt, & notatur à Laicis avaritia Clericorum, *Hostiens. hic V. Non exponantur.* Putat tamen *Sanch. cit. c. 43. nu. 22.* non prohiberi hîc Reliquiarum ostensionem, etiamsi principaliter fiat, ad acquirêdas largiores oblationes, vel eleemosynas, dummodo eæ non deducantur in pactum, nec principaliter intendantur, tanquam illius ostensionis pretium: sed tantùm, tanquam eleemosynæ gratîs oblatæ; quia hoc principaliter intendere, non est Reliquias venales exponere, adeóque non est Simonia.

Notandum tertiò. Non licet Reliquias de novo inventas venerari publicè, nisi auctoritate Rom. Pontificis priùs fuerint approbatæ, ut habetur in *cit. c. 2. h. t.* Id autem intelligendum est de Reliquiis omnino novis: nam si certum sit, Reliquias de novo inventas esse alicujus Sancti antiquitus approbati, quia cum illis inventa est scriptura, seu instrumentum authenticum, de hoc fidem faciens, non habet locum hæc prohibitio: secus est, si esset dubium, tum enim sine auctoritate Papæ, non liceret illas publicè colere. *Hostiens. hîc V. de novo; Joan. Andr. n. 3. Abb. nu. 1. not. 3.* Dixi publicè, nam privatim, & occultè illas venerari, non est prohibitum; prout sumitur ex hoc *c. V. Publicè per sensum contrarium, Host. V. eodem; Sanch. c. l. n. 4.* sicut de Sanctis, non canonizatis, etiam supra dictum est.

XI. Porrò hæc distinctio inter Reliquias omnino novas, & antiquas, quæ de novo inventæ sunt, non est sublata per Concil. Trident. *Sess. 25. in Decreto, de Invocatione & Reliquiis Sanctorum*, ubi statuitur propè finem, nulla admittenda esse nova
» miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi re-
» cognoscente, & approbante Episcopo, qui simul,
» atque de ijs aliquid compertum habuerit, adhibi-
» tis in consilium Theologis, & alijs pijs viris, ea
» faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judica-
» verit. Nam Concilium Lateranense relatum in *cit. c. 2. h. t.* non prohibet, colere, etiam publicè, Reliquias de novo inventas Sanctorum, jam ab antiquo Canonizatorum, vel Beatificatorum, sine auctoritate Papæ, ideóque etiam Concilium Trident. quando ait, *novas Reliquias, non esse recipiendas, nisi approbante Episcopo*, intelligi debet, quòd loquatur de Reliquiis, de novo inventis Sanctorum: non autem de Reliquiis omnino novis, alicujus nondum canonizati, aut beatificati, tales enim Reliquiæ, non possunt publicè coli, sine licentia Papæ, juxta Concil. Lateran. in *cit. c. 2. h. t.* quia vitanda est jurium antiquorum correctio, nisi contrarium sit jure novo expressum: præsertim verò Decreto Concilij Generalis non censetur derogatum: nisi sit addita clausula, expresse derogatoria ejusdem: sed potiùs jura juribus concordanda sunt, *c. Cum expediat; 29. de Elect. in 6. Azor p. 1. lib. 9. c. 8. q. 8. Sanch. cit. c. 43. n. 10. & 14.* Confirmatur, quia alioqui posset Episcopus publicè veneration exponere novas Reliquias alicujus non ca-
no-

ñonizati, & sic indirectè etiam Sanctos in sua Diœcesi canonizare, & cuivis liceret, cum licentia solius Episcopi, aliquem etiam publicè colere, tanquam Sanctum: quod est contra communem Dd. sententiam, & antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ut rectè notat *Fagnan. in cit. c. 2. n. 6. h. t.* Neque verò obstat, quod S. Congregatio Cardin. Conc. Trid. responderit, supra allatum Decretum Concilij Trid. intelligendum esse, non tantùm de miraculis Sanctorum canonizatorum: sed etiam de miraculis personæ non canonizatæ, prout refert *Barbos. in c. 2. n. 4. h. t.* ergo idem etiam dicendum de Reliquiis, ut infert *Barbos. c. l.* Verùm longè diversa est ratio inter nova miracula, & novas Reliquias: nam de jure cõmuni potest Episcopus inquirere, & recipere testes, super miraculis, & vitâ alicujus canonizandi, juxtà *c. Venerabili 3. 25. de testib.* Unde etiamsi Decretum Concilij Trident. intelligatur generaliter de novis miraculis, non solùm Sancti jam canonizati: sed etiam primùm canonizandi, nihil absurdum sequitur, nec ulla jurium antiquorum correctio, sicut sequeretur, si intelligeretur de Reliquiis omnino novis. Accedit, quòd etiamsi Episcopus cognoscat de miraculis nondum canonizati: non tamen ideò licet, eum publicè venerari, tanquam Sanctum, sine auctoritate Papæ, *c. 1. h. t.* Secus est, si Episcopus approbaret Reliquias alicujus nondum canonizati; quia sic Sanctum novum in Ecclesiam introduceret, cum tamen in fine citati Decreti Tridentini addatur. *Ut ab Episcopo nihil inconsultò Rom. Pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.* Quare nec de Jure communi, neque ex novo Decreto Concilij Tridentini potest Episcopus approbare Reliquias, omninò novos, id est Sancti ab antiquo non approbati; ut bene ostendit *Fagn. in cit. c. 2. n. 9. h. t.* contra aliquos modernos. Illud hìc addendum, quòd sufficit, si de Sanctitate personæ per traditionem, aut universalem Ecclesiæ consensum constet; quia hæc Canonizationi æquipollet, nam antiquitus non servabatur solennitas Canonizationis, quæ modò in usu est, *Sanch. c. l. n. 11.*

XII. Quærunt hìc præterea Canonistæ, an Episcopus, sine Papæ licentia, possit Corpora Sanctorum, vel eorum Reliquias ab una Ecclesia ad aliam transferre? Negat, id posse Episcopum, *Gl. in c. Corpora; 37. V. Principis*; id est, Papæ, *dist. 1. de Consecr. Hostiens. in cit. c. 2. V. Nec exponantur*, & *Ioan. Andr. num. 2.* & alij, qui dicunt, id esse verum, etiam de alijs corporibus defunctorum, postquam perpetuæ sepulturæ sunt tradita, ut sine consensu Principis trãsferri non possint: juxta *l. fin. C. de Religios. & sumpt. fun.* alioquì verò, si necdum sepulturæ sunt tradita, possunt, sine alterius alicujus auctoritate, transferri ad alium locum Religiosum; *l. Si necdum; 10. C. eod.*

Sed probabilius est, Episcopum, saltem cum consensu Capituli, posse transferre Corpora, & Reliquias Sanctorum, ab una Ecclesia ad aliam, etiam sine licentia Papæ, ut docet *Silvest. V. Reliquiæ 3 q. 3. Sanch. lib. 2. mor. c. 43. nu. 25. Fagn in cit. c. 2. n. 15. h. t.* Licet *n. 33.* ibid. etiam in oppositam sententiam inclinet. Ratio est, quia Episcopus potest in sua Ecclesia, quæcúnque Conditor Canonis, sive Papa sibi expressè non reservaverit, *c. Super 3. 29 & ibi Gl. V. non retinuit; de sent. excomm. c. Atsi Clerici*; 4. §. *De adulteriis*; *& ibi Gl. V. retinuit*; *de Judic.* At hic casus nullibi in jure recensetur inter casus reservatos Sedi Apostolicæ. Idque sumitur ex Concilio Moguntinensi, quod refertur in *cit. c. Corpora*; ubi dicitur: *Corpora Sanctorum nullus transferre præsumat, sine consilio Principis*; id est Regis, vel Imperatoris, *Gl. margin. Turrecremata*; *V. Principis, & non Papæ*, ut vult *Gl Ordinaria*; *ibid. vel Episcoporum, Sanctæque Synodi licentiâ.* Nam cùm translatio SS. Reliquiarum, seu Corporum sit actus spiritualis, non debet auctoritate, & jussu Imperatoris, vel Principis sæcularis fieri, cui nulla est de rebus Sacris, seu spiritualibus disponendi facultas, *c. 1. §. Cumque lecta*; *dist. 96. c. Solitæ*; *6. de major. & obed.* quamvis consilium etiam à Laicis requiri possit, secundùm SS. Canones, *c. Ad nostram 3. junct. Gl. V. Quæritur de consuet.* Quare *in cit. c. Corpora*; verba illa, *sine consilio*, sunt apposita, respectu Principis, & ad illum tantùm sunt referenda, ità, ut sensus sit, Corpora Sanctorum non transferuntur, sine consilio Principis, vel licentia Episcoporum, sanctæque Synodi, *Fagnan. in cit. c. nu. 23. h. t.* Consentit *Text. in l. Ossa 3. 8. in princ. ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi prohibetur corpus illatum in sepulchrum effodi, sine permissu Pontificali, vel jussu Principis. Requiritur tamen, ad transferenda Corpora Sanctorum, præter licentiam Episcopi, etiam consensus Capituli; quia est res gravis, causæ autem graves expediri debent, nonnisi cum consensu Capituli, juxtà *c. 1. & tot. Tit. De his, quæ fiunt à Prælatis &c.* maximè, quia hic agitur de alienatione quodammodo rerum Ecclesiæ: est enim hujusmodi translatio species quædam alienationis, cùm Corpus, quod aliquo modo spectabat ad unam Ecclesiam, alteri tradatur: Et ideo etiam in *cit. c. Corpora*; quando est sermo de Episcopo, copulativè adiungitur, & *Synodi licentiâ*, quod *Turrecrem. ibid. V. Synodi exponit*, id est, Clericorum majoris Ecclesiæ, adeóque Capituli Cathedralis, quod aliquando appellatur Concilium, ut in *c. Placuit 51. & ibi Gl. V. Concilio scilicet Clericorum, caus. 12. q. 2.* Requititur etiam justa causa, ita, ut sine illa non valeat translatio corporum; cùm sit species quædam alienationis, ut dictum, *Fagn. in cit. c. 2. n. 29. & 3. seqq.* Nec obstat, quod in Concilio Aquilensi 1. *in Tit. de Relig. SS.* habetur, quòd Corpora Sanctorum transferri non possunt, sine Sedis Apostolicæ licentia; nam illud Provinciale tantùm Concilium fuit, nec confirmatum à Sede Apostolica, ideóque extra Provinciam non habet vim Canonis, *Fagn. c. l. num. 33.*

Illud hìc addendum, quòd furtiva subtractio SS. Corporum, vel Reliquiarum, etiam devotionis causâ, facta, sit peccatum sacrilegij: nisi essent in locis infidelium condita, dum aufertur sacrum de sacro loco, vel sacrum, de non sacro: neque sine injuria Ecclesiarum, in quibus sunt condita, & perpetuæ sepulturæ tradita, neque ipsorum Corporum, aut Reliquiarum, talis ablatio, sine legitimi Superioris auctoritate, fieri potest, & devotio exercenda est, sine injuria alterius, *Turrecrem. in cit. c. Corpora*; *in respons. ad 3. dist. 1. de Consecr.*

TITVLVS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

I.

COntinet hic Titulus tria Capitula. In c. *Ex parte*; 1. ſtatuitur: ſi Feſtum Nativitatis Domini, vel Aſſumptionis B. V. vel alicujus Apoſtolorum inciderit in Feriam II. tunc in Sabbato præcedente jejunari debet. Idémque eſt de alijs Feſtis, prout habetur in c. 2. *h. t.* Quoniam in Dominica propter reverẽtiam diei, jejunium celebrari non ſolet, c. *Quæſivit*; 14. §. *Feſtum verò, junct. Gl. V. Dominica de V. S.* Item in Vigilia S. Matthiæ jejunandum eſt, ut habetur in hoc c. Ratio dubitandi fuit; quia is ab initio non fuit de numero XII. Apoſtolorum: ſed poſt mortem Chriſti, in locum Judæ ſucceſſit, *Act.* 1. Ratio verò decidendi eſt, quia id, quod ſuccedit in locum alterius, eodem jure cenſeri, & ſubrogatum ſapere debet naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur. c. *Eccleſia*; 3. *junct Gl. V. Succeſſerit, & Gl. marg. lit. C. Ut lite pendente &c. Abb. hîc not. ult.*

II. Præterea in c. *Conſilium*; 2. *h. t.* ſtatuitur, in Vigilijs omnium Apoſtolorum jejunandum eſſe ex præcepto, præter Vigilias SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangeliſtæ; quia ipſorum Feſtivitas celebratur intra ſolennitatem Paſchalem (inter quam nullum eſt jejunium ex neceſſitate obligans, præter Vigiliam Pentecoſtes, *Gl. hîc V. Paſchalem*;) & Natalis Domini. Item jejunium Adventûs Domini olim Romæ ſervabatur. Ex quo colligit *Hoſtienſ. hîc V. Apud nos*; & *Abb. not.* 3. quòd in Adventu non ſit neceſſariò jejunandum ex præcepto: ſed conſuetudo cujuſque loci ſpectanda ſit. Idem dicendum de Ferijs Rogationum, *Abb. in rubr. h. t. n.* 6. Feſtum verò S. Bartholomæi celebrari debet ſecundùm conſuetudinem loci, prout hîc dicitur, videlicet, vel XXIV. quo excoriatus fuit: vel XXV. Auguſti, in quo obiit, *Abb. hîc n.* 1.

Porro in eodem c. §. *Cùm autem*; dicitur, qui propter neceſſitatem famis publicæ carnes comedunt in Quadrageſima, non peccant, nec puniendi ſunt, etſi pro illis orandum ſit, ne id ijs imputetur à DEO; quia bonarum mentium eſt, ibi timere culpam, ubi nulla reperitur. Circa comeſtionem carnium verò in die Sabbati, conſuetudo Regionis cujuſque obſervanda eſt, dummodo inde non immineat periculum debilibus, & infirmis, §. *Item de illis hîc.*

Ex quo infertur, quòd de jure communi eſus carnium in die Sabbati, non ſit prohibitus, & colligitur etiam ex c. *Jejunia*; 16. *diſ.* 3. *de Conſecr.* ubi dicitur, *Jejunia quartâ, & ſextâ Feriâ, non ſunt ſolvenda:* ex honeſtate tamen, & conſilio etiam die Sabbati eſt abſtinendum à carnibus, c. *De eſu*; 11. *junct. Gl. V. Debuerit; & c. Sabbato*; 13. *diſ.* 3. *de Conſ. Abb. hîc nu.* 3 Imò etiam ex præcepto, ubi talis viget conſuetudo, c. *Quia dies*; 31. & ibi *Gl. V. Admonemus*; *diſ.* 5 *de Conſecr.*

Denique in *cit.* c. 2. §. *Præterea*; *h. t.* dicitur, quòd quando in Quadrageſima, vel alijs jejunijs, infirmi petunt, ſibi eſum carnium indulgeri, is debeat illis concedi, cùm urgens neceſſitas exigit, ut majus periculum in eis evitetur; quia neceſſitas legi non ſubjacet. Ex quo colligitur, quòd diſpenſatio quandóque ſit debita, ita, ut denegari non poſſit illam poſtulantibus, *Abb. hîc.*

Illud hîc notandum, quòd conſuetudo particularis cujuſque loci, vel Regionis in jejunijs eſt ſervanda, ita tamen, ut non extendatur de loco ad locum, c. *Illa autem*; 11. *diſ.* 12. Ideóque etiam peculiaris conſuetudo Romanæ Eccleſiæ non eſt neceſſariò obſervanda in alijs Regionibus, *Abb. hîc n.* 1.

III. Poſtremò in c. *Explicari*; 3. *& ult. h. t.* declarat Honorius III. quòd omnes, ſi Feſtum Nativitatis Domini in Feriam VI. inciderit, carnibus veſci poſſint, propter Feſti excellentiam, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis, exceptis illis, qui voto (ſimplici ſcilicet, de quo in dubio intelligi ſolet votum emiſſum, juxta ea, quæ notantur in c. *Meminimus*; 3. & c. *Rurſus*; 6. *qui Clerici*, vel *voventes &c.*) vel regulari obſervatione (videlicet ex vi Profeſſionis, ſive voto ſolenni Obedientiæ ſervandi omnia, quæ ſunt præcepta in Regula, juxta doctrinam S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *artic.* 9. *in Corp.*) ſunt obſtricti: nec tamen illi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem, etiam illâ die, voluerint abſtinere ab eſu carnium.

IV. Pro declaratione hujus cap. Notandum primò. Conſuetudo Eccleſiæ univerſalis ubique ſervanda eſt, tanquam lex, c. *Pernicioſus*; 13. *de celebr. Miſſ.* c. *In his rebus*; 7. *diſ.* 11. quia cenſetur, originem trahere, vel ex Traditionibus Apoſtolorum, vel ex Decretis Conciliorum Generalium, c. *Illa*; 11. *diſ.* 12. *Gl. hîc V. Conſuetudinem*: & conſequenter etiam, quoad relaxationem jejunij, ſeu abſtinentiæ à carnibus, ubique ſervanda eſt. Quod verò attinet ad conſuetudines particulares locorum, ſi per talem conſuetudinem non abrogetur lex jejunij in totum: ſed tantùm modificatur, ac determinatur, quoad unicam refectionem, horam, qualitatem ciborum, collationem veſpertinam: tunc valida eſt, ſi ex honeſta, & rationabili cauſa ſit introducta. Si verò per talem conſuetudinem localem jejunium ab univerſali Eccleſia præceptum, ut Quadrageſimæ, quatuor temporum, Vigiliarum in præcipuis Feſtis, omnino relaxetur, talis conſuetudo non eſt valida, ut docet *Hoſtienſ. in c. 2 h. t. col.* 1. & ibid. *Ioan. Andr. num.* 8. In alijs verò jejunijs habet locum conſuetudo, niſi Epiſcopus, ſeu Prælatus aliud præcipiat, jejunia enim, quæ à ſingulis Diœceſanis indicuntur, ab omnibus ſubditis ſunt ſervanda, c. *Ieiunia*; 17. *diſ.* 5. *de Conſecr. Hoſtienſ. in cit c. 2. col.* 1. *h. t. Fagn. ibid. n.* 57.

V. Notandum ſecundò. Qui generaliter vovit, nunquam veſci carnibus, non poteſt illis veſci, etiam in Nativitate Domini; quia ut ait, *Gl. hîc V. Nec voto*; quæ ſine conditione voventur, ſine conditione ſolvuntur, c. *unic. in fine, cauſ.* 32. *q.* 8. & cùm in voto emiſſo nihil exceperint, generaliter

liter tenentur, *arg. c. Quia circa*; 22. *de privil.* & *l.* §*i ſervitus*; 23. *ff. de ſervit. præd. urb.* Aliud eſt, ſi quis ſpecialiter vovit, abſtinere à carnibus, omnibus diebus Veneris totius anni: tunc enim, ſi neque ex cauſa, quâ motus fuit ad vovendum, neque ex alijs circumſtantijs, & conjecturis colligi poſſit, an vovés intenderit, ſe obligare ad abſtinentiam à carnibus, etiam in die Nativitatis Chriſti, occurrente Feriâ VI. nec nè? in hoc dubio probabilius eſt, quòd non teneatur abſtinere: ac proinde quòd diſpoſitio hujus cap. ſolùm habeat locum in eo, qui generaliter vovit, nunquam comedere carnes, vel quando vovens expreſsè, vel tacitè intendit, comprehendere etiam diem Nativitatis Chriſti: non autem habet locum in eo, qui tantùm vovit eas non comedere diebus Veneris, *Io. Andr. in cit. c. 3. num. 4. h. t.* contra *Abbat. hîc num. 3. Sanch. lib. 4. mor. c. 11. n. 61.* Ratio diverſitatis eſt, quia prior voluit ſe privare libertate comedendi carnes, etiam in diebus aliàs permiſſis, unde ex vi ſui voti, etiam in die Paſchatis tenetur abſtinere, adeóque etiam in die Nativitatis Domini: at verò, qui ſpecialiter vovit, abſtinere à carnibus in diebus Veneris, vovit abſtinentiam in illis diebus, quibus aliàs eſt prohibitus eſus carnium ab Eccleſia, ergo non cenſetur voviſſe abſtinentiam in die Nativitatis Chriſti; tum quia in illa die, etiamſi ſit dies Veneris, non eſt prohibitus eſus carnium, non enim debet fieri extenſio à diebus Veneris, in quibus aliàs prohibitus eſt eſus carnium, ad diem Veneris, quo eſt permiſſus, cùm ſcilicet in illum incidit Nativitas Chriſti: nam in voto non debet fieri extenſio à caſu expreſſo ad caſum non expreſſum, *c. Litteratum*; 3. *de voto.* Tum quia in generali promiſſione non continentur illa, quæ ſi ſpecialiter fuiſſent alicui propoſita, vel menti occurriſſent, veriſimiliter non fuiſſent promiſſa: ſed excepta, idque ex benigna interpretatione. Quare in dubio credendum eſt, quòd ſi tunc, quando vovit, occurriſſet memoriæ dies Natalis Chriſti, incidens in diem Veneris, veriſimiliter illum excepiſſet, ut ſe communi Eccleſiæ uſui, ſeu conſuetudini conformaret. Accedit, quòd rarò contingat, ut quis voto ſe obliget, ad abſtinendum à carnibus die Veneris, adeóque hoc cap. intelligi debet de priore caſu, qui frequenter accidit, quando generaliter vovetur abſtinentia à carnibus omni tempore; quia leges feruntur de ijs, quæ frequenter contingunt, *l. Nam ad ea*; 5. *ff. de legib.* non autem de ijs, quæ rarò *l. Exhis*; 4. *ff. eod. Fagn. in cit. c. 3. num. 24. & 2. ſeqq.* Nec obſtat, quòd tale votum ſic intellectum, videatur eſſe vanum, & inutile, cùm Jus commune nullam obligationem apponat, ergo debet intelligi de eſu licito, nempe, quòd velit abſtinere à carnibus, etiam in illo die Veneris, quo licitum eſt comedere carnes, prout argumentatur *Abb. in cit. c. 3. in fine.* Sed reſpondetur cum *Cajetano cit. q. 186. n. 9.* §. *Dubium circa hanc litteram*; non eſſe votum inutile, ſi quis ſe voto obliget ad id, ad quod tenetur ex præcepto DEI, vel Eccleſiæ, cùm id, quod jure naturali, vel Divino præceptum eſt, vel prohibitum, etiam alio jure, nempe humano poſſit præcipi, vel prohiberi: quare neque inutile erit, ex voto ſe obligare, ad abſtinendum à carnibus, etiam in diebus, quibus jam aliàs præcepta eſt abſtinentia ab illis: nam interdum abſtinet quis à peccato propter votum, à quo non abſtineret propter ſolum præceptum, ideóque Confeſſarij ſolent interdum pœnitenti, qui frequenter in peccatum aliquod relabitur, ſuadere, ut voveat, ad tempus ab illo peccato abſtinere, ut vel ſic à relapſu contineat, idque ſit non ſine fructu: Ergo ſimiliter poteſt quis vovere abſtinentiam à carnibus die Veneris, quia fortè ſæpius in illo die veſcebatur carnibus, ideóque voluit præcepto Eccleſiæ adijcere etiam obligationem voti, ut ob hoc novum vinculum tantò magis ab eſu carnium illo die abſtineret: quia funiculus triplex, vel etiam duplex difficiliùs rumpitur, *c. 1. De Treuga, & pace*, & duo vincula magis ligant, ac ſtringunt, quàm unum, §. *Affinitatis*; *Inſtit. de nupt. Fagn. in cit. c. 3. n. 22. & 23. h. t.*

VI. Aliud verò dicendum videtur de ijs, qui ex voto Profeſſionis, ſeu ex Regula Ordinis tenentur jejunare omnibus Ferijs VI. hi enim ſunt ex voto obligati, ad id, ad quod de jure communi non tenentur; cùm Jejunium Feriæ VI. non ſit in præcepto: ſed ſola abſtinentia à carnibus, ac proinde ſunt obligati, ad jejunandum in die Natalis Domini, incidente in diem Veneris; cùm quoad jejunium non ſit differentia inter illum diem, & alias Ferias VI. ut quoad hoc conſentit etiam *Sanch. c. l.* & alij apud ipſum, & *Fagn. in cit. c. 3. num. 27. h. t.*

Cæterùm Religioſus Epiſcopus factus, poteſt licitè carnibus veſci in Feſto Nativitatis Chriſti, occurrente die Veneris, non obſtante Regulâ, vel ſtatuto Ordinis, imò nec voto ſpeciali de abſtinentia à carnibus, ut in Religione Minimorum; quia talis per aſſumptionem ad Epiſcopatum liberatur à Regularibus obſervantijs: imò & à votis, quæ præter tria ſubſtantialia, ex præſcripto Religionis emittuntur, *Barboſ. in cit. c. 3. n. 4.* & dictum ſupra.

TITVLVS XLVII.

DE PVRIFICATIONE POST PARTVM.

I.

» IN cap. *volens unic. h. t.* quæſitum fuit ex Innocentio III. per quantum tempus mulieres » poſt partum, ab ingreſſu Templi abſtinere debeant, cùm ſecundùm Legem Moſaicam certi dies deputati fuerint, quibus ingredi Templum » non poterant? Reſpondet Papa, quòd poſtquam umbra Legis evanuit, & veritas Evangelij eluxit, ſi » mulieres, poſt partum, Eccleſiam DEO gratias » acturæ, intrare voluerint, nullum peccatum committunt, nec aditus ad Eccleſias illis eſt denegandus; ne pœna (ſcilicet doloris, quem patiuntur » in partu. *Hoſtienſ. hîc V. eod.*) illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione, & reve- »

ren- »

» rentia abstinere aliquamdiu velint, non est earum » devotio improbanda. Hinc colligitur primò. Quòd præcepta veteris Legis Cæremonialia (idem est de judicialibus) in Lege Evangelica, non ampliùs habeant vim Legis, seu obligationis, quippe jam abolita, *Abb. hic not.* 1. *Barbos. num.* 5. Secundò, quòd nemo puniendus est, sine sua culpa, *c. Satis*; 7. *dist.* 56. *Hostiens. hic V. Converti.*

II. Porro circa abrogationem præceptorum Cæremonialium Veteris Legis, notandũ est, quòd quædam sunt præcepta, quæ nõ tantùm sunt mortua: sed etiam mortifera, ita, ut eorum observatio in Lege nova induci, seu præcipi non possit, ut docet *S. Thom.* 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. *&* 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *in corp.* ubi ait, hanc esse differentiam inter Cæremonialia, & Judicialia Legis præcepta, quòd Cæremonialia nõ tantùm mortua sint, quippe quæ vim obligationis non habent: sed etiam mortifera observantibus ea, post Legem Evangelicam promulgatam, ita, ut illicitum sit, ea observare tẽpore Legis novæ. Judicialia verò mortua quidem sunt, quia non obligant tempore gratiæ: non tamen sunt mortifera; quia possunt observari absque peccato: imò etiam vim obligandi habent, si statuantur auctoritate eorum, quorum est, condere Legem, v. g. ut qui furatus est ovem, reddat quatuor oves, *Exod. c.* 22. Hoc autem intelligendum est de ijs præceptis cæremonialibus, quæ principaliter fuerunt statuta, & ordinata, ad præfiguranda Christi Mysteria, etsi futura: ideo eorum observatio præjudicat Fidei veritati, secundùm quàm confitemur, ista præfigurata Mysteria jam contigisse, & completa esse: cujusmodi præcepta erant Circumcisio, Immolatio Agni Paschalis, &c. quæ præcipuè significabant Christi adventum, & Legem futuram. Alia verò quædam præcepta cæremonialia Veteris Legis magis pertinebant ad quandam devotionem, ac ritum Sacrificiorum, eorúmque ornatum, quàm ad Christi venturi, & futuræ Legis præfigurationem: & horum observatio, etiam post Legem Evangelicam, licita est; cùm nihil mali in se contineat, cujusmodi sunt vestes Sacerdotum, & Altaria; ut constat ex *c.* 1. *dist.* 1. *de Consecr.* Tempus purificationis post partum, juxta *c. un. h. t.* decimæ, oblationes, & his similia, ut bene tradit *Covarr. lib.* 1. *resol. c.* 17. *n.* 1. §. *Hinc non immerito*; *Barb. hic n.* 6.

TITVLVS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

Actum est in præcedentibus de Ecclesiarum consecratione, earúmque, & Sanctorum veneratione: sed quia interdum Ecclesiæ reparandæ sunt, vel de novo ædificandæ, ideo hic Titulus subiicitur. Nomine autem Ecclesiæ, hoc loco intelligitur, non Cœtus, seu Congregatio omnium fidelium, sed ædes, seu Domus sacra, Episcopi auctoritate, exstructa, in quam conveniunt fideles ad rem Divinam audiendam, & Sacramenta suscipienda, quæ & Templum vocatur: quamvis ante Consecrationem non Ecclesia propriè: sed Basilica (id est Domus Regia) appelletur, ut notavit Abb. in rubr. tit. de Consecr. Eccles. num. 2. Azor p. 2. lib. 9. q. 1. Verùm hodie solùm maiores & Principes, seu digniores Ecclesiæ, Basilicæ vocantur, ut Romæ Basilica Salvatoris, Basilica Apostolorum Petri, & Pauli &c. Barb. lib. 2. Iur. Eccles. c. 1. n. 10.

§ I.

De Ecclesiis ædificandis.

I.

QUæritur primò. A quo, & cujus auctoritate Ecclesiæ de novo ædificari, seu construi possint? Resp. primò. Quilibet potest novam Ecclesiam ædificare, concurrentibus duabus conditionibus: nempe, ut per hoc alteri Ecclesiæ præjudicium non inferatur: & ut interveniat legitimi Superioris, sive Episcopi Diœcesani auctoritas, sine qua Ecclesia ædificari non potest, *c. Nemo*; 91. *dist. de consecr. c. Ad hæc*; 4. *de Relig. dom. c. Cum olim*; 14. §. *Præterea*; *de privil. Piasec. in praxi p.* 1, *c.* 2. *artic.* 4. *num.* 1. *&* 2. *Zerola in praxi p.* 1. *V. Ecclesia dicto.* 2. *&* 4. *Azor cit. c.* 3. *q.* 2. *Barb. lib.* 2. *Jur. Eccles. c.* 2. *n.* 4. Quamvis privatum Oratorium quilibet, etiam sine consensu Episcopi, exstruere possit: ita tamen, ut ibi Missas celebrare non liceat, nisi cum Episcopi consensu, *c. Unicuique* 3 33. *junct. Gl. V. non licet, & c. Si quis*; 35. *dist.* 1. *de Consecr. Concil. Trident. Sess.* 22. *in Decreto de obs. in celebr. Miss.* §. *Neminem præterea.* Quòd si locus sit exemptus, nemo potest ibi Ecclesiam exstruere, sine licentia, vel privilegio speciali Sedis Apostolicæ, *c. Auctoritate*; 4. §. *Prohibemus insuper*; *de privil. in* 6. *Azor c. l.* Et sic intelligi debet, quod habetur in *c. De locorum* 3 4. *& segq. dist.* 1. *de Consecr.* Sed in locis non exemptis requiritur Episcopi auctoritas, etiamsi persona, quæ ædificat Ecclesiam, sit exempta à jurisdictione Episcopi, *cit. c. Auctoritate*; *Barb. in cit. c.* 2. *n.* 15. de quo infra *Lib.* 5. *Tit.* 33.

II. Respond. secundò. Ad Ecclesiam novam ædificandam, non requiritur expressus consensus Episco-

scopi: sed sufficit etiam tacitus, si Episcopus scivit Ecclesiam construi, & non impedivit, neque contradixit, cùm tamen facilè potuisset: idque ob favorem piæ intentionis, *Azor cit. c. 3. q. 6.* contra *Abbat. in c. Cura; 11. n. 4. de jure patr.* Neque enim, ut ipse putat, res hæc est odiosa; quia etsi Ecclesia non fiat liberæ collationis, id tamen in bonum Ecclesiarum cedit, ut Laici excitentur, ad ædificandas, & fundandas Ecclesias. Quin imò sufficit, si Episcopi consensus accedat, postquam Ecclesia est constructa, vel cùm consecratur, *Azor cit. c. 3. q. 5. Barb. c. l.* Quòd si quis privatus ædificare velit Ecclesiam, cum assignatione competentis dotis, & Episcopus consentire nolit, sine justa causa, poterit is, qui ædificare vult, recurrere ad Episcopi Superiorem, videlicet Archiepiscopum, tanquam gravatus, ut is, vel ipsemet consensum præstet, vel Episcopum compellat, ad consensum præstandum, *Azor c. l. q. 8. Barb. c. l.* In dubio autem præsumitur consensus Episcopi interveniisse, *Azor c. l. q. 9.*

III. Cæterùm Episcopus in fundatione Ecclesiæ debet primùm ad locum, ubi ædificanda est Ecclesia, accedere, & publicè atrium designare, ibique Crucem figere, & lapidem primarium ponere, *cit. c. Nemo; 9. dist. 2. de Consecr. & Auth. de Eccles. Tit. §. Si quis autem; collat. 9. & Auth. Ut nullus fabricet &c. §. Sancimus igitur coll. 5.* Nam quamvis in illis locis expressa mentio non fiat de primo lapide ab Episcopo ponendo: *Gl.* tamen in *c. 1. caus. 1. q. 2. & alii Dd. communiter*, eo sensu illas Constitutiones interpretantur, teste *Azor cit. c. 3. q. 4.* Potest autem Episcopus primarium lapidem ponere, & Crucem figere per se, vel per alium, *Gl. in cit. c. Nemo; V. Veniat; Azor c. l. §. Quæres.* Ipsæ verò Ecclesiæ, ex antiqua traditione Apostolica, ædificari debent versùs Orientem, & oblongæ per modum navis, ex Apostolica itidem institutione apud *Clement. Lib. 2. Constit. Apost. c. 57. Azor c. l. q. 12.*

IV. Quæritur secundò. Ubi debeat ædificari Ecclesia? Resp. in loco congruo, secundùm judicium Episcopi, eòque proprio, non alieno: si autem ædificata fuit in solo alieno, tum vel sciente domino fundi, vel eo ignorante: priore casu, si dominus fundi erat Laicus, & scivit, ac non contradixit, sibi id imputare debet, & Jus patronatûs acquiretur, non ipsi, sed ædificatori, ut docet *Canis. in c. Quoniam; 3. num. 4. supr. de jur. patron. & dictum ibid. num. 13.* Posteriore verò casu, si domino fundi ignorante, Ecclesia ædificata sit in ipsius solo, illa erit quidem libera: sed is, qui exstruxit, tenetur dominum fundi servare indemnem: imò etiam in defectum ædificantis, ipse Episcopus, si ponendo primum lapidem, vel etiam postea in Consecratione negligens fuit in veritate indaganda, debet resarcire damnum domino fundi illatum, *arg. c. 9. dist. 1. de Consecr. & c. Comperimus; 2. caus. 14. q. 6.* Si verò solum, seu fundus pertinebat ad aliam Ecclesiam, vel Collegium Ecclesiasticum, tunc Ecclesia in illo fundo ædificata erit illi subjecta, hoc est, Jus patronatûs illi acquiretur, ut colligitur ex *c. Apostolicos; 13. in fine caus. 12. q. 2. & c. Questi; 41. caus. 17. q. 4. Sil. V. Ecclesia; 2. q. 3. Azor cit. c. 3. q. 3. Barb. cit. c. 2. n. 16.*

V. Quæritur tertiò. An, & ex quibus causis possit erigi, & ædificari nova Ecclesia, etiam intra limites alterius Ecclesiæ, seu Parochiæ? Resp. propter nimiam distantiam, vel aliam magnam difficultatem, aut incommodum adeundi Ecclesiam Parochialem ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda, potest intra fines illius, nova Ecclesia, seu Parochia construi, ut constat ex *c. Ad audientiam; 3. h. t.* Nam quia villa quædam tantum distabat ab » Ecclesia Parochiali, ut tempore hiemali ac pluvio, » parochiani non possent, sine magna difficultate, » ipsam Ecclesiam adire, neque congruo tempore » Divinis Officiis interesse; ideo dominus illius villæ petiit, ut ibi posset Ecclesiam construere. Quia » igitur dicta Ecclesia Parochialis, ita reditibus abundabat, ut etiam sine villæ illius proventibus, Minister seu Rector illius convenientem sustentationem habere posset: idcirco mandavit Alexander » III. Diœcesano loci, ut si ita se res habeat, Ecclesiam ibi ædificet, & in ea Sacerdotem instituat, ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris, cum consensu Fundatoris, seu Patroni, assignando illi sustentationem necessariam ex illius villæ obventionibus Ecclesiasticis (v. g. ex decimis illius villæ, *Gl. hic V. Obventionibus*;) simul tamen » providendo, ut competens honor, secundùm facultates illius loci, Ecclesiæ Matrici servetur. Idque faciliùs fieri posse videtur, cùm ejusdem villæ » dominus XX. actas terræ fructiferæ (id est, jugera) » velit ad usus Sacerdotis conferre. Si autem Rector » Matricis Ecclesiæ Presbyterum idoneum præsentare distulerit, vel aliàs opus illud impedire voluerit: » ipse Diœcesanus nihilominus idem opus faciat perfici, & virum idoneum, cessante appellationis remedio, instituat. »

Hæc Constitutio Decretalis innovatur in *Concilio Trid. Sess. 21. c. 4. de ref.* Ubi statuit, ut Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, in » omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus » Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot » Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant » ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum. In iis verò, in quibus, ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & » Divina Officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, (juxta Constitut. Alexandri III. quæ incipit Ad audientiam;) » constituere possint. Ubi etiam additur, Illis autem » Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, » ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocùnque pertinentibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum, ea subministrare, quæ sufficiant » ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam. »

Pro explicatione prædicti *cap. Ad audientiam*; Notandum primò, licèt aliàs regulariter nova Parochia, seu Capella, intra limites alterius Parochiæ, cum præjudicio ejusdem, ædificari non debeat, *c. Ecclesiæ; 43. & c. seq. caus. 16. q. 1.* ex justa tamen causa id fieri potest, ut patet ex *cit. c.* alias verò, sine justa causa, eàque probatâ non permittitur, ut antiqua Ecclesia Parochialis dividatur, & nova erigatur; est enim hujus-

modi erectio novæ Ecclesiæ, & dismembratio ab antiqua Parochia, veluti quædam alienatio, quæ sine legitima causa fieri non debet, *c. 1. de reb. Eccles. non alien. Abb. hîc num. 2. not. 1.* Porro præcipua causa erigendi novam Parochiam est, non quævis: sed magna difficultas, sive ut loquitur *Concil. Trident. c. 4.* magnum incommodum, sine quo parochiani ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; nam illud solùm possumus, quod commodè possumus, *l. Nepos; 105. in fine ff. de V. S. c. ult. de dilation.* non tamen requiritur, ut parochiani aliquando decesserint sine Sacramentis: sed satis est, si immineat periculum, ne sine illis decedant: idque potiùs præveniendum est, ne contingat, cùm meliùs sit occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, *l. 1. C. Quando liceat sine jud. &c.* sive post vulneratam causam remedium quærere; *l ult. C. In quib. caus. in integ. restit. &c.* Ita censuit *S. Congreg. Conc. ut refert Fagn. hîc num. 17.* Nihil autem refert, sive hæc difficultas adeundi Ecclesiam Matricem, proveniat ex distantia loci à Parochia: sive ex alia causa, quæ difficilem reddat aditum, ut si Parochia Ecclesiæ antiquæ sit ita ampla, ut sine magno incommodo parochiani non possint, præsertim hiberno tempore, vel cœlo pluvio, accedere: ut si inter Ecclesiam Parochialem, & pagum ei subjectum intercedat flumen, quod pontem non habeat, nec vado transiri possit, vel si Ecclesia Parochialis sit sita intra mœnia civitatis, & plures familiæ Parochiæ subjectæ, sint extra mœnia, & portæ civitatis maturè claudantur, & tardè aperiantur, *Fagnan. hîc num. 19. & 20.* Quanta autem ea distantia, vel Parochiæ amplitudo esse debeat, ut sine magno incommodo adiri non possit, id Judicis arbitrio determinandum relinquitur, cùm jure definitum non sit, *Fagnan. hîc num. 18.*

Notandum secundò. Ex ea sola causa, quòd populus alicujus Parochiæ sit ita numerosus, ut unus Parochus curæ animarum non sufficiat, non licet novam Parochiam erigere: nisi alia concurrant, quæ exprimuntur in *cit. c. Ad audientiam*; sed adhibendum est tunc remedium, quod præscribitur in *Concilio Trident. c. 4.* nempe ut Episcopi cogant Rectores, vel alios, ad quos Cura pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum, juxta *declarat. Congreg. Con.* apud *Fagnan. c. 4. num. 24.*

VII. Notandum tertiò. Episcopus potest erigere novam Parochiam, intra fines alterius Parochiæ, secundùm præscriptum *cit. c. Ad audientiam*; etiam remotâ appellatione, prout habetur *in fine ejusdem cap.* Et quidem si erigat Episcopus novam Parochiam, auctoritate delegatâ à Papa, uti potest, *juxta Concil. Trident. cit. c. 4.* ita tamen ut potuisset erigere, auctoritate ordinariâ, tunc appellari potest, non tantùm immediatè ad Papam: sed etiam ad Metropolitanum: Secus est, si Episcopus non possit procedere, auctoritate Ordinariâ: sed tantùm ut Delegatus Sedis Apostolicæ: ut si erigat novam Parochiam, intra limites Parochiæ Regularibus exemptis subjectæ, tunc enim ab eo appellari tantùm poterit ad S. Pontificem delegantem: quæ tamen appellatio habebit tantùm effectum devolutivum: non autem suspensivum, *juxta c. Pastoralis; 53. Vers. Sed si appellans de appell. & Abb. ibid. n. 12. Fagn. hîc n. 12. & n. 43. & seq.*

Notandum quartò. Etsi decimæ prædiales ad Ecclesiam Matricem pertinentes, non transeant ipso jure, in novam Parochiam, intra fines illius erectam, *arg. c. Cùm contingat; 29. de decim.* potest tamen Episcopus, *juxta Concil. Trident. c. 4.* Sacerdotibus, qui novis Ecclesiis erunt præficiendi, competentem portionem assignare, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocúnque pertinentibus, adeóque etiam ex decimis illius, *juxta declarat. Cardin. ibid. Fagnan. hîc num. 55.*

VIII. Prædictis addendum primò. Alia causa legitima construendi novam Ecclesiam, est, ob necessitatem leprosorum, sine gravi tamen præjudicio Ecclesiæ Parochialis, intra cujus fines nova ædificatur, prout habetur in *c. Cùm dicat; 2. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Later. sub Alexandro III. *c. 23.* Ubi statuitur, ut ubicúnque tot leprosi (fortè X. *arg. c. unic. 3. caus. 21. q. 3.* vel etiam pauciores, dum modo Ecclesiam dotare velint, *Gl. hîc V. Tot. & Host. ibid.*) sub communi vita simul fuerint congregati, Ecclesiam cum Cœmeterio, possint construere, & proprium habere Presbyterum, sine contradictione alicujus, id eis permittatur. Caveant tamen, ut veteribus Ecclesiis, quoad Jus Parochiale, nequaquam injurioſi existant: (veteres enim Ecclesiæ propter novas lædi non debent, *c. Quicúnque; 44. caus. 16. q. 1. Gl. hîc V. Veteribus;*) quia quod eis, ob pietatem, conceditur, in aliorum injuriam redundare non debet. Ex quo colligit *Gl. hîc V. Aliorum injuriam*; quòd nullius inopia cum alterius jactura relevari debeat, *c. Primum; 8. caus. 22. q. 5. l. Nam hoc; 14. ff. de condict. indeb.* Ratio decisionis est, quia leprosi cum sanis habitare non debent, ne una ovis morbida inficiat sanas oves, ideóque merito illis concessum est habere propriam Ecclesiam, separatam ab aliis, *Gl. hîc in casu.*

Præterea statuitur in *cit. c. 2. in fine h. t.* Ut leprosi ex hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas solvere non cogantur. Est autem hoc privilegium intelligendum de hortis deputatis ad usum illorum: Secus autem si vellent herbas, & fructus ex illis vendere, *Abb. hîc num. 5.* De omnibus autem aliis decimas solvere tenentur; quia ex prædictis tantùm non sunt cogendi, solvere decimas, *Gl. fin. hîc*, de quo etiam aliquid dictum supra *Tit. 30.* Addit *Barb. hîc in fine*, quòd privilegium hoc non sit extendendum ad Hospitale commune leprosis, & aliis infirmis, *juxta decisionem Rotæ Roman.* quia tunc separatum corpus non constituit, cùm talis separatio fiat ad vitandum contagium. Ex dictis colligitur, quòd in effectu unica sit causa erigendi novam Parochiam, intra fines alterius, videlicet magna difficultas, seu incommodum accedendi ad Ecclesiam Matricem, pro percipiendis Sacramentis, & Divinis Officiis audiendis, ad quam omnes aliæ reducuntur, quæ non sunt causæ legitimæ, nisi quatenus difficultatem hujusmodi inducunt, *Fagn. hîc n. 23.*

IX. Addendum secundò. Quod dictum est, ob indigentiam populi, posse novas Ecclesias ædificari, etiam intra fines aliarum Parochiarum, id extenditur, quòd hoc fieri possit, non obstante juramento, de rebus Ecclesiæ non alienandis, prout decidit

in c. Tua

» in *c. Tua nos 36. & ult. h. t.* Ubi cùm quidam Epi-
» scopus dubitaret, an propter juramentum de re-
» bus Ecclesiæ non alienandis, ab ipso præstitum,
» in locis quibusdam sui Episcopatûs, in quibus ha-
» bitantes Oratoriis ad Divina Officia audienda in-
» digere videntur, Ecclesias erigere possit, eò quòd
» occasione novarum Ecclesiarum, Ecclesia sua de-
» trimentum incurrat (quia scilicet parochianis, qui
» antea ad suam Ecclesiam veniebant, nunc ad novas
» Ecclesias confluentibus, Ecclesia Cathedralis mi-
» nores obventiones, seu proventus recipiat, & sic
» quodammodo videtur alienare jura Ecclesiæ suæ,
» *Gl. hîc V. Destitui Hostiens. V. eodem.* Respondet Pa-
» pa Cælestinus III. & mandat Episcopo, ut propter
» juramentum illud, nullo modo, intermittat, quin
» populo indigenti, novas Ecclesias construendo,
» provideat. Ratio est, tum quia juramentum illud non debet extendi ad hunc casum novum, & necessarium, sine periculo, ac detrimento salutis animarum, propter carentiam Sacerdotum, *Gl. hîc V. Juramenti*; imò etiamsi expresè Episcopus hoc jurâsset, non obligaretur servare hujusmodi juramentum; cùm ex officio suo sit obstrictus populo providere de loco, in quo possit Sacramenta susicipere, & Divina Officia audire, *Hostiens. hîc in fine.* Porro ex hoc textu colligunt plures Dd. apud *Barbos. hi: n.* 1. quòd Principes statuentes, ne in eorum ditione novæ Ecclesiæ, vel Monasteria, sine eorundem licentia, possint ædificari, derogent immunitati Ecclesiasticæ.

§. II.

Quænam, præter legitimam causam, conditiones necessariò requirantur, ad construendam novam Ecclesiam Parochialem?

X. Requiritur præterea primò. Ad erectionem novæ Parochiæ, ut in illo districtu Parochiæ antiquæ, ubi nova est exstruenda, ut minimùm X. sint parochiani, *arg. c. unic. 3. caus.* 10. *q.* 3. quia decem faciunt plebem, ut ait *Gl. ibid. V. Mancipia*; *& in Concil. Trident. Sess.* 21. *c.* 4. videtur requiri, ut nova Parochia habeat populum, & verò 10. homines faciunt populum, ut tradit *Gl. in c.* 1. *V. Duo de Elect. Fagnan. in cit. c. Ad audientiam*; 3. *n.* 28. *h. t.*

Secundò requiritur, ut erectio novæ Parochiæ fiat ab Episcopo, cum consilio sui Capituli, imò & consensu: ratio est, tum quia talis divisio Parochiæ, & dismembratio reditnum, qui ad Matricem Ecclesiam pertinent, est instar alienationis rerum Ecclesiæ, ut supra dictum, quæ sine consensu Capituli fieri non potest, *c. Cùm nos* 3. *c. Tua*; 8. *& c. seq. De his, quæ fiunt à Præl. sine cons. &c. c.* 1. *de reb. Eccles. non alien. in* 6. quia in unione unius Ecclesiæ cum altera requiritur consensus Capituli, juxta *Clement.* 2. *de de reb. Eccles. non alien. c. Pastoralis*; 7. *in fine de donat.* ergo etiam in divisione Parochiarum. *arg. c.* 1. *infr. de R. I.* Jure verò novo *Concilii Trident. cit. Sess.* 21. *c.* 4. Ubi Episcopis tribuitur facultas constituendi novas Parochias, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, si Episcopus erigat unam Ecclesiam potestate delegata, in eo casu, in quo jure Ordinario non potest procedere; quia scilicet erigit novam Ecclesiam in Parochia subjecta Regularibus exemptis: tum non requiritur consensus Capituli; quia tunc gerit vices Papæ, nec habet ut sic conjunctionem cum Capitulo. Si autem erigat potestate ordinariâ, in eo casu, quo potest jure Ordinario, ut in Parochia non exempta, tum requiritur consensus Capituli, sicut erat necessarius de jure communi antiquo; quia *Concil. Trident. c. l.* non sustulit Constitutionem Decretalem *cit. c. Ad audientiam*; sed potiùs expressit, ut Episcopus utatur potestate sibi concessâ, secundùm formam prædictæ Constitutionis, *Fagn. c. l. n.* 53. *&* 54.

XI. Tertiò requiritur ad erectionem novæ Parochiæ, ut citetur Rector Ecclesiæ Matricis; quia licèt talis erectio fieri possit, etiam eo invito, & contradicente, ut constat ex *cit. c. Ad audientiam*; *in fine, & ex Concil. Trid. c. l.* ibi: *etiam invitis Rectoribus*: non tamen potest fieri, nisi Rectore citato, & requisito, *arg. c. Felix*; 50. *& c. Multis*; 51. *junct. Gl. V. Rectores*; *caus.* 16. *q.* 1. & tradit *Gl. in c. Nulli*; 2. *V. Constitui*; *dist.* 99. idémque censuit *S. Congreg. Concil.* apud *Fagn. c. l. n.* 29. Ita ut alioqui erectio ab Ordinario facta, sit irrita: imò etiam alii omnes, quorum interest, vocari debent, *Fagn. c. l. n.* 30.

Quartò requiritur, ut Ecclesiæ de novo construendæ competens dos assignetur, *juxta c. Nemo*; 9. *dist.* 1. *de Consecr.* Et quidem primò, ex reditibus Ecclesiæ antiquæ, sive Matricis, si illa adeo abundantes reditus habeat, ut ejus Rectori nihilominus sufficientes reditus remaneant ad competentem illius sustentationem, ut patet ex *cit. c. Ad audientiam*; *h. t. & c. Quicunque*; 44. *caus.* 16. *q.* 1. Nisi alius adsit, qui velit Ecclesiam novam competenter dotare, vel reditus insufficientes augere. Si verò reditus Ecclesiæ antiquæ non sufficiant ad sustentationem novi Rectoris, tum populus cogendus est, ab Episcopo, ad suppeditanda necessaria Sacerdoti de novo instituendo, *juxta Concil. Trid. c. l.* & si populus ob inopiam excusetur, hoc onus incumbet Abbati, vel Præposito, cui Ecclesia illa Parochialis subest in temporalibus, *c. Extirpandæ*; 30. *in princ. Vers. Cùm igitur de præb. c.* 2. *§. fin. dist.* 70. & in hujus etiam defectum, tenebitur Episcopus providere, si commodè possit, *c.* 2. *caus.* 16. *q.* 3. *c. Præcipimus*; 24. *caus.* 12. *q.* 1. Denique in defectum horum omnium, novus Parochus propriis manibus ex artificio honesto victum sibi quærat, *arg. c. Clericus*; 3. *& c. seq. dist.* 91. *Hostiens. in cit. c. Ad audientiam*; *col.* 1. *Joann. Andr. ibid. num.* 8. *& Abb. n.* 7. Et hic est casus singularis, in quo Ecclesia Parochialis construi potest sine dote, ut censuit etiam *S. Congreg. Concil.* apud *Fagnan. c. l. n.* 7. *& n.* 32.

XII. Quintò requiritur, ut in erectione novæ Parochiæ Jus præsentandi Sacerdotem in illa, reservetur illis, quibus de jure debetur, videlicet in primis ei, qui illam ex propriis bonis fundavit, & sufficienter dotavit, si talis reperiatur. Si verò nova Ecclesia fuit fundata ex reditibus Ecclesiæ antiquæ, Jus præsentandi ad Rectorem ejusdem pertinebit, ut patet ex *cit. c. Ad audientiam*; 3. ibi: *ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris, h. t.* Ita tamen ut etiam Fundator Ecclesiæ novæ, qui fundum dedit, simul sit Patronus ejusdem, ex causa fundationis, vel etiam ex causa dotationis, si residuum dotis dedit, ut in casu *cit. c. Ad audientiam*; *Gl. ibid. V. Rectoris Hostiens. V.*

Fundatoris, *Ioann. Andr. n. 3. Abb. n. 9.* Quòd si Ecclesia antiqua, sive Matrix nihil contulit ex propriis reditibus, non acquirit Jus patronatûs in Ecclesia nova, tum quia id nullo jure probatur, cùm *cit. c. Ad audientiam*; loquatur in eo tantùm casu, quo Ecclesia Matrix aliquid contribuit ad erectionem Ecclesiæ novæ. Tum quia Jus patronatûs non acquiritur, nisi ex fundatione, vel constructione, vel dotatione, ex receptissima omnium sententia: sed Ecclesia Matrix ex eo, quod nova Ecclesia construatur, intra limites Parochiæ ipsius, non dat fundum; quia non habet proprietatem fundi, neque etiam sumptus ad ædificationem, ut supponitur, ergo non potest acquirere Jus patronatûs, *Abb. in cit. c. n.* 10.

XIII. Sextò requiritur, ut Ecclesiæ Matrici in Ecclesia de novo erecta, pro facultate loci, præter Patronatum, competens honor servetur, prout dicitur in *cit. c. Ad audientiam*; *Versic. Providens tamen*; *h. t.* Consistit autem hic honor, secundùm *Gl. ibid. V. Honor*; in eo, ut Ecclesia nova antiquæ pendat censum aliquem, in signum subjectionis, *arg. c. 2. de censib.* moderatum tamen, ad arbitrium Episcopi. Verùm hæc ratio falsa est, & nullo jure probatur: sed potiùs oppositum ex *eodem cap. Ad audientiam*; nam dum ibi reservatur Matrici Ecclesiæ Jus patronatûs, & competens honor, pro qualitate loci, videtur in reliquis nova Capella illa eximi à potestate Rectoris antiquæ Ecclesiæ: præterquàm quòd nulla Ecclesia, exceptâ Cathedrali, iure communi habeat fundatam intentionem super subjectione alterius Ecclesiæ, etiamsi sita sit intra limites Parochiæ suæ. Quare si Ecclesia aliqua non Cathedralis prætendat Jus in aliam Ecclesiam, non plus obtinebit, quàm probaverit, sibi competere in illa, ex jure speciali, ut quia v. g. in prima fundatione Ecclesiæ novæ, cum consensu Episcopi, aliqua jura Ecclesiæ antiquæ sunt reservata, *Abb. in cit. c. Ad audientiam*; *n.* 8. Itaque rectiùs dicitur, quòd honor præstandus ab Ecclesia nova Ecclesiæ Matrici consistat, vel in eo, quòd Clerici Ecclesiæ novæ teneantur adire majorem Ecclesiam, pro Baptismo, Scrutinio, & ad Capitulum venire, vel solvere jura Parochialia, quæ Capellæ de jure, vel consuetudine debent Ecclesiæ Matrici, *c. 2. de Capell. Monach. Hostiens. in cit. c. Ad audientiam*; *col. 2. V. Providens tamen. Io. Andr. ibid. n.* 10. vel certè Ecclesiæ antiquæ reservabitur Jus sepulturæ, *c. Extransmissa*; 10. *de præscript. Io. Andr. c. l.*

Septimò denique requiritur, ut Episcopus erigat novam Parochiam ipse per se, vel per suum Vicarium generalem, speciale ad id mandatum habentem, *juxta c. Nemo* 39. *junct. Gl. V. Veniat*; *dist. 1. de Consecr.* approbante id *S. Congreg. Concil.* apud *Fagnan. c. l. n.* 41. Porro Episcopus, his omnibus observatis, potest erigere novam Ecclesiam, etiam intra fines Parochiæ exemptæ à jurisdictione Episcopi, v. g. Regularis, potestate scilicet delegatâ, ut respondit *S. Congreg. Concil.* apud *Fagn. c. l. n.* 43. dummodò exprimat, se uti potestate delegatâ, vel addat clausulam, *omni meliore modo*, *Fagn. c. l. n.* 42.

§. III.

Quinam, & ex quibus reditibus teneantur Ecclesias reparare?

XIV. Assertio 1. Ecclesiæ vetustate, aut casu collapsæ, vel ruinosæ reparari debent ex reditibus ipsius Ecclesiæ, si certam portionem redituum habeant pro Fabrica deputatam, prout sumitur ex *c. 1. & 2. caus.* 10. *q.* 3. Nisi aliud habeat consuetudo, quæ inprimis in hac re inspicienda, & observanda est, *arg. c. Ad Apostolicam*; 42. *de Simon.* ut docet *Abb. in c. 1. h. t. n.* 3. Si verò nulli sunt reditus deputati pro Fabrica, vel non sufficientes, tunc Rectores Ecclesiarum Parochialium cogi debent, ad reparandam Ecclesiam, si partem Fabricæ recipiant, *arg. c. Decrevimus*; 10. *caus.* 10. *q.* 1. *& c. unic.* 3. *eod. caus. q.* 3. Imò & sine illa, vel si illa non sufficiat, ut colligitur ex *c. ult. De his, quæ à majore parte cap.*

Idque sumitur ex *c. De his*; 4. & ibi *Gl. V. Cogi debent*; *h. t.* Ubi dicitur: hi, qui Parochiales Ecclesias obtinent, ad reparationem, & institutionem earundem (hoc est, non tantùm ad refectionem: sed etiam ad restaurandum, & erigendum de novo Ecclesias, si collapsæ sint, *Innocent. hic*) cogi debent, si opus fuerit, ex bonis, seu reditibus Ecclesiasticis, qui eis supersunt (ad necessariam sustentationem) conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur etiam ad conferendum. Porro tenetur Rector Ecclesiæ contribuere ad reparationem Ecclesiæ, non tantùm ex iis bonis, & reditibus, quæ necessariæ sustentationi supersunt: sed etiam, quæ aliàs ad congruam, ac decentem sustentationem statûs requiruntur; quia necessitas Ecclesiæ præferenda est statui Parochi, vel alterius Beneficiati, *Barb. in cit. c. De his*; *n.* 3.

XV. Extenditur verò primò. Ut non solùm illi, qui Ecclesias Parochiales habent, sive Parochi: sed etiam alii Clerici, qui Beneficium Ecclesiasticum habent, teneantur contribuere ad tecta Ecclesiæ (ex quâ fructus percipiunt) restauranda, vel ipsas Ecclesias reparandas, prout statuitur in *c. Quicunque*; 1. *h. t.* quod est desumptum ex *Concilio Moguntinensi sub Carolo Magno habito*, *c.* 42. Nam qui percipit emolumentum, debet etiam ferre onus, sicut & ad quem spectat onus, etiam emolumentum spectare debet, *juxta Reg. jur.* 55. *in 6. Gl. in cit. c. 1. V. Ad tecta*; nam & usufructuarius tenetur suis sumptibus sarta tecta præstare, *l. Eum*; 7. *C. de usufr.* Tenentur autem Clerici solùm pro rata Beneficii sui, sive secundùm facultatem redituum beneficialium, & tantùm ex reditibus superfluis, qui supersunt necessariæ eorum sustentationi; quia non tenentur ad Fabricam ultra, quàm facere possunt, ne egeant, *cit. c. De his*; ibi: *si eis superfint*, & *Abb. ibid. n.* 3. *& in cit. c. 1. n.* 2. Neque tenetur quis subtrahere suis necessitatibus, ut in causas pias eroget. *Hostiens. in cit. c. De his*; *V. Supersunt*.

Denique in defectum prædictorum, Parochi, & aliorum Clericorum, tenentur ad reparationem Ecclesiæ ultimo loco parochiani, qui in illa Divina Officia audiunt, & Sacramenta percipiunt, & in quorum gratiam Ecclesia est restauranda, *arg. c. Si Episcopus*; 6. *de Offic. Ordin. in 6.* Nec potest Parochianus cedere, seu renunciare usui, sive frequentationi Ecclesiæ, quia hoc non est in ipsius potestate, *c. Omnis*; 12. *de de pœnit. & remiss.* Quòd si consuetudo recepta est, ut populus, sive parochiani suis impensis Ecclesiam reparent, illi ad id tenebuntur, etiam ante Clericos, & ad illam consuetudinem servandam compelli possunt, *arg. c. Ad Apostolicam*; 42. *de Simon. Abb. in cit. c. 1. n.* 6.

n. 3. & 4. h. t. Silvest. V. Ecclesia; 2. q. 4. Azor p. 2. l. 9. c. 3. q. 10. Et quidem non tantùm plebeij: sed etiam Nobiles tenentur contribuere, ad reparationem Ecclesiæ; cùm hoc sit onus publicum, concernens omnium utilitatem, & necessitatem, Barb. in cit. c. De his; n. 3; h. t. & Lib. 2. Jur. Eccles. c. 4. n. 8.

Addunt nonnulli apud Barb. citt. locis, quòd quando non adsunt reditus superflui Clericorum ad restaurationem Ecclesiæ, possit expendi pecunia ex publico ærario Universitatis, & eâ deficiente, debeat deveniri ad collectam à vicinis petendam.

XVI. Extenditur secundò. Quòd quæ dicta sunt de restauratione Ecclesiæ, eadem locum habent in reædificatione, seu refectione domûs Rectoris, seu Parochi, ita ut qui tenentur ad reparationem Ecclesiæ, etiam obligentur ad restaurationem ædium Parochialium, juxta Declarationem S. Congreg. Concil. apud Barb. in cit. c. De his; n. 5. Imò non solùm ad Fabricam Ecclesiæ: sed etiam ad calices, & vestimenta sacra reperanda obligari Parochos, aliòsque Clericos, tenent plures apud Barb. in c. 1. n. 2. h. t. & cit. l. 2. c. 4. n. 2.

XVII. Cæterùm quæ statuta sunt in cit. c. 1. & 6. De his 3 4. h. t. innovata sunt à Concilio Trid. Sess. » 21. c. 7. de ref. Ubi sic decernitur: Parochiales » verò Ecclesias, etiamsi juris patronatûs sint, & ita » collapsas refici, & instaurari procurent, ex fructibus, » & proventibus quibuscúnque, ad easdem Ecclesias » quomodocúnque pertinentibus: qui si non fuerint » sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus » aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt: » aut in eorum defectum, parochianos, omnibus re- » mediis opportunis, ad prædicta cogant, quâcún- » que appellatione, exemptione, & contradictione » remotâ.

XVIII. An autem etiam ij qui possident, ac percipiunt decimas ex prædiis in aliena Parochia sitis, teneantur ad contribuendum pro reparatione illius Ecclesiæ, vel domûs Parochialis, dubitatur? Videtur dicendum, quòd sic; quia in cit. c. De his 3 h. t. dicitur, quod de bonis quæ sunt ipsius Ecclesiæ, conferri debeat ad reparationem ejusdem, nam de jure communi decimæ, quæ percipiuntur ex prædiis sitis intra Parochiam, ad eandem spectant: idque seclusâ consuetudine contrariâ, saltem procedere videtur eo casu, quo portio deputata pro Fabrica Ecclesiæ non est sufficiens, nec ex Ecclesiæ Parochialis, fructibus reparatio fieri potest. Accedit, quod in Concil. Trid. c. l. dicitur: Ecclesias reparandas esse per Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt. Et ita docet Peckius de repar. Eccles. c. 14. Veruntamen spectato jure communi, contrarium videtur probabilius; quia nusquam decimis, earúmque possessoribus hoc onus reparationis impositum reperitur: decimæ verò, postquam legitimè separatæ sunt ab Ecclesia Parochiali, ad quam aliàs pertinerent, & alteri Ecclesiæ concessæ sunt, non possunt ampliùs computari inter fructus prioris Ecclesiæ Parochialis, Zæs. in Comment. h. t. n. 5. In pluribus tamen locis consuetudo viget, ut decimatores, sive qui decimas ex aliena Parochia percipiunt, teneantur contribuere ad reparationem Ecclesiæ, & domûs Parochialis, quæ ubi viget, servanda est.

XIX. Assertio 2. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis (seclusâ consuetudine, quæ etiam de jure communi attendenda, & observanda est) solus Episcopus tenetur ex quarta redituum suorum, c. Quatuor; 27. caus. 12. q. 2. Non solùm futurorum: sed etiam præteritorum; & si sit dives; etiam ultra quartam compelli potest. Quòd si Episcopus non sit dives, & quarta illa pars non sufficiat, tunc etiam Canonici tenebuntur; & compelli possunt, contribuere ex superabundantibus reditibus Præbendarum suarum, (imò & distributionum quotidianarum) vel aliarum rerum Capituli; juxta c. ult. de his, quæ fiunt à maj. part. Cap. & ibid. Abb. n. 7. Denique si neque reditus Episcopi, & Canonicorum simul sufficerent ad reparationem, tunc posset Episcopus, unâ cum Capitulo, decernere, ut alii inferiores Clerici, ex superabundantibus fructibus, qui necessariæ sustentationi supersunt, debeant contribuere ad Fabricam: vel etiam posset Episcopus cum Capitulo, tali casu, deputare fructus Beneficiorum vacantium pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis; Abb. in cit. c. 1. num. 6. h. t. Barb. ibid. n. 5.

XX. Assertio 3. Ad Ecclesias Parochiales juris patronatûs, quæ indigent restauratione, & refectione, non tenetur contribuere Patronus; quia ex prima fundatione, constructione, aut dotatione, acquisivit jus patronatûs, ac proinde ad aliud non tenetur, ut ex Lambertino docet Barb. in cit. c. De his 3 4. h. t. Nec obstat, quòd Concil. Trident. cit. c. 7. præcipit, etiam Patronos ad Parochiales Ecclesias restaurandas compellendos esse; nam loquitur de illis Patronis, qui aliquos fructus, aut pensiones in prima fundatione sibi reservârunt; ut patet ex verbis seqq. & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, ergo à contrario sensu, illi, sivè Patroni sint, sive alii, qui nullos fructus ex talibus Ecclesiis percipiunt, ad reparandas illas nihil tenentur contribuere.

§. IV.

De mutatione Ecclesiæ Sæcularis in Regularem, & destructione eiusdem.

XXI. Quæritur primò. An Ecclesia Sæcularis possit mutari, seu converti in Regularem? Resp. potest Ecclesia Collegiata sæcularis in aliam Collegiatam, vel Conventualem Regularem, cum consensu Ordinarii, mutari, seu converti, ita tamen, ut Clericis sæcularibus in illa Ecclesia, dum superstites sunt, nullum præjudicium fiat, prout statuitur in c. Ad audientiam 3 5. h. t. Nam cùm quidam Canonicus Ecclesiæ Sæ- » cularis vocatus fuisset ad Episcopatum alterius Ec- » clesiæ, desiderabat in Ecclesia illa, ex qua fuit as- » sumptus in Episcopum, Canonicos Regulares in- » stituere, & petiit à Papa, ut sibi id liceret. Respon- » det Papa Urbanus III. se id ipsi concedere, si Epi- » scopus Diœcesanus in hac re etiam consenserit: ita » tamen, ut Clericis Sæcularibus, si qui adhuc in ea su- » persunt, ibi, vel alibi, dum vixerint, de necessariis ali- » mentis provideatur. Item petiit à Papa, ut privile- » gium confirmationis Canonicis ibidem instituendis » concederet; Sed Papa ait, in hac re se ipsi jure satis- »

» facere non posse, cùm nulli Canonici adhuc ibidem » existant, quibus privilegium concedatur.

XXII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Potest Ecclesia sæcularis reduci ad statum regularem, ut habetur etiam in *c. Si Episcopus*; 73. *caus.* 12. *q.* 2. Idque conceditur favore Religionis, & quia Regulares sunt strictioris observantiæ, quàm Clerici sæculares: non autem vice versâ, Ecclesia Regularis potest mutari in Sæcularem, nisi in defectum Regularium, *c. Inter quatuor*; 5. *de Relig. dom.* & Auctoritate Papæ, *Abb. hic n.* 2. *Silvest. V. Ecclesia*; 2. *q.* 5. *dicto* 2. *Azor cit. c.* 3. *q.* 11. §. *Præterea*; de quo actum supr. *Tit.* 36. §. 3.

Notandum secundò. Non possunt, sine consensu Episcopi, Clerici inferiores mutare statum Ecclesiæ suæ, etiam in meliorem: quòd si mutetur status Ecclesiæ in Regularem, non tenentur Clerici sæculares ibi manere, neque debent alimentis necessariis privari, dum vivunt, prout sumitur ex hoc cap. *Abb. ibid. n.* 3. Neque tamen ex eo, quòd in casu hujus cap. ista mutatio statûs Ecclesiæ sæcularis in regularem fieri poterat, cum consensu Episcopi: indulgentia, sive licentia à Papa data omnino fuit inutilis; quia hæc ad plura profuit: videlicet primò, ut Episcopus citiùs induceretur ad consentiendum, & si nollet consentire, faciliùs ad id compelli posset. Secundò, ut Episcopus id facere posset, etiam Clericis invitis, quod aliàs non potuisset, nisi ex causa justa, & necessaria, & non merè arbitrariâ: & non nisi ita, ut hæc mutatio primùm post mortem Clericorum, effectum haberet. Tertiò, qui impetravit hanc licentiam à Papa, potuit, vi illius, ordinare Ecclesiam, à qua fuit assumptus, & convertere in regularem, tanquam principalis auctor, cum consensu tamen Episcopi Diœcesani, quod aliàs ad Episcopum loci pertinet. Quartò, vi hujus licentiæ impetratæ à Papa, potest Episcopus id facere, sine consensu Capituli, cujus consensus aliàs requireretur, *Gl. hîc V. Indulgemus*; *Abb. n.* 6.

XXIII. Notandum tertiò. Rei, quæ nondum est, privilegium dari non potest, *l. Eum qui*; 41. & ibi *Gothofred. lit. E. ff. de reb. cred.* Ideòque etiam privilegium Ecclesiæ exstruendæ concedi non potest: bene tamen potest conferri, ut incipiat valere, postquam fuerit constructa: sicut servitus non potest constitui ædificio futuro, ut statim sit servitus; quia non est, cui serviat; potest tamen se aliquis obligare ad eam constituendam, cùm steterit ædificium, *Gl. fin. hîc & Abb. num.* 4. Sic etiam Ecclesiæ aut Monasterio, quod nondum fundatum, aut exstructum est, non potest fieri donatio, quamvis ei, per modum legati, vel alterius, mortis causâ, factæ dispositionis, aliquid relinqui possit, *juxta c. Nos quidem*; 3. *de testam. c. Abbate*; 3. *de sent. & re jud. in* 6. & *l. Servos*; 17. *ff. de alim. & cibar. leg.* Imò etiam Monasterium, vel Ecclesia ædificanda hæres institui potest, *Abb. hîc n.* 5. Ratio diversitatis traditur à *Gl. in l. Illud*; 19. *V. Sed quid dicam*; *C. de SS. Eccles. & Abb. hîc n.* 5. quia donatio cùm sit species pacti, seu contractûs, requiritur, ut pars altera donationem acceptet, per se, vel per alium: Ecclesia verò, quæ non est, acceptare non potest. At dispositio per legatum non requirit Legatarii acceptationem; quia hæres legatum exequetur. Quòd autem Ecclesia construenda instituì possit hæres, inde ostendi potest; quia ex benigna juris interpretatione, Testator censetur in hoc casu, animam suam hæredem instituere: executionem verò Episcopo loci, vel aliis executoribus à se nominatis committere, *Laym. in cit. c. Abbate*; 3. *de sent. & re jud. in* 6. *n.* 5.

XXIV. Quæritur secundò. An Ecclesiæ destrui possint, & ad usus profanos converti? Resp. Ecclesiæ, præcipuè consecratæ, sicut & Monasteria, destrui non possunt, nisi auctoritate Superioris, seu Episcopi, ex justa causa: quòd si destruantur, ligna, & lapides applicari non possunt ad privatos Laicorum usus; quamvis ex hujusmodi lignis, & lapidibus construi possit alia Ecclesia, *c. Ligna*; 38. & ibi *Gl. V. Ad profectum*; *dist.* 1. *de Consecr. c. Ad hæc*; 4. *de Relig. dom.* vel etiam Capitulum, aut dormitorium Religiosorum, vel possunt talia ligna comburi in coquina eorum, *cit. c. Ligna*; *Gl. in c. Quæ semel*; 4. *V. Maneant*; *caus.* 19. *q.* 3. *Silv. V. Ecclesia*; 2. *q.* 5. *dicto* 1. *Azor cit. c.* 3. *q.* 11. Ratio est, quod enim semel Deo dicatum est, non est ad usus humanos (id est, sæculares, sive sæcularium personarum) ulteriùs transferendum, *c. Semel*; 51. & ibi *Gl. V. Humanos de R. I. in* 6.

Porro *Concil. Trident. cit. Sess.* 21. *c.* 7. *in fine*, statuit, ut Ecclesiæ vetustate, vel aliàs collapsæ, quæ nimiâ egestate laborant, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate, tam dictas Parochiales, quàm alias Ecclesias ditatas in profanos usus, non sordidos tamen, (quod arbitrio Ordinarii relinquitur, *juxta Declar. S. Congr. Conc.*) erectâ tamen ibi cruce, convertendi.

XXV. Postremò hoc loco addendum, si Ecclesia dituatur, seu destruatur, Superioris Auctoritate, in pœnam Clericorum delinquentium, vel ob aliam justam causam, sine spe reædificationis, amittuntur omnia provilegia loco sacro concessa, *arg. l. Sinusfructus*; 21. *ff. quib. mod. usufr. amitt. Azor cit. c.* 3. *q.* 13. *Sanch. Lib.* 9. *de Matrimon. dist.* 15. *num.* 37. Si verò destructa sit ab hostibus, vel ut reparetur, retinet omnia sua privilegia. Idémque est, si Ecclesia, auctoritate Superioris, ad alium locum transferatur, sub eodem Titulo, & Patrono: vel alteri Ecclesiæ uniatur, transit enim unâ cum omnibus Juris privilegiis, si quidem illa concessa sint, non ratione situs, vel loci; sed absolutè sub proprio nomine, ac titulo: quin & Indulgentiæ ei concessæ unâ transeunt, *Azor c. l. Suar. Lib.* 8. *de legib. c.* 5. *in fine*, *Laym. Lib.* 5. *tr.* 7. *c.* 3. *n.* 5.

TIT.

TITVLVS XLIX.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII, ET RERVM, AD EAS PERTINENTIVM.

Ecclesiæ, & res ad eas pertinentes, sicut & personæ Ecclesiasticæ, non debent gravari oneribus, quibus res Laicorum, & ipsi Laici gravantur; ideo subiicitur hic Titulus de immunitate, seu exemptione illarum, qui extat etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus.

I.

IMmunitas Ecclesiastica, idem est, quod vacatio, seu exemptio à muneribus, id est, oneribus; nam munus tria significat, donum, officium (cum honore) & onus, (sine honore) quod cùm remittitur, immunitatem præstat, prout dicitur in *l. Munus*; 18. & ibi *Gl. V. Onus*; *& V. Officium*; *ff. de V. S. & l. 1. ff. de immunit.* Est igitur Ecclesiastica immunitas, Jus, quo Ecclesiæ, res, vel personæ Ecclesiasticæ ab oneribus, vel etiam ab officiis sæcularibus liberæ sunt, & exemptæ, ideóque etiam libertas, seu exemptio Ecclesiastica appellari solet, *c. Adversùs*; 7. *h. t. Abb. in rubr. ad hunc Tit. Silv. V. Immunitas*; 1. *n.* 1. *Covarr. Lib.* 2. *var. resol. c.* 20. *in princ. Laym. Lib.* 4. *Tract.* 9. *c.* 1. *in princ. n.* 1. Suar. verò *tom.* 1. *de Relig. Lib.* 3. *de locis sacris c.* 8. *n.* 1. immunitatem Ecclesiasticam ita describit: est exemptio Ecclesiæ ab oneribus, vel operibus, aut usibus ejus sanctitati, & reverentiæ repugnantibus. Sed hæc definitio soli immunitati locali convenit: est enim triplex immunitas Ecclesiastica, ut ex supra allata descriptione colligitur, localis, realis, & personalis. Localis est, quæ Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis competit. Realis est, quæ rebus, seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus est concessa. Personalis est, quâ personæ Ecclesiasticæ gaudent, *Laym. c. l. n.* 2. An autem Ecclesiastica immunitas Jure positivo tantùm, Canonico, vel Civili: an etiam Divino, & naturali, sit constituta, & concessa Ecclesiis, & bonis, ac personis Ecclesiasticis? controversia est inter DD. de qua actum supra *Lib.* 2. *Decret. Tit.* 2. *sect.* 3. §. 5.

SECTIO I.

DE IMMVNITATE LOCALI, quæ competit Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis.

§. 1.

Quænam loca Ecclesiastica immunitate gaudeant?

II. Assertio 1. Inprimis Ecclesiæ, seu Templa, non solùm consecrata: sed etiam nondum consecrata, dummodo Episcopi auctoritate sint benedicta, vel aliâ ratione, v. g. erectione Crucis, ad publicum Sacrificii, & Sacramentorum usum, ac Officia Divina celebranda, sint deputata, gaudent privilegio immunitatis; quia talis deputatio Episcopi, instar benedictionis esse censetur, prout sumitur ex *c. Ecclesiæ*; 9. *h. t.* Ubi Gregorius IX. ita rescribit: Ecclesiæ, in qua » Divina Mysteria celebrantur, licèt adhuc non fue- » rit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis » adimitur; quia obsequiis Divinis dedicata, nullius » est temerariis usibus profananda. Ratio est, quia » postquam Ecclesia, auctoritate Episcopi primum lapidem, in ejus fundatione, ponentis, ad usus sacros est deputata, est locus sacer, & Religiosus, *c. Præcepta*; 5. *junct. Gl. V. Devotus*; id est, Deo deputatus, *dist.* 1. *de Consecr.* ideóque ad usus profanos, & humanos redire non debet, *c. Ad hæc*; 4. *de Relig. dom Gl. fin. in cit. c. h. t.* Idque procedit, etiamsi in tali Ecclesia nondum Divina Mysteria, & Officia cœperint celebrari, ut docet *Hostiens. hic V. Celebrantur*; *Abb. n.* 5. *Silv. V. Immunitas*; 1. *q.* 1. *dicto* 1. *Azor p.* 2. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 1. *Suar. cit. Lib.* 3. *c.* 9. *n.* 2. *& seqq.* contra *Gl. in cit. c. Ecclesiæ*; *V. Celebrantur*; quæ ex illis verbis, *in qua Divina Mysteria celebrantur*, per sensum contrarium inferre vult, quòd si in Ecclesia non sunt adhuc Divina Mysteria celebrata, nondum gaudeat privilegio immunitatis, quia nondum plenè dedicata videtur Divinis obsequiis. Verùm ratio decisionis in dicto cap. non nititur in eo, quòd Divina Officia ibi celebrentur: sed quia Divinis obsequiis dedicata est, quæ ratio locum habet, tametsi nondum ibi fuerint Divina Officia celebrata: licèt de celebratione mentio non fiat in narratione, in qua sæpe plura ponuntur, ad quæ Lex non extenditur; quare prædicta verba, *in qua Divina Mysteria celebrantur*, non debent intelligi de actuali celebratione: sed quòd ibi celebrari possint; cùm per publicam deputationem Episcopi, talis Ecclesia jam proximè sit apta, ut in ea Divina mysteria celebrentur. *Hostiens. ibid. Suar. c. l. n.* 5.

III. Extenditur autem primò. Quòd Ecclesiæ etiam interdictæ gaudent immunitate Ecclesiasticâ: sicut Clericus interdictus, suspensus, vel excommunicatus retinet privilegium immunitatis, videlicet Canonis, & fori; quia Ecclesia, cui concessa est immunitas, non peccavit: neque ullo jure reperitur statutum, quòd interdictum privet Ecclesiam suâ immunitate, tempore, quo durat, *Abb. in cit. c. Ecclesiæ*; *num.* 8. *Silv. c. l. dicto* 2. *Azor cit. c.* 8. *q.* 4. *Suar. cit. c.* 9. *num.* 6. Secundò, etiam Ecclesia pollura, & nondum reconciliata privilegium immunitatis retinet, *Suar. c. l. Laym. Lib.* 4. *Tract.* 9. *c.* 3. *n.* 2. *q.* 2. quia hæ juris cen-

censuræ, seu impedimenta, cùm quasi pœnalia sint, & odiosa, non debent extendi ultra casus jure expressos. Tertiò, privilegium immunitatis extenditur ad omnia loca, seu habitacula Ecclesiæ quolibet modo adhærentia: cujusmodi sunt Sacristia, porticus, atrium, uti habetur in *c. Si quis*; 20. *caus.* 17. *q.* 4. ubi *Gl. V. Adhærentibus*; ait, eodem illa gaudere privilegio cum sacris; quia quæ Religiosis adhærent, Religiosa sunt, *l.* 43. *in princ. ff. de rei vindic.* Nam nomine Ecclesiæ in lata significatione, & communi modo loquendi, tota hæc fabrica comprehenditur, & favores sunt ampliandi, maximè in causa Religionis. Unde etiamsi quis existat in turri, vel etiam supra tectum Ecclesiæ, gaudet immunitate, nam quamvis in talibus locis Ecclesia non polluatur, immunitas tamen in illis locum habet; quia hæc est favorabilis, ideóque amplianda: violatio verò Ecclesiæ est odiosa, ideóque restringenda, *Suar. c. l. n.* 7. *&* 8. *Laym. cit. c.* 3. *n.* 3.

Imò hoc jus immunitatis extenditur etiam ad domos, atria, & quæcúnque loca existentia in circuitu XL. passuum, in Ecclesiis majoribus: XXX. verò in Capellis, seu minoribus Ecclesiis, ut constat ex *c. Sicut*; 6. *&* *c. Definivit*; 35. *cit. caus.* 17. *q.* 4. *Abb. in cit. c. pen. h. t. n.* 10. Verùm hanc immunitatem 40. vel 30. passuum usu non observari, ait *Clar. in pract. crim. q.* 30. *n.* 2. *Laym. c. l n.* 3. quamvis *S. Congr. Cardin.* apud *Fagn. in cit. c. pen. h. t. n.* 20. indistinctè jussit, servari immunitatem per circuitum dictorum passuum; saltem in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis. Quartò, immunitas Ecclesiastica competit etiam Ecclesiæ destructæ, sine Superioris auctoritate, dummodo subsit spes reparationis illius; tunc enim privilegium immunitatis retinet; quia locus, sive fundus sacer manet, §. *Sacræ Instit. de rer. divis.* Secus si cum auctoritate Superioris, vel sine spe restaurationis esset destructa, ut ex communi docet *Clar. cit. q.* 30. *n.* 6. *Fagnan. in c. pen. n.* 14. *h. t.*

IV. Assertio 2. Præter Ecclesias, privilegium immunitatis Ecclesiasticæ obtinent etiam Cœmeteria, *c. ult. h. t.* Quia illa iisdem privilegiis gaudent, quibus ipsæ Ecclesiæ, & utrobique, tam in Ecclesia, quàm in Cœmeterio committitur sacrilegium, *c. Si quis*; 20. *&* *c. Quisquis*; 21. *cit. caus.* 17. *q.* 4. *Abb. in c. Cùm Ecclesia*; 5. *n.* 2. *h. t. Azor cit. c.* 8. *q.* 6. *Suar cit. c.* 9. *num.* 8. Præterea hoc jure immunitatis gaudent etiam Oratoria, quæ in ædibus privatorum sunt erecta, auctoritate Episcopi, & ad Divinum cultum deputata, quippe quæ etiam ad profanos usus revocari non possunt, *Abb. in cit. c. pen. n.* 7. *h. t. Azor c. l. q.* 3. *Suar. c. l. n.* 10. Idem Jus immunitatis competit etiam omnibus aliis locis, quæ jure Canonico Religiosa censentur, etsi sacra non sint, ut Hospitalia auctoritate Episcopi constituta, *c. Ad hæc*; 4. *de Relig. dom. & l. Omnia*; 35. *C. de Episc. & Cler. Abb. in cit. c. pen. n* 6. *h. t. Azor c. l. q.* 2. *Suar. c. l. n* 9. Item Monasteriis, & domibus Religiosorum, cum toto ambitu Claustri, *cit. c. Quisquis in fine caus.* 17. *q.* 4. & colligitur ex *c. Ligna*; 38. *dist.* 1. *de consecr.* & tradunt Dd. communiter apud *Laym. cit. c.* 3. *n.* 3. idque consuetudo confirmat. Denique etiam Palatium, seu Domus Episcopi gaudet privilegio immunitatis, ut quoad Jus Asyli constat ex *c. Id Constituimus*; 36. *caus.* 17. *q.* 4. Idque *juxta Gl. ibid. V. Vel domo*; procedit, quamvis Palatium ab Ecclesia sit sejunctum, & extra 40. passus sit constitutum: tum quia textus allegatus indistinctè loquitur, & familia Episcopi gaudet privilegio fori Ecclesiastici, etsi sit sæcularis: tum quia aliàs Palatium Episcopi nullum haberet privilegium, nam & aliæ domus, quæ intra prædictos fines sitæ sunt, gaudent privilegio immunitatis, *cit. c. Quisquis*; tum quia cùm materia hæc sit favorabilis, non debet restringi: sed potiùs ampliari, *Hostiens. in c. In alia*; 6. *V. Ad Ecclesiam*; *h. t. Abb. in cit. c. pen. n.* 9. *eod. Azor cit. c.* 8. *q.* 5. Extenditur autem hoc privilegium etiam ad Domus Cardinalium S. Rom. Ecclesiæ, idque ex recepta communi consuetudine, teste Claro *cit. q.* 30. *n.* 26. quod tamen limitat *Fagn. in cit. c. pen. n.* 33. *h. t.* ut procedat solùm extra Urbem, nam in illa ea non servatur: qui tamen *ibid. n.* 35. hoc privilegium extendit ad Palatium Prælati, non Episcopi, qui quasi Episcopalem jurisdictionem habet, dummodo idem obtineat consuetudo.

§. II.

An in Ecclesiis, & aliis locis sacris, aut Religiosis iudicia exercere, sit contra immunitatem Ecclesiasticam?

V. Assertio 1. Causæ criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel corporali pœna, in Ecclesiis, & aliis similibus locis sacris tractari non debent, prout prohibetur in *c. Cùm Ecclesia*; 5. *h. t.* Ubi Papa Lucius III. ita rescribit: Cùm Ecclesia Dei secundùm Evangelium, domus Orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum, sæculares Judices, causas, ubi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, (intellige *maximè*; quia etiam causæ civiles sæculares prohibitæ sunt ibi tractari, *Gl. hic V. Effusione*; de quo postea) in Ecclesiis, vel Cœmeteriis (quæ eodem privilegio gaudent cum Ecclesiis, *Gl. hic V. Eodem*;) agitare, sub interminatione Anathematis, id est, excommunicationis, prohibemus; absurdum enim est, & crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii, (reis & delinquentibus) constituta. Est autem hæc pœna excommunicationis, non ipso jure lata: sed post admonitionem per Judicem ferenda, *Gl. hic V. Anathematis*; eáque locum duntaxat habet, quando causa sanguinis tractatur in Ecclesiis, vel similibus locis, vel pœna corporalis infligitur; quia pœna non debet extendi ultra verba formalia Legis, *Suar. cit. Lib.* 3. *c.* 4. *n.* 6.

VI. Assertio 2. Non tantùm causæ criminales, sed etiam civiles, quæ ad forum sæculare pertinent, tractari non possunt, nec debent in Ecclesia, adeo ut judicii sæcularis instituti in Ecclesia processus, & lententia ipso jure irrita sint, & invalida, prout statuitur in *c. Decet*; 2. *h. t. in* 6. (quod est desumptum ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. celebrato) ubi in fine princ. inter alia præcipitur, ut omnis in eis (Ecclesiis earùmq; Cœmeteriis) sæcularium judiciorum strepitus conquiescat: nulla inibi causa per Laicos, maximè criminalis, agitetur, sint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena. Et infra §. *Ordinarii decernitur*; quòd processus Judicum sæcularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis, omni careant robore firmitatis.

VII. Verùm Judicia Ecclesiastica, etiam in Ecclesia validè, ac licitè exerceri possunt, ut docet *Gl. communiter*

muniter recepta in *cit. c. 2. V. Sæcularium; h. t. in 6. Abb. in cit. c. Cùm Ecclesia; n. 4. extra eod.* idque probatur ex *c. ult. caus. 2. qu. 2. & c. Quâ fronte 5 25.* ibi: *Cùm non in Ecclesia, sicut honestum, & canonicum est de appell.* & ibi *Laymann. num. 2.* Nec unquam in Jure Canonico reperitur prohibitum, ne judicium Ecclesiasticum exerceatur in Ecclesia, *Azor p. 2. lib. 9. c. 9 q. 1.* Ratio autem, cur Ecclesiastica judicia permittantur institui in Ecclesia, non autem sæcularia, est, tum quia Ecclesia potuit habere majorem rationem suorum judiciorum, & causarum, quàm sæcularium: tum quia potuit consulere honestati Clericorum, sicut in *c. Testimonium; 9. caus. 11. qu. 1,* dicitur, Clericum testimonium dicentem adversùs Laicum non esse examinandum, nisi in Ecclesia: tum quia Ecclesia præsumit, judicia Ecclesiastica, cum minore strepitu, & breviori tempore esse expedienda, & ipsum Judicem Ecclesiasticum majorem curam adhibiturum, ut sine irreventia loci fiant, *Suar. cit. lib. 3. c. 4. num. 11.* Nec refert, quòd etiam Judicia Ecclesiastica prohibentur exerceri in die Festo, ergo etiam in loco sacro. Nam dispar est ratio, quia decet, ut Clerici in forensibus actionibus minùs occupentur diebus Festis, quàm sæculares, *Suar. c. l.* ubi tamen addit, magis decens, & conveniens esse, ut etiam Ecclesiastica judicia, & lites, extra Ecclesiam, in Episcopali Palatio, vel alio loco commodo fiant; Ecclesia enim domus orationis est, non jurgiorum, ut notat in *cit. c. Quâ fronte; Alex. de Nævo; nu. 3.* idque etiam usus, seu consuetudo confirmat. Nec obstat *cit. c. ult. caus. 2. qu. 2.* Nam nomine Ecclesiæ ibi non intelligitur locus sacer, ut ex sequentibus verbis: *Ubi testes essent singulorum,* satis colligitur: sed sermo est de Conventu, seu Congregatione fidelium, *Laymann. in cit. c. Quâ fronte; num. 1. in fine.*

VIII. Cæterùm, si actori, vel reo interdictus sit ingressus Ecclesiæ, & causa judicialis Ecclesiastica tractetur in Ecclesia, actor à judicio repelli debet; cùm non possit licitè ingredi in Ecclesiam, nec propter culpam ipsius locus judicij mutari debeat: sed, si vult in judicio audiri, absolutionem impetret: secus est in Reo, qui venit ad judicium vocatus, ideóque necessariò venire debet, & respondere, *arg. c. Intelleximus 5 7. de Judic. Abb. in cit. c. Cùm Ecclesia; num. 5. Azor cit. c. 9. quæst. 2.*

IX. Quod autem dictum est, non posse Judicium sæculare exerceri in Ecclesiis, id extenditur, quòd neque in domibus Ecclesiarum Judex sæcularis possit judicare, prout habetur in *c. Ut in domibus; 1. h. t.* Ubi statuitur, ut in domibus Ecclesiarum, neq; missus, » (id est, Executor, vel Officialis, *Gl. hîc V. eod.* vel » Legatus Imperatoris, cùm absolutè missus vocetur, non addito, Dominicus, per quem intelligeretur Legatus Papæ, *Hostiens. hîc V. eod.*) neque » Comes, vel Judex publicus (id est est, sæcularis, » *Hostiens. hîc V. eod.*) vel Minister (id est, quilibet » Judex à minimo usque ad maximum, *Hostiens. hîc* » *V. eod.*) quasi pro consuetudine (id est, secundùm » consuetudinem, subintellige, id sibi liceret. *Ho* » *stiens. hîc V. eod.*) Placitum (quo nomine intelligi» tur quælibet lis, seu causa forensis, quæ in judicio » agitur, *Azor p. 2. lib. 1. c. 27. qu. 11.*) vel hospitium vendicent (quod scilicet quasi debitum exigant, quamvis charitativum hospitium petere possint à Clericis, *Gl. fin. hîc*) sed in publicis locis domos » constituant, in quibus placitum teneant, & etiam » hospitentur. »

X. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Judex sæcularis non potest Jus dicere in domo pertinente ad Ecclesiam; quod intelligendum est, si eam publicâ auctoritate, quasi ex Jure publico elegit ad habitandum: secus esset, si eam conductam ab Ecclesia, vel ab illa liberaliter, & gratis concessam obtineret, adeóque ex concessione Ecclesiæ Jus ibi diceret, *Abb. hîc n. 2.*

Porro quamvis in domo Ecclesiæ Judex sæcularis non possit jus dicere, si tamen de facto dicat, valebit processus, & sententia; quia cùm Constitutio *cit. c. 2. h. t. in 6.* irritans Judicium sæculare habitum in Ecclesia, sit pœnalis, non debet extendi ad domum Ecclesiæ, pœnæ enim, & odia restringenda sunt, non laxanda, *Reg. jur. 15. in 6. Abb. c. l. Azor cit. c. 9. q. 7.*

Notandum secundò. Judicibus assignandæ sunt habitationes in loco publico, tam hospitandi causâ: quàm jus dicendi, idque, ut faciliùs possint adiri, *arg. l. Observandum; 19. ff. de Offic. Præsid.* ubi dicitur, quòd Judex debet se facilem præbere in adeundo. Neque valet consuetudo, ut Laici jus dicant, vel etiam sibi vendicent jus hospitandi in domibus Ecclesiarum; quia talis consuetudo est Ecclesijs onerosa, *Hostiens. hîc V. Quasi per consuetudinem; Ioan. Andr. num. 2. Abb. num. 4.* Excipi debet, nisi Clericus, vel Sæcularis bene meritus de Ecclesia aliqua, vel Patronus, ab initio sibi reservârit, tanquam censum annuum, Jus hoc, ut in domo Ecclesiæ debeat hospitio recipi, dummodo id fiat cum auctoritate, & consensu Episcopi, *arg. c. Eleutherius; 30. caus. 18. qu. 2. Abb. hîc num. 4. Azor cit. c. 9. q. 8.*

XI. Notandum tertiò. Licitum est, in Ecclesiis exercere actus quosdam extrajudiciales, qui non sunt jurisdictionis contentiosæ, cujusmodi est, dare tutores, vel curatores pupillo, vel minori, præterquam quòd etiam sit causa pia, *Azor cit. c. 9. qu. 3.* Item conferre Gradus Doctoratûs, vel Magisterij; quia hujusmodi actus honestatem continet, idq; etiam communis, & generalis consuetudo approbat. *Abb. in cit. c. Cùm Ecclesia; num. 9. h. t. Azor c. l. qu. 4. Suar. cit. c. 4. nu. 15.* Licitum est etiam disputationes, & prælectiones publicas habere in Ecclesia; quia scientia res sancta dicitur, *in l. 1. §. Proinde; ff. de varijs & extraord. cognit. Azor c. l.* Denique universim loquendo, actus extrajudiciales, aut ad voluntariam tantùm jurisdictionem pertinentes, si pietatem respiciant, in Ecclesia validè, & licitè fieri possunt. *Barb. lib. 2. Jur. Eccles. c. 3. n. 11. & 12.*

§. III.

Quinam præterea actus prohibiti sint, exerceri in Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, propter reventiam loci?

XII. Assertio 1. Prohibiti sunt in Ecclesijs, & similibus locis fieri contractus, & negotiationes, ut constat ex *cit. c. 2. circa finem princ.* ubi dicitur, cessent in Ecclesijs, earúmque Cœmeterijs nego- »

» tiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cujuſ-
» cúnque tumultus. Etſi verò contractus iniri non debeant in Eccleſia, & qui faciunt, peccant, tamen contractus de facto initi ſunt validi; quia in jure non irritantur, ſicut judicia ſæcularia, ideóque pœnalis illa Conſtitutio, cùm ſit odioſa, non eſt extendenda ad contractus, qui fiunt in Eccleſia, *Gl. hîc V. Proceſſus*; *Abb. in cit. c. Cùm Eccleſia*; *num. 6. Suar. cit. c. 4. num.* 18. permiſſum tamen eſt, in Templis vendere candelas, ſi id fiat, ad fidelium pietatem promovendam, *Azor cit. c. 9. qu.* 5. Præterea in eodem cap. 2.
» præcipitur, ut ceſſent in locis illis Univerſitatum
» quarumlibet Concilia, Conciones, & publica Par-
» lamenta; quod intelligendum videtur, quando materia talium actuum eſt merè temporalis, ac ſæcularis: nam, ſi Conventus, vel Concilium habeatur de re Eccleſiaſtica, vel pertinente ad pietatem in Eccleſia, non eſt id prohibitum: unde Clerici poſſunt in Eccleſia Synodum habere de ſtatu Clericorum, & de reformatione morum in Clero, & populo. *Ioan. Andr. in cit. c. 2. num. 7. h.t. in 6. Suar. cit. c. 4. num.* 16.
» Additur in *cit. c. 2.* ceſſent vana, & magis fœda, &
» profana colloquia (hoc eſt, graves detractationes,
» & verba, quæ jurgia, & odia foveant, & ſimilia,
» ut explicat *Suar. cit. lib. 3. c. 6. n. 6.*) ceſſent con-
» fabulationes quælibet, ſint quæcúnque alia, quæ
» Divinum poſſunt turbare Officium, aut oculos Di-
» vinæ Majeſtatis offendere, ab illis prorſus extranea:
» ne ubi peccatorum venia eſt poſtulanda, ibi pec-
» candi detur occaſio, aut deprehendantur, peccata
» committi.

Ratio autem cur hæc, & his ſimilia prohibeantur in Eccleſia, datur *in princ. ejuſdem cap.* 2. quia decet Domum Domini Sanctitudo: decet, ut cujus in pace factus eſt locus, ejus cultus ſit cum debita veneratione pacificus: ubi etiam præcipitur, ut ingreſſus in Eccleſias ſit humilis, & devotus, ſit in eis quieta converſatio, devotis orationibus in illis inſiſtatur, & nemo excitet ſeditionem, conclamationem &c.

» XIII. Denique in §. *Ordinarij eod. c.* Præcipitur, ut Ordinarij locorum hæc faciant obſervari: ſuadenda ſuadeant, (quæ ſcilicet dicta ſunt ab initio, uſque ad §. *Nullus*; *Gl. hîc V. Suadenda*;) interdicta, hujus Canonis auctoritate, compeſcant. (per cenſuram Eccleſiaſticam, vel aliam pœnam arbitrariam, *Gl. hic V. Compeſcant*;) ad hoc alios etiam in Eccleſiis ipſis magis aſſiduos, & ad præmiſſa idoneos deputando. Et paulò infra, qui verò præmiſſas inhibitiones petulanti, ſive contumaci animo contempſerint: præter proceſſum Ordinariorum, & ab eis deputandorum, Divinæ ultionis, & ipſius Papæ acrem pœnam (excommuicationis ſcilicet, vel arbitrariam, *Gl. hîc V. Acrimoniam*; *junct. addit.*) formidare poterunt, donec ſuum confeſſi delictum, firmiter propoſuerint, à ſimilibus abſtinere. Ex quo infertur, quòd Ordinarij locorum non poſſint dare licentiam, faciẽdi aliquid in Eccleſia, contra prohibitionem hujus Conſtitutionis; cùm ſint deputati ad hæc exequenda: non ad relaxanda, niſi urgens, & evidens cauſa ſubeſſet. *Io. Andr. hîc num.* 5.

XIV. Aſſertio 2. Sunt, & alij præterea actus prohibiti fieri in Eccleſia. Veluti primò, Ludi theatrales profani, cum larvarum monſtris, c. *Ad decorem*; 12. *de vita, & honeſt. Cleric.* quamvis pia, & honeſta ſpectacula exhiberi poſſint, *Silveſt. V. Immunitas*; 1. *qu.* 2. *num.* 7. *dicto* 8. *Azor cit. c. 9. quæſt.* 8. §. *Item ludi.* Secundò. Convivia in Eccleſia, cum irreverentia loci ſacri, non ſunt habenda, ut conſtat ex *c. Oportet* 3 4. *diſ.* 42. Ubi dicitur, non oportet agapes, id eſt, convivia facere in Eccleſiis, & intus manducare, vel accubitus ſternere, & c. ſeq. ſubjungitur, nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conviventur &c. de quo *Suar. cit. c. 6. n.* 7. videri etiam poteſt, quid de hujuſmodi profanis vitandis in Eccleſiis ſtatuerit, *Concil. Trid. Seſſ.* 23. *in Decreto de obſerv. & vitand. in celebr. Miſſæ.*

Poſtremò ad immunitatem etiam Eccleſiarum, ſeu Templorum pertinet, ne quis eis violentiam inferat, v. g. infringendo fores illarum, vel ſpoliando illas ſuis bonis, vel hujuſmodi quippiam attentet in confinijs illarum, ut conſtat ex *c. Omnes* 5. *& c. ſeq. c. Sicut* 5 12. *c. Qui rapit.*; 18. *c. Quiſquis* 5 21. *cum aliis cauſ.* 17. *quæſt.* 4. *c. Conqueſti*; 22. *de ſent. excomm.* ubi etiam cenſura excommunicationis fertur in eos, qui tale ſacrilegium contra Eccleſias committunt, *Suar. cit. lib. 3. c. 8. n. 3.* de quo alibi.

SECTIO II.

DE IURE, SIVE IMMUNITATE aſyli, quod competit Eccleſiis, & aliis locis Eccleſiaſticis.

Aliud ſpeciale privilegium immunitatis Eccleſiis Chriſtianis conceſſum eſt, ut delinquentes, qui ad illas tanquam aſylum confugiunt, per vim extrahi non poſſint, de quo hîc agemus.

§. I.

Quo iure Aſylum, ſive ius hoc immunitatis ſit conſtitutum, & quinam Rei criminis fugientes ad Eccleſiam, gaudeant immunitate Aſyli?

XV. Aſſertio 1. Hoc jus, ſive privilegium Aſyli eſt introductum, non Jure naturali, ac Divino poſitivo: ſed humano ſolùm, tum Canonico, tum Civili, *Suar. Tom. 1. de Relig. lib. 3. de locis ſacris*; *c. 8. num. 9. Covarr. lib. 2. reſol. c. 20. nu. 1. & 2. concluſ. 1. 2. & 3. Laym. lib. 4. tract. 9. c. 3. num. 1. quæſt. 1.* Prior pars probatur, quia extrahere per vim malefactores ex Templis, non eſt per ſe, & intrinſecè malum, ſeclusâ prohibitione Legis poſitivæ, ſi non fiat ex directa intentione in contemptum, & irreverentiam Templi, ut ſupponimus; quia illa actio eſt per ſe juſta, & non eſt indecens, in tali loco, præſertim quando eſt neceſſaria, ergo non repugnat legi naturali: quamvis ratio naturalis dicter, eſſe æquum, & congruum, ut talis immunitas ſacratis locis concedatur. De Jure verò Divino etiam probatur; quia tametſi probabile ſit,

sit, olim in Lege veteri Templum Jerosolymitanum reis pro Asylo constitutum fuisse, ut videtur colligi ex cap. 21. *Exodi* ibi: *Constituam tibi locum, in quem fugere debeas*, videlicet Altare Templi; quod tamen plures negant: attamen post mortem Christi hujusmodi Lex, quippe ad Cæremonialia pertinens, jam exspiravit. Jus verò positivum in Lege nova Evangelica decernens talem immunitatem, non extat, neque scriptum, neque ab Apostolis traditum, siquidem Christus, præter Leges naturæ, & fidei, nullas Leges cæremoniales præscripsit: nisi circà ritus Sacrificij, & Sacramentorum, reliqua verò Ecclesiæ statuenda reliquit. *Suar. c. l. num.* 10. & 11.

Est ergo hæc immunitas constituta, tum Legibus Civilibus Imperatorum Christianorum, *toto Tit. C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*; & *Auth. de Mandatis Principum*, §. *Neque autem homicidis Coll.* 3. tum multò magis Constitutionibus Canonicis, quibus etiam dictæ Leges Civiles fuerunt approbatæ, & confirmatæ, ut constat ex *Concilio Aurelianensi*; 1. c. 3. & 5. quod refertur in c. *Id constituimus*; 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. c. *Sicut antiquitus*; 6. c. *Reum*; 9. c. *Si quis*; 20. c. *Definivit*; 36. *ead. caus. & q. & Concilio Arausicano can.* 5. quod refertur in c. *Eos qui*; 6. *dist.* 87.

XVI. Idem postea statutum fuit in c. *Inter alia*; 6. *h. t.* Nam cùm ex Papa Innocentio III. Rex Scotiæ quæsivisset, utrùm fugientes ad Ecclesiam deberent ibi defendi? Respondit Papa, juxta SS. Canonum statuta, & LL. Civilium traditiones, distinguendum esse, vel enim fugiens ad Ecclesiam est liber, vel servus: si liber, quantumcúnque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesiâ extrahendus, nec ideo debet damnari ad mortem, vel ad pœnam (corporalem scilicet *Gl. hîc V. Puniendus*;) sed Rectores Ecclesiarum obtinere debent, ut vita, & membra ipsi serventur illæsa: ità tamen, ut puniendus sit aliâ legitimâ pœnâ (pecuniariâ videlicet, vel aliâ satisfactione, *Gl. hîc V. Puniendus*;) nisi fuerit publicus latro, vel nocturnus populator agrorum, qui publicas vias obsidet suis insidijs; is enim ab Ecclesia extrahi potest, nullâ impunitate, seu defensione præstitâ. Si verò servus fuerit, qui confugit ad Ecclesiam, & dominus ejus de impunitate personæ ipsius Clericis juramentum præstiterit, ad domini sui servitium redire compellatur, etiam invitus: alioquin à domino poterit occupari, propriâ auctoritate, & extrahi. Idem quoad servum habetur in c. *Metuentes*; 32. & c. *Id constituimus*; 36. §. *Servus*; *junct. Gl. V. Occupari*; *caus.* 17. *quæst.* 4. & l. *Si servus*; 4. *C. de his, qui ad Eccles. confug.* Hæc decretalis magis in seqq. declarabitur. Neque verò hæc immunitas Asyli adversatur bono publico Reipubl. cujus interest, ne crimina remaneant impunita, c. *Ut famæ*; 35. *de sent. excomm. l. Locatio*; 9. §. *Quòd illi ritè*; ibi: *vigor publicæ disciplinæ postulat*, ff. *de public. & vectig.* Nam hoc jus immunitatis non tribuit reo omnimodam impunitatem delicti: sed solùm, ne possit affici pœnâ mortis, vel aliâ corporali, quamvis alio modo puniendus sit, ut habetur *in cit. c. Inter alia*; *h. t.*

XVII. Porro quænam loca Ecclesiastica gaudeant jure, sive immunitate Asyli, patet ex dictis *Sec. præced.* §. 1. Quibus addendum, quòd etiam is, qui ad Ecclesiam fugiens, sed quia clausa est, ingredi non potest, manu portam apprehendit, vel ansam, seu vectes portæ, gaudeat jure Asyli, ut docet *Covarruv. cit. c.* 20. *num.* 18. *Suar. cit. c.* 9. *n.* 8. *Laym. cit. c.* 3. *nu.* 3. Idque Dd. communiter extendunt etiam ad illum reum, qui fugit ad Sacerdotem S. Eucharistiam manibus portantem per plateas; quia Corpus Christi longè dignius est, quàm Ecclesia materialis: imò ratio, & quasi fundamentum immunitatis concessæ Ecclesiis, & locis sacris. *Abb. in c. Sanè*; 10. *n.* 1. *de celebr. Miss. Silvest. V. Immunitas*; 3. *qu.* 1. *Clar. in pract. crim.* §. *fin. qu.* 30. *n.* 24. *Suar. cit. c.* 9. *nu. ult.* qui ait, id in praxi observandum esse; nam quamvis in jure nihil de hoc expressum reperiatur: potest tamen privilegium extendi ultra casum expressum, ex voluntate ejus, qui privilegium dedit, rationabiliter præsumptâ, quomodo privilegia concessa militibus sæcularibus extenduntur etiam ad Clericos, modò statui eorum congruant. *Abb. c. l. num.* 2. Deinde etiam Ecclesiæ ab hæreticis occupatæ jure Asyli gaudent; quia etiam Ecclesiæ desolatæ, aut interdictæ, vel pollutæ jus immunitatis retinent. *Canis. h. t. num.* 21.

XVIII. Assertio 2. Generalis, & communiter approbata regula est, nullum reum, propter ullum crimen, ad Ecclesiam confugientem posse inde violenter extrahi: nisi in casibus jure, vel æquivalente consuetudine exceptis, ut ex communi Dd: sententia docet *Clar. cit. q.* 30. *nu.* 9. *Suar. cit. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 4. *Laym. cit. c.* 3. *n.* 6. & constat ex juribus supra citt.

XIX. Excipitur primò. Latro publicus, *cit. c. Inter alia*; *h. t.* & c. *Sicut*; 6. *caus.* 17. *quæst.* 4. qui scilicet palam, & publicè furatur, vulgò ein Land- oder Straßrauber: cujusmodi sunt illi, qui publicas vias obsident, paratis insidijs ad viatores transeuntes interficiendos, vel spoliandos. *Abb. in cit. c. Inter*; *n.* 5. *h. t. Clar. cit. q.* 30. *num.* 9. quos impunè occidere licet, & sine peccato, c. *Cùm homo*; 19. *caus.* 23, *qu.* 5. *l.* 1. *C. quando liceat unicu. sine jud.* &c. *Gl. in cit. c. Inter*; *V. Nisi publicus latro*; sed non sine irregularitate, c. 2. *De homic.* nisi ob necessariam vitæ defensionem, *Clem. un. eod.*

Excipitur secundò. Nocturnus depopulator agrorum, *in cit. c. Inter alia*; *h. t.* sic dictus; quia agros alienos accedit, & de nocte segetes destruit, vel comburit, dum ibi se abscondit, vel latet. *Innoc. in cit. c. Inter*; *V. Nocturnus. Hostiens. ibid. V. Populator.* Porro excipiuntur prædicta duo crimina; quia magis interest Reipubl. illos punire: quàm alios malefactores, cùm pluribus exitium moliantur, quàm alij, *Gl. fin. in c. ult. in fine h. t. Abb. in cit. c. Inter alia, nu.* 21. *h. t.* Unde non rectè infertur, etiam propter aliud crimen æquè grave, ac publicum latrocinium, vel nocturna depopulatio, fugientem ad Ecclesiam non gaudere immunitate Asyli; quia non licet pœnam ad alia crimina non expressa in Lege extendere, propter solam similitudinem: nam cùm in dicto c. *Inter alia*; post generalia illa verba, *quantumcúnque gravia maleficia perpetraverit*, exceptio duplex subjungatur, continens duo crimina, ad alia non rectè extenditur; cùm aliàs per talem exceptionem non confirmaretur regula in casibus non exceptis: sed potiùs omninò tolleretur. *Suar. c. l. num.* 5. Addit tamen *Covarr. cit. c.* 22. *n.* 12. *vers.* 19. Consuetudinem, cum consensu Clericorum, seu Pastorum Ecclesiæ, & Laicorum, inductam esse, ut fures, etiam simplices, non gaudeant immunitate Templorum, idque propter frequentiam hu-

jus criminis, quamvis non ubique hæc consuetudo vigeat, *Clar. cit. qu.* 30. *n.* 14.

XX. Tertius casus exceptus, in quo reus non gaudet immunitate Asyli, est, si crimen grave in ipsa Ecclesia committatur, prout sumitur ex *c. Immunitatem*; 10. *& ult. h. t.* Ubi Gregorius IX. ita » rescribit: nonnulli impunitatem suorum excessu» um per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, » homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis » Ecclesiis, vel earum Cœmeterijs, committere non » verentur, quæ nisi per Ecclesiam, ad quam confu» giunt, crederent, se defendi, nullatenus fuerant » commissuri. Idcirco cùm in eo, in quo quis deli» quit, puniri debeat, & frustra Legis auxiliũ invocet, » qui committit in Legem: mandamus, ut tales pu» blicè denuncientur, non debere gaudere immuni» tatis privilegio, quo se indignos faciunt. Accedit, quòd nemo spe veniæ peccare debet, *c. Illud*; 5. ibi: *Cùm sub fiducia pœnitentiæ non debuerat deliquisse, de Cleric. excomm. c. Quando quis*; 128. *dist.* 4. *de Consec.* quia facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi, *c. Est injusta*; 33. *in fine caus.* 23. *qu.* 4. *c. Ut Clericorum*; 13. *de vita & honest. Cleric. Gl. hìc V. Sperantes*; nec enim jure ad supplicandum debet admitti, ubi committere sacrilegium non dubitavit, *c. Frater*; 10. *caus.* 17. *qu.* 4. *& c. seq.* Et in *Auth. Ut liceat matri & c.* §. *His quoque ult. vers. Qui verò; coll.* 8. dicitur: non enim debent hujusmodi personæ in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt.

Nec obstat, quòd in *c. Inter alia* 3 *6. h. t.* & in *c. Sicut*; 6. *cit, caus.* 17. *quæst.* 4. tantùm duo excipiuntur criminosi, videlicet publicus latro, & nocturnus populator; nam loquuntur de ijs, qui confugientes ad Ecclesiam non deliquerunt in Ecclesia, vel Cœmeterijs, sed alibi; unde Ecclesia tunc præstat ijs immunitatem, *Glos. fin. in cit. c. ult. h. t.* quod loquitur de delinquentibus in ipsa Ecclesia, vel Cœmeterio; nam dispositio generalis, limitatur per dispositionem specialem, juxta *Reg. Jur.* 34. *in 6. Abb. in cit. c. ult. num.* 7. *h. t.*

XXI. Porro quamvis in *cit. c. ult.* expressa, & specifica mentio fiat solùm de committentibus homicidia, & mutilationes membrorum in Ecclesiis, vel Cœmeterijs: Dd. tamen ferè communiter censent, decisionem hujus textûs etiam habere locum in adulterio, raptu Virginum, & alijs quibuscúnque gravibus delictis, commissis in locis sacris, *Abb. in cit. c. ult. num.* 9. *h. t. Covarruv. in cit. c.* 20. *coroll.* 21. *Clar. cit. qu.* 30. *num.* 15. *Suar. cit. c.* 11. *nu.* 6. *Laym. cit. c.* 3. *n.* 6. & alij apud *Barb. lib.* 2. *Jur. Eccles. c.* 3. *n.* 105. quia intentio Papæ in *cit. c. ult.* fuit, excipere omnia gravia delicta, in Ecclesia commissa, ut patet ex *princ. ejusd.* ubi generaliter loquitur de excessibus, quorum impunitatem delinquentes per defensionem Ecclesiæ se obtinere sperant: in particulari verò de homicidio, & mutilatione postea mentio fit, exempli tantùm gratiâ, quod Legem non limitat, aut restringit. Deinde in decisione affertur etiam ratio generalis, quæ se extendit ad omnia delicta, saltem gravia, nempe cùm in eo, in quo quis deliquit, puniri debeat, & frustra Legis auxilium invocat, qui committit in Legem. Quare hìc locum habet illa Regula, quòd ubicúnque ratio Legis generalior est, & latior, quàm id quod dicitur, & disponitur in Lege, tunc ipsa dispositio Legis, secundùm latitudinem rationis, est extendenda, juxta *l. Regula*; 9. *ff. de jur. & fact. ignor.* ubi *Gothofred. lit. A. & B.* ait: generali ex principio, vel ratione Lex generalis putanda est, etiamsi in ipso progressu Lex ipsa speciei unius exemplo utatur, quia exempla non restringunt regulam. Nec obstat, quòd in pœnalibus non sit facienda extensio, etiam ob identitatem rationis, juxta sententiam magis communem. Nam hoc non procedit, quando agitur de puniendis delictis publicis; tunc enim censetur esse materia favorabilis; cùm Reipubl. intersit, ne delicta maneant impunita, *l. Ita vulnerutus*; 41. §. *fin. ff. ad Legib. Aquil.* Vel quando ratio est expressa in ipsa Lege, quæ etiam in alijs casibus non expressis locum habet, tunc enim etiam in pœnalibus fit extensio, ob identitatem rationis, ut docent plures apud *Fagnan. in cit. c. ultim. num.* 13. *&* 14. *h. t.* quamvis tunc propriè non fiat extensio Legis: sed casus etiam non expressus in ipsa Lege comprehendatur, ut alibi dictum.

XXII. Extenditur secundò. Dicta Constitutio *c. ult. h. t.* quòd locum habeat in quibuscúnque gravibus criminibus, sive illa in Ecclesia commissa sint, ex præsumpta spe consequendæ impunitatis: sive sine tali præsumptione, utroque enim casu reus privatur privilegio immunitatis, prout consuetudo optima Legis interpres etiam declarat, *Abb. in cit. c. ult. n.* 8. *Covarruv. c. l. coroll.* 22. *Suar. cit. c.* 11. *n.* 7. quia posteriores duæ rationes ibi expressæ vendicant, etiam sibi locum in eo, qui non deliquit in Ecclesia, sub spe veniæ, & impunitatis obtinendæ: prior verò ratio impulsiva tantùm est; quia Papa in decisione sua non se fundat principaliter in illa spe: sed in qualitate delicti, & injuriâ Ecclesiæ illatâ: & etiamsi esset causa finalis; quia tamen adsunt aliæ duæ finales, quarum quælibet per se sufficit, ideò unâ cessante, non cessat Legis dispositio, *argum.* §. *Affinitatis*; *Institut. de Nupt.* Porro eo ipso, quòd quis deliberatè, & ex proposito grave delictum in Ecclesia committit, præsumitur spe immunitatis obtinendæ hoc fecisse: estque hæc præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium: & quamvis delinquens revera non habuisset hujusmodi spem veniæ, & immunitatis, tamen ob alias causas expressas in textu, meritò privaretur privilegio immunitatis, *Hostiens. in cit. c. ult. V. Quæ nisi*; & *Ioan. Andr. n.* 2. Ubi tamen addunt, quòd ei subveniretur, si probaretur, hoc fecisse, non sub spe immunitatis.

XXIII. Extenditur tertiò. Quòd etiam is, qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, non gaudeat hujus immunitate; cùm enim una sit per Orbem universalis Ecclesia, licèt sint multæ particulares: qui facit injuriam uni Ecclesiæ particulari, omnes offendisse censetur, *Silvest. V. Immunitas*; 3. *quæst.* 2. *dicto* 3. Ubi tamen addit, de consuetudine in quibusdam locis contrarium servari, quasi una Ecclesia utatur suo privilegio contra aliam, sicut minor contra alium minorem. Imò secundùm aliquos apud *Barbos. in cit. c. ult. nu.* 7. & *Fagnan. ibid. num.* 16. Qui semel deliquit in una

Ec-

Ecclesia, & iterum delinquit, extra Ecclesiam, & post delictum ad Ecclesiam fugit, privatur privilegio immunitatis in illa; quod maximè procedit, si pro delicto, extra Ecclesiam, commisso non fuit punitus.

XXIV. Extenditur quartò. Quòd etiam is, qui ex proposito prope Ecclesiam deliquit, spe immunitatis consequendæ, si de tali spe ex conjecturis constare possit, non gaudeat immunitate, si confugerit ad illam, *Covarruv. c. l. num.* 15. *coroll.* 26. & alij apud *Barbos. c. l. numer.* 5. Sed contrarium tenet *Suarez cit. c.* 11. *num.* 9. *Laymann. cit. c.* 3. *num.* 7. quia talis reverâ non deliquit contra reverentiam Ecclesiæ, cùm in ea verè delictum non perpetret: sed tantùm speret, se consecuturum immunitatem delicti patrati. Putat tamen *Barbos. c. l.* distinguendum esse, an quis, datâ operâ, & ex proposito deliquerit prope Ecclesiam, animo eò facilius se tuendi in illa, & tum non gaudeat immunitate; secus, si casu tantùm prope Ecclesiam deliquit, absque tali proposito, idque videtur probabilius.

XXV. Extenditur quintò. Ad eum, qui existens in Ecclesia occidit telo v. g. existentem extra Ecclesiam, vel mandat occidi; is enim non gaudet immunitate, quia licèt effectus delicti extra Ecclesiam perficiatur, tamen ille absolutè graviter delinquit in Ecclesia, eique gravem injuriam infert, ideóque puniri debet in eo, in quo deliquit, juxta *cit. c. ult. h. t.* sicut etiam, vice versâ, si delictum sit inchoatum extra Ecclesiam, & intra illam consummatum: ut si quis existens extra Ecclesiam occidat, vel per servum occidi mandet existentem in Ecclesia, privandus est hac immunitate; quia reverâ injuriam infert Ecclesiæ, adeóque in illa delinquit, etiamsi in Ecclesia non sit, & indignus est, ut inde defendatur, cùm ex eo potiùs pœnam mereatur. *Silvest. V. Immunitas*; 3. *quæst.* 6. *dicto* 2. *&* 3. *Covarruv. cit. c.* 20. *num.* 15. *coroll.* 27. *Suar. cit. c.* 11. *num.* 7. *Barbos. in cit. c. ult. num.* 8. *&* 9. Nec obstat, quòd quæ pœnam statuunt delinquentibus, non debeant extendi ad delicta inchoata solùm, vel imperfecta: sed tantùm habent locum in delictis perfectis, & consummatis. Nam id verum est, si verba Legis id exigant, & sic etiam in præsenti non incurret privationem hujus immunitatis, donec delictum in Ecclesia sit factum: tunc autem omnes illam incurrunt, qui delictum committunt, vel ad illud cooperantur; quia verba, & ratio prædicti, *c. ult.* plus non requirunt. *Suar. cit. c.* 11. *n.* 8.

XXVI. Extenditur sextò. Quòd nec ille gaudet hac immunitate, qui aliquem existentem in Ecclesia, licèt ipse extra sit, per vim, & saltem per vestes extraxit; quia in Ecclesia deliquit, *Covarruv. cit. c.* 20. *num.* 18. *coroll.* 33. *Barb. cit. c.* 3. *num.* 114.

Extendunt septimò. Aliqui etiam ad eum, qui furtum commisit, extra Ecclesiam: sed re furto ablatâ in Ecclesia injustè utitur, cùm sit velut nova quædam rei alienæ injusta contrectatio, vel retentio. Sed contrarium tenet *Covarr. c. l. nu.* 15. *coroll.* 28 *&* *Suar. cit. c.* 11. *nu.* 8. Si fur rem ablatam deferat ad Ecclesiam, ut illam ibi occultet, tunc enim non gaudet immunitate, quin extrahi possit: secus, si ob aliam causam, veniens ad Ecclesiam, rem furtivam secum deferat.

XXVII. Limitatur autem, quòd delinquens in porticu, vel porta Ecclesiæ non privetur immunitate Asyli; quia non potest censeri deliquisse in ipsa Ecclesia, prout expressè requiritur *in cit. c. ult. h. t.* nam in Ecclesia aliquid fieri, est intra illam fieri. Nec obstat, quòd porticus Ecclesiæ gaudeat immunitate ejusdem, ut suprà dictum, ergo etiam in ipso delinquens, dicitur deliquisse in ipsa Ecclesia; Nam respondetur, negando conseq. quia porticus, vel etiam porta Ecclesiæ gaudet immunitate per extensionem, nam in favorabilibus lata fit interpretatio, immunitas autem cedit in favorem Ecclesiæ, ideóque favorabilis est. *Suarez cit. lib.* 3. *c.* 9. *num.* 1. At verò quando agitur de delicto inducendo, adeóque de re odiosa, ac pœnali, strictior fit interpretatio, ita, ut delinquens in porticu non possit delinquere in Ecclesia. Ob quam causam, locus sacer ad effectum inducendi sacrilegium, non ita latè accipitur, sicut ad effectum gaudendi Ecclesiasticâ immunitate. *Barb. l.* 2. *Jur. Eccles. cap.* 3. *num.* 117. *&* *seqq.* & alij apud ipsum.

XXVIII. Cæterùm præter delicta allata ex *c. Inter alia*; 6. & *c. ult. h. t.* sunt adhuc alia quædam crimina atrocia excepta, in quibus non habet locum immunitas Asyli, etiamsi commissa sint, extra Ecclesiam. Veluti primò. Homicidium proditorium, juxta *c.* 1. *de homic.* ut, si quis non tantùm de industria, sive ex proposito: sed etiam per insidias, v. g. à tergo aggrediendo hominem occiderit, nam in *cit. c.* 1. copulativè requiritur, ut, quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, vel dolum, ita, ut per posteriorem vocem determinetur, & declaretur vox prior, ut sensus sit, si quis occiderit per industriam insidiosam, *Covarruv. cit. c.* 20. *num.* 7. idque procedit, sive in Ecclesia, sive extra illam, & sive Clericum, sive Laicum proditoriè quis occiderit, & sive ipse occisor fuerit Clericus, sive Laicus, *Covaruv. c. l. Suarez cit. c.* 11, *n.* 10. & 2. *seqq. Laymann, in cit. c.* 3. *num.* 8. §. *Tertius casus.* Idémque est dicendum de eo, qui hominem veneno clam propinato occidit; cum illud etiam sit homicidium qualificatum, ac proditorium, *arg. l.* 1. §. *Quod si quis*; *ff. de SC. Silvaniano*, & *l.* 1. *C. de malefic.* ubi dicitur, plus est, hominem extinguere veneno, quàm occidere. Et hic quidem casus, etiam nominatim est expressus *in Constit. Gregorij XIV.* editâ anno 1591. quæ incipit, Cùm aliàs, & extat apud *Piasec. in praxi Episc. p.* 2. *c.* 4. *artic.* 8. ibi: *Aut qui proditoriè proximum suum occiderint.* Et quamvis aliqui hoc extendant etiam ad homicidium simplex, ex proposito, seu deliberato animo factum, quòd, & ob illud quis possit ex Ecclesia extrahi; Contrarium tamen est verius, ac tenendum, quia cùm exceptio illa sit odiosa, quippe quæ adversatur favori, ac privilegio immunitatis Ecclesiæ concessæ; ideo non debet extendi, sed potiùs strictè est interpretanda, servatâ verborum proprietate. *Covarruv. c. l. num.* 7. *in fine*, *Suarez c, l. num.* 13 *Laymann. c. l.* Porro propter homicidium etiam proditorium non privatur quis immunitate Asyli, nisi effectus, sive mors sit secu-

ta; secus, si tantùm insidiosè vulneravit, vel homicidium attentavit; quia talis propriè non occidit, leges autem humanæ, præsertim odiosæ, restringendæ sunt ad verborum proprietatem, *Suarez cit. c. 11. num. 14.* ubi tamen *num. 16.* addit, mandantem per insidias aliquem occidi, comprehendi in hac exceptione, saltem si mors sequatur; quia qui facit per alium, perinde est, ac si faceret per seipsum. *Reg. jur. 72. in 6.*

Secundum crimen exceptum est Assassinij, sive Assassinatûs, si quis scilicet pecuniâ conductus alium incautum occidat; nam & hoc est crimen proditorium, adeóque ad proximè præcedens refertur, in quo æquè mandans, ac mandatarius jure immunitatis privatur. *Covarr. c. l. n. 10. Suar. c. l. n. 15. Laym. c. l. n. 9.* Et hic casus est etiam exceptus *in cit. Constitut. Gregorij XIV.* ibi: *aut Assassini.*

Tertium crimen exceptum est Hæresis, *Covarruvias cit. c. 20. num. 11. Coroll. 14. Laymann. c. l. num. 9. in fine*, quia cùm hæretici delinquant contra Ecclesiam, non merentur ab ea defendi, & excipitur etiam in *cit. Constitut. Gregor. XIV.*

Quartum crimen est læsæ Majestatis in personam ipsius Principis Rei, prout etiam excipitur in eadem *Constitut. Gregor.* licèt de Jure communi non sit exceptum: in praxi tamen contrarium observatur, ut nimirum extrahantur Rei hujus criminis, saltem cum licentia Episcopi, *Clar. cit. q. 30. n. 10. in fine, Laym. c. l. n. 9. in fine.*

XXIX. Præterea Jure Civili *in cit. Auth. de mandat. Princip. §. Sed neque*; excipiuntur etiam homicidæ, raptores Virginum, & adulteri, qui immunitate Asyli non gaudent. Verùm Lex illa correcta est per Jus Canonicum, ut de raptoribus constat ex *c. ult.* & ibi *V. Gl. Vel pœnarum*; *caus. 36. q. 1.* & in hac materia immunitatis quippe Canonica, non Legibus Civilibus; sed Canonicis Sanctionibus standum est, cum casibus ab eodem jure exceptis, ut ex communi docet *Abb. in cit. c. Inter 6. num. 15. h. t. Silvest. V. Immunitas 3. quæst. 2. dicto 4. Suarez cit. c. 11. num. 17.* nisi per contrariam consuetudinem, videntibus, & consentientibus Prælatis, inductum aliquod crimen esset exceptum, ut immunitate non gaudeat.

XXX. Denique excipiunt nonnulli, si reus jam captus ex carcere, vel ex manibus Ministrorum justitiæ elapsus, ad Ecclesiam confugiat, eum non gaudeere immunitate Asyli: sicuti nec illum, qui in arresto justè detentus, juravit, se permansurum, vel ad tempus inde dimissum rediturum, sed postea ad Ecclesiam fugit. Sed oppositum est verius, ut tradit *Abb. c. l. n. ult. Silv. V. Immunitas 3. qu. 3. dicto 5. Covarr. cit. c. 20. n. 12. Suar. cit. c. 11. n. 11. nu. 19. & 20.* Idem tradit *Clar. cit. q. 30. n. 19.* de illo reo, qui insequentibus eum Ministris justitiæ fugit in Ecclesiam. Ratio est, quia cùm immunitas introducta sit in favorem Ecclesiæ, non debet delictum Rei ei præjudicare. Potest tamen Prælatus Ecclesiasticus sic aufugientem ex arresto, tradere Magistratui sæculari, præstitâ cautione idoneâ de immunitate, quoad pœnam corporalem. His adde, quòd etiam ij, qui jam capitis condemnati, si dum adducuntur ad supplicium, fugiant ad Ecclesiam, vel Cœmeterium, gaudeant hac immunitate, ut ex communi docet *Clar. cit. q. 30.*

§. II.

Vtrùm omnes homines, sive liberi, sive servi, Laici, vel Clerici, aut Religiosi, fideles, vel infideles gaudeant immunitate Asyli, in casibus iure concessis, & an etiam debitor ex causa Civili?

XXXI. Assertio 1. Non solùm homines liberi, sed etiam servi, si fideles, & baptizati sint, gaudent immunitate Ecclesiasticâ, si ad Ecclesiam velut Asylum confugiant, ut violenter extrahi non debeant, ut constat ex *c. Si quis 3. 20. caus. 17. qu. 4.* & *c. Inter alia 6. §. Si verò servus; h. t.* Porro servo non solùm ob timorem Domini, fugienti ad Ecclesiam conceditur immunitas, respectu Judicis, si commisit delictum, propter quod publicè puniri potest (quia respectu Judicis non est distinctio inter liberum, & servum; non enim est acceptio personarum apud DEUM, & sic utérque æqualiter gaudet hac immunitate, cùm servus respectu Judicis, quasi liber habeatur) sed etiam respectu Domini, si solùm ita deliquit, ut privatim ab eo puniri possit, v. g. propter negligentiam commissam in obsequijs domesticis; nam dominus habet dominium in personam servi, & jus ad opera ejus, ideóque, si fugerit, illi restituendus est, promissâ à Domino impunitate: cùm tamen Judici nō sit restituendus, quia de hoc nulla mentio fit in *cit. c. Inter alia; h. t.* & *l. Præsenti 6. §. Sanè; C. de his, qui ad Eccles. confug. Abb. in cit. c. Inter alia n. 23. Suar. cit. lib. 3. c. 10. n. 2.* Excipi debet, nisi servus fugiat, propter magnam sævitiam Domini, tunc enim ei restituendus non est, quia non debet exponi tam gravi periculo: sed cogendus est dominus, servum vendere, *§. fin. Instit. De his, qui sui, vel alien. jur. Abb. c. l.* Idémque probabiliter dicitur, si prudenter timeatur, imminere servo morale periculum gravis nocumenti, non obstante juramento de securitate à domino præstito; tunc enim cogendus est dominus, ut majorem cautionem præstet, vel, ut eum vendat; *Suar. c. l.*

XXXII. Assertio 2. Omnes fideles, etsi excommunicati sint, gaudent immunitate Asyli, ut per vim ex Ecclesia extrahi non possint; quia hæc immunitas Ecclesiis est concessa, non delinquentibus; & quia in generali prohibitione, ne quis reus per vim extrahatur ex Ecclesia, non excipiuntur excommunicati: tum deniq; quia excommunicatio non habet alios effectus, nisi qui in jure sunt expressi, nullibi autem in jure est statutum, quòd excommunicatio privat delinquentes immunitate Ecclesiæ, *Covarr. cit. c. 20. n. 11. Corol. 12. Suar. cit. c. 10. n. 3.* ubi addit, multò magis idem dicendum esse de personaliter interdictis; tum quia gravior est censura excommunicationis, quàm interdicti, & magis privat participatione Divinorum: tum quia nullibi in jure tribuitur hic effectus interdicto: tum denique Ecclesia interdicta gaudet immunitate, ergo etiam non interdicta gaudebit illâ, quoad personam interdictam.

XXXIII.

XXXIII. Porro an etiam Clerici, & Religiosi gaudeant immunitate Ecclesiasticâ, ita, ut non possint à Judice proprio, sive Prælato suo Ecclesiastico per vim extrahi ex Ecclesia, in casibus, in quibus Laici extrahi non possunt? valde controversum est inter Dd. Negativam sententiam, quòd non gaudeant, si Prælatus Ecclesiasticus, non ex odio: sed causâ disciplinæ, reos velit ex Ecclesia extrahere, ut puniat, tenent *Abb. in cit. c. Inter alia*; *n. 13. h. t. Silv. V. Immunitas*; *3. n. 2. qu. 3. dicto 3. Azor p. 2. lib. 8. c. 9. qu. 9. §. Quid de pagano*; *Suar. cit. c. 10. num. 6. Sanch. in Consil. moral. lib. 6. c. 1. dub. 8. num. 6. Laym. cit. c. 3. nu. 11.* & alij. Idque probant primò. Quia LL. Civiles loquuntur tantùm de Laicis, ne extrahantur ex Ecclesia, de Clericis enim nihil statuere possunt. Canones verò quamvis non distinguant inter Laicos, & Clericos, tamen videntur, respexisse ad Laicos tantùm, ut videtur colligi ex *cit. c. Inter alia*; ubi dicitur, *Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*; hoc est, impetrare à Sæcularibus, ne ipsos condemnent ad mortem, vel pœnam corporalem, quod non potest verificari in Clericis, qui sæculari potestati non subsunt. Secundò. Quia Episcopi Clericos suos, & Prælati Regulares suos subditos Religiosos castigant, ac puniunt in Ecclesiis, & Monasterijs, ergo etiam habent potestatem, illos ibi puniendi, vel etiam inde extrahendi, ut trudant in carcerem, vel in aliud arctius Monasterium concludant. Tertiò, si Clerici gauderent hac immunitate, hoc cederet in magnum dedecus, & præjudicium Ecclesiæ, videretur enim, velle defendere facinora Clericorum: præsertim cùm multi sint Clerici, qui bona patrimonialia non habent, & sic non possunt puniri in pecunia, nec etiam in corpore, adeóque delicta eorum manerent impunita. Quartò. Cùm Clerici, præsertim in communi viventes, & Religiosi frequenter delinquant in Ecclesia, vel saltem intra XL. vel XXX. passus, sequeretur, quòd pro his delictis non possint puniri, vel rarò, si ab Ecclesia extrahi non possent, contra *cap. 2. & c. Cùm illorum*; *32. de sentent. excomm.* Quintò. Judex Ecclesiasticus majorem habet potestatem in Ecclesiam, ex qua reus extrahitur, quàm Sæcularis: & major est immunitas, quæ competit Clerico, ratione personæ suæ, quàm sit illa, quæ competit ratione loci sacri. Sed Prior non impedit, quò minùs Clericus à suo Prælato possit incarcerari, & corporaliter puniri intra limites Ecclesiæ, *c. Universitatis*; *24. de sentent. excomm.* ergo nec locus sacer impediet. Sextò. Judicium Ecclesiasticum censetur magis medicinale, quàm vindicatorium: & spirituale potiùs, quàm temporale, ideóque etiam in Ecclesia exerceri licitè potest, ergo etiam potest in personam Clerici exerceri, per extractionem illius ex Ecclesia. Septimò. *In Clement. 1. §. Si qui verò*; *de privil. & in c. 2. de Regul. in 6.* Religiosi delinquentes in Religione, jubentur subijci gravibus pœnis.

Ex quo inferunt hujus sententiæ Auctores: quòd immunitas hæc Ecclesiastica propriè tantùm introducta sit, respectu Judicum sæcularium, quò minùs reos ex Ecclesia extrahere possint: non item respectu Judicum Ecclesiasticorum, quò minùs Clericos ad Ecclesiam confugientes extrahere possint, ut eos in carcerem detrudant, vel puniant, ut colligitur ex *c. Frater*; *10. & c. Definivit*; *35. caus. 17. q. 4.* & Ecclesia non videtur privilegium dare contra se ipsam, *c. Cùm Instantia*; *17. de censib.*

XXXIV. Limitant tamen prædicti Dd. ut non procedat in ijs casibus, in quibus Judex sæcularis potest capere Clericum delinquentem, in minoribus cõstitutum, si non sit Beneficiatus: nec habitum, aut tonsuram gestans, alicui Ecclesiæ inserviat, juxta *Concil. Trident. Sess. 23. c. 6. de reformat.* Tunc enim locum habet immunitas Ecclesiæ, ita, ut nec à Judice Sæculari, nec Ecclesiastico extrahi possit; quia talis Clericus reputatur, ut Laicus, & saltem non debet esse deterioris conditionis, quàm Laicus. *Suar. cit. c. 10. num. 7. Laym. cit. c. c. 3. nu. 11.* Secundò. Limitant, si crimen sit exceptum, & atrox, ut ob illud Clericus sit deponendus, & tradendus Judici sæculari, tunc enim plerumque cessat immunitas Ecclesiastica, adeóque potest ex Ecclesia extrahi, & tradi Judici sæculari. Si verò sit aliquod delictum, non exceptum, ob quod reus non privatur defensione Ecclesiasticæ immunitatis, & nihilominus ob id Clericus, si in eo incorrigibilis sit, Judici sæculari tradi possit: tunc Judex Ecclesiasticus, vel illum ex Ecclesia extrahere non debet: vel si extrahat, potestati sæculari tradere non potest; quia non debet Clericus esse pejoris conditionis, quàm Laicus, *Covarruv. cit. c. 20. num. 16. Corol. 29. Laym. c. l.*

XXXV. Altera sententia affirmat, nempe spectato Jure communi, etiam Clericos, si confugiant ad Ecclesiam, gaudere ejusdem immunitate, ita, ut ab Ecclesiasticis Judicibus inviti extrahi non possint: quamvis contrarium servetur de consuetudine, quam sententiam tenet *Ioan. Andr. in c. Inter alia*; *6. nu. 4. h. t. Clar. cit. c. qu. 30. nu. 16. Card. Tusch. V. Ecclesia*; *Conclus. 9. num. 17. & concl. 11. num. 27. Barb. in cit. c. Inter alia*; *num. 16. & seqq. & lib. 2. Jur. Eccles. c. 3. num. 139. & seqq.* & alij aqud ipsum, quam novissimè etiam sequitur *Fagn, in cit. c. Inter alia*; *num. 78. & seqq.* Primum, ac præcipuum fundamentum est, quia hoc privilegium immunitatis concessum est loco ipsius Ecclesiæ, seu personis propter honorem, ac reverentiam, quæ debetur locis DEO sacratis: privilegium autem concessum loco, extenditur ad omnes personas ibi existentes, sive mares sint, sive fœminæ: sive Laici, sive Clerici, ut notat *Tusch. c. l.* Secundò. Quia Canones prohibentes, extrahi reos ex Ecclesiis, generaliter loquuntur, non distinguendo inter Clericos, & Laicos, *c. Reum*; *9. c. Definivit*; *35. & C. seq. caus. 17. q. 4. c. Inter*; *6. h. t.* Ergo generaliter etiam de omnibus sunt intelligendi: & in *c. Nullus*; *19. ead. caus.* & *q.* dicitur: *Nullus Clericorum servum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat*: si ergo Clerico non licet, servum proprium ex Ecclesia, nec discipulum flagellationes timentem, disciplinæ causâ, ex Ecclesia trahere, qui potest esse Clericus, vel Laicus, multò minùs licebit Judici Ecclesiastico, extrahere delinquentem. Tertiò. Major est ratio in Clerico, ut in Ecclesia capi non possit, quàm in Laico; quia Ecclesia est quodammodo propria domus Clerici, nemo autem in domo propria capi licitè potest. *l. Nemo*; *103. ff. de R. I.* scilicet in civilibus; secus in criminalibus. *Accurs. ibid V. debet.* Quartò. Quia Ecclesia, & Prælati Ecclesiastici, multò magis defendere debent Clericos sibi subditos, quo-

quorum ſpecialem curam habent, quàm Laicos, neque enim ille impugnare debet, qui defendere debet, *c. Conquerente*; 7. *de reſtit. ſpol.* ergo privilegium immunitatis indiſtinctè ab Eccleſia conceſſum fugientibus ad Eccleſiam, competit etiam Clericis, neque Prælati Eccleſiaſtici Clericos inde per vim extrahere poſſunt. Quintò. Quia Clerici, ante aſſumptum Clericalem habitum, gaudebant Jure hujus immunitatis, ergo etiam, poſt ejus aſſumptionem, illo gaudent; nullibi enim Jure ſtatutum reperitur, quòd is, qui Clericus ſit, ea, quæ ſibi ut Laico competebant, amittat per Clericatum. Sextò. Quia cùm Eccleſia hoc ſtatuerit in Laicis, ut extrahi non poſſint per vim ex Eccleſiis, debet etiam idem pati in ſuis Clericis, juxta *c. Cùm omnes*; 6. *de Conſtit. Patere Legem, quam tu ipſe tuliſti.* Septimò denique, quia aliàs Clerici deterioris eſſent conditionis, quàm Laici, quod inconveniens videtur.

XXXVI. Ad primæ ſententiæ argumentum reſpondent Dd. ſecundæ ſententiæ, quòd Canones generaliter, & indiſtinctè loquantur per verba *nullus*, ac *nemo*, aut his ſimilia, & ſic generaliter etiam debent intelligi. Nec refert, quòd *text. in c. Inter alia*; 6. *h. t.* loquatur de pœna mortis, & mutilationis, quam Eccleſiaſticus Judex imponere non poteſt; quia loquitur non de illa pœna ſolùm: ſed de omni pœna, ut explicat ibid. *Ioan. Andr. num.* 5. & apertiùs conſtat ex *c. Id conſtituimus*; 36. *cit. cauſ.* 17. *q.* 4. ibi: *niſi de morte, & debilitate. & de omni pœnarum genere ſint ſecuri.* Quare quamvis pœna mortis, & mutilationis referenda ſit ad Judicem Laicum, aliæ tamen pœnæ, quæ ibi pronuntur, referendæ ſunt, etiam ad Judicem Eccleſiaſticum, *Fagn. in cit. c. Inter alia*; *n.* 69. accedit, quòd ibi potiùs fiat mentio de Laicis, quàm de Clericis; quia frequentiùs Laici gravia crimina perpetrant, propter quæ confugiunt ad Eccleſias, quàm Clerici, lex autem ad ea, quæ frequentiùs accidunt, conſtitui ſolet. *Barboſ. in cit. c. Inter alia*; *n.* 26.

Ad ſecundum argumentum primæ ſententiæ reſpondetur, quòd Religioſi poſſint puniri, & incarcerari intra Clauſtra, & ſepta Monaſterij, neque per hoc violatur Eccleſiæ, vel Monaſterij immunitas; quia è loco immuni non extrahuntur, & Jure Canonico ſolùm prohibentur Rei ex Eccleſiis inviti extrahi, ut conſtat ex *c. Reum*; 9. *cauſ.* 17. *qu.* 4. *Abb. in cit. c. Inter alia*; *num.* 12. Neque etiam eſt prohibitum, quò minùs Epiſcopi, vel Prælati Regulares moderatè caſtigare poſſint ſubditos Clericos, vel Regulares, correctionis, vel diſciplinæ causâ, etiam in loco aliàs immuni, ut notat *Gl. in c. Nullus*; 19. *V. vel flagellare*; & fatetur etiam *Abb. c. l. num.* 11. dummodò id fiat citra illationem mortis, vel mutilationis, *cit. c. Reum*; & *c. Inter alia.* Quin imò poſſunt Religioſi, etiam inviti extrahi ex uno Monaſterio, & in aliud arctius, pœnitentiæ causâ, detrudi, abſque violatione immunitatis Eccleſiaſticæ; tum quia id fit Lege permittente, *c. Qui peccat*; 40. *cauſ.* 23. *q.* 4. Tum quia ab uno Monaſterio, & loco immuni vi deducuntur, non ad alium locum profanum, ſeu privatum (quod ſine violatione immunitatis Eccleſiaſticæ, fieri non poteſt:) ſed ad aliud Monaſterium, adeóque ad locum ſimiliter immunem: & ita ſemper ſalva manet immunitas Eccleſiæ, cùm in Eccleſia continuè maneat. Idémque dicendum de Clericis ſæcularibus, qui poſſunt puniri, & in carcerem conijci, intra ſepta Eccleſiæ, vel etiam ad pœnitentiam agendam, in Monaſterium detrudi à Judice Eccleſiaſtico, & ſic de loco immuni ad alium locum immunem transferri, citra periculum violandi immunitatem Eccleſiaſticam, *Fagn. in cit. c. Inter alia*; 6. *num.* 92. *&* 93. *h. t.* Porrò illi, qui in Eccleſia delinquunt, ſive Laici ſint, ſive Clerici, aut Religioſi, immunitatem non conſequuntur; quia Eccleſiam contemnere, & eidem injuriam inferre cenſentur. *Barb. in cit. c. Inter alia*; *n.* 27. *h. t.*

XXXVII. Ex dictis jam patet etiam reſponſio ad reliqua argumenta ſupra propoſita pro prima ſententia: neque enim delicta remanent impunita: neque etiam Eccleſia defendit facinora Clericorũ; quia in criminibus exceptis poteſt eos extrahere ex Eccleſiis: in non exceptis, coërcere cenſuris, depoſitione, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis, aut pecuniarijs. *Fagn. c. l. Barboſ. c. l. nu.* 28. Neque valet etiam argumentum ab immunitate perſonarum ad immunitatem locorum; cùm ſint omnino diſparata privilegia, à diſparatis autem non fit bona illatio, ſeu conſequentia: & poteſt etiam Clericus ſæcularis ex Eccleſia, ſive loco immuni transferri ad aliam Eccleſiam, vel locum immunem, ut ex dictis patet. Quare ſententia ſecunda ſic explicata eſt probabilior, quippe quæ ſolidioribus nititur fundamentis: neque valet conſuetudo contraria, quippe quæ præjudicat libertati, & immunitati Eccleſiaſticæ, adeóque abuſus potiùs, & corruptela eſt dicenda. *Barb. c. l. n.* 31. *& Fagn. n.* 94. ubi *n.* 95. Addit, Conſtitutionem Gregorij XIV. ſupra allegatam editam fuiſſe contra Principes ſæculares, qui plura privilegia à Sede Apoſtolica impetrarunt, extrahendi delinquentes ex Eccleſiis, & illis abutebantur, ut patet ex dictis proœmij: ſed quia vi hujuſmodi privilegiorum, Principes nullam poteſtatem exercere poterant in Clericos, quippe exemptos ab illorum juriſdictione: ſed tantùm in Laicos ſibi ſubjectos; ideo in dicta Conſtitutione de Laicis tantùm fit mentio, non item de Clericis. Ex quo tamen non ſequitur, quòd Clerici non gaudeant immunitate in illis caſibus, in quibus gaudent Laici, imò major eſt ratio in Clericis, ut ex dictis conſtat.

XXXVIII. Quòd denique attinet ad infideles, videlicet Judæos, & Paganos, ſeu gentiles, an illi fugientes ad Eccleſiam gaudeant ejus immunitate, diſſentiunt quoq; inter ſe Dd. Affirmativam ſententiam, quòd indiſtinctè gaudeant Eccleſiæ immunitate, etiamſi non zelo Fidei, vel Religionis: ſed timore pœnæ, ad illam fugiant, ita, ut non poſſint extrahi inviti, tenent *Silveſt. V. Immunitas*; 3. *qu.* 3. *dicto* 1. *&* 2. & alij apud *Fagnan. in cit. c. Inter alia*; *num.* 60. *&* 2. *ſeqq. h. t.* quos & ipſe ſequitur. Ratio eſt, tum quia Canones generaliter loquuntur, quòd nullus fugiens ad Eccleſiam debeat inde extrahi, niſi in caſibus Jure exceptis: tum quia hoc privilegium non eſt conceſſum ipſis perſonis: ſed Eccleſiis, ſive locis ſacris: tum quia Eccleſia, concedendo immunitatem, non defendit hominis infidelis, ſicut nec homicidæ, inquitatem, ſed vitam: tum denique, quia ſaltem Judæi, ſub defenſione, & protectione Romanæ Eccleſiæ, ſunt recepti, *c. Sicut*; 9. *De Judæis.*

XXXIX. Contrariam tamen, & negativam ſententiam, quod Judæi, & Pagani non gaudeant immunitate Eccleſiæ indiſtinctè, & ſine exceptione, tenent

tenent *Clarus cit. q. 30. nu. 17. Covarr. cit. c. 20. n. 11. Coroll. 13.* Ratio est, tum quia par non est, ab Ecclesia eos defendi, qui ejus gremio, fidei, ac tutelæ se committere recusant: tum quia Canones, statuentes immunitatem reis, videntur loqui, juxta subjectam materiam, de personis, quæ sunt sub Ecclesiæ jurisdictione constitutæ: nam de his, qui foris sunt, nihil ad nos, ut ait Apostolus, & ideo verba Legis, secundùm subjectam materiam limitari debent ad solos fideles. Eandem sententiam tenet etiam *Gl. in cit. c. Inter alia; V. Extrahendus; h.t. Abb. ibid. n. 6. Suarez cit. l. 3. c. 10. num. 10. Laym. cit. c. 3. n. 12.* cum hac tamen exceptione, nisi Judæi, vel Pagani ad Ecclesiam fugientes, Baptismum non simulatè petere videantur, prout satis apertè colligitur ex *l. 10. C. de his qui ad Eccles. confug.* ubi de Judæis, qui simulant, se Christianæ Legi velle conjungi, dicitur, ut ad Ecclesias fugientes non suscipiantur (quod ob paritatem rationis, etiam in Paganis locum habet) ergo à contrario sensu, si non simulatè, sed sincerè Baptismum petant, sunt ab Ecclesia defendendi, *Gl. margin. ibid. lit. C.* Idque etiam de Jure Canonico procedit, *arg. cit. c. Inter alia; h. t.* ubi dicitur: *juxta statuta Canonum, & traditiones LL. Civilium.* Adeóque cùm adjungatur Jus Civile, hac in parte, Jus Canonicum per Civile interpretari oportet. Porro, si infidelis, ante delictum commissum, petijt Baptismum, tunc nulla est ratio præsumendi simulationem. Si verò post delictum commissum, ad Ecclesiam confugiens, petat Baptismum, tunc magna est contra ipsum præsumptio (non tamen juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, ut putat *Abb. c. l. num. 6.*) quòd simulatè, & tantùm ad pœnam vitandam Baptismum petat, ideóque non gaudet immunitate: sed ex Ecclesia extrahi potest, nisi contrarium appareat. Quare hoc casu ad Prælatum Ecclesiæ pertinebit, examinare voluntatem Rei, an verè, vel simulatè petat: & si judicaverit, illum verè petere Baptismum, immunitatem ipsi concedere debet, ita ut tunc à Judice ex Ecclesia extrahi non possit, *Suar. cit. c. 10. num. 11. & 12. Laym. c. l.* atque hæc posterior sententia, cum adjecta exceptione, videtur probabilior.

XL. Postremò hæretici non gaudent immunitate Asyli, si propter crimen hæresis fugiant ad Ecclesiam; quia omnino sunt indigni tali favore, ob atrocitatem hujus criminis: tum quia causa illa est Ecclesiastica, non valet autem hæc immunitas contra Ecclesiam, *Covarr. cit. c. 20. n. 11. Coroll. 14.* propter alia verò delicta diversa ab hæresi, quæ non sunt excepta, non sunt privati hac immunitate; quia nullus Canon de ijs extat: neq; *Text. in l. 1. C. De his qui conf. &c.* qui loquitur de baptizatis, extendi debet ad non baptizatos. *Silvest. V. Immunitas; 3. q. 3. dicto 2. Suar. cit. c. 10. n. ult. Zæs. hîc n. 16.*

XLI. Assertio 3. Reus debendi, sive debitor, ex causa civili fugiens ad Ecclesiam, gaudet etiam immunitate, ita ut invitus extrahi non possit, ut docet *Abb. in c. Inter alia; 6 h.t. n. 22. Silv. V. Immunitas; 3. qu. 3. dicto 6. Covarr. cit. c. 20. n. 14. §. Sed profecto; Suar. cit. c. 11. num. 3.* Idque apertè sumitur ex *l. 1.* ibi: *ut ad Ecclesias fugientes evitare possint crimina, vel pondera debitorum,* & ex *l. Præsenti; 6. §. Cùm autem; C. de his qui ad Eccles. conf.* Unde cùm in *c. Id constituimus; 36. caus. 17. q. 4.* dicitur, *quòd Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia reos abstrahere non liceat.* per reos non tantùm intelligi debent Rei criminis: sed etiam Rei ex contractu, vel causa civili, ut juxta Legem Civilem, quam hic Canon allegat, & approbat, fiat interpretatio, præsertim cùm alij etiam Canones universaliter loquantur de reis confugientibus ad Ecclesiam. Idque procedit etiam in debitore publicorum tributorum, non obstante *Auth. de mandat Princ. §. Neque autem; Vers. publicorum autem tributorum c. 7. coll. 3.* quippe quæ adversatur immunitati Ecclesiæ per Canones concessæ. *Abb. cit. loc. n. 24. Suar. c. l.* Non obstat etiam, quòd debitor in die Festo potest capi, ergo etiam in loco sacro; quia à tempore sacro ad locum sacrum universim non valet argumentatio, cùm etiam criminosus possit capi, & incarcerari die Festo: non autem in loco sacro. *Covarr. c. l.* Excipiuntur *in cit. Constit. Gregorij XIV.* fraudulenti, sicut & illi, qui cum bonis suis fugiunt ad Ecclesiam, ea secum deferendo, vel aliàs absconduntur, in fraudem creditorum; hi enim non gaudent immunitate Ecclesiæ: sed extrahi possunt, ut notat *Gutier. pract. qq. lib. 1. q. 1. n. 13.* Porro hoc jus immunitatis in quibusdam Regnis non usque adeo observatur, ut monet *Covarruv. cit. c. 20. nu. 14. §. Nec tamen me latet.*

§. III.

Quinam sint effectus, seu commoda immunitatis, quos habent Rei confugientes ad Ecclesias, vel alia loca sacra?

XLII. Primus, ac præcipuus effectus est, quòd reus per vim, seu invitus è loco sacro extrahi non possit, *cit. c. Rem; 9. caus. 17. q. 4. & cit. c. Inter alia; h.t. Abb. ibid. n. 3. & 9.* Et hinc, si de facto extractus fuerit, de jure potest petere, ut restituatur pristinæ libertati, quippe quâ de facto fuit privatus: & ipsa etiam Ecclesia agere potest, ad ejus restitutionem, cùm fuerit suâ libertate spoliata. *Abb. c. l. num. 26.* & colligitur ex *c. Minor; 8. caus. 17. q. 4.* Veruntamen, si Judex vim non inferat reo, sed is sponte, ac voluntariè exeat, quamvis à Judice rogatus, vel promissionibus, aut blanditijs illectus, non violatur immunitas Ecclesiæ; quia nulla infertur violentia, quæ sola ex vi immunitatis prohibetur, ut constat ex *cit. c. Iner alia;* ubi dicitur: *non est violenter ab Ecclesia extrahendus:* & ratio est, quia beneficium invito non datur, *l. Invito; 69. ff. de R. I.* Et hoc casu neque ipsi reo fit injuria, cùm sit volens, & consentiens: neque etiam Ecclesiæ, quia revera reus per vim non extrahitur: sed ipse sponte egreditur, quod potest facere sine peccato, etiam Clericis, seu Rectoribus Ecclesiarum non consentientibus, sed invitis. *Suar. lib. 3. de rever. deb. locis sacr. c. 13. n. 2.* Aliud verò dicendum est, si reus dolo à Judice educeretur ex Ecclesia, & postea caperetur, tunc enim violaretur immunitas Ecclesiæ; quia dolus in hac re pro vi habetur. *Azor p. 2. lib. 8. q. 14. §. Quid si dolo; Suar. cit. c. 13. n. 17. Laym. lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 13. in fine.*

XLIII. Limitatur autem, quod dictum est, de non extrahendo per vim reo ex Ecclesia, primò, quòd Judex sæcularis, in casibus à jure exceptis, in qui-

quibus non habet locum immunitas, potest reum confugientem ad Ecclesiam per vim, etiam propriâ auctoritate, & sine consensu, ac licentia Episcopi, vel alterius Prælati, aut Rectoris Ecclesiastici, extrahere; neque ex eo violatur immunitas Ecclesiastica; quia Jus ipsum dat talem facultatem, adeóque non est necessarium, illam ab homine petere, vel obtinere, & cùm Ecclesia tunc fugientes ad loca sacra non tuetur, nec tutari velit, *c. ult. h. t.* nulla fit ei injuria, ut docet *Covarr. cit. c. 20. n. 18. Coroll. 34.* ubi ait, id praxi, & moribus Christiani Orbis satis receptum esse. *Clar. cit. qu. 30. nu. 20.* ubi ait; hanc esse communem opinionem, & servari in praxi. *Suarez cit. c. 13. num. 1. & Abb. in c. Inter alia; 6. nu. 29. h. t.* ait, quòd Ecclesia possit delinquentem, intra Ecclesiam, punire, ratione sacrilegij ibi commissi: non autem ob delictum extra, vel etiam intra Ecclesiam commissum, si crimen sæculare sit, & reus sit Laicus, directè eum punire potest; quia Ecclesia non habet territorium, nisi respectu eorum, quæ sunt, vel pertinent ad forum Ecclesiasticum. Consentit *Covarr. c. l. Coroll. 35.* nam, si Laicus committens crimen in Ecclesia, potest per Judicem sæcularem inde invitus extrahi, *cap. ultim. h. t.* poterit etiam per eundem puniri. Contrarium tamen tenet *Fagnan. in cit. c. Inter alia; n. 79. & 98.* ubi ait: nullo casu violentam extractionem Rei ex Ecclesia fieri posse per Judicem sæcularem; quia Ecclesia non est de territorio Judicis sæcularis, adeóque non potest delinquentes inde extrahere, quia exerceret jurisdictionem extra territorium suum, & violaret jurisdictionem Ecclesiasticam. Sed responderi potest, posse aliquem ex speciali concessione Juris communis, etiam actum aliquem jurisdictionis exercere, extra proprium territorium, si persona sit illi aliàs subjecta.

XLIV. Limitatur secundò. Quòd cum licentia Rectorum Ecclesiæ, ex justa causa data, etiam in casibus jure non exceptis, in quibus nimirum locum habet privilegium immunitatis, possit Judex sæcularis reum, etiam invitum, extrahere, sine violatione immunitatis Ecclesiasticæ, receptâ priùs à Judice idoneâ cautione, vel saltem juratoriâ, de impunitate delinquentis, quoad vitam, & membra, & omnem pœnam corporalem, ut colligitur ex *c. Id constituimus; 36. caus. 17. qu. 4. Silv. V. Immunitas, 3. qu. 4. Suar. cit. c. 13. num. 3.* Ratio est, quia licèt talis Judex inferat vim personæ Rei; non tamen facit vim Ecclesiæ, cui directè hoc privilegium immunitatis concessum est, non delinquentibus, ergo potest hæc facultas dari Judici sæculari ab Ecclesia, eâque concessâ, is non peccat, extrahendo reum: nec tenetur Ecclesia Rei consensum requirere, aut exspectare, si judicet, expedire, vel prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum reo timeri posse.

XLV. Porro in allegata supra Constitutione » Gregorij XIV. §. *Volumus*; hodie expressè statu- » tum est, ut Curia sæcularis, ejúsque Judices, & » Officiales ab Ecclesiis, Monasterijs, locísque sa- » cris, Laicum aliquem delinquentem in aliquo ex » casibus ibi exceptis, sine expressa licentia Episcopi, » vel ejus Officialis, & interventu personæ Ecclesia- » sticæ ab eo auctoritatem habentis, capere, extrahe- » re, aut incarcerare non possint: nisi eo casu, quo » ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ » requisitæ, in delictis ibi expressis, Reos trade- » re, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & af- » sistere recusaverint: tuncque reverentiæ Ecclesiæ, » & locis sacris debitæ memores, prædictos delin- » quentes, minori, quoad fieri poterit, cum scanda- » lo, & tumultu extrahere curent. Ubi etiam addi- » tur: Et sic à Curia sæculari extracti ad carceres Cu- » riæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo » carcere; ac opportunâ custodiâ, datâ illis, si opus » fuerit, per Curiam sæcularem, detineri debeant, nec » inde extrahi, Curiæque sæculari prædictæ cõsignari, » nec tradi possint; nisi cognito priùs per Episcopum, » seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superiùs » expressa commiserint; tuncq; demum, de mandato Episcopi, per Judicem Ecclesiasticum Curiæ sæcula- ri, quâcunque appellatione postpositâ, consignentur, prout habetur apud *Fagnan. cit. c. Inter alia; n. 99. h. t.* Quare prior sententia solùm procedit in ijs locis, in quibus non est recepta dicta Constitutio Gregor. XIV. in qua prohibetur, etiam in casibus, in quibus cessat immunitas Asyli, reum extrahi, sine licentia Episcopi. *Zæs. in Comment. in Decret. lib. 3. n. 39. h. t.*

XLVI. Secundus effectus hujus immunitatis est, quòd reus non possit in Ecclesia, vel alio loco sacro capi, incarcerari, aut vinculis constringi, vel alia violentia ipsi inferri, prout habetur in *c. Definivit; 35. caus. 17. q. 4.* ubi etiam additur, permittendum hujusmodi reis, extra Ecclesiam, per 30. passus securè exire. Idémque statutum habetur in *l. Præsenti; 6. C. de his, qui ad Eccles. conf.* Ratio est, quia aliàs hoc esset, ex Ecclesia carcerem facere, quod ipsius immunitati magis repugnat. *Covarr. cit. c. 22. nu. 7. Coroll. 30. Suar. cit. lib. 3. c. 12. n. 2.*

XLVII. Tertius effectus est, quòd reus interim, dum in Ecclesia existit, non possit per sententiam Judicis, ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem condemnari, prout habetur in *c. Reum; 9. & c. Id constituimus; 36. cit. caus. 17. q. 4. & c. De raptoribus 3. junct. Gl. V. Vel pœnarum; caus. 36. q. 1. & ex cit. c. Inter alia; h. t.* ubi dicitur, *nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*, corporalem scilicet, ut explicat *ibid. Abb. n. 3.* qui textus non potest intelligi de executione ipsius sententiæ; quia indubitatum est, ipsa Ecclesia humanum sanguinem effundi non posse; *c. Reos; 7. caus. 23. q. 5. c. Cum Ecclesia; 5. h. t. & c. 2. eod. in 6.* sed intelligi debet de ipsa sententiæ prolatione, seu condemnatione ad mortem, vel pœnam corporalem: potest tamen reus puniri mulctâ pecuniariâ, prout sumitur ex *cit. c. Inter alia*; ubi dicitur, *super hoc tamen, quod inique facit, est aliàs legitimè puniendus*, pecunialiter scilicet, & aliter, quàm in persona, juxta *Gl. ibid. V. Puniendus; & Abb. n. 3. & 9. Silv. c. l. q. 4. Azor cit. c. 9. q. 12. Suar. cit. c. 12. n. 5.* quia tenetur satisfacere pro injuria, & damno illato. Addunt citt. Dd. quòd licèt reus exeat ex Ecclesia, non possit ampliùs ad pœnam corporalem, ob illud delictum, condemnari, vel criminaliter accusari: Id tamen *Suar. c. l.* putat, tunc solùm procedere, si reus exeat, fide datâ à Judice, & juratâ de impunitate illius, tunc enim Ecclesia jam obtinuit illi remissionem pœnæ corporalis: Secus est, si exeat, nullâ conventione, seu compositione priùs factâ, super impunitate illius, tunc enim cessavit immunitas, & res est in eo statu, in quo erat, antequam fugeret ad Ecclesiam, prout colligitur ex *cit. c. Id constituimus; caus. 17. q. 4.*

Idque

Idque in praxi, & de consuetudine servari, ut sive reus licitè ex Ecclesia fuerit extractus, in casibus, in quibus licitè extrahi poterat: sive sponte exierit, & postea captus fuerit, semper puniatur, perinde, ac si ad Ecclesiam nunquam confugisset, testatur *Clar. cit. qu. 30. n. 23.* Sed neque pœnâ servitutis, exilij, aut triremium talis reus mulctari potest, quia hæ pœnæ sunt valde graves, & corporalibus æquiparantur, imò etiam quasdam excedunt. *Suar. cit. c. 16. n. 6.* potest tamen reus fugiens ad Ecclesiam detrudi in Monasterium, ad agendam ibi pœnitentiam, *arg. c. Si Episcopus 3 7. dis. 50. & Auth. Sed hodie 3 C. De adult. Abb. in cit. c. Inter alia 3 num. 11.* vel etiam alia pœnitentia ipsi invito imponi potest, pro salute animæ, si peccatum sit publicum, & ad tollendum scandalum, id videatur necessarium; quia hoc non est contra immunitatem Ecclesiæ, cùm possit etiam, intra eandem, pœnitentiam illam peragere, nam immunitas non censetur concessa in præjudicium salutis animæ, dummodo reus invitus non extrahatur ex Ecclesia. *Abb. c. l. n. 12. Suar. cit. c. 12. n. 6. in fine.*

XLVIII. Quartus effectus est, quòd non possit Magistratus sæcularis prohibere, vel impedire, quò minùs victus, & vestitus, aliáque necessaria ad victum ad reum deferantur, ut habetur in *cit. l. Præsenti; C. de his, qui ad Eccles. conf.* quia esset aperta coactio, quæ tanta esse posset, ut reus, vel se tradere, vel exire, vel in Ecclesia mori cogeretur, *Covarr. cit. c. 20. nu. 17. Coroll. 31. Suarez cit. c. 12. nu. 4.* Potest tamen Judex obsidere Ecclesiam, eique custodiam apponere, ne reus liberè aufugiat, vel, ut si extra fines Ecclesiæ exierit, capi, & incarcerari possit; quia tunc nulla vis infertur existenti in loco sacro: sed solùm in loco non sacro ponuntur custodes, ut si reus sponte exeat, ibi comprehendatur, ubi jure capi potest. *Suarez c. l.* Si verò reus laciniam, sive extremitatem vestis extra Ecclesiam habeat, & illâ apprehensâ extrahatur, & capiatur, violatur immunitas Ecclesiæ. *Covarr. c. l. nu. 18. Coroll. 33. Suar. c. l. n. 4. in fine,* ubi rationem reddit, tum quia illa vis non infertur vesti, sed personæ, quæ gaudet immunitate, cùm sit intra Ecclesiam: tùm quia vestis adhæret personæ, tanquam accessorium principali, ergo cùm persona gaudeat immunitate, consequenter etiam vestis, præsertim cùm semper major pars vestis sit intra Ecclesiam. Idémque dicendum, si reus manum, vel pedem extra Ecclesiam posuit, ita, ut caput, & alia præcipua membra corporis intra Ecclesiam maneant, ob rationes prædictas, *Suarez c. l.*

XLIX. Quintus effectus est, quòd res, aut bona, quæ reus ad Ecclesiam fugiens secum detulit, non debeant per vim extrahi, aut ei auferri, ut colligitur ex *c. Sicut 3 6.* ibi: *aut personam hominis, vel bona eius inde subtraxerit: & c. Definivit; 35.* ibi: *vel damni, seu spolij. caus. 17. quæst. 4.* privatio autem bonorum est damnum, seu spolium. *Suar. cit. c. 12. n. 3.* Hoc autem intelligi debet de rebus, seu bonis, quæ sine alicujus injuria reus secum defert, vel ibi retinet; nam si res alienas, vel alteri obligatas secum detulit ad Ecclesiam, eæ ipsi per vim auferri possunt, quia eas deferendo, vel retinendo, delinquit in Ecclesia, vel delictum continuat, ideóque quoad illas res immunitate non gaudet, quamvis ipsa persona, ob eam causam, vi extrahi non debeat. Idque sumitur ex *c. De raptoribus 3 3. caus. 36. qu. 1.* ubi habetur, ut, si quis fœminam secum ad Ecclesiam rapuit, ea ipsi auferri debeat, quamvis ipse per vim non sit extrahendus. Similiter, si quis cum armis prohibitis fugiat ad Ecclesiam, illis spoliari potest; quia cùm sit Lege prohibitum talia arma habere, Ecclesia eum in hac re defendere non intendit. *Covarr. cit. c. 20. n. 18. Coroll. 36. Suar. cit. c. 12. n. 3.* Cæterùm reus fugiens ad Ecclesiam debet sibi ipsi parare victum, & vestitum, si propria bona habeat, ex quibus vivere possit. Si verò non habeat, tunc vel potest arte, aut labore manuum suarum victum sibi quærere, ut inde se alat: vel non potest, & Ecclesia tenetur illi subministrare necessaria alimenta tanquam pauperi, *Abb. in cit. c. Inter alia, n. 28. h. t. Azor cit. c. 9. q. 13.*

§. IV.

Quale crimen committant, & quam pœnam incurrant Iudices per vim extrahentes reos ex Ecclesiis?

L. Assertio 1. Judex sæcularis, si absque legitima Prælati Ecclesiastici licentia, reum invitum, præter casus jure, seu consuetudine exceptos, per vim extrahat è loco sacro, seu immuni, vel aliâ ratione immunitatem Ecclesiasticam violet, sacrilegium committit, ut constat ex *c. Sacrilegium 3 4. caus. 17. q. 4.* & tradit *S. Thom. 2. 2. q. 59. art. 2. ad 3.* ubi specialiter de hac violatione loquitur, & alij communiter. Ex quo infertur primò. Quòd Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ possunt resistere Judici, per vim reum extrahere volenti, in casu jure non permisso; quia licitum est vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatem tueri. *Suar. cit. l. 3. c. 13. n. 4.* Modus autem resistendi, ac defendendi consistit in eo, ut fores Ecclesiæ claudantur, & alia remedia externa adhibeantur, ad impediendam violentiam, sine armis tamen, saltem quibus ipsi Clerici utantur; cùm ipsis prohibitum sit regulariter sumere arma, sine speciali dispensatione, quæ hoc casu non reperitur concessa, nec ordinariè est necessaria. Possunt tamen Prælati, & Rectores Ecclesiæ, in raro casu magnæ necessitatis, adhibere auxilium Laicorum, ad defendam Ecclesiam, si grave damnum Ecclesiæ timeretur. *Suarez c. l. num. 5.*

LI. Infertur secundò. Judex sæcularis obligatur, ad restituendum Ecclesiæ reum, quem vi, & contra immunitatem extraxit, ut apertè colligitur ex *c. Minor 3 8. caus. 17. qu. 4.* ubi dicitur, *Ecclesiæ illæsum revoca, quem ut irreligiosissimus rapuisti. Abb. in cit. c. Inter alia; h. t. nu. 26.* ubi ait, quòd non sufficit, si Judex velit cautionem præstare de impunitate: sed debet priùs extractum restituere Ecclesiæ. *Silv. V. Immunitas 3 3. num. 11. quæst. 7. Suarez cit. c. 13. nu. 6.* Ratio est, quia Ecclesiæ injuria est illata per violētam extractionem, quæ resarciri debet. Quin imò Judex violenter extrahens aliquem ex Ecclesia, vel contra illegitimè extractum ulteriùs procedens, obligatur ex justitia ad omnia damna eidem reo inde illata resarcienda, ut docet *Suar. cit. c. 13. n. 9. & 10. & n. 15.*

quia cùm Ecclesia sit locus exemptus ab omni jurisdictione sæculari, judex violentiam exercens in tali loco, extra territorium suum jurisdictionem exercet, & consequenter actum injustum facit, ob defectum jurisdictionis in tali loco, *arg. c. 2. de const. in 6. & l. ul. ff. de jurisd.* & injuriam infert reo, quem extrahit; quia etsi exemptio directè, & immediatè afficit locum, cui principaliter concessa est, indirectè tamen, & consequenter redundat in personam, ut quatenus existit in illo loco, etiam sit exempta, licèt aliàs sit tali judici subdita. Nec refert, quòd Canones solùm dicant, eum, qui hoc facit, committere peccatum sacrilegij, *cit. c. Minor; & c. Si quis; 20. & c. Quisquis; 21. cit. caus. 17. q. 4.* Quia tantùm agunt de hoc peccato, quatenus ipsis contrarium est, ideóque semper de illo tanquam de sacrilegio loquuntur, non tamen excludunt aliam malitiam injustitiæ, si ad priorem consequatur. *Suar. c. l. n. 16.*

Infertur tertiò. Quòd omnes actus judiciales, & totus processus, post ejusmodi violentam, & injustam extractionem Rei institutus, sit ipso jure, & facto nullus; quia cùm ipsum fundamentum talis judicij sit nullum, videlicet captura, per quam quasi possessio in reum acquiritur, quæ violenta, & injusta fuit, consequenter etiam omnes actus reliqui, ipso jure, irriti sunt censendi, *Suarez c. l. num. 14. Laym. cit. c. 3. num. ult.*

LII. **Assertio 2.** Qui violenter extrahit reum ex Ecclesia, vel loco sacro, in casu jure non excepto, seu permisso, vel aliàs violat immunitatem, secundùm Jus civile, incurrit crimen læsæ Majestatis, & ultimo supplicio est afficiendus, *l. 2. & l. Præsenti; 6. C. de his, qui ad Eccles. conf.* quæ tamen pœna non videtur esse in usu: secundùm Jus Canonicum verò, debet excommunicari, nec ad communionem admitti, donec admonitus legitimè satisfaciat, prout significatur in c. *Quisquis 21. §. Si quis dixum; caus. 17. q. 4. Silv. c. l. qu. 8. Azor cit. c. 9. qu. 11. Suarez cit. c. 13. num. 7.* Ubi tamen addit, non esse absolutè excommunicandum: sed sub conditione, si Ecclesiæ non satisfaciat, nec reum restituat; quia ob delictum commissum non fertur excommunicatio, nisi sub conditione pendente in futurum, si non patuerit, vel satisfecerit. Præterea de Jure Canonico imponitur etiam propter hoc delictum, pecuniaria pœna, & publica pœnitentia, *c. Si quis; 20. & c. seq. in fine, cit. caus. & qu. S. Thom. cit. qu. 99. artic. 4. in corp.* & alij Dd. citt. Porro extrahentes res ex Ecclesiis, & locis sacris non incurrere excommunicationem Bullæ Gregorij XIV. tradit *Fagnan. in cit. c. Inter alia; n. 102. h. t.* quia illa loquitur de extrahentibus personas, ideóque non debet extendi ad extrahentes res.

SECTIO III.

DE IMMUNITATE, ET EXEMPTIONE rerum, seu bonorum ad Ecclesias & Ecclesiastias personas pertinentium à sæcularibus oneribus, & tributis.

LIII. Pro explicatione eorum, quæ hoc loco dicentur, præmittendum primò. Bona Ecclesiastica sunt triplicis generis. Ad primum genus spectant ipsæ materiales Ecclesiæ, seu Templa, ijsque adjuncta Cœmeteria: item vestes, & vasa sacra, & alia consecrata, vel benedicta, & ad Divinum cultum, tanquam ejus instrumenta deputata. Et de his nullum dubium est, quin libera esse debeant à tributis, vectigalibus, & quibuscúnque exactionibus, quæ à potestate sæculari imponuntur; tum quia sunt res sacræ, tum quia non sunt res fructiferæ aliquorum proventuum temporalium, neque habent ullum temporalem usum, seu commoditatem pretio æstimabilem: sed tantùm usum sacrum, ad quem specialiter sunt destinatæ, ideóque ad usus humanos, & profanos ampliùs applicari non possunt, juxta *c. Quæ semel; 4. caus. 19. q. 3. c. Ligna; 38. dist. 1. de consecr. Suar. lib. 4. de defens. Fidei Cathol. c. 19. n. 2.*

Alia sunt bona Ecclesiastica, quæ consecrata, aut benedicta non sunt, tum immobilia, ut fundi, prædia, domus: tum mobilia. Et hæc sive dicatur cum *Navarro tract. de reditib. Eccles. monito 40.* illa non esse in humano dominio: sed solam eorum dispensationem, seu administrationem Prælatis Ecclesiasticis competere, dominium verò proprietatis esse proximè, & immediatè penes DEUM, & Christum: sive dicatur, Ecclesiastica illa bona esse sub humano dominio ipsius Ecclesiæ universalis, vel cujusq; particularis, cum annexo onere, seu obligatione, illa expendendi, vel applicandi ad usus pios; tamen hoc ipso, quòd à fundatoribus, vel alijs fidelibus ad DEI cultum oblata, & donata sunt, & in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & alimenta pauperum, & alios Templorum expensas destinata sunt, inter res sacras computantur, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. in Corp.* adeóque exempta sunt à potestate sæculari, & consequenter etiam à tributis sæcularibus; cùm talium bonorum administratio, dispositio, & applicatio ad Ecclesiæ Prælatos, & non ad sæculares Potestates pertinere possit. *Suar. cit. l. 4. c. 17. n. 6. & c. 18. n. 7. & 2. seqq. Laym. l. 4. tr. 9. c. 6. n. 1.* Alia denique sunt bona, sive immobilia, sive mobilia Clericorum propria: & hæc rursum duplicis generis sunt, quædam enim Clerici acquirũt, ex spirituali titulo, ut ex reditibus decimarũ, vel Beneficiorum suorum, quæ propter officium dantur, vel quę non quidẽ ex jure, seu titulo Beneficij; sed spiritualis operis acquiruntur, ut ex Missarum stipendijs, & funetalibus &c. Et hæc propriè Clericalia bona vocari possunt: quædam verò sunt, quæ ex temporali titulo, ut ex hæreditate, arte, vel labore à Clericis acquiruntur, quæ patrimonialia bona appellari possunt, *Suarez cit. l. 4. c. 24. n. 1.*

LIV. Præmittendum secundò. Quòd ex communi, & recepta doctrina Canonistarum, & Legistarum, triplicia sunt munera, seu onera, juxta *l. Munus 18. ff. de V. S.* quæ imponi possunt, & solent: vel personalia tantùm, vel merè realia, vel mixta, id est, partim personalia, partim realia, prout videre est apud *Abb. in c. Non minùs; 4. num. 12. & 15. h. t. Franc. in c. 1. num. 6. eod. in 6. Silvest. V. Immunitas; 1. nu. 19. q. 5. Suar. cit. l. 4. c. 22. nu. 1. & Laymann. cit. c. 6. num. 5.* Onera merè personalia sunt, quæ personis tantùm, ijsque subditis, sine ordine, seu respectu ad bona patrimonialia, imponuntur: cujusmodi onus merè personale est, v. g. capitatio civium, id est, certa exactio à singulis Capitibus, sive personis, sine respectu ad

ctu ad bona patrimonij, quæ imponuntur etiam illis subditis, qui nulla bona immobilia habent in territorio Principis imponentis, *l. unic. C. de Capit. Civium*, de quibus infra. Onera merè realia sunt, quæ sine habitudine, seu respectu ad personæ qualitatem, sunt imposita ipsis rebus, seu bonis tantùm, sive bonis propter bona, eisque jure perpetuo secundùm se inhærent, & inseparabiliter ea comitantur, adeóque perpetua, & invariabilia sunt, ita, ut tam diu durent, quàmdiu durant res ipsæ, quibus inhærent. Et tale onus merè reale imponi potest à quolibet, etiam privato domino, rei suæ, v. g. domui, vel fundo per pactum, seu contractum censualem, feudalem, vel emphyteuticum; nam quilibet est rei suæ moderator, & arbiter *l. In re* 21. *ff. Mandat.* Onera mixta sunt, quæ personis subditis imponuntur: sed cum ordine, & respectu ad bona, quæ possident, sive personis pro modo facultatum, ita, ut immediatè ipsis personis subditis, mediatè verò, & consequenter etiam ipsis bonis illarum, sive personis propter res, seu bona imponantur, juxta *l. Rescripto* 6. §. *fin. ff. de muner. & honor.* quæ ex infra dicendis magis patebunt.

LV. Præmittendum tertiò. Nobis hîc sermonem esse, solùm de oneribus, sive tributis sæcularibus, quæ scilicet Imperatores, Reges, vel alij Principes, aut Magistratus temporales jure possunt, vel solent imponere: non autem de ijs, quæ à S. Pontifice, vel ex ejus licentia, vel juris concessione, inferiores Prælati Ecclesiastici exigere possunt à suis subditis Ecclesiasticis; nam exemptio Clericorum non est à potestate Pontificia, seu Ecclesiastica: sed à Civili, & sæculari, *Suar. cit. lib. 4. c. 18. num. 2.*

§ I.

An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sint immunia, & exempta à sæcularibus oneribus, seu tributis merè realibus, ordinariis, ac perpetuis?

LVI. Assertio 1. Vel quæritur de illis bonis, quæ ad fundationem, aut dotationem Ecclesiæ pertinent, & de Cœmeterio, domibus, & hortis, aut fundis, juxta Ecclesiam positis, & hæc sunt exempta ab omnibus realibus tributis, & oneribus laicalibus, *arg. c. 1. Decensib.* & ibi *Gl. in casu in fine*, *Innoc. ibid. V. Servitio. & Hostiens. V. eod. & Ioan. Andr. num. 8.* Idque procedit, non tantùm in tributis, & oneribus publicis, & regijs: sed multò magis etiam in privatis, & ab antiquo impositis, ut habetur in *c. Secundùm* 24. & *c. seq. caus. 23. qu. 8.* & tenet Rota apud *Fagnan. in c. Non minùs* 3. 4. *num. 8. h. t.* de quo plura sunt dicta supra *Tit. 39. num. 43. & seq.* Vel quæritur de alijs bonis, quæ ad Ecclesiam ex alijs titulis vel causis pervenerunt: & tunc, si bona illa, antequam ad Ecclesiam transiêrint, jam habuerunt impositum, & annexum reale onus perpetuum, & invariabile, ex vi dominij, & pacti præcedentis, v. g. contractûs censualis, emphyteutici, vel feudalis. Hoc casu Ecclesia non habet privilegium exemptionis à tali onere, tributo, vel pensione: sed bona illa cum eodem onere ad Ecclesiam transeunt, quia res cum onere suo transit, *c. Ex litteris* 5. *de pignor.* & sumitur etiam ex *c. Tributum* 22. & ibi *Gl. V. De exterioribus*; *cit. caus. 23. q. 8.* Et ita docet etiam *Abb. in cit. c. Non minùs*; *n. 15. in fine, h. t. Suar. cit. l. 4. c. 20. n. 6. & seqq. Laym. cit. c. 6. n. 9.* §. *Dices*, & est certa, ac communis sententia. Ratio est, quia ob favorem Religionis, seu causæ piæ, non debet inverti ordo justitiæ, & alter privari jure suo, quod habet in talibus bonis, ex vi pacti, seu contractûs primò acquisitum, nam cùm illa onera sint imposita ipsis rebus, seu bonis, non personis, ideo ab omnibus etiam non subditis, & externis, sive Clericis, sive Laicis præstanda sunt.

Verùm postquam bona jam acquisita sunt Ecclesiæ, certum est, non posse ampliùs hujusmodi onus reale ipsis de novo imponi à Sæcularibus, prout sumitur ex *cit. c. Non minùs*; *h. t. Abb. ibid. num. 16. Suar. c. l. n. 2.* & tenent communiter Dd. Quamvis *Bartol. in l. Rescripto*; 6. §. *fin. nu. 5. ff. de munerib.* censeat, posse Principes sæculares efficere tributaria omnia prædia, sita in suo territorio, ita, ut cùm postea ad Ecclesias pervenerint, sint obnoxia collectis postea imponendis. Sed hæc doctrina tanquam falsa, & quæ adversatur immunitati Ecclesiasticæ, communiter reprobatur, *Fagn. in cit. c. Non minùs*; *num. 10. & 11. Barb. l. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 5. num. 55. & seq.* Ratio est, quia indirectè permitteretur contra libertatem Ecclesiasticam, quod directè omnino prohibitum est, *c. Quæ in Ecclesiarum*; 7. *de Constit. Auth. Cassa*; *C. de SS. Eccles.* Nam licèt eo tempore, quo totum territorium efficitur tributarium, prædia sint sub jurisdictione Laicorum, tamen hoc tempus non debet inspici: sed illud, quo ipsæ collectæ imponuntur; res enim non dicitur tributaria, nisi quando revera, & actu est debita solutio tributi, sive contributio, statis temporibus, nam tunc solùm dicitur actus perfectus, & consummatus: hoc autem tempore bona sunt extra jurisdictionem sæcularem, & subjectum est inhabile, ad onera laicalia recipienda, quia bona jam pertinent ad Ecclesiam, adeóque sunt exempta ab impositione vectigalium, seu tributorum sæcularium, & res dicitur devenisse ad eum casum, à quo incipere non posset.

LVII. Assertio 2. Bona Ecclesiastica sunt immunia, & exempta ab illis oneribus, seu tributis realibus, quæ Principes sæculares imponunt prædijs, & fundis in suo territorio sitis, non ex vi proprij dominij: sed Lege ordinariâ, ac perpetuâ, ex potestate jurisdictionis supremæ, quam habent in tali territorio; nam quamvis talia bona, priusquam ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pervenirent, essent subjecta tali oneri, vel tributo: non tamen cum eo onere ad Ecclesiam transeunt, *Abb. in c. ult. num. 12. de vita, & honest. Cleric. Gutier. lib. 1. pract. qq. q. 3. num. 16.* ubi ait, quando prædia antea erant affecta onere tributorum expressè, & specialiter ex conventione partium, tunc cum tali onere transeunt ad Clericos, vel Ecclesias: secùs verò, si tantùm sint affecta, vel obnoxia tributis ex generali Lege, obligatione, & hypotheca, quâ sunt Regi, seu Principi tacitè obligata pro tributis omnia prædia privatorum; quia tunc si talia bona perveniunt ad Clericum, vel Ecclesiam, non transeunt cum tali onere. Idem docet *Martha tract. de jurisd. p. 4. casu 11. nu. 28. & seqq.* ubi ait,

hanc opinionem esse veriorem, & tutiorem in conscientia, imò absolutè veram; cùm contraria opinio nullo nitatur certo fundamento, *Suar. cit. c. 20. n. 12. Leß. l. 2. c. 33. n. 21. Laym, cit. c. 6. nu. 4.* Ratio est, quia onus solvendi talia tributa, quæ ex Lege ordinaria, ac perpetua, sive ex potestate jurisdictionis à Principe exiguntur, & imponuntur, non est onus merè reale, quia non inhæret rei, ratione rei: sed ratione personæ, imponitur enim rei, seu bonis propter personas, quæ cùm subjectæ sint jurisdictioni Principis, Lege tributi obligari possunt: ergo si bona, ex quibus tributa hujusmodi à subditis solvebantur, postea ad alios possessores, ac dominos à jurisdictione Principis omninò exemptos transferantur, hoc ipso etiam ab illo onere, seu obligatione eximuntur, juxta Regulam communem, & certam, ac ab omnibus receptam, quam tradit *Abb. in c. qualiter; 17. nu. 8. de Iudic. Si persona est exempta, consequenter etiam res ejus, seu bona sunt exempta.* Item mutatâ personâ, mutatur etiam status, seu conditio rei, ut ex communi docet *Martha cit. Casu; 11. num. 29. & 38. & Casu 125. n. 2. & 18.* ac proinde non est inconveniens, ut bona habeant unam naturam, seu conditionem apud unum possessorem, & diversam penes alterum.

Confirmatur, quia dispositio Legis, quando ad eum casum pervenit, in quo incipere non potuisset, desinit obligare, dummodo sit eadem ratio, cur non perseveret, quæ erat non incipiendi: atqui ab initio non potest imponi tale tributum bonis Ecclesiasticis: ergo nec potest ijsdem bonis, postquam Ecclesiastica facta sunt, imponi, sive continuari impositio tributi, quæ in illis incipere non poterat. *Suarez cit. c. 20. num. 27.*

Quare illa regula, sive axioma, quòd res transit cum onere suo, duntaxat locum habet, quando res non transfertur in illum statum, in quo talis oneris fiat incapax, alioqui enim à tali onere, factâ hujusmodi mutatione, necessariò eximitur: sicut enim servus, si sacris ordinibus initietur, ab onere servitutis eximitur: ita etiam in præsenti, si bona transeunt in dominium Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum, liberantur ab oneribus tributorum, quæ Lege publicâ, & ordinariâ, ex potestate jurisdictionis, indicuntur: non tamen ab alijs oneribus merè realibus, quæ ex contractibus privatis oriuntur, *Suar. c. l. nu. 28.* Et hinc si onus talis tributi realis, etiam à Principe sit impositum bonis, non ex mera potestate jurisdictionis: sed quia Princeps etiam particularis dominus fuit alicujus fundi, vel prædij, quod alteri in Feudum, vel Emphyteusin dedit, vel etiam plenum dominium in alium transtulit, reservato sibi perpetuo censu, seu pensione annuâ, talis fundus etiam cum eo onere ad Ecclesiam transibit. An autem prædia olim sub proprio, & particulari dominio fuerint, constare potest ex antiquis Scripturis, vel per constantem famam, & traditionem, vel quia onus tributi in certa, & stabili quantitate semper Principi solutum fuit ex tali prædio. *Suar. cit. c. 20. n. 9.*

LVIII. Assertio 3. Illa onera, & tributa realia, quæ ipsis rebus, seu bonis patrimonialibus, & immobilibus Clericorum inhærent, ipsisque imposita sunt, ex vi alicujus pacti, seu contractûs, priusquam in potestatem Clericorũ venirent, transeunt etiam ad Clericos, aliásque personas Ecclesiasticas; quia res cum suo onere transit, adeóque etiam ab ipsis sunt solvenda, ut ex communi docet *Suar. cit. lib. 4. c. 25. n. 1.* & patet ex supra dictis; nam cùm his oneribus sint subjecta, & obnoxia bona Ecclesiarum titulo spirituali, ac jure Ecclesiastico ad Clericos pertinentia, multò magis erunt illis obnoxia bona patrimonialia Clericorum, quæ titulo merè temporali possident, & minùs sunt privilegiata, ut ex infra dicendis patebit. Aliud est, si talia onera, seu tributa primùm superveniant, & imponantur bonis, postquam illa propria Clericorum facta sunt, tunc enim ad illa præstanda non obligantur; cùm par quoad hoc sit ratio etiam in bonis patrimonialibus Clericorum, *Suarez c. l.* & patet etiam ex supra dictis.

LIX. Assertio 4. Etiam bona patrimonialia Clericorum, aliarúmque personarum Ecclesiasticarum sunt immunia, & exempta ab illis oneribus, ac tributis realibus, quæ non ex vi pacti, sive ex conventione partium: sed ex vi solius jurisdictionis Legepublicâ, & ordinariâ à Principibus sæcularibus imponuntur, ut docet *Suar. cit. c. 25. num. 3.* & alij Dd. citt. Ratio enim supra allata etiam in his bonis locum habet, quia per mutationem personæ mutatur qualitas, sive conditio rei inhærentis ratione personæ, *arg. l. Locatio; 9. §. Fiscus; ff. de publ. & vectig. & l. Per Curatorem; (aliàs Procuratorem,) 90. in fine, ff. de acquir. hæred.* Et talia propria tributa Regia, quæ dicuntur realia, & quasi inhærentia rebus immobilibus, non adhærent illis per se, & absolutè spectatis: sed ratione personarum, sub quarum dominio existunt, ac proinde sunt quasi pignora, seu hypothecæ tacitè obligatæ tributis Fisci, seu Principis, *Suar. c. l. nu. 4.* & patet ex dictis.

LX. Porro Regula illa, quam tradit *Gl. in c. Ecclesia; 10. V. Personis Ecclesiasticis; de Constit. & in c. ult. V. Suis facultatibus, de vita & honest. Clericorum, & in c. Quanquam; 4. V. Ipsarum de censib. in 6.* quòd bona Ecclesiarum, & bona Clericorum propria gaudent eodem jure, ac privilegio, procedit tantùm in ijs privilegijs, quæ principaliter personis competunt, sive statui Ecclesiastico, rebus verò, sive bonis ipsorum solùm accessoriè. V. g. quòd Clerici exempti sint, & immunes ab omnibus oneribus, & tributis, non tantùm merè personalibus: sed etiam mixtis, à quibus res, seu bona sunt exempta, ratione personarum, & ideo res, seu bona Ecclesiarum, & bona propria Clericorum in privilegio exemptionis ab hujusmodi oneribus, ac tributis æquiparantur; quia Jura, & Canones generaliter, & indistinctè de ijs loquuntur. At verò quoad illa privilegia, quæ principaliter in favorem Bonorum Ecclesiasticorum sunt concessa, non gaudent eodem Jure, nec æquiparantur bona propria singulorum Clericorum, & bona Ecclesiarum: cujusmodi est beneficium restitutionis in integrum, si Ecclesia in contractu sit læsa, quod non datur Clericis, si in bonis propijs lædantur: item, quòd bona immobilia Ecclesiæ non præscribantur, nisi tempore 40. annorum, bona verò Clericorum tempore ordinario x. vel xx. annorum, *Abb. in c. ult. num. 11. de vit. & honest. Cleric, Covarr. lib. 1. resol. c. 4. num. 1. & 2.* & alij communiter. Ratio est, quia bona pertinentia ad ipsas Ecclesias inter res sacras numerantur, ideóque eorum furtum, aut injusta ablatio sacrilegium censetur, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. & 4.* & alij

& alij communiter. At verò Bona propria, seu patrimonialia Clericorum, præsertim quæ temporali titulo sunt acquisita, non reputantur sacra; neque eorum furtum, vel invasio est verè, ac propriè sacrilegium, si vis personæ Clerici non inferatur. *Suarez cit. c. 25. num. 5. Laym. cit. c. 6. n. 10.*

§. II.

An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sint immunia, & exempta ab oneribus, seu tributis, etiam novis, & extraordinariis?

LXI. Notandum primò. Tributa quædam imponuntur rebus immobilibus, ut fundis, vel prædijs, quæ, quatenus sunt fructiferæ, sunt capaces alicujus pensionis, seu tributi: alia verò exiguntur ex rebus mobilibus, quæ, quia per se non sunt fructiferæ, non sunt capaces tributorum, nisi quatenus exponuntur, & subsunt negotiationi, vel transportationi ab uno loco ad alium; cujusmodi tributa, gabellæ, vel vectigalia à vectando appellari solent. *Suar. lib. 4. de immunit. Eccles. c. 18. nu. 3.*

Notandum secundò. Onera, seu tributa alia sunt ordinaria, perpetua, & invariabilia, quæ certam, ac determinatam præstationem habent, ut docet *Abbas in c. ult. n. 12. de vit. & honest. Cleric. & c. Non minùs; 4. nu. 15. h. t.* Alia verò sunt onera, seu tributa nova, quæ ob causam supervenientem, vel aliam gravem necessitatem publicam à sæcularibus Principibus imponuntur, & aliàs collectæ, seu contributiones appellantur, nec certam, & singulis annis, vel statis temporibus recurrentem præstationem habent: sed variantur, & modò majores, modò minores imponuntur, vel exiguntur, prout major, vel minor est necessitas, adeòque non perpetua, & invariabilia onera, seu tributa sunt: sed temporalia, & variabilia, quæ cessante necessitate, ob quam sunt imposita, etiam ipsa cessare debent, nec possunt sine injustitia ulteriùs exigi, & de his in præsenti potissimùm agitur. His notatis.

LXII. Respondetur, bona, non solùm Ecclesiarum, sed etiam Clericorum propria, & patrimonialia, tam mobilia: quàm immobilia sunt immunia, & exempta ab omnibus tributis, non merè realibus: sed mixtis, & multò magis novis, & extraordinarijs, & quibuscúnque alijs collectis, exactionibus, gabellis, & vectigalibus, quæ Principes sæculares à subditis suis exigere, vel ijs imponere solent, ratione bonorum, quæ possident. *Abb. in c. ult. de vit. & hon. Cleric. num. 12. & in c. Non minùs; 4. nu. 3. h. t. Suar. cit. lib. 4. c. 18. n. 4. & c. 23. num. 2. & c. 24. num. 4. Less. lib. 2. c. 33. n. 18. Barbos. in cit. c. Non minùs; n. 6.* & alij, tam Theologi, quàm Canonistæ communiter. Idque probatur primò, ex Jure Canonico; nam inprimis Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. c. 19. (quod refertur in *c. Non* » *minùs; 4. h. t.*) graviter conqueritur, quòd in di» versis Mundi partibus, Rectores, seu Magistratus » locorum tot onera imponunt Ecclesiis, ut Sacerdo» tes earum deterioris conditionis sub eis esse vide» antur, quàm olim fuerint sub Pharaone, qui Legis » Divinæ notitiam non habebat: imò Sacerdotes, » & bona eorum in pristina libertate reliquit, & ex » publico necessaria ministrabat. Isti verò onera sua » ferè universa imponunt Ecclesiis (& Ecclesiasticis) » & tot angarijs eas affligunt, ut de illis dici possit, » quod deplorat Hieremias (*Thren. 1. Princeps Pro» vinciarum*, id est, *Ecclesia facta est sub tributo.*) Imò » etiam jurisdictionem Prælatorum Ecclesiæ ferè in » totum sibi usurpant. Quare Concilium sub ana» themate (sive excommunicatione) talia de cætero » fieri prohibet: nisi Episcopus, & Clerus tantam ne» cessitatem, vel utilitatem conspexerint, ut absq; ul» la coactione, ad relevandas communes necessitates, » vel utilitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, » subsidia per Ecclesias existiment conferenda, » de quo infra.

LXIII. Hoc Decretum postea repetitum fuit, & confirmatum in posteriore Concilio Lateranensi sub Innocentio III. celebrato *c. 46.* quod refertur in *c. Adversùs; 7. h. t.* quibusdam adjectis, ubi dicitur; » Adversùs Consules, & Rectores Civitatum, vel alios, qui Ecclesias, vel Ecclesiasticos viros Tallijs, » seu Collectis, & alijs exactionibus aggravare ni» tuntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Concil. » Lateran. providere (quod refertur in *c. Non minùs; 4. h. t.*) præsumptionem hujusmodi sub anathe» matis (seu excommunicationis) pœna prohibuit, » & transgressores, ac fautores eorum, excommuni» cationi (scilicet post admonitionem, *Gl. hic V. eod.*) » subjacere, præcepit, donec competentem satisfa» ctionem præstiterint. Verùm, si quando Episco» pus simul cum Clericis, tantam necessitatem, vel » utilitatem perspexerit, ut absque ulla coactione, » ad relevandas necessitates, vel utilitates commu» nes, si quidem Laicorum non sufficiant facultates, » per Ecclesias subsidia conferenda judicaverit, tum » Laici debent id, quod datur illis à Clericis, humi» liter, & cum gratiarum actione, recipere; propter » imprudentiam tamen quorundam, Romanus » Pontifex priùs consulatur, cujus interest commu» nibus utilitatibus providere. Hæc infra explica» buntur, sicut & reliqua, quæ habentur de pœnis in prædictis duobus *capp. in fine.*

LXIV. Præterea in *c. Quia nonnulli; 1. h. t. in 6.* Inprimis graviter conqueritur Alexander IV. » contra dominos temporales, & eos, qui jurisdictio» nem temporalem, seu sæcularem in Civitatibus, » Castris, & Villis exercent, vel qui nituntur, & » student, ut illis collectas, & tallias, & alia hujus» modi Ecclesiæ, prætextu bonorum, quæ acquisive» runt, tribuant, & persolvant, vel extra manum » suam hujusmodi acquisita ponant. Ideo volens » Papa super his omnibus solicitè providere, totq; » temerarijs ausibus congruis remedijs obviare, au» ctoritate Apostolicâ, prælabitâ cum Cardinalibus » diligenti deliberatione, decernit, nõ licere quibus» cúnque, qui jurisdictionem temporalem, sive sæ» cularem obtinent, & exercent, tallias, vel colle» ctas, seu exactiones quascúnque Ecclesijs, vel per» sonis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem » pro domibus, prædijs, vel quibuscúnque posses» sionibus ab eisdem Ecclesiis, vel personis Eccleſia» sticis »

» sticis legitimè hactenus acquisitis, vel in poste-
» rum acquirendis, etiamsi ipsæ Ecclesiæ, vel perso-
» næ, vel res hujusmodi, intra illorum districtum,
» seu territorium sint constitutæ. Nec etiam liceat
» illis ipsas Ecclesias, vel personas ad distrahendum,
» vel alienandum, aut extra manum suam ponen-
» dum jam acquisita, vel quæ deinceps acquirent,
» aliquatenus compellere.

LXV. Hinc colligitur primò. Quòd in *cit. c.* 1. prohibentur, & reprobantur, non solùm illa tributa, seu collectæ, quæ ex bonis, quæ jam ante possidebantur ab Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, quando fuerunt impositæ, exiguntur: sed etiam ex illis bonis, quæ postea acquiruntur ab Ecclesia, vel persona Ecclesiastica, etiamsi illa, cùm antea essent sæcularia, hujusmodi tributis, & collectis essent subjecta; nam propterea Laici Domini, & Magistratus volebant Ecclesiam, & Ecclesiasticas personas cogere, ut, vel tributa, & collectas solverent, vel bona dimitterent, ne privarentur tributis, & collectis talibus bonis annexis, ergo de his bonis est ibi sermo: & nihilominus statuitur, ut talia bona, eo ipso, quòd ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticam personam transeunt, ab exactionibus talium tributorum, seu collectarum sint exempta, *Suar. cit. c.* 20. *num.* 19. Deinde generaliter, & indistinctè *in cit. c.* 1. prohibetur, quascúnq; collectas, vel contributiones imponere, vel exigere ex Ecclesiasticis bonis, ergo non solùm est prohibitum, has imponere: sed etiam exigere, quæ jam impositæ erant, priusquam Ecclesia illa bona acquireret, *Suar. c. l.* Neque refert, quòd per talem exemptionem Princeps, vel alius Dominus sæcularis, qui jus collectandi habet in aliquo territorio, patiatur magnum detrimentum, & diminutionem in bonis suis, & reditibus, ex quibus nullas ampliùs collectas accipit, sicut antea acceperat. Nam respondetur, illud damnum, seu diminutio non fit in proprijs bonis Principis, vel alteriùs Magistratûs sæcularis: neque enim antea habebat proprium dominium, vel jus particulare æquivalens dominio in illis bonis, ratione cujus illi deberetur tributum: sed solùm ratione jurisdictionis, quam habebat in illa bona, vel dominum proprietarium illorum, poterat tale tributum exigere: ex nulla autem obligatione justitiæ tenetur is, penes quem est dominium proprietatis, curare, ut bona sua maneant sub jurisdictione Principis, vel Magistratûs sæcularis; cùm de illis liberè disponere possit, si non sint bona feudalia, vel emphyteutica: sed allodialia, præsertim donando illa DEO, vel Ecclesiæ, per quam donationem talia bona fiunt Ecclesiastica, & eximuntur à jurisdictione sæculari. Accedit, quòd in eo casu obligatio solvendi tributum ex illis bonis, non tollitur privatâ voluntate donantis illa, vel alienantis: sed auctoritate Juris Divini, vel humani in Divino fundati. *Suarez cit. c.* 20. *num.* 29. & 30.

LXVI. Colligitur secundò. Non tantùm Ecclesiæ, & bona illarum: sed etiam personæ Ecclesiasticæ, & res ipsarum à collectis, vectigalibus, & quibusvis exactionibus sunt exemptæ, ut constat ex *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. Ubi de omnibus rebus, seu bonis Ecclesiasticarum personarum jam acquisitis, & in posterum acquirendis, generaliter, & indistinctè dicitur, illa esse exempta, non distinguendo, inter bona Clericorum Ecclesiastica, vel patrimonialia, nec inter collectas, seu exactiones: ubi lex autem non distinguit, nec nos distinguere debemus, juxta commune illud pronunciatum: quod vel maximè procedit in novis exactionibus, seu collectis imponendis, ut notat *Less. cit. c.* 33. *n.* 10.

Idem de vectigalibus non exigendis ab Ecclesiasticis personis statutum habetur in *c. Quamquam* 4. *de censib. in* 6. *& Clement. præsenti* 3. *eod.* de quibus supra *Tit.* 39. *num.* 47. *& seqq.* & de quibuscúnque exactionibus statuitur *in Clem. Quoniam un. h. t.*

LXVII. Probatur secundo. Hæc immunitas à collectis, & exactionibus, præsertim novis, ex Jure Civili; nam in *Auth. Item nulla; C. de Episcop. & Cleric.* Imperator Fridericus generaliter statuit, ut » nulla Communitas, vel persona publica, vel priva- » ta, collectas, vel exactiones, angarias, vel peran- » garias, Ecclesiis, vel alijs pijs locis, aut Ecclesiasti- » cis personis imponere, aut invadere Ecclesiastica » bona præsumant, ex prædicta scilicet causa; quia » non solverunt collectas, vel etiam ex alia, *Gl. ibid. V. præsumant.*

LXVIII. Probatur tertiò ratione, quia imponere, seu exigere tributa, quæ scilicet solvuntur Principi, vel Reipubl. à subditis, ad onera communia sustentanda, sive ordinaria, sive extraordinaria, antiqua, vel nova, est actus jurisdictionis, pertinens ad merum imperium, & competit solis summis Principibus, & Rebuspubl. quæ Superiorem nõ agnoscunt: alijs verò inferioribus Principibus, vel Magistratibus, nonnisi ex concessione, vel privilegio Imperatoris, vel alterius Supremi Principis; cùm alioquin sit Regale illi reservatum, vel ex legitima præscriptione, ut excommuni Dd. sententia docet *Molin. tract.* 1. *de just. disp.* 6. *num.* 1. *Less. l.* 2. *de just. c.* 33. *nu.* 1. *& n.* 9. *& seqq.* ideóque hujusmodi tributa non imponuntur, nisi auctoritate publicâ, & potestate jurisdictionis, sive jure subjectionis, adeóque subditis, juxta illud Apostoli ad *Rom.* 13. *Necessitate subditi estote, ideo enim, & tributa præstatis.* Ergo secundùm Apostolum præstare, sive solvere tributum, (propriè dictum) est proprium subditorum, & signum, quòd personæ, quæ solvunt, sint subditæ illis, quibus solvunt: atqui Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ, sive Sæculares, sive Regulares, non sunt subjectæ jurisdictioni Principum sæcularium: nec quoad personas suas: nec quoad bona in illorum territorio sita; quia quando personæ sunt exemptæ, etiam res & bona illarum sunt exempta, juxta regulam supra traditam ex Abbate, & ab omnibus receptam; bona enim sunt accessoria personis, accessorium autem sequitur suum principale, *Reg. jur.* 42. *in* 6. Ergo sæculares Principes, vel Magistratus, non possunt Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, aut earum bonis imponere ulla tributa propriè dicta, collectas, vel exactiones, ob defectum omnis jurisdictionis in illas, & bona illarum: cessante enim potestate jurisdictionis, & consequenter etiam subjectione, non potest justè exigi tributum; quia cessante adæquatâ ratione debiti, cessat ipsum debitum: cùm igitur Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ sint omnino exemptæ à jurisdictione sæculari, Jure Canonico, Civili: imò, & Divino, *c. Quamquam* 4. *de Censib. in* 6. Ergo etiam bona illarum sunt exempta ab omnibus oneribus, & tri-

tributis, quæ in sola jurisdictione, & subjectione fundantur. *Suar. cit. c. 20. num. 26. & c. 24. nu. 7.* Accedit, quòd cùm Domini sæculares à Clericis, aliisque personis Ecclesiasticis spiritualia accipiant, non est æquum, ut etiam temporalia ab illis exigant: sed potiùs tribuant, juxta illud Apostoli *1. Cor. 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus. Suar. cit. c. 24 n. 8.* Sed de his etiam supra aliquid dictum *Lib. 1. Tit. 2. sec. 1. §. 9.*

LXIX. Cæterùm supra dicta confirmantur ex Bulla Urbani VIII. editâ anno 1641. die 23. Septem. quæ incipit, Romanus Pontifex; in qua, in brevem summam eam redigendo, decernit, & declarat prædictus Papa. Primò. Quòd impositiones, & exactiones quarumcúnque contributionum, & collectarum, ac gabellarum, super Ecclesiarum, vel Monasteriorum, & locorum piorum bonis, vel fructibus, sint prorsus invalidæ, & illicitæ, ac indebitæ, etsi à sponte consentientibus sint datæ, ac solutæ, sine speciali facultate Sedis Apostolicæ. Secundò. Esse nullas, & illicitas, etiam non obstante, quòd per tempus, quantumvis longissimum, & immemoriale, sint exactæ, aut solutæ. Tertiò etiamsi sint solutæ, vel exactæ sub prætextu Apostolici privilegij accepti. Quartò. Etiamsi sint exactæ, vel solutæ, cum tolerantia, facultate, ac permissione Prælatorum Ecclesiasticorum inferiorum, ut Episcoporum, Abbatum, ac Præpositorum Generalium, Provincialium, Priorum, Rectorum &c. imò, & Legatorum, ac Nunciorum Sedis Apostolicæ. Quintò. Restituantur in integrum omnia præjudicialia in contrarium facta, & præcipitur, ut nunquam deinceps talia attententur. Sextò. Etiamsi ea sint attentata per Imperatores, & Reges, & quoscúnque alios, sufficienti, ac legitimâ facultate Apostolicâ non munitos. Septimò. Etiamsi hujusmodi præjudicialia immunitati Ecclesiasticæ sint attentata, sub prætextu, quòd Bullæ, seu Constitutiones Apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, vel per alias Constitutiones Apostolicas revocatæ, prout habetur in *cit Bulla* §. 4. Denique in §. 13. & 14. adduntur clausulæ derogatoriæ, & adimitur omnibus Judicibus Ordinarijs, & Delegatis quâcúnque auctoritate præditis, aliter judicandi, declarandi, & interpretandi facultas.

Porro in hac Bulla Urbanus VIII. nullum omnino novum Jus, vel Legem condidit: sed antiquas Constitutiones Apostolicas Antecessorum SS. Pontificum, & Conciliorum Generalium supra allegatas, & alias similes Constitutiones, solùm declaravit, innovavit, & confirmavit.

LXX. Prædictis obstare videntur aliqui textus, tum Juris Canonici: tum Juris Civilis; nam in *c. Si tributum; 27. caus. 11. quæst. 1.* ait *S. Ambrosius, Si tributum petat Imperator, non negamus, agri Ecclesiæ solvunt tributum*, & in *c. Tributum; 22. caus. 23. qu. 8.* Urbanus Papa ait: *De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace, & quiete*, quâ nos *tueri, & defensare debent, Imperatoribus persolvendum est.* Ad primum respond. cum *Suarez cit. lib. 4. c. 21. nu. 12.* Ambrosium de facto locutum fuisse, non de jure, permittendo potiùs: quàm factum illud approbando, idque propter vitanda scandala, vel majora pericula, quæ tunc Ecclesiæ imminebant. Ad secundum dicitur, Urbanum locutũ fuisse more, & usu sui temporis, quando Imperatores erant Ethnici, & Ecclesia nondum privilegio immunitatis ab hujusmodi tributis publicis, quæ Imperatoribus solvebantur, gaudere poterat. *Suar. c. l. nu. 14.* Neque obstat, quòd dicitur in *c. Sancitum; 22. caus. 23. quæst. 8.* & in *c. 1. de censib. in fine: Etsi Presbyteri amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant*; quia sermo est de antiquis, & privatis oneribus realibus, & per seniores intelliguntur antiqui domini temporales, à quibus res transiêrunt ad Ecclesiam, cum onere suo, ideóque illis ab Ecclesia persolvendum est tale debitum servitium, *Gl. ibid. V. Senioribus; Suar. c. l. nu. 15.* Ad LL. verò Civiles, quæ in contrarium afferuntur, respondetur, illas esse abrogatas per novam Constitutionem Imper. Friderici, vel potiùs illas semper fuisse invalidas; tum quia erant contra privilegia priùs Ecclesiis concessa ab anterioribus Imperatoribus, quæ revocari non poterant: vel quia disponebant in materia Ecclesiastica, adeóque extra limites potestatis suæ, & in Ecclesiæ præjudicium, quod per LL. Civiles fieri non potest. *Suar. cit. c. 2. n. 27.*

Denique prædictis etiam non obstat, quòd allegata Decreta Conciliorum, & aliæ Constitutiones Canonicæ circa immunitatem Clericorum ab exactionibus sæcularium, in pluribus locis passim non observentur: sed per contrariam consuetudinem sint abrogata; nam per nullam consuetudinem, etiam temporis immemorialis, induci posse, & cohonestari, ut impositiones, vel exactiones hujusmodi tributorum â sæcularibus Principibus, vel Dominis factæ, sint validæ, ac licitæ, quippe, quæ à Generalibus, & Oecumenicis Concilijs, SS. Pontificibus, imò etiam ab Imperatoribus sunt damnatæ, & reprobatæ, ostensum est supra, *Lib. 1. Tit. 4. n. 86.*

LXXI. Ex hactenus dictis infertur, falsum omnino, & erroneum esse, quod nonnulli hodie, nullo juris textu, nec auctoritate Dd. nixi, temerè asserere audent, quòd collectæ, contributiones, & exactiones, etiam illæ, quæ ob occurrentem gravem, & publicam necessitatem, v. g. belli, vel aliam similem à Principibus, & Magistratibus sæcularibus exiguntur, vel imponuntur, sint onera merè realia: & vel ex hoc ipso fundamento probare contendunt, quòd etiã Clerici, sive Sæculares, sive Regulares ad illas solvendas Principibus sæcularibus sint obligati, eò quòd hujusmodi onera, & tributa, non personis: sed rebus tantùm, seu bonis imponantur, iisque inseparabiliter annexa sint. Verùm hoc falsum esse, & nullâ ratione subsistere posse, evidenter ex dictis demonstrari potest. Nam primò. Onera merè realia imponi possunt etiam à privatis, qui nullâ jurisdictione sunt præditi; quilibet enim dominus potest fundo suo per pactum censuale, feudale, vel emphyteuticum imponere onus reale perpetuum, quod ad quemlibet possessorem transit, ut jam aliàs dictum. Collectæ autem, & tributa, de quibus hîc agimus, solùm possunt imponi publicâ auctoritate, & potestate, non privati dominij, sed jurisdictionis. Secundò, onera merè realia non imponuntur personis: sed rebus, seu bonis tantùm, sive bonis propter bona: ideóque etiam ad quemcúnque possessorem, etiam non subditum, sive personam quocúnque modo exemptam transeunt: hæ autem collectæ, & contributiones imponuntur immediatè personis; quia jurisdictio ex essentiali suo con-

ceptu, & formali ratione, respicit personas subditas, ut patet ex ipsius actibus, qui sunt præcipere, prohibere, punire, &c. qui non possunt exerceri, nisi in personas ratione præditas, easque subditas, sive subjectas: in bona verò, sive res non exercetur jurisdictio, nisi indirectè, & per accidens, quatenus sunt accessoria personis: ergo impositio collectarum per se primò, ac principaliter rendit in ipsas personas, quibus illæ indicuntur, quamvis ratione bonorum, quæ possident, adeóque collectæ non sunt onera merè realia: sed mixta, quia immediatè, ac directè imponuntur personis, & ut sic sunt personalia: quia non possunt imponi, nisi personis subditis, ac proinde subjectionem personarum, quibus imponuntur, necessariò supponunt: partim verò sunt realia, quatenus imponuntur subditis, cum habitudine, sive respectu ad eorum bona, sive personis propter bona, ut sunt accessoria personis. Tertiò. Onera merè realia sunt ordinaria, perpetua, & invariabilia, inseparabiliter annexa ipsis bonis, & certa, seu quæ certam præstationem habent, statis temporibus recurrentem: & hæc etiam ad Ecclesias, & Clericos transeunt, & ab ipsis præstanda sunt: collectæ verò, & contributiones, de quibus hîc est sermo, sunt prorsus extraordinariæ, nec perpetuæ, & invariabiles: sed temporales, & variabiles, ac incertæ, quæ pro necessitatibus fortuito casu, occurrentibus, de novo imponuntur, ita, ut solvi debeat, plus, vel minus, secundùm impositionem collectæ, & cessante necessitate, etiam ipsæ cessare debeant: & hæ ad Ecclesias, & Clericos non transeunt, nec illis imponi possunt; cùm non sint onera annexa bonis: sed personis imponuntur propter res, seu bona, ut dictum, & expressè docet *Abb. in c. ult. n. 12. de vit. & honest. Cleric.* & plures Canonistæ apud *Barb. l. 1. Jur. Eccles. c. 39 §. 5. num. 57.* Et hanc esse sententiam communem, & confirmatam à Rota Romana, testatur *Fagnan. in cit. c. Non minùs; 9. h. t.* ubi addit, quòd hanc decisionem Rotæ tanquam magistralem, seu doctrinam universalem amplectitur S. Congregatio Cardinalium super controversiis jurisdictionalibus. Manet ergo probatum, ac demonstratum, quòd hujusmodi collectæ, contributiones, & exactiones extraordinariæ, & non perpetuæ: sed variabiles, & de novo impositæ bonis, eo tempore, quo jam sunt effecta Ecclesiæ, non sint onera merè realia, sed mixta, modo supra explicato.

§. III.

Quænam conditiones requirantur, ut Clerici, aliæve personæ Ecclesiasticæ, sive Sæculares, sive Regulares, teneantur: imò licitè possint contribuere, & quando etiam novæ, & extraordinariæ collectæ, seu contributiones illis imponi, vel ab iis exigi possint?

LXXII. Assertio 1. Plures conditiones requisitæ ad licitam contributionem Clericorum præscribuntur *in cit. c. Minùs; 4 & c. Adversùs; 7. h. t.* Nam primò, requiritur, ut Episcopus, & Clerus simul deliberent, an, & quantum Laicis contribuendum sit, *cit. c. Non minùs*; ibi *Verum si quando fortè Episcopus simul cum Clericis.* Quare nec Episcopus, etiam cum Capitulo suo Cathedrali, sine Clero suo Diœcesano, nec Clerus, sine Episcopo, hac in re quidpiam statuere potest; quia in ijs, quæ concernunt totum Clerum, non sufficit, Episcopum habere consensum sui Capituli: sed necesse est, ut interveniat consensus totius, vel majoris partis Cleri, *arg. Clement. 1. de censib. Abb. in cit. c. Non minùs; n. 5. Quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, Regul. Jur. 29. in 6.* Putat tamen *Suar. lib. 4. de immunit. Eccles. c. 26. num. 16.* probabile esse, quòd sufficiat, si Episcopus, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis consentiant in contributione facienda; nam nomine Clericorum, etiam solent intelligi Canonici Capitulares Ecclesiæ Cathedralis, ut patet ex *c. 1. & ibi Gl. In casu de his, quæ fiunt à Præl. sine cons. &c.* Vel spectandam esse in hac re consuetudinem loci: si enim Episcopus habeat proprium Consilium suorum Officialium, & Clericorum, qui ad hoc munus sunt deputati, & cum illis graviora negotia expedire debeat, videtur sufficere, si cum illorum consilio Episcopus statuat, an contributio Clericis sit indicenda, nec ne?

Secundò requiritur, ut necessitas valde gravis, vel evidens utilitas subsit, ut patet ex illis verbis: *Tantam necessitatem, & utilitatem perspexerint.* Et debet hujusmodi necessitas, vel utilitas esse communis, videlicet tam Laicorum: quàm Clericorum, *cit. c. Non minùs; & c. Adversus*; ibi: *ad relevandas communes utilitates, vel necessitates*, de quo plura §. *seq.*

Tertiò requiritur, ut Laicorum facultates, ad relevandas communes necessitates non sufficiant *cit. c. Non minùs; & c. Adversùs*; in illis verbis. *Ubi Laicorum non suppetunt facultates.* An autem id de solis facultatibus communibus Reipubl. an etiam de facultatibus singulorum Civium intelligendum sit, dubitari potest? *Suar. cit. c. 26. n. 5.* putat, ut Clerus consentire debeat ad contribuendum, satis esse, quòd moraliter constet, communia bona Reipubl. non sufficere, & singulos Cives non posse, sine magno gravamine, solis suis sumptibus, præsenti necessitati, vel utilitati publicæ subvenire, eámque relevare; quia alioquin esset nimia restrictio, cùm moraliter vix, aut rarissimè possit accidere casus, in quo bona propria omnium, & singulorum Civium sublevandæ necessitati, vel utilitati non sufficiant, & saltem valde difficile foret, hoc examinare, vel probare.

Quartò requiritur, ut contributiones ab Ecclesiasticis fiant sponte, & absque ulla exactione, vel coactione, *cit. c. Non minùs*; ibi: *absque ulla exactione, & c. Adversùs*; ibi: *absque ulla coactione*, sæcularium scilicet; quia ab his Clerici compellendi non sunt, ut contribuant: sed per Judicem, seu Prælatum Ecclesiasticum: ideóque in *cit. c. Adversus*; additur, quod Laici debeant id, quod datur illis à Clericis, *humiliter, & cum gratiarum actione recipere*; quia quando Ecclesia, vel Clerici contribuunt pro necessitatibus Laicorum, illud faciunt ex gratia, & non ex debito, ita, ut ad id cogi non possint à Laicis, *Abb. hic n. 5.*

Quintò denique requiritur etiam, ut prius consulatur S. Pontifex, *cit. c. Adversùs*; Ex quo patet, quod

quòd non solùm Laici nequeant, propriâ auctoritate, collectare Clericos, seu eos cogere ad contribuendum: sed nec ipsi Clerici possunt sponte, ac propriâ auctoritate, ex bonis Ecclesiasticis contribuere, nisi priùs obtentâ licentiâ Papæ, *Abb. in cit. c. Adversùs; num. 6.* qui tamen in *cit. c. Non minùs; num. 19.* id limitat, quòd in casu urgentis necessitatis, in quo specialiter vertitur periculum etiam ipsarum Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum bonorum, v. g. hostilis incursûs, si recursus ad Papam priùs haberi non possit; quia periculum est in mora, etiam ipso inconsulto, Clerici contribuere possint Laicis: & sufficit tali casu, si Episcopus, & Clerici, præmissâ deliberatione, consentiant; quia necessitas non habet legem. Idem docet *Silvest. V. Immunitas 1. n. 20. Suar. cit. c. 26. n. 18.* ubi addit, quòd talis necessitas maximè possit contingere in exactione, quæ ad unum actum, vel ad breve tempus fit: nam si longiore tempore sit duratura, potest quidem ab initio contributio à Clericis fieri, inconsulto Romano Pontifice, qui tamen postea consulendus erit, si diutiùs sit continuanda.

Cæterùm, si una, vel plures, ex prædictis conditionibus requisitis ad contributionem à Clericis faciendam Laicis, desint, Clerici licitè, & illæsâ conscientiâ, non possunt contribuere Laicis; quia omnes prædictæ conditiones copulativè requiruntur, ut patet ex *cit. c. Non minùs; & c. Adversùs; h. t.* Neque verò Clerici huic privilegio exemptionis ab omnibus collectis, & exactionibus quibuscúnque sæcularium renunciare possunt, quippe quod concessum est in favorem totius Ordinis, & Statûs Clericalis, *arg. c. Si diligenti 12. de foro compet.*

LXXIII. Illud hîc addendum, si vera necessitas, vel utilitas communis Clericis, & Laicis, cum debitis circumstantijs, adsit, ob quam naturalis æquitas, & justitia postulat, ut etiam Clerici ad contribuendum cum Laicis concurrant: tunc etsi Laici nunquam possint per vim Clericos ad id cogere, ob defectum jurisdictionis in illos, possunt tamen ab illis petere, eósque requirere, ut sponte contribuant. Quòd si Clerici in tali casu contribuere nolint, per Episcopum ad id cogendi sunt. Si verò Episcopus Clericos compellere ad contribuendum nolit, vel etiam ipse, quando teneretur, contributionem permittere nolit, ad Superiorem Prælatum recurrendum erit, videlicet ad Archiepiscopum, vel Papam; non enim tali casu relictum est liberæ voluntati Episcopi, vel Clericorum, ut contribuant, nec ne: sed prudentiorum arbitrio, & deliberationi, id est commissum, ideóque peccant, & injustè agunt, si subsistente verâ causâ necessitatis, aut utilitatis, contributionem non approbent, aut in illam non consentiant, *Suar. cit. c. 26. num. 6.*

LXXIV. Assertio 2. Quamvis spectato Jure communi Canonico, & Civili, non possint Principes, & Magistratus sæculares ordinariè, & regulariter ullas collectas, vel contributiones, seu exactiones quascúnque Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, aut bonis illarum imponere, vel ab illis exigere, ut satis probatum est in superioribus: aliquando tamen iisdem imponi, & exigi possunt. Veluti primò. Si ex speciali privilegio, vel cum licentia expressa S. Pontificis, jus tales collectas, vel contributiones imponendi Clericis, competat Principi, vel Domino alicui sæculari, prout sumitur ex *c. Adversùs, 7. h. t.* Ubi requiritur, ut S. Pontifex priùs consulatur: ergo cum consensu ipsius, ac licentiâ, possunt collectę hujusmodi imponi Clericis, vel ab illis exigi, *Barbos. ibid. num. 3.* Secundò. Si bona, quæ Ecclesia, vel personæ Ecclesiasticæ possident, ab Imperatore, vel Rege ipsis data fuerint in Feudum; nam ratione Feudorum etiam Clerici sunt immediatè subjecti Imperatori, vel alteri Domino Feudi, cùm dominium directum horum jurium, & bonorum, penes Imperatorem, vel alium Dominum Feudi maneat, ut docet *Gail. lib. 1. observ. 30. & Laym. lib. 4. tract. 9. c. 5. num. 2.* Nam ut ait *Abb. in c. Dilectus; 34. num. 4. de præb.* Si Ecclesia habeat Feudum à Laico, censetur, ut Laicus, non ut Ecclesia. Cùm ergo Clerici, quoad bona feudalia, non habeant privilegium fori: sed coram Judice sæculari, videlicet Domino Feudi conveniri possint, ac debeant, *c. Ex transmissa; 6. & seq. de foro compet.* nil mirum, quòd ratione jurium, & bonorum feudalium, etiam Imperatori, vel alteri Principi tanquam Domino Feudi contribuere debeãt, ut docet *Piasec. in praxi Episc. p. 2. c. 4. artic. 8. num. 6.* Tertiò. Si bona immobilia, etiam non feudalia, Ecclesiæ ab initio in prima fundatione à Principe aliquo sæculari donata fuerint, non liberè: sed cum reservatione, jurisdictionis, & sub ea conditione, & pacto, ut semper sub eodem foro maneant, sub quo antea existebant; nam talis conditio, seu pactio, cùm secundùm se, & ex objecto suo, non sit illicita, vel injusta, omnino servanda est, ut docet *Molin. tr. 7. de just. disp. 6. nu. 6. Laym. cit. c. 5. num. 4. arg. c. Verùm 34. de condit. apposit.* Si ergo Fundator, v. g. Princeps aliquis sæcularis ab initio potuit sibi reservare jurisdictionem fori in bonis Ecclesiæ, sub certo modo, ac pacto donatis, consequenter etiam potuit sibi reservare jus imponendi, vel exigendi, ratione talium bonorum, collectas, & contributiones, sive antiquas, sive novas, ordinarias, vel extraordinarias: & hoc casu Clerici solvunt gabellas, & collectas, non vi subjectionis: sed vi pacti, seu conventionis factæ in prima fundatione.

LXXV. Cæterùm hactenus dictis de exemptione Ecclesiarum, & Clericorum à collectis, seu contributionibus, & exactionibus addendum est, quòd plures dicunt, omnia tributa, quæ antequam ad Ecclesiam pervenirent, vel personam Ecclesiasticam, per donationem, contractum, vel alium justum titulum, jam erant obnoxia, seu gravata tributis realibus, sive ex dispositione privata, sive etiam ex publica dispositione, seu Decreto Principis, seu Magistratûs sæcularis sint imposita, transire cum hoc onere ad Ecclesias, & Clericos, ut tenet *Silvest. V. Immunitas; 11. num. 19. quæst. 5. dicto; 3.* & alij, ut refert *Martha tract. de Jurisd. p. 4. casu 11. n. 35. & 36.* Idque probant; quia nemo potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habet: cùm ergo ista bona jam sint affecta, & subjecta tributis, seu collectis, tempore, quo erant sub dominio Laicorum, non poterunt transferri in Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, sine prædictis oneribus, seu tributis, quæ antea illis inhærebant. Ad quod fundamentum jam suprà responsum est: fatentur tamen prædicti Dd. non posse Ecclesiis, & Clericis imponi tributa, ac contributiones de novo, quæ antequam ad illas pervenirent, non erant im-

inpositæ bonis illis, & de his novis tributis explicant Canones, & Jura, quæ in contrarium adducuntur. Idémque dicendum esse, multò magis de bonis patrimonialibus Clericorum; quæ sententia, cùm in pluribus locis usu observetur, saltem propter auctoritatem Dd. est probabilis, ideóque in praxi, erroris damnari non potest.

§. IV.

An Clerici teneantur contribuere pro necessitatibus, vel utilitatibus publicis, & communibus Laicorum, & Clericorum?

Quæstio hîc est de illis tributis, sive contributionibus, quæ exiguntur, & imponuntur propter communes necessitates, aut utilitates omnium Civium, sive incolarum, etiam Clericorum. Cujusmodi sunt tributa, quæ imponuntur civibus, ad reficiendas publicas vias, pontes, & fontes, aut muros Civitatis, vel ad comparandam annonam Civitatis, & similia, quæ ad communem usum, seu utilitatem Civium, etiam Clericorum sunt necessaria.

LXXVI. In hac quæstione ad hujusmodi tributa, seu contributiones solvendas obligari etiam Ecclesias, & Clericos, aliásque personas Ecclesiasticas, ratione bonorum, quę possident, affirmant communiter Legistæ, & plures Canonistæ. Idque probatur ex *l. Ad instructiones*; 7. *C. de SS. Eccleſiis.* ubi dicitur: *Ad instructiones itinerum, pontiúmque, etiam Divinas domos, & venerabiles Ecclesias (ergo multò magis Clericos) tam laudabili titulo libenter adscribimus.* Et in *l. ult. C. de quibus muner. præst. lib.* 11. additur, murorum constructio, & frumenti aliarúmque specierum comparatio, seu communis provisio: & in *l. Placet*; 5. *C. de SS. Eccles.* conceditur immunitas Ecclesiis à collectis: sed excipiuntur communes necessitates, quæ Lex approbata est à Jure Canonico, in *c. Generaliter*; 40. §. *Placet*; *caus.* 16. *quæst.* 1. Probatur secundò, quia hujusmodi exactiones non sunt tributa, quæ indicant subjectionem, vel in propria jurisdictione fundantur; quia non imponuntur, ut Regi, vel Principi Jure subjectionis solvantur: sed solùm sunt contributiones, quæ pro communibus necessitatibus, & utilitatibus proprijs omnium Civium fiunt: ergo cùm Clerici sint etiam membra Reipubl. & fruantur his communibus commodis, naturalis ratio, & æquitas postulat, ut etiam concurrant ad hujusmodi onera ferenda, cum cæteris Civibus.

LXXVII. Verùm contraria sententia, quòd Clerici non possint à Laicis cogi, ad contribuendum etiam pro communibus necessitatibus, vel utilitatibus, nec debeant, vel possint licitè pro illis contribuere, nisi servatâ formâ, & modo præscripto, in *c. Non minùs*; 4. *& c. Adversùs*; 7. *h. t.* est verior, & longè probabilior, quam tenet inprimis *Bartol. in cit. l. Ad instructiones*; *num.* 3. ubi ait: Refectio viæ quandóq; est onus reale; nam quilibet debet reficere viam ante domum suam, *l. fin. ff. de via publ. & itiner. refic.* & tunc pertinet ad Ecclesiam: quandóque est onus, quod imponitur personæ pro rebus, ut pro faciendo viam, vel pontem, & tunc non potest imponi Ecclesiis, *Auth. Item nulla*; *C. de Episc. & Cleric.* quia est onus mixtum. Eandem sententiam tenet, *Gl. in c. Generaliter*; 20. §. *Juxta*; *V. Collationibus*; *caus.* 16. *q.* 1. *Hostiens. in summa hîc num.* 4. §. *Ego puto*; *h. t. Ioan. Andr. in c. Non minùs*; 4. *nu.* 14. *h. t.* & ibid. *Abbas num.* 18. *& p.* 1. *Consil.* 3. *Silvest. V. Immunitas*; 1. *num.* 20. *Mol. tr.* 3. *de just. dis.* 672. *num.* 4. *conclus.* 1. *Suarez cit. l.* 4. *c.* 26. *num.* 12. *& seqq. Less. cit. c.* 33. *num.* 25. & est communior hodie sententia Canonistarum, & Theologorum. Et probatur primò ex *cit. c. Non minùs*; ubi prius dicitur: *sive fossata, sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda.* Fossata autem, sicut & expeditiones plerumq; ad custodiam Civitatis fieri solent, adeóque pertinent ad utilitates communes Clericis, & Laicis: & deinde adjungitur, *sive alia qualibet*, per quam particulam distributivam, saltem comprehenduntur omnia similia. Et in *c. Adversùs*; 7. declaratur prædicta decisio de exactionibus, quæ ad relevandas communes necessitates, vel utilitates fiunt.

Præterea in *c.* 1. *h. t. in* 6. absolutè, & sine limitatione, prohibentur exigi, & imponi collectæ, seu exactiones quæcúnque ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis: & in *Clement. Quoniam unic. eod.* statuitur contra quosdam Laicos, exigentes, seu extorquentes ab Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis, tallias, seu collectas, aut exactiones quascúnque, & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel favorem: nec non & circa præstandas subventiones Laicis ab Ecclesiarum Prælatis, ac alijs viris Ecclesiasticis illud inviolabiliter observari, quod super his à Prædecessoribus Pontificibus in Lateranensi, & Generalibus Concilijs (nempe Alexander III. in Concilio Lateranensi, & Innocentius III. in Concilio Generali, relatis in *c. Non minùs*; 4. *& c. Adversùs* 7. *h. t.*) salubriter est provisum. Nomine autem subventionum hîc significant maximè solent hujusmodi contributiones ad publicas necessitates, vel utilitates Civium, *Suarez cit. c.* 26. *nu.* 11. Denique in *cit. Auth. Item nulla*; *C. de Epis. & Cleric.* conceditur pijs locis, & Ecclesiasticis personis immunitas etiam ab angarijs, & perangarijs, quæ pro communi utilitate exigi solent.

LXXVIII. Probatur secundò ratione, quia bona Ecclesiastica deputata sunt ad usum, & finem spiritualem, qui in bonum etiam ipsorum Laicorum redúdat: Templa enim, & omnes sumptus illorum usibus Laicorum inserviunt, ideóq; non est à ratione alienum, ut Laici ex solis suis bonis temporalibus contribuant ad publica opera civilia, etiamsi ea in Clericorum quoque utilitatem cedant. Idque etiam rectè extenditur ad bona patrimonialia Clericorum, non solùm quia bona sunt accessoria, ideóque meritò participant exemptionem personæ, ne detur occasio Laicis, illo prætextu gravandi Clericos: verùm etiam, quia cùm Clerici inserviant communi utilitati Laicorum, æquum est, ut etiam frui possint commodis communibus Civitatis, tametsi ad illa ex temporalibus reditibus suis non contribuant. Nam etiam milites, & Magistratus ab hujusmodi oneribus, & tributis eximuntur: meritò ergo etiam Sacerdotes, qui non minùs ad Jus publicum, seu commune bonum pertinent, quàm sæculares Magistratus, *c. Jus publicum*; 11. *dis.* 1. *Suar. cit. c.* 26. *num.* 12. *&* 13. Accedit, quòd S. Pontifex possit ob justam causam, Clericis im-

imponere tributum aliquod, quin etiam Episcopus charitativum subsidium: si ergo etiam deberent cõtribuere ad necessitates, vel utilitates publicas Civium, deterioris essent ipsi Clerici conditionis, quàm sæculares, quippe qui duplici onere gravarentur, quod æquitati non est consentaneum, *Laym. cit. c. 6. n. 2.*

LXXIX. Cæterùm notanda hîc est præterea distinctio, quam tradit *Abb. in cit. c. Non minùs 3. n. 20. h. t. Molin. cit. disp. 672. num. 4. conclus. 1. & 2.* Vel necessitas, aut utilitas communis Clericis cum Laicis, ob quod tributum imponitur, non respicit bona Ecclesiæ, & personas Ecclesiasticas, nisi remotè, & in consequentiam, quatenus sunt partes Reipubl. & tunc non tenentur Ecclesiæ, & Clerici ad illam contribuere, ut dictum; quia aliàs nullum privilegium haberent, quoad tributa: Vel necessitas, aut utilitas communis directè, & æquè principaliter respicit peculiaria aliqua prædia, ita, ut soli eorum domini, ob emolumentum, quod talibus prædijs inde resultat, debeant ad id contribuere: tunc si Ecclesiæ, aut Clerici habeant ibi aliqua prædia, quæ eodem modo emolumento illo perfruuntur, ac reliqua prædia, perinde debent Clerici ad id contribuere, ac Domini Laici cæterorum prædiorum. Ut si v. g. vermes depopulentur agros, & ad subveniendum huic malo, necesse sit, contribuere: vel si propter exundationem aquarum agri fiant infrugiferi, & necesse sit, aperire fossam, quâ aqua confluat, & aliò derivetur: vel ad agros irrigandos, necesse sit facere aquæ ductum, & in alijs similibus casibus. Ratio est, quia bonum ob quod contribuitur, directè, ac proximè respicit bonum Ecclesiarum, vel Clericorum. Veruntamen etiam in his casibus Sæculares non possunt per seipsos compellere Clericos, ad contribuendum pro rata sua: sed per Superiorem eorum id efficere debent: quin imò, si bona, sive prædia ad multos Ecclesiasticos pertineant, requiritur, ut contributio fiat, cum consensu, non solùm Laicorum: sed etiam Clericorum, habitâ deliberatione inter Episcopum, & Clerum; quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. *Abb. c. l. & Molin. c. l. conclus. 3.* ubi addit, ad hujusmodi contributionem, quæ privatum commodum Ecclesiarum, & Clericorum respicit, non esse necessarium consensum S. Pontificis.

LXXX. Ad LL. in contrarium supra pro prima sententia allatas respondetur, illas, vel esse correctas per *cit. Auth. Item nulla*; vel semper irritas fuisse, præsertim, quæ de Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis expresè disponunt, ob defectum potestatis, & quia derogant immunitati Ecclesiasticæ: Neq; verum est, quòd dicta *Lex placet*; 5. *C. de SS. Eccl.* inserta volumini Decreti à Gratiano, sit canonizata per Jus Canonicum, vel ab eo approbata; quia per hoc, quòd sit inserta Decreto Gratiani, non aliam habet auctoritatem, quàm priùs habebat: illæ enim LL. Civiles censentur tantùm canonizatæ, quæ à Papa Canonibus inseruntur, *Gl. in c. Inprimis; 7. caus. 2. qu. 1. V. Capituli*, & alibi dictum. Ad rationem verò in oppositum allatam respondetur, quamvis Clerici sint membra Reipubl. privilegiata tamen, seu exempta, & non omnia membra eundem actum habent, juxta Apostolum ad *Rom. 13.* Clerici quidem tenentur Patriam sublevare: sed in ministerijs spiritualibus, statûs sui proprijs, ratione quorum exempti fuerunt à tributis, & exactionibus sæcularibus. Et sicut Laici, quamvis & ipsi membra sint Corporis mystici Ecclesiæ: non tamen tenentur præstare Episcopo Cathedraticum, vel charitativum subsidium, vel procurationem, vel similia onera subire, quæ ad Clericos spectant: ita vicissim, nec Clerici debent subire onera, quæ Sæcularibus incumbunt. Nec obstat, quòd qui sentiunt commodum, debent etiam sentire onus; quia id verum est, nisi aliunde graventur, propter quod æquum est, ut in alio subleventur: sicut in proposito, Clerici gravantur alijs oneribus, & ministerijs spiritualibus, & Ecclesiasticis, ideóque æquum est, ut ab oneribus temporalium exactionum eximantur. *Fagnan. in cit. c. Non minùs 3 num. 49. h. t.* Veruntamen, quia subinde graves necessitates, vel utilitates publicæ, & cõmunes Laicis, & Clericis occurrere possunt, ut decens, & naturali æquitati consentaneum sit, ut etiam ipsi contribuant: tunc & ipsi contribuere tenentur, quamvis non secundùm voluntatem, & exactionem Laicorum: sed servato modo, & conditionibus præscriptis à Jure Canonico, de quibus supra actum.

§. V.

De immunitate, & exemptione Clericorum, à tributis, aliisque oneribus merè personalibus.

LXXXI. Quæritur primò. An Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ sint immunes, & exemptæ à tributis merè personalibus, quæ per Capita, juxta personarum numerum, sine respectu ad bona, imponuntur, cujusmodi est census, seu tributum capitationis, juxta *Tit. Cod. de Capitat. Civium lib. 11.* Respon. affirmativè, & expresè decisum habetur in utroque Jure; nam in multis Decretis Juris Canonici supra allatis fit specialis mentio de exemptione personarum Ecclesiasticarum à collectis, & exactionibus quibuscúnq;: & constat etiam ex *l. 1. C. de Episc. & Cleric.* Probatur, tum quia nemo potest personale tributum imponere, nisi personæ suæ jurisdictioni subjectæ: sed personæ Ecclesiasticæ non sunt subjectæ jurisdictioni Principum sæcularium, ergo hi non possunt illis imponere talia tributa. Tum quia non potest justè imponi tributum personæ, nisi vel ratione bonorum, quod est tributum, non merè personale: sed mixtum, de quo supra. Vel ratione propriarum actionum, quatenus persona per eas aliquid potest lucrari, & acquirere, ex quo solvatur tale tributum: at verò Clerici non sunt capaces tributi personalis, & temporalis; quia cùm ratione Statûs sui, sint omnino dicati cultui Divino, & actiones suas dirigere debeant, non ad lucra temporalia: sed ad ministeria spiritualia, ideò ex vi Statûs sui, jure naturali, sunt exẽpti ab hujusmodi tributis personalibus. Et licèt temporale aliquod stipendium propter talia ministeria recipiant; illud tamen non habet rationem lucri temporalis: sed tanquam congrua, ac debita sustentatio illis datur, quæ non debet diminui per impositionem tributi: præterquam, quòd illud stipendium solvatur Clericis, ratione spiritualis Ministerij, cui est accessoriè annexum, tanquam merces debita, adeóque etiam ab omni potestate sæculari est exemptum, sicut ipsa spiritualia Ministeria, *Suar. cit. lib. 4. de immun. Eccles. c. 2. num. 3. & 4.*

LXXXII. Hinc infertur, quòd Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ nõ debent etiam gravari angarijs, ut cõstat ex *cit. c. Non minùs*; ibi: *Tot angarijs eas affligunt, & ex Auth. Item nulla*; *C. de Episc. & Cleric.* Dicuntur autem angariæ, munera, seu obsequia personalia proprijs sumptibus præstita: perangariæ verò servitia à persona præstita sumptibus alienis, secundùm *Gl. in cit. c. Non minùs*; *V. Angarijs.* Alij verò communiter dicunt, quòd angariæ consistant in operis personæ, adeóque sint munus purum, seu merè personale: perangariæ verò in operis personæ, & impendijs rerum, adeóque sint munus, seu onus mixtum. Et ab utrisque angarijs, & perangarijs, id est, servitutibus personarum, & rerum, Clerici omnes, cum eorum familia, sunt liberi, & immunes, *cit. Auth. Item nulla*; *& l. 2. & l. Presbyteros* 5. *6. C. de Episcop. & Cleric. Abb. in cit. c. Non minùs*; *num.* 10. *Silvest. V. Immunitas*; 1. *q.* 4. *n.* 16. Excipiuntur tamen illæ angariæ, & perangariæ, vel similes præstationes, quæ ab antiquo, ratione Feudi debentur, vel contractûs censualis. *Laym. cit. c. 6. num. 6.*

LXXXIII. Quæritur secundò. A quibus præterea oneribus personalibus Clerici sint exempti? Respondetur munera, seu onera personalia, quædam sunt sordida, quæ consistunt in vilibus exercitijs, ut cloacæ purgandæ, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, de quibus in *l. Maximarum*; 12. *C. de excusat. muner. lib.* 10. Et ab his sunt immunes Ecclesiæ, & omnes Clerici, ac familiæ earum, etiam de Jure Civili, *l. Placet*; 5. *C. de SS. Eccles. l.* 2. *C. de Episc. & Cleric.* Quædam verò onera personalia sunt, quæ nec honorem habent, nec utilitatem, sunt tamen honesta, nec sordida, ut est tutela pupillorum, vel cura minorum: & ad hæc etiam non tenentur Clerici, nec Monachi, sed immunitatem habent: quamvis Clerici etiam in Sacris constituti possint, si velint, suscipere tutelam legitimam proximorum consanguineorum: non autem dativam, vel testamentariam: Episcopi verò, & Monachi, nullam omnino tutelam suscipere possunt, *l. Generaliter*; 52. *juncta Auth. seq. C. de Episc. & Cleric.* & refertur in *c. Generaliter*; 40. *in princip. caus.* 16. *quæst.* 1. Veruntamen tutelam miserabilium personarum omnes Clerici, & Monachi possunt subire; quia est opus pium *c. ult. junct. Gl. V. Tutelas*; *dis.* 86. *Silvest. V. Immunitas*; 1. *quæst.* 4. *num.* 16. *& 17.* Præterea non tenentur Clerici ire ad bellum, ut manu pugnent, etiam ob imminentem necessitatem; quia Clericatus reddit illos inhabiles ad pugnandum, *c. Ex multa*; 9. *§. fin. de voto*, *Abb. in c.* 2. *n.* 5. *h. t.*

LXXXIV. Quæritur tertiò. An Clerici teneantur ad custodiam murorum Civitatis? Resp. ordinariè, & regulariter non tenentur, etiam contra Piratas maritimos, ut constat ex *c. Reprehensibile*; 19. *caus.* 23. *q.* 8. ubi ratio redditur; quia militum Christi est, Christo servire, militum verò sæculi, sæculo: facit *cit. c. Non minùs*; *h. t.* ubi generaliter dicitur, Clericos esse immunes ab oneribus publicis; nam Clerici non debent avocari ab Officijs Divinis. Excipitur, nisi adsit magna necessitas, defendendi Civitatem ab hostibus infidelibus, vel etiam fidelibus, ita, ut sine Clericorum ope non possint mœnia commodè custodiri per solos Laicos, prout sumitur ex *c. Pervenit*; 2. *h. t.* Ubi Gregorius Papa rescribit Archiepiscopo Tricẽsi, vel secundùm aliam lectionẽ Trecensi, nullum per nostræ (id est, Romanæ) vel Ecclesiæ suæ (propriæ Archiepiscopi, cui scribit) nomen, aut alio modo excusari à murorum vigilijs patiatur; sed omnes ad hoc generaliter compellantur (nisi sint senes, *Gl. hîc V. Omnes*;) ut cunctis vigilantibus (vicissim, & successivè, vel etiam simul, si tantum periculum immineat, ut omnes simul oporteret adesse, *Gl. fin. hîc*) meliùs possit Civitas custodiri. Ratio est, quia in necessitate cessat privilegium, *Gl. hîc in notat.* & periculum, quod omnibus imminet, ab omnibus debet præcaveri, & propulsari, & quilibet tenetur Patriam defendere, *Abb. hîc nu.* 6. Sensus igitur hujus cap. est, quòd nullus, sive sit Ecclesiæ Romanæ, id est, ei subjectus, & ad illam pertinens, sive alterius Ecclesiæ: & sive sit Clericus, sive non: sed Laicus, debeat tempore necessitatis, prætextu Ecclesiæ, eò quòd sit ejus Rector, vel Beneficiatus, vel aliàs ad illam pertineat, à custodia Civitatis excusari, ut explicat *Abb. hîc num.* 3. Ad quod tamen compellendi sunt Clerici per Judicem Ecclesiasticum, videlicet Episcopum: non per Sæcularem, ut addit *Abbas ibid.*

LXXXV. Quæritur quartò. An Clerici possint cogi, ut hospitium præbeant militibus in domibus suis? Respond. negativè, prout habetur in *l. 1. C. de Episc. & Cleric.* Idque procedit etiam in domibus patrimonialibus Clericorum, juxta sententiam *S. Congreg. Concil. super controv. jurisdict. apud Barbos. lib. 1. Jur. Eccles. c. 39. §. 5. n. 70. & 71.*

§. VI.

Quinam gaudeant privilegio immunitatis, seu exemptionis ab oneribus, & tributis, impositis per Principes sæculares?

LXXXVI. Quæritur primò. An omnes Clerici gaudeant hoc privilegio immunitatis? Resp. primò, non solùm omnes Ecclesiæ, & loca pia: sed etiam omnes Clerici sæculares, sive in Sacris, sive in minoribus Ordinibus sint constituti, etiam primâ tonsurâ tantùm iniriati, liberi sunt, & immunes ab omnibus oneribus, & tributis Laicalibus, etiamsi omnes conditiones requisitas à *Concil. Trident. Sess. 23. c. 6. de reform.* non habeant; quia illæ à Concilio sunt requisitæ solùm ad privilegium fori retinendum, ideóque id non est extendendum ad alia privilegia Clericalia, cùm sit odiosum illis privari. *Molin. tom. 3. de justit. dis. 671. num. 5. Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. c. 39. nu. 15.* & alij apud ipsum. Quamvis aliqui contrarium teneant, nempe tales Clericos in Minoribus, si Beneficium non habeant, vel non incedant in habitu, & tonsura, & de mandato Episcopi alicui pio loco non inserviant, non esse immunes à gabellis, tributis, & alijs oneribus, *Suar. lib. 4. de Immun. Eccles. c. 27. nu. 14. Azor p. 3. lib. 5. c. 19. quæst. 6.* Quin imò etiam excommunicati, suspensi, interdicti, vel irregulares, aut etiam verbaliter degradati, hoc privilegio gaudent, qui Clericatum non amittunt. *Barb. c. l.* Excipiuntur Clerici conjugati, etiam cum unica, eáque Virgine, qui immunitate à tributis non gaudent, *c. unic. & ibi Glos. V. In cæteris, de Cleric. Conjug. in 6.* *Barb.*

Barb. c. l. num. 18. Aliud est de Clericis Græcis, sive Ecclesiæ Orientalis, qui utuntur matrimonio cum unica, & Virgine contracto; ij enim quoad omnia sunt Clerici, adeóque & omnibus privilegijs Clericalibus gaudent, etiam uxores legitimæ eorum. *Barb. c. l. num.* 19.

Præterea hoc privilegium immunitatis à tributis, aliqui extendunt etiam ad familiam Clericorum, quæ in eorum domo commoratur, & ipsorum sumptibus alitur. Verùm id ex Jure probari non potest; nam *l.* 2. *C. de Episc. & Cleric.* loquitur de mancipijs, seu servis, qui in Clericorum dominio sunt, & consequenter eodem modo à tributis eximuntur, quo reliqua Clericorum bona. *Barb. c. l. num.* 22.

LXXXVII. Resp. secundò. Omnes Regulares utriusque sexûs, non solùm Professi, & Conversi: sed etiam Novitij gaudent hoc privilegio immunitatis à tributis, sicut & privilegio Canonis, & fori; quia etiam Novitij recepti in Religione appprobata, sunt pars illius Communitatis, quæ verè est Congregatio personarum Ecclesiasticarum, & sunt in via, ut perfectè, & indissolubiter ei uniantur, ideóque gaudent hoc privilegio immunitatis, etiam quoad bona sua patrimonialia. *Molin. cit. disp. n.* 1. 2. *&* 3. *Barb. c. l. num.* 23. Idémque dicendum de Eremitis, & Ordinibus Militaribus. *Barb. c. l. n.* 25. *&* 26.

LXXXVIII. Quæritur secundò. Utrùm Laici Coloni, & Emphyteutæ Ecclesiæ, aut Clericorum etiam gaudeant immunitate à gabellis, & tributis? Respond. primò. Vel sunt Coloni perpetui, seu adscriptitij Ecclesiæ; quia glebæ, id est, terræ colendæ in perpetuum sunt adscripti, & obligati, ita, ut recedere non possint: & hi gaudent immunitate Ecclesiis, & Clericis concessâ, ut docet *Menoch. de arbitrar. Judic. casu* 562. *n.* 21. *Barb. cit. c.* 39. §. 5. *n.* 30. Et de his Rusticis, sive Colonis adscriptitijs habetur statutum, » *in c. Indicatum est* 3. *juncta Gl. fin. h. t.* quòd non » debent, nec possunt rura Ecclesiæ deserere, & colere possessiones privatorum, ideóque nec debet » permitti, id fieri. Vel sunt Coloni partiarij, qui » colunt agros pro certa parte fructuum, & certum est, illos esse immunes, quoad illam partem fructuũ, quam Ecclesiæ præstare tenentur; cùm non censeantur fructus ipsius coloni: sed Ecclesiæ. *Menoch. c. l. n.* 35.

An autem Coloni Ecclesiæ etiam sint immunes à collectis, quoad eam partem fructuum, quæ ipsorum propria est? dubitatur. Et quamvis prius plures affirment, nempe esse immunes, prout videre est apud *Menoch. c. l. n.* 4. *&* *seqq.* Contrarium tamen est probabilius, ut tenet *Gl. in Clement. præsenti*; 3. *V. Non negotiandi*; *de censib. Menoch. c. l. nu.* 38. *&* *seqq.* & alij communiter apud *Barb. cit. c.* 39. §. 3. *nu.* 33. Tum quia nullibi reperitur privilegium concessum circa gabellas colonis, seu conductoribus agrorum, ad Ecclesias, vel Clericos pertinentium, & ipsi non sunt personæ Ecclesiasticæ, sed veri Laici, fructúsque percepti ab ipsis pleno dominij jure ad eosdem spectant, nec gravatur hujusmodi tributis ipsa Ecclesia in suis prædijs, vel personis: sed fructus ipsorum Colonorum pro sua parte, seu portione. Quam posteriorem sententiam approbat etiam communis praxis, & consuetudo.

LXXXIX. Resp. secundò. Similiter probabilius est, quod Emphyteuta Ecclesiæ teneatur ad solvendas collectas, ratione utilis dominij, quod est omninò separatum à dominio directo Ecclesiæ, & merè Laicum, ac profanum, adeóque subjectum oneribus sæcularibus; tum quia res in Emphyteusin concessa Laico, mutat conditionem, ob personam, in quam transit dominium utile, ideóque subijcitur tributis: tum quia Emphyteuta Ecclesiæ non gravatur duplici onere: sed uno tantùm, quia solvit collectas, ratione utilis dominij, adeóque pro fructibus, seu redditibus, quos ipse percipit, alioquî ne quidem Emphyteuta Laici posset gravari collectis, & pro pensione, seu canone tantò minus solvit. Et hanc sententiam tenet *Mascard. de arbitr. jud. casu*; 562. *num.* 22. eámque praxis quoque confirmat.

§. VII.

De pœnis violantium immunitatem Ecclesiasticam, exigendo, vel imponendo Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis collectas, vel alias exactiones.

XC. Plures sunt pœnæ statutæ Jure Canonico. Et inprimis in *c. Nonminùs* 3 4. §. *Si autem*; *h. t.* » fertur pœna excommunicationis in collectantes » Ecclesias, vel Clericos, quam, si postquam com- » moniti sunt, desistere noluerint, ipso jure, seu facto » incurrunt, tam ipsi, quàm fautores eorum: nec » communioni fidelium restitui debent, nisi com- » petentem fecerint satisfactionem, *Gl. fin. hîc. Abbas* » *num.* 7. *&* 9.

Secundò *in c. Adversùs* 3 7. *h. t.* prædictæ » Constitutioni adijcitur, quòd Constitutiones, & » sententiæ, quæ à collectantibus Ecclesias, & Cleri- » cos, ac compellentibus ad contribuendum, etiam » pro necessitatibus communibus, sunt editæ, vel de » ipsorum mandato promulgatæ, ipso jure sunt irri- » tæ, nec ullo unquam tempore valituræ. Ratio est, » quia ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. *Reg. jur.* 26. *in 6.* Veruntamen, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, excommunicatus ob prædicta, etiam » post officium depositum, nisi satisfecerit, manet » excommunicatus: imò, & successor in officio, » nisi intra mensem satisfecerit, Ecclesiasticâ censurâ » irretitus manet, donec competenter satisfecerit, » cùm succedat in onere, qui substituitur in honore: » *cit. c. Adversùs*; *in fine.*

XCI. Notandum hîc primò. Excommunicatus ab homine, vel à jure, ob delictum commissum, ratione Officij publici, ut in proposito, ob impositionem collectæ, Ecclesiis, aut Clericis factam, non desinit esse excommunicatus, finito officio: quin imò sicut, durante officio, poterat compelli, ad satisfaciendum, ita, & postea, eo finito, potest compelli, *Abb. in cit. c. Adversùs*; *n.* 3. *&* *n.* 8. Idque extenditur, quòd talis teneatur satisfacere, durante, & finito officio, etiamsi commoditas proveniens ex delicto, non ipsi: sed universitati, vel domino cesserit, ita, ut si non possit inducere universitatem, vel dominum ad satisfaciendum, ipse de suo satisfacere tenea-

neatur; quia non debuisset ad id præstare auxilium, vel consilium. *Abb. c. l. n. 9.* & colligitur ex *cit. c. Adversus.*

Notandum secundò. Successor in Officio imponentium collectas, vel alia similia onera Clericis, tenetur ad satisfactionem, vel ex communibus bonis Communitatis, vel inducendo eos, ad satisfaciendum, quibus collectæ sunt applicatæ; nam quantum ad hoc, meritò succedit, in onere, qui succedit in honore, sive officio, & Magistratu, ut dicitur in *cit. c. Adversus*; At vero ex proprijs bonis non tenetur talis Successor in officio satisfacere, seu restituere, cùm ipse non deliquerit, nec aliquid ex collectis ab Ecclesia datis usurpaverit, adeóque, si intra mensem non possit satisfactionem præstare, non incurret excommunicationem; quia revera non deliquit. Veruntamen, si Successor in officio etiam hæres foret in bonis Antecessoris, qui collectam imposuit, teneretur tunc ad satisfactionem præstandam Ecclesiæ, quæ damnum passa est in impositione collectæ. *Suarez disp. 21. de censur. Sect. 2. num. 101. in fine. Barb. in cit. c. Adversus; n. 5. h. t.*

XCII. Tertiò in *c. Clericis; 3. h. t. in 6.* statuitur pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, non solùm in Laicos, cujuscúnque præeminentiæ, conditionis, & status fuerint, etiam Imperatores, & Reges, qui collectas, aut tallias, vel alia gravia onera Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, aut Regularibus imposuerint, exegerint, vel receperint: & in omnes, qui in prædictis scienter dederint auxilium, consilium, vel favorem: & sententia interdicti, si imponentes Universitates, vel Collegia fuerint: sed insuper etiam prohibetur, ne Prælati, & Ecclesiasticæ personæ Religiosæ, vel Sæculares, collectas, vel tallias, decimam, vicesimam, vel centesimam partem suorum, vel Ecclesiarum proventuum, seu bonorum, quocúnq, colore mutui, subventionis, subsidij, vel quovis alio solvant, vel promittant, aut consentiant, se soluturos, absque auctoritate Sedis Apostolicæ: idque etiam sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, à quibus excommunicationum, & interdicti sententijs nullus absolvi possit, præterquam in mortis articulo, absque speciali ejusdem Sedis licentia: non obstantibus quibuscúnque privilegijs, sub quibuscúnque modis, seu formis concessis, etiam Imperatoribus, & Regibus.

XCIII. Porro pœnæ decretæ in *cit. c. Clericis; h. t. in 6.* postea revocatæ sunt in *Clement. Quoniam; unic. h. t. in princ.* quoad Clericos, solventes collectas Laicis, aut alia onera præstantes, & pro infectis haberi voluit; quia ex illa nonnulla scandala, magna pericula, & gravia incommoda sunt secuta, & ampliora timebantur in futurum. Sed Benedictus XI. *in Extravag. Quod olim unic. h. t. inter communes*; prædictam Constitutionem decretalem Bonifacij VIII. in *cit. c. Clericis*; adhuc magis restrinxit ad exigentes tantùm tributa, & collectas ab Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, & ad exigendum dantes auxilium, consilium, vel favorem, & statuit, ut quoad easdem pœnas in solventibus, aut recipientibus à sponte dantibus deinceps Constitutio illa locum non habeat. De cætero tamen præcipitur, tam in *cit. Clement. unic.* quàm *in Extravag.* Decreta Conciliorum Generalium *in c. Non minus; 4. & c. Adversus; 7. h. t.* inviolabiliter observari. Etsi verò *Glos. in cit. Clement. unic. V. Quoniam; & V. Pro infectis; & Franc. in c. Clericis; 3. eod. in 6.* putet, eandem Decretalem Bonifacij per dictam Clement: omninò, & in totum revocatam esse, cum suis declarationibus; id tamen, sine sufficiente fundamento dicitur. Additur præterea in *cit. Extravag. unic. h. t.* & præcipitur Ecclesiarum Prælatis, & alijs Clericis, ut Concilium Lateranense (*in c. Non minus; 4. h. t.*) quod in hujusmodi obventionibus solùm casum necessitatis, aut communis utilitatis excepit, ubi Laicorum ad id non suppetunt facultates: & Concilium Generale (*in c. Adversus; 7. eod.*) ut hoc casu, Rom. Pontifex priùs consulatur, diligenter observent: & ut solicitè caveant, ne prædictorum Decretorum transgressores existant, quoquo modo, vel titulo, inconsulto Rom. Pontifice, aliquid Laicis concedendo, vel etiam promittendo: aliquin tanquam Canonum, & solennium Conciliorum temerarij transgressores gravissimè puniendi.

XCIV. Denique in Bulla Cœnæ Domini fertur etiam censura excommunicationis in eos, qui collectas, decimas, vel similia onera Ecclesiasticis personis, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, eorúmque fructibus &c. absque Rom. Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus (hoc est, sine alivi, aut coactione, præter exactionem, seu impositionem) recipiunt, de qua censura videri potest *Suarez disp. 21. de censur. sect. 2. num. 99. & 100.* Item in eadem Bulla, censura excommunicationis etiam fertur in eos, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus à jure, seu privilegio speciali Sedis Apostolicæ permissis, imponunt, vel augent, de qua *Suar. c. l. n. 35. & seqq.*

§ VIII.

De aliis quibusdam pœnis Jure Canonico statutis in violantes immunitatem Ecclesiasticam.

XCV. In *c. Quoniam; 4. h. t. in 6.* censura excommunicationis, ipso facto, incurrenda fertur in eos Judices sæculares, ac Dominos temporales, aliósve, qui impetrantes litteras Apostolicas, vel ad Judices ordinarios Ecclesiasticos recurrentes, in causis, vel negorijs, seu quæstionibus, quæ ratione personarum, aut rerum, de jure, vel antiqua consuetudine, (quæ dat jurisdictionem, *c. Cum contingat; 13. de foro compet. Gl. hic V. De consuetudine;*) ad forum Ecclesiasticum pertinent, impediunt, ne tales litteras impetrent, vel litigent coram Judice Ecclesiastico, ordinario, vel delegato: ideóque hujusmodi litigantes, vel litigare volentes super dictis causis Ecclesiasticis, per se, vel per alios, ad desistendum à lite, vel ad litigandum in foro sæculari, capiendo illos, vel res eorum, aut propinquos, vel alijs modis quibuscúnq; compellunt, aut compelli faciunt, seu procurant. Quæ pœna excommunicatio-

» tionis extenditur etiam ad eos, qui ad prædicta fa-
» cienda, auxilium, consilium, vel favorem dant: à
» qua absolvi nullatenus possunt, nisi priùs, tam
» Judici Ecclesiastico, cujus cognitio fuit impedita:
» quàm parti, quæ turbata fuit, in prosecutione ju-
» ris sui integrè fuerit de injuria, damnis, expensis,
» & interesse satisfactum. Ex quo infert *Gl. hic V. Satisfactum*; quòd non sufficiat cautio, sive per pignus, sive per fidejussores: sed requiritur plena satisfactio. Non est autem hæc excommunicatio reservata Papæ, ideóque post præstitam satisfactionem, poterit reus ab Ordinario absolvi, *Gl. fin. hic.*

Porro hæc excommunicatio inclusa est in censura XIII. & XIV. Bullæ Cœnæ, quæ est contra impedientes jurisdictionem Ecclesiasticam, vel Ecclesiasticos Judices illâ utentes, utnotat *Suar. dis. 23. de censur. Sec. 4. num. 4.* de quibus idem videri potest *dis. 21. Sec. 2. num. 74. & 2. seqq.* quare in Bulla Cœnæ est reservata Papæ.

» XCVI. Præterea in *6. Eos qui; 5. & ult. h. t. in 6.* decernitur: Eos, qui temporale dominium ob-
» tinent, si suis subditis prohibeant, ne Prælatis, aut
» Clericis, seu personis Ecclesiasticis quicquam ven-
» dant, aut emant aliquid ab eisdem, vel panem co-
» quant, aut alia obsequia exhibeant, ipso facto, esse
» excomunicatos, cùm taliain derogationem Eccle-
» siasticæ libertatis præsumantur. Nam quamvis tales prohibitiones directè, & expresè non sint contra humanam societatem: verè tamen, & in effectu sunt, & fiunt in fraudem dictæ libertatis, quæ saltem indirectè tali modo impeditur, juxta *reg. jur. ult. in 6. Certum est, eum in Legem committere, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem, Suarez cit. dis. 21. Sect. 2. num. 93. in fine. Et Glos. hic in fine casûs* generalem regulam tradit, quòd prohibitio directa ad subditos, ex qua indirectè præjudicatur Clericis, quoad ipsorum libertatem, non tenet.

Porro hæc excommunicatio etiam lata est ex parte, *in Bulla Cœnæ Domini in censura; XV.* & Papæ est reservata, ubi tamen solùm excommunicantur facientes, vel servantes statuta Ecclesiasticæ libertati contraria. At verò *in hoc cap. ult.* excomunicantur, non solùm, qui Lege latâ statuunt aliquid contra libertatem Ecclesiasticam: sed etiam, qui sine Lege, vel statuto, prædicta obsequia prohibent exhiberi Clericis, quamvis non incurrant censuram Bullæ Cœnæ Papæ reservatam. *Suar. cit. dis. 23. Sec. 4. num. 25.* Quomodo autem Principes Sæculares condentes Legem, vel Statutum prohibens, ne subditi eorum alienent bona immobilia in Ecclesias, ipso facto, incurrant excommunicationem, efficaciter probetur, ex hoc *c. ult.* ostensum est supra *Lib. 1. Tit. 2. sect. 2. §. 2.*

XCVII. Denique in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. cap. 24. quod refertur in *c. Quia plerique; 8. h. t.* statuitur, quòd Prælati, qui » procuratione, vel servitio impendendo Legato, vel » alteri, plus extorquent à subditis, quàm impen- » dant, & sic in aliorum damnis lucra sectantur, sic » extorta restituere debent, & tantundem pauperi- » bus dare, sunt cogendi: Superior verò, apud quem » querela de hoc deposita fuit, si negligens fuerit in » executione hujus Statuti, canonicè puniri debet. » Ratio est, quia nemo, cum damno alterius, lucrum quærere debet, *Gl. hîc in notatis.* Non obstat, quòd in *c. Procurationes; 23. de censib.* statuitur, ut si quid, nomine procurationis, indebitè acceptum sit, tantundem detur Ecclesiæ, à qua acceptum est: hîc verò jubetur tantundem dari pauperibus: nam res Ecclesiarum, & Clericorum sunt pauperum; quia tempore necessitatis pauperibus sunt erogandæ, *c. ult. cauf. 16. quæst. 1. junct. Glos. V. Quicquid.* Deinde ibi gravata fuit Ecclesia, hîc verò gravati sunt singuli Clerici in particulari. *Abb. in cit. c. Quia plerique; nu. 6. §. Extra Glos. solvitur.*

TITVLVS L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SÆCULARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

Postquam in superioribus Titulis actum est de iis, quæ competunt Clericis, sive Sæcularibus, sive Regularibus, ratione statûs sui: nunc tractatur de his, quæ ipsis sunt prohibita, & statum eorum dedecent. Porro negotium sæculare dupliciter accipitur, ut notat Abb. ad Rubr. h. t. Primò, largè, seu latè, ita, ut sæculare negotium dicatur, quicquid agitur ex carnali concupiscentia, non subiectâ rectæ rationi, quando scilicet sæculariter vivitur, id est, secundùm Sæculum, seu Mundum, & carnem: non autem secundùm DEUM, & Spiritum: & hæc prohibita sunt etiam Laicis, & multò magis Clericis. Secundò, accipi potest negotium sæculare magis strictè, pro eo negotio, quod pertinet ad Rempublicam mundanam, seu homines sæculares, & permissum quidem est Laicis: non autem Clericis, & de huiusmodi sæcularibus

negotiis ait Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans DEO implicat se negotiis sæcularibus*, & in l. Placet; 17. C. de Episcop. & Cleric. dicitur: *Nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt annexi, habeant.* Et de his negotiis in hoc Titulo agitur, qui extat etiam in Sexto.

§. I.

Quænam negotiatio Clericis Sæcularibus, & Regularibus sit permissa, vel prohibita?

I.

NOtandum primò. Duplicem esse negotiationem, prout sumitur ex c. *Ejiciens*; 11. *dist.* 88. Una est impropriè dicta, quando res empta, & per industriam, aut artem mutata, & melior reddita venditur, lucri faciendi causâ: ut, si ex lana empta conficiantur panni, & vendantur: vel si ex hordeo fiat cervisia, vel ex ferro empto fiant gladij: vel si empti boves saginentur, vel equi empti educentur, ac postea vendantur. Altera est negotiatio propriè dicta, in qua res, seu merces emuntur, vel alio titulo oneroso acquiruntur, ut vinum, frumentum &c. & non mutatæ cariùs venduntur, ad lucrum comparandum; quæ negotiatio etiam mercatura appellatur. *Molin. tract. de justit. dis.* 339. *n.* 2.

Notandum secundò. Non solùm prior: sed etiam posterior, & propriè dicta negotiatio secundùm se licita est, & moraliter bona, ac Reipubl. utilis, & necessaria, si debitè fiat, & ad bonum finem ordinetur, c. *Fornicari*; 10. & c. *Quoniam*; 12. *dist.* 88. tum quia justum pretium rerum non consistit in indivisibili: sed latitudinem quàndam habet, intrà quam res minore pretio empta, justè pluris postea vendi potest: tum quia rerum pretia, ob temporum, & locorum varietatem, rerum abundantiam, aut penuriam, multitudinem, aut paucitatem emptorum, & alias circumstantias mutantur, augentur, vel decrescunt. Veruntamen peraccidens, quia occasionem præbet mendacijs, & fraudibus, ac injustitijs, ob inordinatam questûs cupiditatem, vel ex alijs circumstantijs, vitio negotiantium, sæpe potest reddi mala, & illicita, ut notavit *Molin. cit. dis.* 339. *nu.* 3. *concl.* 1. *n.* 4. *&* 5. *& concl.* 2. *n.* 6.

II. Assertio 1. Negotiatio merè lucrativa, quâ aliquid emitur principaliter, ad hoc, ut immutatum cariùs vendatur, est prohibita Clericis, & Religiosis, quamvis actus non sit invalidus. *Molin. tract.* 2. *de justit. dis.* 342. *n.* 1. *conclus.* 1. *& Less. lib.* 2. *de justit. c.* 21. *n.* 4. & alij Theologi, & Canonistæ communiter. Idque statutum habetur in c. *Consequens*; 2. *dist.* 88. ubi Gelasius Papa ait, *Clericis ab indignis quæstibus abstinendum, & ab omni cujuslibet negotiationis ingenio cessandum &c.* Idem patet ex c. *Negotiatorem*; 9. *&* c. *Fornicari*; 10. *ead. dis.* ubi dicitur, *antequam Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet. &* c. *ult. de vita, & honestate Clericorum.* Ac denique in c. *Secundùm*; 6. *in princ. h. t.* Papa Alexander III. sub interminatione, seu comminatione anathematis, id est, excommunicationis, prohibet, ne Monachi, vel Clerici, causâ lucri, negotientur. Ratio prohibitionis est, tum quia non decet, Clericos, sive Sæculares, sive Regulares, lucris terrenis captandis inhiare: tum quia negotiatio exposita est multis periculis perjurij, fraudum, & injustitiæ: tum quia curis temporalibus implicat, & à rebus spiritualibus avocat: tum denique quia Clerici debent abstinere, non solùm ab ijs, quæ sunt secundùm se mala: sed etiam ab ijs, quæ habent speciem mali, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 3.

III. Excipitur primò. Nisi Clericus semel tantùm, sive unâ, vel alterâ vice negotiaretur, tum enim non peccaret, saltem graviter; quia negotiator, seu mercator quis dicitur, non ab uno, vel altero actu; sed ab actibus frequentatis, sicut nec venator, vel piscator dicitur, nec aleator, qui semel tantùm, vel iterum: sed qui sæpius talem actum exercet. *Ugolin. de Offic. Episc. c.* 13. *§.* 15. *num.* 3. *&* §. 16. *num.* 1. *Barbos. in cit. c. Secundùm*; *n.* 2. *h. t.*

Excipitur secundò. Si Clerici, vel Religiosi, propter necessitatem negotientur, quia alio medio vitam sustentare non possunt, tunc enim excusantur à culpa; quia necessitas non habet Legem; *Glos. in cit. c. Negotiatorem*; *dis.* 88. *& cit. c. Secundùm*; *V. causâ lucri*; *& ibid. Abb. nu.* 1. *Navarr. lib.* 3. *Consil.* 3. *n.* 1. *de vitâ, & honest. Cleric.* & alij communiter.

Excipiunt tertiò. Plures Dd. non esse prohibitum, saltem sub gravi peccato, Clericis, & Religiosis negotiationem, etiam propriè dictam, si non per se ipsos: sed per alios eam exerceant, qui totam industriam præstent, ut si tradant pecunias Laico, vel societatem ineant cum alio, uno, vel pluribus, ut illi soli negotientur; tum quia tunc cessat ratio prohibitionis, quia negotiatio per alium facta non ita distrahit animum, & peccata, quæ commiserit is, per quem fit negotiatio, non imputabuntur Clerico: modò pecuniam solùm ad licitam tradiderit negotiationem; tum quia Jure Canonico videtur solùm esse prohibitum, ne Clerici, per seipsos negotientur, ut colligitur ex *Clement.* 1. *de vit. & honest. Cler. Molin. cit. dis.* 342. *num.* 13. *Less. c. l. num.* 6. *in fine*; *Laym. lib.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. § *ult. n.* 40. *in fine.* Qui tamen addunt, hunc negotiandi modum per alium, non esse decentem, seu convenientem statui Clericorum, ideóq; id fieri non debere, nisi justa aliqua causa, videlicet necessitas rei familiaris excuset, vel consuetudo Regionis id permittat. Unde alij absolutè negant, Clericos per alios negotiari posse; quia prohibitum est ipsis, ne lucri causâ negotientur, quod habet locum, sive per se, sive per alios negotientur: *Quod enim quis facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum. Reg. jur.* 72. *in* 6. *Ugolin. cit. c.* 13. §. 17. *n.* 1.

IV. Assertio 2. Negotiatio etiam impropriè dicta, quando aliquid emitur, ut mutatum postea vendatur, prohibita censeri debet Clericis, & Religio-

ligiosis, tanquam minùs decens eorum statum. *Mol. cit. disp. num. 6.* Veluti si Clericus uvas emat, ut vinum ex ijs per famulos ad id conductos exprimat, & postea vendat: vel si lanam emat, ut per artifices ad id conductos, pannos ex illis conficiat, quos postea vendat; tales enim negotiationes proximè accedunt ad negotiationes propriè dictas, seu mercaturas, ideóq; per epijkiam quandam censendæ sunt, etiam esse prohibitæ. *Mol. c. l. ubi n. 7. & 8.* plura exempla adfert.

V. Excipi debet, si Clerici pecora emant, eáque in suis prædijs nutriant, & postea vendant: vel si fœtus, lac, lanam talium animalium vendant, id enim licitum est. Vel si cerevisiam ex hordeo, vel tritico propriorum agrorum conficiant, vel ex proprijs vineis vinum exprimant, & postea cerevisiam, vel vinum cum lucro vendant; hæc enim sunt Clericis, & Religiosis licita, cùm sint fructus, vel quasi fructus propriorum fundorum: quamvis non deceat, ut in ipso Monasterio, vel domo propriâ forum frumentarium, vel tabernam erigant. Præterea licitè etiam possunt Clerici materiam aliquam emere, ex eáque proprio labore manuum, arte factum aliquod conficere, & postea vendere, id enim non est negotiari. Sic enim olim Monachi retia, corbes, & storeas texebant, & postea vendebant, ut ex pecunia se sustentarent, & S. Paulus scenofactoriam exercebat, *Act. 18. Molin. cit. disp. nu. 16. & 17. Leß. c. l. nu. 5. Laym. c. l. n. 40.*

» VI. Assertio 3. Prohibitum est etiam, ne » Monachi, seu Religiosi à Clericis, vel Laicis, suo » nomine, firmas habeant (hoc est, alienas posses- » siones, seu prædia, aut agros conducant, sive à Cle- » ricis, sive à Laicis) neque Laici Ecclesias ad firmam » (sive conductas) teneant. *cit. c. Secundùm; in fine h. t.* Ratio est, quia conducere aliena prædia, proprio nomine, suspicionem præbet cupiditatis, & avaritiæ, & quasi negotiatio est: tum quia Religiosi nihil proprium habere possunt: sed nomine Monasterij sui, ex causa necessitatis, si propria prædia non sufficiant, non prohibentur Religiosi conducere aliena, ut docet *Gl. hîc V. Firmas; & Abb. ibid. n. 2.*

Porro quamvis Clerici Sæculares possint conducere aliena prædia, quæ colunt, ad suam suorúmque necessariam sustentationem, solvendo certam partem fructuum, vel pensionem pecuniariam ex illis: ideóque in secunda parte *cit. c. secundùm*; nulla fit mentio de Clericis Sæcularibus: non tamen possunt illa prædia conducere, eo animo, ut fructus vendant lucri causâ, & ita quæstum faciant; quia id expressè prohibitum est in Concilio Carthgin. III. quod refertur in *c. 1. & c. Placuit; 3. caus. 21. quæst. 3. & in c. ult. disp. 86.* & ibi *Gl. V. Conductiones*; *Molin. cit. disp. 342. num. ult. Leß. cit. c. 21. num. 6.* Sed neque Laici Ecclesiam ad firmam, sive conductam, tenere possunt, ut habetur in *cit. c. Secundùm; in fine h. t.* Nam Ecclesia non potest obventiones, decimas, & similia locare Laicis, ne videantur habere administrationem Ecclesiæ, cùm Laici nullam dispositionem de rebus Ecclesiasticis habere debeant, *Gl. fin. in cit. c. Secundùm*; quamvis fructus temporales, & decimarum, Laicis locari possint. *Abb. in cit. c. in fine*, ubi etiam addit, ob imminentem magnam necessitatem, posse Laico concedi Ecclesiam, non ut ipse eam regat: sed ut per alium eam regi procuret. *Fagnan. ibid. n. ult.*

VII. Notandum hîc præterea. Primò. Si Clericus emit res necessarias ad se, suámque familiam alendam, v. g. per totum annum, potest ea, quæ ex emptis supersunt, licitè vendere, etiam cariùs, quàm emerat, & cum lucro, pretio tunc currente, & sine periculo prohibitæ negotiationis; quia ad œconomicam gubernationem hoc spectat. *Mol. cit. disp. 342. num. 14. Ugolin. cit. §. 16. n. 2. in 5. except.* apud quem plura de hoc videri possunt.

Notandum secundò. Licitum est Clericis, & Religiosis artificium aliquod exercere, ad victum, & vestitum sibi parandum, aut otium fugiendum: modò ideo non omittant, ea præstare, ad quæ ex Clericali Officio tenentur, & dummodo artificium sit honestum, & non turpe, vile, aut sordidum, ac indecens statum Clericalem, uti sumitur ex *Clement. 1. de vita, & honest. Cleric.* Cujusmodi sunt opificia Coriarij, lanionis, & alia hujusmodi: item conficere chartas lusorias, taxillos, & arma bellica &c. *Mol. cit. disp. n. 16. Ugol. cit. c. 13. §. 18. n. 1.* Idque constat ex *c. Clericus; 3. & c. seq. dist. 91.* & ex *c. 1. de celebr. Miss.* ubi permittitur Clericis, rurale opus exercere. Veruntamen solius lucri causâ, non debent Clerici, vel Religiosi artificium exercere, cum id habeat speciem avaritiæ, *Abb. in cit. c. Secundùm; 6. n. 1. h. t.*

§. II.

An omnibus Clericis interdicta sit negotiatio, & quam pœnam incurrant Clerici, & Religiosi, qui in casibus non permissis negotiantur?

VIII. Ad primam quæst. respond. Certum est, negotiationem esse prohibitam Clericis in sacris Ordinibus constitutis: imò etiam in minoribus, si competens Beneficium habeant: alijs verò non Beneficiatis non esse prohibitum, plures docent, *Abb. in c. 1. n. 12. in fine h. t. Ugolin. cit. c. 13. §. 16. num. 1. Leß. cit. c. 21. num. 4. arg. c. 1. De postulando*; ubi Clerici in Minoribus prohibentur esse advocati, coram sæculari Judice, si stipendijs Ecclesiasticis sustententur: ergo à contrario sensu, si stipendia hujusmodi, adeóq; Beneficium non habeant, possunt esse Advocati. Verùm oppositum probabilius est, quod docet *Anton. de Butrio*, apud *Fagnan. in c. 1. num. 83. & pluribus seqq. h. t.* tum quia Canones generaliter, & indistinctè prohibent negotiationem Clericis omnibus, sive sint Beneficiati; sive non: tum quia ratio prohibitionis etiam procedit in Clericis Minorum Ordinum, non Beneficiatis, quia scilicet nemo militans DEO implicat se negotijs sæcularibus: at etiam Clerici non Beneficiati: sed Clericali saltem tonsurâ initiati fiunt milites cœlestis militiæ, *c. Christianis, 12. caus. 11. qu. 1.* & ibi *Gl. V. Cœlestem militem*; ergo etiam illis prohibita est negotiatio: modò congruam sustentationem habeant, sive ex Beneficio Ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus. Nec obstat, quòd in *c. 1. h. t.* negotiatio prohibeatur Ministris Altaris Domini; nam etiam Clerici inferiores sunt Ministri Altaris, licèt non ita proximi, & immediati, sicut ij, qui

in sacris sunt. Neque valet argumentum ab advocatione ad negotiationem; quia munus advocandi valde utile est Reipubl. Negotiatio verò non ad publicam utilitatem: sed privatum lucrum plerumque ordinatur. *Fagnan. in cit. c. 1. num. 93. & 96. h. t.*

IX. Ad secundam quæst. respon. Clerici, & Religiosi, qui in casibus jure non permissis, negotiantur, inprimis debent excommunicari, juxta *c. Secundùm 3. h. t.* ubi prohibetur illis negotiatio, sub pœna excommunicationis, non latæ, sed ferendæ; quia sub comminatione fertur. Unde colligunt Dd. negotiationem illis esse prohibitâ, sub peccato mortali; quia major excommunicatio non debet inferri, nisi propter mortale crimen, & contumaciam, ut constat ex *c. Nemo, 41. & c. seq. caus. 11. q. 3.* Est autem hîc sermo de negotiatione propriè dicta, seu mercaturâ, *Fagnan. in cit. c. Secundùm; num. 8.* Secundò multò magis possunt Clerici negotiatores suspendi ab officio: imò etiam deponi à gradu, & Ordine Clericali, ut constat ex *c. 1. & seqq. caus. 14. q. 4.* Tertiò. Ex rebus, in quibus negotiantur, tenentur Clerici solvere vectigalia, & portitoria, sicut Laici: imò etiam ex alijs bonis propris, si ter moniti ab Episcopo non abstineant, juxta *c. ult. de vita, & honest. Cleric.* & dictum supra *Tit. 1. num. 27. & seq.* Verùm ad hoc, ut Clerici teneâtur solvere hujusmodi onera, ac tributa, ex rebus, quas negotiando vendunt, vel permutant, non requiritur, ut præcedat trina monitio; quia nec Ecclesia, nec Principes sæculares intenderût, illos eximere à solvendis vectigalibus, ac tributis in negotiationibus, ipsis Jure Canonico prohibitis, & quæ ex natura rei eos non decent, adeóque nunquam fuerunt immunes ab hujusmodi tributis, neque eos Ecclesia in hac parte defendit, ut constat ex *Clement. Præsenti; 3. de censib. Mol. cit. dis. 342. n. 5.*

X. Quartò. Omnia acquisita à Clericis Sæcularibus, vel Regularibus per negotiationem illicitam, tam ex rebus Ecclesiasticis: quàm patrimonialibus, vel aliàs contra SS. Canones (cujusmodi sunt, quæ Clerici perceperunt ex Beneficijs illegitimé possessis, vel ex Officijs, aut actibus ipsis Jure Canonico prohibitis, vel etiam ex ludis illicitis) quæ post obitum ipsorum extant, vel quibus in vita sunt privati, ubiq; gentium, tanquam spolia petinent ad Fiscum, seu Cameram Apostolicam, etiamsi facultate testandi acceptâ, testati fuerint, juxta Constitutionem Pij V. anno 1560. Nonis Novembris editam, quæ incipit Decens; & habetur apud *Redoanum de spolijs Clericorum, quæst. 2. nu. 5. & Azor p. 2. lib. 8. c. 2. qu. 1.* Porro probabilius est, quòd bona ex illicita negotiatione acquisita, priusquam personæ Ecclesiasticæ, vel eorum successores, ijs per sententiam Judicis condemnatoriam priventur, in foro conscientiæ possint retinere; tum quia hæc privatio est pœna delicti, scilicet negotiationis illicitę, quæ in conscientia non deberur, nisi post condemnationem Judicis. *c. Cùm secum LL. 19. in fine de hæretic.* Tum quia, quod acquisitum est hac ratione, non est acquisitum contra Leges justitiæ specialis, scilicet commutativæ, ex qua oritur obligatio restituendi: sed contra alias virtutes morales, quæ non obligant ad restitutionem. *Ugolin. cit. c. 13. §. 17. num. 3.* Licèt contrarium teneat *Azor cit. c. 2. q. 3.* Verùm injustè acquisita, quæ restitui debent ijs, quibus sunt adempta, non veniunt nomine spoliorum; quia Papa, seu Princeps non censetur tollere velle jus quæsitum alteri, imò nec potest sine causa, *Redoan. c. l. nu. 93. & 101. Azor c. l. q. 7.* In dubio verò, non debent præsumi acquisita esse à Clerico ex illegitima negotiatione; quia dolus non præsumitur, nisi probetur, *l. Meritò; 51. ff. Pro socio; Azor c. l. q. 11. Ugolin. cit. §. 17. n. 5.* apud quos plura de his videri possunt.

§. III.

An Clerici licitè possint tractare, & iudicialiter cognoscere causas sanguinis?

XI. De hac re agitur inprimis in *c. Clericis 5. h. t. in fine*, in quo dicitur, quòd *Concilium Toletanum VI. can. 6.* (quod refertur etiam in *c. His, à quibus 30. caus. 23. q. ult.*) statuit, non licere Clericis in sacris Ordinibus constitutis judicium sanguinis agitare, sive exercere; & insuper prohibetur, ne per se, vel per alios, truncationes, seu mutilationes membrorum faciant, nec judicent, inferendas. Quòd si quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco, id est, privari debet officio, seu dignitate, & beneficio, & per consequens deponi, ut explicat *Abb. hîc n. 2.*

XII. Idem statutum habetur in *c. Sententiam 9. h. t. in princ.* quod est desumptum ex *Concilio generali Lateran. Can. 18.* ubi decernitur, ut nullus Clericus dictet, aut proferat sententiam sanguinis: sed nec vindictam sanguinis exerceat, nec ubi exercetur, intersit. Si quis autem, occasione hujus statuti, Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis dispendium aliquod inferre præsumpserit, per censuram Ecclesiasticam compescatur. Nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat, pro vindicta sanguinis destinandas. Unde in Curijs Principum hæc solicitudo non Clericis: sed Laicis committatur.

XIII. Pro Intellectu harum duarum Decretalium, notandum primò. Episcopi, seu Prælati, & alij Clerici, etiamsi jurisdictionem temporalem habeant, non possunt cognoscere causam sanguinis, nec ferre sententiam, condemnando aliquem ad mortem, vel mutilationem membrorum, nec præcipere alijs, ut mortem inferant, vel mutilent, sive membrum amputent, quod quis enim non potest suo nomine, sive per se, nec alieno nomine, sive per alium regulariter facere potest, *c. ult.* & ibi: *Gl. V. Non suo; dist. 46. Gl. in cit. c. His à quibus 30. V. Aut inferendas; caus. 23. quæst. 8.* Sed neque Clerici possunt dictare, aut scribere sententiam mortis, vel mutilationis, nec dare consilium, vel præstare auxilium ad mortem, vel sanguinis effusionem; imò nec interesse talibus actibus, alioquin irregularitatem incurrunt, si ex tali facto mors, vel membri detruncatio, sive mutilatio, sequatur, & deponi debent ab officio, & beneficio, ut constat ex *cit. c. Clericis*; & ibi *Gl. V. Aut judicent. & cit. c. sententiam; juncta Gl. V. Sanguinis; h. t.* sicut enim ista non debent per se exercere, ita nec ad illa præstare auxilium, vel consilium. *Abb. in cit. c. Sententiam; n. 2. & 3. & n. 11.* Idque Jure Ecclesiastico statutum fuit propter horrorem; quia Clerici à Chri-

sto

sto electi sunt ad ministerium salutis, unitatis, & mansuetudinis, *c. Sæpe*; 29. *caus.* 23. *q. ult.* Ideo judicium sanguinis eorum statum, & conditionem non decet. *Abb. in cit. c. Sententiam*; *num.* 2. *h. t.* Porro si Clericus tantùm interfit judicio sanguinis, sine ulla cooperatione, non fit ideo irregularis, ita ut deponi debeat, quamvis aliâ ratione debeat puniri, quia interfuit contra præceptum SS. Canonum, *Gl. in cit. c. Sententiam*; *V. Sanguinis*; *in fine Abb. ibid. n.* 6.

Notandum secundò. Hæc Constitutio prohibitoria, & pœnalis locum habet, non solùm in Clericis in Sacris, seu Majoribus Ordinibus constitutis: sed etiam in non Sacris, seu Minoribus, si Beneficiati sint, ut patet ex *cit. c. Sententiam*; ubi universaliter dicitur: *Nullus Clericus dicta &c.* quia generatim judicium sanguinis, & cooperatio ad illud, omnes Clericos dedecet, ideóque etiam irregularitatem omnes incurrunt, & ab Officio, & Beneficio deponi debent, nam etiam Clericus in Minoribus deponendus est, ratione delicti, *c. Cùm non ab homine*; 10. *de Judic. Abb. in cit. c. Clericis*; *n.* 7. *h. t.* ubi ait, verbum *in sacris* ibi positum, sumi debere latè, pro omnibus Ecclesiasticis Ordinibus majoribus, vel minoribus, cùm omnes sint sacri: & in *cit. c. Sententiam*; generaliter dicitur, *nullus Clericus*, qui autem generaliter loquitur, neminem excludit, *Abb. ibid. num.* 8. Porro si Judex, vel alius Officialis vellet Clericum etiam in minoribus constitutum cogere, ut sit Minister justitiæ, vel ad dictandum sententiam sanguinis, vel ut ei interfit, compesci debet per censuram Ecclesiasticam *cit. c. Sententiam*; *Vers. Si quis autem*; *h. t. Abb. ibid n.* 9.

Notandum 3. Si Clericus in causa sanguinis recipiat, vel scribat dicta, seu depositiones testium, fit irregularis, si ex tali scriptura sequatur mors, vel membri mutilatio; quia dat auxilium: secus est, si non sequatur, tunc enim non fit irregularis, licèt aliter possit puniri; quia factum sibi prohibitum attentavit, *Abb. in cit. c. Sententiam*; *n.* 13. Multò minùs potest Clericus esse Advocatus in causa sanguinis, præsertim pro Actore contra Reum. *Abb. in cit. c. Sententiam*; *n.* 15. de quo dictum supra *Lib.* 1. *Tit.* 37. *de postulando*; *n.* 11.

Notandum quartò. Potest Clericus cognoscere causam criminalem, vice Episcopi, in qua non imponitur pœna sanguinis: sed detrusionis, v. g. in arctum Monasterium, juxta *c. Tuæ*; 6. *de pœn. Abb. in cit. c. Si Clericis*; 5. *n.* 11. *h. t.*

XIV. Præterea in *c. Episcopus*; 3. *& ult. h. t.* » *in* 6. decernitur, quod Episcopus, vel alius quicúnque Prælatus, aut Clericus temporalem, seu » sæcularem jurisdictionem obtinens, si homicidiũ, » aut aliud maleficium in territorio suæ jurisdictioni » subjecto, ab aliquibus fuerit commissum (quod » pœnam mortis, vel mutilationis membri mereatur) potest alicui Laico delegare, sive injungere, ut » per hoc veritatem inquirat, & justitiæ debitum exæquatur: nec ideo ipse Episcopus, vel alius Clericus irregularis censeri debet, etiamsi Judex delegatus, secundùm justitiam, contra malefactores » ad pœnam sanguinis processerit; nam licèt Clericis causas sanguinis agitare non liceat, possunt tamen eas, cùm jurisdictionem tempotalem obtinent, sine periculo incurrendæ irregularitatis, alijs » delegare.

XV. Notandum hîc primò. Episcopus, vel alius Clericus habens jurisdictionem temporalem, potest etiam specialiter alicui delegare causam sanguinis, ut eâ cognitâ, justitiam administret, nec ideo incurrit irregularitatem, *Gl. hîc V. Episcopus*; *& V. Super hoc.* Idque procedit, sive tales Prælati, vel Clerici habeant jurisdictionem temporalem, ratione Ecclesiæ, sive ratione patrimonij. *Franc. hîc n.* 2. Quòd si in tali causa appelletur, ad ipsum Episcopum, vel Prælatum delegantem appellari debet, qui causam hanc iterum alij delegare debet; quia per se ipsum illam cognoscere nõ potest, *Gl. in cit. c. Clericis*; 5. *V. Aut judicent*; *in fine h. t. & in c. ult. V. Episcopus eod. in* 6. Consultum tamen est, ut Episcopus, vel alius Prælatus, habens jurisdictionem temporalem, non specialiter: sed generaliter committat alicui Laico potestatem cognoscendi causas sanguinis, & faciendi vindictam de omnibus malefactoribus. *Gl. in cit. c. Clericis*; *V. Aut judicent, & ibid. Abb. n.* 12. & ibi *Gl. in cit. c. ult. V. Episcopus, in addit. eod. in* 6.

Notandum secundò. Est hic casus specialis, in quo quis potest per alium, quod non potest per se ipsum, *Gl. in cit. c.* 3. *& ult. in notat. & Gl. fin. h. t. in* 6. & licita sunt quædam in genere, quæ non licent in specie, si nimirum descensus ad specialia occasionem mali inducat, *arg. c. Si Sacerdos*; 2. *junct. Gl. V. Nominatim*; *de Offic. Jud. ordin. Gl. in cit. c. Clericis*; *V. Aut judicent*; *h. t.* Porro etsi Judex delegatus ad causam sanguinis, contra justitiam processerit, id non imputabitur Episcopo, vel Prælato deleganti ad culpam, quia is mandavit, justitiam fieri, *Gl. in cit. c. ult. V. Iustitiã mediante*; *h. t. in* 6.

§. IV.

Quænam præterea ministeria, aut officia sæcularia prohibita sint Clericis?

XVI. Inprimis Clerici non possunt esse ministri Laicorum, sive negotiorum ipsorum gestores, nec eorum procuratores. Quòd si Clerici, post- » quam ab Episcopo eis publicè denunciatum fuit, » ne fiant ministri Laicorum, nec in rebus eorum » procuratores existant: id nihilominus facere præ- » sumpserint, & occasione talis administrationis, in re » pecuniaria deprehendãtur in fraude, indignum est, » eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ec- » clesia scandalum generari, prout statuitur in *c. Sacerdotibus*; 2. *h. t.* Nam licèt aliàs Ecclesia teneatur Clericos defendere contra oppressiones hujusmodi Laicorum: non tamen debet Ecclesia eis subvenire pecuniâ, vel alio auxilio, in fraude commissâ ab eis in administratione Laicorum; quia tales Clerici fecerunt se indignos auxilio Ecclesiæ, contraveniendo ipsius prohibitioni, *Gl. hîc V. Ab Ecclesia.* Non tamen propterea tales Clerici amittunt privilegium Clericale fori, ita, ut possint ratione fraudis in administratione Laicorum commissæ, à Judice sæculari capi, vel ad forum sæculare trahi: eò quòd publica denunciatio, seu monitio Episcopi habeat vim trinæ monitionis; quia jura requirunt trinam monitionem ab Episcopo faciendam, ad privilegium fori Ecclesiastici amittendum, ideóque non sufficit unica, etiam peremptoria, *c. ult.*

junct. Gl. V. Tertiò; de vita, & honest. Clericor. Abbas hîc num. 7.

XVII. Ubi præterea notandum, Clerici, etiam non Sacerdotes, non debent esse ministri Laicorum, nec famuli domestici eorum, ut colligitur ex *cit. c. 2. h. t.* quod intelligendum est de Clericis in Sacris constitutis, aut Beneficiatis, ut tradit *Abb. hic not. 1.* neque etiam possunt esse procuratores, in rebus Laicorum, *cit. c. 2.* nec quidem extra judicium, *Glos. ibid. In casu.* Possunt tamen Clerici esse procuratores Laicorum in judicio coram Judice Ecclesiastico, saltem in causis Ecclesiasticis; quia id non prohibetur ullo jure: at verò coram Judice Sæculari esse non possunt, nisi ex charitate, vel amicitiâ, vel ob causam pietatis, & ad unum, vel alterum negotium: non autem ad omnia negotia, seu causas, procuratores esse possunt, *c. ult. dist. 86. Abb. in cit. c. 2. nu. 2. & 4. h. t.* plura de hoc dicta sunt supra *Lib. 1. Tit. 38. §. 3. & 4.*

XVIII. Secundò *in c. Sed nec, 4. h. t.* (quod est desumptum ex Concil. Lateran. sub Alexandro » III. *c. 12. §. Sed nec Procurationes*;) prohibetur Cle» ricis, ne procurationes villarum, aut jurisdictiones » etiam sæculares, sub quibusdam Principibus, viris » sæcularibus, quisquam eorum exercere præsumat, » ita, ut sit Justitiarius eorum, (scilicet Principum, » vel aliorum sæcularium, sive Officialis in Justitia » exercenda, *Abb. hîc. nu. 2.*) si quis autem contra » hæc venire tentaverit (cum effectu; quia verba, præsertim Legis pœnalis, cum effectu intelligenda sunt, *c. Relatum 34. de Cleric. non resid. Hostiens. hîc.* Et » *Ioan. And. V. eod.*) ab Ecclesiastico Ministerio; seu » Officio deponendus est; quia nemo militans DEO » sæcularibus negotijs se immiscere debet, juxta do» ctrinam Apostoli 2. *Tim. 2.* Quòd si Religiosorum » quispiam aliquid ex prædictis ausus fuerit attenta» re, strictiùs est puniendus; quia, ut ait *Gl. hîc V. Districtiùs*; dignitas personæ aggravat peccatũ, *c. Cùm quidam 12. de jurejur.* & consequenter etiam pœnam. Ex quo infert *Abb. hîc n. 3.* Quòd in pari delicto graviùs puniendus sit Religiosus, quàm Clericus Sæcularis, si peccet ex contemptu, vel contra votum, vel publicè, cum aliorum scandalo, aliàs secus.

XIX. Tertiò, *In c. Clericis; 5. §. Jubemus; h. t.* » Præcipit Papa Alexander III. sub interminatione » Anathematis, seu excommunicationis, ne quis Sa» cerdos Officium gerat Vicecomitis, aut Præpositi » sæcularis. Si quis autem contra hoc agere præsum» pserit, & commonitus non destiterit, excommuni» cationi subjaceat.

Notandum hîc primò. Etsi *Abb. in cit. c. Clericis; n. 8. h. t.* putet, quòd nomen Sacerdotis hîc latè accipiendum sit, pro Clerico constituto in Sacris; tamen probabilius est, censuram excommunicationis in posteriore parte cap. ferri in solos Sacerdotes; quia pœnæ non sunt extendendæ, *Suar. dis. 23. de censur. Sec. 3. n. 21.*

Notandum secundò. Vicecomes dicitur ille, cui dominus sæcularis committit executionẽ jurisdictionis suæ, in aliquibus Castris, vel Terris, ut docet *Durand. in speculo. lib. 1. practic. c. 3. Tit. de Vicecomite.* Præpositus verò hîc dicitur Officialis Laicus, *c. Ex parte 23. in princ. junct. Gl. V. Præpositus; de V. S.* Unde Sacerdotes, qui in Curijs Regum sunt Gubernatores temporales, vel Præsidentes Cancellariarum, incurrunt excommunicationem hujus Canonis, si sint in tali officio, sine dispensatione Papæ: secus si jurisdictionem temporalem exerceant, ut propriam, ratione Dignitatis Ecclesiasticæ, cui est annexa, vel dominij temporalis ex se eis competentis. *Suar. c. l.*

Notandum tertiò. Etsi Prælatus, vel alius Clericus possit esse Consiliarius Principis Sæcularis: si tamen ab eo quæratur consilium de imponenda pœna mortis, vel mutilationis membrorum, ob delictum aliquod, tum consulere potest, ut reus absolvatur: non autem, ut condemnetur ad talem pœnam: modò in causa absolutionis non immineat periculum inferendæ pœnæ talionis actori; nam irregularitas contrahitur etiam ex consilio, *c. Si quis; 8. dist. 50. junct. Gl. V. Consilio*; quòd si agatur solùm de levi pœna corporali infligenda, potest consilium dari citra periculum irregularitatis. *Hostiens. in cit. c. Clericis; §. Iubemus; & Abb. ibid. n. 9. & 10.*

Notandum quartò. Si in Canone dicatur, *Excommunicationi subjaceat*, significatur, excommunicationem, post præcedentem monitionem, infligi ipso jure, seu facto, ut constat ex *c. Si quis suadente; 29. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur, *Anathematis vinculo subjaceat*, & tamen communiter intelligitur, quòd sit excommunicatio latæ sententiæ, *Gl. fin. in cit. c. Clericis; h. t. Hostiens. & Abb. ibid. n. 14.* qui tamen id limitat, nisi verba futuri temporis, non executionem: sed ministerium hominis, sive exercitium actûs denotent, ut *excommunicetur*, tum enim excommunicatio incurritur, non nisi per sententiam Judicis.

XX. Quartò *in c. Sententiam; 9. §. Nullus quoque; h. t.* prohibetur, ne ullus Clericus ruptarijs (hoc » est, qui præsunt machinis bellicis, quæ rumpunt » muros, *Ioan. Andr. hîc V. eod.*) vel balistarijs, sive » sagittarijs, aut hujusmodi viris sanguinum præpo» natur: nec Chirurgiæ artem (aut ullam ejus par» tem) Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exer» ceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit: nec » quisquam ritum cujuslibet benedictionis, aut con» secrationis impendat purgationi aquæ ferventis, » vel frigidæ, aut ferri candentis; salvis prohibitio» nibus de Monomachijs, id est pugnis singularibus » unius contra alterũ, sive duellis antea promulgatis. »

XXI. Notandum primò. Clericus sacris Ordinibus initiatus non debet constitui Dux, vel Capitaneus belli, sive sit bellum justum, sive injustum; licèt enim Clericus possit interesse bello justo: & milites hortari ad pugnandum, *c. Scisciatis; 47. caus. 7. q. 1. c. Igitur*; 7. *& c. Ut pridem 17. caus. 23. qu. 8.* Non tamen potest esse Dux belli, ordinando acies, dirigendo tormenta bellica, vel similia faciendo; quia id non convenit mansuetudini, & lenitati Clericorum, nam Clerici non debent tractare arma corporalia, etiam contra hostes: sed eorum arma sunt lacrymæ, & orationes, *c. Porro*; 14 *junct. Gl. V. Arma caus. 16. q. 3. c. Convenior*; 21. §. *Quid ergo*; *cit. caus. 23. q. 8. Abb. in cit. c. Sententiam; n. 16. h. t.*

Notandum secundò. Interdictum est Clericis in Sacris constitutis exercere artem Chirurgiæ, cum adustione, & incisione, *cit. c. Sententiam*; §. *Nullus quoque h. t.* sicut & Religiosis, *inc. Tuanos*; 19. *de homicid.* Ratio est, tum propter periculum erroris, quod tali Chirurgiæ inest, tum propter dubium curationis eventum; tum quia Clerici debent esse Medici ani-

marum, non corporum. *Abb. in cit. c. Sententiam*; *n.* 21. Et quamvis de Clericis constitutis in minoribus, & habentibus sufficiens Beneficium, nullus extet textus, qui exercitium Chirurgiæ ijs prohibeat: comuniter tamen à Dd. extenditur etiam ad illos; quia jura, quæ præcipiunt, vel prohibent aliqua Clericis in Sacris constitutis, censentur etiã præcepta, vel interdicta Clericis in Minoribus habentibus Beneficiũ sufficiens ad victum, ut tradit *Navarr. in Comment. 4. de Regul. n. 27. in fine. Sanch. lib. 6. Mor. c. 15. n. 15.*

Notandum tertiò. Prohibitum est, etiam Clericis in Sacris constitutis, & alijs quibuscúnque Beneficium sufficiens habentibus, artem Medicinæ, seu Chirurgiæ exercere, etiam citra adustionem, & incisionem; nam quamvis nullo jure eis sit prohibitum exercitium harum artium, nisi cum incisione, vel adustione, censentur tamen eæ illis esse interdictæ, eò quòd sint sæcularia negotia, & Clericalem statum dedeceant, *Abb. in cit. c. Sententiam*; *n.* 22. Veruntamen quia Chirurgia, quæ exercetur citra incisionem, vel adustionem, Clericis interdicitur, non propter mortis periculum: sed tantùm, quia non decet statum eorum, ideo non sunt irregulares, etiamsi mors eorum, quos curant, absque culpa curantium Clericorum, sequatur. *Sanch. c. l. num.* 18.

Notandum quartò. Licitè etiam exercetur Chirurgia, vel ars Medica à Clericis, causâ pietatis, erga personas miserabiles, & conjunctas, citra ullum mortis periculum, vel causâ necessitatis: si alius Chirurgus, vel Medicus non adsit, vel non idoneus, vel si Clericus sit pauper, nec habeat, unde se sustentet, vel si licentiam à Papa habeat, *Ugolin. de Offic. Episcop. c.* 13. §. 14. *n.* 1. *Sanch. c. l. n.* 19. Sed de his plura alibi, sicut & de purgatione facta per aquam, vel ferrum candens, quæ etiam prohibetur Clericis, *in cit. c. Sententiam*; §. *Nullus.*

XXII. Postremò *in c. Multa*; 1. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Moguntino sub Carolo Magno » *c.* 14. multa enumerantur sæcularia negotia, exempli causâ, quibus jubentur Ministri Altaris Domini, seu Clerici, & Monachi, sive Religiosi abstinere. Veluti plus justo appetere, vel exigere: munera injusta accipere, vel etiam dare: pro aliquo » sæculari quæstu, pretio aliquem conducere (scilicet ad peccandum, vel quæstu prohibito Clericis, *Gl. » hic V. Conducere*; contentiones (quæ fiunt verbis) » vel lites (*in judiciis*) vel rixas (quæ fiunt factis, seu » pugnis, *Gl. hic V. Rixas*; *in addit.* amare: in placi» tis sæcularibus disputare, vel advocare, nisi ob » defensionem orphanorum, aut viduarum, con» ductores sæcularium rerum, aut procuratores esse: » (in negotijs sæcularibus) de quo supra: turpi verbo, vel facto esse joculatorem, vel jocum sæcularem » diligere, ornamentum inconveniens Ordini, & Di» gnitati Clericali quærere: in delicijs vivere velle: » gulam, & ebrietatem sequi: pondera injusta, vel » mensuras habere: negotium injustum exercere, vel » etiam justum: nisi id fiat, propter necessitatem: » habere canes, vel aves ad venandum: interesse qui» buslibet causis superfluis, & his similia interdicuntur Clericis, & Religiosis, de quibus partim jam supra actum, partim alijs locis agitur, vel etiam infra adhuc agetur.

§. V.

De Officio Tabellionis, seu Notarii Clericis, & Religiosis interdicto.

Quia circa hoc Officium quædam peculiares quæstiones, & dubia occurrunt; ideo de illis seorsim hoc §. agemus.

XXIII. Quæritur primò. An, & ob quas causas Officium Tabellionis sit interdictum Clericis, & Monachis, aut Religiosis? Resp. De hoc ita rescribit Innocentius III. *in c. Sicut te*; 8. *h. t.* Epicopo » Esculeno: mandamus, quatenus Clericis in Sacris » Ordinibus constitutis Tabellionatûs Officium per » Beneficiorum subtractionem appellatione postpositâ, interdicas: & de Religiosis apertè colligitur » *ex c. Ut Officium*; 11. §. *Verum*; *de hæretic. in* 6. Nam de illis eadem ratio militat, ut mox patebit, & ex communi docet *Sanch. lib. 6. moral. c.* 13. *num.* 46 Ratio prohibitionis est, tum quia hoc Officium est genus quoddam negotiationis, etiam abstinendo à criminalibus, *Gl. hic V. Clerici in sacris*: tum quia est Officium vile, cùm Tabellio appelletur servus publicus, *c.* 2. *de usur. in* 6. *& ibi Gl. V. Servo publico*; *l. Non aliter* 18. *ff. de adopt.* ideóque etiam prohibetur Decurionibus, *l. Universos*; 15. *C. de Decurion. lib.* 10. multò magis ergo prohiberi debet militibus DEI; tum denique quia est Officium sæculare, ab Officijs autem sæcularibus abstinere debent Ecclesiastici, *c. Reprehensibile* 19. *caus.* 23. *qu.* 8. *& c.* 1. *h. t. Abbas in cit. c. Sicut*; *n.* 5. Porro Tabellio promotus ad Clericatum non perdit, ipso jure, Officium Tabellionatûs, ut colligitur ex *cit. c. Sicut*; ubi dicitur, interdicendum esse hoc Officium Clericis, ergo per Clericatum supervenientem non perdiderunt hoc Officium, aliàs frustra ipsis interdiceretur, *Abb. ibid. nu.* 2. ubi addit, idem dicendum de Tabellionibus, qui Religionem profitentur; non enim hoc ipso amittunt Officium Notariatûs, licèt prohibeantur, illud de novo exercere.

XXIV. Quæritur secundò. Quibus Clericis interdictum sit Officium Tabellionatûs? Resp. primò. Si Clerici sint in Sacris constituti, & habeant competens Beneficium Ecclesiasticum, certum est, quòd non possint exercere hoc Officium, ut clarè patet *ex cit. c. Sicut ibi: in sacris Ordinibus constituti*, & ibi: *per Beneficiorum subtractionem*; quia tunc Clericus non eget, & consequenter, nec negotiari, nec Officium Tabellionis ei exercere licet, in quo omnes conveniũt.

XXV. Resp. secundò. Etsi Clericus in Sacris sit constitutus, si tamen non habet competens Beneficium, probabilius est, quòd possit exercere Officium Tabellionis; quia quamvis *cit. cap. Sicut*; non loquatur expressè de Clericis Beneficiatis, dum tamen præcipit, eis interdici Officium Tabellionatûs per subtractionem Beneficiorum, supponit, eos habere Beneficium, ergo à contrario sensu, si non sint Beneficiati, nec prohibitio, nec pœna ei adjecta in illis locum habere potest; quia Clerici, etiam in Minoribus constituti, si careant Beneficio competente, honestam negotiationem exercere non prohibentur, adeóque nec Officium Tabellionis eis interdici debet, ut post *Hostiens.* docet *Ioan. Andr. in cit. c. Sicut*; *n.* 4.

n. 4. & Abb. hic nu. 8. ubi addit, *contra Ioan. Andr.* quòd Clerico in Sacris, si habeat, unde vivat, non debeat dari optio, dimittendi Beneficium, vel Officium Notariatûs: sed præcisè cogendus sit, vivere clericaliter; quia est Sacris initiatus. Porro si Clericus in Sacris constitutus habeat, unde commodè vivere possit, ex bonis patrimonialibus, etiamsi non habeat competens Beneficium Ecclesiasticum, non licet ei negotiari, ac proinde nec Officium Tabellionatûs exercere, quod est genus quoddam negotiationis, ut notat *Fagnan. in cit. c. Sicut; n. 25. h. t.* Nec obstat, quòd Clericis non obtinentibus Beneficium, non possit interdici hoc Officium per subtractionem Beneficiorum, ut habetur *in cit. c. Sicut*; quia poterit id illis interdici per alias pœnas, quæ à SS. Canonibus, & generalibus Concilijs contra Clericos negotiatores, sive sæcularia negotia exercentes, sunt decretæ, quas innovavit *Concil. Trident. Sess. 22. c. 1. de reform.*

XXVI. Respond. tertiò. Etiam Clerici in minoribus Ordinibus constituti, si competens Beneficium habeant, non possunt exercere Officium Notarij; quia hoc Officium est publicum, sæculare & vile, & negotiationem sapit, ideóque omnibus Clericis indistinctè censeri debet esse interdictum, dummodo non egeant; quia nemo militans DEO immiscere se debet sæcularibus negotijs, *c. 1. h. t. c. Eos; 3. caus. 20. q. 3. c. Reprehensibile; 19. caus. 23. q. 8. Hostiens. in cit. c. Sicut; V. Ordinibus; & Abb. n. 7.* Neque valet argumentum à contrario sensu desumptum ex *cit. c. Sicut*; quod loquitur solùm de Clericis in Sacris Ordinibus constitutis; quia ipsi solùm in Civitate illa (Esculanensi) Officium Tabellionatûs exercebant, ut patet *ex integra lectione illius cap.* Ex quo sequitur, quòd quia ibi nulla est mentio facta de Clericis minorum Ordinum: sed de solis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis; illi maneant sub dispositione juris antiqui, secundùm quod nulli Clericorum licebat negotiari, sive sæcularia negotia exercere, nisi egeret: & argumentum à contrario sensu non procedit, quando ejus oppositum in jure reperitur expressum, *Fagn. in cit. c. Sicut; n. 27. & 2. seqq.* qui rectè id extendit etiam ad illos Clericos in Minoribus, qui etsi Beneficium non habeant, habent tamen congruam sustentationem ex patrimonio, *arg. c. Episcopus; 4. de præb.* tunc enim etiam non possunt exercere Officium Notariatûs; quia non egent, adeóque tum cessat ratio necessitatis, ob quam licet Clericis quibuslibet exercere honestam negotiationem. Idémque tenet *Redoan. tract. de spolijs Cleric. q. 8. n. 53.*

XXVII. Quæritur tertiò. In quibus casibus, aut casibus Clerici possint exercere Officium Tabellionis? Resp. Inprimis favore Fidei concessum est, ut Religiosi, & Clerici sæculares possint hoc Officium exercere in causa hæresis *c. Ut Officium; 11. §. Ad conscribendas, de hæretic. in 6.* de quo ibi. Secundò. Potest Clericus, etiam in Sacris constitutus, & Beneficium Ecclesiasticum habens, esse Notarius Papæ, & in Curia Romana hoc Officium exercere, propter tacitum S. Pontificis consensum, qui eum tunc habilem reddere censetur, & tantæ Curiæ dignitatem, *Abb. in cit. c. Sicut; n. 6. Covarr. pract. qq. c. 19. n. 8. concl. 1.* Tertiò. Secundùm quosdam, Clericus etiam SS. Ordinibus initiatus, si non habeat competens Beneficium Ecclesiasticum, non prohibetur, etiam extra Curiam Romanam Officium Notariatûs exercere coram Judice Ecclesiastico, & in causis spiritualibus, seu Ecclesiasticis. *Abb. in cit. c. Sicut; n. 6. & Ugol. cit. c. 13. §. 7. Except. 7.* Veruntamen *Gl. fin. in cit. c. Sicut; Covarr. c. l. concluſ. 2.* & alij apud *Fagn. in cit. c. Sicut; n. 58. & 61.* censent, quòd Clericus in Sacris, etsi Beneficium Ecclesiasticum non habeat, non possit exercere Officium Tabellionis in publicis Tribunalibus Ecclesiasticis, v. g. in Consistorio Episcopi, nisi omnino egeat; tunc enim, etiam in causis temporalibus, seu profanis, potest esse Notarius. Idque probatur, tum quia *in cit. c. Sicut*; simpliciter, & indistinctè, num sint causæ temporales, an Ecclesiasticæ, præcipitur, interdici Clericis hoc Officium: tum quia *in cit. c. Ut Officium*; §. *Ad conscribendas*: exercitium Tabellionatûs fuit concessum Clericis per modum specialis privilegij, & limitatè in causa Fidei, ergo priùs id erat eis interdictum jure communi, & in alijs causis spiritualibus extra causas Fidei, non est eis concessum. *Fagn. c. l. n. 61.* Quartò. Denique, si alicubi vigeat consuetudo, ut Clerici etiam in Sacris constituti, & Beneficium habentes, Officium Notariatûs exercere possint, ut plures docent apud *Barb. in cit. c. Sicut; n. 9.* & tenet etiam *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 8. n. 4.* quia Officium Tabellionis in causis Ecclesiasticis absolutè non dedecet Clericos, neque in specie ijs prohibitum esse reperitur in ijs causis, ideóque per contrariam consuetudinem induci potest.

XXVIII. Quæritur quartò. An valeant instrumenta à Clericis Notarijs confecta? Resp. Certum est, quòd antequam Clericis interdicatur Officium Tabellionatûs, valeant instrumenta ab ijs confecta, etiam in causis sæcularibus: nam etsi illicitè fiant, facta tamen tenent; quia fidem nihilominus faciunt. *Hostiens. in cit. c. Sicut; col. 2. §. E converso; h. t. Ioan. ibid. n. 3.* Postquam verò Clericis est interdictum, ne conficiant instrumenta, tum distinguendum est, vel enim publicè, & per edictum solenniter promulgatum, illud est ipsis interdictum; & tunc non valent instrumenta postea ab ipsis confecta; quia gesta ratione publici Officij, post interdictum Superioris, non tenent *c. Veritatis; 8. c. fin. De dolo; & contum.* sicut etiam contractus initi cum prodigo, postquam ei per Judicem bonis est interdictum, non valent, *l. Is cui; 6. ff. De V. O.* Nec obstat, si quis dicat, hanc prohibitionem esse omnibus factam *in dicta Decretali Sicut*: quia in illa nulla fit verè, & actu prohibitio: sed mandatur prohiberi per Superiorem; tum quia interdictum Judicis plus efficit, sive operatur, quàm Legis: & priusquam interdictum à Judice fiat, Clerici videntur tolerari in Officio Tabellionatûs, ideóque valere debent gesta, ratione publici Officij, licèt si illud exerceant, puniendi sint, ut docet *Bart. in l. Universo; 15. n. 2. C. de Decurion. l. 10.* Vel interdictum à Superiore non fuit palam, & publicè factum, tunc tenet quidem interdictum, in præjudicium Clerici, cui factum est, ita, ut propterea Beneficio privari possit, juxta *cit. c. Sicut*; gesta tamen valent, ratione publici Officij, saltem quoad partes ignorantes. *Abb. in cit. c. Sicut; n. 10. & 11. Covarr.* *cit. c. 19. num. 8. concl. 4. §. Quod si Sacerdos*; ubi ait; hanc esse communem opinionem. Nec obstat, quòd conficiens instrumentum contra interdictum puniatur solâ pœnâ subtractionis Beneficij. *cit. c. Sicut*; ergo

ergo non debet alia pœna induci. Nam adjectio pœnæ actui à jure prohibito facta, non confirmat actum, contra prohibitionem attentatum, ut ex *Bartol. notat Abb. in cit. c. Sicut*; *n.* 10.

Porro Monachis, aut Religiosis ita interdictum est Officium Tabellionis, ut instrumentum novum ab ijs confectum, sine licentia Abbatis, seu Prælati, sit ipso jure nullum, ob defectum potestatis; quia in Religiosis major est prohibitio, quàm in Clericis, ut colligitur ex *c. Sed nec*; 4. *in fine h. t. Covarr. c. l. concl.* 4. §. *Monachus verò.* Quamvis Religiosus possit post Professionem complere, & signare instrumentum Notarij, quod ante Professionem, vel ingressum in Religionem, ab eodem in ejus protocollo conscriptum fuerat, & coram ipso à contrahentibus in perfectam conventionem deductum; *Gl. in c. Ut Officium*; 11. *V. Præmissa*; *de hæret. in 6. Covarr. c. l.* Plura de Notarijs dicta sunt supra *Lib. 2. Tit. 22. §. 4.*

§. VI.

Quanam studia, & sub qua pœna, sint Religiosis prohibita, Iure Canonico: & an eadem studia sint etiam prohibita Clericis sæcularibus?

XXIX. De priore quæstione agitur inprimis, *in c. Non magnopere*; 3. *h. t.* quod est desumptum ex Concilio Turonensi, sub Alexandro III. ubi statuitur; ut nulli omnino, post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso Professionem, ad Physicam (id est, Medicinam, ut colligitur ex verbis præcedentibus ibi: *sub prætextu languentium Fratrum consulendi corporibus*) & Leges mundanas, id est, Juris Civilis legendas (vel audiendas) permittatur exire. Si verò exierint, & ad claustrum suum, infra duorum mensium spatium, non redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, audiantur: reversi autem in Choro, Capitulo, mensâ, & cæteris omnibus, ultimum locum inter Fratres habeant, & spem omnis promotionis amittant, nisi misericordiam Sedis Apostolicæ fuerint consecuti, sive cum illis fuerit dispensatum. Ratio hujus statuti innuitur *in eod. c.* in superioribus verbis, ne occasione scientiæ spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur.

XXX. Porro hæc Constitutio Concilij Turonensis postea declarata, & extensa fuit ab Honorio III. *in c. Super specula*; 10. *& ult. h. t.* Ut prædicti Regulares exeuntes ex claustris, ad audiendum Leges Civiles, vel Physicam, seu Medicinam, & non reversi intra duorum mensium spatium (à tempore scientiæ, seu publicationis hujus Constitutionis, numerandum, *Gl. hîc V. Duorum mensium*) de cætero, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, districtè præcipiendo, ut tam à Diœcesanis, & Capitulis ipsorum, in quorum Diœcesibus tales Regulares excommunicati student, alijs etiam supra dictis pœnis obnoxij denuncientur: scilicet quòd in nulla causa patrocinium præstare debeant, nec promoveri possint, sine dispensatione Sedis Apostolicæ, *Gl. hîc V. Prædictis pœnis.*

XXXI. Pro explicatione hujus utriusque Constitutionis, notandum primò. Quando dicitur *in cit. c. Non magnopere*; 3. *h. t. Ut nulli post votum Religionis, & post factam in aliquo loco Religioso Professionem, permittantur exire*: per votum Religionis non intelligitur simplex promissio ingrediendi Religionem: sed vel Professio tacita, quæ olim fieri censebatur per assumptionem habitûs Religiosi, animo mutandi vitam, post editum votum ingrediendi Religionem, juxta supra dicta *Tit.* 31. prout explicat *Ioan. Andr. hîc n.* 4. *& Abb. n.* 11. Vel intelligitur votum ipsum Professionis expressæ, per quod quis verus Religiosus efficitur, ita, ut posteriora verba, *post actam Professionem*, sint declaratoria priorum, scilicet *post votum Religionis. Suar. dis.* 23. *de Cens sect.* 3. *n.* 9. ubi addit, per Professionem hîc intelligi omnem veram incorporationem, per quam verus Religiosus quis fit, adeóque etiam sub hac Lege comprehendi Scholasticos approbatos Societatis; quia sunt veri Religiosi, eáque generaliter de omnibus Religiosis loquitur.

Notandum secundò. Tres Conditiones requiruntur ad hanc censuram excommunicationis, aliásque pœnas statutas *in cit. c.* 3. *& c. ult. h. t.* Prima est, ut Religiosi LL. Civiles, vel Physicam, seu Medicinam legant, vel audiant, vel saltem animo audiendi exeant, secundùm probabilem sententiam, de qua infra. Secunda conditio est, ut ad hunc finem audiendi exeant ex Claustris suis, ut expressè habetur in utróque *c. cit.* Quare si non exeant, sed intra Claustra sua Jus Civile, vel Medicinam audiant, vel eis studeant, non incurrunt hanc censuram, aliásque pœnas statutas; quia Constitutio pœnalis non debet extendi ultra propriam significationem verborum: sed potiùs restringi: cùm ergo hæc Constitutio loquatur de Religiosis exeuntibus è Monasterio, non debet intelligi de non exeuntibus, sed studentibus, vel audientibus intra Monasterium. *Innoc. in cit. c. ult. in princ. Abb. ibid. n.* 13. Neque obstat, quòd eadem ratio videatur esse in non exeuntibus; nam inprimis Religiosus, qui ex Claustro exit ex causa illicita, & Lege prohibitâ, & Monastetium deserit, magis delinquit, quàm qui rem illicitam intra Claustra patrat; quia hic unum tantùm: prior duo peccata committit, ideóque magis est puniendus. Deinde etsi ob identitatem rationis locum habeat Legis dispositio, non tamen ejus pœna, adeóque etiamsi ponatur, ac detur, Religiosos ex mente hujus Constitutionis prohiberi etiam intra Claustra audire Leges, & Medicinam: non tamen ideo incurrunt pœnam excommunicationis, *Abb. c. l.* Ex quo infertur etiamsi Religiosus, qui exit è Claustro, non ad audiendas has scientias: sed ad alios fines illicitè exeat, & graviter peccet, vel etiam Apostata fiat; non tamen incurrit pœnas hîc statutas. *Suar. c. l. num.* 10. Tertia conditio est, ut intra duos menses, ad Claustra non redeant: si enim ante elapsum hoc tempus redierint, non incurrent excommunicationem, aliásque pœnas, ut patet ex *cit. c.* 3. *& c. ult. h. t.*

XXXII. Notandum tertiò. Si Religiosi exeant quidem ex Monasterio, ad audiendas has scientias: sed non extra Claustrum morentur, ac habitent, quia solùm exeunt ad audiendum in loco publico alicujus Academiæ, ita tamen, ut quotidie redeant ad

Claustrum, tum valde probabile est, illos non incurrere excommunicationem, & alias pœnas; quia verba illa textûs, *si ad Claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierint*, indicant, quòd debeant exire, ad audiendum, ita, ut habitent extra Claustrum, & duobus mensibus extra illud versentur, quod non fit, si solùm exeant ad audiendum, & quotidie ad Claustrum revertantur. Ratio est, quia in Legibus præsertim pœnalibus, non est recedendum à proprietate litteræ, seu textûs: & pœna potiùs restringi, quàm ampliari debet. Et ista interpretatio est communiùs recepta à Dd. ut testatur *Suar. c. l. n.* 11. *&* 12. Quare dicendum est, mentem Papæ non fuisse, omnem modum vacandi his scientiis prohibere, sub excommunicatione: sed solùm illum modum, qui posset præbere occasionem majoris evagationis, & distractionis in actionibus mundanis. *Suar. c. l. n.* 13.

Notandum quartò. Si Religiosus exeat è Claustro, animo audiendi Jus Civile, aut Medicinam, postea verò illas scientias non audiat, attamen ultra duos menses, extra Claustrum maneat, verius est, eum incurrere excommunicationem, & alias pœnas statutas, *Abb. in cit. c. 3. n.* 8. *Suar. c. sec. 3. n.* 14. Ratio est, quia in hoc cap. non excommunicantur Religiosi audientes: sed exeuntes ad audiendum, & ante elapsos duos menses, non redeuntes, adeóque tales agunt contra verba, & mentem hujus Constitutionis, etiamsi reipsa non audiverint, maximè, si non tantùm exiverint: sed etiam per duos menses foris manserint, animo audiendi illas scientias prohibitas. Aliud est, si Religiosus, post exitum è Monasterio, mutavit propositum, audiendi scientias prohibitas, tum enim etsi foris maneat, ultra duos menses, ut audiat scientias permissas, v. g. Jus Canonicum, aut Theologiam, vel etiam, ut liberè vagetur, probabile est, non incurrere excommunicationem, aliasq; pœnas; quia cessat ratio hujus Constitutionis, nempe ne viri spirituales mundanis actionibus rursus involvantur: quæ ratio cessat, si Religiosus, mutato proposito, nõ audiat disciplinas profanas ipsi prohibitas, etiamsi non redeat ad Monasterium; quia verba Legis, præsertim pœnalis, cum effectu intelligi debent, *l. 1. §. Hæc autem; ff. Quod quisque juris &c. Abb. in cit. c. ult. n.* 9. *h. t. Suar. c. l. n.* 15. Quòd si verò Religiosus egressus sit è Monasterio, ob alium finem, sive bonum, sive malum, postea verò mutatâ intentione, extra Claustrum maneat, principaliter ad eum finem, ut Jus Civile, vel Medicinam audiat, & intra duos menses non redeat, incurret excommunicationem, aliásque pœnas; quia licèt primus egressus non fuerit destinatus ad hunc finem, tamen permanentia extra Monasterium fuit ad illum ordinata, & quidem principaliter, siquidem principalis ejus intentio fuit, manendi extra Monasterium, propter audiendas scientias prohibitas, hoc enim est, quod principaliter intendit prohibere hæc Constitutio; nam si exeat, vel foris maneat, principaliter ob aliam causam, non incurret hanc censuram, licèt postea etiam studijs prohibitis det operam. *Suar. c. l. n.* 15.

XXXIII. Notandum 5. Nec quidem cum licentia suorum Prælatorum Regularium, possunt Religiosi exire è Monasterio, ad audiendum Leges, vel Medicinam; tum quia inferiores Papâ non possunt dispensare in Legibus Canonicis, præsertim in Decretis Concilij Generalis: nisi specialiter id eis concessum sit: tum quia in dicta Constitutione dicitur, *Nulli omnino permittatur exire*, per quam vocem omnis omnino dispensatio videtur prohiberi. *Abb. in cit. c. 3. nu. 5. Suar. c. l. n.* 13.

Notandum sextò. Certum est, quòd etiam hodierno Jure non incurratur censura illa excommunicationis, aliæque pœnæ, nisi post elapsum tempus duorum mensium; quia *in cit. c. 3. h. t.* expressè habetur, quòd tempus illud currat, non à tempore publicationis hujus Constitutionis, quippe quæ jam dudum fuit promulgata: sed à tempore exitûs è Claustro, ut ex illis verbis: *Si verò exierint, & ad Claustrum suum, infra duorum mensium spatium, non redierint*, idemque repetitur in *c. ult. in princip. eod.* nec revocatur. Quare cùm ibi dicitur, excommunicationem hanc ipso facto incurri, non debet intelligi, quòd ipsofacto incurratur post exitum è Claustro; sed post elapsum tempus bimestre, ut ex contextu satis patet; nam id solùm est additum, ad declaranda verba prioris Canonis *in c. 3. h. t.* ubi non exprimitur, an illa excommunicatio, ipso facto, incurratur, nec nè. Et quo ulteriùs infertur, quòd hoc tempus bimestre computandum sit à die exitûs è Claustro, ad audiendum scientias prohibitas, ut patet ex verbis textûs, *si exierint*: neque enim potest hoc tempus computari à tempore, quo cœperunt audire illas scientias, cùm possit incurri hæc censura, etiam antequam quis incipiat audire prædictas scientias, ut constat ex supradictis, *Abb. in cit. c. ult. n.* 8. *h. t. Suar. c. l. n.* 16.

XXXIV. De posteriore quæstione, an studia Legum Civilium, & Medicinæ sint prohibita, etiam Clericis sæcularibus, agitur *in cit. c. Super specula; ult. §. Quia verò; h. t.* ubi Papa Honorius III. prædictum statutum Concilij Turonensis (*in cit. c. Non magnopere; 3. h. t.*) extendit ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, nec non Presbyteros: nisi infra præscriptum spatium (duorum mensium) à prædictis studijs desiterint, & mandavit illud, appellatione postpositâ, firmiter observari.

XXXV. Pro cujus explicatione, notandum primò. Prohibitum est sub pœna excommunicationis, & alijs expressis, *in c. 3. h. t.* Archidiaconis, Decanis, Plebanis, id est, qui sub se Capellas, seu Ecclesias minores habent, & alijs Clericis dignitates Ecclesiasticas, vel personatus habentibus, nec non omnibus Presbyteris, seu Sacerdotibus, audire Leges Civiles, vel Physicam, seu Medicinam. Ratio hujus prohibitionis est, ut liberiùs, & diligentiùs operam det studio Theologiæ, quod Papa cupit ampliari, ut sit Fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, ut dicitur *in cit. §. Quia verò*; hoc est, qui possint hæreticis auctoritate divinæ Scripturæ resistere, *Gl. hic V. Bellatorum.* Sub Theologia autem hoc loco comprehenditur etiam Jus Canonicum; quia scientia Canonica est pars Divinæ, *c. Qualiter; 24. q. accus. Abb. in cit. c. ult. n.* 7. *h. t.* & æquè utilis est Ecclesiæ DEI, quàm Theologia.

Porrò ab hac prohibitione Constitutionis Honorij III. *in cit. §. Quia verò*; excipiuntur primò. Rectores Ecclesiarum Parochialium, ut constat ex *c. Statutum; 1. h. t. in 6.* ubi expressè habetur, prædictam Constitutionem Honorij prohibentem, audire Leges

» ges, vel Physicam, seu Medicinam, ad eos, qui Pa-
» rochiales Ecclesias obtinent, ratione Ecclesiarum
» hujusmodi, non extendi, nisi eædem Ecclesiæ sint
» Plebaniæ sub se Capellas habentes, in quibus in-
» stituuntur Clerici, seu Vicarij perpetui, qui non
» possunt ab ipsis Capellanijs, absque causa ratio-
» nabili, amoveri: dummodo tamen tales Rectores Parochiarum, quæ non habent sub se Capellas, non sint Sacerdotes, tunc enim prohiberentur audire Leges, vel Medicinam, non ratione Ecclesiæ; sed ratione Ordinis, *Gl. ibid. V. Ratione.*

Excipiuntur secundò Clerici inferiores, & Diaconi, vel Subdiaconi, multò magis in minoribus Ordinibus constituti, qui Dignitatem, vel Personatum non habent; hi enim Leges, & Medicinam audire possunt, nam ad illos *in cit.* §. *Quia verò*; nulla fit extensio. *Suar. cit. sec. 3. n. 19. Ugolin. de Offic. Episcop. c. 13. except.* 1. Tertio. Excipiuntur ij Clerici sæculares, qui non publicè in Academijs: sed privatim studeant Juri Civili, ad meliùs intelligendos SS. Canones, *Abb. in cit. c. ult. n. ult.* quia verissimum est illud vulgate pronunciatum: *Leges* (Civiles) *sine Canone valent parum*, *Canones sine Lege nihil*: vel etiam, qui studeant principaliter ad ipsam Civilem scientiam acquirendam; quia Constitutio hæc pœnalis non debet extendi ad eos, qui privatim student, sed non publicè in scholis audiunt. Nec obstat, verbum *studeant* positum *in cit. c. ult.* quia intelligi debet de publicè studentibus, adeóque de his, qui studeant in scholis audiendo, prout indicant illa verba, *in quorum Diœcesibus in hujusmodi studeant &c. Fagn. in cit. c. ult. n.* 32. & 36. Quartò. Excipiuntur illi Clerici, qui à Papa licentiam obtinuerunt, audiendi Jus Civile, vel Medicinam, quam solus Papa dare potest. *Ugolin. cit.* §. 13. *in except. ult.*

Notandum secundò. Clerici Regulares habentes Dignitates, vel personatus, vel si sint Presbyteri, prohibentur audire Leges Civiles, & Medicinam, etiam in propijs domibus, ac proinde si per duos menses hujusmodi facultates audiant, censuram excommunicationis incurrunt, sive in propijs domibus, sive in quovis alio loco audiant, prout sumitur ex *cit. c.* 1. *h. t. in* 6. Ubi Bonifacius VIII. referens Constitutionem Honorij *in c. ult. h. t.* ait, quòd Clericis Sæcularibus ibi expressis audire Leges, & Physicam interdixerit. Quare tempus duorum mensium in his Clericis sæcularibus computandum est ab eo tempore, quo incipiunt audire hujusmodi facultates, cùm computatio aliunde incipere non possit, nec ab exitu è Claustro, qui in illis locum habere non potest, neque ab exitu ex propria domo, qui huc nihil facit, *Suarez. l. n.* 19.

XXXVI. Notandum tertiò. Quando *in cit. c. ult. h. t.* dicitur, *ut de cætero Religiosi* (idémq; est de Clericis Sæcularibus, ad quos ibi facta est extensio) *ipso facto sententiam excommunicationis incurrant*: per hæc verba non inducitur novum Jus: sed declarantur verba illa Constitutionis Turonensis *in c.* 3, *h. t. sic ut excommunicati ab omnibus evitentur*, quæ videbantur similitudinem importare, quasi non essent ipso jure excommunicati, unde diversæ oriebantur opiniones Dd. Quæ controversia *in c. ult. h. t.* deciditur, nempe quòd excommunicatio illa semper fuerit latæ sententiæ, licèt hoc non fuerit manifestum, ideóque propter hujusmodi opiniones probabiles, & inde ortam ignorantiam probabilem, excusabantur ante hanc declarationem Religiosi audientes facultates ibi prohibitas à pœna excommunicationis, à qua post hanc declarationem, de cætero non excusantur, juxta ea, quæ tradit *Gl. in c. un. V. De cætero*; *de post. Præl. in* 6. *Fagn. in cit. c. ult. n.* 6. & 7.

Notandum quartò. Clerici sæculares, vel etiam Religiosi, qui incurrunt censuram excommunicationis, eò quòd studuerint scientijs prohibitis, possunt ab illa absolvi, vel ab Episcopo proprio, cui sunt subjecti, vel ab Episcopo, in cujus Diœcesi studeant, & ubi deliquerunt, ac pro tempore versantur, saltem quòd attinet ad Clericos sæculares; cùm Papa absolutionem ab hac censura sibi non reservârit, *Abb. in cit. c. ult. n.* 11.

XXXVII. Prædictis addendum primò. Clerici, tum Sæculares: tum etiam Regulates possunt licitè Jus Civile, vel Medicinam legere, sive docere, publicè, & privatim, absque eo, quòd incurrant excommunicationem, & alias pœnas statutas, ut docet *Innocent. & Abb. in cit. c. ult. n.* 16. *h. t. Suar. dis.* 23. *de censur. sec.* 3. *n.* 18. *contra Hostiens. & Ioan. Andr.* Ratio est, quia licèt *in c.* 3. *h. t.* feratur censura in Religiosos exeuntes ad legendum Jus Civile, & Physicam, seu Medicinam, verbum autem legendi propriè, & in rigore significat docere, non audire, vel studere, aut addiscere: attamen *in c. ult. h. t.* Papa Honorius III. exposuit, & declaravit, quomodo verbum legendi *in cit. c.* 3. intelligendum sit, nempe, ut non idem sit, quod docere: sed quod audire, sive legere, & studere ad addiscendam disciplinam ab alio, ac proinde in utroq; *c.* 3. *& ult.* non est sermo de legentibus, hoc est, docentibus, nec etiam de illis, qui non studeant, ut addiscant: sed ut alios doceant, hi enim non incurrunt pœnas ibi statutas: sed solùm illi, qui exeunt ad audiendum, & addiscendum scientias prohibitas: alioquin sequeretur, Papam *in c. ult. h. t.* falsum dixisse, nec fideliter, ac in sensu integro, & perfecto retulisse Constitutionem Concilij Turonensis, vel certè illius tenorem, ac sensum proprium ignorâsse, quod nullo modo dici potest: cùm Papa censeatur habere omnia jura in scrinio pectoris sui, *c.* 1. *de Constitut. in* 6. Nec obstat, quòd Religiosus, qui exivit è Claustro, incurrat hanc censuram, etiamsi non adeat scholas, ad addiscendas has scientias: sed privatim ijs studeat; nam non ideo illam incurret, quòd his scientijs det operam: sed quia exivit è Claustro, animo illas audiendi, & addiscendi, & post duos menses non redijt ad Claustrum, hoc enim supponendum est, alioquin non incurretur censura, etiamsi illis studeat, si non exivit ad audiendum, ut patet ex supra dictis, *Suar. c. l.* Neque etiam obstat, quòd eadem, vel etiam major sit ratio prohibitionis in docentibus; quàm in discentibus, ideóque etiam eadem sit juris dispositio in utrisque; nam argumentum à paritate rationis non habet locum in pœnalibus. Præterquam quòd ratio disparitatis etiam assignari possit inter docentes, & audientes; tum quia hi moventur ad discendum malo zelo, ut rursus involvantur mundanis administrationibus in patrocinando, & alijs similibus, ut innuitur *in cit. c.* 3. *h. t.* At verò, qui docent scientiam Legum Civilium, quam priùs didicerunt, non involvuntur actionibus mundanis: sed potiùs comu-

nicant alijs scientiam per se bonam, & necessariam ad gubernationem Reipubl. *Fagn. in cit. c. ult. nu.* 41. Tum quia rarissimè contingit, ut Religiosi exeant à Monasterio, ad docendum has disciplinas, & ideo non fuit opus, id per specialem Legem prohibere, cum Leges solùm condantur de his, quæ communiter, & frequenter accidunt. *Suar. c. l.* Porro illud certum est, hanc censuram non incurrere eos, qui hujusmodi Religiosos, vel Clericos docent has scientias, vel illos ad audiendum admittunt, cùm prædicti Canones non loquantur de docentibus: sed solùm de audientibus. *Suar. c. l. n.* 20.

XXXVII. Addendum secundò. Clerici, & Monachi, seu Religiosi possunt promoveri ad gradum Doctoratûs. Et quidem is, qui ante Clericatum Juri Civili operam dedit, potest post illius assumptionem: imò etiamsi Presbyter Beneficiatus fuerit factus, ad gradum Doctoratûs in eodem Jure promoveri, etiam sine licentia sui Ordinarij, & absque periculo incurrendæ alicujus censuræ irregularitatis, vel alterius pœnæ: quamvis peccet, si sine sufficienti scientia Juris gradum suscipiat, ut docet *Navarr. l. 3. Consil. 2. h. t. Emman. Rodriq. Tom. 2. qq. Regul. q. 75. artic.* 1. ubi addit, id etiam Monachis permissum esse: illud verò certum, quòd Religiosi ad Gradum Doctoratûs in Theologia, & Jure Canonico, cum licentia suorum Prælatorum, promoveri possint.

§. VII.

De pœnis statutis in Monachos, seu Religiosos, qui habitum Religiosum dimittunt, vel ad studia, sine licentia, accedunt, vel sunt incorrigibiles.

XXXIX. Quæritur primò, Quam pœnam incurrant Religiosi, qui habitum regularem dimittunt? Resp. de hoc ita statutum habetur in c. *Ut periculosa; 2. h. t. in 6.* Ut periculosa Religiosis evagandi occasio subtrahatur, districtiùs inhibemus, ne de cætero aliquis, quamcúnq; Religionem (dummodo approbatam, *Gl. hîc V. Quamcúnque*;) tacitè, vel expressè Professus, in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat: alioquin sententiam excommunicationis, ipso facto incurrat, prout postea in *eod. c.* subjungitur.

XL. Porro ad hanc censuram incurrendam requiritur primò, Ut non tantùm habitus Regularis deponatur: sed etiam, ut dimittatur, hoc est, non sufficit, ut exuatur solùm habitus dormiendi, vel purgandi causâ, vel ob alium finem, etiam malum: sed necesse est etiam, ut mutatio habitûs fiat in alium, ad se occultandum, vel incedendum tali modo. Unde quando non totus habitus, sed aliqua ejus pars tantùm dimittitur, si tamen per partem illam Religiosi habitûs, quæ retinetur, satis adhuc cognosci possit Religiosus, non incurritur excommunicatio; quia tunc non est dimissio habitûs simpliciter: sed solùm ex parte, nec datur per hoc Religiosis occasio vagandi, quod illa Lex vitare intendit. *Suarez disp. 23. de Censur. sect. 4. n.* 28. Secundò requiritur, ut dimissio habitûs sit temeraria, hoc est, ut absq; justa causâ fiat: nam si ex justa causa fiat, v. g. ad defensionem propriæ vitæ, vel famæ, vel proximi, vel ad vitandum grave scandalum, non potest dici temeraria dimissio; quia prudenter, & rationabiliter fit, *Suar. cit. sec. 4. n.* 27. *Sanch. lib. 6. mor. c.* 8. *n.* 40. *&* 41. Imò etiamsi dimittatur habitus ex ignorantia culpabili, eaque crassâ, & supinâ, non debet censeri temeraria dimissio, dummodo non sit ignorantia omnino affectata, vel adeo crassa, ut censeri possit quasi scientia, & ingens temeritas; quia temerariè idem est, quod scienter, & ex præsumptione, ac veluti cum contemptu aliquo Legis quippiam fieri, ita, ut velit quis dimittere habitum, non obstante Legis prohibitione. *Suar. c. l. n.* 29. *Sanch. c. l. n.* 43.

Tertiò requiritur, secundùm aliquos ad hanc censuram incurrendam, ut non tantùm proprius habitus regularis sit dimissus; sed etiam, ut alius habitus assumatur; quia communiter, & moraliter loquendo, non datur occasio vagandi, dimisso proprio habitu, vel ejus notabili parte, nisi alius assumatur, quo quis tegatur. *Sanch. c. l. nu.* 51. Contrarium tamen non improbabiliter tenet *Suar, c. l. num.* 28. quia textus *in cit. c. 2. h. t. in 6.* non exigit, ut alius habitus induatur: sed ut proprius dimittatur, vel ea pars, quâ depositâ non potest Religiosus cognosci; cujus Religionis sit, tunc enim datur sufficiens causa vagandi, quæ est causa prohibitionis ibi assignata.

XLI. Ex dictis colligitur primò. Religiosus, qui habitu Regulari retento, fugit è Monasterio, sine Superioris licentia, etsi sit apostata, vel fugitivus, non tamen incurrit hanc excommunicationem, quippe quæ est lata, non in apostatas, & fugitivos: sed in eos, qui habitum temerè dimittunt, etiam absque animo apostatandi, *Less. lib. 2. de justit. c. 41. n.* 109. *Sanch. cit. c. 8. nu.* 45. *&* 46. *Barbos. in cit. c. 2. num. 7. h. t in 6.*

Colligitur secundò. Ad hanc excommunicationem incurrendam non requiri, ut in perpetuum deponatur habitus regularis: sed satis est, si deponatur ad tempus; nam *in cit. c. 2. h. t. in 6.* excommunicantur dimittentes habitum in scholis, quæ non solent esse perpetuæ. *Sanch. c. l. nu.* 48. non tamen incurrit, qui habitum ad tam breve tempus deponit, & alium assumit, ut moraliter loquendo, censeri possit, eum non dimisisse. *Azor. p. 2. Inst. lib. 12. c. 13. q. 5. in casu*; 16. *Sanch. c. l. n.* 55. Quare si Religiosus, ob apparentem aliquam causam, habitum Regularem dimittat ad breve tempus, etsi illa causa non sit honesta, nec excusans, non incurrit excommunicationem, ut si v. g. deponat, quò expeditiùs currat, vel ut lavet in flumine; quia hujusmodi dimissio habitûs non potest dici temeraria, cùm causam saltem apparentem habeat. *Azor cit. l. 10. c. 17. qu. 3.* Quin imò idem dicendum, etsi deponat ad breve tempus habitum, ex causa turpi, & illicita, v. g. ut fornicetur, vel clam furetur; quia quamvis graviter peccet deponendo, non tamen dimittit, ut liberiùs vagetur, sed deponit, voluntate paulò post reassumendi illum, nec habitus ad tam breve tempus dimissus censetur moraliter dimissus, adeóque nec temerariè. *Azor c. l. §. Si roges; Sanch. c. l. n.* 56 *&* 57.

Colligitur tertiò. Qui habitum regularem dimittit, non statim incurrit hanc excomunicationem, sed

sed quando eò pervenit, ut vagetur, vel sic se hominum conspectui exhibet, cum hæc censura sit lata, ut vitetur occasio vagandi, nec incurrit, si mutatâ intentione, ante hunc eventum, reassumat habitum, *Sanch. c. l. n. 54. in fine*, & alij apud ipsum.

Colligitur quartò. Excommunicationem hanc incurrere eum Religiosum, qui habitum quidem retinet: sed ita occultat, sine justa causa, ut exteriùs nullo modo appareat; quia moraliter, ac in effectu idem est, ac si dimitteret, dum illum ita tegit, superinduendo alium, ut nequeat cognosci, cujus Ordinis Religiosus sit, per quod etiam præbetur occasio vagandi, quæ est causa finalis hujus pœnalis Legis: nam etiam in pœnalibus Legibus fieri potest extensio, si aliàs Lex posset facilè eludi, tunc enim non est extensio, sed tacita inclusio. *Azor cit. c. 17. q. 10. Suar. cit. sec. 4. n. 34. Sanch. c. l. n. 63.*

XLII. Colligitur quintò. Etsi valde probabile sit, non incurrere excommunicationem illum, qui deposito habitu suæ Religionis, assumit habitum alterius, ad illam transeundo, v. g. ad laxiorem; quia non dimittit suæ Religionis habitum, ut liberè vagetur, quæ est ratio, ob quam censura hæc fertur, ut docet *Sanch. c. l. nu. 68.* Contrarium tamen videtur probabilius, quia *in cit. c. 2. h. t. in 6.* dicitur, *Qui suæ Religionis habitum temerè dimittit*: at eo tempore, quo priorem Religionem dimisit: ea vetè erat, & postea etiam manet sua Religio, de jure, & ex obligatione, etsi non de facto, & irrationabiliter, ac illicitè illum dimisit, adeóque temerariè: quamvis talis non sit apostata; quia non absolutè, & omnino deficit à Religione, sed ad aliam se recipit, *Azor cit. c. 17. q. 11. Suar. cit. sec. 4. n. 32.*

Colligitur sextò. Hanc censuram incurri, etiamsi Religiosus, obtentâ licentiâ, discedat, sed habitum deponat; quia non requiritur actualis evagatio, sed sola habitûs dimissio, quæ viam aperit vagationi, *Sanch. c. l. n. 60.* deinde satis est, ad hanc censuram incurrendam, si intra Monasterium habitum temerè deponat; quia sola habitûs dimissio requiritur *in cit. c. 2.* & verba illa, *in scholis, vel alibi*, sunt generalia, satisque est, quòd ea dimissio præbeat facultatem etiam vagandi, *Sanch. c. l. n. 16.*

Colligitur septimò. Religiosos Societatis Jesu, non incurrere hanc excommunicationem, etiamsi, habitu dimisso, induant sæcularem, etiam sine causa sufficiente; quia *text. in cit. c. 2.* loquitur de Professis, qui dimittunt habitum suæ Religionis, & sic in illo supponitur, Religionem illam habere peculiarem habitum, quo discernatur ab alijs; at Societas Jesu non habet peculiarem, ac proprium habitum: sed utitur habitu communi Clericali, qui est usitatus in quavis Regione, seu Patria, juxta *Constit. par. 6. c. 2. §. 15. Sanch. c. l. n. 70.*

XLIII. Quæritur secundò. Quam pœnam incurrant Religiosi accedentes ad studia, sine Prælati licentia? Resp. similiter *in cit. c. 2. h. t. in 6.* statuitur » pœna excommunicationis in quoscùnque Professos, accedentes ad quævis studia litterarum, nisi à » suo Prælato, cum consilio sui Conventûs, vel majoris partis ejusdem, eis licentia primitus sit concessa. Ubi additur, si quis autem horum violator extiterit, excommunicationis sententiam ipso facto, » incurrat, quæ verba non copulativè: sed disjunctivè intelligenda sunt, ita, ut alterutrum sufficiat violare, ad incurrendam excommunicationem; nempe, si Religiosus, vel temerè habitum dimittat, vel ad studium se conferat, sine licentia Prælati, etsi habitum non dimittat, ita, ut duplex sit excommunicatio, *Gl. hic V. Horum; Suar. cit. sec. 4. num. 26. Sanch. cit. c. 8. n. 39.*

XLIV. Circa quod, notandum primò. Dispositionem, & pœnam hujus textûs non habere locum, quando Religiosus adit alium locum, ubi est Studium, ut ibi habitet in Conventu sui Ordinis, causâ studendi intra Claustrum suæ Religionis, si in eo doceatur, vel ex eo aditurus scholas, quæ sunt extra Conventum, tum enim non exigitur licentia, nisi proprij Prælati, inconsulto Conventu, quamvis eò, studendi etiam causâ, accedat; quia tunc non datur immediatè licentia, eundi ad studium: sed ad alium Conventum, quamvis finis missionis sit studium: sed solùm hîc sermo est, quando Religiosus ad alium locum se confert, ad habitandum, extra Claustrum, propter studium, *Azor cit. lib. 12. c. 13. q. 5. casu; 16. §. De altera excommunicatione. Suar. cit. sec. 4. n. 35. Sanch. lib. 6. mor. c. 8. num. 75.* Est autem hîc sermo, non solùm de studijs prohibitis Religiosis; sed etiam de aliàs permissis, ut Theologiæ, ac Juris Canonici; quia textus expresè dicit, *ad quævis studia. Sanchez c. l. num. 73.*

Notandum secundò. Decisio hujus cap. non habet locum in illis Religionibus, in quibus licentia proficiscendi ad habitandum, extra Claustrum, non est penes immediatum Prælatum Conventûs: sed reservata Provinciali, vel Generali; quia de illis non loquitur *cit. c. 2.* sed tantùm de proximo Superiore Conventûs, Generalis verò, vel Provincialis non dicitur propriè habere Conventum. *Suarez c. l. n. 37.*

Notandum tertiò. Dubium est, an, ad hanc licentiam dandam requiratur tantùm consilium, an verò etiam consensus Conventûs, vel majoris ejus partis? Prius affirmat *Suar. cit. sec. 4. n. 37.* quia de consilio tantùm fit mentio, & jura quando volunt requirere consensum, illud exprimunt: quando verò dicitur, cum consilio Conventûs, vel majoris ejus partis, per eam disjunctionem significatur, non esse opus totum Conventum, ad consilium petendum convenire: sed solùm majorem ejus partem, arbitrio Prælati. Verùm *Sanch. cit. c. 8. n. 82.* putat, totum Conventum esse convocandum, ad petendum consilium, & eam disjunctionem esse positam, majoris declarationis causâ, nempe ita cogendum esse totum Conventum, ut tamen non sit necessarium totiùs Conventûs beneplacitum: sed sufficiat majoris partis; nam valde extraordinarium est in Religionibus, non totum Conventum, sed majorem tantùm partem cogi. Addit idem *Sanch. c. l. n. 82.* per consilium ibi intelligi, & requiri consensum majoris partis Conventûs; quia quando consilium est petendum ab aliquo, tanquam Collegâ, & participe Officij, illud est necessariò sequendum, adeóque tunc est idem quod consensus: at Conventûs est Collega, & particeps Officij Prælati in rebus arduis exequendis. Quare sensus est, ut unâ cum Prælato, consentiat etiam totus Conventus, vel major ejus pars; quia sicut Prælatus non potest rem notabilem Monasterij alienare ad tempus modicum, sine consensu Conventûs, ita

neque personam. Et hæc explicatio videtur probabilior.

XLV. Cæterùm *in cit. c. 2. §. fin. h. t. in 6.* » alia excommunicationis sententia fertur in Do» ctores, sive Magistros, qui Religiosos, habitu suo » dimisso, Leges, vel Physicam, seu Medicinam au» dientes (secus si alias audiant, non prohibitas) sci» enter docere, aut in scholis suis præsumpserint re» tinere, quam etiam ipso facto incurrunt.

Ex quo patet ad hanc censuram incurrendam requiri. Primò, ut Religiosus, habitu suo dimisso, his studijs vacet; nam si habitu retento, audiant has disciplinas, ea non incurritur à Magistris docentibus: quamvis incurrant aliam excommunicationem latam *in c. Nuper; 29. & c. Si concubinæ; 55. de sentent. excommun.* contra participantes cum excommunicato, in eodem crimine, quam tamen non incurrunt Magistri, nisi postquam Religiosus, audiendo scientias prohibitas, excommunicationem incurrit; quia antea non propriè participant in crimine cum excommunicato, & nisi participent cum illo, postquam nominatim denunciatus fuit. At verò excommunicationem latam *in cit. c. 2. §. fin. h. t. in 6.* non incurrunt, Magistri docentes sive denunciati, sive non; imò quamvis nullam excommunicationem incurrerint, excusante illos invincibili ignorantiâ, nam Magistri non ignorantes incurrunt hanc excommunicationem, quippe quæ non pendet ab excommunicatione per Religiosos contracta. *Suar. dis. sec. 23. sec. 4. n. 41. in fine, Sanch. cit. l. 6. c. 8. n. 90.*

Requiritur secundò. Ut Magistri scienter Religiosos doceant, vel retineant; quia *in cit. c. 2. §. fin.* requiritur scientia, & præsumptio, ac proinde, si ex ignorantia, etiam culpabili, & crassa, modò non sit affectata, aut ita crassa, ut ingens temeritas dici possit, non incurrent hanc censuram. *Suar. c. l. n. 39. Sanch. c. l. n. 100.* Nomine autem Doctoris, sive Magistri idem hîc significatur, qui nimirum actu docet. Quare si non doceant, non incurrunt hanc censuram, quamvis gradu Doctoris sint insigniti. *Sanch. c. l. n. 96.* contra *Suar. c. l.* qui vult, quòd nomen Doctoris propter gradum sit positum: nomen Magistri verò propter Officium docendi.

XLVI. Requiritur tertiò. ut Magistri doceant Religiosos, sive in Scholis, sive extra illas, vel ut retineant in scholis, quamvis non doceant; quia non utrumque copulativè: sed alterutrum disjunctivè exigitur, scilicèt docere, vel retinere, in scholis *Sanchez c. l. n. 93. Suar. c. l. n. 40.* non tamen Magistri incurrunt excommunicationem, quamvis sciant Religiosos in domo propinqua audire, *Sanch. c. l. num. 95.* Neque etiam incurrent censuram, si non docentes retineant extra scholas; quia *in cit. c. 2.* excommunicantur docentes, sine limitatione: at quoad retinentes exigitur, ut in scholis suis retineant, *Franc. in cit. c. 2. §. fin. n. ult. Sanch. c. l. n. 39. Suar. n. 40.* Retinere autem nihil aliud est, quàm positivè concurrere rogando, vel consulendo, vel defendendo suâ auctoritate, vel favore, aut violentiâ aliquâ cogendo, ut in scholis Religiosus permaneat: non autem tenetur ipse Doctor, seu Magister Religiosum per vim ex scholis expellere, nisi sit Rector Universitatis, cui ex Officio incumbit expellere, vel aliunde sit Jurisdictione præditus: nec tenetur ideo intermittere Officium suum docendi, si non exeat; sed potest eum tolerare, & permissivè se habere. *Suar, c. l. n. 40. Sanch. c. l. nu. 97. & 98.*

Denique hanc excommunicationem non incurrunt, qui Leges, vel Medicinam docent, aut in scholis retinent Sacerdotes, vel Clericos sæculares; cùm *in cit. c. 2.* sermo sit de solis Religiosis, quia Lex pœnalis extendi non debet ad personas non expressas. Nec obstat, quòd Lex pœnalis loquens in uno ex casibus jure antiquo æquiparatis, debeat extendi ad alterum, in quo est eadem ratio; quia cùm in jure æquiparantur duo extrema, secundum certam qualitatem: aliud jus loquens postea de altero exilis extremis, non extenditur ad alterum in casu non æquiparato, *Franc. c. §. fin. not. 1. Sanch. c. l. n. 91.*

XLVII. Quæritur tertiò. Quomodo puniendi sint Monachi, seu Religiosi incorrigibiles? Resp. de hoc ita statutum habetur *in c. Relatum; 7. h. t.* Monachi, qui sæculariter vivunt, & alios exemplo » suo corrumpunt, ad observantiam regularem, ap» pellatione remotâ, compelli debent. Quòd si autu » temerario restiterint, illis ejectis, Fratres alterius » Ordinis (si non potest Monasterium ex Religiosis » ejusdem Ordinis reformari) in illud inducendi » sunt. Ubi *Gl. V. Inducas*, addit, novos Religiosos » inducendos esse, ut, vel in perpetuum ibi maneant, si priores Monachi in perpetuum sint expulsi: vel ad tempus solùm, donec illi corrigantur, & revertantur.

Hinc colligitur primò. Quòd Monasterium, seu Religiosi, si regulariter non vivant, semper debent reformari ex Monachis, seu Religiosis ejusdem Professionis, si fieri possit. *Gl. hîc in notatis*, de quo plura supra *Tit. 36.*

Colligitur secundò. Quòd Regula Ordinis obliget sub præcepto, *arg. hujus c.* Ubi Religiosi compelluntur ad ejus observantiam, & quidem ad gravem culpam in ijs, quæ ad tria vota substantialia pertinent, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9.* imò etiam alia in regula contenta sunt sub præcepto, & obligant saltem ad culpam venialem: si verba regulæ sint præceptiva, vel æquipollentia præcepto. *S. Thom. cit. artic. 9. ad 1. Abb. in cit. c. Relatum; n. 6. h. t.* In quibusdam tamen Religionibus Regula non obligat ad culpam, nec mortalem, nec venialem: sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam. *S. Thom. c. l.*

Colligitur tertiò. Episcopus non potest Religiosos è Monasterio expellere, & alios inducere, si non delinquant, nec etiam arctiorem Regulam eis imponere potest, *Gl. in cit. c. Relatum; V. Ejectis*; Secus est de Papa. *Abbas ibid. num. 8.*

INDEX GENERALIS
SYNOPTICVS, ET METHODICVS
OMNIVM QVÆSTIONVM, QVÆ IN TITVLIS LIBRI III. DECRETALIVM CONTINENTVR.

TITVLVS I.
DE VITA, ET HONESTATE Clericorum.

§. I. *Qualis vitæ probitas, & conversatio requiratur in Clericis? pag.* 1.

ASSERTIO I. Clerici præsertim in Sacris constituti, continenter, & castè vivere debent, *nu.* 1. etiam in Minoribus Ordinibus constituti. *n.* 2. Excipiuntur Orientales Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, qui uti possunt uxoribus, quas ante susceptum Sacerdotium, vel sacrum Ordinem, duxerunt, *n. eod. not.* 3. Clericis, uti & alijs viris sæcularibus, est prohibitus accessus ad Monasteria Monialium. *nu.* 3. Ass. 2. A crapula, & ebrietate omnes Clerici abstinere debent, *n.* 4. Ass. 3. Clerici ab omni avaritia alieni sint, oportet, *n.* 5. Hinc Judex Ecclesiasticus non potest licitè accipere sportulas, hoc est, munera, sive victualia sint, sive pecuniæ: imò nec Judex sæcularis, *n.* 6. Nec Judex delegatus à Papa, præter modica esculenta, & poculenta, *num.* 7. Ubi ponuntur aliquæ exceptiones: neque etiam Judex delegatus ab inferiore Judice Ordinario, *n.* 8. Potest per consuetudinem induci, ut Judices sæculares à partibus aliquid, loco salarij, exigere possint: non autem, ut Judices Ecclesiastici, qui Beneficia, & alia stipendia sufficientia habent, munera, aut salaria à partibus exigant, *num.* 9. Ass. 4. Olim sæculares Clerici in communi vivebant sub uno Præposito, vel Decano, *n.* 10. Nunc non ampliùs, quamvis Episcopi, ex justa causa, eos ad communem vivendi normam in communi reducere possint, *nu.* 11. Laici inter Clericos in Choro stare non debent, vel sedere, dum sacra Officia celebrantur, *num.* 12. Parochus socium Clericum secum habere debet, n. 13. Musicæ lasciviæ in Officijs Divinis, cantari non debent, *n.* 14.

§. II. *De habitu, & vestitu Clericorum.*

ASSERTIO I. Clerici in Sacris, & Beneficiarij, etsi in Minoribus tantùm constituti, debent vestem Ordini Clericali congruentem deferre, *n.* 15. Quales vestes Clericis sint prohibitæ, & sub qua pœna, *n.* 16. Licèt certæ formæ, & colores vestium Clericis sint prohibitæ: nullus tamen in specie proprius habitus est illis præscriptus, *n.* 17. Clerici annulos aureos gestare non debent, nisi sint Episcopi, vel in Dignitate Ecclesiastica constituti, *n.* 18. Quas pœnas incurrant Clerici non deferentes habitum Clericalem, & Tonsuram, & quando ab his pœnis excusentur, *n.* 19. Clericus conjugatus etiam habitum Clericalem, & Tonsuram ferre debet, aliàs Canonis, & fori privilegio non gaudet, *n.* 20. Ass. 2. Clericus neque comam nutrire debet, neque barbam, nisi alia sit consuetudo, *n.* 21. Alioquin etiam inviti à suis Archidiaconis tonderi possunt, *cit. n.* 21. Vel etiam excommunicari, si moniti non pareant, *n. eod.* Ass. 3. Clerici arma portare non debent, nisi ex justa causa, *nu.* 22. Si propter diversos Religiosorum habitus scandalum in populo generetur, possunt Religiosi illi in uno habitu exteriore se conformare, *num.* 23.

§. III. *De negotijs, & exercitijs, quæ Clericis sunt prohibita.*

ASSERTIO I. Clerici Officia, commercia, ac negotia sæcularia, maximè inhonesta, exercere non debent, *n.* 24. Ludus alearum prohibitus est Clericis, & quis ludus eo nomine intelligatur, *num.* 25. Prohibentur etiam in Templis exhiberi Ludi Theatrales, & scenici, si inhonesti, aut profani sint: secus, si honesti, aut spectacula pia, *n.* 26. Si Clerici tertiò moniti à sæcularibus negotiationibus non abstineant, perdunt privilegium Clericale, quoad bona patrimonialia eorum, *n.* 28. Possunt tamen hoc privilegium recuperare, si se emendent, *n.* 29. Ass. 3. Si Clerici jaculatoriam, seu histrionicam artem per annum publicè exerceant, ipso jure, omni privilegio privantur: imò etiam infra annum, si tertiò moniti non resipiscant, *n.* 30. Ass. 4. Si Clerici conjugati Laicorum, vel tabernariorum officium publicè exercent, & tertiò moniti non desistunt, vel officium dimissum reassumunt, ipso jure privati sunt omni privilegio Clericali. Non conjugati verò in rebus proprijs, & si incedant in habitu Clericali, etiam in personis, amittunt privilegium Clericale, *n.* 31. & 32.

SERIES CAPITULORUM, QUÆ IN hoc Titulo continentur, & explicantur.

In Antiquis.

Cap. 1. *n.* 12.
c. 2. *n.* 22.
c. 3. *n.* 13.
c. 4. *n.* 21.
c. 5. *n. eod.*
c. 6. *n.* 20.
c. 7. *cit. n.* 21.
c. 8. *n.* 3.
c. 9. *n.* 11.
c. 10. *n.* 5. *& aliquot seqq.*
c. 11. *n.* 23.
c. 12. *n.* 26.
c. 13. *n.* 1. *& 2.*
c. 14. *n.* 4.
c. 15. *n.* 15.
c. 16. *& ult. num.* 27. *& seq.*

In Sexto.

c. un. n. 20.

In Clementinis.

Clement. 1. *n.* 31. *& seq.*
Clement. 2. *n.* 16. *& duob. seqq.*
Extravag. unic. inter communes n. 14.

TITULUS II.
DE COHABITATIONE CLERICORUM, & Mulierum.

§. I. *An, & quatenus Clericis, cum Mulieribus cohabitare liceat, vel non?*

ASSERTIO I. Mulieres cum Clericis habitare non debent: nisi sint personæ valde conjunctæ, cujusmodi

di sunt, personæ conjunctæ in primo, aut secundo gradu consanguinitatis, *num.* 1. Ass. 2. Omnes fœminæ extraneæ prohibentur cohabitare cum Clericis, in Sacris constitutis, de quibus suspicio criminis esse potest, etiam valde conjunctæ, si periculum criminis subsit, *num.* 2. & 3. Ass. 3. Mulieres affines etiam in primo, & secundo gradu prohibentur cohabitare Clericis: excepto primo gradu affinitatis, v. g. Noverca, aut vxor fratris defuncti, *n.* 4. Ass. 4. Episcopus, aliique Sacerdotes, & Clerici possunt licitè cohabitare matri, aliisque mulieribus in primo, & secundo gradu, intra eandem domum, cum pedissequis: sed in distinctis cubiculis, *n.* 5.

§. II. *De pœnis, quæ Jure Canonico sunt statutæ in Clericos conversantes cum fœminis suspectis, vel in concubinarios.*

Assertio I. Si Clericus in Sacris constitutus de crimine fornicationis cum fœmina sit suspectus, & tertiò monitus, non desistat conversari cum ea, est excommunicandus, & fœmina canonicè punienda, *n.* 6. Ass. 2. Si Clerici concubinas, moniti, non dimittant, à Beneficijs suspendi, ac tandem omnino deponi debent, *num.* 7. Si Clerici, sive in Sacris, sive in inferioribus Ordinibus constituti, concubinas non dimittunt, Ecclesiis, seu Beneficijs priventur, & ab Officijs suspendantur, *nu.* 8. Si concubinarius Presbyter suspensus ab Officio Litteras Apostolicas testantes de absolutione impetret, eæ non valent, si facti seriem non contineant, *n.* 9. Ass. 3. Non debent Ordinarij cogere Clericos concubinarios ad jurandum, quòd concubinas deserere velint: sed eos per suspensionem, aut interdictum cogere, ut eas à se amoveant, & si nolint, eos potest excommunicare, *num.* 10. *& seq.* Ass. 4. Quomodo hodie secundùm Concilium Trident. procedi debeat contra Concubinarios, & puniri, *n.* 12. *& seq.*

§. III. *Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè concubinas habere dicuntur, sed negant se Concubinarios esse?*

Si crimen fornicationis ita sit notorium, & publicum, ut adsint vehementia indicia criminis, tum talis Clericus puniri potest, sine accusatore, & testibus, aliavè probatione. Si verò solùm sit publicum ex fama, tunc probatio per testes est necessaria, ad condemnandum reum: Quòd si verò solum suspectus sit de crimine, cum scandalo tamen, indicenda est ei purgatio, *n.* 14. *& seqq.*

§. IV. *An, & qualiter Sacerdos, aut Clericus concubinarius, seu fornicarius vitandus sit in Missis, & alijs Officijs Divinis?*

Assertio I. A notorio fornicario, aut concubinario non sunt audiendæ Missiæ, & Officia Divina, nec Sacramenta recipienda: ab occultis verò licitè audiuntur, & recipiuntur, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, *n.* 16. Ass. 2. Clericus concubinarius, vel fornicarius, non debet vitari in Officijs Divinis, nisi crimen ejus sit notorium, *n.* 17. Non quilibet notoriè criminosus Clericus est vitandus in Divinis Officijs: sed tantùm notorius concubinarius, vel fornicarius, qui est vitandus quoad se, & quoad alios, *n.* 18. Hodie tamen juxta *Extravag. Concilij Constantiensis, Ad evitanda*, non tenentur fideles abstinere à Sacerdotis Concubinarij etiam notorij Missa, cúmque vitare in Divinis Officijs, quamvis possint, si velint, *n.* 19.

§. V. *Proponuntur quæstiones quædam circa crimen notorium, quid, & quotuplex sit, & an probari debeat?*

Quid, & quotuplex sit notorium? quid notorium juris, & quid notorium facti? *n.* 20. Notorium facti est triplex, facti transeuntis, perseverantis, & interpolati, cui addunt aliqui notorium præsumptionis, *n.* 12. Quid sit occultum, prout opponitur notorio facti, *n.* 22. Quot testes requirantur, ad probandum notorium, *n.* 23.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 2. *&* 3.
c. 2. *n.* 6.
c. 3. *n.* 10. *& seq.*
c. 4. *n.* 7.
c. 5. *n.* 9.
c. 6. *n.* 8.
c. 7. *n.* 16.
c. 8. *n.* 14. *& seq.*
c. 9. *n.* 1.
c. 10. *& ult. n.* 17. *& seq.*

TITULUS IV.

DE CLERICIS CONJUGATIS.

§. I. *An Clerici conjugati ad Ordines, vel Beneficia Ecclesiastica promoveri possint?*

Assertio I. Non debent admitti, præterquam si quis perpetuam continentiam voverit, & unicam, eamque virginem uxorem duxerit, *n.* 1. *& 2.* Excipitur, nisi talis Clericus perpetuam continentiam voverit, *cit. n.* 1. Sed neque ad Ordines Minores talis Clericus promoveri potest, *n.* 2. Est etiam incapax cujuscùnque administrationis Ecclesiasticæ, *cit. num.* 2. Ass. 2. Clerici conjugati non debent etiam admitti ad Dignitates Ecclesiasticas, & cogendi sunt, ut eas, quas obtinent, dimittant. *n.* 3.

§. II. *An Clerici matrimonium contrahere, eóque contracto, Beneficia retinere possint?*

Assertio I. Clerici sacro Ordine initiati matrimonium contrahere non possunt: quòd si de facto matrimonium contrahere præsumpserint, ad dimittendas uxores per suspensionem, & excommunicationem compelli possunt, *nu.* 4. Ass. 2. Si Clerici in minoribus Ordinibus constituti de facto matrimonium contrahant, ad Beneficia Ecclesiastica per censuras Ecclesiasticas dimittenda, & uxores retinenda compelli possunt, & debent. *nu.* 5. idque appellatione remotâ. Beneficia verò collata Clerico conjugato ab Episcopo, non debent per ipsum, sed per Superiorem ejus, videlicet Papam, vel Metropolitanum ipsi auferri, *n.* 6. Quòd si verò Clerici conjugati in minoribus constituti priventur Beneficijs, quæ obtinent, id tamen quod Ecclesiis dederunt, ipsis restitui debet, *nu.* 7. 8. & 10. Clerici Orientales, seu Græci, in Minoribus Ordinibus constituti matrimonium contrahere, eóque uti possunt, etiam post Sacerdotium, *n.* 9. & filius Sacerdotis Græci ex legitimo matrimonio natus, ritu latino ordinari potest, nisi consuetudo Regionis obsistat, *cit. n.* 9.

§. III. *Utrum Clericus matrimonium contrahendo, amittat Beneficia obtenta, ipso jure, an verò solum per sententiam Judicis?*

Assertio I. Si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat, ipso jure vacant ejus Beneficia, ante sententiam Judicis, *num.* 11. *& seq.* Extenditur primò. Quòd per matrimonium contra-

ctum

ctum per verba de præsenti, etiamsi non fit consummatum, Clericus in Minoribus constitutus perdat Beneficium, *n.* 13. 2. Per matrimonium validum talis Clerici amittuntur insuper accessus, regressus, & alia Jura ad Beneficium competentia, *cit. nu.* 13. Tertiò, per matrimonium contractum à tali Clerico amittuntur etiam pensiones Ecclesiasticæ, titulo Clericali alicui collatæ, *cit. n.* 13. Non autem amittuntur Beneficia Clerici in Minoribus constituti per sponsalia de futuro, *n.* 14. Deducuntur ex dictis quædam corollaria, *n.* 15. Ass. 2. Si Clericus Beneficiatus in Minoribus constitutus, matrimonium invalidè contrahat, ob impedimentum aliquod, probabilius est, quòd Beneficia non vacent, ipso jure: sed ita contrahentem per sententiam Judicis Beneficio privandum esse, nisi cum ipso dispensetur, *nu.* 16. Ex dictis deducuntur quædam corolloria, *n.* 17. Ass. 3. Probabilius est, si Clericus in Sacris Ordinibus cõstitutus matrimoniũ invalidè contrahat, eum non privari Beneficijs, ipso jure, quamvis in pœnam privari posset à Judice per sententiam, *n.* 18. Solvũtur objectiones. *n.* 19.

§. IV. *An Episcopus possit dispensare cum Clericis conjugatis in Minoribus, ut possint obtinere Beneficium, vel cum Clericis in Sacris constitutis, qui uxores de facto duxerunt, ut Officia Sacrorum Ordinum iterum exercere possint?*

Assertio I. Episcopus non potest dispensare cum Clerico conjugato, quamvis unicam, eamque Virginem duxerit, & Clericalem habitum, ac Tonsuram ferens, Ecclesiæ alicui servire velit, ut Ecclesiasticum Beneficium obtineat, curatum, vel simplex: sed solus Papa id potest, *n.* 20. Ass. 2. Potest Episcopus dispensare cum Sacerdotibus, & alijs Clericis in Sacris constitutis, qui matrimonium contrahere præsumpserunt, ut post pœnitentiam, & vitam in continentia actam, Officijs suis restitui, eáque exercere possint, *n.* 21. Id verò intelligi debet de Sacerdotibus, aliísq; Clericis in Sacris, qui cum una, eáque virgine, matrimonium de facto contraxerunt, aut corruptâ, vel & cum duabus contraxerunt. *n.* 22.

§. V. *An, & quâ ratione Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, & conjugati gaudeant privilegijs Clericalibus, vel contrahendo matrimonium, illa perdant?*

Assertio I. Si in Minoribus constitutus matrimonium contrahat, tanquam Laicus censetur, ita ut privilegia Clericorum non participet. Et hinc Clericus uxoratus, etsi Tonsuram, & habitum Clericalem ferat, non gaudet privilegio Clericali adeóque ad ferendam Tonsuram, & habitum compelli non potest, *n.* 23. Deducuntur duo corollaria, *n.* 24. Similiter & quis in minore ætate constitutus Tonsuram Clericalem accepit, & postea miles factus est, non est cogendus, deferre habitum Clericalem, *n.* 25. & *n.* 26. Ass. 3. Clericus conjugatus, qui cum unica, eáque conjuge contraxit, si Tonsuram, & habitum Clericalem ferat, gaudet privilegio, *can. Si quis suadente*, ac etiã fori, ut scilicet non possit trahi ad Judicem sæcularem, nec apud ipsum, sive criminaliter, sive civiliter conveniri: alia verò privilegia, scilicet à solutione vectigalium, & aliorum tributorum, non habet talis Clericus: imò neque privilegia Canonis, & fori, si Tonsuram, & habitum Clericalem non gerat, *num.* 27. Quando Clericus conjugatus perdat privilegium fori, vel Canonis, propter bigamiam, *n.* 28. Quę cõditiones requirantur, ut Clericus conjugatus non amittat privilegia Clericalia, *n.* 28. An Clericus conjugatus, cum requisitis conditionibus, gaudeat privilegio fori, non tantùm in causis criminalibus: sed etiam in civilibus? *n.* 29. An Clericus in Minoribus, qui matrimonium contraxit cum unica virgine, & si habitum Clericalem, & Tonsuram deponat, in perpetuum amittat privilegia Clericalia, etiam Canonis, & fori: an verò ea recuperet, si Tonsuram, & habitum reassumat? *n.* 30. & 31. An Clericus cõjugatus, qui unam virginem duxit, & Tonsuram, ac habitum Clericalem ferens alicui Ecclesiæ servit, *juxta Decretum Concilij Trident.* amittat privilegium Canonis, & fori, si negotiationes sæculares exerceat? *n.* 32.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 4. & 5.
c. 2. *n.* 2.
c. 3. *n.* 3.
c. 4. *n.* 21. & 22.
c. 5. *n.* 6.
c. 6. *n.* 9.
c. 7. *n.* 23. & *seq.*
c. 8. *n.* 3.
c. 9. *n.* 26.
c. 10. & *ult. n.* 25.
c. un. in 6. *n.* 27. & *duob. seqq.*

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN Ecclesia, seu Præbenda.

Sect. I. *De Beneficiis residentiam postulantibus, & causis ab illa excusantibus, ac pœnis non residentium.*

§. I. *An omnia Beneficia personalem residentiam, sive assiduam Beneficiarij præsentiam requirant?*

Duplex est obligatio residendi, una solùm ad fructus lucrandos: altera ad præstandum servitium Ecclesiæ. Item duplex est residentia, una vera, & realis, si quis per seipsum exerceat Officium spirituale, propter quod datur Beneficium: altera ficta, quando absens à loco Beneficij pro præsente reputatur, vel per Vicariũ deservit, *n.* 2. Ass. 1. Episcopi, iísque Superiores, item Abbates, Præpositi, Parochi, & alij, qui Beneficia obtinent, quibus cura animarum annexa est, obligantur personaliter residere. Idémque de ijs, qui Ecclesiasticam Dignitatem, Personatum, Administrationem, vel Officium obtinent, *n.* 3. Ass. 3. Etiam Canonici, vel qui aliam præbendam habent in Ecclesiis Cathedralibus, ad residentiam personalem obligantur, *n.* 2. Privilegium non residendi, cõcessum Canonicis, revocãdum est, si Ecclesia patiatur defectum Ministrorum, *n.* 5. Secundùm Concil. Trident. Canonici, & alij Clerici non possunt ultra tres menses à suis Ecclesis abesse, quamvis id in multis Ecclesis non sit receptũ, *n.* 6. Ass. 3. De Jure communi, etiam omnia Beneficia simplicia ad personalem residentiam obligant, *n.* 7. Idque extenditur etiam ad Beneficium modicum, ac tenue, *n.* 8. & 9. Ass. 4. Episcopi quoque, & Prælati, qui non in titulum: sed in commendam, vel administrationem Ecclesias obtinent, in ijsdem residere debent. *n.* 10.

§. II. *Utrum Jure Divino, an humano solum Episcopi, aliique inferiores curati teneantur ad residentiam personalem?*

Affirmativa sententia verior, & comunior est, tam Theologorum, quàm Canonistarum, quòd Episcopi, Parochi, & omnes alij curam animarum habentes, ad personaliter residendũ, etiam ex Jure Divino sint obligati, *nu.* 11. Idque procedit, si præsentia Pastoris ad

salutem animarum sit necessaria: secus si saluti ovium, per alium æqnè idoneum provideri possit, tunc enim solum Jure humano obligantur, in quo Papa dispensare potest, *n.* 12.

§. III. *An per consuetudinem induci possit, ut Prælati aliique Clerici non teneantur personaliter residere in Ecclesiis, vel Beneficiis curatis, vel non curatis?*

Assertio I. Nullâ consuetudine immemoriali introduci potest, ut in Beneficijs curatis Rector non per se ipsum, nec per Vicarium resideat, *n.* 13. Ass. 2. potest tamen per consuetudinem, saltem immemmorialem, ex justa causta induci, ut Parochi, aliique curati non teneantur per se ipsos, sed per Vicarium perpetuũ, vel etiam temporalem residere, quidquid in contrarium dicant aliqui Dd. *n.* 14. Ass. 3. In Dignitatibus non curatis, & Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, potest per consuetudinem induci, ut nec per Vicarium, non constituto alio, qui loco ipsius deserviat, nec per se ipsum Canonicus resideat, dummodo non negligatur cultus Divinus, ob paucitatem Ministrorum, quamvis hujusmodi consuetudo sublata sit per Concil. Trid. *nu.* 15. Valet tamen consuetudo, quæ in plerisque Ecclesijs viget, ut personalis residentia in simplicibus Beneficijs non requiratur: sed etiam Clerici absentes fructus percipere possint, *n.* 16. Excipi debet, si consuetudo contra Jus commune inducta, ut simplices Beneficiati residere non teneantur, incipiat cedere in detrimentum Ecclesiæ; quia idoneis Ministris caret, potest per Episcopũ, cum consensu Capituli, talis consuetudo abrogari, *n.* 17.

§. IV. *An, ad breve & modicum tempus, Episcopi, vel Parochi ab Ecclesiis suis licitè abesse possint?*

Assertio I. Episcopi possunt, quot annis, continuè, vel interruptè à suis Ecclesis Cathedralibus, ad duos, vel ad summum, ad tres menses abesse, *num.* 18. Ass. 3. Parochi aliique Curati singulis annis, tempore bimestri abesse possunt, non ultra, nisi ex gravi causa, juxta Concil. Trid. *n.* 19. An, ad absentiam duorum mensium necesse sit, ut à Parochis licentia Episcopi impetretur, *n.* 18. Potest tamen Parochus, vel alius inferior curatus, sine licentia Episcopi, abesse ad modicum tempus, *n.* 21.

§. V. *De causis à continua residentia excusantibus.*

Quatuor sunt hujusmodi justæ causæ, Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ utilitas, juxta Trid. Concil. *n.* 22. Ubi etiam declaratur prima causa. Declaratur secunda causa, *n.* 23. Declaratur tertia causa, quòd Beneficiarij, qui Romæ in servitio Papæ sunt, habeãtur pro præsentibus, *n.* 24. *& seq.* Ad tertiã causam pertinet, quòd Canonici, qui existunt in servitio Episcopi, pro præsentibus habentur, *n.* 26. Similiter Episcopus potest habere duos Canonicos in servitio suo, qui etiam absentes percipiunt fructus, nõ obstante Ecclesię statuto, & juramẽto, *n.* 27. *& seq.* Etiã plures, quàm duo Canonici existentes in obsequio Episcopi pro præsentibus habentur, & quando non habeantur, *n.* 29. an etiam Canonici Ecclesię Collegiatę possint absentes fructus, ob servitium Episcopi percipere, *n.* 30. an etiam Prælati Episcopis inferiores possint absentes fructus percipere sui Beneficij, *n. eod.* an etiam Legatus Papæ possit cum eodem privilegio Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ assumere, *nu.* 31. Declaratur quarta causa absentiæ à continua residentia, *n.* 33.

§. VI. *An, & quâ ratione Clerici possint abesse à suis Ecclesiis, vel Beneficiis ob causam Studiorum?*

Assertio I. Beneficiarij, etiam Curati, possunt quinque annis in Universitate aliqua Theologiæ, vel Juri Canonico studere, & quamdiu voluerint, docere, & interim fructus Beneficiorum in absentia integrè percipere, *n.* 34. Et possunt Episcopi cum obtinentibus Ecclesias Parochiales, causâ studiorum, dispensare ad septennium in quacúnque facultate, etiam Grammatica, *n.* 35. requiritur tamen licentia Episcopi petita, & obtenta, *n. eod.* quæ facultas etiam locum habet in obtinẽtibus simplicia Beneficia, & quid secundùm Jus Conc. Trid. *n.* 36. Ass. 2. Canonici, vel Beneficiati non gaudent dicto privilegio, si ad Villas, vel Castella, in quibus nullum congruum est studiorum exercitium, se conferant, *n.* 37. Non tamen, ut gaudeant dicto privilegio, requiritur, ut in celebri Universitate studeãt, sed satis est, si in loco, etiam extra Civitatem, ubi competens est studiorum exercitium, studeant, *n.* 38.

§. VII. *De alijs quibusdam causis, de quibus dubitatur, an excusent à residentia.*

Quætitur primò. An justa causa sit non residendi, si Episcopus versetur in curia Romana, & Officium gerat, v. g. Vicecancellarij? Resp. affirmativè. Imò etiam abesse potest Episcopus, cum licentia Papæ, ut Officium gerat in Curia Regis, vel sæcularis Principis, *n.* 39. Cardinalis Episcopus factus excusatur ab obligatione residendi, si ejus præsentia in Curia Romana sit necessaria: Excipiuntur Episcopatus Romæ vicini, *n.* 39. Aliàs verò etiam Cardinales ordinariè tenentur residere in Ecclesia sui Tituli, *n.* 40. Quæ. 2. An sit sufficiens causa si Parochus ultra duos menses, adeóque ad longum tempus absit, ut gerat v. g. Officium Vicarij Generalis, vel Visitatoris. Resp. ob gravem causam posse, *n.* 41.

§. VIII. *Quis possit dare facultatem non residendi, & ab Ecclesia, aut loco Beneficij discedendi?*

Solus Papa potest licentiam dare, non residendi Episcopis, & ijs, qui Dignitatem, vel Beneficium curatum obtinent, ad longum tempus, aut etiam in perpetuum, non tamen potest sine causa, *n.* 43. Episcopi licentiam dare possunt Parochis, aliisque curatis, non residendi ex justa causa, ad breve tempus, *n. eod.* Si statutum Diœcesanum obliget ad personalem residentiam, Episcopus in eo dispẽsare potest: imò etiam Capitulum in similis statuto ab ipso condito, *n.* 43. Etiam inferiores Prælati habentes jurisdictionẽ ordinariam possunt Clericis sibi subjectis dare hanc facultatem ad tempus aliquod, *n. eod.*

§. IX. *Quomodo intelligendum sit juramentum præstitum de continua residentia?*

Is, qui juravit, quòd in Ecclesia sua residere velit, sed postea se absentet, ad jura Ecclesiæ suæ defendenda, est perjurus, sed pro residente haberi debet, *num.* 44. *& seq.* solvitur objectio, *n.* 46.

§. X. *Quæ pœnæ Jure antiquo Canonico decreta fuerint in Beneficiarios non residentes?*

Inprimis si habenti unum Beneficium curatum, vel dignitatem, alterum collatum fuit, & qui accepit, illud amittit, & qui contulit, conferendi potestate privatur, *num.* 47. Non est autem privatus ipso facto: sed privandus per sententiam Judicis, *n. eod.* Secundò Clerici præsentati ad Ecclesias, vel ad Beneficia, si possint residere, & nolint, non debent admitti

& ad

& admiſſi, ſunaremovendi, non obſtante appellatione, niſi abſint de licentia Superioris, ob ſtudium, vel alias honeſtas cauſas, *nu.* 48. Unde patet, quòd ad hoc, ut Beneficiatus abeſſe poſſit ab Eccleſia, vel Beneficio, duo requiruntur, licentia Prælati, & juſta cauſa, *n.* 49. Tertiò, Prælatus, vel alius Clericus, qui ab Eccleſia, vel Beneficio reſidentiam poſtulante diu abfuit, ſi citatus non redeat, puniendus eſt, *n.* 50. Hoc caſu non requiritur trina citatio abſentis, neque privatio per ſententiam: ſed ipſo facto Beneficium abſenti auferri poteſt, *num.* 51. Capitulum Prælatum illegitimè abſentem poteſt quidem monere, ut redeat, non tamen privare Beneficio, *num. eod.* Quartò, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, qui propriâ auctoritate receſſit ab Eccleſia ſua, ſi admonitus non redeat, poteſt privari eâ, *n.* 52. & 53. Capitulum non poteſt citare Epiſcopum abſentem, *cit. n.* 53. Tres ſunt modi, quibus Clericus Beneficio ſuo renunciare cenſetur, *num. eod* Quintò, Clerici habentes Eccleſias, vel præbendas, ſi ſint ſine juſta cauſa, & neceſſaria abſentes, & citati intra certum tempus præfixum non veniant, eis juſtè privari poſſunt, niſi juſto impedimento ſint detenti, *num.* 54. Quòd ſi abſens Clericus perſonaliter citari non poſſit per Edictum trinæ citationis publicum, debet expectari per tres menſes, antequam privetur Beneficio, *num.* 58. Poteſt etiam contra Clericos non reſidentes, & fraudulenter ſe abſentantes, procedi per cenſuram ſuſpenſionis, & excommunicationis, *num.* 59. & *ſeq.* Septimò, ſi Clerici obtinentes Beneficia, quæ perſonalem reſidentiam requirunt, ad aliam Diœceſim tranſeant, abſque licentia Ordinarij ſui, & moniti non redeant, poſſunt ijs privari, niſi rationabilem excuſationem afferant, *n.* 61. cum licentia tamen Ordinarij poſſunt tranſire, vel niſi tranſeant ad breve tempus: *n.* 62.

§. XI. *De pœnis, quæ novo Jure Concilij Tridentini ſtatutæ ſunt in Clericos illegitimè abſentes à ſuis Eccleſiis, vel Beneficijs.*

Quæ pœnæ ſtatutæ ſint in Epiſcopos, iiſque Superiores illegitimè abſentes à ſui Eccleſiis: tum etiam in Parochos, aliòſque Curatos inferiores, *in c.* 1. *Seſſ.* 6. & *Seſſ.* 23. *c.* 1. *de reform. n.* 63. circa quæ Decreta quædam ſunt notanda, *n.* 74. Quæ pœnæ decretæ in eos, qui Dignitates, Canonicatus, vel præbendas obtinent in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, & ſine legitima cauſa abſunt. *n.* 75.

§. XII. *An, & qualiter liceat Epiſcopo à ſuo Epiſcopatu tranſire ad alium, vel Clerico ab una Diœceſi ad aliam?*

Nullus Epiſcopus, de ſua Eccleſia tranſire poteſt ad aliam, propriâ auctoritate, & ſine licentia Papæ, alioquin utroque privabitur, *n.* 76. nec Clericus ex aliena Diœceſi veniens, abſque commendatitijs litteris proprij Epiſcopi recipi debet, niſi mandatum Sedis Apoſtolicæ ab eo exhibeatur, *n.* 77. Sed hæc aliò pertinent.

SECTIO II. *De diſtributionibus quotidianis.*

§. I. *Quæ ſint: & dicantur diſtributiones quotidianæ?*

ASSERTIO I. Diſtributiones ſunt duplicis generis, quædam non diſtinguuntur à præbendis: ſed harum vice funguntur: quædam ſunt ſeparatæ, ac diſtinctæ à præbendis, *nu.* 78. Appellatione fructuum Beneficij ordinariè non comprehenduntur diſtributiones quotidianæ, *n.* 79. Aſſ. 2. ex quibus bonis diſtributiones quotidianæ deduci debeant, declaravit *Concilium Trident. Seſſ.* 21. *c.* 3. *de reform. n.* 80.

§. II. *Quibus diſtributiones quotidianæ dari debeant, & ex quibus cauſis, etiam abſentes illas percipere poſſint?*

ASSERTIO I. Jus percipiendi diſtributiones quotidianas competit Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum, ac etiam alijs Clericis Beneficiarijs earundem, qui in Eccleſiis ſuis non tantùm reſident: ſed etiam Divinis Officijs, quibus debent horis, interſunt, *num.* 81. Qui in loco, ubi eſt Beneficium, aſſiduè commoratur, habetur quidem pro reſidente: non tamen lucratur diſtributiones quotidianas, ſi ſtatis horis Divinis Officijs non interſit, *n.* 82. Deducuntur corollaria, *n.* 33. An valeat conſuetudo, vel ſtatutum, ut Canonici percipiant diſtributiones quotidianas, cum legitimè abſentes ſunt, *n.* 84. Aſſ. 2. Sunt tamen plures caſus excepti, ſeu cauſæ, ob quas diſtributiones quotidianæ etiam abſentibus dari poſſunt, veluti primò infirmitas, *n.* 86. Secundò, corporalis neceſſitas, *n.* 87 & *duob. ſeqq.* Tertiò, evidens Eccleſiæ utilitas, *nu.* 90. Aliæ exceptiones ponuntur, *n.* 91. ſolvuntur objectiones, *n.* 92. & *ſeq.* afferuntur aliæ exceptiones, *num.* 94 & 95. qui præter caſus Jure exceptos, non interſunt Divinis Officijs, dominium diſtributionum non acquirunt, nec illas ſuas faciunt: ſed reſtituere tenentur, *n.* 96. Et hæc etiam decreta ſunt de diſtributionibus, quæ dantur in aniverſarijs defunctorum. *n.* 97.

§. III. *Aliæ quædam quæſtiones circa diſtributiones quotidianas proponuntur, & reſolvuntur.*

Quæritur 1. Pro quibus locis debeant aſſignari diſtributiones quotidianæ? *n.* 98. Quæritur 2. An ad hoc, ut Canonici quotidianas diſtributiones lucrentur, requiratur, ut non ſolùm Divinis Officijs interſint, ſed etiam ut ipſimet pſallant? *n.* 99. Quæritur 3. An, qui in eadem Eccleſia duo Beneficia habet, ſimplices tantùm, an duplices diſtributiones recipere debeat, *n.* 100. Quær. 4. An diſtributiones quotidianæ, quas Canonici ob abſentiam amittunt, alijs præſentibus accreſcant, *n.* 101. Quær. 5. An Canonici abſentes diſtributiones quotidianas, quas propter abſentiam non lucrantur, tutâ conſcientiâ, accipere, & retinere poſſint, ſi eas ipſis reliqui præſentes remittant, quibus alias accreviſſent, *n.* 102.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 76.
c. 2. *n.* 40.
c. 3. *n.* 3.
c. 4. *n.* 48. & *ſeq.*
c. 5. *n.* 77.
c. 6. *n.* 8. & 9.
c. 7. *n.* 26.
c. 8. *n.* 50. & *ſeq.*
c. 9. *n.* 52. & 53.
c. 10. *n.* 54. & 55.
c. 11. *in princ. num.* 56. & *duob. ſeqq.* & §. *contra eos*, *n.* 59. & *ſeq.*
c. 12. *n.* 37. & *ſeq.*
c. 13. *n.* 44. & *ſeq.*
c. 14. *n.* 24. & *ſeq.*
c. 15. *n.* 27. & 28.
c. 16. *n.* 4. & 5.
c. 17. & *ult. num.* 61. & 62.

IN SEXTO.

c. unic. num. 81. & *tribus ſeqq.* & § *Qui verò, nu.* 85. & 6. *ſeqq.*

TITVLVS V.

DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.

Aliud est Canonia, aliud Præbenda; quid sit Canonia, & quid Præbenda? accipitur verò hic Præbenda pro omni Beneficio Ecclesiastico, saltem inferiore, *num.* 1.

SECTIO I. *De Beneficiis, seu Præbendis in communi, & de necessaria sustentatione vitæ Clericorum.*

§. I. *Quid sit Præbenda, seu Beneficium Ecclesiasticum?*

Præbenda, seu Beneficium Ecclesiasticum est jus perpetuum, percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod servitium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum. Tria autem sunt distinguenda in Beneficio Ecclesiastico: Primum est, ipsum officium, seu obligatio, ad obeundam spiritualem aliquam functionem: Secundum est, jus percipiendi reditus ex bonis Ecclesiasticis, ob tale Beneficium: Tertium, sunt ipsi fructus ex bonis Ecclesiasticis, *n.* 2. Explicatur definitio Beneficij, *n.* 3. *& seqq. usque ad* 7. inclusivè.

§. II. *De divisione, seu distinctione Beneficiorum?*

Variè dividuntur Beneficia; nam primò alia sunt sæcularia, alia regularia, *num.* 8. Secundò dividuntur Beneficia, tum sæcularia, tum regularia, in duplicia, & simplicia: Inter duplicia quædam sunt majora, ut Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Episcoparus, *n.* 9. Alia sunt media, ut Dignitates, Personatus & officia, *n.* 10. quid sit Dignitas, quid Personatus, quid officium, *cit. n.* 10. Inter Beneficia duplicia numerantur etiam Beneficia curata, eaque sunt duplicis generis; vel enim curam animarum, sive jurisdictionem spiritualem annexam habent in foro externo, vel in foro interno conscientiæ tantùm: alia verò sunt Beneficia duplicia, & curata minora, ut Parochia, *n.* 11. Quod verò ad Beneficia simplicia attinet, simplex Beneficium dicitur, quod nullam jurisdictionem, neque in foro externo, neque pœnitentiæ habet, nec administrationem; sed solùm obligationem divina officia celebrandi, quale est Canonicatus, Commenda perpetua, Capellania &c. *n.* 12. Beneficia regularia quoque dividuntur in duplicia & simplicia, *n.* 13. Tertiò dividuntur Beneficia in manualia, & non manualia: hæc sunt, quæ in Titulum conferuntur irrevocabiliter: manualia sunt, quæ in Titulum conferuntur revocabiliter, *num.* 14. *&* 15. Quartò, alia Beneficia sunt collativa, alia electiva, alia patronata, quæ ad præsentationem Patroni conferuntur ab Episcopo, vel Prælato, *n.* 16.

§. III. *De sustentatione necessaria assignanda Clericis, & inprimis, an, & qualis Titulus sustentationis requiratur, ad suscipiendos Ordines?*

Quatuor tempora distingui debent, quibus diversimodè providebatur Clericis de necessaria sustentatione, *n.* 17. Ass. 1. Non licet ulli Episcopo ordinare Clericos, nisi eis alimenta, & sustentationem vitæ provideat, vel det illis, unde vivere possint, *num.* 18. imò etiam olim minores Ordines conferre non licebat Clericis, sine titulo necessariæ sustentationis; sed hodierno jure tantùm ad Ordines sacros titulus sustentationis requiritur, *n.* 19. Ass. 2. Si Episcopus alicui Ordinem sacrum conferat, ipsemet necessariam sustentationem ei ministrare debet, donec ei in aliqua Ecclesia competens stipendium assignet, vel nisi ipse Ordinatus habeat ex sua, vel paterna hæreditate, unde vivat, *n.* 20. Idque procedit etiam, si Episcopus aliquem in Subdiaconum ordinaverit, *num.* 21. Clerici licitè vivunt de reditibus Ecclesiæ, etiamsi patrimonia habeant, *n. eod.* potest quis ordinari, sine titulo Ecclesiastico, si habeat de suo, unde honestè vivere possit, *cit. n.* 21. Imò non tantùm Episcopus conferens alicui Ordinem sacrum, nemine præsentante; sed etiam ejus Successor compelli potest, ut sit Ordinato sine titulo necessaria subministret, donec illi provideatur de Beneficio, *n.* 22. *&* *n.* 23. quòd si Ordinatus sine titulo fuit ab alio præsentatus, non tenetur Episcopus ordinans illi providere de alimentis necessarijs, sed qui præsentavit, *cit. n.* 23. Si Episcopus ordinavit aliquem ad titulum Beneficij, alteri debitum, & illud postea evincatur ab eo, ad quem pertinebat, non tenetur Episcopus providere de alio Beneficio ipsi Ordinato, si eum ordinavit, nesciens Beneficium alteri esse debitum, *n.* 24. Ordinati ad sacros Ordines sine titulo, non sunt suspensi ab executione Ordinum, *cit. num.* 24. Ass. 4. Clerici in Minoribus constituti, & non beneficiati, si habeant bona patrimonialia, ex quibus congruè ali possint, etiam ad Ordines sacros promoveri possunt, si aliud impedimentum non obstet, *n.* 25. sed patrimonium habentes hodie ordinari non possunt, nisi eo modo, quo decernitur *à Concil. Trid. n.* 26. Ass. 5. Si Episcopus proprius loci alteri Episcopo det generalem licentiam ordinandi suos, & ille ordinet non habentem titulum, tenetur huic Ordinans ministrare necessaria vitæ, donec obtineat Beneficium: si verò Episcopus proprius licentiam dedit, ordinandi alteri certas personas, nominatim expressas, & hic contulit sacrum Ordinem non habenti titulum, non Ordinans: sed Episcopus proprius tenetur Ordinatum alere, *num.* 27. *& seq.*

§. IV. *An Canonicis debeatur Præbenda, seu Beneficium, tanquam congrua sustentatio?*

Quamvis possit quis in Canonicum recipi, ita ut non habeat Præbendam, nec fructus Beneficij statim percipiat, debet tamen ei conferri Præbenda Canonicalis, quàm primùm poterit, *num.* 29. Recepto in Canonicum, cum stallo in Choro, assignari debet Præbenda, & interim debet percipere distributiones quotidianas, *n.* 30. Conciliantur inter se duo Capitula, *n.* 31. quæ observanda sint circa receptionem Canonici sine Præbenda, *n.* 32. *&* 33.

§. V. *Qualis sustentatio necessaria assignari debeat Parochis, aliisque Beneficiatis curatis?*

Quænam pertineant ad honestam & decentem vitæ sustentationem Clericis debitam, *n.* 34. Asser. 1. Parochis debet ex reditibus suarum Ecclesiarum congrua, ac sufficiens sustentatio & portio assignari, unde vivant, non obstante quâcùnque consuetudine, *n.* 35. *&* 36. Eadem congrua sustentatio debetur Vicarijs perpetuis, *n.* 37. Parochi tenentur personaliter residere, & non per Vicarios, *n.* 38. quænam notanda sint circa residentiam Parochorum, *num.* 39. Ass. 2. Non possunt Prælati Regulares Parochias dividere, nec reditus Capellarum ipsis incorporatarum auferre, aut minuere, ita ut per hoc portiones Parochis minuantur, aut portiones Capellanis ad vitæ necessa-

cessariam sustentationem assignatæ, *num.* 40. & 41. Ass. 3. Quando Monachi Vicarios in Ecclesijs Monasterijs suis incorporatis Episcopo præsentant, is non debet illos admittere, nisi eis reditus sufficientes assignentur, ut jura Episcopalia solvere, & congruam sustentationem habere possint, & hospitalitatem exercere, *n.* 42. & *duobus seqq.* Idémque extenditur etiam ad Religiosos exemptos, *n.* 45. & 46. Episcopus, aliúsque Prælatus non potest ex Præbendis Beneficiorum, vel alijs bonis Ecclesiasticis, quæ data sunt pro communi utilitate, ad proprios usus convertere, *n.* 47. Appellatione fructuum Præbendæ, qui spectant ad sustentationem Beneficiati, non continentur distributiones quotidianæ, *n.* 48. & 49.

SECTIO II. *De modis acquirendi Beneficia Ecclesiastica, & modo observando in eorum collatione.*

§. I. *Quot, & quibus modis acquirantur Beneficia, tum in genere, tum in specie?*

ASSERT. I. Beneficia acquiruntur, vel justè per canonicam institutionem latè sumptam: vel injustè: quando acquirantur sine canonica institutione, *n.* 50. Hinc ille injustè & non canonicè obtinet Beneficium, qui jure consanguinitatis in illud succedit, *n.* 51. Non solùm autem prohibita est successio in Beneficijs Ecclesiasticis, sive ab intestato, sive ex Testamento: sed etiam pactum, de succedendo alteri in Beneficio, post mortem ejus, & quidquid speciem, seu similitudinem talis successionis habet, *n.* 52. Assert. 2. Tribus modis in specie acquiruntur Beneficia Ecclesiastica, electione, ac postulatione: præsentatione, & collatione, eâque vel liberâ, quæ liberè fieri solet: vel necessariâ, quæ institutio dicitur, & fit præcedente præsentatione, vel nominatione, *n.* 53.

§. II. *An, & quale jus per collationem alicui factam acquiratur in Beneficio, sive post, sive etiam ante acceptationem ejusdem?*

Si Episcopus conferat Beneficium Titio absenti, licèt non acquirat jus in Beneficio, priusquam illud acceptet: non tamen potest Episcopus illud alteri conferre, nisi Titius acceptare nolit, alioquin collatio est irrita. Sed si Episcopus collationem Beneficij Titio notificet, præfixo termino consentiendi, eo elapso, si Titius non consensit, poterit Episcopus illud alteri conferre. Verùm priusquam Episcopus illud actu contulit, potest Titius, etiam post elapsum terminum, Beneficium acceptare; & tum Episcopus non potest ampliùs conferre, *num.* 54. Beneficiarius, post acceptationem Beneficij sibi collati, etiam ante apprehensionem possessionis acquisivit jus in re, & quasi dominium illius, *n.* 55. Nec potest Episcopus ante consensum, vel dissensum Titij illud conferre; quia ille habet jus ad Beneficium, scilicet jus ad rem, *n. eod.* Si is, cui collatum est Beneficium, intra terminum ei præfixum, non declaret voluntatem suam, poterit illud, eo elapso, conferri alteri, *n.* 56. Potest Beneficium acceptari, non tantùm ab eo, cui collatum est: sed etiam ab alio ejus nomine, *n. eod.* quando præterea jus in re non acquiratur alicui, donec rem, vel gratiam acceptârit, *n.* 57.

§. III. *Ad quid teneatur, qui scienter contulit alicui ignoranti Beneficium, quod conferre non poterat?*

Qui confert alicui Beneficium, quod scit, se conferre non posse, tenetur, cùm primùm potest, aliud Beneficium vacans, vel proximè vacaturum, postquam vacaverit, eidem conferre, ita, ut si illud ei non conferat: sed alteri, collatio fit irrita, *n.* 58. & 59. solvitur objectio, *n. eod.*

§. IV. *Quomodo Beneficia conferri possint, & an etiam sub conditione, vel modo?*

ASSERTIO I. Beneficia Ecclesiastica debent conferri gratis, liberè, non per vim, vel metum: non subreptitiè, non clandestinè, & occultè, vacans in perpetuum, vel saltem ad certum & determinatum tempus, *n.* 60. non debet etiam collatio fieri disjunctivè, v. g. confero Petro, vel Paulo, neque etiam unum Beneficium potest conferri simul, & conjunctim duobus, *num.* 61. Beneficium etsi sine scriptura validè conferri potest, eadem tamen necessaria est ad probationem, *n.* 62. Ass. 2. Non potest Beneficium conferri sub conditione de futuro: sed irrita est talis collatio, *n.* 63. neque etiam valet collatio Beneficij facta sub conditione de præsenti, vel de futuro, sed impertinente, v. g. si pater tuus vivit, *n.* 64. Assert. 3. Collatio Beneficij facta sub modo, qui de jure inest, valida est, v. g. confero tibi Parochiam, ita tamen, ut intra annum obligatus sis, suscipere Sacerdotium, *num.* 65.

§. V. *An posit Beneficio novum onus imponi in collatione ejusdem?*

ASSERTIO I. Potest Episcopus, cum consensu Capituli, Beneficio vacanti, ex justa causa, onus licitum, aut honestum imponere, ita, ut tale Beneficium cum eo onere ad quemvis possessorem transeat, *n.* 66. Et possunt Prælati etiam inferiores Episcopo tale onus imponere, cum consensu Episcopi, *num.* 67. quomodo intelligendum sit onus, quotidie celebrandi Missam, impositum sive personæ, sive loco, *cit. n.* 67. Non valet Statutum Præpositi, vel Capituli, ut Beneficiarius renunciet Præbendæ suæ, sine consensu Episcopi, *cit. n.* 67. Ass. 2. Tale onus non potest imponi personæ, cui confertur Beneficium, per modum adjectæ conditionis, modi, vel pacti &c. *n.* 68. id tamen limitatur, *ibid.* Ass. 3. Si duo electi ad Dignitatem aliquam, vel Beneficium uterque simul compromittat in eundem Judicem, potest is pro bono pacis, uni assignare Dignitatem, vel Beneficium cum onere, ut ex proventibus ejusdem alteri parti solvat annuam pensionem, ita tamen, ut non sit onus reale impositum ipsi Beneficio: sed tantùm personale impositum personæ Beneficiarij, quod ad Successores non transit, *n.* 69. Idque declaratur, *n.* 70.

§. VI. *An ad collationem Beneficiorum, quorum provisio ad Capitulum spectat, sint etiam vocandi Capitulares absentes?*

ASSERTIO I. Quando Canonici in Ecclesia sunt recipiendi, vel Beneficia conferenda, absentes Canonici, si id commodè fieri potest, vocandi sunt, nisi contraria sit consuetudo: alioquin ubi talis consuetudo non est, omnia, quæ in eorum absentia facta sunt, si petant, revocanda sunt, *n.* 71. & 72. Ass. 2. Si receptio Canonici, vel collatio Canonicatûs aut alterius Beneficij, non libera: sed necessaria sit, quia à Capitulo fieri debet ex mandato Superioris, tum non requiritur, ut vocentur absentes: sed sufficit, si duæ partes, vel major pars Capituli congregati Beneficium conferat, *n.* 73. ubi tamen distinguendum est, de quo *cit. n.* 73. *in fine.*

SECT. III. *Quibus Jus, seu potestas conferendi Beneficia Ecclesiastica competat?*

§. I. *Quam potestatem habeat S. Pontifex in conferendis Beneficijs, & quibus modis ea conferre possit?*

ASSERTIO I. Papa est universalis Collator omnium Beneficiorum, qui potest omnia Beneficia conferre in toto Orbe terrarum, etiam non vacantia; quia est Supremus Dispensator omnium bonorum Ecclesiasticorum, *n.* 74. Ass. 2. Tribus modis potissimùm potest Papa, ac solet conferre Beneficia Ecclesiastica. Primò, Jure præventionis, cùm antequam ordinarius Collator cõferat, ipse mandat, provideri alicui de Beneficicio vacante, vel proximè vacaturo, *nu.* 75. Quia licèt Papa alicui concedat potestatem conferendi Beneficium, per hoc tamen ipse non se privat eadem potestate, *nu.* 76. Ubi plures rationes afferuntur. Delegatio conferendi Beneficia per speciale mandatum Papæ revocatur, & tollitur, quamvis revocatio non pervenerit in notitiam ejus, à quo revocatum est mandatum, *n.* 77. Ass. 3. Secundus modus, quo Papa conferre potest Beneficia, est jus concursûs; quia in Beneficijs conferendis concurrit cum alijs Inferioribus, ita, ut inter illos, & Papam præventioni sit locus, *n.* 78. Idque declaratur *n.* 79. & 80. Unde receptus in Canonicum auctoritate Papæ, præferendus est in præbenda alijs receptis, etiam auctoritate Legati Apostolici; quòd si Legatus habet speciale mandatum, recipiendi aliquem in Canonicum, tunc dicitur receptus auctoritate Apostolicâ, & præfertur etiam priùs receptis, *num.* 82. & 83. Tertius modus, quo Papa conferre Beneficia potest, est Jus devolutionis, de quo infra.

§. II. *An, & qualem potestatem conferendi Beneficia habeant Episcopi, aliique inferiores Collatores?*

ASSERTIO I. De Jure communi, institutio & destitutio Beneficiorum in tota Diœcesi pertinet ad Episcopum, *n.* 84. An, & quænam Beneficia conferre possit Episcopus, vel solus, vel cùm Capitulo, & quæ Capitulum Jure communi, *n.* 85. Prælati inferiores Episcopo, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent, possunt conferre Beneficia, & in ijs instituere, ac destituere: imò etiam alij Prælati ex consuetudine, vel privilegio Papæ, *n.* 86. Potest Episcopus electus, & confirmatus, etiam ante consecrationem conferre Beneficia, *n.* 87.

§. III. *Quinam præterea Beneficia conferre possint, vel non possint?*

Quæritur. 1. An qui est in quasi possessione juris conferendi Beneficia, bonâ fide possit ea conferre, licèt penes eum non sit proprietas *num.* 88. Quær. 2. An sequester constitutus rei litigiosæ, cui annexum est jus conferendi Beneficia, lite pendente, ea conferre possit? *n.* 89. Quær. 3. An potestas conferendi Beneficia competere possit Laicis, *n.* 90.

SECT. IV. *De ijs, quibus Beneficia conferri possint, & debent.*

§. I. *An, & quâ ratione Beneficium Ecclesiasticum nonnisi dignis, & idoneis sint conferenda, & de pœna illa conferentium indignis?*

Ad Beneficia, prætermissis indignis, solùm idonei assumendi sunt, qui velint, & possint gratum servitium DEO impendere, alioquin, si Episcopus post primam, & secundam monitionem, Beneficia confert indignis, suspendi debet à Beneficijs conferendis, aliáque persona idonea ei substitui, quæ interim cõferat. Idémq; circa Capitula, quæ in hoc delinquũt, servandum est. Si verò ipse Metropolitanus in hoc delinquat, Superiori suo, scilicet Papæ, vel Patriarchæ denunciandus est, & ejus arbitrio relinquatur. Hanc autem sententiam suspensionis nemo relaxare potest, nisi Papa, & proprius Patriarcha, *n.* 91. & *n.* 92. Nunquam, per se loquendo, licitum est, indignis conferre Beneficia, si digni, & idonei haberi possint, *n.* 93. Si verò hi reperiri non possint in Regione aliqua, aliunde idonei advocandi sunt, etiam Regulares, si Sæculares haberi non possint, vel plures Parochiæ uni idoneo committantur: denique etiam necessitate cogente, digni quandóque assumi poterunt, ad majora mala impedienda. *n.* 94.

§. II. *An licitum sit, conferre Beneficia dignis, & idoneis, prætermissis dignioribus, vel dignissimis?*

ASSERTIO I. Illicitum est, & peccatum, conferre Beneficia curata minùs digno, prætermisso notabiliter digniore, *n.* 95. at verò, conferre Beneficia non curata, & simplicia minùs digno, prætermisso digniore, non est peccatum, saltem grave, dummodo ei, qui verè dignus est, conferatur, *num.* 96. Assert. 3. Conferens Beneficium, sive curatum, sive simplex, præterito digniore, vel etiam dignissimo, non tenetur ad restitutionem, neque dignioti, neque Ecclesiæ: modò verè sit idoneus, *n.* 97. Quænam præterea notanda sint, circa obligationem conferendi Beneficia dignioribus? *n.* 98: De examine instituendo per concursum, *juxta Concil. Trident. n.* 99.

§. III. *Quænam qualitates, seu conditiones requirantur in ijs, quibus Beneficia Ecclesiastica conferuntur?*

Plures requiruntur, veluti primò, ut quis sit ex legitimo matrimonio natus. Secundò, Legitima, & conveniens ætas, *n.* 100. & 101. Tertiò, Clericatus, item Ordo, sive major, sive minor, pro varietate Beneficiorum; nam Beneficiatus debet esse Clericus, saltem primâ tonsura initiatus, *nu.* 102. Unde si Papa mandet, alicui provideri de Beneficio etiam curato, & providendus non habeat Ordinem requisitum, potest ei conferri etiam Beneficium curatum, ita tamen, ut provisus recipiat Ordines, quos Beneficium requirit, proximis à Jure statutis temporibus, *nu.* 103. & *nu.* 104. Quartò requiritur, ut promovendus ad Beneficium, nullâ censurâ Ecclesiasticâ sit ligatus, non criminosus, aut infamis: item vitæ, ac morum honestas, seu probitas, scientia debita, & competens pro qualitate Beneficij: & Cœlibatus, sive ut non sit conjugatus, *n.* 105. Denique requiritur etiam ad obtinendum Beneficium intentio Statûs Ecclesiastici, quæ autem, & qualis sit necessaria, traditur *num.* 106. & *duob. seqq.*

§. IV. *De alijs duabus conditionibus, an ea necessarò requirantur, vel requiri possint, ad obtinenda Beneficia?*

Quæritur 1. An Beneficium alicui conferri non possit, nisi sit præsens? *nu.* 109. & *n.* 110. Quær. 2. An per consuetudinem induci, vel per statutum decerni possit, ut soli Nobiles, & Illustres, exclusis ignobilibus, admittantur ad Dignitates, & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis? *num.* 111. & *duob. seqq.*

§. V.

§. V. *An, & quando sæcularia Beneficia conferri possint Regularibus, & Regularia Sæcularibus?*

Regula generalis est, quòd Beneficia sæcularia sæcularibus, & regularia Regularibus sint conferenda, *n.* 114. Unde si Papa mandat alicui provideri de Beneficio consueto assignari Clericis sæcularibus, debet intelligi de eo Beneficio, quod Clerici sæculares pacificè, & continuè possederunt, ita, ut compleverint legitimam præscriptionem. Si verò Papa mandat, ut Cleirco sæculari provideatur de Prioratu, non potest illi provideri de Prioratu solito gubernari per Regulares, si id in mandato exprimatur, *cit. n.* 114. & 115, Limitatur prædicta regula, *nu.* 116. & pluribus seqq. usque ad 119. & inclusivè. Referuntur plures conditiones requisitæ ut ex Beneficio sæculari fiat regulare, vel vice versâ, ex regulari sæculare, *n.* 120. & *duob seqq.* an Novitijs Religionum conferri possint Beneficia regularia, vel sæcularia, *n.* 123.

Sect. V. *De pluralitate Beneficiorum compatibilium, sæcularium, & regularium.*

§. I. *An licitum sit, plura Beneficia simul obtinere, & retinere, ac qualia?*

Habere simul plura Beneficia Ecclesiastica, non est intrinsecè malum: sed quod speciē mali habet, ita tamē, ut cōcurrentibus circūstantijs, cohonestari possit. Beneficia alia sunt incōpatibilia, alia cōpatibilia, & rursum alia simpliciter incōpatibilia, alia incōpatibilia secundùm quid, quæ simul retineri nō possunt, sine dispensatione: quædam uniformia sub eodem tecto, *n.* 124. Ass. 1. Non potest quis ordinariè obtinere, & retinere duo, aut plura Beneficia, etiam simplicia, & quæ continuam residentiam non postulant, quando unum ad honestam sustentationem sufficit, *n.* 125. Multæ sunt causæ, ob quas prohibetur quis obtinere plura Beneficia, *n.* 126. Non potest per consuetudinem, aut per privilegium, nec dispensationem etiam S. Pontificis obtineri, ut Clericus, si unum, aut plura Beneficia sufficiant, aliud insuper recipiat, nisi adsit justa causa excusans, *num.* 127. Assert. 2. Nullus Clericus potest simul habere duas Dignitates, vel Personatus, etiam in diversis Ecclesiis, exceptâ dispensatione Papæ, ex justa causa, *nu.* 128. Habens plures Dignitates, unâ retentâ, alias dimittere compellitur, *n.* 291. Assert. 3. Etiam plures Ecclesias Parochiales simul recipere non licet, neque duas Vicarias perpetuas, neque Rectoriam, & Vicariam, *num.* 130. Ass. 4. Nemo potest duo Beneficia, seu similia, etiam simplicia, in eadem Ecclesia simul obtinere, & tetinere, *num.* 131. Ass. 5. Non potest quis simul habere duo Beneficia simplicia, etiam in diversis Ecclesiis, si ambo requirant personalem residentiam incompossibilem, *nu.* 132. Ass. 6. Potest quis simul obtinere, & recipere duo Beneficia curata, unum per se, alterum accessoriè, sine dispensatione, *num.* 133. Non tamen potest quis simul obtinere duos Canonicatus in eadem Ecclesia, unum per se, & alterum accessoriè. Unde si quis Canonicatum, & præbendam habens, in una Ecclesia obtineat Dignitatem, cui est annexa præbenda, vacabit prima præbenda post pacificam possessionem secundæ, *n.* 134. Potest quis simul obtinere & retinere plura Beneficia sæcularia, quæ ratione residentiæ personalis sunt cōpatibilia, si unum ad congruam sustentationem vitæ non sufficiat, *num.* 135. Deducuntur plura corollaria circa Beneficia, quæ simul obtineri, & retineri possunt, vel non, *n.* 136. & *tribus seqq.*

§. II. *An, & quâ ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura Beneficia obtineat, & retineat, in eadem, vel diversis Ecclesiis?*

Assertio I. Nullâ consuetudine etiam immemoriali, ac juratâ, introduci potest, ut Canonicus, cum præbenda canonicali, simul duas Dignitates, vel Personatus, aut duo Officia, aut unam Dignitatem, seu Personatum, & Officium simul obtineat in eadem Ecclesia, absque dispensatione Papæ, *num.* 140. Sed neque per consuetudinem etiam immemmorialem induci potest, ut quis in eadem Ecclesia habeat duos simplices Canonicatus, sive Præbendas, *cit. nu.* 140. Ass. 2. Non valet etiam consuetudo, simul obtinendi plura Beneficia curata, etiam in diversis Ecclesiis: probabile tamen est, per consuetudinem induci posse, ut non requiratur residentia personalis, etiam in Beneficijs curatis, sed per Vicarium ea administrari possint, *num.* 141. Ass. 3. Potest per consuetudinem induci, ut quis simul habeat plura Beneficia, etiamsi de Jure communi personalem residentiam requirant, *n.* 142.

§. III. *An, si is, qui cùm obtinet Beneficium, residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, aut alijs Clericis ad aliud Beneficium, quod similiter residentiam requirit, possit utrumque simul retinere?*

Respondetur negativè; quia Beneficiatus electus ad aliam Ecclesiam, vel Beneficium, non potest velle utramque, sed primâ contentus esse debet; quia non est conveniens, ut quis habeat locum in duabus Ecclesiis, *n.* 143. & *seq.*

§. IV. *De incompatibilitate Beneficiorum, & vacatione unius per assecutionem alterius.*

In hac re distinguenda sunt quatuor tempora. Primum tempus est ante Concil. Lateran. sub Alexandro III quo si quis duas Ecclesias, vel alia Beneficia incompatibilia obtinet, unam, quam vult, retinere potest: alteram verò Ordinarius dare potest, & debet alteri idoneo non habenti aliam Ecclesiam, vel Beneficium, *n.* 145. Et hæc dispositio etiam hodie locum habere potest, *nu.* 146. Secundum tempus est Concil. Lateran. in quo decretum fuit, ut nullus plures Dignitates, vel Ecclesias Parochiales reciperet, alioquin privaretur Dignitate, vel Parochiâ posteriùs acceptâ, & conferens potestate conferendi pro illa vice, *num.* 147. Tertium tempus est Concilij Lateranensis sub Innocentio III. ubi statutum est primò. Si Beneficium curatum habens, aliud simile recipiat, ipso jure privatus est primo, & si velit etiam illud retinere, privatur etiam altero, Secundò, is, ad quem spectat collatio, priùs Beneficium curatum, post receptionem secundi, conferat, cui convenit: si autem differat conferre ultra sex menses, collatio ad alios devolvitur, & ipse de proventibus suis tantum cogetur solvere Ecclesiæ, quantum constat, fuisse receptum à tempore vacationis Beneficij. Tertiò. Nemo in eadem Ecclesia habere præsumat plures Dignitates, vel Personatus, etiamsi sint sine cura. Quartò, cum sublimibus, & litteratis personis, Papa potest dispensare, si ratio postulet, *num.* 148. Declarantur prædicta, *num.* 149. & *duob. seqq.* Quartum tempus est, quo edita est Constitutio Ioan. xxii. in qua statui-

ſtatuitur, quomodo plura Beneficia recipere,& ſimul retinere licitum ſit, vel non, quæ ponitur, & declaratur *n.* 152. *&* 2. *ſeqq.*

§. V. *Quænam præterea requirantur, ut primum Beneficium vacet per adeptionem ſecundi incompatibilis?*

Assertio I. Ut prius Beneficium curatum Dignitas, Perſonatus, vel etiam Officium vacet per adeptionem alterius ſimilis, requiritur 1. ut ſecundum Beneficium non tantùm ſit collatum, & acceptatum, ſed etiam ut Beneficiatus poſſeſſionem pacificam ſecundi Beneficij ſit adeptus, vel per eũ ſteterit, quòminùs adipiſceretur, *n.* 155. Secundò requiritur, ut quis habeat poſſeſſionem, non tantùm quoad Titulum, & exercitium curæ, vel Officij annexi Beneficio: ſed etiam bonorum, & fructuum Beneficij, *nu.* 156. *&* *ſeq.* Unde habens Beneficium curatum, ſi acquirat aliud curatum, cujus fructus alius ex cauſa percipit, non tenetur relinquere primum, *cit. n.* 156. Tertiò requiritur, ut utrumq; Beneficium ſit collatum in perpetuum ſive in titulum, ſive in commendam, *n.* 158. Aſſert. 2. Plures ſunt caſus, in quibus primum Beneficium curatum, vel Dignitas, ſeu Perſonatus non vacat, etiam poſt pacificam adeptionem alterius ſimilis, qui referuntur, *num.* 159. Aſſ. 3. Poſtquam aliquis curatum Beneficium obtinens, aliud conſimile accepit, ejúſque pacificam adeptus eſt poſſeſſionem, vel per ipſum ſtetit, quò minùs illam conſequeretur, tunc Epiſcopus, vel alius Collator poteſt primum Beneficium alteri conferre: non tamen poteſt eum, cui contulit, in corporalem poſſeſſionem illius inducere, nõ vocato priùs primo curato, cui fortè adhuc poſſet jus retinendi cõpetere, *n.* 160. Ponuntur limitationes, *n.* 161.

§. VI. *Quænam præterea Beneficia vacant per adeptionem alterius?*

Quæritur 1. An per promotionem alicujus ad Epiſcopatum amittantur, & vacent Beneficia promoti? *n.* 162. Ponuntur exceptiones, *n.* 163. An per adeptionem Dignitatis v. g. Abbatiæ, vacet Epiſcopatus, *nu.* 164. An per adeptionem Cardinalitiæ Dignitatis, vacet Canonicatus, & alia Beneficia? *cit. n.* 164. Quær. 2. An is, qui aliud Beneficium curatum per vim, vel injuſtè obtinet, priùs habitũ ipſo jure amittat: item an is, qui Beneficiũ quodcũq; ad quod jus habet, per vim, aut propriâ auctoritate occupat? *n.* 166. 2. *ſeqq.* Quær. 3. An per adeptionem alterius Beneficij perſonalem reſidentiam requirentis, ipſo jure, vacet, & amittatur ſimile Beneficium priùs habitum? *n.* 169. *&* *ſeq.* Solvuntur objectiones, *n.* 171. Quær. 4. An, qui tertium, vel quartum Beneficium incompatibile obtinet, amittat, ipſo jure, duo, vel tria priora? Reſp. qui plures Dignitates obtinens, aliam ſimilem, vel Beneficium curatum, ſine legitima diſpenſatione acceptat, poſt pacificam poſſeſſionem ultimę, ipſo jure, omnes præcedentes vacant, ſicut habens unam Dignitatem, illa vacat, aliâ ſimili pacificè poſſeſsâ, *nu.* 172. *&* *ſeqq.* Obtinens plures Dignitates, vel præbendas, ſine diſpenſatione, ad Beneficium eligi non poteſt. Item, ſi electus, ante confirmationem, vel poſt illam caſſatam præſumat, adminiſtrationi ſe ingerere, ſit ineligibilis, *n.* 174. *&* *ſeq.* Non omnis taciturnitas, ſeu patientia Superioris cenſenda eſt diſpenſatio, *n.* 176.

§. VII. *De pluralitate, & incompatibilitate Beneficiorum regularium.*

Non ſolùm in Eccleſiis Sæcularibus; ſed etiam Regularibus ſunt Prælaturæ, Dignitates, ac Beneficia regularia Religioſorum, *n.* 177. Quær. 1. An Monachus, vel alius Religioſus ſimul obtinere poſſit, duo, aut plura Beneficia Regularia? Reſp. Religioſi nõ præſumanq; plura ſimul habere duos Prioratus, vel Eccleſias curatas, ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate, etiamſi cura debeat exerceri per Presbyteros à ſe preſentatos, & ab Epiſcopo inſtitutos: niſi unũ Beneficiũ ab alio depẽdeat, vel illi ſit annexũ. Quòd ſi Religioſus habeat Prioratũ, vel aliud curatũ Beneficium, & aliud ſimile recipiat, primum ſtatim dimittere debet, quo ipſo jure eſt privatus, alioquin removeri debet ab utroq; & efficitur ineligibilis, *n.* 178. Quær. 2. An Monachus, vel Religioſus poſſit obtinere duo, vel plura Beneficia Regularia in diverſis Monaſterijs, vel Eccleſiis? Reſp. prohibitum eſt, ne Prioratus, vel Eccleſiæ, vel Officia unius Monaſterij, gubernari conſueta per Monachos ejuſdem, ſine licentia Papæ, Monachis alterius Monaſterij gubernanda committantur, & commiſſa revocari debẽt: qui ſecus fecerint, eâ vice ſunt privati cõmittendi poteſtate, eáq; ad Diœceſanũ, ſi Monaſteria non ſint exempta, alioquin ad Papam devolvitur: ipſi verò Monachi, ipſo jure ineligibiles fiunt, *n.* 179. *&* 180.

§. VIII. *Quis poſſit diſpenſare in pluralitate Beneficiorum, & quæ ſint juſtæ cauſæ in ea diſpenſandi?*

Assertio I. In Beneficijs incompatibilibus de Jure communi, ut ſunt Dignitates, Beneficia curata, vel Officia, ſolus Papa diſpenſare poteſt, ut quis plura ſimul obtineat in eadem, vel diverſis Eccleſiis, *n.* 182. Solvuntur objectiones, *n.* 183. An diſpenſatio Papæ in pluralitate Beneficiorum curatorum, non ſolùm ſit illicita, ſed etiam invalida? *nu.* 184. Aſſ. 2 Epiſcopi, aliíque ſimiles Prælati non poſſunt diſpenſare in prædictis Beneficijs incompatibilibus, *n.* 185. Aſſ. 3. Poteſt Epiſcopus de Jure communi diſpenſare, ut quis ſimul obtineat duo Beneficia ſimplicia, & an etiã poſt Concil. Trid. & in quibus præterea Beneficijs ſimplicibus poſſit diſpenſare, vel non? *nu.* 186. *&* *duob. ſeqq.* Aſſ. 4. An Legatus à Latere, & qualiter diſpenſare poſſit in pluralitate Beneficiorum. Item Capitulum Cathedrale, & Vicarius Generalis Epiſcopi? *nu.* 189. An Epiſcopus hodie diſpenſare poſſit in pluribus beneficijs curatis? *n.* 190. Si habenti duo Beneficia incompatibilia de Jure communi, conferatur tertium, collatio eſt ipſo jure nulla *cit. n.* 190. Aſſ. 5. Tres juſtæ cauſæ diſpenſandi in pluralitate Beneficiorum dari ſolent, neceſſitas Eccleſiæ, magna utilitas ejuſdem, & evidens prærogativa meritorum, *n.* 191. *&* 192.

§. IX. *Quomodo intelligi debeat, & explicari diſpenſatio facta ſuper pluralitate Beneficiorum?*

Assertio I. Si Clericus impetret diſpenſationem, ut plura Beneficia ſimul habeat, & vel modicum reticeat in ea petenda, diſpenſatio eſt ipſo jure nulla, & irrita, *n.* 193. Multò magis qualitas curæ, ſi Beneficium, quod quis jam habet, curatum ſit, exprimi debet. Sed & de penſione, ſi in titulum Beneficij detur, fieri debet mentio. Item de Beneficio injuſtè obtento, & poſſeſſo: denique etiam de valore Beneficij, ſive quantitatis redituum illius, *n.* 194. Aſſ. 2. Si diſpenſetur cum aliquo, ut poſſit ſimul retinere duo Beneficia curata, canonicè ipſi collata, intelligi debet de duobus primis curatis, ſive de duobus, quæ poſt diſpenſationem factam, ipſi collata fuerunt, ita, ut ſi unum ex obtentis fortè dimiſerit, tertium recipere non poſſit; ſed

sed per receptionem tertii vacant duo priora, *n.* 195. Assertio 2. Si alicui de Beneficio provideatur, ut possit illud habere, non obstante, quòd jam aliud habeat, non est per hoc dispensatum, ut duo simul Beneficia retinere possit: sed solùm, quòd impetratio Beneficii secundi valeat, & non debeat judicari subreptitia *n.* 197. Ad quæ dispensatio extendatur, *n.* 196. & 198.

SECT. VI. *De Unione & divisione, sive sectione Beneficiorum Ecclesiasticorum.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit unio Beneficiorum, & quot modis fieri possit?*

ASSERTIO I. Unio est duorum, vel plurium Beneficiorum, aut Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio Superiore facta annexio, *n.* 199. Assert. 2. Ea duplex est, perpetua, & temporalis, *n.* 200. Assert. 3. Tribus modis fieri potest. Primus est, si ex duobus fiat unum, & quis sit ejus effectus, *n.* 201. Secundus modus est, si una Ecclesia vel Beneficium alteri, tanquam superiori subjiciatur, eique accessoriè perpetuò uniatur. Ex quo deducuntur plura corollaria, *n.* 202. Tertius modus unionis est, si duo Beneficia, vel Ecclesiæ æquè principaliter inter se uniantur, ita ut una alteri non subjiciatur, sub eodem tamen Episcopo, vel Rectore, *n.* 203. Deducuntur corollaria, *n. eod.*

§. II. *Quis potestatem habeat uniendi Beneficia, & ob quas causas ea fieri possit, ac debeat?*

ASSERTIO 1. Potestas uniendi Beneficia & Ecclesias quascúnque per totum Orbem Christianum inprimis spectat ad Papam, *n.* 204. 2. Episcopus, ex justa causa potest unire Ecclesias & Beneficia suæ Diœcesis, *num.* 205. Ponuntur duæ exceptiones ibidem, quasnam in specie Ecclesias & Beneficia Episcopus unire potest, & quando non potest, *n.* 206. Quinam præterea unire Beneficia possunt, vel non? *n.* 207. Assert. 2. Causæ, ob quas fieri possunt uniones, vel Beneficia uniri, sunt duæ, evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ. Unde Episcopus propter paupertatem præbendarum Ecclesiæ Parochialis, ei unire potest Capellas, salvâ manente ipsorum Presbyterorum congruâ portione, *n.* 208. & *seq.*

§. III. *Quæ forma, & solennitas, sive quæ conditiones requirantur Iure communi ad unionem Beneficiorum, & quo pacto Iure novo Concilii Tridentini, Beneficia uniri possint?*

Requiritur 1. Ut præcedat causæ cognitio. 2. Ut vocentur ij, quorum interest. 3. Ut accedat consensus Capituli Cathedralis: imò etiam consensus Abbatis, vel alterius Prælati inferioris, ad quem Ecclesiæ, vel Beneficii uniendi administratio, aut collatio pertinet, *n.* 210. & 211. 4. Requiritur, ut exprimatur verus annuus valor, secundùm communem æstimationem Beneficii uniendi, ut *n.* 211. Quænam statuta sunt circa unionem Beneficiorum, secundùm Concilium Trident. *n.* 212. & 2. *seqq.*

§. IV. *Quid Iuris, seu potestatis habeat Prælatus, vel Monasterium, Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata, cui Ecclesia Cathedralis aut aliud Beneficium est incorporatum, seu unitum?*

Duobus modis potest fieri unio Beneficiorum, vel quoad temporalia tantùm, vel pleno jure, quoad spiritualia & temporalia simul, *n.* 215. Ass. 1. Si Monasterio, vel Capitulo incorporatio Parochiæ facta sit, quoad temporalia tantùm, tum Monasterium, vel Capitulum nihil ferè juris habet, circa personam Vicarii positi in Parochia, sive circa curam populi. Quòd si jus præsentandi habeat Monasterium, vel Capitulum, tum potest idoneos Vicarios præsentare Episcopo, ab eo instituendos: cui, vel Prælato ejus, Vicarii instituti rationem administrationis in rebus temporalibus reddere debent, quamvis amoveri non possit, inconsulto Episcopo: Tales autem Vicarii præsentandi sunt, qui sint honestæ conversationis, & bonæ famæ, ac opinionis, vel testimonio publico commendati, *n.* 216. Assert. 2. Si Ecclesia Parochialis plenissimo jure sit incorporata Monasterio, ita ut etiam populus, quoad spiritualia, Monasterio sit subjectus, & Abbas Monasterii habeat quasi Episcopalem jurisdictionem in Ecclesia incorporata, exclusò Episcopo, tum Monasterium, vel ejus Abbas Vicarios in Ecclesia unita instituere, ac destituere potest, *n.* 217. Assert. 3. Si Ecclesia Parochialis sit unita Monasterio plenariè, id est, quoad temporalia, & spiritualia, ita tamen ut populus non sit exemptus ab Episcopi jurisdictione, tunc Monasterium debet Episcopo præsentare Vicarium, ab eo instituendum in Parochia unita, *n.* 218. Alia præterea quædam circa uniones sunt observanda, *n.* 219. & 220. A quo, & ex quibus causis, possit dissolvi, seu revocari unio Ecclesiarum, vel Beneficiorum, *n.* 221.

§. V. *De dismembratione Beneficiorum Ecclesiasticorum, & requisitis ad illam.*

Quod sit discrimen inter dismembrationem & divisionem Beneficii? *n.* 222. Assert. 1. Episcopus potest, ex justa causa, minuere, seu dismembrare reditus Beneficiorum in Ecclesiis; imò & dividere, *n.* 223. Assert. 2. Si Beneficium non vacet, tum vel dismembratio instituitur, ad petitionem ipsius Rectoris, & præter justam causam, requiritur auctoritas Episcopi: si verò sit Ecclesia Collegiata, etiam consensus Collegii, seu Capituli: vel Episcopus instituit eam dismembrationem ex officio, & præter justam causam, requiritur etiam consensus Capituli Cathedralis. Si verò Ecclesia, vel Beneficium vacat, defensor ei, cùm dismembratur, dari debet, *n.* 224.

§. VI. *An, & quo pacto Beneficium Ecclesiasticum dividi possit, seu secari in duo vel plura?*

ASSERTIO 1. Prohibita est divisio Beneficiorum, ita ut nec majorum, nec minorum Beneficiorum Præbendæ sint dividendæ, neque Dignitatum permutatio facienda, nempe sine justa causa, & absq; auctoritate Superioris, *n.* 225. Beneficium quoad spirituale officium dividi non potest, bene tamen, quatenus est jus percipiendi temporales reditus, *n.* 226. Prohibitum est, ne duo simul recipiantur ad eandem præbendam, *n. eod.* Episcopus potest, ex rationabili causa, unam præbendam dividere in duas, dummodo quælibet portio sit sufficiens ad honestam sustentationem utriusque præbendati, aliàs tenetur redintegrare præbendam divisam, *n.* 227. & *seq.* Assert. 2. Regulariter una præbenda, etiam vacans, non est dividenda, ut alia integretur, sed ea integra conferri debet, *n.* 229. Assert. 3. Electio, seu receptio duorum ad unum Canonicatum, seu præbendam, non valet, etsi à Legato Papæ facta sit. Idque procedit in Ecclesia, quæ determinatum numerum præbendarum habet, tunc enim duo ad unum Beneficium, seu eandem præbendam recipi non possunt: sed collatio, sive receptio est irrita, *n.* 230. & *seq.* Si Ecclesia aliqua non habeat determinatum numerum Canonicatuum, vel Præben-

darum: tum mortuo uno Canonico, seu Præbendario, non extinguitur Præbenda, sed vacat: si verò novus Canonicus recipitur, tum novum Jus creatur, ipsìque confertur. Secus, si Ecclesia habeat determinatum numerum Canonicorum, tum enim uno mortuo, vacat ipsius Canonicatus, in quo alius succedit, *num.* 232. Quòd si in Ecclesia aliqua sit determinatus numerus Præbendarum, possunt ij, ad quos collatio spectat, augere numerum Canonicorum & Præbendarum, creando novum Jus spirituale, *cit. num.* 232. Ubi duæ ponuntur exceptiones. Quænam requirantur ad divisionem Beneficii validè & licitè instituendam, *n.* 233.

SECT. VII. *De Mandatis Apostolicis, sive Litteris Beneficialibus, quæ emanant à Sede Apostolica.*

§. I. *Quodnam sit & dicatur Mandatum Apostolicum, & quot sint genera, seu species hujusmodi Mandatorum, seu Litterarum Beneficialium?*

ASSERTIO I. Mandatum Apostolicum hoc loco dicitur omne Rescriptum, quo Papa concedit alicui facultatem conferendi Beneficia, vel mandat, conferri Beneficium in aliqua Ecclesia, *num.* 234. Assertio 2. Mandata Apostolica, seu Litteræ Beneficiales sunt variæ, *num.* 235. Assertio 3. In Mandatis Apostolicis de providendo comprehenduntur omnia Beneficia, præter illa, quæ in jure nominatim excepta sunt, *n* 236.

§. II. *De quibusdam conditionibus, seu qualitatibus Beneficiorum, quæ necessariò exprimi debent in Mandatis Apostolicis, seu Litteris Beneficialibus obtinendis.*

ASSERTIO I. In Mandato Apostolico de providendo necessariò fieri debet mentio de Beneficio, etiam modico, priùs obtento ab impetrante, sicut etiam, quòd ei sine scandalo provideri non possit, *num.* 237. *& seq.* Ubi tamen distinguendum est, nam si Papa Clerico jam obtinenti Beneficium, aliud conferat, motu proprio, valida est collatio, etiam nullâ facta mentione prioris Beneficii: secus si ad petitionem alterius collatum fuerit, *num.* 239. Idque extenditur, quòd quæcúnque provisio alicui facta per Papam, motu proprio, qualiacúnque sint Beneficia, non factâ mentione de illis, sit valida, sive non subreptitia, *num.* 240. *& seq.* Assertio 2. Plura alia exprimenda sunt in impetratione Beneficii, de quibus, *num.* 242.

§. III. *Quomodo interpretari oporteat, latè, an strictè, Mandatum Pontificium, in quo conceditur alicui facultas conferendi Beneficia, vel in quo mandatur, alicui conferri Beneficium, aut actu confertur!*

ASSERTIO I. Mandatum Pontificium, in quo conceditur alicui facultas conferendi Beneficia, strictè interpretari oportet, quatenus derogat Juri communi. Et hinc si Papa alicui dat facultatem conferendi Beneficium personæ idoneæ, non potest is conferre jam aliud habenti, etiam simplex, sed sufficiens: nisi in facultate concessa expressum sit, ut provideret de Beneficio jam habenti aliud, tunc enim poterit illi conferre unum tantùm, dummodo curatum non sit: si verò datur facultas conferendi Beneficium ei, qui jam plura habet, tunc conferri ei poterunt solùm duo, non curata, aliàs collatio est irrita, *num.* 243. *& seq.* Solvuntur objectiones, *n.* 245. Assertio 2. Litteræ à Papa impetratæ, super Beneficiis obtinendis, strictè interpretandæ sunt; quia sunt ambitiosæ. Unde si Papa mandet, alicui provideri usque ad certam summam, v. g. centum aureorum, id non de hac summa in pensione: sed in Beneficio debet intelligi, *num.* 246. Quòd si Papa mandet alicui provideri de Beneficio in aliqua Ecclesia Civitatis, non debet id intelligi de Ecclesia Cathedrali, *n.* 247. *& seq.* Porro rescripta Beneficialia strictè sunt interpretanda, nisi collatio Beneficii, motu proprio, sit facta, tunc enim latissimè est interpretanda; secus si facta sit ad petitionem alterius, *num.* 249. Et hinc si plura Beneficia nulli de jure debita simul vacent, & Papa unum Beneficium in genere, motu proprio, alicui conferat, vel conferri mandet, intelligitur de pinguiori. Si autem sint Beneficia æqualia, provisus intra 10. dies eligere potest, quod vult: Si verò Beneficium sit concessum, ad petitionem alterius, tunc intelligitur de Beneficio, quod est minoris valoris: & si sunt æqualia, is, ad quem aliàs spectat collatio, intra 10. dies eligat, qui si non eligat, electio devolvitur ad alium, nempe ejus Superiorem, *n.* 250. *& seq.*

§. IV. *Quomodo præterea alia quædam Mandata Apostolica de providendo, sive Rescripta Beneficialia sint interpretanda, seu intelligenda?*

ASSERTIO I. Si Papa provideat, vel mandet alicui provideri de Beneficio in aliqua Ecclesia, non potest ei provideri de Rectoria, vel Dignitate electiva: sed tantùm de simplici Beneficio, *n.* 252. *& seq.* Si Canonici habeant privilegium, vel speciale mandatum, à Papa confirmatum, de non augendo numero Canonicorum, v. g. ultra 40. & postea, vel semel aliquem, ultra constitutum numerum recipiant in Canonicum, tum etiam Pontifex ultra illum aliquem admittere potest, *num.* 254. *& seq.* Assertio 2. Quando Papa mandat alicui provideri in Ecclesia aliqua de dignitate, personatu, vel aliis Beneficiis quibuscunque, non potest provideri de Beneficio curato, nullâ factâ mentione de cura animarum, *num.* 256. Si Papa dignitatem habenti de alia provideri mandet, dispensando, ut simul utramque retineat, nullâ tamen de cura animarum factâ mentione, tum collatio est subreptitia, & invalida, quamvis in provisione appositum fuerit in litteris, ut cura, quæ uni, vel alteri ex dignitatibus incumbit, non negligatur, *num.* 257. Similiter si Papa mandet aliquibus provideri de personatibus, vel dignitatibus, etiamsi curam animarum habeant, ad collationem, præsentationem, vel dispositionem quorumcúnque spectantibus, non extenditur ad dignitates electivas, *num.* 258. Item si Papa mandat alicui provideri de dignitate, pertinente ad collationem, vel aliam dispositionem quorumcúnque, & inhibendo illis, ne interim ad collationem, vel provisionem procedatur, tum non potest impetranti provideri de dignitate electiva, de qua in litteris nulla facta fuit mentio, *num.* 259. *& seq.* Præterea si Papa mandat provideri alicui de Beneficio, spectante ad collationem alicujus, non potest mandatum extendi ad Beneficium spectans ad præsentationem, vel institutionem alicujus, *num.* 261. *& seq.* Denique si Papa mandet provideri alicui de Beneficio spectante ad collationem, vel præsentationem duorum, vel plurium, non extenditur mandatum ad

Bene-

Beneficium spectans ad collationem, vel præsentationem unius tantùm, nisi addatur clausula, *Communiter*, vel *divisim*; & hinc si mandatur, provideri de Beneficio spectante ad collationem unius tantùm, non extenditur ad collationem plurium, *n.* 263. Assert. 3. Mandatum Papæ, ut alicui provideatur de Beneficio, pertinente ad collationem Capituli, non extenditur ad Beneficia, quæ aliquis Canonicus, & singularis potest conferre, *n.* 264. *& seq.* Assert. 4. Cùm mandatur alicui provideri de præbenda non Sacerdotali, non provideri potest de Sacerdotali, etiam volenti talem habere. Item si mandatur provideri de integra præbenda, non potest provideri de dimidia, etiam volenti: Vel si de præbenda certi valoris, non potest de præbenda minoris valoris, etiam eo volente, *n.* 266. *& seq.* Assert. 5. Sub mandato generali providendi alicui de Beneficio, vel præbenda proximè vacatura, non comprehenditur Canonicatus, vel Præbenda Episcopalis, *n.* 268. *& seq.* Assert. 6. In Litteris Apostolicus, vel Legati ipsius datis non includuntur Xenodochia, Leprosaria, Hospitalia, & similia loca, etiamsi habeant annexas Capellas, Jus decimarum, aut alia spiritualia jura, nisi hoc in Litteris Apostolicis exprimatur, *n.* 270. *& seq.* Assert. 7. Si de Beneficio ad cujuscúnque Episcopi collationem pertinente, alicui conferendo Papa scribit, non poterit de eo, quod ob negligentiam Episcopi in conferendo, ad Capitulum est devolutum, provideri: devolutum tamen ad Episcopum, vel etiam Papam, ob negligentiam Capituli, vel cujuscúnque alterius, poterit conferri, *num.* 270.

SECT. VIII. *De effectu & usu, seu executione, ac revocatione, seu extinctione Mandatorum Apostolicorum, seu Litterarum Beneficialium.*

§. I. *Quo tempore Mandata Apostolica, seu Litteræ de conferendis Beneficiis vacantibus effectum suum consequantur: & quo tempore impetrans debeat esse capax Beneficii?*

Triplex est tempus, de quo hic est quæstio, concessionis Beneficii, expeditionis Litterarum, & præsentationis ipsarum: deinde gratia alia est facta, alia facienda, *n.* 273. Ass. 1. Beneficia, aliæque gratiæ, statim ac concessæ sunt, sine ulla scriptura, jam sunt perfectæ, & vim habent: quamvis ad faciendam fidem in scripturam redigi debeant, *n.* 274. Deinde secundùm praxin & stylum Curiæ Romanæ, omnes provisiones, & gratiæ Beneficiales requirunt, ut Litteræ sint super iis expeditæ, nec antè sunt validæ: idémque est de dispensationibus Pontificiis, quæ in foro externo non suffragantur, antequam Litteræ sunt expeditæ; quamvis in foro conscientiæ valeant, etiam Litteris non expeditis. Item Litteræ concedentes jurisdictionem delegatam, non tantùm expeditæ: sed etiam præsentatæ esse debent, ante inchoatum judicium, *n.* 275. Assertio 2. Etsi ordinariè Clericus debeat esse idoneus ad Beneficium, tempore impetrationis: aliquando tamen sufficit, si sit idoneus tempore, quo Beneficium vacans ei confertur. Unde si mandetur, alicui simpliciter provideri de præbenda, proximè vacatura, non potest ei conferri præbenda Sacerdotalis, quæ postea vacat, si nondum habeat ætatem requisitam ad Sacerdotium: sed aliam exspectare debet: potest tamen Sacerdotalis præbenda illi conferri, si tunc, cùm vacat alia, sit in ætate ad Sacerdotium requisita, *n.* 276. *& 2. seqq.*

§. II. *Quis ex pluribus impetrantibus diversa Mandata Apostolica de providendo, in eadem Ecclesia, sit præferendus?*

ASSERTIO I. In obtinendis Beneficiis tempus Datæ, & non præsentationis Litterarum, vel receptionis inspiciendum est, & is præferendus est aliis, cui priùs collatio facta est, etsi posteriùs Litteras præsentavit, *n.* 279. *& seq.* Assert. 2. Si Papa alicui mandat, provideri de præbenda primò vacatura, & postea recipi in Canonicum: sed ipse negligat petere præbendam primò vacantem, gratia expirat, nec potest secundam præbendam petere; quia non est Canonicus. Econtra verò, si idem Clericus priùs factus est Canonicus, auctoritate Apostolicâ, cum mandato, ut conferatur ei præbenda proximè vacatura, & is negligat eam petere, adhuc potest aliam petere; quia gratia non est extincta, & is ratione Canonicatûs, præferendus est aliis, in assecutione Præbendæ (non tamen exspectantibus auctoritate Apostolicâ præbendas in illâ Ecclesia) aliàs collatio alteri factâ in illius præjudicium non valet, *n.* 281. *& seq.* Ass. 3. Si Papa conferat alicui Canonicatum, & mandat provideri de præbenda primò vacatura, & nulli alii de jure debitâ: Canonici verò, ad quos collatio præbendarum spectat, ignorantes mandatum, præbendam primò vacaturam alteri conferant, etiam ignoranti mandatum: collatio non tenet; quia Canonicus auctoritate Apostolicâ factus, habet Jus ad primam præbendam, quam justè potest petere, ideóque ea alteri conferri non potest, licèt ignoranti mandatum, *n.* 283. *& seq.* Aliud verò est dicendum, si Papa ipse non conferat Beneficium: sed mandet v. g. Capitulo, ut conferat alicui Canonicatum, vel Præbendam, quæ vacat, & Canonici alteri illam conferunt, tunc enim collatio non tenet: sed tenentur præsentatum recipere in Canonicum, & providere ei de reditibus, donec præbendam assequatur, *n.* 285. *& 3. seqq.* Ass. 4. Si Papa mandet provideri duobus de præbenda, primò, v. g. Titio de præbenda, postea secundò Cajo, de præbenda, & dignitate in eadem Ecclesia, tunc si præbenda, quæ vacat, est annexa dignitati, secundus est præferendus, eique danda est: secus si sola sit præbenda, *n.* 289. *& seq.* Ass. 5. Si Legatus à Latere mandet alicui provideri de Beneficio, ut de Canonicatu primùm vacaturo: & deinde Papa mandet, ut illum recipiant, secundùm Litteras sui Legati, tunc censetur receptus auctoritate istius Papæ, & est præferendus aliis authoritate Legati, vel aliâ receptis, *num.* 291. *& seq.* Similiter si Papa confirmat mandatum Legati à Latere, de provisione facienda alicui de Canonicatu vacaturo in certa Ecclesia, illud censetur esse mandatum Papæ: & si Papa mandaret, ut aliis quoque provideatur de Beneficio in eadem Ecclesia, primus illis præferendus esset, in assecutione præbendæ, *n.* 293. *& seq.* Assert. 6. Si Titio detur Canonia, cum exspectatione præbendæ vacaturæ, in certa Ecclesia, & Laico eadem gratia concedatur, cum clausula, ut is omnibus aliis etiam priùs receptis anteferretur: deinde vacat præbenda, & confertur ignoranter Cajo: interim revocatur à Papa gratia: hoc casu, nulli debet dari præbenda, non Titio; quia ipsi prælatus est Cajus: nec Cajo; quia gratia fuit revocata, *num.* 295. *& seq.*

§. III. *Quodnam Beneficium conferri debeat, si Mandatum Apostolicum de providendo plures collationes ad diversos spectantes alternativè contineat?*

Quando Papa mandat Episcopo, ut provideat alicui de Beneficio ad suam, vel alterius collationem pertinente, tum Episcopus debet ei, pro quo scribitur, providere de primò vacaturo. Si verò plura Beneficia simul vacent: tum spectandum est, quæ collatio in Litteris primò nominetur, & illi Beneficium est dandum, *n.* 297.

§. IV. *De executione, & executoribus Mandatorum, seu Litterarum Apostolicarum Beneficialium.*

Si Prælatus, vel Decanus Ecclesiæ Beneficium conferat ex donatione Laici, non factâ de hoc mentione, collatio nihilominus tenet, & executioni mandari debet, *n.* 298. & 300. Mandata, seu Litteræ Apostolicæ circa collationes Beneficiorum, aliæ sunt de providendo, aliæ verò executoriales. Item alia mandata de providendo dantur de Beneficiis vacaturis, alia de vacantibus, eàque vel in forma gratiosa, vel in forma *Dignum*, *n.* 299. Quæritur primò, utrùm executores deputati ad Beneficia, sint meri, an mixti executores? Resp. interdum sunt meri, interdum mixti, *n.* 301. & 2. *seqq.* Quæritur secundò, an executor deputatus ad Beneficia possit vices suas alteri committere, *n.* 304. & 305.

§. V. *Quando, & quibus modis Mandata de providendo, seu Litteræ Beneficiales tollantur, & expirent?*

Quæritur primò, quando & quomodo hujusmodi Mandata, seu Litteræ Beneficiales tollantur per revocationem? Resp. per revocationem gratiæ non tollitur Jus acquisitum, sive Jus in re: sed acquirendum, sive Jus ad rem, quod non est connexum cum Beneficio digniore acquisito, v. g. si alicui facta fuit gratia de acquirendo Canonicatum, præbendam, & dignitatem, & is acquisivit Canonicatum: sed non dignitatem: & interim revocatur gratia; tum si Canonicatus erat annexus dignitati, non revocatur gratia impetrata pro dignitate: si non erat annexus, amittitur. Idémque est de præbenda, *n.* 306. & *seq.* Quær. secundò, an Mandata, seu Litteræ Beneficiales de providendo extinguantur, morte mandantis, seu concedentis? Resp. gratia alicui concessa, ut conferat Beneficia Papæ reservata personis idoneis, si concedens moriatur, re integrâ, gratia non expirat, si personæ providendæ non erant expressæ, *n.* 308. & *seq.* Respondetur ad c. quod obstare videtur, *n.* 310. Quær. tertiò, an, & quomodo in Mandatis, seu Litteris Beneficialibus per gratiam specialem tollatur prior gratia generalis? Resp. Si Papa det alicui facultatem, v. g. conferendi Beneficia in genere, vel Beneficia devoluta ad Sedem Apostolicam, & deinde antequam Episcopus, sive Ordinarius conferat, Papa certæ personæ conferat, vel conferri mandet, tunc tenet collatio Papæ, non Episcopi; quia gratia posterior specialis derogat priori generali, etsi de hac specialis mentio non fiat, *n.* 311. & *seq.* Quær. quartò, an mandatum de providendo alicui factum, ob causam paupertatis, si causa cesset, etiam ipsum mandatum cesset, & exspiret? Resp. Si Papa mandat Episcopo, ut provideat de Beneficio Sacerdoti pauperi, & hic interim obtineat unum, non tenetur Episcopus providere; quia cessat causa mandati, *n.* 313. & *seq.* Secundò, si Papa Clerico pauperi contulit Beneficium, & Episcopo mandat, ut in possessionem eum mittat, tum si Clericus provisus, tempore collationis, fuit pauper; quia interea aliud Beneficium est consecutus, valet collatio priùs facta, *n.* 315. Tertiò, si Papa Clerico pauperi mandat provideri de Beneficio in forma gratiosa, isque interea Beneficium sufficiens consecutus sit, potest Executor, seu Commissarius mandatum exequi, & Beneficium illi conferre, dummodo hoc non sit incompatibile cum priùs obtento, *n.* 316.

Sect. IX. *De reservationibus Beneficiorum.*

§. I. *De reservatione Beneficiorum in communi, ejusque causis, & effectu.*

Quær. primò, quid & quotuplex sit reservatio Beneficiorum? Resp. 1. Est Beneficii Ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio, sive quorum collationem Papa sibi vendicat, ut ab inferioribus collatoribus conferri non possint, *n.* 317. 2. Duplex est Beneficiorum reservatio, generalis & specialis, *n.* 318. Quær. secundò, quæ sint causæ, ob quas reservari possunt, & solent Beneficia? Resp. tres afferuntur, *n.* 319. Quær. tertiò, quis sit effectus reservationis Beneficiorum? Effectus est, quod Beneficium à Papa reservatum validè conferri non possit ab Ordinario, quamvis ignorante reservationem à Papa factam. Unde si Ordinarius conferat Beneficium reservatum Papæ alicui, & si quis ignorans reservationem illud recipiat, si accepto secundo Beneficio, statim renunciat primo, postquam scivit illud esse reservatum, recuperat primum sine nova collatione. Si verò difficulter dimittit secundum, non potest revertiad primum, *n.* 320. Traduntur alia quædam de reservatione Beneficiorum, *n.* 321. Reservatio Beneficiorum eum insuper effectum habet, ut liget manus Collatoris ordinarii, adeóque ut collatio ab ipso facta ne quidem titulum coloratum præbeat proviso, *n.* 322.

§. II. *Quænam Beneficia sunt Romano Pontifici reservata, spectato communi Iure Canonico?*

Assertio I. Omnia Beneficia vacantia in Curia Romana sunt reservata S. Pontifici, ita ut nullus alius illa conferre possit, alioquin collatio est irrita, *n.* 323. Sunt tamen plures exceptiones, in quibus Beneficia, etiam vacantia in Curia, non sunt reservata, *n.* 324. & 325. Assert. 2. Si Papa non conferat Beneficia vacantia, intra mensem, à die vacationis numerandum, Episcopus per se, vel si in remoto loco versetur, per Vicarium Generalem in Diœcesi existentem, & speciale mandatum habentem, poterit post mensem illa conferre, *n.* 326. & 2. *seqq.* Prædicta Constitutio habet tantùm locum in Beneficiis Papæ reservatis propter vacationem in Curia: non in reservatis Papæ alio modo, *n.* 329. Nec in Beneficiis electivis, *n.* 330. An Collatores Ordinarii Beneficia vacantia in Curia per se ipsos tantùm, vel per Vicarios Generales conferre possint? *n.* 331. An prædicta Constitutio sit revocata, *n.* 332. Assert. 3. Quòd Beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam sint conferenda per Papam, id habet locum, non solùm si in loco, ubi est Papa: sed etiam si in locis Curiæ vicinis Legati, aut Nuntii Sedis Apostolicæ, vel quivis alii ad Curiam venientes, vel ab ea recedentes, moriantur, *num.* 333. Imò etiam qui Sede Apostolicâ vacante, ex quavis causa ad locum Curiæ vicinum secedentes, ibi decedunt, dummodo ibidem domicilium non habeant. Idque extenditur etiam ad illos Curiales, qui cùm Curia recedit ab uno loco ad alium, eam sequentes in itinere moriuntur, vel in loco, unde Curia recedit, censentur enim eorum Beneficia vacare apud Curiam, adeóque reservata sunt Papæ, *cit. n.* 333. & 2. *seqq.* Assert. 4.

Bene-

Beneficia Parochialia seu curata, quæ Sede Apostolicâ in Curia vacante, per obitum Parochi vacant, non sunt reservata: sed provisio eorum spectat ad ordinarios Collatores, *n.* 336. *& seq.* Neque huic speciali dispositioni de Ecclesiis Parochialibus est derogatum per *Extravag. 1. h. t. inter Communes, n.* 338.

§. III. *De Beneficiis reservatis Papæ per Extravagantes.*

Quær. primò. Quænam Beneficia reservantur Papæ in Extravagantibus? De his agitur *n.* 339. *& 5. seqq.* Quær. secundò, quidnam in aliis Extravagantibus Communibus, quæ continentur in hoc Tit. statutum sit, *n.* 345.

§. IV. *De Beneficiis reservatis Papæ per Regulas, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ.*

Quæ sint reservata per primam regulam Cancellariæ, *n.* 346. Quæ per regulam secundam, *n.* 347. Quæ per tertiam, *n.* 348. *& seq.* Quæ per regulam quartam, quintam & sextam, *n.* 350. Quæ per regulam septimam, *n.* 351. *& seq.* Quæ per octavam regulam, quoad primam ejus partem, *n.* 353. *& 2. seqq.* Et quæ quoad secundam partem dictæ regulæ, *n.* 356.

§. V. *De provisionibus, & reservationibus factis per Concordata Germaniæ.*

Hæc Concordata inita sunt inter Papam Nicolaum V. per ejusdem Legatum de Latere, ex una parte: & Fridericum III. Imperatorem, & Principes Germaniæ, Ecclesiasticos, & Sæculares, ex altera parte, anno 1448. die 19. Martii, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, *n.* 252. Quæ continentur in §. *Item placet nobis; n.* 358. *& 2. seqq.* Item in §. *De cæteris; n.* 361. *& 2. seqq. & §. Placet similiter; fin. n.* 364. *& seq.* Ubi de annatis solvendis agitur. An Pontifex possit derogare Concordatis Germaniæ, *n.* 366.

§. VI. *De Beneficiis reservatis ex Indulto Pontificio Romanorum Imperatori per preces primarias.*

Proponitur summa hujus Indulti, quæ conceduntur in §. *Hinc est; n.* 367. *& seq.* Limitatur hoc indultum, *n.* 370. Proponuntur aliquæ quæstiones circa idem Indultum, *n.* 371. *& 2. seqq.*

§. VII. *Continuatur eadem materia de Cæsareis precibus primariis.*

Quæ conceduntur in §. *Quod quicúnque; n.* 374. *& 3. seqq.* Proponuntur, & resolvuntur plura dubia occurrentia circa hoc Indultum, *n.* 378. *& 3. seqq.* Ad quæ Beneficia extendatur idem Indultum, *n.* 382. Quæ Beneficia non comprehenduntur sub precibus Cæsareis, *n.* 383. *& 2. seqq.* Subjiciuntur in §. *Non obstantibus*; Clausulæ derogatoriæ eorum, quæ eidem Indulto obstare possent, *n.* 386.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 51.
c. 2. *n.* 18. *& seq.*
c. 3. *n.* 47.
c. 4. *n.* 20. *& 21.*
c. 5. *n.* 125.
c. 6. *n.* 37. *& seq.*
c. 7. *n.* 145. *& seq.*
c. 8. *n.* 225. *& seq.*
c. 9. *n.* 29. *& 31.*
c. 10. *n.* 40. *& seq.*
c. 11. *n.* 66. *& seq.*
c. 12. *n.* 42. *& duobus seqq.*
c. 13. *n.* 128.
c. 14. *n.* 129.
c. 15. *n.* 143. *& seq.*
c. 16. *n.* 22. *& duobus seqq.*
c. 17. *n.* 58. *& seq.*
c. 18. *n.* 174. *& duobus seqq.*
c. 19. *n.* 30. 32. *& 33.*
c. 20. *n.* 61.
c. 21. *n.* 69. *& seq.*
c. 22. *n.* 254. *& seq.*
c. 23. *n.* 25. *& seq.*
c. 24. *n.* 109. *& seq.*
c. 25. *n.* 230. *& duob. seqq.*
c. 26. *n.* 227. *& seq.*
c. 27. *n.* 285. *& seq.*
c. 28. *n.* 148. *& tribus seqq. & n.* 191. *& seq.*
c. 29. *n.* 91. *& tribus seqq.*
c. 30. *in princ. n.* 35. *& seq. & §. Qui verò; n.* 37. *& duobus seqq.*
c. 31. *n.* 216.
c. 32. *n.* 48. *& seq.*
c. 33. *n.* 208. *& seq.*
c. 34. *n.* 298. *& duob. seqq.*
c. 35. *n.* 100. *& seq.*
c. 36. *n.* 229.
c. 37. *n.* 111. *& duob. seqq.*
c. 38. *& ult. n.* 252. *& seq.*

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 41. *& seq.*
c. 2. *n.* 323.
c. 3. *n.* 326. *& 4. seqq.*
c. 5. *n.* 114. *& seq.*
c. 6. *n.* 133. *& seq.*
c. 7. *n.* 279. *& seq.*
c. 8. *n.* 103. *& seq.*
c. 9. *n.* 291. *& seq.*
c. 10. *n.* 297.
c. 11. *n.* 281. *& seq.*
c. 12. *n* 81 *& duobus seqq.*
c. 13. *n.* 283. *& seq.*
c. 14. *n.* 75. *& duobus seqq.*
c. 15. *n.* 289. *& seq.*
c. 16. *in princ. n.* 56. *§. Illis verò; n.* 258 *& §. Cum autem; n.* 26. *& seq. & §. fin. n.* 263.
c. 17. *n.* 54. *& tribus seqq.*
c. 18. *n.* 165. *& tribus seqq.*
c. 19. *n.* 243. *& seq.*
c. 20. *n.* 320. *& seq.*
c. 21. *in princ. n.* 193. *& §. Illud autem; n.* 195. *& seq. §. Cum verò; n.* 197.
c. 22. *n.* 293. *& seq.*
c. 23. *n.* 239. *& 241.*
c. 24. *n.* 250. *& seq.*
c. 25. *n.* 268 *& seq.*
c. 26. *n.* 156. *& seq.*
c. 27. *n.* 266.
c. 28. *n.* 160. *& seq.*
c. 29. *n.* 276. *& 278.*
c. 40. *n.* 313. *& seq.*
c. 31. *n.* 79. *& seq.*
c. 32. *n.* 178. 179. *& 180.*
c. 33. *n.* 71. *& seq.*
c. 34. *n.* 333. *& duob. seqq.*
c. 35. *n.* 336. *& duob. seqq.*
c. 36. *n.* 308. *& seq.*
c. 37. *n.* 27. *& 28.*
c. 38. *n.* 311. *& seq.*
c. 39. *n.* 306. *& seq.*
c. 40. *n.* 295. *& seq.*
c. 41. *& ult. n.* 264 *& seq.*

IN CLEMENTINIS.

Clem. 1. *in princ. n.* 194 *& §. Ad hoc n.* 259. *& seq.*
Clem. 2. *n.* 270. *& seq.*
Clem. 3. *n.* 172.
Clem. 4. *n.* 240. *& seq.*
Clem. 5. *n.* 272.
Clem. 6. *& ult. n.* 134.

IN EXTRAVAGANT.

Extrav. unic. in princ. Ioan. XXII. n. 126. *& n.* 152.
Extravag. 1. *Inter Communes n.* 339.
Extrav. 2. *n.* 345.
Extrav. 3. *n.* 340.
Extrav. 4. *n.* 341.
Extrav. 5. *cit. n.* 345.
Extrav. 6. *n. eod.*
Extrav. 7. *n. eod.*
Extrav. 8. *n. eod.*
Extrav. 9. *n. eod.*
Extrav. 10. *n.* 342.
Extrav. 11. *n. eod.*
Extrav. 12. *n. eod.*
Extrav. 13. *n.* 343.
Extravag. 14. *& ult. num.* 344.

TITVLVS VI.

DE CLERICO ÆGROTANTE VEL debilitato.

§. I. *An Clericus, propter ægritudinem, vel mutilationem, amittat Beneficium suum, vel saltem fructus illius, & quando eidem possit, ac debeat dari Coadjutor?*

ASSERT. I. Clericus infirmus omnes fructus sui Beneficii percipere debet, quos sanus recipiebat, *num.* 1. Etiam distributiones quotidianas, dummodo infirmitas sit causa principalis, & proxima non serviendi Ecclesiæ, *n.* 2. Ass. 2. Sed neque Clericus, propter mutilationem amittit Beneficium, quod habet: quin & fructus ejus percipere potest, *n.* 3. Presbyter, cui medietas palmæ abscissa est, cum duobus digitis, non permittitur celebrare Missam; potest tamen alia officia Sacerdotalia facere, *n.* 3. Unde duæ sunt causæ, quæ inhabilem faciunt ad Officium Sacerdotale, vel in totum, vel ex parte, debilitas membrorum, & notabilis deformitas, quæ scandalum parit in populo, *n.* 4. Ass. 3. Si Rector Ecclesiæ adeo lepra infectus sit, ut sine scandalo altari

servire nequeat, Coadjutor ei est dandus, *n.* 5. Si Rector Ecclesiæ est leprosus, & propter scandalum populi, ab officio administrationis removendus est, juxta facultates Ecclesiæ, necessaria ei subministranda sunt, *num.* 6. Num Parochus propter lepram, vel infirmitatem aliâ perpetuam, omninò removeri possit, & privari jure ac titulo Beneficii, an verò solùm ab administratione? *n.* 7. Quid faciendum, sit si reditus Ecclesiæ non sufficiant ad sustentationem utriusque Rectoris, & Coadjutoris? *n.* 8. Ass. 4. Si Episcopus propter morbum incurabilem, officium pastorale exercere non possit, dandus est ei Coadjutor, *n.* 9. *& seq.* Etiamsi nondum sit consecratus, *cit. n.* 10. Ass. 5. Etiam Prælati Episcopo inferiores non sunt removendi ab officio, propter morbū perpetuum, sed Coadjutor eis dandus est, *n.* 11. Imò etiâ propter imperitiâ dari possunt Parochis Coadjutores, *n.* 12.

§. II. *Quis dare possit Coadjutorem, & quomodo, ac qualiter dari debeat?*

Coadjutores dare Episcopis eorùmque Superioribus, spectat ad solum Papam. Conceditur tamen Episcopo, qui ob impedimentum aliquod perpetuum, officium suum exercere nequit, ut possit, cum consensu Capituli, unum, vel plures Coadjutores assumere, ad officium suum exequendum. Si verò Episcopus amens factus sit, Capitulum, vel duæ ejus partes, eligant duos idoneos Coadjutores: si verò Episcopus renuat Coadjutorem assumere, dicens, se eo non egere, Capitulum id notificet Papæ, *n.* 13. *& seq.* Aliis Prælatis Episcopo inferioribus Coadjutores dare potest Episcopus, si officio suo præesse nequeunt, *cit. n.* 14. *in fine.* Ass. 2. Coadjutor potest dari, vel ad temporalium rerum tantùm administrationem, vel etiam ad spiritualia administranda. Debet esse in ea ætate, quæ requiritur ad Officii, & Beneficii administrationem; & debet esse Clericus, *n.* 15.

§. III. *Quæ sit potestas, sive officium Coadjutoris, & quando expiret?*

Assert. 1. Officium Coadjutoris est, ut Episcopi, vel Rectoris, cui datus est, curam gerat, & Ecclesiæ, sive populi, *n.* 16. Coadjutori Episcopi, vel Prælati interdicta est alienatio bonorum Ecclesiæ, scilicet immobilium, & mobilium pretiosorum, exceptis bonis mobilibus, quæ servando servari possunt, *n.* 17. Item Coadjutor talis tenetur rationem reddere ipsi Episcopo, vel Capitulo, vel Successori Prælato, si priùs non reddidit, *cit. n.* 17. An Coadjutor Episcopi, vel Prælati possit conferre Beneficia, *n.* 18. Assert. 2. Officium Coadjutoris morte naturali, vel civili Episcopi, cui datus est, vel alterius Prælati, scilicet depositione, vel renunciatione illius finitur, *n.* 19. Prædicta procedunt in Coadjutore temporali, sive ad tempus vitæ illius, cui datus est: nam Coadjutorem perpetuum, sive cum futura successione, solus Papa dare potest, *n.* 20. Sicut autem Coadjutoria temporalis non est Beneficium, ita nec Coadjutoria perpetua, quia neutra tribuit titulum, sive Jus in re, sed adrem solùm, *n.* 21.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1. *&* 2.
c. 2. *n.* 3. *&* 4.
c. 3. *n.* 5.
c. 4. *n.* 6.
c. 5. *n.* 9.
c. 6. *&* *ult. n.* 11.
c. unic. in princ. eod. in 6. *n.* 13. *&* §. *Præsenti n.* 14.

TITVLVS VII.

DE INSTITUTIONIBUS.

§. I. *Ad quos spectet Jus instituendi Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis?*

Institutio accipitur, vel latè, prout includit etiam collationem: vel propriè, prout ab illa distinguitur, interdum etiam pro investitura, *n.* 1. Ass. 1. Jure Communi, Jus sive potestas instituendi Clericos à Patronis præsentatos pertinet ad Episcopos, non obstante contrariâ consuetudine, & tam ij, qui Ecclesiastica Beneficia, sine consensu Episcoporum, scienter occupata detinet, quàm qui de cætero ea occupare præsumpserunt, excommunicandi sunt, nec absolvendi, nisi congruè satisfecerint, *n.* 2. *&* 3. Ass. 2. Officialis sive Vicarius Generalis Episcopi potest ex Officio suo Clericos præsentatos instituere, etsi speciale ad id mandatum non habeat, *n.* 4. Ass. 3. Etsi Capitulum, Sede vacante, non possit conferre Beneficia pertinentia ad collationem Episcopi tantùm, potest tamen instituere, *n.* 5. Ass. 4. Etiam Prælati inferiores Episcopo possunt instituere in Beneficiis ex privilegio, præscriptione, vel consuetudine, *n.* 6. Is qui possidet Jus instituendi in Beneficiis, ad quem Jure Communi non spectat, pendente judicio proprietatis, in possessione defenditur, *n.* 7. *& seq.*

§. II. *De Instituendis in Ecclesiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis.*

Quær. primò, quinam, & quales instituendi sint in Beneficiis? Resp. 1. Instituendi debent esse Clerici, unde Laici in Clericos non possunt institui: sed numerus explendus est ex Clericis intra debitum tempus, *n.* 10. Resp. 2. Non debent in Ecclesiis, vel Beneficiis institui Clerici unius originis, aut nationis; sed undecunque originem ducant, dummodo idonei sint, instituti debent, si aliquod Beneficium fundatum sit pro personis ex certa gente, civitate, vel familia oriundis, *n.* 11. Resp. 3. Præsentatus ad Parochiam, etsi in minoribus Ordinibus constitutus, non debet repelli, si intra tempus à Jure statutum, scilicet intra annum, ad Sacerdotium promoveri possit, & aliàs sit idoneus, *n.* 12. Quær. secundò, quot in Ecclesiis Clericorum, & Monasteriis instituendi sint? Resp. Tot, quot commodè ali possunt, neque ad plures recipiendos cogi possunt, *n.* 13. Neque in Monasteriis plures recipi debent, quàm ex reditibus eorum decenter sustentari possunt, *n.* 14. *&* 15. Quær. tertiò, an is, ad quem spectat potestas instituendi, se ipsum instituere possit? Resp. Negativè, quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personarum, *n.* 15. *& seq.* Unde infertur, & efficaciter probatur, quòd Confessarius Papæ non possit ipsum absolvere potestate jurisdictionis delegatâ ab ipso Papa; quia absolveret seipsum, *n.* 18. Ad institutionem præsentati non est jure determinatum certum tempus, *n.* 19.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 14. *&* 15.
c. 2. *n.* 10.
c. 3. *n.* 2. *&* 3.
c. 4. *n.* 13.
c. 5. *n.* 11.
c. 6. *n.* 7. *& duobus seqq.*
c. 7. *& ult. n.* 16. *& seq.*

In Sexto.

c. 1. *in* 6. *n.* 5.
c. 2. *eod. n.* 12.

TITVLVS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET Ecclesiæ non vacantis.

§. I. *Utrùm Beneficium non vacans possit conferri, vel promitti?*

Beneficium non vacans conferri non potest alicui

cui: sed institutio est ipso jure nulla, & qui passus est, in tali Beneficio se institui, ab Ecclesiastica communione est removendus, *num.* 2. *&* 3. Assertio 2. Ecclesiastica Beneficia, antequam vacent, etiam promitti non possunt, *num.* 4. *&* 5. Sed promissio non valet, *num.* 6. *&* 7. Idque extenditur primò, quòd Beneficium vacans sit conferendum alteri, non obstante appellatione illius, cui promissa est, antequam vacaret, *num.* 8. Extenditur secundò, non potest Episcopus, vel alius collator delegare alicui facultatem conferendi Beneficia proximè vacatura, quamvis possit alteri delegare potestatem conferendi Beneficia, postquam vacant, *num.* 9. Assertio 3. Spectato Jure antiquo Canonico, valet promissio de conferendo alicui Beneficio in genere, cùm poterit, seu occasio se obtulerit, *num.* 10. *& seq.* Recepto in Canonicum tenetur Capitulum providere de Beneficio, quàm primùm se facultas obtulerit, *num.* 12. Assertio 4. Jure novo Decretalium omnis promissio de Beneficio conferendo, cum clausula, *quando potero, vel se occasio obtulerit*, vel per quam directè aut indirectè via aperitur ad Beneficia vacatura, est prohibita, & irrita, *num.* 13. Præterea Dignitas, vel aliud Beneficium revera non vacans, non potest alteri conferri: nec debet ejus possessio illi, qui Beneficium habet, prætextu exceptionis, quòd illud abjuraverit, retardari, *num.* 14. *& seq.* Assertio 5. Non potest etiam Patronus promittere, se aliquem præsentaturum ad Beneficium vacaturum, neque potestatem dare alteri, ut præsentet ad certum Beneficium, cùm vacabit, & si id faciat, præsentatio non valet, *num.* 16.

§. II. *Quinam sint generales modi, quibus Beneficia vacant, & qualis vacatio requiratur, ut impetrari, vel conferri aliis possint?*

Assertio 1. Beneficia in genere tripliciter vacare dicuntur, vel de facto tantùm, vel de jure tantùm, & facto simul, *n.* 17. Assertio 2. Beneficia vacantia de jure, & de facto, quoad possessionem impetrari, & conferri possunt, *num.* 18. Beneficia vacantia de facto tantùm nec impetrari, nec conferri aliis possunt: at verò vacantia de jure, sed non de facto, non possunt impetrari, nec conferri, nisi in rescripto provisionis mentio fiat possessionis coloratæ, alioquin collatio, & impetratio est subreptitia, *num.* 19. *& seq.* Assertio 4. Si habens Beneficium in una Ecclesia, in eadem simile aliud obtineat, utrumque retinendo, vacat primum de jure, sed non de facto, *n.* 21. *& seq.*

§. III. *Quibus modis in specie vacent Beneficia?*

Beneficia Ecclesiestica vacant primò, per mortem naturalem Beneficiati, *num.* 23. Aliquando tamen Beneficium non vacat per mortem naturalem Beneficiarii: sed omnino extinguitur, *num.* 24. Secundò Vacant Beneficia ex dispositione juris statuentis, ipso facto Beneficium vacare, aliisque conferri posse, de quibus *num.* 25. Tertiò Vacant Beneficia per depositionem, seu privationem factam per sententiam Judicis, ob crimen, cui talis pœna inferenda jure decreta est, *num.* 26. Et quale sit discrimen inter privationem Beneficii, ipso jure decretam, & eam, quæ per sententiam Judicis infertur, *n.* 27. Regulariter expresso uno modo vacandi, v. g. per resignationem, non continetur alius, v. g. per obitum, *n* 28.

§. IV. *Intra quod tempus conferri debeant Beneficia vacantia?*

Assertio 1. Beneficia vacantia conferri debent ab eo, ad quem spectat collatio, intra sex menses, *n.* 29. Assertio 2. Hoc tempus semestre ad conferendum Beneficium non currit legitimè impedito, quò minùs conferat, neque etiam ignoranti vacationem, adeóque numerari debet, non à tempore, quo Beneficium vacavit: sed à tempore, quo collator scivit Beneficium vacare, non obstante confirmatione collationis factâ à Sede Apostolica in forma communi, *n.* 30. *& 2. seqq.*

§. V. *Ad quem devolvatur Jus conferendi Beneficia vacantia, propter negligentiam, seu moram culpabilem Ordinarii Collatoris?*

Assertio 1. Si Episcopus, quando ad eum collatio spectat, intra sex menses Beneficia conferre negligat, ea devolvitur ad Capitulum: & è contra ab hoc ad Episcopum, & denique ab Episcopo, & Capitulo, ad proximum Superiorem, nempe Metropolitanum defertur collatio, *n.* 33. *& 3. seqq.* Assertio 2. Quod dictum est, potestatem conferendi Beneficia vacantia, propter negligentiam non conferentium illa, intra sex menses, devolvi ad proximum Superiorem, id procedit tantùm in Dignitatibus & aliis Beneficiis minoribus: non autem in Episcopatibus, & iis majoribus, *n.* 37. *& seq.* Assertio 3. Quando collatio Beneficiorum simul & communiter pertinet ad Episcopum, & Capitulum, tum propter negligentiam conferendi Beneficium intra sex menses, non devolvitur collatio ab Episcopo ad Capitulum, neque ab hoc ad illum: sed ad proximum eorum Superiorem, *n.* 39. *& seq.* Assertio 4. In Ecclesiis, in quibus non est certus numerus Canonicorum, nec præbendæ sunt divisæ, ob negligentiam conferendi post sex menses, non fit devolutio ad Superiorem: sed illarum consuetudo est observanda, *n.* 41. *& seq.*

§. VI. *De variis gratiis exspectativis, sive mandatis de providendo Beneficia vacatura.*

Assertio 1. Si Papa mandet, ut alicui detur præbenda primò vacatura, cum Canonicatu, assignato executore, qui Litteras Collatori præsentet, tum Beneficium illud ita affectum censetur, ut si vacet, & alteri conferatur, quàm nominato à Papa, collatio sit irritanda, *n.* 43. *& seq.* Assertio 2. Quando mandatur alicui provideri de dignitate vacatura, quamvis voluerit acceptare, & postea vacet dignitas, pertinens ad collationem Ordinarii, quam is alteri confert, ante acceptationem: neque per reservationem, inhibitionem, vel processum factum ab executore, impeditur Ordinarius conferre præbendam ante collationem vacantem, *n.* 45. Ass. 3. Obtinens Litteras Apostolicas super Dignitate, vel Beneficio primò vacaturo, secundum acceptare non potest, licèt possit primum, vel ex causa secundum, aut ulterius. Reservationes verò, processus & decreta contra hoc facta non valent, *n.* 46. *&* 47. Ass. 4. Executor super provisione de Beneficio vacaturo per Litteras generales à Papa datas, non potest in Litteris Ordinariis inhibere generaliter, nisi expressè id ipsi fit mandatum, ne conferat Beneficia, donec illi, pro quo scribitur, sit provisum: potest tamen specialiter inhibere, ne alteri primum, vel secundum, vel alterius Beneficium vacaturum conferatur, alioquin quicquid contra fuerit factum, est irritum, *n.* 48. Assert. 5. Si mandatur Capitulo, ad quod spectat collatio, ut recipiat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cipiat aliquem in Canonicum, & præbendam, quæ vacat, vel primò vacatura est, conferat Titio, dato executore, qui, negligente Capitulo, Titio provideat: tunc per solam præsentationem litterarum factam Capitulo, etsi executor illam intimaverit Capitulo, Beneficium jam est affectum, ut, si vacet, Capitulum alteri conferre non possit, sed collatio est invalida: & si Capitulum intra certum tempus, Mandatum Apostolicum non impleat, ipse executor potest Beneficium, postquam vacat, Titio conferre, absque Capitulo, *num.* 49. & 50. Assert. 6. Si soli Episcopo, seu collatori ordinario, vel huic & executori, vel soli executori, mandatur, provideri alicui de Beneficio, & præsentatur mandatum, per talem præsentationem non auferetur Ordinario potestas conferendi; quia collatio facta tenet, licèt Ordinarius, si non obediat, sit puniendus: nisi in Mandato Apostolico decretum esset, ut quidquid contra illud fieret, irritum sit. Vel nisi executor, cum interpositione decreti, interdicat Ordinario, ne alteri conferat: vel nisi is, cui vi mandati, est providendum, jam esset receptus in Canonicum, & exspectaret præbendam, tunc enim Ordinarius non posset alteri conferre, sed collatio foret nulla, *num.* 51. & 52. Assertio 7. Si Papa antecessor det gratiam alicui, ad vacaturam præbendam, & successor similem secundo, ac deinde tertio, cum clausula, ut in assecutione præbendæ vacaturæ præferatur omnibus ab antecessore Papa provisis, non à se, tunc præbenda, quæ primò vacat, est danda secundo, quæ secundò vacat, tertio: & quæ tertiò vacat, primo, *num.* 53. Assertio 8. Quando Papa revocat omnes gratias concessas ab Antecessoribus ad Beneficia vacatura, sub tali revocatione comprehenduntur ij, qui ultra præscriptum numerum ad præbendas distinctas, sub exspectatione tamen sunt recepti, si percipiebant distributiones quotidianas: si verò non exspectent distinctam præbendam, sed solùm distributiones quotidianas, vel portionum augmentum, talis Constitutio revocatoria ad receptos ab Antecessoribus Papæ non extenditur, *num.* 54. & 55. Ad illos verò, qui ultra numerum Canonicorum sunt recepti, & non exspectant, nisi augmentum distributionum, seu portionum suarum, dicta Constitutio revocatoria non extenditur, *num.* 56. Includuntur etiam sub tali revocatione, qui habent jus ad vacaturam præbendam, si nondum est deventum ad collationem, *cit. num.* 46. Assertio 9. Decretum conditionale non afficit potestatem Ordinarii, vel alterius collatoris, ante eventum conditionis: secus quando acceptationi Beneficii tempus adjicitur cum decreto: intelligitur autem illud acceptâsse, qui Beneficium vacans petit vel recipit ab executore. Nota verò dicitur vacatio Beneficii exspectanti, si in loco Beneficii publicè sciatur, *num.* 57. & *seq.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1. & 2.
c. 2. *in princ. n.* 4. & 5. & §. *Cum verò; n.* 29. & §. *Si autem; nu.* 33. & *tribus seqq.*
c. 3. *n.* 8.
c. 4. *n.* 43. & 44.
c. 5. *n.* 30. & *duobus seqq.*
c. 6. *n.* 19. & 20.
c. 7. *n.* 14. & *seq.*
c. 8. *n.* 12.
c. 9. *n.* 21. & *seq.*
c. 10. *n.* 41. & *seq.*
c. 11. *n.* 9.
c. 12. *n.* 37. & *seq.*
c. 13. *n.* 6. & *seq.*
c. 14. *n.* 10. & 11.
c. 15. *n.* 39. & 40.
c. 16. & *ult. n.* 16.

In Sexto.

c. 1. *n.* 45.
c. 2. *n.* 13.
c. 3. *n.* 46. & 47.
c. 4. *n.* 48.
c. 5. *n.* 49. & 50.
c. 6. *n.* 51. & 52.
c. 7. *n.* 53.
c. 8. & *ult. in princ.* & §. *Si autem; n.* 54. & 55. & §. *Inillis verò;* & §. *fin. n.* 56.
Clement. un. n. 57. *Extrav. Ioann. XXII.* 1. *n.* 59. 2. *n.* 60.

TITVLVS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID innovetur.

§. I. *An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante!*

Assertio 1. Generalis regula prohibitoria est, quòd Sede Episcopali vacante, nihil sit innovandum, in præjudicium scilicet ipsius Sedis, nisi id jure expressè sit cautum, *num.* 2. & 3. Assertio 2. Si una Ecclesia unita sit alteri Ecclesiæ Cathedrali, non debet, Sede Episcopali vacante, fieri ejus dissolutio, *n.* 4. & 5. Solvitur objectio, *n.* 6. Assertio 3. Vacante Sede, judicium contra Ecclesiam instituì non potest; quia defensorem non habet, nec testimonium contra illam recipi, *n.* 7. & 8.

§. II. *An Sede vacante possit Capitulum conferre Beneficia!*

Assertio 1. Capitulum Cathedrale non potest, Sede vacante, conferre Beneficia vacantia, quorum libera collatio ad Episcopum tantùm spectat, *n.* 9. Neque Capitulum, Sede vacante, succedit Episcopo in electione & præsentatione, quæ ad Episcopum spectat; nec potest conferre Beneficia, quorum collatio spectat ad Episcopum jure devolutionis, propter negligentiam inferioris collatoris, *n.* 10. Succedit tamen Capitulum in provisionibus Beneficiorum, quæ fiunt per præsentationem instituti, & confirmationem electi, adeóque Beneficiis patronata, & electiva conferre potest, *num.* 11. Assertio 2. Si collatio Beneficiorum pertinet ad Episcopum, & Capitulum communiter, mortuo Episcopo, vel deposito, aut suspenso à collatione, Capitulum conferre potest; & vice versâ, Episcopus conferre potest Beneficia, ad collationem Capituli pertinentia, si hoc sit suspensum à collatione, vel singuli Canonici sint excommunicati, *num.* 12. & *seq.* Assertio 3. Si collatio Beneficiorum spectet ad solum Episcopum, cum consilio tamen, seu consensu Capituli, non potest illa Capitulum conferre, nisi Episcopus sit in mora, petendi relaxationem suspensionis, *num.* 14. Si verò ad aliquem pertineat collatio Beneficii, cum consilio Episcopi, sine illo conferre poterit, si Episcopus mortuus sit, vel longè absens, *num.* 15. Vacante Sede Imperiali, administratio Imperii devolvitur ad Papam, sed hoc usu receptum non est, *n.* 16. Ad quos pertineant fructus Beneficiorum vacantium primi, secundi, vel tertii, liquorum annorum, *n.* 17.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 4. & 5.
c. 2. *n.* 9. & *duobus seqq.*
c. 3. & *ult. n.* 7. & 8.

In Sexto.

c. un. eod. in 6. *num.* 12. & 13. & §. *Si verò; n.* 14. & §. *Ubi verò eod. c. n.* 15. *Extravag. un. Ioan. XXII.* & *Extravag. un. Inter Communes; n.* 16.

TITV-

TITVLVS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS, sine consensu Capituli.

§. *I. Ad quos actus Episcopi, vel alterius Prælati requiratur consensus Capituli, & qualis?*

Assertio I. Ad alienationem rei Ecclesiasticæ, immobilis, vel mobilis pretiosæ, & quæ servando servari potest, requiritur, præter consensum Prælati, etiam consensus Capituli, seu Conventûs, *n. 1. & duobus seqq.* Ass. 2. Alienatio rei Ecclesiasticæ ab Episcopo facta, contradicente Capitulo, non tenet, nisi Capitulum eam ratificet, *n. 4.* Quando convalescat alienatio per supervenientem consensum Capituli? *num. 5.* Ass. 3. Si Jus præsentandi ad Beneficium simul pertineat ad Prælatum, & Capitulum, tum debet Prælatus præsentare, cum consensu majoris, & sanioris partis Capituli, alioquin præsentatio non valet, nec consequens institutio, nisi ex consuetudine, vel privilegio soli Prælato jus præsentandi competere probetur, *num. 6. & seq.* Assert. 4. Episcopus non potest, sine consensu Capituli, unire in perpetuum Ecclesias alijs Ecclesijs, etiamsi habeat jus præsentandi in Ecclesijs concessis, *num. 8.* Ass. 5. Episcopus non potest, sine auctoritate Papæ, vel saltem sine consensu Capituli, conferre alicui Monasterio Ecclesias parochiales, vel reditus earum, etiam cum consensu Patroni, *num. 9. & seq.* Ass. 6. Potest Prælatus rem Ecclesiæ immobilem, v. g. feudum concedere alteri, vel locare ad tempus breve, sciente, & tacente Capitulo, adeóque sine expresso consensu Capituli, *num. 11.*

§. II. *Proponitur, & declaratur unus casus specialis, in quo alienationes Ecclesiasticæ fieri possunt à Prælato, absque consensu Capituli.*

Si Laicus decimas, quas in feudum perpetuum à Prælato Ecclesiastico, ante Concilium Lateranense, accepit, dare velit alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, à quo eas in feudum non recognovit, talis donatio tenet, etsi sine consensu Capituli facta sit, *n. 12. & seq.*

§. III. *Quinam actus fieri debeant, cum consensu Capituli?*

Assertio I. Episcopus, vel similis Prælatus non debet personas Ecclesiasticas instituere, nec destituere, aliáque negotia peragere sine consilio Capituli, alioquin quicquid actum est, ipso jure irritum censeri debet, *num. 14.* Ponuntur exceptiones, *n. 15.* Aliquando tamen non sufficit, petere consilium Capituli: sed etiam consensus requiritur, *num. 16.* Assert. 2. Et generaliter Prælatus Ecclesiæ negotia Ecclesiæ suæ, saltem cum consilio Capituli sui tractare debet, *num. 17. & seq.* Item Capitula Ecclesiarum Cathedralium vocari debent ad Concilia Provincialia, & admitti etiam per Procuratores ad tractandum: non autem ad decidendum, *num. 19. & seq.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. & duobus seqq.
c. 2. n. 11.
c. 3. n. 4.
c. 4. n. 14. & seq.
c. 5. n. 17. & seq.
c. 6. n. 6. & seq.
c. 7. n. 12. & seq.
c. 8. n. 8.
c. 9. n. 9. & seq.
c. 10. & ult. n. 19. & seq.

TITVLVS XI.

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORE parte Capituli.

Quinam comprehendantur appellatione Capituli Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, utrùm etiam Episcopus, seu Prælatus? *num. 1.*

§. I. *An, & quâ ratione gesta à majore parte Capituli valeant?*

Assertio I. Ad alienationem rei Ecclesiasticæ, vel alium actum capitularem non requiritur, ut totum Capitulum: sed ut pars major consentiat, *n. 2.* Ass. 2. Requiritur etiam, ut non solùm pars major numero, sed etiam pars major auctoritate, sive pars sanior Capituli consentiat, *n. 3.* An, & quando pars minor numero Capituli possit se opponere majori; & an etiam unicus, *n. 4. & 5.* Quando pars minor Capituli possit appellare contra majorem numero, *cit. num. 4. & 5.* Item, qui habet jus ad electionem Prælaturæ, si alicui electo reverentiam exhibeat, videtur ipso facto, renunciare juri suo, *cit. n. 6. & 7.*

§. II. *An major pars Capituli, seu Collegij possit aliquid decernere cum præjudicio minoris partis, de bonis, aut juribus spectantibus ad singulos de Collegio?*

Episcopus, cum majore & saniore parte Capituli, seu Collegij, etsi contradicente minore, potest statuere etiam de bonis, ac juribus spectantibus ad singulos de Collegio, cum præjudicio juris singulorum, si singuli jure illo non participant, ut jure proprio, ac singulari: sed ut jure ejusdem Collegij statuentis, *n. 8. & 9.*

§. III. *An possit ferri interdictum locale ab Episcopo, sine consensu Capituli, & an ad negotia à Capitulo tractanda debeant vocari Canonici absentes?*

Ut interdictum locale ferri possit, præter delictum grave, & publicum, requiritur etiam, ut cum auctoritate Episcopi, & consensu Capituli feratur, *num. 10. & seq.* Item spectato Jure communi, & ordinariè ad actus capitulares non sunt necessariò vocandi Canonici absentes, exceptis certis casibus expressis, *num. 12.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 2. & tribus seqq.
c. 2. n. 10. & seq.
c. 3. n. 6. & seq.
c. 4. & ult. num. 8. & seq.

TITVLVS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA, SINE diminutione, conferantur.

§. I. *Quomodo Beneficia sine diminutione sint conferenda?*

Regula generalis est, Beneficia Ecclesiastica sine diminutione esse conferenda, *num. 1. & 2.* Occulta collatio Beneficij est quidem suspecta, non tamen est irrita: dummodo aliàs legitimè probetur, *cit. n. 2.* An spectato Jure communi, Episcopus possit, ex justa causa, sibi ad tempus reservare integros fructus Beneficij vacantis? Affirmatur probabiliter, *n. 3.* Idem tamen valde probabiliter negatur, esse licitum, sine licentia, vel privilegio Papæ, *n. 4.* Quando Beneficia Ecclesiastica diminui, vel etiam omnino extingui possint? *n. 5.* Quæ requiruntur, ut Dignitas, vel Beneficia extingui possint? *n. 6.*

§. II. *De pensionibus, per quas diminuuntur reditus Beneficiorum.*

QUÆR. I. Quid sit pensio, & quomodo à Beneficio distinguatur? *n.* 7. Qu. 2. Quotuplex sit pensio? *n.* 8. Qu. 3. Quis possit pensionem imponere Beneficijs? *n.* 9. *& duobus seqq.* Q. 4. Quinam pensiones obtinere possint, *n.* 12. Q. 5. In quibus Beneficijs pensiones constitui possint, & in qua quantitate, *n.* 13. *& seq.* Q. 6. An ad pensionem imponendam Beneficio, requiratur consensus Beneficiarij, vel Patroni, si Beneficium sit patronatum, *num.* 15. *& seq.* Debet autem in impetratione Beneficij, fieri mentio prioris pensionis constitutæ in Beneficio, *n.* 17. Q. 7. Quando fieri possit designatio, seu reservatio pensionis, *num.* 18. Q. 8. An pensionarius obligatus sit, ad solvendum onera annexa Beneficio? *n.* 19. Q. 9. An obligatio Beneficiarij solvendi pensionem, transeat ad successorem ejus in Beneficio? *n.* 20. Q. 10. Quibus modis pensiones extinguantur? *n.* 21.

c. unic. in Antiquis.

TITVLVS XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, vel non.

SECTIO I. *De rerum Ecclesiasticarum alienatione, & rebus, quæ alienari possunt, vel non.*

§. I. *Quænam alienatio rerum Ecclesiasticarum Iure Canonico sit prohibita, & quæ hîc intelligantur nomine Ecclesiæ?*

Nomen alienationis dupliciter accipitur, strictè, vel latè, *n.* 1. Ass. 1. Nomen alienationis hîc latissimè accipitur, & sub illa continetur conditio, sive concessio sub conditione, donatio, venditio, permutatio, & emphyteusis perpetua, *n.* 2. *&* 3. Ass. 2. Nomine Ecclesiæ hîc continetur omnis locus pius, auctoritate Episcopi constitutus, *n.* 4. Hinc primò prohibita est constitutio hypothecæ specialis: non autem generalis, *n.* 5. Secundò. Nomine alienationis comprehenditur etiam translatio bonorum, vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam, scilicet sine justa causa, & consensu Capituli, *n.* 6. Tertiò. Nomine alienationis comprehenditur etiam unio perpetua unius Ecclesiæ, vel Beneficij cum alia, vel alio: potest tamen Episcopus, cum consensu Capituli, unire unam Ecclesiam alteri, vel loco religioso, etiam non vocato Rectore, vel defensore illius Ecclesiæ, non tamen mensæ suæ, vel Capitulo, *n.* 7. 8. *&* 9. Quartò. Nomine alienationis comprehenditur etiam transactio, *n.* 10. Quintò. Constitutio servitutis realis, vel personalis, *cit. n.* 5. Sextò. Cessio litis motæ super tali re, quam Prælatus solus, sine consensu Capituli, alienare non potest, *cit. n.* 10. Prohibetur autem hîc alienatio solùm illa, quæ fit sine justa causa, & præter ejus formam, *n.* 11.

§. II. *Quænam res Ecclesiasticæ alienari non possint, nisi ex causis jure expressis, & servatâ juris formâ, ac solemnitate?*

ASSERTIO I. Alienari inprimis prohibentur res immobiles, & res mobiles pretiosæ, quæ servando servari possunt: item bona mobilia, ex quibus utilitas, & fructus diuturnus percipi potest, ut est grex ovium, & alia hujusmodi, *n.* 12. Ass. 2. Inter bona immobilia etiam numerantur census, seu reditus annui stabiles, qui ex re immobili v. g. agris proveniunt, ideóq; sub prohibitionem alienationis veniunt: item pecunia, quæ ad bona immobilia est destinata, vel ex venditione rei immobilis est comparata, *num.* 13. Ass. 3. Actiones, & nomina debitorum propriè nec inter mobilia, nec immobilia numerantur: sed tertiam ac distinctam speciem bonorum constituunt, quæ tamen etiam alienari nequeunt, *n.* 14. Et hinc Episcopus, vel alius Prælatus non potest, sine juris solennitatibus, alienare bona Ecclesiæ, quæ ad mensam ipsius pertinent, vel de quibus dubitatur, an pertineant, *n.* 15. *& seq.* Similiter Episcopus possessiones ad mensam suam, vel Capituli pertinentes alienare non debet, nisi ex causa, vel cum consensu Capituli, nec dare potest Clericis, vel Laicis, in quibus Monachi ministrare consueverunt, *num.* 17.

§. III. *Quæ res Ecclesiæ alienari possunt liberè, & sine juris solennitate, & quibus casibus prohibitæ sunt alienationes rerum Ecclesiasticarum, etiam servatâ formâ, ac solemnitate juris?*

ASSERTIO I. Res mobiles Ecclesiæ, quæ servando servari non possunt, liberè alienati possunt, *n.* 18. Ass. 2. Etiam res immobiles, seu possessiones, quæ Ecclesiæ non sunt utiles, Episcopus liberè alienare, vel permutare potest, cum consensu Capituli, vel majoris ejus partis, qui tamen hoc casu, non ex necessitate: sed honestate solùm requiritur, *n.* 19. Similiter terra stabilis Ecclesiæ à Prælato dari potest in emphyteusin ei, cujus labore facta est fertilis, & culta, vel hæredibus ejus, *n.* 20. Ass. 3. Potest Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, qui aliquid Ecclesiæ de suo contulit, vel acquisivit, aliquos ex familia ejusdem Ecclesiæ, id est, servos, & ancillas manumittere, *n.* 21. Si verò Episcopus nihil de suo dedit Ecclesiæ, nullius ex servis ejusdem libertatem dare potest; sed Successor tales manumissos in servitutem revocabit, *num.* 22. Ass. 4. Plures sunt casus, in quibus res Ecclesiasticæ, ne quidem cum solennitatibus jure requisitis, alienari possunt, *num.* 23.

SECTIO II. *De causis, & forma, seu solennitate requisita ad rerum Ecclesiasticarum alienationem.*

§. I. *Ob quas causas alienari licitè possint res Ecclesiasticæ, etiam mobiles pretiosæ?*

Duæ conditiones requiruntur ad alienationem rerum Ecclesiæ, justa causa, & debita forma, sive solennitates jure requisitæ. Causæ numerantur communiter quatuor, ad quas aliæ possunt reduci: Prima est necessitas, ut, si debita Ecclesiæ aliter solvi non possint: Secunda est evidens Ecclesiæ utilitas, ut, si res aliqua Ecclesiæ alienetur, ut alia utilior comparetur, *n.* 24. Tertia est pietatis, ut pro redemptione captivorum, vel ad sublevandum pauperes: Quarta causa est incommoditas, si res alienata plus damni, quàm commodi Ecclesiæ afferat, *n.* 25.

§. II. *Quæ forma servanda sit, sive quæ juris solennitates requirantur ad rei Ecclesiasticæ alienationem?*

ASSERTIO I. Ad alienationem rei Ecclesiasticæ requiritur primò. Ut præcedat tractatus Capitularis, aliàs non valet, *n.* 26 Ass. 2. Altera conditio, seu solennitas requisita est consensus Capituli, seu Collegij, quoad majorem partem tunc præsentium, alioquin alienatio non tenet, *n.* 29. *&* 30. Ass. 3. Tertia solennitas requisita est, ut fiat subscriptio à Capitulo

rulo, seu Conventu, aliàs irrita est alienatio, saltem in casibus jure expressis, ut donatione, venditione, & permutatione: nisi consuetudine aliud sit receptum, *num.* 31. Quale instrumentum alienationis manu publici Notarij sit conficiendum? *n.* 32. Quarta solennitas requisita, est auctoritas, sive consensus Superioris, de quo infra. An, & quomodo præsumi possit, solennitates jure requisitas in alienatione rerum Ecclesiasticarum interveniisse? *n.* 33. *& seq.*

§. III. *An alienatio rei Ecclesiasticæ prohibitæ alienari, facta, sine legitima causa, & forma, sive solennitate requisita, sit valida, etsi non licita?*

Assertio I. Si causa alienandi rem Ecclesiasticam, nempe necessitatis, vel utilitatis non adsit, ipso jure irrita est alienatio, *n.* 35. Ass. 2. Alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium, & pretiosarum, quæ asservari possunt, si fiat à Prælato, ex justa causa: sed sine tractatu, & consensu Capituli, ac proinde sine debita forma, & solennitate, est ipso jure Ecclesiastico irrita, saltem in judicio, & foro externo: quamvis talis alienatio, quia spectato jure naturali, injusta non est, valida est in foro conscientiæ, ita, ut res alienata licitè retineri possit, donec per Judicis sententiam rescindatur talis alienatio, *n.* 36. Alij tamen contrarium tenent, ad quorum argumenta respondetur, *n.* 37. Confirmatur dicta sententia, *n.* 38. *&* 39.

§. IV. *An Prælatus, sine consensu Capituli, aliisque juris solennitatibus, valide renunciare possit hæreditati, vel legato rei immobilis, aut mobilis prætiosæ, relicto Ecclesiæ?*

Negativa sententia est valde probabilis, *n.* 40. Affirmativa tamen communior, & probabilior; quia renunciatio hæreditatis, vel legati non est alienatio rei Ecclesiæ, *n.* 41. Prælatus solus non potest Ecclesiæ suæ obesse agendo, & contrahendo: potest tamen solus obesse in non acquirendo, *num.* 42. In quibus Prælatus differt à tutore? *n.* 43.

Sectio III. *De consensu, vel auctoritate Prælati necessariâ ad rerum Ecclesiasticarum administrationem.*

§. I. *An, & quando superioris Prælati consensus, vel auctoritas requiratur, ad alienationem rerum Ecclesiasticarum?*

Prælatus potest dupliciter auctoritatem suam, vel consensum præstare alienationi rei Ecclesiasticæ, & quæ sint inter utramque auctoritatem differentiæ? *n.* 44. Ass. 1. Si bona alienanda spectant ad Ecclesiam sæcularem, inferiorem Cathedrali, & non exemptam, nec Collegiatam, tunc si Episcopus talis Ecclesiæ bona alienet, ut ipse sit auctor alienationis, requiritur etiam consensus Capituli Cathedralis. Secus est, si Episcopus non sit auctor talis alienationis: sed Prælatus inferior, aut Rector Ecclesiæ bona illius alienet; tunc enim, si Collegiata sit, præter consensum Episcopi, requiritur consensus Capituli Ecclesiæ illius inferioris. Si denique Ecclesia inferior non Collegiata v.g. Parochialis bona alienet, sufficit consensus Episcopi, *n.* 45. Ass. 2. Si Prælatus Regularis non sit exemptus, præter consensum Conventûs sui, requiritur etiam consensus Episcopi in alienationibus rerum Ecclesiasticarum: si verò sit exemptus, & immediatè subjectus Papæ, requirere debet illius consensum. Vel, si Prælatus regularis exemptus Ordinis Generalem habeat, tunc illius consensus in alienationibus rerum, vel ex ejusdem concessione Provincialis consensus requiritur, *n.* 46. Allegatur novum Decretum Urbani VIII. circa alienationes rerum, seu bonorum immobilium, vel mobilium pretiosarum, spectantium ad Regulares, *n.* 47. Ass. 3. Si alienanda sit res Ecclesiæ inferioris, subjectæ Episcopo, præter consensum Prælati proprij, requiritur etiam consensus Episcopi, *n.* 48. In hoc autem casu Episcopus, in cujus Diœcesi posita est Ecclesia, cujus est res alienanda, consensum præstabit, *num.* 49. Ass. 4. Si bona alicujus Ecclesiæ inferioris v. g. Prioratûs, qui à Priore aliquo regitur, non habente proprium Conventum, & incorporatus est alicui Monasterio, tunc illius bona non possunt alienari, sine consensu Prælati superioris, & Conventûs ejusdem, *n.* 50. Nullus Religiosus præsidens alicui Monasterio, Prioratui, vel Ecclesiæ, seu administrationi cuivis, potest concedere jura, reditus, & possessiones ejusdem alicui ad vitam, vel ad certum tempus, etiam receptâ pecuniâ: nisi necessitas, aut utilitas hujusmodi locorum hoc exposcat, & Conventûs sui, aut, si Conventum non habeat, Prælati proprij, & Superioris consensus accedat: alioquin pœnam suspensionis incurret, nec recipienti jus aliquod acquiritur. Quod tamen ad locationes, vel etiam redituum, seu fructuum venditiones ad tempus modicum, non est extendendum, *n.* 51. & 52.

§. II. *An in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, etiam intervenire debeat consensus, seu auctoritas Romani Pontificis?*

Prohibita est jure novo omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienatio, omnéque pactum, per quod eorum dominium transfertur, concessio, hypotheca, locatio, & conductio, ultra triennium, nec non infeudatio, & contractus emphyteuticus, præterquam in casibus à jure permissis: ac de rebus, & bonis in emphyteusin ab antiquo concedi solitis, & de fructibus, ac bonis, quæ servando servari non possunt, idque sub certis pœnis jure expressis? *n.* 53. *& tribus seqq.* An Prælatus, qui juravit, se non alienaturum bona Ecclesiæ, inconsulto Papâ, nihilominus ex causa, & servatâ solennitate juris, valide, & licitè ea alienet. Resp. negativè, *n.* 57. Ponuntur exceptiones, *num.* 58. Præterea prohibitum etiam est, ne Prælati Ecclesias sibi commissas, earúmque bona immobilia, vel jura, sine consensu Capituli sui, & expressâ licentiâ Papæ, Laicis subijciant: neq; recognoscant à Laicis tanquam Superioribus, se ea tenere: neque liceat eos Patronos, aut Advocatos Ecclesiarum, aut bonorum earundem perpetuò, vel ad tempus longum constituere: contractus autem omnes sic celebrati, etiam juramento firmati, sunt irritandi, & quicquid ex eis secutum fuerit: aliàs verò Prælati sunt suspensi ab officio, & administratione: Clerici verò non denunciantes Superiori, quod contra hanc inhibitionem præsumptum est, per triennium sunt suspensi à Beneficio. At viri, qui compellunt Clericos ad talem subjectionem, sunt excommunicati: & qui aliquid accipiunt, nisi restituant, & resipiscant, ultra excommunicationem eorum Terræ interdicto supponuntur, *num.* 59. *&* 60.

§. III. *An ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requiratur auctoritas, vel consensus Patroni, vel consensus Principis sæcularis loci, in quo eæ sitæ sunt?*

ASSERTIO I. Etsi consensus Patroni quandoque requiri debeat: non tamen is potest impedire alienationem rei Ecclesiasticæ, si debito modo facta sit. *n.* 61. Ponuntur duæ exceptiones. *n.* 62. Ass. 2. Etsi non per statutum, potest tamen per consuetudinem diuturnam induci, cum licentia, & patientia Prælatorum Ecclesiasticorum, ut consensus Principis sæcularis in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requirendus sit. *n.* 63.

SECTIO IV. *De revocatione alienationis rerum Ecclesiasticarum illegitimè factæ, ac pœnis alienantium res Ecclesiæ ita alienatos.*

§. I. *Quinam, & quomodo revocare possint alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas, & repetere res Ecclesiæ ita alienatas?*

ASSERTIO I. Alienationem rerum Ecclesiasticarum illegitimè factam revocare potest inprimis ipse Prælatus, vel Rector alienans. *n.* 64. Item, qui alienanti prædium Ecclesiæ illegitimè subscripsit, excommunicandus est, nisi alienans, & qui accepit, citò restituerit, & præter excommunicationem, instrumentum alienationis non valet. *n.* 64. & 65. Alienans illegitimè res Ecclesiæ, tenetur alienationem revocare, etsi juravit, se non revocaturum: imò etsi Successor, vel Superior talem alienationem confirmavit. *n.* 66. Ass. 2. Præter illos, qui ex officio res Ecclesiasticas illegitimè alienatas repetere debent, quilibet è Clero restitutionem illarum petere potest, etiam Parochiani Laici. *n.* 67. & *tribus seqq.* Item non possunt Canonici locare prædia Ecclesiastica in perpetuum, & si locant, sunt revocanda, & locantes refundere debent pretium conductoribus. *n.* 71. & 72.

§. II. *An, & quando Ecclesiæ læsæ, ob alienationem rei Ecclesiasticæ, competat beneficium restitutionis in integrum, & quæ sint pœnæ illegitimè alienantium res Ecclesiasticas, aut malè recipientium?*

ASSERTIO I. Si Ecclesia in alienatione rei legitimè facta enormiter læsa sit, petere potest restitutionem in integrum, & restituenda sunt ei bona, reddito pretio ei, in quem alienatio facta est, cui etiam fructus percepti pro labore relinqui debent. *n.* 83. & *tribus seqq.* Ass. 2. Si alienatio rei Ecclesiasticæ contra Canones facta sit, tam alienator: quàm is, in quem alienatio facta est, imò & qui ei subscripserunt, ipso facto, excommunicationem incurrunt, nisi intra terminum præfixum, contractum alienationis rescinderint. *n.* 77. Item, qui petunt, & recipiunt res Ecclesiæ à Laicis, perdunt acceptas, & sunt excommunicandi. *n.* 78.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 6.
c. 2. *n.* 76.
c. 3. *n.* 21.
c. 4. *n.* 22.
c. 5. *n.* 2. & 3.
c. 6. *n.* 64. & *tribus seqq.*
c. 7. *n.* 20.
c. 8. *n.* 15. & *seq.* & §. *fin. n.* 19.
c. 9. *n.* 75. & *seq.*
c. 10. *n.* 17.
c. 11. *num.* 73. & *tribus seqq.*
c. 12. & *ult. num.* 30.

IN SEXTO.

c. 1. *num.* 26. & *duobus seqq.*
c. 2. *n.* 59. & 60.

IN CLEMENT.

Clement. 1. *num.* 51. & *seqq.*
Clement. 2. *num.* 7. & *seq.*
Extrav. un. Inter Communes n. 53. & *tribus seqq.*

TITULUS XIV.
DE PRECARIIS.

§. I. *De contractibus in genere.*

QUÆR. I. Quid sit contractus? *n.* 1. Q. 2. Quotuplex sit contractus? *num.* 2. Q. 3. Quot, & quibus modis perficiantur contractus? *n.* 3. Q. 4. Quæ obligationes oriuntur ex quasi contractu? *n.* 4.

§. II. *De contractu precarij.*

Quær. I. Quid sit precarium, & quomodo à commodato differat? *n.* 5. Quænam ad precarij substantiam spectant, & requiruntur? *n.* 6. & 7. Q. 2. Quando, & quomodo precarium finiatur? *n.* 8. & 9.

§. III. *De contractu precariæ, seu precariarum.*

Quær. I. Quid sit precaria, sive precariæ, & quomodo à precario distinguantur? *num.* 10. Si concessio precariæ, sive precariarum irrationabiliter facta sit, potest à successore revocari, etiamsi ab antecessore pœna adjecta sit tali contractui. *n.* 11. & 12. Q. 2. Quomodo contractus precariarum differat à contractu emphyteutico? *n.* 13. & *duobus seqq.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 14. & *seq.*
c. 2. *n.* 11. & *seq.*
c. 3. & *ult. in princ. n.* 6. 8. & 9.

TITULUS XV.
DE COMMODATO.

§. I. *Quid sit commodatum, & quomodo ab aliis contractibus distinguatur: Item quæ res commodari possint, & quis commodare possit?*

ASSERTIO I. Commodatum est alicujus rei ad aliquem specialem, seu certum usum gratuitò facta concessio *n.* 1. Ass. 2. Omnes res commodari possunt, mobiles, & immobiles, etiam jura & servitutes, ac reditus annui: exceptis ijs, quæ usu ipso statim consumuntur, item res sacræ ad usus sacros. *n.* 2. Commodare potest dominus rei, vel qui administrationem eius habet: non autem Religiosus, sine licentia Superioris. *cit. n.* 2.

§. II. *Ex qua culpa teneatur commodatarius, si res commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat, & an teneatur præstare casum fortuitum?*

Ex contractu potest quis teneri ex dolo, vel ex culpa: Quid sit dolus, & quomodo differat à culpa. Est autem culpa alia lata, alia levis, alia levissima: & quid sit casus fortuitus? *n.* 3. Ass. 1. Quando aliquid commodatum fuit in gratiam unius tantùm, scilicet accipientis, tum ex levissima etiam culpa obligatur. *n.* 4. Ass. 2. Si contractus commodati instituatur in gratiam solius dantis, & non accipientis, tum commodatarius de dolo, & lata culpa tantùm, quæ dolo æquiparatur, obligatur. *n.* 5. Ass. 3. Si commodatum in utriusque gratiam, dantis, & accipientis ineatur, tunc commodatarius tenetur ex culpa lata, & levi: sed non de levissima. *n.* 6. Ass. 4. Si res commodata, casu fortuito, v. g. incendio pereat, non tenetur eum præstare commodatarius. *n.* 7. Excipiuntur tres casus, nisi casus fortuitus acciderit culpâ commodatarij, vel is pactum fecerit, de eo præstando, vel in mora restituendi fuerit. *n.* 8. & *duobus seqq.* Non potest agi contra

contra commodatarium, nisi post usum expletum, cujus causâ res commodata fuit. *n.* 11.

IN ANTIQUIS.

c. un. in princ. n. 4. *& tribus seqq. & num.* 8. *& num.* 11.

TITVLVS XVI.

DE DEPOSITO.

§. I. *Quid sit depositum, & an depositarius uti possit re depositâ.*

ASSERTIO I. Depositum est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur, & quomodo à cæteris contractibus distinguatur? *num.* 1. Ass. 2. Depositarius non potest regulariter uti re depositâ, alioquin furtum committit, exceptis tribus casibus. *n.* 2.

§. II. *An, & quando depositarius teneatur ad præstandum dolum, aut culpam, vel casum fortuitum, si res deposita apud ipsam perijt, vel deterior facta est?*

ASSERTIO I. Depositarius tenetur de dolo, & lata culpa: & quando præsumatur dolus commissus à depositario: quòd si dicat, rem depositam, casu fortuito, amissam esse, id probare debet. *num.* 3. Ass. 2. Depositarius tenetur tantùm de damno ex culpa lata, seu crassa. *num.* 4. Exceptis duobus casibus, in quibus tenetur etiam de culpa saltem levi, nempe, si seipsum depositi obtulit, vel aliquid pro custodia accepit. Quibus addi potest casus tertius, si expressè conventum sit, ut etiam culpa levis præstetur. *n.* 5. Ass. 3. Depositarius non obligatur ad casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si pactum, culpa, vel mora culpabilis præcessit casum fortuitum. *n.* 6.

§. III. *An dominus semper possit pro libitu repetere rem depositam, & an in deposito locum habere possit compensatio?*

ASSERTIO I. Deponens potest statim depositum repetere, quandocùnque voluerit, exceptis quibusdam casibus, in quibus deponens non statim illud reddere: sed restitutionem differre potest. *num.* 7. Ass. 2. Non potest depositarius velle rem depositam compensare cum alio debito deponentis, vel penes se retinere, donec illi satisfiat de alio debito. *n.* 8. Imò nec deductio, per quam pars depositi retinetur, locum habet. *n.* 9. Quamvis compensatio locum habeat in alijs contractibus. *cit. num.* 9. Probabilius est, etiam in commodato habere locum compensationem. *num.* 10. In foro tamen conscientiæ etiam depositarius uti potest compensatione, si aliter debitum suum consequi non possit. *num.* 11.

§. IV. *An, si res aliqua penes Clericum, aut Religiosum sit deposita, & dolo, vel latâ culpâ ejus sit perdita, Ecclesia, vel Monasterium obligetur ad resarciendum damnum?*

Respond. Ecclesiam, vel Monasterium non obligari, nisi quatenus in rem, utilitatémque Ecclesiæ, vel Monasterij versum fuisse, probatum fuit. *num.* 12. Idque procedit, licèt Clericus, vel Religiosus, cum consensu Prælati sui, vel etiam ipse Prælatus, sine consensu tamen Capituli, depositum acceperit. *n.* 13. *& duobus seqq.*

§. V. *An depositarius, commodatarius, vel conductor possit in periculo naufragij, hostilis incursûs, vel incendij, præferre res suas, si utrasque periculo eripere non possit?*

ASSERTIO I. Res propriæ, vel alienæ, quæ pretiosiores sunt, tali casu, præ alijs, periculo liberari possunt, ac debent. *num.* 16. Assert. 2. Si res propriæ, vel alienæ sint æquales, tunc in periculo præferendæ sunt res propriæ, si alienæ acceptæ sint in utilitatem dantis tantùm, vel utriusque: si verò in commodum accipientis tantùm, præferendæ sunt res alienæ, in communi periculo, proprijs æqualibus. *num.* 17. Porro, si depositarius, vel conductor, præferendo res alienas pretiosiores proprijs, etsi minùs pretiosis, earum jacturam passus est, compensationem damni petere potest: non item commodatarius. *n.* 18.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS. *c.* 2. *in princ. n.* 3. *&* §. *Sanè num.* 7. *&* 8. *c.* 1. *n.* 12. *& seq.*

TITVLVS XVII.

DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

§. I. *Quid sit emptio, & venditio, & quæ ad substantiam illius requirantur?*

Est contractus bonæ fidei ultrò, citróque obligatorius, in quo venditor cum emptore de re, sive merce, pro pretio pacisci tur, idque declaratur *num.* 1. In hoc contractu debet certum, ac determinatum pretium constitui, & quidem in pecunia numerata, alioquin invalidus est: quamvis non sit necessarium, ut pretium statim solvatur: sed ut fides de eo habeatur. *num.* 2. Item venditio debet institui de re certa; unde si erretur in substantia rei, vel corpore rei, ut si vendatur æs pro auro, nulla est venditio. *cit. n.* 2.

§. II. *De emptione, & venditione rerum sacrarum.*

Etsi venditio, & emptio solo consensu utriusque partis perficiatur: non tamen alienatio dici potest ante traditionem rei propriæ. *num.* 3. Si procurator Ecclesiæ tradidit, ac vendidit rem Ecclesiæ, non soluto pretio: sed fide solùm de eo habitâ, dominium rei non transfertur in emptorem, donec pretium sit numeratum: Secus est, si Prælatus tali modo vendat. *cit. num.* 3. Assert. 1. Res sacræ, & consecratæ non possunt vendi ad usum profanum. *num.* 4. Assert. 2. Si res sacræ, sive consecratæ, quoad materiam illarum non possint ita separari à consecratione, ut inter res profanas numerentur, tunc neque ad usum sacrum vendi possunt. *num.* 5. Excipiuntur vasa sacra, quæ ob necessitatem redimendi captivos, vel simile pium opus exercendi, vendi possunt, etiam integra, si vendantur Ecclesiæ, vel conflata, si vendantur Laico, aut personæ privatæ: quamvis aliqui putent, neque Ecclesijs vendi posse vasa sacra integra, & non conflata. *n.* 6. An possit vendi Laicis sacer calix integer, & non confractus? *n.* 7. An calix consecratus possit vendi, non solùm ratione materiæ: sed etiam artificij? *n.* 8. Item, an Templum, sive Ecclesia materialis vendi possit? *n.* 9. An possint Clerici, vel Religiosi suam Ecclesiam pro pecunia alijs tradere, ut alibi Ecclesiam ædificare possint, *n.* 10. An

res benedictæ; ut chrisma, aut oleum, aqua, panis &c. possint vendi ratione materiæ? *n.* 11.

§. III. *An, & quatenus aliæ res, seu jura Ecclesiarum vendi possint, vel non?*

Res, & bona, ac jura Ecclesiarum, quædam sunt merè spiritualia: quædam sunt temporalia secundùm se: sed annexa rei spirituali, idque, vel consequenter, vel antecedenter, *num.* 12. Assert. 1. Res Ecclesiæ merè spirituales nullo modo vendi, aut emi possunt, *num.* 13. Assert. 2. Quando temporale est annexum consequenter rei spirituali, tanquam causæ suæ, ut fructus temporales Beneficijs, tale jus vendi non potest, *num.* 14. Assert. 3. Quando temporale spirituali est annexum, antecedenter, & inseparabiliter, ut Ecclesia, Cœmeterium, seu locus sepulturæ, tunc absolutè vendi possunt, non tamen possunt ob prohibitionem Ecclesiæ, *num.* 15. Assert. 4. Quando temporale est annexum spirituali antecedenter, & separabiliter, tunc temporale vendi potest, v. g. Castrum, cui annexum est jus patronatûs, & accessoriè etiam hoc venditur, *num.* 16. Assert. 5. Bona Ecclesiæ etsi vendi possint: non tamen debent, si sint immobilia, vel mobilia pretiosa, & permanentia, sine justa causa, & requisitis solennitatibus, *n.* 17.

§. IV. *An externis, & peregrinis laicis cariùs liceat vendere merces, quàm indigenis: & quæ sit pœna falsantium justas mensuras, ac pondera?*

Merces, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessariæ, justo pretio vendi debent, non tantùm incolis: sed etiam extraneis, *num.* 18. & 19. Olim statutum fuit, ut, si quis mensuras, & pondera fraudare præsumpserit, 30. diebus in pane, & aqua pœniteat. Sed Canones pœnitentiales non sunt ampliùs in usu, *n.* 20.

§. V. *An venditio, vel emptio, ob læsionem ultra, vel infra dimidium justi pretij, sit invalida, vel saltem rescindi possit?*

Assertio I. Si venditor rei sit læsus, ultra dimidium justi pretij, potest agere adversùs emptorem, & petere supplementum justi pretij, vel ad restitutionem rei venditæ: sed est in arbitrio emptoris, vel rescindere contractum venditionis, vel supplere defectum justi pretij, prout ipse voluerit, *n.* 21. & *seq.* Hæc autem electio venditori non competit, *n.* 23. & *seq.* Ass. 2. Non solùm venditor: sed etiam emptor, si supra dimidium justi pretij læsus fuit, restitui debet, ita, ut vel contractus rescindi, vel justum pretium suppleri debeat, pro arbitrio venditoris, qui læsus est, idque ex æquitate: licèt jure expressum non sit; ne contractus ex una parte claudicet, &, ut inter contrahentes servetur æqualitas, *num.* 25. An dimidium justi pretij eodem modo sit computandum in emptore læso, quo computatur in venditore læso, ita, ut ex parte etiam emptoris contractus sit rescindendus, vel excessus pretij justi emptori sit restituendus, prout venditor voluerit? *cit. n.* 25. Quænam præterea notanda sint circa læsionem ultra dimidium justi pretij in venditione, & emptione, *n.* 26. & 27.

§. VI. *Quibus casibus cesset remedium rescindendæ venditionis, ob læsionem etiam ultra, vel infra dimidium: & an locum habeat etiam in aliis contractibus?*

Assertio I. Tribus casibus cessat hoc remedium rescindendæ venditionis, ob læsionem, ultrà, vel infra dimidium, *n.* 28. Ass. 2. Etiam in alijs contractibus, onerosis tamen, & reciprocis, habet locum hoc remedium: non autem in lucrativis, & non reciprocis, *n.* 29.

§. VII. *An emptioni, & venditioni licitè apponi possit pactum retrovendendi, vel redimendi?*

Pactum hoc tribus modis apponi potest: vel in favorem venditoris, vel emptoris, vel utriusque, *n.* 30. Ass. 1. Venditio cum pacto redimendi in gratiam solius venditoris inito, factâ ei potestate, oblato pretio, redimendi rem venditam, quandocùnque voluerit, vel intra certum tempus, est justa, & licita: modò in ea minuatur pretium rei venditæ, *n.* 31. & *seq.* Ass. 2. Venditio cum pacto redimendi in favorem emptoris tantùm, ita, ut venditor redimere rem venditam teneatur, intra certum tempus, vel quandocùnque placuerit, est licita: modò in ea augeatur pretium, ita, ut emptor eam pluris emat, quàm ipsa per se valeat, *n.* 33. Ass. 3. In venditione facta, cum pacto retrovendendi, ita, ut tam venditor possit redimere rem: quàm emptor revendere, eo tempore, quo utcque voluerit: res vendi debet minore pretio, quàm per se valeat, & quàm venderetur, si cum pacto solius emptoris venderetur; pluris tamen vendi debet, quàm si venderetur, cum pacto redimendi solius venditoris, *n.* 43. Porro vendens rem, cum pacto, quòd post certum tempus possit recuperari modico pretio, præsumitur venditio usuraria; quia est simulata tantùm venditio, & emptio, reipsa tamen contractus pignoratitius, & usurarius, & cogitur vendens, rem restituere hæredibus, & punitur ut usurarius, *n.* 35. & 36. An, & quâ ratione tale pactum de retrovendendo sit præsumptus contractus usurarius, & pignoratius? *n.* 37. & 38. Emptio, & venditio annui census, cum pacto revendendi, seu redimendi in totum, vel ex parte, ita tamen, ut non possit venditor cogi, ad redimendum, non est usurarius: sed licitus, *n.* 39.

§. VIII. *De venditione rei donatæ propter nuptias à viro uxori, eâdem consentiente, alteri factâ.*

Si vir res donatas uxori propter nuptias, illi consentiente, vendidit, quamvis tempore venditionis vir haberet alia bona, unde uxor sibi posset consulere, non poterit illa ampliùs molestare emptorem, qui rem possedit 30. annis, etiam soluto matrimonio, maximè, si pretium fuit conversum in communem usum utriusque conjugis, *n.* 40. & *seq.*

§. IX. *An, & quando teneatur venditor emptori de evictione, & in quibus casibus non obligetur?*

Assertio I. Venditor regulariter obligatus est emptori de evictione rei venditæ, *n.* 42. Sunt tamen tres præcipuè casus, in quibus venditor non obligatur emptori de evictione, *num.* 43. Primus est, si emptor post judicium contra se institutum, id non denunciet venditori, ut se defendat, *num.* 44. Secundus casus est, si contra emptorem sententia condemnatoria lata fuit, quia tempore sententiæ latæ contumaciter abfuit; tunc enim venditor non tenetur de evictione, *nu.* 45. Tertius casus est, si per Judicis injuriam, vel imperitiam, aut errorem contra emptorem sententia lata sit, sive per injustam sententiam res empta evicta fuit, non tenetur vendi-

venditor de evictione, *n.* 46. Sunt & plures alij casus, in quibus venditor non obligatur, ad præstandam evictionem emptori, qui enumerantur, *n.* 47.

§. X. *Ad quem pertineat periculum rei venditæ, ad venditorem, an ad emptorem?*

Assertio I. Si res vendita pereat, vel deterior fiat post traditionem, id fit damno emptoris, etsi nondum pretium sit solutum, modò fides de eo sit habita, *n.* 48. Ass. 2. Si res vendita sit absolutè & purè, eàque sit certa, & determinata, v. g. hic equus, tunc si res illa casu merè fortuito pereat, vel deterior fiat, etiam ante traditionem, id fit damno emptoris, ita, ut nihilominus totum pretium solvere debeat, si nondum solvit, *n.* 49. Aliud est, si res sub conditione sit vendita, eâque pendente, pereat, tum enim id accidit damno venditoris. Quòd, si res vendita sub conditione adhuc extet: sed deterior facta sit, sine culpa venditoris, & conditio postea impleatur, id damno emptoris accidit, *n.* 50. Sunt tamen plures casus, in quibus periculum rei venditæ etiam certæ, ac determinatæ, ante traditionem, pertinet ad venditorem, *n.* 51. Ass. 3. Si vendatur res determinata, sed sub disjunctione, v. g. Stichus, vel Pamphilus, & unus eorum moriatur ante traditionem, venditori perit: si verò alter quoque superstes moriatur, emptori perit. Item res venditæ in genere damno venditoris pereunt, *n.* 52.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 18. *& seq.*
c. 2. *n.* 20.
c. 3. *n.* 21. *& seq.*
c. 4. *n.* 40. *& seq.*
c. 5. *n.* 35. *& seq.*
c. 6. *n.* 23.
c. 7. *& ult. n.* 43. *& trib. seqq.*
Extrav. 1. *&* 2.
Inter Communes n. 39.

TITVLVS XVIII.

DE LOCATO, ET CONDUCTO.

Sectio I. *De contractu locationis, & conductionis.*

§. I. *Quid sit locatio, & conductio?*

Est contractus, quo persona, vel res aliqua alteri utenda, vel fruenda, pro certo pretio, sive mercede conceditur, & ab eodem accipitur, *num.* 1. Et declaratur, *num.* 2.

§. II. *An locator rei frugiferæ teneatur remittere de pensione, seu mercede constituta, ob sterilitatem, hostium incursum, vel alium casum fortuitum, sine culpa conductoris obvenientem?*

Assertio I. Si damnum, casu fortuito, illatum modicum sit, nihil conductori de pensione remitti debet, *n.* 3. Ass. 2. Si sterilitas, vel alia clades extrinsecùs illata, tanta sit, ut conductor uno anno, nihil ex re conducta percipiat, totam pensionem ei locator remittere debet: quòd, si sterilitas tanta non sit, revera tamen magna, tunc remittenda est pensio, secundùm proportionem damni illati: idémque est de conductoribus rerum Ecclesiasticarum, *num.* 4. Quænam sit sterilitas, vel clades magna, ob quam fieri debeat mercedis, seu pensionis remissio? *n.* 5. Quibus casibus non debet remitti merces, seu pensio, ob sterilitatem? *num.* 6. *&* 7. An sicut ob magnam sterilitatem pensio è conducta re, pro rata, remittenda est locatori: ita vicissim, ob magnam fertilitatem, pensio possit à locatore augeri? *n.* 8.

§. III. *An locator possit, ante, vel saltem post finitum tempus locationis, conductorem expellere ex fundo, vel domo conducta?*

Non potest locator, durante tempore locationis, conductorem ex fundo, vel domo conducta expellere: potest tamen post illud tempus finitum, *num.* 9. Illud specialiter statutum est, ut Magistri, & Scholares Bononienses, qui ante tempus locationis elapsum, hospitia conducunt aliorum Magistrorum, & Scholarium, sine consensu Inquilinorum, excommunicentur: quam tamen Constitutionem aliqui volunt, solùm esse localem, quippe latam in favorem Magistrorum, & Studiosorum Bononiensium tantùm, *n.* 10. *&* 11.

§. IV. *In quibus casibus locator potest inquilinum etiam invitum, ante tempus locationis finitum, expellere, & vicissim conductor, ex justa causa recedere?*

Assertio I. Plures sunt hujusmodi casus, utroque jure, expressi, *num.* 12. Primus est, si locator domum locatam, proprijs usibus esse necessariam, probet, *num.* 13. Secundus, si domus locata necessariò reficienda sit, quæ tempore locationis non egebat refectione, *num.* 14. Tertius, si conductor in re conducta malè versatus sit, *n.* 15. Quartus, si conductor pensionem solvere intermittat, *num.* 16. Ass. 2. Sicut locator conductorem etiam invitum ex prædictis causis potest expellere: ita & conductor, ante tempus locationis finitum, etiam invito locatore, ex justa causa, recedere potest, *n.* 17.

§. V. *Ex qua culpa teneatur, tam conductor, quàm locator?*

Assertio I. Si res conducta perijt apud conductorem, vel deterior facta est, dolo, vel culpâ latâ, vel etiam levi ipsius, damnum hoc resarcire debet; non item, si casu fortuito, vel culpâ levissimâ conductoris damnum evenit, *num.* 18. Ponuntur exceptiones, *cit. num.* 18. An aliquando teneatur conductor etiam de culpa levissima? *num.* 19. Ass. 2. Similiter locator, si vitiosam rem locavit, tenetur ad damnum resarciendum, si dolo, vel latâ, vel etiam levi culpâ illatum sit: non item si casu, vel ex culpa levissima, *n.* 20.

§. VI. *De permissa, vel prohibita locatione, & conductione rerum Ecclesiasticarum.*

Assertio I. Non potest Prælatus, aut Rector Ecclesiæ rem alienari prohibitam, sine justa causa, & juris solennitatibus, locare ad longum tempus, nempe decennium: potest autem ad tempus breve, infra decennium, *num.* 21. Jure verò novo non potest ultra triennium, *cit. num.* 21. Assert. 2. Locatio rei alienari prohibitæ, ultra triennium, vel ad longum tempus, non potest fieri ad sex, vel novem annos, vel etiam ad quatuor triennia, vel tria quinquennia, ita, ut finito uno triennio, aut quinquennio, renovata censenda sit locatio in aliud triennium, vel quinquennium; tunc enim locatio non valet, saltem quoad excessum, *num.* 22. Assert. 3. Licèt Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius non possit jus decimarum alienare in alium Laicum, vel Clericum, sine justa causa, & solennitatibus requisitis: potest tamen ipsos fructus, sine præjudicio Ecclesiæ, & Successoris, alteri etiam Laico locare, *n.* 23.

§. VII. *An*

§. VII. *An locationi factæ per Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ, Successor ejus stare teneatur?*

Assertio I. Si Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, Capitulo saltem non contradicente, fundum pertinentem ad ipsam Ecclesiam, non ad Rectorem, ipsius Ecclesiæ nomine, pro annua pensione locavit ad tempus breve, scilicet infra decennium, vel non ultra triennium, Successor in dignitate, vel officio tali locationi stare, tenetur. Secus est, si locatio facta sit ad longum tempus, vel etiam ultra triennium, ubi Constitutio Paulina est recepta, nisi talis locatio facta sit, ex justa causa, & cum solennitate requisita, *n.* 24. & 25. Assert. 2. Potest Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, cujus reditus non ad Ecclesiam: sed ad mensam ipsius pertinent, nomine suo, rem Ecclesiæ locare etiam ultra decennium, ad totum tempus vitæ suæ, sine juris solennitatibus, cui tamen locationi non tenetur stare Successor, *num.* 26. Ass. 3. Debet tamen talis locatio facta ad longum tempus, sivè decennium censeri conditionalis, si tamdiu vivat, *n.* 27. Assert. 4. Non potest simplex Beneficiarius non habens administrationem rerum Ecclesiæ: imò nec Parochus elocare fundum ad longum tempus, nisi ex causa justa, & cum consensu Episcopi, nec potest ultra dies vitæ suæ, *n.* 28. An, si coloni, eorúmque majores prædia ad Parochiam spectantia per continuos 60. vel plures annos, tanquam emphyteutica, vel locata possederant, &, si nihil constet de consensu Episcopi, possint Parochi de novo investiti ea prædia vendicare? *num.* 29. Quid novo Jure Concilij Trident. circa locationes bonorum Ecclesiæ sit statutum? *num.* 30.

Sectio II. *De Contractu emphyteutico.*

§. I. *Quid sit emphyteusis, & quotuplex, &, an ad illam requiratur necessariò scriptura?*

Assertio I. Est contractus nominatus, quo res immobilis, cum translatione utilis dominij, retento directo, seu proprietate, alicui fruenda, & colenda conceditur, vel ad vitam ipsius, vel ad unam, vel ad plures generationes, sub certa pensione reali domino proprietatis solvendâ, *num.* 31. Quomodo emphyteusis ab alijs contractibus distinguatur, *num. eod.* Ass. 2. Emphyteusis est duplex, Ecclesiastica, & profana, seu sæcularis, *n.* 32. Ass. 3. Ad substantiam, & valorem contractûs emphyteutici de jure communi requiritur scriptura, sive instrumentum scriptum, idque expressiùs habetur de emphyteusi Ecclesiastica, *num.* 33.

§. II. *An ad substantiam, ac valorem contractûs emphyteutici requiratur, ut canon, seu pensio annua solvatur Domino, & quam pœnam incurrat Emphyteuta, si non solvat?*

Assertio I. Emphyteuta in recognitionem dominij directi penes proprietarium remanentis, & in compensationem dominij utilis sibi concessi, debet solvere annuum canonem, seu pensionem, sive in pecunia, sive in fructibus, *num.* 34. Ass. 2. Si Emphyteuta canonem, tribus annis continuis, in emphyteusi laica, seu civili: vel duobus annis, si sit Ecclesiastica, Domino solvere negligat, rem emphyteuticam amittit, eáque redit ad Dominum, *n.* 35. Idque procedit primò, Etiamsi res emphyteutica sit magni valoris. Secundò, Emphyteuta amittit totam emphyteusin, si integram pensionem non solverit, etsi parte solutâ. Tertiò, si vel unus ex pluribus hæredibus partem pensionis, quam debet, non solverit. Quartò, non tantùm per sententiam, sed etiam ipso jure perdit rem emphyteutiam, ob non solutum canonem. Quintò, potest à Domino expelli, etsi priùs monitus non fuit. Sextò, huic pœnæ est locus, etiamsi una Ecclesia ab alia accepit emphyteusin, *num.* 36. Quibus casibus emphyteuta non amittat rem emphyteuticam, ob non solutum canonem, *n.* 37. Præterea emphyteuta potest etiam privari suo jure, si fundus emphyteuticus notabiliter per ipsius dolum, latam, vel levem culpam, sit deterior factus, *n.* 38.

§. III. *De alienatione rei emphyteuticæ, & laudemio.*

Quær. I. An, & quâ ratione liceat Emphyteutæ fundum emphyteuticum alienare per venditionem? Tres conditiones requiruntur ad venditionem juris emphyteutici, *num.* 39. *& seq.* Quando possit res emphyteutica vendi, sine consensu domini? *num.* 41. Quænam requirantur ad incurrendam pœnam caducitatis, propter alienationem rei emphyteuticæ factam, sine consensu domini? *num.* 42. Qu. 2. An, & quibus modis, præter venditionem, alienari possit emphyteusis, irrequisito domino? Resp. potest emphyteuta jus suum alteri donare, salvo tamen jure domini: legare, cum alio permutare, *num.* 43. Item oppignorare, quamvis in emphyteusi Ecclesiastica res Ecclesiæ speciali hypothecâ obligari non possint: potest etiam emphyteuta, irrequisito domino, censum, usumfructum, vel aliam servitutem imponere rei emphyteuticæ: non tamen illam alteri subfeudare. Denique possunt etiam plures emphyteutæ rem inter se dividere, *n.* 44. Plures sunt casus, in quibus laudemium solvi non debet, *n. eod.*

§. IV. *An, & quâ ratione Prælatus bona Ecclesiæ, cui præest, possit in emphyteusin dare?*

Assertio I. Non potest Prælatus, de Jure communi bona Ecclesiæ, quæ pleno jure ad illam spectant, dare in emphyteusin perpetuam in plures generationes, sine justa causa, & requisitis juris solennitatibus, *num.* 45. Assert. 2. Si fundi antea in emphyteusin dati, per mortem emphyteutæ, sine hæredibus, vel ex alia causa, reversi fuerunt, quoad utile dominium, ad Ecclesiam: possunt illi simili modo à Prælato, sine consensu Capituli, & alijs solennitatibus, in emphyteusin concedi; dummodo eadem, quæ olim, causa concedendi in emphyteusin subsit, non obstante juramento de non alienando res Ecclesiæ, *n.* 46. Ass. 3. Si mutato rerum statu, causa primæ concessionis in emphyteusin cessavit, non potest Prælatus rem ad Ecclesiam reversam de novo in emphysin concedere, *num.* 47. Porro concessio rei in emphyteusin, vel feudum dari solitæ debet fieri eodem modo, quo olim facta erat, alioquin irrita est concessio, nisi cum jure requisitis solennitatibus fiat, *n.* 48. Ass. 4. Si fundus emphyteuticus, postquam ad Ecclesiam est reversus, mensæ Episcopi, vel Prælati est applicatus, non potest postea, sine consensu Capituli, & alijs solennitatibus, simili modo concedi, vel alienari, *n.* 49. An Prælatus successor possit hujusmodi rem emphyteuticam ad Ecclesiam reversam iterum in emphyteusin concedere? *num.* 50.

Ass. 5.

Aff. 5. Si res immobilis Ecclesiæ de novo acquiratur, quoad dominium, quovis titulo, statim censetur esse incorporata Ecclesiæ, ut sine requisitis solennitatibus alienari non possit, *n.* 51.

§. V. *Ad quem transeat, ac spectet emphyteusis, si emphyteuta Religionem profiteatur?*

Assertio I. Si Religiosus, ante Professionem, nihil disposuit de emphyteusi, & profiteatur Religionem, quæ est incapax stabilium bonorum, tum in emphyteusi hæreditaria non succedit Religio, sed hæredes ab intestato. Si verò sit emphyteusis ex pacto, & providentia, succedunt ij, qui vocantur, secundùm investituram, aliàs emphyteusis exspirat, & revertitur ad dominum proprietatis, *num.* 52. Aff. 2. Si emphyteuta profiteatur Religionem, quæ est capax bonorum immobilium, tunc in emphyteusi hæreditaria succedit Religio. Si sit ex pacto, & providentia, succedunt post mortem Professi, qui secundùm investituram vocantur, vel indefectum horum, emphyteusis revertitur ad proprietarium, *n.* 53.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. n. 10. & seq.
c. 2. n. 23.
c. 3. in princ. n. 4. & 6. & §. Verum; nu. 12. & 4. seqq.
c. 4. & ult. num. 35. & 3. seqq.

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE.

§. I. *Quid sit permutatio, & quomodo à venditione distinguatur?*

Permutatio accipitur, vel generaliter, ac latè pro omni reciproco, & oneroso contractu: vel specialiter, ac strictè, pro eo contractu, in quo una res, pro alia commutatur, prout res contra distinguitur à pretio, *n.* 1. Aff. 1. Permutatio specificè, ac strictè sumpta est contractus, in quo una res certa cum alia re certæ speciei commutatur, *nu.* 2. Aff. 2. In quibus permutatio distinguatur à venditione, & emptione? *n.* 3.

§. II. *An, & quatenus prohibita sit, vel permissa rerum Ecclesiasticarum permutatio?*

Assertio I. Res Ecclesiasticæ, immobiles, vel mobiles, quæ servari possunt, permutari non possunt, sine causa utilitatis, & requisitis juris solennitatibus, alioquin illegitimè factæ, à successore revocandæ sunt: imò etiam ab eo, qui alienavit, *nu.* 4. & *seq.* Aff. 2. Potest res immobilis Ecclesiæ cum alia æqualis valoris commutari, si Princeps, ex justa causa id petat, modò cum consensu etiam Ecclesiæ fiat, *n.* 6. & 7. Aff. 3. Mancipia Ecclesiæ non possunt permutari cum alijs mancipijs, nisi quæ erant Ecclesiæ, fiant libera; alia verò, quæ pro ijs permutantur, fient servi Ecclesiæ, *n.* 8. Item mancipia Ecclesiæ non debent iterum fieri servi sæcularium, servi tamen fugitivi Ecclesiæ possunt distrahi, *n.* 9. Aff. 4. Ecclesiæ, & Beneficia non tantùm, si possideantur in titulum: sed etiam si jure proprietatis, seu incorporationis, possunt ex justa causa, & accedente Superioris auctoritate, aliisque juris solennitatibus, permutari per se, & quoad possessiones eis annexas, *n.* 10. & *duob. seqq.*

§. III. *De permutatione Beneficiorum, & conditionibus ad illam requisitis.*

Permutatio Beneficij est mutua, seu reciproca duorum Beneficiorum resignatio inter permutantes facta, *n.* 13. Quær. 1. Quæ conditiones requirantur ad validam, & licitam commutationem Beneficiorum? Requiritur primò. Ut uterque permutans habeat jus in Beneficio permutato, *n.* 14. Requiritur 2. Ut uterque permutantium Beneficium suum resignet in manu Superioris Ordinarij, cui Beneficium est subjectū. Quòd si resignatione ab uno factâ, alter permutantium nolit, vel non possit vicissim suum Beneficium resignare, & permutationem complere, potest is, qui resignavit, suum Beneficium repetere, *n.* 15. Probabilius autem est, quòd hoc casu resignans non possit, propriâ auctoritate, redire ad suum Beneficium, ad quod novâ collatione Superioris est opus, *n.* 16. Requiritur 3. ut post permutationem Beneficiorum ex utraq; parte factam & à Superiore admissam, fiat collatio Beneficiorum, & quidem non alijs, quàm ipsis permutantibus, alioquin ea est irrita, *n.* 17. & *seq.* Requiritur 4. Ut permutatio fiat, auctoritate Superioris Ecclesiastici, *n.* 19. & 3. *seqq.* Non tantùm autem prohibita est permutatio Beneficiorum inter se, quoad titulos: sed etiam quoad præbendas annexas, si privatâ auctoritate fiat, *n.* 23. Si Clerici propriâ auctoritate, inter se permutent Beneficia, illis per sententiam Judicis sunt privandi, *n.* 24. Præterea requiritur etiam ad legitimam permutationem Beneficiorum, ut fiat ex justa causa ab Episcopo cognita: item ut fiat cum consensu eorum, qui jus eligendi, conferendi, vel præsentandi ad Beneficium commutarum habent, ac denique ut permutatio facta publicetur, *n.* 25. Quær. 2. Cujus Superioris auctoritate Beneficia permutari debeant? Resp. non solùm Papa: sed etiā Episcopus proprius loci, in quo Beneficium situm est, vel alius similis Prælatus Episcopali potestate præditus, permutationes Beneficiorum, ex causa necessitatis, vel utilitatis, instituere potest, *n.* 26. An etiam Prælati Episcopo inferiores possint auctoritem præstare permutationi Beneficiorū, & penes quos præterea sit hujusmodi potestas, vel non? *n.* 27.

§. IV. *Quænam Beneficia permutari possint cum alijs, vel non possint?*

Assertio I. Ordinariè omnia Beneficia inter se liberè permutari possunt in manibus Superioris, *n.* 28. Idque extenditur 1. Quòd etiam Beneficia inæqualia licitè inter se permutentur. 2. Etiam ante possessionem eorum obtētam, 3. etiam Beneficia manualia inter se. 4. Etiam Beneficium datum in commendam perpetuā; non item commendatum ad tempus. 5. Si pensio sit efecta in titulum Beneficij, potest cum hoc illa comutari, etiam in manibus Episcopi, *n.* 29. Aff. 2. Quædam Beneficia Ecclesiastica cum alijs permutari non possunt. Veluti 1. Beneficia unita alicui Ecclesiæ, vel Monasterio, 2. Beneficia reservata S. Pontifici. 3: Beneficium litigiosum. 4. Beneficium cum alio jure spirituali, v. g. cum jure decimarum, *n.* 30. An, & quâ ratione, quando Beneficia sunt inæqualia, licitū sit, inæqualitatem supplere, & compensare, datâ pecuniâ, vel aliâ re pretio æstimabili, *n.* 31. & *tribus seqq.*

§. V. *An permutatio Beneficiorum fieri possit, non obstantibus gratijs exspectativis?*

Gratiæ exspectativæ concessæ à Papa ad Beneficia, si quæ jam vacant, vel proximè vacatura sunt, non impediunt permutationem Beneficiorū, *n.* 35. & *seq.*

§. VI. *An res, sive jus spirituale possit permutari pro re temporali, & è converso. Item, an res spiritualis, pro re spirituali?*

ASSERTIO I. Jus spirituale v.g. percipiendi decimas Clericales non potest comutari pro re temporali, sive pretio æstimabili, *nu.* 37. & 4. *seqq.* Ass. 2. Res spiritualis, exceptis Beneficijs, potest permutari pro alia re spirituali: dummodo utraque sis res merè spiritualis, cui nihil pretio æstimabile sit annexũ, *n.* 40.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 6. & *seq.*
c. 2. *n.* 4. & *seq.*
c. 3. *n.* 8.
c. 4. *n.* 9.
c. 5. *n.* 19. & 5. *seqq.*
c. 6. *n.* 10. & *duob. seqq.*
c. 7. *n* 24. & *seq.*
c. 8. *n.* 15. & 16.
c. 9. & *ult. num.* 37. & 4. *seqq.*
c. unic. in 6. *num.* 35. & *seq.*
Clement. unic. num. 17. & *seq.*

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

§. I. *Quid, & quotuplex sit Feudum?*

ASSERTIO I. Feudum est benevola, & libera, ac perpetua concessio rei immobilis, vel æquipollentis, cum translatione utilis dominij, proprietate retentâ, sub fidelitate, & exhibitione servitiorum, sive sub onere fidelitatis, & obsequij personalis exhibendi *n.* 1. Ubi etiam declaratur hæc descriptio. Quomodo differat Feudum à locatione, & emphyteusi, & quæ proprietates requirantur ad Feudum propriè dictum? *n.* 2. Ass. 2. Feudum dividitur in Feudum antiquum, & novum. 2. In Feudum hæreditarium, & gentilitium, & mixtum ex utroque. 3. In Feudum Ecclesiasticum, & Sæculare. 4. In Feudum masculinum, & fœmininum, *n.* 3.

§. II. *Quænam res Ecclesiæ in Feudum dari possunt, vel non possunt?*

ASSERTIO I. Res sacræ, & spirituales, sicut alienari non possunt, ita nec in Feudum dari. Ass. 2. Res, seu bona Ecclesiæ, etsi profana, & tẽporalia, quæ spectant ad Ecclesiæ Fabricam, vel ad mensam Prælati, & ab ipso de novo ex Ecclesiæ redititibus Ecclesiæ sunt acquisita, non possunt de novo in Feudum concedi, sine consensu Capituli, & auctoritate Superioris, aliisq; solẽnitatibus, sicut nec subinfeudari, *n.* 5. Quamvis sine his possint res jam antè in feudum concedi solitæ iterum in Feudum concedi, sicut & res modicæ, *n.* 6.

§. III. *In quibus casibus Feudum antiquum ad Ecclesiam reversum denuo in Feudum concedi potest, non obstante juramento, de non infeudando de novo res Ecclesiæ?*

Episcopus non obstante juramento de non infeudando, inconsulto Papâ, potest in tribus casibus novo vasallo Feudum concedere. Primò, si mortuo vasallo, sine hæredibus, Feudum revertatur ad Ecclesiam: Secundò, si vasallus Feudum alienet, potest Episcopus investire in eo ejus filium, vel consanguineum. Tertiò, si Episcopus Feudum alienatum per se facilè recuperare nõ possit, tunc poterit illud concedere alicui Laico, qui illud ab Ecclesia recognoscat, & per quem Ecclesia illud valeat recuperare, *n.* 7. 8. 10. & 11. quibus casibus res infeudari solitæ, & ad Ecclesiam reversæ non possint, sine solennitatibus adhibitis, reinfeudari, *n.* 9. An Capitulum possit feuda, quæ Sede Episcopali vacãte, aperta sunt, sive ad Ecclesiam rediêrunt, reinfeudare, sive de novo in Feudum concedere, *n.* 12.

§. IV. *An ob delictum Prælati, vel alterius Clerici Beneficiarij, cui secundùm leges Feudorum, pœna privationis est decreta, Feudum amittat Ecclesia?*

ASSERTIO I. Si sit Feudum patrimoniale, seu privatum, tunc Prælatus, vel Clericus delinquens eo privari potest, ac debet, perinde, ut Laicus, *n.* 13. Ass. 2. Si Prælatus, seu Rector Ecclesiæ Feudum Ecclesiasticum habeat, pertinens ad mẽsam solius Prælati, tum ob delictum hujus privatione dignum, Ecclesia non amittit Feudum absolutè; vivente tamen Prælato, & quamdiu in administratione est, privatur fructibus; sed eodem mortuo, vel deposito, dominium utile, sive fructus revertuntur ad Successorem in Prælatura. Quod si Feudũ pertineat ad solum Capitulum, delictum Prælati ipsi non nocet: si verò pertineat comuniter ad Prælatum, & Capitulum, tunc vel solus Prælatus deliquit, & fructus amittuntur tantùm quoad partem, quæ Prælato competit. Vel etiam Capitulum fuit ejusdem delicti particeps: & tunc Ecclesia Feudum non amittit: sed tantùm delinquentes, scilicet Prælatus, & Capitulares, dum vivunt, fructibus privantur: sed ijs mortuis, vel amotis, Feudum, sive fructus ejus, ad Ecclesiam, & Successores Prælatos, & Capitulares revertuntur, *n.* 14.

§. V. *De prohibita, & illicita, vel licita Feudi alienatione.*

ASSERTIO I. Vasallus, Feudum, sive novum, sive antiquum, non potest alienare, sine consensu domini, alioquin alienatio invalida est, si scienter facta sit, & ipse alienans Feudũ perdit, *n.* 15. Ass. 2. Nomine alienationis, in materia feudali, comprehenditur, nõ tantùm venditio: sed omnis contractus, & actus, per quem dominium, vel jus aliquod reale, sive in re constituũ, in alium transfertur, sine consensu domini, *n.* 16. Et quo infertur, quænam alienationes in specie sint prohibitæ vasallo, sine consensu domini. Ass. 3. Potest tamen vasallus licitè, & validè rem alienare, cum consensu domini, expresso, vel tacito, *n.* 17. Ass. 4. Potest vasallus in Feudo, quod habet, alium subinfeudare, etiam sine consensu domini: modò is sit ejusdem conditionis, & qualitatis, cujus est ipse vasallus sub infeudans, & ut fiat subinfeudatio ijsdem pactis, & cõditionibus, sub quibus ipse Feudũ accepit, *n.* 18. Est autem subinfeudatio permissa, non tantùm in Feudo sæculari: sed etiam Ecclesiastico, *n. eod.*

§. VI. *An, si dominus à vasallo accipiat Feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem, nec nè?*

Si quis habens ab Ecclesia possessiones, seu bona in feudum, acceptâ mutuâ pecuniâ ab eadem, possessiones illas eidem Ecclesiæ oppignoret, non tenetur Episcopus ejusdem Ecclesiæ fructus illius pignoris computare in sortem, seu summam Capitalem, mutuò datam, dummodò vasallus interim liberetur à præstando servitio, quod aliàs Ecclesiæ deberet, *num.* 19. & *seq.*

§. VII. *An Clerici, Monachi, aliique Regulares succedere possint in Feudis, vel ea acquirere?*

Quæst. 1. An Clerici succedere possint in Feudis, vel ea acquirere? Resp. Clericus in Feudo, de Jure comuni feudali, regulariter nõ potest succedere, *n.* 21. Plures tamẽ sunt casus excepti, in quibus Clerici succedere possũt in Feudis, vel illa retinere, qui referuntur *n.* 22. De Jure Canonico nõ solùm Ecclesiis, & Monasterijs Feuda de novo concedi possunt: sed etiam Clerici, & Religiosi Feudorum sunt capaces, *n.* 23. Quæritur

ritur 2. An Monasterium, seu Religio succedere possit in Feudum sui Professi? Resp. 1. Si Ordo, seu Religio sit incapax succedendi in communi, tunc non succedit in Feudum Monachi, seu Religiosi Professi; quia per Professionem amittitur Feudum, & vel ad agnatos, qui ad Feudum sunt vocati, devoluitur, vel ad dominum directum redit, *n.* 24. Resp. 2. Si Monasterium, vel Religio sit capax successionis in bona, tunc in Feudum Professi sui succedit, modò Feudum sit liberum à servitio, vel concessum sit cum onere talis servitij, quod Monasterium possit præstare; alias Feudū Professi ad proxjmos agnatos devolvitur, si Feudum sit antiquum, vel ad dominum redit, si nulli agnati sint superstites, *nu.* 25. Limitatur verò, quòd Feudum Monachi, seu Religiosi Professi non transit ad Monasterium, ut perpetuò penes illud remaneat: sed solùm utilitas Feudi spectet ad Monasteriū, quamdiu Professus illius vivit: imò in pluribus casibus, nec quoad hanc commoditatem transit ad Monasterium, *n.* 26. Prædicta procedunt in Feudo ex pacto, & providentia; nam Feudum simpliciter hæreditarium, quod ad omnes hæredes transit, etiam in Monasterium, post mortem vasalli professi, transit in perpetuum, *n.* 27.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis. *c.* 2. *& fin. num.* 7. *&* 4. *seqq.*
c. 1. *n.* 19. *&* 20.

TITVLVS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

§. I. *Quid sit pignus, & quomodo ab hypotheca differat, & quotuplex sit hypotheca?*

Assertio I. Pignus latè sumptum pro contractu, est obligatio rei licitæ pro debito facta ad securitatē scilicet creditoris. *n.* 1. Ass. 2. Pignus, & hypotheca propriè, & strictè loquendo, inter se distinguuntur: nam pignus propriè locum habet ferè tantùm in rebus mobilibus, quæ plerumque creditori traduntur: hypotheca verò consistit ferè tantùm in rebus immobilibus, vel quæ non traduntur creditoribus: sed penes debitorem manent, obligatæ tamen creditori, quamvis quoad effectum pignus, & hypotheca non differāt, *n.* 2. Ass. 3. Pignus seu hypotheca conventionalis, alia est expressa, alia tacita, eáque, vel generalis, vel specialis, seu particularis, *n.* 3.

§. II. *De tacita hypotheca, quam habet uxor in bonis mariti pro dote recuperanda: & Ecclesia in bonis Prælati malè administrantis.*

Assertio I. Uxor pro securitate allatæ dotis, ejúsq; restitutione, habet tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti, eámque privilegiatam, ut præferatur cæteris creditoribus anterioribus, habētibus priores hypothecas tacitas, & quidem non tantùm in bonis dotalibus uxoris: sed etiam in bonis paraphernalibus illius, quorum maritus administrationem habet, *n.* 4. & 8. Non potest uxor, propter delictum mariti, vel aliam obligationem ejusdem, cōveniri in judicio, nec dote privari, etiam ut satisfiat læso à marito, *n.* 5. Si res oppignorata, vel hypothecæ titulo obligata vendatur alicui tertio, dominium quidem trāsfertur in emptorem, ita tamen, ut obligatio pignoris ad possessorem transeat, *n.* 6. Creditor rem pignori obligatam à quovis possessore vendicare potest, *n.* 7. Sed & viceversâ, maritus habet tacitā hypothecam in bonis uxoris pro dote promissa, sibi præstandâ. *n.* 9. Ass. 2. Omnia bona Prælati tacitè obligata sunt, seu oppignorata Ecclesiæ, si malè ea administret, *n.* 10.

§. III. *Quænam res oppignorari, seu in pignus dari non possunt?*

Assertio I. Res illæ, quæ per se, & absolutè vendi prohibentur, non possunt etiam oppignorari. Unde res Sacræ, & Religiosæ, nec per specialem, nec per generalem hypothecam obligati possunt, nisi ob gravem necessitatem, in qua etiam vendi possunt, *n.* 11. *& seq.* Ass. 2. Liber homo non potest oppignorari, sive pro debitis retineri, si nō habeat, unde solvat, *n.* 13. Quando liber homo propter debitū, pignoris loco, detineri, vel etiam capi, & incarcerari possit? *n.* 14. Ass. 3. Etsi res aliena vendi potest, non tamen potest oppignorari, si quis nihil omnino juris, in illa habeat, *n.* 15.

§. IV. *An Prælatus, vel Rector Ecclesiæ res, seu bona ejusdem oppignorare possit?*

Assertio I. Non potest Prælatus, vel Rector Ecclesiæ res alienari prohibitas per specialem hypothecam obligare; etsi possit per generalem, *n.* 16. Ass. 2. Prælatus, aut Rector Ecclesiæ non potest res ejúsdem oppignorare, pro necessitate, aut utilitate propria: sed hæres illius compelli debet, ut res illas obligatas redimat, & Ecclesiæ restituat, *n.* 17.

§. V. *An, & quinam fructus pignoris in sortem sint computandi, & in quibus casibus computari non debeant?*

Assertio I. Creditor fructus ex pignore perceptos in sortem computare debet, sive in partem solutionis debiti, ita, ut ob fructus ex re oppignorata perceptos à creditore, debiti quantitas diminuatur, imò penitus dissolvatur, si tantum ex fructibus percepit creditor, quantum ipsum debitum, & expensæ factæ in rem oppignoratam æstimantur, *nu.* 18. Ass. 2. Creditor debet computare in sortem fructus pignoris, non solùm perceptos: sed etiam percipiendos, *nu.* 19. Creditor potest rem sibi oppignoratam alteri oppignorare, sicut & hæres illius, *n.* 20. Si pignus, sive res oppignorata pereat, vel deterior sit reddita dolo, latâ culpâ, vel levi creditoris, obligatur ad resarciendū damnum debitori, *n.* 22. Etsi creditor dominus pignoris non sit, potest tamen rem sibi oppignoratam, etiam invito debitore, vendere, si ipsi debitum, tempore constituto, non sit solutum, *nu.* 23. Ass. 3. Tres sunt casus, in quibus fructus ex re oppignorata percepti in sortem, seu summam Capitalem non sunt computandi, *n.* 24.

§. VI. *Vtrum venditio rei, cum pacto revenditionis, ad arbitrium emptoris, recipiendo aliquid ultra sortem, sit vera, & licita venditio: an verò potius sit contractus pignoris illicitus, & usurarius?*

Emens rem cum pacto redimendi illam, ad arbitrium emptoris, recepto majore pretio in redemptione, quàm fuerit in prima emptione, est simulata tantùm venditio, & emptio, reipsa verò contractus pignoris, sive opignoratio pro mutuo, adeóq; mutuum usurarium, cum traditione pignoris, *n.* 25. *&* 26.

§. VII. *An pactum Legis commissoriæ adjectum contractui pignoris sit licitum?*

Assertio I. Pactum legis commissoriæ, per quod inter partes convenitur, ut si debitum v. g. ex mutuo, intra certū tempus, à debitore solutū non sit, pignus pro eo datum creditori cedat, vel postea nunquam repeti possit, est utroq; Jure prohibitum, & ipso Jure irritū, *n.* 27. Cur tale pactū sit permissum in ven-

ditione, non autem in contractu pignoris, *n.* 28. Hoc pactum non valet, etiamsi ei juramentum debitoris accesserit, quòd si intra tempus constitutum non solverit, super pignore creditorem non molestabit, *n.* 29. In quibus præterea casibus non valeat pactum Legis commissoriæ? *nu.* 30. Hoc pactum, etsi illicitum sit quoad debitorem, non tamen quoad fidejussorem, *n.* 31. Sunt tamen nonnulli casus, in quibus pactum Legis commissoriæ est licitum, *n.* 32. An hoc hoc pactum sit licitum, si non incontinenti, sed ex intervallo adijciatur? *n.* 33.

§. VIII. *De cautione usufructuarii.*

Usufructuarius tenetur cavere, quòd utetur rebus immobilibus, salvâ earum substantiâ, & quòd restituet pecuniam, & æstimationem rerum consumptarum, arbitrio boni viri, *n.* 34. Quænam notanda sunt circa usufructum? *n.* 35. & 36. Quær. 1. Qualem cautionem usufructuarius præstare debeat: & inprimis qualem in rebus immobilibus? *n.* 37. & qualem in pecunia, & in alijs rebus, quæ usu consumuntur, *n.* 38. An, si usufructuarius non possit cautionem præstare per pignora, & fidejussores, admittenda sit cautio juratoria, *n.* 39. An, & qualem cautionem Testator, qui reliquit bona sua, quoad proprietatem uni, usufructum verò eorum alteri, possit remittere usufructuario? *n.* 40.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 11. *& seq.*
c. 2. *n.* 13. *& seq.*
c. 3. *n.* 17.
c. 4. *n.* 25. *& seq.*
c. 5, *n.* 4. *& 5. seqq.*
c. 6. *n.* 18.
c. 7. *n.* 27. *& 4. seqq.*
c. 8. *& ult, nu.* 34. *& pluribus seqq.*

TITULUS XXII.

DE FIDEJUSSORIBUS.

§. I. *De fidejussione in genere, & conditionibus ad illam requisitis.*

Assertio I. Fidejussio est contractus, in quo quis promittit, se soluturum, quod alius debet, si debitor principalis non solverit, *n.* 1. Ass. 2. Fidejussio est obligatio accessoria alteri obligationi principali, quam supponit, & sine qua consistere non potest, *n.* 2. Ass. 2. In omnibus conventionibus, sive re, sive verbis, sive litteris, sive solo consensu contractis, adhiberi possunt fidejussores, & sive ex contractu, vel quasi, ex delicto, vel quasi oriantur, *n.* 3. An, qui fidejubet pro Religioso, sine Superioris auctoritate, contrahente, ipse fidejussor obligetur? *n.* 4. Asser. 4. Non potest fidejussor extensivè magis, sive plus obligari, quàm debitor principalis, *n.* 5. Potest tamen magis intensivè, sive intensiùs, & efficaciùs obligari, quàm debitor principalis, *num.* 6. Si fidejussor in plus se obligavit, quàm debitor principalis, obligatio fidejussoria est solùm invalida quoad excessum, *n.* 7. Si fidejussor juramento se obligavit, ad plus solvendum, quàm debitor principalis debet, eo non obstante, non tenetur ad solvendum ultra debitum principale, quatenus fidejussor est, *n.* 8. Ass. 5. Si debitor principalis fuit obligatus ad pecuniam, & fidejussor obligatur ad solvendum aliam rem, quæ non est pecunia, obligatio est nulla: sed vice versâ, si debitor obligetur ad rem, quæ non est pecunia, fidejussor verò ad pecuniam, valida est obligatio, *num.* 9. Ass. 6. Obligatio fidejussoria transit ad hæredes fidejussoris, *num.* 10.

§. II. *An Prælatus Ecclesiæ, vel alius Clericus, aut Religiosus fidejubere possit pro alio?*

Quæritur 1. An Prælatus Ecclesiæ, fidejubere possit pro alio? Resp. Potest etiam sine consensu Capituli, modò id fiat ex justa causa, & non in magna quantitate, seu cum notabili detrimento Ecclesiæ. Si verò Prælatus, cum consensu Capituli, pro alio fidejubeat, Ecclesia ex tali fidejussione obligatur, dummodo fidejussio non sit talis, ut necessarium sit, alienari bona immobilia Ecclesiæ, aut mobilia pretiosa, talis enim fidejussio est irrita, *num.* 11. Quær. 2. An Clericus possit fidejubere pro alio? Respon. Clericus Beneficiarius potest fidejubere, quoad obligationem bonorum patrimonialium: imò etiam quoad reditus perceptos ex titulis Ecclesiasticis, quorum liberum dominium, & administrationem habet, ex causa rationabili fidejubere potest, præsertim pro Clerico, *num.* 12. Unde fidejubens, & solvens pro Clerico, debet à debitore principali indemnis servari, non solùm quoad sortem: sed etiam quoad damna inde secuta, *cit. n.* 12. *& seq.* Resp. 2. Clericus fidejussionibus inserviens abijciatur, sive deponatur, *n.* 13. Quæritur 3. An Religiosus possit fidejubere? Resp. Non potest, sine licentia Prælati sui, & consensu majoris partis Capituli, *num.* 15. Alioqui fidejussio Religiosi non tantùm illicita, sed etiam irrita est. Nemo Religiosus fidejubere potest, si ipsi peculium concessum sit ad certam causam, *nu.* 16. Quòd si in aliqua Religione consuetudo non sit, ut petagantur negotia cum Capitulo, potest solus Superior fidejubere, vel Religioso subdito facultatem dare fidejubendi pro alio, *num.* 17.

§. III. *Quibus casibus Fidejussor, etiam antequam solvat, agere potest adversùs debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet?*

Tres sunt hujusmodi casus. Primus est, si debitor in culpabili mora solvendi fuit. Secundus est, si debitor principalis cœpit dilapidare bona sua. Tertius est, si fidejussor pro debitore principali à Judice condemnatus fuit, *n.* 17. *&* 18. quibus aliæ exceptiones adduntur, *cit. n.* 18. Si debitor principalis in culpabili mora solvendi existat, & fidejussor de solvendo saepiùs molestetur, potest is agere contra debitorem, & hic per censuras compelli debet, ut illum fidejussione liberet, *n.* 19. *&* 20. Porro duo beneficia, seu exceptiones competunt fidejussoribus, nempe Beneficium ordinis, sive excussionis, quòd non teneatur fidejussor solvere, nisi priùs constiterit, debitorem solvendo non esse. Alterum beneficium est divisionis, vi cujus, si plures pro eodem debito fidejusserunt, etsi singuli in solidum obligentur, excipere tamen possunt, & petere, ut quilibet ex fidejussoribus, nonnisi pro virili parte conveniatur, *n.* 21.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 14.
c. 2. *n.* 12. *& seq.*
c. 3. *n.* 19. *& seq.*
c. 4. *n.* 15. *& seq.*
c. 5, *& ult n.* 17.

Ti-

TITVLVS XXIII.
DE SOLUTIONIBUS.

§. I. *Quid sit mutuum? & de conditionibus requisitis ad substantiam, & valorem ejusdem.*

Assertio I. Mutuum est contractus celebratus ab aliquo, datione verâ, vel fictâ rei consistentis in pondere, numero, & mensura, spe tantundem recipiendi in genere suo, *num.* 1. Ass. 1. Ad substantiam, & valorem mutui requiritur primò, ut dominium rei traditæ transferatur in accipientem, *nu.* 2. Requiritur secundò, ut dentur res, quæ in quantitate, hoc est, in numero, pondere, & mensura consistunt; *nu.* 3. Requiritur tertiò, ut eadem res, non in specie, seu individuo: sed in genere, hoc est, ejusdem naturæ, qualitatis, & quantitatis reddatur, *n.* 4. Requiritur quartò, ad mutuum, ut sit gratuitum, *n.* 5. Si pecunia, vel alia res mutuò data, casu fortuito perijt, & multò magis, si culpâ etiam levissimâ debitoris, seu mutuatarij, hic nihilominus reddere debet mutuum, nisi debitor ex mutuo obtulerit creditori, quod debet, isque sine causa justa, accipere recusaverit, *num.* 6.

§. II. *An Ecclesia, vel Prælatus, ejus nomine, possit mutuum dare: & quomodo Ecclesia obligetur ex mutuo ipsi dato?*

Assertio I. Si Ecclesia, vel ejus Prælatus habeat reditus Ecclesiasticos abundantes, non prohibetur mutuum dare indigentibus pecuniâ, modò fors, sive summa capitalis assecuretur per pignora, vel fidejussores, *n.* 7. Alioquin prohibitum est Prælatis Ecclesiasticis, ne quis eorum Ecclesiam sibi commissam pro alienis debitis præsumat gravare, aliena debita, nomine Ecclesiæ, suscipiendo, nec Ecclesiæ ad solutionem talium debitorum tenentur, *n.* 8. Idque sub pœna suspensionis ab administratione spiritualium, & temporalium, *n.* 9. Ass. 2. Si Prælatus, nomine Ecclesiæ, pecunias mutuas accipiat, & in eo potestatem suam excedat, ità, ut ad debiti solutionem necesse sit, res Ecclesiæ immobiles, vel mobiles pretiosas obligari, tunc Ecclesia non obligatur plus solvere, quàm probatum fuerit, in ejus utilitatem versum fuisse, *nu.* 10. & 11. Ass. 3. Interdum potest Prælatus pecunias mutuas accipere, etsi non sit probatum, illas reipsâ in utilitatem Ecclesiæ versas fuisse: sed solùm exigitur, quòd propter imminentem aliquam necessitatem Ecclesiæ, pecuniæ sint mutuò acceptæ, *nu.* 12. & 13. Si tempore accepti mutui, jam apparebat, non posse pecuniam mutuò acceptam solvi, sine alienatione bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum, tunc probari debet, illam in utilitatem Ecclesiæ versam fuisse, aliàs non, *n.* 14. Ass. 4. An, si mutuum nomine Ecclesiæ acceptum sit ab aliquo particulari Clerico, vel Monacho, etiam probari debet, illud in utilitatem Ecclesiæ versum fuisse, vel non? *nu.* 15. Quando dicatur mutuò acceptum conversum in utilitatem Ecclesiæ, *num.* 16. Est autem hoc speciale in mutuo dato Ecclesiæ; quia in alijs contractibus cum Ecclesia initis, si quis v. g. vendat rem Ecclesiæ, vel ab illa emat, non tenetur probare, rem venditam, vel pretium solutum in ejus utilitatem versum esse, *n.* 16.

§. III. *An Successor in Prælatura, aut Beneficio teneatur solvere debita ab Antecessore suo contracta?*

Assertio I. Successor tenetur ex bonis, & reditibus Ecclesiæ solvere debita, quæ ab Antecessore facta fuerunt pro Ecclesiæ necessitate, vel utilitate, *n.* 17. Ass. 2. Successor solvere debet etiam illa debita, quæ pro necessaria, ac decente sustentatione sui Antecessoris sunt contracta, *n.* 18. Ass. 3. Si Prælatus, vel alius Beneficiarius defunctus nullos Ecclesiasticos reditus reliquit, an debita ab ipso contracta ex patrimonialibus bonis illius solvi debeant? *n.* 19. Ass. 4. Si Beneficiarius, nec reditus Ecclesiasticos, nec bona patrimonialia reliquit, tunc expensas necessarias factas ab Antecessore, Ecclesia, aut Successor in Beneficio solvere debet, *n.* 20. Ex quibus bonis, seu reditibus debita contracta solvi debant, si Prælatus, vel alius Beneficiarius non habeat alia bona patrimonialia? *num.* 21.

§. IV. *De Beneficio, seu privilegio competentiæ, quod datur Clericis debitoribus, qui non sunt solvendo.*

Quær. 1. Quale beneficium, sive privilegium competat Clericis, qui non sunt solvendo? Respon. Talis Clericus ob debita civilia non debet excommunicari, si propter inopiam solvere non possit, nec incarcerari, vel aliter molestari, neque ad cessionem bonorum compelli: neque conveniri potest à creditoribus suis, nisi in quantum facere potest, deductis alimentis, ne egeat: dummodo cautionem præstet, quòd solvere velit, si ad meliorem fortunam pervenerit, *n.* 22. Quando Clericus ob delictum civile, possit incarcerari, *num.* 23. Clericus debitor, qui solvendo non est, non potest cogi ad cessionem bonorum, ut evitet carcerem, *n.* 24. Quær. 2. Quænam requirantur, ut Clericus debitor fruatur prædicto beneficio, seu privilegio? Resp. Requiritur 1. Ut sit Clericus, *n.* 25. An omnibus Clericis hęc competat, & quibus non? *n. eod.* 2. Requiritur, ut debitor, propter inopiam solvere nequeat, in totum, vel pro parte. 3. Ut de inopia constet, ideóque illam probare tenetur Clericus, *cit. n.* 25. 4. Requiritur, secundùm aliquos, ut Clericus debitor non sit ad inopiam redactus propriâ culpâ: sed hoc non obstat: non gaudet autem hoc privilegio, si Clericus non sit solvendo, ob dolum commissum, *n.* 26. 5. Requiritur, ut Clericus conveniatur ratione debiti in causa civili: Secus est, si sit debitum ex delicto, tunc enim non potest frui hoc beneficio: sed capi, & incarcerari potest, *cit. num.* 26. Ubi etiam habetur, quòd pœna pecuniaria in corporalem commutari possit. 6. Requiritur, ut Clericus conveniatur actione personali; nam conventus actione reali, non potest uti hoc privilegio, *n.* 27. 7. Requiritur, ut recognoscat debitum, id est, confiteatur: nam si pertinaciter illud negat, & postea de illo convincatur, non gaudet hoc privilegio, *cit. nu.* 27. 8. Requiritur, ut Clericus debitor, qui non est solvendo, cautionem præstet de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenerit, sufficit autem cautio juratoria, *cit. num.* 27. Quæritur 3. An Clericus dicto beneficio competentiæ possit renunciare? Respon. Non posse expressè: licèt ipso facto possit renunciare, scilicet per actum contrarium, ut si pertinaciter neget debitum, vel nolit præstare cautionem, ideóque hoc privilegio privetur, *n.* 28. Renunciatio hujus privilegij non valet, etsi à Clerico debitore facta sit adjecto juramento, *n.* 29.

§. V. *De solutione indebiti.*

Quid sit indebitum, & quot modis dicatur? *n.* 30. Qu. 1. An, & quando indebitè solutum repeti potest? Resp. 1. Qui per errorem, existimans debitū esse, solvit id, quod nullo modo est debitum, nec naturaliter, nec civiliter, potest id repetere, sive per errorem juris, sive facti solverit, *n.* 31. 2. Si quis solvit, quod jure naturali tantùm est indebitum: sed civiliter debitum, solutum repetere potest, sive per errorem facti, sive juris solverit, *n.* 32. 3. Si quis solvit, quod Jure civili est indebitum: sed Jure naturali est debitum, tunc vel solvit per errorem facti, & solutum repetere potest: vel solvit per errorem juris, & repetere non potest. Is verò, qui exceptionem, non temporalem, sed perpetuam habet, eamque favorabilem, solutum per errorem potest repetere, *n.* 33. 4. Si quis sciens, se aliquid non debere, nihilominus solvat, non potest illud repetere, *n.* 34. Si quid debeatur sub conditione, contingenter futurâ, & ante eventum illius, per errorem sit solutum, id repeti potest, tanquam indebitum. Secus est, si quid deberetur sub conditione necessariò futurâ, *nu.* 35. Quæt. 2. Quisnam probare debet, indebitum solutum esse? Resp. qui dicit se indebitè solvisse, id probare debet: nisi adversarius neget, sibi solutionem factam esse, & convincatur de solutione ipsi facta: tunc enim ipsi incumbit probatio, quòd debitum acceperit, *n.* 36.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 17. *c.* 3. *n.* 22. *& duob. seqq.*
c. 2. *n.* 8. *& seq.* *c.* 4. *& ult. n.* 36.

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

§. I. *Quid sit donatio, & quomodo perficiatur, & de varia ejus divisione?*

Assertio I. Donatio est rei licitæ, sive non prohibitæ donari nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, *nu.* 1. De Jure novo, per donationem simplicem, seu nudâ promissione factam & à donatario acceptatam, etiam ante rem traditam, acquiritur jus, & actio donatario, per quam donans cogi potest, ad rem donatam tradendam, quamvis ante traditionem rei, ejus dominium donatario non acquiratur, *n.* 2. Unde per donationem factam absenti, ante acceptationem ejusdem nullum jus acquiritur donatario, & qui donavit, revocare potest donationē, *cit. n.* 2. Ass. 3. Donatio generatim dividitur in donationem inter vivos, & causâ mortis. Donatio inter vivos fit, vel sub conditione, aut modo, vel ad certum tempus, vel ob causam, *nu.* 3. Donatio mortis causâ fit tribus modis, qui tamen ad duo revocari possunt, n. 4.

§. II. *Quæ donatio insinuationem exigit apud Judicem, & quæ non exigit?*

Assertio I. Hodierno jure, si donatio excedat 500. solidos, insinuanda est apud Judicem, alioquin non valet, quoad excessum: per solidum autem intelligitur, ex generali consuetudine, aureus Ungaricus, seu Ducatus, *n.* 5. Ass. 2. Excipiuntur plures donationes ab obligatione faciendæ insinuationis. Veluti primò. Donatio, in quacúnque quantitate, facta Ecclesiæ, Monasterio, vel alij loco pio, vel ob causam piam, etiam sine insinuatione, est valida. Item donatio remuneratoria beneficiorum, vel obsequiorum, & quæ fit ob causam, v. g. ad studia, nuptias, &c, insinuationem non requirit. Præterea, si donationi factæ ultra summam jure præscriptam, adjiciatur juramentum, de ea non revocanda, confirmatur donatio, etiam quoad excessum, & subsistit. Denique etiam donatio mortis causâ facta ultra 500. solidos non requirit insinuationem, *n.* 6. Ass. 3: Si donator renunciet Legi exigenti insinuationem simpliciter, & sine juramento, talis renunciatio non est valida, *num.* 7.

§. III. *An, & qualem potestatem donandi habeant Episcopi, aliique Prælati, aut Rectores Ecclesiarum: & an etiam, & quatenus Religiosi?*

Assertio I. Prælatus, sive Sæcularis, sive Regularis, ex rebus, & proventibus Ecclesiæ, Universitatis, seu Collegij, non potest facere donationes meræ gratuitas, & liberales, quæ nullo titulo, aut causâ sunt subnixæ: nisi meræ liberalitatis, saltem immodicas, & in quantitate notabili, & successor potest tales donationes revocare, *n.* 8. Ass. 2. Potest Episcopus, vel alius Prælatus, etiam sine consensu Capituli, & Juris solennitatibus, ex reditibus Ecclesiasticis facere donationes, ob causam pietatis, & misericordiæ, dummodo sint moderatæ: v. g. potest etiam Prælatus donationes moderatas facere, in compensationem meritorum erga Ecclesias, vel personas ejus, n. 10. Imò etiam res aliqua immobilis alicui, ob remunerationem beneficiorum, quæ Ecclesiæ præstita sunt, donari potest, seu in Feudum concedi, præmisso tractatu, & alijs juris solennitatibus: idque non tantùm ob remunerationem beneficiorum præstitorum Ecclesiæ: sed etiam Episcopo, vel Prælato, intuitu ejusdem, *nu.* 11. & 12. Ass. 3. Prælatus, etiam Regularis, potest ex rebus Ecclesiæ donationes moderatas facere, etiam meré liberales, cum consensu Capituli: imò etiam sine illo, si loci consuetudo id permittat, *nu.* 13. Porro ex generali Ecclesiarum consuetudine receptum est, ut Prælatis liceat, donationes moderatas etiam merè liberales facere, spectatis facultatibus Ecclesiæ, aliisque circumstantijs, *n.* 14. Quòd si donatio merè liberalis ex reditibus Ecclesiæ à Prælato facta immodica sit, & in magna quantitate, sed cum consensu Capituli, probabilius est, esse validam, etsi illicita sit, *n.* 15. Ass. 4. Religiosi, qui extra Monasterium degunt, possunt de reditibus Ecclesiasticis eleemosynas, aliasque donationes honestas facere, sine consensu Prælati Ordinis. Illi verò Religiosi, qui Prælati non sunt, administrationem tamen habent bonorum Monasterij, possunt donationes facere, secundùm facultatem ipsis à Superiore concessam, & quantùm Ordinis Statuta, vel consuetudo permittit. Denique alij Religiosi, qui nullam administrationem bonorum habent, nullas donationes facere possunt, sine expressa, vel tacita Superioris licentia, *n.* 16.

§. IV. *De quibusdam donationibus, seu concessionibus Ecclesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel quæ fieri possunt alienis Ecclesijs.*

Episcopus non potest dare Ecclesiam non vacantem alicui in titulum, & si detur, collatio est nulla: possunt tamen ab Episcopo, vel ejus auctoritate, ipsæ Ecclesiæ, etiam antequam vacent, dari pijs, & Religiosis locis in proprietatem, per unionem, seu incorporationem alteri Ecclesiæ, ita tamen, ut qui illas be-

cleſias poſſident, ſine illorum conſenſu, quamdiu vivunt, ijs privari non debeant, *n.* 17. & 18. Præterea Hoſpitalarij poſſunt, domum ſuam donando, ſubijcere alteri Eccleſiæ, vel loco Religioſo, *n.* 19. & 20. Ubi reſpondetur ad objectionem. Epiſcopus, ſi in Diœceſi ſua Monaſterium conſtruere velit, & de rebus Eccleſiæ ſuæ illud dotare, non plus dare eidem poteſt, quàm partem quinquageſimam: centeſimam autem cenſûs Eccleſiæ ſuæ, ſi ex ſæculari Eccleſia velit facere Monaſterium, vel in ea ſepulchrum ſibi eligere, *n.* 21. Deducuntur hinc quædam corollaria, *n.* 22. & 23. Si Epiſcopus, cum conſenſu Patroni, Eccleſiam aliquam conferat Religioſis, tum Patronus cenſetur illi cõferre, quod ſuũ eſt, ſcilicet Jus patronatûs: Epiſcopus verò donare voluiſſe, quod ex tẽporalibus proventibus in illa Eccleſia obtinet: ad quam donationẽ tamen requiritur conſenſus Capituli, *n.* 24. & *ſeq.*

§. V. *Qualis in dubio interpretatio fieri debeat donationis, & quando præſumi poſſit donatio?*

Assertio I. Latiſſima eſt interpretatio facienda in donationibus, & ideo clauſula oneroſa poſt multas donationes appoſita, ad proximam donationem tantùm referenda eſt, *nu.* 26. & *ſeq.* Idque explicatur, *nu.* 28. & *ſeq.* Excipi debet, niſi donatio, vel alia gratia cedat in præjudicium tertij, vel deroget Juri communi, tunc enim non latè interpretari oportet, *nu.* 30. Aſſ. 2. Regula generalis eſt, donationem non præſumi, quando alia interpretatio, vel conjectura fieri poteſt: ſunt tamen plures caſus, in quibus donatio præſumitur, *nu.* 31.

§. VI. *An, & quando donatio inter vivos revocari poſſit ob ingratitudinem?*

Assertio I. Donatio inter vivos ſemel ritè perfecta, nudo pacto, ſeu conſenſu, etiam traditione nõdum factâ, regulariter revocari non poteſt: niſi in tribus caſibus, *num.* 32. Aſſ. 2. Donatio inter vivos, propter ingratitudinem donatarij erga donantem, in quatuor caſibus revocari poteſt, *n.* 33. Primus caſus eſt, ſi donatarius manus violentas in donatorem injiciat: Secundus eſt, ſi verbis injurioſis eum afficiat: Tertius eſt, ſi grave damnum ei inferat in bonis ſuis externis: Quartus eſt, ſi inſidias vitæ ipſius ſtruat, *n.* 34. An præter prædictas, etiam ob alias cauſas ingratitudinis majores, vel æquales, revocari poſſit donatio? *n.* 35. Porro donatio ob ingratitudinem non revocatur, ipſo jure: ſed revocanda eſt per ſententiam Judicis, poſtquam repeti poſſunt etiam fructus rei donatæ, & omnia, quæ donata ſunt, ſaltem quatenus adhuc ſunt penes donatarium, *nu.* 36. Aſſ. 3. Sunt tamen quædam donationes, quæ ob ingratitudinem revocari non poſſunt. Veluti primò. Donatio remuneratoria meritorum, vel ob cauſam facta. Secundò donatio facta Eccleſiæ, Monaſterio, vel alij pio loco, ob ingratitudinem Prælati, ſeu Adminiſtratoris, vel Capituli, vel etiam utriuſque ſimul revocari non poteſt. Tertiò, Dos, quæ data fuit à patre filiæ, vel etiam ab extraneo, non poteſt revocari ob ingratitudinem ipſius, vel mariti. Quartò. Collator Beneficij non poteſt revocare collationem, ob ingratitudinem Beneficiarij in ipſum commiſſam, *n.* 37. Aſſ. 4. Si Donator ſcivit, ingratitudinem erga ſe commiſſam eſſe à donatario, & tacuit, ipſo mortuo, ejus hæres, ſive ſucceſſor illam revocare non poteſt: quod tamen aliqui limitant, niſi donans ignoraverit, ingratitudinem in ſe à donatario commiſſam eſſe, vel morte præventus, aut impeditus revocare non potuit, cùm vellet, tum enim jus revocandi tranſit ad hæredes donatoris, *n.* 38. Poſtremò renunciatio, ſive pactum de nõ revocando donationem, ob ingratitudinẽ donatarij facta, non valet, & ſi talis donatio juramento ſit firmata, adhuc revocari poterit, nõ obſtante juramento, *n.* 39.

§. VII. *De alijs duabus cauſis revocandi donationem inter vivos, ob ſupervenientiam liberorum, & inofficioſam donationem.*

Assertio I. Si quis liberos non habens, omnia bona, vel partem eorum donavit, & poſtea liberos, præter ſpem ſuſcipiat, talis donatio revocari poteſt, *n.* 40. Idque procedit, etiamſi pars tantùm notabilis, etiam infra dimidium bonorum fuerit donata, donatio talis revocari poteſt, tametſi unus tantùm filius inopinatò ſit natus, *n.* 41. In quibus caſibus donatio ob filios poſtea natos, revocari non poteſt. Primò. Si donator expreſsè juri illi revocandi renunciavit, *num.* 42. Secundò, donatio facta Eccleſiæ, vel ob aliam piam cauſam, non revocatur in totum: ſed tantùm uſque ad legitimam partem filijs debitam, *n.* 43. Tertiò. Donatio remuneratoria, vel ob aliam cauſam facta, in favorem donantis, revocari poteſt ob ſupervenientiam liberorum, *n.* 44. Quartò. Tota donatio revocatur, ſi poſtea naſcantur liberi legitimi, non autem illegitimi, *n.* 45. Aſſ. 2. Revocatur præterea donatio inofficioſa, quæ facta eſt contra officium pietatis paternæ in filios, *n.* 46. An etiam donatio inofficioſa facta extraneæ perſonæ? *n.* 47. Sicut liberis deſcendentibus, ita etiam parentibus aſcendentibus competit jus revocandi donationẽ factam à liberis, uſque ad legitimam portionem, ipſis debitam, *n.* 48. Revocatur autem ob ſupervenientiam liberorum ſolùm donatio propriè dicta, per quam alienatur jus acquiſitum: non autem illa, per quam remittitur jus nondum acquiſitum, *n. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 31.
c. 2. *n.* 8.
c. 3. *n.* 13. & *ſeq.*
c. 4. *n.* 17. & *ſeq.*
c. 5. *n.* 11. & *ſeq.*
c. 6. *n.* 26. & *plurib. ſeq.*
c. 7. *n.* 24. & *ſeq.*
c. 8. *n.* 19. & *ſeq.*
c. 9. *n.* 21. & *duob. ſeqq.*
c. 10. & *uls. num.* 33. & *ſeq.*

TITULUS. XXV.

DE PECULIO CLERICORUM.

Quid ſit peculium, & quotuplex? Peculium filiſfam. eſt quadruplex, profectitium, adventitium, caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe, *n.* 1. Peculium Clericõrum, ſeu Beneficiatorum ſæcularium eſt triplex, patrimoniale, quaſi caſtrenſe, & profectitium eorum bonorum, quæ ſpecialiter aſſignata ſunt Clericis, tanquam Beneficia, *n.* 2.

§. I. *An Clerici ſint veri domini bonorum, ac redituum Eccleſiaſticorum, quos ratione Beneficij percipiunt etiam ſuperfluorum: an verò eorum adminiſtratores tantùm?*

Certum eſt primò. Quòd Clerici ſæculares ſunt veri domini bonorum ſuorum patrimonialium, & de illis liberè diſponere poſſunt. Deinde Clerici habent etiam verum, & abſolutum dominium bonorũ, quaſi patrimonialium, quæ in Clericatu acquiſiverunt, ſed

sed non ex titulis, & Beneficijs Ecclesiasticis, de quibus etiã liberè disponere possunt inter vivos, vel per ultimam voluntatem, *n.* 3. Ass. 1. Episcopi, Canonici, & Rectores Ecclesiarum, aliique Clerici Beneficiarij acquirunt dominium fructuum, quos ex bonis Ecclesiasticis percipiunt, ita, ut si Clericus Beneficiarius ex reditibus necessarijs ad vitæ sustentationem sibi aliquid detrahat, possit de illo liberè disponere: etiam ad causas profanas, *n.* 4. Ass. 2. Probabilius est, quòd Clerici Beneficiarij sæculares, non sunt meri dispensatores, seu administratores: sed acquirunt dominium reditum beneficialium, etiam superfluorum, restrictum tamen; quia obligationem annexam habent, eos expendendi in pios usus, *n.* 5.

§. II. *Utrùm Clerici Beneficiarij ex lege justitiæ teneantur reditus superfluos Beneficiorum erogare in pios usus: an verò ex alia lege, vel præcepto, sine onere restitutionis?*

Duplex est sententia, prima antiquorum omnium ferè Canonistarum, & plurium Theologorum, Prælatos, aliósque Clericos Beneficiarios ex justitia obligari, reditus, quos ex bonis Ecclesiasticis, qui ultra congruã vitæ sustentationem supersunt, percipiũt, in pauperes, vel alias pias causas expẽdere debere, alioquin ad restitutionem faciendam, illos obligari, *n.* 6. Eaque probatur primò, *n.* 7. Probatur secundò, *n.* 8. Probatur tertiò, *n.* 9. 10. & 11. Probatur quartò, *n.* 12. Probatur ultimò, *n.* 13. Altera sententia, & opposita est Theologorum recent. qui tenent, tales Clericos peccare quidem mortaliter, si reditus hujusmodi superfluos in profanas causas expendant: non tamen obligari ad restitutionem, *n.* 14. Sed prior sententia est verior, & in praxi suadenda. Deducuntur quædam corollaria ex prima sententia, *n.* 15.

§. III. *Ad quem pertineant bona acquisita à Clerico Beneficiario, & meliorationes factæ in rebus Ecclesiæ, num ad Ecclesiam: an verò ad ipsum Beneficiarium?*

Assertio I. Si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, vel Beneficiarius, tempore accepti Beneficij, nullum patrimonium habuit, vel tenue, præsumendum est, bona postea ab ipso acquisita, ex reditibus Ecclesiasticis acquisita fuisse, adeòque ad Ecclesiam spectare, post mortem Beneficiarij, *n.* 16. Idque declaratur *n.* 17. *& seq.* Ass. 2. Quod Episcopus, vel alius Beneficiarius comparavit ex bonis, & reditibus Ecclesiasticis, vel intuitu Ecclesiæ acquisitis, ea ad Ecclesiam pertinere censentur, & Ecclesiæ relinqui debent, *nu.* 19. & 20. Ass. 3. Quæ Prælatus, seu Rector Ecclesiæ, etiam alieno nomine comparavit, ea acquiruntur Ecclesiæ, illique relinqui debent, *nu.* 21. Idque specialiter statutum est in favorem Ecclesiæ, sicut & minoris, vel pupilli, vel militis Jure Civili, *num.* 22. Episcopus, vel Rector Ecclesiæ, de ijs, quæ emit ex reditibus Ecclesiasticis, instrumentum emptionis conficiat, in quo contineatur, ea ad Ecclesiam pertinere, alioquin ab Ecclesiæ administratione amovendus est, *n.* 23. Ass. 4. Meliorationes, quas Rector Ecclesiæ, vel alius Beneficiarius facit in terris ad Ecclesiam pertinentibus, ipse percipere potest, quamdiu vivit, etiamsi Beneficio cedat: post mortem verò non potest illas alteri relinquere in Testamento, vel ab intestato: nisi Episcopus alicui eas assignet, pro servitijs Ecclesiæ præstitis, *n.* 24. *& seq.* In quibus Clericus Beneficiarius differat ab usufructuario? *n.* 26.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. n. 16. & seq.
c. 2. n. 23.
c. 3. n. 19. & seq.
c. 4. n. 21. & seq.
c. 5. & ult. n. 24 & seq.

TITULUS XXVI.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS voluntatibus.

Sect. I. *De definitione, ac divisione Testamenti, & solennitatibus ad illam requisitis.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit Testamentum, & quæ solennitates requirantur ad illud, spectato Jure Communi Civili?*

Assertio I. Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, *n.* 1. Ubi etiam explicatur ea definitio. Ass. 2. Testamentum aliud est perfectum, sive solenne: aliud imperfectum, sive minùs solenne: rursum aliud Testamentum scriptum, aliud nuncupativum, *n.* 2. Ass. 3. Quænam solennitates requirantur ad valorem Testamenti solennis in scriptis? *n.* 3. & 4. Ass. 4. Ad Testamentum nuncupativum pauciores solennitates requiruntur, de quibus *nu.* 5. Et quænam sit differentia inter Testamentum solenne in scriptis, & nuncupativum? *nu.* 6. Quomodo Codicillus differat à Testamento, *n.* 7.

§. II. *An solennitates Juris Civilis requirantur etiam ad Testamentum, spectato Jure Canonico?*

Respon. non requiri: sed Testamentum factum coram duobus testibus, & Parocho, validum est de Jure Canonico, sive ad causas pias, sive profanas, *n.* 8. & 9. Testes requiruntur, non tantùm ad probationem Testamenti: sed etiam ad substantiam, & valorem illius, etiam de Jure Canonico, *n.* 10. Probabile est, quòd spectato Jure Communi, Clerici etiam in Terris Imperij aliorúmq; Regnorum, possint condere Testamenta, secundùm formam Juris Canonici, etiam ad causas profanas: in praxi tamen in Imperio Romano usu receptum est, ut in causis profanis, secundùm formam Juris Civilis, Testamenta facere debeant, alioquin ea sunt invalida, *num.* 11. Valde probabile est, etiam secundùm Jus Canonicum, in Testamento ad causas profanas, testes debere esse masculos, & rogatos, alioquin invalidum fore, *num.* 12.

§. III. *An, sicut Testamentum, sine solennitatibus Juris positivo requisitis, factum ad causam profanam, in foro externo, est invalidum: ita etiam sit invalidum in foro conscientiæ?*

Duplex est sententia. Prima affirmat, Testamenta minùs solennia, condita ad causas profanas, esse valida in foro conscientiæ. Altera opposita ait, Testamenta hujusmodi in foro externo irritata esse etiam invalida in foro conscientiæ. Tertia est media, nempe Testamenta minùs solennia non esse irrita, ipso Jure, in foro conscientiæ: posse tamen rescindi per sententiam Judicis, ad petitionem hæredis ab intestato, *n.* 13. Ass. 1. In hac re certum est, posse per Legem humanam, Ecclesiasticam, vel Civilem irri-

tari

tari testamenta imperfecta, ita ut etiam in foro conscientiæ sint irrita, *nu.* 14. Ass. 2. Si hæres in Testamento minùs solenni institutus hæreditatem, sine vi, vel fraude, est consecutus, non tenetur, in foro conscientiæ, illam hæredi ab intestato restituere, si ipsi certò constet de voluntate Testatoris, donec in judicio ab ipso repetatur: idémque est de Legatario, *nu.* 15. Ass. 3. Si extraneus sit hæres institutus in Testamento minùs solenni, & hæres institutus in Testaméto tali petat hæreditatem: Judex autem illam adjudicet per sententiam hæredi ab intestato, hoc casu, non tenetur hæres ab intestato in foro conscientiæ, dare hæreditatem hæredi scripto in Testamento imperfecto: sed potiùs hic tenetur in conscientia restituere hæreditatem, post latam sententiam condemnatoriam Judicis, hæredi ab intestato. Idémque est de Legatario, *n.* 16. Respon. Ad fundamenta oppositæ sententiæ, *num.* 17. Deducuntur corollaria, *num.* 18.

§. *An solennitates Juris Civilis requirantur in Testamentis ad pias causas?*

Testamenta, aliæque ultimæ voluntates, ac legata ad pias causas facta, valida sunt in utroque foro, externo, & conscientiæ, solúmque requiritur, ut habeant id, quod jure naturali, & gentium exigitur; modò de voluntate defuncti constet, *n.* 19. Neque verò etiam de Jure Canonico necessarij sunt duo testes ad substantiam, & valorem Testamenti, vel Legati ad pias causas: sed solùm probationis causâ, si alia non adsit probatio, *nu.* 20. In Testamento ad pias causas possunt esse testes non rogati, & fœminæ: & solo etiam nutu, vel alio signo externo, sine scriptura, vel voce, hæres institui, vel Legata ad pias causas relinqui possunt, *n.* 21. Et solvenda sunt talia Legata, etiamsi hæreditas non fuerit adita: item valet Testamentũ minùs solenne ad pias causas, etiam quoad Legata profana in eo relicta, & tametsi inchoatum sit Testamentum, & non perfectum, valet tamen quoad Legata pia: sunt autem hujusmodi Testamenta mixti fori, ita, ut in eo relicta à Judice Ecclesiastico, vel Sæculari peti possint, & statutum impediens liberam facultatem testandi ad pias causas, non valet, *n.* 22. Præterea validum est Testamentum, vel Legatum ad pias causas, etsi in alterius arbitrium conferatur, & sic intelligi potest, quod dicitur in *c. Cùm tibi; 13. h. t.* Quamvis alia sit illius textûs expositio, *n.* 23. & 24.

SECTIO II. *Deijs, qui Testamenta facere possunt, vel non possunt.*

§. I. *Quinam Jure Communi prohibentur Testamentum facere?*

Omnes homines generatim loquendo, de bonis suis per ultimam voluntatem liberè disponere possunt, nisi jure naturali positivo prohibeantur: & quinam in specie prohibeantur, sive jure naturali, sive positivo? *n.* 25.

§. II. *An, & de quibus Episcopi, aliique Prælati Ecclesiastici, & Beneficiarij testari possunt, vel non?*

Asser. 1. Episcopus, vel alius Prælatus Ecclesiæ potest de bonis suis patrimonialibus, aut proprijs, sive ante, sive post susceptum Episcopatum acquisitis, Testamentum facere: non autem de bonis Ecclesiæ, vel ejus intuitu acquisitis, *n.* 26. At verò Episcopus Religiosus non potest etiam de bonis patrimonialibus, aut propriâ industriâ acquisitis testari; quia ea acquiruntur Ecclesiæ suæ, *n.* 27. Ass. 2. Similiter, & alij Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, vel propriâ industriâ acquisitis: non tamen de bonis ex Ecclesiasticis Beneficijs, vel intuitu Ecclesiæ acquisitis: sed bona illa penes Ecclesiam remanere debent, *n.* 28. Præterea Clerici Beneficiarij, etsi possint bona, seu reditus Ecclesiasticos superfluos, in causas pias erogare, dum vivunt, attamen in ægritudine, vel periculo mortis constituti, si adhuc sui compotes sint, per modum eleemosynæ, donationes moderatas in pauperes, vel alios pios usus facere possunt, *nu.* 29. & 30. Unde consultum est, ut Beneficiarij, quæ ad pias causas relinquere volunt, per donationem inter vivos id faciant, *n.* 31. Clerici de his, quæ ex paterna successione, vel donatione consanguineorum, vel alio titulo acceperunt, non intuitu Ecclesiæ, liberè disponere possunt: tum inter vivos, tum per ultimam voluntatem, *n.* 32. Ass. 3. Possunt Clerici etiam ex reditibus Ecclesiasticis, qui ipsis tanquam justum stipendium debentur ad necessariam eorum sustentationem, tum per ultimam voluntatem disponere, si quid per propriam parsimoniam ex illis sibi reservârunt. Idémque dicendum de Oblationibus fidelium, & distributionibus quotidianis, *n.* 33. Ass. 4. Sunt tamen quidam casus, in quibus Prælati, aliique Clerici etiam de reditibus Ecclesiasticis superfluis Testamentum facere possunt, qui referuntur *nu.* 34. Ass. 5. Quæ Beneficiarij intuitu Ecclesiæ, sive ex Ecclesiastico Titulo acquisiverunt: sive sint bona immobilia, sive mobilia, penes Ecclesiam, à qua sunt profecta, remanere debent, ac proinde de ijs testari non possunt: quæ verò Clericus ex hæreditate, labore, vel industriâ suâ acquisivit, ea pro arbitrio decedentis distribuenda sunt, *n.* 35. Si Prælatus, vel alius Beneficiarius administrationem habens, moriatur, bona illius intuitu Ecclesiæ acquisita, ad Successorem in Ecclesia devolvuntur, non ut ea sibi applicet: sed ut tanquam fidelis administraror ea dispenset. Si verò Beneficiarius administrationem non habens, sed simplicem præbendam, decedat, bona illius ad Capitulum devolvuntur, quippe cui cura, & administratio bonorum capitularium est commissa, *n.* 36. Beneficiarij ex bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis, possunt facere moderatas eleemosynas, & donationes remuneratorias, erga bene meritos de Ecclesia, vel etiam de ipso Beneficiario, vel inter vivos, vel etiam per ultimam voluntatem, si hoc consuetudine sit inductum, *n.* 37. Si Clericus, qui decessit, plura Beneficia in diversis Ecclesiis habuit, eorum bona ab Ecclesiis profecta, vel quasi patrimonialia, inter Ecclesias, vel successores in administratione dividenda sunt, secundùm proportionem, ita, ut plus perveniat ad illam Ecclesiam, à qua Beneficiarius plus reditnum accepit, *n.* 38.

§. III. *An per consuetudinem saltem immemorialem, introduci possit, ut Beneficiarij de Ecclesiasticis reditibus superfluis, & quæ ex ijs comparata sunt, liberè, ac licitè testari, seu per aliam ultimam voluntatem disponere possint, etiam ad usus profanos?*

Duplex est sententia, affirmativa, & negativa, quæ est communior, & verior, *nu.* 39. Ass. 1. Potest per consuetudinem induci, ut Beneficiarij, etiam Episcopi, aliique Prælati qui redituum Ecclesiastico-

rum ad Ecclesiam pertinentiũ tantùm administrationem habent, testari possint ad pias causas, de hujusmodi reditibus remanentibus, & bonis mobilibus, ac modicis, *n.* 40. Ass. 2. Si Beneficiarij in aliqua Ecclesia, vel Diœcesi non habeant reditus abundantes, vel solùm necessarios ad congruam sustentationem, potest per consuetudinem induci, ut liberè de illis testandi facultatem habeant, etiam ad profanas causas, *nu.* 41. Ass. 3. Non potest per ullam consuetudinem, etiam immemorialem induci, ut Episcopi, Prælati aliique inferiores Beneficiarij, qui abundantes, ac superfluos reditus habent, pro libitu de ijs testentur, vel per aliam ultimam voluntatem ad causas profanas disponant, *nu.* 42. Et hinc neque S. Pontifex ordinariè, & universim potest concedere facultatem liberè testandi ClericisBeneficiarijs de superfluis reditibus Ecclesiasticis, ad usus profanos, ita, ut talis dispensatio sit invalida, *n.* 43. Resp. ad argumenta oppositæ sententiæ, *n.* 44.

§. IV. *An, & quatenus Religiosis sit prohibitum, vel permissum, testamentum facere, sive Professis, sive Novitijs?*

Assertio I. Prælati Religiosorum Ordinum, aliique Religiosi professi non possunt Testamentum facere: sed ab ipsis factum, est irritum. Unde Abbatissæ testari non possunt, etsi Monachalem habitum nunquam induerint, *nu.* 45. *&* *seq.* Prælati, aliique Religiosi professi, nec ad pias causas testari possunt, nec Codicillum facere, nec donare mortis causâ, *nu.* 47. & 48. Non solùm Professi Societatis, sed etiam Coadjutores formati, spirituales, vel temporales, Testamentum facere non possunt: bene verò qui post biennium Novitiatûs tria vota simplicia ediderunt, cum licentia Superioris, *n.* 49. Ass. 2. Possunt de licentia S. Pontificis Religiosi Testamentum facere, *n.* 50. Quædam sunt notanda circa facultatem testandi à Papa concedi solitam Religiosis, *n.* 51. An per consuetudinem induci possit, ut Religiosus professus in casibus, in quibus ex privilegio Papæ facultas testandi ei concessa fuit, Testamentum facere possit? *n.* 52. Ass. 3. Novitij Religionum possunt de suis bonis Testamentum facere, vel per aliam ultimam voluntatem de ijs disponere, etiam tempore Novitiatûs ante Professionem, sine licentia Superioris, *n.* 53. An ad Testamentum Novitij requirantur solennitates Juris Civilis? *nu.* 54. Et an Novitij possint Testamentum condere, ante duos menses proximè præcedentes Professionem, sine licentia Episcopi, vel Vicarij ejus Generalis? *n.* 55.

Sect. III. *De hæredum institutione, ac substitutione.*

§. I. *Quinam hæredes possint institui in Testamento, & an etiam Ordines Religiosi, eorúmque Professi?*

Assertio I. Omnes homines hæredes instituí possunt, etiam Communitates, & Collegia, nisi jure specialiter prohibeantur, *n.* 56. Ass. 2. Omnes Ordines Religiosi, qui capaces sunt possidendi bona immobilia in communi, eorúmque Professi possunt hæredes instituí, ita tamen, ut non sibi: sed Monasterio bona relicta acquirant, *nu.* 57. An non solùm Collegia, & Domus probationis: sed etiam Domus professæ Societatis Jesu possint hæredes instituí? An, & quâ ratione Domus Professæ, & Collegia, aut Domus Probationis Societatis possint instituí in Testamento, vel succedere ab intestato: item ipsi Professi, aut Coadjutores formati: vel qui vota simplicia post biennium Novitiatûs emiserunt? *n.* 58. An Minoribus de Observantia, & Capucinis relinqui possit: Legatum, vel etiam Domui Professæ Societatis? *n.* 59.

§. II. *De substitutionibus, quæ hæredibus, ut plurimùm fiunt in Testamento?*

Quæritur 1. Quid sit substitutio, & quotuplex? *n.* 60. Quær. 2. Quid sit vulgaris substitutio, & quis ejus effectus? *n.* 61. Quær. 3. Quid sit Substitutio pupillaris, & quis illius effectus? *n.* 62. Qu. 4. Quid sit substitutio exemplaris, reciproca, & compendiosa? *nu.* 63, & 64. Quid sit substitutio compendiosa? *num.* 65.

§. III. *An per substitutionem pupillarem excludatur mater à successione imberis filij?*

Per substitutionem pupillarem expressam excluditur mater impuberis filij, & omnes ascendentes per lineam maternam à successione illius, etiam quoad legitimam partem, quam alioquin filius eis relinquere teneretur, *nu.* 66. An per substitutionem expressam extranei substituti pupillariter filio impuberi, excludatur mater superstes: etiam à legitima ipsi in bonis pupilli debita? *n.* 67. An per substitutionem pupillarem tacitam, sive subintellectam in vulgari expressa, excludatur mater impuberis à substituto, *num.* 68. Si pater filio impuberi verbis directis substituat in Testamento, tunc si filius post pubertatem decedat, exspirat substitutio, & excludit substitutus, ita ut, nec per modum fideicommissi valeat, *n.* 69. An substitutio compendiosa facta à Testatore verbis directis, censenda sit substitutio directa, si filius hæres non extiterit, vel directa pupillaris, si hæres extiterit: & ante pubertatem decesserit: an verò, si post pubertatem decesserit, valeat substitutio, non ut directa, sed ut fideicommissaria? *n.* 70. Denique, an si Testator filio impuberi substituit per verba communia, quæ directam, vel indirectam substitutionem significare possunt, neque illam restringit ad annos pupillares, & filius decessit post pubertatem, locum habeat successio fideicommissaria? *n.* 71.

§. IV. *De substitutione, quæ fit per Fideicommissum.*

Quær. 1. Quid sit Fideicommissum, & quis illius effectus? Fideicommissum in genere dicitur, quod alicui per intermediam personam relinquitur. Estque vel universale, in quo hæres jubetur hæreditatem alteri restituere. Vel particulare, in quo res particulares jubentur ab hærede alteri restitui, *n.* 72. Quær. 2. An & quatenus pater filium gravare possit, ut hæreditatem, post mortem, alteri restituat? Resp. 1. Si pater filium hæredem institutum jubeat, post mortem, restituere alteri hæreditatem, censetur illum fideicommisso onerâsse, sub hac tacita conditione, si filius sine liberis mortuus fuerit, *n.* 73. Resp. 2. Si filius gravatus in Testamento patris, ut hæreditatem alteri restituat, si sine liberis decesserit, & is Religionem ingrediatur, & profiteatur, tum excluso substituto, Monasterium succedit in bonis Professi, *n.* 74. Idemque est, si gravatus fideicommisso fiat Clericus sæcularis, tunc enim etiam excluditur substitutus, *num.* 75. Ponuntur plures limitationes, *nam.* 76.

§. V. &

§. V. *De deductione, tum quartæ partis Trebellianicæ ex fideicommissarijs hæreditatibus: tum legitimæ.*

Quær. 1. An, & quâ ratione ex fideicommissis deducenda sit quarta Trebellianica? Resp. Si hæres per fideicommissum gravatus sit, hæreditatem alteri restituere, potest quartam partem Trebellianicam deducere, *n.* 77. Si hæres necessarius, sive ex descentibus, sive ex ascendentibus, sit gravatus, ut restituat hæreditatem alteri, legitimam portionem hæreditatis deducere potest, quæ purè, & absque omni conditione, & onere filijs relinqui debet, & quidem titulo institutionis, eâque debetur liberis jure naturæ, *n.* 78. Quær. 2. An hæres necessarius gravatus hæreditatem alteri restituere, possit simul Legitimam, & Trebellianicam detrahere? Resp. Si filius, vel alius ex descendentibus gravatus sit, restituere hereditatem alteri, sub conditione, potest legitimam, & quartam partem Trebellianicam deducere ex reliqua hæreditate, & in his potest etiam legata relinquere, hæredes instituere, & pœnam imponere, *nu.* 79. Probabilius autem est, saltem spectato Jure Canonico, filium utramque portionem, & Legitimam, & Trebellianicam posse simul deducere, sive purè, & absolutè; sive sub conditione sit gravatus restituere hæreditatem, *n.* 80.

Sectio IV. *De Legatis, & Fideicommissis particularibus.*

§. I. *Quid sit Legatum, & an res aliena legari possit?*

Assertio I. Legatum sumptum non pro re legata: sed pro actu legandi, est donatio quædam in Testamento facta (vel meliùs) à defuncto relicta, & ab hærede præstanda. Quomodo differat Legatum à donatione inter vivos, vel causa mortis, & ab hæredis directa institutione? *n.* 81. Ubi tamen distinguendum est, an quis rem alienem ignorans legaverit: an verò sciens, esse rem alienam, *nu.* 82. *& seq.* Utrùm non solùm de Jure Civili: sed etiam Canonico Legatum rei alienæ subsistat? *n.* 84. *& duob. seqq.* Legatum rei alienæ ad pias causas utroque jure valet, *cit. num.* 86. *in fin.*

§. II. *An Legata possint relinqui nudis verbis, sine scriptura, & hæredis institutione, & quomodo præstanda sint Legata incerta?*

Assertio I. Legata non tantùm ad piam causam: sed etiam ad profanam, nudis verbis, & sine hæredis institutione in Testamento facta, aliâvè scripturâ, nuncupativè relinqui possunt, *n.* 87. Sunt autem Legata ad pias causas præstanda, etiamsi relicta sint in Testamento invalido, vel quod postea fit irritum, *n.* 88. Ass. 2. Si Legatum relictum sit loco, vel personæ incertæ, illud corruit, nisi sit Legatum pium, & cui in dubio Legatum pium applicari debeat? *n.* 89.

§. III. *Quid sit Falcidia, quomodo deducenda, & quando detrahi non possit?*

Assertio I. Si Testator leget, ultra tres partes omnium bonorum, potest hæres detrahere quartam partem hæreditatis ex Legatis, etiam à Fideicommissis particularibus, & donationibus mortis causâ factis, *n.* 90. Ass. 2. In computanda hac quarta parte spectanda est quantitas hæreditatis, sive bonorum defuncti, secundùm tempus mortis ejusdem, *nu.* 91. Priusquam verò Falcidia detrahatur à Legatis, deducendum est æs alienum defuncti, & impensæ funeris, & quod in morbum est impensum, *n.* 92. Ass. 3. Plures sunt casus, in quibus Falcidia detrahi non potest, quæ referuntur, *n.* 93.

§. IV. *De portione Canonica debita Episcopo ex Legatis piis, & quomodo illa legata distribuenda sint?*

Si relinquatur Episcopo aliquod Legatum in ultima voluntate, præsumitur relictum intuitu Ecclesiæ: non personæ, ideóque Episcopus, & Ecclesia Cathedralis potest Canonicam portionem petere, quæ communiter quidem est quarta pars, vel etiam tertia, secundùm diversas locorum consuetudines. Ubi distinguendum est, an Legatum sit relictum Episcopo, & Ecclesiæ simul, vel hoc Episcopo, & illud Ecclesiæ separatim. In primo casu subdistinguendum est, an Episcopo sit relictum legatum ab extraneo, & præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ: ideóque Ecclesia Cathedralis potest ex tali Legato petere canonicam portionem: sicut & vice versâ, si aliquid Ecclesiæ sit relictum ab extraneo, Episcopo etiam competit sua portio, nisi legans expresserit, quòd velit illud Episcopi tantùm esse, non Ecclesiæ. In Secundò verò casu, si Legatum relinquatur Episcopo à suo propinquo, præsumitur relictum esse, non intuitu Ecclesiæ: sed personæ, nisi contrarium probetur, & tunc Ecclesia nihil potest petere ex tali Legato, quamdiu Episcopus vivit. In tertio casu, si aliquid relinquatur Episcopo, & Ecclesiæ conjunctim, tunc quod relictum est, inter Episcopum, & Ecclesiam canonicè dividendum est. In quarto casu, si separatim hoc Episcopo, istud Ecclesiæ est relictum, tunc reduci debent ad canonicam divisionem inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem: nisi ambo velint esse contenti dispositione Testatoris, quod æquitati convenit, si nulla adest fraus, & neutra pars minimè defraudetur debitâ portione. Si verò quippiam Episcopo, & aliqua Capellis, vel Monasterijs, vel alijs pijs locis legantur: tunc quod relinquitur Episcopo, est præcipuum ipsius, unâ cum Ecclesia Cathedrali: de Legatis verò alijs Ecclesiis factis, Episcopus canonicam portionem percipiet. Denique, si quid Clericis, qui proprium habere possunt, nec habent Ecclesiæ Prælationem, vel administrationem, ut simplices Canonici, relictum sit, sive à propinquo, sive ab extraneo, illud censetur esse relictum intuitu personæ, & non Ecclesiæ: & de hoc, nec Episcopus, nec Ecclesia aliquid habebit: nisi contrarium probetur, & cessante omni fraude, *n.* 94. Prædicta declarantur *n.* 95. & 96. Præterea, si quis legavit Episcopo propriam portionem canonicam, ita, ut illâ solâ esset contentus, & Episcopus acceptavit, non potest de alijs pijs relictis accipere canonicam portionem; quia censetur illis renunciâsse. Si verò legans portionem Episcopo absolutè reliquit, tum nihilominùs potest portionem sibi debitam ex alijs pijs Legatis petere. Quòd si verò in Testamento modicum quid in fraudem sit relictum Episcopo, pro funeralibus, adeóque pars minor, quàm de jure ipsi sit debita, & solita solvi, tunc nihilominus eandem petere potest ex alijs pijs Legatis; quia dolus, & fraus nulli patrocinari debent, salvis tamen privilegijs, quibusdam Regularibus à Papa concessis, *n.* 97. & 98. Postremò sunt quædam Legata pia, ex quibus non solvi-

tur canonica portio Episcopo, aut Ecclesiæ Parochiali, ut pro ornamentis, vel Fabrica Ecclesiæ, pro anniversarijs &c. dummodo talia Legata in fraudem non fiant, *n.* 99. In quibus præterea casibus portio Canonica Episcopo non debeatur? *n.* 100.

SECT. V. *De executione Testamenti, & aliarum ultimarum voluntatum.*

§. I. *Quis possit, ac esse debeat executor Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis?*

Executores alij sunt Testamentarij, qui ab ipso Testatore dantur, alij legitimi, qui à Lege, alij dativi, qui à Judice dantur. Ass. 1. Si nullus executor sit nominatus à Testatore, executio Testamenti pertinet ad hæredes Testatoris defuncti, etiam quoad Legata pia: eorum tamen, quæ pro pauperibus sunt relicta, executio ad Episcopum loci pertinet, *n.* 101. Ass. 2. Executores Testamenti possunt constitui à Testatore, unus, vel plures ex hæredibus, vel alijs extraneis, mares, vel fœminæ. Item minor 25. annis potest esse executor Testamenti: modò XVII. annum excesserit: & non tantùm Laici: sed etiam Clerici, imò & Religiosi, etiam ad causas profanas conditi, *n.* 102. Ass. 3. Quando plures deputantur à Testatore executores simpliciter, & unus moritur, vel est in remotis locis, vel est aliàs impeditus, nec potest, aut non vult, alter potest liberè exequi Testamentum: nisi Testator aliud expresserit, *num.* 103. & 104. Idque limitatur *n.* 105.

§. II. *Quo pacto Religiosi possint esse executores Testamentorum?*

ASSERTIO I. Religiosi possunt esse executores Testamentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, sive ad pias, sive ad profanas causas: sed nonnisi cum licentia sui Superioris, *n.* 106. Religiosi verò, qui extra Claustra degunt, & alicui Ecclesiæ sæculari sunt addicti, etiam sine licentia Superioris hoc munus obire possunt: item Abbas, Prior, vel alius Superior Religionis, potest munera executoris suscipere, absque Superioris sui, v.g. Provincialis, vel Generalis licentia, *n.* 107. Ass. 2. Superior, qui licentiam dare potest exercendi munus executoris testamentarij, in Religionibus exemptis, est Prælatus Ordinis, & quidem immediatus: in Religionibus verò non exemptis, etiam Episcopus, *n.* 108. Adduntur quædam circa munus exequendi Testamenta Religiosis concessa, *n.* 109. Ass. 3. Religiosi, etiam exempti, executores Testamentorum constituti, debent rationem reddere Ordinarijs locorum, ab ipsis, si circa id delinquerunt, puniendi, *n.* 110. & *seq.* An Fratres minores de observantia possint esse executores Testamentorum, saltem cum licentia suorum Superiorum? *n.* 112.

§. III. *Utrùm executor designatus à Testatore compelli possit ad acceptandum, & exequendum, & per quem?*

ASSERTIO I. Is, cui à Testatore munus executionis ad pias, vel profanas causas demandatum est, non cogitur illud suscipere, postquam tamen suscepit, cogitur jussa defuncti implere, *num.* 113. Ass. 2. Non tantùm Judex sæcularis, si hæres, vel executor sit Laicus: sed etiam Judex Ecclesiasticus Diœcesanus loci potest, ac debet compellere hæredes, vel executores Testamentorum ad exequendas ultimas voluntates, sive Legata pia, *num.* 114. Imò etiam profana, quamvis quoad hæc in plurib. Provincijs hoc usu non sit receptum, *n.* 115. Potest Episcopus etiam sæculares executores compellere ad exequendum ultimas voluntates, etiam ad causas profanas, *nu.* 116. Ass. 3. Episcopus potest compellere executorem, negligentem implere ultimam voluntatem, saltem ad executionem piorum Legatorum, etsi Testator id prohibuerit, *n.* 117. Idque magis declaratur, *n.* 118.

§. IV. *Quando, sive intra quod tempus, hæres, & executores ultimam voluntatem defuncti implere debeant?*

ASSERTIO I. Si Testator ipse determinavit tempus, in quo voluntas ejus executioni mandari debeat, tum intra illud ea implenda est, ita tamen, ut etiam priùs executioni mandari possit, quod tempus currit à die scientiæ, & aditæ hæreditatis, *nu.* 119. Ass. 2. Si à Testatore non fuit præscriptum tempus ad executionem, intra annum à die monitionis, executio fieri debet, alioquin eo elapso, devolvitur potestas exequendi ad Episcopum, *n.* 120. Quædam præterea circa executionem Testamenti traduntur, *n.* 121. Et an tempus ab homine, vel à jure statutum ad executionem, sit continuum, ita, ut currat, etiam legitimè impedito, & ignoranti: an verò sit utile? *n.* 122. Ass. 3. Si à Testatore aliquid sit legatum ad certum pium usum, aut locum: sed ad illum applicari non possit, tum non ideo Legatum fit caducum, sed debet ad alium locum, vel usum pium applicari, arbitrio Episcopi, & executorum, *n.* 123. Aliud dicendum est, si quid à Testatore relictum sit in privatum usum, & privatæ personæ, de quo *n.* 124. Ass. 4. Legata ad pias causas integrè, & sine diminutione præstanda sunt, *n.* 125.

§. V. *Quam pœnam incurrat hæres, vel alius executor, si negligat exequi ultimam voluntatem Testatoris, intra tempus à Jure definitum?*

ASSERTIO I. Si hæres ultimam voluntatem defuncti, post Judicis admonitionem, intra annum, implere negligat, amittit totam hæreditatem, una cum fructibus, & cæteris emolumentis, *n.* 126. Excipiuntur hæredes necessarij, & liberi, qui etsi sint negligentes in exequenda ultima voluntate, non privantur suâ portione legitimâ, *nu. eod.* Ass. 2. Si hæres, sine impedimento, negligat exequi, & solvere Legata pia intra sex menses, à die insinuationis Testamenti numerandos, in pœnam Legata restituere debebet, cum omnibus fructibus, & emolumentis, *n.* 127. Ubi de hoc plura. Ass. 4. Potest Episcopus, vel alius Judex, per censuras, vel alias pœnas arbitrarias compellere hæredes, & executores ad implendam voluntatem defuncti ad causas pias, vel etiam ad profanas, *n.* 129. Si hæres, vel executor propter negligentiam sit privatus potestate exequendi, cui applicanda sint emolumenta, quibus privatus est ipse hæres, vel executor? *n.* 130. Quomodo applicanda sint bona incerta, & injustè ablata, quæ aliàs pauperibus restituenda esse dicuntur? *n.* 131.

§. VI. *Utrùm executores Testamentarij, propriâ auctoritate, ultimas voluntates defunctorum possint commutare, & an officium executoris, eo mortuo, transeat ad hæredem, vel Successorem Prælatum?*

ASSERTIO I. Executores non possunt à justa, & licita voluntate ultima Testatoris discedere, vel eam in aliud

aliud opus, etsi melius, commutare, nisi cum consensu S. Pontificis, vel Supremi Principis sæcularis, ex justa, & necessaria causa, *n.* 132. Imò etiam Episcopo videtur concessa aliqua facultas, ex causa legitima comutandi Legata, saltem per modum interpretationis factæ per epychiam, *n. eod.* Ass. 2. Officium executoris, eo mortuo, non transit ad hæredem: quamvis hæres executoris obligetur, ad damnū resarciendum, si quod malè exequendo intulit, *n.* 133. Si executio Testamento alicui commissa sit, nomine dignitatis, vel officij, ea transit ad Successorem in dignitate, vel officio, nisi ex circumstantijs colligi possit, quòd hoc munus intuitu personæ alicui sit demandatum, *n.* 134. Denique executor Testamentarius inventarium bonorum hæreditariorum conficere, & rationem acceptorum, & expensarum reddere tenetur, *n. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 26. *& seq.*
c. 2. *n.* 45. *& seq.*
c. 3. *n.* 120. *& duob. seqq.*
c. 4. *n.* 87. *& seq.*
c. 5. *n.* 85. *& seq.*
c. 6. *n.* 126.
c. 7. *n.* 28.
c. 8. *n.* 29. *& seq.*
c. 9. *n.* 32.
c. 10. *n.* 8. *& quatuor seqq.*
c. 11. *num.* 19. *& tribus seqq.*
c. 12. *n.* 35. *& tribus seqq.*
c. 13. *n.* 23. *& seq.*
c. 14. *n.* 97. *& seq.*
c. 15. *n.* 94. *& duobus seqq.*
c. 16. *n.* 27. *& seqq.*
c. 17. *n.* 114. *& seq.*
c. 18. *n.* 79. *& seq.*
c. 19. *n.* 116.
c. 20. *& ult. nu.* 99. *&* 110.

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 66. *& duob. seqq.*
c. 2. *in princ. nu.* 106. *& seq. &* §. *Sanè, num.* 103. *& seq.*
Clement. unic. nnm. 110. *&* 111.

TITVLVS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Dupliciter hæreditas deferri ad alium potest, vel ex Testamento, vel aliâ justâ ultimâ voluntate, ab intestato, & quis dicatur intestatus? *n.* 1.

SECTIO I. *De successione ab intestato in bonis Laicorum, & Clericorum patrimonialibus, ac proprijs.*

§. I. *De computatione graduum in successionibus ab intestato, & modis, quibus succeditur ab intestato.*

Quomodo computantur gradus cognationis, secundùm Jus Civile, in ordine ad hæreditates, & quomodo secundùm Jus Canonicum, in ordine ad matrimonium contrahendum: & quomodo computandi sunt gradus in linea recta ascendentium, quomodo in linea collaterali, secundùm Jus Canonicum? *n.* 2. Dupliciter succeditur in hæreditatibus ab intestato, in capita, vel in stirpes, *n.* 3. Tres sunt Ordines succedentium ab intestato, descendentium, ascendentium, & collateralium. Clericis eodem modo succeditur in bonis patrimonialibus, quo Laicis in bonis eorum, *num.* 4.

§. II. *Quo Ordine succedant ab intestato descendentes, sive liberi suis parentibus?*

Filij, & filiæ naturales, & legitimi simul succedunt patri, & matri ab intestato æqualiter, exclusis nepotibus, & aliis descendentibus, *n.* 5. An etiam filij legitimati per subsequens matrimonium, uel alij legitimati: & an etiam, & cui succedant filij adoptivi? *n.* 6. Ass. 2. Quando cum filijs primi gradûs concurrunt nepotes ex filijs, illi succedunt avo cum filijs jure repræsentationis, non in capita: sed in stirpes, *n.* 7 Ass. 3. Quando quis decedit, omnibus filijs primi gradûs præmortuis, sed relictis pluribus nepotibus ex diversis filijs diversi numeri: sed pari gradu, tales nepotes succedunt avo, non in capita: sed in stirpes, *n.* 8. Idque procedit in pronepotibus, & ulterioribus descendentibus, quando soli sunt, & omnes in pari gradu: item sive illi ulteriores descendentes sint in gradu æquali, sive inæquali: ac denique non solùm quando unus ex descendentibus ulterioris, quàm primi gradûs, solùm uno gradu est remotior: sed etiā qui pluribus gradibus distant, *n.* 9. Quinam filij etiam legitimi, & naturales non succedunt parentibus utriúsque sexûs? *n.* 10. An, & quando succedunt filij ab intestato nati extra matrimonium, sive patri, sive matri, & an etiam spurij, & illegitimi ex adulterio, vel alio damnato concubitu nati? *n.* 11.

§. III. *Quo Ordine vicissim ascendentes, seu parentes succedant ab intestato suis liberis?*

ASSERTIO I. Parentes liberis suis, si hi nullos descendentes post se relinquunt, ab intestato succedunt æqualiter, servatâ graduum prærogativâ, ita, ut proximiores gradu excludant remotiores, *n.* 12. Ass. 2. Si deficientibus descendentibus, plures ascendentes extent, tunc proximior gradu remotiorem excludit, *n.* 13. Ass. 3. Si unâ cum patre, aut matre, adsint fratres, vel sorores ex utraque parte defuncto conjuncti, tunc hi, unâ cum illis succedunt in capita, ita ut parentes, & fratres defuncti accipiant æquales partes hæreditatis, *n.* 14. Succedunt autem fratres, & sorores germani, non solùm si concurrant cum patre, & matre: sed etiam illis mortuis, cum avo, & avia, & ulterioribus ascendentibus, & quidem in capita: non autem fratres ex uno tantùm latere conjuncti, *n.* 15. Etiam filijs naturalibus, & illegitimis succedunt parentes eorum in casibus, in quibus possunt succedere, *n.* 16.

§. IV. *Quo Ordine ab intestato succedant defuncto fratres, & alij consanguinei collaterales?*

ASSERTIO I. Si deficiunt hæredes descendentes, & ascendentes, admittuntur ad hæreditatem defuncti ejus collaterales consanguinei. Et inprimis quidem fratres, & sorores ex eodem patre, & matre nati æqualiter succedunt, exclusis fratribus, & sororibus consanguineis, & uterinis, *n.* 17. 2. Si adsint filij, & filiæ fratris utrinque conjuncti, etiam mortui, vel sororis, illi unâ cum fratribus, & sororibus utrinque defuncto conjunctis patruis, vel avunculis ipsorum succedunt in stirpes, *n.* 18 3. Sicut fratres utrinque conjuncti, ita & filij fratrum utrinque conjunctorum excludunt fratres ex uno tantùm latere conjunctos defuncto, *n.* 19. 4. Filij fratris ex utroque latere conjuncti defuncto, excludunt etiam patruum, vel avunculum adhuc superstitem defuncti, *n.* 20. 5. Si soli filij diversorum fratrum, vel sororum extent, & nullus frater defuncti, neque ex uno latere tantùm, tunc filij, & filiæ utrinque conjunctorum, non in stirpes: sed in capita succedunt defuncto patruo, *n.* 21. Ass. 2. Si nulli legitimi liberi defuncti extent, tunc post fratres, & sorores utrinque conjunctos ab intestato succedunt fratres, & sorores ex uno tantùm latere conjuncti, sive per patrem solùm, sive per matrem, exclusis omnibus collateralibus

bus alijs, *num.* 22. Ass. 3. Deficientibus fratribus, & sororibus utrinque, vel ex uno tantùm latere conjunctis, succedunt reliqui cognati collaterales gradu propinquiores æqualiter, non in stirpes: sed incapita, si plures existant ejusdem gradûs, *nu.* 23. Denique hodie omnes cognati gradu propinquiores succedere possunt, usque ad decimum gradum, secundùm computationem civilem: quamvis aliqui dicant, quòd etiam ultra decimum gradum in infinitum succedere possint cognati, *n. eod.* An, & qualiter conjuges sibi invicem succedant? *n.* 24. Et quando succedat Fiscus decedenti ab intestato? *n.* 25.

SECTIO II. *De successione Ecclesiæ ab intestato in bonis Clericorum?*

§. I. *An, & quando Ecclesia succedere possit Clericis ab intestato decedentibus?*

ASSERTIO I. Si Clericus non habet consanguineos, & intestatus moriatur, Ecclesia, cui servivit, tempore mortis, succedit in bonis ejusdem patrimonialibus, *n.* 26. Si Clericus Beneficiatus non sit, & intestatus decedat, succedit in bonis ejus patrimonialibus Fiscus Ecclesiæ illius loci, eáque Episcopus distribuet ad pias causas, *n.* 27. Si servi Laicorum à dominis manumissi Sacerdotes fuerint ordinati, & moriantur intestati, Laici ipsis in bonis eorum non succedunt: sed peculium eorum in quatuor partes dividendum est, *n.* 28.

§. II. *An, & quâ ratione Testamentum, vel alia dispositio ad pias causas valeat, aut donatio excludat successionem ab intestato?*

Valet Testamentum ad pias causas conditum per verba enunciativa, etiam propter aliud prolata: tametsi per illud excludatur alia Ecclesia, prout communiter sumitur ex *c. 3. h. t. n.* 30. *& duob. seqq.*

§. III. *An, & qualiter succedat Monasterium, vel Ordo Religiosus in bonis sui Professi?*

ASSERTIO I. Si Religionem Professus de bonis suis nihil disposuit, ante Professionem, & Religio non sit capax successionis, tum omnia bona illius post Professionem devolvuntur ad hæredes ipsius ab intestato, *n.* 33. Ass. 2. Si Religiosus Professus, ante Professionem de bonis nihil disposuit, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, tum post Professionem, Ordo, si sit successionis capax, succedit in omnia bona ejusdem, velut ab intestato mortui, *n.* 34. Si Professus Religionem habeat liberos, eis legitima portio relinqui debet, *n.* 35. Si Professus habeat solos ascendentes, v. g. patrem, vel matrem, illis etiam relinquere debet portionem legitimam, *n.* 36. Post Professionem patris, statim debetur filijs legitima portio, eámque mox filij petere possunt, etiam ante mortem naturalem patris: quamvis contraria sententia sit etiam probabilis, secundùm quam Monasterium retinens bona Professi, tenetur necessaria alimenta præstare filijs patris Professi, *n.* 37. Similiter & pater habet statim jus exigendi legitimam portionem, ex filij Professi bonis, sibi debitam, *n. eod.* Potest pater disponere de bonis suis inter filios, ante, & post Professionem suam, quoad bona acquisita ante Professionem, non autem acquisita post illam, ea enim acquiruntur Monasterio, *nu.* 38. Ass. 3. Monasterium in bonis sui Professi non succedit jure hæreditario, sed jure acquisitionis accessoriæ; nam eo ipso, quòd Religiosus per Professionem se tradit Ordini, omnia illius bona acquiruntur ipsi Monasterio, tanquam accessoria personæ, *n.* 39.

§. IV. *Aliæ quædam quæstiones circa successionem Ordinis Religiosi in bonis sui Professi proponuntur, & resolvuntur.*

Quæritur 1. An hæreditas debita Religioso immediatè acquiratur Monasterio, sine aditione Religiosi? Probabilius est, immediatè acquiri ipsi Monasterio, *n.* 40. Quær. 2. An Monasterium succedat ei, qui tempore Novitiatûs, intestatus decedit? Resp. negativè *n.* 41. Quær. 3. An per consuetudinem vel statutum possit tolli jus succedendi, quod competit Monasterijs in bona Professorum? Respon, posse per consuetudinem legitimè præscriptam induci: non autem potest decerni per statutum municipale, vel provinciale, sed tale statutum est irritum, *n.* 42. & 43.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 26. *& seq.* — *c.* 3. *& ult. n.* 30. *& duob. seqq.*
c. 2. *n.* 28. *& seq.*

TITVLVS XXVIII.
DE SEPULTURIS.

§. I. *Quis sit locus Sepulturæ sacræ, & Ecclesiasticæ, & quo in loco possit quis, vel debeat sepeliri?*

ASSERTIO I. Hodie quilibet fideles Christiani in Ecclesiis licitè sepeliri possunt, *n.* 1. Possunt etiam in Cœmeterijs fidelium corpora sepeliri, *n.* 2. Si quis habeat sepulchrum majorum suorum, extra Parochiam propriam, in illo sepeliri debet: nisi alibi propriam, vel etiam in alieno loco sibi elegerit sepulturam: parochialis tamen Ecclesia habebit tertiam partem eorum, quæ defunctus reliquit Ecclesiæ, ubi sepelitur, *num.* 4. Ass. 3. Si quis sepulchrum majorum non habeat, vel in eo sepeliri non possit, sepeliendus est in propria Parochia, in qua domicilium habuit, Sacramenta percepit, & Divinis Officijs interfuit, *n.* 5. Similiter si quis egressus de sua Parochia recreationis, vel negotiationis causâ, moriatur, non electâ sepulturâ, sepeliendus est in sua Parochia: vel in ea potiùs Ecclesia, in qua majorum ipsius abantiquo sepultura extitit, si commodè potest, *num.* 6. Ass. 4. Isti, qui alibi domicilium habent, & ad alium locum se conferunt, negotij causâ, animo non in perpetuum: sed ad tempus non breve v. g. ad annum, vel majorem ejus partem ibi manendi, in Parochia illius loci sepeliendi sunt, in quo mortui sunt: nisi aliam sepulturam sibi eligant, *n.* 7. Ass. 5. Peregrini, & advenæ, si moriantur in locis, per quæ transeunt, neque commodè ad sepulturam majorum, vel ad propriam Parochiam corpora eorum deferri possint, sepeliendi sunt in Ecclesia Cathedrali, vel potiùs in Ecclesia Parochiali, in qua sunt defuncti, *n.* 8. Et hinc 1. Prælati Ecclesiarum regulariter sepeliri debent in Ecclesiis suæ Prælaturæ: Clericiverò inferiores in Ecclesia, in qua sunt Beneficiati. 2. Famuli domestici Ordinum Mendicantium possunt in eorum Ecclesijs, vel Cœmeterijs sepeliri, si intra septa Monasterij, vel Collegij moriantur, *n.* 9. 3. Uxor vidua in mariti sepulchro sepeliri debet, si nullâ aliâ sepulturâ electâ, decesserit, *n.* 10. Mulier verò, quæ plures viros habuit, cum viro ultimo sepelienda est, dummodo post mortem mariti, vidua maneat, & honestè vivat, *n.* 11.

Ubi

Ubi sepeliri debeat uxor, si ante maritum moriatur? *n.* 12. Utrùm, si uxor priùs decessit, electâ sibi sepulturâ, & postea maritus moriatur, non electâ sibi sepulturâ, debeat tumulari in sepulchro uxoris suæ; an verò majorum? *n.* 13.

§. II. *Quinam sibi, vel alijs sepulturas eligere possint, vel non?*

Assertio I. Omnes regulariter mares, & fœminæ, extra Parochiam suam, in aliena Ecclesia, vel Cœmeterio sibi sepulturam eligere possunt, modò sint puberes, & usum rationis habeant, *n.* 14. Extenditur 1. Quòd etiam filiusfam. si pubes sit, sine patris consensu, potest sibi eligere sepulturam, quamvis non possit sibi pro anima sua aliquid relinquere, sine patris assensu, nisi castrense, vel quasi peculium habeat, *n.* 15. 2. Sicut vir liberam habet potestatem, eligendi sibi sepulturam, sic & uxor, *n.* 16. 3. Etiam in loco minùs religioso, id est, in quo minùs frequèter celebrantur Sactificia, vel alia Divina Officia, potest quis sibi eligere sepulturam, *n.* 17. Non potest quis sepulturam eligere in loco minùs Religioso, relicto sepulchro majorum suorum, irrationabiliter, & malitiosè, *n.* 18. Ass. 2. Potest pater filios impuberes, qui sepulturam sibi eligere nequeunt, sepelire, in qua Ecclesia ipse voluerit, si consuetudo loci permittat: alioquin verò sepeliendi sunt cum majoribus suis, vel in Parochiali Ecclesia, *num.* 19. Etiam mater, vel propinqui, si impubes ascendentes non habeat, possunt ipsi eligere sepulturam, si consuetudo id concedat, *n.* 20. Ass. 3. Religiosi sibi sepulturam eligere non possunt: sed in Monasterijs suis sepeliri debent, nisi adeò remoti sint, ut eò commodè post mortem deportari non possint, tunc enim jus habent eligendi sibi sepulturam, *n.* 21. Ubi etiam dicitur, cur uxor possit sibi eligere sepulturam, non autem Religiosus. An Religiosi extra claustra degentes sibi eligere possint sepulturam? *n.* 22. Ubi sepeliri debeat Religiosus, si extra Monasterium mortuus sit, nullâ sepulturâ electâ? *n.* 23. Ass. 4. Non tantùm Episcopus sibi eligere potest sepulturam, extra Ecclesiam suam Cathedralem: sed etiam Prælatus Religiosi Ordinis, saltem si Superiorem in Ordine non habeat, *n.* 24. Ass. 5. Novitij Religionum possunt sibi eligere sepulturam, *n.* 25. Porro prohibetur omnibus Religiosis, & Clericis Sæcularibus, ne aliquos inducant ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut apud ipsorum Ecclesias sepulturam eligant, vel electam non mutent. Si secus fiat, electio est nulla, & mortuus sepeliri debet in illa Ecclesia, ubi de jure sepeliendus esset, si nullâ sepulturâ electâ, decessisset. Tales verò Religiosi, vel Clerici tenentur intra 10. dies restituere corpus sepultum, si petatur, & omnes proventus, qui occasione sepulturæ ad eos pervenerunt, alioquin Ecclesia, & Cœmeterium, in quo corpus sepultum fuit, ipso facto, est interdictum, donec fiat integra restitutio, *nu.* 26. Quando hæc Constitutio non habeat locum, neque obliget? *n.* 27. Si Titius commisit electionem sepulturæ suæ alteri, & hic non eligit, vivente Titio, an post mortem ejusdem possit eligere? *n.* 28.

§. III. *Quibus Ecclesijs jus sepulturæ competat, & quis possit jus sepulturæ concedere?*

Assertio I. Jus sepeliendi de Jure communi competit solùm Ecclesijs, curam animarum habentibus, seu Parochialibus, *n.* 29. Ex speciali tamen privilegio etiam Religiosis competere potest, *nu.* 30. & *seq.* Ass. 2. Solus Papa potest concedere jus sepeliendi in tota Ecclesia, & Legatus de Latere intra suam Provinciam: Episcopus in sua Diœcesi, *n.* 32. Tribus modis potest dari jus sepulturæ alicui, *n.* 33. Item potest quis quoad usum habere sepulchrum proprium, vel commune toti familiæ. Quod sit, & dicatur sepulchrum familiare, & quod hæreditarium? *n.* 34.

§. IV. *An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit?*

Assertio I. Fundus, sive terra non sacra potest vendi, & quidem sine simonia, ut in sepulturas fidelium consecretur, aut benedicatur, *num.* 35. Ass. 2. Non potest terra jam consecrata, vel benedicta, vel publicè destinata ad sepulturam fidelium, pro pretio vendi, vel emi, absque simonia, *n.* 36. Ass. 3. Jure Canonico interdictum est omnibus Christianis, terram mortuis vendere, sive pro pretio dare sepulturam, in Ecclesia, vel Cœmeterio, vel ad illam non admittere, sine pecunia data, *n.* 37. An sit simonia juris positivi, dare, vel accipere pretium pro honoratiore loco sepulturæ? *n.* 38. Quomodo Jus sepulturæ transeat ad hæredes, etiam Laicos? *n.* 39. Ass. 4. Etsi Clerici obligati ad sepeliendum, non possint pretium pro ipso officio sepulturæ exigere, possunt tamen liberaliter oblatum accipere, ubi viget talis consuetudo, sicut etiam pro loco sepulturæ, *n.* 40.

§. V. *Ad quid teneantur, qui alienum Parochianum sepeliunt, vel qui cadaver illius, qui alibi sibi sepulturam elegit, in sua Ecclesia condunt?*

Assertio I. Alienum Parochianum sepelientes, quem sepelire non debebant, tenentur restituere corpus, & quæ ratione illius receperunt, vel amicabiliter convenire, *n.* 41. Ass. 2. Similiter, qui cadaver illius, qui alibi sepulturam elegit, violenter rapiunt, & in sua Ecclesia sepeliunt, tenentur illud restituere, & omnia, quæ ratione sepulturæ acceperunt, *n.* 42. *& seq.*

§. VI. *A quo, cui, & ex quibus rebus solvenda sit Canonica portio parochialis funeralium, & quando solvi non debeat?*

Assertio I. Si quis extra Parochiam suam sepeliatur in sepulchro majorum suorum, vel alibi sepulturam elegit, de omnibus, quæ Ecclesiæ, in qua defunctus sepulturam elegit, obveniunt, ratione funeris, Canonica portio solvi debet Ecclesiæ parochiali, in quæ defunctus alioquin sepeliri debuisset, *n.* 44. Idque extenditur 1. Quòd non tantùm de Legatis pijs: sed etiam de alijs oblationibus, & comodis, quæ ratione funeris obvenerunt Ecclesiæ, in qua defunctus est sepultus, debetur canonica portio Ecclesiæ parochiali, in qua defunctus percepit Sacramenta, *cit. n.* 44. 2. Etiam illæ Ecclesiæ, quæ ex privilegio jus habent, sepeliendi eos, qui apud ipsos sepulturam eligunt, debent ex relictis à defuncto pro anima sua, dare canonicam portionem Ecclesiæ Parochiali, *num.* 45. Non tamen vi talis privilegij, sepeliri possunt excommunicati, & interdicti, *n.* 46. 3. Hæc portio canonica debet solvi Ecclesiæ Parochiali, etiamsi illæ Ecclesiæ, vel loca pia sint exemptæ, *nu.* 47. 4. Etsi Parochianus Ecclesiæ inferioris sit sepultus in Ecclesia Cathedrali, solvi tamen debet dicta portio Ecclesiæ Parochiali, in qua Sacramenta percepit, vel Divina audivit, *n.* 48. 5. Hæc canonica portio debetur Ecclesiæ Parochiali, si quis in ægritudine, ex qua decessit, ad Religionem se transtulit: secus, si transiit in sanitate, & sua bona ei obtulit, *num.* 49.

nnm: 49: & 50. 6. Etiam Ecclesiæ Cathedrali, si simul sit Parochialis, debetur quarta portio canonica ex mortuarijs illius Ecclesiæ, in qua Parochianus sibi sepulturam elegit, *n.* 51. Debetur autem in tali casu canonica portio Capitulo Cahedrali, & non Episcopo: quamvis etiam ex relictis Ecclesiæ inferiori, in qua defunctus est sepultus, etiam Episcopo sua quarta portio solvi debeat, *n.* 52. 7. Si quis Ecclesiâ, in qua majores ipsius soliti sunt sepeliri, dimissâ, in alia Ecclesia, extra Parochiam suam, sepulturam sibi eligat, portio canonica, non Ecclesiæ relictæ: sed illi Ecclesiæ tantùm dari debet, in qua defunctus Officia divina audivit, & Sacramenta percepit, *nu.* 53. Si quis verò duo habens domicilia in utroque habitet inæqualiter, & eligat sepulturam in tertia Ecclesia, tunc quarta funeralis est dividenda inter Ecclesias domiciliorum, *n.* 54. Quando præterea, si quis habeat plures Parochias, portio canonica inter illas sit dividenda, vel non? *n.* 55. Ass. 2. Hæc portio canonica funeralium quandóque esse solet quarta pars, interdum tertia, aliquando dimidia: nam si Parochianus eligat sepulturam in Monasterio, Ecclesiæ Parochiali medietas eorum, quæ pro anima reliquit, dari debet, *nu.* 56. In quo tamen spectanda est cujusvis loci consuetudo, ita, ut pro varietate locorum, vel dimidia pars piorum relictorum, vel tertia, vel quarta pars dari debeat, *n.* 57. *& seq.* Portio Parochiali Ecclesiæ debita non abrogatur, nisi per consuetudinem præscriptam, 40. annis, cum titulo, vel tempore immemoriali, sine titulo *n.* 59. An hæc quarta parochialis, etiam post Concilium Tridentinum, adhuc debeatur? *num.* 60. In quibus casibus non debet solvi canonica portio parochialis? *n.* 61.

§. VII. *Quibus sepultura Ecclesiastica sit concedenda, vel deneganda?*

Assertio I. Omnes fideles, seu baptizati in loco sacro sunt sepeliendi, nisi Lege Canonicâ, vel consuetudine, ob crimen aliquod, sepulturâ aliquâ priventur: unde etiam damnati ad mortem, propter crimina sua, si pœnitentes obiêrint, in loco sacro sepeliri possunt, nisi in pœnam priventur sepulturâ, *n.* 62. Ass. 2. Sepeliri non possunt inprimis Infideles, pagani, Judæi, hæretici, & infantes, qui ante baptismum susceptum moriuntur, *n.* 63. 2. Non est sepeliendus in loco sacro, qui seipsum occidit sponte, & voluntariè, *n.* 64. Potest tamen aliquando sepeliri in loco sacro, etiam qui sponte se occidit, vel qui repertus est mortuus, *n.* 65. 3. Publicè, & notoriè excommunicati in loco sacro sepeliri non debent, neque nominatim interdicti, *n.* 66. Imò etiam eorum corpora jam sepulta exhumanda, *n.* 67. Prohibentur etiam sepeliri In loco sacro solùm excommunicati denunciati, & vitandi, post Concil. Constant, *n.* 68. Si corpus excommunicati denunciati, & vitandi sepeliatur in loco sacro, ille violatur, & reconciliari debet, & quando corpus ipsius exhumari debeat, vel non? *n.* 69. Si excommunicatus toleratus, & non vitandus sepeliatur in loco sacro, hic non violatur, neque solenniter reconciliari debet per Episcopum, nec corpora v.g. hæreticorum, non denunciatorum exhumari debent, *n.* 70. & 71. Quid hîc intelligatur per locum sacrum, in ordine ad hoc, ut si in eo sepeliatur excommunicatus denunciatus, & vitandus, solenniter reconciliari debeat? *n.* 72. Licèt excommunicatus moriatur, editis signis pœnitentiæ, si tamen ab excommunicatione non fuit absolutus, non debet sepeliri in loco sacro, priusquam fuerit absolutus, etiam post mortem, *n.* 73. Si quis ante mortem Ecclesiæ reconciliatus per Sacramenta Ecclesiæ, & ab excommunicatione fuit absolutus, is mortuus in sacro loco sepeliri debet, & hæredes ipsius ad satisfaciendum cogendi sunt, *n.* 74. An, & qualiter quilibet Sacerdos possit in periculo mortis constitutum absolvere? *n.* 75. An, & qualiter obligatio satisfaciendi transeat ad hæredes defuncti? *nu.* 76. Ass. 3. Sunt præterea plures alij, qui in loco sacro sepeliri non possunt, *nu.* 77. Et an leprosi in eodem Cœmeterio cum alijs sepeliendi sint? *num. eod.*

§. VIII. *Quam pœnam incurrunt sepelientes eos, qui jure prohibentur sepeliri in loco sacro, vel qui prohibiti, & illicitis modis aliquem inducunt ad sepulturam in suis Ecclesiis?*

Assertio I. Sepelientes scienter corpora defunctorum in Ecclesiis, vel Cœmeterijs, tempore interdicti, in casibus à jure non cõcessis, vel publicè excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, ipso facto, sunt excommunicati, & non possunt absolvi, nisi priùs arbitrio Ordinarij satisfaciant eis, quibus injuria fuit irrogata, non obstante quovis privilegio, *n.* 78. *& seq.* Quinam hoc loco intelligantur per sepelientes? *n.* 80. Excommunicati privantur etiam omni pompâ funeris: item si Regulares exempti sepeliunt excommunicatos, vel alios prohibitos in suis Ecclesiis, potest Episcopus loci exhumari facere corpora illorum, *cit. n.* 80. An ligati minore excommunicatione possint sepeliri in loco sacro? *n. eod.* Quam pœnam incurrunt illi, qui alios inducunt, ut eligant sepulturam in eorum Ecclesiis? *n.* 81. Quæ sit pœna exhumantium, & in frustra concidentium corpora defunctorum? *n.* 82.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 3. *& seq.*
c. 2. *n.* 56.
c. 3. *n.* 18.
c. 4. *n.* 49. *& seq.*
c. 5. *n.* 41.
c. 6. *n.* 42. *& seq.*
c. 7. *in princip. n.* 16. *& & §. Utrùm autem; num.* 19.
c. 8. *n.* 51. *& seq.*
c. 9. *n.* 57.
c. 10. *n.* 45. *& seq.*
c. 11. *n.* 64. *& seq.*
c. 12. *n.* 66. *& seq.*
c. 13. *n.* 37. *& seq.*
c. 14. *& ult. num.* 47. *& duob. seqq.*

In Sexto.

c. 1. *n.* 26. *& duob. seqq.*
c. 2. *in princ. n.* 53. *& §. Cum eo; nu.* 54. *& seq. & §. ult. n.* 17.
c. 3. *in princ. num.* 6. *& §. Mulier; n.* 11. *& seq.*
c. 4. *in princ. n.* 19. *& seq. & §. Quamvis; n.* 15.
c. 5. *& ult. n.* 21. *& duob. seqq.*

In Clementinis.

Clement. 1. *n.* 78. 79. *& 80.*
Clement. 2. *§. Hujusmodi; n.* 30. *& seq. nam reliqua ad alios Titulos pertinent.*
Extravag. 1. *inter communes, n.* 82.
Extravag. 2. *§. Hujusmodi quoque jam allegata ex supra, n.* 30.

TITVLVS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROchianis.

§. I. *Quæ sit, & dicatur Parochia, & quæ requirantur ad constituendam Ecclesiam Parochialem, & in quibus illius jura consistant?*

Assen-

ASSERTIO I. Propriè accipitur pro certa alicujus Diœcesis Ecclesia, quæ habet populum certis limitibus distinctum, eáque committitur uni Presbytero, ut in ea Baptismum, & reliqua Sacramenta populo sibi subjecto ministret, *n.* 1. Ad constituendam Ecclesiam parochialem tria requiruntur. 1. Ut habeat Fontem Baptismalem. 2. Cœmeterium, seu jus sepeliendi. 3. Curam fori pœnitentialis, sive potestatem ligandi, & solvendi in foro conscientiæ, & alia Sacramenta administrandi populo. Est autem ordinariè eadem Ecclesia parochialis, & baptismalis, interdum verò propria est Ecclesia baptismalis, in qua solus Baptismus administratur, *num.* 2. Assert. 2. In quibus consistat Jus Ecclesiæ Parochialis? *n.* 3. Parochi non debent Dominicis, & Festis diebus admittere ad Missam alienos Parochianos, qui contempto proprio Parocho, accedunt. An Parochiani in diebus Festis in propria Parochia teneantur audire Missam? *n.* 4. Ass. 3. Inter Jus parochiale numerari etiam debet Jus prædicandi, quod ratione Officij sui Parochis, præcipuè incumbit, *num.* 5. Ubi etiam traditur, an, & quatenus Religiosi mendicantes prædicare possint in Ecclesiis Parochialibus. Quid circa prædicationem observare debeant Concionatores Regulares post Concil. Trid. *n.* 6. Quid statutum sit circa Confessiones fidelium audiendas à Sacerdotibus Regularibus? *n.* 7.

§. II. *An fines Parochiarum præscribi possint?*

Fines, seu limites Parochiarum, & quæ finibus cohærent, præscribi non possunt, *nu.* 8. & 9. Nec quidem per præscriptionem centenariam, vel temporis immemorialis, *n.* 10. Dummodo definibus legitimè constitutis constet, *n.* 11.

§. II. *Quomodo dividendus sit Episcopatus inter Episcopum lapsum in hæresim, sed reversum ad Fidem, & ex dispensatione receptum, & inter Episcopum substitutum?*

Quando Episcopus, cum parte populi, fit hæreticus, & in ejus locum constituitur alius Catholicus, tunc si hæreticus, cum parte populi, revertatur ad Fidem, & ex dispensatione admittatur ad eundem Episcopatum, debet Diœcesis dividi in duas partes æquales inter priorem, & novum Episcopum, quoad Parochias, earúmque fructus, & plebes, *num.* 12. & *duob. seqq.*

§. IV. *Explicantur alia duo Capitula, quæ adhuc restant explicanda.*

Episcopus alterius subditum Diœcesanum, sine ejusdem licentia, ordinare non potest, adeóque nec judicare, *n.* 15. Si quis ex una Diœcesi domicilium transferat in aliam, prior Episcopus non habet in ipsum spiritualem jurisdictionem, nec etiam temporalia ab eo exigere potest; cùm ei non administret spiritualia, sed posterior. Si tamen ille habeat prædia in priore Diœcesi, solvere debet decimas integras priori Episcopo: nisi illæ alteri sint debitæ, ex consuetudine, vel jure alio, *n* 16. & *seq.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 12. & *seq.*
c. 2. *n.* 4.
c. 3. *n.* 15.
c. 4. *n.* 8. & *trib. seqq.*
c. 5. & *ult. num.* 16. & *seqq.*

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

SECT. I. *De definitione, ac divisione Decimarum, & obligatione eas solvendi.*

§. I. *Quid, & quotuplices sint Decimæ?*

ASSERTIO I. Decimæ sunt pars decima omnium bonorum mobilium, sive fructuum justè quæsitorum, Ecclesiæ Ministris, quot annis, exolvenda, *nu.* 2. Ubi etiam alia descriptio affertur. Ass. 2. Triplicis generis Decimæ communiter assignari solent, prædiales, seu reales, quæ ex prædijs, seu bonis immobilibus solvuntur: personales, quæ ex lucro, hominis industriâ quæsito penduntur: & mixtæ, quæ partim reales, partim personales sunt, *num.* 4. Item Decimæ aliæ sunt majores, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur: aliæ minores, quæ ex fructibus animalium, & alijs minutioribus penduntur. Denique aliæ Decimæ sunt Ecclesiasticæ, sive Clericales, aliæ profanæ, sive Laicales, *n.* 5.

§. II. *Quo Jure decimæ introductæ sint, & Ministris Ecclesiæ debeantur?*

ASSERTIO I. Decimæ materialiter, & secundùm substantiam, spectatæ, quatenus sunt stipendium necessarium ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, jure naturali, ac Divino ipsis sunt debitæ, *n.* 6. Ass. 2. Decimæ formaliter, & secundùm determinationem, seu certam quotam, nempe, ut sint pars decima fructuum, ex Jure positivo, eóque Divino, tempore Legis Mosaicæ, Levitis debebantur: at verò tempore Novi Testamenti, Decimæ solùm debentur ex Jure positivo Canonico, seu Ecclesiastico, quamvis antiquissimo, *n.* 7. Quo sensu dicantur Decimæ deberi, vel esse præceptæ Jure Divino? *num.* 8. Decimæ tam prædiales, quàm personales sunt debitæ à fidelibus Ecclesiis Parochialibus: sed solùm ex præcepto Juris Ecclesiastici, *n.* 9.

SECT. II. *De rebus, ex quibus Decimæ sunt solvendæ, & de modo, quo solvi debent.*

§. I. *Ex quibus rebus Decimæ, sive prædiales, sive personales sunt solvendæ?*

ASSERTIO I. De Jure communi ex fructibus, seu proventibus rerum omnium immobilium, & se moventium, Decimæ sunt solvendæ. In specie autem ex quibus rebus Decimæ sunt pendendæ, expressum habetur in SS. Canonibus, *n.* 11. & 12. Sunt autem Decimæ solvendæ ex omnibus fructibus prædiorum, etiamsi sæpius in anno, & diversis temporibus sint seminati, ac producti, *n.* 13. Ass. 2. De Jure communi etiam Decimæ personales solvendæ sunt ex omnibus per actionem, & industriam hominis licitè acquisitis, quamvis hodie per consuetudinem Decimæ personales ubique ferè non ampliùs solvantur, *nu.* 14. Aliàs verò etiam ex præda in bello justo acquisita personales Decimæ sunt solvendæ, *nu.* 15. Præterea Decimæ sunt solvendæ ex venatione, aucupio, & piscatione, *n.* 16. Et an hæ Decimæ inter personales, vel prædiales numerandæ sint? *n. eod.* Solvendæ autem sunt Decimæ ex omnibus rebus licitè acquisitis: non autem ex acquirendis, quæ quis potuisset acquirere, *nu.* 17.

§. II. *Utrum ex rebus illicitè acquisitis debeantur Decimæ, & an ex acquisitis titulo lucrativo?*

ASSERTIO I. Decimæ prædiales etiam ex rebus injustè acquisitis solvendæ sunt, eásque Ecclesia exi-

exigere potest, *n.* 18. Verùm Decimæ personales ex rebus injustè acquisitis, quarum dominium non acquiritur accipienti, vel quæ saltem restitui debent, non possunt exigi, vel accipi ab Ecclesia: ex rebus verò, quæ non injustè, saltem ex parte dantis, illicitè tamen v. g. per fornicationem acquisitæ sunt, debentur Decimæ personales, & accipi possunt, per se loquendo, vel etiam exigi, si absit scandalum, quia delictum occultum, *n.* 19. Ass. 2. An etiam ex bonis acquisitis, titulo lucrativo, ut hæreditatis, legati, vel donationis inter vivos, vel causâ mortis sint solvendæ Decimæ? Affirmant nonnulli, *n.* 20. Sed probabiliùs negatur, *n.* 21. An, & quando Decimæ solvi debeant ex rebus fructiferis, quæ obveniunt titulo lucrativo, cum suis fructibus? *n.* 25.

§. III. *An, & quâ ratione Decimæ sint integrè, & absque diminutione solvendæ?*

Assertio I. Decimæ prædiales integrè solvi debent ex integris fructibus, nullâ deductione factâ, *n.* 23. *& seq.* Decimæ etiam solvendæ sunt integrè, sine deductione seminis, & sumptuum, *nn.* 25. Nec propter improbam vitam Clericorum ijs sunt negandæ, *n.* 26. Sed neque in solutione Decimarum deducenda sunt tributa, seu census, *n.* 27. Ass. 2. Decimæ personales solvi debent: sed nonnisi deductis expensis necessarijs, & lucro per negotiationem, vel aliam industriam deducto, *nu.* 28. *& seq.* Quando ex fructibus, qui ex terra nascuntur, Decimæ sunt vendendæ, deductis expensis, & quando sine deductione expensarum? *nu.* 30. Cur Decimæ prædiales, & mixtæ integrè sint solvendæ: personales verò nonnisi deductis priùs expensis? *cit. n.* 30. Idque non tantùm ex negotiatione: sed etiam quæ ex alijs actionibus hominis debentur, *num.* 31. Etiam in Decimis personalibus, quæ ex negotiatione debentur, quando solvendæ sunt Decimæ, non possunt deduci Decimæ in restaurationem factæ, seu meliorationem rerum, ex quibus solvuntur Decimæ, *n.* 32.

Sect. III. *De ijs, qui obligantur solvere Decimas, & ijs, qui per privilegium sunt exempti.*

§. I. *Quinam in genere teneantur solvere Decimas?*

Dupliciter potest quis obligari ad solvendas Decimas, per se, ratione personæ, & per accidens ratione rei. Ass. 1. Omnes fideles baptizati, qui sunt subjecti Parocho, à quo Sacramenta recipere debent, per se, & ex debito personali obligantur ad Decimas solvendas, nisi à præsentatione earum specialiter sint exempti, *n.* 34. Ass. 2. Ad Decimas solvendas ex debito, seu obligatione reali, quia quis possidet rem Decimis obnoxiam, tenentur omnes, etiam Principes, nisi quis ex legitima præscriptione, aut speciali privilegio sit exemptus, *n.* 35. Et hinc 1. Hæretici tenentur ad solvendas Decimas, non tantùm ratione prædiorum: sed etiam per se, ratione personæ suæ, *n.* 36. 2. Judæi, & alij Infideles non obligantur per se, ac directè ad solvendas Decimas, sunt tamen obligati, ad solvendas Decimas prædiales Ministris Ecclesiæ, ex ijs prædijs, quæ possident, & Decimis sunt obnoxia, vel cogendi sunt, ad illa relinquenda, *nu.* 37. Judæi non tenentur solvere Decimas ex ijs prædijs, quæ nunquam ante fuerunt possessa à Christianis. Item Judæi aliique Infideles non baptizati, non tenentur pendere Decimas personales, *n.* 38.

§. II. *Quinam in specie obligentur solvere Decimas, vel non?*

Quær. 1. Utrùm Clerici teneantur solvere Decimas? Resp. S. Pontifex per se non tenetur, potest tamen per accidens obligari, ratione bonorum patrimonialium, quæ possidet, *n.* 39. Resp. 2. Episcopi, & Parochi, ratione personæ suæ, non obligantur ad Decimas solvendas: possunt tamen obligari, ratione prædiorum, quæ titulo temporali acquisiverunt, *num.* 40. Resp. 3. Clerici, qui ex Officio non ministrant alijs Fidelibus Divina, ex Decimis aliisque fructibus, quos ex Beneficijs Ecclesiasticis percipiunt, non tenentur sibi invicem Decimas dare: etsi teneantur dare Decimas ex alijs reditibus, titulo temporali acquisitis Pastoribus suis à quibus Sacramenta accipiunt, *num.* 41. *& seq.* An, si prædium unius Parochiæ sit situm in alia Parochia, debeat ex illis solvi Decimæ illi Ecclesiæ, in cujus territorio prædium est situm? *num.* 43. Quær. 2. An Religiosi teneantur ad præstandas Decimas? Resp. obligari ad Decimas prædictas solvendas Parocho, in cujus Parochia eorum prædia sunt sita, nisi per speciale privilegium sint exempti, vel contraria sit consuetudo, *nu.* 44. Quær. 3: An pauperes teneantur ad Decimas? Resp. Qui sunt pauperes, vel valde tenues reditus habent, sufficientes tamen ad sustentationem, tenentur solvere Decimas. Qui verò in extrema, vel gravi necessitate sunt constituti, ita, ut non habeant necessaria, ad se, suósque honestè sustentandum, non tenentur solvere Decimas, saltem donec ad meliorem fortunam pervenerint, *nu.* 45. *& seq.* Item Moniales, aliæque Regulares personæ, quæ sufficientes reditus non habent ad sustentationem, Decimas non tenentur solvere. Idémque est de Sæcularibus Clericis, *nu.* 47. Quær. 4. Utrùm Dominus prædij, an verò Colonus ad Decimas præstandas sit obligatus, *num.* 48. Tam Dominus, seu locator prædij, cui certa pars fructuum penditur, quàm Conductor, seu Colonus debet solvere Decimas de portione fructuum, quam quisque percipit, *nu.* 49. *& 50.*

§. III. *An quis per privilegium possit eximi ab obligatione solvendi Decimas, & per quem?*

Assertio I. Papa potest de potestate absoluta generaliter abrogare præceptum solvendi Decimas, quoad omnes Christianos, saltem validè: modò Ministris Ecclesiæ aliunde detur necessaria, & congrua sustentatio: licitè tamen, & de facto, ac simpliciter id non potest. Veruntamen per speciale privilegium quibusdam in particulari concessum, ea obligatio solvendi Decimas remitti potest, & aliqui ab illa eximi possunt, *num.* 51. Ass. 2. Solus Papa potest privilegium exemptionis à Decimis concedere: non item Episcopi, & alij Prælati inferiores, *n.* 52.

§. IV. *Quænam privilegia exemptionis à Decimis sint concessa Religiosis, vel etiam Clericis Jure communi?*

Assertio I. Jure communi Canonico Monachi, & Clerici Regulares in communi viventes sunt exempti à solvendis Decimis prædialibus, & personalibus ex ijs prædijs, quæ proprijs manibus, seu laboribus, aut sumptibus excolunt, *n.* 53. Præterea Cistercienses, Templarij, & Hospitalarij ex prædijs, quæ proprijs manibus, vel sumptibus colunt, non tenentur solvere Decimas: cæteri verò Religiosi illas non solvunt tantùm ex novalibus, quæ proprijs manibus, vel sumpti-

sumptibus excolunt, & ex nutrimentis animalium suorum, vel ex hortis suis: de alijs verò rebus omnibus illas solvere tenentur, *n.* 54. & 55. Ass. 2. Prædictum ptivilegium postea restrictum fuit ad prædia, quæ Religiosi Cistercienses, Templarij, & Hospitalarij, ante Concilium Lateranense, possederunt, ut ex illis Decimas dare non tenerentur. At verò quoad prædia, quæ dicti Religiosi, & omnes alij Regulares, qui ijsdem privilegijs gaudent, post dictum Concilium acquirunt, etiamsi illa proprijs manibus, ac sumptibus excolant, ex illis Decimas solvere debent illis, quibus dari solitæ sunt, priusquam ad Religiosos prædia illa pervenirent, *nu.* 56. Duo requiruntur, ut Regulares privilegiati teneantur solvere Decimas prædiales, nempe, ut prædia fuerint acquisita post Concil. Lateranense, & ut ante acquisitionem fuerint Decimis obnoxia, *nu.* 57. Privilegium concessum Religiosis, per quod immunes sunt à solvendis Decimis ex Novalibus suis, quæ proprijs laboribus, vel sumptibus colunt, non est revocatum per *cap. Nuper*; 34. *h. t. n.* 58. Neque ei derogatur, nisi clausula illius derogatoria adijciatur, *nu.* 59. Deducuntur tria corollaria, *n.* 60. *& duob. seqq.* Si idem privilegium sit concessum pluribus, v. g. Regularium Ordinibus, & quoad aliquos revocetur, non ideo revocatum est etiam, quoad alios similiter privilegiatos, *num.* 63.

§. V. *De interpretatione privilegij exemptionis à solvendis Decimis.*

Quær. 1. Quomodo intelligendum sit privilegium à Papa concessum Religiosis, ut ex prædijs, quæ proprijs laboribus, vel sumptibus colunt, Decimas solvere non teneantur? Resp. 1. Hujusmodi privilegium non est intelligendum de prædijs conductitijs, nec ad illa extendendum, *n.* 64. *& duob. seqq.* Resp. 2. Privilegium habentes non solvendi Decimas ex agris, quos proprijs manibus, vel sumptibus colunt, debent solvere Decimas ex prædijs, quæ alijs excolenda tradunt, *n.* 67. Varijs modis potest alicui tradi prædiū, vel fructus ad excolendum, *n.* 68. Si privilegium immunitatis à solvendis Decimis sit concessum, intuitu personarum, tunc non transit ad colonos, *n.* 69. Qu. 2. An privilegium exemptionis à non solvendis Decimis prædialibus censeri debeat esse favorabile, an odiosum? Resp. 1. Tale privilegium, etsi ex parte eorum, quibus datur, sit favorabile, absolutè tamen est odiosum, ideóque strictè interpretandum, *n.* 70. servatâ tamen verborum proprietate, & usitatâ significatione: unde hoc privilegium de non solvendis Decimis ex proprijs laboribus, intelligi etiam debet de alijs terris, quæ non sunt novalia, *n.* 71. Resp. 2. Prædictum privilegium, de Decimis non solvendis, concessum ita intelligi debet, ne Ecclesia, cui Decimæ adimuntur, & Ministri ejus egeant: alioquin Episcopus providere debet, ut congrua portio Ecclesiæ assignetur, ad quam Decimæ antea pertinebant, & sufficiens ad alendos Ministros, & alia onera ferenda, *num.* 72.

§. VI. *Quibus modis privilegium non solvendi Decimas amittatur?*

Tres assignati solent. Primus est, si privilegium concessum, progressu temporis, cedat in præjudicium Ecclesiæ Parochialis, *n.* 73. *& seq.* Secundus modus, quo amittitur privilegium non solvendi Decimas, est per non usum, seu potiùs contrarium usum, si per annos 30. vel 40. Decimæ solvuntur à privilegiatis, adeóque per viam tacitæ renunciationis, quamvis per expressam renunciationem amitti non possit, *nu.* 75. Tertius modus, quo amittitur hujusmodi privilegium, est per conventionem, & compositionem partium factam post privilegium obtentum, *n.* 76. Addi potest quartus modus amittendi hoc privilegium, per alienationem prædiorum, quæ ratione privilegij exempta erant ab onere Decimarum, *n.* 77.

Sect. IV. *De personis, & Ecclesijs, quibus pendendæ sunt Decimæ, & tempore, & loco, quo sunt solvendæ.*

§. I. *Quibus personis, & Ecclesijs Decimæ sunt solvendæ?*

Assertio I. Olim in veteri Lege quatuor genera Decimarum in usu erāt, de quibus *n.* 78. Adhuc hodie in certis casibus integræ Decimæ sunt solvendæ Episcopo, ratione Parochiarum suæ Diœcesis, *num.* 79. Ass. 2. De Jure communi Parochis Decimæ ex fructibus prædiorum, quæ intra fines cujusque sita sunt, integræ solvendæ sunt, *n.* 80. Ass. 3. Non solùm Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum Capitulis, eorúmque Præpositis, Decanis, & Canonicis, debentur Decimæ Ecclesiæ suæ: sed etiam omnibus alijs Clericis, qui ex quovis Beneficio Ecclesiastico fructus Decimarum, vel aliquam earum partem percipiunt, Decimæ sunt solvendæ, *nu.* 81. Debentur autem Decimæ prædictis Clericis Beneficiatis, qui ex officio ministrant in spiritualibus populo, etiamsi ipsi sint divites, *n.* 82. Religiosis, ex vi statûs sui, jure communi non debentur, interdum etiam Religiosis conferri possunt Decimæ, & ex quibus Titulis, *n.* 83. Ass. 4. Personales Decimæ debentur, de Jure communi, illi Parochiæ, in qua aliquis Sacramenta percipit, & Divina Officia audit. Prædiales autem Decimæ ordinariè debentur Parochiæ, intra cujus fines prædia sunt sita, nisi alicubi alia sit consuetudo, *n.* 84. Idque procedit, etiamsi is, ad quem prædia illa pertinent, & ex quibus fructus percipit, in alia Parochia habiret, & Sacramenta, aliáque Divina percipiat, *n.* 85. In qua re consuetudo legitimè præscripta spectanda est, *n.* 86. Etsi Decimæ pertinentes ad Parochiam unius Diœcesis non debeant ordinariè applicari Parochiæ alterius, absolutè tamen eæ possunt *n.* 87. Ass. 5. Decimæ mixtæ, quæ ex fructibus, & fœtibus pecorum penduntur, solvendæ sunt Ecclesiæ Parochiali, intra cujus terminos pecora pascuntur, *n.* 88. *& seq.* Ass. 6. Decimæ personales de Jure communi solvendæ sunt Ecclesiæ parochiali: etiamsi alia sit Ecclesia baptismalis, ad quam baptizandi deferri debent. Item Decimæ prædiales solvendæ sunt Ecclesiæ parochiali, etsi baptismalis non sit, *nu.* 90. & 91. Nisi aliunde constet, speciali jure Decimas ad Ecclesiam baptismalem, vel antiquam Parochiam pertinere, *n.* 92.

§. II. *De tempore, & loco quo pendendæ sunt Decimæ.*

Assertio I. Decimæ prædiales, postquam fructus à solo separati sunt, & collecti, statim solvi debent, *n.* 93. Decimæ personales commodissimè solvuntur sub finem anni. Et quando solvendæ sunt Decimæ mixtæ? *cit. nu.* 93. Ass. 2. Dominus prædij non tenetur suis expensis Decimas deferre ad Ecclesiam,

vel Parochi domum : sed satis est, si Parochum moneat, ut Decimas collectas curet avehi, *n.* 94. Tenetur obligatus ad Decimas, si sit in culpabili mora solvendi, ideóque Decimæ fuerint ablatæ, vel periêrint, Parocho damnum refarcire, *n.* 95. Non tamen potest Parochus per vim auferre Decimas, vel compellere, ad eas solvendas, *n.* 96. De speciali modo solvendi Decimas, quæ à Papa conceduntur, ad tempus tantùm. *num.* 97.

SECT. V. *De Decimis Novalium.*

§. I. *Ad quem pertineant Decimæ Novalium, spectato Jure communi?*

Quid sit Novale, prout hîc accipitur, & quæ ad privilegium, de non solvendis Decimis ex Novalibus requirantur, *nu.* 98. *& seq.* Ass. 1. Decimæ Novalium de Jure communi, & seclusis privilegijs, ad Parochiam pertinent, intra cujus fines prædia de novo culta, sunt sita, detractâ portione, seu quartâ Episcopali, *n.* 100. Ass. 2. Si Novalia fiunt intra Diœcesim: sed non intra certam Parochiam, Decimæ ex illis perceptæ ad Episcopum pertinent, qui eas, vel alteri Ecclesiæ assignare potest, vel ad proprios usus, *nu.* 101. *&* 102.

§. II. *An privilegium de non solvendis Decimis extendatur, etiam ad Novalia, vel non?*

ASSERTIO I. Privilegium generaliter, & absolutè concessum de non solvendis Decimis ex proprijs prædijs, extenditur, sive potiùs comprehendit etiam Novalia, post concessum privilegium, coli cœpta, *n.* 103. Ass. 2. Privilegium percipiendi Decimas, ex prædijs ad aliam Ecclesiam pertinentibus, non extenditur ad Decimas Novalium, quæ post concessionem privilegij fiunt in tali Ecclesia, vel intra fines illius: idque procedit, sive Laicis, sive etiam Religiosis, & alijs personis Ecclesiasticis tale privilegium sit concessum: nisi illarum quoque Decimarum expressa mentio fiat, *nu.* 104. Respondetur ad objectionem, *nu.* 105. & 106. Ass. 3. Si privilegium percipiendi Decimas ex Novalibus concessum sit ijs, qui antiquas Decimas in aliquo loco percipere solent, non debet illud extendi ad Decimas Novalium, quas alij tempore impetrati privilegij possidebant, tanquam sibi debitas: sed intelligi debet de ijs tantùm Novalibus, quæ in futurum post impetratum privilegium fiunt, nisi specialis mentio de Decimis Novalium in privilegio facta sit, *nu.* 107. Ass. 4. Etsi impetrantes privilegium percipiendi Decimas Novalium, tempore impetrationis integras Decimas antiquas, vel ultra medietatem percipere sint soliti: impetratio tamen hæc Decimarum ex Novalibus de medietate tantùm debet intelligi, *num.* 108. Ass. 5. Si Religiosi etiam exempti in quibusdam Parochijs omnes antiquas, & majores Decimas, vel partem illarum, ex concessione Laicorum ipsis factâ, percipiunt, non ideo etiam Decimas Novalium pro eadem, vel simili portione possunt percipere: nisi ob rationabilem causam illas petere possint, *n.* 109.

§ III. *An præscriptio Decimarum intra certum locum extendatur ad Decimas Novalium: & an, si fundus mutetur, ita, ut v. g. ex prato fiat ager, maneat obligatus ad Decimas solvendas, sicut ante?*

ASSERTIO I. Qui præscripsit Decimas prædiales in aliena Parochia, non potest percipere Decimas Novalium postea factorum: nisi ostendatur, ex rationabili causa illas ad se pertinere, *n.* 110. *& seq.* Ass. 2. Si fundus ad Decimas obligatus mutetur, v. g. ex prato in agrum, tum ager novalis, sive denuo cultus, est obligatus ad Decimas prædiales eidem solvendas, cui antea debebantur, *n.* 112. *& duob. seq.* Porro præscriptio non extenditur ad similia futura, nisi consuetudo aliqua universaliter sit præscripta, *n.* 115.

SECT. VI. *De varijs modis, quibus acquiri potest jus decimandi in alia Ecclesia, aut Parochia, vel immunitas, ab obligatione solvendi Decimas.*

§. I. *An, & quâ ratione per consuetudinem acquiri possit jus decimandi in aliena Ecclesia, vel Parochia?*

ASSERTIO I. Potest per consuetudinem legitimè præscriptam induci, ut Ecclesia aliqua, vel persona Ecclesiastica jus acquirat percipiendi Decimas ex prædijs, in alia Parochia sitis, quæ alioquin ad illam pertinerent, *nu.* 116. Ad quam præscriptionem requiruntur 40. anni cum titulo, vel tempus immemoriale sine titulo, & aliquando 10. anni sufficiunt, *n.* 117. Ass. 2. Qui præscripsit jus percipiendi Decimas in certo fundo, is censetur etiam præscripsisse jus percipiendi Decimas ex omnibus fructibus, qui in loco illo nascuntur, *n.* 118. Ponuntur duæ exceptiones *num.* 119.

§. II. *An, & quomodo jus decimandi per transactionem, & quibus præterea modis acquiri possit personis Ecclesiasticis?*

ASSERTIO I. Potest Parochus v. g. cum alio Parocho super Decimis transigere, ita, ut jus decimandi per talem transactionem uni, vel alteri, vel utrique parti acquiratur, *n.* 120. Ass. 2. Per privilegium exemptionis à Decimis à Papa concessum, non derogatur speciali conventioni, seu transactioni, quæ inter partes priùs inita est: nisi de ea in privilegio mentio fiat, *num.* 121. *& seq.* Ass. 3. Super jure Decimarum potest in arbitros compromitti, *num.* 123. Ass. 4. Jus decimarum unius Ecclesiæ potest permutari cum jure decimarum alterius Ecclesiæ, *n.* 124. Ass. 5. Jus decimarum, quatenus est fundatum in spirituali titulo, ac jure, vendi, & locari non potest: bene tamen quoad utilitatem fructuum, *n.* 125.

§. III. *An, & quâ ratione obligati ad præstandas Decimas, ab illis liberari possint per consuetudinem indictam, & legitimè præscriptam, vel per transactionem?*

ASSERTIO I. Obligatio solvendi Decimas reales, vel personales per consuetudinem contrariam tolli potest, non tantùm à Clericis: sed etiam Laicis, etiam in totum, ut nihil omnino nomine Decimarum pendatur, modò Ministri Ecclesiæ aliunde congruam sustentationem habeant, *n.* 126. *& seq.* Deducuntur quædam corollaria, *n.* 128. Ass. 2. Immunitas à solvendis Decimis, à privatis personis Clericis, vel Laicis, præscribi potest 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali, sine titulo, *nu.* 129. Solvuntur objectiones, *n.* 130. Ass. 3. Ut tota aliqua Comunitas se eximat ab obligatione solvendi Decimas, per consuetudinem contra Legem Decimarum inductam, ignorante Pontifice, & viâ præscriptionis, requiritur tempus 40. annorum sine titulo, *n.* 131. Ubi quomodo intelligendum, declaratur, *nu.* 132. Ass. 4. Potest inter Clericos, vel Ecclesias fieri transactio, vel

vel amicabilis compositio super Decimis, ita, ut illæ non integrè solvantur: imò etiam omnino remitti possunt, ob justam causam, *nu.* 133. Porro per nullam potestatem sæcularem, etiam supremam, potest quis eximi ab obligatione solvendi Decimas, *n.* 134.

SECTIO VII. *De Decimis Laicalibus, sive possessis, aut detentis à Laicis.*

§. I. *An, & quâ ratione Laici, sive Sæculares sint capaces juris decimandi, seu percipiendi Decimas?*

ASSERTIO I. Jus Decimarum, quatenus spirituale est, Laicis concedi non potest, adeóque nec ipsæ Decimæ, prout sunt fructus Ecclesiastici, unde non possunt concedi Laicis jure hæreditario, *nu.* 135. Et hinc etiam Prælatus, qui Laico concedit Ecclesiasticas Decimas, deponendus est à statu suo, *nu.* 136. Nec per privilegium Papæ Laicus potest fieri capax juris decimandi, quatenus est fundatum in spirituali titulo, *n.* 137. Conversi tamen Religiosorum Ordinum & Professi Ordinum militarium sunt capaces Decimarum, *n. eod.* Ass. 2. Potest Laicis concedi jus Decimarum, quatenus hoc temporale quid est, abstractum à titulo, ac jure spirituali, & est præcisè jus percipiendi decimam partem fructuum, *n.* 138.

§. II. *An ab Episcopis aliisque Prælatis Ecclesiasticis Papâ inferioribus Decimæ in Feudum dari possint Laicis, & an hi easdem in alium transferre possint?*

ASSERTIO I. Episcopi aliique Prælati inferiores, jure antiquo, poterant reditus Decimarum Ecclesiæ suæ, ob justam causam, Laicis concedere in Feudum, etiam perpetuum, *n.* 139. Ass. 2. Post Concilium Lateranense sub Alexandro III. omnes concessiones Decimarum in Feudum perpetuum Laicis factæ, etiam quoad jus decimandi abstractum à spirituali titulo, sine auctoritate Papæ, illicitæ sunt, & irritæ, *n.* 140. Imò etiam omnis alia juris Decimarum alienatio facta Laicis à Prælatis Papâ inferioribus, sine consensu S. Pontificis, est ipso jure irrita, *nu.* 141. Si Decimæ Laico sint legitimâ auctoritate concessæ, ea concessio ad Novalia non est extendenda, *n.* 142.

§. III. *An, & quâ ratione Laici Decimas quas obtinent, in alios transferre possint?*

ASSERTIO I. Si Laicus Decimas injustè possideat, non potest illas in Feudum concedere, nec alio quovis titulo in alios transferre. Ass. 2. Si Laicus Decimas justè possideat, quia ante Concil. Lateran. eas obtinuit in Feudum, cum consensu Episcopi, vel post illud, sed cum consensu Papæ, tum potest illas, cum consensu Episcopi, in Feudum concedere, *n.* 144. Ass. 3. Laicus, qui injustè Decimas possidet, si induci non possit, ut illas propriæ Ecclesiæ restituat, potest Decimas illas transferre in Clericos, vel alteri Ecclesiæ dare, cum consensu Episcopi, *n.* 145. Porro Laici, quibus ante Concil. Lateran. Decimæ in Feudum perpetuum sunt concessæ, non possunt alijs Ecclesiis, vel Religiosis tales Decimas dare, neque hi illas à Laicis accipere, sine consensu Episcopi, *n.* 146. Possunt autem illas Decimas Religiosi recipere à Laicis, quæ ante dictum Concilium in Feudum perpetuò sunt concessæ, *n. eod.* Solvitur objectio, *nu.* 147. Ass. 4. Laicus possidens Decimas non potest eas oppignorare alijs, sive Laicis, sive Clericis, *n.* 148. Ass. 5. Potest per consuetudinem induci, ut Laici liberè disponere possint de Decimis, sicut de bonis patrimonialibus, & non tantùm in Feudum illas concedere: sed etiam vendere, permutare, donare &c. quia consuetudo immemorialis habet vim præsumpti privilegij, vel alterius legitimæ concessionis factæ, *nu.* 149. Concessio, vel donatio Ecclesiæ, aut Decimarum, aut alterius juris spiritualis non dat titulum, vel justam causam præscribendi, ita, ut nullo tempore talis donatio præscribi possit, *n.* 150. *& seq.*

SECT. VIII. *De Jure, quod competit Ecclesiæ, vel Clericis in Decimas, & quâ actione illæ exigi possint: Item de Judice in causâ Decimarum, ac pœnis non solventium Decimas.*

§. I. *Quale jus habeat Ecclesia, vel ejus Rectores in Decimis, seu fructibus Decimarum?*

Decimæ sunt debitæ Ecclesiæ, ejúsque Ministris ex justitia, quatenus solvi debent pro necessaria sustentatione eorum, *num.* 153. Ass. 1. Si fructus decimales nondum sint separati à reliquis fructibus, Ecclesia, vel ejus Rectores, aut Ministri non habent plenum, & propriè dictum dominium eorundem: habent tamen jus quoddam reale, sive quasi dominium, nempe utile eorundem, *nu.* 154. Ass. 2. Postquam fructus decimales à reliquis fructibus sunt separati, eorum dominium directum, & utile spectat ad Ecclesiam, etiam ante actualem traditionem eorum, *n.* 155.

§. II. *Quâ actione Ecclesia, vel ejus loco Parochus, aut Episcopus in judicio exigere possit Decimas sibi debitas?*

ASSERTIO I. Si sit lis de jure ipso decimandi, ad quem pertineat, instituí debet actio confessoria utilis, per quam petatur, declarari jus decimandi Ecclesiæ compete, *n.* 156. Ass. 2. Si agatur non de jure decimandi: sed de ipsis fructibus decimalibus, nondum separatis à fundo, tum Ecclesia agere potest ad separationem, & solutionem eorum, condictione ex Lege, seu Canone, quæ est actio personalis in rem scripta, *n.* 157. Et competit Ecclesiæ non tantùm contra quemvis Decimarum possessorem: sed etiam contra illum, qui fructus decimales per dolum, vel culpam notabilem destruxit, ad æstimationem fructuum, *n.* 158. *& n. seq.* Dominus prædij tenetur tali modo vendere, vel locare prædium, ut Ecclesia Decimis ex illo debitis non defraudetur, *n.* 160. An Prælatus, vel Parochus exigere possit Decimas prædiales, non solùm à Domino, vel Colono prædij, qui illas debet: sed etiam ab eo, qui prædium emit, sive à novo possessore prædij petere possit Decimas, non solùm futuri: sed etiam præteriti temporis, quas venditor prædij, sive antiquus possessor non solvit? *n.* 161.

§. III. *Quis sit Iudex competens in causâ decimarum, & quæ pœnæ Iure Communi statutæ sint in eos, qui Decimas non solvunt, quas debent?*

ASSERTIO I. Si quæstio sit de jure, sive proprietate Decimarum, ad quem pertineat, tunc de ea cognoscere potest solus Judex Ecclesiasticus, etiamsi incidenter tantùm veniat in judicium: aliud est, si sit quæstio meri facti, v.g. An quis solverit Decimas, tunc enim etiam Laicus de hoc cognoscere potest, *n.* 162. Idque procedit etiam in causis Decimarum, quæ in Feudum concessæ sunt Sæcularibus, vel si agatur de jure possidendi Decimas, *nu.* 163. Debent autem causæ Decimarum tractari summariè, & sine strepitu judiciario, *n.* 164. Ass. 2. Pœnæ jure statutæ in

non solventes Decimas, est excommunicatio, & privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, *nu.* 165. Quæ sint pœnæ jure statutæ in Religiosos, qui gravant, vel fraudant Ecclesias quoad Decimas eis debitas, *num.* 166. Prohibetur etiam Religiosis mendicantibus, ne in suis sermonibus ad populum, vel in privatis, talia proponant, quæ auditores à Decimarum, aliarúmve rerum Ecclesiis debitarum solutione retrahant: sed potiùs ed eas præstandas adhortentur, *nu.* 167. Quod Decretum postea extensum fuit ad omnes Religiosos, etiam non mendicantes, adjectâ pœnâ excommunicationis ipso facto à transgressoribus incurrendâ, *n.* 168.

SECT. IX. *De Primitijs, & Oblationibus.*

§. I. *De Primitijs.*

Quær. 1. Quid sint primitiæ, & quomodo à Decimis distinguantur? *nu.* 169. An, & quo jure teneantur fideles ad primitias solvendas: & an in certa quantitate? Inprimis nullum de his extat præceptum juris naturalis, *n.* 170. Olim in Vet. Testam. Primitiæ omnium fructuum debebant offerri ex præcepto Legis Divinæ scriptæ: non tamen definitum erat, in qua quantitate dari deberent, *n.* 171. 3. In Lege nova Evangelica olim ex præcepto Juris Ecclesiastici solvi debebant primitiæ Sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ, absque determinatione tamen certæ quantitatis, quæ obligatio hodie in plerisque locis est abolita, *num.* 172.

§. II. *De Oblationibus.*

Nomen Oblationis, tribus modis accipi potest. latè pro omni oblatione DEO facta, vel prout à Decimis, & primitijs distinguitur. Vel strictiùs pro dono, quod ad Altare offertur, *n.* 173. Quomodo oblationes strictè sumptæ distinguantur à Decimis, & Primitijs? *cit. n.* 173.

Quær. 1. An oblationes ex præcepto sint præstandæ à fidelibus? Resp. negativè, quia nullum tale præceptum extat. Unde antiqui Canones, qui præcipere videntur, præstandas esse oblationes, intelligēdæ sunt de oblationibus, quæ ex aliquo titulo debentur Ecclesiis, & Clericis, cujusmodi tituli sunt quatuor, *nu.* 174. Quær. 2. A quibus personis fieri, & accipi possint oblationes? Resp. Offerentes debent esse fideles baptizati, & non excommunicati, *n.* 175. Est etiam Jure Canonico specialiter prohibitum, oblationes facere quibusdam personis, quæ enumerantur, *n.* 176. *& seq.* Ex quibus rebus oblationes Ecclesiasticæ fieri, & accipi possint? Resp. non possunt ex ijs, quæ ex injustitia sunt acquisitæ, vel quæ ex justitia, pietate, aut charitate alijs priore, aut potiore jure sunt debitæ, *n.* 178. Quær. 4. Quibus oblationes dari debeant? Resp. Oblationes factæ in Ecclesiis, pertinent ad Sacerdotes, seu Ministros Ecclesiæ, qui Sacramenta administrant populo, *num.* 179. Ad quem spectent oblationes factæ alicui Capellæ in Ecclesia Parochiali, vel alia existenti, vel quæ fiunt in Capella sita intra fines Parochiæ. Item ad quos pertineant oblationes factę ad imaginem depictam in pariete alicujus hominis privati, & quæ fiunt in Ecclesia Cathedrali? *cit. n.* 179. An consuetudo, ut oblationes non acquirantur Ecclesiæ Parochiali, vel Parocho: sed alteri Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, sit valida? *n. eod.* Etsi Religiosi sint capaces recipiendi oblationes Ecclesiasticas, & quidem tribus modis, de jure tamen communi, nullum jus habent ad oblationes, nisi ex privilegio Papæ, vel consuetudine, *n.* 180. Denique Laici sæculares non sunt capaces; quæ cipiendi oblationes Ecclesiasticas, *cit. n.* 180.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. n. 78. & §. *At verò*; n. 171.
c. 2. n. 41. & *seq.*
c. 3 n. 121. & *seq.*
c. 4. n. 112. & *duob. seqq.*
c. 5. n. 11.
c. 6. n. 12.
c. 7. n. 23. & *seq.*
c. 8. n. 64. & *duob. seqq.*
c. 9. n. 73. & *seq.*
c. 10. n. 54. & *seq.*
c. 11. n. 67. & *duob. seqq.*
c. 12. n. 71.
c. 13. *num.* 100. & *duobus seqq.*
c. 14. n. 8. & *seq.*
c. 15. n. 135.
c. 16. n. 37. & *seq.*
c. 17. *num.* 136. & *duobus seqq.*
c. 18. n. 85. & *seq.*
c. 19. n. 143. & *seq.*
c. 20. n. 86. & *trib. seqq.*
c. 21. n. 13.
c. 22. n. 14. & *duob. seqq.*
c. 23. n. 17.
c. 24. n. 49. & *seq.*
c. 25. n. 134. & §. *fin.* nu. 142.
c. 26. n. 25. & *seq.*
c. 27 nu. 105. & *seq.*
c. 28. n. 28. & *quatuor seqq.*
c. 29. n. 112. & *seq.*
c. 30. n. 118. & *seq.*
c. 31. *num.* 150. & *duob. seqq.*
c. 32. n. 160. & *seq.*
c. 33. n. 27.
c. 34. n. 56. & 6. *seqq.*
c. 35. & *ult.* n. 148.

IN SEXTO.

c. 1. n. 167.
c. 2. *in princ.* n. 117. §. *Decernimus*; *nu.* 108. §. *Ubi autem*; *nu.* 72. §. *Sanè*; *nu.* 146. §. *Diœcesani*; n. 44. & §. *Cæterùm* in eod. & §. *ult.* n. 109.

IN CLEMENTINIS.

Clem. 1. n. 166.
Clem. 2. n. 97.
In Extravag. communes.
Extravag. unic. n. 47.

TITVLVS XXXI.

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS ad Religionem.

SECT. I. *De Essentia Statûs Religiosi in communi, ejusq; proprietatibus, & institutione.*

§. I. *Quid sit Status Religiosus, & quænam requirantur ad substantiam veræ, & propriæ Religionis?*

Religio tripliciter accipitur, hoc loco verò sumitur strictè, pro Statu Religioso, qui est stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad Christianæ charitatis perfectionem, tendentium, editis tribus votis substantialibus perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, *n.* 1. & 2. Ad substantiam veræ Religionis 4. Conditiones requiruntur. 1. Ut serventur tria cōsilia Evangelica, paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ, sine quibus status Religiosus non potest consistere, *n.* 3. Paupertas autē Religiosa non requirit necessariò, ut Religiosus reddatur omnino incapax dominij bonorum temporalium: sed ut ijs uti non possit, vel de ijs liberè disponere, sine licentia Superioris, *n.* 4. Ad castitatem Religionis perfectæ non sufficit castitas conjugalis: sed requiritur absoluta, *n.* 5. Secunda conditio est, ut hæc tria consilia Evangelica, voto perpetuam obligationem continente firmētur: & ut etiam ex parte voventis actualis sui traditio; ex parte verò Religionis, externa acceptatio à Prælato, seu Superiore Ordinis fiat, *n.* 6. Tertia conditio est, ut tria prædicta vota emittantur in Religione per Sedem Apostolicam approbata, *num.* 7. Quarta conditio est, ut emittens vota Religionis constituatur sub

sub alicujus Superioris, seu Prælati Ecclesiastici jurisdictione, & potestate, qui possit Religiosos subditos suos corrigere, *n.* 8. & 9.

§. II. *An vota solennia sint de essentia Religionis?*

Resp. negativè, sed satis est ad constituendam verè, & propriè dictam Religionem, vota simplicia emittere, *n.* 10. *& seq.* Solvuntur objectiones, *n.* 12. Idque declaratur *nu.* 13. *& tribus seqq.* Deducuntur quædam corollaria, *num.* 17.

§. III. *Utrùm Status Religiosus fuerit institutus Jure Divino, an verò solùm Jure positivo, & Ecclesiastico? & de diversitate Religiosorum Ordinum.*

Assertio I. Status Religionis, secundùm se, & quoad substantiam, ab ipso Christo in nova Lege fuit institutus, *n.* 18. Ass. 2. Status Religiosus, quoad peculiarem & determinatum modum vivendi, sive Regulam, non est ex institutione Christi: sed Ecclesiæ, quæ certas conditiones statuere potest, sine quibus vota acceptari non debent, tanquam Religiosa, eæque conditiones, pro temporum varietate, mutari possunt, *n.* 19. Ass. 3. Omnes Religiosi Ordines conveniunt in ijs, quæ spectant ad essentiam Statûs Religiosi, quæ consistit in tribus votis, secundùm Evangelica consilia editis: diversitas autem Religionum desumitur ex fine cujusque proprio, ac peculiari, & ex diversis medijs, quibus ad eundem finem tenduntur, & ad ipsa vota observanda utuntur. Et hinc alia Religio est contemplativa, alia activa, alia mixta, *n* 20. Item Religiones aliæ sunt Clericales, aliæ Monachales, aliæ Mendicantes, aliæ Militares, *num.* 21. *& seq.* An Religio Societatis Jesu sit Ordo mendicans, etiam prout complectitur Scholasticos in Collegijs degentes? *n.* 23. Quæ sunt Religiones Militares, vel Hospitalariæ? *nu.* 24. Illæ etiam Religiones sunt diversæ, quæ diversas Regulas, & Constitutiones habent, quarum numerantur quatuor antiquæ, & præter illas, tres recentiores, *n.* 25.

Sectio I. *De ingressu Religionis, & Novitiatu.*

§. I. *Quæ ætas in ingrediente Religionem, seu Novitiatum requiratur, & in quo loco necessariò debet peragi Novitiatus, sive Probatio, & an etiam suscepto habitu Regulari?*

Assertio I. Ad inchoandum annum probationis requiritur pubertas completa, nempe, ut is mas sit, XIV. ætatis annum: si verò fœmina XII. cõpleverit, *num.* 26. Idque procedit etiam post Concil. Trident. *nu.* 27. Excipiuntur Ordines militares, & Novitij Societatis Jesu, qui non possunt admitti ad probationem ante exactum 15. annum, sine dispensatione Præpositi Generalis, *num. eod.* Ass. 2. Annus probationis regulariter debet peragi in Monasterio, seu domicilio Religionis: nisi Novitius extra Monasterium, seu Religionem, cum licentia Superioris sui, versetur, etiam per majorem anni partem, *num.* 28. Ass. 3. Etsi secundùm communiorem sententiam, necessarium sit ad valorem Novitiatûs, ut annus probationis, suscepto habitu Regulari, peragatur: probabilius tamen est, non requiri ad substantiam probationis susceptionem habitûs Regularis: sed posse etiam in habitu sæculari peragi, nisi in aliqua Religione contraria sit consuetudo, & Novitiatus non inchoetur, nisi post susceptum habitum Regularem, *n.* 29.

§. II. *Utrùm necessarium sit, ut Professionem præcedat annus probationis, isque integer, & quomodo sit computandus?*

Assertio I. Etiam olim tempus probationis regulariter fuit unus annus, & interdum etiam biennium, vel triennium, *num.* 30. At verò Jure communi Decretalium Professio nec emitti, nec recipi debet infra annum probationis, facta tamen ante annum probationis elapsum ex utriusque partis, Monasterij, & Novitij consensu, valet; quia utraque pars renunciare videtur anno probationis in favorem sui introductum, & interdum etiam licitè ex justa causa fieri potest, *n.* 31. & 32. Excipiuntur Religiosi Prædicatores, & Minores, quibus prohibitum fuit, etiam antiquis temporibus, intra annum probationis aliquem ad Professionem admittere, quod postea extensum fuit etiam ad alios Ordines Mendicantium, *nu.* 33. & 34. Hodie verò post Concil. Trident. Professio in quacúnque Religione, ante exactum probationis annum, non solùm illicita est: sed etiam invalida, *n.* 35. Ass. 2. Annus probationis debet esse integer, & completus, ita, ut nec unus dies illi desit, alioquin Professio subsequens non valet, *n.* 36. Quomodo hic annus computandus sit in anno bissextili? *nu. eod.* Sunt autem duæ notandæ regulæ in computatione annorum, quando annus, vel dies cœptus haberi debeat pro completo, vel non? *nu.* 37. & 38. Aliquando tamen annus probationis non debet esse completus, *n.* 39.

§. III. *Utrùm annus probationis debeat esse continuus, sine interruptione, & an, si quis post finitum Novitiatum, Religionem deserat, sed postea ad eam redeat, iterum probari debeat?*

Assertio I. Ad legitimum Novitiatum, & validam Professionem subsequentem, necessariò requiritur annus probationis continuus, & non interruptus, *num.* 40. *& seq.* An etiam modica, & tenuis mora temporis, quâ quis ex Monasterio egreditur, animo deserendi Religionem, sufficiat ad interrupendum annum probationis, & de novo inchoari debeat, etsi redeat? *n.* 42. Ass. 2. Si quis post expletum annum probationis, Religionem deseruit, & postea iterum sit in Ordinem receptus, potest probabiliter admitti ad Professionem, sine nova probatione, & novitiatu: nisi res ex parte Novitij, & Religionis sint notabiliter mutatæ, *n.* 43. Ass. 3. Si Religiosus professus ad aliam diversi Ordinis, aut Regulæ Religionem, sive strictiorem, sive laxiorem transeat, debet necessariò integrum annum probationis iterum subire, antequam Professionem in illa Religione faciat, aliàs illa erit invalida, *n.* 44. Ass. 4. Si Professio alicujus ex aliquo defectu, v. g. ætatis, vel ex alia causa sit irrita, non est necessariò repetendus Novitiatus, *num.* 45. Ass. 5. Novitius justè ejectus, si iterum admittatur, quia impedimentum inhabilitatis fuit sublatum, iterum inchoare debet annum probationis: secus est, si injustè sit ejectus *num.* 46. Ass. 6. Si quis dum sanæ mentis fuit, ad probationem est admissus: sed postea infra annum in furorem incidit, si furor, citò transeat, non interrumpitur Novitiatus: si verò diu duret, v. g. ad duos menses, Novitiatus non omnino cessat, nec denuo inchoandus: sed tempus amentiæ est supplendum, *n.* 47.

§. IV

§. IV. *An, & quâ ratione impuberes ingredi possint Religionem, & in illam recipi, vel à parentibus offerri?*

Quær. 1. An impuberes possint Religionem ingredi, & ad illam admitti? Resp. Posse ingredi, & habitum Regularem suscipere, quamvis sint Novitij, ante pubertatem completam: imò etiam infantes, ante usum rationis, possunt ad Religionem suscipi, & Religioso habitu indui: sed non nisi cum consensu parentum, *num.* 48. Quær. 2. An, & quâ ratione possint parentes liberos impuberes Religioni offerre, seu tradere, vel ingressos revocare, & quem effectum habeat hujusmodi oblatio? Resp. 1. Possunt offerre Religioni, non solùm, ut in ea sub regulari disciplina educentur: sed etiam, ut suo tempore Professionem emittant, & quantum est ex parte parentum, in ea perpetuò permaneant, *n.* 49. Resp. 2. Si parentes consenserunt in filij, vel filiæ impuberis ingressum in Religionem, non possunt eum, vel eam revocare: si verò non consenserunt, possunt revocare filium ingressum: ita tamen, ut intra annum filium repetere debeant, quo elapso, non possunt illum revocare, *nu.* 50. Si verò filius pubes factus per vim ad professionem coactus fuit, Professio est irrita, & si nec ipse filius, nec parentes infra annum, reclamârunt apud Superiorem, is permanere in Religione cogitur, *n.* 50. *& seq.* An, & qualiter impubes filius ingressus Religionem à parentibus revocari possit, vel non? *nu.* 51. Quis sit effectus oblationis factæ à parentibus Religioni filij impuberis? *nu.* 52. Quòd si impubes sine parentum oblatione, Religionem ultrò ingressus est, & habitum Regularem suscepit, liberé recedere potest, ante Professionem editam, *n.* 53. Similiter filius impubes oblatus à patre Religioni, pubes factus, egredi potest, non autem ante pubertatem, *nu.* 54. Quær. 3. An non solùm pater, sed etiam mater, & tutores habeant potestatem offerendi filium impuberem Religioni? Resp. Probabilius est, quòd mater non possit, contradicente patre, filium, vel filiam impuberem offerre Religioni, nec ingressum, sine consensu parentum, revocare: quamvis si pater filium impuberem velit Religioni offerre, vel ingressum revocare, matre contradicente, valida, & licita sit ejus oblatio, & revocatio, *num.* 55. Etiam tutores possunt pupillum offerre Religioni, vel sine suo consensu ingressum revocare, *nu.* 56. Quær. 4. An impubes, etiam invitus, à parentibus offerri, seu tradi possit Religioni? *n.* 57. Probabilius est, quòd etsi pater filium impuberem invitum obtulit Religioni, adeóque coëgit ingredi, is in ea permanere debet, donec pubes factus fuerit: non autem potest impubes ita cogi vel offerri ad ingrediendum Religionem, ut sit obligatus ad profitendum, vel perpetuò in illa permanendum, *n.* 58. Respondetur ad objectiones, *nu.* 59. Quæ dicta sunt de oblationibus filij, vel filiæ impuberis, eorúm que ingressu in Religionem, non sunt revocata: nec quidem quoad puellas impuberes per Concil. Trid. *n.* 60.

§. V. *De libertate ingrediendi Religionem, & egrediendi, quam habent Novitij.*

Quær. 1. An liberi, invitis, & inconsultis parentibus, possint ingredi Religionem? Resp. posse, si parentes eos impedire velint, *nu.* 61. Quær. 2. An Novitij intra annum probationis, liberè è Religione egredi possint, & ad sæculum redire? Resp. posse, nisi quis Religionem intraverit, habitúmque Novitiorum assumpserit, animo DEO in Religione perpetuò serviendi, tunc enim cogi potest, jure antiquo ad Professionem faciendam in Religione, saltem laxiore, *n.* 62. Quod intelligi debet non de nudo, & simplici proposito: sed promissione firmato, sive voto simplici DEO facto, perpetuò permanendi in Religione, *n.* 63. Sunt autem tres casus excepti, in quibus Novitius de Jure antiquo, etiam ante annum probationis expletum, è Religione egredi poterat, qui enumerantur, *n.* 64. Si Novitius è Religione egrediatur, non tenetur solvere expensas, quas Monasterium in eo alendo fecit: nisi ad id per pactum se obligaverit, *nu.* 65. *& seq.* Verùm hodie post Concil. Trid. Professio facta, ante annum probationis finitum, est nulla, nullámque obligationem inducit, ad ullam Religionem intrandam, nec in genere, nec in specie, *n.* 67. Quær. 3. An illi, qui intra annum probationis, ad sæculum redeunt, licitè possint ad Ordines, & Beneficia promoveri, & in illis ministrare? Respon. affirmativè, *n.* 68.

§. VI. *De obligationibus, juribus, & privilegijs Novitiorum.*

Quær. 1. An Novitij obligentur ad observanda statuta, & præcepta Superiorum Regularium? Resp. 1. Per se, ac directè, & sub culpa non obligantur, quamvis ex honestate, ac decentia debeant servare Religiosam disciplinam, dum sunt in Religione 2. Possunt tamen Prælati Regulares illis certas leges facere, ad quas saltem sub pœna obligentur. 3. Subijciuntur Novitij jurisdictioni spirituali Prælatorum Regularium, quoad forum externum, & conscientiæ, ratione cujus Prælati illos punire ob delictum possunt, & præcipere etiam sub censuris, dum in Religione manent, *n.* 69. Quær. 2. An Novitius, durante Novitiatu, possit retinere Beneficium Ecclesiasticum? Resp. posse retinere usque ad Professionem, nec interim illud alteri conferri posse, sine ipsius consensu, *n.* 70. Idque procedit, non solùm in Beneficijs minoribus: sed etiam majoribus, & curatis, *n.* 71. Et quamvis Professio, ex justa causa, ultra annum prorogetur, *n.* 72. Neque vacant Beneficia Novitiorum in Societate, durante biennio probationis, *n.* 73. Neque vacant Beneficia Novitiorum, ob Professionem expressam, vel tacitam, factam intra annum probationis; cùm ea sit invalida, *num.* 74. Novitius non est necessariò vocandus ad electionem Prælati, vacante Prælaturâ, etsi excludi ab ea non possit, *nu.* 75. Ex fructibus Beneficij, quod Novitius habet, assignanda est congrua portio ejus Vicario, *num.* 76. Quær. 3. An Novitij possint uti privilegijs sui Ordinis? Resp. affirmativè, & in specie gaudent privilegio fori, & Canonis, ut, qui eos percutit, excommunicationem incurrat. Et privilegio immunitatis à solvendis gabellis, *num.* 77. Quær. 4. An Novitij è Religione dimitti possint, absque justa causa? Respon. negativè, *n.* 78.

§. VII. *De dispositionibus, seu renunciationibus bonorum, quæ ante Professionem à Novitijs fieri solent.*

Nomine renunciationis hîc ietelligitur dispositio de proprijs bonis temporalibus, in favorem tertij facta irrevocabiliter, ita, ut retractari amplius non possit,

possit, etiam ante Professionem, *n.* 79. Ad quam cessionem faciendam, ante Professionem, non tenentur Novitij. Juxta Decretum Concilij Trident. nulla renunciatio bonorum, ante probationis annum facta, etiam jurata valet: nisi cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, intra duos menses proximos ante Professionem, nec aliàs effectum habet, nisi secutâ Professione: & aliter facta, etiam cum expressa renunciatione hujus favoris, & cum juramento, irrita est, *cit. num.* 79.

Quær. 1. Quænam renunciationes irritæ sunt, non servatâ formâ præscriptâ in dicto Decreto? Respon. 1. Si donatio, seu renunciatio bonorum facta sit, ante ingressum Religionis: sed non intuitu ingressûs, sive sine animo illam ingrediendi, tunc talis renunciatio non est irrita: sed valida, etiam jure novo, *nu.* 80. 2. Probabile est, renunciationes factas, ante ingressum Religionis, probationis causâ, intuitu tamen talis ingressûs, comprehendi sub Decreto Concilij, adeóque eas etiam juratas, esse irritas. Contrarium tamen, quòd renunciationes factæ ab existentibus in sæculo, ante ingressum Religionis, sed intuitu illam ingrediêdi, non cõprehendantur sub dicto Decreto, adeóque validæ sint, est quoque valde probabile, *n.* 81. 3. Renunciatio facta à Novitio etiam post 16. annum ætatis, sed ante duos menses proximè præcedentes Professionem, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarij, cõprehenditur sub dicto Decreto, & invalida est, *n.* 72. 4. Etiam renunciatio bonorum facta à Novitio, sub conditione expressa, vel tacita secuturæ Professionis, comprehenditur sub Decreto Concilij, adeóque sine forma in eo præscripta, facta, est irrita, *n.* 83. Ab hoc Decreto Concilij Tridentini excipiuntur Candidati, & Novitij Societatis Jesu, quorum renunciationes bonorum factæ conformiter Constitutionibus Societatis, sunt validæ, non obstante dicto Decreto, *n.* 84. Quær. 1. Quinam contractus, vel actus comprehenduntur nomine renunciationis in Decreto Concilij, ita, ut si fiant sine forma ibi præscripta, sint irriti? Resp. 1. Comprehenditur donatio inter vivos, ita, ut ea irrita sit facta sine forma in Decreto prescripta, *n.* 85. Ubi adferuntur plures exceptiones. 2. Nomine prohibitæ renunciationis Novitij, ante duos menses, comprehenditur etiam datio mutui, si quid ex bonis Novitij detur Monasterio, sub titulo mutui, *n.* 86. 3. Sub nomine renunciationis cõprehenduntur omnes cõtractus lucrativi: non tamen omnes onerosi, sed tantùm illi, in quibus tantundem recipitur, quantum datũ est, hi enim, sine forma præscripta in Decreto, initi à Novitio, sunt irriti, *nu.* 87. Quær. 3. Quæ solennitates requirantur ad renunciationes, vel donationes Novitiorum? Respond. duæ, ut sint validæ, prima est, ut fiant, cum licentia Episcopi, vel alterius Prælati exempti, vel ejus Vicarij Generalis, & quidem non solùm petitâ, sed etiam obtentâ, quam dare non possunt Prelati Regulares, etiam exempti: altera solennitas est, ut renunciationes fiant intra duos menses proximos ante Professionem, quamvis immediatè ante illam fiant, *nu.* 88. Quando fieri debeat renunciatio, si ex justa causa differatur Professio? *n.* 89.

§. VIII. *Aliæ nonnullæ quæstiones circa renunciationes bonorum, à Novitijs factas proponuntur, & resolvuntur?*

Quær. 1. An Novitius possit renunciare hæreditati patris, vel matris adhuc viventis, sine consensu illorum, & in favorem Religionis? Resp. 1. Etsi talis renunciatio, si facta sit in favorem certæ personæ particularis, sine consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, sit invalida, nisi juramento firmata sit: valida tamen est hujusmodi renunciatio facta in favorem Religiosi Conventûs, vel alterius Communitatis, etiam sine consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, *n.* 90. Quando præterea, si Novitius renunciet hæreditati patris, vel alterius sibi obventuræ, & de ea disponat in favorem certæ personæ, vel causæ piæ, ea renunciatio valeat, vel non? *cit. num.* 90. Quær. 2. An renunciatio bonorum, vel donatio facta, secundùm formam præscriptam in Concilio Trident. corruat, & effectum non habeat, si is moriatur, antequam Professionem emisit, vel si invalidè sit professus? Resp. 1. Probabilius est, quòd rennnciatio bonorum facta à Novitio, etiam in favorem Monasterij, corruat, si morte præventus, Professionem non emisit: quamvis etiam oppositum sit probabile, quòd si Novitius moriatur ante Professionem, renunciatio ab eo facta, habeat effectum, *nu.* 91. Respon. 2. Ut renunciatio, vel donatio à Novitio facta, sit firma, & effectum habeat, non sufficit, ut Professio postea facta sit: sed requiritur, ut etiam sit validè emissa, *cit. num.* 91. Quær. 3. An renunciatio bonorum facta à Novitio, secundùm formam Concil. Trid. possit ab illo ante Professionem revocari, si velit permanere in Religione? Resp. non posse, *num.* 92. Quær. 4. An renunciatio, seu donatio bonorum facta, intuitu ingrediendi Religionem, vel etiam post ingressum, à Novitio minore 25. annis, sine auctoritate Curatoris, & Decreto Judicis, sit valida? Resp. affirmativè, etiamsi in favorem privatæ personæ facta sit *n.* 93.

SECTIO III. *De Professione Religiosa?*

§. I. *Quid sit Professio Religiosa, & quotuplex?*

ASSERTIO I. Professio accipitur, vel generaliter, & latè pro actu, quo quis assumit statum Religioni, sive Professio fiat per vota solennia irrevocabiliter, sive per vota simplicia, & revocabiliter. Et in hac generali acceptione Professio est contractus non merè humanus, seu Civilis: sed Religiosus, & Sacer, per quem homo voluntatiè se tradit DEO in Religione approbata, editis tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ, & interveniente Prælati Regularis acceptatione, *num.* 94. Vel accipitur Professio strictè pro illa, quæ fit per vota solennia, omnino absolutè, & irrevocabiliter ex utraque parte. Ass. 2. Professio Religionis, duplex est, una expressa, quæ fit verbo, vel scripto, vel utroque simul: altera tacita, quæ fit sine scriptura, & voce, exercendo unum, vel plures actus Professorum proprios, *n.* 95.

§. II. *Quâ formâ, seu modo Professio expressa fieri possit, vel debeat?*

ASSERTIO I. Professio Religionis expressa potest fieri, non tantùm verbis: sed etiam scripto, aut nutibus, seu signis, *nu.* 96. Et hinc ad valorem Professionis expressæ, nec scriptura, nec certa verborum forma requiritur: sed ea etiam signis traditionem personæ significantibus, & acceptationem Religionis, seu Prælati, ejus nomine, fieri potest, *n.* 97. Etsi ad valorem Professionis non requiratur scriptura, per illam tamen fieri solet, ut de illa constet per propriam

subscriptionem, vel subsignationem, imò juxta communem consuetudinem, vota Professionis etiam ex scripto legi solent, *num.* 98. Debet autem ea forma Professionis servari, quæ in Regula præscribitur, quæ in diversis Religionibus varia est, *cit. num.* 98. Est autem valida Professio Religionis, etiam non suscepto habitu Religioso, & Professorum proprio, *n.* 99. Unde, si Clerici sæculares fingunt, se nomine, & habitu Monachos, cùm non sint, cogendi sunt, ut veri Monachi fiant, vel dimittant habitum Monachorum, *cit. nu.* 99. Ass. 2. Professio expressa potest fieri per Procuratorem, nisi Ordinis Regula statuat contrarium, *n.* 100. Ass. 3. Fieri etiam potest, non tantùm absolutè; sed etiam sub conditione de præterito, vel de præsenti, aut de futuro, & impletâ conditione, Professio erit valida: nisi conditio repugnet substantiæ statûs Religiosi, v. g. ut liceat retinere proprium, *n.* 101. Ad valorem Professionis non requiritur, ut fiat in Ecclesia, vel intra Monasterium: potest etiam fieri quocúnque tempore, etiam in articulo mortis, *num.* 102.

§. III. *Quibus modis fieri possit Professio tacita Religionis?*

Triplex est habitus Novitiorum, primus distinctus, ut quia alio habitu utuntur Novitij, alio Professi, isque, vel manifestè, vel occultè distinctus: secundus est habitus distinctus, seu communis, ut quia Professi, & Novitij gestant eundem habitum: tertius est habitus communissimus, quando etiam alij in cõmuni viventes cum Professis, & Novitijs, simili vestitu utuntur, *n.* 103. Quær. 1. Quibus modis Jure communi Decretalium fieri possit Professio tacita? Resp. Tres communiter modi assignantur. Primus est, si quis sciens, & sponte habitum proprium Professorum, & patenter distinctum ab habitu Novitiorum, suscepit, & per triduum gestavit, is tacitè Professus censetur. Unde, qui ante 14 annum, habitum Professorum suscepit, vel etiam post illum: sed ante triduum, sine præcedente Professione, dimisit, non censetur tacitè Professus: sed potest ducere uxorem, *n.* 104. Is, qui ante 14. annum ætatis Religionem ingressus fuit, potest licitè egredi, nisi in anno 15. Professionem expressam faciat, vel habitum Religionis suscipiat Professorum proprium, vel Professionem, ante pubertatem factam, ratificet, *n.* 105. Si quis olim ante annum probationis exactum, sponte suscepit habitum proprium Professorum, ac distinctum ab habitu Novitiorum, is tacitam Professionem emisit, & obligabatur ad Religionem in genere ingrediendam, saltem laxiorem, *n.* 106. Si annus probationis legitimè sit transactus, non requiritur ad Professionem, ut habitus Professorum proprius per triduum gestetur: sed sufficit, si quis suscepit habitum patenter distinctum ab habitu Novitiorum, *nu.* 107. Secundus modus tacitæ Professionis est, si quis, anno integro, habitum in Religione gestavit indistinctum ab habitu Professorum, talis, exacto anno, censetur tacitè Professus, & per censuras cogendus est ad servandam Regulam, *nu.* 108. Similiter si quis ante annum 14. Religionem ingressus, & per annum totum 15. portavit habitum Novitiorum omnino indistinctum ab habitu Professorum, tacitè Professus censetur: nisi talem habitum etiam gestent alij, qui cõmunem cum ijs vitam ducunt. Si verò major 14. annis habitum Religionis assumpsit, & per annum gestavit, omnino indistinctum, is præsumitur, Religionem tacitè Professus, *n.* 109. Ubi etiam habetur, qui sunt habitus distincti. Denique si quis pubes deferat habitum Novitiorum, non patenter distinctum ab habitu Professorum, per annum, censetur tacitè Professus: secus si habitus non sit patenter distinctus, *nu.* 110. & *seq.* Tertius modus tacitæ Professionis est, si quis habitum Professionis gestet, & in eo actum Professorum proprium exerceat, v. g. in Capitulo suffragium ferat, is tacitè Professus censetur, ita, ut ad contrarium probandum non admittatur, *num.* 112. & *seq.* Quæ conditiones requirantur ad tacitam, seu præsumptam Professionem? *num.* 114. Quær. 2. An, & quibus modis Professio tacita fieri possit, post Concil. Trid. Respon. Professiones tacitæ non sunt sublatæ per dictum Concilium: dummodo fiant post annum probationis integrum, & continuum, & completis 16. annis ætatis Profitentis, *n.* 115.

§. IV. *De conditionibus requisitis ad legitimam Professionem.*

Assertio I. Prima conditio requisita ad validam Professionem, expressam, vel tacitam, est legitima ætas, nempe pubertas, quæ est jure antiquo annum 14. in masculo, & 12. in fœmina: post Trid. verò requiritur 16. annus expletus in viris, & fœminis, *n.* 116. Neq; in Professione malitia supplet ætatẽ. Quòd si quis pubes factus Professionem ediderit; sed ante annum ætatis 16. vel ante annum probationis exactum, sufficit, si eam tacitè, sive facto ipso ratificet, *n.* 117. In quibusdam Religionibus nemo admittitur ad Professionem, nisi 18. annum sit assecutus, *num.* 118. Ass. 2. Secunda conditio est, ut Professio liberâ voluntate sit emissa; nam ex gravi metu injustè incusso facta, est irrita, saltem jure Ecclesiastico, *num.* 119. Solus metus reverentialis non reddit irritam Professionem, nisi aliæ circumstantiæ concurrant, *n.* 120. Cui incumbat onus probandi, si opponatur defectus, seu impedimentum irritans Professionem, *num. eod.* Professio ex errore, vel ignorantia, aut dolo facta circa substantialia Religionis, est etiam irrita, *num.* 121. An coactio per vim, vel metum, etiam irritum reddat ingressum in Religionem, probationis causâ? *cit. n.* 121. Si furiosus, vel amens profiteatur, non valet Professio: nisi factus compos mentis, per novam professionem expressam, vel tacitam consentiat, *n.* 122. & *seq.* Tertia conditio est, ut Professio ab aliquo habente potestatem admittendi, expressè, vel tacitè acceptetur, nomine ipsius Religionis: quamvis autem consensus Superioris metu gravi injustè extortus sit, non tamen ideo irrita est Professio, *n.* 124.

§. V. *De illis, qui prohibentur ingredi Religionem, vel in illa Professionem edere, propter obligationem, quâ alijs sunt obstricti.*

Assertio I. Episcopus consecratus, vel etiam electus, & confirmatus, etsi consecratus non sit, non potest transire ad Religionem, relicto Episcopatu, & in ea Professionem emittere, sine consensu Papæ, *n.* 125. Est autem probabilius, Professionem Episcopi sine licentia Papæ factam, non solùm esse prohibitam, sed etiam invalidam, non item Prælati Episcopo inferioris, *num.* 127. Ass. 2. Si parentes in extrema necessitate sint constituti, tenetur filius, etiam post-

quam

quam Religionem ingressus est, & professus, egredi, & illis subvenire: non autem si gravi solùm egestate laborent, *num.* 127. Obligatus est tamen Religiosus professus parentibus, etiam in gravi necessitate constitutis subvenire, quatenus salvo statu Regulari, potest, *nu.* 128. Et quamvis Professio facta à filio, cujus parentes graviter indigent, sit illicita: non tamen est invalida, *n. eod.* Multò verò magis parentes sunt obligati, ut non priùs Religionem ingrediantur, nisi priùs provideant filijs de necessaria sustentatione, *cit. num.* 128. Servus nec ingredi Religionem, nec in ea Professionem emittere potest, nisi cum consensu Domini, *num.* 129. Ass. 4. Is, qui debitis est obstrictus, priùs debita solvere debet, quàm Religionem ingrediatur, alioquin admitti non debet, & multò minùs ad Professionem, *n.* 130. Idémque est de obligato ad ratiocinia reddenda, saltem publica, *nu eod.* Quænam præterea conditiones requirantur ad legitimam Professionem? *n.* 131.

§. VI. *Ad quos spectet potestas admittendi Novitios ad Professionem.*

Assertio I. De Jure communi admissio ad Professionem spectat simul ad Abbatem, seu Prælatum immediatum Religionis, & ad Conventum, ita, ut etiam consensus, saltem majoris partis Capituli, sit necessarius, alioquin admissio est invalida, *nu.* 132. Ass. 2. Si susceptio ad Professionem ad solum Prælatum spectet, ex consuetudine, vel privilegio, tum vacante Prælaturâ, Conventus Monachos admittere non potest: Si autem ad utrumque simul spectet, tunc Conventus potest admittere, & multò magis, si potestas admittendi ad solum Conventum pertineat, *nu.* 133. Ass. 3. Non tantùm Prælatus Regularis immediatus: sed etiam Superior, ac mediatus, ut Generalis Ordinis, aut Provincialis potest admittere ad Professiinem Novitios: etiam contradicente Superiore immediato: dummodo id faciat cum consensu Capituli, *n.* 134. An Episcopus possit admittere ad Professionem Novitios. 2. An Abbatissa Moniales? 3. An Prælatus excommunicatos vitandos? 4. An Potestas admittendi ad Professionem possit alteri delegari? *nu.* 135. Quædam præterea notanda sunt circa admissionem ad Professionem, *n.* 136.

§. VII. *De effectibus, & prærogativis validæ Professionis.*

Quær. 1. Qui sint effectus Religiosæ Professionis? Resp. Primus est, quòd solennis Professio diriмat, non tantùm mattimonium postea contrahendum: sed etiam ante contractum, & nondum consummatum. Secundus est, si uterque conjux, vel etiam unus tantùm ex illis Religionem ingredi velit, alter verò votum continentiæ edere, in sæculo manens, permittendum est divortium, ita, ut ab invicem quoad cohabitationem, & torum, separari possint. Quòd si in facie Ecclesiæ contraxerunt matrimonium, non possunt, prætextu impedimenti dirimentis, ab invicem divertere, & transire ad Religionem, nisi priùs ostenderint impedimentum, præterquam si notorium sit: quòd si nihil contra impedimentũ fuit probatum, tum vir potest Religionem ingredi, & Professionem emittere, uxor verò in proposito continentiæ permanere, *num.* 137. *& seq.* Tertius effectus Professionis est, quòd simplex votum ingrediendi certam Religionem, & in ea profitendi, tollitur per posterius votum solenne, editum in quacúnque Religione, etiam laxiore, *nu.* 139. *& seq.* Quartus est, per Professionem filiusfam. liberatur patriâ potestate. Sextus, tollitur irregularitas proveniens ex defectu Natalium, quoad sacros Ordines suscipiendos: non autem quoad Prælaturas, sine dispensatione. Septimus, tollitur etiam inhabilitas ad actus legitimos, v. g. ad testimonium ferendum. Octavus effectus est plenissima omnium peccatorum remissio, quoad pœnam temporalem, *num.* 141. Quær. 2. An per solennem Professionem amittatur Nobilitas Professi? Respon. non amitti: nisi quoad usum bonorum temporalium, *n.* 142.

§. VIII. *De indissolubilitate Professionis Religiosæ.*

Quær. 1. An, & quomodo Professio sit indissolubilis, ex parte profitentis, & Religionis? Resp. 1. Vinculum Professionis, ex parte profitentis, solâ voluntate ipsius dissolvi non potest. 2. Neque etiam ex parte Religionis quoad vinculum, ita, ut dimissus fiat omnino liber à votis. 3. Neque mutuo consensu utriúsque partis, scilicet Religionis, & Religiosi Professi, potest dissolvi vinculum Religionis, *n.* 143. Quær. 2. An, & quando Professio, quoad vinculum possit dissolvi per potestatem S. Pontificis? Resp, Potest Papa per dispensationem relaxare vinculum Professionis, ita, ut qui fuit Religiosus professus, non sit ampliùs Religiosus, nec votis obstrictus, *nu.* 144. Quær. 3. An vinculum Professionis dissolvatur per promotionem Professi, ad Episcopatum? Resp. non dissolvi, ita, ut Episcopus omnibus tribus votis Religionis maneat obstrictus, *n.* 145. Quær. 4. An Professus possit præscribere contra Professionem à se editam, & sic ab illa se eximere? Resp. Nunquam posse, tametsi longo tempore in sæculo maneat, & bona, quæ antea habuit, tanquam propria retineat, *n.* 146. *& seq.*

§. IX. *An is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare Professionem, & quæ requirantur, ad ratificationem Professionis invalidæ?*

Assertio I. Is, qui invalidè professus est, etsi nequeat in foro externo probare impedimentum irritans Professionem: non tamen tenetur illam ratificare, sive bonâ fide, sive malâ sit professus, *n.* 148. Ass. 2. Ad ratificationem Professionis invalidæ requiritur 1. Ut ratificans sciat, Professionem à se factam irritam fuisse. 2. Requiritur novus consensus, per quem Professio invalidè emissa ratificetur expressè, vel tacitè. 3. Requiritur nova acceptatio Prælati Regularis conscij nullitatis prioris Professionis, *n.* 149.

§. X. *De jure, seu facultate reclamandi adversùs Professionem invalidam.*

De hac re extat Decretum Concilij Trident. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 19. Circa quod quæritur 1. An omnes Regulares possint reclamare contra Professionem invalidam? Resp. affirmativè, etiam Scholastici Societatis Jesu, qui solennem Professionem non emittunt: item Moniales, & Ordines Militares, *n.* 150 Qu. 2. Quot, & quæ conditiones requirantur ad legitimam reclamationem contra Professionem invalidam? Respond. tres. Prima est, ut ante reclamationem habitum non deponat, vel cum habitu non discedat, sine licentia Superioris. Secunda conditio est, ut causas nullitatis suæ Professionis coram Superiore suo ordinario deducat, qui est immediatus Prælatus Regularis,

ris, & Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis. Tertia est, ut id fiat intra quinquennium, à die Professionis numerandum, *num.* 152. Utrùm tempus hoc quinquennij sit continuum, an verò utile, ita, ut non currat ignoranti, vel impedito? *n.* 153. Quær. 3. Ex quibus causis potest Regularis reclamare contra Professionem à se emissam? Resp. Ex causis enumeratis, *num.* 154. Quær. 4. An etiam Religio reclamare possit contra invalidè Professum? Resp. affirmativè, id verò locum habet solùm, si Professio fuerit nulla ob ignorantiam justam, & invincibilem Superiorum Regularium, *cit. n.* 154.

SECTIO IV. *De facultate transeundi ex una Religione ad aliam.*

§. I. *An possit Professus, seu Religiosus ab una Religione transire ad aliam, & quæ conditiones requirantur ad licitum transitum ad aliam Religionem?*

ASSERTIO I. Non licet Monacho, seu alij Religioso, è Monasterio, in quo Professionem edidit, temerè se transferre ad aliud Monasterium ejusdem, vel diversi Ordinis, sive Ordo ille sit laxior, sive æqualis, sive strictior, sine licentia Prælati sui, *n.* 155. Neque etiam Monachi, vel Conversi ad alia Monasteria transeuntes, sine licentia Prælatorum suorum, recipi debent, ad permanendum, vel ut diu ibi morentur: sed si admoniti non celeriter rediêrint, compelli debent ad redeundum, *num.* 156. Ass. 6. Omnibus Religiosis licitum est, ab una Religione transire ad aliam strictiorem, petitâ priùs licentiâ, etsi non obtentâ, & quamvis Religio privilegium habeat, ut ejus Regulares non possint transire ad alium Ordinem, etiam prætextu strictioris Religionis, *nu.* 157. Imò etiam tota Religiosorum Comunitas, sive Conventus transire potest ad Ordinem strictiorem, ejus habitum, & Regulam assumendo: & non tantùm viri, sed etiam fœminæ, *num.* 158. Ass. 3. Ad licitum transitum ab una Religione ad alteram, requiritur 1. Ut transitus fiat ad Religionem perfectiorem, aut strictiorem. Nomine autem perfectioris hîc intelligitur, non quæ absolutè, & in se perfectior est; sed quæ austerior, seu rigidior est, *n.* 159. 2. Requiritur, ut non fiat ex temeritate, vel levitate, vel ex passione inordinata: sed ex charitate, seu zelo majoris boni, seu perfectionis consequendæ, *n.* 160. 3. Ut talis transitus non fiat, cum detrimento Ordinis, in quo est Professus, *cit. n.* 160. 4. Ut licentia transeundi sit petita à Prælato, & quænam circa hanc licentiam sunt observanda, *num.* 161.

§. II. *Quinam Superior in specie licentiam dare possit transeundi ad aliam Religionem?*

ASSERTIO I. Si quis zelo melioris boni, ad Religionem strictiorem transire velit, potest illam licentiam dare, non solùm Prælatus, seu Superior Ordinis mediatus, videlicet Provincialis, aut Generalis: sed etiam immediatus ipsius Conventûs, seu Monasterij, etiam sine consensu ipsius Capituli, *nu.* 162. Hanc licentiam transeundi ad Religionem strictiorem Superiores immediati, ut Priores, & Quardiani pro se petere debent à Provinciali, & hîc à Generali, ac denique iste à Papa: In quibusdam verò Religionibus potestas dandi hanc licentiam, est reservata Provinciali, aut Generali, *nu.* 163. Potest autem Prælatus Papâ inferior dare licentiam transeundi ad Religionem strictiorem, si quis ex bono zelo transire velit, non si temerè, aut ex levitate, *n.* 164. Ass. 2. Si quis ad aliam Religionem æqualem transire velit, tum si adsit legitima causa transeundi, in Ordinibus exemtis, Abbas, seu Prælatus immediatus illam dare potest: vel si immediatus Superior sit subjectus alteri Prælato Regulari, v. g. Prior, vel Quardianus, tum Provincialis, vel Generalis illam dare potest: in Ordinibus verò non exemptis, Episcopus, cum consensu Prælati Regularis. Requiritur tamen etiâ consensus Capituli, seu Conventûs, *n.* 165. Si verò nulla causa subsit, solus Papa licentiam dare potest, transeundi ad Religionem æqualem, *cit. num.* 165. Ass. 3. Potest Prælatus Papâ inferior, v. g. Provincialis, vel saltem Generalis, in Ordinibus exemptis, vel Episcopus in non exemptis, ex justa causa, dare licentiam transeundi ad laxiorem Religionem. Item Prælatus exemptus, & soli Papæ subjectus, requiritur tamen consensus Capituli, *n.* 166. Ass. 4. Solus Papa potest dare licentiam transeundi ad Religionem laxiorem, quamvis talis licentia non excuset in foro conscientiæ, *n.* 167. Quæ sunt causæ transeundi ad Religionem laxiorem? *n. eod.* Ut quis transire possit ad Religionem æqualem, & multò magis ad laxiorem, requiritur licentia non tantùm petita, sed etiam obtenta, *n.* 168. Quomodo privilegium quibusdam concessum, ne ab eodem Ordine ad alium, etiam strictiorem, liceat transire, sit intelligendum? *n. eod.* Facultas à quocúnque Prælato concessa alicui, ex justa causa, transeundi ad aliam, intelligi debet de Religione strictiore, vel æquè stricta: non autem de laxiore, *cit. num.* 168. Si una ex conditionibus jurè requisitis ad legitimum transitum desit, Professio non tantùm illicita est: sed etiam invalida, *num.* 169. Si Religiosus temerè transiens ad aliam Religionem, eúmque postea facti pœniteat, ac redeat, tenetur eum Religio prior iterum recipere, *cit. n.* 169.

§. III. *An, & quatenus permissum sit, vel prohibitum sit certis Religionibus transire ad alias?*

Quær. 1. An Canonicus Regularis possit transire ad Ordinem Monachalem, vel vice versâ, Monachus ad Canonicos Regulares? Resp. 1. Potest Canonicus Regularis transire ad Ordinem Monachorum, si in Monasterio, ad quod vult transire, strictior sit observantia, *n.* 170. Solvuntur objectiones, *nu. eod.* Resp. 2. Non est vice versâ permissum, ab Ordine Monachorum transire ad Ordinem Clericorum Regularium, *n.* 171. Qu. 2. An de Jure communi ex Ordine Mendicantium permissum sit, transire ad Ordinem Monachalem, seu non Mendicantem, vel ad alium Ordinem Mendicantem? Resp. 1. Nullus Religiosus Ordinũ Mendicantiũ potest transire ad Ordinẽ Monachorum, vel non Mendicantiũ, sine dispensatione Papæ, sub pœna excommunicationis, & Professio in posteriore Ordine facta, est irrita, *n.* 172. Quæ tamen Constitutio in pluribus locis non est usu recepta, *nu.* 173. Excipitur Ordo Carthusianorum, ad quem licitum est, transire ex quovis Ordine, etiam Mendicantium, *cit. n.* 173. Resp. 2. De Jure communi, ex uno Ordine Mendicantium licitè fieri potest transitus ad alium Ordinem Mendicantium modò is fiat ad Religionem Mendicantium perfectiorem, aut strictiorem, etiam quoad præsentem observationem: in qua re inspicienda sunt singularum Religio-

ligionum Mendicantium privilegia, *n.* 174. Qu. 3. An Religiosus assumptus ad Clericatum, possit ad statum Fratrum Laicorum, sive Conversorum ejusdem Ordinis transire? Resp. ex justa causa posse; *n.* 174. Qu. 4. An Prælatus inferior possit Religiosum Professum in uno Monasterio compellere, ut transeat ad aliud ejusdem Ordinis, intra, vel extra Provinciam? Resp. posse, si Religio, ejusque Monasteria, vel Collegia sint sub uno Capite totius Ordinis, videlicet Generali: secus est, si non habeant unum Caput: sed singula subsint suis Abbatibus, vel Prioribus sub Episcopo, vel immediatè sub Papa; tunc enim Regulares Professi cogi non possunt ad transeundum, *n.* 176.

§. IV. *Quænam Jure Canonico interdicta sunt Religiosis transeuntibus, etiam licitè, ad alias Religiones?*

Religiosi Mendicantes quilibet, qui ad non Mendicantium Ordines, etiam de licentia Papæ, hactenus transiêrunt, vel imposterum transibunt, non possunt habere vocem in Capitulo, etiamsi hæc ipsis ab aliis Capitularibus concedatur. Item ad Prioratus, Administrationes, vel Officia sic transeuntes non admittantur, etiam tanquam Vicarij, nec pro se, nec pro alijs, curam animarũ gerere possunt, & quicquid contra attentatũ fuerit, est irritum, *n.* 177. Quinamhîc cõprehenduntur nomine Mendicantium? *n.* 178. Et quinam non cõprehenduntur? *n.* 179. Duplex est pœna lata contra Mendicantes, transeuntes ad non Mendicantes. Prima est privatio vocis in Capitulo, & quòd sic transeuntes redduntur inhabiles ad Officia quæcúnq; & ad animarum curam gerendam, *n.* 180.

§. V. *Aliæ quæstiones circa translationes Religiosorum ab uno Ordine ad alium resolvuntur.*

Quær. 1. An legitimè translatus ab uno Ordine ad alium, ut sit Prælatus ipsius, debeat de novo in illo Professionem emittere? Resp. affirmativè, *num.* 181. Qu. 2. An translatus ab una Religione ad aliam obligatus sit ad vota specialia in priore Religione emissa, v. g. an translatus à Religione Minimorum teneatur à carnibus abstinere? Resp. non teneri, *num.* 182. Quær. 3, Ad quod Monasterium pertineant bona Religiosi transeuntis ab una Religione ad aliã? Resp. si utrumque Monasterium, seu Ordo bonorum in communi sit capax, tum omnia bona, ratione Professi transeuntis, acquisita priori Monasterio, penes illud manent: acquisita verò, post Professionem emissam in posteriore Monasterio, penes illud manent, *n.* 183. Resp. 2. Si Religiosus ex Ordine bonorum incapace transeat ad Religionem bonorum capacem, vel vicè versâ, tum bona acquisita priori Monasterio capaci, vel si erat incapax, bona Professi hæredibus ab intestato acquisita, manent penes prius Monasterium capax, vel si erat incapax, penes hæredes ab intestato, *n.* 184. Sed quid si Religiosus ab uno Monasterio transferatur ad aliud, non ut ibi profiteatur, sed ut pœnitẽtiam agat, cui acquiruntur bona sic transeuntis? *n. eod.* Quamvis transitus ab una Religione ad aliam sit licitus, si serventur conditiones jure requisitæ: non tamen est laudibilis: nisi propter magnam utilitatem, vel necessitatem fiat, *n.* 185.

SECT. V. *De Religiosis fugitivis, apostatis, & ejectis.*

§. I. *In quo differant Religiosi fugitivi, apostatæ, & ejecti: & an Religio teneatur illos quærere, & revocare?*

ASSERTIO I. Religiosus fugitivus strictè, ac propriè dicitur ille, qui ab Ordine discedit ad tempus, sine licentia sui Prælati, ut liberè vagetur, animo tamen redeundi ad Religionem. Apostata verò dicitur, qui ab Ordine recedit, animo deserendi Institutum in perpetuum, vel saltem longo tempore. Ejectus verò dicitur, qui non spontè recedit: sed ob culpam è Religione ejicitur, *n.* 186. Hinc is, qui à Religione recedit, animo nunquam redeũdi, est verus apostata, etiamsi habitum Regularem non deponat, vel illum tegat, *n.* 87. Sed etsi quis à suo Monasterio, sine licentia sui Superioris, recedat, sub prætextu ad Superiores accedendi, inter fugitivos numeratur, nisi ab eisdem missus, aut vocatus fuerit. Excipitur, nisi fugiat è Monasterio, inscio Superiore, ut ab iniqua vexatione Superioris liberetur, idque probare possit, *nu.* 187. Etsi Religiosi, qui ultra mare se conferunt, sine licentia sui Superioris, ubi pauci sunt fideles, respectu infidelium, non sunt veri apostatæ; sunt tamen ipso facto, ex communicati, nec ad prædicandum, nec Divina celebranda sunt admittendi, *n.* 188. Ass. 2. Prælati Religionum tenentur, fugitivos, apostatas, vel ejectos ex Ordine, singulis annis, inquirere, & revocare, eósque cogere, ut ad Ordinem revertantur, *n.* 189. Quæ cura primò, & principaliter pertinet ad proprios Prælatos Ordinum, etiam locales? *n.* 190. Prælati Regulares etiam potestatem habent, Religiosos fugitivos, & apostatas, ubíque locorum, capiendi, & incarcerandi, *num. eod.* An, & quo pacto Regulares fugitivi, apostatæ, & ejecti requirendi, & revocandi sint? *cit. num.* 190. Quibus expensis alendi sint Religiosi fugitivi, aut ejecti? *num.* 191. Quod dictum est de inquirendis, & revocandis ejectis, intelligi debet non de Religiosis injustè, sed de justè ejectis per sententiam definitivam, *n.* 192. An hodie singulis annis, & quando Religiosi fugitivi, seu apostatæ, aut justè ejecti inquirendi, aut reducendi sunt? *cit. num.* 193.

§. II. *An Religio habeat potestatem, ejiciendi subditos Regulares, & ob quas causas: & an Religiosus ejectus nihilominus obligetur ad vota Religionis aliásque observationes Regulæ?*

ASSERTIO I. Potest Ordo Religiosus etiam Professos suos expellere è Religione, ob causam justam, & gravem, quæ potestas est penes Prælatum Monasterij, cum consensu majoris partis Conventus: & in Ordinibus, qui Generalem habent, penes ipsum, vel ex ejus commissione, penes Provincialem, cũ consensu majoris partis Capituli Provincialis, *n.* 194. Quæ sint justæ causæ expellendi Professos è Religione? *n.* 195. Moniales verò etsi expelli possint, propter incorrigibilitatem: non est tamen consultum, nec consuetum, ut ob crimen expellantur: sed ut in perpetuum carcerem detrudantur, vel ad aliud Monasterium transferantur, *num. eod.* Ass. 2. Religiosus Professus, per justam sententiam, in perpetuum ejectus è Religione, manet obligatus ad substãtialia vota Religionis, *n.* 196. Cui acquirantur bona justè, vel injustè ejecti, num Monasterio, an verò Ecclesiæ Diœcesanæ, ubi Beneficium habet, vel Romanæ? *cit. nu.* 196. Cui acquiruntur bona Religiosi fugitivi, vel apostatæ? *num.* 197. Ejecti Religiosi professi, non sunt omnino soluti, ac liberi à voto obedientiæ Regularis, quamvis magna ex parte cesset ejus executio,

n. 198. Aff. 3. Religiosus, seu Professus ejectus justè per sententiam in perpetuum, præter tria vota substantialia Religionis, non obligatur ad alias observantias Regulæ, v. g. jejunia, abstinentias, & vigilias Ordinis, ad Horas Canonicas, si non sit in sacris Ordinibus constitutus, donec denuo recipiatur, *nu.* 199. Hinc talis ejectus non tenetur, nec debet deferre habitum Religionis, si illo sit spoliatus: nec etiam obligatur, ad servandum votum annexum Professioni, v. g. redimendi captivos, *n.* 200.

§. III. *An Professus ejectus per sententiam in perpetuum, teneatur redire ad Religionem suam, vel ingredi aliam, & ad id compelli possit?*

Assertio I. Professus Regularis, ob crimen ejectus per sententiam in perpetuum, obligatus est in conscientia, ut se corrigat, & correctus petat iterum recipi in Ordinem, potestque per Superiores cogi, ad redeundum, *nu* 201. Respondetur ad objectiones, *n.* 202. An Religiosus ejectus, si sit paratus corrigi, & plenè emendatus fuerit, possit Religionem cogere, ut iterum admittatur: & an ejectus per sententiâ definitivam, si ad Ordinem redeat, ut in eum denuo admittatur, teneatur novam Professionem emittere: & an debeat restitui in antiquum locum, in quo erat ante ejectionem, *cit. n.* 203. Aff. 2. Si Religiosus ejectus per justam sententiam, in sua Religione non admittatur, non tenetur aliam ingredi: sed potest in sæculo manere, *n.* 204. Aff. 3. Potest tamen talis ejectus ad aliam Religionem transire, etiam laxiorem: quamvis non petitâ licentiâ Prælati, à quo ejectus est, *nu.* 105. Aff. 4. Potest Professus ob justam causam ejici, eâ conditione, ut aliam Religionem ingrediatur: quam conditionem, si ejectus acceptavit, tenetur ingredi, vel tenebitur ad priorem redire, *n.* 206. Prædicta procedunt, non solùm in ijs, qui justè; & ob culpam suam ejecti sunt: sed etiam qui injustè, liberati enim sunt ab obligatione Regularis observantiæ, dum extra Ordinem manent, *num.* 207. Quid hodie statutum sit, circa ejectiones Regularium? *nu. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 116. *& duob. seqq.*
c. 2. *n.* 50. *& duob. seqq.*
c. 3 *n.* 99.
c. 4. *n.* 112. *& seq.*
c. 5. *n.* 155.
c. 6. *n.* 118.
c. 7. *n.* 156.
c. 8. *n.* 104.
c. 9. *n.* 106. *& seq.*
c. 10. *n.* 170.
c. 11. *n.* 53.
c. 12. *n.* 58. *& 61.*
c. 13. *n.* 97. *& seq.*
c. 14. *n.* 54.
c. 15. *n.* 122. *& seq.*
c. 16. *n.* 31. *& seq.*
c. 17 *n.* 146. *& seq.*
c. 18. *n.* 157. *& seq.*
c. 19. *n.* 137 *& seq.*
c. 20. *n* 62. *& seq.*
c. 21. *n.* 68.
c. 22. *n.* 108.
c. 23. *n.* 64. *& seq.*
c. 24. *& ult. num.* 189. *& quatuor seqq.*

In Sexto.

c. 1. *in princ. num.* 105. §. *Quod si; & §. Qui vero; & §. fin. eod. n.* 109.
c. 2. *n.* 33.
c. 3. *n.* 34.
c. 4. *n.* 70. *& 6. seqq.*
c. 5. *n.* 139. *& seq.*
c. 6. *& ult. n.* 133.

In Clementinis.

Clem. 1. *n.* 177. *& tribus seqq.*
Clem. 2. *n.* 110. *& seq.*
In Extravag. communibus.
Extravag. 1 *num.* 172. *& duob. seqq.*
Extravag. 2. *n.* 188.

TITVLVS XXXII.
DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

§. I. *Quæ conditiones requirantur, ut Conjux post matrimonium consummatum, licitè possit Monasterium ingredi?*

Non potest conjux, post matrimonium consummatum, Religionem ingredi, & in ea Professionem emitere, sine licentia alterius conjugis, & tunc, si hic sit senex, & extra incontinentiæ periculum versetur, in sæculo permittitur remanere, dummodo perpetuam continentiam voveat: si autem conjux remanens sit juvenis, etiam ipse Religionem ingredi debet, *n.* 1. *& tribus seqq.* Ut Professio conjugati in Religione validè fiat, non est necessaria licentia Episcopi, *num.* 5. Ad licitam Professionem conjugati non sufficit, si alter conjux sit adhuc juvenis, & Religionem ingrediatur: sed requiritur, ut Professionem emittat, vel si senex sit, cõtinentiam voveat, & quidem perpetuam: neque sufficit etiam, quòd sit senex: sed requiritur, ut non sit suspectus de periculo incontinentiæ, *nu.* 5 & 6. Non potest uxor, quæ licentiam dedit viro ingrediendi Religionem, si non sit suspecta de incontinentia, cogi ad ingrediendam Religionem: sed satis est, si perpetuum continentiæ votum edat coram Episcopo, *n.* 7. Sed quid si uxor incontinenter postea vivat in sæculo, poteritnè cogi ad ingrediendum Religionem? *num.* 8. Quòd si conjux ingressus Religionem, cum licentia conjugis, ante Professionem exeat, debet redire ad conjugem in sæculo, *n.* 9.

§. II. *An Professio emissa à conjuge, cum licentia alterius conjugis manentis in sæculo, sive cum voto Castitatis, sive etiam sine illo, sit valida?*

Assertio I. Si conjux manens in sæculo emisit votum castitatis, etiamsi sit juvenis, & suspectus de incontinentia, modò cum ejus consensu, alter conjux Religionem ingressus, & professus sit, valida est Professio, *n.* 10. Aff. 2. Etsi conjux manens in sæculo nullum votum castitatis edidit, valida tamen est Professio ingressi Religionem, cum consensu alterius conjugis: quamvis sit illicita, *n.* 11. & 12. Quando vir, qui cum licentia uxoris emisit Professionem, possit revocari ab uxore, vel non, sive voverit continentiam, sive non? *n.* 13. *& duob. seqq.*

§. III. *An Professio mariti, invitâ, vel ignorante uxore, & vice versâ, uxoris, invito vel ignorante marito, post consummatum matrimonium, sit valida, & ad quid obliget?*

Assertio I. Quamvis Professio conjugis, sine consensu alterius conjugis, & multò magis eo invito, & contradicente, post consummatum matrimonium, non valeat, ideóque altero conjuge mortuo, Religionem ingredi non teneatur: non tamen conjux rovens potest petere debitum conjugij, licèt redderetur teneatur, & post mortem alterius conjugis, ad perpetuam continentiam obligetur, *n.* 16. Aff. 2. Si conjux non tantùm sciente, & contradicente altero conjuge: sed etiam illo ignorante Professionem in Religione fecit, invalida est Professio, ita, ut post mortem illius ad Religionem redire non cogatur, *n.* 17. Prædicta declarantur, *num.* 18. *& tribus seqq.* Si uterque conjux Religionem ingrediatur, & profiteatur, non obtentâ mutuâ licentiâ, tum videtur valida utrius-

que

que Professio, ita, ut neuter alterum revocare possit. *num.* 21.

§. IV. *An Professio conjugati facta cum licentia alterius conjugis: sed per metum, aut dolum obtenta, sit valida: & an etiam, si sit facta, altero conjuge sciente: sed tacente ac dissimulante teneat?*

Assertio I. Si licentia Religionem profitendi ab altero conjuge, per metum gravem, & injustum sit extorta, Professio postea secuta, est invalida, & potest is, propriâ auctoritate, iterum exire, *n.* 22. *& seq.* Ass. 2. Si conjux cum licentia alterius conjugis, sed per dolum gravem, & injustum impetratâ, Religionem professus fuit, Professio est irrita, *n.* 24. & 25. Ass. 3. Si conjux, altero conjuge, non expresè consentiente: sed tacente, & dissimulante, Religionem professus sit, ea Professio est invalida: probabilius tamen est, tali casu Professionem viri, per solam mortem uxoris, in vita non revocantis virum, non fieri validam: sed requiri, ut uxore mortuâ, vir per novum consensum Professionem invalidè à se emissam ratificet: ad quod duo sunt necessaria: nempe ut professus sciat priorem Professionem, ob hunc defectum fuisse invalidam: & ut sciat impedimentum matrimonij per mortem conjugis sublatum, *n.* 26. & 27.

§. V. *An, votum simplex continentiæ ab uno conjuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque consensu communi emissum, sit validum, & licitum, & ad quid obliget?*

Assertio I. Si uxor perpetuam continentiam vovit, cum consensu viri, ad tempus tantùm, ita ut ipse perpetuam continentiam non voverit, transacto eo tempore, compelli debet, ad cohabitandum viro, & conjugij debitum reddendum, *n.* 28. & *seq.* Ass. 2. Si uterque conjux, mutuo consensu, perpetuam continentiam voveat, ad illam observandam ambo sunt obligati, ita ut neuter votum revocare possit, *n.* 30.

§. VI. *An si conjuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque, vel alter eorum Religionem profiteatur, possit unus alterum repetere, seu revocare?*

Conjuges possunt, mutuo consensu, continentiam vovere, & renunciare sibi invicem omni juri conjugali, quod unus in alterum habet, salvo tamen manente substantiali vinculo matrimonij, & factâ solùm separatione, quoad torum, & cohabitationem. Nec potest unus alterum repetere: imò etiam alter conjugum, si adhuc sit juvenis, & suspectus de incontinentia, compelli debet, ad ingrediendam Religionem, maximè, si hoc promiserit, *n.* 31. & 32.

§. VII. *An, si unus conjugum adulterium commisit, possit alter conjux innocens licitè transire ad Religionem, vel Ordines sacros suscipere, etiam adultero invito?*

Assertio I. Si uxor recedens à marito suo, alteri adhæreat, & adulteretur, potest maritus innocens Religionem ingredi, & in ea Professionem emittere, invitâ adulterâ, ita ut ab hac revocari nunquam possit. *n.* 33. Ass. 2. Quando viro permissum est, transire ad Religionem, invitâ adulterâ, tum etiam vir innocens, eadem invitâ, Sacros Ordines suscipere potest, nisi aliud obstet: quia vir est bigamus, vel aliàs irregularis, *num.* 34. Requiritur tamen, ut sententia divortij præcesserit, vel adulterium publicum sit, & notorium, ut conjux innocens possit deserere, propriâ auctoritate, adulteram, sine metu restitutionis, *n.* 35. Si conjux innocens statum non mutavit, non potest adulter, sine ipsius licentia profiteri Religionem, sive sacrum Ordinem suscipere, etiamsi institutum sit divortium; potest tamen adulter, cum licentia innocentis, ingredi Religionem, vel Sacros Ordines suscipere, etiam post divortium, *cit. nu.* 35. Etsi maritus, qui se ab uxore adultera separavit, non teneatur illam etiam emendatam recipere: laudabiliter tamen facit, si recipiat, & ab Episcopo de hoc monendus est: sed ad id compelli non potest: quòd si recipere adulteram nolit, ea in Monasterium includi debet, ad agendam ibi perpetuam pœnitentiam, *num.* 36. Potest tamen, hoc casu, adulter Religionem ingredi, ac profiteri, vel etiam Ordines sacros recipere, neque postea ab innocente conjuge revocari potest, *num.* 37.

§. VIII. *An propter adulterium spirituale, videlicet apostasiam à Fide, sive hæresin, in quam unus conjugum lapsus est, possit alter conjux, non tantùm se ab illo separare: sed etiam, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel Sacros Ordines sucipere?*

Assertio I. Si unus conjugum Infidelis, aut Hæreticus notoriè factus sit, potest alter in Fide persistens, etiam, propriâ auctoritate, se ab eo separare, si pertinax sit, aut resipiscere nolit: imò ad id obligatur, si ex cohabitatione periculum perversionis immineat, *n.* 38. Ass. 2. Si conjux in infidelitatem, aut hæresim lapsus, per legitimam sententiam hæreticus est declaratus, ideóque alter conjux fidelis, ab eo separatus sit, potest hic, etsi alter conjux ad Fidem Catholicam redeat, eo invito, Religionem ingredi, & in ea profiteri, *num.* 39. Ass. 3. Si uxor hæretica per Ecclesiæ judicium condemnata sit, potest vir Catholicus, non tantuùm Religionem ingredi: sed etiam SS. Ordines suscipere, invitâ conjuge hæretica, *nu.* 40. An, & quando teneatur conjux Catholicus conjugem hæreticam, sed resipiscentem, & ab hæresi revertentem, recipere, & an ad id compelli debeat, vel non? *n.* 41. An, ut conjux fidelis licitè transire possit ad Religionem, requiratur, ut hæreticus reversus ad Fidem, etiam ad Religionem transeat, vel votum continentiæ edat in sæculo? *n.* 42. An si unus conjugum ob hæresim sit damnatus, alter verò conjux adulterium comiserit, delictum compensari possit cum delicto, ideóque adulter compellendus sit, ad recipiendum conjugem ad Fidem reversum? *n.* 43.

§. IX. *An, & quo jure dissolvatur matrimonium ratum per Professionem?*

Assertio I. Matrimonium ratum, sive per verba de præsenti contractum: sed non consummatum dissolvitur, quoad vinculum, per solennem Professionem in Religione approbata, etiam altero conjuge invito, *nu.* 44. Ass. 2. Probabilius est, matrimonium ratum solvi per soleñem Professionem, jure solùm Ecclesiastico: sed antiquissimo à temporibus Apostolorum introducto, *num.* 45. Hinc infertur 1. Quòd per solennem Professionem Religionis tantùm, non verò per propositum, vel etiam votum sim-

simplex perpetuæ continentiæ dissolvatur matrimonium ratum, & non consummatum, *num.* 46. 2. Matrimonium, etsi dirimatur per solennem Professionem trium, vel quatuor votorum in Societate Jesu: non tamen per vota Coadjutorum formatorum in eadem; quippe quæ publica sunt, sed non solennia: & multò minùs dirimitur matrimonium ratum præcedens per vota simplicia Scholasticorum, vel Coadjutorum temporalium non formatorum, *num.* 47. 3. Per Professionem Ordinum Militarium dirimitur quoque matrimonium ratum, & non consummatum, *n.* 48.

§. X. *Intra quod tempus, licitum sit sponsis de præsenti, ante matrimonium consummatum, ingredi Religionem?*

Assertio unica: Sponsus, vel Sponsa per verba de præsenti, ante consummatum matrimonium, si velit ingredi Religionem, debet cautionem præstare, quòd intra duos menses, vel intrabit Religionem, vel redibit ad conjugem, eique adhærebit, *n.* 49. Si post contractum matrimonium de præsenti, unus conjugum alteri cohabitare, vel conjugij debitum reddere nolit, potest per excommunicationem ad id compelli, *nu.* 50. Probabilius est, quòd hoc tempus bimestre detur conjugi, ad deliberandum de Religionis ingressu, & non ad profitendum: sed annus integer ei concedi debet ad probationem, etiam secundùm Jus antiquum, quo durante, revocari non potest ab altero conjuge, *num.* 51. Alij distinguunt inter Ordines Mendicantium, & non Mendicantium. Sed hodie post Concil. Trident. in quacúnque Religione, nulla est Professio, facta ante annum probationis expletum, cui ampliùs renunciari non potest, *cit. num.* 51. Quænam præterea circa hoc tempus notanda sunt? *n.* 52. Etiam post transactum bimestre, vel tempus à Judice præscriptum ad consummandum matrimonium, potest uterque conjux, si matrimonium consummatum non sit, Religionem ingredi, *n* 54.

§. XI. *An Sponsa de præsenti possit Religionem ingredi, si à Sponso sit carnaliter cognita per copulam violenter extortam?*

Assertio I. Si Sponsa de præsenti à Sponso carnaliter sit cognita per vim ei illatam, post elapsum bimestre, vel aliud tempus arbitrarium, præscriptum conjugi, volenti ingredi Religionem, ad deliberandũ de ingressu ejusdem, tum non potest postea ingredi Religionem, *num.* 55. Ass. 2. Probabilius est, quòd Sponsa per vim oppressa, & carnaliter cognita à Sponso, ante elapsum tempus bimestre, vel aliud arbitrarium, vel si ipsa jam ingressa est Religionem, adhuc tamen intra annum probationis, possit ingredi Religionem, vel jam ingressa emittere Professionem, etiam invito Sponso, *n.* 56. Idémque est, si Sponsa de præsenti per gravem metum sit violata à Sponso, *num.* 57.

§. XII. *An, & quâ ratione conjugatus possit, vel non possit Ordines suscipere, vel etiam ad Episcopatum assumi?*

Assertio I. Conjugatus non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi uxor licentiam ei dederit, & continentiam voverit: imò neque ad minores Ordines promoveri potest, *num.* 58. Ut autem hic Ordines suscipere possit, præter licentiam uxoris, requiritur, ut illa in sæculo maneat, & perpetuam castitatem voveat, si senex sit, & extra periculum incontinentiæ: si verò sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem profiteri debet, *num.* 59. Assert. 2. Per susceptionem Ordinis Sacri impeditur matrimonium contrahendum, & dirimitur etiam matrimonium contractum, post susceptionem Ordinis Sacri: non tamen dissolvitur matrimonium contractum per legitimum viri, & mulieris consensum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, *num.* 60. Si vir ab Ordines Sacros est promotus, sine licentia uxoris, potest illa revocare virum: non tamen potest, si vir Sacris Ordinibus sit initiatus, invitâ, & ignorante uxore, post mortem illius aliud matrimonium inire, *n.* 61. Nec potest, si vir cum uxoris spontanea licentia, Sacros Ordines susceperit, ab illa revocari ad consortium conjugale. Sed neque si cum licentia spontanea uxoris, Ordines Sacros susceperit, potest uxor, eo mortuo, validè aliud matrimonium inire: secus, si uxore contradicente, veligorante Sacrum Ordinem susceperit, tum enim ipsa potest, eo mortuo, aliud matrimonium inire, *nu.* 62. Ass. 3. Conjugatus non potest ordinari Episcopus, nisi uxor ejus priùs Professionem in Religione emittat, assumpto Sacro Velamine, *n.* 63.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. n. 1.
c. 2. n. 44.
c. 3. n. 16.
c. 4. n. 2.
c. 5. n. 58. & seq.
c. 6. n. 63.
c. 7. n. 46. & tribus seqq.
c. 8. n. 3.
c. 9. n. 11. & seq.
c. 10. n. 26. & seq.
c. 11. n. 28. & seq.
c. 12. num. 17. & quatuor seqq.
c. 13. n. 4. & duab. seqq.
c. 14. n. 46.
c. 15. n. 33.
c. 16. n. 24. & seq.
c. 17. n. 22. & seq.
c. 18. n. 7. & seq.
c. 19. n. 36. & seq.
c. 20. n. 31. & seq.
c. 21. & ult. n. 39. & seq.

TITVLVS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Assertio I. Si viri infideles occidant maritos uxorũ Fidelium, seu Christianorum, machinationibus, seu insidijs, tum viri illi non possunt illas mulieres in uxores postea ducere, etiamsi illi, qui maritos Christianarum mulierum occiderunt, postea operâ dictarum mulierum ad Fidem conversi sint: secus si viri infideles in bello occiderunt Christianos maritos, & hi vicissim infideles viros, ita tamen, ut mulieres, sive uxores illorum non procuraverint necem marirorum, tum enim non prohibentur contrahere matrimonium cum infidelibus viris, qui maritos earum occiderunt, *num.* 1. Id verò non solùm locum habet in maritis infidelibus; sed etiam fidelibus; nam si Christianus occidat maritum alicujus, non potest ducere in matrimonium ejus uxorem, si & ipsa mortis mariti cooperata sit: secus si non sit cooperata, *n.* 2. Quænam requirantur ad incurrendum hoc impedimentum dirimens matrimonium? *n.* 3, & 4. Ass. 2. Si unus infidelium conjugum convertatur ad Fidem, altero remanente in infidelitate, communis proles asignanda est parenti converso, *n.* 5. Filij nati ex uno parente Christiano, sive patre, sive matre, altero verò infideli, possunt baptizari, volente parente Christiano,

no, etsi alter infidelis reclamet, *n.* 6. Si unus parẽs fidelis est, alter verò infidelis, tũc infans, etsi trieñio minor sit, tradi debet, educandus patri fideli, & quãvis sit major triennio, matri fideli, idque ob favorem Fidei, *n.* 7.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 1. *c.* 2. *n.* 5. *& duob. seqq.*

TITULUS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

§. I. *De voto in genere, & præcipua ejus divisione in solenne, & simplex.*

ASSERTIO I. Votum communiter definitur, promissio de opere meliore DEO deliberatè facta: & quomodo differat à simplici proposito? *nu.* 1. Unde qui proponit in animo, fieri Religiosus, & dicit, non morabor diu in sæculo, non censetur vovisse, *cit. n.* 1. Ass. 2. Votum solenne est, quod ab Ecclesia, ut tale acceptatur, & voventem inhabilem reddit in perpetuum, & immutabiliter, de lege ordinaria, ad contrahendum matrimonium, & ad dominia rerum acquirenda, vel retinenda, qualia vota solennia tantùm sunt duo, in ordine ad dirimendum matrimonium subsequens, nempe votum Religiosæ Professionis, & votum continentiæ, quod majoribus, seu Sacris Ordinibus est annexum. Reliqua verò vota omnia dicuntur simplicia, quæ ab Ecclesia non acceperunt vim, matrimonium subsequens dirimendi, nec reddunt inhabilem, ad dominium bonorum acquirendum, vel retinendum, *num.* 2. & 3. An, & quænam vota simplicia habent vim dirimendi matrimonium subsequens? *nu.* 4. Vorum solenne, & simplex non distinguuntur inter se essentialiter: sed tantùm accidentaliter, seu extrinsecè ex sola Ecclesiæ constitutione, *nu.* 5. Item vota solennia sunt ex utraque parte, tam ex parte voventis, quàm ex parte Religionis, vel Ecclesiæ acceptantis perpetua, & viâ ordinariâ indissolubilia: at verò vota simplicia non acceptantur, ut solennia, & ex parte Religionis, vel Ecclesiæ, viâ ordinariâ, dissolvi possunt, *n.* 6.

§. II. *Utrùm, & quando votum obliget, & impleri debeat: & an etiam interveniente impedimento?*

ASSERTIO I. Quamvis ab initio liberum sit, cuique vovere, vel non, post votum verò factum necessariò implendum est, *n.* 7. Ass. 2. Votum absolutè, & nullo præfixo certo tempore editum, statim obligat, & impleri debet, cùm commodè potest, *n.* 8. Ass. 3. Ex justa tamen causa, potest differri voti executio: & quænam sit justa causa differendi executionem voti, quod caret certo tempore, *num.* 9. Ass. 4. Si impedimentum occurrat, per quod difficilis redditur voti executio, tum vel temporale est; & votum differri debet, donec comodè executioni mandari possit: vel impedimentum est perpetuum, & votum redimendum est, seu commutandum, aut in eo dispensandum, *nu.* 10. Ut in voto peregrinationis ad Terram sanctam, quod declaratur, *n.* 11.

§. III. *An, & qualiter hæres teneatur implere, & exequi vota defuncti, quæ ipse non implevit?*

ASSERTIO I. Vota personalia defuncti non tenetur hæres exequi: tenetur tamen realia, imò, & mixta, id est, partim realia, partim personalia, si id, quod est in voto reale, sit separabile ab eo, quod est personale, & independenter ab eo promissum: sed nonnisi juxta vires hæreditatis aditæ, & salvâ legitimâ liberis debitâ, quæ votis, aut legatis gravari non potest, *n.* 12. Ass. 2. Si hæres jussa, seu vota realia defuncti ab eodem hærede acceptata, monitus à Judice, intra annum, exequi intermittat, omni commodo hæreditatio, quod à defuncto consequi posset, est privandus, *n.* 13. Idque declaratur, *nu.* 14. *& quatuor seqq.*

§. IV. *An ille, qui vovit ingredi Religionem, & postea non impleto voto, Episcopatum acceptat, possit licitè, ante votum impletum, Episcopatum suscipere?*

Is, qui vovet Religionem, & postea non impleto voto, Episcopatum suscipit, transgressor est voti, & tenetur renunciare Episcopatui, & ad Religionem se transferre, ut votum impleat, *num.* 18. Idque declaratur, *nu.* 19. *&* 20. Is, qui vovit Religionem ingredi, & postea ad Episcopatum est assumptus, obligatus est in conscientia, ad resignandum Episcopatum, si electus tantùm est, & electionem de se factam acceptavit: & tunc liberè potest renunciare Episcopatui, etiã sine consensu Papę: si verò non tantùm electus: sed etiam cõfirmatus fuit, tenetur licentiam trãseundi ad Religionem petere à Papa, sine cujus dispensatione non potest ad Religionem transire, *n.* 21.

§. V. *Quis vota commutare, & in ijs dispensare possit, & quæ vota, & qualiter commutari possint?*

ASSERTIO I. Episcopus, vel alius Prælatus Episcopali iurisdictione præditus potest vota redimere, seu commutare, vel in ijs dispensare, ex justa causa; quin, & alij possunt dispensare in votis, vel ea commutare ex delegatione, vel privilegio Papæ, *nu.* 22. An Archiepiscopus possit dispensare in votis suorum Suffraganeorum? Probabile est, posse, etsi non possit cum subditis eorundem, saltem extra tempus visitationis, *nu.* 23. Ass. 2. Si opus, in quo commutatio fieri petitur, sit evidenter melius, Deóque gratius, non requiritur Superioris auctoritas: sed ab ipso vovente, id commutari potest, *nu.* 24. Ass. 3. Omnia vota commutari possunt, etiam in opus evidenter æquale, sive æquè bonum, saltem cum auctoritate Superioris: non autem propriâ auctoritate voventis: quamvis contrarium etiam sit probabile, *n.* 25. Quænam vota non possunt commutari in opus etiam evidenter melius? *n.* 26. Ass. 4. Omnia vota edita, etiam reservata S. Pontifici, per Professionem solennem in Religione, ipso jure Ecclesiastico, naturali, ac Divino in melius, Deóque gratius obsequium commutantur, & omnino extinguuntur, *nu.* 27. Idque extenditur 1. Sive vota emissa sint adhuc in Sæculo, sive tempore Novitiatûs. 2. Sive sint vota personalia, sive realia: dummodo non sint edita in favorem Ecclesiæ, vel etiam hominis privati. 3. Item vota emissa à transeunte ad Religionem strictiorem. 4. Etiam ad vota perpetua, *nu.* 28. An hunc effectum etiam habeant vota simplicia Scholasticorum Societatis, emissa post biennium Novitiatûs? *nu.* 29. Ass. 5. Vota quoque puerorum, seu impuberum commutatione, vel dispensatione indigent, *nu.* 30. Votum ab impubere editum est validum, & obligat: modò usum rationis habeat, quamvis facilè possit relaxari, *n.* 31.

§. VI. *An, & quâ ratione commutari possit votum peregrinationis Jerosolymitanæ, & à quo relaxari debeat?*

Quomodo commutetur votum profectionis ad Terram sanctam? *n.* 33. Non potest Episcopus vovere longam peregrinationem, nisi cum hac tacita conditione, si S. Pontifex licentiam dederit, ad quam petendam, vi voti sui, est obligatus, *n.* 34. Votum mixtum, sive partim personale, partim reale, quale est peregrinationis, rectè commutatur in alia opera, personalia, vel realia, *n.* 35. Cessante causâ finali, principali, & intrinsecâ, cessat etiam obligatio voti, *nu. eod.* Quæ sit causa finalis principalis cujuscunque voti? *n.* 36. Commutatio, aut relaxatio voti peregrinationis in Terram sanctam, spectat ad solum Papam, vel ad illos, quibus ea à Papa specialiter est commissa, *num.* 37. Prædictum votum non debet commutari, si vovens est habilis ad eundum, etsi inhabilis ad pugnandum, si suo consilio potest prodesse exercitui, vel secum ducere bellatores, *num.* 38. Viri, etiam sine consensu uxorum, edere possunt votum peregrinationis in subsidium Terræ sanctæ, *num.* 39. Cùm Clerici censeantur inhabiles ad pugnandum, ideo magis expedit, ut votum peregrinationis in Terram sanctam redimant, quàm ut ad illud exequendum cogantur: nisi consilio, vel officio prædicationis prodesse, vel secum bellatores adducere possint, *nu.* 40. Prælati Regulares olim tenebantur solvere vigesimam partem reddituum, in subsidium Terræ sanctæ, eámq; secum adferre, si Ecclesiæ eorum ob absentiam graviter non læderentur, & ipsi erant utiles consilio, vel officio prædicationis: imò tenebantur implere, si votum hoc ediderunt, *n.* 41. Hodie verò, neque Prælati Sæculares, neque Regulares, possunt tale votum edere, sine licentia Papæ, vel Episcopi sui, *n.* 42.

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 12.
c. 2. *n.* 30. *& duob. seqq.*
c. 3. *n.* 1.
c. 4. *n.* 27. *& seq.*
c. 5. *n.* 9.
c. 6. *num.* 13. *& quatuor seqq.*
c. 7. *n.* 33. *& duob. seqq.*
c. 8. *n.* 10. *& seq.*
c. 9. *n.* 37. *& trib. seqq.*
c. 10. *n.* 18. *& trib. seqq.*
c. 11. *& ult. num.* 41 *& seq.*

IN SEXTO.

c. unic. num. 2. *& quinque seqq.*

TITULUS. XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM Regularium.

§. I. *Quænam Jure communi Canonico statuta sunt circa Monachos, & Canonicos Regulares?*

Inprimis Monachi, aliique Regulares Jure communi Canonico, seclusis exemptionis privilegijs, subjecti sunt Episcopis, ad quos correctio disciplinæ spectat. Unde Episcopus non debet gravare Monasteria, nisi causâ disciplinæ, & correctionis: nec debet ea, quæ Monachis oblata sunt à fidelibus, sibi vendicare, *n.* 1. Quamvis Monasteria Episcopo subjecta, sint exempta à Lege Diœcesana, non tamen à Lege jurisdictionis Episcopi, nisi speciale privilegium habeant: imò neque à Lege Diœcesana, si habeant Capellas sibi incorporatas, *n.* 2. Quænam præterea statuta sunt circa Monachos? *nu.* 3. Non potest aliquid accipi pro susceptione ad probationem, vel professionem: quamvis aliquid accipi, vel exigi possit pro sustentatione personæ, si Monasterium sit inops, & Regula Ordinis id permittat, vel consuetudo, *nu.* 4. Monachi, & alij Religiosi non possunt habere peculium, sive proprium patrimonium, de quo disponere possint, sine dependentia à Superiore: possunt tamen habere peculium latè sumptũ, quoad administrationem, & usum facti dependentem à voluntate Superioris, & ab eo revocabilem, *nu.* 5. An concedi possint bona stabilia simpliciReligioso à Superiore ad administrationem, seu usum, ab ipsius voluntate dependentem, & revocabilem, post Concil. Trident. *nu.* 6. Monachi non debent soli, sine Socijs habitare in Parochialibus Ecclesiis, *n.* 7. Priores Conventuales, qui per electionem Capituli constituuntur, non possunt amoveri, sine justa causa, *n. eod.* Quid præterea statutum sit circa Monachos de vestibus eorum, item de paupertate, de silentio servando, de cibis, & abstinentia à carnibus? *n.* 8. Quibus administrationes, & officia committenda sunt, & quales esse debeant, & an possint ad votum Prælati revocari? *nu.* 9. Qualis debeat esse Prior claustralis? *nu.* 10. An, & quâ ratione Abbas possit dispensare, cum Monacho super habenda proprietate? *cit. num.* 10. Religiosus proprietarius, post mortem sepeliendus est extra Monasterium, imò etiam ex ipsa Ecclesia projici debet *cit. n.* 8. *& 11.*

§. II. *Quænam præterea Jure Canonico statuta sunt circa Monachos, & Canonicos Regulares, vel alios etiam Religiosos?*

Cistercienses, qui declinaverunt à primæva institutione, debent ad illam redire: & qui illis adhæserunt, eorum modo, vivere tenentur, *nu.* 12, & 13. Si disciplina collapsa sit in aliqua Religione, possunt Superiores reformationem instituere, *nu.* 14. Privilegium concessum Religiosis, ob specialem rationem v. g. ob strictam vitam illorum, si ab eo vitæ instituto recedant, amittitur, *n.* 15. Potest totus Conventus, aut Monasterium se transferre ad arctiorem Ordinem, saltem cum licentia Ordinarij, *n. eod.* Canonici Regulares in Ecclesijs Parochialibus, seu Curtis præfici possunt, *nu.* 16. Olim poterant Monachi Parochijs, & animarum curæ præfici, si id Ecclesiæ necessitas, aut utilitas postularet: postea verò hoc immutatum fuit, quoad Monachos: non autem quoad Canonicos Regulares. Verùm Jure novo nec Monachi, nec Canonici Regulares, nec alij Religiosi ad Ecclesias parochiales, vel alias curatas sæculares, nisi Monasterijs sint unitæ, sine Papæ dispensatione assumi possunt, nec in perpetuum, nec ad tempus, *n.* 18. Interdicitur etiam Monachis nigris superfluus ornatus, cultus vestium, & excessus in cibis, & potibus, equis, & lectis, & præscribitur modus, ac forma habitum Monasticum deferendi. 2. Præcipitur, ut singulis mensibus, saltem semel confiteantur, & in prima Dominica communicent. 3. Ut vulgari sermone Regula in Capitulo exponatur. 4. Prohibentur Monachis aucupia, & venationes, & ne eis intersint, nec aves, aut canes venaticos habeant intra Monasterium: & hęc habent locum etiam in Canonicis Regularibus, & alijs Religiosis, *num.* 19. Quam pœnam incurrunt Monachi nigri, non utentes habitu, & vestitu, juxta formam præscriptam? *num. eod.* Item quam pœnam Monachi, aut Canonici Regulares administrationem non habentes, qui se conferunt ad Curias Principum, animo nocendi suis Prælatis, & Monasterijs? *cit. nu.* 19. Et Monachi, qui intra septa Monasterij, arma tenent, sine licentia Abbatum suorum? *n. eod.* Prohibe-

hibetur etiam, ne Monachi singuli in suis Prioratibus habitare præsumant, *n.* 20. Prioratus Conventualis non est alicui conferendus, nisi 25. annum attigerit, & debent intra annum Presbyteri fieri, & expresse Religionem esse professi. *n. eod.* Denique statuitur, ut singuli Monachi, ad monitionem Abbatis, omnes Ordines suscipiant: nisi legitimam excusationem habeant, & in singulis Monasterijs constituatur Magister, qui eos in primitivis scientijs instruat, *cit. n.* 20.

§. III. *De Concilijs, sive Capitulis Provincialibus Regularium celebrandis, singulis triennijs, eorúmque correctione, ac visitatione.*

Inprimis statuitur, ut in singulis Provincijs Concilia, seu Capitula, quolibet triennio celebrentur, salvo jure Diœcesanorum, quoad correctiones, visitationes, & procurationes, *nu.* 21. Quomodo celebrari debeant hujusmodi Concilia triennalia, & quæ in illis observanda sint? *cit. num.* 21. *& duobus seqq.* Et quid noviſſimè circa hoc statutum sit à Concilio Tridentino? *n.* 24. Quænam decreta sunt circa visitationem, & correctionem in Capitulis Provincialibus, de his agitur, *num.* 25. *& duobus seqq.*

§. IV. *De receptione Monialium, & benedictione, seu consecratione illarum.*

Quær. 1. Quid Jure Canonico statutum sit circa receptionem Monialium? Resp. In Monasterijs Ordinum non Mendicantium, non debent plures Moniales recipi, quàm sine penuria possint sustentari, aliàs receptio irrita est, *nu.* 28. Quid circa hoc decretum sit à Concilio Tridentino? *n.* 29. Quær. secundò. Quid Jure Canonico statutum sit de benedictione, seu consecratione Monialium, & Abbatissarum? Resp. Abbatissæ, quæ solent benedici, intra annum à tempore confirmationis computandum, benedictionem suscipere debent: nisi causa rationabilis excuset, alioquin jure suo excidũt, & provisio per illos faciẽda est, ad quos de jure pertinet, videlicet ad Collegia, seu Capitula, *n.* 30. Resp. 2. In benedictione, seu consecratione Monialiũ illis velum dari solet: quod multiplex est, primum est velum nigrum Professionis, quod datur omnibus Professis, sive virgines sint, sive viduæ: secundum est velum consecrationis, quod solis Virginibus imponitur, *n.* 31. Sunt & alia vela, quæ dantur Monialibus, quæ enumerantur, *cit. n.* 31.

§. V. *De Clausura Monialium.*

Quær. 1. Quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium, quoad egressum illarum ex Monasterijs? Præcipitur Monialibus omnibus, sive expresse, sive tacitè sint professæ, ne è Monasterijs egrediantur: nisi evidenter constet, eas laborare tam gravi, & periculoso morbo, ut non possint cum alijs commorari; quam Constitutionem renovavit Concilium Tridentinum, *n.* 32. An comprehendantur sub hoc statuto etiam Moniales Conversæ, vel Novitiæ? *n.* 33. Quær. 2. Quænam sint justæ causæ, ob quas licentia concedi potest Monialibus, egrediendi ex claustro? Resp. Probabilius est, quòd non tantùm ob causam jure expressam, scilicet, si Monialis laboret morbo contagioso, seu periculoso alijs: sed etiam ob morbum sibi soli periculosum exire possit è claustro, *nu.* 34. Præter causam infirmitatis jure expressam, alia causa exeundi è claustro, est magnum, seu periculosum incendium, *num.* 35. Sunt & aliæ justæ causæ, ob quas licet Monialibus exire è claustro, *cit. n.* 35. Præterea Abbatissæ, vel Priorissæ, quæ ratione Feudi obligantur præstare juramentum fidelitatis alicui Domino sæculari, si per Procuratorem id præstare nequeãt, possunt cũ honesto comitatu exire, modò præstito juramento, statim revertantur, *n.* 36. Episcopi verò, si opus sit, per censuras compellant Dominos sæculares, ut in suis Tribunalibus causæ Monialium tractentur per Procuratores, *cit. num.* 36. Quær. 3. Ad quem pertineat, dare licentiam Monialibus exeundi è claustro? Resp. Episcopus, vel alius Ordinarius loci, qui in eo Episcopalem quasi jurisdictionem habet, potest eam dare, etsi Monasteria Monialium alioquin sint exempta, in Ecclesiis tamen exemptis, etiam necessaria est licentia Prælati Ordinis, *num.* 37. Ordinarij locorum in subjectis Monasterijs propriâ: in exemptis, Apostolicâ auctoritate, clausuram procurare debent, neque ideo in alijs casibus jurisdictio illis est concessa, *n.* 38. Quær. 4. Quæ pœnæ sint decretæ in Moniales, violantes clausuram, iísque cooperantes, vel faventes? Resp. duplex, nempe excommunicationis, & privationis Dignitatum, & Officiorum obtentorum, & inhabilitas ad illa, & alia obtinenda, *n.* 39.

§. VI. *Quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium, quoad ingressum aliarum personarum in earum Monasteria?*

Nulli dari debet facultas ingrediendi Monialium Monasteria, nisi ex rationabili, & manifesta causa, & de speciali licentia Superioris, ad quem spectat: quod Decretum innovavit Concil. Trident. *n.* 4. Non prohibetur ingressus pueris, & puellis, qui necdum usum rationis habent. Quales mulieres sæculares recipi possint in Monasteria, vel non possint, ut ibi habitent? *num.* 41. Quis locus hic dicatur, & comprehendatur nomine clausuræ, *n.* 42. Qualis causa esse debeat, ob quam ingressus in Monasteria Monialium conceditur, & quibus personis dari possit? *cit. nu.* 42. Quis hanc licentiam ingrediendi Monasteria Monialium concedere possit? *n.* 43. Ea autem debet esse specialis, & in scriptis obtenta, *n. eod.* An, non tantùm ingressus, sed etiam accessus prohibitus sit ad Monasteria Monialium? *n.* 44. Non ita vicissim gravitet prohibitus est ingressus mulierum in Monasteria virorum, sicut prohibitus est ingressus virorum, in Monasteria Monialium, *n.* 45.

§. VII. *Quid Jure Canonico statutum sit circa visitationem Monialium?*

Monialium Monasteria non exempta ab Episcopis, potestate ordinariâ: exempta verò auctoritate Apostolicâ delegatâ: alia verò exempta, quæ subsunt Prælatis Ordinum exemptorum, per illos, singulis annis visitari, debent, & reformari, *num.* 46. Similiter mulieres illæ, quæ vulgò Canonicæ sæculares dicuntur, non exemptæ, per locorum Ordinarios, propriâ, vel ordinariâ: exemptæ verò Apostolicâ auctoritate delegatâ visitentur, *n.* 47. Quis numerus personarum præscriptus sit, quas Visitatores Monialium secum ducere possunt? *cit. num.* 47. Et quæ sit pœna eorum, qui Visitatores in officio suo impedire præsumunt? *n. eod.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1. *& 2.*
c. 2. *n.* 3. *& quatuor seqq.*
c. 3. *n.* 12. *& trib. seqq.*
c. 4. *n.* 11.

c. 5. n. 16. & duob. seqq.
c. 6. n. 8. & duob. seqq.
c. 7. n. 21. & duob. seqq.
c. 8. & ult. n. 25. & duob. seqq.

In Sexto.

c. unic. in princ. n. 32. 33. & 34. & 40. §. Sanè; nu. 28. §. Verum; & §. Porrò; n. 36. & §. ult. n. 38.

In Clementinis.

Clem. 1. n. 19. & 20.
Clement. 2. n. 40. & seq.

TITVLVS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO sint subjectæ.

Quænam dicantur propriè Domus Religiosæ? *num.* 1.

§. I. *Cuinam, spectato Jure Communi, Ecclesiæ, & Monasteria, sint subjecta?*

Assertio I. Omnes Ecclesiæ parochiales, eisque annexæ Capellæ, subjectæ sunt Episcopo, in cujus Diœcesi sunt sitæ. Unde, si Episcopus dicat, aliquam Ecclesiam in spiritualibus, & temporalibus ad se pertinere, si probet, illam esse in sua Diœcesi, eo ipso obinet in spiritualibus: nisi constet, vel probetur illam esse exemptam: non autem in temporalibus, nisi probet etiam, illa ad se pertinere, quod non potest probari per instrumentum, publicam rasuram habens, in loco suspecto, *n.* 2. & 3. Ass. 2. Sicut Ecclesiæ sæculares, ita, & Ecclesiæ, ac Monasteria Religiosorum, Episcopo, in cujus Diœcesi sita sunt, subjecta sunt: nisi legitimè probetur, illa per privilegium, vel præscriptionem ab ejus jurisdictione esse exempta, *num.* 4. Censuræ latæ post appellationem, contra appellantem, sunt ipso jure irritæ; item excommunicatio lata contra exemptum, est ipso jure nulla, licèt ipse non appellaverit, *n.* 5. Ass. 3. Ecclesia sita in Diœcesi Episcopi, est eidem subjecta, & tenetur præstare omnia jura Episcopalia, etiamsi ea à quibuscúnq; Religiosis possideatur jure incorporationis, & patronatûs, *nu.* 6. Potest Episcopus Ecclesiæ intra suam Diœcesim sitæ privilegium exemptionis ab omnibus juribus Episcopalibus concedere, saltem si Papa ex certa scientia id confirmet. Item potest Episcopus, quando alicui exemptionem à juribus Episcopalibus, vel jurisdictionem Ecclesiasticam concedit, pensionem aliquam, sive censum annum sibi reservare, in signum præteritæ subjectionis, & recognitionem beneficij accepti, *n.* 7. Notanda differentia inter contractum censualem, & emphyteusin, *n.* 8. Ass. 4. Si dubitetur de aliqua Ecclesia, in cujus Diœcesi sita sit, tum ea subjecta est illi Episcopo, qui antequam ibi illa ædificaretur, in incolas illius loci jura Episcopalia exercuit, vel Sacramenta contulit, præsertim Baptismum, & Confirmationem. *num* 9 Exeo, quòd constet, vel probetur, Episcopum in certo loco exercuisse jurisdictionem Episcopalem, conferendo v. g. duo Sacramenta Baptismi, & Confirmationis, acquisivit possessionem omnium jurium Episcopalium in eodem loco, *nu.* 10. Utrùm ex terminis, seu limitibus territorij temporalis possit determinari, quòd Ecclesia pertineat ad hujus, vel illius Episcopi jurisdictionem spiritualem? *cit. n.* 10.

§. II. *Cui Episcopo sit subjecta Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis?*

Quando una Ecclesia, vel Monasterium unitur Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis, tunc manet subjectum Episcopo prioris Diœcesis, in quo Monasterium est situm; quia unio censetur facta, sine præjudicio illius, *n.* 11. Si Monasterium penitus sit desertum, quia omnes Religiosi mortui sunt, & accessoriè uniatur Monasterio alterius Diœcesis, tunc Monasterio principali acquiruntur omnes res, jura, & actiones Monasterij uniti, ita, ut Prælatus Monasterij majoris, seu principalis, sit etiam Prælatus minoris, seu uniti, in quo Priorem, seu Vicarium constituere debet, qui Prælato superiori est subjectus, & ad eundem Prælatum superiorem spectat, etiam confirmare Vicarium: non verò ad Episcopum, sive majoris Monasterij, sive minoris, *n.* 12. & 13. Fit tamen hoc casu, Monasterium, vel Ecclesia, cui incorporatio, sive unio facta est, subjectum jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi Monasterium unitum situm est; sed respectivè tantùm in ijs, quæ pertinent ad illud Monasterium, *cit. n.* 13.

§. III. *An Ecclesiæ Regulares possint mutari in Sæculares, sive Monasteria in Collegia Clericorum Sæcularium?*

Monasteria, quamdiu per Regulares regi, & ordinari possunt, non debent ad Clericos Sæculares transferri: nisi in defectum Religiosorum, *num.* 14. Qualis ordo servandus sit in reformatione alicujus Monasterij? *n.* 15. An vicissim ob defectum Sæcularium Clericorum, ex Ecclesia Sæculari fieri possit Monasterium, vel alia Ecclesia Regularis? *n. eod.*

§. IV. *De Xenodochijs, seu Hospitalibus, & similibus pijs locis.*

Quær. 1. An Hospitalia sint Beneficia, & in titulum conferri possint? Resp. non sunt Beneficia, etiamsi Capellas annexas habeant, vel Decimas, aut alia jura spiritualia: nisi Hospitalia essent accessoriè unita alicui Ecclesiæ, seu Beneficio, *n.* 16. Unde non possunt etiam in titulum Beneficij conferri regulariter, *n. eod.* Quær. 2. Quinam possint constitui Rectores Hospitalium, & ad quid ratione officij sui obligentur? Respond. Religiosi non possunt esse Rectores Hospitalium, exceptis certis casibus: at verò Clerici Sæculares, imò etiam Laici possunt illis præfici, *n.* 17. Quænam ad Officium eorum, quibus administratio Hospitalium committitur, pertinent? *n.* 18. Quær. 3. An, & qui ratione Hospitalia, & alia loca pia subjaceantur curæ, & jurisdictioni Episcopi? Respond. Xenodochia, seu Hospitalia, quæ Episcopi auctoritate sunt erecta, & alia similia loca pia, & religiosa subsunt jurisdictioni Episcopi, in cujus Diœcesi sita sunt, qui curare debet, ut ad eos fines, seu usus pios applicentur, ad quos à fidelibus sunt fundata, ac destinata: nisi ex privilegio, statuto, vel consuetudine legitimè præscriptâ ad alios id pertinere, probetur, *num.* 19. Alia sunt Hospitalia non Ecclesiastica, seu Religiosa, sed profana, ac sæcularia, sine Episcopi auctoritate, erecta à Dominis sæcularibus, quæ eorum curæ, ac dispositioni subsunt, *n.* 20. Hospitale pium, seu religiosum, quod Episcopi auctoritate est erectum, non potest in profanos usus converti: sicut potest Hospitale, privatâ solùm auctoritate, constructum, ad alium etiam profanum usum converti, *n.* 21. Similiter utensilia Ecclesiæ constructæ, ac dirutæ, mappæ altaris &c. ad usum profanum ampliùs adhiberi non debent: neque Episcopia, aut Monasteria in habitacula sæcularium, vel domos privatas eorum converti possunt, *n.* 22. Item Ordinarij locorum, seu Diœcesani curare debent, ut Hospitalia secundùm eorum fundationes reformentur, & qua-

quæ sunt indebitè alienata, occupata, vel perdita ad debitum statum reducantur, ipsósque Rectores Hospitalium, si negligentes sint, in suo officio, ad debitam administrationem compellere debent, *num.* 23. Quær. 4. Quænam Hospitalia, & alia pia loca visitationi Episcopi subsint, vel non? Resp. 1. Ex Decreto Concilij Trident. Episcopi, seu Diœcesani habent jus visitandi Hospitalia, Episcopi, seu Diœcesani auctoritate erecta, & omnia alia pia loca intra Diœcesim eorum sita, etiamsi sint exempta, & quænam ab Episcopo visitari non possunt? *num.* 24. Hospitalia autem, & alia hujusmodi pia loca, sine auctoritate Episcopi ædificata, seu instituta, non subsunt visitationi Episcopi, *nu.* 25. Excipiuntur quidam casus, in quibus ab ipsis visitari possunt, *n.* 26.

§. V. *De Institutione novorum Ordinum Religiosorum.*

Quær. 1. An liceat novum Ordinem Religiosum instituere, sine approbatione Ecclesiæ, vel S. Pontificis? Resp. post Concilium Lateranense sub Innocentio III. id non licet, *nun.* 27. & 28. Non tantùm autem prohibitũ est, novam Religionem instituere, sine approbatione Sedis Apostolicæ: sed etiam sic instituta, & ejus Professi, est ipso jure irrita, *n.* 29. & 32. Quænam in specie Religiones prohibeantur? *nu.* 30. & 31. Quær. 2. An sub prædicta prohibitione, ac irritatione novorum Ordinum Religiosorum, comprehendantur omnes Congregationes virorum, ac mulierum, quæ in communi sub certa regula, aut habitu, sine Sedis Apostolicæ licentia, seu approbatione, devotionis, seu pietatis causâ, vivunt, licèt tria vota substantialia Religionis non ediderint, adeóque propriè Religiosi non sint? Resp. affirmativè, *n.* 33. Quin etiam omnia pacta, seu promissiones, quæ in ordine ad talem Congregationem erigendam, vel assumendam fiunt, sunt irritæ, ut votum castitatis, vel obedientiæ ab illis editum, *nu.* 34. Non tamen est prohibitum, quò minùs tum viri solitariam vitam separatim, & privatim agere possint, edito etiam voto castitatis, & obedientiâ promissâ, v. g. Episcopo, vel Confessario suo: tum etiam, ut mulieres possint, promissâ continentiâ, vel etiam eâ non promissâ, seorsim, & in privatis ædibus, servato certo vivendi modo, ac ritu, DEO servire, & pœnitentiam agere, *n.* 35. Denique prohibitum est etiam, ne quis in diversis Monasterijs locum habere præsumat, ita, ut sit Monachus, vel Professus in ijsdem: neque etiam Abbas, seu Prælatus pluribus Monasterijs simul præesse potest, *n.* 36.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.
c. 1. *n.* 9. *& seq.*
c. 2. *n.* 11. *& duob. seqq.*
c. 3. *n.* 19. *& duob. seqq.*
c. 4. *n.* 25. *& seq.*
c. 5. *n.* 14. *& seq.*
c. 6. *num.* 6. *& duobus seqq.*
c. 7. *n.* 2. *& 3.*
c. 8. *n.* 4. *& 5.*
c. 9. *& ult. n.* 27.
In Sexto.
c. unic. n. 28. *& seq.*
In Clementinis.
Clem. 1. *n.* 30.
Clement. 2. *in princ. n.* 23. *& §. Ut autem; nu.* 16. *& §. Præmissa; num.* 18.
In Extravagantibus.
Extrav. unic. Joan. XXII. n. 31.
Extravag. unic. inter communes. n. 35.

TITVLVS XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORUM Religiosorum.

§. I. *De Capellanis constitutis in Capellis, seu Parochijs, quæ Monasterijs sunt unita.*

Quær. 1. An, quando Monasterium, vel Ecclesia Regularis habet curam animarum annexam, ei præfici possit Monachus, seu Regularis? Resp. Cura animarum in tali Ecclesia, per Capellanum sæcularem exerceri debet, ab Episcopo institutum, ad præsentationem Abbatis, & Conventûs, *n.* 1. Verùm hodierno jure, si Ecclesia parochialis Monasterio pleno jure sit unita, quoad spiritualia, & temporalia, non prohibentur Prælati Regulares ibi constituere Vicarium Regularem, ab Episcopo approbandum, *n.* 2. & 3. Quæritur 2. An, & in quibus Capellanus, seu Vicarius, sive Sæcularis, sive Regularis, qui in Capella Monasterio unita est constitutus, jurisdictioni Episcopi sit subjectus? Respon. Si Parochia plenissimo jure sit unita Monasterio, ita, ut etiam populus sit exemptus à jurisdictione Episcopi, & Monasterio sit subjectus in spiritualibus, tunc tota jurisdictio ad Prælatum pertinet, & Episcopus Diœcesanus nihil juris habet in tali loco. Si verò Capella solùm sit unita Monasterio, pleno jure, quoad spiritualia, & temporalia: sed populus sit subjectus Episcopo in spiritualibus, tum si Capellanus, seu Vicarius sæcularis sit instituendus, præsentatio spectat ad Monasteriũ: examinatio verò, institutio, correctio, visitatio: imò & depositio ad Episcopum loci, *num.* 4. Neque contrarium potest per ullam consuetudinem introduci, vel statutum: bene tamen per privilegium, vel legitimam præscriptionem, *n. eod.* Veruntamen, si in tali Parochia sit positus Vicarius Religiosus, potest illum Prælatus Monasterij revocare: quamvis talis subjectus sit Episcopo in ijs, quæ ad curam animarum, & parochianorum pertinent, *nu.* 5. Presbyteri, qui à Monachis præsentantur ad curam populi, in eorum Ecclesiis, Episcopis, & ab ipsis instituuntur, cùm debeant esse perpetui, non possunt à Monachis amoveri, nisi ex causa rationabili ab Ordinarijs, non obstante quocúnque contrario statuto, privilegio, vel longâ consuetudine, *n.* 4.

§. II. *An, & qualiter una Ecclesia non Cathedralis possit sibi vendicare jus in alia Ecclesia?*

Si Ecclesia una non Cathedralis petat, & vendicet sibi plura jura in alia Ecclesia, solùm obtinebit quoad ea, quæ probaverit, sibi deberi, viâ præscriptionum, aut alio legitimo modo: non quoad alia, *nu.* 6. & 7. Exeo, quòd Ecclesia, præsertim Collegiata, seu Conventualis, sit posita intra fines alicujus Parochiæ, non rectè infertur, illam esse eidem subjectam, *cit. num.* 7.

§. III. *De Monachis non ponendis solis in Prioratibus, & eorum ab illis revocatione.*

Monachi non possunt singuli, & soli commorari in Prioratibus, etiamsi habeant rescriptum, seu privilegium Apostolicum: nisi in eo expressè derogetur Juri communi, vel Decreto Concilij Generalis contrario, *n.* 9. & 10. Præterea Ordinarius loci debet compellere per censuram Ecclesiasticam, Abbates, vel Priores, ut vel Monachos revocent ad Claustrum à Prioratibus, ponendo in eis Clericos sæculares, vel eis socios adjungant Monachos, cum quibus regulariter vivere possint, *n.* 11. & 12.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.
c. 1. n. 1. & 2.
c. 2. n. 6. & duob. seqq.
c. 3. n. 9. & seq.
c. 4. & ult. n. 11. & seq.
c. unic. in 6. n. 4.

TITULUS XXXVIII.
DE JURE PATRONATUS.

Sectio I. *De definitione, ac divisione Juris patronatûs, & modis, quibus acquiri, & à quibus personis obtineri potest.*

§. I. *Quid, & quotuplex sit Jus patronatûs, & utrùm sit jus simpliciter spirituale, an verò potius temporale?*

Assertio I. Jus patronatûs est jus, seu potestas nominandi sive præsentandi, Clericũ promovendũ ad Beneficium vacans, *n.* 2. Ubi etiam traditur alia ejus definitio. Ass. 2. Jus patronatûs est duplex, Ecclesiasticum, & Civile, sive sæculare: prius est, quod Collegio, vel Personæ Ecclesiasticæ, ratione Dignitatis, vel Beneficij Ecclesiastici, competit: posterius est, quod Universitati, seu Collegio non sacro, vel personæ privatæ, sive Laico, sive Clerico, ratione proprij patrimonij competit. Addi potest tertia species, scilicet Jus patronatûs mixtum ex utroque, *n.* 3. An Patronatus sæcularis, si transferatur in Ecclesiam, vel personam Ecclesiasticam, fiat Ecclesiasticus, & vice versâ, si Patronatus Ecclesiasticus transeat ad Laicum, fiat sæcularis? *n.* 4. Ass. 3. Jus patronatûs, vel secundùm se, & ex objecto suo est simpliciter, & intrinsecè spirituale, vel potiùs est solùm antecedenter annexum spirituali, *n.* 5.

§. II. *Quibus modis acquiratur Jus patronatûs?*

Assertio I. Tribus potissimum, fundatione, constructione, & dotatione Ecclesiæ. Quis dicatur fundâsse, quis construxisse, quis dotâsse? *n.* 6. Idémque magis declaratur, *n.* 7. An per solam fundationem, sive soli assignationem acquiratur statim Jus patronatûs? *nu.* 8. An sub constructione comprehendatur, etiam reparatio, seu reædificatio, *num. eod.* Si dos, vel fundus alicujus Ecclesiæ omnino pereat, Jus Patronatûs acquirit ille, qui novam dotem, vel fundum assignat, *n.* 9. An Jus patronatûs possit acquiri post consecrationem Ecclesiæ? *nu.* 10. Ut Jus patronatûs acquiratur Ecclesiæ, requiritur, ut cum Episcopi Diœcesani, sive, Ordinarij auctoritate, & consensu, Ecclesia fuerit fundata, constructa, aut dotata, sufficit autem consensus tacitus, sive præsumptus illius, *n.* 11. Ass. 2. Potest Jus patronatûs etiam obtineri ex privilegio, concesso à S. Pontifice, *n.* 12. An, si quis in fundo alieno, invito Domino, ædificet Ecclesiam, Jus patronatûs acquiratur ædificanti: an verò Domino fundi? *n.* 13. Item, an si Parochus, vel alius Clericus, ex reditibus Beneficij sui Ecclesiam, vel Capellam, ædificavit, acquirat Jus patronatûs in illa, *num.* 14.

§. III. *Quinam sint capaces Juris patronatûs, sive quibus competere potest, vel non?*

Assertio I. Non tantùm Clerici: sed etiam Laici sunt capaces Juris patronatûs, iisque hoc jus competit, ex concessione Ecclesiæ, & quidem ex gratia, non ex debito, *n.* 15. Ass. 2. Non solùm mares, sed etiam fœminæ sunt capaces Juris patronatûs, *n.* 16. An, si Jus patronatûs annexum sit bonis ab uxore marito in dotem datis, Jus præsentandi spectet ad uxorem, an verò ad maritum, saltem durante matrimonio? *n.* 17. Ass. 3. Non solùm puberi: sed etiam impuberi competere potest Jus patronatûs? *num.* 18. Item, si filiusfam. sit Patronus, præsentatio ad ipsum spectat, non ad patrem, *num. eod.* Ass. 4. Non tantùm legitimè nato: sed etiam spurio, & alij illegitimo competere potest Jus patronatûs, *n.* 19. Ass. 5. Judæus, aut Paganus, seu Infidelis, est incapax Juris patronatûs, sicut Hæreticus, *n.* 20. Ass. 6. Ligatus excommunicatione majore non amittit Jus patronatûs, ejus tamen usu, ac exercitio privatur, donec fuerit absolutus, *num.* 21. Quæ sit differentia inter excommunicatum vitandum, & non vitandum, quoad præsentationem? *num.* 22.

Sect. II. *Quæ Jura competant Patronis, & quam potestatem habeant, vel non habeant in Ecclesiis, vel Beneficijs patronatis?*

§. I. *An competat Patronis, Jus, seu potestas liberè disponendi de Ecclesiis, & juribus, ac bonis earum, quarum sunt Patroni?*

Assertio I. Patroni Laici, vel etiam Ecclesiastici, non habent potestatem, bona Ecclesiarum, quarum sunt Patronj, administrandi, vel de illis liberè disponendi, instituendo, vel destituendo Clericos in Ecclesiis patronatis, idque prohibitum est, sub pœna excommunicationis, *n.* 23. Idémque dicendum de Clerico, qui Ecclesiam à Laico, sine proprij Episcopi auctoritate, accepit, sive in illa institui, aut investiri se permisit? *nu.* 24. Similiter, qui Ecclesiam, aut Beneficium obtinent à Laico, v. g. Patrono Ecclesiæ, sine auctoritate Episcopi, post monitionem, ab officio, & Beneficio sunt suspendendi, & si non destiterint, excommunicentur, *n.* 25. Item, qui Ecclesias spoliant bonis suis, excommunicandi sunt, *n.* 26. Ass. 2. Patroni, non tantùm instituere, aut deponere Clericos in Ecclesiis, vel Beneficijs patronatis non possunt, etiamsi Patroni Ecclesiasti sint: sed neque liberè conferre possunt Ecclesias, vel Beneficia, in quibus Jus patronatûs habent, *n.* 27. *& tribus seqq.*

§. II. *An jus eligendi, vel præsentandi competat Patrono in Ecclesia Collegiata, seu Conventuali, & quænam jura, præter jus præsentandi, eidem debeantur?*

Assertio I. Is, qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, vel dotavit, est quidem Patronus illius: non tamen jus eligendi Prælatum habet, idéque non potest ferre suffragium in electione: præsertim si Laicus sit, nec illi interesse debet, neque illius assensus requiri, ante electionem, *n.* 31. Ass. 2. Sed neque jus præsentandi Prælatum in Ecclesia Collegiata Laicis est concessum: sed solùm in Capella, seu Ecclesia non Collegiata, etsi Parochialis sit, *nu.* 32. Per nullam consuetudinem, etiam immemorialem, potest Laicus, etsi Patronus sit Ecclesiæ, acquirere jus eligendi Prælatum in Ecclesia Collegiata, bene tamen per privilegium Papæ. Potest tamen per consuetudinem, aut pactum appositum in fundatione constitui, ut consensus vel saltem consilium Patroni, ante electionem, requiri debeat, vel ut interesse possit tractatui de electione, *nu.* 33. *& seqq.* Non potest Episcopus ordinariè Ecclesiam parochialem Patronatam commutare in Ecclesiam Collegiatam, invito Patrono: quòd si ob causam necessariam id fiat, retinet Patronus jus præsentandi, non tantùm ad Canonicatus, & Beneficia simplicia: sed etiam illius Eccle-

nu. 35.

nu. 35. Assertio 3. Propter fundationem Ecclesiæ debetur Patrono honor Processionis, &, si ad inopiam vergat, ab Ecclesia ei modestè succurrendum est, *nn.* 36. & 37. Habet etiam Patronus jus, vel potiùs onus, defendendi Ecclesiam, *n.* 38.

§. III. *An Patronus possit Jus patronatûs alienare, vel pensionem aliquam exigere, vel aliud onus, seu gravamen imponere Ecclesiis, vel Beneficiis patronatis?*

Patronus non potest, propriâ auctoritate, sine consensu Ordinarij, alienare Jus patronatûs, nec aliquid temporale ab Ecclesia patronata, vel ex Beneficio exigere, nec aliud onus ei imponere: nisi pensio in prima fundatione, cum consensu Episcopi, fuerit ipsi reservata, *num.* 39. & 40. Quomodo tam ipsum Jus patronatûs, vel advocatiæ, quam etiam fructus, seu reditus annui, quos Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ percipere potest, alienari possint, vel non? *n.* 41. Est autem prohibitum, sub pœna excommunicationis, ne Patroni, vel Advocati Ecclesiarum, in recognitionem Juris patronatûs, vel advocatiæ, aliquid ab ipsis exigant, neque tributa, vel onera eis imponant, *nu.* 42. Patronus, sive Fundator Ecclesiæ, potest in ipsa fundatione honestam conditionem apponere, cum consensu Episcopi, etiam contra Jus commune, & cum derogatione Juris Episcopalis, *n.* 43.

SECTIO III. *De modis, quibus Jus patronatûs in alium transferri potest.*

Tales modi sunt quatuor. Successione, sive jure hæreditario, donatione, permutatione, & venditione.

§. I. *An, & quâ ratione, Jus patronatûs per successionem hæreditariam transferri possit?*

ASSERTIO I. Jus patronatûs ad quosvis hæredes Patroni, cum universitate bonorum, quibus est annexum, transire potest, sive ex testamento, sive ab intestato, etiam ad hæredes extraneos, mares, vel fœminas, *n.* 44. Ass. 2. Si plures hæredes sint unius Ecclesiæ Patroni, jus Patronatûs inter se dividere non possunt: sed illud in solidum ad quemlibet hæredem transit, ita, ut unus seorsim per se præsentare non possit, sed omnes simul, & communiter, *n.* 45. Quomodo Patroni inter se dividere possint jus præsentandi? *nu.* 46. Ass. 3. Si plures hæredes extent plurium Patronorum, tunc illi in jure præsentandi succedunt, non per capita, sed per stirpes, ita, ut hæredes, etsi plures unius Patroni, unum tantùm suffragium in præsentando habeant, *nu.* 47. Idque declaratur, distinguendo, utrùm jus præsentandi pretineat ad plures divisim, seu seorsim ad singulos, vel ad plures conjunctim, ut universos, *n.* 48. & 49. Quando Patroni dissentiunt, & diversi diversos præsentant, qui habet majora merita, & vota plura, præfertur: si hoc sine scandalo fieri non possit, Episcopus instituet Rectorem, prout melius judicaverit. Idémque est, si ortâ quæstione inter aliquos de Jure Patronatûs, illa intra 4. menses non fuerit definita, *cit. nu.* 48. Porro si Patroni, vel hæredes eorum inter se discordant in præsentando, ideóq; Ecclesia careat Rectore, Episcopus indicere debet in Ecclesia cessationem à Divinis Officijs, *nu.* 50. Imò etiam hoc casu Episcopus debet inde tollere Reliquias, & ostia Ecclesiæ claudere, donec idoneum Presbyterum constituant, *n.* 51.

§. II. *Ad quos præterea Jus patronatûs per successionem transire possit?*

Quær. 1. An Jus patronatûs Gentilitium, sive reservatum illis, qui sunt de familia Fundatoris, jam extinctâ, tráseat ad hæredes extraneos? Resp. 1. Si Fundator expresè voluit, ut Jus Patronatûs tantùm pertineat ad agnatos, sive eos, qui sunt de familia, tunc ad hæredes extraneos non transit: sed extinctâ familiâ, etiam Jus patronatûs extinguitur, & Ecclesia fit libera, *nu.* 52. Si verò Jus patronatûs sit concessum à Fundatore illis, qui sunt de familia, simpliciter, & absolutè, & non tantùm cum restrictione ad agnatos, tunc extinctâ familiâ, transit ad hæredes agnatorum, etiam extraneos, *n.* 53. Qu. 2. An Jus patronatûs transeat ad Fdeicommissarium universalem? Communis sententia negat, transire: opposita tamen sententia affirmativa est valde probabilis, *num.* 54. & 55. Quær. 3. An in divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus patronatûs? Probabilius est, non posse, *nu.* 56. Qu. 4. An bonis omnibus Patroni Fisco addictis, ob crimen, Jus patronatûs quoque transeat ad Fiscum, etiam sæcularem, isque in eo succedat? Resp. Etsi Princeps sæcularis non potest per se, ac directè Patronum privare Jure Patronatûs, ob delictum Patroni: si tamen bona confiscentur, ob delictum ejusdem, quibus annexum est Jus patronatûs, etiam hoc accessoriè, & indirectè transit ad Fiscum Ecclesiasticum, vel Sæcularem. Secus est, si Jus patronatûs non sit annexum bonis: sed per se, ac singulariter persistat, tunc enim Jus patronatûs manet penes delinquentem, donec per sententiam Judicis privetur eo, *num.* 57. Quær. 5. An Jus patronatûs possit transferri ad alium, per legatum in testamento relictum? Resp. affirmativè, etiam sine consensu Episcopi, si legetur Ecclesiæ: aliàs requiritur consensus ejusdem, *n.* 58. Qu. 6. An Jus patronatûs possit etiam per hæreditariam successionem transire ad Monasterium, seu Religionem? Resp. affirmativè, *n.* 59.

§. III. *An, & quo pacto Jus patronatûs per donationem ad alios transferri, & an etiam Ecclesiæ concedi possit?*

ASSERTIO I. Si Patrono competat Jus patronatûs, jure proprio, seu privato, sive Laicus sit, sive Clericus, potest liberè, & sine consensu Episcopi Diœcesani, Ecclesiæ, Monasterio, vel alij loco Religioso, aut etiam Clerico, nomine Ecclesiæ, concedere. Non tamen per hoc præjudicatur juri Episcopi, *num.* 60. Ass. 2. Patronus Ecclesiæ non potest Jus patronatûs per se, & singulariter concedere, seu donare Laico, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ, sine consensu Episcopi, alioquin donatio est invalida, *n.* 61. Ass. 3. Potest Patronus Jus patronatûs, quod in Ecclesia habet, non solùm alteri: sed etiam eidem Ecclesiæ donare, modò Ecclesia habeat Jus Patronatûs, quoad plura Beneficia sibi incorporata, *n.* 62. Ass. 4. Potest Patronus Compatrono suo, etiam privato, sine Episcopi consensu, Jus patronatûs donare, seu remittere, *nu.* 63. Ass. 5. Non potest Patronus Laicus, quantumvis Regiâ potestate præditus, Ecclesias patronatas alicui Clerico, Monasterio, vel Religioso loco, concedere, seu donare: nec in titulum, nec in proprietatem, sive per modum incorporationis, sine auctoritate Episcopi, *n.* 46. In dubio verò præsumitur, quòd

quòd Patronus voluerit donare Jus, quod in Ecclesia habet, scilicet Jus patronatûs, *n. eod.* Si Laicus concedat Ecclesiam non vacantem, inconsulto Episcopo, alicui loco Religioso, & post talem concessionem Ecclesia vacet, & Patronus laicus præsentet Clericum, eúmque Episcopus instituat, hoc casu, secunda concessio, & institutio est valida; quia prima fuit nulla, quippe facta de Ecclesia non vacante, & quia Laicus nõ potest dare alicui Ecclesiâ, sine consensu Episcopi, Diœcesani, *n. 65.* Similiter, si Patronus laicus concedat Ecclesiam, in qua jus præsentandi habet, alicui, sine licentia Episcopi, deinde præsentet alium Episcopo, quem is instituit, valet ejus institutio; quia prima concessio est nulla, *n. 66.* Item Religiosi non possunt sibi vendicare, vel retinere Ecclesias concessas à Laicis, sine consensu Episcopi Diœcesani: nisi legitimè præscripserint, vel postea Diœcesanus consenserit, *n. 67. & seq.* Patronus Laicus non potest, sine consensu Episcopi, dare alicui Religioso loco Ecclesias, Decimas, vel aliud spirituale: si quis verò Episcopus, ob improbitatem, vel avaritiam consentire nolit, Papæ denunciari debet, ut quod dandum est, cum ejus licentia, detur, *n. 69. & seq.*

§. IV. *An, & quomodo Ius patronatûs per venditionem transferri possit?*

Assertio I. Jus patronatûs non potest per se, & liberè vendi, aut emi, sine vitio simoniæ, *n. 71.* Ass. 2. Potest jus patronatûs vendi, vel potiùs per venditionem transferri per accidens, & concomitanter, vendendo rem tẽporalem, in qua est Universitas, cui Jus patronatûs accessoriè est annexum: nisi hoc sit in venditione specialiter exceptum, *n. 72.* Quid intelligatur nomine Universitatis rei, cum qua transit Jus Patronatûs? *n. 73.* Transit autem hoc jus in quemcúnq; cum Universitate, cui adhæret, etiam sine consensu Episcopi, *n. eod.* Venditâ universitate bonorum, non transit Jus patronatûs in emptorem, si illud non cohæreat ipsis bonis, sed personæ venditoris, adeóque sit personale, primariò personæ competens, *n. 74.* Venditio Universitatis, cum expressa mentione de Jure patronatûs, non est vitiosa, nec simonica, neque in foro conscientiæ, neque in externo, *n. 75.* Contractus, per quem Jus patronatûs accessorie transit ad alium, debet esse quædam alienatio, sive talis contractus, per quem transfertur dominium directum, vel saltem utile, & possessio, ut in locatione ad longum tempus, *n. 76.* An, si lis sit mota super Jure patronatûs, ante factam præsentationem, sive super proprietate illius, talis præsentatio admitti debeat, vel non? *n. 77.* Patronus Ecclesiasticus potest exigere rationem à Beneficiario præsentato, non autem Patronus laicus: Item prior habet administrationem, & custodiam reditũ temporalium, vacante Ecclesiâ, & Oeconomum constituere potest, non item posterior, *n. 78.*

§. V. *An, & quâ ratione Ius patronatûs permutari, vel in Feudum, & Emphyteusin, vel in pignus dari possit?*

Assertio I. Jus patronatûs cum alio simili Jure permutari potest, cum consensu Episcopi: non autem cum re merè temporali, *nu. 79.* Ass. 2. Si Jus patronatûs successione, vel alio modo ad alium Patronum transfertur, non potest is statum Ecclesiæ, vel ejus Rectorem mutare, nec possunt, pro voluntate Patronorum, Ecclesiæ mutari, *n. 80.* Ass. 3. Jus patronatûs dari potest in Feudum, vel Emphyteusin, cum Universitate rei, cui inseparabiliter cohæret: ita tamen, ut Jus Episcopale in illa Ecclesia non minuatur, *n. 81.* Ass. 4. Si universitas bonorum, v. g. Civitas cum pertinentijs, cui Jus patronatûs annexum est, creditori in pignus datur, Jus patronatûs in eum non transit, ita, ut creditor suo jure, aut nomine præsentare non possit, *num. 82.* Ubi etiam additur, quando Jus patronatûs possit transire ad creditorem.

Sect. IV. *De præsentatione, sive ipso actu præsentandi, ejúsque circumstantijs.*

§. I. *An præsentatio facta à possessore Iuris patronatûs, etsi Ius proprietatis non habeat, valida sit?*

Assertio I. Præsentatio facta ab eo, qui tunc erat in quasi possessione Juris patronatûs, tenet, & consequenter etiam subsequens institutio: etsi postea constet, quòd verus Patronus non fuerit, *n. 83.* Ass. 2. Ut institutio facta ad præsentationem ejus, qui non est Patronus, valeat, adeóque etiam ipsa præsentatio, duo requiruntur, nempe, ut communiter reputetur Patronus, & ut sit in possessione præsentandi, adeóque solus error communis non sufficit, sine possessione, ut actus gestus à non possessore valeat: requiritur tamen etiam, ut sit in possessione, cum bona fide, *num. 84.* Institutus ad præsentationem veri Patroni, licèt non sit in possessione juris præsentandi, validè est institutus, nec amoveri potest, si nullus alius sit in possessione, *num. 85.* Sed quid, si alius sit in possessione juris præsentandi: sed malâ fide, an præsentatus à Patrono admitti debet? *nu. eod.* Si quis per Judicis sententiam obtinuit Jus patronatûs, sed malâ fide, sciens, id sibi non competere, tunc cognito postea errore, etiam institutio subsequens rescindi debet, *nu. 86.* Ubi tamen aliqui distinguunt, de quo *n. eod.* Possessio Juris patronatûs acquiritur ex una præsentatione, *cit. num. 86.* Ass. 3. Si duo sint præsentati ad eandem Ecclesiam, unus ab eo, qui erat in possessione præsentandi: alter autem à vero Patrono, ad quem spectat proprietas hujus juris, quis ex illis erit præferendus: & quid si possessor fuit in mala fide? *n. 87.* Quid circa hoc statutum sit Jure novo Concilij Tridentini? *n. 88.*

§. II. *An Patronus possit præsentare se ipsum, vel filium suum, si sit idoneus: Item, si plures sint Patroni, an unus ex se ipsis: ac denique an semper dignus, vel dignior præsentari debeat?*

Assertio I. Patronus Ecclesiæ, vel Beneficij vacantis, etiamsi Clericus sit, & idoneus, se ipsum ad illam præsentare non potest, *n. 89.* Sed neque ad Beneficium simplex Patronus se ipsum præsentare potest: neque etiam per alium à se delegatum, vel per procuratorem à se constitutum, *n. 90.* Verùm Episcopus, Ecclesiâ, vel Beneficio, in quo Patronus jus præsentandi habet, vacante, sponte, & motu proprio, illud Patrono conferre potest, si idoneus sit, *num. 91.* Ass. 2. Potest patronus filium, si idoneus sit, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium, in quo ipse jus patronatûs habet, *n. 92.* Illud Jure Canonico est prohibitum, ne Clerici emant, vel alio titulo, etsi justo, acquirant Jus Patronatûs, cum ea intentione, ut illi vel nepotes eorum in Ecclesiis patronatis ab ipsis præsententur, alioquin eodem Jure patronatûs sunt spoliandi, *n. 93.* Ass. 3. Si plures sint Patroni Clerici, vel unus Laicus, & alter Clericus, possunt unus ex

ex se ipsis præsentare, *nu.* 94. Ass. 4. Patronus semper debet ad Beneficium præsentare dignum, & idoneum; aliàs peccat: debet autem præsentandus dignus, & idoneus esse, tempore præsentationis: unde Laicus non potest ad Beneficium præsentari, saltem regulariter, *n.* 95. Probabile est, non esse peccatum, saltem grave, præsentare ad Canonicatus, & Beneficia simplicia, minùs dignum, omisso digniore, *num. eod.* Quid circa hoc decretum sit à Concilio Tridentino? *cit. n.* 95.

§. III. *An Patronus licitè possit in præsentando variare, sive mutare sententiam, alium præsentando, ante institutionem priùs præsentati?*

Assertio I. Patronus Laicus potest variare, id est, postquam unum idoneum præsentavit, ante institutionem illius, in Ecclesia, vel Beneficio factam, alium idoneum præsentare, *n.* 96. Qui verò à Patrono Ecclesiastico priùs est præsentatus, præfertur posteriùs præsentato, *num.* 97. Postquam præsentatus, sive primò, sive secundò loco institutus est ab Episcopo, plenum jus in Ecclesia, vel Beneficio consequitur: etiamsi possessionis traditio nondum sit facta, *n.* 98. Duobus modis potest fieri præsentatio, vel simul præsentando plures, ut unum ex illis Episcopus instituat: vel duos, aut plures successivè, unum post alterum: & tunc præsentans alterum, non censetur reijcere primum, *n.* 99. Patronis laicis, antequam instituat Episcopus, permissum censetur, semel tantùm variare, & pro prima vice: quamvis aliqui putent, quòd sæpiùs possint variare, & plures simul, ac successivè, quot voluerint, præsentare possint. Sed prior sententia est communior, & probabilior, *nu.* 99. Episcopus, præsentatos à Patronis, si idonei non sint, non potest, nec debet admittere, *nu.* 100. Si ex duobus cumulativè præsentatis ab eodem Patrono, sive successivè, unus sit dignior altero, Episcopus debet præferre eum, qui est dignior: nisi duo æquè digni reputentur, tunc enim Episcopus potest instituere, quem voluerit, *cit. nu.* 100. Ass. 2. Si præsentatus à Patrono laico reijciatur ab Episcopo, ideóque appellet ad Papam, & interim Patronus alium præsentet, isque instituatur, hic præferendus est priùs præsentato, *num.* 101. Quando Patronus Laicus variare, sive postquam unum præsentavit, alium præsentare non possit? *n.* 102. Ass. 3. Patronus Ecclesiasticus non potest variare, præsentando alterum: sed instituendus est, qui primò est præsentatus, si sit idoneus, *n.* 103. Est & aliud discrimen inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum, quòd si prior præsentet indignum etiam scienter, non ideo, pro ea vice, est privatus jure præsentandi: sed mandari ei debet, ut alium idoneum præsentet: At Patronus Ecclesiasticus, si scienter præsentet indignum, est privatus ipso Jure, vel saltem privandus per sententiam Judicis jure præsentandi pro ea vice, & ad proximum Superiorem devolvitur libera collatio, *n.* 104.

§. IV. *Intra quod tempus præsentatio fieri debeat à Patrono, sive Laico, sive Ecclesiastico?*

Assertio I. Patronus Laicus intra IV. menses præsentare debet: Ecclesiasticus verò intra sex menses, numerandos à die vacationis cognitæ: alioquin, si intra hoc tempus præsentatio non fiat, Ecclesia, vel Beneficium pro ea vice, liberè conferri potest ab eo, ad quem jus instituendi pertinet, *num.* 105. Ass. 2. Hoc tempus quadrimestre, vel semestre non currit, adeóque non obest Patrono ignoranti, vel legitime impedito: quamvis sit continuum, & currat etiam diebus feriatis, *nu.* 106. Ass. 3. Patronus Ecclesiasticus habet tempus semestre ad præsentandum, etiamsi hoc jus à Laico acquisiverit, *n.* 107. Si Ecclesia, vel Persona Ecclesiastica, & Laicus sint Compatroni, simúlque habeant jus præsentandi, tum etiam Laicus habet sex menses ad præsentandum, propter communionem cum Ecclesia, vel Clerico, *nu.* 109. An Patronatus originem trahens à Laico, si transferatur in Ecclesiam, censeri debeat Jus patronatûs Ecclesiasticum, & vice versâ, si Jus patronatûs spectans ad Ecclesiam, transeat in Laicum, censendum sit Sæculare, seu Laicum? *n.* 109. Solvitur objectio, *n.* 110.

§. V. *An post tempus ad præsentandum jure definitum, elapsum, lite adhuc pendente, Episcopus liberè instituere possit, sine præsentatione Patroni?*

Si inter Patronos lis orta sit de jure præsentandi, eáque intra 4. menses, si Patronatus sit Laicus, vel 6. si sit Ecclesiasticus, finita non fuerit, Episcopus liberam institutionem facere potest; interim tamen differri debet ordinatio Ecclesiæ, sive institutio Rectoris: sed non ultra tempus à jure definitum ad præsentandum, *n.* 111. & 112. Quòd, si Patronus Ecclesiasticus, & Laicus litigent de Jure patronatûs, debet differri institutio Rectoris per 6. menses, *num.* 113. Si de Jure patronatûs quæstio orta inter Patronos, intra 4. menses, si Patronatus sit Laicus, finita non fuerit, Episcopus de persona idonea providere debet, ita, tamen, ut imposterum nullum præjudicium fiat illi, qui Jus patronatûs in judicio evicerit, *n.* 114. Aliud est dicendum de electione Prælati, ob motam litem judiciariam de jure eligendi; ea enim non extenditur ultra tempus à jure præscriptum ad eligendum, nec ideo eligentes pro ea vice privantur potestate eligendi, neque libera provisio ad Episcopum devolvitur, ad quem pertinet, electum confirmare, *num.* 115. Quando, quod dictum est, si sit lis mota inter Patronos super jure præsentandi, nec finita intra tempus præscriptum, Episcopus possit liberè providere, non habeat locum? *n.* 116.

Sect. V. *De potestate Episcopi, & S. Pontificis circa Ecclesias, & Beneficia patronata, & de amissione Iuris patronatûs.*

§. I. *An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel præsentatione Patroni, valida sit institutio, & an possit fieri præsentatio ad Ecclesiam non vacantem?*

Assertio I. Institutio Episcopi, sine præsentatione, & consensu Patroni, facta, regulariter, & ordinariè est ipso jure nulla, *n.* 117. *& seq.* Dummodo Patronus intra tempus ad præsentandum concessum reclamet, & contradicat, alioquin provisio Ordinarij, post elapsum prædictum tempus, firma erit, & convalidatur per supervenientem consensum Patroni, qui censentur tacitè illam approbare, *nu.* 119. Sunt tamen plures casus, in quibus institutio Rectoris, vel Beneficiarij ab Ordinario facta, sine consensu, & præsentatione Patroni, est valida, qui recensentur, *n.* 120. Ass. 2. Non tantùm præsentatio: sed etiam promissio à Patrono facta, de præsentatione facienda, antequam Ecclesia vacat, aut Beneficium, illicita est, & irrita, sed eâ non obstante, postquam vacat Ecclesia,

sia, & tempus ad præsentandum est elapsum, Episcopus institutionem facere potest, *n.* 121.

§. II. *An Episcopus possit Ecclesiam, vel Beneficium patronatum donare, vel unire alteri Ecclesiæ, vel Beneficio: & an Episcopo donari possit à Patronis Ius patronatûs in Ecclesiis alienæ, vel propriæ Diœcesis?*

Assertio I. Non potest Episcopus Ecclesiam, vel Beneficium, quod est Juris patronatûs, concedere, vel unire alteri Ecclesiæ, vel Beneficio, sine consensu Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici, *nu.* 122. Concessio Ecclesiæ facta alteri Ecclesiæ, per Episcopum, & Patronum, valet, non obstante priore concessione factâ per solum Patronum, *cit. nu.* 122. Non potest Episcopus Ecclesiam incorporare, seu unire alteri Ecclesiæ, sine consensu Patroni, *nu.* 123. Si concessio, seu unio alicujus Ecclesiæ priùs facta sit, sine consensu Patroni, & multò magis si à Patrono, sine auctoritate Episcopi, illâ non obstante, valet posterior concessio, seu unio ejusdem Ecclesiæ, legitimè facta, *n. eod.* Concessio, sive unio Ecclesiæ facta à Patrono alteri Ecclesiæ, potest per subsequentem Episcopi consensum confirmari, ita, ut ex eo tempore sit valida, *n.* 123. Ass. 2. Si Episcopus habeat jus præsentandi in aliena Ecclesia, & præsentet idoneum, is est admittendus, *n.* 124. Id verò dupliciter potest fieri, vel si donatur Episcopo à Patrono Jus patronatûs in Ecclesia alterius Diœcesis: vel si ipsi donetur in Ecclesia suæ Diœcesis, *cit. nu.* 124. Etsi Episcopus potest, extra Diœcesim suam, conferre Beneficia: non tamen præsentatos à Patronis instituere, *n.* 125.

§. III. *An Episcopus præsentatum à Parocho ad Titulum suæ Ecclesiæ ordinandum, irrequisito Patrono, admittere, & instituere possit, ac debeat?*

Si Parochus, vel alius Beneficiatus Clericum Episcopo præsentet ad Titulum sui parochialis Beneficij, quod patronatum est, in Sacris ordinandum, & Patronus consensum non det, valida quidem, imò & licita est præsentatio, adeóque ea ab Episcopo admitti potest, ac debet: nullum tamen Patrono præjudicium generatur, quin vacante Ecclesiâ parochiali, alium idoneum ad illam præsentare possit, *num.* 126. *& seq.* Ubi id declaratur, quòd procedat, non solùm si Patronus non consentiat in præsentationem ordinati ad Titulum Parochiæ: sed etiam si consensum dedit.

§. IV. *Qualem præterea potestatem habeat Episcopus, vel non habeat, circa Ecclesias, & Beneficia patronata?*

Si per Patronos Ecclesiasticos præsentatis ad Ecclesias, in quibus ipsi non consueverunt omnia onera supportare, intra terminum competentem non assignetur congrua portio, Diœcesanus eam assignare debebit, nisi onera sint per Patronos ferenda. Id verò non habet locum in Religiosis, & Clericis, qui habent jus præsentandi tantùm; quia Rector non partem, sed omnes proventus habet: sed procedit solùm in ijs, qui habent jus præsentandi, unâ cum dominio redituum temporalium, *n.* 128. *& seq.* Ass. 2. Non potest Episcopus conditiones Beneficij in prima fundatione appositas, nec quidem cum consensu Patroni, saltem in totum, & in perpetuum mutare; quia ad solum Papam pertinet, Fundatorum dispositiones, ob justam causam, mutare, *n.* 130. Probabile tamen est, quòd Episcopus, ex justa causa, cum consensu Patroni, seu hæredis Fundatoris, interdum etiam possit pro una, aut altera vice, interpretando, vel dispensando, mutationem aliquam, quoad unam, vel alteram conditionem, in prima fundatione appositam, facere: non autem penitus eas tollere, aut immutare, *num.* 131. Idque declaratur exemplis *num.* 132.

§ V. *An S. Pontifex, citra Patroni consensum, possit Beneficia conferre, & an etiam Legatus Papæ possit Iuri patronatûs derogare?*

Assertio I. Potest Papa cuivis Patronatui, Ecclesiastico, & Laico, ob justam causam, derogare, quamvis non censeatur, id velle, nisi exprimat, facilius tamen derogari potest Patronatui Ecclesiastico, & ejus Beneficia reservari possunt Papæ, *n.* 133. Quomodo à Papa derogari possit Juri patronatûs, quod Laico competit ex speciali privilegio, aut consuetudine: item ei, quod simul ad Clericum, & Laicum pertinet? *n.* 134. Ass. 3. Legatus Papæ à Latere potest sibi reservare Ecclesiam, vel Beneficium primò vacaturam, illúdque, cùm vacat, conferre certæ personæ, irrequisito Patrono Ecclesiastico: non autem irrequisito Laico, vel Clerico, cui jus præsentandi competit, ratione patrimonij, *n.* 135. Non potest Legatus etiam à Latere, derogare Juri patronatûs mixto, quod est partim Sæculare, partim Ecclesiasticum: potest autem derogare Patronatui Laico, sive ex præscriptione solùm, sive ex consuetudine, alicui competat, *num.* 136. An in dubio Patronatus mixtus totus Laicalis, an verò Ecclesiasticus censeri debeat? *num.* 137.

§. VI. *Quibus modis Ius Patronatûs amittatur, vel extinguatur?*

Varijs modis Jus patronatûs extinguitur, quin censentur, *num.* 138.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 44. & n. 50.
c. 2. n. 52.
c. 3. n. 48. & seq. & num. 111.
c. 4. n. 23. & seq.
c. 5. in princ. nu. 96. & §. De cætero; n. 64.
c. 6. n. 93.
c. 7. num. 72. & pluribus seqq.
c. 8. nu. 65. & §. fin. num. 117.
c. 9. n. 80.
c. 10. n. 66.
c. 11. n. 67. & seq.
c. 12. n. 111. & seq.
c. 13. n. 81.
c. 14. n. 118. & seq.
c. 15. n. 92.
c. 16. n. 71. & seq.
c. 17. n. 69. & seq.
c. 18. n. 124.
c. 19. n. 83.
c. 20. n. 122. & seq.
c. 21. n. 25. & 26.
c. 22. n. 113.
c. 23. num. 39. & quatuor seqq.
c. 24. num. 97. & pluribus seqq.
c. 25. num. 31. & pluribus seqq.
c. 26. n. 99. & seq.
c. 27. nu. 114. & duobus seqq.
c. 28. n. 135. & seq.
c. 29. n. 101. & seq.
c. 30. n. 126. & seq.
c. 31. n. 27. & trib. seqq.

In Sexto.

c. unic. n. 60. & duobus seqq. & §. Verum; num. 107. & duob. seqq.

In Clementinis.

Clement. 1. num. 128. & seq.
Clement. 2. in princ. n. 47. & §. fin. n. 46.

TITVLVS XXXIX.
DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, ET PROcurationibus.

Census, prout hîc accipitur, est onus reale impositum Ecclesiæ, vel pensio, aut reditus annuus, qui ex reditibus Ecclesiasticis ab Ecclesiis, Monasterijs, & alijs pijs locis solvitur superioribus Prælatis, in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa, *n.* 1.

§. I. *An ex præstatione annua census factâ Episcopo ab Ecclesia, vel Monasterio rectè colligatur, & probetur ejusdem subjectio: & quomodo census peti, & probari debeat?*

Assertio I. Ex sola annua solutione census non probatur subjectio alicujus Ecclesiæ, vel Monasterij: nisi id expressum sit, vel ex alijs conjecturis, seu præsumptionibus appareat; cùm alioquin etiâ ex alijs causis solvi possit, *num.* 2. Ass. 2. Qui petit censum, tanquam sibi debitum solvi, debet exprimere causam, ob quam sibi debeatur, *nu.* 3. Quomodo per præscriptionem probari debet solutio census? .4. Quomodo possessio annui census probari possit, aut debeat? *n.* 5. Quomodo quis obligari possit, ad solvendum censum annuum personalem? *n.* 6.

§. II. *An Monasterijs, vel alijs Ecclesiis novus census imponi possit, vel an etiam à Patronis Ecclesiis, vel Beneficijs Patronatis?*

Assertio I. Non possunt imponi novi census Monasterijs, neq; etiam alijs Ecclesiis sæcularibus, *n.* 7. & *seq.* Quod intelligi debet de censibus realibus & perpetuis, sine justa causa, & debitis solennitatibus: nõ autem de temporalib[6] *n.* 9. Ad imponendũ censum de novo requiritur, etiâ auctoritas Episcopi, sicut etiâ ad augendũ veterem, *n.* 10. Imò Jure novo, nec ultra triennium, *nu.* 11. Neque etiam census antiquus Ecclesiis, vel bonis earum impositus debet augeri, *n.* 12. Imo etiam Episcopus non potest Ecclesiæ de potestate Laici liberatæ novum censum imponere, *num.* 13. Ass. 2. Clerici, qui colludendo constituunt Ecclesiam censualem, sive novum censum ei imponunt, sine consensu Episcopi, debent ab illa amoveri, *num.* 14. & *seq.* Si quis juravit, se novum censum Ecclesiæ impositum soluturum, is, qui recipit juramentum, cogi potest, ut illud juranti remittat, *nu.* 16. & *seq.* Jus percipiendi censum, potest etiam acquiri, per præscriptionem, & quo tempore, *n.* 16. Ass. 4. Sed neque Patroni, sive Laici, sive Clerici, novum censum possunt Ecclesiis, seu Beneficijs patronatis imponere, nec veterem augere, *num.* 19. Non valet etiam juramentum, quo quis promittit, se soluturum censum de novo impositum, vel veterem auctum, & quæ sit pœna eorum, qui novos census imponunt, vel veteres augent? *n.* 20.

§. III. *In qua moneta solvendi sunt census, seu pensiones, & alia debita pecuniaria?*

Moneta dupliciter mutari potest, vel intrinsecè, quoad bonitatem, seu valorem intrinsecum: vel solùm mutatur extrinsecè, quoad valorem, seu æstimationem extrinsecam, ut, si ducatus invariatus, quoad materiam, & pondus, valeat duos florenos, postea verò duos, cum dimidio, *nu.* 21. Ass. 1. Si mutetur bonitas, aut valor monetæ, intrinsecè, in materia, aut pondere, solutio censûs, vel alterius debiti pecuniarij, fieri debet in moneta antiqua, quæ currebat, tempore census impositi, vel debiti contracti, si adhuc extet, alioquin in nova, seu præsenti, quæ nunc currit, secundùm æstimationem tamen monetæ antiquæ, sive in quantitate, quæ illi æquivaleat, *n.* 22. Idque extenditur 1. Ut procedat, sive moneta mutata sit, quoad intrinsecam bonitatẽ materiæ, & deterior cusa sit, quàm fuerat antiqua: sive nova sit intrinsecè aucta, & melior facta, *n.* 23. & *seq.* Extenditur 2. Solutio censûs fieri debet, secundùm antiquam monetam, etsi creditor sæpiùs receperit solutionem in alia nova moneta, *n.* 25. Idémque dicendum est, si in alijs debitis similis mutatio facta sit, *n. eod.* Ponitur limitatio, *nu.* 26. Ass. 2. Quomodo solutio fieri debeat, quando moneta manens eadem, quoad intrinsecam bonitatem materiæ, ac pondus, solùm extrinsecè augetur, vel mutatur, quoad imposititicum valorem, seu æstimationem? *nu.* 27. & *tribus seqq.* Ass. 3. Qualis solutio fieri debeat, si valor extrinsecus pecuniæ multùm, & notabiliter augeatur, propter intrinsecam depravatioem materiæ: & qualis, si modicè tantùm sit auctus? *num.* 31. Ass. 4. Qualis solutio fieri debeat, si propter intrinsecam monetarum depravationem valde enormem, extrinsecus valor bonarum monetarum augeatur, vel vice versâ, propter depravatas monetas valor ijs extrinsecè impositus diminuatur, & per consequens etiam valor extrinsecus bonarum monetarum decrescat? *num.* 32. & *seq.* Ass. 5. Si in mutuo, vel alio contractu expressè conventum sit, ut certa species monetæ, & certo numero reddatur, tum superveniens mutatio monetæ, in commodum, vel in damnum creditoris cedit, cui in eadem specie tot numero corpora solvi debent, quot in pactum deducta sunt, *n.* 34. & *seq.*

§. IV. *Quomodo solvenda sunt ea, quæ ex voto debentur?*

Qui soliti sunt vota solvere ad unam, & eandem mensuram, non possunt illam variare: qui verò ad varias, & diversas mensuras, possunt solvere, si volunt ad minorem illarum, & non sunt cogendi, ad majorem solvendam, *n.* 36. & *seq.* Solvuntur objectiones, *nu.* 38. Si constet de consuetudine majoris partis totius Civitatis, illa servanda est, etsi minor pars aliud hactenus observârit, *n.* 39.

Sect. II. *De Exactionibus.*

§. I. *Quænam sint exactiones ordinariæ Episcopis, seu Prælatis Ecclesiasticis à subditis Clericis, vel Laicis præstandæ?*

Assertio I. Inter exactiones ordinarias numeratur primò Canonica portio, quæ ex relictis, & proventibus Ecclesiis obvenientibus detrahitur, & Prælatis debetur, eáque duplex est, Episcopalis, & Parochialis, *n.* 40. De quibus supra. Secunda exactio est Synodaticum, sive Cathedraticum; quia solvitur Episcopo in honorem Cathedræ Episcopalis ab Ecclesiis suæ Diœcesis, præterquàm à Monasterijs, *cit. n.* 40. De quibus suo loco. Tertia exactio ordinaria est, quarta decimationum, quæ de jure communi debetur Episcopo, ex omnibus decimis suæ Diœcesis, *n. eod.* Prædictæ exactiones, seu tributa, & alia jura Episcopalia debent præstari Episcopo ab omnibus Ecclesiis, in cujus Diœcesi sunt sitæ, *n.* 41. & *seq.*

§. II. *An prædium, vel fundus Ecclesiæ in dotem assignatus, liber sit ab omni servitio, tributo, & onere?*

Assertio I. Fundus Ecclesiæ assignatus in dotem debet esse immunis ab omni servitio, & tributo temporali: non autem ab Ecclesiastico, *n.* 43. Ubi tamen

men distinguendum est inter censum, vel tributum de novo impositum, & antiquum; nam novum tributum temporale, & sæculare Ecclesiasticis bonis imponi non potest: aliud est, si bona Ecclesiæ in dotem data, ab antiquo fuerunt tributaria, de quo *num.* 44. Probabile tamen est, bona collata Ecclesiæ ad ejus necessariam dotationem, esse libera ab omni censu, tributo, & onere, reali, temporali, sive sæculari, quamvis ab initio, antequam ad Ecclesiam pervenirent, tali oneri essent obnoxia, *num. eod.* Ass. 2. Ecclesia ex bonis, quæ ultra necessariam dotationem ei donata sunt, debet præstare debita servitia, & alia onera, scilicet merè realia, & perpetua ipsis rebus imposita, etiam dominis temporalibus, *n.* 45.

§. III. *Quis possit imponere collectas, & exactiones novas, & extraordinarias, & quibus illæ imponi non possint?*

Assertio I. Imperatores, Reges, & alij Principes in temporalibus Superiorem non recognoscentes tantùm possunt exigere, & imponere novas collectas, contributiones, & vectigalia; quamvis peccent, si id faciant, sine justa causa: alij verò inferiores Principes, & Magistratus id non possunt, nisi ex concessione, vel privilegio supremi Principis, vel ex antiqua consuetudine, cujus initij memoria non extat, tale jus acquisiverint, *n.* 46. Quid sint pedagia, & quidagia? *n.* 47. Et quæ sit pœna canonica decreta in eos, qui sine legitima auctoritate, & causa, imponunt nova vectigalia, & gabellas? *nu. eod.* Ass. 2. Vectigalia, & aliæ similes collectæ, & tributa, etsi aliàs licitè, & justè imponi possint, ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis exigi non possunt, *n.* 48. Debent autem Diœcesani locorum publicare sententias excommunicationis, & interdicti à jure prolatas in eos, qui vectigalia, & alia hujusmodi tributa exigunt, vel extorquèt ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro earum rebus proprijs, quas negotiationis causâ non deferunt, vel deferri faciunt, *nu.* 49. & 50. Ass. 3. Præter Clericos, & alias personas Ecclesiasticas non tenentur solvere collectas, seu tributa, & exactiones ordinarias, pauperes, & cœci, *n.* 15. *& seq.* Item cœci, aliique morbo corporali perpetuo laborantes, excusantur à muneribus, seu oneribus personalibus, quæ imponuntur personis, *cit. n.* 52.

§. IV. *An, & quâ ratione Episcopi, aliique Prælati inferiores possint collectas extraordinarias subditis suis imponere, vel ab ijs exigere?*

Possunt Episcopi, pro multis necessitatibus, quæ obveniunt, si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate, moderatum à Clericis subditis auxilium petere, *nu.* 53. Quær. 1. Quinam possint exigere subsidium charitatis? Resp. Episcopi electi, & confirmati: etsi consecrati non sint, & qui similem Episcopali jurisdictionem habent, possunt illud exigere, & alij, qui recensentur, *n.* 54. Qu. 2. Ex quibus causis charitativum subsidium exigi possit? Resp. In genere loquendo, causa exigendi hoc subsidium debet esse manifesta, & rationabilis, cujusmodi est in specie pro debitorum solutione, quæ in utilitatem Ecclesiæ sunt contracta, & aliæ, quæ enumerantur, *n.* 55. Quær. 3. A quibus personis charitativum subsidium exigi possit? Resp. Ab Ecclesiis, & Clericis Beneficiatis Episcopo subjectis: non ab illis, qui Beneficium non habent, neque à Laicis, *num.* 56. Etiam Canonici Ecclesiæ Cathedralis obligantur, ad hoc subsidium præstandum; non autem Monasteria, & Ecclesiæ Regularium, etiam non exempta, nisi ratione Capellarum eis annexarum, *cit. nu.* 56. Quær. 4. An Episcopus subsidium charitativum possit remittere, & an contra illud præscribi possit? Resp. Non posse remittere omnino, & in perpetuum, ac proinde, nec contra illud præscribi potest, saltem ordinario tempore: etsi probabiliter possit tempore immemoriali, *n.* 57. Denique Archidiaconi non debent collectas facere, per Archidiaconatus suos, & generatim collectores pecuniarum non debent gravare Ecclesias, alioquin privandi sunt officio suo, *n.* 58.

Sectio III. *De Procurationibus.*

§. I. *An, cur, & quomodo procurationes sint præstandæ visitantibus Ecclesias, & Clericos, & an etiam exigi, vel recipi possint in pecunia?*

Assertio I. Procurationes solvi debent, ratione visitationis, *n.* 59. Ass. 2. Procurationes ab Ecclesiis solvendæ, tempore visitationis, debent esse moderatæ, habitâ ratione facultatum earundem, *nu.* 60. Ass. 3. Nomine procurationum præstari debent ab illis, qui visitantur, victualia, quæ ad victum scilicet pertinent, sufficientem pro ipso Visitatore, ejúsque moderato comitatu, & pabulum pro equis, secundùm consuetudinem Patriæ, seu Provinciæ, *n.* 61. Ass. 4. Olim ab ijs, qui præstare debebant procurationes victualium, invitis, non poterant exigi in pecunia: bene tamen à volentibus recipi in pecunia: hodie tamen Visitatores pecuniâ accipere non possunt, sed invictualibus tantùm expensas moderatas, neque etiam quælecúnque munus accipere possunt, alioquin in duplum restituere debent, *n.* 62. An etiam esculenta, seu poculenta possit Visitator recipere? *n.* 63. Idem statutum est, non tantùm de Archiepiscopis: sed etiam de omnibus alijs Visitatoribus, & quæ sint pœnæ exigentium pecuniam, vel recipientium munera? *n.* 64. Qualiter jure novo Visitatores locò victualium certam pecuniam possint recipere? *n.* 65. Quid de procurationibus statutum sit in Concil. Trident. *n.* 66.

§. II. *Quibus Prælatis, & quando, ac quâ ratione præstari debeant procurationes?*

Procurationes, quæ debentur ratione visitationis, Prælatis, absque manifesta, & necessaria causa ab ijs exigi non debent, & non, nisi quando personaliter visitant, & servatâ moderatione: atque prædictioni, correctioni, ac reformationi vacare debent. Item Legati, & Nuntij Apostolici, pro illis diebus tantùm, quibus morantur in aliquo loco, procurationes accipere debent, & si quid contra hoc exactum fuerit, in duplum restituatur, *n.* 67. *& seq.* Ex privilegio Apostolico Visitatores per alios visitare possunt, & modus sumptibus procurationum præscriptus, servandus est, pro cujuscúnque Provinciæ varietate, & Visitatorum dignitate, *num.* 69. Si Episcopus uno die visitet duas Parochias, quarum quælibet ad integram procurationem sufficit, non duas: sed unam tantùm procurationem accipere potest, *num.* 70. Legatis, & Nuntijs Sedis Apostolicæ non principaliter ratione visitationis, datur procuratio: sed quia subeunt alia etiam munera, adeóque etiamsi non visitent, *n. eod.*

§. III. *Quænam Ecclesiæ, vel loca Ecclesiastica, aut personæ, & quibus teneantur solvere procurationes, vel non teneantur?*

Assertio I. Omnes Ecclesiæ sæculares, & regulares, Monasteria, & personæ: item Capellæ in Ecclesiis

siis Collegiatis erectæ, & Oratoria publicâ Episcopi auctoritate instituta, solvere debent procurationes Episcopo Diœcesim personaliter visitanti, aut alteri Visitatori: nisi specialiter sint exempta, *n.* 71. Extenditur 1. quòd etiam Archiepiscopo visitanti Provinciam à Monasterijs non exemptis solvi debeant procurationes, *n.* 72. 2. Episcopus non tantùm ab Ecclesiis suæ Diœcesis: sed etiam ab Ecclesiis Civitatis Episcopalis, quas visitat, procurationem potest exigere, & recipere, *n.* 73. *& seq.* Omnes Ecclesiæ etiam Legatis, & Nuntijs Sedis Apostolicæ procurationes solvere tenentur: nisi per speciale privilegium sint exemptæ, nec valet præscriptio contra procurationes, *n.* 75. *& seq.* Religiosi subire tenentur onera, ut sunt procurationes Legatorum Sedis Apostolicæ, ac Jura Episcopalia, quæ incumbebant Ecclesiis, per eos, ante Concilium Viennense acquisitis: nisi privilegio, seu exemptione, vel aliâ justâ causâ excusentur, quæ tamen privilegia, vel exemptiones non extenduntur ad Ecclesias, post Concilium Viennense acquirendas, *n.* 77. 5. Parochiani laici non tenentur solvere procurationes, *n.* 78. Ass. 2. Ecclesiæ, seu loca, aut personæ Ecclesiasticæ, speciali privilegio Sedis Apostolicæ exemptæ à procuratione solvenda, vel generaliter ab omni jurisdictione, ac jure Episcopali, non tenentur procurationem Episcopo, vel Archiepiscopo solvere, *num.* 79. 2. Neque Hospitalia, & alia hujusmodi pia loca Episcopi auctoritate instituta: quamvis possint visitari ab Episcopo, *nu. eod.* 3. Non debent procurationes solvi ab Oratorijs privatis, *n.* 80. Quæ sit differentia inter Ecclesiam, & Oratorium privatum? *n.* 81. Episcopus non debet ratione visitationis procurationem exigere à pauperibus Ecclesiis, vel Clericis, *n.* 82.

§. IV. *Alia quædam ad procurationes pertinentia proponuntur, & explicantur.*

Assertio I. Non potest Jus procurationis, ratione visitationis Jure communi debitæ, in totum, & in perpetuum remitti ab Episcopo, expressè, aut per pactum, *n.* 83. Sed neque in generali remissione servitiorum sibi ab Ecclesia inferiore debitorum, censeri debet, visitationem, & procurationem illi annexam esse remissam, *nu.* 84. Quænam in generali remissione jurium, ab Episcopo factâ censeantur excepta, nisi specialiter exprimantur? *num. eod.* Ass. 2. Si ab Ecclesia aliqua, cum consensu Patroni, in fundatione, procuratio, absque determinata quantitate, alteri Ecclesiæ solvenda, sit imposita, illa augeri non debet: nisi facultates Ecclesiæ notabiliter creverint, *n.* 85. Deducitur corollarium, *n.* 86. Ass. 3. Si in aliquo loco, aut Diœcesi, in procurationibus, aut alijs servitijs præstandis, certum quid non constitutum sit, attendenda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum *n.* 87. Ass. 4. Archi-Episcopus, qui Jure Metropolitano, vel Legationis Apostolicæ visitat Provinciam suam, potest debitas procurationes exigere, juxta facultates Ecclesiarum, & illos, qui eas denegant, excommunicare, *n.* 88. & 89.

§. V. *De visitatione, ob quam debentur procurationes.*

Quær. 1. Quinam jus, & potestatem habeant visitandi? Resp. Officium hoc pertinet ad eos, qui ordinariam jurisdictionem in Ecclesias, vel Clericos sibi subjectos habent, quales sunt Episcopi, iisque Superiores. Item Legati Apostolici, & Capitulum Cathedrale, Sede vacante, & Prælati Regulares, *n.* 90. An, & à quo visitari possint Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ exemptæ, Regulares, & Sæculares? *num.* 91. *& seq.* A quo visitari debeant, ac possint Ecclesiæ, quæ nullius Diœcesis sunt, sæculares, vel regulares, sive curatæ sint, sive non, item personæ, quæ nullius Diœcesis sunt, sæculares, vel regulares? *n.* 93. Quoties visitatio fieri possit, ac debeat? Semel in anno ordinariè, quamvis etiam, si opus fuerit, sæpius in anno; & an etiam Capitula Ecclesiarũ Cathedralium? *n.* 94. 4. Quo ordine, & modo facienda sit visitatio ab Archiepiscopo, & Episcopo, *n.* 95. *& 5. seqq.* Quæ possint accipere Episcopi, si venerint ad Monasteria hospitalitatis, vel visitationis causâ, *n.* 101.

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 43. *& seq.*
c. 2. *n.* 2.
c. 3. *n.* 7.
c. 4. *n.* 51. *& seq.*
c. 5. *n.* 3. *& trib. seqq.*
c. 6. *in princ. n.* 60. §. *Prohibemus, num.* 53. *& §. fin. n.* 60.
c. 7. *n.* 8. *& 9.*
c. 8. *n.* 10. *& duob. seqq.*
c. 9. *n.* 13.
c. 10. *n.* 46. *& seq.*
c. 11. *n.* 14. *& seq.*
c. 12. *n.* 58.
c. 13. *n.* 16. *& seq.*
c. 14. *n.* 72. *& seq.*
c. 15. *n.* 19. *& seq.*
c. 16. *n.* 85.
c. 17. *n.* 75. *& seq.*
c. 18. *num.* 36. *& duobus seqq.*
c. 19. *n.* 41. *& seq.*
c. 20. *n.* 22. *& seq.*
c. 21. *n.* 84.
c. 22. *n.* 87.
c. 23. *n.* 67. *& 68.*
c. 24. *n.* 73. *& seq.*
c. 25. *n.* 88. *& seq.*
c. 26. *n.* 23. *& seq.*
c. 27. *& ult. n.* 80. *& seq.*

In Sexto.

c. 1. *in princ. n.* 95. *& trib. seqq.* §§. *n.* 96. *& seqq.* §. *ult. n.* 99.
c. 2. *n.* 94.
c. 3. *n.* 65.
c. 4. *n.* 48.
c. 5. *& ult. n.* 100.

In Clementinis.

Clement. 1. *n.* 77.
Clement. 2. *n.* 101.
Clement. 3. *& ult. n.* 49. *& seq.*
Extravag. un. n. 69.

TITVLVS XL.
DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, vel Altaris.

§. I. *A quo, quando, & qualiter consecrari possint Ecclesiæ, & an requiratur ad consecrationem Ecclesiæ dotatio?*

Asserito I. Solus Episcopus potest consecrare Ecclesias, & quidem proprius, non alienus: nisi cum licentia proprij, *n.* 1. Ass. 2. Ecclesiæ consecrari possunt, quolibet die, non tantùm diebus festivis: sed etiam profanis, *num.* 2. Ass. 3. Episcopus Ecclesiam consecrare non debet, nisi Missam celebret, idque ex præcepto: quamvis ad substantiam consecrationis id non requiratur. Ecclesia semel consecrata iterum non est consecranda. *n.* 3. Ass. 4. Ecclesia non est consecranda, nisi priùs de dote competente ei fuerit provisum, *n.* 4. Sed neque Ecclesia fundanda est, vel ædificanda, nisi priùs dos ei fuerit assignata, *n.* 5. Et quidem competens, *n.* 6.

§. II. *In quibus casibus Ecclesia execretur, ita, ut novâ consecratione indigeat?*

Tres sunt casus, primus est, si nesciatur, vel dubitetur, an Ecclesia aliqua fuerit consecrata, necne, nec appareat aliquod indicium, ex quo probari possit, vel præsumi, illam esse consecratam, *n.* 7. Secundus est, si Ecclesia igne sit exusta, ita, ut parietes interio-

res fuerint combusti, vel devastati, aut abbrasi, ex toto, vel ex majore parte, *n.* 8. Tertius casus est, si totum Ecclesiæ ædificium, sive casu fortuito, sive consultò destruatur, non tantùm quoad tectum: sed etiam quoad parietes, ita, ut ex toto, vel saltem ex majore parte sint destructi, tunc Ecclesia amisit consecrationem, & de novo est consecranda, *n.* 9. An, si parietes Ecclesiæ, non simul, & in totum: sed paulatim per partes minores, seu parvas destruantur, aut corruant, ita tamen, ut nunquam major pars simul destructa sit, Ecclesia denuo sit consecranda? *cit. n.* 9.

§. III. *Quot, & quibus modis polluatur, sive violetur Ecclesia, ita, ut in ea divina Officia celebrare non liceat, priusquam reconcilietur: ac quomodo, & à quo Ecclesia polluta reconcilianda sit?*

Assertio I. Ecclesia pluribus modis polluitur. Veluti 1. Per homicidium factum in Ecclesia, idque voluntarium, & injuriosum, vel saltem contra Religionem, ac reverentiam loco sacro debitam, commissum, ut, si mors inferatur reo per sententiam Judicis, *n.* 10. 2. Polluitur Ecclesia, per vulnera ibi inflicta, citra mortem, sive per humani sanguinis effusionem, eamque copiosam, & voluntariè factam, *num.* 11. 3. Polluitur per adulterium, vel aliam illicitam copulam carnalem, & quamcúnque voluntariam, & illicitam seminis effusionem, intra Ecclesiam factam: imò etiam per actum conjugalem; quia fit injuria, & irreverentia loco sacro; nisi necessitas excuset, ut, si conjuges Ecclesiæ inclusi esse cogantur: debet autem fornicatio, vel seminis effusio esse publica, vel occultè facta, postea publicè innotescere, *nu.* 12. 4. Polluitur Ecclesia, si in illa sepeliatur fidelis excommunicatus, & quidem post Concilium Constantiense, nominatim excommunicatus, vel notorius percussor Clerici, *n.* 13. Polluitur Ecclesia per sepulturâ hominis infidelis, aut non baptizati. *n.* 14. An Ecclesia consecrata, vel benedicta ab Episcopo notoriè excomunicato polluatur? *n.* 15. An violatâ Ecclesiâ, violentur etiam ædificia ei cohærentia, ut sacristia, vel turris, aut tectum Ecclesiæ? *n.* 16. Si alia percussio, etsi enormis, fiat intra Ecclesiam, citra sanguinis effusionem, non polluitur Ecclesia, *num.* 17. Quibus casibus, polluitur Ecclesia, etiam non consecrata: modò ad Divinum cultum auctoritate Episcopi sit destinata? *n.* 18. Ass. 2. Ecclesia consecrata, si polluta fuit, reconciliari potest, ac debet per aspersionem aquæ consecratæ, cum vino, & cinere, & sale: si verò Ecclesia tantùm sit benedicta ab Episcopo, potest reconciliari per aspersionem simplicis aquæ benedictæ, per simplicem Sacerdotem, *n.* 19. Ass. 3. Si Ecclesia consecrata polluta fuit, ea conciliari potest, ac debet aquâ per Episcopum benedictâ, & quidem ab Episcopo proprio, vel ejus mandato, per alium: per simplices verò Sacerdotes hujusmodi reconciliatio fieri non potest, etiam aquâ per Episcopum benedictâ, *nu.* 20. Consecratio Ecclesiarum non potest ab Episcopo committi Clericis inferioribus non Episcopis, *n. eod.* Ass. 4. Si Ecclesia non consecrata, sed benedicta tantùm, vel publicè deputata ad cultum Divinum polluta fuit, ea reconcilari potest aquâ non benedictâ ab Episcopo, sive aquâ lustrali benedictâ per simplicem Sacerdotem, *n.* 21.

§. IV. *De Consecratione, & execratione, sive violatione Altaris.*

Duplex est Altare, immobile, quod lapideum esse debet, & mobile, seu portatile. Et quod sit discrimen inter utrumque? *n.* 22. Quæritur 1. Quando, sive in quibus casibus Altaria execrentur, sive consecrationem amittant, ita, ut iterum consecrari debeant? Respon. Altare, sive mobile, sive immobile amittit consecrationem 1. Per fractionem notabilem lapidis, in quo continetur sigillum mensæ superioris, vel lapidis altaris portatilis, *nu.* 23. Altare item execratur, si lapis, seu mensa superior, cui est affixa, amoveatur, *n.* 24. Proponuntur Capitula, in quibus agitur de execratione, seu violatione altarium, *n.* 25. 26. & 27. An, si violetur, vel spolietur sigillum altaris, hoc consecrationem amittat? *n.* 26. Quær. 2. An Ecclesiâ execratâ, vel pollutâ, etiam Altare execretur, vel polluatur, ? Resp. Si Ecclesia consecrationem amittat, non ideo Altare etiam illam perdit, & è converso: at verò pollutâ Ecclesiâ, omnia Altaria fixa polluta censentur, & vice versâ, *nn.* 28. Possunt in una Missa, & una eadémque Ecclesia plura Altaria simul consecrari, *n.* 29.

§. V. *De consecratione, pollutione, & reconciliatione Cœmeterij.*

Quær. 1. Quomodo Cœmeterium consecretur, aut benedicatur? Resp. consecratur, vel benedicitur eodem modo, quo Ecclesia: & hac consecratâ, etiam Cœmeterium ei conjunctum consecratum præsumitur *n.* 30. Quær. 2. Quibus modis cœmeterium polluitur, & reconciliatur? Resp. ijsdem modis polluitur, quibus Ecclesia, *nu.* 31. Et eodem quoque modo reconciliatur, *num.* 32. Quær. 3. An pollutâ Ecclesiâ, polluatur etiam Cœmeterium, & vice versâ; Respon. Ecclesiâ pollutâ, censetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum, sed non remotum: contrà verò polluto cœmeterio, non censetur polluta Ecclesia. Quòd, si plura sint cœmeteria contigua, polluto uno, non est pollutum alterum illi contiguum, licèt per portam de uno, ad alterum detur ingressus, *nu.* 33. Quid, si porta intermedia polluatur, an etiam polluantur cœmeteria, vel quodnam ex illis? *n.* 34.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 25.

c. 2. *n.* 2.

c. 3. *n.* 27.

c. 4. *n.* 10. & 11. *nu.* 19. & 27.

c. 5. *n.* 29.

c. 6. *cit. n.* 27.

c. 7. *n.* 13. 31. & 32.

c. 8. *n.* 4. & *duob. seqq.*

c. 9. *n.* 20.

c. 10. & *ult. n.* 18. & 19.

In Sexto.

c. unic. n. 33.

TITVLVS XLI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET Sacramento Eucharistiæ, & Divinis Officijs.

Cap. 2. prohibetur, ne Laici, singulis diebus, audiant Missam votivam, sed Missam de Feria, vel Festo occurrente, *n.* 1. Cap. 3. Sufficit Sacerdoti, semel in die unam Missam celebrare, excepto die Nativitatis Domini, & ex causa necessitatis, *n.* 2. Cap. 4. In diebus profestis, non dicitur in Missa Hymnus Angelicus, nec Symbolum Apostolorum, nec Hymnus Ambrosianus in Laudibus, *n.* 3. Cap. 5. Ablutio sumenda est, infuso vino: nisi alia Missa eo die sit legenda, *n.* 4. Cap. 6. Si quæ verba sunt in Canone Missæ, quæ ab Evangelistis dicta non sunt, credendum est, quòd Apo-

Apostoli à Christo acceperũt, & Successores eorum ab Apostolis, *n.* 6. In Sacramẽto Eucharistiæ hæc tria sunt distinguẽda, forma visibilis, sive species panis, & vini; & Sacramentum, hoc est, signum rei sacræ, & non res: & virtus charitatis, & unitatis, quæ est res, & non Sacramentum, *n.* 6. In Sacramento Eucharistiæ probabilius est, aquam cum vino in sanguinem converti; *n.* 7. Qualiter Oratio secreta in Festo S. Leonis immutata est? *nu. eod.* Cap. 7. Sacerdos, qui Hostiam non consecratam portigit, graviùs peccat, quàm ille, qui in peccato mortali consecrat, *n.* 8. Cap. 8. Christus fuit verus DEUS, & homo, constans vero, & non phantastico corpore. Item ex latere Christi, non phlegma, sed vera aqua profluxit, *num.* 9. Cap. 10. Eucharistia debet asservari in loco mundo, & obsignato. Et cum elevatur in Missa S. Hostia reverenter à populo adorari, & cum lumine deferri ad infirmos debet, transgressores verò graviter sunt puniendi, *nu.* 10. Cap. 11. Missæ duæ Conventuales celebrari debent in Ecclesiis Collegiatis: una pro defunctis, altera de Festo, vel Feria currente, *nu.* 11. Cap. 12. Episcopus tantùm in die Cœnæ debet Missam celebrare, & Chrisma conficere, *n.* 12. Cap. 13. In Sacrificio Missæ, plus vini, quàm aquæ est apponendum, *nu.* 13. Cap. 14. *& ult.* Sacerdos, qui sine aqua vino admixta, & sine igne, seu lumine, vel in pane fermentato, aut calice ligneo, Missam celebrat, ab Officio, & Beneficio est deponendus, *n.* 14. Quæ preces in Missa pro necessitatibus Ecclesiæ sint dicendæ? *cit. n.* 14.

§. II. *Proponuntur Capitula, quæ ad Divina Officia pertinent.*

Cap. 1. Clericus, Horas Canonicas dicere debet horis competentibus, etsi ex justa causa possit eas persolvere manè, usque ad Vesperas inclusivè, *n.* 15. Cap. 9. Prælatis, & Clericis præcipitur in virtute obedientiæ, ut Officium nocturnum pariter, ac diurnum studiosè, & devotè celebrent, *n.* 16. Clement. 1. Prelati, eorúmque Superiores curare debent, ut in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, ac Regularibus, horis debitis, devotè psallatur, & in alijs Ecclesiis debitè, ac devotè Divinum Officium celebretur, *n.* 17. Clement. 2. Clerici, etiam Religiosi, commensales, ac domestici Cardinalium, vel Episcoporum possiunt in Divinis Officijs se ipsis conformare, *n.* 18.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 15.
c. 2. *n.* 1.
c. 3. *n.* 2.
c. 4. *n.* 3.
c. 5. *n.* 4.
c. 6. *n.* 5, 6. *& 7.*
c. 7. *n.* 8.
c. 8. *n.* 9.
c. 9. *n.* 16.
c. 10. *n.* 10.
c. 11. *n.* 11.
c. 12. *n.* 12.
c. 13. *n.* 13.
c. 14. *& ult. n.* 14.

In Clementinis.

In Clement. 1. *n.* 17.
Clement. 2. *n.* 18.
Extravag. unic. n. 14.

TITULUS XLII.
DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

§. I. *De forma Baptismi, & immersione, sive aspersione aquæ, & alijs quibusdam ad Baptismum pertinentibus.*

Baptizatus non est parvulus, si non dicatur, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* quamvis ter immergatur in aqua: pronomen tamen *Ego*, & *amen*, non requiritur ad essentiam, *n.* 1. Baptismus validè administratur, sive conferatur, immersione corporis in aquam, eáque binâ, vel unâ tantùm: sive aspersione tantùm aquæ: in qua re tamen in praxi observanda est consuetudo cujusque Diœcesis, *num.* 1. Conciliantur Canones, qui sibi invicem adversari videntur, circa formam verborum Baptismi, *n.* 2. An valeat Baptismus collatus in nomine S. Trinitatis, vel Christi, non expressis tribus Personis Divinis? *n. eod.* Cap. 2. Si probabiliter dubitetur, an quis fuerit baptizatus, is baptizandus est sub conditione, *n.* 3. Cap. 4. Nemo potest se ipsum baptizare, etiam instante mortis periculo; quia debet esse distinctio personarum inter baptizantem, & baptizatum, *n.* 4. Cap. 5. Non valet Baptismus, sit desit verbum, seu forma verborum, vel aquæ elementum, *n.* 6. Baptizati à Latinis, non debent à Græcis rebaptizari, *n.* 7. In Clement. unic. Baptismus non debet conferri: nisi in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad hoc deputati: præterquam, si sint Regum, vel Principum liberi, vel necessitas non permittat, ut baptizandi deferantur ad Ecclesiam; *num.* 8.

§. II. *De effectu Baptismi.*

Baptismus utiliter confertur parvulis, licèt actu nõ credant, nec intelligant, & remittitur eis peccatum originale: imò etiam fides, charitas aliæque virtutes, ijs infunduntur, quoad habitum, etsi non quoad actum, donec adulti fiant. Verùm peccatum originale, quod contrahitur, sine consensu, remittitur etiam sine cõsensu parvulis, vi Sacramẽti: secus est de actuali peccato, quod sicut committitur cum consensu, ità sine eo non relaxatur. Peccatum originale, per Baptismum dimittitur parvulis, etsi consentire non possint: adultis verò amentibus, vel dormientibus, qui non consentiunt, in Baptismo non dimittitur peccatum actuale, imò nec originale. Qui terroribus, & supplicijs violenter trahitur ad Baptismum, & ne aliud damnum incurrat, illum suscipit, recipit Sacramentum, & cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. Qui verò nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Item, si dormientes, vel amentes baptizentur, qui antequam dormirent, vel insanirent, contradicebant, non accipiunt characterem Sacramenti: si verò non contradicebant, sed sunt Cathecumeni, baptizati in somno, vel amentia, recipiunt characterem Sacramenti, *n.* 9.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 1.
c. 2. *n.* 3.
c. 3. *n.* 9.
c. 4. *n.* 4. *& seq.*
c. 5. *n.* 6.
c. 6. *& ult. n.* 7.

In Clementinis.

Clement. unic. n. 8.

TITULUS XLIII.
DE CLERICO NON BAPTIZATO.

Cap. 1. Si Presbyter cognoscatur, quòd non fuerit baptizatus, baptizari debet, & iterum ordinari, *n.* 1. Cap. 2. Is, qui non est baptizatus, salvari potest, si probabiliter credat, se esse baptizatum, *nu.* 2. Peccatum originale non tantùm dimittitur per Baptismum fluminis, sive aquæ: sed etiam per Baptismum sanguinis, cum quis pro Fide Christi occiditur,

ditur, & in Baptismo flaminis, cùm invisibiliter quis per Fidem Christi baptizatur, cum desiderio, seu voto, saltem implicito, suscipiendi Baptismum fluminis, quando reipsâ ipsum suscipere non potest, *nu. 3.* In quo differat Baptismus flaminis à reliquis Baptismis? *cit. n. 3.* An, qui probabiliter credit, se esse baptizatum, cùm tamen non sit, possit conficere Sacramentum Altaris, vel à peccatis absolvere, vel Ordines suscipere? *n. eod.* Cap. 3. Non baptizatus non potest ordinari, & si de facto ordinetur, non recipit characterem Ordinis: sicut probabiliter credatur, esse baptizatus, *n. 4.* Qui natus ex Christianis parentibus, & inter Christianos in fide educatus est, præsumitur certò, quòd baptizatus fuerit, donec contrarium evidentissimè probetur, *n. eod.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. *c. 2. n. 2.*
c. 3. & ult. num. 4. & 5.

TITULUS XLIV.
DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, & aliorum Sacramentorum.

Cap. 1. Eucharistia, & Chrisma, debent fideliter sub clavibus custodiri, & contrafacientes sunt puniendi, *n. 1.* Cap. 2. Supellectilia propria Clericorum, vel Laicorum, in Ecclesiis admitti non debent, nisi ob urgentes necessitates. Item Oratoria, vasa sacra, Corporalia, & Pallæ Altaris, & vestimenta Ministrorum Ecclesiæ, munda, & nitida, conservari debent, *n. 2.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. *c. 2. n. 2.*

TITVLVS XLV.
DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE Sanctorum.

§. I. *De veneratione, & Canonizatione Sanctorum.*

Nemini licet, aliquem publicè colere, ut Sanctum, etiamsi per eum Miracula fierent, sine auctoritate Papæ, *nu. 1. & 2.* Solus Papa potest aliquem in Sanctorum numerum referre, *nu. 3.* Ad Canonizationem alicujus Sancti, tum sanctitas vitæ, tum miracula requiruntur, *nu. 4.* Festa XII. Apostolorum, IV. Evangelistarum, & IV. Doctorum Ecclesiæ debent sub duplici Officio solenniter celebrari, *nu. 5.* Item Festum Corporis Christi, singulis annis, Feriâ V. Post Octavam Pentecostes, certis cum Indulgentijs, *n. 6.* Easdem Indulgentias lucrantur, qui Conceptionem immaculatæ Virginis, cum ejus Officio devotè celebraverint, vel ei in eodem Festo, & per Octavam ejus interfuerint, *num. 7.* Prædicatores, qui asserunt, B. Virginem fuisse in peccato originali conceptam, sunt ipso facto excommunicati, *n. 8.*

§. II. *De Reliquiis Sanctorum, earúmque veneratione.*

Reliquiæ, extra capsam ostendi non debent, nec venales exponi. Inventas verò de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi fuerint priùs auctoritate Papæ approbatæ: nec Prælati permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, venerationis causâ, accedunt, falsis documentis decipi, *num. 9. & 10.* Nec de Jure communi, nec ex Decreto Concilij Tridentini, potest Episcopus approbare Reliquias omnino novas, id est, Sancti ab antiquo non approbati, *n. 11.* Probabilius est, Episcopum, saltem cum consensu Capituli, & ex justa causa, posse transferre Corpora Sanctorum, ab una Ecclesia ad aliam, etiam sine licentia Papæ, *n. 12.*

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. & trib. seqq.
c. 2. & ult. n. 9. & seq.
c. unic. in 6. n. 5.
Clement. unic. n. 6.
Extravag. 1. inter communes, n. 7.
Extravag. 2. n. 8.

TITULUS XLVI.
DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Cap. 1. Si Festum aliquod inciderit in Feriam II. jejunari debet in Sabbatho præcedente, ratione Vigiliæ, occurrentis in Dominica. Item in Vigilia S. Matthiæ, est jejunandum, *n. 1.* Cap. 2. In Vigilijs omnium Apostolorum jejunandum est ex præcepto, præter Vigilias SS. Apostolorum Philippi, & Jacobi, & S. Joannis Evangelistæ. Festum S. Bartholomæi, celebrari debet, secundùm consuetudinem locorum, die 24. vel 25. Augusti, *n. 2.* Qui propter necessitatem carnes comedunt in Quadragesima, non peccant, nec puniendi sunt. Item circa comestionem carnium in die Sabbathi, consuetudo Regionis cujusque observanda est: sicut etiam, quando in Quadragesima, vel alijs jejunijs infirmi petunt, sibi indulgeri esum carnium, is debet illis concedi, si magna necessitas exigat, *cit. n. 2.* Cap. 3. & ult. Omnes, si Festum Nativitatis Domini incidat in Feriam VI. carnibus vesci possunt, exceptis illis, qui voto etiam simplici, vel vi Regulæ, quam professi sunt, tenentur abstinere à carnibus: qui verò ob devotionem, etiam illo die, abstinere volunt, non sunt reprehendendi, *n. 3.* Consuetudo Ecclesiæ universalis, etiam quoad relaxationem jejunij, seu abstinentiæ à carnibus, utique servanda est, & an etiam particulares consuetudines locorum, quoad jejunium, sint validæ? *nu. 4.* Qui generaliter vovit, nunquam vesci carnibus, non potest eas comedere, etiam in Nativitate Domini, occurrente Feriâ VI. Secus est, si quis vovit specialiter, abstinere à carnibus, omnibus diebus Veneris totius anni, *nu. 5.* Religiosus factus Episcopus, potest licitè carnibus vesci in Festo Nativitatis Christi, occurrente die Veneris, non obstante Regulâ, & Statuto Ordinis, nec voto simplici de abstinentia à carnibus, *n. 6.*

SERIES CAPITVLORVM.

In Antiquis.

c. 1. n. 1. *c. 3. & ult. nu. 3. & trib.*
c. 2. n. 2. *seqq.*

TITULUS XLVII.
DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

Cap. unic. Mulier, post partum, potest statim ingredi Ecclesiam, sine peccato: si tamen ex reverentia aliquamdiu abstinere velit, non est ejus devotio improbanda, *n. 1.* Præcepta veteris Legis cæremonialia, quæ figurabant, Christum venturum, & novam Legem futuram, non tantùm non obligant, & mortua sunt: sed etiam sunt mortifera, ita, ut illicitum sit, ea observare tempore Legis novæ. Judicialia verò, mortua quidem sunt, quia non obligant, tempore novæ Legis, non tamen sunt mortifera; quia ad-

hæ-

huc possunt observari sine peccato, quale præceptum est tempus purificationis, post partum, *n.* 2.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. unic. num. 1.

TITULUS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL reparandis.

Quær. 1. A quo, & cujus auctoritate Ecclesiæ ædificari de novo possint? Resp. 1. Quilibet de novo Ecclesiam ædificare potest, interveniente Episcopi Diœcesani auctoritate, dummodo etiam alteri Ecclesiæ per hoc præjudicium non inferatur, *n.* 1. Resp. 2. Ad Ecclesiam novam ædificandam non requiritur expressus Episcopi consensus: sed sufficit tacitus, si Episcopus scivit, Ecclesiam construi, & non contradixit, *n.* 2. Episcopus in fundatione Ecclesiæ debet in loco, ubi Ecclesia est ædificanda, Crucem figere, & primum lapidem ponere, *n.* 3. Quær. 2. Ubi debeat ædificari Ecclesia? Respon. in loco congruo, eóque proprio, & non alieno, *nu.* 4. Quær. 4. An, & ex quibus causis possit ædificari Ecclesia nova, etiam intra limites alterius Ecclesiæ, seu Parochiæ? Respon. propter nimiam distantiam, vel aliam magnam difficultatem, aut incommodum adeundi Ecclesiam Parochialem, potest, intra fines illius, nova Ecclesia construi, idémque innovatur in Concil. Trident. *num.* 5. Ex justa causa potest nova Parochia, seu Capella, intra limites alterius Parochiæ ædificari, & quænam causa requiratur? *n.* 6. Quando potest appellari, vel non, si erigatur nova Parochia, intra fines alterius? *n.* 7. Alia causa legitima ædificandi Ecclesiam novam est, ob necessitatem leprosorum, sine gravi tamen præjudicio Ecclesiæ Parochialis, *n.* 8. Leprosi non debent cogi, solvere Decimas ex hortis, & nutrimentis animalium suorum, *n. eod.* Possunt ob indigentiam populi, novæ Ecclesiæ ædificari, intra fines aliarum Ecclesiarum, non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, *n.* 9.

§. II. *Quænam, præter legitimam causam, conditiones necessariò requirantur, ad construendam novam Ecclesiam parochialem?*

Requiritur 1. Ut in illo loco, ubi nova Parochia est exstruenda, saltem 10. sint Parochiani, *n.* 10. 2. Requiritur, ut erectio novæ Parochiæ fiat ab Episcopo, cum consilio Capituli, imò, & consensu, *nu. eod.* 3. Ut citetur Rector Ecclesiæ matricis, imò etiam alij omnes, quorum interest, vocentur, *num.* 11. 4. Ut Ecclesiæ de novo constructæ competens dos assignetur, *nu. eod.* 5. Ut in erectione novæ Parochiæ, jus præsentandi Sacerdotem in illa reservetur illis, quibus jure debetur, *n.* 12. 6. Ut Ecclesiæ matrici in Ecclesia de novo erecta, pro facultate loci, præter patronatum, competens honor servetur, *num.* 13. 7. Ut Episcopus erigat novam Ecclesiam per se, vel per suum Vicarium generalem, speciale ad id mandatum habentem, *n. eod.*

§. III. *Quinam, & ex quibus reditibus teneantur Ecclesias reparare?*

Assertio I. Ecclesiæ vetustate, aut casu collapsæ, vel ruinosæ reparari debent ex reditibus Ecclesiæ, si certam portionem redituum habeat pro fabrica deputatam, nisi aliud habeat consuetudo; alioquin, si certi reditus, aut sufficientes assignati non sint pro fabrica, etiam Parochi cogi possunt, ad reparandam Ecclesiam, *n.* 14. Quin, & alij Clerici, qui Beneficium Ecclesiasticum habent, tenentur contribuere ad Ecclesias reparandas, & in defectum prædictorum, Parochiani, *n.* 15. Quæ dicta sunt de reparatione Ecclesiæ, etiam locum habent in reparatione ædium parochialium, *num.* 16. Hæc innovata sunt à Concil. Trid. *n.* 17. An etiam ij, qui percipiunt Decimas ex prædijs in aliena Parochia sitis, teneantur ad contribuendum pro reparatione illius Ecclesiæ, vel domûs parochialis? *nu.* 18. Ass. 2. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis, seclusâ consuetudine, solus Episcopus tenetur ex quarta redituum suorum, & si sit dives, etiam ultra quartam compelli potest: & quando Canonici etiam ad hoc teneantur, vel inferiores Clerici? *n.* 19. Ass. 3. Ad Ecclesias parochiales reficiendas non tenetur contribuere Patronus, *n.* 20.

§. IV. *De mutatione Ecclesiæ sæcularis, in regularem, & destructione ejusdem.*

Quær. 1. An Ecclesia sæcularis possit converti in regularem? Resp. posse, cum consensu Ordinarij, modò Clericis sæcularibus, dum superstites sunt, nullum præjudicium fiat, *n.* 21. Non potest, vice versâ, Ecclesia Regularis, converti in sæcularem, nisi in defectum Regularium, *nn.* 22. Non possunt Clerici inferiores mutare statum Ecclesiæ suæ, etiam in meliorem, *n. eod.* Non potest concedi privilegium Ecclesiæ primùm construendæ: bene tamen potest concedi privilegium, ut incipiat valere, postquam fuerit constructa; potest item Ecclesiæ ædificandæ legatum relinqui, vel ea hæres institui, *nu.* 23. Quær. 2. An Ecclesiæ destrui possint, & ad usus profanos converti? Resp. Non possunt, nisi auctoritate Episcopi, ex justa causa, quòd si destruantur, lapides, & ligna, non possunt applicari ad privatos usus Laicorum, *nu.* 24. An, & quomodo, si destruatur Ecclesia, amittantur privilegia loco sacro concessa, vel non? *n.* 25.

SERIES CAPITULORUM.

In Antiquis.

c. 1. *n.* 15. — *c.* 4. *n.* 14.
c. 2. *n.* 8. — *c.* 5. *n.* 21. *&* 22.
c. 3. *n.* 5. *&* 6. *&* *n.* 12. — *c.* 6. *&* *ult. n.* 9.

TITULUS XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, Cœmeterij, & rerum ad eas pertinentium.

Quid sit immunitas Ecclesiastica, eáque est triplex, localis, realis, & personalis, *n.* 1.

Sectio I. *De Immunitate locali, quæ competit Ecclesiis, & alijs locis Ecclesiasticis.*

§. I. *Quænam loca Ecclesiastica immunitate gaudeant?*

Assertio I. Ecclesiæ, seu Templa, etiam non consecrata, dummodo auctoritate Episcopi sint benedicta, vel ad publicum Sacrificij, & Sacramentorum usum, ac Officia Divina celebranda sint deputata, gaudent privilegio immunitatis, *nnm.* 2. Extenditur autem hoc privilegium immunitatis, ut habeat locum 1. Etiam in Ecclesia interdicta, 2. Etiam in Ecclesia polluta, & nondum reconciliata. 3. In omnibus locis, seu habitaculis, Ecclesiæ adhærentibus, ut sunt Sacristia, porticus, atrium, item turris, & tectum

Ecclesiæ. Imò etiam extenditur hoc jus immunitatis ad quæcúnque loca existentia in circuitu 40. passuum in Ecclesiis majoribus. 30. verò in minoribus. 4. Hoc privilegium competit etiam Ecclesiæ destructæ, sine Superioris auctoritate, dummodo subsit spes reparationis illius, *nu.* 3. Ass. 2. Hoc privilegio gaudent etiam Cœmeteria, item Oratoria privata; auctoritate tamen Episcopi ad Divinum cultum deputata; Hospitalia auctoritate Episcopi constituta. Item Monasteria, ac domus Religiosorum, cum ambitu claustri, *n.* 4.

§. II. *An in Ecclesiis, & alijs locis Sacris, aut Religiosis, Judicia exercere, sit contra immunitatem Ecclesiasticam?*

Assertio I. Causæ criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel corporali pœna, in Ecclesiis, & alijs locis sacris, tractari non debent, *nu.* 5. Neque etiam causæ civiles ad forum sæculare pertinentes in Ecclesia tractari possunt, ac debent, *num.* 6. Possunt autem Judicia, & causæ Ecclesiasticæ in Ecclesia tractari: quamvis magis deceat, ut extra Ecclesiam exerceantur, *n.* 7. An actor, vel reus, cui interdictus est Ecclesiæ ingressus, si causa judicialis tractetur in Ecclesia, repelli debet à judicio? *nu.* 8. Judex autem sæcularis, neque in domibus Ecclesiarum judicare potest, *nu.* 9. *& seq.* Licitum autem est, in Ecclesiis exercere actus quosdam extrajudiciales, qui non sunt jurisdictionis contentiosæ, *n.* 11.

§. III. *Quinam prætereà actus prohibiti sint in Ecclesiis, vel alijs locis Ecclesiasticis, propter reverentiam loci?*

Assertio I. Prohibiti sunt in Ecclesiis, & similibus locis fieri contractus, & negotiationes, & plura alia, de quibus *nu.* 12. & 13. Ass. 2. Sunt & alij prætereà actus prohibiti fieri in Ecclesiis, ut ludi theatrales profani, & convivia, *n.* 14.

Sectio II. *De Jure, sive immunitate Asyli, quod competit Ecclesijs, & alijs locis Ecclesiasticis.*

§. I. *Quo Jure Asylum, sive jus hoc Immunitatis sit constitutum, & quinam Rei criminis fugientes ad Ecclesiam, gaudeant immunitate Asyli?*

Assertio I. Hoc Jus, sive privilegium Asyli, introductum est, non jure naturali, ac Divino: sed humano solùm, tùm Canonico, tum Civili, *nu.* 15. Unde reus criminis ad Ecclesiam confugiens, non est inde violenter extrahendus, nec damnandus ad mortem, vel pœnam corporalem, & quid faciendum, si servus fugiat ad Ecclesiam? *n.* 16. Idem privilegium Asyli habet, qui fugiens ad Ecclesiam, sed quia clausa est, ingredi non potest, portam apprehendit: item qui fugit ad Sacerdotem portantem Christi Corpus, per plateas *n.* 17. Ass. 2. A prædicta Regula, nullum reum, propter ullum crimen, ad Ecclesiam confugientem posse inde violenter extrahi; Excipitur 1. Latro sive prædo publicus. 2. Nocturnus depopulator agrorum, qui segetes destruit, vel comburit, *nu.* 18. & 19. Ex consuetudine tamen etiam simplices fures non gaudent immunitate Ecclesiæ, *n. eod.* Excipitur 3. Si crimen grave in ipsa Ecclesia committatur, *n.* 20. Porro licèt in Jure Canonico expressé, & specificè solùm statutum reperiatur, non gaudere immunitate Ecclesiasticâ eos, qui committunt homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel Cœmeterijs, habet tamen id locum etiam in adulterio, raptu Virginum, & alijs quibuscùnque gravibus delictis comissis in locis sacris, *n.* 20. 2. In quibuscúnque gravibus criminibus, si illa in Ecclesia fiat commissa, spe consequendæ immunitatis, vel sine illa, reus privatur privilegio immunitatis, *n.* 22. 3. Etiam is, qui in una Ecclesia deliquit, & postea fugit ad aliam, non gaudet hujus imunitate, *n.* 23. 4. Nec is, qui prope Ecclesiam deliquit, spe immunitatis, si datâ operâ, & ex proposito deliquit prope Ecclesiam, *num.* 24. 5. Qui in Ecclesia existens occidit telo existentem extra Ecclesiam, vel mandat occidi, non gaudet immunitate: neque is, qui existens extra Ecclesiam, occidit, vel occidi mandat existentem in Ecclesia, *num.* 25. 6. Nec ille, qui existentem in Ecclesia, licèt ipse extra sit, per vim, & saltem per vestes extrahit, *n.* 26. An, si fur rem ablatam deferat ad Ecclesiam, gaudeat immunitate Asyli? *nu. eod.* Delinquens in porticu, vel porta Ecclesiæ non privatur immunitate Asyli, *n.* 27. Sunt & alia quædà crimina atrocia excepta, in quibus non habet locũ imunitas Asyli, etsi comissa sint, extra Ecclesiam, videlicet homicidium proditorium, crimen assassinij, hæresis, læsæ Majestatis *n.* 28. Jure Civili verò non gaudent etiam Asylo homicidæ, raptores Virginum, & adulteri: etsi extra Ecclesiam hæc delicta commiserint: sed hoc correctum est per Jus Canonicum, *n.* 29. An, si reus captus ex carcere, vel ex manibus Ministrorum justitiæ elapsus, fugiat ad Ecclesiam, gaudeat immunitate Asyli? *n.* 30.

§. II. *Utrùm omnes homines, sive liberi, sive servi, Laici, vel Clerici, aut Religiosis fideles, vel infideles gaudent immunitate Asyli in casibus jure concessis, & an etiam debitor ex causa civili?*

Assertio I. Non solùm homines liberi, sed etiam servi, si fideles, & baptizati sint, gaudent immunitate Asyli, ita, ut si ad Ecclesiam fugiant, violenter extrahi non possint, *n.* 31. Ass. 2. Omnes fideles, etsi excommunicati, vel interdicti fuerint, gaudent hac immunitate, *nu.* 32. An etiam Clerici, & Religiosi gaudeant immunitate Asyli, ita, ut ex Ecclesia extrahi non possint? Negativam sententiam tenent plures, ob rationes allatas, *n.* 33. Cum certis tamen limitationibus, *n.* 34. Altera sententia tenet oppositum, etiam Clericos, fugientes ad Ecclesiam, gaudere hac immunitate, ut extrahi non possint, ob rationes allatas, *nu.* 35. Resp. ad argumenta prioris sententiæ, *n.* 36. *& seq.* Utraque sententia est probabilis, sed secunda probabilior, *cit. n.* 37. An infideles, nempe Judæi, & Pagani, seu gentiles, fugientes ad Ecclesiam gaudeant ejus immunitate? Affirmant plures, *nu.* 38. Sed probabilius negatur: nisi ad Ecclesiam fugientes Baptismum sincerè petant, *n.* 38. Hæretici non gaudent immunitate Asyli, si propter crimen hæresis fugiant ad Ecclesiam, secus, si propter alia crimina, *n.* 40. Ass. 3. Rei, seu debitores, ex causa civili, fugientes ad Ecclesiam gaudent hac immunitate: nisi cum bonis suis fugiant ad Ecclesiam in fraudem creditorum, *n.* 41.

§. III. *Quinam sint effectus, seu commoda immunitatis, quæ habent Rei confugientes ad Ecclesiam, vel alium locum sacrum?*

Primus, & præcipuus effectus est, quòd reus è loco sacro extrahi non possit: quamvis si sponte, ac volun-

voluntariè exeat, sine vi, aut dolo Judicis, non violetur immunitas Ecclesiastica, *n.* 42. Potest tamen Judex sæcularis, in casibus à jure exceptis, in quibus non habet locum immunitas, reum confugientem ad Ecclesiam per vim extrahere, etiam sine licentia Episcopi, *num.* 43. At verò cum licentia Episcopi, vel aliorum Rectorum Ecclesiæ, potest etiam in casibus jure non exceptis, in quibus locum habet privilegium immunitatis, Judex sæcularis reum etiam invitum extrahere: modò de impunitate Rei caveat, *n.* 44. Quid secundùm novam Constitutionem Gregorij XIV. de hac re statutum sit? *n.* 45. Secundus effectus est, quòd reus non possit in Ecclesia capi, vel incarcerari, *num.* 46. Tertius effectus est, quòd non possit reus, dum in Ecclesia existit, per Judicem ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalè condemnari, saltem, si exeat reus, fide ei datâ à Judice, & juratâ de impunitate illius, *nu.* 47. Quartus est, quòd non possit Magistratus sæcularis prohibere, quò minùs victus, & vestitus, & alia necessaria ad reum in Ecclesiam deferantur: quamvis custodiam extra Ecclesiam apponere possit, vel si exeat, capi, & incarcerari *n.* 48. Quintus effectus est, quòd res, quas reus ad Ecclesiam fugiens secum detulit, non possint ei per vim auferri, dummodo non sint res alienæ, *n.* 49.

§. IV. *Quale crimen committat, & quam pœnam incurrant Judices per vim extrahentes reos ex Ecclesiis?*

Assertio I. Judex sæcularis, si sine licentia Prælati Ecclesiastici, reum invitum, & per vim extrahat ex Ecclesia, præter casus jure exceptos, Sacrilegium committit, & possunt Prælati, Judici vim adhibenti resistere, *n.* 50. & obligatur Judex, ad restituendum Ecclesiæ reum, vi extractum, *num.* 51. Ass. 2. Qualem pœnam incurrit, secundùm Jus Civile, & Canonicum, qui violenter extrahit reum, in casu jure non excepto, vel aliàs violat immunitatem, *n.* 53.

Sect. III. *De immunitate, & exemptione rerum, seu bonorum ad Ecclesias, & Ecclesiasticas personas pertinentium à sæcularibus oneribus, seu tributis.*

Res Ecclesiasticæ sunt triplicis generis, quædam consecratæ, vel benedictæ, quæ ad Divinum cultum deputantur, & hæ sunt exemptæ ab oneribus sæcularibus. Aliæ non consecratæ, ut bona immobilia, vel mobilia, alia propria Clericorum, *nu.* 53. Item triplicia sunt onera, personalia tantùm, vel merè realia, vel mixta, id est, partim personalia, partim realia, & quæ illa sint? *n.* 54. Est autem hîc sermo non de oneribus, quæ imponuntur Clericis à Prælatis Ecclesiasticis: sed quæ à Principibus sæcularibus, *n.* 55.

§. I. *An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sint immunia, & exempta à sæcularibus oneribus, seu tributis merè realibus, ordinarijs, ac perpetuis?*

Assertio I. Bona, quæ ad fundationem, & dotationem Ecclesiæ pertinent, sunt exempta ab omnibus realibus tributis, & oneribus sæcularibus. Alia verò bona, quæ ad Ecclesiam ex alijs titulis, vel causis pervenerunt, si illa, antequam ad Ecclesiam transirent, jam habuerunt impositum onus reale perpetuum, & invariabile, ex vi dominij, aut pacti præcedentis, v. g. contractûs censualis, feudalis, vel emphyteutici, non sunt immunia à tali onere: sed cum eodem ad Ecclesiam transeunt, *nu.* 56. Verùm postquam bona jam sunt acquisita Ecclesiæ, non potest ampliùs hujusmodi onus reale ipsis denuo imponi à Sæcularibus, *nu. eod.* Ass. 2. Bona Ecclesiastica sunt exempta ab illis oneribus, seu tributis realibus, quæ Principes sæculares imponunt prædijs, & fundis in suo territorio sitis, non ex vi proprij dominij: sed lege ordinariâ, ac perpetuâ, ex potestate jurisdictionis supremæ, quàm habent in tali territorio, nam talia bona non transeunt cum eo onere ad Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas, si postea ad eas perveniant, *n.* 57. Ass. 3. Illa onera, & tributa realia, quæ sunt imposita bonis patrimonialibus Clericorum, ex vi alicujus pacti, vel contractûs, transeunt etiam ad Clericos, si priùs illis fuerint imposita, nam postea imponi non possunt, *nu.* 58. Ass. 4. Etiam bona patrimonialia Clericorum sunt exempta ab illis oneribus, ac tributis realibus, quæ non ex vi pacti: sed ex vi jurisdictionis publicæ imponuntur à Principibus sæcularibus, *n.* 59. Quando procedat hæc Regula, quòd bona Ecclesiarum, & bona Clericorum propria eodem jure, ac privilegio gaudeant, & quando non? *n.* 60.

§. II. *An bona Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum sint immunia, & exempta ab omnibus oneribus, seu tributis etiam novis, & extraordinarijs?*

Quænam sint tributa ordinaria, perpetua, & invariabilia, & quæ nova, temporalia, & variabilia? *n.* 61. Bona non solùm Ecclesiarum, sed etiam Clericorũ propria, & patrimonialia, tam mobilia, quàm immobilia, sunt exempta ab omnibus tributis, non merè realibus: sed mixtis, & multò magis à novis, & extraordinarijs, & quibuscúnque alijs collectis, & exactionibus, *n.* 62. Idque probatur ex Jure Canonico, *cit. nu.* 62. *& duobus seqq.* Non tantùm prohibita sunt illa tributa, & contributiones, quæ ex bonis jam ante possessis ab Ecclesia, vel personâ Ecclesiasticâ, quando fuerunt impositæ, exiguntur: sed etiam ex illis bonis, quæ postea acquiruntur ab Ecclesia, vel personâ Ecclesiasticâ, etiamsi illa, cùm antea essent sæcularia, hujusmodi tributis, & collectis essent obnoxia, *n.* 65. & 66. Probatur hæc immunitas à tributis, & exactionibus etiam ex Jure Civili, *n.* 67. Et solida ratione, *n.* 68. Ac denique confirmantur dicta ex nova Bulla Urbani VIII. *nu.* 69. Respondetur ad aliquos textus Juris Canonici, & Civilis, qui adversari videntur, *n.* 70. Refutatur eorum error, qui asserunt, quòd contributiones, & exactiones novæ, & extraordinariæ, quæ ob occurrentem gravem, vel publicam necessitatem imponuntur, vel exiguntur, sint onera merè realia, *n.* 71.

§. III. *Quænam conditiones requirantur, ut Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ, Sæculares, sive Regulares teneantur, imò licitè possint contribuere, & quando etiam novæ, & extraordinariæ contributiones illis imponi, vel ab ijs exigi possint?*

Assertio I. Plures sunt conditiones requisitæ ad licitam contributionem Clericorum: nam primò requiritur, ut Episcopus, & Clericus simul deliberent, an, & quantum laicis contribuendum sit. 2. Ut necessitas valde gravis, vel evidens utilitas subsit. 3. Ut Laicorum facultates ad relevandas communes necessitates non sufficiant. 4. Ut contributio-

tiones ab Ecclesiasticis fiant sponte, & absque ulla exactione, ac coactione. 5. Ut priùs consulatur S. Pontifex, *n.* 72. Quando Clerici compelli possint ad contribuendum Laicis, & à quo? *num.* 73. Ass. 2. In quibusdam tamen casibus Principes, & Magistratus sæculares Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis collectas, & contributiones imponere, vel ab ijs exigere possunt. Veluti 1. Ex speciali privilegio, vel cum licentia expressa S. Pontificis, tales collectæ, vel contributiones imponi possunt. 2. Si bona Ecclesiarum, vel Clericorum ab Imperatore, vel Rege ipsis data fuerint in Feudum, quia Clerici, ratione Feudorum, sunt subjecti Domino Feudi. 3. Si bona ab initio in prima fundatione à Principe sæculari donata fuerint, reservatâ sibi in talibus bonis jurisdictione, & jure imponendi, & exigendi collectas, & contributiones quascunq; *n.* 74. An tributa, quæ antequam ad Ecclesiam personam Ecclesiasticam pervenirent, jam erant obnoxia, seu gravata tributis realibus, transeant cum hoc onere ad Ecclesias, & Clericos? *n.* 75.

§ IV. *An Clerici teneantur contribuere pro necessitatibus, vel utilitatibus publis, & communibus Laicorum & Clericorum?*

Proponitur sententia affirmativa, *n.* 76. Sed opposita negativa est probabilior, & communior, *num.* 77. Eáque probatur, tum ex Jure Canonico, tum etiam ratione, *n.* 78. Quando Clerici propter necessitatem, vel utilitatem comunem Clericis cum Laicis, debeant contribuere, vel non? *n.* 79. Resp. ad Leges, & argumenta allata pro prima sententia affirmativa, *n.* 80.

§. V. *De immunitate, & exemptione Clericorum à tributis, aliisque onerihus merè personalibus.*

Qu. 1. An Clerici sint immunes à tributis, & oneribus merè personalibus, cujusmodi est census, seu tributum capitationis? Resp. affirmativè, *nu.* 81. Et hinc etiam Ecclesiæ, & Clerici non debent gravari angarijs, & perangarijs, *nu.* 82. Quær. 2. A quibus præterea oneribus personalibus Clerici sint exempti? Resp. ab oneribus personalibus sordidis sunt immunes Clerici. Item à tutela pupillorum, vel cura Minorum, quamvis enim possint suscipere tutelam legitimam proximorum consanguineorum, non autem dativam, vel testamentariam. Item Episcopi, & Monachi nullam tutelam suscipere possunt; tutelam verò miserabilium personarum omnes Clerici, & Monachi suscipere possunt. Non tenentur Clerici ire ad bellum, ut manu pugnent, *nu.* 83. Quær. 3. An Clerici teneantur ad custodiam murorum Civitatis? Resp. ordinariè, & regulariter non tenentur, nisi id exigat magna necessitas defendendi Civitatem ab hostibus, *n.* 84. Quær. 2. An Clerici possint cogi, ut hospitium præbeant militibus in domibus suis Resp. non possunt, *n.* 85.

§. VI. *Quinam gaudeant privilegio immunitatis, seu exemptionis ab oneribus, & tributis impositis per Principes sæculares?*

Quær. 1. An omnes Clerici gaudeant hoc privilegio immunitatis? Resp. 1. non solùm omnes Ecclesiæ, & loca pia, sed etiam omnes Clerici sæculares, etiam in minoribus Ordinibus constituti, imò, & primâ Tonsurâ tantùm initiati sunt immunes ab omnibus oneribus, & tributis laicalibus. Excipiunt aliqui Clericos in Minoribus, qui Beneficium non habent, vel non incedunt in habitu, & tonsura, vel alicui Ecclesiæ non deserviunt. Clerici verò etiá excommunicati, suspensi, interdicti, vel irregulares hoc privilegio gaudent. Non item Clerici conjugati, etiam cum unica, eáque Virgine, *n.* 86. Hoc privilegium aliqui extendunt etiam ad familiam Clericorum, sed sine fundamento, *n. eod.* Resp. 2. Omnes Regulares utriusque sexûs, non solùm Professi: sed etiam Novitij gaudent hoc privilegio immunitatis à tributis, & collectis. Idémque est de Eremitis, & Ordinibus Militaribus, *n.* 87. Quær. 2. An Laici, Coloni, & Emphyteutæ Ecclesiæ, aut Clericorum, etiam gaudeant imunitate à gabellis, & tributis? Resp. 1. Coloni perpetui, seu adscriptitij Ecclesiæ, id est, tertæ colendæ in perpetuum adscripti, & obligati gaudent immunitate à gabellis, & tributis Ecclesiis, & Clericis concessa: Coloni verò partiarij, qui colunt agros pro certa parte fructuum, sunt immunes quoad illam partem fructuum, quam Ecclesiæ præstare tenentur: non autem quoad eam partem fructuum, quæ ipsorum propria est, *num.* 88. Resp. 2. Similiter probabilius est, quòd Emphyteuta Ecclesiæ teneatur ad solvendas collectas ratione utilis dominij, quod est omnino separatum à dominio directo Ecclesiæ, & merè laicum, ac profanum, *n.* 89.

§. VII. *De pœnis violantium immunitatem Ecclesiasticam, exigendo, vel imponendo Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, collectas, aut alias exactiones.*

Plures sunt pœnæ statutæ Jure Canonico. Et in primis pœna excommunicationis lata est in collectantes Ecclesias, vel Clericos, & fautores eorum. Secundò constitutiones, & sententiæ, quibus Laici imponunt collectas, vel onera Clericis, sunt ipso jure irritæ, & nullo unquam tempore valituræ. Item Rectores excommunicati ob prædicta, manent excommunicati, etiam post depositum officium: & qui succedit in officio, si intra mensem non satisfecerit, manet excommunicatus, *num.* 90. Idque extenditur, & declaratur, *num.* 91. Tertiò, omnes Ecclesiarum Prælati, qui Laicis imponentibus Tallias, & alia onera solvunt, vel promittunt, aut consentiunt se soluturos, quovis titulo, aut colore: vel etiam Laici, qui ista imponunt, vel recipiunt, vel recipi faciunt, & qui dant auxilium, vel consilium, aut favorem, eo ipso, excommunicationem incurrunt ipsi Papæ reservatam. Universitates verò Ecclesiastico interdicto supponuntur, quod sine speciali licentia Papæ tolli non potest, non obstantibus quibuscúnq; privilegijs, *n.* 92. Porro pœnæ prædictæ postea sunt revocatæ, quoad Clericos, solventes collectas Laicis, aut alia onera præstantes, & pro infectis haberi debent, & præcipitur, ut prædictæ pœnæ solùm habeant locum in exigentibus collectas, & ad id dantibus auxilium, consilium, vel favorem, non verò in solventibus etiam sponte: deinde præcipitur, Concilium Lateranense, & alia Concilia generalia diligenter observari, *n.* 93. Denique in Bulla Cœnæ Domini, etiam excommunicatio fertur in collectantes Ecclesias, & Ecclesiasticas personas, & qui nova pedagia, & gabellas in terris suis imponunt, *n.* 94.

§. VIII. *De alijs quibusdam pœnis Jure Canonico statutis in violantes immunitatem Ecclesiasticam.*

Præ-

Præterea excommunicati sunt, qui in causis Ecclesiasticis impediunt, ne quis Litteras Apostolicas impetret, vel litiget coram Judice Ecclesiastico, Ordinario, vel Delegato, sive indirectè, sive directè, per se, vel per alium, nec non dantes auxilium, consilium, vel favorem, donec Judici Ecclesiastico, & parti impeditæ satisfecerint, *n.* 95. Item Domini temporales prohibentes suis subditis, ne cum personis Ecclesiasticis contrahant, vel communia obsequia eis exhibeant, sunt excomunicati ipso jure, *nu.* 96. Denique statuitur etiam, ut Prælati, qui pro procuratione, vel servitio impendendo Legato, vel alteri plus extorquent à subditis, quàm impendant, extorta restituant, & tantundem dent pauperibus: Superior verò, apud quem de hoc querela fuit facta, si sit negligens in executione hujus statuti, canonicè puniendus est, *n.* 97.

SERIES CAPITVLORVM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 9. *& duob. seqq.*
c. 2. *n.* 84.
c. 3. *n.* 88.
c. 4. *n.* 62. *& n.* 90.
c. 5. *n.* 5.
c. 6. *n.* 16. *& tribus seqq.*
c. 7. *n.* 63. *& n.* 90. *& 91.*
c. 8. *n.* 97.
c. 9. *n.* 2. *& 3.*
c. 10. *& ult. num.* 20. *& pluribus seqq.*

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 64. *& duob. seqq.*
c. 2. *n.* 6. 12. *& 13.*
c. 3. *n.* 92.
c. 4. *n.* 95.
c. 5. *& ult. n.n.* 96.

IN CLEMENTINIS.

Clement. unic. num. 77. *& 93.*
Extravag. un. Inter communes. n. 93.

TITULUS L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SÆCULARIbus negotijs se immiscent.

§. I. *Quænam negotia Clericis Sæcularibus, & Regularibus sint permissa, vel prohibita?*

Duplex est negotiatio, una impropriè dicta, altera propriè dicta, utraque per se est licita, & bona: per accidens tamen, quia occasionem præbet fraudibus, & injustitijs, sæpe est illicita, & mala, *num.* 1. Ass. 1. Negotiatio merè lucrativa, & propriè dicta, quâ aliquid emitur principaliter ad hoc, ut immutatum carius vêdatur, est prohibita Clericis, & Religiosis, quamvis actus non sit invalidus, *nu.* 2. Quando negotiatio sit licita Clericis, & an etiam si fiat per alium? *nu.* 3. Ass. 2. Etiam negotiatio impropriè dicta, quando aliquid emitur, ut mutatum, postea vendatur, prohibita censeri debet Clericis, & Religiosis, *nu.* 4. Quando hujusmodi negotiatio sit licita Clericis? *n.* 5. Ass. 3. Clerici, vel Monachi non solùm sub pœna excommunicationis prohibentur, negotiari causâ lucri: sed neque Monachi, nomine proprio possunt conducere possessiones à Clericis, vel Laicis, nec Laici tenere Ecclesias sub titulo conductionis, *nu.* 6. Licitum est Clericis, & Religiosis honestum aliquod artificium exercere ad victum, & vestitum sibi parandum, aut otium fugiendum, *n.* 7.

§. II. *An omnibus Clericis interdicta sit negotiatio, & quam pœnam incurrant Clerici, & Religiosi, qui in casibus non permissis negotiantur?*

Negotiatio inprimis est prohibita Clericis in Sacris Ordinibus constitutis, imò etiam in Minoribus, si competens Beneficium habeant: sicut etiam alijs non Beneficiatis, secundùm probabiliorem sententiam, *n.* 8. Clericici, & Religiosi, qui in casibus jure non permissis negotiantur, debent excommunicari. 2. Possunt etiam suspendi ab Officio, imò, & deponi ab Ordine Clericali. 3. Tenentur solvere vectigalia ex rebus, in quibus negotiantur: imò etiam ex alijs bonis proprijs, si ter moniti, non abstineant, *num.* 9. 4. Omnia acquisita à Clericis per negotiationem illicitam, tanquam spolia pertinent ad Cameram Apostolicam, *n.* 10.

§. III. *An Clerici possint licitè tractare, & judicialiter cognoscere causas sanguinis?*

Clericis in Sacris constitutis non licet exercere judicium sanguinis, nec per se, nec per alios mutilare, aliàs privandi sunt Officio, & Beneficio, imò etiam per censuram Ecclesiasticam compescantur: nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis, *n.* 11. & 12. Idque procedit, non solùm in Clericis in Sacris constitutis, sed etiam in non Sacris, seu Minoribus: Imò etiam talis Clericus sit irregularis, si mors, vel mutilatio ex tali scriptura sequatur, *n.* 13. Episcopus, vel alius Clericus habens jurisdictionem temporalem, etsi non possit agitare causas sanguinis, potest tamen eas, sine periculo incurrendæ irregularitatis, delegare alijs, *n.* 14. & 15.

§. IV. *Quænam præterea Officia, aut Ministeria sæcularia prohibita sint Clericis?*

Inprimis Clerici non debent esse Ministri, nec Procuratores Laicorum, quòd si moniti contrafecerint, & deprehendantur in fraude, occasione negotiorum, illis Ecclesia subvenire non debet, *nu.* 16. Idque intelligendum est de Clericis in Sacris constitutis, aut Beneficiatis, *n.* 17. 2. Prohibetur Clericis, ne procurationes, aut jurisdictiones sæculares exercere præsumant, alioquin deponendi sunt ab Ecclesiastico Ministerio: si verò Religiosi fuerint, qui hæc attentârint, strictiùs puniendi sunt, *n.* 18. 3. Sacerdos non debet gerere Officium Vicecomitis, aut Præpositi sæcularis, alioquin, si hoc agere præsumpserit, & monitus non destiterit, excommunicandus est, *n.* 19. 4. Prohibetur Clericis, ne exerceant artem Chirurgiæ, quæ adustionem, vel incisionem inducit: nec impendeant ritum consecrationis, aut benedictionis, purgationis aquæ ferventis, vel frigidæ, salvis prohibitionibus de duellis, *n.* 20. Clericus in Sacris non debet constitui Dux belli: neque Clerici exercere possunt artem Chirurgiæ, etiam citra adustionem, vel incisionem: nisi causâ pietatis erga personas miserabiles id faciant, *n.* 21. Quibus præterea negotijs sæcularibus in specie prohibeantur Clerici, vel Monachi, se immiscere? *n.* 22.

§. V. *De Officio Tabellionis, seu Notarij Clericis, & Religiosis interdicto.*

Quær. 1. An, & ob quas causas Officium Tabellionis sit interdictum Clericis, & Monachis, aut Religiosis? Resp. In sactis Ordinibus constitutus per Beneficiorum substractiones compelli debet, ut ab Officio Tabellionatûs desistat, appellatione remotâ, quia est genus quoddam negotiationis: non tamen amittitur, ipso jure, *n.* 23. Quær. 2. Quibus Clericis interdictum sit Officium Tabellionatûs? Resp. 1. Clericis constitutis in Ordinibus Sacris, & qui Beneficium Ecclesiasticum habent, *nu.* 24. 2. Etsi Clericus in Sacris sit constitutus, si tamen non habet competens Beneficium, potest exercere Officium Tabel-

lionis. Si verò Clericus in Sacris constitutus, etsi Beneficium non habeat, bona tamen patrimonialia habet, non potest negotiari, adeóque nec exercere Officium Tabellionis, *n.* 25. 3. Clerici in Minoribus constituti, si competens Beneficium habeant, non possunt exercere Officium Notarij, sicut nec illi Clerici, in Minoribus, qui Beneficium non habent, congruam tamen sustentationem habent ex patrimonio, *n.* 26. Qu. 3. In quibus casibus, aut casibus Clerici possunt exercere Officium Tabellionatûs? Resp. in causa hæresis, favore Fidei, & alijs enumeratis, *n.* 27. Qu. 4. An valeant Instrumenta à Clericis Notarijs confecta? Resp. Valere, etiam in causis sæcularibus confecta, antequam ipsis interdictum est hoc Officium postquam verò Clericis Officium Tabellionatûs: publicè est interdictum, non valent eorum gesta postea facta: si verò privatim solùm sit interdictũ, valent gesta eorum, saltem quoad partes ignorantes, *n.* 28. An, & quando instrumentum factum à Religiosis, sit validum, vel non? *cit. n.* 28.

§. VI. *Quænam Studia, & sub qua pœna Religiosis sint prohibita: & an eadem studia sint etiam prohibita Clericis sæcularibus?*

Religiosi professi ad audiẽdas, vel legẽdas Juris civilis Leges, vel Physicam, seu Medicinam exeuntes, nisi intra duos menses ad claustrum rediêrint, sunt vitãdi tanquam excomunicati: & in nulla causa patrocinari possunt: & reversi habere debent ultimum locũ, in Choro, Capitulo, mensa, & cæteris, & sine dispensatione Papæ non debent promoveri, *nu.* 29. Est autem excommunicatio hæc latæ sententiæ: & præcipitur insuper, ut tam à Diœcesanis, & Capitulis ipsorum, in quorum Diœcesibus tales Regulares excommunicati studeant, alijs etiam supradictis pœnis obnoxij denuncientur, *n.* 30. Tres conditiones requiruntur ad hanc excommunicationem, aliásque pœnas incurrendas. Prima est, ut Religiosi LL. Civiles, seu Medicinam audiant, vel eis studeant: secunda, ut ad hunc finem audiendi exeant è claustris suis: tertia, ut intra duos menses ad claustra non redeant, *num.* 31. Quando præterea tales Religiosi dictam pœnam excomunicationis incurrant, vel non? *n.* 32. & *seq.* Extenditur prædicta Constitutio prohibitoria, sub pœna excommunicationis, etiam ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, & alios Clericos dignitates, vel personatus habentes, & omnes Sacerdotes audientes LL. Civiles, vel Medicinam, *n.* 34. & 35. Excipiuntur 1. Rectores Ecclesiarum parochialium, ad quos prædicta Constitutio non extenditur. 2. Clerici inferiores, ut Subdiaconi, & multò magis in minoribus Ordinibus constituti. 3. Clerici sæculares, qui privatim studeant Juri Civili. 4. Qui à Papa licentiam obtinuerunt, *cit. num.* 35. Absolvere ab hac excommunicatione potest etiam Episcopus, *n.* 36. Possunt Clerici Sæculares, & Regulares licitè Jus Civile, vel Medicinam, publicè & privatim docere, quas priùs didicerunt, absque eo, quòd incurrant excommunicationem, & alias pœnas, *num.* 37. Possunt Clerici, & Religiosi promoveri ad gradum Doctoratûs: & Clerici quidem, qui priùs studuerunt Juri Civili, etiam ad Doctoratum in eodem Jure: Religiosi verò ad Doctoratum in Theologia, & Jure Canonico, *n.* 38.

V. §. II. *De pœnis statutis in Monachos, seu Religiosos, qui habitum Religiosum dimittunt: vel ad studia, sine licentia, accedunt, vel sunt incorrigibiles.*

Quær. 1. Quam pœnam incurrant Religiosi, qui habitum Regularem temerè dimittunt? Respon. sententiam excommunicationis, ipso facto, *num.* 39. Quænam conditiones requiruntur ad hanc censuram incurrendam? *n.* 40. Quando præterea ob dimissionem habitûs Regularis, incurratur excommunicatio, vel non? *n.* 41. & 42. Quær. 2. Quam pœnam incurrant Religiosi accedentes ad studia, sine Prælati licentia? Resp. pœnam excommunicationis, ipso facto, *num.* 43. Quando hæc pœna non habeat locum? *n.* 44. An ad hanc licentiam dandam, requiratur tantùm consilium, an vero etiam consensûs Conventûs? *cit. n.* 44. Præterea alia sententia excommunicationis lata est in Doctores, sive Magistros, qui scienter docent Religiosos, qui habitu suo dimisso, Leges, vel Medicinam audiunt, aut in suis scholis retinere præsumunt, quam ipso facto incurrunt, *num.* 45. Hinc colligitur, quæ ad hanc censuram incurrendam requirantur, *cit. nu.* 45. & *seq.* Hæc Constitutio habet locum in solis Religiosis, *cit. n.* 46. Qu. 3. Quomodo puniendi sint Monachi, seu Religiosi incorrigibiles? Resp. Monachi, qui sæculariter vivunt, ad Regularem observantiam compelli debent: Quòd si sint incorrigibiles, Monachi alterius Ordinis (si Monasterium non potest ex ejusdem Ordinis Religiosis reformari) sunt inducendi, *n.* 47. An, & quâ ratione Ordinis Regula obliget sub præcepto? *n. eod.*

SERIES CAPITULORUM.

IN ANTIQUIS.

c. 1. *n.* 22.
c. 2. *n.* 16.
c. 3. *n.* 29.
c. 4. *n.* 18.
c. 5. *in princ. n.* 11. & §. *Jubemus*; *n.* 19.
c. 6. *in princ. n.* 2. & *in fine*, *n.* 6. & 7.
c. 7. *n.* 47.
c. 8. *n.* 23. & *tribus seq.*
c. 9. *in princ. n.* 12. & *seq.* & §. *Nullus*; *n.* 20. & *seq.*
c. 10. & *ult. in princ. n.* 30. & *seq.* & §. *Qui verò*; *nu.* 34. & *duob. seqq.*

IN SEXTO.

c. 1. *n.* 35.
c. 2. *nu.* 39. & 40. & 41. & *seq.* & *n.* 45. & *seq.*
c. 3. & *ult. n.* 14. & 15.

IN-

INDEX ALPHABETICUS
QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC TERTIO LIBRO DECRETALIUM CONTINENTUR.

Numerus prior indicat Titulum; posterior Tituli contextum.

A.

ALIENATIO. An ad alienationem rei Ecclesiasticæ, quæ immobilis est, aut mobilis pretiosa, requiratur, præter consensum Prælati, etiam consensus Capituli, seu Conventus? Titulo 10. *n.* 1. *& duobus seqq.* Num alienatio rei Ecclesiasticæ ab Episcopo facta (vel alio Prælato) Capitulo reclamante, teneat? 10. 4. Num Episcopus, sine consensu Capituli, possit unire in perpetuum Ecclesias alijs Ecclesiis? 10. 8. An possit, sine auctoritate Papæ, & consensu Capituli, conferre alicui Monasterio Ecclesias parochiales, vel obventiones, seu fructus ipsarum, cum consensu Patroni? 10. 9. *& seq.* An Prælatus possit rem immobilem Ecclesiæ locare ad tempus breve, sine consensu Capituli? 10. 11. Proponitur casus specialis, in quo alienatio rei Ecclesiasticæ fieri potest à Prælato, absque consensu Capituli. 10. 12. *& seq.* Quinam actus fieri debeant cum consilio Capituli? 10. 14. *usque ad* 20. *inclusivè* Quænam alienatio rerum Ecclesiasticarum Jure Canonico sit prohibita? 13. 1. *usque ad* 12. Nomen prohibitæ alienationis rerum Ecclesiasticarū quàm latè hic accipiatur? 13. 2. *usque ad* 12. Quænam res Ecclesiæ alienari non possint, nisi ex causis Jure permissis, & servatâ Juris formâ, ac solennitate? 13. 12. *usque ad* 18. Quæ res Ecclesiæ alienari possint liberè, & sine Juris solennitate, & quibus casibus prohibitæ sint alienationes rerum Ecclesiasticarum, etiam servatâ formâ, ac solennitate Juris? 13. 18. *usque ad* 24.

Alienationis causa, & forma. Ob quas causas alienari licitè possint res Ecclesiæ etiam mobiles pretiosæ? 13. 24. Quæ forma servanda sit, sive quæ Juris solennitates requirantur ad rei Ecclesiasticæ alienationem? 13. 26. *usque ad* 33. An, & quando præsumi possit, solennitas Jure requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum interveniſſe? 13. 33. *& seq.* An alienatio rei Ecclesiasticæ prohibitæ alienari, facta sine legitima causa, & forma, sive solennitate requisitâ, sit valida, etsi non licita? 13. 35. *usque ad* 40. An Prælatus, sine consensu Capituli, aliisque Juris solennitatibus, validè renunciare possit hæreditati, vel legato rei immobilis pretiosæ, quæ Ecclesiæ relicta est? 13. 40. *& tribus seqq.*

Alienationi rerum Ecclesiasticarum, an, & quando sit necessarius consensus, vel authoritas Superioris Prælati? 13. 44. *usque ad* 53. In Religione Societatis IESU quæ authoritas requiratur ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum: 13. 46. *& seq.* An in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, etiam intervenire debeat consensus, seu authoritas Romani Pontificis? 13. 53. *usque ad* 61. An ad eandem alienationem rerum Ecclesiasticarum requiratur authoritas, & consensus Patroni, vel consensus Principis, sæcularis loci, in quo eæ sitæ sunt? 13. 61. *& duobus seqq.*

Alienationis revocatio. Quinam, & quomodo revocare possint alienationes rerum Ecclesiasticarum illegitimè factas, & repetere res Ecclesiæ ita alienatas? 13. 64. *usque ad* 73. An, & quando Ecclesiæ læsæ ob alienationem rei Ecclesiasticæ competat beneficium restitutionis in integrum? 13. 73. *& tribus seqq.* Quæ sint pœnæ illegitimè alienantium? 13. 77. *& seq.*

Asylum. Titulo 49. *num.* 15. *usque ad* 53. Vide plura V. *Immunitas Ecclesiastica.* Item V. *Immunitas Asyli.*

B

BAPTISMI forma, & alia requisita. 42. 1. *usque ad* 9. Ejusdem effectus, 42. 9. Presbyter non baptizatus, num baptizandus? 43. 1. Si moriatur non baptizatus Presbyter, num pro eo orandum? 43. 2. Baptismus triplex, 43. 3. Sacerdos non baptizatus, num consecret, absolvat à peccatis? 43. 3. Non baptizatus, num possit suscipere Ordines? 43. 4.

Basilica quid sit: 48. paulò ante *num.* 1.

Beneficium Ecclesiasticum quid sit? 5. 2. *usque ad* 8. Aliud sæculare, aliud regulare. 5. 8. Aliud duplex, aliud simplex. 5. 9. Aliud medium. 5. 10. *& trib. seqq.* Aliud manuale, aliud non manuale. 5. 14. Aliud collativum, seu liberum; aliud electivum, aliud mixtum. 5. 16. Ut Clericus, seu Minister ad Ordines promoveatur, num necessarius titulus Beneficij alicujus, vel patrimonii? 5. 18. *usque ad* 29. An Canonicis debeatur præbenda, seu Beneficium, tanquam congrua sustentatio? 5. 29. Qualis sustentatio necessaria assignari debeat Parochis, aliisque Beneficiatis curatis? 5. 34. *usque ad* 50. Quot, & quibus modis acquirantur Beneficia, tum in genere, tum in specie? 5. 50. *& trib. seqq.* An, & quale jus per collationem alicui factam acquiratur in Beneficio, sive post, sive etiam ante acceptationem illius? 5. 54. *& tribus seqq.* Ad quid teneatur, qui scienter contulit præbendam, seu Beneficium alicui ignoranti, quod conferre non poterat? 5. 58. *& seq.* An Beneficia Ecclesiastica conferri debeant gratis? 50. 60. *& duobus seqq.* An conferri possint sub conditione propriè dicta? 5. 63. An collatio Beneficii facta sub modo, qui de jure inest, valida sit? 5. 65. An possit Beneficio novum onus imponi in collatione ejusdem? 5. 66. *usque ad* 71. An ad collationem Beneficiorum, quorum provisio ad Capitulum spectat, vocandi sint eium Capitulares absentes? 5. 71. *usque ad* 74.

Beneficii conferendi potestas, & modus. An Papa sit supremus, & universalis omnium Beneficiorū collator, sive ea electiva sint, sive collativa: libera, vel non libera. 5. 74. Quot modis cōferre possit, ac soleat Papa Beneficia Ecclesiastica? 5. 75. *usq; ad* 84. An, spectato Jure communi, institutio, & collatio Dignitatum, Canonicatuum, Parochiarum, & aliorum Beneficiorum in tota Diœcesi ad Episcopum pertinet? 5. 84. *& seq.* An etiam aliis Prælatis, sive Sæcularibus, sive Regularibus competat potestas conferendi Beneficia, & in ijs instituendi, ac destituendi, independenter ab Ordinarii locorum? 5. 86. *& seq.* An, qui est in possessione juris conferendi Beneficia, licitè, & validè conferre possit? 5. 88. An Sequester per Judicem constitutus rei litigiosæ, cui annexa est provisio Beneficij: lite pendente, conferre possit Beneficia? 5. 89. An potestas conferendi Beneficia cadat in Laicum? 5. 90. An Beneficia Ecclesiastica tantùm dignis, & idoneis sint conferenda? 5. 91. An licitum sit, Beneficia conferre dignis, & idoneis, prætermissis dignioribus, vel dignissimis. 5. 95. *usque ad* 100. Quænam qualitates, seu conditiones in particulari requirantur in ijs, quibus Beneficia Ecclesiastica conferuntur? 5. 100. *usque ad* 114. An præsentia illius, cui confertur Beneficium, sit conditio necessaria, ad constituendum Beneficium, ejusque possessionem? 5. 109. *& seq.* An per consuetudinem induci possit, vel per statutum decerni, ut soli Nobiles, & Illustres, exclusis Ignobilibus, cæteroquin idoneis, admittantur ad Dignitates, & Canonicatus in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis? 5. 111. *& duob. seqq.* An, & quando Beneficia Sæcularia conferri possint Regularibus, & Regularia Sæcularibus? 5. 114. *usque ad* 124. Beneficium Ecclesiasticum, quomodo sine diminutione sit conferendum? 12. 1. *usque ad* 7. De pensionibus, per quas diminuuntur reditus Beneficiorum. 12. 7. *usque ad* 21. inclusivè. Vide plura V. *Concessio Præbendæ.* Item V. *Institutio.*

Beneficiorum pluralitas. An ordinariè sit licitum Clerico obtinere, ac retinere duo, aut plura Beneficia qualiacúnque, etiam simplicia, & quæ continuam residentiam personalem non

non postulant, quando unum illorum Beneficiorum ad honestam, & cõmodam sustentationem Clerici sufficit? 5. 125. *& duobus seqq.* An Clericus possit simul habere duas dignitates, vel personatus, seu in una, seu in diversis Ecclesiis? 5. 128. *& seq.* An simul recipere liceat plures Ecclesias Parochiales? 5. 130. An aliquis possit duo Beneficia uniformia simul obtinere? 5. 131. An quis possit simul habere duo Beneficia simplicia in diversis Ecclesiis? 5. 132. An quis possit simul obtinere, & retinere duo Beneficia curata, unum per se, & alterum accessoriè, absque dispensatione? 5. 133. *& seq.* An licitè quis possit simul obtinere, & retinere plura Beneficia sæcularia, quæ ratione residentiæ personalis, sunt compatibilia, si unum ad congruam sustentationem non sufficiat? 5. 135. *usque ad* 140. An per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura Beneficia obtineat, & retineat in eadem, vel diversis Ecclesiis? 5. 140. *& duobus seqq.* An, si is, qui jam obtinet Beneficium, residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, vel alijs Clericis ad aliud Beneficium, quod similiter residentiam requirit, possit utrumque simul retinere? 5. 143. Quæ sit incompatibilitas Beneficiorum, & quando vacet unum per assecutionem alterius? 5. 145. *usque ad* 178.

Beneficiorum Regularium pluralitas. An Religiosus aliquis simul obtinere possit, duo, aut plura Beneficia Regularia? 5. 178. An possit obtinere saltem in diversis Monasterijs? 5. 179. *& duob. seqq.*

Beneficiorum pluralitas, an, & quâ ratione sit licita? Quis possit dispensare in pluralitate Beneficiorum, num Papa? 5. 182. *& duob. seqq.* Num Episcopi, aliique Prælati Papâ inferiores? 5. 185. *& trib. seqq.* Num Legatus à Latere 5. 139. Quæ sint justæ causæ dispensandi in Beneficiorum pluralitate? 5. 191. *& seq.* Quomodo intelligi debeat, & explicari dispensatio facta super pluralitate Beneficiorum? 5. 193. *usque ad* 199.

Beneficiorum unio quid sit? 199. Quotuplex sit? 5. 200. Quot modis fiat? 5. 201. *& duob. seqq.* Quis potestatem habeat uniendi Beneficia? 5. 204. *& trib. seqq.* Ob quas causas fieri possit Beneficiorum unio? 5. 208. *& seq.* Quæ forma, & solennitas, sive quæ conditiones requirantur jure communi, ad unionem Beneficiorum instituendam? 5. 210. *& seq.* Quo pacto Jure novo Concil. Tridentini Beneficia uniri possint? 5. 212. *& duob. seqq.* Quid juris, seu potestatis habeat Prælatus, vel ejus Monasterium, Ecclesia Cathedralis, aut Collegiata, cui Ecclesia Parochialis, vel aliud Beneficium est incorporatum, seu unitum? 5. 215. A quo, & ex quibus causis possit Beneficiorum unio semel facta iterum dissolvi? 5. 221.

Beneficiorum Ecclesiasticorum dismembratio quid sit, & quid ad eam requiratur? 5 222, *& duob. seqq.* An, & quo pacto Beneficium Ecclesiasticum dividi possit, seu secari in duo, vel plura? 5. 225. *usque ad* 34.

Beneficiorum reservatio quid, & quotuplex sit? 5. 317. *& seq.* Quæ sint causæ, ob quas reservari possunt, & solent Beneficia? 5. 319. Quis sit effectus reservationis Beneficiorum? 5. 320. *& duob. seqq.* Quænam Beneficia sint Romano Pontifici reservata, spectato communi Jure Canonico? 5. 323. *usq; ad* 339. Quænam Beneficia reserventur Papæ in Extravagantibus communibus? 5. 339. *usque ad* 345. Quidnam in alijs Extravagantibus Constitutionibus communibus de his statutum sit? 5. 345. Quænam Beneficia reserventur Papæ per Regulas, Ordinationes, & Constitutiones Cancellariæ Apostolicæ. 5. 346. *usque ad* 357. Quænam per Concordata Germaniæ? 5. 357. Quænam Beneficia reserventur, ex Indulto Pontificio, Romanorum Imperatori per preces primarias? 5. 367. *& trib. seqq.* An Imperator electus, ante confirmationem à Papa acceptam, possit uti indulto precum primariarum. 5. 371. An Imperator, postquam unum nominavit ad Beneficium, possit variare, & resilire, nominando alium? 5. 372. An, si preces alicui concessæ, non sint fortitæ effectum, possit Cæsar alium nominare? 5. 373. Alia de Cæsaris precibus primarijs. 5. 374. *usque ad* 388. inclusivè.

Beneficiales literæ, sive mandatũ Apostolicum, quid sint? 5. 234. Quot sint genera, seu species hujusmodi literarum Beneficialium: seu mandatorum? 5. 235. *& seq.* Quæ conditiones, seu qualitates Beneficiorum necessariò exprimi debeant in mandatis Apostolicis, seu literis Beneficialibus obtinendis? 5. 237. An Mandatum, seu Rescriptum Apostolicum, in quo conceditur alicui à summo Pontifice facultas conferendi Beneficia, latè, vel strictè interpretari oporteat? 5. 243. *usque ad* 252. Alia quædam Mandata Apostolica de providendo, sive Rescripta Beneficialia quomodo sint interpretanda? 5. 252. *usque ad* 273.

Beneficialium literarum effectus, & usus. Quo tempore mandata Apostolica, seu literæ Pontificiæ de conferendis Beneficiis vacantibus effectũ suum consequantur: & quo tempore impetrans debeat esse capax Beneficij? 5. 273. *usq; ad* 279. Quis ex pluribus diversa Mandata, seu Rescripta Apostolica de providendo impetrantibus, in eadem Ecclesia, sit præferendus? 5. 273. *usq; ad* 297. Quodnam Beneficium conferri debeat, si Mandatum Apostolicum de provideno plures collationes, ad diversos spectantes, alternativè contineat? 5. 297. Executio, & executores mandatorum, seu literarum Apostolicarum Beneficialium quales esse debeant? 5. 298. *usque ad* 304. An executor deputatus ad Beneficia possit vices suas alteri committere? 5. 304. *& seq.* Quando, & quomodo hujusmodi mandata de providendo, seu literæ Beneficiales tollantur per revocationem? 5. 306. *& seq.* An mandata de providendo, seu literæ Beneficiales extinguantur morte mandantis, sive concedentis? 5. 308. *& duob. seqq.* An, & quomodo in Mandatis, seu Rescriptis Beneficialibus per gratiam, seu concessionem specialem tollatur prior gratia generalis? 5. 311. *& seq.* An mandatum de providendo alicui factum, ob causam paupertatis, si causa cesset, etiam ipsum mandatum cesset, & exspiret? 5. 313. *& trib. seqq.*

C.

CANONICA portio quid, & quotuplex? 39. 40.

Canonicus Regularis num Parochijs præfici possit? 35. 16. Vide *Capellanus. Monachi.*

Canonizatio Sanctorum. 45. 1. Num possit publicè coli pro Sancto, qui non est canonizatus? 45. 2. Num solus Romanus Pontifex possit canonizare? 45. 3. Quid requiratur ad canonizationem alicujus Sancti? 45. 4.

Capella, & Capellanus. Quid nomine Capellæ in Jure Canonico significetur? 37. ante numerum 1. An, quando Monasterium, seu Ecclesia Regularis habet populum, sive curam animarum annexam, ei præfici possit Monachus, seu Regularis? 37. 1. *& duob. seqq.* An, & in quibus Capellanus, seu Vicarius, sive Sæcularis, sive Regularis, qui in Capella, seu Parochia Monasterio unita est constitutus, subjectus sit jurisdictioni Episcopi? 37. 4. *& seq.* Qualterum Ecclesia non Cathedralis possit vendicare sibi jus in alia Ecclesia? 37. 6. *& duob. seqq.*

Capitulum. An, & quâ ratione gesta à majore parte Capituli valeant? 11. 2. *usque ad* 8. An major pars Capituli, seu Collegij possit aliquid decernere, cum præjudicio minoris partis, de bonis, aut juribus spectantibus ad singulos de Collegio? 11. 8. *& duob. seqq.* An possit ferri interdictum locale ab Episcopo, sine consensu Capituli, & an, ad negotia Capitulo tractanda, debeant vocari Canonici absentes? 10. 10. *& duob. seqq.* Num Capitulum possit conferè Beneficia, & de vacante? 9. 9. *usque ad Tituli finem.* Capituli consensus ad quos actus Episcopi, vel alterius Prælati requiratur, & qualis? 10. 1. Vide plura V. *Alienatio* & V. *Donatio.*

Capitulum Provinciale, sive Concilium à Regularibus, num singulis triennijs celebrandum? 35. 21. Correctio, & Visitatio Religiosorum? 35. 23. *usque ad* 28.

Cautio quotuplex? 21. *ante Num.* 1.

Census quid sit? 39. 1. An ex sola annua censûs solutione facta probetur subjectio alicujus Ecclesiæ, vel Monasterij, aut quasi possessio subjectionis? 39. 2. Num ille, qui petit censum tanquam sibi debitum, exprimere debeat rationem, sive causam, ob quam sibi debeatur? 39. 3. *usque ad* 7. An ab Episcopo possint Monasterijs, vel alijs Ecclesijs sæcularibus, imponi novi census, aut veteres augeri? 39. 7. *usque ad* 14. Num Clerici, qui per collusionem constituunt Ecclesiam censualem, sive novum censum ei imponunt, ab illa amoveri debeant? 39. 14. *& seq.* Si quis juravit, se censum novum Ecclesiæ impositum soluturum, num is, qui recepit juramentum, cogi possit, ad illud juranti remittendum? 39. 16.

16. & *duob. seqq.* Num Patroni Laici, vel etiam Ecclesiastici, & Clerici, novum censum Ecclesiis, seu Beneficijs Patronatis imponere possint, vel veterem augere? 39. 19. & *seq.* Census, seu pensiones, & alia debita pecuniaria in qua moneta solvenda sint? 39. 21. *usque ad* 36.

Chrismatis, & aliorum Sacramentorum custodia. *Titulo* 44. *Toto.*

Cistercienſis Ordo. 35. 12.

Clauſura Monialium. 35. 32. & *seq. usque ad* 46.

Clericus quis, & unde dictus? 1. ante *num.* 1. Debent Clerici continenter, & castè vivere. 1. 1. & *seq.* Num possint accedere ad Monasteria Monialium? 1. 3. A crapula, & ebrietate diligenter abstineant. 1. 4. Sint alieni ab omni avaritia. 1. 5. Num possint licitè accipere sportulas, seu munera: sive victualia sint, sive pecuniæ? 1. 6. Debebant olim in Collegijs simul sub Præposito, & Decano degere, & in communi vivere. 1. 10. Ab hac vivendi ratione Clerici sæculares passim defleverunt. 1. 11. In Choro, dum sacra mysteria Missæ celebrantur, num Laicis inter Clericos, prope Altare stare liceat? 1. 12. Num debeant vestem Ordini Clericali congruentem deferre? 1. 15. & *duob. seqq.* Num annulos aureos gestare possint? 1. 18. Quæ pœna Clericorum habitum Clericalem non deferentium? 1. 19. & *seq.* Num possint nutrire comam? 1. 21. Num arma portare? 1. 22. Num liceat Clericis, Officia, commercia, ac negotia sæcularia exercere? 1. 24. Num illis liceat lusus alearum? 1. 25. Num ludi theatrales in Templo? 1. 26. Quæ pœna Clericorum sæcularia negotia exercentium? 1. 27. & *seq.* Quæ pœna Clericorum, qui joculatoriam, seu histrionicam artem exerceant? 1. 30. Quæ pœna Clericorum conjugatorum, vel non conjugatum, Officium carnificum, vel macellariorum exercentium? 1. 31. & *seq.*

Clericis an liceat cum mulieribus cohabitare? 2. 1. & *quatuor seqq.* Quæ sint pœnæ statutæ in Clericos conversantes cum fœminis suspectis? 2. 6. Quomodo procedendum contra Clericos, qui publicè concubinas habere dicuntur, sed citati, & examinati negant, se concubinarios esse? 2. 14. & *seq.* Concubinarius Clericus, an vitandus in Missis, & aliis Officijs Divinis? 2. 16. & *trib. seqq.*

Clerici conjugati an ad Ordines, vel Beneficia Ecclesiastica promoveri possint? 3. 1. & *duob. seqq.* An possint Clerici matrimonium contrahere? 3. 4. An, si contraxerint, possint Beneficia retinere? 3. 5. & *trib seqq.* An Sacerdotes Græci potuerint unquam uxorem ducere post susceptum Sacerdotium? 3. 9. An Clericis in Minoribus constitutis matrimonium contrahentibus, & ideo Beneficio privatis, debeant restitui bona, quæ Ecclesijs, in quibus erant intitulati, obtulerunt? 3. 10. Si Clericus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium validè contrahat, an ipso jure vacent ejus Beneficia, quæ obtinuit, etiam ante sententiam Judicis? 3. 11. & *quatuor seqq.* An, si Clericus Beneficiatus in minoribus Ordinibus constitutus matrimonium invalidè contrahat, Beneficium ipso jure vacet? 3. 16. & *trib. seqq.* An Episcopus possit dispensare cum Clericis conjugatis in minoribus, ut possint obtinere Beneficium; vel cum Clericis in Sacris constitutis, qui uxores de facto duxerunt, ut Officia Sacra Ordinum iterum exercere possint? 3. 20. & *duobus seqq.* An, si Clericus in minoribus constitutus matrimonium contrahat, tanquam Laicus censeatur, ita, ut privilegia Clericorum non participet? 3. 23. *usq; ad* 30. An Clericus in minoribus, qui matrimonium contraxit cum unica, & virgine, si tonsuram, & vestes Clericales deponat, penitus, ac in perpetuum amittat privilegia Clericalia, etiam Canonis, & fori? 3. 30. & *seq.* An Clericus coniugatus, qui unam uxorem, & virginem duxit, & tonsuram, ac habitum Clericalem ferens alicui Ecclesiæ servit, juxta Decretum Concilij Tridentini amittat privilegium Canonis, & fori? 2. 32.

Clericus non residens. *Titulo* 4. *toto.* Vide plura V. *Residens.*

Clericus ægrotans an propter ægritudinem, vel mutilationem amittat Beneficium suum, vel saltem fructus illius? 6. 1. & *trib. seqq.* Quando Parocho ægrotanti dari possit, vel debeat coadjutor? 6. 5. & *trib. seqq.* Quando Episcopo ægro coadjutor sit adjungendus? 6. 9. & *seq.* Prælatis Episcopo inferioribus num dandus coadjutor? 5. 11. Quis Episcopis, Archiepiscopis, & Patriarchis possit dare Coadjutorem? 6. 13. & *duob. seqq.* Qualis dari debeat? 6. 15. Quodnam sit Officium talis Coadjutoris. 6. 16. & *seqq.* An Coadjutor Episcopi, vel Prælati Beneficia conferre possit? 6. 18. Quando exspiret Officium Coadjutoris? 6. 19. & *duob. seqq.*

Coadiutor. Vide *Clericus ægrotans.*

Cœmeterium num obtineat privilegium immunitatis? 48. 4. Cœmeterij consecratio. Vide. *Consecratio.*

Commodatarius ex qua culpa teneatur, si res commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat? 15. 3. & *trib. seqq.* An teneatur præstare casum fortuitum? 15. 7. & *quatuor seqq.* An in periculo naufragii, hostilis incursûs, vel incendij possit præferre res suas, si utrasque periculo eripere non possit? 16. 16. & *duob. seqq.*

Commodatum quid sit? quomodo ab alijs contractibus distinguatur? 15. 1. Quæ res commodari possint, & à quibus? 15. 2.

Concessio Præbendæ, & Ecclesiæ non vacantis. *Tit. 8. toto.* An Beneficium non vacans possit conferri, vel promitti? 8. 2. *usque ad* 17. Quinam sunt generales modi, quibus Beneficia vacant: & qualis vacatio requiratur, ut impetrari, vel conferri alijs possint? 8. 17. *usque ad* 23. Quibus modis in specie vacent Beneficia? 8. 23. *usque ad* 29. Intra quod tempus confetri debeant Beneficia vacantia? 8. 29. & *tribus seqq.* Ad quem devolvatur jus conferendi Beneficia vacantia propter negligentiam, seu moram culpabilem Ordinarij collatoris? 8. 33. *usque ad* 43. De varijs gratijs exspectativis, sive mandatis de providendo Beneficia vacatura. 8. 43. *usque ad Tituli finem.*

Conductio quid sit? 18. 1. Vide. *Locatio.*

Conductor an in periculo naufragij, hostilis incursûs, vel incendij possit præferre res suas, si utrasque periculo eripere, non possit? 16. 16. & *duob. seqq.*

Consecratio Altaris. Altare duplex. 40. 22. An consecratio rei inanimatæ amitti possit? 40. 22. Quando, & in quibus casibus altaria execrentur, sive consecrationem ammittant, ita, ut iterum consecrari debeant? 40. 23. *usque ad* 28. An execratâ, vel pollutâ Ecclesiâ, etiam altare execretur, vel polluatur, & vice versâ? 40. 28. & *seq.*

Consecratio Cœmeterii. An, & quomodo Cœmeterium consecretur, aut benedicatur? 40. 30. Quibus modis Cœmeterium polluatur? 40. 31. An pollutâ Ecclesiâ, polluatur etiam Cœmeterium, & vice versâ? 40. 33. & *seq.*

Consecratio Templi. An solus Episcopus possit consecrare Ecclesias? 40. 1. An id qualibet die? 40. 2. An Episcopus Ecclesiam consecrare non debeat, nisi Sacrificium Missæ celebret? 40. 3. Num Ecclesia non sit consecranda, nisi prius de dote competente ei fuerit provisum? 40. 4. & *duob. seqq.* In quibus casibus Ecclesia execretur, ita, ut novâ consecratione indigeat? 40. 7. & *trib. seqq.* Quot, & quibus modis polluatur, sive violetur Ecclesia, ita, ut in ea Divina Officia celebrare non liceat, priusquam reconcilietur? 40. 10. *usque ad* 19. Ecclesia sic polluta quomodo, & à quo possit reconciliari? 40. 19, & *duob. seqq.*

Contractus quid sit? 14. 1. Qotuplex 14. 2. Quot, & quibus modis perficiantur contractus? 14. 3. Quæ obligationes oriantur ex quasi contractu? 14. 4.

Conversio Coniugatorum. Quæ conditiones requirantur, ut conjux post matrimonium consummatum licitè possit Religionem ingredi? 32. 1. *usque ad* 10. An Professio emissa à conjuge, cum licentia alterius conjugis manentis in sæculo, sive cum voto castitatis, sive etiã sine illo, sit valida? 32. 10. *usque ad* 16. An Professio mariti, invitâ, vel ignorante uxore, & vice versâ, uxoris invito, vel ignorante marito, post consummatum matrimonium, sit valida, & ad quid obliget? 32. 16. *usque ad* 22. An Professio conjugati facta cum licentia alterius conjugis: sed per metum, aut dolum obtenta, sit valida? 32. 22. & *trib. seqq.* An Professio, si sit facta, altero conjuge sciente, sed tacente, ac dissimulante, teneat? 32. 26. & *seq.* An votum simplex continentiæ ab uno conjuge, cum licentia alterius, post matrimonium consummatum, vel ab utroque communi consensu emissum, sit validum, ac licitum, & ad quid obliget? 32. 28. & *duobus seqq.* An, si conjuges, qui mutuo consensu continentiam voverunt, uterque, vel alter eorum Religionem profiteatur, possit unus alterum repetere, seu revocare? 32. 31. & *seq.* An, si unus conjugum adulterium commisit, possit alter conjux innocens licitè transire ad Religionem, vel Ordines Sacros suscipere, etiam adulterâ invitâ? 32. 33. *usq; ad* 38. An propter adulterium spirituale, videlicet apostasiam à Fide, sive hæresim, in quam unus conjugum lapsus est, possit alter conjux, non solùm se ab illo separare: sed etiam eo invi-

to, Religionem ingredi, & in ea profiteri, vel sacros Ordines suscipere? 32. *usque ad* 44. An, & quo jure dissolvatur matrimonium ratum per Professionem? 32. 44. *& quatuor seqq.* Intra quod tempus licitum sit sponsis de præsenti, ante matrimonium consummatum, ingredi Religionem? 32. 49. *usque ad* 55. An Sponsa de præsenti possit Religionem ingredi, si à Sponso sit carnaliter cognita per copulam violenter extortam? 32. 55. *& duob. seqq.* An, & quâ ratione possit conjugatus Ordines suscipere? 32. 58. *usque ad* 63. An conjugatus possit ordinari Episcopus? 32. 63.

Conversio infidelium. *Tit.* 33. *toto.*

D.

DECIMÆ quid sint? 30. 2. *& seq.* Quotuplicis generis sint? 30. 4. *& seq.* Quo jure Decimæ introductæ sint, & debeantur Ministris Ecclesiæ? 30. 6. *& trib. seqq.*

Decimæ sive prædiales, sive personales ex quibus rebus sint solvendæ? 30. 10. *usque ad* 18. An Decimæ prædiales, etiam ex rebus injustè acquisitis solvendæ sint? 30. 18. An Decimæ personales ex rebus illicitè acquisitis sint solvendæ? 30. 19. An ex acquisitis titulo gratuito, seu lucrativo? 30. 20. *& duobus seqq.* An, & quâ ratione Decimæ sint integrè, & absque diminutione solvendæ? 30. 23. *usque ad* 33.

Decimas solvere quinam teneantur? 30. 33. *usque ad* 39. Utrùm Clerici teneantur solvere Decimas? 30. 39. *usque ad* 44. Utrùm pauperes teneantur ad præstandas Decimas. 30. 45. *& duobus seqq.* Utrùm Dominus prædij, an verò colonus, seu conductor ad Decimas præstandas sit obligatus? 30. 48. *& duobus seqq.* An quis per privilegium possit eximi ab obligatione solvendi Decimas, & per quem? 30. 51. *& seq.* Quænam privilegia exemptionis à Decimis sint concessa Religiosis, vel etiam Clericis Jure communi? 39. 53. *usque ad* 64. Quomodo intelligendum sit privilegium à Sede Apostolica concessum Religiosis, ut ex prædijs, quæ proprijs manibus, seu laboribus, vel sumptibus colunt, Decimas solvere non teneantur? 30. 64. *usque ad* 70. An privilegium exemptionis à non solvendis Decimis prædialibus, Regularibus, vel alijs, qui Jure communi alias eas solvere tenerentur, concessum, censeri debeat esse favorabile, an verò odiosum? 30. 70. *& duob. seqq.* Quibus modis privilegium non solvendi Decimas amittatur? 30. 73. *usque ad* 78.

Decimæ quibus personis, & Ecclesiis sint solvendæ? 30. 78. *usque ad* 84. Personales Decimæ, cui Parochiæ debeantur? 30. 84. *& trib. seqq.* Decimæ mixtæ, an solvendæ sint Ecclesiæ Parochiali? 30. 88. *& seq.* Num & Decimæ prædiales? 30. 90. *& duobus seqq.* Quo tempore pendendæ sint Decimæ? 30. 93. Quo loco? 30. 94. *& duobus seqq.* Quo modo? 30. 97.

Decimæ novalium ad quem pertinent, spectato Jure communi? 30. 98. *& trib. seqq.* An privilegium de non solvendis Decimis extendatur, etiam ad novalia? 30. 103. *usque ad* 110. An præscriptio Decimarum intra certum locum extendatur ad Decimas novalium? 30. 110. *& seq.* An, si fundus mutetur, ita, ut v. g. ex prato fiat ager, maneat obligatus ad Decimas solvendas, sicut ante? 30. 112. *& trib. seqq.*

Decimarum in aliena Ecclesia, vel Parochia, quâ ratione Jus acquiri possit? 30. 116. *& trib. seqq.* An per transactionem, vel alijs modis possit acquiri Personis Ecclesiasticis Jus decimandi? 30. 120. *usque ad* 126. Quâ ratione obligati ad Decimas præstandas, possint ab illis liberari? 30. 126. *usque ad* 135. Quâ ratione Laici sint capaces juris decimandi. 30. 135. *& tribus seqq.* An à Prælatis Ecclesiasticis Decimæ in Feudum Laicis concedi possint? 30. 139. *& duob. seqq.* Quâ ratione Laici Decimas, quas obtinent, in alios transferre possint? 30. 143. *usque ad* 153.

Decimarum Jus, & Judex. Quale Jus habeat Ecclesia, vel ejus Rectores in Decimis, seu fructibus Decimarum? 30. 153. *& duob. seqq.* Quâ actione Ecclesia, vel ejus loco Parochus, aut Episcopus in Judicio exigere possit Decimas sibi debitas? 30. 156. Quis sit Judex competens in causa Decimarum? 30. 162. *& duob. seqq.* Quæ pœnæ Jure communi statutæ sint in eos, qui Decimas non solvunt, quas debent? 30. 165. Vide plura V. *Primitiæ.* & V. *Oblatio.*

Dedicatio Ecclesiæ. 49. 1. *usque ad* 22. Vide *Consecratio Templi.*

Depositum, & Depositarius. Quid sit Depositum? 16. 1. Depositarius an possit uti re depositâ? 16. 2. An, & quando teneatur depositarius ad præstandum dolum, vel culpam, vel casum fortuitum, si res deposita apud ipsum perijt, vel deterior facta est? 16. 3. An possit in periculo naufragij, hostilis incursûs, vel incendij, præferre suas res, si utrasque periculo eripere non possit? 16. 16. *& duob. seqq.* An Dominus semper pro libitu possit repetere rem depositam? 16. 7. An in depósito locũ habere possit compensatio? 16. 8. *& duob. seq.*

Dignitas quid sit? 5. 10.

Distributiones quotidianæ quid, & quotuplices sint? 4. 78. *& seq.* Ex quibus bonis distributiones quotidianæ deduci debeant? 4. 80. Quibus distributiones quotidianæ dari debeant? 4. 81. *& tribus seqq.* In quibus casibus distributiones quotidianæ absentibus quoque dari, & competere possint? 4. 85. *usque ad* 98. Pro quibus horis debeant assignari distributiones quotidianæ? 4. 98. Utrùm ad hoc, ut Canonici quotidianas distributiones lucrentur, requiratur, ut non solùm Divinis Officijs intersint: sed etiam, ut ipsimet in Choro cantent, & psallant? 499. An, qui in Ecclesia duo Beneficia habet, simplices tantùm, an verò duplices distributiones quotidianas recipere debeat? 4. 100. An distributiones quotidianæ, quas Canonici ob absentiam à Divinis Officijs amittunt, alijs accrescant? 4. 101. An Canonici absentes distributiones quotidianas, quas propter absentiam ab Officijs Divinis non lucrantur, tutâ conscientiâ, accipere, & retinere possint, si eas ipsis reliqui præsentes remittant, & donent, quibus aliàs accreviſſent? 4. 102.

Donatio quid sit? 24. 1. An donatione etiam simplici, seu nudâ promissione factâ, & à donatario acceptatâ, etiam ante rem traditam, jus, & actio donatario acquiratur, per quam cogi possit donator ad rem donatam tradendam? 24. 2. Quotuplex sit donatio? 24. 3. *& seq.* Quænam donatio insinuationem exigat apud Judicem, & quæ non exigat? 24. 5. *& duob. seqq.* An Prælatus ex rebus, & proventibus Ecclesiæ, vel Universitatis, seu Collegij possit facere donationes meè gratuitas, & liberales, quæ nullo titulo, aut causâ sunt simoniæ, nisi meræ liberalitatis. 24. 8. An possit facere donationes, ob causam pietatis, misericordiæ, sive titulo eleemosynæ? 24. 9 *& duob. seqq.* An Prælatus etiam Regularis possit ex rebus Ecclesiæ donationes modicas facere meè liberales, cum consensu Capituli, vel etiam sine illo? 24. 13. *& seq.* Si donatio meè liberalis ex reditibus Ecclesiæ à Prælato facta, sit immodica quidem, & in notabili quantitate, sed cum consensu Capituli, num sit valida? 24. 15. An Religiosi, qui gum Superioris licentia extra Monasterium degunt, possint de reditibus Ecclesiasticis, quorum libera est permissa administratio, æquè, ac Sæculares Beneficiati, inter vivos disponere sine consensu Prælati Ordinis? 24. 16. De quibusdam donationibus, seu concessionibus Ecclesiarum, seu Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel quæ fieri possunt alienis Ecclesiis? 24. 17. *usq; ad* 26. Qualis sit dubio interpretatio fieri debeat donationis, & quando præsumi possit donatio? 24. 26. *usq; ad* 32. An, & quando donatio inter vivos revocari possit ob ingratitudinem? 24. 32. *usq; ad* 37. An sint quædam donationes, quæ ob ingratitudinè revocari non possunt? 24. 37. Si donator scivit, ingratitudinem commissam à donatario, & tacuit, nec voluntatem revocandi donationem declaravit, an ipso mortuo, ejus hæres, sive successor illam revocare possit? 24. 38. *& seq.* Si qui liberos non habens omnia bona, vel partem eorum donavit, postea inopinatò, ac præter spem, liberos suscipiat, an tunc possit revocare donationem? 24. 40. *& quatuor seqq.* Si pater, aut mater uni filiorum, vel extraneæ personæ, in tanta quantitate donavit, ut reliquis filijs legitima auferatur, vel minuatur: num hi possint parquerelam apud Judicem instítutam revocare donationem? 24. 46. *& duob. seqq.*

E.

ECCLESIA. Tit. 37. 1. *usque ad* 9. Vide *Capella.*

Ecclesiæ ædificium. A quo, & cujus authoritate Ecclesiæ de novo ædificari, seu construi possint? 48. 1. *& duobus seqq.* Ubi debeat ædificari Ecclesia? 48. 4. An, & ex quibus casibus possit erigi, & ædificari nova Ecclesia, etiam intra limites alterius Ecclesiæ, seu Parochiæ? 48. 5. *usque ad* 10. Quænam præter legitimam causam, conditiones necessariò requirantur, ad construendam novam Ecclesiam Parochia-

lem

lem? 48. 10. *usque ad* 14. Ecclesiæ vetustate, aut casu collapsæ, vel ruinosæ, an debeant reparari ex reditibus ipsius Ecclesiæ? 48. 14. *usque ad* 19. Ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis quis teneatur? 48. 19. Ad Ecclesias Parochiales Juris patronatûs, quæ indigent restauratione, & refectione, num teneatur contribuere Patronus? 48. 20. Ecclesia Sæcularis, an possit mutari, seu converti in Regularem? 48. 21, *& duob. seqq.* An Ecclesiæ destrui possint, & ad usus profanos converti? 48. 24. *& seq.*

Electionis, & Præsentationis quale discrimen? 38. 35.

Emptio quid sit, & quæ ad substantiam ejus requirantur? 17. 1. *& duob. seqq.* Vide *Venditio.*

Emphyteusis quid sit? 18. 31. Quotuplex 18. 32. Quid requiratur ad substantiam, & valorem contractûs emphyteutici? 18. 33. An requiratur, ut Canon, seu pensio annua solvatur Domino? 18. 34. Quam pœnam incurrat Emphyteuta, si non solvat? 18. 35. *& trib. seqq.* An, & quâ ratione liceat emphyteutæ fundum emphyteuticum alienare per venditionem? 18. 39. *& trib. seqq.* An, & quibus modis, præter venditionem, alienari possit emphyteusis, irrequisito Domino? 18. 43. *& seq.* An, & quâ ratione Prælatus, bona Ecclesiæ, cui præest, possit in emphyteusin dare? 18 45. *usque ad* 52. Ad quem transeat, ac spectet emphyteusis, si emphyteuta Religionem profiteatur? 18. 52. *& seqq.*

Episcopatus quomodo dividendus sit inter Episcopum lapsum in hæresin, sed reversum ad Fidem, & ex dispensatione receptum, & inter Episcopum eidem substitutum! 29. 12. *& quinque seqq.*

Episcopus num solus possit consecrare Ecclesias? 40. 1. Vide V. *Consecratio Templi.* Quâ ratione Decimas exigere possit? 30. 156. An possit facere donationes merè gratuitas? 24. 8. An Bona Ecclesiæ, cui præest, possit in emphyteusin dare? 18. 45. *usque ad* 52. An possit subsidium charitativum remittere? 39. 57. *& seq.* Quâ ratione Hospitalia, & alia loca pia ei subjiciantur? 36. 1. *usque ad* 13. Item 36. 19. *& septem seqq.* Num & Monachi? 35. 1. *& seq.* Num visitare possit Ecclesias, & personas Ecclesiasticas etiam exemptas? Num Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis? 39. 101. *& duob. seqq.* An aliquando instituere possit sine præsentatione Patroni? 38. 111. *usque ad* 121. Vide plura V. *Præsentatio.* An possit remittere in perpetuum jus procurationis, ratione visitationis debitæ? 39. 83. *& seq.* An res Ecclesiæ possit alienare, sine consensu Capituli? 10. 1. *& duobus seqq.* Vide plura V. *Alienatio.* An collatio Dignitatum, Canonicatuum, Parochiarum, & aliorum Beneficiorum ad eum pertineat? 5. 84. *& trib. seqq.* Num dispensare possit in pluralitate Beneficiorum? 5. 185. *& trib. seqq.* An obligetur personaliter residere in sua Ecclesia? 4. 3. Item 4. 13. *usque ad* 34. An ei liceat transire ab uno Episcopatu ad alium? 4. 76. *& seq.* Num possit Episcopatum deserere, & transire ad Religionem, inque ea Professionem emittere? 31. 125. *& seq.* Quando ægrotanti sit adjungendus Coadjutor? 6. 9. *& seq.* De quibus bonis testari possit? 26. 26. *usque ad* 39.

Eucharistia. 41. 1. *usque ad* 15 Ejusdem custodia. *Titulo* 44. toto.

Exactio quid sit? 39. paulò ante *num.* 40. Num inter exactiones ordinarias numeretur Canonica portio? 39. 40. Num tributum synodaticum? 39. 40. Num prædicta tributa, sive onera, & alia Jura Episcopalia præstari debeant Episcopo ab omnibus Ecclesiis, in cujus Diœcesi sunt sitæ? 39. 41. Num fundus dotalis, sive Ecclesiæ assignatus in dotem, debeat esse immunis ab omni servitio, & tributo temporali, sive seculari, imò, & Ecclesiastico? 39. 43. *& seq.* Num Ecclesia ex bonis, quæ ultra necessariam dotationem ei donata sunt, debeat præstare, ac pendere debita servitia, etiam Dominis temporalibus, & sæcularibus? 39. 45. Quis exigere possit, & imponere novas collectas, & contributiones? 39. 46. *& seq.* Et à quibus? 39. 48. *& duob. seqq.* Num & à pauperibus? 39. 51. *& seq.* An, & quâ ratione Episcopi, aliiq; Prælati possint collectas extraordinarias, subditis suis imponere, vel ab ijs exigere? 39. 53. Quinam possint exigere subsidium charitatis? 39. 59. Ex quibus causis id possint? 39. 55. A quibus personis? 39. 56. An Episcopus subsidium charitativum possit remittere, & an contra illud præscribi possit? 39. 57. *& seq.*

Execratio Ecclesiæ, vel Altaris. 40. 7. *usque ad* 22. Item 40. 23. *usque ad* 28.

F.

Falcidia lex quid sit? 26. 90. Quid spectandum sit in computanda quarta Falcidiæ? 26. 91. In quibus casibus cesset detractio Falcidiæ? 26. 93.

Festum Conceptionis B. M. V. 45. 7. & 8.

Festum Corporis Christi. 45. 6.

Festum S.S. Apostolorum. 45. 5.

Feudum quid sit? 20. 1. *& seq.* Quotuplex sit? 20. 3. Quænam res Ecclesiæ in Feudum dari possint, vel non possint? 20. 4. *& duob. seqq.* In quibus casibus Feudum antiquum ad Ecclesiam reversum denuo in Feudum concedi possit, non obstante juramento, de non res Ecclesiæ denuo infeudando? 20. 7. *usque ad* 12. An Capitulum feuda, quæ aperta sunt, Sede vacante, reinfeudare, sive denuo in Feudum concedere possit? 20. 12. An ob delictum Prælati, vel alterius Clerici Beneficiarij, cui secundùm leges Feudorum pœna privationis est decreta, Feudum amittat Ecclesia? 20. 13. Quænam Feudi alienatio sit prohibita, illicita, vel licita? 20. 15. *& trib. seqq.* An, si Dominus à vasallo accipiat Feudum in pignus, teneatur fructus computare in sortem, nec ne? 20. 19. *& seq.* An Clerici succedere possint in Feudis, vel ea acquirere? 20. 21. *& duob. seqq.* An Monasterium, sive Religio succedere possit in Feudum sui Professi? 20. 24. *& trib. seqq.*

Fideicommissum quid sit, & quis illius effectus? 26. 72. An, & quâ ratione ex fideicommissis deducenda sit Trebellianica? 26. 77. An hæres suus, & necessarius fideicommisso universali gravatus, possit simul legitimam, & Trebellanicam detrahere? 26. 79. *& seq.* Vide V. *Hæres.* & V. *Legatum.*

Fideiussio quid sit? 22. 1. *& seq.* An Fidejussores adhiberi possint in omnibus conventionibus, seu obligationibus? 22. 3. *& seq.* An possit Fidejussor extensivè magis obligari, ita, ut ad plus obligetur, quàm debeat principalis, pro quo obligatur? 22. 5. *& trib. seqq.* An, si debitor principalis fuit obligatus ad solvendam pecuniam, & fidejussor obligetur ad solvendam aliam rem, quæ non est pecunia, obligatio valeat? 22. 9. An obligatio fidejussoria transeat etiam ad hæredes fidejussoris? 22. 10. An Prælatus Ecclesiasticus fidejubere possit pro alio? 22. 11. An Clericus possit fidejubere pro alio? 22. 12. *& duobus seqq.* An Religiosus possit fidejubere? 22. 15. *& seq.* Quibus casibus fidejussor, etiam antequam solvat, agere possit adversùs debitorem principalem, ut ipsum obligatione liberet? 22. 17. *& quatuor seqq.*

Fundator Ecclesiæ num possit in ipsa fundatione honestas conditiones apponere, cum consensu Episcopi. 38. 43.

G.

Graci Sacerdotes an potuerint unquam uxorem ducere, post susceptum Sacerdotium? 3. 9.

H.

Habitus Clericalis. 1. 15. *usque ad* 24. Habitus Religiosorum 1. 23.

Hæres in Testamento num quivis instituì possit 26. 56. Num, & Ordines Religiosi, eorùmque Professi? 26. 57. Num, & Domus Professæ Societatis Jesu? 26. 58. *& seq.* Hæredum substitutio quid sit, & quotuplex? 26. 60. Quid sit vulgaris substitutio, & quis effectus? 26. 61. Quid sit pupillaris, & quis illius effectus? 26. 62. Quid sit substitutio exemplaris, reciproca, & compendiosa? 26. 63. *& duob. seqq.* An per substitutionem pupillarem excludatur mater à successione impuberis filij? 26. 66. *usq; ad* 72. De substitutione, quæ fit per fideicomissum 26. 72. *& quatuor seqq.* Quando, sive intra quod tempus hæres ultimam defuncti voluntatem implere debeat? 26. 119. *& trib. seqq.* Vide plura V. *Fideicommissum*, & V. *Legatum.* Item V. *Testamentum* V. *Successio ab intestato.* V. *Votum.*

Hæreticus num gaudeat immunitate Asyli, si propter crimen hæresis fugiat ad Ecclesiam? 49. 40.

Hora Canonicæ. *Titulo* 41. *num.* 15. *& trib. seqq.*

Hospitalia num sint Beneficia, & in Titulum conferri possint? 36. 16. Quinam possint constitui Rectores Hospitalium, & ad quid ratione officij sui obligentur? 36. 17. *& seq.* Quâ ratione Hospitalia, & alia loca pia subjiciantur curæ, & jurisdictioni Episcopi? 36. 19. *& quatuor seqq.* Quænam

Hospitalia, & alia pia loca visitationi Episcopi subsint? 36. 24. *& duobus seqq.* Num Hospitale teneatur solvere procurationem Episcopo id visitanti? 39. 79.

Hypotheca quid sit? 21. 2. Quotuplex? 21. 3. An uxor pro securitate allatæ dotis, ejúsque restitutione habeat tacitam, seu ipsâ lege constitutam hypothecam in omnibus bonis mariti? 21. 4. *usque ad* 10. An omnia bona Prælati, vel alterius administratoris bonorum Ecclesiasticorum, tacitè obligata sint, seu oppignorata Ecclesiæ, si malè ea administret? 21. 10. Vide V. *Pignus.*

I.

IEIVNIVM quomodo observandum? *Titulo 46. toto.*

Imperatori Romanorum quænam Beneficia reserventur ex indulto Pontificis per preces primarias? 5. 367. *usque ad* 388.

Immunitas Asyli num sit introducta Jure naturali, Divino, an solùm humano? 49. 15. *& duobus seqq.* In quibus casibus Reus ad Ecclesiam confugiens inde violenter possit extrahi? 49. 18. *usque ad* 31. An non solùm homines liberi, sed etiam servi, si fideles, & baptizati sint, gaudeant immunitate Ecclesiasticâ, si ad Ecclesiam, velut ad Asylum confugiant? 49. 31. An omnes fideles etiam excommunicati, gaudeant immunitate Asyli? 49. 32. An etiam Clerici, & Religiosi gaudeant immunitate Ecclesiasticâ, ita, ut non possint à Judice proprio, sive Prælato suo Ecclesiastico per vim extrahi ex Ecclesia in casibus, in quibus Laici extrahi non possunt? 49. 33. *usque ad* 38. An infideles, Judæi, pagani, seu gentiles fugientes ad Ecclesiam gaudeant ejus immunitate? 49. 38. *& seq.* An hæretici gaudeant immunitate Asyli, si propter crimen hæresis fugiant ad Ecclesiam? 49. 40. An reus debendi, sive debitor ex causa civili fugiens ad Ecclesiam gaudeat etiam immunitate, ita, ut invitus extrahi non possit? 49. 41.

Immunitatis Asyli, quinam sint effectus? 49. 42. *usque ad* 50. An sacrilegium committat Judex secularis, si absque legitima Prælati Ecclesiastici licentia, reum invitum per vim extrahat ex loco sacro, vel alio modo immunitatem Ecclesiasticam violet? 49. 50. An incurrat talis Judex etiam crimen læsæ Majestatis, & ultimo supplicio sit afficiendus? 49. 52.

Immunitas Ecclesiastica quid sit? 49. 1. Num privilegio immunitatis gaudeant Ecclesiæ nondum consecratæ? 49. 2. *& seq.* Num privlegium immunitatis Ecclesiasticæ obtineant etiam Cœmeteria? 49. 4. An causæ criminales, in quibus agitur de sanguinis effusione, vel pœna, in Ecclesis, & aliis similibus locis sacris tractari possint? 49. 5. An in Ecclesia possint tractari causæ civiles, quæ ad forum seculare pertinent? 49. 6. An exerceri possint in ea validè, & licitè Judicia Ecclesiastica? 49. 7. Num in Ecclesiis, & similibus locis possint fieri contractus, & negotiationes? 49. 12. *& seq.* Num ludi theatrales profani, cum larvarum monstris: num convivia? &c. 49. 14.

Immunitas rerum Ecclesiasticarum à secularibus oneribus, & tributis. 49. 53. *& duobus seqq.* An ab hujusmodi oneribus & tributis exempta sint Cœmeteria, domus, & horti, aut fundi juxtà Ecclesiam positi? 49. 56. An Bona Ecclesiastica sint immunia ab illis oneribus, & tributis realibus, quæ Principes seculares imponunt prædiis, & fundis in suo territorio sitis, non ex vi proprij dominij, sed lege ordinariâ, ac perpetuâ, ex potestate jurisdictionis supremæ? 49. 57. An onera, & tributa realia, quæ ipsis rebus, seu bonis patrimonialibus, & immobilibus Clericorum inhærent, ipsis imposita ex vi alicujus pacti, priusquam in potestatem Clericorum venirent, transeant etiam ad Clericos, aliásque personas Ecclesiasticas? 49. 58. Num bona patrimonialia Ecclesiasticorum sint exempta ab ijs oneribus, ac tributis realibus, quæ non ex vi pacti, sive ex conventione partium, sed ex vi solius Jurisdictionis, lege publicâ, & ordinariâ à Principibus secularibus imponuntur? 49. 59. *& seq.* An bona Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum sint immunia & exempta ab oneribus, seu tributis etiam novis, & extraordinariis? 49. 61. *usque ad* 72. Quænam conditiones requirantur, ut Clerici, aliæque personæ Ecclesiasticæ, sive seculares, sive Regulares teneantur, imò & licitè possint contribuere, & quando etiam novæ & extraordinariæ collectæ, seu contributiones illis imponi, vel ab ijs exigi possint. 49. 72. *& tribus seqq.* An Clerici teneantur contribuere pro necessitatibus, vel utilitatibus publicis, & communibus Laicorum & Clericorum? 49. 76. *usque ad* 81. An Clerici, aliæque Personæ Ecclesiasticæ sint immunes, & exemptæ à tributis merè personalibus, quæ per capita, juxta personarum numerum, sine respectu ad bona imponuntur, cujusmodi est census, seu tributum capitationis? 49. 81. *& seq.* A quibus præterea oneribus personalibus Clerici sint exempti? 49. 83. An Clerici teneantur ad custodiam murorum Civitatis? 49. 84. An cogi possint Clerici, ut hospitium præbeant militibus in domibus suis? 49. 85. An omnes Clerici gaudeant hoc privilegio immunitatis? 49. 86. *& seq.* Utrùm laici, coloni, & emphyteutæ Ecclesiæ aut Clericorum etiam gaudeant immunitate à gabellis, & tributis? 49. 87. *& seq.* Quænam sint pœnæ violantium immunitatem Ecclesiasticam, exigendo vel imponendo Ecclesiis, vel Ecclesiasticis Personis collectas, vel alias exactiones? 49. 90. *usque ad Tituli finem.*

Indebitum quid sit? 23. 30. An, & quando indebitè solutum repeti possit? 23. 31. *& quatuor seqq.* Cuinam incumbat probatio, indebitum solutum esse? 23. 36.

Innovatio. An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante? 9. 2. *usque ad* 9. An Sede vacante Capitulum possit conferre Beneficia? 9. 9. *usque ad Tituli finem.*

Institutio quid sit? 7. 1. Ad quos spectat jus instituendi Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis? 7. 2. *& seq.* Num etiam ad Vicarium Generalem? 7. 4. Num & ad Capitulum? 7. 5. Num ad Prælatos Episcopo inferiores? 6. 7. *& tribus seqq.* Quinam & quales instituendi sint in Beneficiis? 7. 10. *& duobus seqq.* Quot in collegijs Clericorum instituendi sint Canonici, & Ecclesiæ Ministri, & in Monasteriis Monachi, aut Moniales? 7. 13. *& duobus seqq.* An is, ad quem spectat jus, sive potestas conferendi Beneficium, aut instituendi, possit se ipsum instituere? 7. 16. *& tribus seqq.*

Index delegatus à Papa num possit pro labore judicandi munus aut salarium accipere à partibus litigantibus? 1. 7. An Judex delegatus non à Papa vel Principe, sed ab inferiore Judice ordinario id possit? 1. 8. *& seq.*

Iurisprudentiæ studium an licitum Religiosis? 50. 29. *usque ad* 34. Num Clericis secularibus? 34. *& quatuor seqq.*

L.

LEGATVM quid sit? 26. 81. An res aliena legari possit testatore? 26. 82. *& quatuor seqq.* An legata possint relinqui nudis verbis, sine scriptura, & hæredis institutione? & quomodo præstanda sint legata incerta? 26. 87. *& duobus seqq.* Quæ sit portio canonica, debita Episcopo ex legatis piis, & quomodo illa legata distribuenda sint? 26. 92. *usque ad* 101. Legatum pium num ideo fiat caducum, & ad locum destinatum applicari non possit? 26. 123. *& seq.* Num legata ad pias causas integrè, & sine diminutione præstanda sint? 26. 125.

Locatio quid sit? 18. 1. *& seq.* An Locator rei frugiferæ teneatur remittere de pensione seu mercede constituta, ob sterilitatem, hostium incursum, vel alium casum fortuitum, sine culpa conductoris obvenientem? 18. 3. *usque ad* 9. An Locator possit ante, vel saltem post finitum tempus locationis conductorem expellere ex fundo, vel domo conducta. 18. 9. *& duobus seqq.* In quibus casibus possit Locator inquilinum etiam invitum, ante tempus locationis finitum, expellere, & vicissim conductor ex justa causa recedere? 18. 12. *quinque seqq.* Ex qua culpa teneatur tum conductor, tum locator. 18. 18. *& duobus seqq.* De permissa, vel prohibita locatione, & conductione rerum Ecclesiasticarum? 18. 21. *& tribus seqq.* An locationi factæ per Prælatum, seu Rectorem Ecclesiæ, Successor ejus stare teneatur? 18. 24. *usque ad* 31.

M.

MATRIMONIVM ratum an per professionem dissolvatur? 32. 44. *usque ad* 49. Utrùm uno ex conjugibus converso ad fidem, Matrimonium dissolvatur? 33. 1. *& tribus seqq.* Si infidelium conjugum unus ad fidem convertatur, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles cui adsignanda sit? 35. 5. *& duobus seqq.* Vide plura V. *Conversio coniugatorum.*

Matrimonium Clericorum. 3. 1. *usque ad* 33. Vide plura V. *Clerici conjugati.*
Medicina studium an licitum Religiosis? 50. 29. *usque ad* 34. Num Clericis secularibus. 50. 34. *& quatuor seqq.*
Missa. 41. 1. *usque ad* 15.
Monachi num spectato jure communi Canonico, & seclusis exemptionis privilegiis, subjecti sint Episcopis? 35. 1. *& seq.* Num recipi possint in Monasteriis pro pretio? num peculium habere? num singuli seorsim in Parochiis habitare, vel alibi? 35. 3. *usque ad* 8. Item 35. 20. Num liceat illis lineis camisiis uti? 35. 8. Quæ sit pœna illius, apud quem in vita, aut morte invenitur proprietas? 35. 8. & 35. 11. Silentij quæ ratio? quæ abstinentiæ? *ibid.* Officia quibus committenda? 35. 9. Prior claustralis qualis? 35. 10. Num Ordinis regulâ laxatâ, & disciplinâ collapsâ, possint Superiores instituere reformationem? 35. 14. Num privilegium Religiosis concessum amittatur, si à vitæ instituto recedant? 35. 15. Num Canonici Regulares Parochiis præfici possint? 35. 16. Num & Monachi? 35. 18. Exquisitus ornatus in vestibus interdictus. 35. 19. De Monachis non solis ponendis in Prioratibus, & eorum ab illis revocatione. 37. 9. *& tribus seqq.* Vide plura V. *Capellanus.*
Moniales. Quid Jure Canonico statutum sit circa receptionem Monialium? 35. 28. *& duobus seqq.* Quid statutum eodem Jure de Benedictione, seu Consecratione Abbatissarum, & aliarum Monialium? 35. 30. *& seq.* Quid statutum circa Clausuram Monialium? 35. 32. *& seq.* Quænam sint justæ causæ, ob quas licentia concedi potest Monialibus egrediendi ex Claustro? 35. 34. *& duobus seqq.* Ad quem pertineat, dare licentiam Monialibus exeundi ex Claustro? 35. 37. *& seq.* Quæ pœnæ sint decretæ in Moniales violantes clausuram? 35. 39. Quid Jure Canonico statutum sit circa clausuram Monialium, quoad ingressum aliarum personarum in earum monasteria? 35. 40. *usque ad* 46. Quid Jure Canonico statutum sit circa visitationem Monialium? 35. 46. *& seq.*
Musica in Officiis Divinis. 1. 14.
Mutuum quid sit? 23 1. Vide plura V. *Solutio.*

N.

NEGOTIATIO, & negotia secularia Clericis interdicta. 50. paulò ante *num.* 1. Quotuplex sit negotiatio? 50. 1. Num negotiatio merè lucrativa sit Clericis interdicta? 50. 2. *& seq.* Num etiam negotiatio impropriè dicta? 50. 4. *& seq.* An sit prohibitum Religiosis, ut suo nomine ab aliis habeant firmas, id est, alienas possessiones, seu prædia, & agros conducant? 50. 6. An negotiatio sit interdicta etiam Clericis, qui competens Beneficium non habent? 50. 8. Quam pœnam incurrant Clerici, & Religiosi, qui in casibus non permissis negotiantur? 50. 9. *& seq.* Sanguinis causa an à Clericis licitè possit tractari, & judicialiter cognosci? 50. 11. *usque ad* 16. Clericus an possit esse Minister Laicorum, sive negotiorum ipsorum gestor, aut procurator? 50. 16. *& seq.* An possit exercere procurationes villarum, aut jurisdictiones etiam seculares sub quibusdam Principibus, & viris secularibus? 50. 18. An gerere officium Vicecomitis, aut Præpositi secularis? 50. 19. Num Clericus possit præfici ruptariis, balliſtariis, sagittariis? num exercere artem chirurgiæ? &c. 50. 20. *& seq.* Num in placitis secularibus disputare, vel advocare, &c. 50. 22. An, & ob quas causas Clericis sit officium Tabellionis interdictum? 50. 23. Quibus Clericis sit interdictum officium Tabellionatûs? 50. 24. *& duobus seqq.* In quibus casibus & casibus Clerici possint exercere officium Tabellionis? 50. 27. An valeant instrumenta à Clericis Notariis confecta? 50. 28. Num Religiosis liceat studere Jurisprudentiæ, & Medicinæ? 50. 29. *usque ad* 34. Num id liceat Clericis secularibus? 34. *& quatuor seqq.* Quæ pœna statuta Religiosis Habitum dimittentibus, vel ad studia sine licentia accedentibus? 50. 39. *usque ad finem Tituli.*
Notarii officium an possit exerceri à Clerico? 50. 26.
Notorium quid, & quotuplex? 2. 20. *& seq.* Quid sit Occultum, prout notorio facti opponitur? 2. 22. Quot testes requirantur ad probandum notorium? 2. 23.
Novitiatus. 31. 26. *usque ad* 68. Vide V. *Religionis ingressus.*
Novitius. An obligentur Novitii, ad observanda statuta, & præcepta Superiorum Regularium? 31. 69. An durante anno probationis, retinere possint Beneficium Ecclesiasticum? 31. 70. *usque ad* 77. An Novitii possint uti privilegiis sui Ordinis? 31. 77. *& seq.* An è Religione dimitti possint absque justa causa? 31. 78. An Novitii teneantur disponere de suis bonis, antequam emittant professionem? 31. 79. Quomodo Novitii disponere de Bonis suis, iisque ante Professionem renuntiare possint? 31. 79. Quænam renuntiationes irritæ sint, si fiant non servatâ formâ præscriptâ. 31. 80. *usque ad* 85. Quinam contractus, vel actus comprehendantur nomine renuntiationis in Decreto Concilii Tridentini, ita, ut, si fiant sine forma ibi præscripta, sint irriti? 31. 85. *usque ad* 90. An Novitius possit renuntiare hæreditati Patris, vel Matris adhuc viventis, sine consensu illorum, & in favorem Religionis? 31. 90. An renuntiatio bonorum, vel donatio à Novitio facta, secundùm formam præscriptam à Concilio Tridentino, corruat, si is moriatur, antequam Professionem emisit, sed invalidam? 31. 91. An renuntiatio bonorum facta à Novitio, secundùm formam Concilii Tridentini, possit ab illo ante Professionem revocari, si velit permanere in Religione? 31. 92. An renuntiatio, seu donatio bonorum facta, intuitu ingrediendi Religionem, vel etiam post ingressum, à Novitio minore 25. annis, sine authoritate curatoris, & decreto Judicis, aliisque solennitatibus, Jure Civili aliàs requisitis, ad dispositionem minoris, sit valida? 31. 93. Vide plura V. *Religionis ingressus.*

O.

OBLATIO quid sit? quotuplex? & quomodo à Decimis, & Primitiis distinguatur? 30. 173. An oblationes ex necessitate alicujus præcepti sint præstandæ à fidelibus? 30. 174. A quibus personis possint fieri, & accipi Ecclesiasticæ oblationes? 30. 175. *& duob. seqq.* Ex quibus rebus oblationes Ecclesiasticæ fieri, & accipi possint? 30. 178. Ad quos spectent oblationes? 30. 179. *& seq.*
Officium Divinum. 41. 15. *& tribus sequentibus.*
Officium simplex quid sit? 5. 10.
Oratorium quomodo ab Ecclesia differat? 39. 81.
Ordo. An conjugatus possit Ordines suscipere? 32. 58.

P.

Parochia quid sit? 29. 1. Quid requiratur ad constituendam Ecclesiam Parochialem? 29. 3. In quo consistat Jus Parochialis Ecclesiæ? 29. 3. *usque ad* 8. An fines Parochiarum præscribi possint? 29. 8. *& trib. seqq.* Vide plura V. *Ecclesia.*
Parochus an obligetur personaliter residere in sua Ecclesia? 4. 3. Item 4. 13. *usque ad* 34. *& multis seqq.* Quæ pœnæ in illegitimè absentem sint statutæ? 4. 63. *usque ad* 75. Num debeat habere socium Clericum? 1. 13. Qualis sustentatio necessaria illi assignari debeat? 5. 34. *usque ad* 50. Quâ ratione Decimas exigere possit? 30. 156. An ei simul recipere liceat duas Ecclesias parochiales? 5. 130. Num Parochus possit esse Monachus. 35. 18. Quando ei ægrotanti possit, vel debeat dari Coadjutor? 6. 5. *& trib. seqq.* Vide plura V. *Canonicus Regularis.* & V. *Monachi.* Item V. *Capellanus.*
Patronatûs Jus, & Patroni nomen quàm variè in Jure accipiantur. *Tit.* 38. *num.* 1. Quid sit Jus Patronatûs in Jure Canonico? 38. 2. Quotuplex sit? 38. 3. An Patronatus Ecclesiasticus possit fieri sæcularis? 38. 4. Num Jus Patronatûs sit merè, vel non merè spirituale? 38. 5. Num acquiratur fundatione, constructione, dotatione? 38. 6. Num Ecclesiæ collapsæ restauratione? 38. 8. Num novâ dotatione? 38. 9. & 10. An requiratur Episcopi Diœcesani consensus, ut ex his causis acquiratur Ecclesiæ Jus Patronatûs? 38. 11. Num obtineri possit Jus Patronatûs etiam ex privilegio concesso à Romano Pontifice? 38. 12. Si quis exstruat in fundo alieno, inscio, aut invito domino, Ecclesiam, an Jus Patronatûs acquiratur ædificanti, an verò domino fundi? 38. 13. Si Parochus, vel alius Clericus ex reditibus Beneficii sui Ecclesiam vel Capellam ædificet, an acquirat Jus Patronatûs in illa? 38. 14. An etiam Laici sint capaces Juris Patronatûs? 38. 15. Num non tantùm mares, sed & fœminæ. 38. 16. Si Jus Patronatûs annexum

fit bonis ab uxore in dotem marito datis, num Jus præsentandi ad maritum pertineat? 38. 17. An non solùm puberi, sed etiam impuberi competere possit Jus Patronatûs? 38. 18. Num non tantùm legitimè nato, sed etiam spurio? 38. 19. Num Judæo, pagano, hæretico? 38. 20. Num ligato majore excommunicatione? 38. 21. & 22. Num Patroni habeant potestatem bona Ecclesiarum, quarum sunt Patroni, administrandi, vel de illis liberè disponendi? 38. 23. *usque ad* 27. An Patroni concedere, seu liberè conferre possint Ecclesias, seu Beneficia, in quibus Jus Patronatûs habent? 38. 27. *usque ad* 31. An, qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, vel dotavit, cùm sit Patronus illius, habeat jus eligendi Prælatum, aut suffragium ferre possit? 38. 31. *& trib. seqq.* An Episcopus Capellam, vel Ecclesiam Parochialem patronatam, invito Patrono, possit commutare in Collegiatam? 38. 35.

Patronatûs Jus num transeat ad quosvis Patroni hæredes? 38. 44. Num hæredes Jus Patronatûs inter se dividere possint? 38. 45. *& seq.* Plures hæredes plurium Patronorum originalium quomodo illis in jure præsentandi succedant? 38. 47. *usque ad* 52. An Jus Patronatûs gentilitium, extinctâ familiâ, transeat ad hæredes extraneos? 38. 52. *& seq.* An transeat ad fideicommissarium universalem? 38. 54. *& seq.* An in divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus Patronatûs? 38. 56. An publicatis bonis omnibus Patroni, & fisco addictis, ob crimen v. g. læsæ Majestatis, vel hæresis, Jus Patronatûs quoque transeat ad fiscum etiam secularem? 38. 57. An Jus Patronatûs possit transferri ad alium per legatum in testamento relictum? 38. 58. An possit etiam per hæreditariam successionem transire ad Monasterium, seu Religionem? 38. 59. An à Patrono laico possit liberè, adeóque non requisito consensu Episcopi Diœcesani, Jus Patronatûs concedi Ecclesiæ, Monasterio vel alii Religioso loco; aut etiam Clerico, nomine Ecclesiæ, vel dignitatis, quam obtinet? 38. 60. An possit à Patrono Ecclesiæ Jus Patronatûs per se, & singulariter concedi, seu donari Laico, vel etiam Clerico, ut personæ privatæ, sine consensu Episcopi? 38. 61. An à Patrono Laico possit Jus Patronatûs, quod in Ecclesia habet, non solùm alteri, sed etiam eidem Ecclesiæ donari? 38. 62. An à Patrono Jus Patronatûs possit donari, seu remitti Compatrono suo, sine Episcopi consensu? 38. 63. An à Laico etiam Regiâ potestate prædito possit Ecclesia Patronata concedi, seu donari alicui Clerico, Monasterio, vel Religioso loco, in titulum, vel proprietatem, sive per modum incorporationis, sine authoritate Episcopi? 38. 64. *usque ad* 71.

Patronatûs Jus num possit per se, & solitariè vendi, aut emi, sine vitio Simoniæ? 38. 71. Num possit vendi, vel per venditionem transferri per accidens, & concomitanter. vendendo rem temporalem, in qua est Universitas, cui Jus Patronatûs accessoriè est annexum, nisi hoc specialiter sit exceptum? 38. 72. *usque ad* 79. An Jus Patronatûs cum alio simili Jure permutari possit, accedente consensu Episcopi? 38. 79. Si Jus Patronatûs successione, vel alio modo ad alium Patronum transferatur, num possit is statum Ecclesiæ, vel ejus Rectorem mutare: & num possint, pro voluntate Patronorum, Ecclesiæ permutari? 38. 80. Num in feudum, vel emphyteusin dari possit Jus Patronatûs. 38. 81. Si universitas bonorum v. g. civitas, vel castrum cum pertinentibus, cui Jus Patronatûs annexum est, creditori in pignus detur, seu hypothecæ nomine concedatur, num Jus Patronatûs in eum transeat, ita, ut creditor suo jure, aut nomine præsentare non possit? 38. 82. Num possit Episcopus Ecclesiam, vel Beneficium, quod est Juris Patronatûs, concedere, vel unire Ecclesiæ, vel Beneficio, sine consensu Patroni, sive Ecclesiastici, sive Laici? 38. 122. *& seq.* An Papa cuivis Patronatui, non tantùm Ecclesiastico, sed etiam laico ob justam causam possit derogare? 38. 133. *& seq.* Num Legatus Sedis Apostolicæ à Latere possit sibi reservare Ecclesiam, vel Beneficium primò vacaturum, illúdque cùm vacat, conferre certæ personæ, irrequisito Patrono Ecclesiastico: non autem inconsulto, aut invito Patrono laico, vel Clerico, cui jus præsentandi competit ratione patrimonii? 38. 135. *& duob seqq.* Quibus modis Jus Patronatûs amittatur, vel extinguatur? 38. 138.

Patronus. An propter fundationem Ecclesiæ Patrono honor Processionis debeatur? item num ei ad inopiam vergenti ab Ecclesia succurrendum sit? 38. 36. *& seq.* An ei competat jus, vel potiùs onus defendendi Ecclesiam? 38. 38. Num possit, propriâ authoritate, Jus Patronatûs alienare, vel aliquid temporale ab Ecclesia patronata, vel Beneficio extrahere, vel aliud onus imponere? 38. 39. *usque ad* 44. An Episcopus possit conditiones Beneficii in prima fundatione appositas, cum consensu Patroni Successoris, mutare? 38. 130. *& seq.*

Peculium quid sit, & quotuplex? 25. 1. *& seq.* An Clerici Beneficiarii sint veri Domini bonorum suorum patrimonialium? 25. 3. An etiam bonorum quasi patrimonialium? 25. 3. An fructuum, quos ex bonis ad Ecclesiam, cui serviunt, pertinentibus, vel ex Decimis percipiunt? 25. 4. *& seq.* An Clerici Beneficiarii ex lege justitiæ teneantur reditus superfluos Beneficiorum erogare in pios usus: an verò ex alia lege, vel præcepto, sine onere restitutionis? 25. 6. *usque ad* 16. Ad quem pertineant bona acquisita à Clerico Beneficiario, & meliorationes factæ in rebus Ecclesiæ: num ad Ecclesiam? an verò ad ipsum Beneficiarium? 25. 16. *usque ad* 26. inclusivè.

Pensio quid sit, & quomodo à Beneficio distinguatur? 12. 7. Quotuplex sit? 12. 8. Quis possit pensionem imponere Beneficiis? 12. 9. *& duob. seqq.* Quinam pensiones obtinere possint? 12. 12. In quibus Beneficiis pensiones constitui possint, & in qua quantitate? 12. 13. *& seq.* An ad pensionem imponendam Beneficio requiratur consensus Beneficiarii, vel Patroni, si Beneficium sit patronatum? 12. 15. *& trib. seqq.* An pensionarius obligatus sit ad solvendum onera annexa Beneficio? 12. 19. An obligatio Beneficiarii solvendi pensionem transeat ad successorem ejus in Beneficio? 12. 20. Quibus modis pensiones extinguantur? 12. 21.

Permutatio quid sit? 19. 1. *& seq.* Quomodo à venditione distinguatur? 19. 3. An, & quatenus prohibita, vel permissa sit rerum Ecclesiasticarum permutatio? 19. 4. *usque ad* 13. Permutatio Beneficii quid sit? 19. 13. Quæ conditiones requirantur ad validam, & licitam permutationem Beneficiorum? 19. 14. *usque ad* 26. Cujus Superioris authoritate Beneficia permutari debeant? 19. 26. *& seq.* Quænam Beneficia permutari possint cum aliis, vel non possint? 19. 28. *usque ad* 35. An permutatio Beneficiorum fieri possit, non obstantibus gratiis exspectativis? 19. 35. *& seq.* An res, sive jus spirituale possit permutari pro re temporali, & è converso? 19. 37. *usque ad* 42. An res spiritualis possit permutari pro re spirituali? 19. 42.

Personatus quid sit? 5. 10.

Pignus quid sit? 21. 1. Quomodo ab hypotheca differat? 21. An rerum illarum, quæ absolutè, & per se ipsas vendi cuique prohibentur, etiam oppignoratio prohibita censeatur? 21. 11. *& seq.* An possit oppignorari liber homo? 21. 13. *& seq.* An res aliena possit pignori, vel hypothecæ subjici? 21. 15. An Prælatus, vel Rector Ecclesiæ res, seu bona ejusdem oppignorare possit? 21. 16. *& seq.* An, & quinam fructus pignoris in sortem sint computandi? 21. 18. *usque ad* 21. In quibus casibus fructus pignoris in sortem computari non debeant? 21. 24. An pactum legis commissoriæ adjectum contractui pignoris sit licitum? 21. 27. *usque ad* 34.

Portio Canonica debita Episcopo ex legatis piis. 26. 94. *usque ad* 101. Num solvi debeat Ecclesiæ Parochiali, si quis extra Parochiam suam sepeliatur? 28. 44. *usque ad* 56. Ea quanta esse soleat? 28. 56. *usque ad* 61. An in quibusdam casibus portio hæc parochialis solvi non debeat? 28. 61.

Præbenda quid sit? 5. 2. *usque ad* 8. An idem sit Præbenda, quod Canonia? 5. 1. Vide V. *Beneficium.* Item V. *Concessio Præbenda.*

Præsentatio. Si Jus præsentandi simul pertineat ad Prælatum & Capitulum, an debeat Prælatus præsentare, cum consensu majoris & sanioris partis Capituli? 10. 6. *& seq.* Præsentationis & Electionis quale discrimen? 38. 35. Præsentatio facta ab eo, qui tunc erat in quasi possessione Juris Patronatûs, & communiter credebatur esse Patronus, & consequenter institutio ad talem præsentationem, num facta renear

ac libe

ac subsistat, licèt postea constet, quòd verus Patronus non fuerit? 38. 83. Vt institutio ad præsentationem ejus, qui non est Patronus, valeat, quænam requirantur; 38. 84. Si duo sint præsentati ad eandem Ecclesiam, vel Beneficium, unus ab eo, qui erat in possessione præsentandi, alter autem à vero Patrono habente proprietatem Juris præsentandi, quis instituendus sit? 38. 87. *& seq.* Num Patronus Ecclesiæ vacantis, vel Beneficii, si Clericus sit, & idoneus, se ipsum ad illam præsentare possit? 38. 89. *& duobus seqq.* Num Patronus possit filium suum, si idoneus sit, præsentare ad Ecclesiam, vel Beneficium, in quo ipse Jus Patronatûs habet? 38. 92. Si plures sint Patroni Clerici, vel unus Laicus, & alter Clericus, num possint unum ex se ipsis præsentare? 38. 94. Num Patronus semper debeat ad Beneficia, & Ecclesias præsentare dignum, & idoneum? 38. 95. Num Patronus laicus variare possit, id est, postquam unum idoneum præsentavit, si res adhuc sit integra, alium idoneum præsentare? 38. 96. *usque ad* 101. Si præsentatus à Patrono laico rejiciatur ab Episcopo, ideóque appellet ad Papam, & interim Patronus alium præsentet, isque instituatur ab Episcopo, num hic præferendus sit priùs præsentato? 38. 101. Patronus Ecclesiasticus, cui scilicet jus præsentandi competit (nomine & jure Ecclesiæ, non patrimonii) num possit variare præsentando alterum? 38. 103. *& seq.* Si Patronus sit laicus, intra quot menses præsentare debeat; & intra quot, si sit Ecclesiasticus? 38. 105. *usque ad* 111. An post tempus ad præsentandum jure definitum elapsum, lite adhuc pendente, Episcopus liberè instituere possit, sine præsentatione Patroni? 38. 111. *usque ad* 117. An, si Episcopus instituat, sine consensu, vel præsentatione Patroni, valida sit institutio? item, an possit fieri præsentatio ad Ecclesiam non vacantem? 38. 117. *usque ad* 121. Num non tantùm præsentatio, sed etiam promissio à Patrono facta de præsentatione facienda, antequam Ecclesia, vel Beneficium vacat, illicita sit, & irrita? 38. 121. Si Episcopus post promotionem suam ad Episcopatum jus Patronatûs obtinuerit, & personam idoneam præsentaverit, num talis persona admittenda sit? 38. 124. *& seq.* An Episcopus præsentatum à Parocho ad titulum suæ Ecclesiæ ordinandum, irrequisito Patrono, admittere, & intitulare possit, ac debeat? 38. 126. *& seq.* Num Episcopus præsentatum admittere debeat, antequam præsentato fuerit coram præsentantibus congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata? &c. 38. 128. *& seq.*

Precaria, sive Precariæ, seu Precariarum contractus quid sit, & quomodo à precario distinguatur? 14. 10. Num revocari possit? 14. 11. Quomodo differat à contractu emphyteutico? 14. 13. *& duob. seqq.*

Precarium quid sit, & quomodo à commodato differat? 14. 5. *& sex seqq.* Quando, & quomodo finiatur? 14. 8.

Primitiæ quid sint, & quomodo à Decimis distinguantur? 30. 169. *& tribus seqq.*

Procurationes quid sint? 39. ante *num.* 59. Ob quam causam solvi debeant? 39. 59. An debeant esse moderatæ, ita, ut Ecclesiæ iis non graventur? 39. 60. Num procurationis nomine etiam præstari debeant victualia? 39. 61. An ab iis, qui præstare procurationes victualium debent, invitis possint procurationes exigi in pecunia? 39. 62. *usque ad* 67. Quibus Prælatis, & quando, ac quâ ratione præstari debeant procurationes? 39. 67. *usque ad* 71. Num omnes Ecclesiæ, aut personæ Ecclesiasticæ, Capellæ in Ecclesiis Collegiatis, Oratoria publica solvere debeant impensas procurationum? 39. 71. *usque ad* 79. Quinam non teneantur procurationem solvere? 39. 79. *usque ad* 83. An jus procurationis ratione visitationis debitæ, expressè, aut per pactum possit remitti ex toto, & in perpetuum ab Episcopo? 39. 83. *& seq.* Si una Ecclesia alteri, cum Patroni in fundatione, consensu, debeat solvere procurationem, nullâ adjectâ quantitate determinatâ, num illius procurationis quantitas possit cum tempore augeri? 39. 85. *& seq.* Si in aliquo loco, vel Diœcesi in procurationibus, & aliis servitiis præstandis certum quid non sit statutum, an tum attendenda sit consuetudo vicinarum Ecclesiarum? 39. 87. An Archiepiscopus, qui Jure Metropolitano, vel legationis Apostolicæ visitat Provinciam suam, possit debitas procurationes, juxta facultates Ecclesiarum, exigere, & illos, qui eas denegant, excommunicare? 39. 88. *& seq.*

Professio Religiosa quid sit, & quotuplex? 31. 94. Quâ formâ Professio expressa fieri possit, vel debeat? 31. 96. *usque ad* 103. Quibus modis fieri possit, spectato Jure Canonico Decretalium, Professio tacita? 31. 104. *usque ad* 115. An, & quibus modis professio tacita fieri possit, jure noviſſimo post Concilium Tridentinum? 31. 115. Quænam conditiones requirantur ad legitimam Professionem? 31. 116. *usque ad* 125. An Episcopus possit Episcopatum deserere, & transire ad Religionem, inque ea Professionem emittere? 31. 125. *& seq.* An, si parentes sint in extrema necessitate constituti, filius teneatur professionem differre, vel eâ jam factâ, Religione egredi, & extremæ parentum necessitati subvenire? 31. 127. *& seq.* An servus Religionem ingredi possit, & in ea Professionem emittere? 31. 129. An Religionem ingredi possit, qui est debitis obstrictus, & ea nondum solvit? 31. 130. Ad quos spectet, potestas admittendi Novitios ad Professionem? 31. 132. *& quatuor seqq.* Qui sint effectus Religiosæ Professionis? 31. 137. *& quatuor seqq.* An per solennem Professionem amittatur Nobilitas Professi? 31. 142. An, & quomodo Professio sit indissolubilis? 31. 143. An, & quando Professio, quoad vinculum, possit dissolvi per potestatem summi Pontificis? 31. 144. An vinculum Professionis dissolvatur per promotionem Professi ad Episcopatum? 31. 145. An Professus possit præscribere contra Professionem à se emissam, & sic ab illa se eximere? 31. 146. An is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare Professionem? 31. 148. Quid requiratur ad ratificationem Professionis invalidæ? 31. 149. An omnes Regulares possint reclamare contra Professionem invalidam? 31. 151. Quot, & quæ conditiones requirantur ad legitimam reclamationem? 31. 152. *& seq.* Ex quibus causis possit Regularis reclamare contra Professionem invalidam? 31. 154. An etiam Religio reclamare possit contra invalidè Professum? 31. 154. Vide plura V. *Conversio Coniugatorum.*

Professus seu Religiosus an possit ab una Religione transire ad aliam? 31. 155. *usque ad* 159. Quæ conditiones requirantur ad licitum transitum ad aliam Religionem? 31. 159. *usque ad* 162. Quinam Superior in specie licentiam dare possit, transeundi ad aliam Religionem? 31. 162. *usque ad* 170. An Canonicus Regularis possit transire ad Ordinem Monachalem, vel vice versâ Monachus ad Canonicos Regulares? 31. 170. *& seq.* An spectato Jure communi, ex Ordine mendicantium permissum sit transire ad Ordinem Monachalem, seu non mendicantem, vel ad alium Ordinem mendicantem? 31. 172. *& duobus seqq.* An Religiosus assumptus ad Clericatum, seu ad Chorum deputatus possit ad statum Fratrum Laicorum, sive Conversorum transferri? 31. 175. An Prælatus inferior possit Religiosum Professum in uno Monasterio compellere, ut transeat in aliud ejusdem Ordinis intra, vel extra Provinciam? 31. 176. Quænam Jure Canonico interdicta sint Religiosis etiam licitè ad alias Religiones transeuntibus? 31. 177. *& tribus seqq.* An legitimè translatus ab uno Ordine ad alium, ut sit Prælatus ipsius, debeat de novo in illo Professionem emittere? 31. 181. An legitimè translatus ab una Religione ad aliam, obligatus sit ad vota specialia in priore Religione emissa? 31. 182. Ad quod Monasterium, seu Religionem pertineant Bona Religiosi licitè transeuntis ab una Religione ad aliam diversam? 31. 183. *& duobus seqq.* Vide plura V. *Religiosus.* & V. *Conversio Coniugatorum.*

Purificatio post Partum. Titulo 47. *toto.*

Q.

Quarta Decimationum num inter exactiones ordinarias numeretur? 39. 40.

R.

RELIGIO, sive Religiosus Status. Religio quotupliciter accipiatur? 31. 1. Quid sit Status Religiosus? 31. 2. Quæ conditiones ad substantiam veræ Religionis requirantur? 31. 3. Num vota solennia sint de essentia Statûs Religiosi? 31. 10. An Status Religionis secundùm se, & quoad substantiam suam, ab ipso Christo Domino in nova Lege fuerit institutus? 31. 18. *& seq.* In quo Religiosi Ordines conveniant? 31. 20. Religiones Clericales, Monachales, Mendicantes, Militares. 31. 21. *& quatuor seqq.* Religio Socie-

tatis JESU num sit Ordo mendicans? 31. 23. Religionum diversitas ex earum Fundatoribus. 31. 25.

Religionis ingressus. Quæ ætas requiratur in ingrediente Religionem? 31. 26. *& seq.* In quo loco necessariò debeat peragi Novitiatus? 31. 28. An suscepto Habitu Regulari peragi debeat? 31. 29. Utrùm necessarium sit, ut Professionem præcedat annus probationis integer, & quomodo sit computandus? 31. 30. *usque ad* 40. An hic annus probationis necessariò debeat esse continuus, sine interruptione? 31. 40. *& duob. seqq.* Si quis post expletum annum probationis, Religionem deseruit, & postea iterum recipiatur, num sine nova probatione, & Novitiatu possit ad Professionem admitti? 31. 43. An, siquis Religiosus ex una Religione in aliam transeat, teneatur denuo integrum probationis annum subire? 31. 44. Si Professio alicujus ex aliquo defectu sit irrita, num sit necessariò repetendus Novitiatus? 31. 45. An Novitius justè ejectus, si iterum admittatur, ab initio inchoare debeat annum probationis? 31. 46. An, siquis currente anno Novitiatûs, in amentiam incidat aliquot dierum, interrumpatur Novitiatus? 31. 47. An impuberes possint Religionem ingredi, & ad illam admitti? 31. 48. An, & quâ ratione possint parentes tradere Religioni liberos impuberes, vel ingressos revocare, & quem effectum habeat hujusmodi oblatio? 31. 49. *usque ad* 55. An non solùm pater: sed etiam mater, & tutores habeant potestatem, offerendi filium impuberem Religoni? 31. 55. *& seq.* An impubes etiam invitus à parentibus tradi possit Religioni? 31. 57. *usque ad* 61. An liberi, inconsultis, & invitis parentibus, possint ingredi Religionem? 31. 61. An Novitii intra annum probationis liberè possint exire, & ad seculum redire? 31. 62. *usque ad* 68. An illi, qui intra annum probationis, ad seculum redeunt, licitè possint ad Ordines, & Beneficia promoveri? 31. 68. Vide plura V. *Novitius.*

Religiosus Ordo. Num liceat novum Ordinem Religiosum instituere sine approbatione Ecclesiæ, vel summi Pontificis? 36. 27. *usque ad* 33. An sub prohibitione & irritatione novarum Religionum, comprehendantur etiam omnes Congregationes virorum, ac mulierum, quæ in communi sub certa Regula, ritu, aut habitu, sine Sedis Apostolicæ licentia, seu approbatione, devotionis & pietatis causâ vivunt, licèt tria vota substantialia non ediderint? 36. 33. *& trib. seqq.*

Religiosus fugitivus, apostata, & ejectus in quo differant? 31. 186. *& duob. seqq.* An Prælati Religionum teneantur fugitivos, seu apostatas, & ejectos ex Ordine requirere, & revocare, eósque cogere, ut ad Monasterium, seu Ordinem revertantur? 31. 189. *usque ad* 194. An Religio habeat potestatem ejiciendi subditos Regulares, & ob quas causas? 31. 194. *& seq.* An Religiosus Professus per justam sententiam definitivam in perpetuum ejectus è Religione, cùm maneat verus Religiosus, obligetur adhuc ad substantialia vota Religionis? 31. 196. *& duob. seqq.* An talis obligetur, præter tria substantialia vota Religionis, ad alias observantias regulæ? 31. 199. *& seq.* An Professus ejectus per sententiam in perpetuum, teneatur redire ad Religionem suam, vel ingredi aliam, & an ad id compelli possit? 31. 291. *usque ad* 207. inclusivè. Quam pœnam incurrat, qui Habitum Regularem dimittit? 50. 39. *usque ad* 43. Quam incurrat accedens ad studia sine Prælati licentia? 50. 43. *& trib. seqq.*

Religiosus incorrigibilis quomodo puniendus? 50. 47.

Religiosa domus quænam vocetur? 36. 1. An Episcopo sint subjectæ omnes Ecclesiæ Parochiales, annexæ filiales, & Capellæ? 36. 2. *& seq.* An etiam omnes Ecclesiæ & Monasteria Religiosorum? 36. 4. *& seq.* An, si Ecclesia jure incorporationis, aut patronatûs à quibuscùnque Religiosis possideatur, tamen subjecta sit Episcopo loci, & teneatur præstare omnia jura Episcopalia? 36. 6. *& duob. seqq.* Si dubitetur de aliqua Ecclesia, in cujus Diœcesi sita sit, cui Episcopo subjecta esse debeat? 36. 9. Cui Episcopo sit subjecta Ecclesia, vel Monasterium unitum Ecclesiæ, vel Monasterio alterius Diœcesis? 36. 11. *& duob. seqq.* An Ecclesiæ Regulares possint mutari in Ecclesias seculares, sive Monasteria in Collegia Clericorum secularium? 36. 14. *& seq.*

Reliquia Sanctorum num venales exponi possint? 45. 9. *& seq.* Num extra capsam? 45. 10. Num liceat, reliquias de nova inventas publicè venerari? 45. 10. *& seq.* An Episcopus possit, sine Papæ licentia, corpora Sanctorum ab una Ecclesia ad aliam transferre? 45. 12.

Renuntiatio Bonorum quid sit? 31. 79. Vide V. *Novitii.*

Rescriptum Apostolicum. 5. 243. *usque ad* 252. Vide plura V. *Beneficiales literæ.*

Residens Clericus qui dicatur? 4. 1. Quotuplex sit obligatio residendi? 4. 2. An Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Præpositi, Parochi, & omnes alii, qui Beneficia obtinent, quibus cura animarum annexa est, obligentur personaliter residere in suis Ecclesiis & Beneficiis? 4. 3. An & Canonici, qui aliquam Præbendam habent in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, adresidentiam personalem obligentur? 4. 4. *& duob. seqq.* An omnia etiam Beneficia simplicia ad residentiam personalem obligent? 4. 7. *& duob. seqq.* An Episcopi, Abbates, Præpositi, vel Priores, qui non in titulum: sed in commendam, vel administrationem Ecclesias obtinent, in eisdem residere debeant, sicut illi, qui jure tituli, ea possident? 4. 10. Utrùm Jure Divino, an humano solùm Episcopi, aliique inferiores curati teneantur ad residentiam personalem? 4. 11. *& seq.* Utrùm per consuetudinem induci possit, ut Prælati, aliique Clerici non teneantur personaliter residere in Ecclesiis, vel Beneficiis curatis, aut non curatis sive simplicibus. 4. 13. *usque ad* 18. An Episcopi, vel Parochi licitè ab Ecclesiis suis abesse possint, ad breve, & modicum tempus? 4. 18. *& trib. seqq.* Quænam sint justæ causæ à continua residentia excusantes? 4. 22. *usque ad* 34. Qua ratione possint Clerici abesse à suis Ecclesiis, vel Beneficiis, ob causam studiorum? 4. 34. *usque ad* 39. An justa causa sit non residendi, si Episcopus versetur in Curia Romana? 4. 39. *& seq.* An sit sufficiens causa, ut Parochus ab Ecclesia sua ultra duos menses absit, si ipse ab Episcopo Visitatoris, vel Vicarii Generalis, vel aliud officium in sua Diœcesi sit demandatum? 4. 41. Quis possit dare facultatem non residendi? 4. 42. *& duob. seqq.* Quomodo intelligendum sit juramentum, præstitum de continua, aut perpetua residentia? 4. 44. *& duob. seqq.* Quæ pœnæ Jure antiquo Canonico decretæ sint in Beneficiarios, non residentes? 4. 47. *usque ad* 63. Quæ pœnæ Jure novo Concilii Tridentini statutæ sint in Episcopos, iisque Superiores, tum etiam in Parochos, aliósque Curatos inferiores, illegitimè absentes à suis Ecclesiis? 4. 63. *usque ad* 75. Quæ pœnæ in Concilio Tridentino decretæ sint in eos, qui Dignitates, vel Canonicatus, Præbendas, aut portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis obtinentes, sine legitima facultate, absunt? 4. 75. An, & qualiter liceat Episcopo transire à suo Episcopatu ad alium, vel Clerico ab una Diœcesi ad aliam? 4. 76. *& seq.*

S.

Sanguinis causa an à Clericis possit tractari? 50. 11. *usque ad* 16.

Sepultura tripliciter accipitur. 28. ante *num.* 1. Quis sit locus sepulturæ Sacræ, & Ecclesiasticæ, & quo in loco possit quis, vel debeat sepeliri? 28. 1. *usque ad* 14. Quinam sibi, vel aliis sepulturam eligere possint extra Parochiam suam? 28. 14. & 4. *seqq.* Num filii adhuc impuberes cum majoribus suis tumulandi sint? 28. 19. *& seq.* Num Religiosi sibi sepulturam possint eligere? 28. 21. *& duob. seqq.* Num Episcopus, extra suam Ecclesiam Cathedralem: & Prælatus Religiosi Ordinis, extra Monasterium suum, sibi possint eligere sepulturam? 28. 24. Num Novitii Religionum possint sibi eligere sepulturam? 28. 25. An Religiosis, & Clericis secularibus liceat, quosdam inducere ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut apud ipsorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent? 28. 26. *& duob. seqq.* Quibus Ecclesiis jus sepulturæ competat? 28. 29. *& duob. seqq.* Quis possit jus sepulturæ concedere? 28. 32. *& duob. seqq.* An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit? 28. 35. *usque ad* 41. Ad quid teneantur, qui alienum parochianum sepeliunt, vel qui cadaver illius, qui alibi sibi sepulturam elegit, in sua Ecclesia sepeliunt? 28. 41. *& duob. seqq.* A quo, cui, & ex quibus rebus sit solvenda canonica portio Parochialis hi-

neralium, & quando solvi non debeat: 28. 44. *usque ad* 62. Num omnes fideles sint in loco sacro sepeliendi: 28. 62. Quia am in loco sacro sepeliri non debeant: 28. 63. *usque ad* 78. Quam pœnam incurrant sepelientes, qui jure prohibentur sepeliri in loco sacro: 28. 78. *& duob. seqq.* Quam pœnam incurrant illi, qui prohibitis & illicitis modis inducunt aliquem ad eligendam sepulturam in suis Ecclesiis: 28. 81. *& seq.*

Societas JESU num sit Ordo mendicans: 31. 23. In ea quæ authoritas requiratur ad alienationem rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum: 13. 46. *& seq.* Num Domus Professa S. J. possit hæres institui: 26. 58. *& seq.* Num per vota simplicia S. J. ipso jure & facto extinguantur priora vota in seculo, vel tempore Novitiatûs emissa. Item an per solennem Professionem extinguantur vota ante illam emissa: 34. 29.

Solutio. Quid sit mutuum: 23. 1. Quæ conditiones ad substantiam, & valorem mutui requirantur: 23. 2. *& quatuor seqq.* An Ecclesia, vel Prælatus ejus nomine, possit mutuum dare: 23. 7. *& duob. seqq.* An, ac quomodo Ecclesia, vel Monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato: 23. 10. *usque ad* 17. An successor in Prælatura, aut Beneficio teneatur solvere debita ab Antecessore suo contracta: 23. 17. *& quatuor seqq.* Quale Beneficium, sive privilegium competat Clericis, qui non sunt solvendo: 23. 22. *& duob. seqq.* Quænam requirantur, ut Clericus debitor beneficio *c. Odoardum. 3. Tit.* 23. fruatur: 23. 25. *& duob. seqq.* An Clericus possit renuntiare dicto Beneficio: 23. 28. *& seq.* Vide plura V. *Indebitum.*

Substitutio hæredum. 26. 60. Vide V. *Hæres.*

Successio ab intestato quid sit: 27. 1. De computatione graduum in successionibus ab intestato, & modis, quibus succeditur ab intestato: 27. 2. *& duob. seqq.* Quo ordine ab intestato succedant descendentes, sive liberi suis parentibus. 27. 5. *usque ad* 11. Num succedant filii illegitimi: 27. 11. Quo ordine vicissim ascendentes, seu parentes succedant ab intestato suis liberis: 27. 12. *& quatuor seqq.* Quo ordine ab intestato succedant defuncto fratres, & alii consanguinei collaterales: 27. 17. *usque ad* 26.

Successio Ecclesiæ ab intestato in bonis Clericorum an, & quando fieri possit: 27. 26. *& trib. seqq.* An, & quâ ratione Testamentum, vel alia dispositio ad pias causas, aut donatio excludat successionem ab intestato: 27. 30. *& duob. seqq.* An, & qualiter succedat Monasterium, vel Ordo Religiosus in Bonis sui Professi: 27. 33. *usque ad* 40. An hæreditas Religionem Professo delata, acquiratur immediatè Monasterio, sine additione Monachi, seu Religiosi: 27. 40. An Monasterium succedat ei, qui tempore Novitiatûs intestatus decedit: 27. 41. An per consuetudinem, vel statutum possit tolli jus succedendi, quod competit Monasteriis in bona Professorum: 27. 42. *& seq.*

Sustentatio necessaria Clerici. 5. 29. Vide plura V. *Beneficium.*

T.

TABELLIONIS officium, num Clericis interdictum: 50. 23. *usque ad* 29.

Templi ædificium. 48. 1. *usque ad* 26. Vide V. *Ecclesia.*

Testamentum quid sit: 26. 1. Quotuplex: 26. 2. Ad valorem testamenti solennis in scriptis quid requiratur: 26. 3. *& seq.* Ad testamentum nuncupativum quæ solennitates requirantur: 26. 5. Quod sit discrimen testamenti nuncupativi, & illud, quod in scriptis conditur: 26. 6. Quomodo differat testamentum à codicillo: 26. 7. An solennitates Juris Civilis requirantur etiam ad testamentum, spectato Jure Canonico: 26. 8. *& quatuor seqq.* An, sicut testamentum sine solennitatibus Jure positivo requisitis, factum ad profanam causam, in foro externo est invalidum, ita etiam sit invalidum in foro conscientiæ: 26. 13. *usque ad* 19. An solennitates Jurisdictionis requirantur in testamentis ad pias causas: 26. 19.

Testamentum facere num possint omnes homines: 26. 25. An, & de quibus bonis Episcopi, aliique Prælati Ecclesiastici, & Beneficiarii testari possint: 26. 26. *usque ad* 39. An per consuetudinem, saltem immemorialem, introduci possit, ut Beneficiarii de Ecclesiasticis reditibus superfluis, & quæ ex iis comparata sunt, liberè, ac licitè testari, seu per aliam ultimam voluntatem disponere possint, etiam ad usus profanos: 26. 39. *usque ad* 45. An Prælati Religiosorum Ordinum, aliique Religiosi Professi possint testamentum condere: 26. 45. *& quatuor seqq.* An id possint saltem cum licentia Summi Pontificis: 26. 50. *& seq.* An per consuetudinem saltem immemorialem induci possit, ut Religiosus Professus in casibus, in quibus ex privilegio Papæ facultas testandi ei concessa fuit, testamentum facere possit: 26. 52. An Novitii Religionum possint de suis bonis, pro suo arbitratu, testamentum facere, vel per aliam ultimam voluntatem de iis disponere, nullâ petitâ licentiâ Superioris: 26. 53. *& duob. seqq.* Vide plura V. *Hæres.*

Testamenti, & aliarum ultimarum voluntatum executio. Quis possit, & debeat esse executor Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis: 26. 101. *usque ad* 106. Quo pacto Religiosi possint esse executores Testamentorum: 26. 106. *& trib. seqq.* Num tales executores testamentorum constituti, debeant rationem reddere Ordinariis locorum: 26. 110. Fratribus minoribus de observantia num prohibitum sit esse executores testamentorum: 26. 112. Utrùm executor designatus à testatore compelli possit ad acceptandum, & exequendum: 26. 113; Per quem possit compelli ad exequendum: 26. 114. *usque ad* 119. Intra quod tempus ultimam defuncti voluntatem debeat hæres, vel executor implere: 26. 119. *& trib. seqq.* Quam pœnam incurrat hæres, vel alius executor, si negligat exequi ultimam voluntatem testatoris intra tempus à Jure definitum: 26. 126. *usque ad* 132. Utrùm executores testamentarii, propriâ authoritate, ultimas voluntates defunctorum possint commutare: & an officium executoris, eo mortuo, transeat ad hæredem, vel successorem Prælatum: 26. 132. *& duob. seqq.*

Tributum synodaticum. 39. 40. Vide plura V. *Exactio.*

Trebellianica. 26. 77. *& trib. seqq.*

V.

VECTIGAL à quo imponi possit: 39. 46. *& seq.* Quibus possit imponi: 39. 48.

Venditio quid sit, & quæ ad substantiam ejus requirantur: 17. 1. *& duobus seqq.* Num res sacræ vendi possint: 17. 4. *usque ad* 12. An, & quatenus aliæ res, & jura Ecclesiarum vendi possint, vel non possint: 17. 12. *& quinque seqq.* An exteris, & peregrinis cariùs liceat vendere merces, quàm indigenis: 17. 18. *& seq.* Quæ sit pœna falsantium justas mensuras, ac pondera: 17. 20. An venditio vel emptio ob læsionem ultra, vel infrà dimidium justi pretii, sit invalida, vel saltem rescindi possit: 17. 21. *usque ad* 28. Utrùm venditio rei, cum pacto revenditionis, ad arbitrium emptoris, recipiendo aliquid ultra sortem, sit vera, & licita venditio: an verò potiùs contractus pignoris, sed illicitus, & usurarius: 21. 25. *& seq.* Quibus casibus cesset remedium rescindendæ venditionis, ob læsionem etiam ultra, vel infra dimidium: & an locum habet etiam in aliis contractibus: 17. 28. *& seq.* An venditioni vel emptioni licitè apponi possit pactum retrovendendi, vel redimendi: 17. 30. *usque ad* 40. De venditione rei donatæ propter nuptias à viro uxori, eâdem consentiente, alterii factâ. 17. 40. *& seq.* An, & quando venditor teneatur emptori de evictione, & in quibus casibus non obligetur: 17. 42. *usque ad* 48. Ad quem pertineat periculum rei venditæ, ad venditorem, an ad emptorem: 17. 48. *& quatuor seqq.*

Visitatio. Quinam jus & potestatem habeant visitandi. 39. 90. An Episcopus visitare possit Ecclesias, & personas Ecclesiasticas etiam exemptas, vel Ecclesias, quæ nullius sunt Diœcesis: 39. 101. *& duob. seqq.* Quoties visitatio fieri possit, aut debeat: 39. 94. Quo ordine, & modo facienda sit visitatio: 39. 95. *usque ad finem Tituli.*

Ultima voluntas quid sit: *Tit.* 26. ante *num.* 1.

Votum quid sit: 34. 1. Quid votum solenne: quid simplex: 34. 2. *usque ad* 7. Utrùm obliget Votum, & quando: num etiam interveniente impedimento: 34. 7. *usque ad* 12. Item 39. 36. *usque ad* 40. Qualiter hæres teneatur implere, & exequi vota defuncti, quæ non ipse implevit: 34. 12. *usque ad* 18. An, qui vovit ingredi Religionem, vel etiam profiteri, possit licitè, ante votum impletum, Episcopatum suscipere: 34. 18. *& trib. seqq.*

Votorum commutatio, vel dispensatio num à quolibet Superiore

riore Ecclesiastico fieri possit? 34. 22. An Archiepiscopus possit dispensare in votis Coëpiscoporum Suffraganeorum? 34. 23. Num quivis possit votum suum commutare, propriâ authoritate, in opus evidenter melius? 34. 24. Num etiam in evidenter æquale? 34. 25. *& seq.* An omnia vota edita, etiam reservata summo Pontifici, per Professionem solennem in Religione, ipso jure tum Ecclesiastico, tùm naturali, & Divino, in melius, DEóque gratius obsequium commutentur, & extinguantur? 34. 27. *& seq.* Num per vota simplicia in Societate JESU edita, ipso jure, & facto extinguantur priora vota in seculo, vel tempore Novitiatûs emissa? Item an per solennem Professionem extinguantur vota ante illam emissa? 34. 29. An etiam impuberum vota dispensatione indigeant? 34. 30. *& duob. seqq.* Quâ ratione commutari possit votum peregrinationis Hierosolymitanæ, & à quo relaxari? 34. 33. *& novem seqq.*

Votum simplex continentiæ. Vide V. *Conversio Coniugatorum.*

Vota solennia num sint de essentia Statûs Religiosi? 31. 10. *& duob. seqq.* Votum quot modis possit dici solenne? 31. 14. *& trib. seqq.*

Vsufructuarii cautio. 21. 34. *& duob. seqq.* Qualem cautionem usufructuarius præstare debeat? 21. 37. *& duob. seqq.* An testator, qui reliquit in testamento bona sua quoad proprietatem uni, usumfructum verò eorum alteri, possit usufructuario remittere cautionem, quamvis eandem præstare posset? 21. 40.

X.

XENODOCHIVM. 36. 16. Vide plura V. *Religiosa domus.* Item V. *Hospitale.*

EMENDANDA.

Erratum.	*Pag.*	*Colum.*	*linea.*	*legendum.*
Ordinavit	54.	2.	18. à fine	& examinavit
Licentia	55.	2.	56.	licentiam
omissum	56.	1.	11.	l. 1. Tit. 11. S. 1. §. 8.
fuisset	56.	1.	22.	fuit.
conferatur	57.	2.	18.	conferetur
vel	59.	2.	33.	ut
ut	pag. cad.	2.	38.	vel
electio	62.	1.	1.	collatio
omissum	67.	2.	11. à fine	dignitatem
quia inferior	72.	2.	5.	del.
ita	85.	2.	21. à fine	sita
electa	93.	2.	10.	electiva
declatoria	98.	1.	13.	declaratoria
præcipuè	103.	2.	21.	præcipuæ
CXXXIX.	104.	1.	18. à fine	CLXXXIX.
retineat	105.	1.	5. à fine	reticeat
omissum	105.	2.	26.	curatum sic
dubo	107.	1.	4. à fine	dubio
h. t.	131.	2.	28.	in 6.
factæ	135.	2.	18.	facta
dignitas	140.	1.	21.	præbenda
Et hac vacante	140.	1.	22.	vacante dignitate
h. t.	141.	2.	18.	in 6.
omissum	144.	1.	15. à fine	ut liget
n. 3. q. 5.	148.	1.	34.	n. 395.
referendum	172.	1.	3.	referenda
eundem	187.	2.	8. à fine	eandem
omissum	192.	2.	3. à fine	hic
eaque	193.	2.	28.	neque
dentur	197.	2.	9.	dantur
Lib. 1. Decret. S. 3. §. 6. n. 156.	198.	1.	21.	l. 1. Tit. 6. S. 3. §. 6. n. 156.

Erratum.	*Pag.*	*Colum.*	*linea.*	*legendum.*
probandas	199.	1.	28.	reprobandas
vel	200.	1.	33.	ad
per	207.	1.	21.	per quod
seu	224.	2.	11.	ad
omissum	226.	2.	31.	pertinentes alienare non debet, nisi ex causa, & cum consensu Capituli.
omissum	232.	2.	17.	aut mobilium
omissum	242.	1.	28.	sicut per statutum sæcularis potestatis, per quod derogari non potest
recipiendam	257.	1.	21.	reprimendam
nisi Prælatus conferat	295.	2.	4.	nisi cum consensu Prælati
vocaturo	300.	1.	10.	vacaturo
possint	315.	2.	19.	possit per
remissus	322.	2.	7. à fine	rescissus
hæreditatibus	370.	2.	9.	reditibus
pertinent	371.	2.	9.	pertinet
omissum	371.	2.	28.	bona ejus
quod	379.	1.	5.	quoad
successivè	476.	1.	14.	severissimè
fidelis	476.	2.	11.	fideles
subjicitur	488.	2.	18.	subjiciuntur
convenerint	494.	1.	16.	consenserint
omissum	502.	1.	29.	menses
prohitum	597.	2.	10.	prohibitum
tamen	597.	2.	21. à fine	talis
Episcopalis	602.	1.	6. à fine	Episcopales
vel	660.	1.	33.	vas
detractationes	790.	1.	23.	detractiones

Ad maiorem DEI Gloriam.

PIRHING
JUS CANON
TO
Th
1330a

